UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Impedimentis Matrimonii, Usu Et Divortio

Bosco, Jean a

Lovanii, 1685

urn:nbn:de:hbz:466:1-73448

Visual Library

Th. 446a

D. V
A I

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

THEOLOGIÆ
SACRAMENTALIS
PARS SEXTA.

Sum Joannis Knöop Doctoris et pastoris
Salskotten: 1690 20 Julij pro duobus Imperial:
emptus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





Vera effigies Admodum Reuerendi Patris Joannis Bosco Antverpiensis. Ordis. Minorum Recollectorum in Vniuersitate Louaniensi S. Theologiæ Lectoris bis Jubilati. Ætatis A°74

EN BOSCO, SCOTUS ſtudio, pietate IOANNES,
More placens, major dogmate, mente MINOR.
Miraris? coluere virum LOVANIA: vultum
Aſpice; plura oculos parva tabella docet.
Acta probant: ut vera ſcholis ſenſa inferat, annis
Quos vixit multis, immoritur ſtudijs.
Diſcutit, impugnat, negat, aſſerit, omnia limat:
Quæ nova ſunt, purgat; quæ meliora, probat
Ex Auguſtino, SUBTILI Interprete: nec ſcis,
Illius, an SCOTI, vel ſua BOSCO ferat.
Hinc cupis ingenium, vel paucis plurima? pauci
Hi tibi lector erunt Bibliotheca Libri.

Chronicon.

DeVIXIt MaIo, Vt VIVat CœLo.



Vera effigies Admodum Reuerendi Patris Joannis Bosco Antverpiensis. Ordiss. Minorum Recollectorum in Vniuersitate Louaniensi S. Theologiæ Lectoris bis Jubilati. Ætatis A° 74

QUem peperit BELGIS ANTVERPIA, cerne IOANNEM
BOSCO virum ſtudij, cum pietate pari.
Quem GRUDII coluere ſophum, quem ſacra FACULTAS
Tam contendentem, quàm tacitum timuit.
Dogmate quem celebrem veneratur BELGICA tellus,
Quem geſtis humilem CLERUS uterque probat.
Quemque decem luſtris aluit ſacer ORDO MINORUM,
Mors rapuit: raptum ſcripta relicta canunt.
De SACRAMENTIS dedit exactiſſima ſenis
Comprehenſa Tomis, optima quæque tenens.
Dum frueris Libris, pie LECTOR, corde precare,
QUÆSUMUS, ut requies hunc ſine fine beët.

Chronicon.

DeVIXIt MaIo, Vt VIVat CœLo.

Sum Joannis Knoop Doctoris et past. Salsk. 20 July 1690
Swoby Imperialiby empty — Ex hujus liberali donatione
Collegii Societatis Jesu Paderbornæ 1691.



THEOLOGIÆ
SACRAMENTALIS
SCHOLASTICÆ ET MORALIS

PARS SEXTA,
IN QUA TRACTATUR
DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII, USU ET DIVORTIO,
AD MENTEM
DOCTORIS SVBTILIS
JOANNIS DUNS
SCOTI
D. AUGUSTINO CONFORMEM.

AUCTORE
F. IOANNE BOSCO
Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovanienſi
S. Theologiæ Lectore Jubilato.



ANTVERPIÆ.
Apud HIERONYMUM VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerſtrate dictâ ſub Leone aureo. Anno 1685.

Cum Gratia & Privilegio.

THEOLOGIÆ
SACRAMENTALIS
SCHOLASTICÆ ET MORALIS

PARS SEXTA,
IN QUA TRACTATUR
DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII, USU ET DIVORTIO,
AD MENTEM
DOCTORIS SUBTILIS
IOANNIS DUNS
SCOTI
D. AUGUSTINO CONFORMEM
AUCTORE
P. IOANNE BOSCO
Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovaniensi
S. Theologiæ Lectore Jubilato.

ANTVERPIÆ
Apud HIERONYMUM VERDUSSEN, viâ
vulgo Cammerstraet dicta sub Econe aureo. Anno 1685.

INDEX ET ORDO DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET CONCLVSIONVM,

Quæ in hac Sexta Parte continentur.

DISPUTATIO XII.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIJ, EIUSQUE USU, AC DIVORTIO.

SECTIO PRIMA.

De Impedimentis Matrimonij in communi. *pag.* 2.

CONCL. I. Iure divino positivo extábant quædam impedimenta in lege veteri. In lege nova nullum à Christo Domino fuit denuò institutum. *pag.* 2.

CONCL. II. Ecclesia potest pro fidelibus constituere aliqua Matrimonij impedimenta, non tantùm prohibentia, sed etiam dirimentia. *pag.* 4.

CONCL. III. Princeps sæcularis statuit impedimenta Matrimonij pro infidelibus: posset statuere pro fidelibus, nisi Pontifex sibi illa reservasset. *pag.* 7.

CONCL. IV. Ut valeant impedimenta, requiritur justa causa. Eâ existente, etiam personæ particulares redduntur inhabiles. *pag.* 20.

CONCL. V. Consuetudo inducit, & abrogat impedimenta juris humani. *pag.* 25.

CONCL. VI. Sponte contrahens cum impedimento dirimente ordinariè committit plura peccata; posset unicum, & coactus metu nullum committere. *pag.* 36.

CONCL. VII. Aliquando copula illicita ex conjunctione cum impedimento dirimente specialem contrahit malitiam: aliquando non. *pag.* 39.

SECTIO II.

De Impedimentis merè prohibentibus Matrimonium. *pag.* 42.

CONCL. I. Iure naturæ impediunt Matrimonium contrahendum sponsalia, & votum. Non dirimunt contractum. *pag.* 42.

CONCL. II. Interdictum generale potius solemnitatem nuptiarum, quàm ipsum contractum prohibet. *pag.* 52.

CONCL. III. Non solùm Pontifex aut Episcopus, sed etiam Parochus specialiter interdicit. *pag.* 58.

CONCL. IV. Tempus feriatum potius solemnitatem nuptiarum prohibet, quàm ipsum contractum Matrimonij. *pag.* 61.

CONCL. V. Cathechismus olim prohibebat Matrimonium, non dirimebat. Hodiè amplius non obligat; uti nec incestus, raptus sponsatæ &c. *pag.* 74.

SECTIO III.

De Impedimento erroris. *pag.* 90.

CONCL. I. Servus validè & licitè contrahit Matrimonium sine consensu domini; debita tamen & consueta servitia non minùs debent ei exhiberi, etiam cum aliquo impedimento usûs Matrimonij. *pag.* 90.

CONCL. II. Servitus ignorata dirimit Matrimonium inter liberum aut liberam, & mancipium. Numquid jure naturali? *pag.* 105.

CONCL. III. Matrimonium liberi cum Ancilla non valet, estò ignorantia conditionis sit

Crassissima,ac levissima. pag. 111.
Concl. IV. Valet Matrimonium liberi cum libertâ, aut cum ea, cui in ipso contractu, vel paulò post, sit decreta libertas. pag. 115.
Concl. V. Non omnis conditionis error efficit,ut Matrimonium sit nullum: sed quando talis est error, ut fiat deterior errantis conditio; secùs si erretur in pari, aut digniori conditione. pag. 125.

SECTIO IV.

De impedimentis voti & ordinis. pag. 128.

Concl. I. professio solemnis expressa, vel tacita, facta alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis, dirimit Matrimonium post contractum; eaque sola jure communi. pag. 129.
Concl. II. Professio solemnis solo jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium post contractum. pag. 136.
Concl. III. Ordo sacer dirimit Matrimonium jure tantùm Ecclesiastico. pag. 146.

SECTIO V.

De impedimento cognationis. pag. 161.

Concl. I. Cognatio naturalis dirimit Matrimonium jure naturæ in quocumque gradu lineæ rectæ. pag. 161.
Concl. II. Lineæ transversalis nequidem primus gradus Matrimonium irritat jure naturæ. pag. 180.
Concl. III. Matrimonium in lineâ transversali jure Ecclesiastico est illicitum juxtâ ac invalidum usque ad quartum gradum inclusivè, & non ultrà. pag. 190.
Concl. IV. Cognatio spiritualis impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum. Hodie oritur ex Baptismo tantùm & Confirmatione; solumque inter personas nominatim expressas à Concil. Trid. pag. 199.
Concl. V. In Baptismo, non solemniter ministrato, baptizans contrahit impedimentum cognationis spiritualis; secùs tenens. Sacramentum sit validum. Incertum est, an personæ debeant esse baptizatæ. pag. 205.
Concl. VI. Contrahit impedimentum cognationis spiritualis non confirmatus, qui suscipit puerum in Confirmatione; neque obstat error personæ. pag. 214.
Concl. VII. Cognatio legalis impediens, ac dirimens Matrimonium, provenit ex perfecta adoptione, seu arrogatione; fortè etiam ex imperfecta. pag. 219.
Concl. VIII. Cognatio legalis est in adoptante ad uxorem & filios adoptati, qui sunt in sua potestate. Similiter in adoptato ad uxorem adoptantis & proles, quæ sunt in sua potestate: sed diversimodè; nam proles potest ducere, adoptione solutâ; uxorem non sic. Validè contrahunt filij adoptivi ejusdem adoptantis. pag. 225.

SECTIO VI.

De impedimento affinitatis. pag. 229.

Concl. I. Affinitas est propinquitas quædam, proveniens ex omni, & solâ copula carnali, aptâ ad generationem. pag. 229.
Concl. II. Affinitas non dirimit Matrimonium jure naturæ, etiam, juxta probabilem sententiam, in primo gradu lineæ rectæ. pag. 236.
Concl. III. Affinitas dirimit jure Ecclesiastico usque ad quartum gradum ex copula licitâ, ad secundum tantùm ex illicitâ. pag. 241.
Concl. IV. Infidelis post Baptismum invalidè contrahit cum sorore uxoris, aut concubinæ. pag. 245.

SECTIO VII.

De impedimento publicæ honestatis. p. 250.

Concl. I. Publica honestas, orta ex Matrimonio rato, dirimit, jure tumtaxat Ecclesiastico, inter conjugem unum, & consanguineos alterius legitimos, & illegitimos, in quatuor gradibus. pag. 251.
Concl. II. Ex Matrimonio irrito quacumque ex causa, modò non sit ex defectu consensus, oritur hoc impedimentum. pag. 255.
Concl. III. Post Tridentinum non oritur impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus quâcumque ratione invalidis; valida non excedunt primum gradum. Sed nec antè Tridentinum oriebatur ex sponsalibus incertis, aut conditionatis. pag. 263.
Concl. IV. Impedimentum publicæ honestatis manet post sponsalia dissoluta morte unius, vel etiam mutuo consensu. pag. 276.

SECTIO VIII.

De impedimento criminis. pag. 278.

Concl. I. Adulterium solum nunquam dirimit; sed semper, quando est cum machinatione in mortem conjugis legitimi; vel promissione, aut contractu Matrimonij cum adultera, vivente conjuge. pag. 279.
Conc. II. Adulterium debet esse perfectum, & in utroque formale. pag. 281.

INDEX DISPUTATIONUM.

Concl. III. Requiritur promissio externa, seria, & absoluta. pag. 289.

Concl. IV. Non requiritur promissio mutua, aut jurata. Necessaria est acceptatio. Qui solùm tacet, non acceptat. pag. 297.

Concl. V. Machinatio utriusque in mortem conjugis, ex intentione posteà sic contrahendi, effectu secuto, dirimit Matrimonium. Sufficit intentio interna. pag. 305.

Concl. VI. Sola machinatio ex parte unius non sufficit; secus conjuncta adulterio. Perinde est, adulterium præcedat, an sequatur: durante tamen eodem Matrimonio. pag. 313.

SECTIO IX.

De impedimento Raptus. pag. 319.

Concl. I. Raptus, violenta traductio honestæ mulieris de uno loco ad alium causâ explendæ libidinis, olim subjectus erat pœnis mortis, & amissionis bonorum. Item excommunicationis. pag. 319.

Concl. II. Mulier rapiens virum non subditur pœnis, olim raptoribus mulierum constitutis. pag. 325.

Concl. III. Raptus solius fœminæ, causâ ineundi Matrimonium, jure novo Tridentini dirimit cum ipsa Matrimonium, quamdiu est in potestate raptoris. pag. 328.

Concl. IV. Decretum Trident. comprehendit raptum cujusque fœminæ, sive virginis, sive corruptæ, sive meretricis & inhonestæ, conjugatæ, & cujusvis statûs, etiam sponsæ de futuro. Debet vis inferri ipsi fœminæ. pag. 335.

Concl. V. Decretum Tridentini non irritat sponsalia, inita inter raptorem & raptam, durante adhuc raptu. pag. 339.

SECTIO X.

De impedimento impotentiæ. pag. 342.

Concl. I. Impotentia hîc est inhabilitas perficiendi viâ ordinariâ copulam carnalem, aptam ad humanam generationem. pag. 342.

Concl. II. Impotentia perpetua, sive ex vitio naturæ, sive ex maleficio, absoluta cum quovis, respectiva cum illo, quicum intercedit, dirimit Matrimonium ex jure naturæ. pag. 347.

Concl. III. Contractus perpetuò impotentium sine ordine ad copulam, sed tantùm ad cohabitandum tamquam frater & soror, non est verum Matrimonium. pag. 362.

Concl. IV. Impotentia subsequens nullo casu dirimit Matrimonium, etiam ratum tantùm. pag. 373.

Concl. V. In dubio, an impotentia præcesserit, si est naturalis, præsumitur præcessisse. Si est accidentalis, præsumi potest subsecutam fuisse. pag. 376.

Concl. VI. In dubio, an sit impotentia perpetua, permittitur experientia conjugalis per triennium continuum à tempore celebrati conjugij. pag. 380.

Concl. VII. Factâ separatione conjugum judicio Ecclesiæ, deprehenso postmodum errore, siquidem una pars sit solemniter professa, non restituitur, secus si contraxit cum alia, vel solum suscepit ordines sacros. pag. 389.

Concl. VIII. Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium jure naturæ. Dirimit jure Ecclesiastico, donec masculus annum 14. & puella 12. impleat. pag. 401.

Concl. IX. Ad valorem Matrimonij probabiliter sufficit, diem ultimum ætatis esse inceptum. Quin & malitia supplet ætatem. pag. 410.

Concl. X. Si mulier nupsit, conscia suæ arctitudinis, omne remedium; secluso mortis periculo, debet perferre. pag. 417.

Concl. XI. Hermaphroditus secundùm sexum alterutrum, in quo capax est, licitè contrahit. pag. 422.

SECTIO XI.

De Impedimento disparis cultûs. pag. 426.

Concl. I. Infideles possunt contrahere, & habere verum conjugium. pag. 427.

Concl. II. Matrimonium Baptizati cum non Baptizato irritum est solo jure Ecclesiastico. pag. 430.

Concl. III. Valet Matrimonium personæ fidelis cum hæretica. pag. 438.

Concl. IV. Matrimonium Catholici cum hæretica, etiam non denuntiata, illicitum est jure Ecclesiastico (ubi viget) nisi ipsa promittat conversionem. Sed & plerumque prohibetur jure naturali. pag. 443.

Concl. V. Iure Ecclesiastico non prohibetur personæ fideli contrahere cum Hæreticâ, si ipsa promittat conversionem. Si solùm sit spes conversionis aliundè concepta, necessaria est dispensatio, cujus sufficiens causa est, quæ, seclusâ lege Ecclesiasticâ, excusat Matrimonium in ijs circumstantijs à peccato. pag. 448.

Concl. VI. Lex Ecclesiæ dirimens Matrimonium, obligat hæreticos, etiam apud quos ex odio, seu contemptu non est in usu. pag. 458.

INDEX DISPUTATIONUM.

SECTIO XII.

De Impedimento ligaminis. pag. 464.

Concl. I. Matrimonium cum secunda, vivente primâ uxore, jure divino est nullum. pag. 464.

Concl. II. Iure Canonico nemo licitè contrahit cum secunda, nisi constet, seu certum nuntium acceperit de morte prioris conjugis. Ut in Matrimonio jam contracto persistat, sufficit prudens opinio. pag. 465.

Concl. III. Unus testis non est certus nuntius, neque fama communis, nisi cum alijs adminiculis. pag. 471.

SECTIO XIII.

De dispensatione impedimentorum Matrimonij. pag. 475.

Concl. I. In impedimentis dirimentibus jure naturali divino non dispensat Ecclesia. pag. 476.

Concl. II. In omnibus impedimentis, dirimentibus jure Ecclesiastico, potest dispensare Pontifex. An & in radice Matrimonij, irritè contracti cum tali impedimento, non satis constat. pag. 481.

Concl. III. Episcopus ordinariè non dispensat in impedimentis dirimentibus, nisi fortè in defectu pubertatis. Extraordinariè dispensat pro foro conscientiæ, quando impedimentum est occultum, & urget gravis necessitas; neque Papa facilè adiri potest, etiam ante Matrimonium contractum. pag. 491.

Concl. IV. Pontifex illicitè dispensat sine justa causa, fortè etiam invalidè. Iustæ causæ sunt: Bonum pacis, angustia loci, inopia personæ &c. pag. 513.

Concl. V. Ut valeat dispensatio, exprimi debet in petitione, an affinitas orta sit ex copula conjugali, vel fornicariâ. pag. 527.

Concl. VI. In illis impedimentis, quæ habent diversos gradus, ne dispensatio sit subreptitia, oportet exprimere, in quoto gradu conjuncti sint contrahere volentes, & cujus lineæ. pag. 536.

Concl. VII. Quando contracturi inæqualiter distant à stipite, sufficit exponere gradum remotiorem, nisi unus sit primus. pag. 539.

Concl. VIII. Si post copulam carnalem cum consanguinea impetretur, aut expediatur dispensatio, non factâ mentione de copula carnali, dispensatio valet, nisi obstet stylus Curiæ; aut concessa sit sub conditione: *si copula non intervenerit.* pag. 543.

Concl. IX. Si post Matrimonium, scienter contractum intra gradus prohibitos, impetretur, aut expediatur dispensatio, non factâ mentione de Matrimonio, dispensatio non valet. Idem; si ignoranter, non servatis solemnitatibus: secùs si ex ignorantia probabili, servatis solemnitatibus. pag. 549.

Concl. X. Spes faciliùs impetrandæ dispensationis, reperta in copula incestuosa occulta, vel manifesta, non debet semper explicari. pag. 554.

Concl. XI. Qui habet plura impedimenta non connexa, ejusdem, vel diversæ speciei, per se loquendo omnia simul explicet, ut dispensatio valeat. pag. 560.

SECTIO XIV.

De revalidatione Matrimonij invalidi. pag. 569.

Concl. I. Matrimonium irritum, ex defectu consensûs, illo expresso, revalidatur. pag. 569.

Concl. II. Matrimonium irritum ab consanguinitatem, vel aliud simile impedimentum, obtentâ dispensatione, novum utriusque consensum requirit, cognitâ priori invaliditate. pag. 576.

Concl. III. Ad revalidationem Matrimonij non est necessaria nova præsentia Parochi, nisi impedimentum plenè probari posset in foro externo. pag. 587.

SECTIO XV.

De usu Matrimonij, seu copula conjugali. pag. 593.

Concl. I. Conjux non tenetur ex justitiâ petere debitum, sed exigenti reddere; idque quâlibet vice sub peccato mortali, nisi justa causa excuset. pag. 593.

Concl. II. Conjuges, qui scienter reddunt se absolutè impotentes ad moderatam copulam, peccant lethaliter. pag. 602.

Concl. III. Neuter conjux tenetur alteri debitum reddere cum notabili detrimento propriæ incolumitatis, vel occisione fœtûs, vel abortu. pag. 604.

Concl. IV. Conjux sanus tenetur reddere leproso, etiam cum periculo infectionis, si scienter cum eo contraxit, aliàs non. pag. 608.

Concl. V. Menstrua non reddunt copulam semper illicitam, uti nec imprægnatio, vel lactatio. pag. 611.

Concl. VI. Non obligat petitio amentis, vel ebrij. Excusat subinde à redditione debiti magnum detrimentum in bonis fortunæ, ac famæ, aut magna utilitas in ijsdem. Similiter nimietas prolis. pag. 621.

Concl. VII.

Concl. VII. Per se non est illicitum, saltem graviter, petere aut reddere debitum diebus sacris. pag. 625.
Concl. VIII. Actum conjugalem illicitum esse in loco sacro, etiam extra necessitatem, haud satis probat jus scriptum. Excommunicatio non prohibet eum. pag. 628.
Concl. IX. Illicitè utitur Matrimonio, cui certò constat invaliditas, etsi per Ecclesiam sub excommunicatione compellatur, & impedimentum sit Ecclesiasticum. pag. 634.
Concl. X. Dubius de valore Matrimonij bonâ fide contracti potest post adhibitam sufficientem diligentiam petere debitum. pag. 638.
Concl. XI. Conjux, qui malâ fide dubius de impedimento dirimente contrahit, nullo pacto petere potest debitum: tenetur tamen reddere alteri bonâ fide possidenti. Asserenti se fictè contraxisse non tenetur alter regulariter credere. pag. 649.
Concl. XII. Affinitas in primo, vel secundo gradu superveniens Matrimonio privat incestuosum jure petendi debitum pag. 655.
Concl. XIII. Cognatio spiritualis Matrimonio superveniens non privat jure petendi debitum. pag. 661.
Concl. XIV. Affinitas violenter, vel ignoranter superveniens inter conjuges non impedit petitionem debiti. pag. 665.
Concl. XV. Votum castitatis per se reddit illicitam petitionem. Redditio pro primâ vice est licita post bimestre, non ante. Votum Religionis ante consummationem prohibet reddere, post consummationem, nequidem petere. Votum suscipiendi Ordines sacros, aut non nubendi, solum contractum reddit illicitum. pag. 672.
Concl. XVI. Modi naturalis inversio non reddit congressum conjugalem vitiosum mortaliter. pag. 683.
Concl. XVII. Procurare seminationem extra vas naturale, est peccatum mortale. Sufficit, quod seminatio utriusque conjugis moraliter sit simul. pag. 686.
Concl. XVIII. Extra copulam conjugalem delectationes de illa, & tactus libidinosi conjugum, fortè non sunt mortales, secluso periculo pollutionis. pag. 990.
Concl. XIX. Licitè redditur debitum petenti ex malo fine: secus si ipsum opus externum nequeat fieri sine peccato. pag. 695.

SECTIO XVI.

De divortio. pag. 700.

Concl. I. Conjuges jure naturæ ac divino tenentur ad communem thorum & habitationem. pag. 701.
Concl. II. Ob adulterium licet innocenti solvere thorum & habitationem in perpetuum: æqualiter viro ac mulieri. pag. 706.
Concl. III. Ob adulterium moraliter certum licet, secluso scandalo, celebrare divortium propriâ auctoritate, saltem quoad redditionem debiti: fortè etiam quoad habitationem: dimissus tamen restituetur in foro externo, nisi crimen constiterit per evidentiam rei, vel legitimam adulteri confessionem. pag. 715.
Concl. IV. Oportet adulterium sit formale respectu conjugij, cujus petitur divortium, pag. 726.
Concl. V. Gravis metus non excusat adulterium à divortio. Neque quòd altera pars indirectè dederit causam, v. g. injustè subtrahendo alimenta: secùs si vel expressè consenserit, eam, etiam volentem, prostituendo; vel implicitè, non prohibendo, ubi & quando commodè poterat prohibere. pag. 730.
Concl. VI. Mutua adulteria pari compensatione tolluntur quoad jus divortij: plura unico, gravius leviori, publicum occulto, prius posteriori, & posterius priori, etiam post emendationem. pag. 735.
Concl. VII. Sententia divortij non impedit compensationem mutui adulterij, pag. 739.
Concl. VIII. Innocens non tenetur, per se loquendo, pertinacem in adulterio dimittere; neq; resipiscentem ad suam pristinam amicitiam revocare. pag. 747.
Concl. IX. Innocens tacitè condonat injuriam adulterij, quando scienter & sponte in copulam conjugalem consentit, vel alia signa conjugalis familiaritatis ostendit: Licèt hæc omnia sine condonatione fieri possent. Factâ reconciliatione, si iterum peccet, potest dimitti: & potest ipse dimittere compartem, si adulteretur. pag. 753.
Concl. X. Adulter dimissus, etiam per sententiam, tenetur redire ad imperium innocentis. pag. 759.
Concl. XI. Innocens sine licentia adulteri potest Religionem profiteri & suscipere Ordines sacros. Quo facto, idem potest adulter, non antè. pag. 761.
Concl. XII. Adulter occultus licitè petit debitum: fortè etiam licitè exigit. pag. 768.
Concl. XIII. Sævitia est justa causa divortij. pag. 771.
Concl. XIV. Hæresis est justa causa divortij. Quod si factum fuerit judicio Ecclesiæ, non tenetur fidelis conversum recipere; sed licitè vivit in sæculo in perpetuo cœlibatu. pag. 776.
Concl. XV. Divortium ex causa hæresis condonatur, non compensatur. pag. 784.
Concl. XVI. Scandalum est justa causa divortij temporalis. pag. 790.
Concl. XVII. Possunt, per se loquendo, conjuges ex mutuo consensu separari. Nequit tamen

tamen unus Religionem profiteri, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat; & sit talis ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. *pag.* 794.

CONCL. XVIII. Matrimonio illæso, invalida est professio unius sine licentiâ alterius; cum eâ valet: nisi tamen uxor ad Religionem transierit, aut perpetuam castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari, reversurus post mortem ejus. *pag.* 800.

CONCL. XIX. Vir in Episcopum ordinari non potest, nisi uxor Religionem profiteatur. Ut ordinetur sacerdos, jus commune exigit solam professionem continentiæ. *pag.* 811.

CONCL. XX. Vir promotus ad ordines sacros, remanens in sæculo tenetur alere uxorem: secùs vir innocens adulteram. *pag.* 819.

FINIS.

FACULTAS

Reverendissimi Patris Commissarij Generalis.

QUinque Partibus Theologiæ Sacramentalis R. A. P. JOANNIS BOSCO Ordinis nostri S. Theol. Lectoris bis Jubilati, ac Provinciæ nostræ Germaniæ inferioris sæpiùs Definitoris, publici jam juris factis; cùm ad operis eruditissimi complementum, avidè dudum desiderata, & expetita plurimùm DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIJ, USU, AC DIVORTIO Pars Sexta necdum lucem aspexerit, quam tùm à pluribus Ordinis Theologis, tum à Censore Ordinario, utpotè Partibus prioribus omninò correspondentem, honorificâ intelleximus donatam Censurâ: ne diutiùs jaceat in tenebris, sed ut Auctoris sui, heu! jam defuncti! nomen ulteriùs posteritati commendatura, & ad uberes Partium priorum fructus cumulum allatura, quàm primùm videat ortum surgentis auroræ, non permittimus modò, sed & ijs, quorum interest, in meritum S. Obedientiæ præcipimus & mandamus. Datum Bruxellis in Conventu nostro FF. Minorum Recoll. die 20. Octobris Anni 1684.

✠ Locus sigilli.

F. JUDOCUS SCAILLET
Commissarius Generalis.

FACULTAS

Reverendi Admodum P. Ministri Provincialis.

ATtento judicio VV. admodum Patrum Lectorum Sacræ Theologiæ Scholasticæ, consentio, ut, servatis servandis, prælo mandetur Tomus Sextus Theologiæ Sacramentalis, à R. Patre, Fratre JOANNE BOSCO, Ordinis nostri, & Provinciæ S. Theologiæ Lectore bis Jubilato, compositus; haud dubitans, quin eumdem studij fructum reportabit, quem priores editi Tomi retulere. Datum in Conventu nostro Lovanienſi FF. Minorum Recollectorum, die 30. Octobris Anni 1684. sub nostra signatura, officijque sigillo Majore.

✠ Locus sigilli.

F. COSMAS MEERSMANS
Minister Provincialis.

APPROBATIO

Theologorum Ordinis.

QUod in alijs quinque luci publicæ datis Theologiæ suæ Sacramentalis Partibus pereruditè præstitit Adm. Reverendus Pater F. JOANNES BOSCO Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Sacræ Theologiæ Lector bis Jubilatus, Provinciæ suæ sæpiùs Definitor &c. Id in hac ultima Parte DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIJ, USU, AC DIVORTIO, omnibus numeris absolutâ, confecit accuratissimè. Appendit in statera, & expendit Canones, Leges, Consuetudines, auctoritates: ex his statuendo nunc certitudines, nunc solidas probabilitates in praxi solida omnium, morali certitudini æquivalentes, Vt illas obviè, has occurrentiâ exigente, Lector applicare valeat, opus hoc prælo, & luce publicâ planè dignum censeo. Datum Antverpiæ in Conventu nostro FF. Minorum Recollectorum die 16. Octobris Anno 1684.

Fr. JACOBUS vanden EYNDEN *S. Theol. Lector Iubil. Provinciæ Definitor.*
Idem Censeo
Fr. ANDREAS van HOUTEN *S. Scripturæ Lector.*
Idem Censeo
Fr. GUILIELMUS van GOORLAECKEN *S. Theol. Lector.*
Idem Censeo.
F. GEORGIUS de HAZE *S. Theol. Lector.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CENSURA ORDINARII.

IMprimi poterit Liber, cui Titulus est; *Theologiæ Sacramentalis, Scholasticæ, & Moralis Par. Sexta &c. Auctore F. IOANNE BOSCO, Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovaniensi S. Theologiæ Lectore Iubilato*: etenim pari religione ac eruditione complectitur Tractatum *De Impedimentis Matrimonij, ejusque usu, ac Divortio.* Datum Antverpiæ VIII. Novembris, M. DC. LXXXIV.

ANTONIUS HOEFSLACH
Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Graduatus, Librorum Censor.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

VIrtute Privilegii S. Cæsareæ ac Regiæ Majestatis, concedimus *Hieronymo Verdussen*, Typographo jurato Antverpiensi, facultatem imprimendi *Tomum Sextum Theologiæ Sacramentalis*, Auctore Reverendo Admodum Patre, Fratre IOANNE BOSCO, S. Theologiæ Lectore bis Iubilato, communicando eidem usum plenarium dictorum Privilegiorum. Datum Bruxellæ in Conventu nostro Fratrum Minorum Recollectorum die 3. Mensis Novembris, Anno 1684. sub nostro Chyrographo, officiique sigillo minore.

Fr. COSMAS MEERSMANS,
Minister Provincialis.

PRIVILEGIUM REGIS HISPANIARUM.

PHILIPPI IV. Regis Hispaniarum &c. Privilegio cautum est, ne quis *Theologiam Sacramentalem Scholasticam & moralem*, Auctore F. IOANNE BOSCO, Ordinis FF. Minorum S. Theol. Lectore Iubilato, in toto vel in parte, conjunctim vel divisim imprimat, aut alibi impressam in hasce Ditiones importet, retineat vel divendat præter Typographum juratum ab eodem Auctore deligendum; idque sub pœna confiscationis & amissionis librorum, & insuper aliâ gravi mulctâ, ut latius patet in litteris patentibus desuper Bruxellæ in Supremo Brabantiæ Concilio expeditis, de more sigillatis, & signatis.

LOYENS.

VIrtute præmissi Privilegii Regii do *Hieronymo Verdussen* Typographo Antverpiensi facultatem imprimendi ac distrahendi *Sextam Partem nostræ Theologiæ Sacramentalis* primæ editionis. Datum Lovanii die 20. Iulii anno 1683.

Fr. IOANNES BOSCO.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

PRodit in lucem, Benevole Lector, Opus Bipartitum R.A.P. *Ioannis Bosco* Antverpiensis, Ordinis Fratrum Minorum in Academia Lovaniensi S. Theologiæ Lectoris bis Jubilati &c. *Theologiæ* quidem ejus *Sacramentalis* Pars Quinta, tractans *de Contractu & Sacramento Matrimonij*, Pars verò Sexta & ultima *De Impedimentis Matrimonij, ejusque vsu, ac Divortio.* Memoria Auctoris in benedictione sit. In alijs Theologiæ suæ Sacramentalis Partibus potissimùm Theologum agit, & Theologis servit. Hoc in Opere Bipartito *De Matrimonio* &c. agit promiscuè & Theologum, & Canonistam, & Iuristam pro materiarum exigentia: servitque tam Iuristis & Canonistis, quàm Theologis. Nec solus agit, aut servit: intexit suo operi primarios alios, scriptis de Matrimonio insignes, eorum sententias cum fundamentis fideliter referens, & nunc pro meritis amplectens, tunc rejiciens. Liceret Opus hoc de Matrimonio Bibliothecam dicere, in qua legendi sunt SS. Thomas, Bonaventura, Scotus, Suarez, Sanchez, Pontius &c. Quisquis horum sensa desiderat, hoc opus consulat. Theologus etiam veteranus & emeritus tam inveniet quod discat, quàm quod doceat. Canonista & Iudex Ecclesiasticus, causis in Matrimonialibus aliquando perplexus, reperiet, undè securè judicium formet, & sententiam dicat; Iudex quòque sæcularis non rarò hîc inveniet quod arrideat, quodque in causarum discussione monstret, ubi securè pedem figat. Operis synopsin vis? sectiones in varias dissectum est. Pars prima operis in duodecim; Pars altera in sexdecim. Disputationum Indices docebunt, & synopseos loco erunt. Quisquis ergò vis solidè procedere, hoc Opus bipartitum versa & reversa. Invenies sententias tam tutiores, quàm tutas, quas securâ conscientiâ sequaris docendo, resolvendo, consulendo, agendo. Fruere labore, discute, corrige, adde, emenda, & vale.

DISPVTATIO XII.

DE IMPEDIMENTIS

MATRIMONII,

EIUSQUE USU AC DIVORTIO.

HIC incipit ultima pars hujus Operis, in qua tractabimus de Impedimentis Matrimonij, ejusque usu ac divortio. Et primò quidem de impedimentis, quæ aliud non sunt, quàm leges prohibentes, aut etiam irritantes Matrimonium; seu, ut Alij, sunt illa, quæ obstant, ne ritè Matrimonium contrahatur. Ritè, inquam, id est, ne licitè contrahatur, aut etiam ne validè. 1. *Quid sint impedimenta Matrim.*

Unde duplicis generis sunt Impedimenta, primi generis dicuntur merè prohibentia, seu impedientia, quæ quidem reddunt Matrimonium illicitum, relinquunt tamen validum: secundi generis appellantur dirimentia, quæ non solùm reddunt Matrimonium illicitum, sed etiam irritum & nullum. *Alia sunt merè prohibentia, alia dirimentia.*

Impedimenta merè prohibentia olim erant duodecim, & exprimuntur his versibus: 2. *Enumerantur merè prohibentia.*

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipias: prohibent hæc conjugium sociandum.

Impedimenta dirimentia, erant & ipsa jure antiquo duodecim, his versibus comprehensa: 3. *Impedimenta dirimentia.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis:
Hæc sociandavetant conjugia, facta retractant.

Quibus Tridentinum addidit raptum, qui tamen potest comprehendi nomine criminis generaliter accepto. Aliqui etiam addunt absentiam Parochi & testium, quæ ex Tridentino irritat Matrimonium. Ob quæ adjungi possent hi versus:

Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Antequàm autem Tractatum de singulis aggrediamur, quæstiones quasdam generales, ac omnibus Impedimentis communes præmittere oportet. Erit itaque

SECTIO PRIMA.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN COMMVNI.

4. *Impedimenta quædam sunt juris naturæ, alia juris divini positivi, tertia juris humani.*

QUoniam lex triplex est, naturalis scilicet, Divina positiva, & humana; hinc etiam triplicia possunt excogitari impedimenta, prima juris naturæ, secunda juris divini positivi, & tertia iuris humani. De impedimentis juris naturæ nihil hîc speciale occurrit dicendum, nisi quòd sint quædam prohibentia Matrimonium occasione aliquâ extrinsecâ, seu per accidens, vtputà si inter aliquas personas immineret aliquod grave scandalum, vel aliquod grave damnum, quod naturali obligatione vitandum sit. Quantùm ad impedimenta juris Divini positivi: Dico primò:

CONCLUSIO I.

Jure Divino positivo extabant quædam impedimenta in lege veteri. In lege nova nullum à Christo Domino fuit denuò institutum.

5. *Probatur Conclus.*

COnclusio est certa, argumento desumpto ex Scriptura, negativo quidem quoad ultimam partem, quia in toto nouo Testamento talis institutio non legitur; affirmativo autem quoad primam partem, quia Levit. 18. legitur institutio quorumdam impedimentorum penes aliquos gradus consanguinitatis, & aliquos affinitatis. Et exploratum est (inquit Aversa hîc q. 9. sect. 1. §. *Iure positivo*) illa impedimenta statuta fuisse, non tantùm tamquam prohibentia, sed etiam tamquam dirimentia. Equidem non sic exploratum, quin ab Aliquibus negetur.

Aversa.

Non omnia impedimenta veteris legis erant juris naturæ.

Et quamvis (prosequitur idem auctor) plerique DD. opinati sint, omnia illa impedimenta fuisse ibi signata tamquam de Jure naturali dirimentia Matrimonium: communior tamen & vera sententia est, plures ex illis gradibus consanguinitatis & affinitatis, non jure naturæ, sed tantùm positivo præcepto Divino habuisse vim dirimendi Matrimonium: licet aliquis etiam ibi gradus signetur, qui naturali jure dirimit Matrimonium. Quod totum suis locis videbimus tractando de ipsis gradibus.

6. *Quæ erant juris positivi amplius non obligant ex vi illius legis.*

Impræsentiarum autem prorsus certum & notum est hæc impedimenta in quantùm præcisè obligabant ex vi legis Mosaicæ, jam penitùs cessasse, adeòque nullatenùs astringere fideles legis novæ professores, nisi inquantùm aliquod vel aliqua sunt juris naturæ, aut quæ etsi essent juris Diuini positivi, tamen sunt ab Ecclesia resumpta ob morales congruentias.

Quod probè intelligens Concil. Trid. sess. 24. de Matr. can. 3. ait: *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant & dirimant, anathema sit.* *Trident.*

Inquit: *nonnullis*; quia integrum relinquit asserere, quosdam esse gradus, jure ipso naturali impedientes & dirimentes, in quibus proinde dispensare non possit.

Neque his officit, quod de conjugio consobrinorum scribit Gregor. ad Aug. Anglorum Episcopum c. 6. (& refertur c. 20. 35. q. 3.) *Quædam lex terrena in Romana Rep. permittit, vt sive fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. vnde necesse est, vt in quarta vel quinta generatione fidelium licenter sibi conjungantur.* 7. *Occurritur objectioni.*

Siquidem per legem sacram intellexit legem Ecclesiasticam, quæ prohibet & irritat Matrimonium consobrinorum, alioqui in Levitico non prohibitum. Vtitur autem eo modo loquendi, in textu Levitici observato, de non revelanda cognationis turpitudine, alludere volens, per modum convenientiæ & exempli, ad antiquam prohibitionem Levitici. *Quid Greg. intellexerit per legem sacram.*

Et eodem modo explicandus venit Zacharias, quando rescribens Episcopo Ticin. (& ponitur 30. q. 3. c. 2.) inquit: *Sed benè tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus præceperit per Moysen, dicens:* Turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis non revelabis: turpitudo enim tua est. *Cùm ergò à propria consanguinitate jubemur abstinere, multò magis à spirituali nostri patris filia omni excusatione aut argumento sepposito, sub nimia districtione nos cavere convenit.* &c. 8. *Quomodo explicandus Zacharias Papa.*

Vbi Zacharias refert quidem (inquit Aversa sup. §. *Quare*) antiquam prohibitionem Levitici, non tamen tamquam adhuc per se obligantem, sed per modum paritatis, vt sicut Divinâ illâ lege jubemur, id est, jubebamur abstinere à consanguinitate carnali, ita convenienter per legem Ecclesiasticam jubemur abstinere à cognatione spirituali in Matrimonio contrahendo, de qua ibi specialiter loquebatur, vt patet *Aversa.*

ex

ex principio cap. quod ſic ſonat: *Pitacium* (id eſt, charta vel ſcriptura, continens petitionem alicuius) *nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per quod ſciſcitari curaſti, ſi liceat filio, cuius Pater alterius filiam ex ſacro Baptiſmate ſuſceperit, ſuſceptam, id eſt, ſpiritualem eius Patris filiam (quod dici crudele eſt) in Matrimonio accipere: quod apud te enormiter aſeruiſti contigiſſe: Sed bene* &c. vt ſup. Igitur Zacharias non ſolùm à pari, ſed quaſi à fortiori arguit, dicens: *Multò magis* &c.

9. *Objicitur auctoritas Innoc. 3.*

Objicitur etiam auctoritas Innocent. 3. ex c. *Literas* 13. de Reſtitutione ſpol. ibi: *Opinioni autem ultimæ videtur non incongruè adaptari, ut in gradibus conſanguinitatis Diuinâ lege prohibitis, reſtitutioni aditus præcludatur, ſed conſtitutione interdicti humanâ, reſtitutio locum habeat cum effectu; cùm in illis diſpenſari non poſsit, & in iſtis valeat diſpenſari.* Et infrà: *Propterea melius videtur, quòd cùm opponitur conſanguinitas, præſertim in gradibus Diuinâ lege prohibitis*, &c. Vbi hic Pontifex planè videtur ſupponere, adhuc vigere Divinam prohibitionem de contrahendo Matrimonio in quibuſdam gradibus, & in ijs à Pontifice diſpenſari non poſſe.

Reſp. Averſæ.

Reſpondet Averſa ſup. in fine: Innocentius refert plures quaſdam ſententias de caſu ibi quæſito, & ſupponit tam Divinam antiquam, quàm Eccleſiaſticam prohibitionem præſentem de matrimonio in quibuſdam gradibus, & ſolùm intellexit à Pontifice in ijs diſpenſari non poſſe, id eſt, non debere, non expedire; cùm ibidem dicat, non eſſe conſuetum, ibi: *Reſcripto petebas Apoſtolico edoceri, utrum quando aliquis conſanguinitatis gradus objicitur, in quo Sedes Apoſtolica diſpenſare non poteſt, nec etiam conſuevit.*

Vbi Gloſſ. verb. *Non poteſt: Id eſt*, inquit, *non vult, vel non expedit.* Quod ipſum (inquit Averſa ſuprà) referendum eſt ad Eccleſiaſticam prohibitionem, non ad Divinam veterem.

10. *Itemq; Herinx.*

Igitur Innoc. 3 procedens d. cap. ſolùm arguendo & referendo ſententias, allegat obiter (inquit Herinx hîc diſp. 6. q. 1. n. 2.) Eccleſiam in gradibus jure Divino prohibitis diſpenſare non poſſe, ſupple convenienter, ideoque non conſueviſſe, quia ſcilicet non expedit ordinariè loquendo; etſi (ut praxis Eccleſiæ docet) interdum diſpenſet, & ipſam in quibuſdam gradibus, à Deo olim prohibitis, diſpenſare poſſe, definiat Trid. ſup. & quantùm ad ſecundum gradum ſupponit idem Trid. ſup. c. 5. Ipſeque Innoc. 3. cap. *Gaudemus, de Divortijs.* Hæc ille.

11. *Quæ perſonæ olim divinâ lege fuerint prohibitæ.*

Rogat aliquis, quæ perſonæ olim Divinâ lege fuerint prohibitæ? Habentur his verſibus apud Gloſſ. ſup. verb. *Divinâ lege:*

Nata, ſoror, neptis, matertera, fratris & uxor,
Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,
Vxoriſq; ſoror, privigni nata, nuruſq;,
Atque ſoror patris conjungi lege vetantur.

An Iudæi adhuc obligentur.

Sed adhuc dubium ſupereſt: num ſaltem reſpectu Iudæorum, qui non ſuſceperunt legem Novam, adhuc Matrimonia irrita ſint inter dictas perſonas? Negat Averſa ſup. §. *Etiam*, poſt Sotum 4. diſt. 39. q. 1. a. 1. & alios, quos citat. *Sotus.*

12. *Probatur quod non, ex Averſa*

Et patet (inquit) quoniam ſimpliciter & abſolutè illa lex quoad Judæos abrogata fuit, quos ſolos anteà aſtringebat: nam alioquì quoad Gentiles numquam habuit vim obligandi. Et dum ſucceſſit obligatio legis Novæ, jam extincta fuit obligatio Veteris, etiamſi Judæi ex ſua obſtinatione non acceptent legem Novam, quia ſatis eſt, quod prorſus acceptare teneantur, & verè eâ obligentur. Hæc ille.

Notabile aliquod ex Soto.

Notat autem Sotus ſup. Si Judæi, quando antè paſſionem Chriſti Remp. liberam habebant, impedimentum dirimens ſtatuiſſent, hodiè durare. Quia illæ leges ſæcularis Reip. non ſunt abolitæ per Chriſtum. Vnde fit (inquit Sanchez lib. 7. diſp. 3. n. 6.) minimè audiendum eſſe Henriquez lib. 12. de Matr. c. 1. n. 5. dicentem, nunc apud infideles Judæos, qui lege Moyſis volunt impiè gubernari, eſſe irritum Matrimonium prohibitum Levit. 18. quod ſi uterque conjux ad fidem convertatur, Eccleſiam permittere, ut ex diſpenſatione in eo matrimonio permaneant. Quia illa lex Moſaica prorſus extincta illos minimè aſtringere poteſt. Nec de ea Eccleſiæ diſpenſatione conſtare poteſt. Hæc ille. *Sanchez.* *Henriquez.*

13. *Oppugnatur.*

Sed contra hanc doctrinam Soti facere videtur, quod Hebræorum Reſpub. hodie non ſit libera, ut ibidem docet Sanchez; imò non ſit vera Reſpub. cùm non habeat Principem, ſed Judæi aliorum Principum gubernationi ſubjiciantur, ut proinde hodiè non videantur durare leges antè paſſionem Chriſti inſtitutæ, ſicut non durat ampliùs Reſpub. quæ ante paſſionem Chriſti erat.

Arguitur pro doctrina Henriquez.

Deinde pro doctrina Henriquez videtur facere, quod Innoc. 3. cap. 4. *de Conſang.* aſſerat, Judæos conjunctos ſecundùm veteris legis inſtituta in gradu prohibito à lege Canonica, poſt Baptiſmum non eſſe ſeparandos, quaſi ſcilicet ſecùs ſint ſeparandi. Et cap. ultimo *de Divortiis*, ſimiliter non debere ſeparari Judæum, qui duxerat uxorem fratris ſui defuncti, ſi hic abſque prole deceſſerat, prout nempe lex vetus tale Matrimonium concedebat, quaſi etiam ſecùs ſeparari debuiſſet.

14. *Reſp. Averſæ.*

Reſpondet ad ultimum Averſa ſup. §. *Et ad Canones*, Pontificem definire quidem, valere illa Matrimonia, & conſervanda eſſe, etiam poſt Baptiſmum, quæ inter Judæos contracta fuerant juxtà ritum ſuæ legis, quia de hoc rogatus fuerat, & ad hoc petebatur reſponſum. Sed non per hoc definivit, non valere & ſeparanda eſſe eorum Matrimonia, contracta contra ritum veteris legis, ſed hoc intactum reliquit. Et de hoc etiam dici debet, non eſſe irrita talia Matrimonia, loquendo præcisè ex vi illius legis, & nulla alia lege obſtante. Ita Averſa.

Non plenè ſatisfacit.

Sed, ut verum fatear, hæc reſponſio non ad plenum mihi ſatisfacit. Quamquam enim in d. c. fin. non expreſsè definiat Pontifex, non

valere & separanda esse eorum Matrimonia, contracta contra ritum veteris legis; satis tamen, dicet aliquis, hoc videtur indicare dum rescribit Livonienſ. Episc. in hæc verba: *Quia dispar est ritus Livonienſ. de novo ad Fidem Catholicam conversorum à nostro: propter infirmitatem Gentis ejusdem concedimus, ut Matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur: si tamen fratribus decedentibus sinè prole, ut semen defuncti, juxta legem Mosaicam, suscitarent, cum talibus contraxerunt.*

15. Ad quid illa conditio: *Si tamen &c.* nisi Pontifex judicasset; saltem tamquam Doctor privatus, separandos esse, si secùs contraxissent? & quare separandi, nisi quia Matrimonium secùs contractum invalidum fuerat? & per quam legem invalidum, nisi per legem veterem? Nam legi Ecclesiæ novæ nondum erant subjecti. Hæc expendenda relinquo Doctioribus.

Iudicium Auctoris. Ego autem permaneo in communi sententia, quæ docet, ut vidimus, præcisè ex vi legis veteris, non fore irrita Matrimonia, in gradibus, illâ lege prohibitis, contracta. Nisi, inquam, simul ex vi legis naturalis, aut alicujus legis humanæ, eos astringentis, dirimantur. Atque hæc satis pro hoc loco de impedimentis juris divini positivi.

Veniamus ad legem humanam, & examinemus; utrùm & hâc ipsâ constitui possint impedimenta Matrimonij, non solùm merè prohibentia, sed etiam irritantia. Pro resolutione erit

CONCLUSIO II.

Ecclesia potest pro Fidelibus constituere aliqua Matrimonij impedimenta, non tantùm prohibentia, sed etiam dirimentia.

16. *Hæretici aliqui negant jure humano posse constitui impedimenta Matr.* NOn defuerunt inter hæreticos, qui negaverint, posse jure humano constitui impedimenta Matrimonij. Eò quòd, sive consideretur Matrimonium civiliter ut contractus, debeat relinqui sub tota libertate, quam de jure naturali habet; sive consideretur spiritualiter, ut Sacramentum, debeat relinqui in sua institutione, factâ à Christo Domino; qui quidem determinavit, quidquid pertinet ad substantiam & validitatem singulorum Sacramentorum, quæ non potest deinceps ullâ lege, vel ab ipsa Ecclesia & Pontifice immutari.

Aversa. Sed his non obstantibus, certum & apud omnes receptum est (inquit Aversa sup. §. *Satis tamen*) verè posse humano jure constitui aliqua Matrimonij impedimenta, non tantùm prohibentia, sed etiam dirimentia, & quidem utiliter & prudenter.

17. *Oppositum* Estque de fide, definitum in Trident. sess. 24. de Matr. can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse,* *est de fide ex Trid.* *anathema sit.* Idque perpetuâ Ecclesiæ praxi servatum erat: ab antiquo enim constituta fuerunt varia Matrimonij impedimenta, ac deinceps retenta.

Et sicut in veteri Mosaïca lege quædam impedimenta constituta fuerunt: ita expediens erat, ut tempore legis novæ constituerentur. Ideoque non fuerunt jure ipso divino ab eodem Christo Domino constituta; quia constitui sufficienter poterant per ecclesiam, in quâ hæc potestas remanebat.

Et ratione etiam suadetur: quia jure humano optimè possunt statui conditiones humanorum contractuum, tum ut licitè, tum ut validè celebrentur. Cùm ergo Matrimonium sit quidam humanus contractus, optimè poterat ex ipso humano jure subjici hujusmodi conditionibus. Neque id sublatum est per elevationem Matrimonij ad statum Sacramenti: quin imò adhuc ratio Sacramenti præsupponit rationem contractus. Hucusque Aversa. *Suadetur etiam ratione.*

18. Quid ergo ad rationem dubitandi ex adverso allatam? Respondet idem Auctor § *& hinc patet*: Non necesse erat, ut modus huiusmodi contractûs relinqueretur in tota naturali libertate: sed benè poterat restringi & coarctari ad certas conditiones & qualitates personarum, quæ conditiones non erant alioquin præfixæ ex ipso jure naturæ, sicut planè in alijs contractibus factum est. *Resp. ad arg. Hæreticorum, ex Aversa.*

Necesse tamen erat, ut modus hujus Sacramenti permaneret semper in eâdem institutione, factâ à Christo Domino, & verè nullâ humanâ potestate poterat immutari. Sed institutio Christi fuit, ut contractus legitimus cõjugalis esset Sacramentum: quare nullatenus fieri potuisset in Ecclesia, ut talis contractus non esset Sacramentum, aut alius, quàm contractus legitimus, esset Sacramentum. Sed Christus non instituit nec determinavit, quisnam esset legitimus contractus, sed hoc reliquit in humana potestate, sicuti anteà erat. Hæc ille. Vide quæ de hac re diffusè disputavimus Sect. 9. præced. Partis Concluſ. 3. ubi de nova lege Trid. irritante Matrimonia clandestina.

19. *Obiectio.* Sed dicet aliquis: Matrimonium est remedium contra morbum concupiscentiæ; sed ille morbus extendit se ad omnes nullo impediente; ergo similiter & Matrimonium se extendere debet, cùm medicina debeat ex opposito respondere morbo.

Resp. D. Bonav. Respondet Doct. Seraphicus 4. dist. 34. a. 1. q. 1. n. 12. *Morbus ille aliter remediabilis est, quàm per Matrimonium, ut puta per continentiam.*

20. *Secunda Obiectio.* Si rursum objicias: Nullum aliud Sacramentum habet impedimentum, quin si aliquis suscipiat de facto, susceptum sit. Ergo similiter videtur in Matrimonio, quòd qualiscumque sit aliquis, tamen si de facto contrahit, suscipit Matrimonij Sacramentum.

Solvitur ex Ratio eod. Respondet D. Bonaventura sup. num. 11.

Ratio quare hoc Sacramentum magis habeat impedimentum, quam alia, eſt duplex. Vna eſt ratione cauſæ efficientis; quia quamvis omnia Sacramenta ſint à divina inſtitutione, & humana diſpenſatione; tamen hoc Sacramentum maximè conſiſtit in humana diſpenſatione; quia per conſenſum contrahentium oritur; nec habet diſpenſatorem determinatum. Alia ratio eſt, ratione finis; quia cùm omnia Sacramenta ſint in remedium, iſtud non tantùm eſt remedium, ſed etiam in officium, & cùm alia ſint ſpiritualia, huic conjuncta eſt actio carnalis, ſcilicet conjunctio, quæ eſt per coitum, & ideò faciliùs recipit impedimenta.

Quare Sacrament. Matr. potiùs recipiat impedimēta quàm alia Sacramenta.

21. *Objciur 3.* Objicitur 3. Matrimonium eſt inſolubile vinculum; ergo ſi contrahatur, nunquam dirimitur; ergo nullum eſt impedimentum, quod dirimat jam contractum.

Reſp. Doct. Seraph. Reſpondet Doct. Seraphicus ibid. num. 14. *Quod eſt vinculum inſolubile, ex quo ligat; ſed poßibile eſt aliquos ineptos eſſe, ita ut hoc vinculo non vinciantur.*

22. *Objectio 4.* Denique, dicet aliquis: Matrimonium, cùm ſit Sacramentum, operatur Deus: ſed divina operatio non habet impedimentum, cùm Deus ſit agens nobiliſſimum: ergo Matrimonium non habet impedimentum.

Solutio. Reſpondeo ex eod. Doct. *Quod divina operatio non poteſt impediri ubi Deus operatur ut tota cauſa, ſed non eſt ſic in Matrimonio; immò neceſſe eſt intervenire conſenſum legitimum.* Præterea, operatio iſta præſupponit materiam in qua. Hæc ille.

23. *Concluſio.* Igitur propter hæc argumenta, quæ ſatis clarè ſoluta ſunt, & aliis modis ſolvi poſſent, ſi foret neceſſarium, non eſt recedendum à communi Catholicorum ſententiâ, jam definitâ, ut dictum eſt, & uſu ipſo expreſsâ in antiquis Canonibus, & à priſcis Pontificibus, dum varia hujuſmodi impedimenta inſtituerunt, quæ uſque modò inter fideles cautè obſervata ſunt.

24. *Non obſtat quod Matr. ſit de jure naturæ.* Nec etiam obſtat; quod Matrimonium ſit de jure naturæ, ſaltem latè dicto, quod eſt ſuper omnes leges humanas: quippe (ut benè reſpondet Eſparza de Sacram. q. 115.) Matrimonium, prout eſt in officium naturæ, & ſecundùm ſuum conceptum ſubſtantialem, abſtractum à modo & circumſtantiis, ſoli ſubeſt juri naturæ. Cæterùm hoc non tollit, quo minùs ſimul ſubſit juri humano quoad modum & circumſtantias, quatenus eſt contractus civilis, aut habet adjunctam ſibi rationem Sacramenti. Quia ſub hac ratione poſſunt plura diverſis temporibus & reſpectu diverſarum perſonarum modò eſſe convenientia, modò non, de quibus proinde oportet, ut determinent leges humanæ. Ita hic Auctor.

Eccleſia poteſt ponere impedimenta. Si autem aliquis interroget: ecquæ leges humanæ? An civiles? Num Eccleſiaſticæ? Concluſio noſtra reſpondet: Eccleſia poteſt conſtituere aliqua impedimenta.

25. *Objectio.* Sed dicet aliquis, Quomodo Eccleſia id poteſt facere, quandoquidem Matrimonium ſit contractus civilis, poteſtas autem Eccleſiæ ſolùm ſe extendat ad res ſpirituales? An fortè, quia à Chriſto elevatus eſt ad dignitatem Sacramenti? Sed per illam elevationem non amiſit naturam ſuam, ſed in natura permanſit invariatus, & ſic invariatus præſupponitur, tamquam Materia, ESSE Sacramentali; veluti panis & vinum, quæ ſunt materia Sacramenti Euchariſtiæ, & præſupponuntur ESSE Sacramenti, ſunt reverà res temporales, circa quas Eccleſia nihil propterea diſponere poteſt, ſed ſola poteſtas ſecularis; nam ex legum civilium taxatione pretia eorum dependent, & emptio atque venditio ſic vel aliter facta, valida ac invalida conſtituitur.

Præcluditur evaſio. Si dixeris: panis eſt materia tranſiens, contractus autem permanet cum Sacramento; immò eſt ipſum Sacramentum. Contrà: aqua permanet in Sacramento Baptiſmi, immò eſt ipſe Baptiſmus partialiter; ſimiliter oleum pars Sacramenti extremæ unctionis, & Confirmationis; & tamen circa eas materias ſola poteſtas civilis ſeu ſæcularis diſponit.

26. *In Matr. inveniuntur duæ formalitates.* Deinde; etſi inter fideles contractus Matrimonij ſemper foret Sacramentū; in infidelibus tamen ſeparatur ratio contractûs à ratione Sacramenti; adeòque in Sacramento Matrimonij duæ inveniuntur formalitates, ſcilicet formalitas contractûs, & formalitas Sacramenti realiter ſeparabiles, etiam apud fideles, juxta alibi dicta. Quamvis ergo Eccleſia poſſet diſponere quidpiam circa formalitatem Sacramenti, haud equidem circa formalitatem contractûs.

27. *Probatur rationem ſacramenti non ſubjici auctoritati Eccleſiæ.* Immò ne quidem rationem Sacramenti ſubjici auctoritati Eccleſiæ, videtur probari hoc argumento: Non poteſt Eccleſia facere, quòd verba conſecrationis, à vero Sacerdote dicta, ſuper veram panis materiam, cum debita intentione, non convertant eam in corpus Domini. Similiter non poteſt facere, nè maneat verè baptizatus, qui volens abluitur à me, rectam intentionem habente, & legitima verba pronuntiante: ergo nec poterit Eccleſia facere, quòd contractus Matrimonialis, initus ab his, qui volunt Sacramentum conficere, ſit veri Matrimonij verus contractus, & tamen non ſit Sacramentum. Igitur non dantur impedimenta Matrimonij, quà Sacramenti, ſed tantùm Matrimonialis contractûs, quà contractûs. Atqui quà contractus præciſus à ratione Sacramenti, non intelligitur eſſe Sacramentum; ergo nec ſubjectus Eccleſiæ poteſtati. Et hinc Eccleſia non ſtatuit impedimenta, ut infrà dicetur, contractui Matrimoniali, inito inter infideles, utpotè qui non ſit Sacramentum; & per conſequens neque poteſt conſtituere pro Matrimonio inter fideles, ſuppoſito quòd fideles poſſint ſeparare, & de facto ſeparent rationem Sacramenti à ratione contractûs.

28. *Occurritur reſponſionibus.* Nec ſufficit dicere; contractus inter fideles poteſt eſſe Sacramentum; nam etiam panis & vinum, ſeu potiùs ſpecies panis & vini poſſunt eſſe Sacramentum Euchariſtiæ; item

aqua Sacramentum Baptismi, & oleum Sacramentum Extremæ unctionis; & tamen, antequàm sint Sacramentum, Ecclesia nihil circa ea disponit.

Non etiam satisfacit: Pontificem de facto posuisse impedimenta Matrimonij, ergo & posse. Respondebitur enim Primò: potuisse hæc impedimenta ponere auctoritate Ordinariâ Regiâ in regno suo, & in alijs regnis delegatâ; ideoque in Gallia Matrimonia clandestina adhuc esse valida: quia nondum fuerunt adhuc legitimè interdicta; non enim auctoritate Ordinariâ, quia Trid. Concilium non fuit Rex Galliæ; non delegatâ, quia interdicebantur à Concilio, Rege & Regno contradicentibus: & addetur; in Hispania esse invalida, non quia interdicta à Concilio, sed quia interdicta à Catholico Rege, Concilij petitione adveniente; non secùs ac si ego proponerem Regi eidem talem legem, & ipse ferret, obligarentur subditi ratione legis, non meâ propositione.

Quare in Gallia matr. clandestinum adhuc sit validum.

29. *Vitæ ac gesta Regum & Pontificũ non sunt semper imitanda.*

Secundò; Reges esse homines, & sæpè excedere limites suæ auctoritatis, sese in res Ecclesiasticas ingerendo, cùmque & Pontifices etiam homines sint, non prodesse resolutioni exempla, sed rationes fortes desiderari; si enim exemplis standum esset, multa in vitis & gestis Pontificum inveniremus, quæ imitaremur vel invito Decalogo.

Caramuel.

Tertiò: Pontifices suam opinionem secutos, sed hoc non tollere, quin Reges sequi possint contrariam. Ita hanc veritatem impugnat disputationis gratiâ Caramuel Theol. Sacramentalis 1. edit. n. 1346. circa finem.

30. *Pontifices sunt infallibilis veritatis in suis definitionibus.*

Respondeo breviter; tametsi Pontifices non sint infallibilis sanctitatis in suis actionibus moralibus, & ideò non oporteat omnia illorum gesta imitari; equidem sunt infallibilis veritatis in suis definitionibus, maximè cum Concilio Generali.

Cùm ergo in Concilio Trid. auditis plurimis rationibus in contrarium, ut alibi diximus, definitum sit, Ecclesiam habere hanc potestatem, ampliùs non potest Catholicè de ea dubitari; ita ut non debeat imposterùm vocari hæc veritas opinio tantùm, sed doctrina, cui non potest subesse falsum; ac proinde per eam tollitur, quin Reges sequi possint contrariam, id est, quin Reges possint Ecclesiam impedire in usu hujus potestatis, & teneantur impedimenta constituta observare, nisi Ecclesia ob majus bonum eis condescendat, dum videt legem suam in aliquibus locis non observari. An autem etiam ipsi Reges possint statuere impedimenta, est alia quæstio, inferiùs decidenda.

31. *Satisfit alijs argumentis.*

Nunc satisfacere oportet aliis argumentis superiùs ex adverso adductis. Atque in primis, certum est, contractum Matrimonialem esse contractum humanum & civilem, qui, saltem inter infideles, realiter separatus existit à ratione Sacramenti; & ideò circa eum, sic separatum, disponit potestas civilis, & fortè Ecclesiastica non potest disponere, ut statim videbimus: at verò inter fideles nunquam existit realiter separatus, ut plurimi docent, aut saltem non licitè, ita ut ex institutione Christi debeant fideles, contrahentes Matrimonium, velle conficere Sacramentum, quod satis est, ut Pontifex circa eum possit disponere, etiam dum per malitiam contrahentium non est Sacramentum; quia saltem debet esse Sacramentum; jam autem ratio Sacramenti, tamquam dignior, trahit ad se formalitatem contractûs, tamquam minùs dignam; & ideò, si fideles attentarent separare rationem contractûs à formalitate Sacramenti, non dubium quin per Ecclesiam possent puniri.

32. *Aqua hoc ipso quod existit, est aut debet esse materia Baptismi.*

Nunquid simile aliquid reperitur in materiis aliorum Sacramentorum, aqua v. g. oleo, pane, vino? Nónne hoc ipso quòd existunt, sunt tota aut partialis materia Sacramenti, aut necessariò debent esse, veluti contractus Matrimonialis, hoc ipso quòd existit inter fideles, est aut saltem debet esse Sacramentum? Nihil manifestius, quàm oppositum.

Ecclesia disposuit panem in Euchar. deberé esse azimum.

Prætereà: quis disposuit, panem debere esse azimum, ut licitè consecretur in Ecclesia latina? Nunquid Reges & Principes sæculares? Quid evidentius quàm Ecclesiam id disposuisse?

Putásne Ecclesiam non posse prohibere certam speciem vini, ne in ea fiat consecratio? Quis præscripsit modum benedicendi Oleum infirmorum? & oleum Confirmationis? Nónne Ecclesia? Cur ergo similiter non poterit disponere circa contractum Matrimonij, ut tali vel tali tempore fiat, inter has aut illas personas?

33. *Obiectio.*

Si dixeris; inde tantùm sequitur, quòd Ecclesia possit prohibere Matrimonium, secùs irritare; sicuti non potest irritare consecrationẽ in pane fermentato, & vino alterius speciei.

Solvitur.

Respondeo, disparitatem esse; quòd Christus pro materia Eucharistiæ instituerit verum panem, & verum vinum; jam autem panis fermentatus, est verus panis, & vinum alterius speciei, verum vinum; & ideò sive Ecclesia, sive Princeps sæcularis non potest irritare consecrationem, nisi per suum præceptum destruat substantiam panis & vini; quod impossibile est, quia præceptum non est, nisi actus voluntatis præcipientis, à quo sicuti non dependet substantia panis & vini in suo fieri, ita nec in suo consecrari; ut minùs manifestũ est.

At verò Christus instituit, seu potiùs elevavit legitimum contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti; hic autem contractus in suo fieri dependet à voluntate Superioris, nõ minùs, quàm alij contractus civiles, qui recipiunt non solùm legem prohibentem, sed etiã irritantem; non in quantùm sunt aliquid physicum, sic enim dependent à solâ voluntate contrahentium; sed in quantùm sunt ens aliquod morale, id est, in quantùm inducunt mutuam obligationem; contractus quippe definitur: *ultrò citroque obligatio*, l. Labeo, 19. ff. *tractus.* *Quid sit cõtractus.*

ff. de Verb. ſignif. ſive : Signum externum practicum, ultro citroque obligationem ex conſenſu contrahentium pariens.

34. *Obligatio ejus dependet etiam à voluntate ſuperioris.* Quæ utique obligatio, cùm ſit ens aliquod morale, in ſuo fieri dependet, non tantùm ex voluntate contrahentium, ſed etiam ex voluntate Superioris contrahentium ; ita ut ſi Superior nolit talem contractum valere, quidquid contrahentes intendant, contractus nullam inducat obligationem, & per conſequens non ſit verus contractus. Quid ergo mirum, ſi non ſit Sacramentum ?

Interim, ut ſuperiùs adhuc diximus, nec Eccleſia, nec Princeps ſæcularis poteſt facere, ut, ſi verus & validus ſit contractus inter fideles, non ſit etiam Sacramentum. Atque in hoc eſt paritas inter hoc Sacramentum, & alia ſuprà adducta. Tota proinde diſparitas oritur ex parte contractûs, qui, ſicut antequam elevaretur ad dignitatem Sacramenti, ſubjectus erat legibus humanis, inſtar aliorum contractuum, ita & modò eſt. Sed quoniam hodie Sacramentum eſt, cùm anteà non eſſet Sacramentum, ideò jam ſubjicitur legibus Eccleſiaſticis, tamquam res ſacra, cùm anteà non foret ſubjectus, tamquam res omninò profana & civilis. Et quamvis aliquando fieri poſſet, ut non eſſet Sacramentum, defectu intentionis, equidem eſſe deberet; & ſic meritò etiam in eo caſu manet legibus Eccleſiæ ſubjectus.

Quare Matr. hodie ſit ſubjectũ legibus Eccleſiæ.

35. *Objectio.* Reſtat adhuc una objectio : Poteſtas civilis nil diſponere poteſt circa Sacramentum Matrimonij, licet ſit ſimul contractus civilis: ergo nec poteſtas Eccleſiaſtica diſponere quidquam poteſt circa contractum Matrimonij, licet ſimul ſit Sacramentum. Patet Conſequentia : quia utrobique eſt eadem reſpectiva poteſtatum & materiarum diſtantia. Dicendum itaque eſt, utramlibet poteſtatem circa ſolam rationem formalem ſibi correſpondentem agere, ac diſponere validè ac licitè poſſe ; nec valere legem alterutrius poteſtatis, quatenus tranſilientis eos limites, niſi ex conniventia & ſuffragio poteſtatis alterius.

36. *Solvitur.* Reſpondet Eſparza ſup. art. 6. ad 4. Cauſa ſuperior poteſt virtute ſuâ attingere effectus cauſarum inferiorum, tametſi eædem cauſæ inferiores attingere ſimiliter nequaquam poſſint effectus proprios & peculiares cauſæ ſuperioris. Poteſtas autem humana, ſupernaturaliter elevata à Deo, eo ipſo conſtituitur in ordine ſuperiori reſpectu poteſtatis humanæ purè naturalis, & non ſimiliter elevata à Deo. Mirum igitur non eſt, quòd Eccleſiaſtica poteſtas poſſit legibus ſuis dirigere operationem, quâ ſimul ac indiviſim perficitur & contractus & Sacramentum ; atque poteſtas ſæcularis ad idipſum minimè ſufficiat. Hæc ille.

Eſparza.

Verùm (reponit quiſpiam) hoc eſt quod quæritur; an poteſtas ſæcularis ad idipſum minimè ſufficiat, ſive, an id competat Eccleſiaſticæ poteſtati privativè ad poteſtatem civilem. Et verò ſatis multi docent, non competere ſoli Eccleſiæ, ſed etiam Principi ſæculari ex natura ſuæ poteſtatis, aliis oppoſitum aſſerentibus.

Quid ego ſentiam, aperiam ſequenti Concluſ. ſi præmiſero, poteſtatem Eccleſiæ in hac materia, non extendere ſe ad infideles. Quoniam (inquit Sanchez lib. 7. diſp. 1. n. 3.) cùm ſint extra Eccleſiæ gremium, nullâ juriſdictione in eos gaudet ; atque ideò conſtitutionibus Pontificiis mimimè arctantur, ut fatetur expreſsè Innoc. 3. c. *Gaudemus*, *De divortiis*, adducto Pauli teſtimonio 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt judicare ?* 37. *Poteſtas Eccleſiæ nõ extendit ſe ad infideles.* Sanchez.

Hæc ſunt verba Pontificis ad quæſtionem: *Vtrùm Pagani uxores accipientes, in ſecundo, vel tertio, vel ulteriore gradu ſibi conjunctas, ſic conjuncti debeant poſt converſionem ſuam in-ſimul remanere, vel ab invicem ſeparari ? Super quo taliter reſpondemus, quòd cùm Sacramentum conjugij apud fideles & infideles exiſtat, quemadmodum oſtendit Apoſtolus dicens :* Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc conſentit habitare cum eo, non illam dimittat : *& in præmiſſis gradibus* (ſcilicet ab Eccleſia prohibitis) *à Paganis quoad eos Matrimonium licitè ſit contractum, qui conſtitutionibus Canonicis non arctantur* (quid enim ad nos, *ſecundùm Apoſtolum eundem*, de his quæ foris ſunt judicare ?) *in favorem &c.* *Probatur ex cap. 8. de Divort.*

Vbi Gloſſ. Verb. *Conſtitutionibus*, inquit: *Quæ non arctant, niſi illos, qui ſubſunt Eccleſiæ directè : ſed indirectè benè compelluntur, inf. de Vſur. Poſt miſerabilem.* 38.

Igitur infideles non arctantur directè legibus Pontificiis, ſive prohibentibus, ſive dirimentibus Matrimonium, in quantùm tales ſunt, id eſt, in quantùm latæ à Pontifice tamquam ſupremo Principe Eccleſiæ in ſpiritualibus. Alioquì poſſet Pontifex, tamquam Princeps temporalis, præſcribere impedimenta Matrimonij infidelibus, ſibi temporaliter ſubjectis, eodem modo, quo alij Principes temporales queunt id facere, ut jam ediſſero. *Infideles nõ arctantur directè legibus Pontificijs quà tales.*

CONCLUSIO III.

Princeps ſæcularis ſtatuit impedimenta Matrimonij pro infidelibus. Poſſet ſtatuere pro fidelibus, niſi Pontifex ſibi illa reſervaſſet.

PRima pars eſt communis, & ratio in promptu eſt, quia, ut dictum fuit, illa impedimenta non ſunt aliud, quàm leges prohibentes vel irritantes Matrimonium ; veluti ergo infidelibus, ſibi ſubjectis, poteſt prohibere alios contractus civiles, eoſque irritare ; quid ni etiam poſſit eis prohibere contractum Matrimonij, eumque irritare ? Non dubito quin 39. *Probatur 1. pars Concluſ.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quin possit. Quippe contractus Matrimonij inter infideles purè civilis est & humanus, cùm non sit Sacramentum, ut suppono; ergò sequitur naturam aliorum contractuum, saltem quoad prohibitionem & irritationem, vel assignetur ratio disparitatis.

Contractus Matr. institutus est in officium & beneficiũ communitatis.

Enimverò institutus est non solùm in naturæ officium, sed etiam in officium & beneficium communitatis, ad ejus videlicet propagationem; & sæpè potest contingere, ut sit necessarium, aut certè valde expediens pro bono communi, ut hìc & nunc talis contractus prohibeatur, aut etiam irritetur. Censetur autem Princeps sæcularis habere omnem potestatem, quæ necessaria est pro bono regimine suæ communitatis circa res temporales; imò & spirituales respectu eorum, qui non habent alium Superiorem, prout sunt infideles, id est, non Baptizati, qui non agnoscunt Ecclesiam.

40. *Concus. intelligitur etiam de Principe fideli.* Abulensis.

Atque hoc magìs verum est, intellectum de Principe sæculari infideli: nam Abulensis in 1. Reg. 8. q. 178. cum paucis alijs videtur dicere, infideles, qui Christianis Principibus subduntur, accipere impedimenta Matrimonij per Ecclesiam; sed nullam invenio apud Abul. hujus doctrinæ probationem, & opposita sententia est communis, à qua proinde non oportet recedere.

Vel ergò illi infideles nullis legibus Matrimonialibus obligantur, sed solo jure naturæ; vel certè obligantur legibus Principis sui sæcularis, etsi Christiani. Nisi aliquis nobis ostenderit, ubi legibus Ecclesiæ inhibeatur ejusmodi Principi, quò minùs possit circa infideles, sibi subditos, quidquid in hac materia potest Princeps infidelis.

41. *Probatio.*

Profectò non apparet ulla ratio, quare Ecclesia inhibuisset Principi Christiano potiùs statuere leges, prohibentes aut irritantes Matrimonia infidelium, quàm prohibentes aut irritantes alios inter ipsos contractus, verb. g. emptionem, venditionem, donationem &c. Siquidem Matrimonia, perinde ut reliqui contractus, in commune bonum ordinantur, ut sup. dixi.

Ergò sicuti Princeps, tam fidelis, quàm infidelis, potest statuere, ne valeat propriorum bonorum alienatio ab infidelibus facta, nisi sub certa forma, & à personis habilibus; ita etiam poterit lege statuere, ne valeat traditio sui, nisi facta sub certa forma, & à personis habilibus. Quæ enim disparitas?

42. *Matrimonia infidelium contracta contra legem irritantem Principis sæcularis, nulla sunt.* Pontius.

Hinc sequitur: Matrimonium contractum ab infidelibus contra leges dirimentes, à suis Principibus latas, nullum esse; ac proinde cùm ad fidem venerint, vel iterùm renovandum est juxta Ecclesiæ leges, vel separandi sunt. Quodnam autem sit inter illos dirimens impedimentum, id ex usu (inquit Pontius lib. 6. c. 1. n. 3.) & consuetudine apud illos receptâ, petendum est.

43. *An hæc etiam extendenda ad Hebræos? Affirmat Pontius.*

Sed nunquid jam dicta extendenda etiam ad Hebræos? Affirmat Basilius mox citatus ibid. n. 4. Cùm enim isti (inquit) veram rempublicam non habeant, sed aliorum Principum gubernationi subjiciantur, tenentur legibus irritantibus Matrimonium, quas Principes infideles tulerint, quorum dominio subduntur. Leges enim eorum ceremoniales cessarunt Christi morte.

Limitatio.

Quod intellige, nisi Principes infideles, quorum dominio subduntur, illis copiam fecerint, patrijs legibus utendi, atque secundùm illas vivendi; in eo enim casu, non quia ipsorum Hebræorum leges sunt, sed quia ab ipsorum Principibus approbantur, aut permittuntur, vim habent. De Hebræis autem subditis Principi fideli, idem, quod de alijs infidelibus, eidem Principi subjectis, dicam illatione sequenti, judicandum erit. Hæc ille.

44.

Rogas, quid dicat illatione sequenti. Respondeo: quod nos jam diximus: scilicet Principes fideles sæculares posse leges validas constituere circa impedimenta Matrimonij, quibus teneantur infideles, subjecti eorum ditioni & imperio. Idem docet Sanchez lib. 7. disp. 3. num. 8.

In dubio de valore Matr. infidelium judex competens est solus Princeps sæcularis, ex Sanchez & Pontio.

Ex quo n. 9. hic Auctor deducit: si infideles Principibus Christianis subjecti, velint Matrimonium inter se inire, & opponatur impedimentum, aut contendant Matrimonium semel initum esse invalidum, aut divortium petant ratione adulterij aut sævitiæ, nullo modo esse judicem Ecclesiasticum adeundum, sed solùm sæcularem esse competentem. Quia is contractus est merè temporalis, & jurisdictionis sæcularis, nec infideles jurisdictioni Ecclesiasticæ subsunt. Hæc ille. Quem sequitur Pontius sup. n. 6.

45. *Quid si alter eorum ad fidem convertatur? & doctrina Sanchez.*

Sed quid dicendum, si alter eorum ad fidem convertatur, & lis de Matrimonio intercedat? Actor (inquit Sanchez sup.) debet sequi forum Rei, ac proinde si infidelis agat ad divortium, vel ad nullitatem Matrimonij, debet convenire fidelem coram judice Ecclesiastico, qui in causa Matrimonij est judex fidelium.

Si verò fidelis sit actor, debet infidelem convenire coram judice sæculari, qui est ejus judex. Cùm semper actor forum Rei sequatur, cap. Si Clericus 5. de Foro compet. ibi: *Cùm actor forum Rei sequi debeat.* Et cap. 8. eod. *Cùm sit generale, ut actor forum Rei sequatur.*

Quòd si neuter agat, sed quidam tertius id Matrimonium denuntiet fuisse nullum, existimo solum judicem Ecclesiasticum esse competentem. Quia dignius debet trahere ad se minus dignum, l. 43. ff. de Rei vindic. *Quæ religiosis adhærent, religiosa sunt.* At constat, dignius esse Matrimonium ex parte fidelis, in quo esse quoddam spirituale habet. Ita Sanchez.

46. *Non placet Pontio.*

Sed hæc doctrina non placet Pontio: Ego (inquit sup.) existimo in primis, non posse intervenire casum, in quo infidelis sit reus, si lis moveatur super constantiâ Matrimonij, & perseverantiâ in illo. Nam aut non vult cohabitare,

bitare, & tunc ceſſat controverſia; Matrimonium enim ſolvitur jure divino. Aut vult cohabitare, ſed fidelis renuit, vel contendit non fuiſſe Matrimonium, aut ſeparandos ex aliqua juſta divortij cauſa; & tunc fidelis reus eſt actor infidelis. In eo autem caſu exiſtimo, cauſam examinandam eſſe coram ſæculari judice.

Ob hanc rationem. Ratio eſt meo judicio manifeſta: quia non eo ipſo, quo infidelis convertitur, Matrimonium priùs contractum fit Sacramentum. Semper ergò manet in ratione civilis contractûs. Quare ſicut, ſi controverſia moveretur inter infidelem & fidelem converſum ſuper contractu aliquo, inito tempore infidelitatis, cum uterque ſubditus erat ſæculari Principi, & in materia etiam pertinente ad forum illius, coram eodem cauſa examinari deberet; ſic etiam in propoſito judicandum eſt. Hactenùs Pontius.

47. *Iudicium Auctoris.* Interrogas, quid ego ſentiã? Reſpondeo: poſſe intervenire caſum, in quo infidelis ſit reus: nam per hoc, quòd nolit cohabitare, non ceſſat illicò controverſia, non enim hoc ipſo jure divino diſſolvitur Matrimonium, ſed tantùm datur jus diſſolvendi per ſecundum Matrimonium, ut diffusè oſtendimus diſputatione præcedenti Sect. fin. Concluſ. 5. Ergo poterit adhuc fidelis agere contra infidelem pro diſſolutione Matrimonij independenter à cohabitatione, vel non cohabitatione, utpote quia nolit ſecundum Matrimonium contrahere, & interim liber eſſe à vinculo prioris Matrimonij, ne fortè, ſi infidelis convertatur, teneatur eum recipere.

48. *Dubitatur an quando fidelis eſt reus, cauſa Matr: pertineat ad judicem Eccleſiaſticum.* An autem, dum fidelis eſt reus, cauſa examinanda ſit coram judice Eccleſiaſtico, eò quòd actor ſequi debeat forum Rei, dubito. Et quidem in ſententia, quæ diceret, per converſionem infidelis, Matrimonium priùs contractum fieri Sacramentum, videtur affirmativè reſpondendum: quia eo ipſo Matrimonium priùs contractum eximitur à poteſtate ſæculari, eò quòd jam ſit res ſacra, de qua nequit cognoſcere Princeps ſæcularis; adeoque reſpectu talis contractûs, forum Rei jam eſt forum Eccleſiaſticum; licèt enim Reus non ſit perſona Eccleſiaſtica, ſed ſæcularis; res tamen de qua agitur, eſt Eccleſiaſtica, & ideò infidelis actor debet ſequi illud forum, tamquam forum Rei.

Sin autem per converſionem fidelis, non fiat prius Matrimonium Sacramentum, neque quoddam eſſe ſpirituale in eo habeat, ſed maneat contractus merè civilis, tunc exiſtimo cum Pontio, cauſam examinandam eſſe coram judice ſæculari, uti cauſa alterius contractûs civilis.

Objectio diluitur. Nec obſtat: quòd actor debeat ſequi forum Rei; quia per converſionem, fidelis non accipit aliud forum reſpectu illius Matrimonij, quàm anteà habebat, exemplo aliorum contractuum civilium.

49. *Princeps ſæcularis per ſe poteſt ponere impedimenta etiam pro fidelibus.* Sed pergamus ad alia, & videamus Primò; an ſicut pro infidelibus, ita etiam pro fidelibus Princeps ſæcularis poſſit ſtatuere impedimenta Matrimonij. Affirmat Concluſio, niſi obſtet reſervatio Pontificia, id eſt, omnis Legiſlator per ſe loquendo poteſt ſtatuere impedimenta Matrimonij pro fidelibus ſibi ſubjectis. Per ſe, inquam, loquendo, hoc eſt ex genere & natura ſuæ poteſtatis.

Probatio. Ratio in principio Concluſ. aſſignata fuit; quia hæc impedimenta nihil aliud ſunt, quàm leges prohibentes vel irritantes; ſicut ergo poteſt prohibere vel irritare alios contractus civiles inter fideles, ſecundùm quod bonum commune exigit, ut ſuppono ex tract. de Legibus; ſic itidem Matrimonium, inquantùm eſt contractus aliquis civilis, à quo maximè pendet tranquillitas, & recta Reip. gubernatio, ad quam tranquillitatem potiſſimùm poteſtas legiſlativa eſt inſtituta.

50. *Eſt ſententia Sanchez.* Atque ideò hanc ſententiam docet Sanchez ſup. diſp. 3. n. 2. ubi ſic ait: Ceterùm abſque dubio dicendum eſt, poſſe Principem ſæcularem, ex genere & natura ſuæ poteſtatis, Matrimonij impedimenta dirimentia fidelibus ſubditis ex juſta cauſa ſuis legibus indicere, eo pacto, quo id Pontifex ſummus poteſt, niſi ſibi hanc poteſtatem reſervaſſet. Hæc ille.

D. Thom. Et poſt pauca ſubdit: Quare egregiè D. Tho. 4. contra Gentes c. 78. & 4. diſt. 34 q. un. a. 1. ad 4. dixit: Matrimonium inquantùm contractum civilem, in officium communitatis inſtitutum, ſubjacere legis civilis ordinationi.

51. *Occurritur objectioni.* Nec obſtat Principis ſæcularis poteſtati, Matrimonium eſſe Sacramentum. Quia ejus materia eſt contractus civilis, quâ ratione perinde poteſt illud ex cauſa juſta irritare, ac ſi Sacramentum non eſſet, reddendo perſonas inhabiles ad contrahendum, & ſic illegitimum & invalidum contractum. Si enim nudam Sacramenti rationem attendamus nec Pontifex circa illud diſponere poſſet, illud diſſolvens, ejuſque poteſtas ex ratione contractûs humani, qui eſt materia hujus Sacramenti, conſurgit. Hactenùs Sanchez citans utique D. Tho. ſup. diſt. 34. & alios complures pro hac doctrina.

Oppoſitum docet Pontius. Quæ etiam nobis magis placet; quàmvis non abſque dubio, ſed cum formidine de oppoſito, quod cum aliis, citatis à Sanchio ſup. n. 1. docet Pontius ſup. c. 2. n. 3. dicens: Nequaquam poteſt Princeps ſæcularis fidelis legem aliquam ſtatuere ad ſubſtantiam Matrimonij directè vel indirectè pertinentem, quæ vim habeat, niſi ab Eccleſia tacitè vel expreſſè probetur, ex defectu poteſtatis.

52. *Ratio ejus.* Movetur autem hic Auctor eâ tantùm conſideratione; quia (inquit) Matrimonium, quàmvis ex ſe contractus quidam ſit, ſubjectus etiam Principi ſæculari, attamen per Chriſti inſtitutionem, elevatum eſt ad rationem Sacramenti. Itaque res ſacra eſt. Ergo non ſubditur ex eo tempore poteſtati Principis ſæcularis, etiam fidelis. Quòd enim materia hujus Sacramenti contractus ſit, non ſatis eſt, ut poſſit Princeps ſæcularis leges condere, cùm ex quo ea materia per Chriſtum ſacra facta eſt, jam extra ejus juriſdictionem, & poteſtatem ſit.

Simile. Sicut licet homo ante Ordinationem ſit materia ſubjecta juriſdictioni ſæculari, & ſimiliter bona alia & prædia; attamen poſt Ordinatio-

nem, vel postquam donatione, sacra vel Ecclesiastica facta sunt, extrahuntur à Dominio sæcularis Principis, & nullam neque in personas, neque in bona jurisdictionem habet. Sic ergo & in nostro casu dicendum est, postquam Matrimonio accessit ratio Sacramenti.

53. *Alia probatio.* Prætereà: si Matrimonium, etiam post Christi institutionem, quia contractus est, subjectum esset Principum sæcularium dispositioni, nequaquam invitis Principibus fidelibus, posset Ecclesia ab illis auferre eam potestatem leges condendi, & sibi reservare. Quo enim jure id possit? Sicut neque hominem, subditum sæculari Principi, posset Pontifex eximere à jurisdictione illius; neque interdicere etiam, ne circa alios contractus leges statueret. Quare nisi eâ potestate abuterentur Principes, & aliquid statuèrent, quod spiritualem Sacramenti Matrimonij rationem læderet, non possent à Pontifice pro indirecta potestate, quam habet in temporalia, coërceri.

Quare rectè & consequenter Petrus Soto lect. 4. de Matri. in fine, cùm falsò existimaret, eam potestatem habere Principes sæculares, docuit, leges civiles, ex pietate quadam, cessisse in hac parte legibus Pontificiis; atque adeò hodie etiam, si vellent, posse statuere leges irritantes contractum Matrimonij. Et meritò quidem, falso illo principio admisso, docuit, non esse penes Pontificem potestatem, prohibendi sæcularibus Principibus, ne leges ferant irritantes, quæ Matrimonium irritent, & nullum omninò reddant. Usque adhuc Pontius.

54. *Rejicitur doctrina Pontij, & Soto.* Sed immeritò & ipse & Soto; etiam admisso illo principio, non falso, sed vero, ut jam ostendo ex refutatione ejus considerationis, quâ solâ motus fuit Pontius ad sequendum oppositum nostræ Conclus. quæque reverà levior est fundamentis, quibus motus fuit Sanchius, ad tenendam nostram Conclus. (quæ tamen Pontius sup. vocat levissima) maximè juxtà suam sententiam, quâ lib. 1. c. 9. n. 3. existimat probabilius, rationem contractûs separari posse à ratione Sacramenti, etiam inter fideles.

Subvertitur fundamentum Pontij. Fateor itaque contractum Matrimonij rem sacram esse inter fideles, utpote Sacramentum, nisi obstet intentio contrahentium: sed nunquid ideò desinit esse contractus civilis & humanus? Nonne calix consecratus est res sacra?

Calix consecratus est vendibilis seclusâ lege Ecclesiæ. Nemo dubitat. Num ideò perdidit æstimationem pretij temporalis, quam ante consecrationem habebat? Minimè sed vendi potest eodem pretio, non habito respectu ad hoc, quòd sit consecratus; nisi per legem humanam talis venditio ob reverentiam rei sacræ prohibeatur. Ita ergo impræsentiarùm, nisi ob reverentiam Sacramenti auferatur Legislatori sæculari vel Ecclesiastico sua potestas, poterit hic disponere de contractu illo humano, qui est substratum Sacramenti.

55. *Dicastillo sequitur Sanchium.* Audiamus Dicastillonem hìc disp. 7. n. 15. Tota, inquit, ratio sacri aut Sacramenti nititur ipsi contractui humano & civili, illumque supponit, non mutatâ illius naturâ & conditione. Quòd autem superveniat hæc ratio sacri aut Sacramenti, sufficit quidem, ut Ecclesia meritò sibi reservet hujus contractûs cognitionem; non tamen ut ex natura rei seclusâ Ecclesiæ reservatione, non possit Princeps de tali re, tamquam de contractu, judicare; sicut non ex eo, quòd calix v. g. consecratus susceperit consecrationem, cadentem supra materiam vendibilem auream vel argenteam, desinit esse materia ipsa vendibilis contractu humano, sicut & ipse etiam valor cælaturæ; quidquid sit, an Ecclesia possit prohibere, ne talis materia, sic consecrata, quoad emptionem & venditionem subjaceat judicibus sæcularibus.

Ex natura rei non fit irreverentia Sacramento Matr. si contractus subjiciatur Principi. Et sicut nulla fit ex natura rei irreverentia rei sacræ alioqui pretio æstimabili, si vendatur non quatenus sacra, sed quatenus pretio æstimabilis (nisi fortè Ecclesiæ decreto prohibeatur fieri in ea re contractûs) ita similiter nulla fiet irreverentia ex natura rei, aut aliqua alia injuria, si contractus Matrimonij baptizatorum, non quatenus sacer & Sacramentum, sed quatenus contractus humanus, & civilis subjiciatur Principi. Hactenùs præfatus Auctor.

56. *Arg. pro sententia Sanchij, ex Esparza.* Hanc difficultatem prævidit Esparza de Sacram. q. 115. dicens n. 3. Panis & vinum, tametsi ex institutione Christi sint materia Sacramenti Eucharistiæ, subsunt nihilominùs legibus civilibus; exque ipsarum taxatione pretia illorum dependent, & emptio atque venditio, sic vel aliter facta, valida ac invalida constituitur. Contractus autem Matrimonij est materia Sacramenti Matrimonij, sicut panis & vinum Eucharistiæ. Ergo simili ratione is contractus iisdem legibus subest.

Confirmatio. Confirmatur: quia calix consecratus ejusque cælatura venduntur pretio taxato per leges civiles; atque voces, quibus constant formæ Sacramentorum, ipsaque Sacramenta intrinsecè constituuntur, possunt mutare significationem, omnemque vim significandi amittere, dependenter à lege & voluntate Principis sæcularis. Ergo idem eâdem ratione dicendum de contractu Matrimonij. Hæc ille.

57. *Resp. ejusdem Auctoris.* Respondet autem art. 5. ad 3. Panis & vinum, antequam consecrentur, sunt res adæquatè naturales in se intrinsecè, & distinguuntur totaliter re ipsâ ab omni prædicato spirituali ac supernaturali. Similiter calix qui est consecratus, est adæquatè naturalis in se intrinsecè, atque consecratio est pura denominatio extrinseca ipsi secundùm se. Voces etiam, quibus confici potest Sacramentum, antequam hoc illis perficiatur atque constituatur, sunt adæquatè naturales simul cum sua significatione, & utrobique datur capacitas ad usus purè naturales. Contractus autem Matrimoniales inter fideles nunquam est, nunquam esse potest purè naturalis; sed est simul essentialiter Sacramentum. Nulla igitur est paritas. Ita Esparza.

58. *Adhæret sententiæ Pontij.* Qui ibidè ad 5. art. 2. sic ait: Assentiri iis Auctoribus minimè possum, qui dicùt, Principibus sæcularibus, sive fidelibus, sive infidelibus, inesse ex natura rei potestatem ferendi leges & inducendi impe-

impedimenta dirimentia circa contractus Matrimoniales, qui ſunt ſimul Sacramenta, atque ſolâ auctoritate Concilior̃ & Pontificum ſublatam illis eſſe talem poteſtatem. Oppoſitum enim apparet ex omnibus hucuſque dictis in tota quæſtione: jure nimirum Divino ſublatam eſſe Principibus ſæcularibus poteſtatem legiſlativam circa contractus Matrimoniales fidelium ſecundùm ſe; ſubtracta verò eſt indirectè per ſubtractionem materiæ. Quia Principes ſæculares, ſive fideles, ſive infideles eſſent, nunquam habuêre poteſtatem legiſlativam circa contractus, præterquam purè naturales ſecundùm ſuum conceptum adæquatum. Factâ autem inſtitutione Sacramenti Matrimonij, non ſunt ampliùs poſſibiles contractus Matrimoniales purè naturales, purèque civiles inter fideles.

59. *Putat per inſtitutionem Sacram. evanuiſſe materiam poteſtatis naturalis:* Evanuit itaque eâtenus materia poteſtatis & juriſdictionis purè naturalis, purèque civilis. Ad eum utique modum, quo per conſecrationem panis & vini evaneſcit materia ſubjecta eidem poteſtati, nec datur ampliùs in rerum natura. Quapropter non rectè accommodatur rei præſenti illud Chriſti Domini: *Quæ ſunt Cæſaris Cæſari*; quia contractus, qui ſimul eſt Sacramentum, non eſt Cæſaris, nec unquam fuit.

Deinde (proſequitur idem Auctor) non appareret quo pacto Pontifices potuiſſent auferre ejuſmodi poteſtatem Principibus ſæcularibus abſque ipſorum conſenſu; nec eſt facilè credibile, conſenſuros ipſos fuiſſe, ut privarentur tanti momenti poteſtate, cum prærogativas multò leviores ſoleant mordicùs tueri atque retinere pertinaciſſimè.

60. *Ac proinde jure divino deeſſe Prin. cipibus poteſtatem.* Dicendum itaque eſt, jure divino, exque ipſa natura rei deeſſe Principibus ſæcularibus, tam infidelibus, quam fidelibus, poteſtatem legiſlativam circa contractus Matrimoniales fidelium, ſeu circa contractus, qui ſimul habent rationem Sacramenti. Hactenus Eſparza.

Occurit cuidam objectioni. Et occurrens cuidam objectioni, ait: Nec propterea lex Evangelica eſt abſolutè nociva reſpectu Principum; quandoquidem ſubrogata eſt facultas, ut ipſi quoque Principes Sacramentaliter contrahant, & lucrentur gratiam contrahendo, datique ſunt eiſdem ſubditi conjugati, ratione ejuſdem gratiæ perfectiores ac meliores; meliuſque proinde ſatisfacturi obligationibus, etiam civilibus, erga eoſdem Principes & Remp. Ac demum ea poteſtas legiſlativa tranſlata eſt ad Pontifices, conſulturos meliùs utilitati Reip. pro ſua majori, ſaltem ut plurimùm, religioſitate, probitate, & prudentia. Hæc ille.

61. *Idem Auctor negat, rationem contractus poſſe ſeparari à ratione Sacramen. inter fideles.* Bene optimè pro ſua opinione, & meliùs quàm Pontius, qui, ùt ſup. dixi, admittit rationem Sacramenti realiter eſſe ſeparabilem à ratione contractûs, etiam inter fideles, quod hic Auctor pro viribus negat ibid. q. 114. Et quoniam nos cum Pontio admittimus illam ſeparabilitatem, & negamus inſeparabilitatem, quæ eſt unicum & totale fundamentum Eſparzæ, ùt patet ex dictis, jam plenè ſatisfactum eſt omnibus ejus argumentis.

Ex gratis admiſſo ad Sed eſto, admittamus cum Eſparza & aliis multis Auctoribus, ùt ſuo loco vidimus, eam inſeparabilitatem, adhuc perſiſtimus in ſententia Sanchij, qui & ipſe admittit illam inſeparabilitatem lib. 2. diſp. 10. n. 6. Oportet igitur ut ſatisfaciamus tam argumentis Pontij, quàm Eſparzæ, quæ eadem prorſus ſunt, eo excepto, quòd, ut mox diximus, apud Pontium contractus Matrimonij inter fideles poſſit aliquando eſſe purè naturalis, ſecùs apud Eſparzam. Et ita magis urget exemplum calicis conſecrati, ſup. ex Dicaſtillone adductum, contra Pontium, quàm contra Eſparzam, ut patet ex reſponſo Eſparzæ ſup. ad dictum exemplum. *huc præfertur ſententia Sanchij.*

Interim dico; etiam in ſententia Eſparzæ adhuc eſſe aliquam paritatem, & quidem ſufficientem ad noſtrum propoſitum. Siquidem, quòd contractus Matrimonialis ſit Sacramentum, eſt planè extrinſecum ipſi ſecundùm ſe, ùt patet in infidelibus, inter quos invenitur ille Contractus abſque ratione Sacramenti; & ante legem novam etiam inveniebatur inter fideles abſque ulla ſanctitate. 62. *Oſtenditur paritas inter Matr. & calicem conſecratum.*

Dicere autem, in lege nova non invenitur, non ſatisfacit; quippe etiam non invenitur calix conſecratus in ſenſu compoſito, id eſt, manens conſecratus, abſque aliqua ſanctitate; & tamen illa non officit, quin circa materiam iſtius calicis, per ſe loquendo, Princeps ſæcularis poſſit leges conſtituere, v. g. taxare ejus pretium.

Ergo etiam non officit poteſtati ſeculari, quòd contractus Matrimonialis in lege nova inter fideles neceſſariò ſit Sacramentum; quia contractus Matrimonialis eſt adæquatè naturalis in ſe intrinſecè, ratio autem Sacramenti eſt ipſi ſecundùm ſe extrinſeca. Quoniam contractus Matrimonialis qui non eſt Sacramentum, & qui eſt Sacramentum, ejuſdem planè naturæ ſunt intrinſecè ſecundùm ſe; nam conſtant eâdem materiâ & formâ eſſentiali; quòd enim hi contrahentes ſint Baptizati, illi autem non, nihil ponit intrinſecum ipſi contractui ſecundùm ſe, cùm ſine Baptiſmo eſſentialiter ſubſiſtat. Similiter, quòd Chriſtus elevaverit illum contractum ad dignitatem Sacramenti, non mutat ejus naturam intrinſecam, ùt non ſemel dictum fuit; non enim propterea requirit aliam materiam aut formam eſſentialem. 93. *Matrimonium Sacramentum, & non Sacramentum ſunt ejuſdem naturæ ſecundùm ſe.*

Igitur aliqua paritas eſt inter contractum Matrimonialem fidelium, & calicem conſecratum, quæ ſufficiens eſt, ut ſicut poteſtas ſæcularis poteſt diſponere de calice conſecrato, ita quoque poſſit diſponere de valore Sacramenti Matrimonij, niſi aliquid aliud obſtet, id eſt, niſi per ſuperiorem poteſtatem impediatur.

Et verò poteſtas Eccleſiaſtica nónne ſuperior eſt poteſtate civili, & poteſt abrogare & corrigere leges ejus, quando id expedit bono communi Eccleſiæ & ſaluti animarum? Nemo Catholicorum dubitat. Quia ergo expediebat bono communi Eccleſiæ & ſaluti animarum, ut eſſet uniformitas circa leges Matrimonij prohibentes, vel etiam irritantes, ideò Eccleſia illam poteſtatem ſibi reſervavit, ne in diverſis Regionibus & Provincijs diverſæ forent leges, ex 64. *Poteſtas Eccleſiaſtica poteſt corrigere leges civiles.*

quibus non pauca nata essent provenire inconvenientia, propter earum ignorantiam.

Pontifex potuit auferre Principibus potestatem circa Matr.

Ac sic apparet, quo pacto Pontifices potuerint auferre hujusmodi potestatem Principibus sæcularibus, absque ipsorum consensu; & credibile satis est, ipsos libentissimè consensisse, ut privarentur potestate tanti momenti, videntes illam privationem necessariam pro bono communi Ecclesiæ, & probè scientes, potestatem civilem subordinatam esse potestati Ecclesiasticæ in his, quæ spectant ad regimen & salutem animarum, veluti spectant Sacramenta Ecclesiæ.

65. *Per elevationem Matr. ad dignitatem Sacr. non evanuit materia potestatis secularis.*

Ostenditur etiam, quomodo per elevationem contractûs Matrimonialis ad dignitatem Sacramenti, non evanuerit materia potestatis & jurisdictionis sæcularis, ad eum modum, quo per consecrationem panis & vini evanescit materia subjecta eidem potestati. Siquidem, non obstante ratione Sacramenti, permanet essentia & substantia contractûs Matrimonialis, quæ antea erat. Unde contractus Matrimonialis, qui est Sacramentum, secundùm adæquatum suum & essentialem conceptum, est purè naturalis, etsi quà Sacramentum in suo conceptu involvat aliquid supernaturale, in quod supernaturale Princeps sæcularis nullam habet potestatem, etiam per se loquendo.

Sed nunquid etiam manent substantiæ panis & vini post consecrationem? Planè evanescunt, secundùm fidem Catholicam, nec dantur ampliùs in rerum natura, remanentibus dumtaxat speciebus; quæ licèt entitativè naturales sint, atque retineant totam priorem activitatem naturalem; supernaturaliter tamen existunt, & ideo non subsunt ampliùs legi ulli civili, quoad pretium, conservationem, consumptionem &c.

66. *Matr. sic elevatum non existit supernaturaliter.*

Censes autem, quòd etiam Matrimonium supernaturaliter existat, postquam elevatum est ad dignitatem Sacramenti? Non censeo, inquis; sed habet effectum supernaturalem, id est, causat gratiam sanctificantem, quam priùs non causabat.

Habet effectum supernaturalem.

Prorsùs sic est, sed quid tum? Ergo per illam elevationem evanuit substantia Matrimonij, sicut per consecrationem evanescit substantia panis & vini. Qualis Consequentia? Immo nisi permansisset substantia contractûs, jam nullum foret Sacramentum Matrimonij, ùt clarum est.

67. *De eo non potest disponere Princeps.*

Quòd autem jam habeat effectum supernaturalem, quem antea non habebat, quid inde? Inde tantùm sequitur quòd potestas sæcularis, suppositio Sacramento, non possit disponere de effectu illo supernaturali, seu de causalitate morali illius effectûs. Nonne etiam aqua Baptismi habet causalitatem moralem effectus supernaturalis? Quis propterea negat Principem sæcularem posse de ea aqua disponere? Quis propterea dicit, substantiam aquæ illius evanescere,

Substantia aquæ baptismalis non evanescit.

quando per applicationem sive ablutionem fit materia Sacramenti Baptismi? Immo nisi in ablutione permaneret substantia aquæ, non foret materia apta Baptismi.

Tantùm differentia est (superiùs à nobis insinuata) quòd illa aqua possit non esse materia Baptismi, & per consequens non esse pars Sacramenti; contractus autem Matrimonialis non possit in sententia Esparzæ subsistere inter fideles, nisi sit Sacramentum. Hoc autem nihil aliud est, quàm Deum separabiliter annexuisse rationem Sacramenti aquæ, inseparabiliter autem Matrimonio seu contractui Matrimoniali inter fideles. Ergo hic contractus est essentialiter supernaturalis seu spiritualis; neg. Consequentia, sed extrinsecè dumtaxat, ùt patet ex antedictis. Et ideò adhuc subest potestati sæculari, nisi per superiorem potestatem Ecclesiasticam, propter suam supernaturalitatem seu spiritualitatem, sibi conjunctam, ab ea eximatur. 68. *Differentia inter illam aquam & contractum Matr.*

Quid ergo, inquis, ad simile Pontij sup. de homine, qui post Ordinationem extrahitur à Dominio sæcularis Principis? 69.

Resp. ad simile Pontij.

Respondeo: neque illam extractionem esse juris Divini, sed solùm Ecclesiastici. Immo Clerici neque jure Ecclesiastico exempti sunt à legibus civilibus in materia morali communi, sed directè iis obligantur; adeoque non obstante, quòd sint personæ sacræ, Principes sæculares illis imperant. Tales leges sunt v. g. quæ prohibent noctu arma deferre, quæ statuunt pretia rerum, aut præscribunt formam contractibus, & similes, quæ Clericos non dedecent. Ergo post Ordinationem Principes sæculares habent aliquam jurisdictionem in personas ordinatas.

70. *Clerici exempti sunt à judicijs sæcularibus solo jure Ecclesiastico.*

Porrò à legibus judicialibus & tributariis exempti quidem sunt, sed, sicut dixi, solo jure Ecclesiastico, ùt plurimi docent in Tractatu de Legibus, & posset diffusè probari, ùti & subjectio in legibus moralibus; sed non sunt hujus loci, ideò non immoror; sed tantùm dico, hâc sententiâ suppositâ, simile Pontij planè concurrere, & potiùs probare Conclus. nostram, quàm improbare.

Nam sicut possibile est, Principem sæcularem ferre leges, directè obligantes Clericos seu personas sacras, non inquantùm sacræ sunt, sed inquantùm sunt membra Reip. civilis; sic itidem possibile videtur, Principem sæcularem ferre legem, sive prohibentem, sive irritantem contractum Matrimonialem inter fideles, non quâ Sacramentum est, sed quatenus est contractus civilis.

Et veluti Ecclesia seu Pontifex Clericos, ratione Clericatûs sibi specialiter subjectos, potuit eximere, & de facto exemit à legibus judicialibus & tributariis Principum sæcularium; sic pariter potuit eximere, & de facto exemit contractum Matrimonialem inter fideles, ratione dignitatis Sacramentalis sibi specialiter subjectum, à legibus prohibentibus & irritantibus Principum sæcularium; quod significatur in Conclusione hisce verbis: *Nisi Pontifex sibi soli illa* (scilicet impedimenta Matrimonij inter fideles) *reservasset.* 71. *Potuit Pontifex sibi reservare impedimenta Matr. & de facto reservavit.*

Solet autem hæc reservatio probari, ex eo in primis, quòd causæ Matrimoniales spectent ad judices Ecclesiasticos; arg. c. 3. de Ord. cogn. in 72. *Probatur reservatio ex C. 3. de Ord. cogn.*

in principio : *Tuam non credimus latere prudentiam, cauſam natalium Reginæ Cypri ad examen noſtrum (utpote quæ ad forum Eccleſiaſticum pertinet) eſſe delatam.* Ita Honorius 3. Ludovico Regi Francorum.

Item ex C. 1. de Conſang. Idem reſcribit Alex. 3. Caſſen. Abbati c. 1. de Conſang. ibi. *Cæterùm tuam prudentiam volumus non latere, quòd non ſunt cauſæ Matrimonij tractandæ per quoſlibet, ſed per judices diſcretos, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta Canonum non ignorent.*

Omitto alia jura, quæ communiter allegantur, & tamen prout jacent parùm probant. Ecce *Definitio Trid.* definitio Concilij Tridentini ſeſſ. 24. de Matr. can. 12. ſequentis tenoris. *Si quis dixerit, cauſas Matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.*

73. *An intelligenda de ſolis judicibus Eccleſiaſticis?* Sed quis hoc dicit? reponit quiſpiam: Omnes fatentur, cauſas Matrimoniales ſpectare ad judices Eccleſiaſticos; dubitant autè quidam, an propterea definitum ſit, cauſas Matrimoniales ſpectare ad judices Eccleſiaſticos privativè, ideſt, ad ſolos judices Eccleſiaſticos, cùm alia multa ſint mixti fori, id eſt, multa ſint, quæ ab utroque judice, Eccleſiaſtico & ſæculari poſſint judicari: & ſiquidē Matrimonium inter illa numerari debeat, liquet profectò, hanc probationē nullius eſſe momenti.

Negat Rabardeus apud Dianam. Ita porrò (teſte Diana part. 7. tract. 1. n. 2.) hoc Decret. Trid. intelligendum eſſe, aſſerit P. Rabardeus fol. 112. & ſeq. contra hæreticos, docentes, cauſas Matrimoniales ad judices Eccleſiaſticos non ſpectare; quia negant, Matrimonium eſſe rem ſacram.

74. *Sed perperàm, ut oſtēdit Diana.* Sed hæc opinio (inquit Diana ſup. n. 3.) prorsùs eſt rejicienda: nam plures Hæretici etiam concedunt, cauſas Matrimoniales eſſe tractandas coram judicibus Eccleſiaſticis, quatenus Matrimonium eſt res ſacra; aſſerunt tamen, quòd, hoc non obſtante, quatenus Matrimonium eſt contractus, ejus cauſæ ſimul pertinent etiam ad Judices laicos, quod quidem eſt falſum. Ergo Conciliuni Tridentinum dicendum eſt, contra Hæreticos determinaſſe abſolutè, & ſine ulla diſtinctione, ùt patet, cauſas Matrimoniales pertinere ad Judices Eccleſiaſticos, non ſolùm quatenus Matrimonium eſt Sacramentum, ſed quatenus eſt etiam contractus naturalis. Quia licet Matrimonium, quatenus eſt contractus naturalis, ad civilem poteſtatem ſpectet, tamen propter elevationem ad eſſe Sacramentale, in rem ſacram tranſivit: ergo ejus cauſæ non poſſunt aliquo pacto etiam pertinere ad Judices laicos; ſed abſolutè & ſine ulla diſtinctione apud Judicem Eccleſiaſticum determinandæ ſunt, ut firmavit Concilium Trident. & docent communiter Doctores.

Harpprectus. Unde more ſuo Hæreticus Harpprectus in Juſtiniani Inſtit. to. 1. tit. de Patria poteſtate §. 230. n. 63. invehitur in Summos Pontifices, qui cauſas Matrimoniales ad ſolos Judices Eccleſiaſticos tranſtulerint, non obſtante, quòd Matrimonium ſit contractus civilis.

75. *Confirmatio.* Confirmantur ſup. dicta contra P. Rabardeum: nam quod unâ viâ denegatur, alterâ permitti non debet, ex l. *Nec per ſe*, Cod. de Hæred. inſtit. & docent DD. Ergo dicendum eſt, Principes laicos quoad ſubſtantialia Matrimonij nihil diſcernere poſſe, etiam conſiderando Matrimonium, ùt contractum civilem, ne eis unâ viâ permittatur, quòd alterâ denegatur; alioquin futilis eſſet prohibitio Canonum & Concilij Trident. quòd laici nullam habeant juriſdictionem in cauſis Matrimonialibus; quia ipſi ſemper reſponderent, in cauſis Matrimonialibus, pertinentibus etiam ad ſubſtantiam Matrimonij, ſe immiſcere, non quatenus Matrimonium eſt Sacramentum, ſed quatenus eſt contractus civilis, ùt fieri poſſe malè prætendunt Hæretici. Ergo &c. Hucuſque ſunt verba Dianæ.

76. *Quæſtiones juris & circa ſubſtantialia Matr. privativè ſpectant ad judicem Eccleſiaſticum.* Et proſequitur n. 5. dicens: hinc DD. communiter aſſerunt, quæſtiones juris, & circa ſubſtantialia Matrimonij, privativè ſpectare ad Judicem Eccleſiaſticum. Sed quæſtiones de impedimentis Matrimonij, & de ejus validitate & invaliditate, & ſi fuerit legitimè contractum, ſunt quæſtiones juris & non facti, quia ſpectant ad ſubſtantiam & eſſentiam Matrimonij. Ergo neceſſariò eorum cognitionem privativè ad Judices Eccleſiaſticos ſpectare dicendum eſt, quidquid aſſerat P. Rabardeus.

Et ideò licet aliqui DD. aſſerant, cauſam meram poſſeſſoriam beneficiorum, decimarum, oblationum &c. tamquam aliquid ſæculare, & quid facti, poſſe cognoſci à Judice laico, quod ego nego, hoc tamen non audent dicere de poſſeſſorio Matrimonij: unde apponam hic verba Barboſæ de Poteſta. Epiſcopi part. 3. Alleg. 84. n. 14. ubi ſic ait:

77. *Non valet arg. à cauſa poſſeſſoria beneficiorum ad poſſeſſoriam Matrimonialem, ex Barboſa.* Non obſtat argumentatio noſtrorum, quâ parificant cauſam poſſeſſoriam Matrimonialem cum cæteris poſſeſſoriis beneficiorum, vel aliarum rerum Eccleſiæ; quia ratione ſpiritualitatis, propter Sacramentum, excedit omnia cætera ſpiritualia, beneficia, decimas, oblationes, & his ſimilia, de quibus ubi de poſſeſſione mera agitur, affirmant ferè omnes, Judices laicos cognoſcere poſſe; unde non rectè argumentum de his ad Matrimoniales cauſas deducitur. Ita ille. Qui plures adducit DD. pro hac firmanda ſententia, quam noviſſimè canonizavit Oraculum ſacræ Rotæ die 28. Maij 1631. Dicendum eſt igitur contra P. Rabardeum cauſas Matrimoniales, de quibus loquimur, pertinere ad Epiſcopos & Judices Eccleſiaſticos abſolutè & ſinè ulla diſtinctione. Hactenus Diana, hinc inde aliquibus omiſſis brevitatis gratiâ.

78. *An Diana convincat intentum.* Sed nunquid convincit intentum? Non puto, ſpectatis præcisè verbis Trident. licèt quippe aliqui fuerint Hæretici, qui admitterent cauſas Matrimoniales etiam ad Judices Eccleſiaſticos ſpectare, haud equidem omnes admittebant, & contra hos potuit illa definitio fuiſſe facta, & non contra illos.

Atque ut etiam contra illos facta fuiſſet, adeòque fidei foret, cauſas Matrimoniales ad ſolos Judices Eccleſiaſticos ſpectare; cenſeſne hinc bene inferri: ergo fidei eſt, ſive definitum

est, Principem sæcularem non posse statuere impedimenta Matrimonij pro fidelibus, eò quòd Ecclesia sibi reservaverit eam potestatem?

79. *Objectio Suavis contra definitionem Trident.*

Audi quid contra hanc definitionem objiciat Suavis apud Pallavicinum Histor. Concilij Trident. part. 3. lib. 23. c. 9. n. 11. ibi: In duodecimo (Canone Concilij Trident. sess. 24. de Matr.) narrat (Suavis) absurdum fuisse visum Politicis, constitui articulum fidei, causas ad Matrimonia spectantes, pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, cum hæc difinitio appareat contraria iis, quæ leguntur in Codice tum Justiniani, tum Theodosij, & in aliis antiquitatis monumentis; ubi patet à Principibus laicis præscribi conjugiorum impedimenta, & ab iisdem arbitratu suo relaxari, & cum Ecclesiastici accesserint ad hujusmodi causas, quà ex commissione, quà ex negligentia Principum ac Magistratuum. Audistis objectionem. Intendite nunc responsioni Pallavicini.

80. *Solutio Pallavicini.*

Cur, inquit, potiùs istis absurdum non videbatur, dum illic Principes, & Principum Oratores, tam vigilanter studebant, procul arcere quodcumque creditum ab ipsis detrimentum suæ jurisdictionis, nihil eosdem huic Canoni repugnasse; quin potiùs primum Legatum repugnasse (fortè legendum, postulasse) ut ibi apponeretur *Anathema*. Quod si velimus utique tamquam debitum laicis Princibus adjudicare quidquid habetur in Codicibus, & cui in Ecclesiæ infantia ob minus malum oportebat interdum, ut Pontifices palpebras submitterent, eisdem etiam arrogare fas erit auctoritatem, ad ipsos Summos Pontifices confirmandos.

Neque hic necesse nobis est, quæstionem agitare, an legitima potestas ponendi impedimenta Matrimonio, adeòque ea relaxandi ablata fuerit Principibus ab Evangelij lege, dum contractum illum extulit ad conditionem Sacramenti, naturæ limites excedentem, an posteà ab Ecclesiæ lege. Ad id quod agimus, nobis sufficit rem ipsam ita se habere, & à quacumque lege provenerit, rectè se habere.

81. *Quàm utile sit contractum Matr. ad Ecclesiasticos pertinere.*

Procul dubio, si à suo quisque animo æmulationem aut invidentiam erga Ecclesiasticos amoverit, intelliget quantæ sit utilitatis, ut contractus, cujus libertas, & certa efficacitas, adeò necessariæ sunt ad salutem & quietem animarum, pendeat in omnibus Christi fidelibus ab Ecclesiæ Constitutionibus, uniformibus, & à charitate profectis, quæ tendunt ad sempiternam subditorum salutem; non autem à discrepantibus, & sæpè minus tolerabilibus Principum laicorum, qui temporarium bonum intendunt.

Hæc potestas Ecclesiæ non est arrogata.

Quòd si hæc Ecclesiæ jurisdictio bona ac legitima non esset, sed arrogata & subrepta, quo pacto eam Suavis describit, affirmare oporteret, sicut alias in ipsum argumentatus sum, orbem terrarum ante nos diu plenum cæcorum fuisse, dum per immensum temporis spatium Principes & Magistratus in cunctis Christiani orbis partibus tanti ponderis potestatem Ecclesiæ reliquerunt; quod neque ex concessione, neque ex negligentia contigisse videtur in rebus merè civilibus.

82. *De quibus agat D. Canon. Trident.*

Sed hæc omnia dicta sint, ad confutationem eorum, quæ Suavis assumit & objicit, non ad necessariam hujus Trident. Canonis defensionem, quæ his non indigebat, cùm in illo non de constituendis impedimentis agatur, sed de cognoscendis causis ad Matrimonium spectantibus. Enimvero statim ac Matrimonio adjungitur dignitas Sacramenti, evidenter conficitur, ad Ecclesiam pertinere potestatem, ejus efficaciam judicandi, adeòque potestatem decernendi, quidnam necessarium sit ad ipsius efficaciam judicandam, sicuti conspicitur in reliquis omnibus Sacramentis. Usque adhuc Pallavicinus.

An de constituendis impedimentis.

Quem utique si vidisset Diana procul dubio non adeò ursisset Canonem illum Concilij Trident. contra Rabardeum, qui Canon, ut audis, non agit de constituendis impedimentis, de quibus hic agitur; sed de cognoscendis causis, ad Matrimonium spectantibus. Illamque cognitionem definit spectare ad Judices Ecclesiasticos idque privativè, si credimus Dianæ sup. Num inde rectè infertur; ergo constituere impedimenta spectat ad Judices Ecclesiasticos privativè?

83. *Leges civiles disponentes circa causam Matrimonialem non semper annullantur ex Dicast.*

Quamvis (inquit Dicastillo disp. 7. n. 22.) ad judicium solum Ecclesiasticum pertineant (causæ Matrimoniales) non inde sequitur, quòd leges civiles circa eam rem disponentes, non obligent; sæpè enim, juxta veriorem doctrinam, leges conduntur à Principibus secularibus, tum in iis, quæ pertinent ad solemnitates contractuum & testamentorum, tum ad alias res, putà ad taxam pretij frumenti & similium, quæ etiam obligant Ecclesiasticos, & tamen judicare de iis in persona Ecclesiastica, non pertinet ad judicem sæcularem: ergo non eo ipso, quòd denegatur judici sæculari judicare de aliqua causa, annullantur leges sæculares circa illam, vel tollitur Principibus sæcularibus potestas condendi leges circa talem materiam; fieri enim potest, quòd Principes sæculares pro bono & pace Reip. aliquid circa eam materiam statuendum putent, & statuant; & quòd hoc semel statutum à Principe, & non reprobatum ab Ecclesia, quia non est contrarium bono animarum, judex nihilominus Ecclesiasticus sit, ad quem pertineat judicare, imò & compellere privativè, aut saltem cumulativè ad id servandum.

84. *Confirmatur.*

Hoc ipsum confirmatur ad hominem contra Sanchez & Coninck & Perez & alios, qui asserunt Principes infideles posse statuere impedimenta dirimentia, quæ obligent fideles, sibi subditos, in contrahendis Matrimoniis. In quo casu negari non potest, quòd Ecclesia possit judicare de valore illius Matrimonij, quod tunc contrahitur cum tali impedimento, posito à Principe infideli.

Imò necessariò potestas directa vel indirecta Ecclesiæ debet id judicare, ut pro bono animæ contrahentium, vel separet eos si sub tali impedimento contraxerunt, vel permittat aut etiam cogat cohabitare, si tale impedimentum non

fuit;

fuit, & alioquin ſit legitimum Matrimonium: ergo non eo ipſo, quòd Eccleſia judicet de tali valore Matrimonij, atque adeò Sacramenti, deſinit, in eorum Auctorum principiis ſiſtendo, eſſe poteſtas in Principe ſæculari ad inducendum impedimentum. Hactenus Dicaſtillo.

85. *Neque jus commune neque Trid. ſatis probant intentum ſecluſâ conſuetudine.* Ad quid æſtimas? Ut oſtendat, neque dictos textus juris communis, neque d. can. 12. Concilij Trident. ſi præcisè ſtemus eorum verbis, ſufficienter probare intentum. Interim ſi ſpectemus uſum Eccleſiæ, & conſuetudinem, optimam legum interpretem, ſic intelligendæ ſunt d. leges Eccleſiaſticæ, ut impedimenta & negotia Matrimonialia, ad judicem, Principem & forum pertineant Eccleſiaſticum privativè: *Dicaſtillo.* Quia (inquit Dicaſtillo ſup. n. 24.) ita declaravit prædicta conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres; omnes enim cauſæ Matrimoniales ad Judicem Eccleſiaſticum deferuntur, & ſic eſt ab omnibus in praxi intellectum Trident. & alij textus ſup. citati, ut non videam poſſe eſſe aliquos, qui (ne amplius dicam) licitè & ſine periculo incurrendi ſuſpicionem minoris obedientiæ, quàm par eſt erga Eccleſiam, & ejus poteſtatem, rem hanc ita vertant in quæſtionem, ut oppoſitum velint eſſe probabile.

86. *Communis ſenſus DD. & conſuetudo reſervant impedimenta Matr. Eccleſiæ* D. Tho. D. Bonav. Itaque ſufficiat nobis manifeſta & recepta conſuetudo. Accedat communis ſenſus DD. quos refert Diana ſup. reſol. 23. & 25. ubi diſertis verbis id affirmant. Tantùm appono verba D. Angel. & D. Seraphici. Ille 4. diſt. 42. q. 2. a. 2. ad 4. ſic ait: *Prohibitio legis humanæ non ſufficeret ad impedimentum Matrimonij, niſi interveniret Auctoritas Eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit.* Hic autem eâdem diſt. q. 2. *Quia* inquit, *Eccleſia tale impedimentum ſuâ conſtitutione & approbatione fecit eſſe validum, alioquin non poſſet impedire.*

Sententia Pet. de Soto. Hinc non eſt audiendus Pet. de Soto lect. 4. de Matrimonio ad finem, ubi ait: leges civiles ex pietate & voluntate Principum in hac re ceſſiſſe Eccleſiæ, ut nullum jam cenſeatur Matrimonium illegitimum, quod Eccleſia tale non judicat; non tamen propterea legi, id auferendum eſſe, ut illegitimos aliquos reddere poſſit ad Matrimonium ineundum; ubi clarè admittit, hodie id poſſe Principem ſæcularem: nec poſſe Pontificem eam adimere facultatem, ſed propriâ ſponte ac pietate ductos ceſſiſſe Principes.

87. *Quam propugnat Rabardeus.* Hanc ſententiam Soti amplectitur & propugnat P. Rabardeus ſect. 5. per totam (ut refert Diana ſup. reſol. 23.) Probat autem n. 2. Quia Matrimonium eſt contractus merè civilis non minùs, quàm alij; & conſequenter ſimiliter poteſtati Politicæ ſubjectus eſt. Sicut igitur Principes laici ex juſta cauſa poſſunt aliquos (v. g. prodigos & pupillos) reddere inhabiles ad alios contractus, ita etiam ad hunc: quia eadem planè eſt ratio.

Occurritur objectioni. Nec refert, quòd Matrimonium ſit Sacramentum; quia ideò non deſinit eſſe verè contractus civilis, & hâc ratione ſubditus poteſtati Politicæ. Quare etſi poteſtas Politica directè nihil poſſit ſtatuere circa Sacramenta; poteſt tamen indirectè, impediendo valorem contractûs, quem Matrimonium eſſentialiter involvit. Sicut etſi lex Eccleſiaſtica non poſſit directè impedire poteſtatem Ordinis; poteſt tamen id facere indirectè, ſubtrahendo nimirum Sacerdoti juriſdictionem ad Abſolutionem neceſſariam. Imò nec poteſtas Eccleſiaſtica poteſt aliâ ratione irritare hoc Sacramentum, quàm irritando indirectè contractum. Ergo &c. *Eccleſia poteſt indirectè impedire poteſtatem Ordinis.*

Deinde probat P. Rabardeus ſuam ſententiam n. 3. & 4. ex aliquibus legibus Honorij, Theodoſij junioris, Valeriani, Gallieni & aliorum Imperatorum, apertè declarantium, nuptias contra aliquarum legum ſuarum præſcriptum celebratas, non eſſe firmas & validas, neque poſteà continuatione, vel temporis longitudine convaleſcere. Hæc ſunt argumenta P. Rabardei. 88. *Probat Rabardeus ſuam ſententiam ex quibuſdam legibus.*

Sed ad ſummum probant, Rempub. civilem per ſe loquendo habere poteſtatem conſtituendi impedimenta Matrimonij; non autem, quòd de facto adhuc conſtituat. Enimverò eo ipſo quòd ſecundùm Chriſti inſtitutionem contractus Matrimonij factus fuit ſacer, à ſæculari foro, ſi non ipſo jure Divino fuit exemptus, ſaltem per Eccleſiam eximi potuit, & jam ſup. oſtenſum eſt, fuiſſe exemptum, ſicut ædes, vaſa, veſtes, hoc ipſo quòd à fidelibus ad pium uſum ſive miniſterium ſacrum oblata, & ab Eccleſiæ Prælato acceptata & dedicata ſunt, à ſæcularium poteſtatum diſpoſitione, juriſdictione, & exactione eximuntur: ſicut etiam accidit in ipſis Clericis. 89. *Reſp. ad eas.*

Igitur ex eo tempore, quo contractus Matrimonij, alioqui civilis, facta eſt res taliter ſacra, ut habeat veram rationem Sacramenti, dici debet, conſtitutionem impedimentorum conceſſam fuiſſe Eccleſiæ, ad quam ſpectat de Sacramentorum diſpenſatione decernere; ac poſtmodum Pontificiâ reſervatione eam Principibus ſæcularibus interdictam fuiſſe. *Eccleſia decernit de diſpenſatione Sacramentorum.*

Hinc Vrb. 3. c. 4. de Secund. nupt. abrogat legem Cæſaream, quæ infamiam irrogat viduis, nubentibus infra annum lugubrem, l. 1. ff. de His qui not. infam. *Reſpondemus* (inquit Pontifex) *quòd cùm Apoſtolus dicat:* Mulier viro ſuo mortuo, ſoluta eſt à lege viri ſui: in Domino nubat cui voluerit: *per licentiam & auctoritatem Apoſtoli, ejus infamia aboletur.* 90. *Lex civilis in Matr. ſacros Canones imitatur. C. 4. & 5. de ſecund. nupt.*

Idem ſtatuit Innoc. 3. c. 5. eod. adjiciens in fine: *Cùm in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros Canones imitari.* Ubi Gloſſ. verb. *Cùm in his*, inquit, *Scilicet Matrimonia contrahendi, in quibus ſæculares leges ſacros Canones imitantur.*

Et cap. 20. 35. q. 2. rejicitur à Greg. 1. lex Honorij & Iuſtiniani Imperatorum, quæ decernebat valida Matrimonia inter conſobrinos: *Quædam lex terrena in Romana Repub. permittit, ut ſive fratris & ſororis ſeu duorum fratrum germanorum, ſeu duarum ſororum filius & filia miſceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere, & ſacra lex prohibet cognatio-* 91. *Et per eos abrogatur. c. 20. 35. q. 2.*

nis

nis turpitudinē revelare. Vnde necesse est, ut in quarta vel quinta generatione &c. Et hujusmodi multa alia reperies in jure Civili, quæ postea fuerunt correcta à jure Canonico ; v. g. ab Ecclesia reprobatæ sunt leges Civiles, quæ statuebant Matrimonia inita contra voluntatem parentum esse irrita, ùt suo loco ostendimus.

Conclusio. Quæ cùm ita sint, constanter assero, hodie nec licitè nec validè Principem sæcularem fidelem ferre leges, quibus subditorum fidelium impedimenta statuat. Quis ergo ? Pontifex.

92. *Princeps infidelis adhuc statuit impedimenta respectu fidelium sibi temporaliter subjectorum secundùm Sanchez.* Dixi consultò : *Principem fidelem* ; quia infidelem adhuc statuere impedimenta respectu fidelium sibi temporaliter subjectorum, docet Sanchez lib. 7. disp. 3. n. 7. dicens : Id monuerim fideles subditos Principibus infidelibus, utpote qui eorum oppida inhabitant, astringi legibus eorum justis irritantibus Matrimonia in omnibus iis casibus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si cum eo impedimento dirimenti contrahant, erit nullum Matrimonium. Quia ratio Sacramenti superaddita Matrimonio fidelium, non impedit in Principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi ; sed sola reservatio Pontificis, quæ ad Principes infideles extendi nequit. Hæc ille.

Quòd autem extendi nequeat, inde probatur : quia infideles non arctantur directè constitutionibus Ecclesiasticis, utpote Ecclesiæ non subjecti, quæ non judicat de iis, qui foris sunt, ùt superiùs dictum fuit.

Eum sequitur Coninck Hanc sententiā amplectitur Coninck disp. 30 n. 7. Quia fideles illi civiliter eis subjecti sunt. Nec Ecclesia (inquit) his hanc potestatem, utpote sibi non subjectis, potuit adimere, cum hoc ad bonum spirituale fidelium non sit absolutè necessarium.

93. *Fundamentum oppositæ sententiæ.* In quibus ultimis verbis indicat fundamentum oppositæ sententiæ, quam in primis docent, & debent docere omnes illi, qui asserunt, per elevationem Matrimonij ad rationem Sacramenti, eum contractum omninò jure Divino esse exemptum à jurisdictione Principum sæcularium ; ita, ut non solùm non statuant, sed nec statuere possint, per se loquendo, impedimenta pro Matrimonio, quod est Sacramentum.

Quam veriorem existimat Tannerus. Præter hos autem eidem adhæret tamquam veriori Tannerus in 4. to. disp. 8. quæ est de Matrimonio q. 4. dub. 1. n. 20. Verius (inquit) est Christianos subditos Principibus infidelibus, quoad Matrimonia, quæ inter seipsos contrahunt, non astringi legibus eorumdem Principum, impedimenta dirimentia constituentibus. Est planè sententia S. Tho. anteà citati, & videtur ex mente aliorum Doctorum, qui universaliter ac indefinitè de Matrimoniis Christianorum loquuntur. Et colligitur ex cit. Canonibus, quibus absolutè asseritur, Matrimonium inter Christianos, eò quòd sit Sacramentum, ad Ecclesiasticum, non civile forum pertinere. Hæc ille.

94. *An sit sententia D. Thomæ.* Sed (ut bene notat Dicast. sup. n. 12.) D. Tho. ibi non satis clarè loquitur, neque ad nostrum casum descendit ; sed manet in generalibus terminis, dicens, ùt sup. audivimus : *Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonij, nisi interveniret auctoritas Ecclesiæ, quæ idem etiam interdicit.* Loquitur de impedimento, quod oritur ex adoptione, non tantùm respectu fidelium, qui subsunt temporali Dominio Principis infidelis, sed universaliter respectu omnium fidelium. Dicastillo.

Similiter & Canones citati, cum generales sint, possent pati exceptionem in casu, de quo hîc loquimur, utpote in quo est specialis ratio, scilicet Dominium temporale Principis infidelis, qui ab Ecclesia nequeat privari suâ potestate, sicut in aliis contractibus, ita neque in hoc contractu, ut Sanchez & alij cum ipso contendunt. Itaque probandum est, potiùs in hoc contractu, quàm in aliis, posse hujusmodi Principem ab Ecclesia privari suâ jurisdictione.

95. *Ecclesia potest Principes infideles privare aliquo jure in Christianos, juxta Tannerum.* Quod probè intelligens Tannerus sup. sic prosequitur suum argumentum : Nec verò deest potestas Ecclesiæ, Principes etiam infideles privandi aliquo jure in Christianos ex rationabili causa, ut docetur in 2. 2. de Fide. Et confirmatur : alioquin enim fatendum esset, Matrimonia etiam clandestina, inter ejusmodi fideles contracta, quamvis simul in ijsdem locis promulgatum esset Concil. Trident., esse valida : nec adeò etiam cæteras leges Ecclesiasticas, de Matrimoniis latas, obligare, si quando legibus ejusmodi Principum infidelium adversarentur. Hæc ille.

Leges Matrimoniales Ecclesiæ plerasq. sunt personales. Sed ego non approbo hanc confirmationem ; quippe leges Matrimoniales, ab Ecclesia latæ, non locales, sed personales sunt (excepto Decreto irritante Matrimonium clandestinum, quod etiam locale est, ut vidimus suo loco) adeoque ubique terrarum astringunt fideles, ita ut, si fidelis contraheret Matrimonium apud infideles, apud quos domicilium habet, cum impedimento aliquo dirimente Ecclesiastico, v. g. cognationis spiritualis, Matrimonium foret nullum, estò apud illos infideles non foret impedimentum dirimens.

96. *Vniversus orbis est territorium Ecclesiæ in spiritualibus.* Ratio mea est : quia universus orbis est territorium Ecclesiæ seu Pontificis in spiritualibus ; ac proinde, nisi aliud declaret Pontifex, & ipse ad certa loca leges suas restringat, censetur per universum orbem fideles velle obligare ; cùm non ratione loci, sed ratione Baptismatis ei subjiciantur.

Leges civiles non abrogant leges Ecclesiasticas. Ac præterea : indubitatum est, leges civiles cujuscumque tandem Principis non posse corrigere, seu abrogare leges Ecclesiasticas ; sed è contrà, Pontificem posse suis legibus corrigere & abrogare leges Principum etiam Ethnicorum & infidelium, quando ita expedit bono Ecclesiæ & saluti animarum sibi subjectarum.

Tametsi ergo Principes infideles possent obligare fideles, subditos in temporalibus, suis legibus Matrimonialibus ; haud equidem obligarent, quando adversarentur legibus Ecclesiæ ; sed tunc standum foret legibus Ecclesiæ, tamquam à sublimiori potestate constitutis.

97. Sed quid, si non adversentur ? Ut jam audi-

vimus,

97. *Sententiam Tanneri sequitur Layman.*

vimus, Affirmat Sanchez, Coninck, & alij eas obligare : negat Tannerus, quem sequitur Layman lib. 5. Theologiæ moral. tract. 10. part. 4. c. 1. n. 3. sic scribens : Porrò quod dicunt Sanchez & Coninck uterque n. 7. fideles subjectos Principibus Ethnicis, astringi impedimentis Matrimonij, juxtà ritum ac leges eorum civiles, id alij DD. non meminerunt, contrariumque probabilius est, quod attinet ad impedimenta dirimentia, sicuti notavit Adamus Tannerus de Matr. Thesi 137. cùm non excedat potestatem indirectam Ecclesiæ, omnes ubique terrarum degentes Christianos, eximere à legibus civilibus, & subjicere Ecclesiasticis, quod attinet ad Matrimonij validitatem aut invaliditatem ; quippe cùm plurimùm propter Sacramenti dignitatem intersit, in hac re uniformitatem, inter omnes Christianos existere. Ita Layman.

98. *Eamque Dicastillo putat probabiliorem.*

Ei subscribit Dicastillo sup. dicens : Utraque sententia mihi prohabilis videtur, sed prohabilior secunda, quæ negat astringi. Quamvis autem pleræque rationes Tanneri & auctoritates, quas allegat, mihi non probent ; illa mihi placet, quam ipse indicat, & affert Layman ; nempè quod ex uno capite Ecclesia, generaliter exemerit ubique terrarum degentes Christianos à legibus civilibus, & subjecerit Ecclesiasticis, quod attinet ad Matrimonij valorem, aut nullitatem, nullâ factâ limitatione eorum, qui subduntur Principibus infidelibus.

Ex alio vero capite, etiam ad eos fideles extenditur potestas Ecclesiæ, saltem indirecta, eximendi illos à suis Principibus ; ergò non est cur negemus illos esse liberos ab iis legibus ; nec minus decet propter reverentiam Sacramenti subjici solùm Principibus Ecclesiasticis eos fideles, & liberari à legibus Ethnicorum, quam fideles subditos Principibus Christianis à legibus eorumdem : & ad Sacramenti dignitatem plurimùm confert, ut in hac re sit uniformitas inter omnes Christianos. Hæc ille.

99. *Eidem sententiæ adhæret Diana adducens auctoritatem Caspens.*

Eidem sententiæ adhæret Diana part. 8. resol. 77. & ad illam magis firmandam adducit auctoritatem Caspens. in cursu Theol. to. 2. tract. 26. disp. 9. sect. 1. n. 5. ubi ita asserit : Infertur 2. Si aliquis Christianus sit subditus Regis infidelis, qui pro sua Repub. aliqua instituit impedimenta dirimentia, eundem Christianum non subjacere his impedimentis ; sed solùm subjici statutis ab Ecclesia ; quia in eo articulo non est subditus illius Regis, sed solius Ecclesiæ ; eò vel maximè, quia eius Matrimonium contrahendum, est verè Sacramentum.

Iudæus tenetur servare impedimenta Regis infidelis.

Unde à contrario infertur, si aliquis Iudæus v. g. sit subditus Regis infidelis, in illis servandis impedimentis subjacere eidem Regi ; quia neque ipse est Christianus, neque ejus Matrimonium Sacramentum. Quod si subditus sit Rom. Pontificis (ùt Romæ Iudæi degentes) ei non subjacet in statutis impedimentis in Ecclesia pro solis baptizatis. Cæterùm si Rom. Pontifex, ut Dominus temporalis eorum, vellet eis statuere impedimenta, tenerentur ipsi Iudæi iis impedimentis ; cùm hæc jam non censerentur Ecclesiastica, sed purè civilia. Sic ille.

100. *An Sanchez loquatur de solis illis legibus quæ de facto latæ sunt ? Dicastillo.*

Notat autem Dicastillo sup. quòd Sanchez & alij Auctores, qui ipsum sequuntur ; videantur loqui de legibus, quæ de facto sunt latæ in Ecclesia, & de earum reservatione & ratione reservandi, quæ de facto movit Papam aut Concilium ; de hac verò reservatione dicunt, ad Principes infideles extendi nequit. Itaque non clarè loquuntur de potestate, quam aliàs habeat Pontifex, ut si videat expedire, possit illos fideles ab iis legibus eximere ; sed de exemptione, quæ de facto sit (quidquid sit de possibili) nec video posse jure negari eam potestatem eximendi, sicut ab aliis obstantibus bono & fini supernaturali fidelium. Hæc ille.

101. *Auctori placet sententia affirmans, fideles de facto esse exemptos.*

Utut sit (ex mente istorum Auctorum) de possibili ; hìc tantùm disputatur de facto, an videlicet impræsentiarùm sit sufficiens causa, eximendi fideles à legibus Principum infidelium, quoad validitatem vel invaliditatem Matrimonij.

Nobis porrò magis placet sententia affirmans ; licet namque illa exemptio non sit absolutè necessaria ad bonum spirituale fidelium ; est tamen multùm expediens, ùt patet ex dictis. Interim ad omnem incertitudinem Matrimonij evitandam, consultum omninò est, ut fideles hujusmodi observent leges tum Ecclesiæ, tum etiam Principum infidelium, quando sibi mutuo non adversantur.

102. *Quid si infidelis contrahat extrà patriam suam.* Sanchez. c. 2. de Const. in 6

Sed quid si infidelis contrahat extrà patriam suam, in loco, Principi Christiano subdito, aut alio Principi infideli, cum impedimento dirimenti, statuto à solo suo Principe ? Existimat Sanchez sup. n. 10. Matrimonium fore validum. Quia (inquit) non astringitur legibus suæ patriæ extrà illam juxtà c. 2. de Constit. in 6. ibi. *Cùm extrà territorium jus dicenti non pareatur impunè.*

Dicitur autem : *A solo suo Principe :* Quia (inquit Sanchez sup.) si etiam esset impedimentum dirimens, sancitum à Principe loci, in quo contrahit, non valeret : quia peregrini astringuntur legibus communibus suæ patriæ & loco, in quo reperiuntur. Si autem esset ab Ecclesia inductum illud impedimentum in loco fidelium, ubi infidelis contrahit, & in suo oppido à Principe infideli, valeret Matrimonium. Quia lex illa Ecclesiastica non est generalis in illo oppido, sed solos fideles astringit. Ita Sanchez. Vide quæ nos diximus de peregrinis parte præced. ubi de Matrimonio clandestino peregrinorum.

103. *An Papa sibi reservaverit impedimenta privativè ad Episcopos.*

Itaque, ut ad alia pergamus, Pontifex sibi reservavit constitutionem impedimentorum circà validitatem vel invaliditatem Matrimonij inter fideles, privativè ad Principes sæculares. Nunquid etiam privativè ad Principes Ecclesiasticos, v. g. Archiepiscopos, & Episcopos & similes Prælatos inferiores, quibus ex vi sui muneris competit ferre leges suis subditis ?

Episcopi non possunt obligare universam Ecclesiam.

Quod hi Prælati inferiores non possint statuere impedimenta dirimentia, quæ obligent universalem Ecclesiam, nimis clarum est, cùm non habeant jurisdictionem in universalem Ec-

clesiam, sive in omnes fideles; constituere autem hujusmodi impedimenta, est actus jurisdictionis, quia legislatio.

104. *Etiam Parochi in casu particulari possunt suis Parochianis prohibere Matr. ad aliquod tempus.*

Certum quoque est, non solùm Episcopos, sed etiam Parochos posse in casu particulari prohibere suis Diœcesanis aut parochianis, ne Matrimonium contrahant ad aliquod tempus; nempe si sic oporteat ad vitandum aliquod imminens scandalum, sive præcipuè ad discutiendum, num fortè subsit aliquod ex Ecclesiasticis impedimentis, aut etiam Divinis, vel naturalibus.

Itaque tam Episcopus, quàm Parochus, ùt infrà videbimus, prohibet per speciale interdictum contractum Matrimonij; cùm enim illud interdictum dependeat ex specialibus circumstantiis, non oportuit illam potestatem ab ipsis auferre; sed potiùs concedenda fuit, si fortè ex jure communi eam non haberent, ut multis inconvenientijs & periculis obviaretur.

105. *Nequit Episcopus nova impedimenta dirimentia instituere.*

Quòd autem nequeat Episcopus, multò minùs Parochus, instituere alia impedimenta dirimentia, præter ea, quæ universali lege Ecclesiæ seu Summi Pontificis sancita sunt, docent (inquit Aversa q. 9. sect. 3. §. *Nihilominus*) Theologi, Iuristæ & Summistæ communiter. Et aliqui censent, ex natura ipsa rei hanc facultatem non convenire Episcopis. Idem probabilius reputat Coninck disp. 30. dub. 1. concluſ. 3.

Non ex natura & institutione hujus Sacramenti, secundùm Aversam;

Verè tamen, nec ex natura & institutione hujus Sacramenti, sive ex jure Divino Christi, sublata erat Episcopis, & soli Pontifici reservata hæc potestas. Nec in jure Canonico invenitur lex scripta limitans in hoc auctoritatem Episcoporum. Quinimò inveniuntur potiùs plures Canones ex Conciliis quibusdam Provincialibus, atque adeò ex auctoritate particularium Episcoporum, in suis Provinciis induxisse quędam impedimenta, quæ posteà ab universali Ecclesia confirmata & approbata sunt.

106. *Sed ex longæva & universali consuetudine.*

Sanchez. Pontius.

Sed jam ex longæva & universali consuetudine, & fortasse etiam ex lege aliqua scripta, non inserta in corpore juris, factum est, ut Episcopi non possint alia impedimenta, præter communia totius Ecclesiæ, statuere: sed eorum partes tantùm esse, studiosè cavere, ut quæ ab Ecclesia statuta sunt, sollicitè custodiantur. Et ita ad consuetudinem referunt hanc reservationem Sanchez lib. 7. disp. 1. n. 9. Pontius lib. 6. c. 1. n. 12. & alij Recentiores. Hæc ille.

Coninck putat, hanc potestatem nullo modo competere Episcopis.

Interim, sicut audivimus, Coninck putat probabilius, hanc potestatem nullo modo competere Episcopis etiam seclusâ omni Pontificis prohibitione: Quia (inquit) nec jure Divino iis competit, neque etiam Ecclesiastico.

107. *Probatur quod non jure divino.*

Suarez.

Quòd non competat jure Divino, probatur; quia illùd axioma, quod à multis DD. admittitur, & est fundamentum oppositæ sententiæ: *Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi prohibeatur*, absolutè loquendo (inquit Suarez de Censuris disp. 7. sect. 4. n. 5.) verum non est; quia nec ratione fundari potest, nec inductione probari; ut ibi adductis variis instantiis hic Auctor ostendit. Quod maximè verum est, in sententia, quæ dicit, Episcopum ex vi suæ Ordinationis nullam habere jurisdictionem; sed omnem suam jurisdictionem, quanta quanta est, debere accipere immediatè à Pontifice.

Quare, inquit Coninck sup. n. 3. ut hanc vel illam potestatem non habeant, non est opus, Pontificem eam ipsis negare: sed sufficit, quòd eam ipsis non concedat. Quòd autem Pontifex non concesserit postatem constituendi impedimenta dirimentia Matrimonium, probat Coninck; quia nulla talis concessio adferri potest.

108. *Quomodo intelligendum illud axioma: Quidquid potest Papa? &c. Ex Suario.*

Ergò axioma illud (concludit Suarez sup.) vel admittendum non est, vel limitandum est, ut intelligatur de his solùm, quæ ad ordinariam & communem gubernationem animarum pertinent ac moraliter necessaria sunt, ad quem ordinem per se non spectant impedimenta dirimentia Matrimonium.

Confirmatio doctrinæ Coninck.

Confirmat porrò suam doctrinam Coninck sup. n. 8. quia per talia impedimenta Matrimonium propriè & per se irritatur, quatenus est contractus merè civilis, & tantùm consequenter, quatenus est Sacramentum; ideoque illud irritare propriè & per se spectat ad Principes civiles, sicut irritare alios contractus civiles.

Potestas indirecta circa res temporales non est concessa Episcopis.

Quare dum Ecclesia sibi hanc potestatem assumit, utitur potestate illâ indirectâ, quam habet circa res temporales, ut de iis disponat, quatenus hoc expedit bono spirituali fidelium, quæ immediatè concessa est toti Ecclesiæ, atque ejus capiti Rom. Pontifici; nullo autem modo singulis Episcopis. Quia circa res civiles invitis Principibus nihil possunt statuere, quantumcumque hoc saluti fidelium expediat, modò non sit eorum saluti omninò necessarium, quo casu Magistratus civiles jure naturali Divino tenentur hoc admittere. Hactenùs Coninck.

109. *Resp. ad confirmationem.*

Sed ad hanc confirmationem facilis est responsio eorum, qui docent, contractus Matrimoniales fidelium esse realiter Sacramenta per veram ac realem identitatem contractûs & Sacramenti, ac proinde nulli subesse, quoad ultimam suam formalitatem, potestati humanæ purè naturali, nec à Deo supernaturaliter elevatæ; facilis, inquam, est eorum responsio, ut puta, Ecclesiam non solùm potestate indirectâ, sed maximè directâ posse statuere circa Sacramentum Matrimonij, quidquid visum fuerit expedire; illa autem potestas directa circa res spirituales, non tantùm competit Summo Pontifici, sed etiam singulis Episcopis respectivè ad suos subditos, si non præcisè ex vi suæ Ordinationis, saltem ex vi jurisdictionis, sibi à Pontifice concessæ, nisi expressè limitetur.

110. *Negatur, Episcopis non competere potestatem indirectam circa Matr.*

Atque ut Ecclesia uteretur potestate tantùm indirectâ, dum constituit impedimenta Matrimonij, unde probas, quòd hæc potestas non competat Episcopis, nisi in illis, quæ sunt omninò necessaria saluti subditorum, & non etiam in his, quæ valdè expediunt? Hoc ergo probatum oportuit, non suppositum; maximè cùm Matrimonij Sacramentum non sit tantùm res civilis,

civilis, ſed etiam res ſacra; licet ergo de rebus merè & purè civilibus non poſſet Epiſcopis indirectâ poteſtate diſponere, niſi pro bono omninò neceſſario, cur ſaltem non poterit diſponere de re partim civili, partim Eccleſiaſticâ, quando id multùm expedit ſaluti fidelium?

111. *Oportet oſtendere ubi Papa negaverit poteſtatem impedimentorum Epiſcopis.*

Quare ùt hanc vel illam poteſtatem non habeant, non ſufficit, ut Pontifex eam expreſsè non conceſſerit, ſed opus eſt oſtendere, ubi Pontifex eam ipſis negaverit; alioqui in juriſdictione generaliter conceſsâ abſque aliqua reſtrictione, cenſebitur incluſa.

Poteſt quidem Pontifex auferre juriſdictionem Epiſcoporum, poteſt eam limitare, tanquam vel à ſe conceſſam, vel immediatè à Deo, tamen cum ſubordinatione, ſeu ut ſubordinatam poteſtati Pontificiæ, ſi nihilominùs eam non auferat, aut expreſsè limitet, ſive jure ſcripto, ſive conſuetudinario, aut aliâ quâcumque ratione, cenſebitur ſe extendere ad ea omnia reſpectivè ad eorum Diœceſim, ad quæ ſe extendit poteſtas Pontificis reſpectu univerſi orbis ſeu totius Eccleſiæ; ſaltem (inquit Dicaſtillo ſup. n. 29.) quantùm ad ea, quæ non concernunt totius Eccleſiæ regimen, & fidem, & quæ tantùm cenſetur Chriſtus conceſſiſſe Summo Pontifici, ùt ſunt definire res fidei, diſſolvere Matrimonia rata & ſimilia. Hic Auctor ibid. n. 28. putat utramque ſententiam ſatis eſſe probabilem.

112. *Oſtenditur ex conſuetudine.*

Sed quid prodeſt Epiſcopis, quòd probabiliter habeant illam poteſtatem, quando nihilominùs eâ nequeunt uti? Nam hodie certum eſt, ex contraria conſuetudine, ut ſup. dictum eſt, vim legis habente, ſoli Rom. Pontifici impedimenta dirimentia eſſe reſervata. Hinc noviſſimè Card. Lugo in Reſponſ. moralibus meritò improbat factum cujuſdam Archiepiſcopi, qui voluit irritare Matrimonia contrahenda ſinè præmiſſis denuntiationibus.

Quid ergo prodeſt Epiſcopis illa poteſtas? Non plus eis prodeſt, quàm Principibus ſæcularibus fidelibus reſpectu Matrimonij fidelium; qui etiam ſuâ poteſtate, quam per ſe loquendo habent, nequeunt uti, obſiſtente ſibi reſervatione Pontificiâ, circà ea ſcilicet, quæ ſunt intrinſeca & eſſentialia Matrimonio.

113. *An qui non poteſt ſtatuere ſuper principali, poſſit ſuper acceſſario? ex Feline.*

Imò, ſecundùm Aliquos, circa acceſſorium, quo impeditur principale, ut optimè (inquit Pontius ſup. n. 4.) explicat Felinus in cap. 1. de Sponſal. n. 13. in fine. Appono verba Felini: Non videtur probabile, quòd is poſſit ſtatuere ſuper acceſſorio, qui non poteſt ſuper principali; quia ſic indirectè impediretur ipſum principale, ad alterius forum pertinens, contrà cap. fin. de Immun. Eccleſiæ in 6. & Reg. Iuris 39. de Reg. Iur. in 6. *Cùm quid prohibetur, Prohibentur omnia, quæ ſequuntur ex illo.*

Tractat autem Felinus eo loci hanc quæſtionem: Utrùm valeat ſtatutum, quo Principes ſæculares concedunt exhæreditatem filij aut filiæ, quæ contrahit Matrimonium ſinè conſenſu patris, & adhæret ſententiæ, neganti eò quòd per hujuſmodi ſtatutum impediatur libertas Matrimonij.

114. Ego docui diſp. præced. Sect. 5. Concluſ. 5. quòd leges civiles, quæ filios vel filias, nubentes contra juſtam & rationabilem voluntatem parentum, exhæredari poſſe à parentibus volunt, juſtæ ſint atque ſervandæ. Cumque Pontius idem aſſerat, ut ibi vidimus, non poteſt hìc ſequi ſententiam Felini, niſi eam intelligat de legibus injuſtis, quæ ſtatuunt exhæredationem, etiam illis, qui contrà injuſtam & irrationabilem voluntatem parentum nubunt. *An Pontius rectè hic approbat ſententiam Felini*

Sed nunquid eam ſic intelligit? Ait namque ſup. An autem leges ſæculares, punientes filios, qui contrahunt contra parentum conſenſum, valeant, cùm iis videatur impediri principale, quod eſt libertas Matrimonij, ex eo pendet, an ejuſmodi leges juſtæ ſint, de quo jam dixi ſup. lib. 2. ubi oſtendi, quòd juſtæ ſint, & quando ſecùs. Hæc ille.

115. *Circa accidentalia Matr. quæ non pertinent ad ejus ſubſtantiam neque impediunt principale, diſponunt Principes ſæculares, ex Pontio.*

Et proſequitur n. 5. dicens; Circà alia accidentalia Matrimonio vel acceſſoria, quæ non pertinent ad ejus ſubſtantiam, neque ex ſe impediunt principale, ſæculares Principes pro ſua poteſtate poſſunt leges validas ſtatuere, ut docet Felinus ibid. & latè explicat per nonnullas fallentias n. 14. & ſequentibus. Hujuſmodi ſunt leges circà dotem, & lucrum dotis, vel donationes inter virum & uxorem, & ſponſalitiam largitatem; & ſimiliter leges, quæ pœnis conſtitutis adjuvant prohibitiones Eccleſiaſticas. Ita Baſil.

116. *Quomodo intelligenda ſententia Felini.*

Ceterùm Felinus videtur intelligere ſuam ſententiam de rationabili diſſenſu patris, ibi: Quarta declaratio, ut non valeat ſtatutum, diſponens non ſolùm circà vinculum Matrimonij, ſed circa aliquam ſolemnitatem, inducendo pœnam, & ſic inferendo damnum; putà ſi imponeret pœnam perſonis, contrahentibus Matrimonium ſinè conſenſu patris; quia non valet.

Ioan. Andr.

Ita diſputando concludit Ioan. Andr. in c. *Statutum*, de Hæret. in 6. quàmvis referat, obtentum fuiſſe contrarium in publicâ diſputatione Bononiæ, & movetur in effectu; quia licet ſit fundatum tale ſtatutum in bono publico pro vitandis ſcandalis, & habeat in ſe optimam rationem; tamen negari non poteſt, quin iſte metus pœnæ impediat Matrimonium contrahi directè: ergò non debet valere, ſicut dicitur in ſimili in d. c. *Statutum*, & facit c. *Gemma*, inf. eod. ubi ne impediatur libertas Matrimonij, prohibetur in eo poena. Hæc ille.

117. *Felinus approbat ſententiam Ioan. Andr.*

Multis autem interjectis, hiſce verbis approbat dictam ſententiam: Sed nihilominus verior rem puto opinionem Ioan. Andr. in d. c. *Statutum*, quæ eſt communiter approbata, ut dixi; quia cùm per Canones concedatur filiis vel filiabus libera poteſtas nubendi, non poteſt illa metu pœnæ coarctari. Illud enim ſoli Papæ poteſt competere, cui datum eſt diſtinguere & limitare prohibita vel conceſſa de jure Divino, ſecundùm DD. in c. fin. de Conſuetudine, & Ioan. Andr. & Omnes in c. *Quæ in Eccleſiarum*, de Conſtit. Sed iſta facultas liberè contrahendi Matrimonium conceſſa à Deo non eſt reſtringibilis aliquo colore per poteſtatem ſæcularem. Hinc eſt quòd leges contra ſecundò nubentes *Leges civiles contra*

Nubentes sunt omninò sublatæ.

editæ, sint omninò sublatæ, ut in c. fin. de Secundis nuptiis. Et non videtur probabile &c. ut sup. Ita Felinus.

Fallentias hujus doctrinæ videre poteris apud eundem Auctorem n. 14. nimis multæ sunt, quàm ut hìc possint commodè apponi. Lege etiam, quæ de hac re scripsimus disp. præced. loco sup. citato.

118. *Propouuntur duæ novæ quæstiones.*

Impræsentiarùm quæritur: utrùm suppositâ legitimâ potestate constituendi impedimenta dirimentia, valeat constitutio seu lex, facta sinè justa causa. Secundò; an existente justâ causâ, etiam personæ particulares possint reddi inhabiles. Pro responsione ad utramque quæstionem erit.

CONCLUSIO IV.

Ut valeant impedimenta, requiritur justa causa. Eâ existente, etiam personæ particulares redduntur inhabiles.

119. *Non licet sinè justa causa constituere impedimenta.*

NOn disputatur hìc, an liceat constituere impedimenta sinè justa causa; quippe ab omnibus supponitur, id non licere, cùm nullus Legislator possit uti suâ potestate in destructionem boni communis, sed tantummodò in ædificationem, juxtà illud Apostoli 2. Cor. 10. v. 8.

2. Cor. 1. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem vestram, non erubescam.* Foret autem destructio seu dissipatio boni communis, & non ædificatio seu recta administratio, si Pontifex aut alius Legislator, impediret vel irritaret Matrimonium, quod jure naturæ omnibus concessum est, pro suo libitu absque ulla rationabili causa.

120. *Major causa requiritur ad irritandum. quàm simpliciter prohibẽdum. ex Tappero.*

Et (ut benè advertit Ruard. Tapperus art. 20. Lovanienſi paulò post principium) major exigitur causa ad dirimendum, quàm ad simpliciter prohibendum Matrimonium; & sæpè aderit justa causa prohibendi, non tamen dirimendi; quia dirimere gravius est, quàm simpliciter prohibere.

Interim, quia multa potest illicitè efficere Pontifex, aut alius Legislator, quæ tamen si fiant, obtinent roboris firmitatem; exemplum, dispensare in propria lege, quod secundùm plurimos Doctores valet, tametsi neutiquam liceat; hinc dubitant aliqui; an similiter, si Pontifex, aut alius Legislator absque causa justa decernat impedimentum aliquod, teneat factum, ita ut sit peccatum, cum eo impedimento inire Matrimonium; &, si fuerit impedimentum dirimens, Matrimonium initum minimè valeat.

121. *Probatur impedimentum, sinè causa positum, valere.*

Pro parte affirmativa præter exemplum jam allegatum, facit; quòd olim potuerit Pontifex dirimere Matrimonium intra septimum consanguinitatis gradum contractum, ut constat ex cap. *Ad sedem*, 35. q. 5. qui gradus hodie restricti sunt, c. *Non debet*, de Consanguin. & Affinit. Ergo olim plura erant impedimenta, quæ posteà successu temporis ablata sunt: quod signum est non fuisse anteà necessaria aut utilia, & tamen adhuc ligabant.

Imò quædam potiùs erant noxia, ùt colligitur ex Trident. sess. 24. c. 2. de Matr. ibi: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sinè magno peccato perseveratur, vel ea non sinè magno scandalo dirimuntur.* Et ideò Concil. eo cap. & duobus sequentibus piè & utiliter abstulit quosdam impedimentorum gradus. *Trident.*

Atque pro hac sententia citantur Hostiensis cap. *Tua fraternitas*, de Sponsa duorum, ad finem, dicens: Fortè ita esse. Veracruz 1. part. Specul. art. 46. & Vega to. 2. c. 34. casu 128. *Auctores pro hac doctrina.*

122. *Opposita sententia omninò tenenda est, ex Sanchez.*

Ceterùm (inquit Sanchez lib. 7. disp. 1. n. 6.) omninò tenendum est, ad valorem prohibitionis desiderari justam causam. Et proinde eâ non existente, dicendum est, Matrimonium contra eam initum validum esse, & culpâ vacare. Quoniam cùm Matrimonium sit vinculum jure naturali & Divino inventum, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes & descendentes, non potest Pontifex illud ad libitum interdicere; sed sicut dispensatio in illis, quæ jure naturæ obligant, facta absque causa, est irrita; ita censendum est de prohibitione Matrimonij absque legitima causa. Hæc ille.

Eam docet Hostiensis.

Est sententia communis, quam docet idem Hostiensis in Sum. tit. de Matrimonio contra interd. Eccles. ubi n. 3. in principio sic scribit: Quid juris sit de Matrimonio contra interdictum Ecclesiæ contracto. Et quidem aut interdictum fit sinè causa, & tunc nullum est interdictum; arg. inf. de Accusat. *Cùm dilecti*, §. 1. Et ad finem ejusdem tit. hæc lego verba: Mihi videtur, quòd in hac quæstione currendum sit ad intentionem Papæ, qui ex causa reddit personas inhabiles ad contrahendum: nam sicut generalem super hoc condit constitutionem (scilicet ex causa) sic & specialem, & localem, & personalem. Si ergo intendit, quòd Matrimonium contra tale interdictum suum factum non valeat, nullum esse Mattimonium judicabo. Ita Hostiensis.

123. *Subscribit Pontius.*

Eique subscribit Pontius lib. 6. c. 3. n. 1. dicens: Non est in hoc casu specialis aliqua difficultas; sed communis omni Principis legi, & ex eo principio decidenda; an lex vim habeat obligandi, nisi justa sit & rationabilis: de quo in materia de Legibus latè. Nunc breviter dico, jus semper ex ratione æstimandum esse; & quemadmodum sinè ratione justitia non est, ita neque jus. Ut enim Ulpianus in lege, *Ius civile*, ff. de Iust. & Iure: *Ius civile est, quod neque in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit. Itaque cum aliud addimus, vel detrahimus juri communi, jus proprium, id est, civile efficimus.*

Ius ex ratione æstimandum est.

L 6. ff. de Iust. *Quid sit jus civile.*

Ex quibus verbis, ut inquit Mijsingerus Inst. de Iure naturali in principio n. 22. planè constat, humanum jus esse determinationem juris naturalis.

124. *Humanum jus est determinatio juris naturalis*

naturalis. Si igitur recedat in totum à jure naturali, non determinat, ſed magis affingit aliquid incognitum naturæ, id eſt, ut Ariſtoteles ait: *Quod nullam cauſam in natura habeat.* Non ergo lex, ſed quædam tyrannis & carnificina cenſenda eſt. Recedit autem à naturali jure lex, quæ ratione non nititur.

Qualis debeat eſſe lex, ex Iſidoro.

Rectè igitur ſcriptum eſt ab Iſidoro in cap. 2. diſt. 4. *Erit autem lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundùm naturam &c. nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.* Quare quæ rationabilis non eſt, neque jus, neque lex eſt; ac proinde, ſalvâ conſcientiâ, ei legi non parere licet.

125. Vi quidem (inquit Donellus lib. 1. Comment. c. 5. verſ. *Conſtitutio eſt*) fieri poteſt, ut pareamus, & jus etiam verbo dici poteſt; re autem ipſa nil niſi vis erit, jus non erit, Sed cur ea, quæ Princeps turpiter jubet vel prohibet, non dicantur jus, cùm hæc ſæpè jubeant ſeveriùs, quàm honeſta; jus autem appellatum eſt a jubendo? Verùm hic juſſus pro juſſu habendus non eſt, atque adeò reverà non eſt juſſus: jubere enim eſt, jubere ut quid fiat, quod & fieri poteſt: quæ autem turpia ſunt, ea nec facere poſſe credimus, l. *Filius*, ff. de Condit. inſtit. ibi: *Nam quæ facta lædunt pietatem, æſtimationem, verecundiam noſtram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.*

Quid ſit jubere, ex Donello.

l. 15. ff. de Condit.

Lex injuſta non eſt lex, ex d. Aug.

Hinc ſcitè dixit Auguſt. lib. 1. de Libero arbitrio, c. 5. *Mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* Et lib. 19. de Civit. c. 21. *Quod jure fit, juſtè fit, quod autem fit injuſtè, nec jure fieri poteſt; non enim jura putanda ſunt vel dicenda iniqua hominum conſtituta.* Porrò iniquum eſt prohibere vel irritare Matrimonium abſque rationabili cauſâ, ut conſtat ex dictis.

126. Hæc poteſtas (prohibendi vel irritandi Matrimonia) data eſt Superioribus (inquit Averſa ſup. ſect. 4. § *Fatendum tamen*) ad rectam & juſtam gubernationem & utilitatem ſubditorum: ergo deficiente juſtâ causâ non puſſunt validè ſubditos adſtringere, & limitare eorum libertatem. Non tamen integrum eſſet quibuſlibet privatis ſubditis dijudicare de juſta cauſa, ſi adfuerit. Quinimò regulariter præſumendum eſt pro lege, quando non conſtat oppoſitum. Hæc ille.

Non convenit unicuique judicare de juſtitia cauſæ; ex Averſa.

127. Et ſanè (Proſequitur idem Auctor) de nullo impedimento admitti debet, fuiſſe unquam in Eccleſia abſque juſta cauſa conſtitutum. Et alioqui illi Auctores concedere deberent, peccare ſaltem Pontifices in quibuſdam impedimentis conſtituendis: quod in re adeò ſolemni & publica non niſi temerè cogitaretur. Ad ſummum ergo admitti debet, quaſdam cauſas eſſe, non ita urgentes, ſicut alias, eſſeque velut arbitrarias, quibus prudenter moveri poteſt Legiſlator ſi velit, non tamen eum vehementer impellant; & ita congruenter poſſit in unam vel alteram partem inclinare, ut legem condat aut auferat. Ac rursùm quaſdam cauſas eſſe, quæ non ſemper in eodem ſtatu perſiſtant; quinimò poſſint per alias ſucceſſu temporis emergentes elidi. Quâ præcipuè ratione factum eſt, ut de quibuſdam impedimentorum gradibus expediens aliquando fuerit conſtitui, & poſteà auferri. Hactenùs Averſa.

Nullum impedimentum unquam fuit in Eccleſia ſine juſta cauſa, ex eod.

Et ſic patet ſolutio ad 2. argumentum oppoſitæ ſententiæ, quam etiam priùs adduxerat Sanchez ſup. dicens: Olim dum Eccleſia interdixit Matrimonium uſque ad 7. conſanguinitatis gradum; juſtam interdicendi cauſam habuit: at poſt ſucceſſu temporis experientia docuit, expedire gradus reſtringere, ut dicitur c. *Non debet*, 8. de Conſanguinit. & affinit. & ita ibi reſtricti ſunt. Poſſet autem Pontifex etiam modò plures gradus prohibere, ſi judicaretur adeſſe novam cauſam plures interdicendi. Id autem non poſſe juſtè nec validè citra juſtam cauſam, affirmamus. Hæc ille.

Olim erat juſta cauſa interdicendi Matr. uſque ad 7. gradum, hodie non, ex Sanchez.

128. Tranſcribo ego verba d. cap. 8. ad majorem explicationem: *Non debet reprehenſibile judicari* (inquit Innoc. 3. in Concil. Generali Later. c. 50.) *ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit. Quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in nova. Cùm ergo prohibitiones de conjugio in ſecundo aut tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de ſobole ſuſceptâ ex ſecundis nuptiis, cognationi viri non copulandâ prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: cum ceſſante prohibitione, ceſſet effectus: conſtitutiones ſuper hoc editas, ſacri prohibitione Concilij revocantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero libere copulentur. Prohibitio quoque copulæ conjugalis, quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.*

Textus c. 8. de Conſang.

Deus aliquando mutavit ſuas leges.

Prohibitio copulæ conjugales non excedit hodie 4. gradum.

Ubi Gloſſa verb. *Revocantes*, ait: *Gregorius tamen dicit:* Qui diſſolvit hæc genera affinitatis, negat verbum Dei in æternum manere, 35. q. 10. Fraternitatis, *ultra medium, verſus finem. Qualiter ergo Innoc. diſſolvit? Hoc intellige ſine cauſa, & ab alio, quàm a Succeſſore Gregorij.*

129.

Igitur ex cauſa poteſt Pontifex gradus reſtringere & ampliare. Neque hæc reſtrictio ſignum eſt, anteà non fuiſſe neceſſariam aut utilem extenſionem; ſed tantùm hodie ceſſaſſe illam neceſſitatem, aut utilitatem, quæ anteà vehementer impellebant Eccleſiam ad prohibendum vel irritandum Matrimonium in tali vel tali gradu, quod non officit noſtræ Concluſioni.

Ex cauſa poteſt Papa gradus reſtringere & ampliare.

Nec obſtat etiam exemplum diſpenſationis in propria lege, quæ facta ſine causâ, quamvis illicita, tamen valida eſt. Nam in primis, apud me etiam eſt invalida. Sanchez autem ſup. admiſſo eo exemplo, negat conſequentiam. Et diſparitas eſt; quòd lex permittens omnibus Matrimonium, ſit naturalis: non valet autem diſpenſatio Pontificis in iis, quæ lege naturali obligant, facta ſinè juſta cauſa; ergo nec interdictio Matrimonij in gradibus, jure naturæ conceſſis, non exiſtente juſtâ causâ.

130.

Pontifex nequit validè diſpenſare ſine cauſa in lege naturali ex Sanchez.

Existente causâ, personæ particulares redduntur inhabiles. Sanchez.

Eâ autem *existente* (ùt habet secunda pars Conclus.) *etiam personæ particulares redduntur inhabiles*; scilicet ad Matrimonium contrahendum, vel pro aliquo tempore, & cum determinatâ tantùm personâ, vel etiam pro perpetuo, & cum quâcumque personâ. Ita docet Sanchez sup. n. 7. & 8. cum aliis quos citat.

131. *Probatur.*

Atque in primis, posse Pontificem existente justâ causâ, v.g. magnæ disparitatis inter contrahentes, & timoris discordiarum gravium, aliquos privatos reddere inhabiles, ùt inter se Matrimonium ineant, probat hic Auctor n.7. Quia si potest ex justa causa reddere irritum Matrimonium inter omnes personas certi generis, ùt inter omnes consanguineos usque ad quartum gradum, cur non poterit irritare inter duas privatas personas, ubi tam urgens fuerit causa, ùt id postulet? Ita interrogat Sanchez. Et hæc

Est sententia Hostiensis.

est sententia Hostiensis sup. allegati, ibi: Mihi videtur &c.

132. *An etiam Navarri?*

Nunquid etiam Navarri? Lib. 4. Consil. in 1. edit. Tit. de Sponsal. toto Consil. 24. In 2. verò edit. tit. de Matrim. contr. cont. interd. Eccles. toto consil. 1. proponit hunc casum: Quidam juvenis filius nobilissimæ ac illustrissimæ familiæ, ùt prætenditur fascinatus, vult, invito ejus patre, cum muliere vilissima Matrimonium contrahere, non sinè maximo ejus familiæ dedecore. Quæritur modò; si ab ejus patre potest impetrari à Summo Pontifice motus proprius, per quem filio prohibeatur, ne per annum absque patris voluntate contrahat, & si contraxerit, sit irritum & inane, ad hoc, ùt infra illud tempus videatur, si orationibus mediantibus ab hujusmodi fascinatione liberari possit, adeò quòd in se reversus, quod sibi & suæ familiæ convenit, faciat.

Ecce casus. Ad quem utique Sanchez, si ei propositus fuisset, indubiè respondisset, ab ejus patre posse impetrari à Summo Pontifice talem motum proprium. Sed quid putatis Navar. respondisse?

133. *Exponitur ejus judicium. Primò.*

Respondeo (inquit) primò, certum esse circà hanc quæstionem, quòd Papa summus Christi Vicarius potest justâ de causâ Matrimonium interdicere alicui usque ad aliquod tempus, ùt satis probat totus tit. de Matr. contrac. contra interd. Eccles.

Secundò.

Secundò; hujusmodi interdictum inducere quidem impedimentum impediens Matrimonium contrahendum, sed non dirimens post contractum, ùt ibid. probatur.

Tertiò.

Tertiò; constare, quòd Papa potest facere legem, quâ aliquod genus personarum fiat inhabile ad contrahendum, ùt colligitur ex tit. de Consang. & Cognat. spirituali, & novissimè ex Concil. Trident. c. 1. de Reformat. Matr. sess. 24.

134. *Quartò.*

Quartò; rem sine exemplo esse, quòd Papa per suum interdictum particulare duas personas, alioqui habiles, faciat inhabiles ad contrahendum inter se Matrimonium, ita ut contractum sit nullum, & ita, meâ sententiâ, indignam, quæ petatur, & indigniorem, quæ concedatur; arg. c. *Legatur*, 24. q. 2. & cap. Si habet, 24. q. 3. cui consequens, prædictum motum proprium non debere peti, neque concedi.

Quintò.

Quintò; quòd videtur justè & honestè interdicere posse Papam cuipiam Parocho & Ordinario, ne interessent, presentésve essent, néve facerent facultatem sive licentiam alteri Presbytero, ut possit illi interesse, censuras & alias pœnas imponendo eis, si contrà fecerint; modò justa causa id prohibendi subesset. Tum arg. c. fin. de Clandest. desponsat. Tum, quia habet potestatem summam prohibendi peccata & occasionem eorum, ut in hac ipsa materia satis exprimitur in prædicto tit. de Matr. contract. &c. & c. *Præterea*, de Sponsal. & d. cap. de Cland. desponsat.

135. *Sextò.*

Sextò; quòd prædicta fascinationis suspicio, proveniens ex tanta imparitate personarum, & ex tanto tantæ familiæ dedecore, & ex tanta pertinacia juvenis divitis & nobilis in deligendis nuptiis adeò indecoris, & timor, quòd pœnitentia, quæ illos de more consequetur, possit esse occasio, ùt illa vel ferro occidatur, vel veneno, videntur justæ causæ, ut S.D.N. prohibere dignetur sub censuris & pœnis graviissimis Parocho prædictæ mulieris, qui nunc est, & qui mutato domicilio foret, & Ordinario ejus, ne interessent hujusmodi nuptiis, nec aliis Presbyteris facultatem in eis interveniendi facerent intra annum, ad effectum pium in quæstione propositum: quia quæ causa in hoc justa sit, cùm non definiatur à jure, arbitrio prudentis & boni viri definiendum est, l. 1. ff. de Jure delib. & cap. *de Causis*, de Offic. deleg. Usque adhuc Navar.

136. *Navar. nihil decidit de potestate Papæ.*

Ubi, ut colligitur ex 4. resp. nihil decidit de potestate Pontificia, circà hoc impedimentum dirimens statuendum; sed præscindendo ab eo, quòd Pontifex possit, vel non possit, solùm dicit, nullo pacto expedire, ut id fiat.

Negat conveniens usum potestatis.

Quòd etiam clariùs significat consil. 2. eod. tit. n. 3. ibi. Non memini legisse apud aliquos, qui testarentur aliquem Summum Pontificem id unquam tentasse: & ideò licet in ea essem opinione, quòd de absoluta potestate possit hoc facere (putà constituere hoc impedimentum dirimens) non tamen facilè mihi persuaderem, quòd conveniret ut præciperet fieri hoc ætate nostrâ, in qua multi (proh dolor) multa etiam vetera præcepta ejus ægrè susciplunt. Hæc ille. Igitur non negat absolutè possibilitatem seu potestatem, sed solam convenientiam usûs potestatis, idque maximè propter non usum usque ad tempora Navarri.

Maximè propter non usum suo tempore.

137. *Nostri temporè Papa usu fuit illa potestate.*

Qui utique si usum vidisset, aliter locutus fuisset. Vidit illum Additionator Navarri, sic scribens in fine d. Consilij primi: Advertendum tamen temporibus nostris Papam ex causa, prædictæ consimili, inhabilitasse quamdam Illustriss. personam ad contrahendum cum quadam muliere: itemque & quemdam, qui ùt eluderet sponsalia de futuro, pro quibus lis movebatur, tentabat cum alia contrahere Matrimonium de præsenti. Timebantur enim in utroque casu non

non levia ſcandala. Ita Additionator.

Auctor cum aliis concedit illam poteſtatem Pontifici.

Cumque Navarrus non adferat aliquam rationem urgentem, ad negandam Pontifici ejuſmodi poteſtatem, malumus ipſi eam concedere; prout etiam concedit Pontius ſup.n. 3.Coninck diſp. 30. dub. 1. concluſ. 4. Averſa ſup. §. *Deinde dubitatur.* Dicaſt. ſup. n. 31. Herinx diſp. 6. n. 9. Eo ſemper ſalvo, ut adſit juſta cauſa, v. g. ſpeciale delictum talium perſonarum, grave ſcandalum, vel damnum ex tali Matrimonio oriturum &c.

138. *Quæ ſint juſtæ cauſæ, relinquitur arbitrio prudentis, ex Dicaſtillo*

An verò (inquit Dicaſtillo ſup.) in hac vel illa occaſione penſatis circumſtantiis ſit cauſa ſic ſufficiens, vix, imò ne vix quidem, poteſt aliqua generalis regula ad id dignoſcendum præſcribi, quin omnia pendeant ab arbitrio prudentis. Varios caſus adferunt aliqui, ſed in illis ipſis, quando venitur ad rem, difficultas eſt in multis circumſtantiis expendendis, an ibi ſint omnia prudenter requiſita. Legatur ibi Diana (part. 8. tr. 1. reſol. 60.) & Auctores, quos ibi refert, & videbit lector (ni fallor) in quovis caſu pendere rem totam à perſonalibus circumſtantiis, & à loco, tempore, natione, nobilitate, capacitate, vehementi inclinatione & periculo ſpirituali, tum contrahentium, tum eorum, quorum intereſt, ut Matrimonium contrahatur, aut impediatur, aut differatur.

139. *Eâ poteſtate utitur Papa tam pro uno, quàm pro communitate.*

Itaque ſolùm puto cadere ſub doctrinam Theologi & Juriſperiti, quòd poſſit Papa (quidquid aliqui reclament) ex cauſa impedimentum etiam dirimens inducere; non tamen cadere ſub ſcientiam, regulam generalem tradere, quæ doceat, cauſam, ab innumeris circumſtantiis pendentem, pro caſibus occurrentibus eſſe ſufficientem. Itaque puto eâdem poteſtate poſſe uti Papam pro uno, atque pro communitate, quia non apparet ratio, cur non poſſit. Ipſe tamen viderit, an tunc ſubſiſtat cauſa. Hæc ille.

Planè Pontificis eſt, id videre, ne illicitè juxtà ac invalidè utatur ſuâ poteſtate, quod abſit præſumere. Et quidem, ut ſup. dixi ex Ruardo Tappero, major cauſa requiritur ad irritandum Matrimonium, quàm ad ſimpliciter prohibendum. Itemque, major cauſa requiritur ad irritandum Matrimonium cum quacumque perſona, idque pro perpetuo, quàm cum hac determinata, aut pro aliquo tantùm tempore.

140. *An Papa poſſit perſonam aliquam pro perpetuo reddere inhabilem.*

Urgentior (inquit Sanchez ſup. n. 8.) difficultas eſt; num integrum ſit Pontifici, juſtâ ſubſiſtente cauſâ, perſonam aliquam reddere perpetuò inhabilem ad Matrimonium, quæ jure naturali habilis erat. Nam in caſu præmiſſo, illi, qui à Pontifice reddebantur incapaces Matrimonij, inter ſe ipſos ineundi, non adſtringebantur ad vitam cælibem traducendam; poterant enim ad alias tranſire nuptias. In præſenti autem, perſona hæc cogeretur ad perpetuam continentiam; cùm tamen ad illam nemo, abſque proprio conſenſu, aſtringi poſſit, c. *Integritas*, 22. q. 1. nec privari Matrimonio, quod in remedium concupiſcentiæ natura ipſa indulſit. Ita Sanchez.

Et ecce ratio dubitandi. Quâ tamen non obſtante, Sanchez ibid. docet, etiam in eo caſu id licere Pontifici, dummodò exiſtat rationabilis cauſa. Audite ipſum pro ſe loquentem: Alexander (inquit) de Nævo cap. *Tuas*, n. 17. de Sponſa duorum, refert ex Calderino ibi, Urbanum 5. reddidiſſe inhabiles ad Matrimonium ineundum Barnabonem Vicecomitem & Dominum Mediolanenſem, ac liberos ejus rebelles Eccleſiæ; & tunc agitatâ hinc inde quæſtione de poteſtate hac Pontificia, Calderinum ſuſtinuiſſe, id integrum eſſe Pontifici, quod idem ſuſtinet Alex. de Nævo ibi. Et ita tenendum eſt. *Affirmat Sanchez.*

141. *Probatur.*

Quàmvis enim jus naturæ concedat cuilibet Matrimonium: at poteſt Pontifex in graviſſimi delicti pœnam eo jure quemquam privare, reddendo ipſum inhabilem, ſicut poſſet capite plectere, aut in ſervitutem redigere, privando libertate, à natura conceſsâ.

Confirmatio.

Inſuper: ſi poteſt Pontifex in pœnam delicti, impedire perpetuò Matrimonium, ita ut citra culpam læthalem iniri minimè valeat, ut de facto impedivit propter inceſtum, & quædam alia crimina: ubi gravitas delicti id exegerit, cur non poterit ita alicui interdicere Matrimonium, ut contra prohibitionem initum efficiatur invalidum? Pontificis enim poteſtas non arctata eſt ad ſola impedimenta Matrimonij impedientia, ſed ad dirimentia quoque extenditur. Hactenùs Sanchez.

142. *Auctor ſubſcribit Sanchio.*

Cui libenter, cum aliis Auctoribus ſup. allegatis, ſubſcribimus. Nec video, quid dignum ſolutione poſſit objici, quod hìc vel alibi non eſt objectum vel ſolutum. Solùm addo: quòd jam dictum eſt de inhabilitandis perſonis particularibus per Pontificem, intelligendum etiam eſſe de aliis Principibus ſive fidelibus, ſive infidelibus, comparatione ſuorum ſubditorum, quibus in genere, juxtà ſuperiùs dicta, poſſunt ſtatuere impedimenta dirimentia Matrimonium.

143. *Papa interdicens Matrim. non eo ipſo irritat.*

Si autem à me quæritur: an Pontifice interdicente ſuo præcepto aut conſtitutione Matrimonium, eo ipſo reddatur irritum, ſi contra eam prohibitionem ineatur?

Reſpondeo citiùs negativè: quippe ut docetur in Tract. de Legibus, ut lex actum, quem prohibet, etiam irritare cenſeatur, neceſſe eſt, ut contineat clauſulas expreſſè irritantes; vel eo ſenſu ſit uſu recepta; vel concedat poteſtatem actus, non ſolùm appoſitâ conditione, ſed etiam conditionatè; vel denique prohibeat actum ratione effectus permanentis. Jam autem fieri poteſt, ut præceptum aut conſtitutio Pontificis interdicentis Matrimonium, neque contineat clauſulas expreſsè irritantes; nec eo ſenſu ſit uſu recepta; neque concedat poteſtatem actus conditionatè; nec denique prohibeat actum ratione effectus permanentis.

144. *Probatur, quòd non omnis lex prohibens ſic irritans.*

Et ſanè, quòd non omnis lex, prohibens aliquem actum, ex vi verbi, ſeu ex ſola natura rei, eum quoque irritet, ſatis conſtat ex eo, quòd prohibere actum, & irritare illum ſint effectus valdè diverſi; quippe prohibere, ſolùm eſt præcipere

cipere & obligare, ut actus non fiat : irritare autem non est præcipere, sed facere; scilicet reddere inefficacem voluntatem vel consensum ejus, aut inhabilitare personam. Ergo ut per legem fiant hi effectus, debent per ejus verba sufficienter explicari : sed per solum verbum *Prohibendi*, non explicatur effectus irritandi; ergo non fit talis effectus ex natura rei per legem, utentem purè & simpliciter verbo *Prohibendi*, quantumvis directè & specificè actum prohibeat.

Sæpè separatur prohibitio ab irritatione.

Liquet profectò, sæpè sæpiùs hos duos effectus à se invicem separari, ut patet, ne extrà propositum divagemur, in impedimentis Matrimonij, quæ prohibentia seu impedientia nuncupantur, superiùs in principio Sect. enumerata, tam juris naturæ, quàm Ecclesiastici. Licèt enim Matrimonium illicitum reddant, minimè tamen invalidum, juxtà illud cap. *Ad Apostolicam*, 16. de Regular. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

145. *Aliquando prohibetur actus, qui invalidari non potest.*

Imò aliquando prohibetur actus, qui invalidari non potest, ùt cùm alicui Sacerdoti prohibetur ne sacrificet, aut Episcopo, ne ordinet. Ergò valdè diversi sunt effectus prohibere actum, & irritare illum. Ac proinde manifestum est, legem, quæ utitur solo verbo, *Prohibendi*, seclusis extrinsecis circumstantiis, præcisè ex significatione illius verbi, non irritare actum quem prohibet.

Quo ergo fundamento dici potest, præceptum personale, vel legem Pontificis, quo simpliciter prohibet personis particularibus, vel quâ interdicit simpliciter alicui generi personarum Matrimonium, eo ipso ex vi seu natura illius prohibitionis, seclusis aliis circumstantiis, illud Matrimonium efficere irritum?

146. *Quid requiratur ut lex Pontificis irriuet.*

Igitur ut præceptum personale vel lex Pontificis, quo vel quâ prohibetur Matrimonium, simul idipsum irritet, oportet ut contineat vel clausulas expresè irritantes vel usu ùt irritans observetur, vel prohibeat ratione effectus permanentis.

Hæc latiùs deducta, legere poteris apud Suarium lib. 5. de Legibus c. 25. & 26. Nam (ut notat Pontius lib. 6. c. 3. n. 2.) hæc communis difficultas est, quæ ex eâ quæstione pendet, ex quibus verbis Legislatoris colligatur actum esse irritum, si contrà legem fiat, & ex eo principio decidenda. De quo DD. latè in materia de Legibus, & juris Interpretes in l. *Non dubium*, Cod. de Legibus : Hæc ille.

147. *An plus requiratur, ut Matr. sit irritum, quàm alij contractus, ex Sanchez.*

Impræsentiarùm tantùm addo: Sanchium lib. 7. disp. 2. ubi fusissimè tractat de hac controversia, plus aliquid requirere, ut Matrimonium sit irritum, quàm benè alii contractus, eò quòd Matrimonium sit res gravissima. Sic ergo scribit sup. n. 9. Cùm Matrimonium sit res adeò ardua, & gravissimum negotium sit illud irritare, specificam clausulam poscit. Ad sponsalia verò irritanda, non desideratur ea clausula specifica, sed satis est generalis, cùm ea irritare non sit res tanti momenti.

An sufficiat decretum generale irritans.

Et n. 11. ait : Similiter erit validum (Matrimonium) quàmvis sit decretum generale irritans, & non referens se specificè ad Matrimonium. Ut si Pontifex, interdicens Matrimonium, addat : si quid contrà gestum sit fore irritum & inane. Quare tunc clausula illa irritans debet intelligi, ut contrà gestum non valeat in præjudicium alicujus.

148. *An causa prohibitionis debeat esse perpetua.*

Item n. 12. Si clausula decreti irritantis faciat specificam Matrimonij mentionem, id irritans, si contrà prohibitionem initum sit, distinguendum est, num causa sit temporalis (ut ob dici venerationem, vel ob litem pendentem) an perpetua (utpote quæ ad nullum tempus restricta est) ut priori casu Matrimonium non reddatur irritum; sed sensus sit, ut Matrimonium sit nullum, non simpliciter, sed inquantùm parat præjudicium alicui liti, ob cujus pendentiam est ad tempus interdictum : posteriori autem, irritum reddatur. Quia cùm Matrimonij irritatio sit res gravissima, non censenda est inducta ex tali clausula, adjecta prohibitioni ob causam temporalem; sed juxtà merita causæ dimetiendum est, an sit irritatio absoluta, an potiùs quoad peculiarem effectum. Hæc ille.

149. *Quid si fuerit contractum in præjudicium tertij, ex Coninck.*

Ex quâ doctrinâ videtur sequi (inquit Coninck sup. n. 11.) absolutè irritum fore, si verè fuit contractum in præjudicium tertii; quia hæc causa ex se est absoluta & perpetua. Quia tale Matrimonium nec contrahi, nec continuari potest sinè perpetuâ injuriâ illius tertij, quæ tolli nequit, nisi aut Matrimonium solvatur, quod fieri nequit, postquam semel validè contractum fuit; aut nisi læsus cedat omni jure suo, & injuriam remittat, quod est planè per accidens: nec valor Matrimonij à conditione futura contingenti pendere potest.

Quod si posteà non reperiatur ullum impedimentum, aut præjudicium tertij, judicabitur Matrimonium ab initio fuisse validum. Ratio est; quia talis clausula admittit facilè hunc sensum, nec sinè urgente necessitate Matrimonij absoluta irritatio admittenda est, cùm res gravissima sit. Hæc ille.

150.

Addit autem paucis interjectis : Quæ probabilia sunt, sed magis nituntur quâdam Epickeiâ, ac probabili DD. sententiâ, quàm certâ ratione, quæ in re satis obscurâ, nobis sufficere debet : quare pluribus hæc non disputo.

Sententia Aversæ de hac controversia.

Neque nos volumus pluribus disputare; sed tantùm intelligere sententiam Aversæ de hâc controversiâ. Itaque q. 10. sect. 2. sic scribit : Fatendum tamen potiùs est, in universum quando Pontifex in suo interdicto, præter prohibitionem, addit etiam clausulam irritantem, reverà Matrimonium non solùm fore illicitum, sed etiam fore irritum; & hujusmodi interdictum non solùm esse impedimentum prohibens, sed etiam dirimens.

151. *Probat clausulam irritantem in universum annullare Matr.*

Suadetur facilè; quia talis clausula irritans planè demonstrat intentionem Pontificis, ut si tale Matrimonium contrahatur, sit nullum & irritum: & utique aliquid addit suprà simplicem prohibitionem, nempè nullitatem. Cùm ergò in Pontifice sit potestas dirimendi, & adsit justa causa, in hoc enim casu loquimur, omninò reditur

ditur Matrimonium nullum & irritum.

Quam vocet clauſulam irritantem.

Clauſulam verò irritantem dicimus, quæ intelligatur ipſo facto, utpotè dicendo: *Sit irritum, ſit nullum*, alióve modo ſimili. Hic enim loquendi modus non denotat ſolùm ſeparationem conjugum quoad torum, ſed totalem Matrimonij nullitatem. Si autem Pontifex diceret de futuro, *Tale Matrimonium erit irritandum, poterit irritari*; tunc debebit intelligi tantúm de ſeparatione conjugum quoad torum, quia ſupponeretur Matrimonium fuiſſe validum, in quo proinde nō poteſt cadere talis diſſolutio ſed tantùm ſeparatio quoad torum.

152. *Occurritur objectioni.*

Neque valet dicere; fortius eſſe vinculum Matrimonij, quàm iuterdictum Papæ: ſiquidem verè poteſt Papa ponere impedimentum dirimens Matrimonium, ut patet de tot aliis impedimentis dirimentibus.

Non oportet diſtinguere, ſi cauſa ſit perpetua, aut temporalis.

Neque oportet diſtinguere, ſi cauſa prohibitionis ſit perpetua aut temporalis. Nam quàmvis ſit ſolùm temporalis, poteſt adhuc prudenter Pontifex decernere, ut quamdiu durat talis cauſa, ſi contrahatur Matrimonium, ſit nullum & irritum. Sicut de facto Conc. Trident. ita inſtituit impedimentum raptus, ut quamdiu rapta maneat in poteſtate raptoris, ſit irritum Matrimonium, ſi contrahatur. Si ergò verba Pontificis ſufficienter eundem ſenſum reddant in quacumque alia cauſa temporali, pariter irritum redditur Matrimonium, ſi tunc contrahatur.

153. *Neque ſi clauſula ſit ſpecialis aut generalis.*

Rurſus non oportet diſtinguere, ſi clauſula irritans ſit ſpecialis, aut tantùm generalis, dummodò, inquam, ſit ſufficienter expreſſiva. Nam dicendo ne contrahatur Matrimonium, & irritum ſit quidquid contrà fiat, utique nihil magis poteſt intelligi irritum reddi, quàm ipſum Matrimonium, quod interdicitur. Et licet Matrimonium ſit res adeò ardua & gravis, tamen dum Pontifex illud juſtè prohiberet, & irritum faceret, quidquid contrà hanc ejus prohibitionem tentaretur, jam ſatis explicaret, ſe irritum reddere ipſum Matrimonium. Ita Averſa cum Pontio, lib. 6. c. 7. n. 5. & aliis, quos citat.

Pontius.

154. *Hæ videntur Auctori magis probabilia.*

Quæ magis nituntur ratione, quàm Epickeia, & ideò magis probabilia exiſtimo. Eo ſemper ſalvo, ut optima legum interpres permaneat conſuetudo, quæ hîc maximè attendenda eſt, & facere poteſt, ut lex, quæ alioquin ſonat ſimplicem prohibitionem, cenſeri debeat irritans, & è converſo, quæ ſonat irritationem, habenda ſit pro ſimpliciter prohibente abſque irritatione.

Nunquid ergò, dicet aliquis, per conſuetudinem poteſt conſtitui impedimentum dirimens Matrimonium, aut etiam hujuſmodi impedimentum abrogari? Pro reſponſione inſtituitur

CONCLUSIO V.

Conſuetudo inducit & abrogat impedimenta juris humani.

155. *Conſuetudo non præſcribit contrà jus naturale aut divinum, ex cap. fin. de Conſuet.*

ADdo ly *Iuris humani*; quia nullum eſt jus naturale aut Divinum poſitivum, contrà quod conſuetudo præſcribat, id eſt, quod conſuetudine abrogetur, ut omnes fatentur. De jure naturali expreſſè habetur cap. ult. de Conſuetudine in principio: *Cùm tantò ſint graviora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit, naturali juri (cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit) quâcumque conſuetudine (quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela) poſſe aliquatenùs derogari,*

Ubi Gloſſ. verb. *Iuri naturali*, inquit: *Quod immobile perſeverat*; 5. *diſt.* §. Sed cùm jus naturale, 25. *q.* 1. *c.* Sunt quidam. *Et hoc verum eſt, quantùm ad præcepta vel prohibitiones, quæ moralia ſunt, & non mutantur*: ut, Non occides. Non furtum facies. Honora patrem, *&c.* 6. *diſt.* Non eſt, §. His itaque. *Et naturalia quidem jura immutabilia ſunt, civilia verò mutabilia, Inſtit. de Iure naturali.* §. Sed naturalia, *infide Conſang. & affin. c.* Non debet: *& ideò nulla conſuetudo prævalet contrà jus naturale, etiam ſi omnes homines de mundo contra facerent*, 32. *q.* 7. *Flagitia.*

156. *Probatur ex ratione.*

Ratio eſt: quia conſuetudo habet omnem vim ſuam ex voluntate humana, quæ, ut conſtat, non poteſt prejudicare voluntati Divinæ, ad quam ſpectat lex naturalis, & Divina poſitiva. Sed neque jus Divinum uſpiam diſponit, ut conſuetudo poſſit contrà legem naturalem aut Divinam poſitivam prævalere: immò & jus Divinum & humanum diſpoſuerunt contrarium.

Item ex ſcript. Matth. 15. *& Mar.* 7.

De humano patet ex d. cap. fin. & ſimilibus textibus, tā Canonicis, quàm civilibus, quos brevitatis gratiâ (quia res non eſt propria huic loco) prætereo. Divinum autem expreſſum habemus Matth. 15. v. 6. *Iritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Et Mar. 7. v. 8. *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum*, &c.

Igitur non habemus aliquod fundamentum ſeu indicium, rationabiliter præſumendi, Deum velle legem ſuam abrogari per conſuetudinem oppoſitam. Sed neque id erat expediens, aut Divinam decens auctoritatem, ut per ſe patet. Cùm ergò ſint aliqua impedimenta, quæ jure naturæ ſeu Divino, vel prohibent, vel etiam dirimunt Matrimonium, liquet profectò, quòd ejuſmodi nequeant per conſuetudinem abrogari, *etſi omnes homines* (út ſup. loquitur Gloſſ.) *de mundo contra facerent.*

157. *Conſuetudo ut abroget vel inducat legem debet eſſe rationabilis & præſcripta, ex c. fin. de Conſuet.*

Et ideò poſui in Concluſ. ly *Iuris humani*; quia de his ſolis impedimentis, quæ vel prohibent, vel irritant Matrimonium jure humano, impræſentiarúm agimus; & hujuſmodi impedimenta poſſe induci atque abrogari conſuetudine, aſſerit noſtra Concluſio, intelligendo conſuetudinem rationabilem & legitimè præſcriptam, juxtà illud d. cap. fin. de Conſuet. *Licet etiam longæva conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeò valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta.*

Ergò ſi fuerit rationabilis & legitimè præſcripta, juri poſitivo debet præjudicium generare, ut docet Gloſſ. verb. *Legitimè ſit præſcripta*, in fine, ibi: *Sic ergò intellige, quòd conſuetudinis*

non est vilis auctoritas: tamen non vincit jus positivum illa particularis consuetudo in eo loco, ubi est consuetudo, nisi fuerit rationabilis & legitimè sit præscripta, tunc bene vincit jus, & ei præjudicat.

158. *Probatur consuetudinem posse legem inducere.*

Quòd autem hujusmodi consuetudo possit etiam legem instituere, patet ex diversis cap. eod. tit. & Cod. Quæ. sit longa consuetudo, per totum. Item. l. 32. ff. de LL. *De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est ..... Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur (& hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum) Nam cùm ipsæ leges* &c.

Igitur consuetudo rationabilis & legitimè præscripta inducit leges, & abrogat; cumque impedimenta Matrimonij, ut dictum est in principio Sectionis, non sint aliud, quàm leges prohibentes, vel etiam dirimentes, quid ni consuetudo possit impedimenta Matrimonij inducere & abrogare? Cùm enim jura jam allegata generaliter loquantur, nec excipiant leges Matrimoniales, aut Sacramentales, quo fundamento Aliqui volunt eas excipere?

159. *An requiratur approbatio Pontificis, ut impediat vel dirimat Matr.* Pontius. Hostiensis.

In hoc (inquit Pontius lib. 6. c. 4. n. 2.) non eodem modo Iuris Canonici DD. locuti sunt. Variis enim distinctionibus rem istam obscurârunt, dum explicare conantur. In primis Hostiensis sensit, consuetudinem, dummodò approbata sit à Pontifice, dirimere & impedire in omnibus iis casibus, in quibus impedit vel dirimit Canonica institutio, cap. 1. de Cognat. spirit. & cap. *Super eo*, eod. & cap. *Quod dilectio*, de Consang. & affin. At si consuetudo nec improbata est, nec approbata à Pontifice, impedire, non tamen dirimere.

160. *An inhabiles possit reddere habiles, & è contra.* Panormitanus,

At Panormitanus in cap. *Super eo*, citato sub alia distinctione respondet: inquit enim, si consuetudo reddat habiles eos, qui sunt aliàs inhabiles, nullius esse momenti, neque considerationis, constat ex d. c. *Super eo*, & cap. *Quod pro iis*, de Consang. & affin. cùm ea consuetudo sit reprobata ut irrationabilis, & contrà legem & æquitatem; si autem inhabilitet alias habiles, valet; d. cap. *Super eo*, & cap. *Olim*, de Cler. conjug. Aut etiam consuetudo dissolvit ad tempus, & tunc quoque valet. Quòd si in perpetuum dissolvat Matrimonium, nulla est, nisi vel tacitè vel expressè probetur à Papa. At si non constat de ejus approbatione, respondet Panormitanus esse sub distinctione dicendum: si enim scandalum adsit, valet consuetudo: quia sicut Papa potest Divinum jus interpretari, ita & consuetudo.

An debeat concurrere cù antiquo jure ut impedimentum inducat.

Præterea, Gloss. in d. c. *Super eo*, & alij ibidem sub alia distinctione respondent. Dicunt enim: Quando consuetudo sine scandalo omitti non potest, & aliàs concurrit cum eo, quod antiquo jure statutum erat, ut si esset consuetudo de non contrahendo in 6. vel 7. gradu, quod olim etiam statutum jure fuit, observandam esse, vel si probetur à Papa, etiamsi non concurrat: at si nec probetur à Papa, nec concurrat cum antiquo jure, non posse impedimentum inducere.

Denique Tho. Sanchius de Matr. lib. 7. disp. 4. n. 11. & 14. existimat, consuetudine induci posse impedimenta, quæ inhabiles reddant aliàs habiles, & è converso, dummodo ea consuetudo sit mixta Laicorum & Clericorum. Nec verò esse necessariam approbationem Pontificis, nec tacitam, nec expressam; sed satis esse generalem illam approbationem, quâ cap. fin. de Consuetudine dicitur, per consuetudinem posse legem abrogari & novam induci. Ecce diversæ sententiæ, quas breviter retuli ex Pontio, easque longiùs deductas legere poteris apud Sanchium disp. mox citatâ. 161. *An debeat esse mixta laicorum & clericorum, ex Sanchez.*

Cæterùm (inquit Pontius sup. n. 6.) frustrà Doctores isti his distinctionibus usi sunt, cùm res ista decidenda sit juxtà generalia principia in materia de Consuetudine. Quare ea impedimenta, quæ ex juris Ecclesiastici dispositione proveniunt, abrogari posse contrariâ consuetudine, & alia etiam induci, tam certum esse debet, quàm certum est abrogare legem posse, & contrariam induci: immò & nonnulla impedimenta dirimentia inducta esse consuetudine tantùm, hoc est, consuetudinem obtinuisse, ut dirimerent, quæ tantùm impediebant, asserunt DD. non pauci. Id tamen verum erit, dummodò concurrant ea, quæ necessaria sunt, ut consuetudo legem abrogare possit & inducere. Hæc Basilius. 162. *Sententia Pontij.*

Quæ vera existimo. Sed quæstio manet; an consuetudo in hac materia, possit esse rationabilis & præscripta. Si enim nequeat talis esse, liquet, nec inducere posse impedimentum, etiam solùm prohibens, neque abrogare. *Approbatur.*

Si autem à me quæritur: & verò quam consuetudinem dicis rationabilem? Respondeo: illam dico rationabilem, quæ non pugnat cum jure naturali aut Divino & nititur ratione judicio prudentis; ratione, inquam, tali, propter quam Legislator non solùm validè, sed etiam licitè posset legem instituere, aut priùs institutam revocare. 163. *Quæ sit consuetudo rationabilis.*

Non ergò omnis consuetudo mala est irrationabilis; sed illa, quæ est mala ex parte objecti aut actûs, prohibiti per legem Divinam; secus quæ solùm est mala ex parte actûs, prohibiti per legem humanam; hic quippe actus ex objecto suo non est malus, & potest occurrere ratio, quare Legislator licitè possit, quàmvis non debeat, prohibitionem revocare; siquidem non omne, quod potest Princeps præcipere aut prohibere, semper debet præcipere aut prohibere; possunt enim ab utraque parte esse rationes probabiles: imò plerumque in rebus moralibus seu politicis sunt rationes pro & contra. *Non omnis consuetudo mala est irrationabilis.*

Interrogas rursum: sed enim quam consuetudinem dicis legitimè præscriptam? Illam, quæ per certum temporis spatium fuit observata. Quod autem illud temporis spatium sit, variant DD. Alij existimant spatium quadraginta annorum; Aliqui decem annorum inter præsentes, 20. inter absentes; Quidam decennium putant sufficere, etiam inter absentes; idque non solùm pro lege civili, sed etiam Ecclesiastica: 164. *Quæ sit consuetudo præscripta.*

denique

denique ſunt, qui requirant tempus immemorabile.

Iure non determinatur aliquod tempus in præſcriptione legum.

Dico ego, neque in jure civili, neque in jure Canonico determinatur explicitè aliquod certum tempus ſeu ſpatium annorum, ut conſuetudo ſit legitimè præſcripta; ſed bene ad præſcriptionem propriè dictam ſive præſcriptionem rerum.

165. *Diſpar eſt ratio præſcriptionis rerum & legum.*

Diſpar autem eſt ratio præſcriptionis rerum ſeu dominiorum, & præſcriptionis legalis. Nam præſcriptio legalis per conſuetudinem introduci poteſt contra legem humanam, actibus à principio injuſtis, & cum mala fide. Præſcriptio autem dominiorum introduci non poteſt, niſi actibus à principio juſtis, & cum bona fide. Unde mala fides in præſcriptione legali purgari poteſt, ſecùs in præſcriptione dominiorum.

Quare non valeat præſcriptio rerum cum mala fide:

Cujus ratio ea eſt: quia cùm hæc præſcriptio auferat dominium à vero domino, ſola conceſſione legis, ut lites & contentiones evitentur, neceſſarium fuit, ut hoc tantùm concederetur poſſidenti rem alienam à principio bona fide. Nam ſi malâ fide quis rem alienam inciperet poſſidere, iniquum eſſet, ut ei concederetur ejus rei dominium; aliàs facilè eſſet rem alienam rapere, & antiquo tempore præſcribere. Quamvis ergò lex humana rectè potuerit jus præſcriptionis conſtituere; non tamen potuit illud concedere, rem alienam malâ fide poſſidentibus.

166. *Secùs præſcriptio legis.*

At verò, ut conſuetudo legem vincat (inquit Pontius ſup. c. 5. n. 3.) non habet ex virtute propria, ſed ex accedente conſenſu Principis tacito vel expreſſo, qui poteſt legem ſuam abrogare; ac proinde, etiamſi uſus incipiat malâ fide, ex ſuperveniente tamen conſenſu Principis, efficitur licitus, & mala fides purificatur lege antiquâ ceſſante. Hæc ille, ex Vaſquezio 1.2. diſp. 177. c. 7. n. 64. & 65. Qui ambo Auctores in illa ſunt ſententia, quòd ad præſcriptionem legalem requiratur ſcientia Principis.

Pontius.

167. *Vaſquez requirit ad præſcriptionem legis, notitiam Principis.*

Vaſquez ſup. n. 20. ſic ſcribit: Præterea; quòd Recentiores nonnulli dicunt, ea conditione leges à principio ferri, ut longi temporis uſu, etiam ignorante ipſo Principe tollantur, & hunc eſſe tacitum conſenſum Legiſlatorum, non minùs ſine fundamento pronuntiantur. Nullus enim Princeps adhuc ſuam mentem hoc modo declaravit, aut ſi rogaretur, declararet; nullóque jure à quoquam Legiſlatore pro ſe & ſuis ſucceſſoribus ita cautum eſt.

168. *Probatio.*

Ut autem judicemus conſuetudine legem tolli, neceſſe eſt in contrarium uſum Principem aliquo modo conſentire; vel quia ita ſuâ lege aut antecеſſoris ſtatutum generatim ſit, vel quia ſciat & videat uſum; alioquì, quo pacto conſenſum ejus aliquo modo, etiam tacitum, interpretabimur? Sine ullo autem conſenſu Principis, conſuetudinem contrà legem vim habere non poſſe, manifeſtè ex dictis colligitur, cùm ejuſdem ſit poteſtatis legem condere, & eam abrogare.

Occurritur objectioni.

Neque obſtat, quod adducitur ex cap. ultimo de Conſuet. ubi nihil aliud requiritur pro conſuetudine, niſi ut ſit rationabilis & legitimè præſcripta: nam cùm dicitur, *Legitimè præſcripta*, intelligitur etiam ut ſit conſenſu Principis confirmata; ut autem eo ſit confirmata, debet ipſi Principi eſſe nota; neque Adverſarij ullo modo oppoſitum vel leviter probare poſſunt. Hactenùs Vaſquez.

169. *Idem ſentit Pontius.*

Quem ſequitur Pontius ſup. c. 6. n. 7. dicens: In eo cap. fin. ſolùm traditur generalis doctrina, quæ explicat vim conſuetudinis, approbatæ à Principe. Sicut ergò re ipſa, ut ſæpè contingit, non omnis conſuetudo probatur à Principe; ſed aliæ approbantur, aliæ tantùm permittuntur, non poteſt ob univerſalem illam doctrinam, in quavis conſuetudine preſumi approbatio.

Requiritur ſpecialem conſenſum Principis.

Et cùm conſuetudo ſpecialis quædam tacita lex ſit, ſpecialis etiam Principis conſenſus præſumendus eſt circà materiam illam; ſicut & requiritur, ad leges aliquas in ſpeciali ferendas. Nec præſumi poteſt, nec debet, ſolo illo generali jure explicato in d. cap. finali voluiſſe Principem tacitum ſuum conſenſum in quavis ſpeciali conſuetudine præſumi poſſe, cùm multis conſuetudinibus ſeſe opponat. Non igitur præſumendus conſenſus, niſi præſumatur etiam ſpecialem illam conſuetudinem ad ejus cognitionem deveniſſe, & approbatam eſſe.

170. *Et putat, quòd non ſinè fundamento. Suarez.*

Neque ſine fundamento juris, & rationis (ut Suarez exiſtimat) illum ſpecialem conſenſum exigimus. Quamvis enim in d. c. fin. non exprimatur ad valorem conſuetudinis requiri, habetur tamen in illis verbis. *Legitimè præſcripta.* Hæc ille.

Reprobatur fundamentum.

Sed hoc eſt quod quæritur; an in illis verbis: *Legitimè præſcripta*, intelligi debeat ſpecialis confirmatio Principis, & ſi hi Auctores affirmando probant, alij negando reprobant. Et non ſolùm negando reprobant; ſed hoc etiam medio poſitivè probare conantur, non intelligendam eſſe in illis verbis ſpecialem conſenſum ſeu confirmationem Principis; quia, inquiunt, Principe ſciente, & tacitè vel expreſsè conſentiente, etiam unus actus contrà legem poteſt eam revocare, & per unum actum nova lex poteſt inſtitui; ergo illa revocatio, ſeu inſtitutio legis, non competit conſuetudini ſeu frequentationi actuum per longum tempus, ratione taciti vel expreſſi conſenſus Principis, ſcientis conſuetudinem; ſed ratione generalis conſenſus incluſi in d. c. fin. de Conſuet.

171. *Duplex eſt conſenſus Principis, unus perſonalis, Suarez.*

Pro quo nota: conſenſum Principis, qui ab omnibus admittitur neceſſarius ad legalem præſcriptionem, duobus modis poſſe intelligi; unum voco (inquit Suarez lib. 7. de LL. c. 13. n. 6.) perſonalem; quia datur à perſona Principis vel expreſsè conſentientis, vel antecedenter dando licentiam ad introducendam conſuetudinem, vel conſequenter, aut concomitanter approbando illam, aut expreſsè, aut videndo & non impediendo.

Alius legalis.

Alium vocare poſſumus conſenſum legalem ſeu juridicum; quia non datur perſonaliter à Principe, ſed per ipſum jus. Quia ſi Princeps ſtatuit legem, ut conſuetudo, habens illas vel illas

las conditiones, valeat, ex tunc consentit, & in particulari applicatur ille consensus ad similes consuetudines, quando introducuntur in virtute illius legis. Hæc ille.

172. *Posterior sufficit secundùm Suarez. Probatio.* Et actutum subjungit suam sententiam de præsenti controversia hisce verbis: dicimus ergò non semper esse necessarium consensum priori modo præstitum à Principe, sed posterioremsufficere. Probatur: quia lex semper loquitur, & non minus efficax est voluntas Principis, per legem loquens, quàm immediatè per se volens aut præcipiens.

Non requiritur specialis scientia, ex eod. Ex quo infert n. 7. quando consuetudo præscripta jus inducit, tunc non postulare consensum personalem Principis; ac subinde nec specialem scientiam ejus de tali consuetudine; sed ipso nihil de novo sciente, aut volente tacitè vel expresè consuetudinem efficaciter induci. Hæc est (inquit) cummunis sententia Jurisperitorum.

173. *Fundamentum sumitur ex c. fin. de Consuet.* Fundamentum præcipuum sumitur ex d. c. fin. de Consuet. ubi (inquit idem Auctor n. 8.) tantùm duæ conditiones ad consuetudinem requiruntur, scilicet ut consuetudo rationabilis sit & præscripta: ergò sine fundamento juris, imò contra illud jus est, novam exigere, quæ in illis non contineatur; at specialis scientia Principis est nova conditio, in illis non inclusa; ergò non est necessaria; ergò nec personalis consensus, qui sinè illa scientia esse non potest.

Confirmatio. Confirmatur ac declaratur: quia Princeps potuit generalem legem statuere approbantem consuetudinem, habentem tales conditiones, ab ipso præscriptæ, & ut vim habeat absque novo suo consensu, vel scientia; sed id fecit in illo decreto; ergò. Major patet: quia hoc non excedit Principis potestatem, & ille modus ostendendi suam voluntatem est sufficientissimus, ut declaravi; est etiam convenientissimus; quia moraliter impossibile est, consuetudines omnes ad Principis notitiam pervenire, juxtà cap. 1. de Constitut. in 6. & alioqui expedit, consuetudines rationabiles observari, & vim suam obtinere; ergo.

174. *Alia confirmatio.* Denique confirmari hoc potest ex analogia ad propriam præscriptionem, ad cujus imitationem dicitur hæc consuetudo præscripta: nam in præscriptione non requiritur scientia ejus, contra quem præscribitur: consuetudo autem dicitur præscripta contra Principem eo modo, quo præscribi potest: ergo non postulat scientiam Principis, ut prævaleat. Hæc ille.

Vasquez. Ex quibus patet, perperàm Vasquezium sup. dicere: Neque Adversarij ullo modo oppositum vel leviter probare possunt. Meo judicio, non solùm leviter, sed satìs graviter jam dicta probant oppositum.

175. *Resp. duplex Adversariorum.* Si dixeris: d. c. fin. solùm loquitur de consuetudine abrogante legem; Item, id ad summum procedere secundùm jus Canonicum, & in consuetudine Canonica: nam in jure civili nihil tale reperitur definitum.

Rejicitur prima ex Suario. Respondet Suarez sup. n. 9. ad priorem partem; à fortiori jus illud comprehendere consuetudinem inductivam legis non scriptæ; quia quoad potestatem tanta requiritur ad obrogandam legem Principis, sicut ad introducendum jus novum, non contrarium antiquo. Aliunde verò magìs necessarius videri poterat consensus Principis ad permittendam revocationem suæ legis, quàm ad inducendum novum jus; quia magis ejus voluntati & auctoritati derogare videbatur.

Et ideò cum emphasi dicitur in illo textu: *Licet non sit vilis longævæ consuetudinis auctoritas, non tamen esse usque adeò valituram, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi* &c. Ergo cùm hoc illi detur, si illas duas conditiones habeat, simpliciter approbatur quodlibet consuetudinarium jus, illas duas conditiones habens.

176. *Impugnatur secunda ex eod.* Ad alteram verò partem dicit in primis; estò jus civile non tam expresè id declaraverit, non tamen repugnare quoad valorem consuetudinis, habentis illas conditiones, quidquid sit de effectibus ejus. Imò in virtute idem in hac parte tradit jus civile, quod jus Canonicum magis declaravit. Nam in d. l. *De quibus*, sic dicitur: *Rectissimè etiam illud receptum est, utleges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

Ius civile nihil aliud requirit, quàm quòd sit diuturna & longa. Ubi distinguitur populus à Legislatore, & hujus suffragium non postulatur: & in legibus sequentibus, suppositâ rationabilitate consuetudinis, nihil aliud postulatur, ut pro jure habeatur, nisi quòd sit diuturna & longa, & per annos plurimos observata; l. *Diuturna*, & l. *Sed & ea*, & l. *Nam*, additur, Imperatorem statuisse, perpetuam consuetudinem vim legis habere debere.

Et ita intellexerunt jus civile ejus Interpretes, ut secundùm illud, etiam consuetudo præscripta, sinè nova scientia Principis sufficiat. Hactenùs Suarez. Qui & pro sua sententia refert Sanchium lib. 7. disp. 4. n. 11. & 14. & disp. 82. n. 20. & alios plures Theologos, quibus ego libens subscribo. Sanchez.

Atque juxtà hanc sententiam existimo, designandum esse certum numerum annorum, quo expleto consuetudo rationabilis novam legem instituat, vel antiquam abroget, si cætera adsint. At verò in sententia Vasquezij & Pontij, judico illud tempus relinquendum esse arbitrio prudentis, qui secundùm circumstantias loci, rerum &c. judicabit de expresso vel tacito consensu Principis.

177. *Quis numerus annorum sit necessarius.* Si autem à me quæritur: quem numerum annorum judicem necessarium, ad præscriptionem absque novo consensu Legislatoris? Respondeo: decennium, tam ad præscriptionem legis civilis, quàm Ecclesiasticæ. Estò enim, ut superiùs notavi, neque in jure civili, neque in jure Canonico certus numerus annorum præfigatur præscriptioni legali, sed tantùm præscriptioni propriæ dictæ seu rerum & dominiorum; equidem cùm tam jus civile, quàm Canonicum requirat longam consuetudinem, ne omnia sinè incerta, & unus dicat, præscriptam esse consuetudinem, alter neget cùm perturbatione & magno detrimento boni communis, planè expedit, ut communi

muni conſenſu ſtatuatur certus annorum numerus, quo expleto, ſine alio novo conſenſu perſonali Principis, intelligatur, conſuetudinem legem novam induxiſſe, vel antiquam abrogaſſe.

178. *Optimè ſtatuitur decennium.* Optimè autem videtur ſtatui decennium; quia id in jure civili ſimpliciter vocatur longum tempus, Cod. de Præſcriptione longi temporis vel vingiti annorum, per totum. Ius autem ſive civile, ſive Canonicum, non requirit ad præſcriptionem legalem, aliud, quàm longam conſuetudinem, & cùm nuſpiam decernat, quæ ſit conſuetudo longi temporis, ſive quàm longa debeat eſſe conſuetudo ad legem præſcribendam, id eſt, inſtituendam vel abrogandam, meritò hæc longitudo deſumitur ex analogia ad propriam præſcriptionem, ad cujus imitationem dicitur hæc conſuetudo præſcripta

179. *In præſcriptione rerum aliquando requiritur longius tempus.* Haud inficior, eſſe diſparem rationem unius & alterius præſcriptionis; ſed dico, ſufficientem eſſe proportionem inter illas, ut ad utramque requiratur decennium. Et ſufficientem eſſe diſproportionem, ut ad propriè dictam præſcriptionem aliquando non ſufficiat decennium, ſed requirantur viginti anni, ſcilicet inter abſentes, & quadraginta ad præſcribendum bona Eccleſiæ, etſi decennium ſemper ſufficiat ad Præſcriptionem legalem.

Ratio diſparitatis. Et ratio diſproportionis eſt; quòd præſcriptio legalis ſupponat ignorantiam Principis, aliàs enim, ut ſup. dictum eſt, non eſt neceſſarium tantum temporis, cùm ante decennium poſſit Princeps tacitè vel expreſsè conſentire; porrò reſpectu Principis ignorantis impertinens eſt abſentia vel præſentia. Aliud cernitur in præſcriptione proprie dicta; æquali quippè tempore, cæteris paribus, præſcribuntur dominia rerum, ſive Dominus ſciat, ſive ignoret; & ſolùm requiritur illud tempus, ut Dominus faciliùs ſcire poſſit; certum autem eſt inter præſentes, faciliorem eſſe hanc ſcientiam, quàm inter abſentes; & ideò longius tempus requiritur inter abſentes, quàm inter præſentes.

180. *Præſcriptio legalis ſolùm conſiderat neceſſitatem boni communis.* At verò in præſcriptione legali ſolùm conſideratur neceſſitas boni communis; expedit enim omninò, ut conſuetudines rationabiles & ſufficienti uſu firmatæ, vel inducant legem, vel abrogent; ad hunc autem finem ſufficiens eſt tempus decem annorum, tam inter præſentes, quàm inter abſentes. Quia talis conſuetudo de ſe ſatis eſt roborata; & alioqui tempus illud eſt ſufficiens, ut Princeps poſſit ſcire, ſi velit. Major autem vel minor facilitas, parùm in præſenti referre videtur.

181. *Legiſlator non eſt involuntarius ſeus dominus rerum. Suarez.* Eò vel maximè (inquit Suarez ſup. c. 15. n. 6.) quòd in præſcriptione conſuetudinis non cenſetur eſſe involuntarius Princeps, præcipuè quoad hunc effectum inducendi obligationem, ſuo juri non contrariam. Sicut eſſe ſolet involuntarius Dominus rei; contra quem illa præſcribitur. Quia inductio illius obligationis non affert præjudicium Principi, nec eſt contra juriſdictionem ejus, cùm ſit ex jure illius, & conveniens ad debitam gubernationem, & ideò non eſt eadem ratio de præſcriptione aliarum rerum, quæ de hac conſuetudine. Hæc ille.

Qui n. 5. docet noſtram ſententiam, quantùm ad effectum inducendi obligationem: & cap. 18. n. 11. quantùm ad effectum tollendi legem civilem. Ratio (inquit) eſt; quia jus civile in hoc diſtinctionem non facit, ſed ad utrumque indefinitè requirit tempus longævum, ut patet in d. leg. *De quibus*: tempus autem longævum in eodem jure eſt tempus decem annorum, ut ſup. dictum eſt, & expreſſiùs habetur in §. 1. Inſtit. de Uſucap. ibi: *Et ideò conſtitutionem ſuper hoc promulgavimus, quâ cautum eſt, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſſionem (id eſt, inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis) uſucapiantur.*

Tempus longævum eſt tempus 10. annorum.

182. *Quare in præſcriptione legum non fiat diſtinctio de tempore inter abſentes & præſentes. Sylveſter.* Neque hîc fit deſtinctio de tempore inter abſentes & præſentes (quidquid Sylveſter & alij ſentiant) propter rationem ſup. tractatam, quòd ad neceſſitatem hujus præſcriptionis ſemper ſupponitur ignorantia Principis; nam ſi Princeps ſciat, non eſt neceſſaria præſcriptio ad præſentem effectum. Reſpectu verò Principis ignorantis, impertinens eſt abſentia vel præſentia & ideò idem tempus indiſtinctè poſtulatur.

Ponitur autem ab Auctoribus potiùs decem quàm viginti annorum (quàmvis hoc jura non definiant, & ignorantia Principis videatur eſſe quædam abſentia) propter rationes ſup. factas. Item: quia in hoc jure intervenit favor ex parte Principis, & ille ampliatur, dum brevius tempus eligitur, & intervenit onus ex parte ſubditorum, quatenus revocatio legis per longum tempus differtur, & hoc minuitur, brevius etiam tempus eligendo. Et ita utrumque eſt juri conforme, Et conſonat etiam alia Regula juris, quòd: *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Hactenùs Suarez de lege civili.

183. *Suarez exiſtimat in lege Eccleſiaſtica requiri 40. annos.* Sed nunquid eadem ratio legis Eccleſiaſticæ? Vera (inquit Suarez ſup. n. 12.) & communis ſententia eſt, in legibus Canonicis requiri tempus 40. annorum, ut conſuetudo contra illos cenſeatur præſcripta. Probari autem hæc ſententia ſolet ex d. cap. ult. de Conſuet. quatenus requirit conſuetudinem legitimè præſcriptam; quia in jure Canonico non dicitur conſuetudo legitimè præſcripta, niſi ſit 40. annorum.

Probatio deſumpta ex c. fin. de Conſuet. non ſufficit Suario. Sed non exiſtimo, hoc ſufficere; quia appellatio legitimæ præſcriptionis de ſe indifferens eſt, ſolùmque ſignificat conſuetudinem durantem tempore, & cum conditionibus lege præſcriptis. Unde juxtà materiæ capacitatem applicari poterit ad præſcriptionem quadragenariam, vel ad decennalem. Nam etiam dici poteſt, conſuetudo legitimè præſcripta neceſſaria eſſe, ad inducendam legem præter, & non contra commune jus, inſcio Principe. Hæc ille. Ad hanc autem conſuetudinem, etiam ſecundùm Suarez ſup. c. 15. n. 5. ſufficit decennium.

184. *Alia probatio ex c. 4. de Præſcrip.* Addunt ergo Auctores communis illius ſententiæ, præſcriptionem legitimam contra Eccleſiam requirere tempus 40. annorum, juxta cap.

cap. *De quarta*, de Præscript. *De quarta decimæ & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi quadragenariâ præscriptione temporis se posse tueri videtur. Nisi forte interim pastoralis sedes caruisset Pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset. Nam Romana Ecclesia tricennalem præscriptionem contrà Ecclesiam non admittit.* Ita. Alex. 3. Salernitano Archiepis.

& cap 6. eod. Et idem Pontifex Mauritano Episcopo sic rescribit cap. 6. eod. *Ad aures nostras pervenit, duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una illarum in alterius Parochia annis 40. possedit.* Et infrà: *Tuæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quòd de jure melior est conditio possidentis. Quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* Consuetudo autem contrà Canones, dici meritò potest contrà Ecclesiam, cùm sit contrà Ecclesiastica jura; & ideò legitima præscriptio in illa, quadragenaria esse debet. Ita Suarez.

185. *Resp. 1. jura non loqui de præscriptione legali.* Ego autem nego hanc illationem. Quippe prædicta jura non loquuntur de præscriptione legali, sed de præscriptione propriè dicta, quam admitto, debere esse quadragenariam: verùm non omnes leges hujus præscriptionis applicari possunt aut debent præscriptioni legali, ut patet in bona fide & diverso tempore, requisito inter absentes & præsentes.

Alioquí dicendum foret, quod hactenùs nemo dixit, ad præscribendum contrà legem Ecclesiæ Romanæ necessariam esse consuetudinem 100. annorum; cùm sola centenaria præscriptio propriè dicta contrà Ecclesiam Romanam currat; arg. cap. 14. de Præscript. ibi: *Licet tam legali quam Canonica sit diffinitione statutum, ut contrà Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio speciali, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vendicare &c.* *Ad propriè præscribendum contrà Ecclesiam Rom. requiruntur 100. anni.*

Ubi Gloss. verb. *Legali*, inquit: *Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Ut inter divinum, *& in Authent. Vt Rom. Eccles. cen. an gaud. privil. §.* Quod autem, *coll.* 2. Et verb. *Canonica*: ait 16. *q.* 3. Nemo, *& sup. cap. prox. & inf. eod.* Si diligenti, *in fine.*

186. *Quare majus tempus requiratur ad præscriptionem rerum, quàm legis.* Rogat autem aliquis; quare majus tempus requiratur ad præscriptionem rerum Ecclesiæ, quàm ad præscriptionem legis Ecclesiasticæ. Item, cur hîc non sit necessaria bona fides, sicut ibi.

Respondeo breviter; quia præscriptio propriè dicta respicit jus privatæ personæ vel communitatis, habentis se per modum privatæ personæ, quæ spoliatur irreparabiliter aliquâ re vel jure ab alia privata persona; ac proinde non fuit expediens, ut minori tempore, aut cum malâ fide præscriptio ista curreret; sic enim passim innocentes spoliarentur bonis suis, & scelerati illis ditarentur, & Ecclesia quæ difficulter potest bona acquirere, facilè depauperaretur, plurimaque alia incommoda sequerentur.

Præscriptio legis nullo jure aliquem privat At verò præscriptionem legalis nullo jure aliquem privat, sed solùm removet obligationem legis, quam expedit amoveri, quando per 10. annos non servatur cum peccato subditorum. Deinde facilè potest Princeps interrumpere præscriptionem, aut certè de novo legem imponere.

Unde hîc intervenit consensus Principis saltem legalis, in propria autem præscriptione nullus omninò consensus ejus, cujus res præscribitur. Atque hæc satis pro hoc loco de consuetudine rationabili, & legitimè præscripta.

187. *Consuetudo rationabilis, & legitimè præscripta, abrogat, & instituit impedimentum.* Restat videndum, utrùm consuetudo in præsenti materia possit esse rationabilis & legitimè præscripta: si enim talis nequeat esse, clarè constat, neque inducere posse impedimentum, neque abrogare, ut sup. adhuc dixi. Sin autem talis queat esse, non video, quare dum talis erit, non inducet novum impedimentum, aut antiquum abrogabit, etiam secluso scandalo, & adminiculo alterius juris, præcisè ex d. c. fin. de Consuet. quod. generaliter loquitur, & non requirit aliud, quàm consuetudinem rationabilem, id est consonam rationi, propter quam Legislator posset licitè legem instituere, aut revocare institutam, & legitimè præscriptam, id est, 10. annorum nullis contrarijs actibus interruptam.

188. *Contra rationabilitatem objicitur cap. 5. de Consang.* Et verò contra rationabilitatem, objicitur in primis cap. *Quod super his* de Consang. in fine. *Nè autem intra gradus prohibitos Matrimonium contrahatur, debes publice inhibere, & præsumptores Ecclesiasticâ districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela.* Ita rescribit Innoc. 3. Rosan. Archiepis.

Ubi Gloss. verb. *Non obstante consuetudine*, infert: *Ergo consuetudo non excusat in Matrimonio, sup. de Sponsa duor. c. ult. Arg. contra sup. de Cognat. spirit. c.* 1. *&c.* Super eo, 32. *q.* 4. Objiciuntur. *Sed consuetudo quandoq; propter scandalum legitimas personas ad contrahendum facit illegitimas, & sic loquuntur illa Decret. sup. de Cognat. spirit. & cap.* Objiciuntur, *non contradicit; quia quando mos ille erat, crimen non erat contrahere cum illis personis, sed modò est. Sed consuetudo quantumlibet longa, non potest personas, illegitimas ad contrahendum, facere legitimas, prout hìc intelligitur; nulla consuetudo posset facere Matrimonia inter consanguineos licita: immò quantò plus simul essent, tanto gravius peccarent, inf. eod.* Non debet. *sed è conuerso bene, ut in cap.* Super eo. *Vbicumque consuetudo rationabilis est, & potest servari sine mortali peccato, & sine scandalo, juri præjudicat. Exemplum habes sup. eod.* Quod dilectio, *& sup. de Cognat. spirit. Super eo.*

Ergo consuetudo contrahendi cum impedimento alioquì dirimente ex jure Ecclesiastico, nequit esse rationabilis, quoniam potiùs corruptela est, ac proinde nequit ex persona inhabili facere habilem; quidquid sit, an possit ex habili facere inhabilem, de quo infrà disputabimus. *Illatio.*

189. *Item cap. 3 de Cognat. spirit.* Atque hæc est communis sententia DD. teste Sanchio lib. 7. disp. 4. n. 13. & præter textum jam allegatum, jam adducunt d. cap. *Super eo*, in priori sua parte, quæ sic sonat: *Super eo, quod à nobis tua fraternitas requisivit de duobus compatrum filiis: Respondemus, quod si tales filij fuerint, per quorum alterum vel utrumque, parentes ad compaternitatem venerunt, eos conjungi nullâ ratione sustineas, & conjunctos Pontificali auctoritate non differas separare.*

His

190. *Probatur ex Sanchio, consuetudinem posse derogare impedimento.*

His tamen, & aliis non paucis, apud Sanchez suprà, nequaquam obstantibus, ipse n. 14. verius existimat, posse consuetudine derogari legi Ecclesiasticæ, statuenti impedimentum dirimens inter aliquos; ac proinde vi consuetudinis illius posse eos habiles effici ad ineundum inter se Matrimonium.

Ducitur: quoniam cap. fin. de Consuet. statuitur generaliter, vires habere consuetudinem ad derogandum legi, dummodò sit rationabilis & legitimè præscripta, & solam legem naturalem & Divinam ab ea consuetudinis facultate eximit. Quòd autem possit esse rationabilis, non obstante quod sit improbata d. c. *Quod super*, & quòd sit inducta contra jus Pontificium, probat: Nam frequens ac verissima sententia habet, quoties lex reprobat consuetudinem ut iniquam, & ipsi etiam futuræ derogat, posse ex nova causa induci consuetudinem adversus eam legem. Quippe nova causa tollit iniquitatem, quæ inesse videbatur consuetudini eo tempore, quo lex ipsam ut iniquam reprobavit.

Probatur quòd possit esse rationabilis.

191. *Ad hoc adducitur l. 30. ff. Mandati.*

Quod egregiè probat textus l. 30. ff. Mandati, sequentis tenoris: *Si hominem tibi dedero, ut eum manumitteres, & postea procurator meus prohibuerit, ne manumitteres, an mandati agere possim, si tu eum manumiseris? Respondi: si procurator justam causam habuit interpellandi manumissionem servi, quem in hoc solùm acceperam, ut manumitterem: veluti si compererit, eum postea falsas rationes confecisse, insidias vitæ prioris domini struxisse, tenebor, nisi denuntiationi procuratoris paruero: si verò nulla justa causa procuratori fuit denuntiandi, ne servus manumitteretur, non poterit mecum agi, quamvis ad libertatem eum perduxerim.*

Ubi deciditur (inquit Sanchez) generalem procuratorem posse revocare, specialiter à domino provisa, existente causâ justâ revocandi, vel novâ, vel antiquâ, verosimiliter non cognitâ. Ergò similiter, quàmvis habeat consuetudo vim legem novam statuendi, & antiquam abrogandi ab ipso Principe, poterit contrà ipsiusmet Principis consuetudinem, futuram consuetudinem improbantis, & decidentis, eâ non obstante, valituram legem, ex nova ratione superveniente prævalere adversus eam legem. Hæc ille.

192. *Non obstat, semel reprobatam esse consuetudinem.*

Ex quibus statuit hanc conclusionem: Non ergò obstabit semel reprobatam esse consuetudinem d. c. *Quod super his*, ut conjuncti gradu, per Ecclesiam interdicto, Matrimonio copulentur, quò minùs ex nova causa possit legitima consuetudo induci, ut taliter conjuncti Matrimonium ineant. Ita Sanchez.

Porrò talis causa occurrere deberet, ex qua Legislator non solùm validè, sed etiam licitè posset abrogare suam præcedentem prohibitionem seu reprobationem consuetudinis, & expresso consensu inducere legem, quâ gradus aliqui Canonibus antiquis interdicti in Matrimonio aboleantur, atque interdictio illa ad pauciores gradus restringatur.

193. *Trid. restrinxit gradus olim prohibitos.*

Nonne Trid. sess. 24. de Matr. c. 2. restrinxit gradus cognationis spiritualis, & c. 3. gradus publicæ honestatis, & c. 4. gradus affinitatis contractæ ex copula fornicaria? Et quæ ratio? *Docet* (inquit c. 2.) *experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur.*

Idem potuisset facere consuetudo.

Si Trident. potuit restringere illos gradus, existente utique tunc justâ causâ, quæ priùs non extiterat, vel non fuerat cognita; quid ni idem potuisset facere consuetudo, propter easdem rationes, non obstante quòd Innoc. 3. d. c. *Quod super his*, vocet eam potiùs corruptelam, scilicet pro suo tempore, non existente utique justâ causâ, quæ procedente tempore per experientiam innotuit. Non video rationem disparitatis. Nam sicut consuetudo debet esse rationabilis, ita & lex; si ergò lex fuit rationabilis, utì reverà fuit, etiam consuetudo fuisset rationabilis, & adhuc esset.

Et per consequens, si modò iterùm appareret, seu innotesceret aliqua justa causa, propter quam Ecclesia justè posset restringere illud impedimentum ad tertium vel secundum gradum, idem posset consuetudo, non obstante, quòd aliquando fuerit vocata corruptela; adeoque non tantùm prohibita pro futuro, sed etiam reprobata.

194. *Ratio quare non possit consuetudo abrogare impedimentum, ex Aversa.*

Hinc Aversa q. 9. sect. 3. §. *Sed persistendum*, ubi tenet communem sententiam contra Sanchez, admittit eam non efficaciter probari, ex eo, quòd talis consuetudo non possit esse rationabilis. Sed propria (inquit) ratio est; quia licèt alioqui consuetudo possit abrogare legem, tamen consuetudo reprobata per legem, non potest legitimè introduci, non potest abrogare legem. Dicetur autem consuetudo reprobata, non quando lex dicit solùm: *Non obstante consuetudine in contrarium*, quia hæc est tantùm revocatio consuetudinis, sed quando contrariam consuetudinem vocat abusum aut corruptelam, aut alio simili modo, ut fatetur Pontius lib. 6. c. 6. n. 9. & nos adnotavimus suo communi loco de Legibus. Et sic in casu nostro Pontifex contrariam consuetudinem vocavit corruptelam.

Quando consuetudo dicatur reprobata, ex eod.

195. *Probatur eam non posse abrogare legem.*

Etenim intantùm consuetudo vim habet inquantùm Legislator ipse voluit illam valere; sed quando ipse Legislator eam reprobat, & vocat corruptelam, utique non censetur voluisse, ut valeat: non ergò talis consuetudo vim habebit. Nisi tamen denuò Legislator, sciens & videns eam introduci, verbo aut facto illam approbet; quia tunc de novo vult, ut valeat. Et sicut adhuc poterat aliâ suâ lege revocare priorem, ita potest approbando consuetudinem sciens & volens. Hæc ille.

Sed inefficaciter.

Sed non convincit intentum, nisi ostenderit illam scientiam & personalem voluntatem esse necessariam, ut consuetudo, etiam non prohibita, nec reprobata, quantumcumque rationabilis, vincat legem. Quippe d. c. fin. de Consuet. generaliter, ut consuetudo vincat legem, non aliud requiritur, quàm ut sit rationabilis & legitimè præscripta; cùm ergò jus non distinguat inter

consue-

consuetudinem prohibitam vel reprobatam, & non reprobatam, neque nos distinguere debemus sine evidenti ratione, quam hactenus non vidimus.

196. *Resp. ad arg.* Fatemur libenter, intantùm consuetudinem vim habere, inquantùm Legislator voluit eam valere. Admittimus quoque, quando ipse Legislator eam reprobat, & vocat corruptelam, utique non censeri voluisse, ut valeat; sed pro tempore illo, quo eam reprobat, scilicet quo erat irrationabilis, carens utique omni ratione, propter quam Legislator licitè poterat suam legem revocare. Verumtamen quia procedente tempore mutatis rerum circumstantiis potest fieri consuetudo rationabilis, id est, potest existere causa, propter quam Legislator posset personaliter legem suam revocare; ideo Legislator voluit, ut pro illo tempore valeat consuetudo, & abroget legem; etiamsi ipse ignoret consuetudinem, & justam causam legem abrogandi. Igitur non requiritur nova voluntas Legislatoris, existente jam justâ causâ, quæ reddat consuetudinem rationabilem; sed sufficit antiqua, per jus commune nobis intimata.

Non requiritur nova voluntas Legislatoris.

197. *Objectio.* Si dixeris: eisdem verbis reprobatur consuetudo opposita juri naturali aut Divino d. cap. fin. & opposita juri Ecclesiastico d. c. *Quod super his*, vocando scilicet eam corruptelam.

Solvitur. Consentio; non tamen id arguit, eodem prorsùs modo utramque consuetudinem iniquam fore; quippe quæ est adversa juri naturali & Divino nullo modo potest justa reddi, nisi fortè Deus tollat jus Divinum, aut in eo dispenset, secùs oppositæ juri tantùm Ecclesiastico, quæ subinde justa redditur ex nota superveniente causa.

Ad quid servire prohibitio vel reprobatio consuetudinis. Interrogat aliquis: ad quid ergò servit illa prohibitio vel reprobatio futuræ aut præsentis consuetudinis? Pro responsione, Nota: non eo ipso quòd aliquid prohibetur, censetur esse irrationabile; aliàs nulla consuetudo contra legem esset rationabilis, cùm omnes actus contrà legem, ex quibus consuetudo constituitur, sint prohibiti. Haud inficior, omne, quod est contrà legem, esse irrationabile ex parte actus; ergò etiam ex parte objecti, negatur Consequentia: hoc autem sufficit, ut consuetudo sit rationabilis.

198. *Objectio diluitur.* Dices: est contra legem naturalem. Respondeo: stante lege humanâ, transeat; sed fieri potest, ut amplius non stet lex humana; & ita fieri potest, ut non sit contra legem naturalem. Sive aliter, est contrà legem naturalem fundamentaliter & remotè, concedo: proximè & immediatè, nego.

Ipsiantia. Si inferas: ergò talis prohibitio nullum habet effectum; per simplicem quippe legem consuetudo, quæ non est aliud, quàm frequentia actuum contrà legem, sufficienter prohibetur.

Solvitur. Respondeo neg. Consequentiam. Primus namque effectus est; ut in dubio talis consuetudo præsumatur irrationabilis, quando oppositum non constiterit, nec probatum fuerit; quia cùm Superior specialiter illam prohibuerit, verisimile est, judicasse eam irrationabilem, maximè quando res est dubia. Secundus effectus est; ut gubernatores & custodes legum magis invigilent, & non permittant talem consuetudinem introduci.

199. *Subditi magis debent abstinere à tali consuetudine.* Tertiò; verisimile est, subditos majori obligatione teneri ad abstinendum à tali consuetudine, propter voluntatem Superioris specialiter declaratam. Quartò & maximè potest deservire, ut talis consuetudo vix aut nunquam possit derogare tali legi, nisi post longum tempus, & legitimam præscriptionem; quia anteà vix potest præsumi de voluntate Principis, etiamsi consuetudinem sciat; vel certè multò plures circumstantiæ necessariæ erunt, & major temporis diuturnitas ad illam præsumptionem contrà talem legem, propter contrariam voluntatem Principis, magis expressè & specificè in illa declaratam. Ita Suarez sup. c. 19. n. 22. Suarez.

200. *Alia objectio.* Præterea objicitur; eo ipso quòd lex prohibet, ne aliqua res propriè præscribatur, nullâ consuetudine fieri potest, ut præscribatur; arg. l. 24. ff. de Usurp. & usucap. *Vbi lex inhibet usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.* Ergò similiter hic.

Solutio ex Suario. Respondet Suarez sup. n. 24. neg. Consequentiam: quia in præscriptione privata & propria nunquam præsumitur mutata voluntas Principis, nec est aliquod jus, in quo talis præscriptio jure prohibita possit inniti: at in præsenti semper manet integra virtus legis, dantis hanc vim consuetudini rationabili & præscriptæ, & manet naturalis ratio tacitæ voluntatis Principis derogantis priori. Hæc ille.

Plura alia objiciuntur huic doctrinæ, sed eamdem habent solutionem; scilicet, semper permanere integrum jus d. c. fin. adeoque semper adesse voluntatem legalem Principis eo ipso, quòd constat consuetudinem esse rationabilem, & legitimè præscriptam, estò nullus adsit consensus personalis sive tacitus, sive expressus, qui non est necessarius, ut sup. declaratum fuit.

201. *Prohibitio consuetudinis non tollit consensum legalem.* Igitur per illam prohibitionem, aut etiam reprobationem consuetudinis, ad summum tollitur consensus personalis Principis, secùs legalis; nisi pro tempore, quo consuetudo est irrationabilis; juxtà anteà dicta. Posse autem consuetudinem reprobatam, ex irrationabili fieri rationabilem, vel inde constat, quòd lex reprobet aliquando consuetudinem, propter aliquod imminens periculum; vel quia ita censetur expedire Ecclesiæ aut. Reipubl. propter aliqua incommoda vitanda; hæc autem omnia sunt obnoxia mutationi.

Consuetudo probata aliquando potest abrogare legem. Ubi ergo certò constaret, mutationem esse factam, dico cum Suario, Sanchio & aliis, consuetudinem non solùm simpliciter prohibitam, sed etiam reprobatam, posse præscribere contra legem eam abrogando, sive fuerit lex civilis, sive Ecclesiastica, etiam Sacramentalis. Non enim apparet sufficiens ratio disparitatis.

202. *Est sententia Regij.* Hanc sententiam sequitur etiam Coninck sup. n. 13. propter cap. fin. de Consuetudine. Nec obstat (inquit) quod Innoc. 3. c. *Quod super his*, de Consanguinitate, ait: *Ne autem* &c. vide sup. Quia satis insinuat initio Epistolæ,

læ, quòd habetur adjunctum in exemplaribus Plantinianis, illam conſuetudinem fuiſſe tantùm aliquorum, & ſatìs obſcuram atque incertam.

203. *Reſp. ejus ad c.* Quod ſuper his, *de Conſang.* Nec enim Epiſcopus, qui Pontifici eam quæſtionem proponit, ibi aſſerit, eam conſuetudinem in iis locis vulgò eſſe receptam (ſicut de præcedente aſſeruerat) ſed tantùm aſſerit, id à quibuſdam dici, qui intrà tertium vel ſeptimum gradum contraxerant. Unde patet fuiſſe potiùs aliquorum abuſum, quàm publicam conſuetudinem. Quia incredibile eſt, fuiſſe ibi publicè & generatim permiſſum in 3. gradu contrahere, cùm tunc etiam ſeptimus prohiberetur. Quare meritò Pontifex dicit eſſe corruptelam.

Adde: etſi Pontifex ibi veram ac generalem conſuetudinem improbaſſet; potuiſſe tamen improbationem rurſus contrariâ conſuetudine infirmari, ſicut & alias leges. Ita Regius.

204. Sit ergò reſolutio finalis: conſuetudinem poſſe abrogare impedimentum Matrimonij, non ſolùm prohibens, ſed etiam dirimens; & de facto illud abrogare, ſi conſuetudo fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta.

Conſuetudo poteſt aliquando inducere impedimentum dirimens. Nunquid etiam poterit inducere & inducet impedimentum dirimens, ſi fuerit eiſdem conditionibus veſtita? Affirmat ſimiliter Concluſ. eſtque res magis certa, præſertim ſi concurrat ſcandalum, aut adminiculum alterius juris. Imò ſolam conſuetudinem ſufficere, ſecluſo ſcandalo, & hujuſmodi adminiculo, tenet Sanchez ſup. n. 11. cum hac tamen limitatione, dummodò ſit conſuetudo mixta Clericorum & Laicorum.

Sanchez.

205. *Probatur ex c. 1. de Cognat. ſpirit.* Solet autem Concluſ. noſtra probari ſpecialiter ex cap. 1. de Cognat. ſpirit. quod ſic incipit: *Vtrùm autem filij (aut filiæ) ante, vel poſt compaternitatem geniti, poſſint ad invicem copulari, Canones ſecundùm diverſorum locorum conſuetudines contrarij inveniuntur. Et licèt primùs Canon, exinde editus, natos poſt compaternitatem, ad invicem copulari prohibeat; alter tamen Canon, poſteriùs editus, primum videtur corrigere, per quem ſtatuitur, ut ſive ante, ſive poſt compaternitatem geniti ſint, ſimul poſſint conjungi, exceptâ illâ perſonâ dumtaxat, per quam ad compaternitatem venitur. Vnde nobis videtur* (inquit Alex. 3.) *ut ſecundùm poſteriorem Canonem debeat obſervari: Niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur.*

Ubi Gloſſ. verb. *Poſteriùs*, inquit: *Primus Canon eſt* 30. *q.* 3. Poſt ſuſceptum, *& debet eſſe Paſchalis primi, licèt in quibuſdam libris dicatur Paſchalis ſecundi. Canon poſteriùs editus, eſt eâd. causâ & q. cap.* Sup. quibus, *qui corrigit primum, ut hìc dicit.*

206. *Item ex cap 3. eod.* Et eadem Gloſſ. verb. *Niſi conſuetudo: Arg.* (ait) *quòd conſuetudo perſonas legitimas ad contrahendum reddit illegitimas, inf. eod. Super eo*; ubi idem Pontifex reſcribit Vigilien. Epiſcopo in hæc verba: *Super eo, quod à nobis tua fraternitas requiſivit de duorum compatrum filiis: Reſpondemus* &c. vide ſup. *Cæterum ſi per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus conſuetudinem tuæ Metropolitanæ Eccleſiæ vel aliarum circumpoſitarum inquirere, & diligentiùs imitari, ita quòd, ſi ejuſdem Eccleſiæ conſuetudo habet, inter eos non ſuſtinere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, tu ſimili modo, in Eccleſia tibi commiſſa, conjugium hujuſmodi fieri non permittas; & ſi quos taliter conjunctos inveniris, juxtà earumdem Eccleſiarum conſuetudinem, ipſos ſeparare ab invicem non omittas. Verùm ſi de conſuetudine habeatur, ut talia conjugia permittantur, id in Eccleſia tua diſſimulare poteris, ita quòd nec contradicere, nec tuum videaris præſtare aſſenſum: quia ſicut grave, antiquam conſuetudinem adjacentium Eccleſiarum ſuper his contemnere, ſic quoque gravius videtur, ſi propter eam hujuſmodi conjugiis tuum indulgeas aſſenſum, cùm poſſet ſic in exemplum aſſumi.*

Ubi Gloſſ. in expoſitione caſus circà finem: 207. *Nota, quòd conſuetudo Eccleſiæ Metropolitanæ obſervanda eſt, & aliarum circumpoſitarum. Item, conſuetudo facit perſonas legitimas vel illegitimas ad contrahēdum.* Ergò exiſtimat Gloſſa, ex hoc jure colligi, conſuetudinem non ſolùm poſſe inducere novum impedimentum dirimens, ſed etiam antiquum abrogare; hoc enim eſt facere perſonas legitimas, quæ aliàs eſſent illegitimæ. *Iunctâ Gloſſ. ibi in expoſit. caſus.*

Interim eadem Gloſſ. requirit ſcandalum, verb. *Conſuetudine* dicens: *Et intellige de tali conſuetudine, quæ ſcandalum generaret, niſi fuerit obſervata, ſup. eod. c. 1. in fine. Et ſurgit conſuetudo iſta ex quadam affinitate, contracta ex compaternitate unius filiorum, ut etiam alij conjungi non poſſint, prout olim obſervabatur ſecundùm intellectum Alex. ut ſup. eod. c. 1. & 30. q. 3.* Poſt ſuſceptum, *licet illud immutatum fuerit, ut omnes poſſint conjungi, præter illas perſonas, quibus mediantibus compaternitas contracta fuerit*, 30. *q.* 3. Super quibus, *& ſup. eod. c. 1. Et ſic, ſi ſcandalum magnum ſit in aliquo loco, quòd tales conjungantur, vel remaneant conjuncti, adhuc propter ſcandalum ſervabitur ibi illud jus, non obſtante conſtitutione, quæ emanavit poſtea in contrarium.* 208. *An requiratur ſcandalum.*

Vnde fortè ſimili modo poteſt dici, ſi in aliquo loco eſſet magnum ſcandalum & horror, quòd aliqui contraherent in quinto gradu; illud non toleraretur, non obſtante conſtitutione illâ inf. de Conſang. & affin. Non debet; *quia propter ſcandalum multa, etiam contrà jus omittuntur. Ergo multò fortiùs, ubi alia ratio ſubeſſe videtur, & ita hìc & ſup. eod. c. 1. in fine, ſcandalum impedit Matrimonium & dirimit. Et eſt ſimile, quia conſuetudo facit aliquem illegitimum ad eligendum, ſup. de Cler. conjug.* Cùm olim.

In prohibitione talis Matrimonij nullum eſt peccatum; ergò ſi ſcandalum eſt, quod conjungantur, propter ſcandalum prohibendi ſunt, arg. inf. de No. op. nunt. Cùm ex injuncto. *Sed ſi nulla prohibitio unquam fuiſſet inter tales perſonas, contractus Matrimony non deberet diſſolvi propter ſcandalum; quia talis diſſolutio ſine peccato mortali fieri non poſſet, arg. predic. Decret.* Cùm ex injuncto. Hactenùs Gloſſ. ſatìs notabilis, & ideò totam deſcribere volui ad majorem intelligentiam hujus controverſiæ.

Enimverò non obſtantibus prædictis juribus 209. *Videtur pro-*

Babilius quòd non

& similibus, in quibus, ut vult Gloss., impedimentum dirimens attribuitur scandalo, probabiliùs videtur, scandalum non esse necessarium, nisi hoc sensu intelligatur, quòd ex non observatione consuetudinis, legitimè præscriptæ, de per se natum sit oriri scandalum; ac proinde legitimus sensus horum verborum d. c. 1. *Nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generat, aliter se habere noscatur*, est: nisi consuetudo justa & legitimè præscripta, ex cujus trangressione meritò scandalum oriri possit, aliter se habeat.

210. *Explicantur verba d. cap. 1. ex Sanchio.*

Si aliquid ampliùs intendit Glossa, ab ea recedimus in hac parte, & subscribimus Sanchio, qui ita explicat d. verba sup. n. 11. dicens: Respondeo, non censeri restrictionem consuetudinis, contrà regulam generalem traditam cap. fin. de Consuet. quæ solùm petit, eam esse rationi consonam atque legitimè præscriptam, ut legem novam sanciat, antiquamque aboleat, sed potiùs esse declarationem conditionum consuetudinis, quæ petuntur d. c. fin. nempè, ut sit rationi consentanea, & legitimè præscripta; si enim eas conditiones habeat, ejus violatio suâptè naturâ scandalum generabit. Atque ita sensus est: non sit consuetudo contrà rationem, nec de novo introducta; sed talis ac tam diuturna, ut ejus violatio jure optimo scandali orituri ansam præbeat.

211. *Effectus inducendi novum impedimentum non scandalo, sed consuetudini tribuendus est, ex Sanchio.*

Quare is effectus inducendi novum impedimentum dirimens non scandalo, sed consuetudini legitimè introductæ tribuendus est. Sicut nec virtus statuendi novam legem, attribuitur scandalo, quod nascitur ex legitima consuetudine non observatâ; sed ipsi consuetudini justæ & debitæ præscriptæ, cui facultas hæc concessa est d. c. fin. de Consuet.

Et confirmatur: quis enim negaret hanc vim legitimæ consuetudini, si per accidens non sequeretur scandalum ex ejus transgressione, cùm tamen conditiones omnes habeat requisitas d. c. fin. ad novam legem stabiliendam? Et è contrà, quis eam tribueret consuetudini, cui aliqua ex illis conditionibus deficit, si magnum ex non observantia oriretur scandalum? Nemo sanè; sed diceret, in priori casu id per accidens evenire, ea enim violatio sufficientem scandali suâptè naturâ occasionem præbet: in posteriori autem esse scandalum passivum, & adversus rationis limites acceptum, quod jura non attendunt. Hucusque Sanchez.

212. *Idem docet Pontius.*

Sed audiamus etiam Basil. Pontium lib. 6. c. 6. n. 10. Ex his, inquit, fit, ut consuetudine dicamus derogari legi, parùm ad rem facere scandalum, quod ex ejus omissione generari possit. Nam si consuetudo reprobata est, ut irrationabilis, scandalum erit tantùm passivum, non activum, cujus nulla habenda est ratio, si ex malitia sit. Si verò ex ignorantia aut fragilitate, admonendus frater erit, juxtà generalia principia in materia de scandalo, ut sibi persuadeat, consuetudinem illam non habere vim legis: atque adeò eum, qui contrà consuetudinem eo in casu operatur, rectè agere, cùm ejus actio consonet legi & dissonet ab irrationabili consuetudine.

Si verò sit tantùm simpliciter reprobata consuetudo, aut obtinet denuò vim contrà legem, aut secùs; neque enim inter hæc medium aliquod excogitari potest. Si obtinet, inductum jam erit consuetudine impedimentum, vel ablatum, ac si lex ipsa abstulisset, aut induxisset, atque adeò servanda non ob scandalum, sed quia consensus adest Principis.

213. *Explicatio dictorum Canonum ex eod.*

Atque hic est sensus eorum Canonum, quibus Interpretum juris Canonici distinctio nitebatur, cap. 1. de Cognat. spiritali, ibi: *Nisi consuetudo Ecclesiæ* &c. & cap. *Super eo*, eod. verbis sup. citatis, & cap. *Quod dilectio*, de Consang. & affin. ibi: *Vnde in hac parte consultiùs duximus multitudini, & observatæ consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem vel scandalum populi statuendum, quàdam adhibitâ novitate.* Eo enim ipso, quòd Pontifices deferendum judicabant consuetudini, eorum consensus accedebat, ratione cujus obtinebat vim, non verò ratione scandali; licèt ob curandum scandalum induceretur summus Pontifex, ut consuetudinem in illis casibus approbaret.

Quòd si consuetudò reprobata, nondum vincit legem, quia consensus Principis non præsumitur; quantumvis scandalum sequatur, non dirimet, neque impediet, cùm consuetudo illa vim legis nondum habeat, atque adeò opus contra illam, non generet scandalum activum, sed passivum tantùm sequatur, ut diximus. Ita præfatus Auctor. Negans utique cum Sanchio scandalum impedire aut dirimere Matrimonium.

214. *Quid hic impediat aut dirimat Matrimonium.*

Quid ergò impedit, aut dirimit? Secundùm Sanchium ipsa consuetudo, cum consensu legali Principis; secundùm Pontium autem, ipsa consuetudo, cum consensu personali Principis tacito vel expresso; ita tamen, ut consensus Legislatoris, sive legalis, sive personalis, sit causa principaliter instituens seu abrogans impedimentum, consuetudo autem signum aliquod istius consensus seu conditio, quâ positâ, Legislator, sive fuerit Princeps, sive ipsa communitas, observans consuetudinem, vult obligationem novam inducere, vel antiquam auferre.

Porrò talis voluntas vel colligitur ex jure communi d. c. fin. de Consuet. vel rationabiliter præsumitur, dum Princeps videt actum frequentari, tamquam obligatorium, aut à fortiori, tamquam non obligatorium & non contradicit, cùm facilè posset; quippe qui tacet, cum potest, & debet contradicere, censetur consentire.

215. *Causa magis principalis est voluntas Legislatoris.*

Causa itaque magis principalis inducens vel tollens obligationem, est, ut mox dixi, voluntas Legislatoris, vel expressa in jure communi, vel rationabiliter præsumpta seu tacita; ipsa autem consuetudo vel est signum illius voluntatis, vel conditio potiùs, sine qua talis voluntas non obtinetur. Consuetudo, inquam, etiam sinè adminiculo alterius juris, saltem extrà præsentem materiam; immò & in hac materia; cùm neque ex jure, neque ex ratione ostendi possit, potiùs hìc requiri hujusmodi adminiculum, quàm alibi.

Non requiritur cum consuetudine adminiculum alterius juris.

Dices: Alex. 3. d. c. 1. de Cognat. spirit. non

216. *Objectio.*

non nititur ſolâ conſuetudine, ſed hâc junctâ & munitâ duobus canonibus Pontificiis, quorum primus, natos poſt compaternitatem, prohibebat copulari ad invicem: alter autem concedebat, exceptis his, per quos ad compaternitatem venitur. Illis autem juribus ſuppoſitis, vult Pontifex, ut ſecundum obſervetur niſi conſuetudo ſtet pro primo; ergò ibi loquitur Pontifex de conſuetudine non ſolâ, ſed cum adminiculo juris antiqui; nam antequam ſecundum illud jus ederetur, jam erat prohibitum Matrimonium omnibus natis poſt compaternitatem.

Coninck. Hinc fatetur Coninck. ſup. n. 13. d. cap. 1. uti & 3. eod. non convincere ſive efficaciter probare, conſuetudinem ſolam poſſe inducere impedimentum dirimens: admittit tamen n. 15. id probabiliter colligi ex ipſis, junctâ DD. auctoritate.

Solvitur. Quidquid ſit de dictis juribus, ſententia Sanchez & noſtra non fundatur præcisè in ipſis; ſed maximè in d. c. fin. de Conſuet. in quo nec ſcandalum, nec adminiculum alterius juris requiritur; ergò nec nos requiramus.

217. *An dicendum ſit conſuetudo mixta Clericorum & laicorum. Affirmat Sanchez cum Alijs.* Sed nunquid requiritur, ut ſit conſuetudo mixta Clericorum & Laicorum? Affirmat Sanchez ſup. n. 11. cum aliis, quos citat. Et probat: Nam defectus conſuetudinis ſtatûs ſolius Laicorum nil poteſt immutare circà Matrimonij ſubſtantiam, & leges Eccleſiaſticas; deficit enim poteſtas in conſuetudinem inducentibus. Atque ita explicant textum c. 1. de Sponſal. Anton. ibi n. 8. & 12. Abbas n. 9. Alex. de Nævo, n. 10. 11. 21. 22. Felinus n. 2. Dicunt enim, conſuetudinis Gallicæ violationē, non obſtare valori Matrimonij, eò quòd deficeret poteſtas in eam inducentibus; Matrimonium enim ſpectat de Eccleſiæ forum. c. *Tuam*, de Ord. cogn. Atque ita clarè intelligunt de conſuetudine Laicorum. Hæc ille.

218. *Negat Averſa.* Quæ tamen diſplicent Averſæ ſup. ſect. 3. §. *Præterea*, ubi ſic ſcribit: Sed neque hoc modo addenda videtur talis limitatio & conditio in hac re, pluſquam ſit in aliis rebus Eccleſiaſticis. Quim imò minùs poteſt habere locum in hac re, in qua non ad Clericos, ſed ad Laicos pertinet contrahere Matrimonium. Et in univerſum, nec laici, nec etiam Clerici, poſſunt auctoritate ſuâ quidquam immutare circà leges Eccleſiaſticas: ſed tota vis conſuetudinis derivatur ex poteſtate Superioris, & in hac re ſummi Pontificis, vel ſpecialiter ex certa notitia, vel ſaltem generaliter ex jure ipſo communi eam approbantis.

219. *Explicatur cap. 1. de Sponſal.* Neque ratio, quare deciſum ſit, valuiſſe illud Matrimonium, erat, quia conſuetudo Franciæ fuiſſet Laicorum tantùm. Quinimò ibi dicitur, Matrimonium illud non fuiſſe contractum juxtà legem Francorum, ſed juxtà legem Saxonum, inter quos erant diverſæ leges. Et quàmvis Gloſſa ibi, legem intelligat conſuetudinem, tamen verba textûs denotant potiùs legem ſcriptam.

Ob plures autem alias rationes valere poterat ac debebat illud Matrimonium. Vel quia lex erat Principis laici, qui, ut dicebamus, in hac re non habet poteſtatem. Vel quia lex illa erat tantùm de aliquo ritu ſolemnitatis, & non de aliqua conditione ſubſtantiali Matrimonij. Vel quia vir de Francia, uxorem duxerat de Saxonia, exiſtens in Saxonia, & peregrini debent ſervare leges loci, in quo ſunt, non ſuæ patriæ, de qua ſunt. Hæc ille.

220. *Refertur ejus tenor.* Subdo ego verba d. c. 1. de Sponſal. *De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia, lege Saxonum duxit in uxorem: verùm quia non eiſdem utuntur legibus Saxones & Francigenæ, cauſatus eſt, quòd eam non ſua, id eſt, non Francorum lege deſponſaverat, dimiſsâq; illâ, aliam ſuperduxit. Diffinivit ſuper hoc Sancta Synodus, ut ille tranſgreſſor Evangelicæ legis ſubjiciatur pœnitentiæ, & à ſecundâ conjuge ſeparetur, & ad priorem redire cogatur.* Ita Concil. Tribur. c. 39.

Rejicitur Gloſſ. Ubi Gloſſ, verb. *Lege: Id eſt*, inquit, *conſuetudine*. Et verb. *Legibus: Id eſt, conſuetudinibus*. Sed gratis videtur ſic exponere, cùm nullum pro tali expoſitione adducat argumentum, ſive ex jure, ſive ex ratione. Neque eſt ullum verbum in textu, ex quo illa expoſitio poſſit colligi.

221. *Intelligitur d. cap. de lege ſcripta.* Itaque, ut vult Averſa, commodè intelligitur d. cap. de lege ſcripta Regis Franciæ, quæ niſi approbata à ſummo Pontifice, nequit Matrimonium dirimere, ut patet ex antedictis; ac proinde jus illud, parum vel nihil facit ad dirimendam hanc controverſiam.

Conſuetudo habet ſuam vim ex Pontificis generali permiſſione. Prætereà: ipſe Sanchez ad hanc objectionem, putà, quòd conſuetudo ſit inferior Pontifice, adeòque nequeat prævalere legibus Pontificiis; Reſpondet n. 12. circà finem: ſolam conſuetudinem tamquam inferiorem id minimè poſſe, at eam vim habere ex ipſius Pontificis generali permiſſione, quâ cap. fin. de Conſuet. id generaliter legitimæ conſuetudini conceſſit. Porrò in d. cap. fin. nulla fit mentio ſeu diſtinctio inter conſuetudinem Clericorum & Laicorum, & aliunde nulla eſt ratio, quare Pontifex non poſſit id concedere conſuetudini laicorum.

222. *Quomodo ad laicos, & non ad Clericos pertinens contrahere Matr.* Denique benè notavit Averſa ſup. quod non ad Clericos, ſed ad laicos pertineat contrahere Matrimonium, ſcilicet tamquam miniſtros contractûs & Sacramenti Matrimonij; alioquin ad Clericos pertinet, aſſiſtere Matrimonio laicorum. Atque ut Sanchez nihil aliud intenderet, quàm Clericos debere aſſiſtere Matrimoniis, quæ ex conſuetudine contrahuntur contrà leges Eccleſiaſticas, aut citrà eas, ut conſuetudo inducat, aut abroget impedimentum; neque ſic generaliter verum foret dicere, quòd conſuetudo debeat eſſe mixta Clericorum & laicorum; ſiquidem & ipſa aſſiſtentia præſcribi poteſt, inquantùm neceſſaria ex ſolo jure Eccleſiæ ad valorem Matrimonij, ſi utique tales circumſtantiæ occurrant, in quibus Pontifex licitè poſſit legem ſuam irritantem revocare. Sin autem loquamur de aliis impedimentis, procul dubio abrogari non poſſunt, niſi per conſuetudinem mixtam Clericorum & laicorum ubi aſſiſtentia Parochi obligat; quia abſque ea non contrahitur ibi Matrimonium.

223. *Quæ hic ſit conſuetudo* Vellem ergò ſcire, quam conſuetudinem Sanchez reputet hìc mixtam, ut valeat impedimentum

mixta laicorum & Clericorum.

tum dirimens de novo instituere, aut institutum tollere. Non satis se explicat, neque alij Auctores, quos ipse sequitur. Dico ego: illam consuetudinem sufficere, quæ frequentatur à laicis in Matrimoniis contrahendis, Clericis reputantibus Matrimonium, sic contractum, esse validum aut invalidum.

Cæterùm an de facto consuetudo impedimentà Ecclesiastica abrogaverit apud Hæreticos, qui ea non observant ex mera malitia, & in contemptum Ecclesiæ, suo loco discutiemus, ubi de impedimento disparis cultus.

224. *Quale sit peccatum ire Matr. cum impedimento dirimente.*

Impræsentiarùm autem quæritur; quale & quotuplex peccatum sit, Matrimonium inire cum impedimento dirimente. Resolutio patebit ex sequenti Conclusione, quæ talis est:

CONCLUSIO VI.

Sponte contrahens cum impedimento dirimente, ordinariè committit plura peccata; posset unicum, & coactus metu, nullum committere.

225. HÆc Conclusio tres habet partes, sigillatim hìc explicandæ. Prima autem pars ait: eum, qui spontaneè seu voluntariè contrahit cum impedimento dirimente tam juris naturalis aut Divini, quàm juris Ecclesiastici, ordinariè committere plura peccata. Quod committat unum peccatum mortale, ab omnibus admittitur; quippe contravenit vel præcepto juris naturalis aut Divini, vel certè præcepto Ecclesiæ, si est impedimentum juris Ecclesiastici, idque in re maximi momenti. An autem idem dicendum sit, si solùm adsit impedimentum impediens, videbimus sectione sequenti.

Peccat mortaliter, qui contrahit cum impedimento dirimente.

226. *objectio.* Sed dicet aliquis; sicut lex potest prohibere aliquem actum, absque eo, quòd ipsum irritet; ita quoque potest eum irritare, & non prohibere; unde licitum est ex causa aliqua facere testamentum, vel donationem inter vivos, ipso jure irritam, juxtà communem sententiam DD.

Jure naturæ non est illicitum facere testamentum irritum.

Si quidem testamentum invalidum, ex jure naturæ non habet specialem indecentiam aut inhonestatem, suppositâ justâ causâ, v. g. ad redimendam vexationem, importunas preces, inimicitias &c. Quippe nullus tenetur ex jure naturæ alteri relinquere bona sua, sed potest de eis validè & invalidè disponere, sicut potest aliter eas consumere, si velit. Similiter, lex irritans contractum, factum à minore, non obligat ipsum in conscientia; cujus signum est, quia potest illum juramento confirmare, quod non posset, si esset peccatum, & sic de aliis. Ergò

Datur lex purè irritans.

datur lex purè irritans actum. Et quid ni impedimentum dirimens Matrimonium sit talis lex, quæ quidem irritet Matrimonium, sed non prohibeat?

227. *Duo signa ad dignoscendam prohibitionem, unum, ex Suarez. Primum.*

Audi Suarium lib 5. de Legibus c. 20. n. 5. ubi duo signa præbet ad dignoscendam prohibitionem; unum, inquit, est, quando actus ex vi sui objecti & naturæ talis est, ut velle illum facere, quando validè fieri non potest, turpe sit, & contrà rectam rationem. Quod maximè videtur contingere in materia Religionis, & in actibus sacris, & in materia justitiæ; nam efficere actionem sacram modo irrito, & invalido sacrilegium est; quia est contrà reverentiam debitam rei sacræ, ut facere Sacramentum irritum, & sinè debita forma & materia.

Etsi Trid. tantùm irritasset Matr. eland. adhuc foret mortale istud contrahere.

Et hâc ratione, etiamsi Concilium Trident. expresè non prohibuisset, sed tantùm irritasset Matrimonium, factum sinè Parocho & testibus, esset grave peccatum, illud sic contrahere: quia esset contrà reverentiam Sacramenti, idemque est de quolibet alio Matrimonio, contracto cum impedimento irritante, & de professione in Religione facta, omissâ formâ, seu conditionibus ab Ecclesia requisitis ad valorem ejus.

228. *Electionem facere invalidam est grave peccatum.*

Idem videre est in materia justitiæ: nam electionem facere prætermissâ substantiali formâ, grave peccatum est, quia necessariò involvit injustitiam; & ideò graviter punitur in Trid. sess. 25. c. 6. de Regular. Idem est, quoties quis ex officio tenetur facere actum; nam consequenter tenetur facere validum, & ideò prætermittendo debitam formam, contrà justitiam facit; ut si judex proferendo sententiam substantiales circumstantias omittat, & sic de aliis. Hactenus Suarez. Benè ad nostrum propositum.

Occurritur cuidam objectioni.

Et occurens cuidam objectioni n. 6. scribit in hæc verba: Videri autem potest hæc obligatio in hujusmodi casibus, non provenire propriè ac formaliter ex lege positiva, sed esse de jure naturali; quàmvis non resultet, nisi positâ institutione talis formæ, quam invenit lex positiva; sicut profanatio calicis consecrati, sacrilegium est contrà legem naturalem, licèt supponat consecrationem ex positiva institutione.

229. *An tale peccatum sit contrà legem positivam.*

Sed licèt verum sit, tale peccatum esse contrà legem naturalem, etiam est contrà legem positivam: nam eo ipso, quòd præfinit talem formam in tali materia, constituit in illa medium justitiæ, vel religionis; & ideò qui debitam formam prætermittit, etiam legem humanam violat; quia lex illa instituendo talem formam, ponit illam, ut necessariam ad honestatem, & consequenter prohibet actum, sinè illa factum; sicut lex, quæ taxat pretium rei, necessariò prohibet cariùs vendere, etiamsi verbis, formaliter prohibentibus, id non explicaret. Ita Suarez de primo signo.

230. *Secundum signum prohibitionis.*

Alterum est; quando prohibitio actus, aliter facti, ponitur in lege, & additur irritatio: nam tunc lex illa continet præceptum negativum, ratione cujus obligat ad vitandum seu non intentandum talem actum. Quod interdum fit directè prohibendo, ut patet in Concil. Trident. sess. 24. de Reform. Matr. c. 7. ubi primò ponitur prohibitio Matrimonij, & posteà additur irritatio; imò & pœna statuitur iis, qui taliter contraxerint. Sic etiam in eod. Concil. sess. 25. c. 15. de Regular. priùs prohibetur fieri Professio antè exple-

expletum tempus Profeſſionis, vel ætatis, & deinde ea irritatur. Poſſem plura de hac materia dicere, ſed non ſunt præſentis loci. Videri poteſt Suarius loco jam citato, & alibi.

231. *Quomodo diſcernenda lex purè irritans à lege ſimul prohibente.*

Breviter tantùm dico: ad diſcernendum, an lex ſit purè irritans, an verò ſimul prohibens; reſpiciendum eſt primò ad verba legis, an dirigantur ad perſonam præcipiendo vel prohibendo, an autem immediatè verſentur circà actionem ſeu contractum, illum qualificando vel infirmando; nam priores leges ex vi ſuæ formæ præcipiunt, & conſequenter obligant; poſteriores verò non prohibent actum ex vi talium verborum, licèt irritent illum in favorem alicujus, niſi aliundè ex materia, fine, vel circumſtantiis contrarium colligi poſſit.

Et ideò videndum ſecundò; an materia legis ordinetur ad bonum publicum vel privatum; & utrùm ad talem finem non ſolùm irritatio, ſed etiam prohibitio expediat. Tertiò; an irritatio imponatur in pœnam ejuſdem actus; tunc enim ordinariè actum prohibet: ùt lex irritans collationem beneficij per confidentiam: itemque irritans electionem Religioſi ad Epiſcopatum, acceptatum ſine licentia Prælati. Sic etiam turpia legata, dum irritantur in odium ſcribentis, ſimul prohibentur, vel ſaltem prohibita ſupponuntur.

232. *Impedimenta dirimentia Matr. ſimul prohibent.*

Ex his quilibet Theologus feſtinè cognoſcet, impedimenta dirimentia Matrimonium, ſimul id ipſum prohibere, adeòque ad minùs unum peccatum mortale committere, qui cum tali impedimento contrahit; quæ eſt, ſicut anteà dixi, concors DD. ſententia, quando id fit ſine rationabili cauſa. Quod addo; quia ut habet ultima pars Concluſ.; metus poteſt excuſare ab omni peccato.

233. *An contrahens cum impedimento dirimente committat duplex peccatum? Negat Sanchez.*

Præcipua autem difficultas hujus loci eſt; utrùm ſit duplex malitia mortalis. Negat Sanchez ſup. diſp. 5. n. 1. exiſtimans probabiliùs, quod ultrà culpam tranſgreſſionis juris naturalis aut Eccleſiaſtici, non reperiatur ſacrilegium irritationis Sacramenti Matrimonij. Quippe, inquit, cætera Sacramenta habent jure Divino præſcriptam materiam & formam certam ac determinatam, & ſolam Sacramẽti rationem ſubeunt; ac proinde materia & forma non poſſunt adhiberi, quin ſint ex ſe materia ac forma Sacramenti; quare ſi ſit indebitus uſus, ita ut Sacramentum irritetur, eſt ſacrilegium.

At Matrimonium, ultra Sacramenti rationem, eſt contractus quidam naturalis, nec habet præſcriptam materiam & formam determinatam, ſed conſenſus contrahentium legitimos, verbis, nutibus, aut literis, aut per procuratorem expreſſos: unde cùm, Eccleſiâ aut jure naturali irritante conſenſus inter aliquos, ij Matrimonio copulantur, non ipſi irritum Sacramentum efficiunt, quantùm enim ex ſe eſt, validè contrahunt; ſed jus Eccleſiaſticum aut naturale ſtatuens id impedimentum, illud irritat.

Contrahens non facit Sacramentum irritum, ſed jus naturale, aut Eccleſiaſticum.

Quâ ratione cum aliquibus DD. excuſavimus à culpa ſacrilegij, ineuntem Matrimonium ob metum viri conſtantis, quàmvis ſciret id eſſe irrirum. Quod in nullo alio Sacramento reperitur.

Nec id mirum eſſe debet; cum ea ratione, quod Matrimonium contractus ſit, multa alia ſpecialia habeat, aliena ab aliorum Sacramentorum natura, ut poſſe ab Eccleſia irritari, contrahi in abſentia per procuratorem &c. Hucuſque Sanchez pro ſua ſententia, citans ſolum Petrum de Ledeſma de Matr. q. 50. a. 1. diffic. 3. poſt 2. concluſ. ubi ait, non eſſe improbabile, ſolam unam malitiam tranſgreſſionis præcepti reperiri. 234. *Pet. de Ledeſma docet, hanc opinionem non eſſe improbabilem.*

Porrò ut id non eſſet improbabile, multò tamen probabiliùs judicamus, etiam malitiam ſacrilegij poſſe reperiri, prout docet Coninck diſp. 30. n. 18. dicens: Veroſimiliùs eſt, ſponte ita (id eſt, cum impedimento dirimente) contrahentes, committere duplex peccatum. De inobedientia per ſe patet, & omnes admittunt. De injuria Sacramenti probatur; quia profanant ritus ac nomen Sacramenti, iiſq; abutuntur ad nequitiam honeſto nomine velandam: quod Sacramento omninò injurioſum eſt. *Probabiliùs eſt, etiam malitiam ſacrilegij poſſe reperiri, ex Coninck.*

Quod maximè verum eſt, quando in facie Eccleſiæ contrahunt. Si enim privatim contrahant, etiam ubi Trid. non eſt receptum, ſæpe ab hoc peccato poſſunt excuſari; eò quòd verè non intendant aut Matrimonium inire, aut Sacramentum ſuſcipere; cum ſciant utrumque eſſe impoſſibile. 235. *Dum privatim contrahitur ſæpiùs abeſt.*

Nec etiam intendunt hujus ſuſceptionem ſimulare, ſicut cùm publicè contrahunt, cùm hoc illis inutile ſit; ſed ſolùm intendunt profanum inire contractum, ſe mutuò obligando ad fidem inſtar conjugum in mutuo corporum uſu ſervandam: niſi fortè unus alteri perſuaderet, ſe poſſe verum Matrimonium ita contrahere; tunc enim peccaret contrà reverentiam Sacramenti, quod alter hìc & nunc ſe credit ſuſcipere.

Adde; ſi ordinent contractum ad copulam, quod communiter faciunt, peccare præterea contra caſtitatem, ut per ſe patet. Ita Coninck. *Poteſt etiam adeſſe malitia luxuriæ.*

Quem ſequitur Averſa ſup. ſect. 5. §. *de impedimentis dirimentibus*: Quia, inquit, culpa trangreſſionis contrà legem irritantem, communis eſſet etiam Paganis, contrahere tentantibus cum aliquo impedimento dirimente, ſive ſumpto ex jure naturali, ſive impoſito ex jure poſitivo ſui Principis. At fideles, qui ſciunt, Matrimonium apud nos elevatum eſſe ad ſtatum Sacramenti, & ſciunt ſe cum impedimento dirimente reddere nullum & irritum Sacramentum, videntur ex hac etiam parte delinquere. 236. *Idem docet Averſa.*

Et hæc irritatio reverà cadit, non ſolùm ſuper rationem contractûs, ſed concomitanter etiam ſuper rationem Sacramenti. Et lex quidem irritans lata eſt ab Eccleſia: ſed ut in facto ita contrahatur Matrimonium, quod ſit nullum & irritum, provenit & fit ab ipſis contrahentibus, & nunc. qui cum tali impedimento, & contrà talem legem contrahere tentant. Hæc ille. *Ipſi contrahentes faciunt Sacramentum irritum hìc*

Sicuti ſi quis baptizaret cum vino, lex quidem irritans talem Baptiſmum, lata eſt à Chriſto, qui inſtituit pro materia eſſentiali aquam; ſed ut in facto ita baptizetur, quòd Baptiſmus ſit *Sicut quì baptizat cum vino facit Bapt. irritum.*

sit nullus & irritus, provenit ab ipso baptizante, qui cum vino contra institutionem Christi tentat baptizare.

237. *Objectioni occurritur.* Nec obstat: quòd hac ratione excusemus à culpa sacrilegij, ineuntem Matrimonium irritum ex gravi metu; quippe multa sunt, quæ in necessitate excusantur ab irreverentia Sacramenti; secùs tamen, judicio omnium DD. extrà necessitatem. Obvia sunt in hoc nostro Opere, & ideò illis recensendis non immoror.

Necessitas excusat ab irreverentia Igitur non rectè sequitur; in necessitate ob gravem metum vel aliam similem causam contrahere Matrimonium cum impedimento dirimente licet absque peccato irreverentiæ, imò etiam inobedientiæ; ergò similiter id licet, saltem sinè peccato irreverentiæ, extra necessitatem.

238. *Ratio.* Enimverò in necessitate omnes judicant, talem non velle conficere Sacramentum; immò neque contractum; sed solùm exteriùs velle proferre verba contractûs, cum animo faciendi totum, quod potest facere, de quo alibi latiùs egimus. At verò extrà necessitatem, quando ita contrahitur in facie Ecclesiæ, omnes judicant, talem velle verè conficere Sacramentum, & contractum Matrimonij, cùm tamen minimè illa efficiat; atque ita abutitur signo Sacramentali, sive eo signo, quod hìc & nunc existimatur Sacramentale.

Confirmatio ab aliis Sacramentis. Et sanè etiam in aliis Sacramentis verba Sacramentalia habent significationem distinctam à significatione Sacramentali: quis autem ideò docet, quempiam posse usurpare illa verba extrà necessitatem, tamquam non Sacramentalia, ubi & quando homines judicant, esse Sacramentalia? Nemo hactenus ausus fuit id asserere, quòd sciam; quàmvis nonnulli doceant, ut suo loco vidimus, licitum esse sic baptizare, vel absolvere in necessitate, v. g. ad evadendam mortem, ab extrinseco intentatam, citrà tamen contemptum Religionis. Quod addo; quia si in contemptum Religionis seu odium fidei, liquet profectò, id esse illicitum, ut suo loco diffusiùs probavimus.

239. *Simulatio Sacramenti extra necessitatem est sacrilegium.* Ad minùs ergò in proposito casu est fictio sive simulatio Sacramenti, quæ extrà necessitatem videtur esse sacrilegium, id est, peccatum contra reverentiam Sacramenti.

Metus excusat. Atque ex his satis patet ultima pars Conclus. de qua egimus superiori parte hujus Operis Sect. 7. ubi de Metu irritante Matrimonium. Videantur ibi dicta, maximè Conclus. 10. in qua ostenditur, Matrimonium invalidè contractum propter metum, non effici validum per copulam, ex eodem metu subsecutam; adeòque semper copulam esse illicitam, juxtà illam sententiam, quàmvis liceat irritè contrahere.

240. *Objectio solvitur ex Sanchez.* Nec obstat (inquit Sanchez sup. n. 4. ubi docet ultimam partem nostræ Conclus.) si dicas, duo in hoc eventu concurrere impedimenta dirimentia, alterum metûs, alterum illius impedimenti dirimentis, v. g. consanguinitatis: quia tantum obstat valori Matrimonij unum, ac duo impedimenta; & rationes id probantes, quando adest solus metus, æquè probant interveniente alio impedimento. Cùm in utroque casu sit legitima causa excusans ille metus; nec contrahentes irritent Matrimonium, sed alio jure irritum sit. Hæc ille.

Atque ut etiam contrahentes quodammodò irritarent, ut sup. ostendimus, equidem sic irritandi, causa sufficiens est metus.

241. *Metus non excusat à fornicatione consummationem Matrimonij initi ex metu, cum alio impedimento, ex Sanchez.* Si inferas: ergò etiam consummatio Matrimonij, initi ex metu, cum impedimento Ecclesiastico consanguinitatis, excusari poterit probabiliter à culpa lethali fornicationis, quia sic potest excusari consummatio Matrimonij initi ex gravi metu, præciso alio impedimento.

Respondet Sanchez sup. neg. consequentiam. Et ratio est; quia licèt, regulariter loquendo, lex Ecclesiastica non obliget cum vitæ discrimine: at exceptio communis DD. est, quando ea lex valdè expediret ad bonum commune tuendum: hujusmodi autem sunt leges dirimentes Matrimonia in aliquibus casibus, ut usus Ecclesiæ testatur. Nemo enim auderet dicere, validum effici copulâ Matrimonium, metu gravi initum, & consummatum, absque Parocho & testibus, cùm tamen lex illud irritans sit merè Ecclesiastica. Quoniam si metus efficeret, ut valida essent hujusmodi Matrimonia, cum impedimento dirimente inita, & consummata, facilis pateret via, ea impedimenta contemnendi, incusso eo metu.

242. *Resp. ad arg. in contrarium.* Nec obstat simile adductum de metu; quia probabilitas opinionis, asserentis Matrimonium metu gravi initum, & consummatum, esse validum, non eo fundamento innititur, quòd cum eo discrimine non obliget lex Ecclesiastica; sed quia solus metus cadens in virum constantem, irritat Matrimonium, qualis non est, cogens Matrimonium contrahere & simul consummare. Hæc ille.

Metus non facit licitam consummationem Matr. inter consanguineos. Quæ, ut patet, non habent locum in præsenti casu, in quo semper manet impedimentum dirimens consanguinitatis, quocumque metu interveniente, etiam in ipsa consummatione. Vel ergò dicendum est legem Ecclesiasticam irritantem Matrimonium inter consanguineos cessare in illis circumstantijs, quando scilicet metu mortis cogitur consanguineus ad consummationem Matrimonij, quod nemo hactenus dixit, vel affirmandum omninò, copulam subsecutam ex tali metu, esse fornicariam; ac proinde potiùs moriendum, quàm consummandum ejusmodi Matrimonium.

243. *Probatur ex Regio.* Quia (inquit Coninck sup. n. 20.) etsi metus gravis tales excuset ab observatione præcepti Ecclesiastici, tamen non efficit eos habiles ad contrahendum. Sicut etsi excommunicatum non toleratum, excuset metus mortis, ne peccet exercendo aliquos actus jurisdictionis; non tamen efficit ut hi sint validi, quia non reddit ei usum jurisdictionis, quo privatus est. Similiter invincibilis ignorantia, excusat à peccato agentem contra quamvis legem irritantem; & tamen nullo modo efficit, ut actus sit validus; quia non reddit ignoranti capacitatem, quam lex ei abstulit. Quàmvis igitur Ecclesia, suâ prohibi-

Ignorantia invincibilis excusat à peccato, & tamen non efficit actum validum.

tione

tione non possit efficere, ut eam omninò ignorantes, aut gravi metu coacti, contrà eam agendo, peccent; potest tamen etiam tales efficere inhabiles, ad aliquid agendum, idque meritò facit. Nam etsi inde quibusdam in particulari gravia incommoda accidant; tamen per accidens est, nec ita frequens, & graviora sequerentur incommoda, si hoc non faceret. Hæc ille.

Sed nunquid copula illa fornicaria ex eo impedimento accipit specialem malitiam in confessione specialiter explicandam? Pro resolutione erit.

CONCLUSIO VII.

Aliquando copula illicita ex conjunctione cum impedimento dirimente specialem contrahit malitiam: aliquando non.

244. *Quando copula fornicaria ex impedimento contrahat specialem malitiam ex Sanchez.*

ROgat hìc aliquis: quando contrahat specialem malitiam? Respondet Sanchez sup. n. 7. quando Ecclesia interdicit Matrimonium ob speciale motivum alicujus virtutis, quod spectat, idque invenitur etiam in copula illicita. Quia tunc militat eadem ratio prohibitionis, proinde eadem malitia reperitur in utraque copula.

245. *Objectio.*

Si dixeris: ratio prohibitionis non est ipsa prohibitio, & potuit Ecclesia velle propter illam rationem prohibere copulam licitam, tamquam perpetuò quodammodò permansuram, non autem copulam illicitam, tamquam actum transeuntem.

Solvitur.

Respondeo: ex ratione legis colligitur mens Legislatoris; & quàmvis Ecclesia absolutè potuisset unam copulam prohibere, & non aliam; haud equidem ordinatè id fecisset; quia quod aliundè illicitum est, & in quo invenitur eadem ratio, potiori jure debet prohiberi, quàm illud, quod alioquì foret licitum, ne ex malitia reportetur commodum. Cui hæc solutio non satisfacit, quærat meliorem.

246. *Copula inter consanguineos in 2. & ulterioribus gradibus est incestus propter impedimentum. Probatur.*

Interim Ecclesiam voluisse utramque prohibere, quod indubiè potuit velle, manifestè apparet in consanguinitate; nullâ enim aliâ ratione accessus ad consanguineam in secundo, & ulterioribus gradibus, usque ad quartum est incestus, adeoque species distincta luxuriæ, nisi quia Ecclesia in iis gradibus Matrimonium diremit, ut usus Ecclesiæ, & omnium sententia docet. Nulla enim extat specialis prohibitio copulæ inter consanguineos, sed prohibitio Matrimonij inter illos, facta ab Ecclesia, constituit diversam fornicationis speciem, necessariò confitendam.

247. *Confirmatur ex Sanchez.*

Et confirmatur (inquit Sanchez sup. n. 6.) quia sublatâ Matrimonij prohibitione inter aliquos consanguineos, sive dispensatione speciali Pontificis, sive derogatione legis dirimentis in illo gradu, jam amplius coitus in illo gradu non est incestus: unde rectè Cajetanus Sum. verb. *Incestus*, in initio, ait, incestum esse commixtionem veneream inter consanguineos vel affines absque dispensatione Matrimoniali. Tota ergò specialis malitia hujus concubitus consurgit ex prohibitione Matrimonij. Et subindè idem videtur dicendum in alia copula illicita inter eos, qui quovis alio impedimento dirimenti laborant, ad ineundum inter se Matrimonium, quando ratio prohibitionis copulæ licitæ seu Matrimonialis, reperitur quoque in copula fornicaria.

Cajetanus.

248. *Amplius confirmatur.*

Et confirmatur amplius; quia quoties malitia specifica copulæ illicitæ non pendet, nec consequitur ex Matrimonij prohibitione, eâ sublatâ manet adhuc malitia illa; ut si cum habente votum simplex, aut solemne castitatis, dispensetur ad solum Matrimonium, quæcumque copula illicita, erit perinde sacrilega contra votum, ac si dispensatio non esset. Cum ergo contrarium reperiamus in consanguinitatis & affinitatis, cognationis spiritualis ac legalis, publicæque honestatis, disparitatis cultûs impedimentis dirimentibus; iis enim sublatis per dispensationem, cessat specifica malitia copulæ; manifestè convincitur, eam oriri ex speciali Matrimonij prohibitione; & subindè hanc constituere in copula illicita diversam fornicationis speciem. Hæc ille.

Restat tantùm, ut ostendamus speciale motivum virtutis, quod spectavit Ecclesia in constitutione eorum impedimentorum, etiam inveniri in copula illicita.

249. *Circumstantia incestus diversa specie à simplici fornicatione*

Concors itaque DD. sententia est, circumstantiam incestus diversam esse specie à simplici fornicatione, & necessariò explicandam in Confessione. Est autem incestus, sicut sup. dictum fuit ex Cajet. Commixtio venerea inter consanguineos & affines absque dispensatione Matrimoniali.

Probatio.

Et ratio hujus sententiæ est; quia Ecclesia dirimens Matrimonium inter consanguineos, observantiam debitam inter illos spectavit, & similiter dum diremit inter affines. Quod motivum invenitur etiam in copula inter illos fornicaria. Quare prohibito Matrimonio inter illos, censetur subindè prohibita copula, & translata in aliam deformitatis speciem, videlicet incestus.

250. *Ad incestum reducitur copula inter cognatos spirituales.*

Idem ostenditur in impedimento cognationis spiritualis. Quia reverentia Sacramenti, ex quo cognatio hæc originem duxit, & observantia debita cognationi huic, quæ assimilatur consanguinitati, quæ sunt spectata ab Ecclesia, quò hæc Matrimonia, cum his impedimentis inita, irritaret, habent etiam locum in copula fornicaria inter spiritualiter conjunctos. Violatur enim reverentia debita Sacramento, & observantia debita conjunctioni illi. Hinc D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. *Si aliquis* (inquit) *abutatur personâ, conjunctâ sibi secundùm spiritualem cognationem, committit sacrilegium ad modum incestus.* Sacrilegium quidem, quia ob Sacramenti reverentiam ea copula interdicta est: ad modum autem incestus, quoniam assimilatur violationi consanguinitatis.

Quid

251. *Similiter inter cognates legales*

Quid dicam de concubitu cum cognatis legalibus? Et ipse reducitur ad incestum. Quia sicut per adoptionem quis efficitur cognatus, ita obligatur legibus cognatorum naturalium, nimirum reverentiâ debitâ parenti adoptanti, cui non solùm Matrimonium, sed etiam copula illa adversatur.

Item accessus ad consanguineam in 1. gradu sponsæ propriæ de futuro.

Et consimiliter ad incestum reducitur accessus ad consanguineam in 1. gradu sponsæ propriæ de futuro, contrà publicæ honestatis impedimentum, dirimens in eo graduMatrimonium. Quippe id est quoddam conjunctionis genus, & affinitatis ortum ex consanguinitate.

252. *Concubitus fidelis cum infideli habet malitiam speciei distinctam.*

Sic itidem concubitus fidelis cum infideli, adversùs impedimentum dirimens, ob cultûs disparitatem, habet circumstantiam luxuriæ mutantem speciem, ac necessariò in confessione fatendam. Quippe ratio, ob quam Ecclesia id Matrimonium diremit; videlicet, quia cedit in Religionis dedecus, si fidelis cum infideli copuletur Matrimonio, locum habet in copula illicita; & ideò prohibito Matrimonio, censetur specialiter copula illicita prohibita. Adde: rationem quoque esse periculum educationis prolis in infidelitate, & perversionis conjugis fidelis, quæ pericula, quàmvis minora, in coitu fornicario etiam reperiuntur, utpotè, qui unitatis carnem efficit, & valdè amorem conciliat, tametsi minùs, quàm coitus conjugalis.

Probatio.

253. *Confirmatur ex gravitate pœnæ.*

Tandem (inquit Sanchez sup. n. 12.) pœna peculiaris gravissima, huic copulæ legibus statuta, argumentum non leve inducit, ut inde illius specialis gravitas desumatur. Nam l. Regiâ 9. tit. 24 part. 7. imponitur pœna mortis Judæo cum Christiana coëunti. Et l. fin. tit. 25. ead. part. imponitur Mauro coëunti cũ fideli virgine vel nupta, ut lapidibus obruatur, & ipsi virgini vel viduæ, accessum Mauri patienti, primâ vice amissio dimidiæ bonorum partis, secundâ autem vice, amissio vitæ. Et si accessus fuerit Mauri cum Christiana meretrice, primâ vice uterque flagellis, secundâ autem uterque capitis pœnâ punitur. Quod etiam apud. Hebræos ita grave facinus reputatum, ut Phinees zelo Dei motus interfecerit Judæum cum alienæ sectæ muliere Madianita coëuntem, Num. 25.

Item ex Concil. Illiber.

Rursus: in Concil. Illiberitano c. 50. dicitur, ut abstineat à Communione, fidelis cum Judæis cibum sumens. Si ergò tantum nefas censetur cum illis participare, cibum sumendo, quantò graviùs censebitur cum illis carnale commercium habere, ex quo unitas carnis consurgit? Hæc ille,

254. *Ad quam speciem peccati hic accessus pertineat.*

A quo si petas, ad quam speciem peccati hic accessus pertineat? Respondet continuò: Quàmvis neminem id exprimentem invenerim, existimo, ad Religionis Christianæ dedecus, & injuriam pertinere, ac proinde sacrilegium esse eam copulam.

An sit eadem ratio copulæ fidelis cum hæretica? Affirmat Sanchez.

Nunquid etiam copula fidelis cum hæretica? Affirmat Sanchez sup. n. 13. Quàmvis enim (inquit) Matrimonium inter hos validum sit: at prohibetur sub mortali, ob dedecus & injuriam Christianæ religionis, & periculum perversionis Catholici, & educationis prolis in hæresi, ut videbimus in impedimento disparitatis cultûs. Quæ rationes suo modo militant in copula illicita cum hæretico, sicut cum infideli, ac proinde censetur specialiter etiam ea copula prohibita, & pertinere ad sacrilegium. Ita Sanchez.

255. *Dicastillo cum impugnat.*

Sed hæc doctrina videtur Dicastilloni difficilis; maximè (inquit) in his regionibus Septemtrionalibus in locis, ubi frequentissimi sunt Catholici permixti cum hæreticis, non solùm in eadem civitate, sed etiam in eadem domo & familia; durumque videtur obligare sub speciali aliqua specie peccati, militem v. g. hùc illùc discurrentem, & committentem peccatum fornicationis in diversis locis, & variis occasionibus, ad semper examinandum & inquirendum, an ea fœmina, cum qua peccat, sit Catholica, nec ne? Itaque in hoc negotio in prædictis regionibus, nec videtur tantum dedecus religionis Catholicæ, quòd quis fortè miles, aut alius quivis, oblatâ occasione cum hæretica fornicetur; nec tantum est periculum prolis, sicut in Matrimonio; nihilominùs semper videtur esse aliquod peccatum. Hæc ille.

Sed non expugnat.

Quæ facilè admisero, neque repugnant dictæ sententiæ Sanchij, quæ generaliter affirmat copulam fornicariam cum hæretico esse mortale sacrilegium; quia nulla regula tam generalis, quin patiatur, aut certè pati possit aliquam exceptionem, & peccata ex genere mortalia fiunt venialia ex parvitate materiæ; neque est ulla ratio, quæ probet hìc non posse dari parvitatem materiæ. Quinimò occurrere possunt tales circumstantiæ, & jam sæpiùs occurrerunt, in quibus, non obstante dedecore Religionis Christianæ, & periculo educationis prolis in hæresi, liceat Matrimonium fidelis cum hæretica, vel hæretico, de quo suo loco diffusiùs tractabimus.

256. *Coitus cum impedimento impotentiæ habet specialem malitiam. Sanchez.*

Impræsentiarùm dico, etiam coitum cum impedimento dirimenti impotentiæ, ut si frigidus vel Eunuchus coëat, habere circumstantiam diversæ speciei necessariò confitendam. Quia (inquit Sanchez sup. n. 14.) ratio prohibitionis Matrimonij inter hos, nempe impotentia generandi, & sic frustratio finis, ad quem natura coitum destinavit, militat etiam in copula illicita. Quare hic coitus reducetur ad peccatum contrà naturam. Ita Sanchez.

Similiter cum impedimentis ligaminis, voti solemnis, & sacri Ordinis.

Omitto impedimenta ligaminis, voti solemnis & sacri Ordinis; quia res nimis clara est, quàm ut aliquis posset dubitare. Liquidò, inquam, constat, fornicationem cum impedimento ligaminis, esse adulterium, & cum voto solemni, aut etiam simplici castitatis, uti & cum sacro Ordine, esse sacrilegium.

257. *An tunc sit duplex Malitia? Negat Sanchez.*

Sed nunquid erit duplex malitia, altera contra votum, aut Matrimonij fidem; altera verò, quia contrà Matrimonij impedimentum? Negat Sanchez sup. n. 16. Quia (inquit) quàmvis prohibitio copulæ in his impedimentis non pendeat ex Matrimonij prohibitione; ac proinde concessâ, habenti votum, vel Ordinem, dispensatione ad Matrimonium solum, non eximetur

metur copula à ſacrilegio extrà Matrimonium habita, ut conſtat; at quia idemmet motivum eſt utriuſque prohibitionis, nempè obſervatio voti, fides Matrimonij, indè eſt, ut minimè conſtituatur diverſa malitia ab adulterio & ſacrilegio. Hæc ille.

258. *Cum diſpenſatione in voto, & Ordine ſacro, poteſt ſtare fornicatio ſacrilega.* Itaque differunt hæc impedimenta à prioribus, quòd in voto & Ordine ſacro, poſſit quis diſpenſari ad Matrimonium, ſic tamen, ut fornicatio habeat duplicem malitiam: in prioribus verò, ſublato impedimento ſive prohibitione, non maneat in copula illicita, niſi ſimplex malitia fornicationis.

Et ratio eſt: quia votum v. g. vel ſacer Ordo, non tantùm obligant ad ſervandam caſtitatem extrà conjugium, ſed etiam in ipſo conjugio. Tametſi ergò liceat contrahere Matrimonium, & ita votum vel Ordo ſacer non obliget ampliùs ad perfectam caſtitatem; obligat nihilominùs ad caſtitatem conjugalem, ſeu eam, quæ ſtare poteſt cum conjugio. Et quis dubitet, abſtinentiâ à fornicatione, poſſe ſtare cum conjugio? At verò in aliis impedimentis, tota malitia provenit ab illa prohibitione; quâ proinde ſublatâ, aufertur tota malitia, etiam à copula illicita, adeoq; diſpenſatus in conſanguinitate, v. g. peccat ſimplici fornicatione; porrò cum diſpenſatione in voto, ſtare poteſt copula ſacrilega.

Diſpenſatus in conſanguinitate peccat ſimplici fornicatione.

259. Atque hæc ſatìs de prima parte Concluſionis, quæ docet, aliquando copulam illicitam ex impedimento dirimente contrahere novam ſpeciem malitiæ. Nunquid ſemper? Negat ſecunda pars Concluſionis dicens: *Aliquando non* contrahit novam ſpeciem malitiæ.

Quando copula illicita non contrahat novam ſpeciem malitiæ ex impedimento.

Rogat aliquis: quando non? Reſpondeo: quando irritatur Matrimonium non ob aliquod motivum virtutis, quod reperiatur etiam in copula illicita; ſed in delicti admiſſi pœnam, vel ad præcavendum aliquod damnum.

260. *Tale impedimentum eſt raptus, ex Sanchez.* Ex quo infert Sanchez ſup. n. 17. Si quiſpiam acceſſum habeat cum rapta conſentienti antequam ad locum tutum reſtituatur, quàmvis Matrimonium validum inter eos conſiſtere nequeat, non eſſe circumſtantiam mutantem ſpeciem, nec notabiliter aggravantem, atque adeò non eſſe opus exprimi in Confeſſione. Quia ratio, quæ Trid ſeſſ. 24. de Matr. c 6. induxit, ad id Matrimonium irritandum, fuit plena libertas, in ſtatu perpetuo deſiderata, quæ minimè in copula militat: & ita ex hoc capite nulla eſt ſpecialis prohibitio copulæ, conſtituens diverſam fornicationis ſpeciem.

Quòd ſi copula illa vi extorqueatur, erit diſtincta luxuriæ ſpecies, nempè raptus. At etiam antequā Trid. irritaret Matrimonium, ea inerat malitia tali copulę, & ineſt hodie etiā, caſu quo rapta non extrahatur de domo, in quo eventu non eſt impedimentum Matrimonij. Ex quo fit nullam conſurgere malitiam novam ex talis Matrimonij prohibitione. Hæc ille.

261. *Impedimentum criminis non ſuperaddit novam malitiam.* Et n. 18. ex eodem principio ſeu antecedente infert: copulam cum fœmina, cum qua nequit validè iniri Matrimonium ratione impedimenti criminis, non habere novam circumſtantiam exprimendam in Confeſſione. Quia (inquit) in copula illicita deficit ratio prohibitionis Matrimonij, nimirum pœna delicti admiſſi, & ne detur anſa captandi mortem conjugis, ad contrahendum cum adultera. Ita Sanchez.

Nec video quid hîc dignum ſolutione poſſit objici, quod ex jam dictis non clarè ſolutum ſit, aut nullo negotio ſolvi queat. Nam quod aliqui objiciunt contrà primam partem Concluſionis ex D. Tho. 2. 2. q. 154. a. 1. in corp. ſimplicem fornicationem eſſe ſoluti cum ſoluta, intelligi debet, ſecundùm Sanchez ſup. n. 19., modò non ſit aliquod impedimentum dirimens inter coëuntes, ex quo aliqua ſpecialis malitia derivetur in copulam illicitam. 262. *Objectio ſolvitur.*

Dices: hoc eſt quod quæritur. Reſpondeo: hoc eſt quod jam antea clarè probatum eſt, maximè in impedimento conſanguinitatis; ſiquidem, ſecundùm omnes, copula illicita inter conſanguineos non eſt ſimplex fornicatio, ſed inceſtus.

Planè, inquis; ſed hoc ideò, quia non eſt ſoluti cum ſoluta. 263. *Conſanguinitas facit, ut non ſit copula ſoluti cum ſoluta.*

Fateor: ſed ſicut hoc impedimentum dirimens efficit, ut non ſit copula ſoluti cum ſoluta, ita etiam alia impedimenta dirimentia, de quibus egimus explicando 1. partem Concluſ. efficiunt, ut jam ampliùs non ſit copula ſoluti cum ſoluta, quæ alioquin eſſet ſoluti cum ſoluta.

Quare id. ipſum non efficiat raptus. Quare autem idipſum non efficiant duo impedimenta, de quibus in explicatione 2. partis Concluſ. ratio in promptu eſt; quia motivum prohibitionis non reperitur in copula illicita, adeoque nec prohibitio; quia ceſſante adæquato fine legis in generali, immò & in particulari, ceſſat ipſa lex; jam autem in omni copula illicita inter taliter impeditos, ceſſat ratio legis; ergò & lex. Ubi autem non eſt lex, nec prævaricatio legis, proinde nec peccatum. Nam teſte Pſalmiſtâ Pſal. 118. v. 119. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.*

Hoc pro fine hujus Concluſ. & Sect. addiderim: quædam impedimenta dirimentia, præter culpam, & invaliditatem, inducere etiam excommunicationem ipſo facto, non tamen reſervatam, adverſus eos, qui cum iis contrahere tentant; Clem. un. de Conſanguinitate ibi: *Eos qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis vel affinitatis conſtitutione Canonicâ interdictis, aut cum Monialibus contrahere matrimonialiter non verentur; nec non Religioſos, & Moniales, & Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, Matrimonia contrahentes, reſtrænare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere.* Porrò non debet hæc excommunicatio extendi ad alia impedimenta, præter ea, quæ in iis verbis expreſſa ſunt. 264. *Quædam impedimenta inducunt excommunicationem ipſo facto.*

Et hactenus quidem de Impedimentis Matrimonij in communi. Separatim jam agendum eſt, tum de impedimentis merè prohibentibus, tum etiam quàm maximè de impedimentis dirimentibus. Priori autem loco tractabimus de merè prohibentibus, quia res eſt facilis & brevis. Sit itaque.

SECTIO SECVNDA.

DE

Impedimentis merè prohibentibus MATRIMONIUM.

1. *Dantur aliqua impedimenta merè prohibentia.*

PRorsus indubitatum est, non omnia impedimenta dirimere Matrimonium; sed aliqua inveniri merè prohibentia, ut patet ex Sect. præcedenti, & hîc ampliùs declarabitur. Quæ autem illa sint, & quot numero, habetur in principio hujus disputationis, ubi duodecim enumeravimus, sex versibus comprehensa; quorum quinque priora non consurgunt ex crimine aliquo, septem autem posteriora proficiscuntur ex crimine. Et inter quinque priora, duo impediunt jure naturæ, tria autem tantùm jure Ecclesiastico, uti & septem posteriora.

De iis quæ impediunt jure naturæ, primo loco disputabimus, cùm jus naturæ indubiè præcedat tam tempore, quàm dignitate, jus Ecclesiasticum. Dico itaque primò:

CONCLUSIO I.

Iure naturæ impediunt Matrimonium contrahendum sponsalia, & votum. Non dirimunt contractum.

2. *Sponsalia obligant non transire ad aliud Matr.*

SPonsalia intelliguntur reciproca promissio Matrimonij per verba de futuro, quæ secundùm communem DD. sententiam non solùm ex fidelitate, sed etiam ex justitia graviter obligat sponsos ad solutionem, id est, ad Matrimonium contrahendum per verba de præsenti, nisi justa dissolvendi causa adsit; ac proindè graviter obligat, non transire ad aliud Matrimonium.

Probatio.

Nam quod obligat ad finem, etiam consequenter obligat ad media necessaria, pro tali fine obtinendo; unum autem ex mediis necessariis ad obtinendum finem sponsalium, est abstinentia ab alio Matrimonio, utpotè per quod impediatur prius Matrimonium, & non solùm impediatur, sed etiam dirimatur.

3. *Sponsalia impediunt Matr. jure naturæ.*

Igitur sponsalia jure naturæ impediunt Matrimonium, id est, qui contraxit sponsalia, jure naturæ impeditur contrahere Matrimonium cum altera persona, nisi adsit justa causa sponsalia dissolvendi.

Probatur ex ratione.

Quid miramur? Res alteri obligata, maximè per contractum onerosum, non potest sinè injuria, aut certè sine peccato infidelitatis, tradi tertio; jam autem per sponsalia corpus sponsi obligatur sponsæ, & è converso, non quidem in facto esse, sed in fieri: ergò non potest sinè injuria, aut peccato infidelitatis, tradi tertio; quod tamen fieret per aliud Matrimonium subsequens. Igitur hoc Matrimonium, quàmvis validum, equidem jure naturæ est illicitum: id autem nihil aliud est, quàm sponsalia impedire Matrimonium, & non dirimere.

Non dirimunt.

Utrumque exprimitur in jure Canonico cap. *Si inter*, de Sponsalibus, ibi. *Verùm si inter ipsos accessit tantummodò promissio de futuro, utroq; dicente alteri*: Ego te recipiam in meam, &, ego te in meum, *sive verba similia, si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit; etiamsi inter ipsam & primum juramentum intervenerit (sicut diximus) de futuro, hujusmodi despensationis intuitu secundum Matrimonium non poterit separari, sed eis est de violatione fidei pœnitentia injungenda.*

4. *Utrumque exprimitur cap. 31. de Sponsal.*

Ubi Gloss. verb. *Non poterit separari. Quia* (inquit) *fortius vinculum supervenit, & sic solvuntur sponsalia, non obstante juramento.*

Idem decernitur c. 1. de Sponsa duorum: *Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere; si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita, maneat tamen cum illa, quam duxit.*

5. *Item c. 1. de Sponsa duorum.*

Rogas quid sit fides pactionis? Respondetur ex eodem jure: *Est autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui fidem, quod eam ducet.* Igitur de hac veritate non est relictus dubitandi locus.

Quid sit fides pactionis.

Sed neque de 2. parte Concluſ. puta: Votum jure naturæ impedire Matrimonium contrahendum, non dirimere contractum. Per votum autem intelligo votum simplex servandæ castitatis, aut ingrediendæ Religionis, in qua fit Professio castitatis, vel suspiciendi Ordinis sacri, aut abstinendi à conjugio.

6. *Votum jure naturæ impedit, non dirimit.*

Quid per illud intelligatur.

Hoc porrò votum, scilicet abstinendi à conjugio obligare, nemo dubitat: quia est de re licita & bona, ac simpliciter de re meliori. Quare qui vovit abstinere à conjugio, liquet profectò, quòd jam non possit licitè contrahere Matrimonium; cùm hic contractus directè opponatur rei votæ, scilicet abstinentiæ à conjugio; quousque ergò illa abstinentia manet res vota, id est, manet res licita & bona, & simpliciter melior

Probatur, votum abstinendi à conjugio impedire.

melior, manet obligatio voti; ſin autem fiat mala, aut minùs bona, propter mutationem circumſtantiarum, jam deſinit obligare votum defectu debitæ materiæ; & per conſequens tali caſu licitum foret Matrimonium contrahere; imò aliquando poſſet eſſe præceptum. Sed hoc per accidens eſt: Concluſio intelligitur per ſe loquendo, ſcilicet, manente actuali obligatione voti, non impeditâ.

7. *Idem probatur de aliis votis.* Quantùm ad votum ſimplex caſtitatis, Religionis ingrediendæ, aut ſuſcipiendi Ordinis ſacri, quàmvis Matrimonium abſolutè non repugnet rei votæ; repugnat tamen, ſi contrahatur Matrimonium eo modo, quo ſolet contrahi, ſcilicet cum animo illud conſummandi; quia conſummatio opponitur caſtitati, ſimiliter ingreſſui Religionis, & ſuſceptioni Ordinis ſacri.

8. *Qui conſummat Matr. reddit ſe inhabilem ad Religionem, & Ordinem ſacrum.* De caſtitate res eſt manifeſta; de ingreſſu Religionis & ſuſceptione Ordinis ſacri probatur: quia Matrimonio conſummato, per ſe loquendo illicitum eſt ingredi Religionem, aut ſuſcipere Ordines ſacros, ſine conſenſu conjugis. Ergò qui conſummat Matrimonium, reddit ſe inhabilem ad ingreſſum Religionis, quantùm eſt ex ſe, & ſimiliter ad ſuſceptionem Ordinis ſacri; cùm tamen debeat ſe habilem & expeditum ſervare ad votum ſuum adimplendum.

Votum prohibet conſummationem. Igitur votum prohibet talem conſummationem; nam quod obligat ad finem, obligat etiam, ut ſuprà dictum eſt, ad media neceſſaria pro tali fine obtinendo; unum autem ex mediis neceſſariis ad votum adimplendum, eſt abſtinentia à conſummatione Matrimonij. Qui ergò habet animum conſummandi Matrimonium, liquidò manifeſtum eſt, habere animum non obſervandi votum ſuum; ac proinde nequit Matrimonium cum tali animo contrahere.

9. *Idque jure divino & naturali.* Atque hæc vis ineſt voto non tam ex præcepto poſitivo Eccleſiæ, quàm per ſe ex jure Divino & naturali: quia ex natura rei tenetur quiſque ſervare, quæ Deo promiſit; quippe per talem promiſſionem Deus acquiſivit jus ad rem promiſſam, ſaltem jus fidelitatis; ergò non ſolvendo, aut impediendo ſolutionem rei promiſſæ, quod fit per Matrimonium & conſummationem ejus, peccatur ſaltem contrà fidelitatem Deo debitam.

Igitur in illis circumſtantiis, in quibus obligant prædicta vota, conſtat, quia in eiſdem prohibeant Matrimonium contrahendum, eo modo quo ſolet contrahi, id eſt, cum animo id conſummandi. Sin autem tales circumſtantiæ occurrerent, in quibus ampliùs ea vota non obligarent, in eiſdem neque prohiberent Matrimonium contrahendum, etiam cum animo id conſummandi.

10. *Non prohibet Matr. ſine animo conſummandi.* Hinc ſi quis, voto caſtitatis adſtrictus, vellet contrahere Matrimonium, animo determinato non conſummandi illud, conſentiente in hoc altero conjuge, aut etiam ſimili voto ſe obligante ad perpetuam continentiam, non peccaret ſic contrahendo, dummodò abſit periculum copulæ ſeu conſummationis aut alterius immunditiæ. Quia nempe ſic nihil contrà caſtitatem admittitur.

Aliquando licitè ſic contrahitur. Quinimò etiam non requiſito conſenſu alterius conjugis, poſſet aliquando licitè contrahere, cum determinatione ingrediendi Religionem intrà bimeſtre, prout de jure poteſt, & ita diſſolvendi Matrimonium ratum per Profeſſionem religioſam. Quando autem hoc licitè poſſet fieri, non eſt locus hìc diſputandi.

11. *Vinculum Matr. non eſt formaliter contrarium caſtitati.* Hoc tantùm dico; vinculum Matrimonij per ſe ſpectatum, non eſſe formaliter contrarium caſtitati, ſed ſolùm radicaliter ſeu virtualiter, inquantùm ſcilicet ad copulam ordinatur; adeòque contrahens non peccat contrà votum ſuum, niſi inquantùm vel intendit copulam, vel exponit ſe periculo copulæ; eâ ergò intentione ſecluſâ, & ſepoſito periculo, votum caſtitatis non impedit Matrimonium, utì nec votum Religionis, in qua fit Profeſſio caſtitatis.

Vìi nec Religioni, aut Ordini ſacro. Nunquid etiam votum ſuſcipiendi Ordinem ſacrum? Affirmo: quàmvis enim ad hunc admitti nemo poſſit, niſi de conſenſu alterius conjugis, hoc tamen intelligendum eſt poſt Matrimonium conſummatum: nam antè conſummationem poteſt ingredi & profiteri Religionem, ſicque diſſolvere Matrimonium ratum, & hoc diſſoluto ſuſcipere Ordinem ſacrum, ſecluſo ſemper periculo copulæ.

12. *Aliquandò licet contrahere cum animo conſummandi, non obſtante voto caſtitatis &c.* Et verò tales poſſent occurrere circumſtantiæ, ut cum prædictis votis poſſet quis licitè, ſecundùm multos, contrahere Matrimonium, etiam cum animo illud conſummandi. In primis, ſi promiſſione conjugij extorſit copulam à virgine vel vidua bonæ famæ, & damnum illatum non eſt aliâ viâ reparabile, quàm per Matrimonium conſummatum, de quo caſu prolixè egimus diſp. præcedent. Sect. 1. Concluſ. 13. Videantur ibi dicta.

Primus caſus.

Secundus. Secundus caſus eſt, quando poſt prædicta vota, metu mortis cogitur quis contrahere, & conſummare Matrimonium; de quo egimus diſp. præced. Sect. 7. Concluſ. 10. & præſenti diſp. Sect. præced. Concluſ. 5. Idemque dicendum, quando quis poſt ſponſalia metu mortis cogeretur contrahere aliud Matrimonium, illudque conſummare. Ratio eſt: quia neque votum, neque ſponſalia, videntur obligare cum periculo tanti mali; nam res tunc cenſentur notabiliter mutatæ. Eo ſemper ſalvo, ut tale Matrimonium ſit validum. Vide dicta locis citatis.

13. *An etiam in caſu, quo quis urgetur ſtimulis carnis.* Nunquid etiam licitum eſt, poſt prædicta vota contrahere, & conſummare Matrimonium, quando quis urgetur vehementiſſimis carnis ſtimulis, expertuſque eſt, paſſim ſe ſuccumbere, nec vires ad reſiſtendum ſentit?

Negat Sanchez. Certiſſimum eſt, quòd non; conſtatque (inquit Sanchez ſup. diſp. 11. n. 9.) ex uſu Eccleſiæ, quæ non exiſtimat, hunc eximi à voto, ratione prædictæ difficultatis antecedentis aut ſubſequentis, ſed cauſam eſſe diſpenſationis. Quia (ut optimè ait Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. punct. 2. dub. 4. colum. 10. pag. 1344. §. *Reſpondeo ad argumentum*, & duplici ſequenti, & punct. 4. dub. 4. colum. 8. pag. 1359.) cùm materia votorum caſtitatis & Religionis ſit res graviſſima, & perquàm grata Deo, ac ſubinde

Probat ex Valentia.

magnum in eorum violatione periculum subsit; non cujuscumque judicio, quantumvis moraliter certo, relinquendum est, an voventi, omnibus consideratis, expedientiùs sit Matrimonium, sed auctoritas Superioris dispensantis expectanda est.

14. *Duplex consideratio ejus qui vovit.* Unde dupliciter potest considerari his votis ligatus. Priori modo, ut quædam singularis persona: posteriori autem, ut pars communitatis Ecclesiæ, & ut bonum vel malum Ecclesiæ, est etiam bonum vel malum ipsius. Quàmvis ergò illi, ut singulari personæ, posset esse melior & salubrior status Matrimonij; secùs tamen, ut est pars communitatis Ecclesiæ. Certissimum enim est, statum continentiæ esse tali, ut parti illius communitatis, atque adeò omnibus pensatis, meliorem ac Deo gratiorē, quamdiu Superior cum eo non dispensaverit. Quippe plurima scandala & mala Ecclesiæ pullularent, si cuique permissum esset, propriâ auctoritate, ob frequentes carnis lapsus, votis his postpositis, ad nuptias transire.

Quid requiratur, ut obligatio voti cesset. Quare ut voti obligatio cesset, ob votorum horum præstantiam oporteret quidem materiam illius minùs bonam reddi voventi, si omnia pensentur; atque adeò si is, qui vovit, consideretur, ut est pars communitatis Ecclesiæ. Sicut abstinentia à carnibus in Carthusianis, eo morbo laborantibus, ut judicio medicorum salus desperetur, nisi illis vescantur, à culpa vindicatur: quia quàmvis Carthusianus, ut privatus quidam, in eo discrimine constitutus, illis uti teneretur, eique expedientiùs id foret: ab ea tamen obligatione eximitur, quòd omnibus pensatis, atque eo, ut membro quodam sanctissimæ Religionis, consultiùs illi sit, atque ut in commune totius universitatis Christianæ exemplum eluceat, conducentiùs illi, abstinere cum propriæ vitæ jactura. Hucusque Sanchez.

15. *Frequens lapsus in peccatum non tollit per se obligationem voti. Probatur.* Itaque periculum peccandi contrà votum castitatis, immò & frequens lapsus in peccatum, non sunt mutatio sufficiens materiæ ad tollendam per se obligationem voti: nam cum auxilio Dei, quod non deest iis, qui faciunt quod in se est, potest homo superare illa peccata. Adhibeat ergo remedia ordinaria, vitando occasiones & otium, ac exercendo se in jejuniis & orationibus. Quòd si hoc nolit facere, sibi, non rei difficultati imputet, quòd peccet. Nec enim ob suam inordinatam voluntatem, aliquis acquirit jus, frangendi sua vota.

Quòd si illa faciens (inquit Coninck disp. 30. n. 28.) nihilominùs adhuc graves difficultates experiatur, superandæ tamen sunt, cùm id absolutè possit cum gratia Dei, quæ ei non deerit. Quia castitatis tanta excellentia est, ut etiam per summas difficultates expetenda sit.

16. *Confirmatur ex Coninck.* Et confirmat ibidem hanc doctrinam; quia ut quis liberetur promissione, etiam homini facta, non sufficit omnis talis difficultas de novo occurrens, quæ si fuisset ab initio prævisa deterruisset alterum à promittendo: sed necessariò requiritur talis, quam promissarius non potest tollere, & quæ prævisa, communiter cordatum quemque à promittendo averteret. Talis autem nullo modo in nostro casu potest censeri difficultas superandi tentationes contrà castitatem. Quia etsi omnibus satis constet, sæpissimè tales difficultates in servanda continentia occurrere; paucissimi tamen verè cordati, & quibus cordi sua salus est, ac castitatis excellentia perspecta, ideò à statu Ecclesiastico suscipiendo, atque eâ vovendâ abstinent; nec quemquam verè constantem sui voti ideò postea pœnitet, & si quis sit, quem pœniteat, is ab omnibus judicatur inconstans. Quod maximè verum est, cùm ejusmodi certamini ea præmia à Deo sint proposita, quæ infinities majorem laborem mereantur.

17. *Vovens non censetur hunc casum excepisse.* Ex quibus clarè sequitur, neminem voventem castitatem, posse prudenter censeri, hunc casum excepisse. Sicut qui vovisset, in Professo B. Virginis ad locum ei sacrum peregrinari, non excusaretur, quòd dies esset pluvius, etsi facilius id voverit, quòd crederet futurum serenum, aliàs id non voturus. Hactenùs Coninck.

Et ratio est: quia non est error circà substantiam voti aut redundans in ejus substantiam; sed circà aliquid merè accidentale, quod facile poterat à vovente prævideri, & debebat prævideri.

18. *Non est error circa substantiam.* Ergò consimiliter in casu nostro; quòd aliquis putet, observationem castitatis esse facilem unicuique, error est, non circà substantiam, sed circà aliquid accidentale, quod poterat & debebat à vovente prævideri, & supponitur communiter prævisum, ideoque non irritat votum; & aliàs datur occasio quàm sæpissimè infringendi vota, cum perturbatione pacis communis, si quilibet propriâ auctoritate posset contrahere Matrimonium ad evitandam propriam voluntariam incontinentiam.

Hæc veritas definita est à Trid. Audite Concil. Trident. sess. 24. de Matr. Can. 9. *Si quis dixerit, Clericos &c. posseq; omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.* Quomodo clariùs posset hæc veritas definiri?

19. *Occurritur objectioni.* Nec ideò minùs provisum est fragilitati humanæ; quia abundè sufficit, quòd à Superiori tali casu votum possit dispensari.

Error hæreticorum, votum castitatis esse impossibile, refutatur, ex Coninck. Quare (inquit Coninck sup. n. 29.) quod hæretici dicunt, ejusmodi vota illicitè fieri, quia voventes communiter non habent donum continentiæ, ideoque tale votum tamquam impossibile eos non obligare; est apertè contrà omnem experientiam: quia plurimos atque adeò omnes, qui cum Dei gratia ad id seriò laborant, videmus ea integerrimè servare. Est etiam contrà omnem rationem; quia similiter, si cujus conjux ob impotentiam, morbum aut aliam causam, fieret inutilis usibus Matrimonij, posset alter sive vir, sive mulier dicere, impossibile sibi esse continere, atque ita se non ampliùs obligari datâ fide Matrimonij, & velle aliud inire, quod absurdissimum est. Hæc ille.

Et siquidem in illo casu satis provisum sit fragilitati humanæ, tametsi non liceat inire aliud Matrimonium; multò magis in casu nostro, in quo

quo adhuc licet inire Matrimonium, accedente diſpenſatione Superioris; cujus utique diſpenſationis juſta cauſa communiter cenſetur, nimia infirmitas peccandi, propter quam tamen non licet homini diſſolvere Matrimonium.

20. *Eſt contrà Apoſt. 1. Timot. 4.*

Eſt etiam hic error hæreticorum contrà Apoſtolum 1. ad Timot. 4. ubi (inquit Coninck ſup.) agens de viduis, quæ emiſſo voto continentiæ ſolebant miniſtrare Eccleſiæ, ait: *Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Non poteſt autem hìc intelligi ulla fides irrita facta, ſive violata, præter votum caſtitatis; quod illæ, dum ad illud officium aſſumebantur, emittebant, & nubendo frangebant; & tamen Apoſtolus generatim docet, tales habere damnationem, quæcumque eam fidem irritam faciunt, apertè oſtendens, omnes eam potuiſſe ſervare. Hæc ille.

21. *Objicitur Apoſt. 1. Cor. 7. Si non ſe continent, nubant.*

Quid ergo, inquis, ad Apoſtolum 1. Cor. 7. ubi ait v. 9. *Si non ſe continent, nubant?* Quòd ſi nubere licitum, etiam licitus eſt actus conjugalis, ſine quo non occurritur incontinentiæ, & ad quem per ſe ordinantur nuptiæ: igitur ad evitandam incontinentiam, licitum videtur uti hâc licentiâ Pauli. Unde ſub hac conditione videtur votum factum, ut convincunt verba ſequentia: *Melius eſt enim nubere, quam uri.* Porrò in voto ſemper excipitur quod melius eſt.

Prima reſp. ex Regio.

Reſpondetur 1. (inquit Coninck ſup. n. 30.) inde non ſequi, talem licitè contrahere Matrimonium; quia ipſi non eſt neceſſe nubere, vel uri; nec hoc vovit, ſed ſervare caſtitatem, quod & vovit & optimum ei eſt, ac facere poteſt.

22. *Reſp. 2.*

Reſpond. 2. Etſi ſolutæ melius ſit nubere, quàm uri; non tamen ei, quæ obſtricta eſt voto caſtitatis. Quia melius eſt aliquando ex fragilitate peccare contrà votum caſtitatis, quàm ad hoc totâ vitâ faciendum ſe obligare, quod facit talis dum nubit; nam obligat ſe, ut contra votum caſtitatis tota vitâ ſuâ reddat debitum marito. Nec enim per Matrimonium eximitur ab obligatione voti, ſed ejus impletionem ſibi reddit impoſſibilem: nec ipſa impoſſibilitas efficit, ut redditio debiti in ipſa non ſit contrà votum caſtitatis; ſed ſolùm facit, ut per eam formaliter non peccet.

Per Matr. non eximitur quis ab obligatione voti.

Quare dum ſponte reddit ſibi redditionem debiti neceſſariam, tantùm peccat contrà votum, quantum fortè tota vita peccaret, ſæpiùs fornicando. Sicuti Sacerdos qui ſuſcipiens unius menſis navigationem, initio abjiceret Breviarium in mare, ut liberiùs poſſet omittere horas, tantùm peccaret, quantum is, qui tanto tempore eas ſponte non legeret.

Adde: talem exponere ſe certo periculo ſæpiùs petendi debitum, atque ita peccandi formaliter contrà votum. Ita Regius.

23. *Alia reſponſio.*

Addo ego: Apoſtolum non dicere, melius eſſe nubere, quàm caſtitatem vovere, & poſt votum ſervare; ſed: *Melius eſt nubere, quàm uri,* ubi nuptias ſoli incontinentiæ præfert. Unde abſolutè conſulit caſtitatem tamquam meliorem v. 7. *Volo enim omnes vos eſſe, ſicut meipſum.* Et alibi in eod. cap. Cùm igitur nuptiæ non ſint abſolutè meliores, quàm obſervatio voti; ſed vice versâ, obſervatio caſtitatis ſit abſolutè melior, quàm nuptiæ, non cenſentur hæ in voto caſtitatis exceptæ.

24. *Objectio ex D. Cypriano*

Nec officit; quod D. Cyprianus Epiſt. 62. ad Pomponium, loquens de Virginibus, ait: *Quòd ſi ex fide ſe Chriſto dicaverunt, pudicæ & caſtæ ſine ulla fabula perſeverent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeverare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant.*

Solvitur.

Non officiunt, inquam, doctrinæ Catholicæ hæc verba: quippe licèt in prioribus agat Cyprianus de illis, quæ voverunt caſtitatem; equidem quando dicit: *Si autem perſeverare nolunt,* non agit de eo, quod ipſis licet pòſt votum jam factum; ſed de eo, quod expendere debent, priuſquàm illud faciant; & tunc dicit, quòd ſi nolint, vel non poſſint ſervare caſtitatem, quam intendunt vovere, melius ſit, ut nubant, quàm in ignem delictis ſuis cadant. Ita cum aliis explicat Pamelius in Annot. in D. Epiſt. ibi: Ut hic ſit ſenſus: Sin verò perſeverare nolunt, aut non poſſint, non ſe Chriſto dicent, ſed potiùs nubant.

25. *Objicitur etiam teſtimonium D. Epiphanij.*

Objicitur etiam teſtimonium D. Epiphanij lib. 2. contrà hæreſes to. 1. hæreſi 61. *Melius eſt unum peccatum habere, & non plura, melius eſt lapſum, palam ſibi uxorem ſumere, quàm quotidie occultis jaculis ſauciari.*

Prima reſp. ſponſ.

Reſpondetur 1. Epiphanium ibi ſolùm dicere; melius eſſe, lapſum publicè nubere, & poſteà pudore perfuſum pœnitentiam agere, ſcilicet pro peccatis præteritis, quàm tota vita, ſine ſpe correctionis, in occulta fornicatione manere. Sicut etiam ſolemus dicere (inquit Coninck ſup. n. 31.) ſæpè aliquibus, qui levìora peccata contemnunt, & totâ vitâ ea periculosè frequentant, expedire, ut in gravius aliquod peccatum lapſi confundantur, & ſic ferventiùs ad pœnitentiam ac novam vitam redeant.

Coninck.

26. *Reſp. 2.*

Reſpondetur 2. (ait idem Auctor) Epiphanium ibi illud dicere de virgine, quæ ſinè ullo voto, cum ſolo ſervandæ virginitatis propoſito, inter virgines agit. Ejuſmodi enim virgines, ab iis, quæ ſe Deo per votum obligant, apertè diſtinguit. Et has nubendo ex Apoſtolo, docet habere damnationem; illas verò ſolum judicium, quo privantur ſuâ coronâ, & judicantur indignæ illâ perfectione & ordine, ex quo nubendo ceciderunt: ideoque dicit, iis etiam opus eſſe pœnitentiâ, quâ ſcilicet ignaviam ſuam corrigant; vel etiam, quia, ut ſæpè in iis fit, ipſas nuptias lapſus præcedit. Hæc ille.

27. *Reſolutio finalis.*

Igitur nec propter hoc teſtimonium D. Epiphanij, nec propter iſtud D. Cypriani, recedendum eſt à definitione Concil. Trident. ſup. allegatâ, quæ ait: non poſſe omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, donum habere. Proinde erit reſolutio finalis. Adſtrictus voto ſimplici caſtitatis, Religionis, in qua vovetur caſtitas,

Sacri Ordinis suscipiendi, aut non ineundi conjugij, non potest licitè absque dispensatione contrahere Matrimonium, quàmvis vehementissimis carnis stimulis urgeatur, expertusque sit, passim se succumbere, nec vires ad resistendum sentiat, sive votum antecesserit difficultatem hanc se continendi, sive subsecutum fuerit.

28. *Quæ voti, eadem est ratio juramenti. Et quæ voti absoluti, etiam conditionati.*

Cæterùm quæ hactenùs dicta sunt de voto, etiam locum habent in juramento: nam etiam juramentum obligat ad observantiam rei juratæ. Neque solùm intelligenda sunt de voto absoluto, sed conditionato quòque: ut, si quis castitatem promiserit eâ conditione, si aliquid assecutus sit; vel post parentum obitum promiserit ingressum in Religionem. Quàmvis enim non teneatur ad votum, donec conditio impleatur, & dum parentes superstites fuerint: at tenetur interim se talem servare, ut possit conditione impletâ, aut eo tempore accedente obitu parentum servare votum. Quare interdictum est sibi interim Matrimonium, quod ei voto adimplendo impedimentum præstat. Ita Sanchez sup. n. 7. cum Abulensi c. 30. Numer. q. ult. & est communis sententia, neque video quid possit efficaciter objici.

Sanchez.

Abulensis.

29. *An peccet, qui scienter contrahit cum eo, qui habet votum? Affirmat Sanchez. Prima probatio.*

Sed nunquid, interrogat aliquis; quia peccat habens votum castitatis, etiam peccat mortaliter, qui cum eo init Matrimonium? Affirmat Sanchez sup. n. 11. dicens: Scienter contrahens cum habente votum castitatis, peccat mortaliter. Quippè cooperatur alterius peccato, fitque socius & particeps illius.

Secunda.

Prætereà: quia cùm votum illud sit Matrimonij impedimentum, quod inter duos necessariò debet consistere, utrumque contrahentem afficit. Tenetur enim uterque Matrimonio ineundo abstinere, impedimento impediente vel dirimente in alterutro eorum existenti.

Tertia.

Tandem colligitur à contrario sensu ex D. Aug. Epist. 70. ad Bonifacium Comitem (& refertur 17. q. 2. c. 2.) ibi: *Illa tamen nihil eorum sciens, innocenter tibi & simpliciter nupsit.* Ubi Glossa verb. *Sciens*, inquit: *Ergò si sciviſſet, quod votum simplex fecerat, peccaſſet ipsa mortaliter, quod verum est; sicut & alter, qui impediviſſet votum ipsius.* Ita Sanchez probat suam sententiam, citatis pro ea multis Auctoribus.

30. *Occurrit Sanchez objectioni.*

Quia autem providebat, quid ei posset objici: obstat (inquit) fortiter: nam inire Matrimonium cum excommunicato parato, & non denuntiato, nulla est culpa, nec cooperatio, quàmvis ipse excommunicatus peccet; quia excommunicatus non inducitur ab altero, & potest benè contrahere petità priùs absolutione. Similiter ergò nulla erit culpa, cum habente votum castitatis parato, inire Matrimonium; potest enim priùs obtentâ voti dispensatione licitè id facere. Audistis objectionem. Intendite nunc solutioni.

31. *Quare non peccet, qui contrahit cum excommunicato.*

Respondetur (inquit Sanchez) disparem esse rationem. Nam excommunicatio non est impedimentum speciale Matrimonij; sed sicut peccatum mortale impedit omnium Sacramentorum receptionem ratione indignitatis recipientis; ita excommunicatio, quia ita statuit Ecclesia, ob reverentiam & dignitatem Sacramenti, quod bonam recipientis dispositionem petit. Cùm non sit igitur speciale impedimentum Matrimonij, nec illi obstet, quatenùs contractus est, sed ratione Sacramenti; inde est, ut id obstaculum non afficiat utrumque contrahentem. Quare ex ea parte nulla erit culpa in non excommunicato, nisi cooperetur ad alterius peccatum, quæ cooperatio non reperitur in contrahente cum eo excommunicato parato.

Sicut qui contrahit cum habente votum.

At votum impedimentum speciale est Matrimonij, ut est contractus; ac proinde utrumque contrahentem impedit. Iustus enim Matrimonij contractus petit, in neutro contrahente esse impedimentum impediens aut dirimens. Quare licèt cesset cooperatio, cùm astrictus voto est paratus, & inducit alterum, qui, ut suæ utilitati consulat, Matrimonio annuit: at non cessat ratio peccati, eo quòd contravenitur impedimento impedienti. Hactenùs Sanchez.

32. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis: si cessàt cooperatio, cùm astrictus voto est paratus; ergò ex illa cooperatione non rectè probatur generalis doctrina Sanchij sup. *Scienter contrahens cum habente votum castitatis, peccat mortaliter. Quippe cooperatur peccato alterius, fitq; socius & particeps illius.* Iam enim admissum est posse fieri, ut non cooperetur peccato alterius; scilicèt si non inducat, sed Matrimonium oblatum tantùm acceptet.

Videtur quòd hæc non semper peccet, estò induceret ad Matr.

Atque ut induceret, si votum circumstantiis ejusmodi sit munitum, ut alter facillimo negotio possit habere ejus dispensationem, unde probatur, quòd inducens peccet? Non enim intendit fractionem voti, sed suam utilitatem ex contracto Matrimonio; & omnibus modis exoptat, ut non contrahat, nisi petità & obtentâ dispensatione.

33. *Probatur à simili.*

Sicuti qui inducit Parochum, quem novit esse in statu peccati mortalis, ad sibi ministranda Sacramenta necessaria, aut multùm utilia, etsi sciat, quòd Parochus ministrabit in malo statu, & per consequens, quod graviter delinquet, non ideò cooperatur illi delicto; quia Parochus, si vellet, posset licitè ministrare, & tenetur in bono statu ministrare, adeoque inducens solùm habet se permissivè ad istud delictum Parochi.

Ergò similiter in hoc casu, cùm alter possit facillimè dispensationem voti sui obtinere, & deberet obtinere, si velit contrahere; si contrahat nihilominùs sine dispensatione, quàmvis ipse peccet, tamen ad hoc peccatum ille qui inducit ad contractum, solùm se habet permissivè; ac proinde ex ea parte non videtur peccare, suppositâ rationabili causâ cum eo contrahendi, v. g. propriâ utilitate, quam sperat ex eo Matrimonio, quæ ordinariè intervenit.

34. *Aliter arguitur contra Sanchez.*

Et verò: non solùm contractus Matrimonij debet inter duos consistere, sed etiam Sacramentum Matrimonij, ut clarum est; si ergò impedimentum Sacramenti non necessariò utrumque contrahentem afficit, cur impedimentum contractûs debeat utrumque afficere? Hoc ergo probandum est, non supponendum; videtur autem

tem Sanchez potiùs ſupponere, quàm probare.

Aliud fundamentum ejus doctrinæ ex Coninck.

Hinc prædictam doctrinam, intellectam non de quolibet impedimento, ſed de impedimẽto voti (& idem eſt de impedimento Sponſalium) alio fundamento amplectitur Coninck ſup. n. 35. Quia, inquit, uſurpat ſibi rem alteri obligatam, & huic eam ſubtrahit.

35. *Occurritur objectioni.*

Nec obſtat; quòd alter eam offerat, quia validè eam offerre non poterat, nec alterius poteſtati ſubducere, niſi hic, oblationem acceptando, eam ſibi uſurparet, atque ita directè etiam alteri injuriam infert. Secùs eſſet, ſi alteri tantùm eſſent illicitæ nuptiæ ob aliquam prohibitionem; quia hæc non ligat non prohibitum.

Quàmvis in caſu propoſito oblatio Matr. non ſit licita, ſecùs tamen acceptatio.

Et quàmvis non poſſit petere, ut prohibitus contrahat (quia non poſſum ab aliquo petere, quod licitè facere non poteſt) non tamen tenetur impedire, ne id faciat, niſi ex correptione fraternâ, quâ tenemur proximi peccatum impedire; quæ tamen non obligat cum magno noſtro incommodo, quale eſſet recuſare valdè commodas nuptias.

Acceptando autem oblationem non incitat alterum ad peccandum, nec ei cenſetur cooperari, ut in ſimili docet P. Leonardus de Iuſtitia c. 19. dub. 4. n. 48. de accipientibus legata, quæ beneficiatus ex bonis ſuperfluis iis illicitè legavit, aut etiam munera, quæ ipſis illicitè dat. Ita Regius.

36. *Probatur à ſimili ex Leſſio.*

Igitur in hoc ſimili, datio, quæ non poteſt eſſe niſi inter plures, eſt illicita, quàmvis acceptatio ſit licita. Cur hoc? quia pauperes, quibus ea bona ſuperflua deberent diſtribui, non habent verum aliquod jus ad illa bona; ſed ſolùm præcipitur beneficiato, ut illis ea det, & prohibetur ne aliis det. Ergo ſimiliter in propoſito caſu, quàmvis prohibeatur alicui, ne det corpus ſuum alteri, non tamen prohibetur alteri, ne corpus ſibi datum acceptet; niſi quando alij habent verum aliquod jus ad corpus, quod illicitè datur, ut contingit, quando corpus quod datur, per votum vel ſponſalia alteri eſt obligatum.

37. *Certum eſt, quod acceptatio valeat.*

Quidquid ſit de malitia dationis & acceptationis, certum eſt, quòd acceptatio valeat. Nam ſecunda pars Concluſ. quæ ait, prædicta vota non dirimere Matrimonium contrahendum expreſſis verbis traditur in jure cap. *Conſuluit*, 4. Qui Clerici vel voventes, ibi: *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſicut ſimplex votum Matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum: ita habitus* &c.

Probatur ex diverſis juribus.

Et cap. *Rurſus*, 6. eod. ibi: *Quòd ſi poſtquam hujuſmodi præſtitit juramentum, ad nuptias motu proprio convolaſſet: cùm votum ſimplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum* &c.

Item cap. un. de Voto in 6. ibi: *Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne quantùm ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per Profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de Religionibus, per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua verò vota, etſi quandoq; Matrimonium impediant contrahendum, & quantò manifeſtiùs ſunt emiſſa, tantò propter plurium ſcandalum, & exemplum, durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur; non tamen reſcindere poſſunt Matrimonia poſt contracta.*

Ratio autem non aliundè petenda eſt; niſi quia id nec poſtulat natura voti, nec jure Divino, nec per ſacros Canones reperitur ſtatutum. Imò potiùs contrarium ſtatuitur per Canones, ut patet ex d. juribus. Et ſanè ſi natura voti id exigeret, aut jure Divino ſtatutum foret, non eſt credibile, quòd jus Canonicum oppoſitum ſtatuiſſet, aut declaraſſet, nec ſtatuere aut declarare potuiſſet ſine maximo errore, quem nunquam permittet Spiritus ſanctus, qui docet Eccleſiam omnem veritatem. 38. *Probatur ex ratione.*

Excipitur tamen ab hac doctrina votum ſimplex caſtitatis, emiſſum poſt biennium in Societate Ieſu, ex ſpeciali conſtitutione Greg. 13. *Aſcendente Domino*, de qua egimus præcedenti parte Sect. ult. Concluſ. 9. Quod optimo conſilio feciſſe Pontificem, inquit Sanchez ſup. n. 5; eò quòd rationes, ad non irritandum Matrimonium in ſæcularibus, ceſſent. 39. *Excipitur ſimplex votum caſtitatis in Societate.*

Rogas quæ ſint illæ rationes? Reſpondet Sanchez ſup. n. 4. Id votum ſimplex emittentes non propriè mutant ſtatum, & ſæpè abſque magna deliberatione, & privatim abſque teſtibus id vovent; nec magis Eccleſiæ ſe ſubjiciunt, quàm anteà ſubjecti eſſent; unde cogi nequeunt ad votum ſervandum per viam judicij, ſed per viam correctionis fraternæ. Atque proindè non expedivit hujuſmodi Matrimonia irritare. Hæc ille. *Quare alia non dirimant.*

Porrò quòd hæ rationes ceſſent in Religioſis Societatis Ieſu, imò contrariæ adſint, quæ juſtam & valde expedientem eam irritationem reddant, ſic oſtendit idem Auctor n. 5. Ea enim vota (inquit) magnâ deliberatione fiunt, nimirum præmiſſo biennio ad deliberandum, publicè coram domeſticis religioſis; efficiuntque ut verè mutetur ſtatus ſæcularis in regularem, ac voventes poſſint cogi, ne retrocedant, ac puniri tamquam apoſtatæ, ſi à propoſito diſiſtant, utpotè qui verè novâ obligatione novoque ſtatu Eccleſiæ ſubduntur, ut decidit Greg. 13. in ea Conſtitutione. Ita Sanchez. 40. *Quare vota Societatis dirimant.*

Excipiunt etiam aliqui, quando uterque conjugum eo voto ſimplici foret ligatus. Cùm tunc enim ſit utrique uſus Matrimonij interdictus, non poteſt inter illos validum Matrimonium conſiſtere. 41. *Quid ſi uterque conjux foret ligatus voto.*

Hanc exceptionem indicat Gloſſ. in cap. 42. 27. q. 1. verb. *Si quis votum*, dicens: *Sed nunquid ſimpliciter vovens, poteſt contrahere cum alia, quæ ſimpliciter vovit? Non videtur, quòd teneat Matrimonium, cùm neuter poſſit debitum exigere. Pone eos voviſſe, quòd nunquam exigerent, dico, quòd benè tenet Matrimonium, quia uterque poteſt reddere. Sed quomodo, cùm reliquus non exigat? Reſp. uterque enim, ſi ſciat alterum indigere, nec poſſe exigere, reliquo debet commiſceri, & uterque reddere dicetur.*

At

42. *Adhuc valet Matrimonium. Sanchez.* At verissimum est (inquit Sanchez sup. n. 10.) adhuc validum esse Matrimonium. Quia uterque, non obstante eo voto, potest dominium sui corporis validè transferre, & semel eo translato, licet neuter possit petere, at reddere tenebitur. Hæc ille.

Esto etiam neuter posset reddere Atque ut neuter etiam reddere posset, quod plures docent, ut patebit ex dicendis proprio loco, ubi de usu Matrimonij; nihilominùs assero, Matrimonium esse validum: Nam ut diximus disp. præced. Sect. 3. Conclus. 9. Validè & licitè separatur ab initio Matrimonij jus proximum ad usum corporis, ab ejus dominio per legem, pactum vel votum ex mutuo consensu. Vide ibi prolixè disputatam hanc materiam.

43. *Objectio diluitur.* Nec obstat: quòd hic non adsit mutuus consensus; nam Matrimonium contrahitur cum animo consummandi; hinc enim tantùm sequitur, quod uterque contrà votum suum delinquat; interim transfertur dominium, sed impeditum ab usu, donec impedimentum voti per dispensationem auferatur. Igitur talis duplicatio voti non tribuit vim dirimendi; sed solùm facit, ut uterque contra votum suum delinquant.

Quantùm ad Deum, simplex votum non minùs obligat quàm solemne, ex Hostiens. Quid ergò, inquit aliquis, respondendum ei, qui astrictus impedimento voti, rogat an valeat Matrimonium contrà illud initum? Audi Hostiensem Sum. tit de Voto, §. *Quot sunt species votorum*: Quantùm (inquit) ad Deum, simplex votum non minùs obligat, quàm solemne; nam ex sui natura utrumque eandem observantiam habet; utrumque enim est in perpetuum observandum; utriusque violatio mortale peccatum inducit; utrumque prohibet contrarium actum. Majus tamen peccatum est in fractione solemnis voti, quàm simplicis; & solemne dirimit Matrimonium, sed simplex nō dirimit; & major pœnitentia imponitur in violatione solemnis, quàm simplicis. Et est ratio; quia qui frangit solemne votum, peccat in Deum, offendit constitutionem Ecclesiæ, & homines conscios scandalizat, quod in simplici non contingit. His præmissis.

44. *Quid respondendum ei, qui me consulit, utrùm cum voto possit contrahere Matr. Hostien. putat tacendum.* Quid si is (prosequitur idem Auctor) qui simplex votum emisit, consulat me, utrùm possit contrahere Matrimonium; tutè respondebo, non. Quid si ultrà procedat, & dicat: quid si contraxero, nunquid tenebit Matrimonium? Non est respondendum; quia si respondeo, non, mentior, & sic pecco. Si respondeo, sic, do ei occasionem contrahendi, & per consequens mortaliter peccandi, & sic ergò incurro mortale; ergò tacendum est.

Objicit sibi. Sed certè secundùm hoc videtur, quòd Papa faciendo constitutionem, ut si talis contrahat Matrimonium, teneat, mortaliter peccaret; quia non solùm consentit, sed auctoritatem & firmitatem præstat.

45. *Solvit objectionem.* Sed dic quòd Papa in talibus dispensare potest, non tamen intendit in hoc casu ab initio dispensare; & ideò tacendum est. Videtur tamen, quòd si video, quòd non potest continere, ut majus periculum evitetur, possum sic respondere: Scriptura dicit, quòd Matrimonium tenet; tamen de consensu vel consilio meo, tu non contrahes, sed continebis: scias enim, quod si contraxeris, mortaliter peccabis, & Deum graviter offendes. Tamen quod priùs dixi tutiùs cit. Hactenùs Hostiensis. Quem alij plures sequuntur apud Sanchium sup. n. 12.

46. *Sanchez existimat Hostien. nimis scrupulosè locutum. Dicit 1. interrogantem fore eludendum.* Ipse autem putat Hostiensem nimis scrupulosè hic locutum, & dicit primò: esse prudenter eludendum sic interrogantem ut docet (inquit) D. Clemens Epistol. 3. respondens Origeni quærenti, an fidei arcana sint omnibus referanda? Et refertur cap. *In mandatis*, dist 43. ad finem, ibi: *Quod si ingesserit se, & provocaverit nos dicere ea, quæ eum minùs recte agentem non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere. Nam nihil omninò respondere, auditorum causâ utile non videtur.* Ubi Gloss. verb. *Prudenter*: *Transferendo nos callidè ad alienam materiam, cùm nec ipsi debeant alieni regni scrutari arcana.*

Et ratio est: quia lex charitatis non solùm præscribit, ne præbeamus occasionem peccandi proximo; sed etiam ut avertamus ab eo occasionem inquantùm possumus.

47. *Secundò, respondere veritatem nullam esse culpam.* Dicit 2. nullam esse culpam scandali seu occasionis peccandi datæ, veritatem respondere dicendo, peccari mortaliter, & Matrimonium esse validum: quia cùm veritas propaletur, factumque debitè gravetur, explicando id esse culpam lethalem, non est occasio ruinæ data, sed accepta. Nil enim proponitur, quod suâptè naturâ ad peccatum provocet; sed alter ex sua malitia abutitur verâ doctrinâ. Aliàs similiter delinquerent, eamdem occasionem delinquendi offerentes DD. qui ita scriptum relinquêre, saltem maternâ linguâ, quæ ab omnibus percipi potest.

48. *Tertiò, posse adesse peccatum incautæ responsionis.* Tertiò dicit: posse adesse peccatum incautæ responsionis. Ut si quis videat fragilem interrogare, qui verâ doctrinâ abusurus est, ad ineundum id Matrimonium cum sacrilegio mortali, potestque commodè cautâ responsione, celatâ veritate, absque mendacio interrogantem eludere, peccabit quidem, imprudenter & minùs cautè se habens, propalans viritatem: eò quòd tunc, quàmvis non detur occasio delinquendi, at non amovetur occasio lapsûs proximi præ sua fragilitate, quæ commodè amoveri potuit: atque ita offenditur præceptum charitatis proximi, quod utrumque cavere jubet ad ejus spiritualem ruinam vitandam.

49. *An sit peccatum mortale. Sanchez.* Rogas; an peccet mortaliter? Dico (inquit Sanchez ibidem) nunquam hanc culpam excedere limites venialis, nisi in respondente adsit malitia. Tunc autem adest malitia, quando tali tempore & formâ respondet, ut alter meritò credat, eum velle, ut voto postposito Matrimonium contrahat; ac proinde respondendi modus, sit quędam tacita inductio.

Ordinariè non est, & quare. Porrò extrà hunc eventum non esse culpam mortalem, probat Sanchez; quia præceptum charitatis, quale est hoc, non ita stricto rigore obligat ad tantam circumspectionem habendam, quæ non modicam prudentiam desiderat: nec facilè tam prudens invenietur, qui subitò interro-

terrogatus, poſſit commodè, tacitâ veritate, & fugato mendacio, reſpondentem eludere. Tacere autem omninò non expedit : quia interrogatus tamquam inurbanus judicabitur, interrogantemque offendet, & non levem ſuſpicionem in eo generabit tacitæ veritatis.

50. *Bonus modus reſpondendi.* Quamobrem ſatiùs erit reſpondere, graviſſimum & atrox ſacrilegij crimen eſſe violati voti, & ex ejuſmodi ſacrilego Matrimonio infelices admodùm exitus, ac Dei ſupplicia poſſe jure optimo timeri ; atque ita, in alia divertendo ſermonem, obliviſcetur directæ reſponſionis interrogans.

Quòd ſi ea prudens diverſio non ſufficeret, ut interrogans diſiſteret ab incepta interrogatione, nullam agnoſco culpam in reſpondente veritatem. Et ad tam prudenter ſe gerendum præcepta charitatis, quæ ſuaviſſima eſſe ſolent, quis dicet obligare ſub mortali ? Imò profectò, ut culpa ſit venialis, oportebit ut valde commodè interrogans poſſit eludi, offeratque ſe modus id faciendi. Ita Sanchez.

51. *Per ſe non debet Doctor ceſſare à veritate fatenda.* Quem ſequitur Averſa ſup. ſect. 4. §. *Ex eo autem*, dicens : per ſe loquendo non tenetur doctor ceſſare à veritate fatenda, ſicut ſcripto, ita & voce. Ex quo ſi alius ſumeret occaſionem peccandi, eſſet ſcandalum paſſivum, non activum. Ad ſummum tamen debebit prudens & pius Doctor, ita reſponſum ſuum attemperare, ut avertat, quantùm fieri poterit, talem occaſionem peccandi. Hæc ille. Idemque ſentiunt Coninck ſup. n. 32. Pontius ſup. c. 12. n. 12. & alij.

Averſa.

Coninck.

Pontius.

52. *Explicatur c. 3 de Reg. juris.* Neque dictis obſtat cap. 3. de Reg. juris, ubi ex Beda dicitur : *Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Hoc quippe intelligendum eſt de veritate vitæ, non autem de veritate doctrinæ, aut juſtitiæ, ut docet Gloſſ. ibi, verb. *Veritas : Quæ* (inquit) *triplex eſt, ſcilicet bonæ vitæ : hæc nunquam omittenda eſt propter ſcandalum, & ad quemlibet pertinet. Alia juſtitiæ : hæc ad judicem pertinet. Alia diſciplinæ : hæc pertinet ad Prælatum. In his aliquando aliqua omittuntur propter ſcandalum, 50. diſt.* Ut conſtitueretur. *Et intellige quod hic dicitur, de his, quæ indiſpenſabilia ſunt : & tale jus commune, quod indiſpenſabile eſt, veritas appellatur ... Tale jus pro nullo ſcandalo relaxandum eſt : ſed quando jus commune diſpenſabile eſt, propter ſcandalum receditur a jure communi.*

Triplex veritas, vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ.

Atque iſta triplex veritas habetur in his verſibus :

Eſt verum vitæ, doctrinæ, juſtitiæq́.
Primum ſemper habe : duo propter ſcandala linque.

Iam autem conſtat, quòd in caſu propoſito non relinquatur verum vitæ, ſed dumtaxat verum doctrinæ ; nec omninò relinquitur, ſed tantùm diſſimulatur ad evitandum ſcandalum.

53. *An quotidie peccanti contrà votum liceat conſulere Matr.* Sed nunquid peccat peccato ſcandali, aut inductionis ad peccatum, qui adſtricto voto caſtitatis, nimis fragili, & quotidie ſuccumbenti tentationibus venereis, ſine ſpe alio medio illi ſubveniendi, conſulit Matrimonium ? Quæſtio hæc (inquit Sanchez ſup. n. 14.) ex eo pendet, an liceat minus malum conſulere illi, qui majus perpetrare omninò conſtituit, & ad illud inducere. Addo ego : etiam pendet ex eo, & potiſſimùm, an ſit minus malum, cum voto contrahere Matrimonium, quàm ſæpiùs fornicari, aut aliter incontinenter vivere.

Sanchez.

Et quidem de hoc ſecundo puncto Sanchez nihil ibi diſputat, ſed videtur ſupponere eſſe minus malum ; uti etiam Pontius ſup. n. 13. Et ideò hi Auctores reſolvunt, id poſſe fieri, ſuppoſitâ ſententiâ, quæ docet, licere minus malum conſulere ei, qui majus perpetrare omninò conſtituit : pro qua prolixè ibi diſputat Sanchez à n. 15. exiſtimans, eam eſſe veriorem. Ego ei non immoror, quia ad hunc locum propriè non ſpectat.

54. *Licet conſulere minus malum comparativè.* Breviter ſolùm dico ; eam omnimodè veram eſſe, quando illud minus malum non conſulitur abſolutè ; ſed ſolùm comparativè, id eſt, quando expreſſis terminis conſulitur, ut potiùs minus malum faciat, quàm majus ; quippè tunc manifeſtum eſt, conſilium iſtud pro objecto ſuo non habere malum, ſed bonum, ſcilicet abſtinentiam à majori malo, quæ indubiè bona eſt ; imò præcepta ei, qui majus malum omninò conſtituit perpetrare. Ex quo ergò capite tale conſilium foret peccaminoſum ? Nonne ſi quis interrogaretur : minus malum facere debeo, an majus ? Reſpondere poterit : ab utroque abſtinendum eſt, quòd ſi alterutrum velis perpetrare, potiùs minus faciendum eſt, quàm majus ? Nemo ſanæ mentis poteſt dubitare.

55. *An liceat abſolutè ſuadere.* Tota ergò difficultas eſt ; an liceat abſolutè minus malum ſuadere ; nullâ factâ comparatione, cum intentione tamen, ut gravius malum evitetur, quod aliàs certò certiùs eveniet, licèt ex mala alterius voluntate, abſque ulla neceſſitate.

In caſu perplexionis licet. Quod addo : quia in caſu perplexionis, ſi dari poſſit, id eſt, in caſu, quo aliquis neceſſariò debet facere alterum peccatum, omnes concedunt, conſilium minoris mali, etiam abſolutum, eſſe bonum ; quia tunc perplexus tenetur facere, quod minus eſt, juxtà illud commune dictum : *Ex duobus malis minus eſt eligendum*, videlicet quando vel unum, vel aliud neceſſariò eſt faciendum. Sin autem ab utroque poſſit abſtineri, & quiſpiam ex pura malitia unum vel aliud vult facere, quàmvis minus potiùs faciendum ſit, quàm majus ; non tamen per hoc minùs amittit ſuam malitiam ; adeoque illud abſolutè ſuadere, multis videtur eſſe illicitum, aliis oppoſitum ſentientibus.

56. *Etiam extrà eum, ſecundùm Aliquos.* Quàmvis enim (inquiunt hi Auctores) non liceat abſolutè conſulere minus malum : at dum determinato prorſus ad majus, conſulitur minus, ſubintelligitur ſemper conditio : ſi majus malum facturus es ; adeoque illud conſilium, etſi in exteriori forma videatur abſolutum, ex intentione tamen conſulentis, & attentis præſentibus circumſtantiis, eſt conditionatum ſeu comparativum ; hoc eſt, licèt formaliter ſit abſolutum, virtualiter tamen eſt comparativum omnibus conſideratis.

Quare consulere malum non semper sit malum.

Fatentur hi Auctores, nunquam esse licitum facere minus malum, ad evitandum majus, quia juxtà Apostolum Rom. 3. v. 8. non sunt facienda mala, ut veniant bona; & per consequens facienda minora mala, ad evitanda majora, quando utrumque potest & debet evitari; sed aliud est facere mala, aliud consulere mala; quia executio mali semper est absoluta, & ideò semper mala; consilium autem mali potest, secundùm omnes, esse comparativum seu conditionatum; & quando formaliter & expressè tale fuerit, ab omnibus excusatur à peccato; quia tunc pro objecto non habet minus peccatum, sed tantùm evitationem majoris mali, quocumque tandem medio id fiat, & mallet consulens, ut bono modo seu medio evitaretur, quam suam intentionem expressis verbis tunc satìs significat.

57. *Videtur sufficere quòd consilium sit virtualiter comparativum.*

Ergò similiter poterit excusari consilium, quod solùm virtualiter est comparativum; quia tunc circumstantiæ satìs significant, consulentem formaliter absolutè solùm intendere evitationem majoris mali, non autem ipsum minus malum; proinde nec hoc consilium pro objecto suo habet peccatum, sed tantùm evitationem majoris peccati, quocumque tandem medio fiat; quòd autem fiat medio malo, ad hoc consulens solùm se habet permissivè, licet verba consilij, solitariè spectata, aliquid plus videantur innuere.

Verùm enimverò parùm curandum de verbis, quando ex aliis signis externis satìs constat de oppositа intentione loquentis; ut patet in restrictione mentali, quæ non est mendacium, quando ex circumstantiis satis potest intelligi vera mens loquentis, quàmvis alioquì, consideratis solis verbis, falsum videatur enuntiare. Sic igitur in præsenti casu, si aliquis me interrogaret: an expediat contrahere Matrimonium, quid ni possem respondere, expedit prorsus, subintelligendo, si nolis te continere, sed velis perseverare in continuis fornicationibus?

58. *An in casu proposito sit melius contrahere Matr.*

Dices: non est melius contrahere Matrimonium; quia semel Matrimonio contracto, velis nolis, teneris debitum reddere contrà virtutem castitatis, quam tamen promisisti, & exponis te periculo sæpiùs petendi debitum, atque ita peccandi formaliter contrà votum. At verò Matrimonio nondum contracto, mala voluntas perseverandi in continuis fornicationibus, potest per gratiam Dei mutari in melius, scilicet in perfectam observantiam voti castitatis. Atque hæc est opinio Coninck, ut sup. vidimus; & ideò consequenter docet n. 32. habenti votum castitatis, quantumcumque sæpiùs labenti, nunquam licere suadere nuptias; quia majus (inquit) est malum, & aliter per dispensationem in voto ei potest succurri.

Negat Coninck.

59. *Oppositum docet Pontius, si aliâ viâ citò succurri non possit.*

Sed nunquid etiam potest ei succurri per dispensationem in voto post Matrimonium contractum? Audi Pontium suprà: Homini, qui tenetur voto castitatis, parato plura committere peccata contrà votum præ fragilitate sua, si aliâ viâ citò illi succurri non possit, potest consuli tamquam minus malum, ut contrahat Matrimonium, cum in eo contrahendo, unum tantùm peccatum committat, vitet plurima, & post contractum Matrimonium facilis sit impetratio dispensationis voti in ordine ad petendum debitum. Hæc ille. Imò facilior videtur, quàm antè, cùm jam perfecta observatio voti sit ei facta impossibilis.

Planè, inquis; sed ex sua culpa, quæ propterea tantò gravior fuit, quòd sinè justa causa fecerit sibi perfectam observationem voti impossibilem. Quare, ut sup. retuli ex Coninck, dum sponte reddit sibi redditionem debiti necessariam, tantum peccat contrà votum, quantum fortè tota vita peccaret sæpiùs fornicando. Igitur hæc res dubia est, & ideò, salvo meliori, potiùs tali consulenda est petitio dispensationis, cujus habet justam causam, ut sup. dixi, quàm Matrimonium.

Res est dubia.

60. *Objectio.*

Si dixeris: contracto Matrimonio adhuc potest intrare Religionem, & ita perfectè observare suum votum; atque adeò per contractum non reddidit sibi necessariam redditionem debiti.

Solvitur.

Respondeo: isto fine non contraxit Matrimonium; nam per talem ingressum non succurritur ejus fragilitati, sed per usum Matrimonij; igitur ut Matrimonio uteretur, contraxit, ac proinde ut sibi redderet necessariam redditionem debiti.

Qui contraxit eum voto non tenetur intrare Religionem.

Præterea: estò possit intrare Religionem, tamen, ex Multorum opinione, non tenetur intrare; sed potest sine peccato, & consequenter tenetur, etiam primâ vice reddere, scilicet post bimestre, nisi statim velit intrare Religionem. Ratio mea est: quia vel tenetur reddere, vel intrare Religionem. Religionem non vovit, immo potest fieri, ut habeat animum ab ea aversissimum: neque castitatem vovit cum tanto onere, quale est mutare statum, & fieri religiosum: votum autem non obligat ultrà intentionem, quam communiter vovens censetur habere. Impletio itaque voti est ipsi facta moraliter impossibilis, cùm per media ordinaria non possit illud adimplere; ad extraordinaria autem non censetur se voluisse obligare.

61. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat: quòd suâ sponte id factum sit: in hoc enim peccavit, interìm quamdiu permanet moralis impossibilitas, non videtur obligatus. Sicuti si quis tempore, quo habebat multas pecunias, vovisset aliquas eleëmosinas, quàmvis posteà culpâ suâ ad tantam paupertatem devenerit, ut non possit solvere votum, nisi cadendo à pristino statu, & alium vilem vel onerosum assumendo, non foret ad hoc obligandus, ex vi talis voti, juxtà communem sententiam.

62. *Probatur hæc doctrina per Extrav. Ioan. 22.*

Probatur secundò hæc doctrina per Extravag. Ioan. 22. *Antiquæ*, de Voto, ubi de eo, qui post Matrimonium ratum suscepit Ordinem sacrum, ita loquitur hic Pontifex: *Ad ingressum hujusmodi* (intelligit ingressum Religionis) *sic ordinatum, si Matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus & induci: quòd si forsan renuerit adimplere, ipsum, si*

sponsa

ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendum decernimus, contractum Matrimonium conſummare. Si poteſt & debet compelli ; ergò licitè talis caſu conſummat Matrimonium, non obſtante voto continentiæ annexo Ordini ſacro, nec tenetur ingredi Religionem ; alioquì ad eum ingreſſum compellendus eſſet, & non ad conſummationem Matrimonij, per quam impeditur ingreſſus.

Ergò ſimiliter in noſtro caſu, Matrimonio jam contracto poſt emiſſum votum caſtitatis, vovens monendus & inducendus eſt ad ingreſſum Religionis; quòd ſi forſan renuerit, & ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendus eſt Matrimonium contractum conſummare : ergò poteſt illud conſummare primâ vice reddendo debitum.

63. *Confirmatur ex c. 14. de Converſ. conjug.* Confirmatur ex cap. 14. de Converſ. Conjug. ubi Innoc. 3. tractans caſum, in quo mulier poſt contractum Matrimonium, nondum conſummatum, ſuſceperat velum viduitatis cum voto caſtitatis, ait : *Porrò licet prædicta mulier, videatur in veli ſuſceptione Religionis habitum aſſumpſiſſe, ſi tamen velit in domo propria permanere, quaſi propoſitum caſtitatis in ſæculo ſervatura, nihilominùs conſummandum eſt Matrimonium jam contractum.* Ergò ſupponit Pontifex licitè poſſe manere in propria domo, & per conſequens Matrimonium poſſe conſummare, reddendo primâ vice debitum poſt bimeſtre.

Non poteſt reddere debitum antè bimeſtre. Addo ſemper : *Poſt bimeſtre* ; quia cùm antè bimeſtre conjux non habeat jus exigendi debitum, nec ipſe poteſt reddere ; nam ſola injuria, quæ alioquì fieret conjugi, non reddendo debitum, excuſat ejus redditionem à peccato. Quotieſcumque ergò, habens votum caſtitatis, poteſt abſque injuria negare debitum, ſive quotieſcumque copula non eſt debita, peccat, ſi conjugi copuletur, ſive petendo ſive reddendo, & ſive votum præceſſerit Matrimonium, ſive ſubſecutum fuerit. Hæc eſt communis doctrina.

64. *Quando poſſit ex Averſa.* Audiatur Averſa ſup. ſect. 4. §. *Demum* : Si quis contrà votum caſtitatis contrahat Matrimonium, aut etiam poſt Matrimonium emittat votum, videndum eſt, qualiter impediatur ab uſu conjugij. Et conſtat quidem, nullatenùs impediri à reddendo ; ſed poſſe, imò & teneri reddere, ac ſi non eſſet aſtrictus voto : quia ejus votum non debet præjudicare alteri conjugi, quò minùs liberè poſſit petere, atque adeò ipſe teneatur reddere.

Quod ſi ex alio capite excuſetur ab obligatione reddendi, utpotè intrà bimeſtre pòſt contractum, & nondum conſummatum Matrimonium, aut ſi petens commiſſerat adulterium : tunc nec poterit licitè reddere. Quia cùm ex parte ſua ſit ligatus voto, tenebitur illud, quandocumque poteſt, adimplere. Quàmvis ex ſolo caſtitatis voto non teneatur ingredi Religionem, ad hoc, ut etiam poſt bimeſtre non poſſit cogi ad reddendum.

65. *Id ſi petens debi- antè* Item ſi petens promiſerat anteà, & ſe obligaverat non petere, non tenebitur alter voto adſtrictus, nec licitè poterit reddere ; quia non poteſt ab illo juſtè cogi, ideoque tenetur ſervare ſuum votum. Sed ſi conceſſiſſet ſolùm licentiam vovendi, tunc Aliqui volunt, etiam illum, qui vovit, non teneri reddere. Sed dici debet, teneri. Quia illa licentia, niſi aliud additum ſit, tantùm refertur ad hoc, ut ille voveret caſtitatem, quantùm poterat ex parte ſua, id eſt, ad non petendum. Conjux ergò voto adæquato caſtitatis impeditur à petendo : ita ut petens, & habens copulam cum conjuge, peccet peccato ſacrilegij contrà votum, quàmvis non peccato fornicationis contrà caſtitatem. Hæc ille. *promiſerat ſe non petiturum.*

Sed dicet aliquis ; habeo votum caſtitatis, & prævideo me iſtud non obſervaturum, niſi ingrediendo Religionem, teneor eam ingredi : ergò etiam, qui contraxit Matrimonium cum voto caſtitatis, vel pòſt contractum Matrimonium emiſit votum caſtitatis, tenetur eam ingredi. 66. *Objectio.*

Reſpondeo N. C. Diſparitatem do : quòd in caſu Antecedentis, obſervatio caſtitatis ſit tibi moraliter poſſibilis ſinè ingreſſu Religionis, implorando Divinum auxilium per orationes, jejunia &c. ſi ergò nolis media ordinaria adhibere, quid mirum ſi tenearis ad medium extraordinarium ? At verò in caſu Conſequentis abſolutè impoſſibile eſt ſervare votum adæquatum caſtitatis abſque ingreſſu Religionis. *Solvitur.*

Idemque reſponderi poſſet ad caſum, in quo aliquis prævidet ſuam fornicationem, niſi ingrediatur Religionem ; hic enim ſemper habet auxilia ſeu media ordinaria eam evitandi ; ſi ergò nolit ea adhibere, indubiè tenetur ad medium extraordinarium. Deinde : fornicatio ſecundùm Omnes (ſeclusâ ſpeciali diſpenſatione Dei) eſt peccatum formale, ad quod evitandum, etiam ipſa mors corporalis ſubeunda, quando aliâ viâ nequit evitari, quantò magìs obligabit ingreſſus Religionis ? 67. *Quid ſi aliquis prævideat ſuam fornicationem, niſi ingrediatur Religionem ?*

Sed nunquid in caſu noſtro potiùs moriendum foret, quàm primâ vice reddendum debitum ? Videtur, quòd non ; idque quia illa redditio non eſt formaliter contrà votum, ceſſante utique obligatione voti, propter ſuperveniens impedimentum, putà, quia peccaret contrà juſtitiam, negando copulam, niſi aſſumpto medio difficillimo, ad quod ſe non obligavit.

Et quàmvis fortè, qui poſt contractum Matrimonium votum emiſit, debeat intrare Religionem ; quia videlicet virtualiter voluit ſe ad hoc obligare, cùm ſciret ſe non poſſe aliter votum adimplere ; ſecùs tamen dicendum de eo, qui vovit antè contractum Matrimonium, nihil cogitans de Religione, ſed tantùm de mediis, quibus ordinariè tale votum ſolet obſervari. 68. *Quid ſi poſt contractum Matr. emiſit votum ?*

Imò etſi poſt Matrimonium voviſſet, adhuc videtur excuſari poſſe ab ingreſſu Religionis ; quia cenſetur tantùm voviſſe juxtà capacitatem communem talis ſtatûs, ſcilicet ad non petendum debitum, niſi aliud conſtet de ejus mente ; quippe vota ſunt explicanda ſecundùm cujuſque ſtatum. *Forìè non tenetur ad ingreſſum Religionis.*

Neque hæc doctrina contrariatur Scoto 4. diſt. 38. q. un. n. 5. ibi : *Conſimiliter ſi de peccato ageretur, videretur illicitum contrahere poſt votum* 69. *Quod non contrariatur Scoto.*

tum privatum; quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi & consummandi actum carnalem, & ideò non potest licitè contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, & per consequens intrandi Religionem. Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum; licet, secundùm Aliquos, post primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud jam est obligatus vinculo fortiori: peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet juris in hoc, cum renuntiaverit tali juri in voto. Ergò qui cum voto simplici castitatis contraxit Matrimonium, peccat mortaliter, secundùm Scotum, illud consummando.

70. *Explicatur doctrina Scoti.*

Respondet Scholiastes ibi: Quod ait hìc n. 5. voto castitatis adstrictum peccare, ut videtur, reddendo primò debitum, loquitur quando intentione non consummandi contraxit; alioquin non peccabit reddendo. Hæc ille. Quòd autem tunc peccet mortaliter, ratio est; quia virtualiter se obligavit ad ingressum Religionis, cùm hìc foret unicum medium subterfugiendi consummationem, sive non consummandi. Sicut ergò peccaret mortaliter consummando, si expresè vovisset Religionem ingredi; quia cùm adhuc esset liber ad ingrediendum, se inhabilem ad id reddidit; sic itidem peccabit mortaliter, quando contraxit pòst votum castitatis cum intentione non consummandi, si consummet; quia facit contrà votum suum virtuale, id est, contrà votum castitatis factum cum animo ingrediendi Religionem.

Igitur tali casu vel peccatur mortaliter in ipso contractu Matrimonij; si videlicet contrahens cum voto castitatis, nolit se obligare Deo ad ingressum Religionis; vel peccatur mortaliter consummando, si se voluit obligare Deo ad ingressum, & nihilominùs consummet Matrimonium.

71. *Qui vovit Religionem ingredi peccat 1. vice consummando.*

Aversa.

Si quis voverat Religionem ingredi (inquit Aversa sup. §. *Conjux ergò*) peccabit sanè, non solùm incundo Matrimonium, sed etiam primâ vice consummando, sive petat, sive etiam reddat: quia cùm adhuc esset liber ad ingrediendum Religionem, tenebatur adimplere tale votum; quare peccat consummando, & sic se inhabilem reddendo ad ingrediendum: sed deinceps nec reddendo, nec petendo, peccabit.

Qui vovit Ordinem sacrum, peccat contrahendo, sed licitè consummat.

Si demum votum fecerat, suspiciendi sacros Ordines, aut simpliciter non contrahendi Matrimonium, peccabit quidem contrahendo; sed deinde licitè poterit consummare, ac multò magìs deinceps usum conjugij exercere, etiam petendo: quia non tenetur Religionem ingredi, ut tale votum servet, & manens in sæculo, non potest jam illud servare; nec de reliquo se obligavit ad castitatem servandam. Hæc ille. Quæ sufficiunt pro hoc loco. Alia dicentur commodiùs, ubi tractabimus de usu Matrimonij.

Et hactenus de impedimentis prohibentibus jure naturæ. Venio nunc ad impedimenta, quæ prohibent jure Ecclesiastico, & dico secundò:

CONCLUSIO II.

Interdictum generale potiùs solemnitatem nuptiarum, quàm ipsum contractum prohibet.

72. *Duplex est interdictum, generale & speciale.*

INter impedimenta, prohibentia Matrimonium jure Ecclesiastico, primum locum obtinet Ecclesiæ vetitum, quod duplex est, aliud generale, aliud speciale. De generali nobis hìc est sermo, de speciali dicam Conclus. sequenti.

Quid generale.

Voco autem interdictum generale, quo prohibentur Divina officia, administratio quorumdam Sacramentorum, & Ecclesiastica sepultura, quatenus hæc omnia habent rationem participationis rerum spiritualium. Quæstio ergò impræsentiarùm est; an sub Sacramentis, quæ prohibentur per interdictum generale, comprehendatur Matrimonium.

73. *Sponsalia & denuntiationes licitè fiunt tempore interdicti, ex Pontio.*

Quòd spectat (inquit Pontius lib. 6. c. 9. n. 7.) ad Matrimonij contractum tempore interdicti, & in loco interdicto, extra controversiam in primis est, sponsalia & validè & licitè celebrari tempore interdicti, & in loco interdicto. Quod idem de denuntiationibus dicendum est; nullus enim Canon id prohibet, & aliàs denuntiationes non pertinent ad Sacramenta, nec officia Divina. Quòd si aliqui antiqui Scriptores negarunt posse tempore interdicti denuntiationes fieri in Ecclesia; ideò est, quòd olim interdicti tempore non dicebatur Missa; atque ita dum Missa non perageretur, denuntiationes fieri non poterant. Hæc ille.

Idem docet Sanchez de denuntiationibus.

At cùm hodie (inquit Sanchez lib. 7. disp. 8. n. 7.) liceat, servatâ moderatione cap. *Alma mater*, de Sentent. excommunicat. in 6., non est cur negemus, posse ibi denuntiationes fieri. Quòd si fortè contrà interdicti formam celebraretur Sacrum, & in eo fierent denuntiationes, peccatum esset celebrare, non autem facere denuntiationes; hoc enim cùm non sit officium Divinum, minimè opponitur interdicto. Ita Sanchez.

Et per consequens nullum foret peccatum facere denuntiationes in concionibus, vel aliter extrà Missarum solemnia; quàmvis enim Concilium Trident. præscribat, ut fiant intrà Missarum solemnia, multis tamen in locis consuetudo contrarium videtur præscripsisse. In hoc ergò puncto conveniunt Pontius & Sanchez. Uti etiam in eo, quod sequitur.

74. *Matrimonium initum tempore interdicti, & in loco interdicto est validum*

Deinde (prosequitur Pontius sup. n. 2.) dubitatione vacat, Matrimonium initum tempore interdicti, & in loco interdicto, validum esse; nullo enim jure redditur irritum, & in cap. *Capellanus*, de Feriis, planè dicitur Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, ut quocumque tempore contrahatur Matrimonium, consensu interveniente legitimo de præsenti. Quod idem dicendum est, etiamsi contrahatur ab ipsis interdictis specialiter & personaliter, ut tenet communis sententia, cum Gloss. in cap. *Alma mater*

ter, verb. *Sacramentis*, de Sent. excom. in 6. Hæc ille.

75. *Probatur à simili.* Subscribo. verb. Glossæ : *Tenet etiam Matrimonium contractum tempore interdicti, cùm teneat etiam contractum ab excommunicato majori sup. de eo qui duxit* &c. Significasti. *Licèt enim illud sit Sacramentum, non tamen sic confertur gratia per illud, sicut per alia.* Quippe per alia Sacramenta sic confertur gratia, ut solam habeant rationem Sacramenti ; porrò Matrimonium præter rationem Sacramenti, habet rationem contractûs civilis, per quam causat indissolubilem obligationem maris & fœminæ, quam causabat antequam esset Sacramentum, ita ut ratio Sacramenti quasi per accidens ei sit annexa per Christum in nova lege, de quo alibi sermo fuit.

76. *Licet Matrimonium inire tempore interdicti, ex cap. 4. de Feriis.* Et prætereà docet Sanchez sup. n. 2. absque dubio posse licitè Matrimonium iniri tempore interdicti. Constat (inquit ex cap. *Capellanus*, de Feriis, ubi habetur, eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ut Matrimonium quocumque tempore contrahatur. Deinde ; quòd ea sola Sacramenta censeantur tempore interdicti vetita, quæ purè Sacramenta sunt & omninò spiritualia. At Matrimonium est contractus quidam naturalis, cui per accidens adjecit Christus Dominus Sacramenti rationem. Hæc ille pro sua, & nostra sententia, contrà Pontium sup. n. 3. ut statim videbimus.

77. *Textus d. cap.* Priùs refero verba d. cap. 4. *Capellanus tuus (frater Episcope) coram nobis ex parte tua proposuit, quòd cùm statuta Canonica declarent, nuptias tribus septimanis ante festum nativitatis B. Ioannis Baptistæ minimè celebrari debere : quidam hebdomadas illas absque interpolatione continuandas intelligunt. Alij verò inter Festum & ipsas volentes facere intervallum, illud dicunt ob reverentiam festivitatis Pentecostes fuisse statutum, quæ in septimanis illis solet intervenire quandoque, & sic à tribus diebus Rogationum antè Ascensionem Domini inchoantes usque ad octavum diem post Pentecosten (illis hebdomadis computatis) illo tantùm spatio temporis celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem ab inde nullatenùs inhibentes. Quia ergò consulti fuimus, utra istarum opinionum potior videatur : nobis & fratribus nostris apparuit, quòd licet ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut quocumq; tempore Matrimonium contrahatur, consensu interveniente legitimo de præsenti : quia tamen à Septuagesima usque ad septem dies post Pentecosten celebrari nuptiæ non sinuntur, & posteà etiam tribus septimanis, vel pluribus, antè festivitatem S. Ioannis, sinè differentia celebrantur : posterior sententia meliori & subtiliori nititur ratione : & sive secundùm Canones, à Septuagesima usque post octavas Paschæ, sive juxtà consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, usque post septem dies festi Pentecostes (quod caret Octavis) nuptiæ suspendantur : in Dominica quæ sequitur, & deinceps possunt licitè celebrari.* Hactenùs Clemens 3. aliàs Celestinus.

78. *In hoc textu Sanchez fundat d. doctrinam.* In quo utique jure, ut statim audivimus, Sanchez fundat suam sententiam ; Pontius autem, parùm de eo jure solicitus, oppositam docet, & fundat eam in aliis juribus, dicens : Generali prohibitione vetitum est, Sacramenta ministrari tempore interdicti, exceptis Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum Viatici, ut colligitur ex d. cap. *Alma mater*, vers. *Nulla Sacramenta*, de Sent. excom. in 6. & cap. *Quoniam*, eod. ; cap. *Non est vobis*, de Sponsal. & cap. *Quod in te*, de Pœnit. & Remiss. Cùm ergo Matrimonium verè & propriè Sacramentum sit, nec excipiatur alibi ab ea generali prohibitione, illa comprehendi censetur ; arg. Clement. 1. §. *Porrò*, de Verb. signif. Hæc ille sup. *Oppositum tenet Pontius propter alia jura.*

Et prosequitur n. 4. (ubi respondet ad primum fundamentum Sanchij) Verùm Auctores primæ sententiæ contendunt, receptum Ecclesiæ consuetudine, per jus ipsum approbatâ in cap. *Capellanus*, de Feriis, ut Matrimonium quovis tempore licitè celebretur, atque ita jam ex Canone excipi Matrimonium ab ea generali prohibitione. 79. *Resp. ad fundamentum Sanchij.*

At, nisi ego fallor, non rectè id colligunt ex prædicto Canone. Mihi enim luce meridianâ clariùs videtur, Pontificem in illis verbis tantùm velle, Matrimonium quocumque tempore valere, & eam esse Rom. Ecclesiæ consuetudinem & mentem. Atque hunc esse ejus cap. sensum, mihi persuadeo, Primò, ex eo quod dicit, Matrimonium quocumque tempore contrahi, consensu interveniente legitimo de præsenti. Quæ verba frustrà & inutiliter adderentur, nisi in illis verbis de validitate tantùm Matrimonij sermo esset. Quare totius ejus orationis sensus hic est : Quàmvis Matrimonium, legitimo consensu de præsenti interveniente, valeat quovis tempore : attamen præter ea tempora quæ ab Ecclesia prohibita sunt, scilicet à die Cinerum usque ad finem Pentecostes &c. licitè in alijs contrahitur. Hucusque Basil.

At, nisi ego fallor, ipse fallitur : mihi enim luce meridianâ clariùs videtur, Pontificem in illis verbis velle, Matrimonium, id est, contractum Matrimonij, quocumque tempore, non solùm valere, sed etiam licere ; & eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem & mentem. *Rejicitur.*

Atque hunc esse ejus capitis sensum, mihi persuadeo ex eo, quod dicitur in Rituali Romano tit. de Sacramento Matr. ibi : *Postremò meminerint Parochi, à Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè, solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* 80. *Quid sit sensus d. cap. Capellanus. ex Rit. Rom.*

Nunquid solùm validè ? Plusquam meridianum est, quod Rituale loquatur etiam de licito. Ut sensus sit : Etsi Matrimonium omni tempore validè & licitè contrahatur ; equidem à Dominica prima &c. non licent solemnitates nuptiarum, sive (ut loquitur d. cap. *Capellanus*) non licet nuptias celebrare, id est, solemniter contrahere Matrimonium ; hoc enim propriè est celebrare nuptias.

An putas, quòd in d. cap. *Capellanus*, per celebrationem nuptiarum, quæ conceditur extrà tem- 81. *Quid in d. c. intelliga-*

tempora, ibi enumerata, intelligatur privatus contractus Matrimonij, & non etiam solemnitas nuptiarum ? Scio, quòd non putes ; quia oppositum nimis clarum est : ergò quando ait, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, ut quocumque tempore Matrimonium contrahatur, jam manifestè distinguit inter contractum Matrimonij, & celebrationem Matrimonij. Ut sensus sit : Tametsi omni tempore valeat & liceat privatus contractus Matrimonij ; equidem illis temporibus non licet celebrare Matrimonium, id est, contrahere Matrimonium cum solitis solemnitatibus.

82. *Quæ dicatur : Consensu interveniente &c.*

Non tamen propterea frustrà & inutiliter addita sunt illa verba. *Consensu interveniente legitimo de præsenti*, quippe addita sunt majoris explicationis gratiâ, ut sic melùs & clariùs significaret Pontifex, se ibi per contractum Matrimonij, intelligere privatum sive non solemnem, ad quem sufficit talis consensus, ut valeat & liceat. Hæc expositio videtur nobis magis congrua textui, & videtur approbari à Concilio Trident. sess. 24. de Refor. Matr., ubi d. cap. *Capellanus*, & alia jura antiqua intelligit, ut infrà videbimus, non de ipso contractu privato Matrimonij ; sed de prohibitione solemnium nuptiarum. Igitur responsio Pontij ad primum fundamentum Sanchij non subsistit. Videamus si responsio ad secundum fundamentum sit solidior.

83. *Resp. Pontij ad aliud fundamentum Sanchij.*

Neque obstat (inquit sup. n. 5. quod Sacramenti ratio acciderit contractui Matrimonij ex Christi institutione. Nam cùm jam verè & propriè Sacramentum sit, & in ratione Sacramenti etiam spirituale sit, & Ecclesia generaliter prohibeat tempore interdicti ministrari Sacramenta, præter Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam & Eucharistiam per modum Viatici, non est cur ab ea generali prohibitione excludamus Sacramentum Matrimonij. Hæc ille.

Præsertim cùm rationes, propter quas d. cap. *Alma mater*, quædam Sacramenta excluduntur, non habeant locum in Matrimonio. Rationes illæ hisce verbis exprimuntur in d. cap. *Quia vero ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio populi, pullulant hæreses, & infinita pericula animarum exsurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur.*

84. *Reprobatur.*

Respondeo : ex prohibitione Matrimonij seu contractus Matrimonialis posse exsurgere pericula animarum, ut consideranti patet. Et quàmvis nulla istarum rationum hìc subesset, nihilominùs semper manet verum, Matrimonium esse contractum quemdam naturalem, quod non competit aliis Sacramentis, quæ merè spiritualia sunt. Et sicut propter hanc rationem alia multa competunt Matrimonio, quæ non conveniunt aliis Sacramentis, sic quoque eadem ratio sufficiens erit, ut ab ea generali prohibitione hoc Sacramentum excludamus.

85. *Objectio solvitur.*

Si dixeris : Parochus non potest illo tempore Sacramenta ministrare. Responsio in promptu est : Parochum hìc non esse Ministrum, ut ex alibi dictis constat. Qui autem ponunt eum Ministrum, responderent, Parochum posse ministrare Sacramenta, quæ excluduntur ab ea generali prohibitione ; adeoque hæc objectio nullius est momenti.

Nihil officit, quòd ipsi contrahentes sint specialiter interdicti, ex Sanchez.

Atque jam dicta vera esse, etsi ipsi contrahentes sint specialiter & personaliter interdicti, docet Sanchez sup. n. 5. dicens : Nec quidquam refert, si contrahentes sint specialiter & personaliter interdicti : possunt enim licitè Matrimonio copulari. Quòd sub illo interdicto non comprehendatur Matrimonium, nisi expressum sit. Quia Matrimonium tamquam contractus, cui per accidens ratio Sacramenti advenit, sua specialia impedimenta sortitur, nec interdici solet instar aliorum Sacramentorum. Hæc ille cum aliis, quos citat.

86. *Oppositum docet Suarez, & probat. Confirmat exemplo Excom.*

Porrò oppositum videtur Suario de Censur. disp : 33. sect. 1. n. 52. probabilius : Nam (inquit) illos omninò separat Ecclesia à participatione Sacramentorum. Et confirmari potest : nam excommunicatus non potest licite Matrimonium contrahere ; ergò nec interdictus specialiter : nam æquiparantur quoad separationem à Sacramentis.

Resp. ad hoc exemplum rejicitur 1.

Si dixeris : excommunicationem prohibere etiam contractus, & in hoc differre ab interdicto. Contrà (inquit ille) primò : quia excommunicatus contrahens Matrimonium, non solum peccat, ut communicans in humanis, sed etiam ut participans in Divinis ; aliàs solùm venialiter peccaret : cùm tamen constet peccare mortaliter ; sed interdictus specialiter, æque est exclusus à participatione Divinorum : ergò &c.

87. *Secunda.*

Deinde, sumi videtur efficax argumentum ab excommunicatione minori : nam illa non privat communicatione humanâ, nec contractibus ; & nihilominùs, qui solâ illâ ligatus est, non potest sine gravi crimine Matrimonium contrahere : quia est separatus à participatione Sacramentorum, juxtà cap. ult. de Clerico excom. mimstrante : ergò à fortiori idem dicendum est de specialiter interdicto : nam est gravior censura, & quoad hoc eumdem effectum habet secundùm jura. Hæc ille. Quæ tamen non carent difficultate.

88. *Idem docet Suarez de interdicto generali personali.*

Atque idem videtur Suario dicendum de interdicto generali personali : nam etiam (inquit sup. n. 53.) qui illo tantùm sine culpa propria ligati sunt, non videntur posse Matrimonium contrahere : quia nullo jure excipiuntur, & alioquì est generalis prohibitio, præterquam in solis casibus, à jure expressis, juxtà cap. *Si sententia*, de Sentent. excom. in 6. ubi de interdictis per generale ac personale interdictum, dicitur : *Non debent alicubi (casibus expressis à jure dumtaxat exceptis) audire Divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.* Ubi Gloss. verb. *Expressis*, solùm allegat jura, de Baptismo, & Confirmatione, & Viatico loquentia. c. 16. de sent. ex com. in 6.

Et in d. cap. *Alma*, etiam dicitur : , *Certis casibus & Sacramentis exceptis.* Ubi Gloss. de Matrimonio solùm dicit : *Tenet etiam Matrimonium*; non verò ait : *Licet.* Hactenùs Suarez.

Antequam autem ad singula respondeam, tran- 89. *Vis etiam*

transcribo etiam ea, quæ habet circà eamdem controversiam n. 54. Deinque (inquit) idem consequenter & cum proportione videtur dicendum de interdicto locali: nimirum ex vi illius non licere in loco interdicto Matrimonium contrahere, propter similem rationem. Nec video probabilem causam hoc permittendi; cùm neque sit tanta necessitas statim Matrimonium contrahendi, nec sit difficilè extrà locum interdictum illud contrahere. Et quidem cùm præsentia Parochi, vel Sacerdotis, habentis ejus licentiam, hodie necessaria sit, malè ille faciet, si in loco interdicto illi assistat, & suum quale cumque ministerium exhibeat.

90. *Secus à tamen contrà consuetudine.*

Atque hæc quidem videntur vera in rigore juris. Si tamen opinio contraria ita prævaluit, usuque recepta est, ut contrarium consuetudinem induxisse censeatur, ratione consuetudinis dici potest exceptio introducta; adeoque jam ita valere, ac si jure esset facta. De hac verò consuetudine, quia ad factum spectat, mihi satis non constat, & in personalibus interdictis non credo illam esse, & maximè in specialibus; in localibus autem generalibus faciliùs posset tolerari. Ita Suarez.

Doctrina Sanchez non fundatur in consuetudine.

Equidem quod attinet ad consuetudinem, de qua ibi loquitur d. Auctor, ea in his partibus, in quibus interdictum rarissimum est, & penè nullum, non facilè potest constare; unde Conclusionem nostram non fundamus in hujusmodi consuetudine, quæ indubiè sufficeret, si vera esset. Sed, ut vidimus, fundamus eam in ipso jure scripto; tum argumento negativo, quia nusquam in jure scripto prohibetur expressè Matrimonium etiam personaliter & specialiter interdicto; tum argumento positivo ex d. cap. *Capellanus*, in quo videtur concedi contractus Matrimonij extrà tempora ibi enumerata.

91. *Resp. Suarez ad d. cap. Capellanus.*

Respondet Suarez Sup. n. 51. ad hunc textum: Quod in cap. *Capellanus*, dicitur, satis juridicè exponetur, quòd omni tempore non prohibito potest Matrimonium contrahi; vel certè, quòd licèt possit omni tempore, non tamen omni loco, neque inter quascumque personas; sed circumstantijs servatis, quas jura disponunt. Eò vel maximè, quòd in illo textu non dicitur, Matrimonium omni tempore contrahi posse, sed: *Quocumque tempore contrahi* (id est, validum esse) *consensu interveniente legitimo de præsenti*. Hæc ille.

Non approbatur.

Fateor: in illo textu non dicitur expressè, Matrimonium omni tempore contrahi posse; sed ita debere intelligi, sup. declaravimus, & ita eum intellexit Rit. Rom. sup. ubi distinguens inter solemnitatem nuptiarum, & Matrimonium, ait: *Matrimonium autem omni tempore contrahi potest*. Igitur etiam tempore interdicti, id est, in loco interdicti, & à personis interdictis, nisi ostendatur aliquod jus, quod tempus illud, sive locum & personas excipiat.

92. *Arg. contrà ex c. 16. de Sent. ex com. in 6.*

Ostenditur, inquis, cap. *Si sententia*, de Sent. excom. in 6. ubi sic legitur: *Cùm verò alcujus terræ populus interdicto notatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat (ne sententia effectu careat, cùm Divinorum auditio & Sacramentorum perceptio populo ut universis non competant) non debent alicubi (casibus expressis à jure duntaxat exceptis) audire Divina vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.*

Videatur etiam d. cap. *Alma mater*, ubi idem Pontifex Bonifacius 8. ait: *Sanè à nostris dudum fuit Prædecessoribus constitutum, ut in terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) Divina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta.* Et cap. 24. eod.

93. *In hoc jure sola Pœnitentia excipitur.*

Porrò in illo jure non excipitur, nisi Sacramentum Pœnitentiæ, ibi: *Concedimus, quòd tempore interdicti ab homine vel à jure prolati, non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam, quam infirmi ad pœnitentiam (quæ propter pronitatem & facilitatem hominum ad peccandum summè necessaria est) licitè admittantur* &c. De aliis autem Sacramentis nulla fit ibi mentio.

In c. 43. de Sent. excom. Baptismus tantùm & Confirmatio.

At verò, in cap. *Responso*, de Sentent. excom. excipitur Baptismus & Confirmatio, ibi: *Præterea quæsivisti, cùm Ferrarienses civitas sit interdicto suppositа, & ideò sint ibidem (præter Baptisma parvulorum, & pœnitentiæ morientium) universa Sacramenta Ecclesiastica interdicta, an liceat tibi Baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo respondemus, quòd sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad Confirmationem in frontibus à Te possunt sacro chrismate deliniri.*

94. *In cap 11. de Pœnit. & remiss. Eucharist. per modum Viatici.*

Eucharistia quoque per modum Viatici claris verbis excipitur. cap. *Quod in te*, de Pœnitent. & remiss. in principio: *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus* (tempore interdicti) *Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur*. Si ergò Ecclesia judicasset, etiam Matrimonium non esse denegandum, cur & ipsum hìc aut alibi expressis verbis non excepisset à dictis generalibus prohibitionibus?

Quare Matr. non excipiatur. ex Sanchez.

Respondet Sanchez sup. n. 8. Quia id supponitur tamquam manifestum, & generali consuetudine Ecclesiæ receptum, ut nunquam intelligatur prohibitum Matrimonium, & excipiuntur ea Sacramenta, quæ merè spiritualia sunt, & ad actum Ordinis pertinent. Hæc ille.

95. *Objicitur.*

Sed contrà facit: quòd Matrimonium nusquam in jure specialiter prohibeatur excommunicato, & tamen intelligitur prohibitum per generalem prohibitionem participationis seu receptionis Sacramentorum.

Solvitur.

Pro responsione nota: tempore interdicti non tam prohibitam esse receptionem Sacramentorum, quàm administrationem certorum Sacramentorum, supposito semper statu gratiæ. Quàmvis enim in d. cap. *Si sententia*, fiat mentio receptionis; attamen d. cap. *Alma mater*, solùm meminit ministerij Sacramentorum, ut patet ex verbis sup. allegatis. Quo datur intelligi, quòd Ecclesia (ut notat Coninck disp. 17. n. 50.) per interdictum solùm aliis subtrahat ea, quæ ipsi à Christo dispensanda commissa sunt, qualia sunt omnia officia Divina, & ea Sacramenta, quæ per suos Ministros dispensat: tale autem nullo modo est Matrimonium: nam hujus

Quid Ecclesia per interdictum subtrahat fidelibus, ex Coninck.

jus dispensatio non est commissa Ecclesiæ, sed ipsis contrahentibus; quare eâ per interdictum spoliari non possunt: nam aliàs in re omninò propria, plurimi omninò innocentes, gravissimè læderentur ac punirentur. Hæc ille.

96. *Interdictum directè respicit eos, qui nomine Ecclesiæ conficiunt vel administrant Sacramenta; excommunicatio ipsos excommunicatos.*

Igitur interdictum directè respicit eos, qui nomine Ecclesiæ conficiunt & administrant Sacramenta fidelibus; indirectè autem ipsos fideles, qui petunt sibi administrari Sacramenta. At verò excommunicatio directè afficit ipsos excommunicatos, eisque apertè prohibet susceptionem Sacramentorum cap. 10. de Clerico excom. &c. *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licet graviter peccet* &c. Et infrà: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta; sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cùm non videatur à collatione, sed participacione Sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione) remotus.*

Major excommunicatio prohibet communionem fidelium.

Prætereà ligato excommunicatione majori prohibetur communio fidelium, cap. 59. de Sent. excom. *Si quem sub hac forma verborum: Illum excommunico, vel simili, a judice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione (quæ à communione fidelium separat) esse ligatum.*

Et verò quis ambigat, contractum Matrimonij esse communionem fidelium? Imò, secundùm Omnes, gravis est communio; maximè quia licèt ex primaria institutione tantùm sit contractus civilis, equidem annexam habet rationem Sacramenti; adeoque est communio, seu communicatio in re sacra.

97. *Secus interdictum.*

Sed nunquid hæc communio prohibita interdicto etiam personaliter? Patet quòd non. Quid ergo mirum, si ligatus excommunicatione majori, peccet mortaliter, contrahendo Matrimonium; secùs interdictus etiam personaliter?

Quare excommunicatus contrahendo Matr. peccet.

Unde excommunicatus contrahens non peccat solùm, quia confert & recipit Sacramentum; sed etiam, quia communicat cum fidelibus in re sacra, quæ communicatio est mortalis, esto res illa sacra, in qua communicat, non foret Sacramentum. Et ita responsum est ad primum argumentum Suarij.

98. *Quare excommunicatio minor, potiùs quàm interdictum, prohibeat Matr.*

Ad instantiam ejus, de excommunicatione minori, quæ non privât communione fidelium, patet responsio ex jam dictis, nimirum illam excommunicationem directè prohibere excommunicato susceptionem Sacramentorum; interdictum autem, etiam personale, solùm indirectè; per hoc utique, quòd ministris Ecclesiæ prohibetur Sacramenta fidelibus ministrare: propriè autem non ministrant Sacramentum Matrimonij in communiori sententia, quam suo loco secuti fuimus; ergò neque interdicto prohibetur fidelibus illud suscipere, vel ministrare.

99. *Interdictum non prohibere, docet Coninck & Aly. Probatur 1. ex Panorm.*

Ita nobiscum docet Coninck sup. n. 48. citans Navarrum c. 27. n. 179. Sylvest. verb. Interdictum, 5. n. 9. & Panormitanum in cap. *Non est vobis*, de Sponsal. qui dicit eam esse communem sententiam. Probatur, inquit, primò: quia per interdictum non prohibentur contractus: Matrimonium autem primò & per se habet rationem contractûs.

Resp Suarez.

Respondet Suarez sup. n. 51. Hoc non tollit, quin sit etiam Sacramentum. Quæ ratio Sacramenti principalior est, & alia ratio contractûs per illam elevatur, & ideò sequitur, ut ita dicam, forum, vel prohibitionem, aut concessionem ejus. Hæc ille.

100. *Impugnatur.*

Sed contrà: etsi ratio Sacramenti sit dignior, tamen si tam ipsius institutionem, quàm usum & contrahentium intentionem spectemus, primò & per se habet rationem contractûs: rationem autem Sacramenti accessoriè ac per accidens; quia & priùs tempore, & intentione, est institutum, ut sit contractus, & posteà elevatum ad esse Sacramenti. Item: essentialiter, & ex natura sua, habet rationem contractûs; rationem verò Sacramenti aliundè, & per accidens, cùm sinè ea esse possit. Similiter: omnis communiter illud contrahens, primò & per se intendit ipsum contractum; Sacramentum verò solùm per accidens, quatenùs illi conjunctum est: undè eodem modo contraheret, etsi hoc abesset. Cùm igitur accessorium, & per accidens, sequatur id, quod est principale, & per se, Matrimonium magis debet sequi permissionem contractûs, quàm prohibitionem generalem Sacramentorum. Ita Coninck sup. *Coninck.*

101. *Ratio contractûs non debet sequi forum Sacramenti.*

Et reverà rationem contractûs non debere sequi forum Sacramenti, nimis manifestum est in aliis multis, quæ obveniunt Matrimonio particulariter præ aliis Sacramentis, præcisè ratione contractûs; ut quod ipsi contrahentes sint ministri & suscipientes Sacramentum, quod contrahi possit per procuratorem, sine verbis propriè dictis &c.

Quando pars dignior trahat ad se minùs dignam.

Pars quidem dignior trahit ad se minùs dignam; sed tunc solùm, quando non est diversa ratio in parte minùs digna, & pars dignior est etiam principalior, sive principaliter intenta. Sic quippe oleum non benedictum in minori quantitate validè miscetur benedicto, id est, tota fit benedicta per illam mixtionem; quia principalior pars est benedicta: secùs oleum non benedictum in majori quantitate; quia licèt etiam tunc oleum benedictum sit dignius; tamen non est principalis pars istius mixti, sed minus principalis; & ideò oleum benedictum trahitur ad non benedictum, & fit non benedictum.

102. *Potiùs Sacramentum debet hic sequi forum contractûs.*

Ergò consimiliter dici posset in casu præsenti, potiùs Sacramentum debere sequi forum contractûs, quàm vice versâ; quia licet ratio Sacramenti dignior sit, ratio tamen contractûs est principalior, ut ostensum fuit. Præsertim cùm aliàs in generali alicujus provinciæ aut populi interdicto, infiniti propè homines etiam innocentes cogerentur, fortè etiam per aliquot annos, nullum Matrimonium contrahere, ex quo gravissima sequerentur incommoda ac innumeræ fornicationes. Quæ erat una ex rationibus, quare d. cap. *Alma mater*, tempore interdicti permittitur Sacramentum Confessionis, ut sup. expendimus.

Potrò

Porrò ex hoc, quòd ligatus minori excommunicatione nequeat contrahere Matrimonium, quæ, amabo, ſequuntur incommoda? Neque enim excommunicantur innocentes; & nocentes excommunicati poſſunt, ſi verè pœniteant, facilè abſolutionem ab excommunicatione obtinere. Quare (inquit Coninck ſup. n. 50.) ſicut hęc ſententia eſt communior, ita etiam verior.

103. *In Eccleſia, ſpecialiter interdicta, poteſt miniſtrari Matr. ex Sanchez.*

Ex qua utique conſectarium eſt, in Eccleſia, ſpecialiter interdicto ſuppoſita, poſſe miniſtrari Matrimonium, & alia Sacramenta, quæ tempore interdicti licitè poſſunt miniſtrari. Ita docet Sanchez ſup. n. 6. quia nulla reperitur prohibitio, quòd ea Sacramenta ab omni interdicto exempta ſint. Et per conſequens, ſicut Parochus poteſt miniſtrare alia Sacramenta jure excepta; ſic itidem aſſiſtere Matrimonio abſque ullo peccato, quia contendimus, Matrimonium non minùs exemptum eſſe ab interdicto, quàm alia Sacramenta, expreſſo jure exempta.

104. *An liceant ſolemnes nuptiæ. Probatur, quod ſic per Reg. juris 42. in 6.*

Sed nunquid etiam licent ſolemnes nuptiæ, ſeu ſponſorum benedictiones? Videri poſſet, quòd ſic, per Reg. 42 de Reg. juris in 6. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*; jam autem benedictiones iſtæ ſunt acceſſorium Matrimonij; ergò ſi hoc licet, etiam iſtæ licitæ erunt.

Confirmatur.

Confirmatur; quia conceſſis tempore interdicti Baptiſmo & Confirmatione, conceditur confectio Chriſmatis, quod acceſſorium eſt, cap. 19. de Sent. excom. in 6. *Quoniam in Baptiſmo & Confirmatione (quæ nedum pueris, ſed & adultis propter moræ periculum exhiberi poſſunt licitè tempore interdicti) Chriſmatis utimur unctione, poſſe (licèt terra interdicta exiſtat) Chriſma die Cœnæ Domini confici, dubium non exiſtit.*

Ubi Gloſſ. verb. *Dubium*: *Si tempore interdicti permittuntur Sacramenta, in quibus utimur Chriſmate, & vetus Chriſma non debet eſſe uſui; ergò reſtat, quòd permiſſum intelligatur, eo tempore die Cœnæ Chriſma conficere: quia conceſſo principali, & acceſſorium.* Ergò conſimiliter cum nuptiis ſoleat ex conſtitutione Eccleſiæ adhiberi ſolemnis benedictio, conceſſo Matrimonio, videtur etiam conceſſa ſolemnis benedictio.

105. *Sanchez tenet oppoſitam ſententiam, & probat eam.*

Nihilominùs (inquit Sanchez ſup. n. 10.) dicendum eſt, non poſſe conferri. Quia benedictio nuptialis eſt officium Divinum, & ad actum Ordinis pertinet, cùm ſolus Sacerdos poſſit ſponſum & ſponſam benedicere; idque precibus & officio peculiari ab Eccleſia inſtitutis, & in Miſſarum ſolemnijs. Cùm ergò tempore interdicti illicitè fiant Divina officia, ſecluſo ſpeciali privilegio, aut diſpenſatione, liquet profectò quòd nuptiæ illicitè benedicantur.

Ubi tamen, & quando Divina officia licitè fierent per ſpeciale privilegium aut diſpenſationem, etiam licitè nuptiæ benedicerentur; non enim eſt major ratio de uno officio, quàm de alio, niſi aliquod particulariter excipiretur; & eo ſemper ſalvo, ut laici quales ſunt neceſſariò contrahentes Matrimonium, poſſint ex privilegio Divinis officiis intereſſe. Quando autem & ubi, ac quomodo liceat Divina officia celebrare tempore interdicti, videre poteris in d. cap. *Alma mater.* Non ſpectant hæc ad preſentem tractatum, & ideò ſuperſedeo longiori examini. Vide Sanchium ſup. à n. 11.

106. *Reſp. ad Regulam juris, ex Sanchez.*

Quid ergò, inquis, ad Regulam juris ſup. ex adverſo productam? Dic (ait Sanchez ſup. n. 20.) illam intelligi, ubi eſt eadem ratio in acceſſorio & principali; neque eſt diſpoſitio aliqua ſpecialis in acceſſorio. At non eſt eadem ratio in Matrimonio, & benedictionibus nuptiarum: illud enim non ſpectat ad Divina officia, tempore interdicti vetita, ſecùs de his. Deinde: de Matrimonio nulla eſt diſpoſitio prohibens, ſecùs de benedictionibus; interdicuntur enim generali prohibitione Divinorum officiorum tempore interdicti. Hæc ille.

107. *Quomodò intelligenda d. Reg. ex Caniſio.*

Appoſitè Caniſius in d. Regulam ait; eam ita exaudiendam eſſe, niſi & ipſum acceſſorium certâ quâdam ratione principale ſit, ut in ſpecie cap. *Debitores*, 6. extrà de Jurejur. ubi juramentum de ſolvendis uſuris impleri jubetur, etiamſi ipſa obligatio uſurarum, cui accedit, non ſubſiſtat. Quia id evenit, quòd ex juramento propria obligatio naſcatur inter Deum & jurantem, ut proindè juramentum ibi certâ quâdam ratione principale ſit. Et ſic etiam in caſu noſtro benedictio nuptiarum quâdam ratione principale eſt, ſcilicet inquantùm eſt officium Divinum, quale officium non eſt Matrimonium. Igitur argumentum iſtud ſatis infirmum eſt.

Reſp. ad confir. ex Sanchez.

Ad confirmationem ejus reſpondet Sanchez ſup. prorsùs diſparem eſſe rationem. Quia Chriſma eſt acceſſorium tamquam de Confirmationis eſſentia: & de neceſſaria ſub præcepto Baptiſmi decentia, ſolumque poteſt die Iovis ſancti confici, & quotannis renovari debet. Quare ſi tunc ratione interdicti non conficeretur, ea Sacramenta miniſtrari validè, ſi ſit Confirmatio, aut decenter, ſi ſit Baptiſmus, non poſſent. Quæ rationes in benedictionibus nuptialibus locum non habent. Hæc ille.

108. *Expenditur.*

Video quorumdam reſponſionem, putà: veteri Chriſmate utitur licitè, qui novum nondum accipere potuit; adeoque ſi vetus Chriſma ſufficeret pro tempore interdicti, eſtò non renovaretur in die Iovis ſancto, adhuc validè & decenter poſſent adminiſtrari hæc Sacramenta.

Interim cùm fieri poſſet, quòd vetus Chriſma non ſufficeret, voluit Eccleſia generaliter excipere ab interdicto confectionem Chriſmatis. Oſtendat aliquis, ubi in jure eximatur ab interdicto benedictio nuptiarum, & idem dicemus de ea, quod de confectione Chriſmatis.

Ceterùm liquet, quòd hæc benedictio, neque ad validum, neque ad licitum Matrimonium ſit omni tempore neceſſaria, ut patebit ex infrà dicendis de tempore feriato; quare nulla fuit neceſſitas eam excipiendi à tempore interdicti.

109. *Conjuges poſſunt benedici extrà locum interdictum, ex Sanchez.*

Iſtud pro limite hujus Concluſ. addiderim ex Sanchio ſup. n. 19. Si interdictum locale ſit, poſſe conjuges extrà eum locum benedici. Quia interdictum locale non ligat extrà eum locum quem afficit, cap. *Si ſententia* 16. de Sent. excom.

com. in. 6. ibi : *Cæterùm cùm propter delictum Domini, vel Rectoris est civitas interdicta, cives ejusdem (qui culpabiles non existunt, dummodò & ipsi propter Dominum vel Rectorem puniendum in eis non fuerint interdicti) possunt extrà ipsam licitè interesse Divinis.*

Limitatio hujus doctrinæ.

Intelligenda itaque venit hæc doctrina Sanchij, dummodò conjuges non existant culpabiles, & ipsi propter Dominum vel Rectorem loci puniendum in eis non fuerint interdicti. Id est, intelligitur de conjugibus, qui merè localiter sunt interdicti ; secùs de iis, qui etiam personaliter.

110. *Quid si solus vir sit personaliter interdictus.*

Sed quid si solus vir sit personaliter interdictus ? Respondeo : si est interdictum personale speciale, sive solus vir, sive sola mulier illo sit adstrictus, nullibi fas est illas benedictiones nuptiales recipere, donec conjux ille, interdicto ligatus, absolvatur ; quia interdictum istud speciale personæ, ipsum quocumque se transferentem comitatur, instar aliarum censurarum, donec absolutio accedat ; jam autem benedictio nuptialis utrumque conjugem afficit.

Sin autem fuerit interdictum personale generale, & sola sponsa eo ligetur, potest in loco non interdicto unà cum viro benedici. Quippe cùm vir interdicto minimè affectus sit, uxorque sortiatur forum, munera, & honores sui viri (l. *Fœminæ*, 8. ff. de Senat. *Fœminæ nuptæ clarissimis personis, clarissimarum personarum appellatione continentur.* Et l. fin. Cod. de Incolis : *Mulieres honore maritorum erigimus, & genus nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus*) gaudet eâ viri non interdicti immunitate, ut benedici possit. Nam statim atque Matrimonio jungitur, desinit esse de populo interdicto.

Fœmina sortitur forum viri, & ideò cum viro non interdicto potest benedici.

Pontius.

Quòd intellige (inquit Pontius l. 6. cap. 9. n. 9.) ubi benedictiones conjugio superveniunt; non autem ubi consuetudo est præmittendi benedictiones. In eo enim casu, cùm nondum sortita sit forum viri, adhuc est de populo interdicto. Hæc ille.

111. *Quid si solus vir sit specialiter interdictus.*

Sed quid si solus vir eo interdicto ligatus sit, aut uterque conjux ? Non licet benedictiones nuptiales, etiam extrà locum interdictum, recipere, nisi vir domicilium mutet ; tunc enim licebit in loco non interdicto. Ratio est : quia cùm vir maneat pars illius civitatis personali interdicto suppositæ, dum aliò non migrat, animo domicilium transferendi, eodem interdicto personali ligatus manet, instar aliorum civium, d. cap. *Si sententia*, cum ibi notatis ; ac proinde uxor non poterit unà cum viro sic interdicto benedici. Ita Sanchez sup. cum aliis quos citat. Atque hæc sufficient pro hoc loco de interdicto generali, quod propriè non intelligitur impræsentiarum per ly Ecclesiæ vetitum.

Sanchez.

Rogas : quid ergò propriè intelligatur ? Respondeo : interdictum speciale, id est, prohibitio particularis non à Iure, sed ab homine, quæ interdum fit certis aliquibus personis, ne contrahant Matrimonium, de quo interdicto instituitur.

CONCLUSIO III.

Non solùm Pontifex aut Episcopus, sed etiam Parochus specialiter interdicit.

112. *Pontifex potest prohibere Matr. particularibus personis.*

DE Pontifice nemo Catholicorum dubitat, quin prohibere queat particularibus personis, ne Matrimonium vel pro certo tempore, vel etiam pro semper inter se contrahant. Nec tantùm prohibere, sed etiam irritare posse Matrimonium contrahendum, præced. Sect. Concluf. 3. satis ostensum fuit. Sed & Concluf. 2. probavimus, potestatem constituendi impedimenta dirimentia, Pontificem sibi reservasse privativè, non tantùm quoad Principes sæculares, sed etiam Ecclesiasticos se inferiores. Videantur ibi dicta.

113. *Idipsum possunt Episcopi.*

Cùm autem ex nullo jure constet, Pontificem sibi reservasse potestatem interdicendi Matrimonium, absque irritatione, privativè ad Episcopos, nulli dubium esse debet, nec verò potest, Episcopos etiam hodie particularibus personis interdicere Matrimonium, seu prohibere contrahendum. Ad ipsos quippe spectat judicare causas matrimoniales ; ergò ob justas rationes, v. g. ad sedanda scandala, vel ad inquirendum de impedimentis, quæ fortè latent, aut ne oriantur graves aliquæ rixæ, vel ob alicujus Festi venerationem, possunt Episcopi aliquibus in particulari prohibere Matrimonium, æquè atque imponere alia præcepta personalia, aut etiam leges communes, in quibus eorum potestas non est restricta ; sicut, ut mox dictum est, non videtur restricta quoad impedimenta merè prohibentia, & maximè quoad interdictum speciale, quod sæpiùs in diversis occasionibus occurrentibus potest esse necessarium pro salute animarum, & tranquillitate Ecclesiæ, ipsis subjectæ ; adeoque nullatenùs conveniebat, quoad hoc restringi eorum potestatem. Quare non est verisimile, Pontificem eam restrinxisse. Hæc ergò certa maneant.

Justæ causæ prohibendi.

114. *An etiam Parochi id possint. Ratio dubitandi ex c. 1. de Consang.*

Porrò dubitatur de Parocho. Ratio dubitandi est : quia ipse, utpotè carens jurisdictione in foro externo, non est judex Ecclesiasticus, ad quem tamen solùm pertinet cognoscere de causis Matrimonialibus ; & per consequens, ad eum privativè videtur spectare interdictum speciale Matrimonij, quod prærequirit cognitionem causæ. *Cæterùm* (inquit Alex. 3. c. 1. de Consang.) *tuam prudentiam volumus non latere, quòd non sint causæ Matrimonij tractandæ per quoslibet, sed per Judices discretos, qui potestatem habeant judicandi* (scilicet in foro externo) *& statuta Canonum non ignorent.* Cùm ergò Parochus non sit judex in foro externo, sed tantùm in foro sacramentali, quo jure potest prohibere Matrimonium ?

Probatur ex Sanchio, quòd possint.

Cæterùm (inquit Sanchez lib. 7. disp. 6. n. 6.) tenendum est id posse etiam Parochum. Quia aliud est causas Matrimoniales pertractare, id enim judicialem earum indaginem importat,

ac

ac proindè ſolius judicis Eccleſiaſtici eſt. Et hoc eſt, quod deciditur c. 1. de Conſang. Aliud autem eſt Matrimonium impedire ad tempus, & hoc Parochis incumbit. Hæc ille.

115. *Parochus non poteſt judicialiter de impedimento cognoſcere*; c. fin. de Cland. deſponſ.

Unde non poteſt Parochus cognoſcere judicialiter de impedimento, ut alibi diffuſiùs diximus; ſed poteſt & debet impedimentum ad Ordinarium deferre, & interea Matrimonium interdicere; arg. cap. fin. de Cland. deſponſ. ibi: *Cùm autem apparuerit probabilis conjectura contrà copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſsè, donec, quid fieri debeat ſuper eo, manifeſtis conſtiterit documentis.*

poteſt tamen interea Matr. interdicere.

Interdicatur (inquam) *expreſsè*. Sed à quo? Utique à Presbyteris: nam illos ibi alloquitur Pontifex Innoc. 3. dicens: *Statuimus, ut cùm Matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſiis per Presbyteros publice proponantur* &c. *& ipſi Preſbyteri nihilominùs inveſtigent, utrùm aliquod impedimentum obſiſtat. Cùm autem* &c. ut ſup.

Intelligè extrajudicialiter.

Et §. finali ſic ſcriptum habemus: *Sanè ſi Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere contempſerit* &c. Ergò officij ejus eſt prohibere, ſcilicet extrajudicialiter, nam judicialiter prohibere eſt actus juriſdictionis externæ, qui non competit Parocho.

116. *Peccant qui contra hujuſmodi interdictum contrahunt, ex d. c. fin.*

Neque dubites peccare, qui contrà interdictum hujuſmodi, etiam ſolius Parochi, contrahunt. Sequitur quippe in d. §. fin. *Sed his qui taliter præſumpſerint etiam in gradu conceſſo copulari, condigna pœnitentia injungatur.* Ubi Gloſſ. verb. *Pœnitentia*, inquit: *Nota, quòd puniuntur contrahentes, & tamen nullum ſubeſt impedimentum: ſed illud ideò fit; quia contrahunt contrà interdictum Eccleſiæ; unde non puniuntur propter impedimentum, ſed quia mandatum Eccleſiæ contemnunt, inf. de Matr. contr. contrà interdictum Eccleſiæ c. 1.* ibi: *Mandamus, quatenùs ſi eſt ita, præfatam mulierem (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas, & impoſitâ ſibi de tanto exceſſu pœnitentiâ condignâ* &c.

Item c. 1. & 2. de Matr. cont. &c.

Et cap. 2. eod. ibi: *Licet enim contrà interdictum Eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non eſt tamen conveniens, ut ob id ſolùm Sacramentum conjugij diſſolvatur, alia tamen Pœnitentia eis debebit imponi; quia contrà prohibitionem Eccleſiæ hoc fecerunt.* Ergò contrahendo peccarunt.

117. *Objectio.*

Procul dubio, inquis; quia contrà præceptum Epiſcopi. Sed quis dedit Parocho poteſtatem præcipiendi ſuis parochianis ſub peccato? Nunquid & leges poterit ferre, ſicut Epiſcopus?

Solvitur.

Reſpondeo: quàmvis Parochus vi præcisè ſui officij nequeat paſſim leges condere, aut imponere parochianis præcepta perſonalia in foro externo obligantia ſub peccato; equidem in hoc caſu ex ſpeciali conceſſione juris communis d. cap. fin. id poteſt, ut patet ex verbis ſup. allegatis.

118. *Quale ſit peccatum.*

Sed quale peccatum eſt? Nonnulli (inquit Pontius ſup. c. 7. n. 8.) lethale aſſerunt, alij tantùm veniale, ut refert Em. Sa, verb. *Imped. Matr. non dirimentia*, n. 1. Ego tamen exiſtimo, id decidendum juxtà generalem doctrinam in materia de Legibus, penſandumque ex materia & circumſtantiis, quando ea prohibitio obliget ſub mortali, quando ſub veniali; poterit enim contingere, ut aliquando lethalis culpa, aliquando venialis ſit tranſgredi eam prohibitionem: frequentiùs tamen exiſtimarem, committi lethalem culpam. Idque colligo, tum ex gravitate materiæ, tum etiam ex pœna appoſita, ſeparationis ſcilicet, quæ cùm gravis pœna ſit, non niſi ob gravem culpam deberet imponi. Hæc ille.

Pontius putat frequentiùs eſſe mortale.

Aſt ubi apponitur illa pœna? Reſpondeat Pontius ſup. n. 7. Cæterùm quàmvis Matrimonium contrà ſimplex interdictum valeat; attamen in pœnam ſeparandi ſunt conjuges ad tempus cap. 1. de Matr. contr. contrà interd. Eccleſ. ibi: *Et impoſitâ ſibi de tanto exceſſu pœnitentiâ condignâ, poſtquam in domo materna per menſem ſteterit, ad tertium reverti permittas.*

119. *An benè probetur ex gravitate pœnæ.*

Verùm enimverò ibi imponitur certum tempus ſeparationis, ſcilicet per menſem, cùm tamen Pontius ſup. dicat: Tempus autem, quo ſeparati remanere debent, arbitrarium eſt, ut communis tenet DD. ſententia.

120. *Soli conjugi culpabili eſt interdicendus uſus conjugij, ex Sanchez.*

Reſpondetur: Menſis ille ponitur in eo textu gratiâ exempli, & non ad arctandam judicis facultatem. Ita Sanchez ſup. diſp. 2. n. 14. Addit: Soli autem conjugi, culpæ participi, eſt interdicendus conjugij uſus, nimirum ne debitum petat, quàmvis reddere debeat. Conjux enim illius expers, minimè puniendus eſt. Quod ſi uterque reus fuerit, utrique eſt eadem pœna injungenda, & uſus Matrimonij omninò prohibendus, eo ſeparationis tempore. Quòd ſi periculum incontinentiæ ſubſit, non ſeparandum eſt Matrimonium, ſed alia pœnitentia injungenda. Hæc ille.

Gravitas pœnæ non probatur efficaciter ex c. 1. de Matr. cont. &c.

Sed quæro ego: d. cap. 1. loquitur de ſola violatione interdicti? Gloſſa in d. cap. verb. *Exceſſu*, ſpecificans eum exceſſum, ait: *Scilicet de fide violata prioris ſponſi, & quia diſponſare ſe permiſit à fratre ſponſi, & quia mandatum Eccleſiæ contempſit.* Ecce triplex delictum, propter quod imponitur d. cap. pœna ſeparationis ad menſem. Ergò propter ſolam violationem interdicti Eccleſiæ imponenda eſt pœna ſeparationis, idque ad tempus arbitrarium, qualis conſequentia? Niſi ergò acceſſerit communis ſenſus DD. ex d. cap. præcisè non probatur efficaciter intentum.

121. *Sed neque ex c. fin. eod.*

Sed neque ex cap. fin. eod. *Illos autem, qui pro conſanguinitate prohibentur conjungi, & poſt contrà interdictum Eccleſiæ ſe receperint, excommunicationi debes ſubjicere, donec tamdiu ſeparentur, quouſque legitimè cognoſcatur, utrùm eorum Matrimonium poſsit & debeat jure ſtare.* Nam & ibi tempus non eſt arbitrarium. Eſtque caſus particularis, in quo ſcilicet dubitatur de impedimento & per conſequens de valore Matrimonij. Quid ergò mirum, ſi pro illo tempore debeant ſeparari? ergò etiam debent, aut ſaltem poſſunt ſeparari, quando conſtat de valore Matrimonij, nunquid rectè ſequitur?

Quid ſenſerit Em. Sa.

Quantùm ad Em. Sa, hæc ſunt verba ejus loco citato:

citato : Matrimonij impedimenta, non dirimentia tamen. Primum : Prohibitio Episcopi vel Parochi : contrà quam facere mortale quidam putant, alij veniale censent. Navar. c. 22. n. 68. Hæc ille.

122. *Item quid Navar.* Subdo verba Navarri : Secundum impedimentum impediens, sed non dirimens Matrimonium, est interdicti & feriarum, ut cùm alicui, ne contrahat Matrimonium cum aliqua, ob aliquod impedimentum, Episcopus, Iudex aut Parochus interdicit, donec constet, non subesse illud impedimentum, quod opponitur, secundùm Paludanum, quidquid dicat Angelus. Valet tamen Matrimonium sic contractum, si verè non suberat impedimentum, licèt peccet contrahendo : sicut & peccat qui contrahit Matrimonium clandestinè, sinè justa causa, aut publicè sinè trina denuntiatione, priùs in Ecclesia facta, quò qui impedimentum inter eos esse sciunt, indicent illud, & est excommunicatus non quidem jure communi, sed Episcopali, quale in plerisque omnibus Episcopatibus Hispaniæ est. Ita hic Auctor.

123. *Comparat Matr. contractum contrà interdictum. Matr. clandestino.* Ubi quidem expressè non dicit, esse peccatum mortale ; sed satis id insinuat, dum comparat Matrimonium contractum contrà interdictum, Matrimonio clandestino, quod constat esse mortale ex gravitate pœnæ. Et ego non dubito esse mortale, dum causa interdicendi est gravis, sicuti est in casu à Navarro proposito, in quo suberat periculum invalidè contrahendi. Cùmque Matrimonium sit res gravissima, existimo quòd non debeat interdici, nisi ex gravi aliqua causa, vel jam assignatâ, vèl simili, adeoque communiter esse peccatum mortale contrà interdictum contrahere.

Interdictum non dirimit. Valet tamen Matrimonium contractum, juxtà communem DD. sententiam, satis expressam in d. cap. 2. de Matr. contr. contrà interdict. Eccles. Solum obstare videtur textus in cap. *Ad dissolvendum*, de Desponsi. impub. ubi hæc habet Innoc. 3. *Ne verò quidquam in puellam interim attentetur, auctoritate Apostolica interdicimus, ne in negotio de novo procedatur ulteriùs, donec vel à denuntiatione cesserur, vel eâ probatâ ordine judiciario procedatur. Quòd si contrà interdictum nostrum in præjudicium ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omninò carere.*

Objicitur c. 13. de Desponsi. impub.

124. *Item c. 4. de Sponsi. duor.* Eodem spectat. rescriptum Alex. 3. in c. *Tua fraternitas*, de Sponsa duorum : *De his verò qui coram te, super desponsatione factâ per consensum mutuum de præsenti, controversiam movent, & appellatione pendente, quam antè sententiam, vel cognitionem causæ, ad Sedem Apostolicam interponunt, accipiunt alias in uxores : Hoc arbitramur agendum, ut si ammodo in tali casu duxerint appellandum, eis in Ecclesia publicè interdicas, ne antè decisionem causæ aliud contrahant Matrimonium. Et si contrà interdictum Ecclesiæ publicè factum venire præsumpserint, Matrimonium tam præsumptuosè contractum poteris irritare.*

125. *Respons. Pontij ad d. jura.* Respondet Pontius sup. n. 6. Irritant quidem isti duo Pontifices Matrimonium, post eam prohibitionem contractum, non tamen evincunt simplici prohibitione irritum reddi. Idque maritò ab illis in eo casu, & tempore constitutum est. Ut enim constat ex eod. Alex. 3. in Appendice Concilij Later. parte 6. c. 8. 17. & 18. eo tempore quarundam Ecclesiarum consuetudo erat, imò & à prædecessoribus ita judicatum, ut si quis incognitâ primâ uxore, quam per verba de præsenti duxerat, aliam duceret, eamque cognosceret, secundam tenere cogeretur. Cui consuetudini validè se opposuit Alex 3. unde & conveniens tempori & loco judicavit statuere, ne lite pendente super validitate Matrimonij, ad alia vota transiret : quòd si secùs faceret, irritum esset Matrimonium.

Quid ista jura convincant. Convincunt itaque isti Canones, & esse potestatem in Pontifice inhabiles efficiendi personas aliquas ad contrahendum, & si ea clausula irritans apposita fuerit, nullum fore Matrimonium post contractum. Quare non pugnant cum decisione Benedicti in cap. 2. citatum de Matr. contr. contrà interd. Eccles. Hactenùs Pontius.

126. *Oppugnatur Pontius.* Verùm, meo judicio, rem acu non tetigit, sed aberravit à scopo. Audiamus Gloss. in d. cap. 4. verb. *Poteris irritare : Simile*, inquit, *sup. de Desponsi. impub.* Ad dissolvendum, *in fine. Ex quibus colligitur, quod Matrimonium, contrà interdictum Ecclesiæ contractum, sit omninò dirimendum, ut* 35. *q.* 3. Contradicimus, *&* 33. *q.* 4. Non oportet, 2. *&* 10. *dist.* Vides, *&* Cod. *de* LL. Non dubium. *Arg. contra inf. de Matr. contr. contrà interdictum Eccles. c.* 1. *&.* 2. *&.* 3.

Solutio : cùm Matrimonium interdicitur ab Ecclesia, aut causa prohibitionis est perpetua, aut temporalis. Si est perpetua, separantur à cohabitatione, quousque cognoscatur de impedimento, quo probato separantur ex toto, latâ sententiâ divortij contrà eos, inf. de Matr. contrac. contrà interd. Eccles. De muliere, *& sic intelligitur cap.* Contradicimus, *& c.* Vides, *& l.* Non dubium : *& sic intellige, quod dicit hic, & cap.* Ad dissolvendum, *quo non probato remanebunt simul. Si verò causa prohibitionis fuerit temporalis, putà tempus, in quo Matrimonium prohibetur contrahi propter reverentiam dierum, vel consensus de futuro cum alio : tunc non deberent separari, sed pœnitentia debet eis imponi, quia contrà interdictum Ecclesiæ hoc fecerunt, inf. de Matr. contr. contrà interd. Eccles. c.* 2. *Tamen ne mandatum judicis contemptibile videatur, si vult, potest eos ad tempus separare, & sic intelligitur capitulum :* Non oportet, *& inf. de Matrimonio contr. contrà interd. Eccles. c.* 1. *Interdictum enim Ecclesiæ non est tantæ efficaciæ, ut separetur Matrimonium contra illud contractum, nisi subsit causa perpetua, tamen pœnitentia debet semper imponi, sive causa sit perpetua, sive non, propter contemptum Ecclesiæ, ut patet per jura prædicta.*

127. *Mens Pontificis in d. cap : 4. explicatur.* Igitur, secundùm hanc Glossam, Pontifex non irritat Matrimonium post eam prohibitionem contractum ; sed relinquit irritandum, id est, separandum, usque ad causæ decisionem. *Nota* (inquit Gloss. ibi in expositione casus) *quòd pendente appellatione nihil est innovandum. Item, qui contraxit contra interdictum Ecclesiæ, debet separari ab illa, quousque cognoscatur de impedimento.* Fate-

Fatemur libenter, & superiùs fassi sumus, Pontificem posse non solùm interdicere seu prohibere Matrimonium inter particulares personas, sed etiam contrahendum irritare; idque facere, quando in suo interdicto, præter prohibitionem, addit etiam clausulam irritantem; sed negamus hanc clausulam esse irritantem.

128. *Quæ sit clausula irritans, ex Aversa.* Clausulam irritantem (inquit Aversa q. 10. sect. 2. §. *Fatendum*) dicimus, quæ intelligatur ipso facto, utpotè dicendo: *Sit irritum, sit nullum*, alióve modo simili. Hic enim loquendi modus non denotat solùm separationem conjugum quoad torum, sed totalem Matrimonij nullitatem. Si autem Pontifex diceret de futuro, *Tale Matrimonium erit irritandum, poterit irritari*: tunc debebit intelligi tantùm de separatione conjugum quoad torum: quia supponeretur Matrimonium fuisse validum, in quo proinde non potest cadere totalis dissolutio, sed tantùm separatio quoad torum. Hæc ille.

Respond. ad d. cap. 3. Quid ergò, inquis, ad d. cap. *Ad dissolvendum*, in quo hæc particula irritans ponitur: *Id irritum esse decernimus, & viribus omninò carere?* Gloss. ibi verb. *Irritum*, quæstionem hanc dissolvet: *Quoad judicium*, inquit, *quod movetur in præjudicium ipsius. Simile sup. de Præbend.* Inter cætera: *secùs esset si clausula illa non apponatur, licèt mandet Papa aliquid fieri, sup. de Præb.* Dilectus 1. *&c.* Dilectus, 2. *Sed quid si contraherent Matrimonium contrà interdictum Papæ, nunquid irritabitur Matrimonium? Dico quòd non, sed separabuntur ad Tempus, sup. de Sponsal.* Cùm in Apostolica, *quousque cognoscatur de impedimento, inf. de Matrimonio contr. contrà interd. Eccles.* Ex literis, *&* cap. De muliere. *Nam fortius est Matrimonium, quàm interdictum Papæ.* Hæc Glossa.

129. *Verba cap. 18. de Spons. expenduntur.* Subdo ego verb. c. Cùm in Apostolica. *Verùm quia villicum & mulierem, quam superinduxit, pendente lite prioris uxoris, invicem asseris consensisse: Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd impositâ viro pœnitentiâ competenti, & infrà pœnitentiæ tempus carnali cõmercio interdicto, postea in maritali copula poterunt remanere.* Ubi Gloss. verb. *Remanere*, inquit: *Sic patet, quòd aliquis habens uxorem, licèt eâ vivente, & litè etiam pendente contrahat cum alia, soluto primo Matrimonio, tenet secundum: sed hoc locum habet cùm primum Matrimonium fuit nullum.*

Igitur non est verisimile Innoc. 3. d. cap. *Ad dissolvendum*, voluisse irritare Matrimonium contractum contrà interdictum Ecclesiæ, quidquid dicat Pontius suprà; sed solùm statuisse, ut notat Gloss. ibi verb. *Interdicimus: Quòd si per extorsionem vel violentiam quidquam fieret in præjudicium puellæ, sive in judicio, sive extrà, non præjudicaretur ei.*

130. *Objicitur Decretum 4. Celest. Papæ.* Objicitur præterea, contrà communem doctrinam, Decretum quartum Cælestini Papæ (refertur 35. q. 6. c. 2.) quod sic incipit: *Videtur nobis, quòd secunda, quam contrà prohibitionem Ecclesiæ duxit, non sit uxor, etiamsi primam non haberet desponsatam. Nam quod contrà interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, tamquam inordinatum, ratum non haberi, tam Divinæ, quàm humanæ legis proclamat auctoritas.*

Respondet Aversa sup. sect. 1. §. *Vbi & notavimus*, in fine: Cælestinus loquebatur de peculiari casu, quo quidam superduxerant alteram uxorem, vivente primâ, & intellexit tale Matrimonium, factum contrà legem dirimentem, ratum & validum non esse. Hæc ille. *Respons. Aversa.*

Sed contrà: ait Pontifex, *Etiamsi primam non haberet desponsatam.* Respondeo: desponsatam solemniter. Hinc titulus illius Decreti apud Binium to. 1. Concil. *Quæstionis de binis uxoribus, uni ductis, quarum prior non fuerat solemniter desponsata, expeditio.* 131. *Impugnatur.*

Et patet fuisse desponsatam ex verbis immediatè subsequentibus: *Quia igitur ea, quam inordinatè superduxit, prohibitione renitente, uxor non est, cogendus est eam recipere, quam juravit & desponsavit, & ex ea prolem genuit, ut juramenti religio non vilipendatur, & fides ad invicem promissa servetur, & proles in cultu Dei nutriatur, & educetur, & aly inde occasionem pejerandi & alias decipiendi assumere non valeant.*

Igitur interdictum speciale, nisi habeat adjunctam particulam irritantem, aut tamquam irritans consuetudine receptum sit, estò prohibeat Matrimonium contrahendum, non tamen dirimit contractum. Nunquid idem dicendum de tempore feriato?

CONCLUSIO IV.

Tempus feriatum potiùs solemnitatem nuptiarum prohibet, quàm ipsum contractum Matrimonij.

TEmpus feriatum hìc intelligitur illud tempus, quo præscriptum est ab Ecclesia, ne celebrentur nuptiæ. Et quidem jure veteri pluribus temporibus id præscriptum erat, 33. q. 4. c. 8. (quod desumptum est ex Laodicensi Concil. c. 52.) *Non oportet in Quadragesima, aut nuptias vel quælibet natalitia celebrare.* 132. *Quod hìc sit tempus feriatum.*

Item cap. 10. ead. (ex Concil. Ilerdensi) *Non oportet a Septuagesima, usque in Octavas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem S. Ioannis Baptistæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur.* *Diversa tempora, quibus olim prohibitum erat contrahere Matr.*

Prætereà apud Nicolaum Papam ad consulta Bulgarorum cap. 48. (& refertur eâd c. 11.) sic legitur: *Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatènùs arbitramur.*

Denique cap. 4. de Feriis: *Capellanus tuus (frater Episcope) coram nobis ex parte tua proposuit, quòd cùm statuta Canonica declarent, nuptias tribus septimanis antè festum Nativitatis B. Ioannis Baptistæ minimè celebrari debere. Et infrà: Quia tamen a Septuagesima usque ad septem dies post Pentecosten celebrari nuptiæ non jubentur, & postea etiam tribus septimanis vel pluribus ante festivitatem S. Ioannis sinè differentia celebrantur, posterior* 133.

sententia (quæ ait, tres hebdomadas ante festum S. Ioannis non oportere intelligi proximè & immediatè ante ipsum Festum : sed meliùs intelligi à tribus diebus Rogationum antè Ascensionem usque ad Octavam Pentecostes) *meliori & subtiliori nititur ratione : & sive, secundùm Canones, à Septuagesima usque post Octavas Paschæ : sive, juxtà consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, usque post septem dies festi Pentecostes (quod caret Octavis) nuptiæ suspendantur : in Dominica, quæ sequitur, & deinceps possunt licitè celebrari.*

134. *Tempora, quæ hodie prohibentur ex Trid.*

Ecce diversa & plura tempora, quibus Ecclesia olim prohibuit celebrare nuptias. At modò Concilium Trid. sess. 24. cap. 10. ad hæc tantùm tempora prohibitionem reduxit : *Ab Adventu* (inquit) *Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit, in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit : quas Episcopi, ut eâ quâ decet modestiâ & honestate fiant, curabunt : sancta enim res est Matrimonium, & sanctè tractandum.*

Expendunt. verba Trident.

Ubi in primis per illa verba : *In aliis verò temporibus* &c. Concilium satis significat, se derogare aliis temporibus, præter enumerata, jure antiquo prohibitis.

Secundò notandum, quòd Concilium non dicat : antiquas nuptiarum prohibitiones, sed : *Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones.* Item non dicit : in aliis verò temporibus nuptias celebrare permittit : sed : *Nuptias solemniter celebrare permittit.*

135. *Per celebrationem nuptiarum intelligitur solemnis.*

Intellexerunt itaque Patres Concilij per celebrationem nuptiarum, olim prohibitam certis temporibus, non ipsum contractum privatum Matrimonij, aut ejus consummationem ; sicut nec antecedentes præparationes, sponsalia, & denuntiationes, ac simplicem traductionem sponsæ in domum viri, sed solemnem nuptiarum celebrationem, per quam intelligitur tum benedictio, quæ solemniter intrà Missæ Sacrificium in Ecclesia celebratur ; tum etiam sæcularis pompa, cum festivis lætitiæ signis, utpotè traductio sponsæ cum plausu & comitatu, convivia, choreæ, cantus, & similia. Ita communiter DD.

Habetur expressè in Rit. Rom.

Et habetur expressè in Rit. Rom. Tit. de Sacram. Matr. ibi : *Postremò meminerint Parochi, à Dominica 1. Adventus usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusivè solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* Ubi apertis verbis traditur nostra Conclusio.

136. *Hæc prohibitio est justa, ex Trid.*

Porrò hanc prohibitionem esse justam, definit Concilium Trid. sup. can. 11. *Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam ; .... anathema sit.*

Ratio ejus ex d. Thom.

Sed quæ ratio hujus prohibitionis ? Teste D. Thoma 4. dist. 32. q. un. a. 5. q. 4. in corpore, antiquæ prohibitionis ratio fuit : quòd tribus illis anni temporibus olim Communio esset in præcepto ex Concil. Agathensi can. 18. Solemnitates autem nuptiarum vehementer animos à spiritualibus avocant, ad carnaliaque trahunt, cùm in illis convivia fieri & multa alia lætitiæ vanæ signa exhiberi soleant. Quapropter iis temporibus vetitæ fuerunt, ut vel sic à carnalibus his abstinentes sese homines colligerent, Communionique paratiores redderentur. Hæc sunt verba D. Thomæ : *Quando novæ sponsæ traduntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur, & ideò in nuptiis consueuerunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi ; & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipuè debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrari. Hoc autem est ab Adventu usque ad Epiphaniam, propter Communionem, quæ secundùm antiquos Canones in Nativitate convenienter fieri solet ; & à Septuagesima usque ad Octavas Paschæ, propter Communionem Paschalem, & à tribus diebus ante Ascensionem usque ad Octavas Pentecostes propter præparationem ad Communionem illo tempore sumendam*

137. *Alia ratio, ex Bellar. Sanchez.*

Nec tamen (inquit Sanchez lib. 7. disp. 7. n. 1.) ea fuit sola ratio hujusmodi prohibitionis (ut bene probat Bellarminus lib. 1. de Matr. c. 31. §. *Adde quòd*) sed etiam, ea esse Festa omnium toto anno occurrentium celeberrima : quare placuit Ecclesiæ, fideles ab his abstinere, quò aptiùs jejuniis ac orationi vacarent, quæ id tempus maximè decent. Hæc ille.

Arg. Hæreticorum.

Ex quibus patet responsio ad argumentum, quod Hæretici ex adverso adducunt, dicentes : hodie cessat causa antiquæ prohibitionis : ergò etiam cessat effectus, id est, prohibitio. Antecedens probant ; quia hodie cessat præceptum ter in anno communicandi, non tenentur enim ad Communionem accedere nisi in Paschate ; Communio autem erat causa prohibitionis.

138. *Satisfit ex Bellar.*

Respondet Bellarminus sup. §. *Sed in utroque* ; Etiamsi non teneantur Christiani omnes lege Ecclesiasticâ ad Communionem accedere, nisi in Pascha, tamen adhuc viget consuetudo in tota Ecclesia communicandi in Natali Domini ; adeò ut rari sint omninò, qui id non faciant. In Pentecoste rarior est Communio, & ideò etiam fortasse Concil. Trid. hoc tempore nuptias solemnes fieri permisit.

Adde : quòd non est sola Communio causa illius Decreti, sed celebritas etiam principalium Festorum, ad quæ Ecclesia per jejunia & orationes filios suos præparare satagit : non autem benè conveniunt pompæ nuptiales, convivia, saltationes, & alia signa lætitiæ, cum præparatione illa, præsertim Quadragesimæ & Adventûs. Nec in illo Decreto eorum, quæ habentur 33. q. 4. vel in titulo de Feriis, expressè ponitur causa Communionis, sed solùm Festorum celebratio. Hactenùs Bellar.

139. *Rationes prohibitionis ex d. Bonav. una moralis.*

Appositè D. Bonaventura 4. dist. 32. a. 4. q. 1. in corp. *Dicendum, quod duplex est ratio, quare in his tribus temporibus interdictum est nuptias celebrari. Vna scilicet moralis, alia figuralis. Moralis quidem*

quidem est de his tribus temporibus anni propter præcipuarum solemnitatum expectationem, in quibus consueverunt fideles communicare, scilicet Natali Domini, Paschа & Pentecoste, quando debent se fideles præparare, ut Dominum suum possint dignè & reverenter accipere; & per hoc debent sensum à terrenis aliquatenùs elevare: & quoniam in sponsæ traductione, & nuptiarum celebratione, propter novitatem vehementer animus convertitur ad illud, quod deorsùm est, & ad gaudia vana, ideò ista tria tempora ex rationabili causa sunt interdicta, scilicèt tempus Adventûs usque ad Octavas Epiphaniæ, tempus à Septuagesima usque ad Octavas Paschæ, tempus à tertio die antè Ascensionem usque ad Octavas Pentecostes, & quia multæ abusiones fiunt, quæ his temporibus non conveniunt.

Alia figura lis. *Alia est ratio figuralis; scilicet quia his temporibus sunt dies jejuniorum, & sicut dicitur Matth. 9.* Non debent filij sponsæ lugere, quamdiu cum illis est sponsus, cùm autem aufertur &c. *Ideò quodammodò in his diebus signatur absentia sponsi, & ideò in talibus diebus non debet fieri sponsi & sponsæ conjunctio, nec nuptiarum celebratio. Vnde non est interdictum contrahi sponsalia, vel Matrimonium in his diebus per simplicem consensum; sed interdictum est nuptias celebrare, & sponsam in domum viri adduci; & hoc totum congruitatis rationem exigit pro eo, quòd est constitutio humana.* Ita Doct. Seraphicus.

140. *Quare Trid. coarctaverit tempora hujus prohibitionis, ex Aversa.* Notat autem Aversa q. 20. sect. 2. §. *Convenienter*; Tridentinum convenienter illa tempora coarctasse, ut libentiùs & faciliùs servarentur. Et quia tempora Quadragesimæ & Adventûs sacratiora sunt, in quibus pœnitentiæ & mœstitiæ signa in Ecclesia exhibentur; et Festa Resurrectionis, ac Nativitatis Domini vel ex debito, vel ex devotione, frequentiori Sacramentorum usu à fidelibus celebrantur. Hæc ille.

141. *An hæc prohibitio graviter obliget? Affirmat Aversa.* A quo si quæras; an hoc præceptum Ecclesiæ graviter obliget? Respondet affirmativè, tum Sacerdotes, ne iis temporibus hanc benedictionem (intelligit benedictionem solemnem) impendant; tum laicos ipsos conjugatos, ne eam petant aut suscipiant: quia res est gravis & sub verbis præceptivis præscripta, & in praxi quoque servatur. Quare non solùm ex contemptu aut scandalo, sed ex qualitate ipsa præcepti, peccatum esset mortale illud transgredi: sicut & præcepta jejuniorum, Festorum ac similia.

An pœna inflicta a jure sit observanda, ex eod. Jubentur etiam conjuges eodem cap. *Non oportet*, 33. q. 4. in pœnam hujus transgressionis separari, scilicet ad tempus ad arbitrium Episcopi. Quæ pœna, cùm revocata non sit, esset infligenda & observanda, etiam si Matrimonium esset posteà consummatum. Dummodò tamen non esset periculum incontinentiæ ex parte alterutrius conjugum; quia tunc hæc pœna esset in aliam commutanda. Multò magis Sacerdos esset ad arbitrium Episcopi puniendus, cùm in jure non sit certa pœna pro ipso taxata. Hucusque Aversa.

142. *Hanc gravitatem obligationis docet etiam Sanchez.* Idem docet Sanchez sup. n. 3. dicens: Et quidem in his feriarum temporibus benedictiones nuptiarum esse prohibitas, dubitat nemo. Quia consuetudo totius Ecclesiæ id testatur. Quare culpa esset lethalis huic præcepto contravenire. Nam tamquam de re gravi semper intellexit Ecclesia. Idque non obscurè significat d. Trident. dum sess. 24. de Matrimon. cap. 10. diligenter servari præcipit hanc prohibitionem.

Rejicitur Ledesm. qui oppositum docet cessante scandalo & contemptu Nec audiendum esse existimo Barthol. à Ledesma de Matr. dub. 60. §. *Sed dubitatur*, ubi dicit, cessante scandalo & contemptu, non esse peccatum mortale. Verùm non ex scandalo & contemptu, quæ omnibus generalia sunt ad culpam constituendam, sed ex ipsa præcepti natura & gravitate, quam Ecclesiæ consuetudo & verba Tridentini testantur, culpa hæc lethalis contrahitur; sicut cessante scandalo & contemptu, cætera præcepta Ecclesiastica rei gravis, ut audiendi Sacri, jejunandi, obligant sub mortali. Hæc ille.

143. *Similiter docet Sanchez pœnam esse infligendam tum Parochis, tum contrahentibus.* Et ideo consequenter docet n. 4. Sacerdotem adversus hoc præceptum benedicentem nuptias, gravi pœnâ plectendum esse, arbitrariâ tamen: cùm, inquit, nulla in jure præscripta sit. Ea autem, quæ jure definita non sunt, arbitrio judicis demandantur.

Prærereà n. 5. asserit: sponsos id præceptum transgredientes, in delicti pœnam ad tempus separandos esse. Id autem tempus, inquit, quo separandi sunt, est dum feriarum tempus, quo interdictæ sunt nuptiarum solemnitates, durat. In quo utique puncto opponitur hic Auctor Aversæ, qui, ut statim audivimus, illud tempus relinquit arbitrio Episcopi.

144. *Quanto tempore debeant sponsi separari.* Et hoc meo judicio, salvo meliori, probabiliùs apparet. Ducor ratione, jam statim à Sanchio assignatâ: quia ea quæ jure definita non sunt, arbitrio judicis demandantur. Subsumo ego: atqui nullo jure definitum est tempus separationis; ergò arbitrio judicis demandatur. Separatio quidem definita est d. cap. *Oportet*, ibi: *Quòd si factum fuerit, separentur*; & ideò separatio imponenda, nisi subsit periculum incontinentiæ, ut eod. n. docet Sanchez: sed ubi in jure dicitur, separandos esse, dum feriarum tempus durat? Illud ergò jus expectabimus

An debeant separari etiam consummato Matr. Intereà dico cum Sanchez sup. separandos esse, etiam jam Matrimonio consummato, quidquid dicat Tabiena permotus hâc ratione; quia Matrimonio semel consummato, non ampliùs peccant coëundo. Fundamentum nostrum est; quia hujus separationis ratio, non est culpa coitûs, ille enim, etiam primus in eo tempore semper vacat culpâ, ut infrà videbimus, & jam sup. diximus, sed culpa suscipiendi benedictiones contrà Ecclesiæ interdictum, cui culpæ ea pœna jure indicta est. Et cùm sit pœna gravis, quid ni etiam culpa sit gravis? Quippè debet pœna esse proportionata culpæ.

145. *Occurritur objectioni.* Neque jam dictis obstat; quòd Glossa in d. c. *Oportet*, vocet transgressionem hujus præcepti contemptum, in propositione casûs, dicens: *Hic prohibetur certis temporibus anni aliquam duci uxorem, & si fuerit traducta, separentur ad tempus pro contemptu ad pœnitentiam.* Intelligit quippè contemptum virtualem, qui intervenit in omni

ni transgressione legis.

Per contemptum non intelligitur semper in jure formalis contemptus.

Colligo ex cap. 2. de Matr. contr. contrà interdict. Eccles., ubi in fine dicitur: *Licèt enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerint: non est tamen conveniens, ut ob id solùm Sacramentum conjugij dissolvatur. Alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.* Ubi Gloss. verb. *Ob id*, inquit: *Sed pœnitentia debet ei imponi, quia mandatum Ecclesiæ contempsit*, id est, *quia fecit contra prohibitionem Ecclesiæ.* Ergò transgressio cujuscumque legis, juxtà Glossam, contemptus potest appellari latè accipiendo ly *Contemptus*; quia non est major ratio de transgressione hujus legis, quàm illius.

146. *Per ly contemptus aliquando intelligitur quacumque voluntaria transgressio legis.*

Et in illo cap. agitur de transgressione seu violatione prohibitionis Ecclesiæ, factæ sub excommunicationis interminatione, quæ indubiè mortalis est, secluso formali contemptu, & meretur pœnitentiam: ergò per ly *Contemptus* Gloss. non semper intelligit formalem contemptum, sed aliquando quamcumque voluntariam transgressionem legis seu prohibitionis Ecclesiæ.

Sic etiam Gloss. in c. 65. 2. q. 6. verb. *Metropolitanum*: ex contemptu dicit fieri, quod fit sinè causa, ibi. *Ex contemptu ergò intellige fieri, quando sinè causa declinatur ejus* (Metropolitani) *jurisdictio.*

147. *Ostenditur ex c. 32. de Sent. excom.*

Et cap. *Cùm illorum*, de Sent. excom. præsumitur contemptus, quando aliquis scienter transgreditur prohibitionem Ecclesiæ, ibi: *Qui scienter in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ se fecerint ordinari, ab executione suscepti Ordinis & officij decernimus manere suspensum. Circa reliquos verò facti memoriam vel juris peritiam non habentes, monasteriorum utilitate pensatâ, post injunctam regularem pœnitentiam & peractam, Abbates ipsorum poterunt dispensare.*

Ubi Gloss. verb. *In contemptum*, ait: *Quod semper præsumitur, nec admitti debet probatio in contrarium.* Ergò non semper quando in jure, aut in Gloss. ponitur verbum: *Contemmi*, aut: *Contemptus*, intelligi debet contemptus verus & formalis.

148. *In casu proposito non requiritur formalis contemptus.*

Itaque ut in casu proposito Sacerdos benedicens tempore feriato, aut sponsi benedictionem suscipientes, peccent mortaliter, aut incurrant pœnam, à jure præscriptam, vel ab homine præscribendam, non requiritur formalis contemptus, ut sup. diximus; sed sufficit, ut id faciant scienter.

Solvitur objectio.

Nec dixeris: Matrimonium juxtà Tridentinum debet contrahi coram Parocho & testibus, atque ordinariè contrahitur in Ecclesia; quippe hæc fieri possunt sinè solemni benedictione, & debent fieri, nisi accesserit legitima dispensatio.

149. *Quis possit dispensare in hoc præcepto. 1 Papa potest.*

Sed, interrogat aliquis, ecquis potest in illa lege dispensare? An solus Pontifex? An etiam Episcopus aut Parochus? Pontificem posse dispensare, nemo ambigit; nam quilibet jure ordinario dispensat in propria lege, etiam pacto vel juramento munita, aut à Superiore confirmata. Constat autem hanc prohibitionem non esse juris Divini, sed juris tantùm Ecclesiastici; ergò nihil obstat, quin Pontifex ex justa causa possit in ea, tamquam in propria lege, jure ordinario dispensare.

Parochus ordinariâ potestate non dispensat.

Certum etiam est, Parochum potestate ordinariâ non posse in ea dispensare; hæc enim solùm competit illis, qui habent potestatem condendæ legis; manifestum autem est, Parochum non habere ejusmodi potestatem, cùm nullam habeat jurisdictionem in foro externo, legislatio autem sit actus jurisdictionis externæ. Quantùm ad potestatem delegatam, illam indubiè posset Parochus habere; an verò habeat, pendet ex voluntate Pontificis, adeoque res facti est, de quo infrà videbimus.

150. *An Episcopus possit.*

De eo ergò hìc præcipuè dubitatur, utrùm Episcopus habeat potestatem ordinariam dispensandi in dicta prohibitione, quæ est difficultas communis cæteris legibus Pontificiis. Siquidem dubio procul d. prohibitio est lex Pontificia; quod ergò de aliis legibus dixeris, idem dicendum erit de hac lege.

Quando Episcopus possit dispensare in lege Pontificia.

Sunt autem qui existimant, quoties Pontifex expressè non prohibet dispensationem, sed simpliciter legem fert, Episcopum posse in ea dispensare. Si verò expressè prohibeat dispensationem, non posse. Hoc certissimum est; quia ab illo pendet potestas inferioris: illud communiter negatur, ex Clement. *Ne Romani*, 2. de Elect. ibi: *Nos inter cætera præcipuè attendentes, quòd lex Superioris per inferiorem tolli non potest.* Item ex cap. 6. de Major. & obed. in principio: *Cùm inferior Superiorem solvere nequeat vel ligare, sed Superior inferiorem liget regulariter & absolvat*, aliisque similibus juribus.

151. *Inferior non potest impedire voluntatem Superioris, ipso non consentiente, ex Suario.*

Et ratio est: quia inferior non potest irritare vel impedire voluntatem Superioris, non solùm ipso invito, sed etiam ipso non consentiente: ergò nequit dispensare in lege ejus, propter solam non prohibitionem specialem, sed necessaria est positiva concessio per voluntatem expressam, vel saltem tacitam, aliquo sufficienti modo significatam.

Probatio.

Antecedens patet, tum ratione physicâ; quia inferior virtus non potest impedire superiorem; tum ratione morali; quia rectitudo gubernationis postulat, ut voluntas Superioris prævaleat contrà voluntatem inferioris, nisi Superior ipse cedat. Ad hoc autem necesse est, ut tollat priorem voluntatem, quod non fit nisi per positivum consensum vel concessionem. Consequentia verò clara est; quia dispensatio aufert voluntatem Superioris, seu impedit effectum ejus in particulari materia.

152. *Confirmatur.*

Confirmatur: quia dispensatio est actus jurisdictionis; sed inferior, ut sic, non habet jurisdictionem circà legem Superioris, nec circà personas illi subditas, formaliter in eis talem subjectionem considerando; quia est altioris rationis, ut sic dicam; ergò non habet inferior potestatem dispensandi in lege Superioris, nisi ei concedatur. Ita Suarez de LL. lib. 6. c. 14. n. 4.

153.

Si dixeris; ratione officij conceditur hæc potestas

Evaſio præcluditur.

teſtas, eo ipſo quòd officium datur. Hoc eſt (inquit Suarez ſup. n. 5.) quod contendimus falsò & sinè fundamento dici; quia illa implicita conceſſio ſeu conſecutio, neque ex natura rei habetur, ut probant rationes factæ; quia illud munus ſeu officium abſolutè inferius eſt & ſubordinatum Superiori; neque in ea intelligitur conceſſa virtus, ſuprà actionem vel effectum Superioris.

Suarez.

Neque etiam illa conſecutio habet in jure fundamentum; quia potiùs generales regulæ juris ſunt in contrarium, ut ex allegatis conſtat. Et optimum argumentum eſt; quia quando jura volunt concedere hanc poteſtatem inferiori, id declarant. Et è converſo multæ irregularitates, ſuſpenſiones &c. non poſſunt ab Epiſcopis diſpenſari, juxtà receptam doctrinam, de quibus non invenitur prohibitio; ſed tantùm, quia non inveniuntur conceſſæ: ergò ſignum eſt, requiri conceſſionem, præter officium, ut inferior poſſit in lege Superioris diſpenſare. Hæc ille.

154. *Objicitur cap. 29. de ſent. excom.*

Sed contrà: in jure cap. *Nuper*, de Sent. Excom. dicitur, eo ipſo quòd Legiſlator ſibi non reſervat abſolutionem ab excommunicatione, eam inferiori concedere, ibi: *Quia tamen conditor Canonis, ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi.*

Ubi Gloſſ. verb. *Non retinuit*, inquit: *Et eſt hic arg. Epiſcopos poſſe diſpenſare, ubi ſpecialiter diſpenſatio non eſt inhibita, arg. ſup. de Sponſal.* Cùm apud, & 16. q. 1. Sunt nonnulli. *Et conceſſum videtur, quod non eſt prohibitum, ff. Ex quibus cauſ. ma. l.* Nec non §. Quod ejus, *Lau.*

Reſpondetur.

Reſpondetur: quòd longè diverſa ſit ratio de excommunicatione, quàm de diſpenſatione. In quo (inquit Suarez ſup. n. 7.) multi errant ab una ad aliam argumentantes. Abſolutio enim non eſt contrà aut præter legem Superioris; ſed ſecundùm illam; & ideò nihil mirum, quòd poſſit ab inferiori dari, quamdiu non reſervatur.

155. *Non valet hic arg. ab abſolutione à cenſura, ad diſpenſationem.*

Prætereà: abſolutio à cenſura, præſertim ab excommunicatione, ordinatur ad bonum animæ, & eſt neceſſaria ad uſum Sacramentorum, & ideò meritò conceſſa intelligitur, quando non reſervatur. Quod ſecùs eſt de diſpenſatione ab irregularitate v. g. & ſimilibus.

Hujus etiam evidens argumentum eſt; quia in d. cap. *Nuper*, non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam Parocho cenſetur conceſſa abſolutio à cenſura Canonis non reſervantis. Nemo autem dicet, Parochum poſſe diſpenſare in omni lege vel pœna, non ſpecialiter illi reſervata. Hæc ille.

156. *Expenduntur aliquot jura. In primis c. 23. de Sponſal.*

Quantùm ad jura, quæ Gloſſ. ſup. adducit, pro ſua ſententia parùm aut nihil probant. In primis cap. *Cùm apud*, ſolùm dicit Pontifex, omnes qui non prohibentur, Matrimonium contrahere poſſe, ibi: *Ad quod taliter reſpondemus, quòd cùm prohibitorium ſit edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicumq; non prohibetur, per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad Matrimonium ſolus conſenſus* &c. Et quid mirum quòd admittatur, cui jus naturæ dat poteſtatem contrahendi? Oſtendat Gloſſ. ubi jus naturæ dederit poteſtatem inferiori diſpenſandi in lege Superioris.

157. *Secundò cap. 25. 26. 9. 5.*

Potrò in cap. *Sunt nonnulli*, Bonifacius redarguit quoſdam, zelo amaritudinis inflammatos, qui nitebantur Monachos Presbyteros ab executione ſacerdotalis Officij removere, & quod hoc facere non debeant, probat exemplo B. Benedicti & aliorum Patrum, qui hoc Monachis non interdixerunt. Sic quippè ait: *Neque enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor.* Ubi Gloſſ. verb. *Benedictus Arg. quòd omnia, quæ non prohibuit ſanctus Benedictus, ſunt conceſſa Monachis.*

Planè ſunt conceſſa, ſuppoſito, quòd aliunde habeant poteſtatem. Vel putas fortè, quod etiam Monachi poſſint diſpenſare in legibus ſui Superioris, v. g. S. Benedicti, quia expreſsè hoc iis non prohibuit? Falleris toto cælo.

158. *Tertiò l. 28. ff. ex quibus cauſ. &c.*

Neque plus probat l. *Nec nō*, §. 2. *Quod eis, inquit prætor, per leges, plebis ſcita, ſenatuſq; conſulta, edicta, decreta Principum licebit. Quæ clauſula nō illud pollicetur reſtituturum, ſi leges permittant, ſed ſi leges non prohibeant.* ubi Gloſſ. verb. *Prohibeant: Item nota hic, quòd omnia ſunt permiſſa per legem, quæ prohibita non inveniuntur.* Arg. contrà: *ſcilicet quòd omnia ſint prohibita, niſi conceſſa inveniantur. Sed illud ideò, quia illicita ſunt.* Jam autem illicitum eſt inferiori diſpenſare in lege Superioris, ut patet ex rationibus ſup. allegatis; ergò prohibitum, niſi conceſſum inveniatur.

159. *Ubi prohibeatur inferiori diſpenſare in lege Superioris, ex Suario.*

Quæris ubi prohibitum? Reſpondeo ex Suario ſup. n. 6. legem ipſam, eo ipſo quòd Superioris eſt, ſecum afferre prohibitionem, ut nullus inferior audeat in eam falcem mittere, niſi ei concedatur, neque præter hanc virtualem & quaſi innatam prohibitionem, alia formalis & expreſſa per ſe requiritur. Ita Suarez.

Sed enim, dicet aliquis, hoc eſt quod quæritur, & oppoſitum videtur probari ex illo axiomate: *Epiſcopus poteſt in ſuo Epiſcopatu, quidquid Papa in Eccleſia, niſi prohibeatur.*

160. *Expenditur iſtud axioma: Epiſcopus poteſt. &c.*

Reſpondet Suarez ſup. Id nullo jure fundatum eſt, & in rigore cenſeo eſſe falſum, niſi multis modis limitetur. Nam in primis ſuppōnit, Epiſcopos habere ex jure Divino abſolutam & univerſalem juriſdictionem intrà ſuas Diœceſes, limitabilem tamen à ſummo Pontifice. Ego verò exiſtimo immediatè habere ab ipſo ſummo Pontifice, ad quem etiam ſpectat gradum & modum illius juriſdictionis definire.

Plura poteſt Papa, quæ non poteſt Epiſcopus.

Deinde: multa ſunt, quæ poteſt Papa in univerſa Eccleſia, quę in rigore nunquam potuerunt Epiſcopi, ſaltem eo modo, quo illa poteſt Pontifex, ut v. g. committere Presbytero miniſterium Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, ſaltem quoad minores; diſpenſare in Matrimonio rato non conſummato, vel in voto ſolemni; concedere Indulgentias abſolutè pro vivis & defunctis uſque ad plenariam remiſſionem; inſtituere cenſuras; approbare Religiones; canonizare Sanctos eo modo, quo à Pontifice fit.

161. *In quo ſenſu d. axioma ſit verum.*

Denique: ſi in aliquo ſenſu id tolerari poteſt, ſolùm eſt quoad ea, quæ pertinent ad ordinariam gubernationem moraliter neceſſariam,

riam, vel convenientem ad salutem animarum, & considerando potestatem Episcoporum, priusquàm Pontifex aliquid agendum statuat vel prohibeat; sic enim intelligitur unusquisque Episcopus habere in tota sua Diœcesi totam potestatem, quia ex vi muneris conceditur, & ut sic spectata, non habet unde limitetur. Postquàm verò Pontifex aliquid particulare per suam legem præscribit, aut prohibet, eo ipso excipit illud ab ordinaria jurisdictione inferioris; & ideò nisi aliundè ei concedatur potestas dispensandi, non habet illam ex vi solius ordinariæ potestatis. Usque adhuc Suarez.

162. *Judicium Auctoris.*

Dico ego: Episcopus potest in suo Episcopatu, quidquid Papa in Ecclesia; sed Papa non potest in Ecclesia dispensare in lege Superioris, nisi expressè vel tacitè id ei à Superiore concedatur: ergò nec Episcopus in suo Episcopatu. Hinc Sanchez sup. n. 6. quàmvis (inquit) fundamentum sit verissimum: at eo ipso quòd lex editur à Pontifice, vel Concilio, nec conceditur dispensatio, nequit Episcopus dispensare; sed conservatur reservata dispensatio, propter id principium generale, inferior nequit in lege Superioris dispensare. Hæc ille.

Sanchez.

163. *Objectio.*

Sed contrà (reponit quispiam) Episcopus potest dispensare in votis, nisi specialiter Pontifex ea sibi reservet; ergò etiam in lege Superioris, quæ merè humana est; quia vota attingunt Divinum jus: Cui autem (ut habet Reg. 53. de Reg. juris in 6.) *licet quod plus est, licet utique, quod est minus.* Et Reg. 35. dicit: *Plus semper in se continet, quod est minus.*

Reg. juris 53. & 35. in 6.

Solvitur.

Respondeo cum Canisio in hanc Reg. Hæc aliaque similia accipienda sunt, nisi diversa ratio subsit in eo, quod minus est. Sed hic subest diversa ratio in eo, quod minus est; si tamen reverà minus est, & non potiùs majus. Et, amabo, quæ ista? Quòd lex per se respiciat potestatem Superioris: at verò votum per se non respicit Superiorem vel inferiorem, sed solùm potestatem legitimam, quando agitur de ejus dispensatione. Unde dispensatio in voto non est propriè dispensatio in lege Superioris, sed condonatio obligationis nomine Dei, cui per votum jus erat acquisitum ad rem promissam.

Canisius.

164. *Quare Prælati inferiores possint dispensare in voto.*

Cumque necessitas dispensandi in voto frequentiùs occurrat, & Deus per seipsum non soleat dispensare, planè conveniens fuit & quodammodò necessarium ad debitam gubernationem animarum, ut non solùm Pontifici, sed etiam Prælatis inferioribus potestas dispensandi in votis communicaretur. Porrò ut inferior habeat potestatem dispensandi in omni lege Superioris, qui per seipsum potest & solet in propria lege dispensare, nullatenùs fuit necessarium ad debitam gubernationem populi; immò potiùs hoc confusionem adduceret, & minor esset unitas inter omnia membra Christianæ Reipublicæ.

165. *In quibus legibus Pontificijs dispensent Episcopi.*

Scio, Episcopos dispensare in legibus jejuniorum & Festorum, quæ sunt à tota Ecclesia vel Papa constitutæ. Fateor, eos posse dispensare, quando materia, super qua petitur dispensatio, videtur parvi momenti, ut si lex obliget solùm ad veniale; vel si ex genere obligat ad mortale, tamen hìc & nunc materia, propter suam parvitatem, non sufficit, nisi pro veniali. Hæc, inquam, vera sunt, non quasi jure ordinario competant Episcopis; sed solùm ex tacita Pontificis concessione, quæ æquivalet concessioni expressæ, juxtà receptam ab omnibus consuetudinem; ita ut talis concessio propter consuetudinem, quæ jam invaluit, pro expressa concessione simpliciter sit æstimanda.

166. *Quare Episcopi dispensent in Festis, jejuniis & similibus.* Suarez.

Et ratio primi casûs; quia frequenter occurrit necessitas dispensandi in Festis, jejuniis & similibus: non est autem verisimile, Pontificem velle, ut in singulis rebus frequenter & ad ordinarium regimen necessariis, ad illum recurratur. Quod maximè verum habet (inquit Suarez sup. n. 9.) quando talis dispensatio ordinatur ad bonum animæ, & ad tollendum vinculum conscientiæ aut periculum peccandi. Nam si sit tantùm dispensatio in pœnis, vel in aliis impedimentis, non tam facilè est extendenda facultas, nisi consuetudo etiam juvet. Hæc ille.

Item quando res est parvi momenti.

Ratio secundi casûs est; vel quia in moralibus parum pro nihilo reputatur; vel quia cui committitur gubernatio in majoribus, videntur hæc minora concessa.

167. *Alij duo casus, in quibus possunt dispensare.*

Sunt & alij duo casus, in quibus communis sententia, fundata in tacita Pontificis concessione, consuetudine explicata, tribuit Episcopis potestatem dispensandi in lege Pontificia, scilicèt quando dicitur, in ea posse dispensari, & non à quo. Item quando res quidem extraordinaria est; sed non patitur moram, & impossibile est adire Pontificem.

Hoc probatur: quia verisimile non est, Pontificem, vel alium Superiorem velle sibi dispensationem reservare, cum tanto periculo animarum; adeoque illa potestas quodammodò necessaria videtur pro bono regimine subditorum.

Illud constat: quoniam verba legis aliquid debent operari; nihil autem operarentur, nisi Episcopus tali casu posset dispensare, cùm certum sit, Pontificem id posse; & aliundè potestas dispensandi est favorabilis, atque adeò latè interpretanda. Hæc satis pro hoc loco; quia longior explicatio pertinet ad tract. de Legibus.

168. *Quando possint dispensare in prohibitione benedictionis nuptialis.*

Eo itaque supposito, quòd Episcopus non possit dispensare, multò minùs Parochus, in lege Pontificia, nisi in casibus jam allegatis, facilè resolvitur proposita quæstio; videlicèt ipsum non posse dispensare in prohibitione benedictionis nuptialis tempore feriato, nisi in casu valdè urgenti, ubi non esset recursus ad Pontificem.

Patet; quia est notabilis materia, & non adeò frequens, neque in lege dicitur, in ea posse dispensari. Ergò restat solus casus urgentis necessitatis. Rarissimè tamen (inquit Sanchez sup. n. 6.) existimo, posse eum casum tam præsentaneæ necessitatis contingere, ut possit Episcopus dispensare in hac prohibitione. Hæc ille.

Et quidem (inquit Aversa q. 20. Sect. 2. §.

Negant

Poſſunt ex cauſa valdè gravi, ex Averſa.

Négant etiam, poſt relatam ſententiam Sanchij) dici non debet, Epiſcopos ita poſſe in hoc diſpenſare, ſicut poſſet ipſe Pontifex. Sed nec videtur indigere causâ tam urgenti & neceſſariâ, ſicut requirebatur ad diſpenſandum in impedimentis Matrimonii; quia res non eſt ita gravis. Poſſet ergò ex cauſa valdè gravi, & prudenter animum ejus movente. In qua re poteſt etiam eſſe varia conſuetudo pro diverſitate locorum. Hæc ille. Porrò conſuetudo eſt optima legum interpres, & ad juriſdictionem acquirendam ſufficit.

170. *Quid dicendum ſit de Parochis.* Suarez.

Atque hinc conſtat (inquit Suarez ſup. n. 11.) quid dicendum ſit de Parochis & aliis Rectoribus animarum, non habentibus juriſdictionem Epiſcopalem, utrùm poſſint diſpenſare in legibus Superiorum. Multi affirmant, quando non poteſt adiri Epiſcopus commodè, quod latè tractat Sanchez lib. 8. diſp. 9. n. 27. qui videri poteſt. Reſolutio eſt, de jure non poſſe Parochos diſpenſare; quia non habent ordinariam juriſdictionem fori externi, etiam voluntariam, ad quam pertinet hæc diſpenſatio; nec invenitur jus illam tribuens. De conſuetudine autem ſolent diſpenſare in caſibus particularibus occurrentibus, in quibuſdam frequentioribus præceptis, in jejuniis, in Feſtorum obſervatione, quoad vacandum ab operibus, quæ conſuetudo ubi fuerit, ſervari poterit in legibus, circà quas fuerit introducta, non verò extendi ad ſimiles, quia eſt juri contraria. Ita Suarez.

Sanchez.

Hìc nihil poſſunt.

Igitur non debet, nec verò ſervari poteſt hæc conſuetudo circà prohibitionem, de qua hìc tractamus; quia circà eam non fuit introducta; ſed neque ſimilis eſt, quia non eſt præceptum frequens.

171. *Cauſa ob quam Epiſcopus poſſit.*

Cæterùm plures apud Sanchez ſup. affirmant, Epiſcopum ex cauſa valdè urgente poſſe diſpenſare, cavendo ne populi frequentia adſit, nec aliæ conſuetæ ſolemnitates interveniant, ut ſi quiſpiam puellam pauperem nollet dotare, niſi ſtatim ſolemnes benedictiones reciperet. Sic tenent Sotus 4. diſt. 32. q. un. a. 3. in fine. Bartho. Ledeſma de Matr. dub. 60. Em. Sa. verb. Matr. de impedimentis non dirimentibus n. 11. Pontius lib. 6. c. 8. n. 11. Bellamera cap. *Capellanus*, referens ſolere Epiſcopos in hoc diſpenſare. Graffius p. 1. Deciſ. lib. 2. c. 85. n. 29. dicens. Quinimò, ut inquit Synodus Neapolitana c. 40. Ordinarius propter humana pericula talem licentiam facilè & gratis poterit concedere.

Sotus. Ledeſma. Sà. Pontius. Bellamera. Graffius.

An poſſit diſpenſare propter humana pericula.

Sed, quæſo te, quæ ſunt iſta humana pericula? Siquidem Benedictiones nuptiales non ſunt neceſſariæ, neque ad validum, neque ad licitum Matrimonium, juſtâ exiſtente causâ, qualis eſt indubiè earum prohibitio. Sed neque ut Matrimonium licitè conſummetur. Quæ ergò ſunt iſta pericula humana? Fortè Synodus iſta, exiſtimavit, conſummationem illicitam, ut plures Auctores ſentiunt, & tunc facilè poſſet ex dilatione nimia benedictionum oriri periculum incontinentiæ. Meliorem reſponſionem expectabo à doctioribus.

Interim ſubſcribam, quæ de hac controverſia lego apud Herinx diſp. 6. de Imped. Matr. n. 14. Solet (inquit ille) in Provincia Mechlinienſi recurri ad Ordinarium, qui ex legitima cauſa ad Matrimonium tempore clauſo (id eſt feriato) contrahendum admittat, cavendo adhuc à ſolemnitatibus conviviorum nuptialium, choreis, ſponſarum publicis traductionibus & ſimilibus: ut ordinat Synodus Mechlinienſis 2. (quam Sedes Apoſtolica approbavit) Tit. 10. c. 8. idque ideò, quòd (ut notat Zypæus in Anal. Enar. jur. Pontif. novi lib. 4. Tit. de Matr. contract. contrà interd. Eccleſ.) in his ditionibus ſemper benedicantur nuptiæ eodem tempore, quo contrahuntur (quod tamen non eſt neceſſarium) & benedictiones nuptiarum, tamquam ſolemnia earum, prædicto tempore à Trid. ſup. inhibeantur.

172. *Quid ſentiat de hac controverſia Herinx.*

Zypæus.

Addit Zypæus ſup. contrà hanc temporum inhibitionem, veluti factam à Superiore, non poſſe Epiſcopum jure ordinario diſpenſare; tamen conſuetudinem hìc paſſim ſecùs obtinere. Immò hanc diſpenſationem apertè ſupponit Synodus Mechlinienſis ſup. eſſe penes Epiſcopum. Hæc præfatus Auctor.

173.

Accipe verba Synodi: *Tempus clauſum diligenter obſervetur: & ſi quando ex legitima cauſa aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per Ordinarium admittantur, abſtinendum tamen erit à ſolemnitatibus nuptialium conviviorum, choreis, ſponſarum publicis traductionibus & ſimilibus, quæ temporis ſanctitati repugnant.*

Verba Synodi Mechlinienſis.

Igitur ad Ordinarium ſpectat in hac Provincia, admittere aliquos ad contrahendum Matrimonium tempore clauſo ſeu feriato; non tantùm ad nudum contractum, nam ille jure communi non prohibetur; ſed veſtitum benedictione ſolemni, quæ in his ditionibus non ſolet ſeparari ab ipſo contractu. Sed quo jure ad Ordinarium id ſpectat? Utique conſuetudinario.

174. *Ad Ordinarium ſpectat in hac Provincia diſpenſare jure conſuetudinario.*

Quærit aliquis fundamentum hujus conſuetudinis? Reſpondet Zypæus ſup. n. 6. Fundamentum habet in probabili aliorum ſententia, ſeeùs etiam de jure ſentientium, quos Sanchez lib. 7. diſp. 7. n. 6. refert. Hæc ille. Sicut anteà dixi, conſuetudo eſt optima legum interpres, atque adeò, ubi conſuetudo id obtinet, tutò eam Epiſcopus ſequi poterit. Eſſe autem ubique hanc conſuetudinem unde conſtat? Atque hæc de benedictione ſolemni.

Fundamentum hujus juris ex Zypæo.

Sed quid de ſæcularibus pompis & conviviis aliiſque lætitiæ ſignis? Ut meam ſententiam explicem (inquit Sanchez lib. 7. diſp. 7. n. 18.) ſolas nuptiarum benedictiones hoc tempore vetitas eſſe ſub mortali exiſtimo. Quia generali conſuetudine receptum eſſe video, ut ſponſæ eo tempore in ſponſi domum traducantur, conviviaque fiant; ac alia lætitiæ ſigna præbeantur, conniventibus Prælatis. Quare ſi hæc moderata ſint, nullam culpam agnoſco; ſi aliquantus ſit exceſſus, ſolam venialem: mortalem autem minimè, niſi ubi nimius eſſet exceſſus, ita ut ſanctitati prædictorum temporum notabiliter detraheretur, & anſa notabilis jure opti-

175. *Quid ſentiendum de ſæcularibus pompis, &c. ex Sanchez.*

mo offensionis ac scandali spectantium animis tribueretur.

Paludanus. Unde Paludanus 4. dist. 32. q. 1. a. 4. n. 17. mitiùs est locutus, dicens: prohiberi nuptiarum celebrationem his temporibus, ob lascivias, & multas insolentias, iis valdè dissentaneas. Quàmvis enim jura rigidiùs loquantur, ut constat ex cap. *Nec uxorem*, 33. q. 4. ubi uxorem duci ac convivia fieri absolutè prohibetur: at generalis consuetudo hunc juris rigorem temperavit, & ferè ad solam nuptialium benedictionum prohibitionem reduxit. Hæc ille.

176. *Aversa putat sub mortali prohibitas. Idem sentit Pontius.* Sed potiùs (inquit Aversa sup. §. *Non obligare autem*) simpliciter dici debet, ex vi Ecclesiastici juris & prohibitionis, ac etiam consuetudine attentâ, esse mortale peccatum, nisi levitas materiæ diminuat usque ad venialem culpam, ut alij magis communiter videntur supponere, & affirmat Pontius lib. 6. c. 8. n. 10.

Probatur ex Aversa, Certè enim jus Ecclesiasticum prohibens solemnitatem nuptiarum, maximè respiciebat ad hujusmodi pompam, & strepitum sæcularem, avocantem homines à rebus Divinis & salutaribus. Alioquì sola benedictio sacra, erat pia quædam cæremonia, per se ad pietatem spectans, ac devotionem inducens. Sed propter sæculares pompas ac strepitus illam concomitantes, prohibita est. Si ergò gravis, & sub mortali est prohibitio adhibendi benedictionem, pariter prohibitio sæcularis pompæ.

177. *Qui testatur de consuetudine.* Idque etiam consuetudo retinet. Non enim audent personæ piæ facere, nec Prælati tolerant fieri illa tripudia, & lætitiæ signa, iis temporibus prohibitis, quæ aliis consueta sunt. Non est tamen negandum, posse interdum materiæ levitatem excusare à mortali, & transferre factum ad culpam venialem. Ita Aversa.

Probatio Pontij. Et Pontius loco citato sic ait: Mihi quidem videtur in violatione ejus legis committi peccatum mortale. Et quidem quod attinet ad benedictiones Ecclesiæ, planum est; cùm sit violatio legis in materia gravi. Eâdem etiam ratione existimo, peccatum grave esse, solemnitatem adhibere nuptialem, est enim & materia gravis, & multæ graveque prohibitionis causæ.

178. *Pœna constituta in Concil Ilerdensi,* Deindè constat ex pœnis appositis transgredientibus ejusmodi leges. Nam Concil. Ilerdense jubet separari; sive autem eo verbo intelligas separationem conjugalis tori, sive, quod ego suspicor, excommunicationem, quæ in antiquis Canonibus non rarò separandi verbo significatur, graves pœnæ sunt, quasque non nisi ob lethalem culpam infligi æquum esset.

Item Ravenn. 2. Tolet. & alijs. Ravennatense 2. etiam profert excommunicationis sententiam, & ut suspendantur à consortio & commixtione carnali. Toletanum & excommunicat, & pœnam pecuniariam imponit. Colonienſe Clericos extrà tempora benedicentes ab officio suspendit. Mediolanense 5. interdicit ab ingressu Ecclesiæ quemcumque ejus culpæ participem, sponsos separari jubet, & ulteriùs arbitrariè puniri Episcopi judicio. Non est ergò, cur dicamus, ejus legis transgressionem veniale tantùm peccatum esse.

179. *An hodie sufficiat pœna arbitraria? Negat Pontius.* Nunc quidem arbitrariâ pœnâ puniendum multi censent: ego non omninò arbitrariam existimo; sed juxtà antiquorum Canonum formam; cùm Trid. dicat, diligenter servandas antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones, quæ, ut vidimus, graviter puniebant ejus legis violatores, tam sponsos, quàm Clericos benedicentes. Hactenus Basilius.

Objectio. Per me licet, ut diligenter serventur antiquæ solemnium nuptiarum prohibitiones: sed, reponit quispiam, per solemnes nuptias intelligunt antiqua jura, & per consequens Tridentinum, intelligunt, inquam, nuptias quibus adhibetur solemnis benedictio, cum solemni traductione sponsæ ad domum sponsi: ergò si solemnis benedictio omittatur, & sola solemnis traductio adhibeatur, peccatur mortaliter, & sponsi subjiciuntur istis pœnis, negatur Consequentia; quia plus est totam legem prævaricari, quàm partem tantùm.

180. *Impugnatur.* Contrà; ergò consimiliter, qui solam benedictionem adhiberet, omissâ solemni traductione, non peccaret mortaliter, nec incurreret dictas pœnas: præsertim cùm benedictio, ut sup. dicebat Aversa, sit pia quædam cæremonia per se ad pietatem spectans, ac potiùs devotionem inducens, quàm eam impediens, ac proinde tempus devotioni dicatum minimè dedecens; non enim mentem à Divinis avocat, sed potiùs ad Divina provocat. Cur ergò peccaret mortaliter, qui eam solam adhiberet? Quippè cessante adæquatâ causâ prohibitionis cessat ipsa prohibitio; hic autem cessat adæquata causa prohibitionis, scilicet avocatio mentis à Divinis, vel assignetur alia, propter quam solemnes nuptiæ meritò fuerint prohibitæ.

181. *Evasio præcluditur.* Si dixeris: benedictionem solent concomitare convivia & similia quæ mentem à Divinis avocant. Contrà primò: absolutè possunt separari, & de facto separantur in Provincia Mechlinienſi, ut patet ex supradictis. Deinde: secundùm Sanchium consuetudo declarat convivia & alia signa lætitiæ esse licita, si fuerint moderata; cur ergò etiam non liceat benedictio, quæ solùm propter illa prohibita est? Vel si benedictio graviter prohibita, cur non etiam convivia, & alia signa lætitiæ? Nam propter quod unumquodque est tale, & ipsum magis; si ergò benedictio propter convivia prohibita est, magis ipsa convivia prohibita censeri debent.

182. *Respons. Adversarium. Rejicitur.* Planè, inquis; sed prohibitio conviviorum consuetudine legitimè præscriptâ, jam sublata est, secùs prohibitio benedictionis.

Contrà: hoc est quod quæritur: nam si ampliùs non viget prohibitio conviviorum, cur vigeat prohibitio benedictionis, cujus unica ratio videtur esse, sæcularis pompa? Et verò quomodo consuetudo rationabilis est, quæ concedit convivia & alia lætitiæ signa, propter quæ benedictio prohibita est, relictâ hujus prohibitione? Censen', quòd Ecclesia ab initio potuisset prohibere benedictionem, non prohibitâ solemni traductioni sponsæ in domum sponsi? Sed ob quam causam? Cupio doceri. Hoc scio in Provincia Mech-

Mechlinienſi dictam conſuetudinem non eſſe receptam, ut patet ex verbis Synodi Mechlinienſis ſup. allegatis. Hæc merentur expendi.

Reſolutio Auctoris.

Ego reſolvo, peccare mortaliter, qui adhibet benedictionem ſolemnem, & traductionem ſolemnem; imò judico probabiliùs, ſolam traductionem ſolemnem, id eſt, cum ſæcularibus pompis & conviviis, aliiſque lætitiæ ſignis, per ſe loquendo eſſe mortalem; quia graviter repugnat temporis ſanctitati.

183. *Non ſolemnis traductio licet.*

Quantùm ad traductionem non ſolemnem, haud dubitandum exiſtimo, eam licitam eſſe, ex hypotheſi, quòd & contractus Matrimonij, & conſummatio ejus liceant. Nam ſi quid traductioni huic officere poſſet, officeret Matrimonij conſummatio. Hanc autem eſſe licitam, quamvis ab aliquibus negetur, docet Sanchez ſup. n. 23. cum aliis, quos citat, & Recentiores communiter poſt Concil. Trident. quod tantùm præcipit diligenter obſervari antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones. Conſummatio autem nunquid ſolemnitas nuptiarum eſt?

184. *Pontius putat eam jure antiquo eſſe illicitam.*

Cæterùm ego (inquit Pontius ſup. n. 7.) ſi antiqui juris diſpoſitionem, attendo eorum probo ſententiam, qui dicunt, his temporibus non ſolùm benedictiones ſolemnes, ſed etiam contractũ Matrimonij, quamcumque etiam traductionem & conſummationem etiam Matrimonij prohiberi.

Probat ex diverſis Concilijs.

Id ut ſentiam, movet me primò; quòd plerique Canones nuptias eo tempore celebrari vetant, ut conſtat ex Laodiceno, Ilerdenſi, Ravennatenſi 2. Concilijs ſup. relatis. Cujus phraſis, ſi illam planè & ſimpliciter interpretemur, ſenſus eſt, ne nuptias ineant aut contrahant; frequenter enim celebrandi verbum in ea ſignificatione uſurpatur.

Item ex Nicol. 1.

Deindè me movet; quòd Nicol. 1. ad Conſulta Bulgarorum c. 48. cit. & habetur cap. *Nec uxorem*, 33. q. 4. planè dixit: Non licere uxorem ducere; non rectè autem Gloſſ. ibi, Abbas & alij, *Ducere*, idem exiſtimant, ac *Traducere*. Concil. Salegunſtadienſe relatum ſimiliter loquitur: *Quod nullus Chriſtianus uxorem ducere debeat.*

185. *& Concil. Toletano.*

Sed apertiſſimè Concil. Toletanum ſub Sixto 4. hanc eſſe mentem Canonum antiquorum docet, cùm inquit: *Cùm ſecundùm legitimas ſanctiones non ſit dubium, eos in legem committere, qui verba legis amplexi, contrà ejus nituntur voluntatem, & quia tempore, quo ſacrorum Canonum Decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis copula prohibetur, nonnullos laicos nubere, & carnaliter commiſceri, ac proinde convivia publica, ſtrepitus ac choreas facere, parentes quoque & amicos invitare, & cum hiſtrionibus & joculatoribus ſolemniter nuptias celebrare, & ad Eccleſias ſic incedere plerumque contingit. Nos contendentes, quòd vera ſacrorum Canonum intentio fuit, non tam Eccleſiæ ſolemnitates, & nuptiales benedictiones, quàm carnales commixtiones prohibere, pernicioſam hujuſmodi conſuetudinem divellere cupientes, ſacro approbante Concilio commixtiones prædictas, ſtrepitus, choreas, joculationes, & alias ſolemnitates ac convivia, temporibus quibus ſolemnia Eccleſiæ interdicuntur, & ceſſant nuptiales benedictiones, fieri de cætero prohibemus, ſtatuentes, ut qui contrà hujus noſtræ conſtitutionis tenorem nupſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, &c.*

Præterea ex Concil. Colon. 2.

Quem etiam ſenſum non obſcurè indicat Concil. Colon. 2. ſub Paulo 3. Can. 33. *Mandamus & præcipimus univerſis Parochis & Presbyteris, ne quis alibi, quàm in Eccleſia, publicè, poſt Miſſam auditam, jungendos Matrimonio copulet, nec alio tempore, quam jura permittunt.* Hucuſque Pontius.

186. *Reſponſ. ad hoc Concil.*

Sed meo judicio, Concil. Colon. non obſcurè indicat, ſe ſolùm prohibere contractum Matrimonij tempore Feriarum eo modo, quo ibidem præcipit Matrimonium contrahi, ſcilicèt publicè poſt Miſſam auditam, adeoque receptis ſolemnibus benedictionibus, & per conſequens cum pompa & ſtrepitu ſæculari, ſicut aliis temporibus ſolet fieri.

Vìi etiam ad Toletanum.

Atque eumdem ſenſum ſatìs clarè ſignificat Concil. Toletanum, ibi: *Ac proinde convivia publica* &c. ergò ſolùm prohibet nubere ac carnaliter commiſceri, quando contractui & carnali commixtioni adjunguntur convivia publica &c. id eſt, quando fiunt eo modo, quo plerumque fieri ſolent.

187. *Quæ fuerit mens Nicol. 1.*

Quantùm ad Nicol. 1.; planè dicit, non licere uxorem ducere, ſed in ſenſu jam explicato; ſcilicèt eo modo, quo extrà illa tempora licèt uxorem ducere; unde ait: *Nec convivia facere*, ac ſi diceret: non licet uxorem ducere, & convivia facere, ſive uxorem ducere cum conviviis & aliis pompis ſæcularibus. Quod autem addit Pontius: *Non rectè Gloſſ. ibi, Abbas & alij, ducere idem exiſtimant ac traducere*; probandum eſt, non ſupponendum, vel ſi ipſe affirmando probavit, ego negando reprobavi.

Explicantur etiam alia Concilia.

Alia quoque Concilia citata commodè in eodem ſenſu explicari poſſunt; ut ſcilicèt ſolùm prohibeant ducere uxorem, id eſt, contrahere vel traducere, eo modo, quo extrà illa tempora ſolet quis contrahere Matrimonium, aut ſponſam traducere. Sic enim intellexit ea Concilium Trident. ut ſup. vidimus; vel certè ea correxit; non eſt autem admittenda correctio jurium, quando facilè poſſunt concordari, ut non ſemel alibi dixi, & ab omnibus ſupponitur.

188. *Hodie ſola ſolemnitas nuptiarum eſt prohibita, Pontius.*

Quidquid ſit de jure antiquo ſcripto, ſi id (inquit Pontius ſup. n. 8.) quod conſuetudine populi Chriſtiani, Prælatorum approbatâ conſenſu, receptum fuit, attendas; exiſtimo, tantùm ſolemnitatem nuptiarum, etiam antè Concilium Trident. fuiſſe illicitam, ut conſtat ex adducto Canone Concilij Tolet. Nunc autem à tempore Concil. Trid. non tantùm conſuetudine id receptum; ſed etiam jure ipſo Tridentini Decreti, in quo planè indicatur, antiquas prohibitiones tantùm quoad ſolemnitatem in ſuo robore permanere; dicit enim, antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones ſervandas diligenter. Tantùm ergò jure Trident. Concilij prohibetur ſolemnitas nuptialis. Quo nomine intelligo benedictiones nuptiales, traductionem ſolemnem,

Probatur ex Concil. Trident.

quam convivia & lætitiæ signa comitantur. Hæc ille.

Sed meliùs dixisset : Tridentinum non agnovisse alias prohibitiones antiquas, quàm solemnium nuptiarum. Deinde : si vera est sententia Pontij, utique ex d. can. Concilij Toletani colligitur, etiam antè Trid., attentâ consuetudine, non solam solemnitatem fuisse illicitam, sed etiam ipsum contractum, saltem à tempore d. Concilij Toletani ; nam Decretum citatum divellit hujusmodi pernicioſam consuetudinem. Posset Pontius intelligi de tempore, quod antecessit d. Concil. Toletanum.

189. *In consummatione Matr. anteà contracti nullum est peccatum, ex Pontio.*

Cæterùm ex dictis infert Pontius sup. n. 9. post Decretum Tridentini Concilij nullum prorsùs committi peccatum lethale, nec veniale, in ducenda uxore, nec in traducenda, si absque solemnitate fiat, neque in consummatione Matrimonij, si antè tempora illa contractum esset. Ita Basilius.

Imò tametsi fuisset contractum ipso tempore feriato.

At quæro ego : quid si antè tempora illa contractum non esset ? Non respondet Basilius, sed hanc quæstionem intactam præterit. Nullam tamen habet difficultatem, quam ego saltem apprehendo. Dico ego, neque in consummatione Matrimonij, contracti post illa tempora, ullum inveniri peccatum, quantùm præcisè est ex vi legis prohibentis illis temporibus nuptias. Imò nec ex alio capite ; scilicèt, quia nondum adest nuptialis Ecclesiæ benedictio, ut patet ex dictis disp. præcedenti. Sect. 10. Concl. 12. Interim aliâ malâ circumstantiâ vestiri posset, ut planum est, & tunc erit culpa juxtà qualitatem circumstantiæ, qualis esset quovis alio tempore, quo eadem mala circumstantia concurreret.

190. *Occurritur objectioni.*

Nec valet dicere : traductio est prohibita propter copulam, seu consummationem Matrimonij : ergò magis consummatio. Quippe Antecedens falsum est ; nam sup. ostendimus, traductionem non esse prohibitam, nisi propter convivia, & alia signa lætitiæ, illam comitari solita, quæ temporis illius sanctitatem dedecent.

191. *Instantia.*

Audio quempiam reponentem : etiam copula, maximè prima, valdè dedecet temporis illius sanctitatem ; nam valdè avocat animum à spiritualibus, non ita copulæ subsequentes, quia ab assuetis non fit tam vehemens passio. Et ideò aliqui excusant subsequentes copulas, secùs primam.

Solvitur.

Respondeo : non omnia, quæ avocant animum à spiritualibus illis temporibus specialiter ab Ecclesia sunt interdicta ; sed attendenda sunt verba præcepti : verba autem sonant, solam solemnitatem Matrimonij. Nec est eadem ratio : quippè per prohibitionem Matrimonij, aut consummationis ejus, daretur occasio peccatis incontinentiæ ; ex prohibitione autem solemnitatum, nullum sequitur incommodum, aut periculum peccati.

192. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat : quod conjuges, qui contravenerint huic præcepto, jubeantur separari ; non enim ideò hoc jubetur, quòd copula e[illegible] illicita, ratione illius temporis ; sed in p[illegible] peccati commissi : quàmvis & hæc pœna, ut sup. dictum est, in aliam deberet commutari, quando subest periculum incontinentiæ.

Neque hæc pœna excedit gravitatem delicti ; cùm enim conjuges circà Matrimonium deliquerint, meritò ipsius Matrimonij separatione ad tempus puniuntur.

193. *Satisfit alteri objectioni.*

Porrò quod aliqui objiciunt ; non licere tempore orationis vacare copulæ : ergò multò minùs consummare Matrimonium ; nullam habet difficultatem. Quippè in primis verior est sententia, quæ docet, copulam conjugalem tempore orationis vacare culpâ, de quo suo loco latiùs.

Et præterea ; quis dixerit, totum illud tempus, scilicèt ab Adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniæ &c. esse tempus orationis, in quo etiam anteà conjugatis, non liceat copulari ? Non est credibile Ecclesiam id præcepisse. Ergò si in consummatione Matrimonij illo tempore aliqua culpa sit, ea non proveniet ex vi legis prohibentis nuptias illo tempore, sed ex alia circumstantia communi omni copulæ, de qua hic non tractamus.

Finalis resolutio.

Quæ cùm ita sint, finalis resolutio erit ; Ab Adventu Domini nostri Iesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis, non licet solemniter celebrare Matrimonium. Sed nunquid id licet in ipsa Epiphaniæ die ? Nec enim Tridentinum, ut sup. vidimus, addidit ei ly *Inclusivè*, sicuti addidit Octavæ Paschatis.

194. *An ipsa dies Epiphaniæ comprehendatur in ea prohibitione ? Pars affirmans probatur ex Trid. Sanchez.*

Verùm (inquit Sanchez sup. n. 1.) dicendum est, absque dubio comprehendi in ea prohibitione ipsam Epiphaniæ diem. Clarèque probatur ; quippe Tridentinum eo cap. 10. statuens tempora hujus prohibitionis, dixit ea esse ab Adventu usque ad Epiphaniam, & à feria 4. Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivè, quod cùm sub una clausula contineatur, non est cur dicamus, particulam *Inclusivè*, minimè referri ad utrumque prohibitionis tempus, eâdem clausulâ inclusum : eò vel maximè, quòd cùm jure antiquo ea dies sub prohibitione contineretur, expresè excludenda esset, ut censeretur jus antiquum correctum quoad eam diem : cùm juris correctio in dubio tamquam odiosa vitanda sit. Hæc ille.

Addo ego ; quod ait Nicol. 3. cap. *Exiit qui seminat*, de Verb. signif. in 6. *Et utriusq; juris documenta nos docent, ea quæ in principio, ad medium & ad finem : illa verò, quæ in medio, ad finem atque principium : & ea quæ in fine, ad utrumq;, vel eorum alterum sæpè referri.* Iam autem, ut ex dictis patet, habemus sufficientem rationem, eam particulam, *Inclusivè*, quæ in fine ponitur, ad principium referendi.

Et Nicol. 3. cap. 3. de Verb. signif.

195. *Est sententia communis. Pontius.*

Estque hæc communis sententia, quam amplectitur Pontius sup. n. 4. illicò subjungens : At quia noctu antè lucem benedictiones nuptiales celebrari olim prohibitum jam vidimus, existimo non cessare hujusmodi prohibitionem usque ad lucem diei insequentis eum, qui postremus prohibitionis est. Unde meritò Concil. Mediolanense 5. sub Divo Carolo Borromæo ita cavit : *Ne solemnes nuptias liceat celebrare, nisi*

Concil. Mediol.

post

poſt diluculum poſtridie illius diei, qui poſtremus eſt temporis, quo Tridentinâ conſtitutione nuptiarum celebritas interdicta eſt.

196. *Ubi jus prohibeat nocte celebrare benedictiones nuptiales.* Rogas, ubi jus antiquum prohibeat noctu celebrare benedictiones nuptiales? Reſpondeo, Concil. Senonenſe ſub Clem. 7. in Decretis morum cap. 39. ſic ait: *Sanè cùm Matrimonium a Deo omnium rerum conditore in Paradiſo, & in ſtatu Innocentiæ inſtitutum fuerit, ſitq; teſte Apoſtolo, Sacramentum; proinde cum magna reverentia ac devotione ſuſcipiendum, utpotè in quo, ſicut & in reliquis Sacramentis, gratia conferatur; prohibemus, ne in ſponſalibus, aut nuptiali benedictione, fiant riſus, cachinnationes, aut alia ridicula verba enuntientur; quinimò moneantur affidati, quatenus jejuni, contriti, confeſſi, ac cum multa reverentia ad hoc Sacramentũ accedant. Illum quoq; abuſum, qui invaluit in quibuſdam partibus, ut benedictio nuptialis, & Miſſa celebrentur ſtatim poſt mediam noctem, tollimus & amputamus, ſtatuentes, quòd talia deinceps non fiant, niſi poſt ortum ſolem, & illuceſcentem diem. Siquidem exemplo perniciosò interdum compertum eſt, ſolemnitates hujuſmodi nuptiales, ſic in latebris & occulto factas, clandeſtinis Matrimoniis viam aperuiſſe, & occaſionem dediſſe contemnendi tam excellens Sacramentum, & laſcivias & ſpurcitias quaſdam committendi.* Hæc Concilium.

Concil. Senonenſi.

197. *Objectio ſolvitur.* Nec obſtat: quòd ſit Concilium provinciale, utì & alia Concilia, quæ in hac materia ſolent allegari; quia vel illo tempore recepta fuerunt, per conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ, aut ſaltem hodie recepta ſunt per Concilium Trident. quod, ut ſup. audivimus, mandat diligenter obſervari antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones, Igitur ipſa dies Epiphaniæ clauditur ſub hac prohibitione. Utì & ipſa Dominica prima Adventûs, & ipſa dies Cinerum.

198. *Alia objectio ex Reg. FF. Min.* Solùm objici poſſet, quod dicitur in Regula FF. Minorum cap. 3. *Et jejunent à Feſto omnium Sanctorum uſque ab Nativitatem Domini*; in quo tamen jejunio non clauditur ipſa dies omnium Sanctorum, juxtà communem intelligentiam interpretum dictæ Regulæ, & communem praxim totius Ordinis. Ergò conſimiliter, eſto Concil. Trident. dicat: *A feria quarta Cinerum*, non neceſſariò ipſa dies Cinerum clauditur dictâ prohibitione.

& Concil. Ravennat. Utì nec 1. Dominica Adventûs, tametſi Concil. Ravennatenſe 2. ſub Clem. 5. dicat: *A prima Dominica de Adventu*, cap. 19. ibi: *Et ut tempora interdicta ad celebrandum nuptias non poſſint aliquando ex ignorantia excuſari, monemus omnes Sacerdotes, Parochiales maximè, quatenùs dicta tempora, Dominicâ antè Adventum & & Dominicâ ante Septuageſimam, & Dominicâ antè Octavam Aſcenſionis Domini, ſtudeant publicè in Miſſarum ſolemniis nunciare, quòd nullus celebret nuptias, temporibus ab Eccleſia interdictis, ſcilicèt à prima Dominica de Adventu uſque poſt Epiphaniam, & à Dominica de Septuageſima uſque ad Octavam Paſchæ, & à tribus diebus antè Aſcenſionem uſque ad Octavam Pentecoſtes.*

199. *Reſponſio ad Concil.* Reſpondetur: monet Concilium, ut tempora prohibita publicentur Dominicâ antè Adventum, quod non foret neceſſarium, ſi Dominica 1. Adventûs non clauderetur dictâ prohibitione; nam illâ ipsâ 1. Dominicâ ſufficienter potuiſſent publicari.

Prætereà: ſi ex illis verbis: *A prima Dominica*, ſequeretur, eam non includi; etiam ex his: *A Dominica de Septuageſima*: itemque ex iſtis: *Et à tribus diebus*, benè inferretur: ergò Dominica Septuageſimæ, itemque tres illi dies non clauduntur dictâ prohibitione, quæ primâ fronte apparent omninò abſona, cùm ratio prohibitionis æquè, ſi non magis, militet pro iſtis diebus, & verba legis patiantur talem intellectum; immò, niſi aliquid aliud obſtet, eum requirant. Alioquì neque totus Adventus hodie includeretur dictâ prohibitione: quia Concil. Trident. dicit: *Ab Adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti* &c. quod eſt omninò incredibile.

200. *Reſp. ad Reg. FF. Min.* Porrò quod in Reg. noſtra ſub præcepto jejunij non claudatur ipſa dies Omnium Sanctorum, colligitur ſatis ex ſubjecta materia: quippè Eccleſia non ſolet hujuſmodi dies feſtivos, in quibus magis oportet gaudere, quàm triſtari, ſpeciali jejunio deputare; immò omnes dies Dominicos excipit in Quadrageſima ab abſtinentia à 2. refectione, & alio tempore anni vigilia occurrens in Dominica jejunari debet in Sabbatho. Non eſt ergò veriſimile, S. Franciſcum, Inſtitutorem Regulæ, voluiſſe diem Omnium Sanctorum ſpecialiter deputare jejunio.

201. *Si dies omnium SS. occurrat feriâ 6. tenentur FF. Min. jejunare.* c. 3. de Obſer. jeju. Dico: *Specialiter*; quia ſi occurrat feriâ ſextâ, certum eſt jejunandum eſſe, ratione præcepti generalis jejunandi ſingulis 6. feriis per totum annum. Unde nec etiam tunc Eccleſia indulget comeſtionem carnium, prout indulget, quando Natalis Domini occurrit feria 6. niſi aliquid aliud obſtet, ut patet ex cap. 3. de Obſerv. jejun. ibi: *Reſpondemus, quòd illi qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt aſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Nativitatis Dominica, die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint obſtinere.* Ita Honor. 3. Ubi Gloſſ. verb. *Nec voto*, infert: *Ergò ſi voto tenentur, non debent comedere carnes: quia quæ ſinè conditione voventur, ſinè conditione ſolvantur.*

Cùm ergò FF. Min. ſinè conditione voverint, aut certè præceptum illis ſit, jejunare ſingulis feriis 6. totius anni, liquet profectò, quòd nequeant carnes comedere.

Itaque, ut ad propoſitum noſtrum revertamur, nullus poteſt ambigere, quin ipſa prima Dominica Adventûs, & ipſe dies Cinerum, ſub tempore feriato claudantur.

202. *An dies immediatè præcedens tempus feriatum ſit prohibitus.* Nunquid etiam dies immediatè præcedentes primam Adventûs Dominicam, & feriam quartam Cinerum à veſperis? Et quidem (inquit Sanchez ſup. n. 2.) de feriâ quartâ Cinerum nulla prorsùs eſt difficultas; ſed prohibitio incipit à media nocte illius feriæ quartæ: quia totum officium diei præcedentis, etiam Completorium, minimè pertinet ad diem ſequentem. De Adventu autem eſt difficultas; quia per ſe officium

officium Adventûs incipit à Vesperis Sabbathi præcedentis; quàmvis per accidens fiat aliquando sola commemoratio propter festum majus occurrens. Hæc ille.

203. *Secundùm Sanchez prohibitio incipit à 1. Vesperis Sabbathi. Oppositum docet Pontius.*

Resolvit autem cum aliis, quos citat, prohibitionem incipere à primis Vesperis Sabbathi præcedentis, attento juris rigore, nisi consuetudo declarasset alicubi, incipere à media nocte Dominicæ.

At verò Pontius sup. n. 5. existimat verius prohibitionem incipere à media nocte; ac proindè in Sabbatho integro antè Dominicam primam Adventûs solemnitatem nuptiarum non esse prohibitam. Ad id (inquit) moveor; quia licèt Concil. Tridentinum, & alia antiqua Decreta dicant: ab Adventu Domini non posse solemniter celebrari nuptias; at Concil. Ravenn. 2. sup. relatum, expresè primam Dominicam Adventûs nominat, quam certum est à media nocte incipere. Ex quo Decreto colligo, eâ ratione intellecta semper fuisse antiquiora Ecclesiæ Decreta, quæ ab Adventu Domini nuptias prohibuerunt. Ita Basilius.

204. *Oppugnatur ab Auctore. Primò.*

Ego autem non satìs capio mysterium hoc: non video, inquam, sufficientem differentiam quoad præsens punctum, inter hæc verba: *A prima Dominica Adventûs*, & ista: *Ab Adventu.* Namque Adventus Domini semper incipit ab aliqua Dominica, sive primus dies Adventûs semper est Dominica; si ergò prima Dominica, sive Dominica, quæ est primus dies Adventûs, incipiat à media nocte, etiam Adventus incipiet à media nocte, & si Adventus incipiat à Vesperis præcedentibus, etiam prima Dominica incipit à Vesperis precedentibus; quippè nulla est ratio, quare potiùs Adventus incipiat à Vesperis, quàm Dominica; ideò enim sunt Vesperæ Adventûs, quia sunt Vesperæ 1. Dominicæ Adventûs.

205. *Secundo.*

Deinde: ex Concilio Trid. & aliis antiquioribus Decretis, quæ ab Adventu Domini nuptias prohibuerunt, colligo, eâ ratione intellectum semper fuisse Decretum istud Concilij Ravennatensis, ut idem sit, *A prima Dominica Adventûs*, atque, *Ab Adventu*, cùm, sicut mox dixi, prima dies Adventûs sit Dominica. Et aliundè nulla est ratio, quare potius Concil. Trid. quod generale est, & posterius, ac tempora feriarum ad minorem numerum reduxit, quare, inquam, hoc potiùs intelligendum sit, juxtà modum loquendi Concilij Ravenn. Provincialis, quàm vice versâ Concil. Ravenn. Provinciale intelligi debeat, juxtâ modum loquendi Concil. generalis Trid. & aliorum plurium Provincialium antiquorum.

206. *Sententiam Sanchez sequitur Aversa.*

Sententiam Sanchez amplectitur Aversa sup. §. *In verbis autem*, dicens: Claudi etiam debere partem Sabbathi antecedentis ad Dominicam Adventûs, scilicet à primis vesperis ipsius Dominicæ; negant Pontius lib. 6. c. 8. n. 5. & Diana part. 3. tract. 4. resol. 202. & in Addit. resol. 26. cum Reginaldo, Filliucio, Bonacina.

Sanchez. Barbosa.

Sed affirmant Sanchez lib. 7. disp. 7. n. 2. Barbosa de Officio Parochi c. 21. n. 13. aliique plures: eo quòd ex tunc incipiat officium Ecclesiasticum ejus temporis. Estque satìs rationabile & conforme textui, in quo non dicitur, à prima Dominica Adventûs, sed absolutè: *Ab Adventu.* Nisi alicubi sit opposita consuetudo. Et hoc potest tantùm considerari quoad sæcularem pompam. Quia alioquì quoad sacram benedictionem, cùm hæc non nisi in Missæ celebratione perficiatur, ex alio capite hora vespertina non est idonea ad hanc solemnitatem.

207. *Quare prohibitio non extendat se ad diem præcedentem feriam 4. Cinerum.*

Videbatur etiam olim prohibitio pro Septuagesima incipere similiter à die antecedenti Dominicam. Sed de feria quarta Cinerum dici non potest incipere à die antecedenti; quia nec tunc inchoatur ejus officium, nec sub proprio nomine ipsius feriæ venit dies antecedens; sed solùm incipit ab ipsâ media nocte ejusdem feriæ, quando incipit obligatio jejunij. Hæc ille.

Ubi assignat pro ratione, quare prohibitio non incipiat à die antecedenti feriam quartam Cinerum, quia nec tunc inchoatur ejus officium, nec dies antecedens venit sub proprio nomine feriæ quartæ. Quid ergò si tunc inchoaretur ejus officium? Nonne ratio illa corrueret, & per consequens prohibitio inciperet à die antecedenti? Sic autem se res habet in Adventu: nam licèt sub proprio nomine primæ Dominicæ Adventûs, non veniat dies antecedens, tamen tunc inchoatur ejus officium per se loquendo.

208. *An sit distinctio hic inter nomen Adventus, & ly 1. dom. Adventûs.*

Deinde: scire vellem; quare potiùs sub nomine Adventûs, veniat dies antecedens primam Dominicam, quam sub nomine primæ Dominicæ Adventûs. Non alia profectò dari potest ratio, quàm, quia tunc incipit officium Adventûs; sed etiam, ut sup. dixi, tunc incipit officium primæ Dominicæ Adventûs: ergò etiam sub hoc nomine debet venire.

Ochagavia. Diana.

Iste autem modus (inquit Petrus Ochagavia de Sacram. tract. 3. de Imped. Matr. q. 41. n. 3. ut refert Dian. sup. in Addit.) numerandi initium temporis feriati, conformis videtur rationi; quia numerari debet juxtà leges Ecclesiæ, in qua tempus incipere dicitur ab eo puncto, in quo Officium Ecclesiasticum proprium illius temporis incipit. Ita ille.

209. *Videtur quod non.*

Perinde ergò mihi videtur, ad controversiam hanc decidendam, sive dicatur: *Ab Adventu*, sive: *A prima Dominica Adventûs.* Et ideò Concilia, ut sup. vidimus, nunc uno, nunc alio termino utuntur ad eamdem rem significandam. Sic etiam non semper dicunt: *A die Cinerum*, vel: *A feria quarta Cinerum*; sed aliquando utuntur his verbis: *In Quadragesima*, vel, *In Quadragesimali tempore.*

Et hinc fortè factum est, ut Mediolani, teste Bonacina q. 3. punct. 13. n. 4. nuptiæ non interdicantur usque ad Sabbathum antè Dominicam primam Quadragesimæ, quòd tunc primùm ibi incipiat tempus quadragesimale.

210. *An jam dicta etiam de 2. nuptijs sint intelligenda.*

Si autem à me quæratur; an quæ hactenùs dicta sunt, intelligi debeant etiam de secundis nuptiis, in quibus nulla est nuptialis benedictio sponsi? Nonnulli viri docti (inquit Pontius sup. n. 13.) existimarunt, nullam incurrere pœnam Clericum, qui temporibus prohibitis, ad-

mini-

miniſtrat ea, quæ Eccleſia deſignat pro ſecundis nuptiis, eo fundamento commoti, quòd illa non ſint nuptialis benedictio, neque eo nomine cenſeantur in Manuali. Cæterùm ſi rem iſtam attentiùs conſideraſſent, aliter reſpondiſſent. Mihi enim ſemper viſum eſt, neque eas cæremonias, quæ pro ſecundis nuptiis deſtinatæ ſunt, poſſe tempore prohibito mi[illegible]rari, ſinè culpa & pœnis jure latis.

Affirmat Pontius.

211. *Prima probatio.* Et in primis ad id me movet, quod proximè ſuperioribus annis vidi in hac Salmanticenſi urbe. Quidam nobiliſſimi vidui contrahere volebant Matrimonium, & cùm eſſet Quadrageſimale tempus, diſpenſationem à Sedis Apoſtolicæ Nuntio poſtularunt, quam denegavit. Quod magno argumento eſt, etiam eam cæremoniam, licèt non appelletur nuptialis benedictio, eſſe prohibitam illo tempore.

Secunda. Deinde me movet; quòd jura & antiqua & recentiora, ut ex adductis Canonibus conſtat, universè loquuntur & de Matrimonio, & ſolemnitate nuptiali. Sicut ergò antiquis Canonibus etiam viduorum conjugia erant prohibita, etiam & ſolemnitas illa nuptialis in nuptiis viduorum, de more Eccleſiæ adhibita, prohibita cenſetur.

212. *Tertia.* Prætereà: quia Canones tam antiqui, quàm recentiores, universè prohibent ſolemnitatem nuptialem, & non ſolùm nuptialem benedictionem. Illæ autem cæremoniæ, licèt non ſint nuptialis benedictio, ſunt tamen pars ſolemnitatis nuptialis, ut ſatis notum eſt.

Quarta. Denique pro hac ſententia ſunt apertiſſima verba Manualis Salmantini; ſiquidem ſtrictè prohibet, ne Clerici coràm viduis, vel aliis benedictis, Miſſam celebrent tempore prohibito. Quare non dubito in hac futurum eſſe ſententia, quicumque attentè conſideraverit verba Canonum, quæ ſup. iſto cap. retulimus. Hactenùs Baſilius.

213. *Oppoſita ſententia probatur ex Rit. Rom.* Ego autem vix dubito, in oppoſita futurum ſententia, quicumque attentè conſideraverit verba Ritualis Romani Tit. de Sacram. Matr. ubi ſpecificans ſolemnitates nuptiarum prohibitas, ait: *Vt nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia.* Et ipſe Pontius ſup. n. 8. nomine iſtarum ſolemnitatum intelligit benedictiones nuptiales, & traductionem ſolemnem, quam convivia & lætitiæ ſigna comitantur.

Quæro ego jam; Miſſa quæ celebratur in ſecundis nuptiis, & aliæ cæremoniæ, quæ adhibentur, benedictiones ſunt nuptiarum? Negat Pontius ſup. n. 13. ibi: *Quod magno argumento eſt, etiam eam cæremoniam, licèt non apelletur nuptialis benedictio* &c.

Quæro rursùm; Miſſa & aliæ ceremoniæ ſuntne traductio ſolemnis, quam convivia & lætitiæ ſigna comitantur? Quis non videt Miſſam poſſe celebrari coram ſponſis, omiſsâ traductione ſponſæ in domum ſponſi, ſinè conviviis, vel ullo alio ſigno lætitiæ? Cenſen' Ponti, illam celebrationem eſſe prohibitam? Sed quo Canone aut jure, aut in quo Manuali?

214. *Referuntur verba Manualis Salmantini, & expenduntur.* Ecce verba Manualis Salmantini, ut ea refert Pontius ſup. n. 8. *Item nota, quòd in prædictis temporibus non ſolùm prohibetur benedictio nuptiarum; ſed etiam traductio ad domum inter conjuges, donec benedicantur in tempore permiſſo .... Et licèt jam ſint benedicti, quia ambo ſunt vidui, vel aliàs, non debet fieri traductio ad domum ſponſi in tempore prohibito. Laici tamen in hoc habent conſuetudinem in contrarium. Caveant autem Sacerdotes, ne ſint præſentes ad talem traductionem directè vel indirectè, celebrando Miſſam ſecretò, vel publicè, in præſentia ipſorum.* Ubi, ut vides, non prohibetur celebratio Miſſæ, niſi in quantùm ei conjungitur ſolemnis traductio ſponſæ ad domum ſponſi.

215. *Reſp. ad 1. probationem Pontij.* Et ſuſpicor, illos nobiliſſimos viduos, de quo Pontius ſup., non ſolùm voluiſſe contrahere Matrimonium, ſicut vidui ſolent contrahere, abſque benedictione ſolemni, cum alia cæremonia ſecundis nuptiis convenienti; ſed etiam cum ſolemni traductione, & conviviis, aliiſque ſignis lætitiæ, quæ prohibita ſunt tempore Quadrageſimali, & ideò poſtulaſſe diſpenſationem. Et ita reſponſum eſt ad primum motivum Pontij.

Reſp. ad 2. & 3. Ad ſecundum & tertium, fateor: jura antiqua, & recentiora universè loquuntur de Matrimonio, & ſolemnitate nuptiali, & universè prohibent ſolemnitatem nuptialem, & non ſolùm nuptialem benedictionem; ſed nego, cæremonias illas, de quibus hîc diſputatur, eſſe partem ſolemnitatis nuptialis: nam ſecundùm Pontium, ut ſup. vidimus, per ſolemnitatem nuptialem ſolùm intelliguntur benedictiones nuptiales, traductiones & convivia: porrò cæremoniæ illæ ſecundarum nuptiarum, neque ſunt benedictiones ſolemnes, nec traductio, quam comitantur convivia.

216. *Arg. contrà.* Immò, reponit quiſpiam, omninò ſunt traductio; quia etiam hæc fieri ſolet in ſecundis nuptiis, uti & convivia.

Diſſolvitur. Reſpondeo: me nunquam negaſſe, nec velle negare traductionem ſolemnem in ſecundis nupeſſe prohibitam; id enim ſatis probant jura antiqua & recentiora, quæ universè loquuntur de nuptiis, non diſtinguentes inter primas & ſecundas; ſed nego prohibitam eſſe Miſſam, & alia quæ, ſeclusâ traductione, ſolent adhiberi ſecundis nuptiis, quia verè non ſunt benedictio ſolemnis.

217. *Caſus quidam ex Pontio.* Hinc ad alium caſum, propoſitum à Pontio ſup. n. 14. hiſce verbis: In nonnullis hujus Diœceſis minoribus oppidis apud Ruſticos in more poſitum eſt, ut ſi qui ingruente Adventûs tempore volunt contrahere, benedicantur in Sabbato, antè Dominicam primam Adventûs, & in ipſa die Dominica fiat ſolemnis traductio, ſponſis in excelſo thalamo in medio foro conſtructo collocatis, & multis ex eodem & vicinis oppidis convocatis concurrentibus, qui poſt prandia & commeſſationes choreas ducunt, & munera ſponſis, qui in prædicto thalamo conſident, offerunt.

Reſp. Pontij. Ad hunc, inquam, caſum reſpondeo cum Pontio ſup., ſi juris diſpoſitio attendatur, hæc eſſe etiam prohibita eo tempore; quia pertinent

ad solemnitatem nuptialem, & expressè traductio, convivia, choreæ, imò hæc maximè prohibita sunt, ut ex adductis Canonibus constat. Quare licèt præcesserit benedictio in die non prohibito, ea solemnitas nuptialis, quæ et iam prohibita est, illis diebus fieri non potest.

218. *Solemnitas nuptialis non licet in in die feriato, quàmvis benedictio præcesserit in die non feriato.* Cajetanus.

Estque hæc sententia Cajetani Sum. verb. *Nuptiarum peccata*, ubi sic scribit: Et quoniam nuptiæ tria important (scilicet benedictionem sponsi & sponsæ, traductionem sponsæ in domum viri, & celebrationem convivij) scito tria hæc intelligi his temporibus interdicta. Et quoniam pœnæ non sunt extendendæ, nihil aliud est dictis temporibus interdictum: possunt enim contrahi Matrimonia de præsenti & Sponsalia. Unde putantes evadere violationem legis, & facientes primum tantùm (scilicèt benedictionem) in Sabbato ante Adventum, vel Septuagesimam, & in Dominica reliqua duo, non effugiunt legis iram: plus enim sunt prohibita illa duo, quàm primum, quod non nisi quia simul cum nuptiis fit, intelligitur prohibitum, quia illa sunt carnalia, benedictio est spiritalis. Hæc ille.

Probatur ex Synodo Mechlinien-si.

Et Synodus Mechlinien-sis (cujus sup. meminimus) celebrata sub Paulo 5. præsidente in ea Reverendissimo ac Illustrissimo in Christo Patre ac Domino D. Matthia Hovio Archiepiscopo Mechlinien-si Tit. 10. de Sponsalibus & Sacram. Matr. c. 8. in fine sic ait: *A quibus* (scilicet conviviis, choreis & similibus) *similiter abstinendum erit, & si Matrimonium antea contractum fuerit, sub pœna arbitraria.*

219. *An consuetudine contrarium præscriptum sit.* Pontius.

At videtur (inquit Basilius sup.) jam consuetudine antiquâ & invetertâ receptum, ut ea traductio & solemnitas fiant eo die prohibito, & legem Ecclesiasticam in hac parte abrogasse, & ideò à Clericis sustineri posse, dummodò illi non intersint prædictæ solemnitati. Idque non obscurè indicatur in prædicto Manuali Salmantino, ibi: *Laici tamen in hoc habent consuetudinem in contrarium.* Hæc ille.

Optima profectò legum interpres, consuetudo; nec interpretari tantùm potest legem, sed etiam eam abrogare & instituere in his, quæ pendent ab Ecclesia; jam autem tempus feriatum, de quo hactenùs egimus, quantum quantum est, pendet à voluntate Ecclesiæ, quæ licèt à principio in universum omnes obligaverit; successu tamen temporis consuetudine potuit tolli, vel in totum, vel ex parte; vel in omnibus mundi Regionibus, vel in aliquibus locis particularibus.

Proinde quidquid sit de jure scripto, de quo hîc præcipuè locuti fuimus, consulo omnibus, ut diligenter attendant consuetudinem loci, in quo volunt Matrimonium contrahere, eique se accomodent; non tantùm quoad solemnitates nuptiales, sed etiam quoad ipsum contractum. Non solùm quoad hoc impedimentum, sed etiam quoad alia, de quibus instituitur.

CONCLUSIO V.

Cathechismus olim prohibebat Matrimonium, non dirimebat. Hodie ampliùs non obligat. Uti nec incestus, raptus Sponsatæ &c.

220. *Quid sit Catechismus hic, ex Sanchez.*

CAtechismus est instructio fidei (inquit Sanchez lib. 7. disp. 10. n. 1.) quæ fit antè januam Ecclesiæ super baptizando: dicitur que sic à Cathechizo, id est, instruo, de quo habetur cap. 54. de Consecr. dist. 4. *Antè Baptismum cathechizandi debet hominem prævenire officium, ut fidei primum catechumenus accipiat rudimentum.*

Quod probatur exemplo Christi, ibidem: *Prius ipse Iesus cæci nati oculos luto, ex sputo facto, superlinivit, & sic ad aquas Siloe misit; quia prius debet baptizandus fide Incarnationis Christi instrui, & sic ad Baptismum jam credulus admitti, ut sciat, cujus gratiæ in eo est particeps, & cui jam debitor fiat deinceps.*

221. *Formacatechizandi ex Rit. Rom.*

Porrò forma seu modus catechizandi præscribitur in Rituali Romano tit. de Sacram. Baptismi, §. *Ordo Baptismi adultorum*, hisce verbis: *Deinde Sacerdos procedit ad fores Ecclesiæ, & stat in limine, catechizandus verò extra limen. Et si sunt plures mares & fœminæ, illi ad dexteram Sacerdotis, hæ verò ad sinistram statuantur, & Sacerdos interrogat:* Quo nomine vocaris? *Catechumenus respondet*, N. *Sacerdos*: N. Quid petis ab Ecclesia Dei? *Respon.* Fidem. *Sacerdos*: Fides quid tibi præstat? *Resp.* Vitam æternam. *Sacerdos*: Si vis habere vitam æternam *&c.*

Et rursus interrogat: N. Abrenuntias satanæ? *Respondet*: Abrenuntio. *Interrogat*: Et omnibus operibus ejus? *Respondet*: Abrenuntio. *Interrogat*: Et omnibus pompis ejus? *Respondet*: Abrenuntio.

Deinde Sacerdos interrogat de Symbolo Fidei, dicens: Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ? *Respondet*: Credo. *Interrogat*: Credis & in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum & passum? *Respondet*: Credo. *Interrogat*: Credis & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam? *Respondet*: *Credo.*

222. *Patrinus hîc appellatur, qui pro parvulo respondet.*

Et quoniam ad has interrogationes nequit parvulus per se respondere; hinc alius nomine ejus respondet, qui & appellatur Patrinus; estque ordinariè idem, qui parvulum levat de fonto, seu tenet in ipso Baptismo. Quàmvis fieri possit, ut sit diversus, sive ut unus sit Patrinus in Catechismo, & alter in Baptismo. Igitur Catechismus, qui hîc ponitur impedimentum prohibens, & non dirimens Matrimonium, est responsio pro baptizando in ceremoniis baptismalibus.

223. Rogat aliquis à me, ubi in jure statuatur hoc impe-

Hæc reſponſio ſtatuit impedimentum Matr. c. 2. de Cogn. ſpirit. in 6.

impedimentum? Reſpondeo citiùs: cap. 2. de Cognatione ſpirituali in 6. quod ſic ſonat: *Per Catechiſmum, qui præcedit Baptiſmum, Sacramentorum fundamentum, & januam reliquorum, cognatio ſpiritualis contrahitur: per quam contrahendum Matrimonium impeditur: ut ex prædeceſſoris noſtri Clem. Papæ 3. Decretali colligitur evidenter: dicendo enim quòd talis res (ſcilicet compaternitas in Catechiſmis contracta,* inquit Gloſſ. ibi) *vix contrahendo Matrimonio impedimentum afferret, velle videtur, quòd afferat: nam quod vix fit, fieri tamen dubium non exiſtit. Per illam tamen cognationem Matrimonium, poſt eam contractum, minimè ſeparatur.* Ita Bonif. 8.

224. *Catechiſmus impedit contrahendum, non dirimit contractum.*

Ubi Gloſſ. *Per Catechiſmum* (inquit) *contrahitur cognatio ſpiritualis, ejus tamen effectus eſt impedire Matrimonium contrahendum, non autem dirimit jam contractum. Vnde ſciendum, quòd Catechiſmus eſt inſtructio, quæ fit communiter hodie antè fores Eccleſiæ, ubi interrogabatur de articulis fidei, & proprie deberet fieri ſolis adultis.*

Caſus: Ego tenui puellam antè fores Eccleſiæ, antequam portaretur ad fontes, poſtea, quando fuit baptizata, non tenui eam ſuper fontes: utrùm inter me & ipſam & filios meos ſit contracta cognatio ſpiritualis? Reſpondetur quòd ſic, ſed non eſt tanti effectûs, ſicut illa cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur in Baptiſmo: quia iſta impedit Matrimonium contrahendum, ſed non dirimit jam contractum: hoc eſt, non debemus contrahere: & ſi durantibus bannis aliquis ſe opponeret, & allegaretur cognatio ſpiritualis, impediretur Matrimonium: ſed ſi non allegaretur iſta cognatio ſpiritualis, & ſi de facto contraheremus, non dirimeretur poſtea iſtud Matrimonium. Hactenus Gloſſ.

Reprobatur oppoſita ſententia Hugonis.

Quare non eſt audiendus Hugo, qui cap. *Pervenit*, 30. q. 1. docet, dirimi quòque Matrimonium per illum textum; qui tamen id minimè probat; ſaltem dubius eſt, ut patebit legenti, & ideò non poteſt præjudicare huic apertiſſimo textui contrario ſtatuenti.

225. *Prior ſententia eſt Doct. Angel.*

Loquatur Doct. Angelicus 4. diſt. 42. q. 1. a. 2. in corpore: *Quidam dicunt, quòd ſpiritualis regeneratio, ſicut per ſeptiformem Spiritûs ſancti gratiam datur, ita per ſeptem efficitur, incipiendo a primo pabulo ſalis ſacrati uſque ad Confirmationem, per Epiſcopum factam, & per quodlibet horum ſeptem ſpiritualis cognatio contrahatur. Sed illud non eſt rationabile; quia cognatio carnalis non contrahitur niſi per actum generationis completum: unde & affinitas non contrahitur, niſi ſit facta conjunctio ſeminum, ex qua poteſt ſequi carnalis generatio. Spiritualis autem generatio non perficitur, niſi per aliquod Sacramentum, & ideò inconveniens eſt, quòd ſpiritualis cognatio contrahatur, niſi per aliquod Sacramentum. Et ideò alij dicunt, quòd per tria tantùm Sacramenta ſpiritualis cognatio contrahatur, ſcilicet per Catechiſmum, Baptiſmum & Confirmationem. Sed iſti propriam vocem videntur ignorare; quia Catechiſmus non eſt Sacramentum, ſed ſacramentale, & ideò alij dicunt, quod tantùm per duo Sacramenta, ſcilicet per Baptiſmum & Confirmationem, & hæc opinio eſt communior: tamen de Catechiſmo quidam horum dicunt, quòd eſt debile impedimentum, quod impedit contrahendum, ſed non dirimit Matrimonium contractum.* Ita D. Thom. Ubi tantùm negat, per Catechiſmum contrahi perfectam cognationem ſpiritualem, quæ Matrimonium dirimat.

226. *Olim Catechiſmus prohibebat Matr. Sotus.*

Sicuti autem hoc certum eſt ex d. cap. 2. ita quoque ex eodem cap. indubitatum eſſe debet, Catechiſmum Matrimonium olim prohibuiſſe, contrà Sotum 4. diſt. 42. q. 1. a. 2. verſ. *Vrgentiùs autem*, ubi tamquam rem dubiam id aſſerit: Quia (inquit) Bonifac. 8. cap. 2. de Cognat. ſpirit. in 6. non aſſeruit hoc impedimentum; ſed id collegit ex cap. *Contracto*, de Cognat. ſpirit. ubi Clem. 3. id non clarè decidit; ſed tantùm dicit, Catechiſmum vix afferre impedimentum Matrimonio. Quæ verba ſunt potiùs dubitantis, quàm aſſerentis. Quare cùm collectio non ſit clara, nec etiam deciſio certa erit. Hæc ille.

227. *Oſtenditur id certum eſſe.*

Sed univerſi DD. tamquam certum ſtatuunt hoc impedimentum. Et quid mirum, cùm Bonifacius illud tamquam certum ſtatuat? nam dicit: *Evidenter colligitur*, ſcilicèt ex d. cap. *Contracto*, ſequentis tenoris: *Contracto Matrimonio inter P. & A. uxorem ſuam quidam conſanguinei ejuſdem A. contra Matrimonium objecerunt, quòd eadem in primo ſacrati ſalis pabulo, filium quondam concubinæ ipſius P. tenuit.* Et infrà: *Verùm ſi conſtaret vera eſſe, quæ diximus, non ideò tamen contractum Matrimonium ſolveretur, quæ res vix contrahendo Matrimonio impedimentum afferret.*

Ex quibus ultimis verbis, quæ non omninò clarè decidunt, Catechiſmum eſſe impedimentum, colligit Bonifacius 8. ut ſup. audivimus, non dubium exiſtere, quin Catechiſmus afferat impedimentū Matrimonio contrahendo, quàmvis non dirimat contractum: unde jam de hoc dubitandum minimè eſt.

228. *Quæ ratio hujus impedimenti, ex D. Thomæ.*

Sed quæ ratio hujus impedimenti? *Quòd* (inquit D. Thom. ſup. ad 3.) *in Catechiſmo ſit quædam profeſſio futuri Baptiſmi, ſicut in ſponſalibus ſit quædã ſponſio futurarũ nuptiarum: unde ſicut in ſponſalibus contrahitur quidam motus propinquitatis, ita & in Catechiſmo ad minus impediens contrahendum, ut quidam dicunt, non autem in aliis Sacramentis.*

Deinde: rationi conſonum videtur, ut ſicut patrinus, tenens in Baptiſmo, contrahit perfectam cognationem ſpiritualem, dirimentem Matrimonium: ita patrinus, tenens tantùm in Catechiſmo, qui eſt introductio ad Baptiſmum, & quoddam ejus initium, ac quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam profeſſatur patrinus pro parvulo, contraheret quamdam imperfectam cognationem, ſolummodò prohibentem.

229. *Requiritur ut quis in toto Catechiſmo teneat, ex Sanchez.*

Oportet tamen (inquit Sanchez ſup. n. 3.) ut is patrinus in toto Catechiſmo teneat, ut hanc cognationem contrahat, ut benè docet Gloſſ. c. *Contracto*, de Cognat. ſpirit. in fine. Hæc ille.

Sententia cujuſdam Gloſſ. quòd Catechiſmus impediat & dirimat.

Ecce verba Gloſſæ: *Sed certè contra iſtos, qui dicunt, quòd etiam per Catechiſmum non dirimatur Matrimonium, manifeſtè faciunt illa duo c. Si quis ex uno, 30. q. 4. & c. In Catechiſmo, de Conſecratione diſt. 4. quia ibi æquiparantur iſta tria, Catechiſmus, Baptiſmus & Confirmatio. Vnde credo, quod*

quòd si quis teneat, aliquem in toto Catechismo, in quo unus patrinus debet esse, quòd ille sit compater effectus parentibus infantis. Sed hæc mulier non tenuit illum filium infantem, nisi in primo pabulo sacrati salis: nec expresè dicit litera, quod fuerit filius P. & ideò dico, quod Catechismus impedit & dirimit. Hæc Gloss.

230. *Rejicitur.* Verùm enimverò mera conjectura est, quod mulier hæc non tenuerit, nisi in primo pabulo sacrati salis; cùm illa particula, *Nisi*, nusquam exprimatur in dicto textu. Similiter gratis dicitur, quòd non fuerit filius P. Audi Gloss. ibi verb. *Concubinæ: Quidam*, inquit, *dicunt, quòd ille filius tantùm erat filius concubinæ ipsius P. de alio viro: dicentes quod compaternitas contrahitur per illud Sacramentum sacrati salis: sed secundùm hoc nulla fuit quæstio.* Secundùm quid ergò fuit quæstio? Quòd ille filius erat filius concubinæ ipsius P. ex ipso P. Et ideò dico ego, quòd totus Catechismus impedit, & non dirimit.

Objicitur ex Si quis 30. q. 4. Quantùm ad illa duo capita, quæ allegat Gloss. prioris verba hæc sunt: *Si quis ex uno conjugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut chrisma tenuerit, vel Christianitatis ministerium dederit, ambo & vir & uxor compatres existunt parentibus infantis, quia vir & mulier caro una effecti sunt.* Ergò Catechismus olim erat impedimentum dirimens, negatur Consequentia.

231. *Explicatur.* Nam in primis responderi potest; per dationem ministerij Christianitatis, intelligi dationem Baptismi, juxtà Gloss. ibi verbo: *Christianitatis ministerium: Immergendo*, inquit, *sup. 1. q. 1. Quod quidam.*

Et admissâ aliâ expositione, quam ibidem subjungit Glossa, dicens: *Alij exponunt*, dederit Christianitatis ministerium, *id est, tenuerit ad Catechismum, ut de Consecr. dist. 4. In Catechismo.* Equidem neg. hæc Consequentia: Ergò Catechismus olim erat impedimentum dirimens. Sic etenim sonat d. cap. *in Catechismo & in Baptismo & in Confirmatione unus patrinus fieri potest, si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana: sed per singulos singuli suscipiunt.*

232. *Ordinariè est idem patrinus in Catechismo, & Baptismo.* Planè fieri potest unus patrinus in necessitate; imò hodie communiter est idem patrinus in Catechismo & Baptismo, & non tantùm prohibetur Matrimonium, sed etiam contractum dirimitur. Sed quid si diversi sint? Contrahunt quidem omnes compaternitatem, & in hoc illa tria æquiparantur, sed unus perfectam, alter imperfectam.

Attende Gloss. ibi verb. *Patrinus: Baz. dixit, in his tantùm contrahi compaternitatem; sed Hugo dixit, in omnibus eam contrahi, quæ Baptismum præcedunt. Sed tamen compaternitas, in Catechismo contracta, non est tanti momenti, ut Matrimonium dissolvat, cùm vix etiam impediat, extra de Cognat. spirit.* Contracto.

233. *Effectus Baptismi est compaternitas perfecta, Catechismi autem imperfecta.* Et quid mirum, quòd non sit tanti momenti, cùm etiam ipse Catechismus non sit tanti momenti, quanti sunt Baptismus & Confirmatio, quæ ambo sunt vera Sacramenta novæ legis, à Christo Domino instituta; Catechismus autem solùm aliquod Sacramentale? Cùm ergò non æquiparentur illa tria in ratione Sacramenti, haud mirari debemus, si etiam non æquiparentur in effectu compaternitatis; sed effectus Baptismi & Confirmationis sit perfecta compaternitas, quæ non solùm prohibeat Matrimonium, sed etiam dirimat: effectus verò Catechismo compaternitas seu cognatio imperfecta, quæ solum Matrimonium prohibeat, & non dirimat.

Quando diversi sunt patrini, uterque suam cognationem contrahit. Igitur quando diversi sunt patrini in Catechismo, & Baptismo, uterque suam cognationem contrahit, primus imperfectam, cum impedimento prohibente, secundus perfectam, cum impedimento dirimente. Dum autem est unus solus in utroque actu, unam contrahit cognationem adæquatam, cum impedimento prohibente & dirimente.

234. *Is contrahit in Catechismo, qui nomine infantis respondet, ex Sanchez.* Nec satis est (inquit Sanchez sup. n. 4.) tenere in Catechismo; sed is contrahit hanc cognationem, qui infantis personam gerit, respondens ad fidei interrogata, dum Sacerdos rogat, an credat. Quare sicut in Baptismo hæc cognatio spiritualis contrahitur per elevationem pueri de sacro fonte; ita in Catechismo per professionem illam fidei, nomine infantis factam. Ita Sanchez.

Non oritur ex Exorcismo. Hinc deducitur (prosequitur idem Auctor n. 5.) recedendum esse à Paludano 4. dist. 42. q. 1. a. 1. n. 7. dicenti, ex Exorcismo cognationem hanc oriri: quia cap. *Pervenit*, 30. q. 1. sic ait Deusdedit Pontifex: *A primo pabulo sacri salis usque ad Confirmationem per Chrisma, nullus Christianus suam commatrem in conjugium suscipere debet.* Sed dicendum est, per solum Catechismum contrahi. Quia textus n. 2. allegati de solo eo mentionem faciunt. Paludanus.

235. *Resp. ad jus in contrarium. ex Sanchez.* Nec obstat id cap. *Pervenit*; quia ea verba copulativè & non disjunctivè accipienda sunt, ita ut per omnia illa contrahatur cognatio; sed quasi initium sumat in ipso Exorcismo. Ita Sanchez.

Tu cogita, perperàm ab eo dictum esse: *Textus n. 2. allegati de solo Catechismo mentionem faciunt.* Nam hi textus sunt c. 2. de Cognat. spirit. in 6. & cap. *Contracto*, de Cognat. spirit. Et quàmvis in priori textu de solo Catechismo fiat mentio, & non de primo pabulo sacri salis; equidem in secundo non fit expressa mentio de Catechismo; sed tantùm de primo pabulo sacri salis. Vide verba sup.

236. *Alia responsio ex Aversa.* Aliter respondet ad hanc difficultatem Aversa q. 10. sect. 3. §. *Præter Catechismum*, dicens: Bonifacius 8. in cap. 2. de Cognat. spirit. in 6. in solo Catechismo, præter Baptismum, prohibitionem conjugij posuit. Et in cap. *Pervenit*, non in qualibet parte ritûs Baptismalis, sed in toto copulativè, includendo scilicet ipsum formaliter Baptismum, positum est impedimentum dirimens. In cap. verò *Contracto*, licèt nominetur primum sacri salis pabulum, tamen Bonifacius 8. in alio capite id explicavit ac determinavit de Catechismo. Hæc ille.

237. *Perinde est* Perindè autem videtur, si Baptismus subsequatur Catechismum, sicuti ordinariè contingit, sive

præcedat Catechiſmus Baptiſma, vel ſubſequatur.

ſive præcedat, v. g. ſi quis urgente neceſſitate anteà baptizetur, & poſteà ſuppleantur cęremoniæ & adhibeatur Catechiſmus, quidquid Aliqui dixerint, cauſantes hunc debere præcedere, eò quòd dicatur cap. 2. de Cognat. ſpirit. in 6. *Per Catechiſmum qui præcedit Baptiſmum*; & quia Catechiſmus hanc cognationem producit, eò quòd ſit diſpoſitio ad futurum Baptiſmum, ejuſque initium, ut ſup. diximus.

Probatur ex Sanchez.

At non ſunt audiendi. Quippè (ut ait Sanchez ſup. n. 7.) eadem ſemper militat ratio: nam ſuâptè naturâ eſt quoddam initium generationis ſpiritualis perfectæ, & diſpoſitio ad Baptiſmum, quàmvis per accidens, ratione occurrentis neceſſitatis, aliquando Baptiſmo poſtponatur.

238. *Reſp. ad jus in contrarium.*

Nec obſtat textus in contrarium adductus; quia ea verba frequentioris uſûs gratiâ appoſita ſunt; communiter enim, ac recto ſervato ordine, Catechiſmus præcedit. Quare diſpoſitionem non reſtringunt. Hæc ille.

Cùm igitur Canones id non reſtringant, neque diſtinguant, nec nos abſque evidenti ratione, quam hactenùs non vidimus, reſtringere aut diſtinguere debemus; ſed ſimpliciter aſſerere, Catechiſmum olim prohibuiſſe Matrimonium, ſive antecederet Baptiſmum, ſive concomitaretur, aut certè ei poſtponeretur.

239. *Quia ſi, adhibito Catechiſmo, non ſequatur Baptiſmus. Contrahitur cognatio juxtà Sanchez.*

Sed quid, ſi contingat, ut adhibito Catechiſmo non ſequatur Baptiſmus, aut quia baptizandus reſilit, aut quia moritur, aut quia differtur Baptiſmus, nunquid & eo caſu patrinus contrahet dictam imperfectam cognationem? Affirmat Sanchez ſup. n. 9. Res enim hæc non pendet ex futuro eventu, ſed tempore facti Catechiſmi contrahitur hæc imperfecta cognatio ſpiritualis; ac proinde ſive ſubſequatur Baptiſmus, ſive non, cognatio ea ſemel contracta minimè abolebitur. Nec inconveniens eſt, hanc imperfectam cognationem ſpiritualem in infideli reperiri. Ita Sanchez.

Sed enim, dicet aliquis; unde probatur, id non eſſe inconveniens, cùm ſit inconveniens, perfectam cognationem ſpiritualem, quæ oritur ex Baptiſmo, in infideli reperiri? Sanè utraque eſt juris Eccleſiaſtici, cui infideles non ſubjiciuntur.

240. *Pro oppoſita ſententia Averſa citat Palatium.*

Hinc Averſa ſup. §. *Si autem contingat*, ait: Si ſupponamus cognationem ſpiritualem perfectam non contrahi cum infideli, utpotè patre aut matre baptizati, ut exiſtimat Sanchez diſp. 60. q. 2. pariter hìc dici non debet contrahere patrinus in Catechiſmo, cum eo, qui non baptizatur; ſed tunc contrahere, quando reverà ſequitur Baptiſmus. Sic ille. Citatque Palatium in 4. diſt. 42. diſp. 1. col. 30. pro ſententia, quæ docet Patrinum non contrahere hujuſmodi imperfectam cognationem & impedimentum, ſi non ſequatur Baptiſmus.

241. *Quare potius imperfecta cognatio inveniatur in infideli, quàm perfecta.*

Quæ ergò diſpar ratio in ſententia Sanchij? Quia inquis, cognatio hæc imperfecta, ſolùm eſt diſpoſitio quædam ad cognationem perfectam; ſicut ipſe Catechiſmus eſt quædam diſpoſitio ad Baptiſmum. Veluti ergò non eſt inconveniens, quòd infidelis, id eſt, non baptizatus, ſubjiciatur Catechiſmo, qui tamen non eſt niſi juris Eccleſiaſtici; ſic indidem non apparet inconveniens, quòd ſubjiciatur huic cognationi ſpirituali imperfectæ, eſtò ea tantùm ſit juris Eccleſiaſtici. At verò cognatio ſpiritualis perfecta, cùm non oriatur niſi ex Baptiſmo, aut certè Baptiſmum neceſſariò ſupponat, videtur eſſe inconveniens quòd reperiatur in eo, qui Baptiſmum non ſuſcepit.

Prætereà: hæc imperfecta cognatio contrahitur tempore Catechiſmi, ut ſup. dicebat Sanchez; ſed ordinariè eo tempore, qui catechizatur, adhuc eſt infidelis; ergo nullum eſt inconveniens, quòd reperiatur in infideli. At verò cognatio ſpiritualis perfecta, contrahitur tempore Baptiſmi; ſed eo tempore, qui baptizatur, jam eſt fidelis: ergò videtur inconveniens, quòd hæc cognatio ſpiritualis perfecta inveniatur in infideli. Cui hæ diſparitates non ſatisfaciunt, vel dicat utramque inveniri in infideli, vel neutram, & non errabit in fide aut bonis moribus.

242. *Ad quas perſonas extendebatur olim cognatio imperfecta.*

Si autem à me quæratur; ad quas perſonas jure antiquo extendebatur hæc imperfecta Catechiſmi cognatio? Reſpondeo cum communi ſententia: ad eaſdem, ad quas cognatio perfecta, orta ex Baptiſmo. Quàmvis enim in textibus ſup. adductis, nulla fiat mentio perſonarum, aut graduum; quia tamen oritur ex eo, quòd Catechiſmus ſit quoddam initium Baptiſmi, jure merito utraque ad eaſdem perſonas, & eoſdem gradus trahitur: ita ut ubi novis legibus reſtringitur perfecta cognatio ad pauciores perſonas & gradus, prout fit in Trid. ſeſſ. 24. de Matr. c. 2. pariter intelligi debeat reſtricta hæc imperfecta cognatio, quàmvis non fiat ejus diſtincta mentio.

243. *An per Trid. hoc impedimentum ſit penitùs ſublatum.*

Et hinc (ut veniamus ad 2. partem Concluſionis) Multi docent, per Concilium Trid. penitus ſublatum eſſe hoc impedimentum; nam loco mox citato poſt deſignatas perſonas, inter quas voluit contrahi ſpiritualem cognationem, concludit hiſce verbis: *Omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis.*

Affirmat Sanchez, & occurrit objectioni.

Et ſi dicas: intelligi (inquit Sanchez ſub. n. 12. ubi tenet hanc ſententiam tamquam veriorem) de cognatione ſpirituali, contracta per Baptiſmum vel Confirmationem: obſtat principium illius capitis, ubi dicit Concilium, ſe velle multitudinem prohibitionum reſtringere, ut incommoda vitentur, & ſtatim ſubjungit: *Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, & à cognationis ſpiritualis impedimento incipiens ſtatuit* &c. Ubi generaliter de cognatione ſpirituali loquitur: & ſtatim ſtatuit, inter quas perſonas contrahatur, & in fine concludit, inter nullas alias perſonas contrahi. Verè igitur intendit cognationis ſpiritualis impedimentum omninò auferre, præter caſus ibi expreſſos, inter quos Catechiſmus non numeratur.

244. *Confirmatur hæc doctrina ex*

Et confirmatur; quia Pius 5. motu proprio, edito an. 1566. 4. Kalend. Decembris, declarans prædictum Tridentini Decretum, ait, non eſſe

Motu proprio Pij 5.

esse recedendum à præcisis illius verbis. Cùm ergò Concilium generaliter dicat inter nullas alias personas contrahi eam cognationem, quàm ibi expressas, censendum est, cognationem Catechismi, cujus ibi mentio minimè fit, omninò sublatam esse.

Aliud arg. Sanchij pro sua sententia.

Tandem: quia cognatio hæc Catechismi primam originem trahit à Baptismo: ideò enim contrahitur, quòd sit initium quoddam & dispositio ad Baptismum. Quare sublatâ cognatione Baptismi, tollitur, licèt Catechismi non fiat mentio. Quod etiam n. 10. probavimus, eò quòd cognatio Baptismi sit illius mensura. Cùm igitur Tridentinum omninò abstulerit Cognationem Baptismi, præterquam inter tenentes in ipso Baptismo, censebitur ablata cognatio tenentium in Catechismo solo; quæ, si primam originem attendamus, à Baptismo procedit. Hucusque Sanchez pro sua sententia.

245. *Resp. ad hoc arg.*

Ego autem dubito, an sit verior, ut ipse eam appellat: quare conabor ejus argumentis satisfacere. Ad ultimum dico: Tridentinum non abstulisse simpliciter & absolutè cognationem Baptismi; sed tantùm eam restrinxisse ad certas personas; ac proinde nec simpliciter & absolutè cognationem Catechismi abstulisse; sed tantummodò eam restrinxisse ad certas personas. Nam cognatio hæc primam originem trahit à Baptismo; ergò eâ ratione, & non aliâ, quâ aufertur cognatio Baptismi, etiam aufertur cognatio Catechismi.

Subsumo: atqui Tridentinum non abstulit omninò cognationem Baptismi; ergò neque cognationem Catechismi; sed sicuti illam omninò abstulit, præterquam inter tenentes in ipso Baptismo, ut sup. loquitur Sanchez, sic itidem, & non aliter, hanc omninò abstulit, præterquàm inter tenentes in ipso Catechismo: veluti enim sub cognatione Baptismi, venit intelligenda cognatio Catechismi, tamquam ejus initium; pari quoque passu sub tenentibus in Baptismo, veniunt intelligendi tenentes in Catechismo; sicuti ergò inter tenentes in Baptismo, non est ablata cognatio Baptismi; ita inter tenentes in Catechismo, non est ablata cognatio Catechismi.

246. *Ex propterea recedamus à præcisis verbis Trid.*

Nec propterea recedimus à præcisis verbis prædicti Decreti Trident. quippè ut ipse Sanchez fatetur, loquitur Decretum generaliter de Cognatione spirituali, tam prout est impedimentum dirimens, quàm merè prohibens, id est, tam de cognatione perfecta, quàm imperfecta; ergò similiter loquitur generaliter tam de tenentibus in Baptismo, quàm in Catechismo. Exprimit quidem tenentes in Baptismo, & Confirmatione; sed hoc ideò; quia cognatio Baptismi, est mensura cognationis Catechismi; adeoque quod de tenentibus in Baptismo expresse statuit, vult etiam intelligi statuisse de tenentibus in Catechismo, quàmvis Catechismi non fiat expressa mentio.

247. *Quis recedat, ostenditur ex Bulla Pij 5.*

Rogas: quis ergò recedat à præcisis verbis illius Decreti? Accipe verba Pij 5. & confestim cognosces. Igitur in dicta Declaratione, quæ incipit: *Cùm illius vicem*, Bulla 14. apud Cherubinum, sic lego §. 1. *Sanè licèt ex eo, quòd in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantùm contrahi, qui suscipiunt baptizatum de Baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, in reliquis personis, quæ per antiquos Canones, occasione cognationis hujusmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur, adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus; an saltem impedimentum cognationis spiritualis hujusmodi, inter maritum vel uxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno conjuge de altero etiam prohibitum esse videatur.* Ecce dubium circà dictum Decretum Trid. Sequitur Declaratio ejusdem, estque §. 2.

248. *Declaratio dubij exorti circà Trid.*

Nos piarum mentium quieti, & Matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, a præcisis verbis Concily minime discedendum in præmissis censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum, ratione cognationis hujusmodi, subesse decernimus & declaramus, quo minus inter dictos maritum vel uxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, & quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium libere & licite contrahi possit, & ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus. Ità Pius 5.

Ubi nota illa verba: *A præcisis verbis Concilij minimè discedendum in præmissis esse censuimus.* In præmissis, inquam, & quæ ista? Nunquid Catechismus, vel tenentes in Catechismo? Liquet quòd non; sed maritus vel uxor suscipientis seu tenentis in Baptismo. Igitur qui asserit impedimentum Catechismi, à præcisis verbis Concilij minimè discedit; sed qui docet, maritum vel uxorem suscipientis contrahere impedimentum cognationis spiritualis. Igitur Declaratio illa Pij 5. parùm confirmat sententiam Sanchij.

Recedit à verbis, qui docet maritum suscipientis contrahere impedimentum

Sed nunquid efficaciter probatur ex principio illius capitis? Herculè Adversarij ex illo principio suam præcipuè probant opinionem; sic emm inquiunt: Intentio legis ex præfatione colligitur, per illamque tollitur incertitudo legis ac manifestatur ejus dispositio. Quòd si præfationem Decreti Tridentini sess. 24. de Matr. c. 2. attendamus, manifestè solam cognationem, dirimentem Matrimonium, restringere voluit, ut constat ex iis verbis: *Docet experientia propter multitudinē prohibitionū multotiès in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia: in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sinè magno scandalo dirimuntur.* Quæ rationes præfationis nullatenùs habent locum in cognatione spirituali solùm impedienti, qualis est Catechismi. Cùm enim Matrimonium validum sit, nec id dirimere oportet, nec in eo cum peccato perseveratur.

249. *Probatur per Trid. Catechismum non esse sublatum.*

Et confirmatur; quia in nullo ex capitibus sequentibus restringit Concilium impedimentū aliquod ex solùm impedientibus, sed tantùm affinitatis & publicæ honestatis, quæ dirimentia sunt.

250. *Confirmatur. 1.*

Secun-

Secundò

Secundò; quia Decretum hoc eſt juris communis correctorium: ac proinde cùm expreſsè non auferat hanc cognationem, ad illam extendi non debet; ſed tamquam caſus omiſſus relinqui debet juris communis diſpoſitioni. Hæc illi.

251. *Reſponſ. Sanchez.*

Reſpondet Sanchez ad primum: In procœmio de prohibitionum multitudine, non diſtinguens de dirimentibus, an ſolùm impedientibus, loquitur Tridentinum: Deinde in fine clarè omnem aliam cognationem excludit.

Nec refert: in ſequentibus minimè feciſſe mentionem impedimenti alicujus ſolùm impedientis. Quia fateor, nullum aliud tale reſtrinxiſſe; id tamen non concludit, hoc non reſtrictum eſſe. Hæc ille.

252. *An ſit aliqua ratio potiùs reſtringendi unam cognationem, quàm aliam.*

Fateor ego: Concilium potuiſſe unum reſtringere, & non aliud: ſed quæ cauſa, potiùs unum reſtringendi, quàm aliud? Quia, inquis, cum duo ſic ſe habent, quòd alterum eſt metiens, alterum menſum, lex corrigens vel limitans metiens, cenſetur corrigere vel limitare menſum. At conſtat, quòd cognatio ſpiritualis, quæ ex Baptiſmo oritur, metitur eam, quæ ex Catechiſmo naſcitur; ergò Concilium limitans illam, videtur hanc quoque limitaſſe.

Navarrus.

Reſpondeo: Majorem veram eſſe, quando (ut benè notat Navar: in Man. cap. 22. n. 72.) eadem ratio militat in utroque. Subſumo: atqui hìc non militat eadem ratio in utroque; ergò &c. Probatur Subſumptum ex ſtatim dictis; quippè ſi contrahitur ignoranter cum impedimento cognationis, ortæ ex Baptiſmo, vel non ſinè magno peccato perſeveratur in tali Matrimonio, vel non ſinè magno ſcandalo dirimitur, quæ, ut patet ex verbis Tridentini, ſup. adductis, fuit ratio reſtringendi impedimentum cognationis dirimens; illa autem ratio non militat in impedimento cognationis merè prohibente. Unde miror Navarrum ſup. dicto argumento voluiſſe probare reſtrictionem hujus impedimenti.

Videtur quòd ſic.

Atque hæc diverſitas rationis in uno, & alio impedimento, videtur ſufficiens fundamentum diſtinguendi, quàmvis Trident. explicitè non diſtinguat; quia ex ratione legis cognoſcitur ejus intentio.

253. *Trid. non clarè excludit omnem aliam cognationem.*

Sed neque in fine dicti cap. 2. Tridentinum clarè omnem aliam cognationem excludit; nam hìc eſt finis: *Ea quòque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiuſq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omninò ſublatis.* Ubi ly *Hujus* refertur, ut videri alicui poſſet, ad ſolam cognationem, quæ contrahitur ex Confirmatione.

Atque ut etiam deſignaret cognationem, quæ oritur ex Baptiſmo, adhuc non clarè per illa verba Concilium excludit omnem aliam cognationem; ſed tantùm cognationem ortam ex Baptiſmo & Confirmatione inter alias perſonas; adeoque ad ſummum ſequeretur, cognationem ortam ex Catechiſmo inter alias perſonas ſublatam eſſe, ſive reſtrictam eſſe, ut ſup. diximus, ad illas perſonas, ad quas ibi reſtringitur perfecta cognatio ſpiritualis.

Et ideò Pontius ſup. cap. 11. n. 3. ubi tenet ſententiam Sanchij, non contentus nudis verbis Concilij Tridentini, recurrit ad Declarationem Cardinalium, dicens: Et quia exiſtimare aliquis poſſet, Concilium ſolùm agere de impedimento cognationis ſpiritualis, provenienti ex Baptiſmo, quod vult non extendi ad alias perſonas, ſicut olim extendebatur, adeſt Declaratio Cardinalium, quæ Concilij ſenſum eſſe hunc, quem diximus, planè demonſtrat. 254. *Pontius probat ſententiam Sanchez ex Declar. Card.*

Sic enim habet apud Farinacium in cap. 2. ejuſdem ſeſſionis: *Qui in Eccleſia fuit præſens ci, qui domi vere fuit baptizatus: ſi deinde in Eccleſia fuerunt ſervatæ ſolemnitates, nullam cognationem ſpiritualem contraxit. Itaque committatur Ordinario, ut ſi legitimis probationibus compererit d. N. filium priùs fuiſſe baptizatum, declaret nullum inter N. ipſum, & dictum filium adeſſe impedimentum cognationis ſpiritualis.* Eſt etiam apud Rebellum ad idem cap. Tridentini n. 94. 255. *Prima Declaratio apud Farinacium. & Rebellum.*

Eſt etiam alia apud eumdem n. 88. quæ eſt etiam apud Farinacium: *Nulla cognatio ſpiritualis contrahitur, niſi inter perſonas, quæ nominantur in hoc Decreto.* Quare cenſendum jam hoc impedimentum ſublatum. Unde & ceſſat quæſtio; an ſit peccatum mortale contrahere cum hoc impedimento, vel veniale tantùm. Quibuſdam affirmantibus eſſe mortale, aliis verò negantibus. Ita Baſilius. *Alia Declar. apud eoſd.*

Sed ego non credo has Declarationes planè demonſtrare intentum, niſi aliquis planè mihi demonſtret, has Declarationes, & alias ſimiles, ſi quæ ſint, agere de impedimento cognationis ſpiritualis ortæ non tantùm ex Baptiſmo, ſed etiàm ex Catechiſmo. 256. *Auctor non credit eas Declar: planè monſtrare intentum.*

Demonſtro, inquis; quia prima Declaratio dicit: *Nullum impedimentum;* & ſecunda: *Nulla cognatio.* Adeſſet autem aliquod impedimentum, & contraheretur aliqua cognatio ſpiritualis, ſi adeſſet impedimentum imperfectæ cognationis, aut contraheretur imperfecta cognatio.

Reſpondeo: ly *Nullum*, & ly *Nulla*, tantùm negare totum id, de quo apud Congregationem Cardinalium erat mota quæſtio; demonſtretur ergò mihi, quòd quæſitum fuerit à Cardinalibus de impedimento cognationis imperfectæ, an hoc adeſſet, quando ſolæ ſolemnitates fuerunt ſervatæ in Eccleſia, & an aliqua cognatio imperfecta contrahatur inter perſonas, quæ non nominantur in hoc Decreto. Alioquì qui exiſtimant, Concilium ſolùm agere de impedimento cognationis ſpiritualis, provenienti ex Baptiſmo, etiam exiſtimabunt, illas Declarationes de hoc ſolo impedimento agere. Et ſanè apud Gallemart prima Declaratio ſubjungitur illis verbis Concilij: *Spiritualis cognatio contrahitur*, quæ planè intelliguntur de Cognatione orta ex Baptiſmo, ut patet ex toto contextu d. cap. 2. 257. *Quod oſtendit.*

Itaque, ut dicam, quod ſentio, haud clarè video, attentis nudis verbis Concilij Tridentini, impedimentum Catechiſmi eſſe omninò ſublatum. *Conſuetudo videtur ſuſtuliſſe hoc impedimentum.*

tum. Interim quod Tridentinum non sustulit, consuetudo videtur sustulisse, cùm non sit usus petendi dispensationem. Atque hic sit finis hujus controversiæ.

258. *An abrogatio hujus impedimenti benè probetur ex Rit. Rom.*

Tantùm addo, quod lego apud Aversam q. 10. sect. 3. in fine: In Rituali Romano, ubi describitur formula, quâ Parochus in libro Baptismorum annotare debeat singulos, qui baptizantur, & patrinos eorum, in Baptismo tenentes; tamen in casu, quo infans fuit anteà domi baptizatus, & posteà ab ipso in Ecclesia supplentur sacræ cæremoniæ, non dicitur, ut debeat adnotare patrinum ullum, vel in Catechismo tenentem. Hæc ille.

Describo ego verba Ritualis, ut Lector videat, an res ita se habeat. Itaque Tit. de Sacram. Baptismi §. *Ordo Baptismi parvulorum*, in fine sic ait Rituale: *Antequam infans ex Ecclesia asportetur, aut susceptores discedant, eorum nomina, & alia de administrato Baptismo ad præscriptam formam in Baptismali libro Parochus accuratè describat.* Quæ verba intelligi possent etiam de Susceptoribus in Catechismo, casu quo fuissent distincti à Susceptoribus in Baptismo.

259. *Videtur quòd non*

Deinde §. *Ordo supplendi omissa super baptizatum*, in principio statuitur: *Cùm urgente mortis periculo, vel aliâ cogente necessitate, sive parvulus, sive adultus, sacris precibus ac cæremoniis prætermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, & ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur: idemq; ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum (si fuerit parvulus) seu adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est. Excepto quòd interrogatio, an velit baptizari, formaque Baptismi, & ablutio prætermittuntur, & quædam Orationes & Exorcismi suo quique loco immutati, ut infrà, dicuntur.* Ubi, ut vides, non excipitur adnotatio patrini, vel in Catechismo tenentis. Quo ergò jure eam excipit Aversa?

260. *Expedit ut Parochus scribat, an aliqui sint patrini in solo Catechismo, ex Sanchez, Navar.*

Benè notat Sanchez sup. n. 13. expedire, ut Parochus describat in libro (quem habere debet ad describendum nomina patrinorum Baptismi, juxtà Tridentinum sess. 24. de Matr. c. 2.) an sint illi patrini in solo Catechismo: quòd puer sit jam domi baptizatus. Ita Navar. in Manu. c. 22. n. 40. & Alij. Et quàmvis hi non explicent, an Parochus ad hoc teneatur; at existimo, eum teneri. Quia Tridentinum, patrinorum nomina describi jubet, quo sciatur, qui cognationem spiritualem contrahant, nè Matrimonia iniquè contrahantur.

261. *An sit obligatio.*

At latissima est differentia, num in Baptismo tenuerint, an in solo Catechismo. Quòd priori casu sit impedimentum dirimens: posteriori autem ad summum impediens: & juxtà veriorem sententiam est nullum impedimentum; unde non fideliter id describeret Parochus, nisi annotaret solius Catechismi eos patrinos fuisse. Defraudaret enim Concilij intentionem, ansamque præberet dissolvendi Matrimonia validè cum eo solo impedimento inita (cujus testis sum oculatus in casu Granatæ contingenti) & tandem injurius foret ipsismet patrinis. Ita Sanchez. Et nos cum illo.

Atque hæc satis de Catechismo, de quo aliqui dubitant, an hodie adhuc obliget, attento solo jure Concilij Trid. & ideò latiùs de eo disputavimus. Sub brevitate autem transcurremus & cætera impedimenta merè prohibentia, quæ oriuntur ex crimine; quia licèt obligaverint aliquando, attamen jam diu ea consuetudo invaluit, ut affectus aliquo ex his impedimentis, minimè petitâ dispensatione, ineat Matrimonium.

262. *Impedimenta prohibentia, quæ oriuntur ex crimine, consuetudine abolita sunt, ex Sanchez.*

Quod inde constat (ait Sanchez sup. disp. 17. n. 8.) quippè DD. antiqui & neotherici, & sanè insignes, qui in diversis orbis partibus scripserunt, ac versati sunt, eam consuetudinem legitimè præscriptam esse testantur, conscijs ac connïventibus Prælatis; & præsertim Navarrus, qui varias Regiones, longè inter se dissitas, peragravit, ac centesimum vitæ suæ annum complevit, semper studijs intentissimè vacans, ac undique circà conscientiæ quæstiones consultus, & Romæ tandem diu moratus est, quò ex universis orbis partibus, dissolvendæ hæ quæstiones deferuntur: & tamen affirmat Sum. lat. cap. 22. n. 75. loquens de incestu, & n. 85. loquens de aliis impedimentis, se in tanta ætate, nec vidisse, nec audivisse peti dispensationem, & ita eam consuetudinem præscripsisse, ne dispensatio necessaria sit. Hæc Sanchez.

263. *Omnes ferè textus, inducentes hæc impedimenta, sunt ex Concil. Provinc.*

Adde: quod ibidem benè notat idem Auctor cum aliis, quos citat: cùm ferè omnes textus, hæc impedimenta inducentes, sint ex Conciliis provincialibus desumpti, quæ auctoritatem condendi legem universalem minimè habent, nil mirum esse, si jam nunc temporis non tanta habeatur eorum ratio: & fortè olim in usu fuisse quoad pœnitentiæ forum, ut Confessarij illas pœnitentias injungerent: eumque morem jam diuturnâ consuetudine abolitum esse. Ita Sanchez.

264. *Non solet pòti dispensatio super his impedimentis, ex Aversa.*

Et post ipsum Aversa q. 10. sect 5. §. *Et sanè*, dicens: De facto non apparet talia impedimenta esse in usu. Sed nec solet de iis peti dispensatio, nec Rei talium criminum, solent propterea ab ineundo conjugio abstinere. Et quidem poterant consuetudine abrogari: quia in iis abrogandis non obstat illa lex, quæ contrariam consuetudinem reprobabat; loquebatur enim tantùm de impedimentis dirimentibus.

Et præterea; in hac re benè sciunt ac vident Prælati & Pontifex ipse, non solere peti dispensationem super his impedimentis, & tamen non ea renovare, aut de eorum observatione soliciti esse curarunt: quare dici possunt de consensu ipsius Ecclesiæ abrogata esse.

265. *Quomodo olim accepta fuerint.*

Aut fortasse jam olim non aliter accepta sunt, nisi ut quando crimina essent publica, aut in judicio Ecclesiastico convicta, talis pœna pro eis imponeretur, ut delinquentes non admitterentur ad Matrimonium contrahendum. Unde etiam nunc possent Iudices Ecclesiastici ob hujusmodi crimina talem pœnam imponere, neque hoc sit abrogatum, si quando casus occurrat, & causa ad judicium Ecclesiæ deducatur. Hactenùs Aversa.

Idem-

Hodie non obligare docent Coninck, Pont. Diana, Dicaſt, Herinx.

Idemque præter antiquos, quos videre poteris apud Sanchez ſup. docent paſſim recentiores Coninck diſp. 30. dub. 3. n. 26. Pontius lib. 6. c. 14. n. 4. Diana part. 3. tract. 4. reſol. 259. Dicaſtillo diſp. 7. n. 735. Herinx diſp. 6. n. 22. Quia tamen Nonnulli dicunt, ea impedimenta adhuc extare & vim habere, ac ſub mortali teneri non contrahere cum illis, niſi diſpenſatione petitâ & abtentâ; hinc operæ pretium erit, paucis verbis crimina delineare, ex quibus oriuntur.

266. *Quis hic ſit inceſtus.*

Varia porrò ſunt, ut patet ex principio hujus diſputationis, & pleraque talia, ut cedant in injuriam ſeu præjudicium Matrimonij; & ideò conveniens & proportionata videbatur illa pœna. Primum eſt inceſtus, id eſt, copula carnalis ſcienter & voluntariè habita cum affine, id eſt, conſanguineâ ſuæ uxoris, aut conſanguineo ſui viri, aut cum illo, vel cum illa, cum quo vel cum qua intercedit publica honeſtas, quamdiù complex vivit: aut etiam, ut plures volunt, copula cum propriis conſanguineis, quàmvis & multi id negent, eò quòd hic inceſtus ſit potiùs injurioſus naturæ, quàm Matrimonio. Et quia in nullo Canone id definitum invenitur. Quod an verum ſit, ſtatim videbimus.

267. *An jus ſtatuat inceſtum impedimentum.*

Priùs interrogo: nunquid aliquo Canone invenitur definitum ſeu ſtatutum, copulam carnalem, ſcienter & voluntariè habitam cum affine, olim prohibuiſſe Matrimonium, defunctâ propriâ uxore, aut proprio viro, cum alia quacumque muliere, aut alio quocumque viro? En verba cap. 1. *De Eo qui cognovit* &c. *Si quis cum filiaſtra ſua* (id eſt, filia propriæ uxoris ex alio Matrimonio ſeu alio viro) *ſcienter fornicatus fuerit* (vel potiùs, adulterium commiſerit) *nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere poteſt uxorem: nec filiaſtra, nec ille ullo unquàm tempore alij ſe poterunt Matrimonio copulare.*

Primum jus.

Secundum.

Ubi Gloſſ. verb. *Filiaſtra*, alios adducit Canones ad idem propoſitum, in primis c. 19. 32. q. 7. ſequentis tenoris: *Quædam cum fratre viri ſui dormivit, decretum eſt, ut adulteri nunquam conjugio copulentur* (non ſolùm inter ſe, ſed etiam cum aliis) *illi verò, cujus uxor ſtuprata eſt, licita conjugia non negentur*, ſcilicet poſt mortem uxoris ſtupratæ.

268. *Tertium.*

Secundus Canon eſt 21. eâd. *Qui dormierit cum duabus ſororibus, & una ex illis anteà uxor fuerit, neutram ex ipſis habeat, nec ipſi adulteri unquam in conjugio copulentur.* Ubi Gloſſ. verb. *Neutram*, inquit: *Quia ipſe debitum non exiget ab ea* (quæ anteà uxor fuerit) *& ita non habet eam, ſed habetur. Nec diſtinguo an fuerit occultus inceſtus, an manifeſtus.*

Quartum.

Tertius Canon eſt 20. eâd. & ſic loquitur: *Si quis viduam uxorem duxerit, & poſteà cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu cum duabus ſororibus: aut ſi qua cum duobus fratribus, ſeu cum patre & filio, ſi quis relictam fratris, ſi quis neptem, aut novercam aut nurum, aut conſobrinam* (id eſt, filiam materteræ) *aut filiam avunculi, aut ejus relictam aut privignam polluerit, eos diſtungi, & ulteriùs nunquam in conjugio copulari præcipimus.* Qui textus, ut vides, non ſolùm loquitur de inceſtu viri cum conſanguinea ſuæ uxoris; ſed etiam de inceſtu fœminæ cum conſanguineo ſui viri, ibi: *Aut ſi qua cum duobus fratribus.*

269. *Perinde eſt, ſive vir cognoſcat conſanguineam uxoris, ſive uxor conſanguineum viri.*

Et quàmvis omnes textus toto Titulo *De Eo qui cognovit* &c. ubi id impedimentum ſtatuitur, de ſolo viro cognoſcente uxoris conſanguineam loquantur; equidem quia ſunt correlativa, & militat eadem prorſus ratio, ſcilicet injuria Matrimonij, propter affinitatem contractum, & utrumque frequentiſſimum eſt; hinc diſpoſitum in uno caſu, etiam in altero debet habere locum. Neque hoc impedimentum ſolum afficiebat ipſum virum vel mulierem, committentem inceſtum; ſed etiam conſanguineam vel conſanguineum, cum quo vel cum qua commiſſus erat inceſtus, ut patet ex d. cap. 1. *De Eo qui cognovit*, ibi: *Nec filiaſtra, nec ille* &c. Item cap. 24. 32. q. 7. *Si quis cum noverca ſua dormierit, neuter ad conjugium poteſt pervenire.* Eò quòd iniquè concurrerint ad injuriam irrogandam Matrimonio, contractâ affinitate inter conjuges, ex qua impeditur uſus Matrimonij.

Item, ſive uxor tempore inceſtus viveret, ſive non.

Perinde autem erat, ſive uxor tempore inceſtus viveret, ſive jam defuncta foret; arg. cap. 4. *De Eo qui cognovit. Traſmiſſæ nobis tuæ literæ demonſtrarunt, quòd G. uxore ſuâ defunctâ, filiam ejus, privignam videlicet propriam, copulâ carnali cognovit.* Et infrà: *Perpetuò ſine ſpe conjugij permanebit.*

270. *Extenditur ad inceſtum cum conſanguinea ejus, quam quis fornicariè cognovit, ex c. 9. 34. q. 2.*

Immò aliqui extendunt hoc impedimentum ad inceſtum, commiſſum cum perſona conſanguinea alterius perſonæ, quam quis copulâ fornicariâ cognoviſſet; quia etiam ex copula fornicaria contrahitur affinitas. Probant ex c. 9. 34. q. 2. *Si quis cum matre & filia fornicatus eſt, ignorante matre de filia, & filia de matre, ille nunquam accipiat uxorem; illæ verò ſi voluerint, accipiant maritos, ſi autem hoc ſcierint, ipſæ fœminæ abſque maritis perpetuò maneant.*

Item per cap. 8. eâd.

Item cap. 8. eâd. *Si quis cum duabus ſororibus fornicatus fuerit, & ſororem ſoror ab eodem anteà ſtupratam neſcierit, vel ſi ipſe ſororem ejus, quam antè ſtupraverat, non intellexerit, ſi dignè pœnituerint, & continere non valuerint, poſt annos ſeptem conjugia illis non negentur. Si autem non ignoraverint, uſque ad mortem à conjugio abſtineant.*

271. *Quomodò Aliqui exponant hos textus.*

Exponunt aliqui hos textus, ſi altera earum erat uxor; ſed perperàm, ut notat Sanchez lib. 7. diſp. 15. n. 7. quia uterque textus dicit, ſi cum utraque fornicatus fuerit; cum uxore autem nequit eſſe fornicatio.

Reſp. Sanchez ad poſteriorem textum.

Reſpondet autem hic Auctor ad poſteriorem textum: Id non eſſe definire, ut ſi ij juvenes non ſint, interdicatur illis Matrimonium: ſed ſolùm cauſam aſſignare, cur illi, volentes ad nuptias tranſire, prohibendi minimè ſint. Quare non ob id aliis adimitur ea facultas. Ita Sanchez ſup. n. 17.

Sed nec hæc expoſitio, meo judicio, multùm valet. Ut quid enim aſſignatur cauſa, ſi abſque eâ non adimitur facultas? Deinde; ea ſolùm eſt cauſa, quare admittendi ſint poſt annos ſeptem: ergò ſaltem antè annos ſeptem ſimpliciter erat

eis prohibitum Matrimonium.

272. *Propter priorem textum admittit Sanchez hanc doctrinam.* Quidquid sit de hoc textu; propter priorem admittit Sanchez sup. n. 7. incestum cum matre & filia impedire Matrimonium; sed quia hic est casus valde enormis & specialis, existimat id impedimentum non esse extendendum ad omnem incestum cum affinibus, ortâ affinitate ex fornicatione.

Aversa extendit hoc impedimentum ad copulam cum consanguinea uxoris antè Matr. consummationem. Sed quid si copula cum consanguinea uxoris habita fuerit antè consummatum Matrimonium? Impedire affirmat Aversa q. 10. sect. 5. §. *Sed extendebatur.* Quia licèt tunc non sit propriè incestus, cùm non adhuc esset contracta affinitas cum consanguineis conjugis, quæ affinitas non contrahitur, nisi per sequentem copulam cum ipso conjuge, tamen adhuc cedit in injuriam Matrimonij, eò quòd impediat deinceps petitionem debiti, & liberum usum conjugij.

273. *Colligit ex c. 6. De Eo qui cognovit.* Et ita colligitur ex cap. *Discretionem*, De Eo qui cognovit: *Sanè ex parte tua fuit propositum, quòd quidam cum muliere quadam, legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodum a se incognitam, cuidam consanguineo suo tradidit, in quantùm potuit renitentem. Ille verò cum ipsa, licèt invitâ, Matrimonij solemnia celebravit: sed mulier, quam citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulavit.* Et infrà: *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimum Matrimonium, inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine sua culpa privari.* Secùs ergò esset (inquit Sanchez sup. n. 6. ubi docet hanc sententiam) ubi volens cognita esset.

274. *Ratio hujus impedimenti, ex Sanchez.* Et quid mirum? Quippe ratio hujus impedimenti perpetui (inquit Sanchez ibidem) est affinitas, iniquè contracta cum uxore in Matrimonij injuriam, ejus usum impediens: quæ ratio similiter procedit, quando copula est antè consummationem. Unde nec alij Canones jam allegati distinguunt; sed incestuoso cum consanguineis conjugis, pari passu interdicunt Matrimonium in perpetuum, & petitionem debiti: sed incestuoso in casu proposito interdicta est, secundùm omnes, petitio debiti; ergò etiam Matrimonium in perpetuum.

275. *Quid dicendum de copula cum consanguineis sponsi aut sponsæ de futuro, ex eod.* Sed nunquid idem dicendum de copula cum consanguineis sponsæ vel sponsi de futuro? Sanchez sup. n. 5. docet 1. ex tali copula oriri impedimentum contrahendi Matrimonium. Probat ex cap. 2. De Eo qui cognovit, ibi: *Si matrem sponsæ suæ cognovit, & sponsa nunquam carnaliter adhæsit, imponenda est ei pœnitentia paulò major, quàm pro adulterio: quâ peractâ, vel parte ipsius, poterit ex dispensatione, cum alia Matrimonium contrahere.*

Quem textum intelligi de sponsa per verba de futuro, vel ex eo constat; si enim esset de præsenti, non posset cum alia contrahere ex dispensatione Episcopi (de ea enim dispensatione intelligitur, quia conceditur dispensatio, & non reservat sibi Pontifex) at quia solùm erat sponsa de futuro, & sponsalia jam soluta fuerant, ob affinitatem contractam cum sponsa, ortam ex copula cum ejus matre, datur facultas cum alia contrahendi, ex dispensatione tamen Episcopi. Hæc ille.

276. *Dubium est, an impediat.* Verùm enimverò quoniam intellectus d. textûs de sponsa per verba de futuro, satìs dubius est, ut videre poteris disp. præced. Sect. fin. Conclus. 8. circà finem, ideò & hæc doctrina prorsùs dubia est; & quia d. textum Pontius sup. c. 13. n. 5. existimat intelligendum de sponsa de præsenti, idcircò ipse docet, talem incestum non causare impedimentum: neque enim (inquit n. 11.) id illo jure cautum est, maximè cùm impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus, non sit ita antiquum impedimentum. Ita Basilius. *Pontius negat impedire.*

277. *Affirmat impedire copulam cum propriis consanguineis, contrà Sanchez. Probat ex c. 8. 35. q. 3.* Affirmat autem ibidem n. 10. hoc impedimentum incurri, si quis rem habeat cum propriis consanguineis. Privatur enim etiam spe conjugij cum aliis, ob admissi sceleris turpitudinem. Cujus oppositum, Multis citatis, docuit Tho. Sanchez disp. 15. cit. n. 16. At ego inducor in hanc sententiam, primò ex cap. *De incestis conjunctionibus*, ex Concil. Agathensi, 35. q. 3. *De incestis conjunctionibus nihil prorsùs veniæ reservamus, nisi cùm adulterium separatione sanaverint. Incestuosos verò nullo conjugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censemus esse, si quis relictam fratris (quæ penè priùs soror extiterat) carnali conjunctione polluerit, si quis frater germanam sororem acceperit* &c.

278. *Explicatur d. cap. ex Greg.* Quem quidem textum non esse accipiendum in sensum Sanchij & aliorum, putà, sola conjugia incestuosa ibi reprobari, nimirum cum consanguineis vel affinibus; sed in eum sensum, ut etiam reprobet conjugia eorum cum aliis, probat Pontius sup. ex Greg. lib. 12. Epist. 32. Inquit enim: *Neque eam, quam aliquis ex propria consanguinitate habuit conjugem, vel aliquâ illicitâ pollutione maculavit, in conjugium ducere, ulli profectò liceat Christianorum, vel licebit.*

In cujus confirmationem adducitur textus ex Concil. Agathensi: nam sequitur: *Quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo conjugii nomine deputandos, à SS. PP. dudum statutum esse legimus.* Ubi Greg. respicit procul dubio ad Canonem Agathensem, in quo eadem verba reperiuntur. Et nota, quòd non dicat Greg. Ulli ex consanguinitate, sed: *Ulli Christianorum.*

279. *Occurritur objectioni.* Nec te moveat (inquit Pontius sup. n. 3.) quod in fine Canonis Agathensis dicitur: *Sanè quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugij libertatem.* Intellige enim, si crimen incestûs non commiserint, aut ex indulgentia concessum est, juxtà Gloss. ibi verb. *Habebunt*, ubi ait: *Ante incestum de jure communi, vel post, si adolescentes sunt, vel etiam senes incontinentes ex dispensatione*, 33. q. 2. *In adolescentia.*

Probatur hæc sententia ex stylo Curiæ. Alij prætereà textus solent adduci pro hac sententia, quos brevitatis ergò omitto. Profertur etiam stylus Curiæ, quæ dùm dispensat cum consanguineis incestûs inter se reis, ut ineant Matrimonium, addere solet hanc clausulam, ut

altero

altero eorum defuncto, ſuperſtes non contrahat aliud Matrimonium. Ergò cenſet eum inceſtum eſſe impedimentum.

280. *Reſponſ. Sanchij.* Reſpondet Sanchez ſup. n. 17. Neg. Conſequentiam: ſed Pontifex (inquit) concedens eam diſpenſationem, id gravamen illis imponit, ut homines ab inceſtu cohibeantur. Quamobrem iis, quibus impoſitum fuerit, tenebuntur eo impedimento, virtute ejus ſolius præcepti Pontificij. Hæc ille. Alioqui adhuc impedimentum inceſtûs vigeret, cùm tamen communi conſenſu, ut ſup. vidimus, conſuetudine abolitum ſit.

281. *Arg pro ſententia Pontij.* Reſtat adhuc unum argumentum pro ſententia Pontij, nempè: inceſtus cum affinibus, nullo ſubſiſtente Matrimonio, eſt impedimentum, ut ſup. dictum eſt. Cur ergò id negandum erit de inceſtu cum conſanguineis, qui pejor eſt? Et ex neutro producitur affinitas cum conjuge.

Solvitur à Sanchio. Reſpondet Sanchez ſup. non omnem inceſtum cum affinibus id impedimentum præſtare: ſed eum ſolùm, qui eſt cum matre & filia ob enormitatem criminis. Et quia eſt textus expreſſus id diſponens, qualis non invenitur in inceſtu cum conſanguineis. Hæc ille.

282. *Solutio impugnatur, ex Pontio, qui putat omnem inceſtum cum affinibus eſſe impedimentum.* Sed contrà: Pontius contendit, quòd etiam ſit textus expreſſus id diſponens in inceſtu cum conſanguineis, ut ſup. vidimus. Et præterea docet, omnem inceſtum cum affinibus id impedimentum præſtare. ſup. n. 7. ubi ſic ait: Tertiò obſervandum eſt, hoc impedimentum contrahi ex inceſtu, commiſſo conſtante Matrimonio, ſive ſine Matrimonio. Itaque qui cum conſanguinea uxoris defunctæ rem habet, ſive per copulam fornicariam eam agnoverit, quam pater, aut filius, aut frater etiam agnovit fornicariè, crimen inceſtûs committit, & impedimentum provenit.

283. *Colligitur ex jure.* Primùm conſtat ex cap. *Tranſmiſſæ*, De Eo qui cognovit. Secundùm verò manifestè conſtat ex can. 43. & 44. Triburienſis Concilij. Nam in primo expreſsè ſermo eſt de patre, & filio, aut duobus fratribus, cum eadem fœmina fornicantibus. In ſecundo de quodam cum aliqua fœmina fornicanti, quam poſteà ejus frater duxit in Matrimonium, & primo ex diſpenſatione conceditur Matrimonium: ergò impeditus erat, ſiquidem ex diſpenſatione contrahit. Hæc ille. Aliaque plura ad idem propoſitum ibi invenies.

Et dato, quòd non omnis inceſtus cum affinibus, nullo ſubſiſtente Matrimonio, foret impedimentum, ſed tantùm cum matre & filia; cur id negandum erit de inceſtu cum conſanguineis, matre & filia, patre & filio?

284. *Sententia Pontij eſt probabilis.* Igitur ſententia Pontij valdè probabilis eſt, etiam teſte Sanchez ſup. n. 15. pluribus pro ea relatis Auctoribus. Quàmvis ipſe n. 16. oppoſitam reputet probabiliorem. Quòd hoc ſit pœna, & proinde perſtringendum: textus autem, qui id impedimentum ſtatuunt, non loquuntur expreſsè de inceſtu cum conſanguineis propriis. Deinde: quòd licèt hic inceſtus ſit in ſe gravior; at non ita offendit Matrimonium, cùm ex illo non pullulet affinitas, nec impedimentum Matrimonij uſûs. Ita Sanchez.

Rationes ſententiæ oppoſitæ ex Sanchez.

An ſit probabilior. Sed ego non poſſum judicare, quòd propter has rationes id ſit probabilius; tum quia jam textum allegavimus, qui loquitur de conſanguineis propriis: tum etiam, quia mox oſtendimus, inceſtum, ex quo non pullulat affinitas, nec impedimentum Matrimonij uſûs, verè tamen impedire.

285. *Vtrùm inceſtus occultus fuerit olim impedimentum? affirmat Sanchez.* Rogat aliquis: utrùm inceſtus, qui olim erat impedimentum Matrimonij, intelligatur etiam occultus? Affirmat Sanchez. ſup. n. 13. Quòd nullo jure contrarium probari videat. Præterea inquit, cùm inceſtus ſit ejus naturæ, ut ſemper occultè committatur, rarus eſſet locus huic impedimento.

Et ita ſuſtinet Gloſſ. c. *Qui dormierit*, 32. q. 7. verb. *Neutram*, ibi: *Nec diſtinguo, an fuerit occultus inceſtus, an manifeſtus, ut extra, De Eo qui cognovit, diſcretionem*, in fine, ibi: *Quamquam à quodam Prædeceſſore noſtro* (ſcilicet Alex.) *dicatur in ſimili caſu fuiſſe diſtinctum, utrùm inceſtus, vel adulterium manifeſtum fuerit, an occultum.* Ubi Innoc. 3. illam diſtinctionem rejicit.

286. *Negat Pontius.* Interim oppoſitum docet Pontius ſup. n. 9. dicens: Quintò obſervandum eſt, hoc impedimentum non incurri, niſi crimen inceſtûs ſit publicum, & quod in judicio probari poſſit; licèt de eo nulla lis vel controverſia mota ſit, cujus contrarium docet immeritò Tho. Sanchez diſp. 15. cit. n. 13. contrà manifeſtas Pontificum deciſiones, quas accipe.

287. *Probat ex deciſione Alex. 3.* Alexander 3. in Appendice ad Concil. Later. part. 12. c. 1. hæc habet: *Si quis Parochianorum tuorum, matrem fortè, vel ſororem, vel filiam uxoris ſuæ carnaliter cognoverit, & hoc publicum & manifeſtum fuerit, ab ea penitùs eſt ſeparandus, & uterque illorum, ſcilicet tam mœchus quam mœcha, debet ſine ſpe conjugij perpetuò permanere. Si autem hoc ſecretum & occultum fuerit, pœnitentiam de commiſſo debet accipere, & uxori ſuæ intrà tempus pœnitentiæ, vel extrà, debitum, ſi exegerit, ſolvere.*

Et in eadem parte c. 5. ibi: *Si publicum & notorium fuerit, & eam, quam priùs cognovit uxoris ſuæ conſobrinam eſſe conſtiterit, aut aliy comparēt, qui hoc velint vel poſſint legitimè comprobare, ipſum Religionē intrare commoneas & inducas. Si autem eum ad hoc inducere non poteris, ei de tanto delicto dignam pœnitentiam imponas, & ipſum ab utraque muliere removeas, & ſine conjugio perpetuò manere præcipias. Quòd ſi delictum ejus occultum eſſe recognoſcis, ipſum cum uxore, quam in facie Eccleſiæ duxit, morari permittas, & eidem de commiſſo condignam pœnitentiam imponas.* Ut ergò privetur ſpe conjugij, ob inceſtum commiſſum, requiritur quòd crimen ſit publicum & manifeſtum, licèt neceſſarium non ſit, ut judicis ſententia præcedat. Hæc ille.

288. *Reſpond. ad jus ex adverſo adductum.* Nec obſtat d. cap. *Diſcretionem*, in quo Innoc. 3. videtur rejicere illam diſtinctionem Alex. quia ſolùm loquitur de ſeparatione à propria uxore, quæ non extitit particeps culpæ, ibi: *Sed nec affinitas, quæ poſt contractum legitimè Matrimonium inter virum & uxorem inique contrahitur,*

tur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non extitit, cùm suo jure non debeat sine sua culpa privari: quamquam &c. ut sup.

Et in Ordine ad hanc separationem, Innoc. non admittit distinctionem inter incestum seu adulterium publicum, & occultum; sed docet, etiam dum adulterium est publicum, legitimam uxorem, quæ culpæ particeps non extitit, nullatenùs esse separandam contrà propriam voluntatem. An autem mœchus debeat perpetuò carere spe alterius conjugij, etiam propriâ uxore defunctâ, ibi non disputat Innoc. Igitur attentis verbis Alex. 3. oportet incestum esse publicum.

289. *Item ad aliam probationem Sanchij.*

Nec ideò rarus erit locus huic impedimento; quia licèt incestus semper occultè committatur; tamen videmus non rarò fieri manifestum, imò ad judicium deferri. Cùmque pœnæ potiùs sint restringendæ, quàm ampliandæ; quid ni in dubio hæc pœna restringi debeat ad crimen publicum?

Requiritur incestus scienter & voluntariè commissus.

Et quoniam pœna non solet infligi, nisi propter culpam, si contingat, vel ex defectu scientiæ, vel ex defectu voluntatis, incestum excusari a culpa, etiam excusabitur ab hac pœna, quæ, ut patet ex juribus allegatis, non infligitur, nisi scienti & volenti: scienti cap. 1. de Eo qui cognovit: ibi: *scienter fornicatus fuerit*; volenti autem cap. 6. eod. ibi: *Ille verò cum ipsa licet invita* &c. Igitur requiritur ad hoc impedimentum incestus scienter & voluntariè commissus.

290. *Idq; in primo gradu vel secundo, juxtà Pontium.*

De cætero observandum est (inquit Basilius sup. n. 8.) hoc impedimentum incestûs non oriri ex conjunctione cum qualibet consanguinea uxoris, vel viri; sed tantùm cum ea, quæ esset in primo vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quàm rectæ. Quare, si ea fœmina est in tertio gradu, non oritur ex eo incestu ejusmodi impedimentum. Quod ita planè asseritur à Pontificibus & Concilijs, ut valde mirer, nonnullos Doctores aliter sensisse.

Probat ex jure.

Et in primis satis magno argumento esse deberet, quòd in omnibus Canonibus, in quibus de hoc impedimento sermo est, nunquam ponitur exemplum ultrà secundum gradum; sed tantùm commemoratur filiastra, consobrina, nurus, pater, filius, frater, soror. Sed quid egemus conjecturâ?

291. *Item ex Alex. 3.*

Alex. 3. in Append. Lateran. part. 6. c. 15. hæc habet: *Cùm quidam repudiatâ uxore legitimâ, aliam consanguineam ejus cognovisset, uxor virum repetit, ille Matrimonium negat, & secundæ copulam confitetur, Matrimonium tamen cum prima probabatur; Pontifex consulitur, qui respondet. Si prima mulier & secunda se vel primâ vel secundâ lineâ contingunt, tu virum facias utráque, omni contradictione & appellatione cessante, carere, & sinè spe conjugij perpetuò manere. Si verò eas in tertio gradu solummodò, vel suprà sese contingere constiterit, tu ipsum compellas a secunda recedere, & de commisso, Pœnitentiâ sibi condignâ impositâ, eum, priorem, sicut uxorem suam recipere, & maritali de cætero affectione tractare constringas.* Hæc ibi.

Et parte 12. c. 1. in fine ita inquit: *Sanè si aliquam uxoris suæ consanguineam, quæ illi in tertio gradu, vel deinceps contingat, carnali commixtione cognoverit, non est propter id divortium inter eos celebrandum; sed delinquenti est, secundùm qualitatem personæ & criminis, pœnitentia imponenda.*

Non ergò rectè Tho. Sanchez lib. 7. disp. 15. n. 4. dicit, per Tridentinum restrictum esse hoc impedimentum ad duos gradus, & jure antiquo conjugem, committentem incestum, cum consanguineis alterius intrà quartum gradum, teneri hoc impedimento, cùm contrarium ex citatis Canonibus constet apertissimè. Usque-adhuc Pontius. 292. *Redarguitur Sanch. oppositum asserens.*

Consonat Aversa q. 10. sect. 5. §. *Ceterùm*, ibi: Verùm etiam in ipso jure antiquo non arcebatur à Matrimonio, & à petendo debito à suo conjuge, nisi qui incestum commisisset cum persona conjugis consanguinea in primo, vel secundo gradu: de iis enim tantùm Canones loquebantur, & expresè id declaravit Alex. 3. in Append. Concil. Lateran. part. 6. c. 15. & part. 12. c. 1. *Pontium sequitur Aversa.*

Et si incestus fuerat cum consanguinea alterius mulieris, cognitæ per fornicationem, non arcebatur incestuosus ab alio Matrimonio, nisi hæc erat consanguinea in primo gradu cum muliere, cognitâ per fornicationem; in hoc enim tantùm casu loquebantur Canones sup. pro hac parte adducti. 293. *Qui etiam docet, aliquo casu fuisse necessarium 1. gradum.*

Ac demum si quis carnalem copulam habuisset cum consanguinea suæ sponsæ, pariter non arcebatur ab alio Matrimonio, nisi quando hæc erat consanguinea sponsæ in primo gradu rectæ lineæ; in hoc enim tantùm casu loquebatur ille textus. Ita Aversa.

Sed contrà facit: quòd olim intrà 4. gradum affinitas fuerit impedimentum dirimens Matrimonium, & copula cum affine intrà illum gradum, verus incestus, prohibens petitionem debiti. Porrò hæc prohibitio videtur pari passu currere cum hoc impedimento, de qua doctrina alibi redibit sermo. Hæc dicta sufficiant pro præsenti loco, relictâ utrique sententiæ suâ probabilitate. *Argumentum contrà.*

Et sic procedo ad secundum impedimentum, quod oritur ex raptu sponsatæ, qui est, violenta traductio alienæ sponsæ de uno loco ad alium, causâ libidinis; arg. cap. 34. 27. q. 2. *Statutum est à sacro conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ mulctetur, & sine spe conjugij maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negetur.* Optima ratio est: quòd qui alienum Matrimonium perturbare ausus est, jure proprij contrahendi meritò privetur. 294. *Quid sit raptus sponsæ.*

Sed quæ hic sponsa? Sponsam intelligunt (inquit Aversa sup. §. *Secundum crimen*) solummodò de præsenti, id est, veram conjugem sive consummato, sive saltem rato Matrimonio. Sanchez disp. 12. n. 45. Coninck disp. 30. n. 25. Pontius c. 14. n. 3. Sed sive de præsenti, sive de futuro intelligunt Rebellus lib. 3. q. 18. §. de Raptu, Bonacin. q. 3. punct. 14. n. 13. & alij. 295. *Quæ hic sponsata. Aliqui de præsenti tantùm; Alij etiam de futuro intelligunt.*

Probatur hac opinio. alij. Videturque magis conſonum textui. Et concurrit ratio, quia per hoc perturbatur alienum Matrimonium contrahendum. Hæc ille.

Et ita ſuſtinet Gloſſ. ibi verb. *Rapuerit*, dicens: *Id eſt, violenter corruperit. Si hoc intelligas de ſponſa de præſenti, dic*: Alij, *ſcilicèt ſponſo, qui eſt alius à raptore, & ſecundùm hoc dicit*, Nubendi, *id eſt, carnaliter commiſcendi. Si autem legas de ſponſa de futuro, dicas*, Alij, *ſcilicèt à ſponſo & raptore: nam cum raptore non debet contrahere in odium rapinæ: ſi tamen contrahit, tenet Matrimonium, arg. extrà de Bapt. Accedens.*

296. Ejuſdem opinionis videntur eſſe Hugo ibi, ac Archidiaconus ſtatim in principio, Bellamera n. unico, & Turrec. n. unico. At Paludanus 4. diſt. 34. q. 1. ar. 2. n. 13. explicans hoc impedimentum, ait: Raptus, ſcilicèt uxoris alienæ. Et ratio (inquit Sanchez) hujus impedimenti, relati n. 43. ex Soto 4. diſt. 37. q. un. a. 1. (putà quòd qui alienum Matrimonium perturbare auſus eſt, jure proprii contrahendi meritò privetur: ut in quo deliquit, puniatur) videtur perſuadere ſolùm intelligi de raptu alienæ ſponſæ de præſenti, & id mihi placet. Durum enim eſt in re pœnali & odioſa, nomine ſponſæ comprehendi eam, quæ per ſola verba de futuro deſponſata eſt. Sic ille.

Probatio prioris ſententiæ, ex Sanchez.

297. Et quoniam res dubia eſt ac obſcura, id etiam mihi magis placet, juxtà Reg. 30. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* & 49. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, de Reg. juris in 6. Et Reg. 15. eod. dicit: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Accedat; quòd probabile ſit, fornicationem ſponſæ de futuro non habere ſpecialem malitiam in confeſſione explicandam. Ergò raptus hujuſmodi ſponſæ, eâ conſentiente, non videtur dignus tantâ pœnâ, ſaltem in illa ſententia, quam propugnavimus Diſp. præced. Sect. 1. Concluſ. 17. Et communi calculo graviùs peccat raptor ſponſæ de præſenti, utpotè perturbans Matrimonium jam contractum; cùm raptor ſponſæ de futuro ſolùm Matrimonium contrahendum perturbet, atque adeò potiùs ſponſalibus, quàm Matrimonio injuriam irroget: at verò raptor ſponſæ de præſenti veram injuriam irrogat Matrimonio, etiam dum rapta conſentit.

Auctor approbat hanc ſententiam, per diverſas Reg. juris.

Item per rationem.

298. Perinde autem eſt, ſive ſponſa illa de præſenti ſit virgo, ſive corrupta, & ſive Matrimonium ſit conſummatum, ſive tantùm ratum; cùm jus non diſtinguat, & in utroque caſu injuria irrogetur Matrimonio.

Perinde eſt ſive ſponſa ſit virgo, ſive corrupta.

Sed nunquid requiritur copula ſubſecuta cum ſponſa rapta? Affirmat Sanchez ſup. n. 46. Quòd alio modo non ſit delictum plenè conſummatum, & injuria plenè Matrimonio irrogata. Et quàmvis n. 18, ad pœnas juris civilis raptoribus decretas incurrendas, diſtinxerim, an copula habita non ſit ex voluntatis mutatione, an ex impotentia: at ad impedimentum hoc Matrimonij, eâ non ſervatâ diſtinctione, exiſtimo copulam omninò deſiderari, quia mitiùs procedit jus canonicum: & in materia favorabili, qualis eſt Matrimonium, impedimenta ejus valde reſtringenda ſunt. Hæc ille.

An requiratur ſubſecuta copula. Affirmat Sanchez, & probat.

Aſt, reponit quiſpiam, non ultra naturalem & civilem proprietatem verborum, niſi ad abſurdum evitandum. Igitur oportet oſtendere, ubi in jure ly *Rapuerit*, quo utitur d. cap. *Statutum*, ſignificet raptum ſubſecutâ copulâ. Nam Averſa, qui videtur adhærere ſententiæ contrariæ, ait: Requirit quòque Sanchez n. 46. copulam ſubſecutam cum ſponſa rapta. Sed id non requiritur in textu. Ita Averſa.

299. *Impugnatur probatio. Oppoſitum docet Averſa.*

Reſpondetur: id requiritur in textu, ſi Gloſſæ ſup. credimus, ubi ly *Raperit*, interpretatur: *Id eſt, violenter corruperit.* Et certum eſt, quòd major fiat injuria Matrimonio per raptum ſubſecutâ copulâ.

300. *Vbi ly Rapuerit importet copulam.*

Et conſimiliter major irrogatur injuria Matrimonio, ſi raptus fiat utroque ſponſo renitente, quàm ſi alter ſolùm diſſentiat, ſive vir, ſive mulier; & ideò tunc, ſecundùm Omnes, incurritur hoc impedimentum. Sin autem ſolus ſponſus reſiſtat, ſponsâ conſentiente, & hoc videtur ſufficere; quia irrogatur injuria tum ſponſo, tum Matrimonio: imò ipſa quoque ligabitur eodem impedimento, ne ſoluto eo Matrimonio poſſit alteri nubere.

Sed quid ſi ſola ſponſa reſiſtat, ſponſo conſentiente aut ignorante? reſpondet Sanchez ſup. n. 48. non eſſe locum huic impedimento. Quia, inquit, raptus hic attenditur reſpectu violentiæ illatæ viro.

301. *An ſufficiat reſiſtentia ſolius ſponſæ? Negat Sanchez.*

Sed hoc eſt quod quæritur, & probatum oportuit, non ſuppoſitum. Probatur, inquis; quia ſi vir conſentiat, ceſſat perfecta injuria Matrimonij.

Planè, ſi perfectam injuriam voces, quando utroque reſiſtit. Sed nunquid etiam in tali ſenſu ceſſat perfecta injuria, quando ſola ſponſa reſiſtit? Nonne major injuria irrogatur Matrimonio, quando utroque reſiſtit, quàm dum ſolus ſponſus? An fortè ſponſus majus jus habet ex Matrimonio, quàm ſponſa? Ideò Averſa ſup. tenet ſufficere reſiſtentiam ſolius ſponſæ, quia ſic ei fit violentia, & alieno Matrimonio injuria.

Affirmat Averſa.

Quod & mihi videtur probabiliùs, & docet etiam Herinx diſp. 6. n. 19. dicens: Secundum (impedimentum) raptus ſponſæ alienæ, ipsâ vel ſponſo invito. Et exiſtimat conformiùs textui c. *Statutum*, 27. q. 2. ſi intelligatur etiam ſponſa de futuro; in qua, inquit, ſimiliter concurrit ratio prætacta (putà, quia dignus eſt arceri à quovis Matrimonio, qui alienum perturbat) immò in textu citato eſt ſpecialiter ſermo de ſponſa de futuro. Hæc ille.

302. *Item Herinx.*

Ego autem ſuperiùs oſtendi, magnam eſſe diſſimilitudinem; neque video, quòd in textu citato ſit ſpecialiter ſermo de ſponſa de futuro. Et ideò in hac parte ab eo recedimus.

Sed quid ſi uterque ſponſus conſentiat? Exiſtimat Sanchez ſup. n. 47. non eſſe locum huic impedimento. Quia injuria perfecta Matrimonij punitur, qualis non eſt, ubi utroque ſponſus conſentit: nec ille verè eſt raptus, cùm nulli vis inferatur, quàmvis ſit verum adulterium, propter bonum fidei Matrimonij violatum, cui

303. *Quid ſi uterque ſponſus conſentiat.*

neuter conjux renuntiare potest. Hæc ille. Quem sequitur Aversa sup.

Ast meo judicio, vel hic non est casus, de quo quæritur, ut significat Sanchez dicens, non esse verè raptum: vel si verus raptus est, quia mulier violenter traducta est de loco ad locum causâ explendæ libidinis, etsi postea consentiat, videtur raptor non effugere hoc impedimentum, si sententia Aversæ vera est, scilicet quòd non requiratur subsequens copula. Jam enim antè consensum mulieris posita fuit tota malitia & injuria, propter quam impedimentum hoc inductum fuit.

304. *Quid si fœmina rapiat alienum sponsum.* Cæterùm, an hoc impedimentum incurrat fœmina, si rapiat alienum sponsum, eodem modo decidendum est, sicut de raptu dirimente Matrimonium inter personam rapientem & raptam, de quo agemus posteà inter impedimenta dirimentia, ubi & alia plura de ratione hujus raptûs dicenda erunt.

305. *Olim occisio propriæ uxoris erat impedimentum. Probatur ex cap. 5. 33 q. 2.* Impræsentiarùm sequitur tertium crimen, ex quo olim oriebatur impedimentum merè prohibens Matrimonium, estque *Mors mulieris*, id est, occisio propriæ uxoris ex ira, odio, vindicta, aut simili causa. Et habetur cap. 5. 33. q. 2. quod est Nicolai Pontificis: *Interfectores suarum conjugum sine judicio, cùm non addis, adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt, quam homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? Quibus penitùs conjugium denegatur, exceptis adolescentibus* &c.

Item c. 7. & 8. cad. Item cap. 7. cad. quod est Pij 5. *Quicumque propriam uxorem absque lege, vel sine causa & certa probatione interfecerit, aliamq; duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiam.* Et cap. 8. cad. *Admonere te cum lacrymis & multo gemitu cordis curamus fili Hastulphe: sed non filius debes dici, qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo Matrimonio tibi sociatam sine causa mortis* &c. Et infrà: *Vxorem nunquam ducere, concubinam non habere, nec adulterium committere audeas.*

306. *Auctoritate judicis occidens eximitur ab hac pœna.* Sanchez. Porrò ex d. cap. 7. colligitur, ab hac pœna eximi, qui auctoritate Judicis, ex prævia probatione, & condemnatione, uxorem necaret. Et quid mirum? Quippè tunc is non peccaret; jam autem jus Canonicum punit culpam uxoricidij. Unde non oportet, ut jus Canonicum tradat adulteram viro enecandam; sed satis est id jure civili disponi, non contradicente (ut verè non contradicit) Canonico. Ita Sanchez sup. disp. 16. n. 4.

Quoniam autem jus Canonicum contradicit civili, permittenti marito, uxorem in adulterio deprehensam propriâ auctoritate impunè occidere; hinc sicuti peccat occidendo, ita quòque subjicitur huic impedimento.

307. *Tripliciter potest quis occidere uxorem, ex Doct. Seraph.* *Occidere uxorem* (inquit Doct. Seraphic. 4. dist. 37. a. 2. q. 3. in corp.) *potest quis tripliciter. Aut persequendo culpam, aut persequendo naturam, aut persequendo Matrimonium. Persequendo culpam, ut cum in fornicationis crimine deprehendit, & adeò detestatur, quòd in ultionẽ criminis mortem infligit. Persequendo naturam, ut si mulier propter defectum aliquem, quem habet in se, non habet gratiam viri: unde vir eam exosam habens & gravem, propter istam detestationem, & odij intensionem, furore accensus, ipsam perimit. Persequendo Matrimonium, ut quando mœchatur cum aliqua, quam vult ducere in uxorem, & non potest nisi uxore mortuâ, & ideò ipsam interficit. Primum est grave peccatum propter excessum. Secundum est gravius. Tertium est gravissimum. In quolibet horum prohibetur à Matrimonio contrahendo, sed magis in secundo, & maximè in tertio.* Hæc ille.

De tertio hic non agimus, acturi ubi de impedimento criminis dirimente. De primo & secundo hic est quæstio, &, ut vides, sententiam nostram antè nos docuit D. Bonaventura; à qua proinde non judico recedendum, quidquid Aliqui reclament; eò quòd jus civile uxoricidium, persequendo culpam, impunè permittat: id enim intelligendum venit, quoad pœnas civiles: at ne impediat Matrimonium, non reperitur textus id permittens. 308. *An quilibet modus causet impedimentum.*

Sed quæ ratio hujus impedimenti? Quia in quo quis peccat, in eo torquendus est, sed iste peccat contrà proprium Matrimonium occidendo uxorem, ergò &c. *Quæ ratio hujus impedimenti.*

Ex quo patet, quare non impediatur, qui occidit uxorem alienam; quia licèt hic offendat Matrimonium, non tamen in se, sive proprium Matrimonium; sed in alio tantùm, id est, Matrimonium alienum; & ideò in proprio Matrimonio non debuit puniri. *Quare non impediatur, qui occidit uxorem alienam.*

Dices: qui occidit adulteram, potiùs stat pro Matrimonio, quàm illud offendat; ergò non debuit puniri. 309. *Objectio.*

Respondeo: talis reverà non stat pro Matrimonio, cùm illud à parte rei solvat, mortaliter peccando. Quòd autem hoc faciat ex Zelo, propter violatam fidem Matrimonij, non excusat à toto, sed à tanto; & ideò faciliùs cum eo dispensatur. Et sanè uxoricidium magis repugnare Matrimonio, quàm adulterium, ex eo constat; quòd uxoricidium perimat subjectum Matrimonij, & idcircò est contrà substantiam Matrimonij; adulterium autem solùm est contrà bonum fidei, cum quo proinde stare potest substantia Matrimonij. *Solvitur.*

Si dixeris: omne peccatum potest deleri per pœnitentiam; si ergò pœna ista est ratione peccati, ut dictum est, & hæc pœna potest esse occasio peccati, maximè juveni, qui habet incentivum libidinis: ergò videtur, quòd non possit impediri Matrimonium, saltem pœnitentiâ factâ. 310. *Alia Objectio.*

Respondet D. Bonaventura sup. n. 32. *Quòd enormitas non ita citò deletur, immo in pœnam manet diutiùs, sicut* patet *in irregularitate.* Sufficit ergò; quòd post pœnitentiam possit cum eo dispensari, quando reverà foret occasio peccati, propter incentivum libidinis. *Resp. D. Bonav.*

311. *An mulier occidens prò prium virum impediatur.* Rogat aliquis; an quæ viri occidentis uxorem propriam, eadem sit obligatio mulieris occidentis virum proprium, ut & ipsa ex viricidio impediatur ab alio Matrimonio?

Videri posset, quòd sic, & multi probabiliter id affirmant; tum ex peritate juris, & exemplo impe- *Probatur sententia affirmans.*

Probatur sententia affirmans.

impedimenti dirimentis ; tum ex uniformitate rationum, quæ assignantur in Canone : *Admonere*, 33. q. 2. ibi : *Occidisti uxorem tuam, partem corporis tui, legitimo Matrimonio tibi sociatam, filios tuos orphanos fecisti.* Tum denique, ex correlatione inter virum & uxorem ; nam in correlativis dispositum in uno, censetur in alio dispositum, ubi eadem militat ratio, prout hìc militat. Imò major videtur esse ratio de fœmina ; quippe gravius est delictum, si uxor virum interficiat, cui tamquam capiti debet reverentiam & subjectionem.

312. *Negatur, & tenet Sanchez, & probat.*

Oppositum nihilominùs tamquam veriùs docet Sanchez sup. n. 6. Quòd textus juris Canonici, hoc impedimentum statuentes, de solo uxoricidio loquantur : nec sit eadem ratio de viricidio : quia viricidium est rarissimum, & uxores non sunt pronæ ad id, immò sunt timidæ : at uxoricidium est frequens, virique sunt audaciores & procliviores, ad id delictum perpetrandum. Quamobrem ad virorum audaciam & inclinationem cohibendam, jus Canonicum pœnam hanc statuit viro interficienti uxorem, non autem è contrà uxori virum necanti. Hæc ille.

313. *Oppugnatur.*

Sed enim, dicet aliquis ; hoc est quod quæritur ; utrùm illa inclinatio & audacia fuerint ratio hujus prohibitionis ; an verò ipsum delictum, & gravitas seu enormitas delicti. Et nonne ipsum delictum, & non inclinatio vel audacia viri, fuit ratio impedimenti dirimentis ? Nam eo mulier comprehenditur, ut ipse Sanchez fatetur disp. 78. n. 8. & probat ex diversis juribus. Et siquidem hæc jura possent intelligi etiam de impedimento prohibente, clarum est, sententiam Sanchij non subsistere, & optimè probari priorem sententiam ex paritate juris, & exemplo impedimenti dirimentis.

314. *Quare jura non meminerint uxoris.*

Quòd autem jura sup. adducta pro impedimento prohibente, non meminerint uxoris, sed solius viri, ex eo factum videtur, quòd frequentiùs contingat virum occidere uxorem, quam vice versâ ; non autem ut viricidium excluderetur, quod æqualis aut etiam majoris est turpitudinis, & æqualiter offendit Matrimonium. Igitur non causa restrictionis, sed frequentioris usûs exprimitur vir, tacitâ uxore. Sic Adversarij Sanchez argumentantur.

Vtraque sententia est probabilis.

Maneat igitur utrique sententiæ sua probabilitas, de qua iterum agemus, ubi de impedimento dirimente raptûs, quod Sanchez putat non extendi ad mulierem rapientem virum, eisdem permotus rationibus, ut ibi videbimus.

315. *D. Bonav. videtur favere Sanchio.*

Tantum hic subscribo verba D. Bonav. quæ videntur favere sententiæ Sanchij. Sup. q. 2. in corp. sic ait Doctor Seraph. *Respondeo dicendum, quòd absque dubio gravius peccatum est, in genere loquendo, occidere matrem* (quàm uxorem) *tum ratione personæ, cui debetur major reverentia ; tum ratione majoris pronitatis ; pronior enim est homo iracundus ad verberandam uxorem, quam matrem, maximè quando propter aliquam causam displicet, mirabile odium & tædium generatur, & ideò pronior est ad occidendum uxorem, quam matrem. Ad occidendum autem matrem nullius natura inclinatur, nisi sit per iniquitatem conversa in crudelitatem super bestias. Et quoniã homo pronior est ad uxoricidiũ, hinc est, quòd quamvis minus sit peccatum, tamen major pœna imponitur, ut per incussionem timoris pronitas restringatur.* Ergò similiter in casu proposito, etsi uxoricidium sit minus peccatum, tamen major pœna imponitur, ut per incussionem timoris pronitas restringatur. Atque hæc satìs de tertio crimine.

316. *Quartum crimen impediens olim Matr.*

Sequitur quartum, quod erat, *susceptus propriæ sobolis.* Qui enim in Baptismo tenebat, seu de sacro fonte suscipiebat proprium filium, natum ex se & altero conjuge, ad finem se eximendi ex debito conjugali, ob cognationem spiritualem, quam contrahebat, in pœnam hujus infidiæ, quam moliebatur adversus usum sui Matrimonij, prohibebatur inire aliud Matrimonium, mortuo altero conjuge ; cap. *De eo* 30. q. 1. ibi : *Si conjuges legitimi unus, aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est. Sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, & simul maneant : & si prævaricator conjugij supervixerit, acerrimâ pœnitentiâ mulctetur, & sine spe conjugij maneat.*

Probatur ex 5. 3. o. q. 1.

Et quàmvis (inquit Aversa sup. §. *Quartum crimen*) Canon loquatur solùm in Baptismo, tamen communiter Doctores notant, idem esse in Confirmatione ob identitatem rationis.

317. *Extenditur ad suscipientem in Confirmatione, ex Aversa & Sanchez.*

Idem docet Sanchez sup. disp. 6. n. 8. & extendit ad alterum conjugem, qui eodem animo baptizaret proprium filium. Quia (inquit) eadem est ratio, & eadem cognatio oritur. Oportet tamen, ut hic filius, aut sit communis utriusque conjugis, aut alterius ab eo, qui est patrinus, aut baptizat. Quia tunc contrahitur cognatio spiritualis cum altero conjuge, & insidiatio Matrimonij : si enim sit filius solius baptizantis conjugis, vel qui est patrinus, cum nullam tunc cognationem contrahat cum altero conjuge, nec debiti petitio impediatur, cessat insidiatio Matrimonij ; & quàmvis ea tunc insidiandi intentio adesset, frustranea prorsùs esset ; quare nullum Matrimonij impedimentum consurgeret ex eo actu. Hæc ille.

Arg. à paritate rationis non semper est firmum.

Ego autem dico, argumentum à paritate seu identitate rationis in his pœnalibus, non semper esse firmum, ut infrà adhuc dicam : Nunc pergamus ad alia crimina.

318. *Quintum crimen, ex c. 2. de Pœnit. & remiss.*

Quintum crimen erat : *Mors presbyteralis.* Qui enim Sacerdotem occidisset, privabatur Matrimonio contrahendo, per cap. 2. de Pœnit. & remiss. sequentis tenoris : *Qui Presbyterum occiderit, 12. annorum pœnitentia ei secundum Canones imponatur.* Et infrà : *Convictus, usque ad ultimum tempus vitæ suæ, militiæ cingulo careat, & absque spe conjugij maneat.*

Quæ ratio hujus impedimenti.

Sed quæ ratio ? Quia cùm interficiatur Sacerdos, cujus est huic Sacramento interesse, æquum est, ut talis interfector hoc Sacramento privetur.

Nota autem in d. jure ly *Convictus*, quod aliqui intelligunt de convictione in foro pœnitentiæ. Sed cùm hæc non sit propriè convictio ;

nam *Requiritur*

convictio criminis in foro externo, ex Sanchez.

nam in hoc foro testes, & accusator externus non intersunt; sed ipsemet pœnitens propriâ sponte culpas suas fatetur: hinc alij & melius requirunt convictionem in foro contentioso, cùm pœnæ sint restringendæ intrà proprietatem verborum. Vide Sanchez sup. n. 9.

319. *Solemnis pœnitentia impedit, sed non dirimit ex c. 12. & fin. 33. q. 2.*

Solemnis quoque pœnitentia (inquit hic Auctor sup. n. 10.) ita Matrimonium impedit, ut illud minimè dirimat. Constat ex cap. *De his*, 12. & cap. fin. 33. q. 2., quæ sunt ex Siricio, & Nicolao Pontificibus. Sed intelligitur quamdiu pœnitentia illa durat. Quia cùm id tempus luctui & pœnitentiæ destinatum sit, dedecent tunc nuptiæ. Hæc ille.

Quæ an vera sint, colligere poterit Lector ex his, quæ subjicio. In primis, textus allegati, non sunt ex Siricio & Nicolao Pontificibus, sed ex Siricio Pontifice, & Concil. Toletano 6. sub Honorio 1. celebrato. Primus autem textus, qui est Siricij Epist. 1. ad Himerium Episcop. c. 5. sic sonat: *De his verò non incongrue dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui, actâ pœnitentiâ, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuò appetivere concubitus, quorum improfessam continentiam* (aliàs, *professam incontinentiam*) *generati post absolutionem filij, prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum* &c.

Expenditur c. 12.

320. *Expositio Glossæ.*

Ubi Gloss. verb. *De his*, inquit: *Hoc cap. potest intelligi de pœnitente solemniter pro aliquo prædictorum criminum* (intelligit incestum, raptum &c. de quibus jam egimus) *& tunc dic*, improfessam, *id est, continentiam malè professam, id est, non servatam .... Potest etiam hoc caput intelligi de his, qui votum emiserunt, & post contraxerunt, nec tenuit Matrimonium, & tunc dicit*, improfessam, *id est, malè professam. Et dic, quòd non habent suffugium pœnitendi, id est, contrà professionem suam veniendi.*

321. *Ostenditur, nil facere ad intentum.*

Et verò hæc expositio, patet, quòd nil faciat ad intentum Sanchij. Porrò juxtà priorem intellectum hoc impedimentum non est distinctum ab aliis sup. enumeratis. Estque non solùm impedimentum quamdiù durat pœnitentia, sed etiam pœnitentiâ jam peractâ, ut patet ex dictis de incestu & aliis criminibus. Imò in d. textu expresè agitur de Matrimonio, quod contrahitur, actâ pœnitentiâ, ibi: *Qui actâ pœnitentiâ tamquam canes* &c.

Audiatur Gloss. verb. *de Pœnitentibus*, eâd. cap. 11. *Hic*, inquit, *movet Magister quamdam incidentem quæstionem, an post solemnem pœnitentiam possit contrahi Matrimonium. Et tres sunt opiniones de solemniter pœnitentibus. Quidam dicunt, quòd nullus solemniter pœnitens potest contrahere* (scilicet post pœnitentiam) *nisi ex dispensatione inf. eâd.* Antiqui; *quia intelligitur vovisse, & sic intelligunt cap. inf. eâd.* De his; *pœnitens enim semper vivit sub regula Ecclesiastica, ut de Pœnit. dist, 5.* Contrarium. *H. verò dicit, quòd quilibet pœnitens potest contrahere, nisi tantùm in tribus casibus, putà pro uxoricidio, vel nisi injunctum hoc sit ei nomine pœnitentiæ, vel pro raptu sponsæ alterius, vel pro incestu. Adhuc tamen excipit adolescentes, qui (ut dicit) de jure communi possunt contrahere. Ideò autem in tribus his casibus prohibetur: quia in his contaminatur Matrimonium. Alij tamen ponunt quinque casus, in quibus post solemnem pœnitentiam non licet contrahere. Vnus est pro incestu* &c.

322. *Disputatur hic de Matr. contrahendo pœnitentiâ peractâ.*

Ex qua Glossa liquidò constat, hìc non disputari de Matrimonio contrahendo tempore pœnitentiæ; sed pœnitentiâ actâ, sive post pœnitentiam solemnem. Ergò d. textus *De his*, non intelligitur, quamdiu illa pœnitentia durat; sed post pœnitentiam peractam. Nam adducitur à Gratiano ad solutionem hujus quæstionis: An pœnitentibus generaliter post pœnitentiam peractam conjugia concedantur. Hæc de primo textu à Sanchio sup. adducto.

323. *Expenditur c. fin. 33. q. 2.*

Expendamus etiam secundum, scilicet cap. fin. sequentis tenoris: *Antiqui & Sanctissimi est Patris sententia Papæ Leonis, ut is qui in ætatis adolescentia positus, dum mortis formidat casum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si conjugatus fortè fuerit incontinens, ne posteà adulterij lapsum incurrat, redeat ad pristinum conjugium, cuicusque posit adipisci temporis maturitate continentiæ statum: quod nos sicut de viris, ita & de fœminis æquo modo censemus. Non quidem hoc generaliter & canonicè est præceptum: sed constat à nobis pro humana fragilitate indultum. Eâ dumtaxat ratione, ut si is, qui pœnitentiæ non est legibus deditus, ante ab hac vita decesserit, quàm ex consensu ad continentiam unus eorum fuerit regressus, superstiti non liceat denuò ad uxoris transire amplexus. Si autem illius vita extiterit superstes, qui non accepit absolutionem pœnitentis, nubat, si se continere non potest, & alterius consortio fruatur uxoris. Quod de utroque sexu quomodo à nobis manifestum est esse decretum; ita videlicet, ut in omnibus Sacerdotis expectetur ordinatio: ut juxtà quod ætatem aptam perspexerit, pœnitentiæ absolutionis vel distributionis tribuat legem.* Hactenùs Concil. Tolet. 6. can. 8.

324. *Quis scopus hujus Can. Caranza.*

Sed quis scopus hujus Canonis? Cùm conjugatus (inquit Barthol. Caranza in Sum. Concil.) in ægritudine vovet continentiam, si posteà non potest continere, redibit ad uxorem. Eâ tamen mortuâ, non transibit ad secundas nuptias. Visum est Synodo dispensandum cum illo in usu primi Matrimonij, & arcere eum à secundis nuptiis. Quod tamen licebit conjugi non voventi. Atque hic est scopus hujus Canonis. Hæc ille.

Franciſ. Longus.

Idemque notat in sua Sum. Concil. Franciscus Longus ad eum Canonem.

325. *Solemniter pœnitens intelligitur vovere.*

Cæterùm Gloss. hic verb. *Antiqui*, sic ait: *Si intelligas hoc caput de Matrimonio contracto, tunc est hic argumentum pro illis, qui dicunt, quòd solemniter pœnitens intelligitur vovere.* Quid ergò mirum si nequeat contrahere Matrimonium? Quia, ut sup. dictum est, votum est impedimentum prohibens Matrimonium jure naturæ. *Si intelligas de Matrimonio contrahendo, tunc expone:* Redeat ad pristinum conjugium, *id est, quòd contraxit post pœnitentiam, à quo per suggestionem aliquorum recesserat.*

Utut

Solemnis pœnitentia non eſt ampliùs in uſu.

Utut ſit, jam pœnitentia ſolemnis (inquit Sanchez ſup.) non eſt in uſu, & proinde ceſſat hoc impedimentum. Et nos ceſſabimus ab ulteriori ejus inquiſitione & probatione.

326. Finio autem hanc Concluſionem cum brevi explicatione ultimi impedimenti, quod oriebatur ex contractu cum Moniali, & exprimitur his verbis: *Aut Monialem accipias*; nimirum ſcienter cum ea contrahendo Matrimonium.

Contractus cum Moniali olim impediebat Matr. contrahendum. ex c. 13. 27. q. 1.

Non ſolùm enim irritus erat hic contractus; ſed impediebatur Matrimonium cum omni alia perſona, cap. 13. 27. q. 1. *Hi ergo, qui Sanctimonialibus ſcientes Matrimonio ad injuriam Chriſti copulati ſunt, juxtà cenſuram Zeli Chriſtiani ſeparentur, & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari: ſed in pœnitentia lamentis ſe vehementer, dum vivunt, afficiant.*

Ubi Gloſſ. verb. *Et nunquam: Hoc*, inquit, *unum crimen eſt, quod impedit, & non dirimit Matrimonium.* Et verb. *Conjugali*, ait: *Arg. quod de cætero non poſſunt nubere, qui Sanctimonialibus copulantur, ut hic dicitur in odium criminis: ſi tamen contrahant, tenet.*

327. *Quæ ratio hujus impedimenti.*

In odium, inquam, criminis: quia ſic contrahentes delinquebant in Matrimonium carnale, tentantes quod non poterant; & in Matrimonium ſpirituale, volentes ſibi uſurpare ſponſam Chriſti dicatam Deo, & ideò indigni ſunt Matrimonio.

Idem eſt de contractu cum Religioſo juxtà Averſam

Videtur etiam (inquit Averſa ſup. §. *Septimum crimen*) ex paritate juris & identitate rationis, quòd idem impedimentum incurreret fœmina, quæ cum viro Religioſo contraheret. Hæc ille.

328. Sed quæro ego: quæ hic paritas juris? Quando jus vult etiam virum Religioſum obligare, illum exprimit, ut patet in textu præcedenti, qui ſic incipit: *Virginem quæ ſe Deo conſecravit, ſimiliter & Monachum, decernimus, non licere nuptialia jura contrahere.* Similiter cap. 11. eâd. q. & Cauſ. *Impudicas deteſtabileſq; perſonas Monachorum, atque Monacharum* &c. Cur ergò ſimiliter d. cap. 13. non expreſſiſſet Monachos, ſi eos voluiſſet comprehendere ſub ea prohibitione? Fortè noluit; quia rariùs contingit, ut aliqua contrahat cum Monacho aut viro Religioſo, quàm quòd aliquis ſcienter contrahat cum Sanctimonialibus. *Contrà arguit Auctor.*

Sed neque identitas rationis ſemper eſt ſufficiens ſignum, maximè in pœnalibus, voluntatis Legiſlatoris; quippè etſi Legiſlator, propter identitatem rationis, potuiſſet hoc etiam punire, quod verbis legis non comprehenditur; equidem cùm Legiſlator non debeat velle omnia præcipere, quæ poteſt, imò non ſemper expediat; liquet profectò, ſolam identitatem rationis non ſufficere, maximè in pœnalibus, ut caſus, qui verbis legis non comprehenditur, cenſeatur nihilòminùs ex mente Legiſlatoris comprehenſus, niſi aliàs lex foret irrationabilis. 329. *Identitas rationis non ſemper ſufficit.*

An autem in caſu propoſito lex foret irrationabilis, niſi extrà proprietatem verborum extenderetur ad fœminam, quæ cum viro Religioſo contrahit, relinquò aliis judicandum. Parùm refert ad praxim, quid dixeris; quia hodie ampliùs non obligat hoc impedimentum, ut patet ex antedictis.

Hìc ergò ſit finis hùjus Sectionis, in qua de impedimentis ſolùm impedientibus verba fecimus. Jam impedimenta dirimentia aggredimur.

M SECTIO

SECTIO III.

DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

1. *Enumerantur impedimenta dirimentia, ex Scoto.*

IMpedimenta dirimentia Matrimonium, ut dixi in principio Disputationis, his versibus communiter exprimuntur: *Error conditio, votum &c. Sed* inquit Doctor Subtil. 4. dist. 42. q. un. n. 11. *in istis versibus continentur impedimenta absque omni ordine naturali. Possunt igitur ordine debito & magis in particulari istis versibus explicari:*

Vis, fraus personæ, servi, dationis, & amens,
Addita conditio tria conjugij bona tollens.
Frigidus, arcta, puer, truncatus, præstigiatus,
Alterius conjux, obstant mutuæ dationi.
Ordo sacer, votum, duo cultus, sponsio mœchi.
Carnalis, legis, cognatio spiritualis.
Hæc vi præcepti, sit huic affinis honestas.

2. *Aliqua dirimunt jure naturæ.*

Hi quatuor primi versus continent impedimenta, quæ repugnant naturæ contractûs Matrimonij. Primus quinque in speciali, secundus tria, tertius quinque, quartus unum, & sic sunt quatuordecim impedimenta. Post quæ subditur in fine quarti versûs: Obstant mutuæ dationi. *Intellige quæ est in contractu Matrimonij; obstant scilicet hæc omnia prædicta.*

Alia jure Ecclesiastico.

Tres alij versus continent impedimenta ex statuto Ecclesiæ. Primus quatuor, secundus tria, tertius duo, & sic sunt novem, & hoc est quod dicitur in principio tertij versûs. Hæc vi præcepti, *scilicet Ecclesiæ impediunt Matrimonium, & sic in speciali sunt 23. impedimenta simpliciter.*

3. *Matr. impedimenta 23. quibus adde duo ex Trid.*

Illi autem versus omnes (puta: *Error, conditio &c.*) *non continent nisi duodecim: sed sub errore debet intelligi quadruplex impedimentum in speciali* (puta, fraus personæ, servi, dationis, & amens) *& sub conditione triplex impedimentum de conditionibus appositis contra tria bona Matrimonij. Unde qui refert,* Error, *ad errorem personæ, &,* Conditio, *ad errorem conditionis, satis ostendit se ignorantem in jure Canonico. Votum sicut stat, cognatio intelligitur pro carnali, spirituali & legali, crimen pro adulterio cum fidei datione &c.*

Et illud posset quandoque distingui, secundùm quod dictum est distinctione 35. quòd istorum trium aliquando conjunguntur duo, & aliquando unum illorum impedit. Sed istud impedimentum non est distinctum in istis versibus distinctiùs exprimentibus cætera impedimenta specialia. Secundùm alios versus non distinguntur, nisi illud ultimum de impotentia, quod continet quinque impedimenta specialia secundùm alios versus. Hactenùs Scotus.

Sed parùm curandum, quibus versibus aut nominibus impedimenta hæc exprimantur, dummodò naturam eorum perspectam habeamus. Verùm hoc opus, hic labor est, non unius diei, quia multa restant dicenda, quæ subinde molestissimam habent quæstionem. Initium autem sumimus ab impedimento erroris, quod immediatè & directè respicit ipsum contractum conjugalem, tollitque debitum consensum.

4. *Quis error irritet Matr.*

Sed quis error? Interrogat quispiam. Nam quadruplex est, personæ utique, conditionis servilis, sive servitutis, qualitatis & fortunæ juxtà communem DD. sententiam: & secundùm Scotum jam allegatum, addi deberet error dationis, id est, consensûs alterius partis, & error amentiæ.

Respondeo: error personæ, servitutis, dationis & amentiæ. De errore personæ, dationis, & amentiæ, in superiori Disputatione satis superque egimus; uti & de errore qualitatis & fortunæ. Videatur Sect. 7.

Error servitutis est impedimentum dirimens.

Hic restat agendum de errore servitutis, qui & ipse est impedimentum dirimens, ut statim videbimus. Priùs tamen quæro; an servus non solùm validè, sed & licitè possit contrahere Matrimonium, etiam Domino contradicente. Resolutio hujus quæstionis erit.

CONCLUSIO I.

Servus validè & licitè contrahit Matrimonium sinè consensu Domini; debita tamen & consueta servitia non minùs debent ei exhiberi, etiam cum aliquo impedimento usûs Matrimonij.

5. *Servi sunt in triplici differentia.*

SErvi sunt in triplici differentia. Quidam sunt verè servi, qui ita sunt Domini, ut eos venundare possit, & propriè vocantur mancipia. Alij sunt Originarij sive ascriptitij, nimirum qui glebæ seu prædio colendo sunt perpetuò addicti, inde nunquam recessuri, Dominisque prædiorum annuos redditus omnes, præter sumptus & victum reddituri, suntque verè liberi, ut colligitur ex cap. 2. de Judæis, dicente:

Servi originarij sunt verè liberi. ex c. 2. de Judæis.

Nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in suo dominio retinere, sed si qui apud eos inveniuntur, libertas eis servetur. Hi verò, qui in possessionibus eorum sunt, licet legum districtione sint liberi: tamen quia colendis terris eorum diutiùs adhæserunt, utpotè conditione loci debentes (id est, obligati & astricti

astricti ad colenda rura) *ad colenda rura remaneant, consuetas pensiones prædictis viris præbentes.* Ubi Gloss. verb. *Sint liberi,* inquit : *Nota originarios sive ascriptitios liberos esse, Cod. de Agricolis & Censit. l.* Diffinimus. *lib.* 11.

Tertij generis servi sunt, qui pro tempore locant operas suas, & communiter appellantur conductitij. Porrò hos posse validè & licitè contrahere Matrimonium sinè consensu Dominorum, nemo dubitat. Uti etiam omnes fatentur, idem posse facere originarios seu ascriptitios.

6. *Mancipia possunt validè contrahere de consensu dominorum, ex c. fin. 29. q. 2.*

De quibus ergò dubitatur ? De servis primi generis, sive de mancipiis, de quibus scriptum habemus in Concilio Calibonensi 2. c. 30. (& refertur 29. q. 2. cap. fin.) *Dictum est nobis, quòd quidam legitima servorum conjugia potestativâ quâdam præsumptione dirimant, non attendentes illud Evangelicum* : Quod Deus conjunxit, homo non separet. *Vnde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos Dominos habeant ; sed in uno conjugio permanentes, Dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio (id est,* secundùm Gloss. ibi : *Legitima, id est, communis consensus) fuit, & per voluntatem Dominorum.* Ergò à contrario sensu, si non fuit conjunctio per voluntatem Dominorum facta, poterit conjugium dirimi.

7. *An etiam sinè consensu ? Prima ratio dubitandi elicitur.*

Atque hæc est prima ratio dubitandi de veritate nostræ Conclusionis, sed parvi momenti, si cum Gloss. ibi verbo : *Voluntatem,* dixeris, supplendum esse : *Maximè,* ut sensus sit : nunquam ea Matrimonia dissolvenda esse ; præsertim autem, quando Domini consensere : *Quia* (ut ait Gloss.) *etiam iis invitis potest contrahi Matrimonium.* Omitto ; quòd argumentum à contrario sensu in multis casibus fallit.

Altera ratio dubitandi, ex D. Basil.

Altera ratio dubitandi sumitur ex D. Basilio can. 40. ibi : *Quæ præter Domini sententiam se viro tradidit, fornicata est. Quæ autem postea libero Matrimonio usa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc verò Matrimonium. Eorum enim, qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent.* Quæ postrema verba satis significant, D. Basilium fuisse in ea sententia.

Esto, quid tum ? Nam hæc res non ita clarè erat eo tempore decisa, prout hodie decisam esse, infrà ostendemus.

8. *Tertia ratio ex Clemente.*

Tertia ratio dubitandi, sunt verba, D. Clem. lib. 8. Constit. Apost. c. 34. in fine. *Fidelis vir aut fœmina servi copulati, vel separentur, aut ejiciantur.* Vel ut habet alia editio cap. 40. *Fidelis servus & ancilla conjuncti separentur vel rejiciantur.*

Expenditur.

Planè separentur, non quoad vinculum, sed cohabitationem, aut ejiciantur ab Ecclesia. Tunc enim id expediebat ad vitandum scandalum neophytorum in fide.

Rogas, quod scandalum ? Contemptus Evangelij, quasi doceret, servos posse fraudare Dominos suos, eosque incommodo afficere, subtrahendo suum ministerium ob convictum conjugalem. Sicut autem hoc scandalum hodie cessavit, ita etiam abolita fuit illa constitutio.

9. Quæris, ubi abolita ? Iam edissero. Cap. de Conjug. serv. Adrianus Papa Sancteburg. Archiepiscopo quærenti, utrùm servus contradicente Domino possit contrahere Matrimonium ? Respondet : *Sanè juxtà verbum Apostoli* (ad Galat. 3.) *sicut in Christo Iesu, neque liber, neque servus, est à Sacramentis Ecclesiæ removendus ; ita nec inter servos Matrimonia debent ullatenùs prohiberi : & si contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nullâ ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen & consueta servitia non minùs debent propriis Dominis exhiberi.*

Probatur servos sinè consensu dominorum posse contrahere, ex c. 1. de Conjug. servorum.

Quis adhuc ausit dubitare de veritate nostræ Conclusionis ? Si namque inter servos nullatenùs debeant prohiberi Matrimonia, liquet profectò, non solùm ea esse valida, sed etiam licita : siquidem ut forent illicita, deberent esse prohibita ; cùm ergò non debeant prohiberi, nemo sanæ mentis dicere potest, quòd sint illicita, quidquid Dominus prohibeat, vel non prohibeat ; cùm potestas prohibendi dicto jure ab eo censeatur ablata, si fortè eam antehàc habuisset.

10. *An servitus sit justa, ex Scoto.*

Interrogat aliquis : nunquid justè ablata ? Quæro & ego : nunquid servitus justa ? Consule Doct. Subtilem 4. dist. 36. q. 1. n. 2. ubi quærit ; unde inducta sit servitus, & si justè inducta ? Respondet autem : *De lege naturæ omnes nascuntur liberi, tamen servitus, vel magis propriè, subjectio filialis ad patrem, est de lege naturæ, putà obedientia filialis, pertinens ad disciplinationem ; quia secundùm Philosophum* 8. *Et hic.* Filius habet à patre esse & disciplinam. *Ista autem servitus, de qua loquimur, secundùm quam Dominus potest vendere servum sicut pecudem, de qua loquitur Philosophus primo Politicorum, quòd servus non potest exercere actus virtutis, pro eo quod oportet eum, ad præceptum Domini, exercere actus serviles, ista non est inducta, nisi aliquâ lege positivâ.* Hæc ille.

11. *Duo modi quibus servitus justè inducta est, ex eod.*

Et continuò interrogat : Sed an justa ? Respondet : *Quomodo inceperunt primo Dominia esse justa, ita dico, quòd ista vilis servitus non potest esse justè inducta, nisi dupliciter. Vno modo, quia aliquis voluntariè se subjecit tali servituti, licet talis subjectio esset fatua, immo fortè contrà legem naturæ, quòd homo libertatem à se abdicet : postquam tamen facta est, necesse est servare ; quia hoc est justum. Alio modo, si aliquis justè dominans communitati, videns aliquos ita vitiosos, quòd libertas eorum nocet eis & Reip., posset justè punire eos pœnâ servitutis ; sicut & justè posset eos occidere in certis casibus, propter bonum Reip.* Hactenùs Scotus.

Si dicas : quod est tertia causa servitutis, utpote si captus in bello servetur, & sic servatus à morte fiat servus deputatus ad serviendum.

12. *De tertio modo dubitat Scotus.*

Respondet Doct. ibidem n. 3. *Non apparet manifestè justitia hîc : quia fortè, etsi captor potuerit occidere captivum, si habuit bellum justum defendendo se, non autem invadendo, & hoc stante pertinaciâ ipsius contra bellantem : tamen ex quo desinit esse pertinax, quia est in voluntate ipsius jam captus, inhumanum videtur infligere sibi pœnam contrà legem naturæ. Non enim est hîc ratio, quia in hoc casu non remaneret iste rebellis, nec abuteretur suâ libertate ; sed fortè fieret obediens, & libertate sibi donatâ bonè uteretur.* Dubitat ergò Scotus de justitia

servitutis capti in bello; quia videtur sapere crudelitatem, quando jam hostis subest & obedit; & sufficere videtur, quòd subsit more subditi politicè, non instar mancipij despoticè.

13. *Objectio ex Aristotele.* Si rursum objicias: Secundùm Philosophum 1. Politicorum: *Pollens mente debet præsidere, pollens viribus debet servire*: aliqui sunt naturaliter pollentes mente, ergò naturaliter ad Dominium apti; aliqui minùs prudentes mente, & magis robusti corpore: ergò naturaliter debent esse servi: ergò servitus non est contrà legem naturæ.

Respons. Scoti. Respondet ibid. Doctor: *Hoc non est intelligendum de ista servitute extrema, de qua loquimur; sed tantùm de servitute politica, quâ inferior disponitur à Superiore: non tamen sicut inanimatum, sed sicut minùs vigens mente, ordinatur per illum, qui magis pollet mente.*

Et verò non vult Scotus, servitutem esse contrà præceptum naturæ; quia sup. dist. 26. n. 10. ait: *Potest quis se vendere in servum* (exemplo Paulini) *licet de hoc non inveniatur specialis approbatio Divina in Scriptura.* Benè dicit: *Specialis*; quia generalis satis colligitur ex cap. 21. Exod. & 15. Deuter.

14. *Quomodo servitus sit contrà legem naturæ.* Quando ergò dicit Scotus, servitutem fortè esse contrà legem naturæ, tantùm vult esse dissonam ei, quatenùs natura inclinat ad libertatem, & quatenùs de ea jus naturæ nihil statuit; arg. l. 4. ff. de Statu hominum, ubi sic ait Florentinus: *Libertas est naturalis facultas ejus, quod quique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibetur. Servitus est constitutio jurisgentium, quâ quis Domino alieno contra naturam subjicitur. Servi ex eo appellati sunt, quòd Imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent. Mancipia verò dicta, quòd ab hostibus manu capiantur.* *Quid sit libertas & servitus ex l. 4. ff. de Statu hom.*

Ubi Jurisconsultus agnoscit tertiam causam servitutis, de qua sup. Scotus dubitat, an sit justa. Sed notandum, quòd Doctor non loquatur de omnibus in bello captis; sed de iis tantùm, qui fierent fortè obedientes, & libertate sibi donatâ benè uterentur. Et quia hi rari sunt, ideò Jurisconsultus ad eos non respexit; sed ad id, quod frequentiùs natum est contingere.

15. *Servitus est juris gentium.* Utut sit de hac tertia causa, constat ex d. lege, servitutem esse jurisgentium contrà naturam, quæ inclinat ad libertatem. Hoc autem supposito, probandum manet, Domino justè fuisse ablatam potestatem prohibendi servo Matrimonium, si fortè ante hac eam habuisset.

Probatur dominum non posse prohibere servo Matr. ex c. 1. de Conjug. servor. Probatur verò ex d. cap. 1. de Conjug. servor. quia nemo removendus est à Sacramentis Ecclesiæ: *Iuxtà verbum Apostoli* (inquit Pontifex) *sicut in Christo Iesu, neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesiæ removendus; ita nec inter servos Matrimonia debent ullatenùs prohiberi*: quia scilicet & ipsa Sacramenta sunt.

16. *Objectio.* Sed hæc probatio videtur satis inefficax; quia in primis, Ordo etiam est Sacramentum, & tamen nullus servus præter voluntatem Domini debet ordinari, ut patet per totum tit. de Servis non ordinandis.

Solutio ex Gloss. Hanc objectionem solvere conatur Gloss. d. c. 1. verb. *A Sacramentis*, dicens: *Quæ suscipientis causâ conferuntur, ut Baptismus, Confirmatio, Sacramentum Eucharistiæ, Viaticum, Pœnitentia*: ab istis Sacramentis nullus fidelis debet excludi: immò tenetur ea recipere, inf. de Pœnit. & remiss. *Omnis utriusque. Sic à Matrimonio nullus debet excludi: quia edictum de Matrimonio prohibitorium est, sup. de Sponsal.* Cùm apud. *Secùs de alijs Sacramentis, ut Ordo, qui ratione aliorum datur; quoniam nullus servus debet ordinari, præter Domini voluntatem, sup. de Serv. non ord.* Consuluit, *& per totum tit.*

Sed contrà, inquis; hoc est quod quæritur, cur Dominus magis possit prohibere Sacramentum, quod ratione aliorum datur, quàm Sacramentum, quod suscipientis causâ confertur. Cur ergò Dominus non possit Matrimonium prohibere suo servo, sicut potest prohibere Sacramentum Ordinis, & sicut potest prohibere ingressum Religionis? 17. *Oppugnatur.*

Respondet Sanchez lib. 7. disp. 21. n. 10. circa finem: longè disparem esse rationem. Quia per Ordines & Religionem totum tempus traditur Deo, ut benè ait D. Tho. 4. dist. 36. q. un. a. 2. ad 5. At secùs per Matrimonium. Præterea: obligatur homo per Religionis professionem, & Ordinem, ad opera naturalibus superaddita, & in quibus Dominus habet potestatem, quâ caret in naturalibus, ad quæ se obligat per Matrimonium. Hæc ille. *Cur dominus magis possit prohibere Ordinem aut Religionem, quàm Matr. ex Sanchez.*

Aversa verò q. 3. sect. 7. §. *Ad ea verò*, sic respondet: Non obstat exemplum Ordinationis & Religionis; quia hæc sunt instituta supernaturalia, & per se non necessaria, & prorsùs adversantia juri Dominorum in servos; quare meritò poterant servi ab iis arceri: at conjugium est opus naturale, institutum ad propagationem naturæ & remedium concupiscentiæ, nec adversum juri Dominorum. Sed servus ipse adhuc retinet potestatem & dominium naturale sui corporis, ut possit quoad hoc se tradere alteri per conjugium. Dominus verò habet potestatem & dominium civile quoad alia obsequia exigenda, cui conjugium non repugnat. Hæc ille. 18. *Item ex Aversa.*

Et Scotus sup. n. 9. ad hoc argumentum respondet: *Profitens in Religione totaliter se submittit obedientiæ Prælati illius Religionis: & in hoc ex toto subtrahit se à consuetis servitiis Domini sui: non sic contrahens Matrimonium; sed solùm in aliquibus actibus, qui possunt stare cum hoc, quod reddat servitia consueta.* 19. *Respons. Scoti.*

Sed nunquid hæc convincunt intentum? Auscultate Scotum sup. n. 5. *Dicunt Aliqui: quòd servus potest contrahere Matrimonium invito Domino. Primò; quia Matrimonium est de lege naturæ: servitus autem non est de lege naturæ; sed magis contrà: quod autem est de lege naturæ, non tollitur per aliud, quod est tantùm de lege positiva.* *Duæ rationes pro veritate Conclus. ex eod.*

Alia ratio ponitur; quia servus non est ita sui Domini, quin sit sui juris, quantùm ad actus naturales, pertinentes ad conservationem individui; patet, quia potest uti necessarijs ad vitam: ergò a simili, quantùm ad actus pertinentes ad conservationem speciei. Consequentia probatur; quia conserva-

tio

tio ſpeciei, cùm ſit majus bonum naturale, quàm conſervatio individui, magis eſt de lege naturæ.

20. *Exiſtimat eas non eſſe efficaces. Solvit primam.*

Ecce duæ rationis Concluſionis noſtræ, deſumptæ ex D. Tho. 4. diſt. 36. q. un. art. 2. in corp. quibus utitur Sanchez ſup. n. 3. ſed eas non concludere exiſtimat Doct. Subtilis ſup. dicens: *Rationes iſtæ poſſent ſolvi. Prima; quia obligatio, quæ non eſt de lege naturæ, benè poteſt impedire aliquam libertatem, quæ competit alicui ex lege naturæ. Exemplum: nam ex lege naturæ nihil tibi debeo, tamen ſi voveo tibi obedientiam, teneor tibi obedire. Matrimonium etiam non eſt de lege naturæ, niſi ſecundariò* (id eſt, permiſſivè, niſi urgeat præceptum Matrimonij ineundi) *& æquè videtur de lege naturæ reddere unicuique quod ſuum eſt, imò primariò* (id eſt, præceptivè) *Igitur ex quo per obligationem ſervus fecit ſe Domini, tenetur ei reddere ſuum, & abſtinere ab illo, quod impedit talem redditionem; licèt illud aliud impediens, competeret ſibi non obligato ſecundariò ſecundùm legem naturæ.*

21. *Solutio ſecundæ.*

Secunda ratio (proſequitur Doct. n. 6.) *non concludit: quia certum eſt, quòd non omnis, qui tenetur conſervare individuum, tenetur multiplicare ſpeciem. Si dicas: quòd ſaltem ita licet ſibi, quod illud licere non poteſt ſibi tolli per hominem*; verum eſt *in caſu neceſſitatis, in quo conſervatio ſpeciei dependeret ab actu ejus: ſed quia multi non ſervi intendunt generationi, etiam in lege Chriſtiana, ideò non eſt neceſſarius ad conſervationem ſpeciei actus iſtius, pertinens ad hoc, & ideò per aliquam obligationem poteſt hoc ſibi præcludi.*

Et confirmatur: quia antè Matrimonium tenetur Domino ad certos actus, puta ad A, B, C, ſi contrahat Matrimonium, obligatio illa erit ad aliquid incompoſsibile ipſi B. vel C. Igitur illa obligatio ſequens non poteſt juſtè fieri, quia in illa tollitur alienum, quod non poteſt reddi poſt iſtam obligationem factam. Hucuſque Scotus.

22. *Conatur Sanchez ſatisfacere Scoto.*

Reſpondet Sanchez ſup. diverſam eſſe rationem: Nam, inquit, libertas homini conceſſa eſt, propter particulare ipſius perſonæ bonum; ac proinde, ſicut propriâ ſponte potuit ſe illâ privare ipſemet homo, ita ex juſta cauſa potuit jus gentium idem efficere. At Matrimonium conceſſum eſt ob bonum publicum, in remedium concupiſcientiæ, ut vitarentur fornicationes, & alia carnis flagitia: item ob bonum naturæ, ad ejus propagationem. Quare nulli juri poſitivo id datum eſt, ut poſſit omninò Matrimonium alicui interdicere, niſi ipſemet perfectioris ſtatûs avidus, continentiæ voto ſe Deo aſtringat. Quamobrem ſimile allatum à D. Tho. & communi, licet non teneat in omnibus; at tenet in hoc, ut ſicut homo non ſubditur Domino quoad actus ad individui conſervationem requiſitos, ita nec quoad actus ad conſervationem ſpeciei neceſſarios, utrique enim actus inter naturales computantur.

Confirmatur doctrina Sanchez.

Et confirmatur; quia ſervus non ſubditur Domino, niſi quoad civilia obſequia. Matrimonium autem ad naturæ officium ſpectat. Secundò; quia jus hominis ad Matrimonij contractum, eſt potiùs jus ipſius naturæ humanæ ad ſuam propagationem & conſervationem, quàm jus privatum cujuſlibet individui. At ſervus amittit quidem jura privata, quæ per ſervitutem ad Dominum transferuntur; non tamen jus ipſius naturæ. Ita Sanchez.

23. *Judicium Auctoris.*

Ego autem quæro: ſi quis per votum poteſt renuntiare juri Matrimonij: itemque per legem humanam pro perpetuo reddi inhabilis ad Matrimonium, non ſolùm licitè, ſed etiam validè contrahendum; quid ni per ſervitutem, jure gentium introductam, cui voluntariè ſe ſubjicit, vel ſeipſum vendendo in ſervum, vel committendo delictum, quod talem pœnam meretur; quid ni, inquam, per eam poſſit fieri inhabilis ad licitè contrahendum Matrimonium ſinè conſenſu Domini?

Non video, quid efficaciter obſtet, niſi voluntas Eccleſiæ, ita recipientis ſervitutem, jure humano inductam, ut non velit præjudicari Matrimonio, quin validè & licitè poſſit iniri: præſertim, quia à Deo in remedium concupiſcentiæ permiſſum eſt, & quàmvis alia remedia non deſint, haud equidem omnibus ſemper eſt integrum ea adhibere.

24. *Ex voluntate Eccleſiæ oritur hic diſparitas inter Ord. Profeſſ. & Matr. ex Pontio.*

Hinc Pontius lib. 7. cap. 42. n. 3. Quàmvis (inquit) potuiſſet Romana Sedes ſervum inhabilem efficere, ad Matrimonium ineundum invito Domino; ſicut & poteſt quemvis in ſingulari inhabilem reddere juſta de cauſa, & ſicut eumdem ſervum inhabilem reddidit ad Profeſſionem, & forſan aliquando apud nunnullas Provincias irritarunt Epiſcopi ſervorum conjugia contrà Dominorum voluntatem; meritò tamen diverſam in his ſtatibus diſpoſitionem edidit. Tum; quia Matrimonium eſt propriæ infirmitatis levamen, cujus nullus actus extrà Matrimonium licet: at Religionis ſtatûs obſervantia aliis etiam mediis ſuppleri poteſt. Tum etiam; quia conjugatus ex natura Matrimonij non ita impeditus eſt, quò minùs ſuas operas impendere Domino poſſit, ſicut Religioſus, cujus exercitia minùs expeditum relinquunt, ad obſequium Domino præſtandum. Inhoneſtus etiam & indecens famulatus Religioſi in obſequium Domini. Hæc ille.

Ergò ex voluntate Eccleſiæ provenit, ut hodie ſervus validè & licitè poſſit contrahere Matrimonium, Domino etiam invito ſeu contradicente. Nec ſinè juſta cauſa id voluit Eccleſia, ut patet ex dictis, & adhuc patebit ex dicendis.

25. *Dominus concedens ſervo Matr. quomodo ſibi præjudicet, ex Scoto.*

Scotus ſup. n. 7. ſcribit in hæc verba: *Dico ergò quantùm ad iſtum articulum, quòd ſervus de voluntate Domini poteſt contrahere Matrimonium, & ſi onus Matrimonij ſit in aliquo repugnans ſervitiis conſuetis, Dominus concedens illi contrahere, relaxat ſibi implicitè illa ſervitia conſueta: & ſi Dominus poſtea revocaret illam conceſſionem, utpotè ipſum totaliter impediendo à copula carnali, vel mittendo eum in partes longinquas, vel detinendo eum in laboribus, ita quòd non poſſet aliquando viſitare uxorem, peccaret mortaliter, & in manifeſtis eſſet per Eccleſiam corrigendus,*

Ex quo patet qualiter Dominus per iſtam conceſſionem ſibi ipſi præjudicet, & damnum

aliquod inferat. Unde ad eam Dominus non obligatur.

26. *Quomodo servus possit contrahere domino invito, ex Scoto.* Rogas quid Scotus sentiat de Matrimonio, quod contraheretur à servo, Domino invito? *Potest* (inquit sup.) *etiam contrahere Domino invito, pro quanto habet aliquid juris in corpore suo; non enim privavit se quâcumque libertate ad quoscumque actus: & pro quanto corpus ejus est suum, potest commutare cum alio: quia si alius sive servus, sive liber, velit esse contentus illâ modicâ potestate, sive ad modicum usum, quem scit eum posse dare, benè potest sibi ipsi præjudicare, & tenet commutatio.*

Ex hoc sequitur, quòd servus potest contrahere cum libera, dum tamen ipsa sciat conditionem ejus, & consentiat in eum, non obstante tali conditione: quia tunc commutat potestatem sui corporis pro illo modico, quod habet servus potestatis in suo corpore. Et potest contrahere cum ancilla, & tunc videtur uterque concedere id quod potest; & sicut contrahunt, ita tenentur postea secundùm justitiam reddere debitum, pro quanto scilicet illi actus non impediunt a servitiis consuetis. Hucusque Doct. Subt.

27. *Non repugnat hic Doct. communi sententiæ.* Cùm autem non distinguat inter contractum licitum & validum; sed simpliciter asserat, servum posset contrahere invito Domino; liquet manifestè, eum non repugnare communi sententiæ, sed potiùs illi subscribere, quàmvis doceat rationes D. Tho. non concludere, ut suprà vidimus.

Ejus ratio. Porrò ratio Scoti videtur esse; quòd servitus ex se non repugnet vinculo Matrimoniali: tametsi enim servus non habeat perfectum jus corporis sui, equidem non privavit se quâcumque libertate ad quoscumque actus; præcipuè autem ad illos, qui sunt necessarij ad conservationem individui & speciei; & magis quidem individui, quoniam conservatio individui in præcepto est, & omninò necessaria ad operas Domino præstandas, minùs verò speciei, quoniam propagatio speciei libera est hîc & nunc, & potest impedire operas servi.

28. *Matr. non repugnat omninò operibus servilibus.* Interim, quia non omninò eas impedit, sed pro modico tantùm tempore, non censetur se voluisse privare libertate ad eos actus, qui sunt necessarij ad dictam propagationem. Sed neq; Ecclesia (quæ sola hodie reddit aliquem inhabilem, & privat libertate ad validè contrahendum Matrimonium) ut patet ex d. cap. 1. de Conjug. servor. ubi statuit, juxtà superiùs dicta, inter Servos Matrimonia nullatenùs esse prohibenda.

29. *Graviter peccat dominus, qui directè impedit servum à Matr.* Ex quo deducitur; graviter peccare Dominum, qui servum suum directè impedit à contrahendo Matrimonio; & jure optimo Ecclesiam hujusmodi servum defendere; cùm enim in hoc sit sui juris, nec Domino subdatur, injustè Dominus interdicit ei, suo jure uti. Et aliundè gravitas rei facilè & apertè docet, non posse esse culpam solùm venialem. Ita tenet Sanchez. sup. n. 5.

Quare, inquit, nec poterit Dominus minitari servo aliquod supplicium seu damnum inferendum, si Matrimonium ineat, cùm ob id punire eum nequeat; quia usus est suo jure ac in nihilo deliquit. Potest tamen subtractionem beneficij, quod in ipsum suâ sponte confert Dominus, minari; ut deinceps fere, ut non ita splendidè ipsum induat, ac delicatè tractet, ac in vilioribus occupet. Quia cùm hæc beneficia suâ sponte conferat, potest pro libito auferre, unde non poterit servus meritò conqueri. *Potest subtrahere beneficia gratuita.*

Sicut nec pater potest Matrimonij contractum filio impedire, mala minando; potest tamen, quæ jure permissa sibi sunt, minari: ut exhæredationem, casu quo jus sibi permittat: subtractionem tertiæ partis & quintæ bonorum, ut leges Hispaniæ permittunt, & in ea parte substantiæ paternæ cæteros fratres præferendos esse. Et hoc quando nondum sponsalia inijt. Ita Sanchez.

30. *An dominus debeat consentire Matr. servi.* Sed nunquid tenetur Dominus consentire? Patet, quòd non; quia consentiendo, sibiipsi præjudicaret, ut liquet ex dictis, & adhuc constabit ex dicendis.

An possit aliò mittere, ut impediat, ex Sanchez. Interrogas rursum; an fas sit Domino servum aliò vendendum mittere, quo se incolumem servet? Respondet Sanchez sup. n. 9. Si jam Matrimonium cœptum sit, quia servus fidem suam allegaverat alicui, de Matrimonio cum ea contrahendo, nefas erit Domino eo medio uti. Quia per illa sponsalia, quę quoddâ Matrimonij initium sunt, jam est cœptum, & velut in fieri Matrimonium. Deinde; quòd servus invito Domino potuerit fidem suam astringere; ac proinde legitimum jus comparârit fœmina, ut servus promissis stet, etiam renitente Domino. Nequit ergò Dominus jus hoc alteri acquisitum, & à sua voluntate independens, impedire.

31. *Potest, si sponsalia nondum inita sint.* Si autem sponsalia inita nondum sint, poterit utique Dominus sic venundare. Quia usque tunc nulli tertio jus est acquisitum, ac proindè non est jus suum vendendi servum Domino interdicendum. Deinde: quòd id non sit directè impedire Matrimonium; sed uti jure suo vendendi servum, quò Dominus suæ incolumitati consulat.

Item: quia utens jure suo, non potest dici fraudem committere. Item: quia quàmvis pater nequeat filij Matrimonium impedire minis & terroribus gravibus; at potest, quando id eum dedecet Matrimonium, bono modo jure suo utens, illi obstare (v. g. mittendo alicubi ad negotia sua tractanda, ubi cessabit occasio Matrimonij.) Cur ergò non poterit Dominus, ut se indemnem servet, bono modo impedire, servum distrahendo? Hæc Sanchez.

32. *Objecto solvitur, ex Sanchez.* Si objicias: Judex Ecclesiasticus, à mancipio aditus, coget statim Dominum, ne aliò amandet, dum de Matrimonio tractatur, donec causa hæc absolvatur. Respondet Sanchez: Id præceptum Judicis est propter præsumptionem violentiæ à Domino illatæ, ne servi contrahant.

Instantia diluitur, ex eod. Quòd si dicas; posse, Matrimonio jam inito, servum in partibus remotis venundari; cur igitur id post sola sponsalia minimè licebit? Respondeo (inquit idem Auctor) suppositum à me non admitti, quàmvis à multis concedatur. At estò id esset verum, adhuc diversa est ratio: quia

Matri-

Matrimonio jam inito, illud non impeditur eâ venditione: quòd si impediatur usus, sentiunt Auctores, admittentes eam licere, jus Domini ad vendendum antiquius esse jure usûs Matrimonij, non tamen ipsius contractûs; atque adeò illi prævalere. At verò quando sola sponsalia sunt inita, impeditur jus antiquius & potentius ad Matrimonium ineundum invito Domino. Hæc ille.

Quæris, quid ego sententiam de hac re? Patebit ex dicendis circa secundam partem Conclusionis, quæ exprimitur in d. cap. 1. de Conjug. Servorum, exceptâ illâ particulâ: *Etiam cum aliquo impedimento usûs Matrimonij*, de qua hic restat disputandum.

33. *Etiam obsequia servi non consueta debentur Domino.* Hostiensis. Sanchez.

Tantùm præmitto ex Sanchio sup. n. 11. quòd Hostiensis d. cap. n. 9. super verbo: *Consueta*, & alij Iurisconsulti, explicent, *Maximè consueta*. Quia, inquit Sanchez, etiam non consueta obsequia servi debentur Domino. Quippè quidquid servi est, Domini est, §. 3. Instit. Per quas personas &c. *Item vobis acquiritur, quod servi vestri ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia causa acquirant. Hoc enim vobis ignorantibus & invitis obvenit. Ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest.* Vel secundò; quia si alicubi viguisset consuetudo, ut servi conjugati ad certa quædam obsequia astringerentur, Ecclesia eam tueri deberet.

Sed responderi posset ad ultimum: tunc ea obsequia esse consueta. Ad primum dic; in illo §. nulla fit mentio obsequiorum; sed tantum statuitur, ut ea, quæ servus acquirit, Domino acquirat. Quod tamen etiam intelligendum venit de iis, quæ servus ordinario modo acquirit.

34. *Non potest Dominus qualibet obsequia servi postulare, ex Instit. De His qui sui &c.*

Hoc certum est; non posse dominum pro suo libito quælibet obsequia servi postulare; sed ea tantùm, quæ recta ratio dictat, servum pro sua conditione & viribus commodè præstare posse; arg. §. 1. & 2. Instit. De His qui sui &c. *In potestate itaque Dominorum sunt servi, quæ quidem potestas juris Gentium est. Nam apud omnes peræquè Gentes animadvertere possumus, Dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse, & quodcumque per servum acquiritur, Domino acquiri. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa, legibus cognitâ, in servos suos supra modum sævire.* Nam ex *constitutione D. Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minùs puniri jubetur, quàm si alienum servum occiderit. Sed & major asperitas Dominorum, ejusdem Principis constitutione coërcetur.* &c.

35. *Servus potiùs copulam debet uxori, quàm Domino in consueta obsequia.*

Scitè ergò dixit Pontifex c. 1. de Conjug. Servor. *Debita tamen & consueta servitia non minùs* (scilicet quàm anteà) *debent propriis Dominis exhiberi.* Nec satis video, quare supplendum sit: *Maximè*. Unde dico; si Dominus petat inconsuetum & indebitum servitium, incompatibile cum copula conjugali; petat, inquam, eo tempore præstari, quo uxor petit copulam, uxori potiùs copula postulata, quàm istud servitium Domino exhibendum erit; cùm uxor habeat verum jus, Dominus autem nequaquam.

Sin autem servitium, quod petitur, fuerit consuetum, Conclusio nostra asserit, exhibendum esse Domino, non obstante petitione copulæ. Fundamentum principale sumitur ex d. jure, cui servus per suum Matrimonium non potuit præjudicare: nam jus supponit Matrimonium, adeoque obligationem copulæ, quando rationabiliter exigitur, & nihilominùs vult, ut consueta servitia, non minùs quàm anteà exhibeantur proprio Domino; exhiberentur autem minùs quàm anteà, si tali casu petitio copulæ præferri deberet. Et ideò non peccat Dominus contrà justitiam, si mittat hujusmodi servum in longinquas partes vendendum, estò uxor eum sequi non possit. *Secùs obsequia consueta.*

Hæc videtur esse sententia Doct. Subtilis sup. ubi expressè supponit, servum, qui invito Domino contrahit, habere modicum usum sui corporis, ibi: *Potest etiam contrahere invito Domino* &c. ut sup.: *Sed esto, in casu isto contrahunt sine voluntate Domini, & unus Dominus mittit servum in Africam, & alius Dominus mittit ancillam in Franciam, nunquid licet hoc facere?* Ita interrogat Scotus. 36. *An dominus licitè mittat servum alò, estò uxor non possit eum sequi.*

Et actutùm Respondet: *Cùm causa Matrimonij sit favorabilis, inducendi essent Domini, ne hoc facerent. Sed si facerent, non apparet, qualiter suppositâ servitute facerent contra justitiam: quia iste priùs fuit in potestate Domini, ut mitteret eum illuc, immò ut venderet eum, & similiter illa in potestate Domini sui, similiter quantùm ad illum locum: & per actus proprios, sine voluntate Dominorum, non potuerunt se facere liberiores, nec se a jure Dominorum suorum magis eximere, quam priùs; igitur adhuc licet.* Hæc ille. *Scotus putat id non esse injustum.*

Et propterea Sanchez sup. disp. 22. n. 1. citat eum pro sententia, quæ, ait, servum, sinè voluntate Domini contrahentem, posse ubique locorum venundari: quàmvis inde usus Matrimonij impediatur. Sanchez.

Sed Scotus non loquitur tam generaliter; sed tantùm ait, id posse fieri sine injustitia, ibi: *Non apparet, quomodo suppositâ servitute, facerent contra justitiam.* Quod Hiquæus in suo Comment. ad illum locum n. 19. intelligit de justitia tantùm politica & civili; quia, inquit, ratio ejus adducta hûc spectat. 37. *Quod Hiquæus intelligit de injustitia politica tantùm.*

Sed quæ illa? Quia servi aliquod jus sui corporis habent, quo non privantur per servitutem: ergò dicendum videtur, inquit ille, non posse sic distrahi maritum & uxorem, ut usus Matrimonij fiat impossibilis simpliciter; quia sicut corpus servi non subest Domino, quantùm ad libertatem, sufficientem ad Matrimonium, ita ut hoc impedire possit; ita etiam neque quantùm ad usum, qui ex tali contractu, consideratâ conditione servili, sequitur: ergò nequit habere jus vendendi servum, cum impedimento usûs Matrimonij contracti. *Probat per rationem Scoti.*

Et sicut Ecclesia tenetur, si fideles sunt, subvenire, ne impedimentum statuatur contrahendo; ita etiam ne impedimentum statuatur contracto. Imò Iudex civilis & Respublica debent subvenire servis, conservando eorum jura: erit 38. *Confirmatur.*

ergò

ergò contrà justitiam & charitatem talis venditio. Contrà, inquam, justitiam, ex ratione allegata Doctoris; contrà charitatem, ob periculum spirituale utriusque conjugis.

Alia confirmatio. Accedit prætereà: contractum esse favorabilem; sicut ergò non potest Dominus præjudicare servo, quoad potestatem corporis in ordine ad Matrimonium; sic etiam neque præjudicare potest usui talis potestatis. Hactenùs Hiquæus.

39. *Hic intellectus Scoti oppugnatur.* Sed non videtur assecutus mentem Scoti: nam ex eo quòd sit contractus favorabilis, solùm infert Doctor, inducendos esse Dominos, ne hoc facerent; si autem faciendo, peccarent contrà justitiam & charitatem, jam compellendi forent, ne hoc facerent.

Prætereà: ratio Scoti supponit, servum non habere eam potestatem corporis ad actus conjugales, quam alioquin haberet, si servus non esset; sic quippè ait, ut sup. audivimus: *Quia si alius, sive servus, sive liber, velit esse contentus illâ modicâ potestate, sive ad modicum usum, quem scit cum posse dare, bene potest sibi ipsi præjudicare.*

40. *Ostenditur eum locutum fuisse de virtute justitiæ.* Et quomodo sibi ipsi præjudicaret, si Dominus nequidem indirectè, exigendo consueta servitia, posset usum Matrimonij impedire? Porrò consuetum servitium est proficisci in partes longinquas ad imperium Domini, ut patet ex ratione Scoti ibi: *Quia iste priùs fuit in potestate Domini, ut mitteret eum illuc, imo ut venderet eum,* Ergò sicut priùs non feciisset contrà justitiam strictè dictam, sive veram virtutem justitiæ, illuc mittendo & vendendo, sic itidem non videtur facere contrà veram virtutem justitiæ, posteà illuc mittendo & vendendo, juxtà mentem Scoti.

Itaque sicut priùs mittendo, & vendendo, poterat Dominus indirectè impedire Matrimonium contrahendum, ut sup. dictum est; pari ratione videtur posse indirectè impedire usum Matrimonij jam contracti, ipso invito, posteà illuc mittendo, & vendendo.

41. *Scotum sequitur Dicastillo.* Neque hæc est sententia solius Scoti, sed aliorum plurium, quos citat Sanchez sup. & sequitur Dicastillo disp. 7. dub. 15. ubi relatis diversis sententiis de hac controversia, tandem n. 139. asserit primò: Non ex eo præcisè, quòd servus ante servitutem legitimam jam fuerit conjugatus, eximitur, propter jus conjugis antiquius, ab obligationibus inserviendi Domino, etiam quando servitia Domino præstanda, sunt incompossibilia cum obsequio & officiis præstandis ergà conjugem.

Jus uxoris præcedens, non impedit servitia Domino præstanda. Hoc autem sic probat. Quia ex uno capite Dominus habet jus utendi servi operâ, aut vendendi illum, sicut judicaverit sibi expedire, & ex alio capite jus uxoris non obest: ergò potest.

42. *Probatio.* Quòd jus uxoris non obsit, probatur: quia uxor, quantumvis prior in jure uxoris, non potest jure illo suo impedire, quò minùs, positâ causâ sufficiente, resultet in marito obligatio servitutis, & in Domino jus dominij in illum, ut servum: hoc enim supponimus omnes: alioquin deberemus dicere, neminem conjugatum cum uxore libera (præsertim alioquin non merente, ut sibi auferatur maritus) posse fieri servum; quia esset contrà jus uxoris, quæ antecedenter acquisivit jus, ut talem maritum secum haberet, cujus operâ & industriâ, ipsa ejusque familia indigens gubernaretur, aleretur &c. Hoc autem nemo credet.

43. *Confirmatur exemplo hominis justo bello capti.* Quis enim credat hominem, justo bello captũ, non posse à victore in servitutem redigi? (abstraho nunc à lege Ecclesiastica, vel consuetudine, prohibente hominem liberum, priùs baptizatum, fieri servum.) Unde non videtur negandum, quòd, si victor in Gallia, justo bello victum in servitutem redigat Gallum, possit jure servitutis illum secum avehere in patriam suam, puta Constantinopolim, non obstante jure uxoris, alioquin non peccantis, nec merentis eam pœnam. Quàmvis enim propter eam servitutem ipsa privaretur viro suo, id est per accidens & indirectè, quatenùs victor utitur jure, quod justo bello acquisivit.

Et ejus qui propter delictum meretur servitutem. Simile argumentum possumus facere in servitute inducta propter pœnam delicti, meretis pœnam servitutis: nam si quis conjugatus, in pœnam delicti redigatur in servitutem, vel deportetur ad insulam, aut damnetur ad metalla, non obstat jus uxoris, etiamsi illa impediatur ab usu conjugij.

44. *Quæ ratio militet in his exemplis.* Ratio omnium est; quia sicut victor jure belli potest occidere victum, & Princeps seu Respublica ejusque Magistratus, potest alioquin dignum vitâ privare; etiamsi indirectè inde sequatur, quòd uxor viro suo irreparabiliter privetur: ita pariter, imò potiori jure poterit illum privare libertate, etiamsi uxor privetur tali jure: ergò non obstat præcessisse tempore jus Matrimonij acquisitum, quò minùs subsequens obligatio servitutis, & jus acquisitum, prævaleat ex parte Domini. Usque adhuc Dicastillo.

45. *Idem dicendum de privatis dominis.* Idemque asserit n. 141. de privatis Dominis, comparatione ordinariorum servorum, ita ut, quàmvis servus antè servitutem fuerit conjugatus, ex præcisa temporis præcedentia non impediatur jus Domini, quò minùs possit absque injustitia, comparatione uxoris, servum vendere, etiam in Regione valdè distanti, vel ipsum eo mittere, ut serviat.

Docet prætereà n. 145. Si servus invito Domino contrahat, vel eo inscio, & sinè ullo ipsius beneplacito, æquè potest Dominus illius operâ uti, & cætera omnia facere, quæ posset, si conjugatus servus non esset. Nam jus uxoris, aut Matrimonij, non obstat juri servitutis, quin possit Dominus pleno jure uti servitio servi, etiamsi per accidens & consequenter lædatur jus uxoris, nisi Dominus suo positivo consensu in Matrimonium servi, sibiipsi voluerit præjudicare, cedendo juri suo, quod aliàs habebat, ut sup. vidimus ex Scoto.

Jus uxoris non obstat servituti, nisi Dominus positivè consenserit.

46. *Quid si merè negativè consentiat. ex Dicast.* Dixi consultò: *Positivo consensu*: quia, ut notat Dicastillo sup. n. 143. si Matrimonium contrahatur consentiente Domino merè negativè, id est, videnti, & non contradicente; aut solùm interrogato, an repugnet, vel consentiat, eoque respondente, se non resistere, & non repugna-

pugnare; adhuc non censetur cedere juri suo, quod habet occupandi servum, aut vendendi independenter à jure uxoris.

Probatur id non sufficere.

Ratio est; quia jus Dominij in servum, ad id totum per se extenditur, & ex alio capite, non ideò tunc censetur cedere juri suo, quia non repugnet: nam cùm servus ex uno capite jus habeat ineundi Matrimonium invito Domino, Dominusque non possit contrà hoc jus repugnare; nihil aliud consetur facere per illam non resistentiam, quàm non impedire, quod servus jure suo utatur; hoc autem non derogat juri Domini, quod aliàs habet. Hæc ille.

47. Igitur sententia Scoti satìs probabilis est: quamquam oppositam Multi tam antiqui, quàm recentiores, sustineant, vel absque distinctione, vel cum quadam distinctione. Atque in primis Doctor Angelicus 4. dist. 36. q. un. a. 2. ad quartum (quod erat: Dominus poterat vendere servum in extraneas Regiones, quo uxor sua non poterit eum sequi) respondet: *Dicendum, quòd in tali casu dicitur, quòd Dominus cogendus est, ne servum vendat taliter, quòd faciat onera Matrimonij graviora, præcipuè cùm non desit facultas, ubique servum suum vendendi justo pretio.* Loquitur autem de Matrimonio contracto sine consensu Domini, ut patet ex contextu.

Sententia D. Tho. de hac controversia, Dominum non posse vendere servum cum damno uxoris.

48. Sed quæ ratio hujus doctrinæ? Rationem D. Tho. sup. audivimus, & expendimus. Aliam affert Sanchez sup. n. 2. Quia, inquit, interest Reipub. ne quis re suâ abutatur, §. penult. Instit. de His qui sunt sui vel alien. juris. ibi: *Antoninus consultus à quibusdam Præsidibus Provinciarum de his servis, qui ad edem sacram, vel ad statuam Principum confugiunt, præcepit, ut si intolerabilis videatur sævitia Dominorum, cogantur servos suos bonis conditionibus vendere, ut pretium Dominis daretur, & rectè; expedit enim Reipublicæ, ne suâ re quis malè utatur.*

Probatur ex Sanchez per diversa jura.

Atque idem probat l. *Possessionum*, 11. Cod. Communia utriusque judicij &. ibi: *Quis enim ferat, liberos à parentibus, à fratribus sorores, à viris conjuges segregari? Igitur si qui sic sociata* (aliàs, *dissociata*) *in jus diversum mancipia vel colonos distraxerint, in unum eadem redigere cogantur.*

49. Respondetur: planè expedit Reipub. ne suâ re quis malè utatur: sed hoc est, quod quæritur; an Dominus malè utatur servo suo, contrà suam voluntatem nupto, dum ex alia causa, quàm impediendi usum Matrimonij, mittit ipsum ad longinquas terras, ibi vendendum; & Dicastillo cum Scoto putat, illum usum non esse malum, saltem malitiâ injustitiæ, de qua loquitur d. §. penult.

Respons. ad 1. jus.

Satisfit 2. juri.

Ad posteriorem legem dic, eam loqui de Iudicibus, non de Dominis. Ita incipit Summarium ejus: *Officium judicis in divisione est, familias non separare & separatas conjungere.* Et Gloss. verb. *Cogantur*, sic ait: *Scilicet in communionem. 2. Vel postulabitur judicio communi dividendo, ut aliter fiat divisio vel adjudicatio. Sed quo postulante? Respond. quolibet Dominorum, scilicet quando judex sinè voluntate eorum ita divisit. Sed quid si Domini sic diviserunt, vel ab alio ita divisa retinuerunt? Respond. quilibet fortè repellitur, si consensit ei, quod retractare intendit.* Igitur nec d. lex efficaciter probat doctrinam S. Tho.

Scitè autem dixit Doct. Angelic. *Præcipuè cum non desit* &c. quo significaret, se non generaliter damnare Dominos, qui servos suos mittunt vendendos in longinquas regiones; sed eos tantùm, qui id faciunt sinè aliquâ justâ causâ, eò quòd æquè commodè possint vendere servos suos, sinè impedimento usûs Matrimonij; ita ut mittendo in longinquas regiones, ad quas uxores non possunt accedere, purè putè videantur intendere impedimentum usûs Matrimonij. Sic ego intelligo D. Tho. malè, an benè, alij judicent.

50. *Explicatur sententia D. Tho.*

Atque hæc etiam videtur esse sententia Doct. Seraphici 4. dist. 36. in Ex posit. litteræ n. 2. *Dicendum; quod si servus & ancilla contraxerunt Dominis contradicentibus, ipsi sibi præjudicant, non Dominis suis, & ideò si Dominus indiget, potest ancillam vendere, & si non potest vendere in terra sua, potest vendere in aliena. Si tamen in terra sua possit vendere, tenetur; alioquin manifestè injuriatur viro, & abutitur re suâ in præjudicium alienum. Si verò Dominis consentientibus, tunc simpliciter dicendum; quòd non potest aliquis eorum vendi à Domino in præjudicium conjugis: & si alter vendatur, debet alter compelli, vel quod redimat, vel debet eum emere, vel ancillæ licentiam dare, quòd virum sequatur.*

51. *Idem videtur sentire D. Bonav.*

Et ibidem a. 1. q. 1. n. 10. hæc scribit ad nostrum propositum: *Ad illud, quod objicitur de redditione servitij, dicendum; quòd servus aut contrahit Domino consentiente, aut contradicente. Si consentiente, cum concedens aliquid, concedat etiam illa, quæ ad illius jus pertinent, & ad Matrimonium pertinet redditio debiti, cùm uxor petit; uxori petenti debitum, & Domino aliud imperante, tenetur & non debet obedire Domino, sed uxori. Si autem Domino contradicente contractum est, cùm Dominus suo jure privari non debeat, ex utraque parte pari imminente periculo, debet Domino obedire: quòd si majus periculum sit ex parte uxoris, quam timet lapsuram in fornicationem, & non timet graviter Dominum offendere, debet secundùm legem Charitatis Divinæ debitum prius uxori reddere, quàm exequi imperium Domini sui.*

52. *Quando uxor præferenda, & quando Dominus.*

Regulariter tamen tenendum est, quòd, cùm contrahit cum servo scienter, Domino contradicente, vel è converso, sibi præjudicat, ut jus petendi non habeat, quando obsequium postulabat, & ideò servus non obligatur hâc repugnantiâ; quia tenetur debitum solvere, cùm nullum præjudicium Domino generatur.

Ubi expresè docet ultimam partem nostræ Conclusionis, scilicet *Debita tamen & consueta servitia non minùs debent ei exhiberi, etiam cum aliquo impedimento usûs Matrimonij.* Intellige, quando sinè consensu Domini, sive invito seu contradicente Domino, contraxit; de hoc enim casu

53. *Dominus, si non consentit, aliàs uxor.*

loquitur d. cap. 1. de. Conjug. servorum, ut ex ejus verbis manifestum est, & de eodem casu loquitur nostra Conclus. ut similiter patet ex tenore verborum.

Ita sentit etiam Doct. Angel.

Pro qua etiam Doctor Ang. meritò citatur: sic quippe scribit sup. ad 3. *Dicendum, quòd si servus, volente Domino, Matrimonium contraxit, tunc debet prætermittere servitium Domini imperantis, & reddere debitum uxori · quia per hoc quod Dominus concessit, ut Matrimonium servus contraheret, intelligitur ei concessisse omnia, quæ Matrimonium requirit. Si autem Matrimonium, ignorante vel contradicente Domino, est contractum, non tenetur reddere debitum, sed potiùs Domino obedire, si utrumq; simul esse non possit. Sed tamen in his multa particularia considerari debent, sicut etiam in omnibus humanis actibus; scilicet periculum castitatis imminens uxori, & impedimentum, quod ex redditione debiti, servitio imperato, generat, & alia hujusmodi, quibus omnibus ritè pensatis, judicari poterit, cui magis servus obedire teneatur, Domino, vel uxori.* Ita Divus Thomas.

54. *Aliqui putant communiter morem esse gerendum conjugi petenti.*

Et hinc Aliqui, consideratâ modicâ morâ, necessariâ ad reddendum debitum conjugale, putant, potiùs morem gerendum esse conjugi petenti, nisi Dominus gravi necessitate obsequij statim præstandi opprimeretur; ut si ab hostibus necandus invaderetur. Consulatur Glossa d. cap. 1. de Conjug. servor. verb. *Servitia*, dicens: *Ergò si Dominus servitium exigit, & uxor debitum à viro petit eodem tempore, Domino potiùs est obediendum.* Ecce primâ sententia.

Dicunt quidam (prosequitur) *quòd potiùs est obediendum Domino, nisi periculum fornicationis timeatur, vel magnum præjudicium fiat uxori: sed potiùs videtur, quòd uxori ipsius reddat debitum, cùm per hoc nullum præjudicium, vel saltem modicum fiat Domino propter moram modici temporis, nisi fortè Dominus in auxilium personæ peteret servum suum. Quid si Dominus vellet vendere servum suum alicui, qui vellet eum ducere ad extraneas partes, fortè in Græciam? Dixit Ala. quòd potest, & uxor tenetur eum sequi. Verius videtur, ut Alij dicunt, quòd talis venditio prohibenda est.*

55. *Fundamentum sententiæ, quæ asserit servum posse mitti ad extraneas partes.*

Sed hoc fundamentum primæ sententiæ? Innititur (inquit Sanchez sup. disp. 21. n. 12.) c. 1. de Conjug. servor. ubi traditur, servum teneri ad consueta Domino obsequia præstanda, non minùs quàm si conjugatus non esset. Cùm ergò non sit minor obligatio ergà Dominum, ac in ipso præponderet, priùs sibi obligatum esse servum, & eo affectum onere ad nuptias transisse (Res enim cum suo onere transit ad possessorem, c. *Ex literis* De Pignor. ibi: *Cùm etiam bona viri, mulieri sint pro dote tacitè obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem*) jus Domini prævalet.

c. 5. de Pignor.

Reg. 54. in 6.

Et confirmatur ex Reg. 54. de Reg. juris in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Nec obligatio superveniens cum prioris detrimento induci potuit.

56. Sed hoc fundamentum valde dubium est (inquit Sanchez sup. n. 15.) nimirum jus Domini in servum antiquius esse jure uxoris in ipsum servum acquisito per Matrimonium. Imò dicendum est, antiquius esse jus uxoris; ac proinde id, cæteris paribus, anteponendum. Quod sic explico.

Sanchez ait, valde dubium esse.

Dupliciter jus hoc uxoris considerari potest; uno modo, quoad possessionem, actu apprehensam in corpus conjugis, ratione Matrimonij initi; & hoc modo loquendo, non dubium est, quin jus Domini anterius sit; conjux enim servituti addictus erat, cùm sui corporis potestatem tradidit per Matrimonium.

57. *Quo modo jus conjugis sit prius*

Altero modo, quoad suam primævam originem, ex qua principium traxit, virescque assumpsit, & hoc modo jus conjugis in servum antecedit juri Domini. Quòd proficiscatur ac robur accipiat ex jure naturali primævo, quod habent servi ad potestatem sui corporis tradendam per Matrimonium. Quod quidem præfertur juri gentium, ac prius illo est, quo aliqui in servitutẽ redacti sunt. Quod jus per contractum conjugalem transfert servus in conjugem: eo enim ipso, quòd servus jus naturæ habeat, antecedens omnem servitutem, transferendi potestatem sui corporis per Matrimonium in conjugem, conjux ille, in quem transfertur, acquirit jus illud primævum servi. Hæc ille.

Probatur à simili.

Et probat à simili: Sicut si à tempore antiquo domus esset tradita Petro, & successoribus, cum hoc onere, ut possit ex voluntate Pauli, ejusque successorum, quandocumque servitus imponi in favorem tertij: cùm post longa tempora successor quispiam Petri servitutem imponeret in Ioannis favorem, Ioannes ille jus posterius haberet jure Petri, & successorum, si apprehensionem possessionis juris servitutis attendas: prius autem, si originem ejus, ex qua vim accepit, consideremus: nam innititur conditione & pacto, sub quibus antiquitùs tradita est domus Petro, quæ cum suo onere transiit in perpetuum in successores; c. *Ex literis*, De Pignor. Atque ita Ioannes hîc, cui de novo jus illud servitutis concessum est, potest invito domûs Domino eâ servitute uti, eò quòd habeat jus antiquius in sua primæva origine.

58. *Concluditur.*

Ita ergò (ni fallor) contingit in Matrimonio. Quando enim jus gentium servos aliquos efficit, cum eo onere potestatem illorum Dominis tradidit, ut servaretur illæsum jus naturæ servorum, ad id gravamen imponendum Domino ejusque servitio, ut possent servi, ipsis renitentibus Dominis, potestatem sui corporis per contractum conjugalem in conjugem transferre. Hâc igitur potestate in conjugem translatâ, jus illud in conjugem transmissum, posterius quidem est jure Domini, quoad possessionis apprehensionem; prius autem, quoad originem & fundamentum. Nam fundatur in jure, quod habebat servus ad illam translationem efficiendam, consurgenti ex conditione, qua jure gentiũ effectus est servus, traditusque Domino. Poterit ergò conjux eo jure uti invito Domino, jusq; Domini, ubi cætera sunt paria, postponendum erit

erit. Uſque adhuc Sanchez.

59. *Alia probatio.* Et continuò adjungit aliam probationem, dicens: Deinde; quia cùm ſervus omninò ſui juris ſit, inſtar liberorum, ad Matrimonij contractum celebrandum; neque in hoc pendeat à Domini voluntate, nil refert, an Dominus conſentiat, an diſſentiat.

Objectio. Dices: nil referre ad Matrimonium ineundum: valdè tamen ad liberum Matrimonij uſum conducere. Sed id non obſtat; quia cùm ex Matrimonio conſequatur jus ad ipſius uſum, & inane ſit Matrimonium abſque eo jure, eo ipſo quòd liberum eſt Matrimonium, liberè quoque debet eſſe rationi conſonus uſus ipſius. *Solvitur.*

60. *Illatio Sanchez.* Ex his (concludit Sanchez) mihi perſuadeo, attendendas eſſe circumſtantias ad diſcernendum in eventibus ſpecialibus, utri potiùs teneatur ſervus ſatisfacere, Domino an conjugi: atque illi potiùs obſequendum eſſe, cujus neceſſitas magis urget: at ubi cætera ſunt paria, neutrius neceſſitate præponderante, potiores eſſe conjugis partes, ut ſibi reddatur debitum poſtulanti, ſive connivente, ſive invito Domino Matrimonium initum ſit. Quòd jus conjugis potius & vetuſtius ſit. Hæc ille.

Expenditur. Sed expendamus ſingula, & diſpiciamus, an Sanchez reverà non faliatur. Atque in primis ſuppono ex dictis Diſp. præced. Sect. 3. Concluſ. 9. Validè & licitè ſeparari ab initio Matri-

Poteſt Matr. eſſe liberum, eſtò non foret liber uſus. monij, jus proximum usûs corporis ab ejus dominio per legem, pactum, vel votum ex mutuo conſenſu, quidquid in contrarium ſentiat Sanchez lib. 5. diſp. 10. n. 2. Ex quo infero: Matrimonium ſervi poſſe eſſe liberum, & independens à voluntate Domini, eſtò non foret liber uſus ipſius.

61. *Neque ideò Matr. erit inane,* Neque propterea Matrimonium erit inane; quia licitè poterunt eo uti conjuges, dum aliundè à Domino non impediuntur. Unde benè dixit Sanchez: *Liber quòque eſſe debet rationi conſonus uſus ipſius.* Jam autem contendit hæc ſententia, Domino poſtulante conſuetum ſervitium, incompatibile cum uſu, uſum non eſſe rationi conſonum; quia à principio Matrimonij tranſlatum fuit dominium corporis ſervilis, cum tali implicita conditione, ut eo uti non poſſet in præjudicium Domini. Nam lex ſervitutis eſt, ut ſervus conjugatus, maximè contrà voluntatem Domini, debita & conſueta ſervitia non minùs debeat proprio Domino exhibere, non minùs, inquam, ac ſi non contraxiſſet Matrimonium.

62. *Matr. ſervi poteſt eſſe omninò liberum, ubi uſus non eſt ſic liber.* Oſtendat Sanchez, illam legem eſſe injuſtam, & ejus ſententiæ ſubſcribo. Quod ſi non poſſit hoc oſtendere, ſicuti reverà non poteſt, dico iterùm; eſtò Matrimonium ſervi ſit omninò liberum, equidem uſum non eſſe ſic liberum; quia per illam legem impeditur; ſivè dixeris, jus uxoris eſſe antiquius, ſivè dixeris, eſſe recentius, quippè jus uxoris proximum ad copulam conjugalem, impediri poteſt multis modis, putà, per legem, per pactum ſeu per votum ex mutuo conſenſu, etiam per malitiam hominum, vel infirmitatem ſupervenientem; per quam conjux redditur impotens ad reddendum debitum.

Neque uxor conqueri poteſt. Nec eſt, quòd meritò in caſu propoſito uxor conqueri poſſit: nam ſcienter contrahens cum ſervo, ſcire potuit & debuit legem ſervitutis adeoque cenſetur voluiſſet cedere juri ſuo, quod alioquì habuiſſet ex Matrimonio, ſi vir liber fuiſſet.

63. *Servus non eſt omninò ſui juris ad Matr. contractum, ex Sanchez.* Prætereà: quòd ſervus non ſit omninò ſui juris, inſtar liberorum, ad Matrimonij contractum celebrandum, declaro ex ipſo Sanchio eâd. diſp. n. 9. ubi ait; Dominum poſſe ſervum venundare, ſi ſponſalia nondum ſint inita, eſtò inde impediatur Matrimonium, quod tamen facere non poſſet, ſi eſſet liber; ergò ſervus non eſt omninò ſui juris, inſtar liberorum; quia ſaltem indirectè poteſt impediri ejus Matrimonium, eâ ratione, quâ non poteſt impediri Matrimoniũ liberorum.

Si indirectè poſſit impediri contractus Matrimonij, non obſtante jure antiquiori, quod habet ſervus ad contrahendum Matrimonium invito Domino; quidni etiam indirectè poſſit impediri uſus Matrimonij contracti? Si enim ſervatur illæſum jus naturæ, quod habet ſervus ad contrahendum Matrimonium, tametſi venundetur in partibus remotis, & ita indirectè impediatur ejus Matrimonium: quid ni etiam ſervetur illæſum jus naturæ, quod habet ſervus ad uſum Matrimonij, eſto indirectè, per obſequia, aut vendi tionem, ille uſus impediatur.

64. *Iudicium Dicaſt. de Doctrina Sanchij.* Attendite ad Dicaſtillonem ſup. n. 135. Hæc (inquit ille) doctrina (Sanchij) pace tanti viri, plus habet acuminis quàm ſolidi, tam in re ipſa, quàm in exemplo allato; quàmvis enim concedamus, jus naturæ eſſe ptiùs jure gentium in ſua primæva origine, atque adeò jus transferendi dominium corporis, in eo ſenſu præcedere, hoc non obſtat, quò minùs per aliud jus poſteriùs ſuperveniens, poſſit priùs illud jus ex parte, vel ex toto, ſivè quoad ſubſtantiam, ſivè circumſtantias, impediri, ut ſequenti diſcurſu declaratur.

Non minùs eſt hominì naturalis libertas, quàm poteſtas contrahendi Matr. Neque enim minùs eſt de jure naturali libertas & (quod idem eſt) poteſtas operandi, aut non operandi, ut libet ſecundùm rationem, ad quod homo ex primæva ſua natura & primæva origine non minùs habebat jus (& hodie habet ſeclusâ ſervitute) quàm ad tradendum dominium ſui corporis alteri ad generationem; & tamen per jus gentium, poſteà introductum, illa libertas, & illud jus tollitur: ergò non repugnat jus in ſua primæva inſtitutione priùs, per jus poſterius tolli, nedum minui. Porrò hujuſmodi jus, eſſe jus naturale & primævum libertatis, quâ debet gaudere homo, nemo, (quod ſciam) negat, neque negare poteſt: nam ſi quis liber redigatur in ſervitutem irrationabiliter, nemo negabit illi fieri injuſtitiam, & ſatis magnam; contrà quod ergò jus? Sanè contrà jus naturale, neque enim aliud; ergò habet ipſe homo jus libertatis, præcedens antè jus gentium, inducens ſervitutem. Ecce quomodò poteſt jus poſterius tollere jus prius, & naturale.

65. Pari ergò ratione in noſtro caſu, etiamſi primævo

Potest jus naturale Matrimonij impediri.

primævo jure naturæ homo habeat potestatem tradendi dominium sui corporis in ordine ad generationem; poterit nihilominùs (saltem quoad aliquos effectus) impediri, ita, ut quamvis jure naturæ alter conjux jus habeat ad individuam societatem, cohabitionem, frequentem redditionem debiti, & similia; non sit, cur non possit impediri per præoccupantem obligationem servitutis, ita ut jus servitutis actu existens, & acquisitum, præferatur juri conjugij nondum acquisiti, sed posteà. Hactenùs Dicastillo.

66. *Probatur ex impedimentis Matr.*

Herculè impediri posse jus naturæ, quod quilibet habet ad contrahendum Matrimonium, clamant impedimenta Matrimonij, tum merè prohibentia, tum etiam irritantia jure Ecclesiastico, quod origine posterius est juri naturæ. Et quid sub sole clarius, quàm in multis casibus justè impediri posse usum Matrimonij, per separationem viri ab uxore? Igitur hic est cardo præsentis difficultatis; an per servitutem, sive præcedentem, sive subsequentem, inductum sit jure gentium tale impedimentum.

Lex justitiæ dictat potiùs Domino, qui non consensit, obediendum esse, quàm uxori.

Et ex hactenùs dictis satis constat nostra resolutio, quantùm attinet ad servitutem præcedentem, scilicet eam præstare impedimentum indirectum, dum servus contraxit Matrimonium, Domino non consentiente, ita ut Domino exigente consuetum & debitum obsequium, lex servitutis dictet, potiùs esse obediendum Domino, quàm uxori exigenti debitum; non solùm in pari necessitate, sed etiam dum necessitas uxoris major est, præcisè spectato jure justitiæ.

67. *Secùs aliquando lex charitatis.*

Quod addo: quia, ut benè notat Dicastillo sup. n. 146. secundùm legem Charitatis proximi, seu misericordiæ, fieri potest, ut Dominus teneatur, quando sine magno & notabilissimo

Dicastil. suo incommodo potest, non separare servum ab uxore, aut aliâ ratione eos impedire à redditione debiti, putà dum est probabile periculum incontinentiæ, vel alterius, vel utriusque.

Atque per hanc doctrinam Dicastil. sup. n. 147. conciliari posse autumat Iurisperitos & Theologos, qui inter se videntur dissentire. Nam, inquit, Iurisperiti communiter dicunt, posse Dominum servos in partes distantes ablegare, non obstante Matrimonio: Theologi verò, quibus etiam subscribunt aliqui Iurisperiti minùs antiqui, plerumque negant, quàmvis adhibitis quibusdam distinctionibus.

68. *Concilantur doctrinæ, quæ videntur esse contrariæ.*

Ita ergò conciliari possunt, ut Dominus, si æquè aut ferè æquè commodè, possit servum non separare à conjuge, & aliquod sit periculum probabile notabilis incontinentiæ, aut gravis alterius damni, etiam corporalis illorum conjugum in ea separatione, teneatur eam avertere, & non separare, & in hoc vera est sententia Theologorum, & aliquorum Iusperitorum. Si verò tale damnum grave non timeatur, præter illam molestiam & incommoditatem, quæ annexa esse solet & potest tali separationi, verior est opinio communis Iurisperitorum, maximè antiquorum, dum docent, posse Dominum prædictum servum ablegare, aut vendere. Hæc ille.

Et statim addit: Quidquid autem sit de obligatione charitatis, verum puto, illum non teneri ex justitia; maximè, si vera est doctrina, quòd extremè indigenti, aut graviter, non teneatur quis ex justitia subvenire, sed ex charitate. Ita Dicastillo.

69. *Auctor admittit obligationem charitatis.*

Ego lubens admitto in tali casu obligationem charitatis: nam charita[illegible]ligat nos, ut proximi damnum, sive corp[illegible] sive spirituale, sive voluntarium, sive necessarium, quantùm commodè fieri potest, præcaveamus. Ut autem asseram obligationem justitiæ, non habeo sufficiens fundamentum.

Sanchez etiam justitia. Probat.

Scio Sanchium disp. 22. n. 12. dicere: Multò probabiliùs est, & mihi ferè certum, id peccatum esse contrà justitiam. Sed quo fundamento? Ratio (inquit ille) est aperta. Quoniam eo ipso, quòd servi habent jus invitis Dominis Matrimonium contrahendi, habent subinde illo utendi, aliàs fruſtraneum esset jus illud. Ergò sicut Dominus injuriam irrogat ac injustitiæ reus est, si servorum Matrimonium impediat, ita si ejus usum.

Confirmat.

Et confirmatur: quia jus conjugum potius ac vetustius est jure Domini. Non ergò integrum erit Domino absque injustitia uti vendendi jure, nisi manente illæso jure priori servi conjugati. Hæc ille.

70. *Evertitur probatio.*

Sed hoc fundamentum sup. eversum fuit, & iterùm evertitur dicendo, ipsum contractum non præjudicare ordinariis servitiis, sicut potest præjudicare usus Matrimonij: voluit autem Ecclesia Domino manere salvum suum jus ad debita & consueta servitia.

Præterea: ex hoc fundamento solùm sequitur; quòd sicut Dominus non potest directè sinè injustitia impedire contractum, sic nec directè possit impedire, sinè injustitia, ejus usum; nos autem solùm asserimus, Dominum posse impedire indirectè tam ipsum Matrimonium, quàm ejus usum. Vide hæc sup. latiùs deducta.

71. *Vir potest se venundare in servum renitente uxore, ex Sanchez.*

Sed nunquid eadem ratio servitutis subsequentis Matrimonium, v. g. altero conjuge libero se venundante in mancipium?

Sanchez sup. disp. 23. n. 2. docet: integrum esse viro, se venundare, renitente uxore. Quia, inquit, vir subditur uxori in iis solis, quæ ad debiti redditionem pertinent, atque in cæteris est sui juris. At venditio hæc non vergit in præjudicium debiti conjugalis, estò vir in ejus fraudem se venundaret: tenetur enim uxori ad omnia, quæ lex Matrimonij petit, à quibus retrahi nequit Domini præcepto. Hæc ille.

72. *Estque sententia D. Tho.*

Estque sententia D. Tho. 4. dist. 36. q. un. a. 3. in corp. ubi sic ait: *Dicendum, quòd vir subditur uxori solùm in his, quæ ad actum naturæ pertinent, in quibus sunt æquales, ad quem servitutis subjectio se non extendit; & ideò vir, nolente uxore, potest se alteri in servum dare,*

Et ibidem ad 1. respondet: *Dicendum, quòd fraus benè potest nocere ei, qui fraudem facit; sed non potest alteri præjudicium generare: & ideò si vir in fraudem uxoris, alteri det se in servum, ipse damnum reportat inæstimabile, libertatis bonum amittens:*

tens: sed uxori nullum potest ex hoc præjudicium generari, quin teneatur reddere debitum petenti, & ad omnia quæ Matrimonium requirit: non enim potest ab his retrahi Domini sui præcepto.

73. *Consonat D. Bonav.* Consonat Doct. Seraphicus ibi in expositione literæ n. 5. *Dicendum, quòd si uxor contraxit cum libero, ita quod uterq; est liber, uxore dissentiente non debet vir, nec potest se facere servum eatenùs ut præjudicium aliquod generetur mulieri, quin reddat sibi debitum, cùm petit. Vnde sicut servus, contrahens contra voluntatem Domini, non potest facere contractum Matrimonij in præjudicium Domini; sic nec vir in præjudicium uxoris. Nihilominùs tamen, quia caput est mulieris, quantum ad alia (excepto debito) potest servum se facere, quamvis uxor non possit, cùm sit sub potestate viri. Si verò uxor consentiat in venditionem viri, tunc vir potest se vendere in omne obsequium Domini, & mulier præjudicat sibi: tamen nec mulier nec proles vendi potest a viro, nisi ipsa consentiat, nisi forte in articulo necessitatis.* Plures Auctores citat Sanchez sup. pro hac sententia.

Quamquam & contraria suos habeat propugnatores, quos ibidem n. 1. adducit idem Auctor, & sequitur Hiquæus sup. n. 21. dicens: Salvo meliori judicio, videtur mihi præferenda sententia Glossæ c. *Perlatum*, 7. 29. q. 2. quam tenet etiam noster Angles in Floribus 1. part. q. 10. de Errore conditionis, a. 3. Palacios in 4. dist. 30. disp. un.

74. *Oppositam sententiam sustinet Hiquæus.* Angles. Palacios.

Rogas: quæ sit illa sententia Glossæ? Accipe ejus verba: *Item quæritur, utrùm iste, qui se vendit, possit repeti ab uxore, quæ jus habet in eo, & in cujus opprobrium redundat hominis servitus; arg. quòd sic, ff. de Liberal. cau. L. 1. 2. & 3. quod concedit H. maximè cùm ipsa fuerit absens, nec poterat proclamasse;* arg. ff. Man. Si præcedente, §. Lucius. *Et hoc concedo, cùm vir non habeat copiam sui corporis, sed mulier; & est arg. ad hoc 33. q. 5. Quod Deo.* Hæc Gloss. sup. verb. *Divortij*

Subdo verba d. cap. 7. quæ desumpta sunt ex Concil. Triburiensi: *Perlatum est ad S. Synodum, ex quod quidam ingenuus ingenuam accepit uxorem, & post filiorum procreationem, occasione divortij cujusdam servum se fecit, utrùm necessariò mulierem tenere debeat: & si renuerit, utrum illa quoque secundùm sæcularem legem servituti subjici debeat, quæsitum est. Iudicatum est, uxorem minimè debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi: dum ille non ex consensu conjugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.*

75. *Probatio C. 7. 29. q. 2.*

Respondet Sanchez sup. n. 11. Eum textum solùm probare, ob talem venditionem non præjudicari uxori, ut sit dimittenda, eive negandum debitum.

Resp. Sanchez.

Et reverà sic est; sed plus aliquid dicit Glossa, putà, virum qui se vendidit, posse repeti ab uxore, quasi venditio fuisset invalida. Sicuti profectò invalida est in Regno Hispaniæ, juxtà legem Regiam finalem tit. 5. part 4. ibi: *Si por aventura el marido se tornasse siervo a sabiendas, por aver razon de se partir de su muger, non deve valere, ne se departira el casamiento, antes lo puede la muger demandar, è sacarle aun de la servidumbre, si quisiere. E esto es porque ha derecho en el, è porque nace ende muy gran deshonra à ella, è à sus hijos, si los oviere.*

76. *An qui se vendidit, possit repeti ab uxore, ac si venditio fuisset invalida.*

Et quamvis (inquit Sanchez sup. n. 8.) loquatur in eventu, in quo vir se datâ operâ vendit in fraudem Matrimonij: at Greg. Lopez ibi verb. *A sabiendas*, dicit, supplendum esse, *Maximè*: idem enim ait dicendum, licèt non fiat venditio eâ intentione, cùm eadem ratio præjudicij uxoris, dedecoris ipsius, & filiorum habeat locum in hoc casu.

Et verb. *Sacarle*, ait idem Greg. Lopez, posse venditionem retractari, juxtà illius legis decisionem, quàmvis ea non impediat usum conjugij. Quia ratio dicta dedecoris, quam assignat illa lex, procedit in hoc casu. Et subdit: uxorem retractantem hanc venditionem, non teneri solvere pretium, ut aliàs decisum est in patrono, L. 2 ff. Si ingenuus esse dic. Quia retractat ob suum præjudicium: nec vir potuit se subjicere servituti, & quia lex illa indistinctè loquitur. Ita Sanchez.

77. *Affirmat Greg. Lopez etsi non impediat usum Matr. juxta legem particularem Regni Hisp.*

Qui proinde eod. n. asserit: suam doctrinam de venditione viri veram dumtaxat esse, attento jure communi. Et n. 3. admittit, eam absque justa causa factam, non vacare culpâ lethali; quòd in dedecus grave uxoris & familiæ, ac injuriam redundet, ut patet ex d. l. Regia.

Quid sit de jure communi.

Sed nunquid hæc culpa contra justitiam? Negat Sanchez sup. n. 4. Quod jure suo vir utatur, nec in uxoris detrimentum cedat quoad debitum conjugale. At in cæteris vir non est uxori subjectus.

78. *An venditio sine causa sit contrà justitiam? Negat Sanchez.*

Respondet Hiquæus sup. n. 24. Hanc suppositionem non esse subsistentem, nempe non frustrari per servitutem debitum conjugale, quod ex primo contractu æquale datur. Dico ergò (inquit ille) esse contrà justitiam & fidem datam, & leges Matrimonij.

Nec refert: quod vir sit caput uxoris; quia id intelligitur quoad ea, quæ communia sunt in gubernatione familiæ, & domûs, & secluso jure proprio uxoris. Imò videtur magis consentaneum, ut vir possit vendere uxorem, eâ invitâ, in servitutem; quia sic uteretur re suâ, & Dominio, quod habet in uxorem, ejusque corpus, quàm quod seipsum vendere possit; quia nullum habet dominium in corpus suum, in præjudicium uxoris, cujus est corpus viri. Nullum ergò jus ipsi favet, & contrà favent uxori. Ita hic Auctor.

79. *Contrà arguitur ex Hiquæo.*

Rogas: quæ sint jura, quæ faveant uxori? Audi ipsum n. 21. ubi suam sententiam probat 1. quia ex Apost. *Vir potestatem sui corporis non habet, sed uxor* &c. quia contractus ipse consistit in æqualitate, ut per commutationem sui corporis tantumdem recipiat, quando suo juri non cit. Secundò; obligatio debiti libera ex primo contractu ei debetur; hæc autem nullâ ratione compatitur cum obligatione servitutis propriè dictæ. Tertiò; nequit res alterius sine proprio ejus consensu disponi, aut reddi pejoris conditionis & fructus, Domino invito; quia hæc esset injusta usurpatio rei alienæ.

80. *Probatur injustitia ex eod Primò.* *Secundò.* *Quartò.*

Quartò. Quartò; nequit Dominus præjudicare Matrimonio inito in præjudicium contractûs, & uxoris, aut ipsius servi, quàmvis in servitute contraxerit: ergò neque maritus præjudicare Matrimonio contracto, aut conjugi; præjudicaret autem per servitutem, ut res nota est; quia nequit duobus Dominis servire; uxor autem per anticipatum Matrimonium acquisivit servitutem in corpus mariti, cui præjudicat servitus politica (puto, debere esse despotica) per quam consueta servitia debet Domino, neque implere potest cum satisfactione prioris oneris & obligationis.

81. *Quintò.* Quintò; non solùm tenetur maritus ad debitum, quando petitur; sed etiam tenetur non imponere impedimentum, unde reddatur inhabilis habilis ad reddendum, quoties justè petitur: ergò neque servitutem superinducere. *Sextò.* Sextò; quia tenetur ad cohabitationem thori & domûs, quæ non patiuntur cum jure servitutis, quo Domino adhærere tenetur. *Septimò.* Septimò; quia nequit divortium propriâ auctoritate, & sinè causa facere, aut petere; quia hoc est contrà perpetuitatem vinculi, & obligationes ex eo innatas: servitus autem in parte divortium est; quia separatio thori & cohabitationis, si ita placuerit, & utilitas Domini exegerit, pro majori tempore.

82. *Octavò.* Octavò; conditio ignorata, quando annullat Matrimonium, nequit induci ex sola voluntate alterius, contracto Matrimonio; sed servitus ignorata annullat Matrimonium, quia subest fraus, quam non comprehendit consensus substantialiter; & sic deest ipse consensus ob notabilem deceptionem in materia commutata: ergò quæ contraxit cum libero, sciens esse liberum, & nullo modo centractura, si esset servus, consensum suum dirigit substantialiter non solùm ad personam, sed etiam ad conditionem ejus: ergò ex vi talis consensûs, cui innititur contractus initus, datur ei corpus liberum ab omni servitute: sed contractus ille est irrevocabilis: ergò non potest maritus superinducere servitutem Matrimonio inito, sinè manifesta injuria uxoris, cùm hæc conditio fuerit substantialis in contractu & commutatione; ita ut non solùm acquisierit jus per commutationem in corpus ejus; sed etiam in illud, ut erat liberum ab omni onere servitutis.

83. *Nonò.* Nonò; tenetur maritus ad bonum prolis, ejusque rectam educationem, ad providendum uxori & familiæ, & consequenter ad assistentiam necessariam, quæ non compatiuntur cum servitute. Accedit: nota infamiæ, & dispendium honoris, quæ incurrit uxor ingenua, & proles ejus ex superinducta servitute, & dari pluribus occasionem hoc modo, ut subterfugiant onera debita Matrimonij. Hucusque Hiquæus pro sua sententia.

Existimat hic Auctor, talem servum non posse venundari in partes remotas. Ex quibus infert, dicens: Unde mihi valdè durum videtur, quod maritus, vendens se in servitutem, posset venundari in partes remotas, si uxor eum commodè sequi possit, ut dicit Sanchez sup. n. 6. quasi ipsa teneretur subjicere se damnis & periculis, quæ redundant in uxorem servi, atque in alienis partibus, quarum linguam non novit, etiam viro, ipsâ renitente, in servum se vendente; vel quasi fingatur uxor commodè posse sic sequi virum, qui non est casus practicus, sed merè speculativus; cùm incommoditas & uxoris, & prolis, ex migratione longinqua sequendi conditionem servilem illius, à quo ibi commodum reportare non possunt, redundare semper videatur. Hæc ille.

84. *Ratio Sanchij in oppositum.* Ratio autem Sanchij est: quia per venditionem transtulit maritus in Dominum jus omne, quod ipse habebat libertatis suæ, & tantùm id reservatum est, quod Matrimonium lædere poterat. At vir sinè Matrimonij læsione poterat domicilium mutare, uxore potente eum commodè sequi; eodem igitur jure utetur Dominus. Ita Sanchez.

Expenditur. Equidem virum posse mutare domicilium, uxore potente eum commodè sequi, facilè omnes concesserint, maximè dum adest justa causa mutandi: sed virum illud jus posse transferre in Dominum, invitâ uxore, hoc est, quod quæritur & negatur à Pontio lib. 7. cap. 44. n. 6. ubi ait, ex ipsa vi Matrimonij deduci, nequaquam posse, nec virum renuente uxore, nec uxorem renuente viro, se tradere in servitutem, quidquid dicat Tho. Sanchez lib. 7. disp. 23. n. 2. de viro, scilicet posse se subjicere servituti, renuente uxore.

85. *Jure naturali est irrita venditio conjugis in servum, renuente alterâ parte, juxtà Pontium.* Itaque (infert hic Auctor) jure ipso naturali est irrita ea venditio, neque approbata ullo jure Ecclesiastico. Probatur eo potissimùm fundamento; quia vir non habet potestatem sui corporis, sed uxor, & è contrà. Non ergo potest, cum præjudicio conjugis, se alteri tradere. Res enim ex jure justitiæ semel uni obligata, non potest alteri ex justitia obligari, nisi alter illorum velit juri suo in aliquo præjudicari. Igitur cùm renuit, & Dominus jus suum illæsum esse vult, nequaquam potest valere traditio; & ex consequenti, nec venditio facta alterius conjugis.

Probat exemplo Professionis. Ex eo enim non tantùm vir uxoris, sed etiam uxor viri vota irritare potest, quæ sibi præjudicant, & professio in Religione, renuente uxore, nulla est; quàmvis sint vincula diversæ rationis, scilicet religionis, & justitiæ. Et quàmvis jure naturali non pugnet utrumque vinculum; at jure naturali potest illum à monasterio extrahere, & ad se revocare, quàmvis vinculum Religionis maneret. Ergò jure ipsò naturali impediri potest vinculum servitutis. Et quàmvis non omninò sequatur præjudicium uxori, tamen aliquod sequi, negari non potest, quod illa in isto casu pati non tenetur invita, cùm sit prior in jure. Hactenus Basilius.

86. *Occurrit objectionibus.* Et occurens objectionibus, n. 7. & 8. scribit in hæc verba: Neque obstat primò, quod objicit Turrecremata in d. cap. *Perlatum*, quòd quivis potest dare quod suum est; vir autem est sui juris. Nam cùm in ordine ad debitum conjugale non sit sui juris, non potest constante Matrimonio priori, & potiori jure, sui facere tradi-

traditionem alteri, quâ aliquâ ex parte lædatur jus uxoris, aut illi sequatur præjudicium.

Neque obstat secundò textus in cap. *Perlatum*, ubi indicari videtur, sine consensu uxoris factam venditionem sui in servitutem valere. Quæritur enim à Concilio; an uxor ejus, qui se vendidit in servum, sit redigenda in servitutem. Respondetque & vinculum Matrimonij valere, neque illam servam fore, cum libero nupserit,

87. *Respondet ad Cap. Perlatum.* Sed in primis, is Canon ex Triburiensi Provinciali Concilio desumptus est: Canones autem, quos Gratianus adducit, non majorem auctoritatem habent, quàm hi, ex quibus desumuntur. Deinde dico: Canonem illum nec negare, nec probare, an venditio valeat; sed quidquid de eo sit, tantùm respondere non esse redigendam in servitutem uxorem, quæ libero nupsit. Denique dico, ut constat ex initio ejus Canonis, divortium præcessisse inter eos: legitimè autem separatis quoad habitationem, potuit se vir vendere in servum sine consensu uxoris; cùm ex ea venditione nullum illi sequeretur præjudicium, eò quòd divortio facto, nulla esset debiti redditio. Hucusque Pontius.

88. *Pontium sequitur Cast. Palao: porrò Sanchium Aversa & Dicast. ex parte.* Quem sequitur Castro Palao de Sponsal. disp. 4. punct. 5. §. 11. n. 8. Sanchium autem sequitur Aversa q. 22. sect. 1. §. *Rursus*. Item Dicast. sup. n. 154. quamvis non ex toto; quippè n. 156. sic ait: Addit Sanchez, integrum esse Domino virum, qui se vendidit, aliò vendendum mittere, si uxor possit commodè eum sequi: nec dissentit Perez disp. 25. sect. 7. n. 1. Quod ego solùm verum puto, quando se vendit cum facultate uxoris; nam si ipsâ non consentiente, erit contrà jus uxoris id facere, ut rectè docet Layman lib. 5. tract. 10. p. 4. c. 2. n. 4. in fine.

Perez.

Laijman.

Imò miror, quòd Sanchez oppositum doceat, cùm tamen disp. 21. n. 15. docuerit, parendum potiùs esse uxori, quàm Domino præcipienti, propter illam primævam originem Matrimonij, præcedentem jus gentium inducens servitutem. In hoc autem nostro casu à fortiori locum habere debet; quia etiam actualis apprehensio & possessio juris stat pro uxore. Hæc ille.

89. *Potest Dominus talem servum aliò mittere, quando uxor potest commodè sequi.* Prorsùs locum habet; & ideò non potest mittere Dominus talem servum aliò vendendum, quando uxor non potest eum commodè sequi; nam tunc uxori præjudicaretur; veluti si vir suus aliò vellet transferre domicilium, ubi ipsa non potest eum commodè sequi; nam ex contractu Matrimonij habet jus ad cohabitationem, quod per hujusmodi translationem domicilij impeditur. Sicut autem vir non præjudicat suæ uxori, si mutet domicilium, quando hæc commodè potest ipsum sequi; sic pariter non præjudicat ei Dominus, quando virum, jam servum effectum, mittit aliò vendendum, si uxor possit commodè eum sequi,

90. *Hic non est casus Metaphysicus.* Quod autem sup. dicebat Hiquæus, hunc esse casum metaphysicum, non credo; nam frequenter fieri potest, ut indifferens sit mulieri, sive habitet Lovanij, sive Mechliniæ aut Antverpiæ; imò fieri non rarò posset, quòd libentiùs habitaret in loco, ad quem Dominus mittit virum vendendum, quàm in loco, ubi modò moratur.

Igitur potiùs parendum est uxori, quàm Domino, quando vir non potest Domino parere, nisi negando debitum uxori, rationabiliter illud exigenti. Unde in casu, in quo mulier non tenetur sequi virum liberum; sed vir liber faceret contrà jus uxoris, domicilium mutando; in eodem, dico, casu non potest Dominus virum, jam effectum servum, aliò mittere vendendum. Patet ex verbis Sanchij sup. adductis, ibi: *At vir sine Matrimonij læsione* &c.

Itaque in hoc puncto nihil mirabile docet Sanchez; nam si vir possit sine peccato injustitiæ se ipsum vendere, renitente uxore, & sinè peccato injustitiæ mutare domicilium, renitente uxore; cur Domino erit illicita ea mutatio? Nam fit volente viro, qui, ut supponitur, justè potuit eam velle.

91. *Approbatur Doctrina Sanchez.*

Si ergò vir, ex vi contractûs matrimonialis ad nihil aliud ex justitia obligatur suæ uxori, quàm ad reddendum debitum, dum rationabiliter exigitur, ut videntur supponere Sanchez & Alij sup. citati pro ejus sententia, satis probabile apparet, virum seipsum vendendo non peccare, saltem mortaliter, contrà justitiam; quia uxor quoad hoc modicum patitur præjudicium.

92. *Sub qua consideratione d. venditio sit mortalis injustitia.* Aversa.

Sin autem consideremus obligationem justitiæ, quàm vir habet præstandi alimenta uxori ac in omnibus providendi ei, juxtà qualitatem ac decentiam personæ & familiæ, quam admittit Aversa q. 22. sect. 4. §. *Tenetur*, dicens: Tenetur, per se loquendo, vir ad alendam uxorem, sub alimentis comprehendendo victum, vestitum, habitaculum, famulatum, & quæcumque ad humanam vitam necessaria sunt. Estque res clara ex omni humano jure & usu, & ex natura ipsa Matrimonij apud omnes Gentes & Nationes, cùm vir sit caput uxoris & familiæ, eique incumbat familiam totam regere ac sustentare, & uxorem tamquam sociam & consortem habere, atque adeò in omnibus providere.

Si, inquam, hæc obligatio, quæ est de justitia, ut ibidem ait, attentè consideretur, vix video, quomodo illa venditio, quæ, ut omnes supponunt, & docet Sanchez sup. n. 3., in dedecus grave uxoris, & familiæ, ac injuriam redundat; non video, inquam, quomodo excusari possit à gravi peccato injustitiæ, quidquid sit de valore venditionis; nam venditio injusta potest esse valida in multis casibus.

93. *An illa venditio sit causa sufficiens negandi debitum & cohabitationem, ex Hiquæo. Henriquez. Ledesma.* Appositè Hiquæus sup. n. 24. Illam (venditionem) esse sufficientem causam non solùm divortij, judico cum Henriquez lib. 11. de Matr. c. 10. & Barthol. Ledesma de Matr. q. 52. & 53. sed etiam negandi debitum conjugale & cohabitationis ob violatam fidem primi contractûs, & propulsandum opprobrium, quod ille, contranitente uxore, contrà jura Matrimonij ei debita induxit; nam si potest negare debitum ob causam subtractorum alimentorum sibi & proli, ut plures tenent; eadem ratio currit in

propo-

propositò, cùm ob jura servitutis inductæ, ipse se privet omni possibilitate alendi uxorem & prolem; cùm omnia, quæ acquirit, suo Domino acquirat, & nihil uxori; sed sibi tantùm necessaria ad sustentationem sui. Hæc ille.

94. *Objectio Solvitur.* Si dixeris: pretium venditæ libertatis posse sufficere uxori ad alimoniam. Respondet idem Auctor n. 25. Si ratio proris sententiæ subsistat, eum se posse gratis constituere servum; quia sic utitur jure suo. Neque adeò tribuendum est potestati viri in uxorem, ut Sacramento & debito uxoris detrahatur, cùm ex prima institutione Sacramenti, vir relinquere debeat patrem, & matrem, & adhærere uxori suæ: ergò si major hæc sit conjunctio, si filius sub potestate constitutus nequeat seipsum vendere, patre renitente, minùs potest vir, renitente uxore.

Quod autem dicitur, sufficere, ne ipsi subtrahat debitum conjugale, vel impedimentum ei statuat ob periculum fornicationis, non subsistit: quia ei impedimentum statuit, prout ex vi prioris contractûs ei debetur, qui initus est cum libero, acquirendo dominium, & illud transferendo, sine ullo onere ant impedimento.

95. *Ex quibus causis venditio sui possit esse injusta.* Ampliùs etiam dico; non ex hoc solo venditionem esse contrà justitiam, sed ex aliis etiam causis, educationis prolis debitæ, gubernationis & assistentiæ, alimoniarum & cohabitationis. Unde si in casu redderetur impotens post contractum Matrimonium & consummatum, adhuc non posset se vendere, renitente uxore; sicut neque separare, aut ingredi Religionem, aut suscipere sacros Ordines, quibus tamen contractus magis favet quàm servituti voluntariè inductæ, quâ positâ, redditur inhabilis uxori ad usum Matrimonij sive debiti, dabo quòd sit factus impotens, sive ad alia commoda enumerata, quibus procurandis tenetur. Hucusque Hiquæus.

Quæ, & alia, superiùs ex eo Auctore adducta, licèt non omnia concludant intentum, ut consideranti facilè patebit; equidem ostendunt difficultatem, quæ est in sententia Sanchij, & probabilitatem sententiæ oppositæ.

96. *Venditio uxoris sine consensu viri est injusta.* Utut sit de venditione viri, ferè omnes admittunt, uxorem non posse seipsam servituti mancipare ac vendere, absque viri consensu, & venditionem aliter factam, quàm de consensu viri, esse contrà justitiam. Quia uxor ultrà obligationem reddendi debiti conjugalis, in qua conjuges sunt pares, subditur viro tamquam capiti in reliquis, quæ ad regimen domûs & familiæ attinent. Atque hæc subjectio uxoris & superioritas viri oriuntur ex natura Matrimonij.

Hugo cum paucis aliis docet oppositum. Dixi: *Ferè omnes*: quia Hugo 29. q. 2. cap. penult. & pauci alij dicunt oppositum, scilicet posse uxorem se, invito viro, venundare. Quòd quoad hoc non sit sub potestate viri. Sed hoc est quod quæritur, & probatum oportuit, non suppositum.

Certum est mulierem esse sub potestate viri, Gen. 3. vers. 16. *Mulieri quòque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Nemo quòque dubitat, virum caput esse mulieris, ad Ephes. 5. vers. 22. & 23. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris.* Nusquam autem legitur in Scriptura, Viri mulieribus suis subditi sint.

97. *Sed jure sufficienti fundamento.* Ostendant ergò Adversarij, quoad hoc, id est, venditionem sui, mulieres non esse subditas suis viris, & habebunt intentum. Cùm autem hoc ostendere non possint, potiùs dicant cum communi sententia, uxorem, invito marito, non posse seipsam vendere in ancillam. Atque hæc satis de incidentali tantùm quæstione.

An servi teneantur petere consensum domini? Coninck. Interim Conclusio manet vera; scilicet, servum, non solùm Domino consentiente, sed etiam contradicente, posse Matrimonium contrahere. Notat tamen Coninck disp. 31. n. 32. servos, nisi aliqua justa causa aliud suadeat (qualis esset si timerent, ne Dominus malitiosè eorum Matrimonium impediat) teneri priùs Dominorum consensum petere, antequam cum aliqua contrahant.

Colligitur, inquit, apertè ex Concil. Cabilon. quod requirit voluntatem Dominorum, ut conjugia servorum sint omninò legitima. Ratio est: quia hoc exigit reverentia, quam iis debent; præsertim cùm sæpè multùm Dominorum interest, utrùm servi cum hac vel illa contrahant; ideòque durum sit, si servi, iis inconsultis, cum aliqua contrahant, quæ ipsis valdè ingrata, ac multas molestias paritura sit. Hæc ille.

98. *Non videtur esse stricta necessitas per se.* Sed ego nullam invenio strictam necessitatem hujusmodi petitionis, neque in Concil. Cabilonensi, quod in principio Conclusionis explicatum fuit; neque in ratione, nisi fortè servus specialia beneficia à Domino accepisset, propter quæ ex gratitudine aliqua, eo invito, non deberet Matrimonium cum hac aut illa contrahere. Alioquì reverentia Dominis debita à servis in eo solo consistit, quòd exhibeantur debita & consueta obsequia, inter quæ est minimè numeranda illa petitio consensûs, cùm, etiam Domino expressè contradicente, propter fortè incommodum aliquod ex Matrimonio ineundo sibi obventurum, nihilominùs absque ullo peccato servus possit Matrimonium contrahere.

Magis attendendum est hic interesse servi, quàm domini. Et verò in hoc contractu magis attendendum est interesse servi quàm Domini, magisque considerandum, an ea cum qua contrahitur, sit grata servo, quàm Domino; cùm vinculum Matrimoniale sit indissolubile; servitus autem solubilis. Unde si uxor non placeat Domino, vendat servum, & liber erit à molestiis, quas timet. Igitur consideratâ solâ obligatione servitutis, licitè contrahit servus Matrimonium etiam non petito consensu Domini.

99. *Objectio ex Philos.* Si dixeris: nullus potest dare alienum; sed corpus servi est Domini secundùm Philosophum 3. Politicorum. Respondet Scotus sup. *Servus non est Domini secundùm omnia; sed secundùm aliqua est sui juris, ut ad comedendum, bibendum, dormiendum, & breviter ad quoscumq; actus exercen-* *Solvitur ex Scoto.*

exercendos, propter quos non ſubtrahuntur Domino debita ſervitia: igitur cùm pro tunc poſſet uti actu carnali, poteſt ad illum ſe obligare, quantũ ſui juris eſt.

Quod Philoſophus dicit de ſervitute illa maledicta, quâ ſervus eſt, ſicut pecus, poteſt intelligi, quod eſt Domini ſui, ſicut poſſeßio vel pecunia: non tamen quòd in actibus ſuis ducatur tantùm, & non ducat: quia quantumcumque ſit ſervus, eſt tamen homo, & ita liberi arbitrij. Ex quo patet magna crudelitas fuiſſe in prima inductione ſervitutis, quia hominem arbitrio liberum, & dominum ſuorum actuum ad virtuosè agendum, facit quaſi brutum, & libero arbitrio non utentem, nec potentem agere virtuosè.

100. *Servitus non repugnat ſubſtantiæ Matr.*

Cæterùm, ex hactenus dictis perſpicuè manifeſtum fit, ſervitutem ex ſe non repugnare ſubſtantiæ Matrimonij; ac proinde non dirimere Matrimonium cum ea contractum. Si autem à me quæratur, quid ergò intelligatur per *Conditionem ſervilem*, quæ communiter numeratur inter impedimenta dirimentia. Reſpondeo citiùs & erit.

CONCLUSIO II.

Servitus ignorata dirimit Matrimonium inter liberum aut liberam, & mancipium. Nunquid jure naturali?

101. *D. Tho. comparat ſervitutem naturali impotentiæ.*

INcipio hanc Concluſionem à verbis Doct. Angelici 4. diſt. 36. q. un a. 1. in corp. *Dicendum, quòd in Matrimony contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum, & ideò ſi ille, qui ſe obligat, eſt impotens ad ſolvendum, ignorantia hujus impotentiæ in eo, cui fit obligatio, tollit contractum. Sicut per impotentiam coëundi efficitur aliquis impotens ad ſolvendum debitum, ut omninò non poßit ſolvere; ita per ſervitutem, ut liberè reddere debitum non poßit; & ideò, ſicut impotentia coëundi ignorata impedit Matrimonium, non autem ſi ſciatur; ita conditio ſervitutis ignorata Matrimonium impedit, non autem ſervitus ſcita.*

An ſervitus ſcita dirimat Matr.

Ubi D. Tho. comparat ſervitutem naturali impotentiæ; hæc autem, utpote contrà ſubſtantiam Matrimonij, etiam ſcita, juxtà Sanchium & alios plures tam Theologos quàm Iuſperitos, ut ſuo loco videbimus, dirimit Matrimonium, quidquid hic & alibi dicat Doct. Angel. ergò ſimiliter ſervitus, etiam ſcita, tamquam contraria ſubſtantiæ Matrimonij, dirimet illud in ſententia Sanchij & aliorum.

102. *Probatur dirimere, ex ratione.*

Et confirmatur: quia ſi in contractu Matrimonij ea conditio apponeretur, ut non teneretur conjux habitare cum conjuge, illive debitum reddere, niſi quando Dominus voluerit, Matrimonium eſſet nullum, ob conditionẽ Matrimonij ſubſtantiæ adverſam, c. fin de Condit. appoſ. At ea conditio tacitè ineſt in ſervi Matrimonio.

Item ex jure.

Accedat l. 3. Cod. de Inceſtis nupt. quæ ſic incipit: *Cum ancillis non poteſt eſſe connubium: nam ex hujuſmodi conturbernio ſervi naſcuntur.* Quæ utique ratio etiam militat, quando ſcienter contrahitur cum ancilla.

His tamen non obſtantibus, res certiſſima eſt 103. *Certum eſt non dirimere, ex c. 1. de Conjug. ſerv.*
ſervitutem ſcitam non dirimere jure naturali; neque Eccleſiaſtico; eſtò dirimeret jure naturali impotentia ſcita: Arg. cap. 1. de Conjug. ſervorum, ubi, ut vidimus Concluſ. præcedenti, conceditur ſervis contrahere Matrimonium, etiam Dominis invitis, & cap. 2. eod. ibi: *Mandamus, quatenùs ſi conſtiterit, quòd idem vir præfatam mulierem, poſtquam audivit illam eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum, monitione præmiſsâ, compellatis, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet.* *Item ex c. 2. eod.*

Idem definitur cap. 2. 29, q. 2. (quod eſt Zachariæ Papæ) *Si quis liber ancillam in Matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam (ſi conſenſu amborum conjuncti ſunt) exceptâ cauſâ fornicationis: ſed una lex deinceps erit per omnia & viro, & fœminæ,* *c. 2. 29. q. 2.*

Et cap. 4. eâd cauſ. & q. ex Concil. apud 104. *Cap. 4.*
Vermeriam c. 9.: *Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, & exiſtimat, quòd ingenua ſit, ſi ipſa fœmina fuerit poſtea in ſervitute detecta, ſi eam a ſervitute redimere poteſt, faciat, ſi non poteſt, ſi voluerit, aliam accipiat. Si autem ancillam eam ſcierat, & collaudaverat, prout legitimam eam habeat.*

Item cap. 5. eâd. cauſ. & q. ex eod. Concil. *& c. 5. eâd.*
cap. 8. *Si fœmina ingenua acceperit ſervum, ſciens quòd ſervus eſſet, habeat eum: quia omnes unum patrem habemus in cælis. Vna lex erit viro & fœminæ.* Igitur de veritate hujus doctrinæ non eſt relictus dubitandi locus.

Nec obſtat comparatio ſervitutis cùm impo- 105. *Reſp. ad 1. arg. oppoſitæ ſententiæ.*
tentia naturali: quia non eſt omnimoda, ut patet ex ipſis verbis D. Tho. Quippe per impotentiam coëundi, ita quis efficitur impotens, ut omninò non poſſit ſolvere debitum; at verò per ſervitutem, ut liberè reddere debitum non poſſit. Proinde impotentia omninò repugnat ſubſtantiæ Matrimonij, & ideò etiam ſcita dirimit, cùm res ſine ſua ſubſtantia nequeat ſubſiſtere. At verò ſervitus tantùm aliquo modo repugnat ſubſtantiæ Matrimonij, ſive tollit aliquem modum ſubſtantiæ, putà libertatem omnimodam uſûs Matrimonij, ſeu liberum omninò uſum Matrimonij, relinquens ſimpliciter uſum; & ideò ſcita non dirimit, cùm adhuc maneat ſubſtantia Matrimonij.

Nec eſt ſimile (inquit Sanchez lib. 7. diſp. 106.
19. n. 13.) ſi apponeretur ea conditio in contractu Matrimonij, ut non teneretur conjux cohabitare, aut debitum reddere, niſi cùm alter tertius voluerit, in quo caſu eſſet irritum Matrimonium. Quia ſervus contrahens Matrimonium, nec tacitè nec expreſsè eam conditionem apponit, ut non teneatur cohabitare, nec reddere, niſi Domino volente; ſed tantùm ex natura ſtatûs ſervilis ſupponitur, non teneri ſervum reddere debitum, quando ex juſta cauſa impeditur à Domino, quod nullatenùs eſt contrà Matrimonij eſſentiam: hæc enim minimè aſtringit ad ſemper & ubique debitum reddendum, ſed quoties legitimum impedimentum non obſtiterit. Cùm ergò Dominus nequeat ſervo impedire juſtum & rationi conſonum

Matrimonij usum : manifestè apparet, latam esse differentiam, in eo, qui conditionem apponit non reddendi, nisi altero volente ; & in eo, qui etiam explicitè apponeret conditionem non reddendi, quando ratione statûs legitimum obstaret impedimentum. Hæc ille.

Alioquin, ne quidem servitus conductitia staret cum Matrimonio ; cùm talis etiam servus non possit subtrahere operam suam elocatam, ad reddendum debitum conjugi.

107. *Valeret Matr. etsi dominus pro semper posset impedire ejus usum*

Atque ut Dominus pro semper justè posset impedire usum Matrimonij ; equidem contractus valeret. Sic enim potest quis validè contrahere cum aliqua, jam moriturâ vel naturaliter, vel per justitiam, estò nullum possit habere usum corporis illius, naturâ, vel justitiâ id impediente.

Coninck.

Hinc Coninck disp. 31. n. 23. negat irritum esse Matrimonium cum hac conditione contractum, ut non teneatur quis reddere debitum, nisi quando tertio placet : Quia, inquit, potest quis contrahere cum hac conditione, ut nunquam teneatur reddere debitum. Quod probat idem Auctor disp. 24. n. 43. quia tota essentia Matrimonij consistit in mutuo dominio ac subjectione corporum ad usum Matrimonij : atqui talis obligatio, sive conditio apposita, non repugnat illi dominio, aut ejus traditioni, sed tantùm impedit ejus usum ; ergò cum ea potest Matrimonium validè contrahi. Hæc ille.

108. *Verum jus potest ab alio pendere in suo usu.*

Sanè jus dependens in suo usu à voluntate alterius, esse verum jus, manifestè patet in Religiosis Societatis Iesu post biennium professis, qui retinent verum dominium suorum bonorum, estò usus dependeat à voluntate Superioris. Quare sic etiam non posset quis habere jus & potestatem in corpus alterius, tametsi usus dependeret à voluntate tertij ? Non video repugnantiam.

Ius civile hìc est correctum per Canonicum

Maneat ergò, servitutem cognitam nullum omninò præstare impedimentum, saltem dirimens, quidquid aliter statuat jus civile d. l. *Cum ancillis*, quæ jure Canonico, quod in hac re prævalet, correcta censeri debet, & correcta censetur.

109. *An servitus scita sit impedimentum prohibens, ex Soto.*

Dixi consultò : *Saltem dirimens :* quia Sotus 4. dist. 35. q. un. a. 1. vers. *Contrà hanc*, existimat peccare libèrum, qui absque urgenti causa, vel valdè commodâ, ancillam ducit : peccare, inquam, sed non mortaliter, nisi graves circumstantiæ, aut scandalum accedant.

Negat Sanchez

Verùm (inquit Sanchez sup. n. 14.) ex se non video ullam culpæ rationem. Id enim nullo jure prohibetur. Et ita nullam esse culpam, bene docet Angelus verb. Matrimonium 2. impedimento 4. in fine.

110. *Est irregularis qui contrahit ancilla :*

Est tamen irregularis ancillam ducens, per cap. 15. dist. 34. quod desumptum est ex Canonibus Apost. c. 18. *Si quis viduam, aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam de iis quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Præsbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deserviunt.*

Ubi Glos. verb. *Ancillam*, interrogat : *Sed quare id prohibetur, cùm tamen eo ipso, quòd aliquis ducit ancillam suam in uxorem, ipsa libera efficiatur, Cod. de Lat. libert. tol. Authent.* Ad hoc, & *Cod. de Oper. libert.* Libertæ. *Similiter tenet Matrimonium cum aliena ancilla, ut 20. q. 2. c. 1. & 2. Respondeo : propter prærogativam Sacerdotij. Vel ideo, quia non videtur ibi esse plenum Matrimonium, ut 32. q. 2.* Sicut non omnis ; *& ideò non videtur ibi esse plenum Sacramentum. Vel hoc ideò contingit, quia vilis persona præsumitur, qui contrahit cum ancilla.*

Estò etiam foret virgo

Et id verum est (inquit Sanchez) quàmvis ancilla virgo sit, aliàs nil decideret is textus ; ducens enim, etiam liberam, non virginem, est irregularis ob bigamiam contractam. Deinde : quia textus indistinctè loquitur de ancilla. Et ita sentiunt Archid. Dominicus, Turrec. & alij.

111. *Quid si duceret propriam ancillam.*

Non tamen consentiunt inter se hi DD. quando liber duceret propriam ancillam virginem. Nam dicta Glos. quàmvis fateatur, effici tunc liberam ancillam, ait, esse eum irregularem : quòd adhuc reputetur vilis. At Archid. Turrec. ibi id negant, nisi propria ancilla corrupta sit. Quia cùm per id Matrimonium libera efficiatur, cessat causa prohibitionis. Et Dominicus ibi, utramque expositionem sub disjunctione sequitur, & ita utramque censet esse probabilem. At dicendum est, non esse irregularem ob rationem dictam, quando per id Matrimonium redit in libertatem.

Non est irregularis juxtà Sanchez & Alios.

Similiter si putaverit esse liberam.

Et dico similiter, non esse irregularem, qui init Matrimonium cum ancilla, existimans eam esse liberam. Quia non reputatur vilis, ignorantiâ excusante. Et propterea, quòd Matrimonium sit invalidum, ac careat effectu.

112. *Et quoties Matr. est nullum.*

Et similiter, quoties Matrimonium illud cum ancilla cognita, esset nullum. Quia non sortitur effectum suum id Matrimonium. Nec est verbum aliquod in d. cap. *Si quis viduam*, ex quo colligatur, considerari in eo factum ipsum & animum facientis ; ut proindè cogamur dicere, incurri eam irregularitatem, non secuto Matrimonio valido. At non requiritur Matrimonij consummatio, ut ducens ancillam sit irregularis : quia id desiderari, nullo jure probatur : & quia infamia illa ex ipso Matrimonio contracto pullulat. Ita Sanchez, & nos cum illo.

Non requiritur consummatio Matr.

113. *Matr. liberi aut liberæ ignoranter contractum cum mancipio, non valet per c. 2. de Conjug. serv.*

Sed jam tempus est, ut cùm de libero, scienter contrahente cum ancilla, dixerimus, non obliviscamur liberi ignoranter contrahentis cum ancilla, de quo potissimum hìc tractatur. Porrò ejus Matrimonium non valere, definitur cap. fin. de Conjug. servorum ibi : *Ideoq; mandamus, quatenus, si constiterit, quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quod, postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo, consenserit in eamdem, propter quod per Cardinalem eumdem ab ejus fuerat consortio separatus,* contrahendi cum alia, liberam ipsi concedas auctoritate Apostolicâ facultatem. Ita Innoc. 3.

Et

Et quòd hìc dicitur de Matrimonio liberi cum ancilla, ſimiliter intelligendum eſt de Matrimonio liberæ cum ſervo. Igitur vera eſt Concluſio, quæ aſſerit: *Servitus ignorata dirimit Matrimonium inter liberum aut liberam, & mancipium.*

114. *Quæ ratio hujus impedimenti, ex Sanchez.* Sed quæ ratio hujus impedimenti? Quòd is error (inquit Sanchez ſup. n. 2.) valdè bonis Matrimonij adverſetur: bono Sacramenti & individuæ cohabitationis; cùm ſervus debeat in domo Domini habitare, ab eoque poſſit mitti in partes remotas; ibi vendendus: bono fidei; quia non poteſt ad libitum reddere debitum, ſed cùm ei vacaverit, ſatisfeceritque obſequiis, in quibus à Domino occupatur: bono prolis, quia nequibit illam alere, cùm omnia Domino acquirat, nec erit in parentis poteſtate, ut religiosè educetur. Hæc ille.

Item ex D. Bonav. Placet audire Doct. Seraphicum 4. diſt. 36. a. 1. q. 2. n. 11. *Ratio* (inquit) *hujus* (impedimenti) *eſt propter duo, ſcilicet propter favorem libertatis, & cauſæ Matrimonialis, quæ maximè favorabilis eſt. Vnde quia, qui contrahit cum ancilla, quodammodò perdit libertatem, quæ eſt ſicut dicitur in jure civili, bonum inæſtimabile, & quam nullus perdit, niſi volens, quia perditam recuperare non poteſt etiam volens; ideò in favorem libertatis, jus ſervatur erranti, ut, ſi velit, poſſit ancillam deſerere. Et præterea ſervitus eſt contra bonum prolis & fidei: & quia jura favent Matrimonio, ideo præſumunt, errantem in conditione, non conſentire; ideò nec Matrimonium eſſe; & ideo quòd impediat, hoc facit conſtitutio Eccleſiæ, ex predicta veniens ratione.*

115. *Objectio.* Si objicias: magìs eſt tolerabilis in conjuge ſervitutis conditio, quàm qualitas lepræ: ergò ſi error qualitatis talis non impedit, multò minùs nec error conditionis.

Solvitur ex eod. Reſpondet S. Bonav. ſup. n. 12. *Quòd non eſt ſimile; quia nulla qualitas eſt ita contrà bonum Matrimonij, ut ſervitus; nulla etiam ita obviat bonis Matrimonij, ut ſervitus, de his, quæ non impediunt.*

116. *Alia objectio.* Rurſum objicis: error fortunæ, ſicut jura dicunt, non impedit Matrimonium: ſed poſſibile eſt, quòd ſervitus ſit à fortuna, ſicuti ſi aliquis capitur à caſu in bello, & efficitur ſervus, vel propter paupertatē, quæ eſt à fortuna, ſecundùm uſum loquendi, ſe vendit in ſervum; ergò &c.

Solutio Doct. Seraphici. Reſpondet idem Doct. ſup. n. 13. *Quòd libertas non computatur inter bona fortunæ; immò omnibus aliis præponderat.*

Rogas: quæ ergò ſint bona fortunæ, quorum error non impedit Matrimonium? Reſpondeo: divitiæ externæ, quando aliquis putatur dives, & eſt pauper, de quo errore alibi egimus. Conſtat autem libertatem, quæ quodammodò bonum naturale eſt, longè præponderare divitiis, & ſervitutem longè magìs præjudicare obligationi Matrimoniali, quàm paupertatem.

117. *Libertas numeratur inter bona fortunæ.* Quàmvis ergò ſervitus poſſit alicui contingere à fortuna ſeu caſu, non ideò tamen libertas inter bona fortunæ numeranda venit. Nam etiam impotentia coëundi alicui contingere poteſt à fortuna ſeu caſu, ut nimis manifeſtum eſt; quis ideò potentiam coëundi annumerat bonis fortunæ, quorum error non impedit Matrimonium?

Quare magìs ſervitus ignorata, quàm ſcita, dirimat, ex D. Bonav. Nec obſtat: quod ſervitus ſcita non impediat: *Quia* (ut ait. S. Bonav. ſup. n. 14.) *quilibet cùm vult poteſt effici ſervus; ſed ignorata impedit, quia non debet puniri nolens.*

118. *Non valet hìc arg. à ſpirituali.* Sed neque valet hìc argumentum à ſervitute ſpirituali, quæ pejor eſt, & tamen non impedit. Nam reſpondet idem S. Doct. n. 15. *Quod etſi ſit pejor ipſi ſervo, non tamen adeò redundat in alium, utpote in prolem, vel etiam in uxorem, & præterea faciliùs poteſt expelli.*

Quid aliud objici poſſit non video; præſertim ſi verum eſt, ſolo jure Eccleſiaſtico hunc errorem dirimere; nam certum eſt, Eccleſiam propter dictas rationes jure meritiſſimo potuiſſe tale impedimentum ſtatuere.

119. *Vbi Eccleſia ſtatuerit hoc impedimentum.* Porrò ſtatuiſſe, quod potuit ſtatuere, quàmvis non conſtet ex aliquo jure ſcripto: nam d. cap. fin. de Conjug. ſervorum, & alia jura, quæ communiter allegantur, non habent formam ſtatuti irritantis; æquidem conſtat (ut vult Sanchez ſup. n. 18.) ex uſu & traditione Eccleſiæ, & forſan olim ſcripta fuit, ac periit ſcriptura.

Sed enim, dicet aliquis: omne *forsàn*, ſolvitur per aliud *forsan*. Adeòque ſicut Sanchez dicit, forsàn olim ſcriptam fuiſſe; ego eodem jure dicere poſſum, forsàn olim ſcriptam non fuiſſe, nec periiſſe ſcripturam, quia nunquam fuerit.

120. *An uſus Eccleſiæ ſatis probet hoc ſtatutum.* Et verò ex uſu Eccleſiæ nihil aliud probatur, quam errorem ſervitutis reverà Matrimonium dirimere; non autem quòd dirimat jure Eccleſiaſtico; nam multa alia ſunt in uſu Eccleſiæ, quæ tamen ſunt juris naturalis, & non tantùm juris Eccleſiaſtici. Ergò ex illo uſu non ſatis probatur, hoc impedimentum eſſe tantum juris Eccleſiaſtici. Igitur aliundè manet probandum, non eſſe juris naturalis.

Reſpondeo ex illo uſu habetur, verum eſſe impedimentum, ſi non juris naturalis, ſaltem juris Eccleſiaſtici, legitima conſuetudine præſcriptum.

121. *Probatur, ſervitutem ſolo jure Eccleſiaſtico irritare.* Interim communior ſententia eſt, errorem ſervilis conditionis ſolo jure Eccleſiaſtico irritare. Quoniam ſervitus non impedit abſolutè & ſimpliciter uſum Matrimonij liberum; ſed tantùm certis temporibus; nimirum, quando juſtè & rationi conſentaneè occupat Dominus ſervum. At hoc non adverſatur ſubſtantiæ Matrimonij, quæ contenta eſt abſolutâ poteſtatis corporis traditione, & obligatione ad reddendum debitum, quando legitimum impedimentum non obſtiterit.

Prima confirmatio. Confirmatur 1. quia ſervitus ſcita non dirimit jure naturæ Matrimonium. Nec obſtat evaſio, ſi dicas, conſcium ſervitutis, & adhuc volentem inire Matrimonium cedere juri ſuo. Quia cùm requiſita ad Matrimonij valorem non poſſint ex contrahentium voluntate immutari, ſed ſemper ſtabilia ſint, non poteſt in hoc cedere juri ſuo. Sicut, quia naturalis impo-

tentia ad copulam, est juris naturalis impedimentum ad Matrimonium, non prodest, eam cognitam fuisse ab altero contrahente, ut Matrimonium subsistat.

122. *Alia confirmatio.* Rursus confirmatur; quòd lepra vel morbus diuturnus plus impediant liberum Matrimonij usum, quàm servitus; cùm tamen illa non dirimant Matrimonium.

Confirmatur tertiò. Tandem; quia quàmvis intercedente eo errore, inveniatur in Matrimonio aliquid involuntarij, inquantùm si quis conditionem servitutis præsciret, non contraheret: at contractus est simpliciter voluntarius, cùm simpliciter in hanc personam consentiat. Erit igitur verus contractus, attento solo naturæ jure. Simile quippe involuntarium reperitur, quando adest error qualitatis, dans causam contractui, nec tamen vitiatur Matrimonium. Ita Sanchez pro hac sententia, quam tamquam probabiliorem amplectitur sup. n. 16,

123. *Hæc sententia videtur esse D. Tho.* Et videtur esse D. Tho. 4. dist 36. q. un. a. 1. ad 3. ubi sic scribit: *Ius naturale dictat, quòd pœna sit pro culpa infligenda, & quod nullus sinè culpa puniri debeat; sed determinare pœnam secundùm conditionem personæ, & culpæ, est juris positivi; & ideò servitus, quæ est quædam pœna, determinata est de jure positivo, & à naturali proficiscitur, sicut determinatum ab indeterminato: & eodem jure positivo determinatè est factum, quòd servitus ignorata Matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur. Est enim quædam pœna uxoris, quod habeat virum servum, & e converso.* Hæc Doct. Angelicus.

Non tamen approbat omnes dd. rationes Sanchij. Qui tamen non approbat omnes rationes, ex Sanchio jam adductas: nam admittit, ut sup. vidimus, impotentiam scitam non dirimere Matrimonium, eò quòd contrahens censeatur cedere juri suo; & tamen impotentia est impedimentum juris naturæ. Ergò secundùm D. Tho. estò servitus foret impedimentum juris naturæ, adhuc fieri posset, ut ignorata dirimeret, secùs cognita, eò quòd cognoscens censeatur cedere juri suo.

124. *Resp. ad 2. contr.* Ad secundam confirmationem Sanchij de lepra, respondet D. Tho. ibidem ad 6. *Quòd lepra non impedit Matrimonium, quantùm ad primum actum suum, eò quòd leprosi debitum reddere possunt liberè, quamvis aliqua gravamina Matrimonio inferant, quantùm ad secundos effectus; & ideo non impedit Matrimonium, sicut servitus.*

Ergò, secundùm ipsum, non est paritas inter servitutem, & lepram, secluso jure positivo. Alioquì facillimè & verissimè respondere potuisset ad 6. servitutem dirimere, non lepram; quia de servitute ita disposuit jus positivum, secùs de lepra, quæ fuisset adæquatissima solutio.

125. *Ex natura rei est major inconvenientia in Matr. cum ancilla, quàm cum leprosa.* Et verò nisi major ex natura rei foret inconvenientia in Matrimonio cum ancilla aut servo, quàm in Matrimonio cum leproso, aut leprosa; cur, putas, Ecclesia errorem potiùs servitutis, quàm lepræ statuisset impedimentum dirimens?

Et idem argumentum formare possumus de errore qualitatum, putà divitiarum, pulchritudinis, &c. Si quippè hic error æqualiter repugnat naturæ seu substantiæ Matrimonij, cur æqualiter non constituitur ab Ecclesia impedimentum dirimens? Non constituitur autem; ergò signum est, Ecclesiam aliquam inæqualitatem agnoscere.

Hanc etiam inæqualitatem asserit Doct. Seraphicus sup. in responsione ad 1. objectionem: quamquam & ipse videatur sentire, errorem servitutis dirimere solo jure Ecclesiastico, ut patet ex verbis ejus sup. allegatis.

126. *Quid de hac controversia sentiat Scotus.* Rogat aliquis: quid de hac re censeat Doct. Subtilis? 4. dist. 30. quærit primò: *Vtrùm ad contractum Matrimonij requiratur consensus, sequens rationem non erroneam, sive apprehensionem?* Et n. 2. sic ait: *Ad istam quæstionem dico ex 2. Concluss. 1. q. dist. 26. quod iste contractus est donationis liberæ & voluntariæ, sicut dictum est distinct. præcedenti: ignorantia autem & maximè conditionis, quæ requiritur ad actum voluntatis, causat involuntarium secundùm Philosophum 3. Ethic. & secundùm Aug. 8. de Trinit. c. 4.* Nihil est amatum vel volitum, nisi priùs cognitum.

Videtur servitutem ponere impedimentum naturale. *Ex hoc sequitur breve corollarium; quòd error sive apprehensio erronea, quantùm ad omnem conditionem, requisitam per se ad contractum, facit contractum nullum esse: sunt autem in genere tres tales conditiones, duæ ex parte personarum. Vna, quod hæc persona putatur esse illa: alia, quod persona serva credatur libera. Tertia conditio, est error sibi correspondens ex parte contractûs, putà si credatur aliam personam simili contractu contrahere: cum tamen in rei veritate non contrahat; quia non intendit dare, sicut alia intendit accipere.* Ita Scotus.

127. *Ostenditur 1.* Subsumo ego: sed primus error, & tertius, jure naturæ irritant contractum Matrimonij: ergò etiam secundus, qui est error conditionis servilis: de quo subdit idem Doct. n. 3. *Secunda conditio est hic specialis; quia hæc est permutatio potestatis corporis pro potestate corporis: servus autem non potest dare potestatem sui corporis liberæ, sicut illa è converso: & illa nesciens servitutem ejus, per consequens non consentit in servum, nec vult commutare potestatem sui corporis, pro potestate corporis, quam servus non potest facere, quia non habet illam.*

Subsumo iterùm: atquì defectus consensûs jure naturæ irritat Matrimonium: ergò, secundùm Scotum, error servitutis non solo jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturæ irritat Matrimonium.

128. *Declaratur secundò.* Hinc eod. lib. dist. 42. n. 4. scribit in hæc verba: *Ex dictis breviter colligo impedimenta Matrimonij, quæ impediunt simpliciter. Dico autem impedimentum simpliciter, post quod, si fuerit attentatum, nihil fit: non simpliciter autem dico, prohibitionem quamcumque, propter quam illegitimè fit, si tamen fit, non est irritum.*

Impedimenta dirimens sumitur vel ex natura contractûs, vel ex lege Ecclesiæ. *Impedimenta autem simpliciter, aut accipiuntur ex natura talis contractûs, aut ex statuto Ecclesiæ superaddito. Si primo modo, igitur vel ex conditionibus necessariis ad contractum, vel ex necessariis ex parte contrahentium: ex parte contractûs, quia ex natura ejus est, quòd sit datio voluntaria potestatis corporis,*

corporis, pro poteſtate corporis, & perpetuò commutantium; ideò quod impedit voluntariam dationem talem, impedit naturam contractûs hujus.

129. *Involuntarium ex metu eſt contrà naturam Matr.*

Tale autem eſt ex parte voluntatis involuntarium ex metu, qui poteſt cadere in conſtantem virum, qui metus eſt ex certitudine ſufficiente mali imminentis, quod magìs debet vitare, ſecundùm rectam rationem, quàm cum iſta non contrahere: & hujuſmodi mala ſunt, malum mortis, mutilationis enormis, carceris, propriæ ſervitutis, ſtupri, & hujuſmodi, & de iſto impedimento dictum eſt diſt. 29.

Involuntarium autem ex defectu notitiæ præcedentis (ſi quidem ad voluntarium requiritur notitia, 3. Ethicorum) aut eſt ex carentia totali notitiæ intellectualis, aut eſt cum aliquali, licèt defectivâ, quia erroneâ. Si primo modo, ſic furia impedit Matrimonium, dum durat, & ita contractum iſtum: ſi tamen furioſus habeat lucida intervalla, pro tempore intervalli poteſt contrahere, & eodem modo poſt contractum tunc petere, & eſt ſibi debitum tunc reddendum; non autem pro tempore furiæ, quia tunc neſcit ex jure ſuo petere, ſed ſicut brutum; tunc etiam reddere, eſſet alteri periculum in perſona.

Qualiter furia impediat Matr.

130. *Triplex error dirimit Matr.*

Si autem ſit aliqua cognitio, ſed cum errore vel deceptione, triplex deceptio ſimpliciter impedit; quia quælibet eſt contra illud, quod neceſſariò requiritur ad contractum: quarum prima, eſt error perſonæ; ſecunda, error conditionis pejoris, putà ſervitutis; tertia, error dationis mutuæ, puta, iſta dat, credens iſtum poſſe redonare, ſive ſecum poſſe permutare; ille autem non redonat, licèt proferat verba doloſo animo tantùm, ſcilicet ut extorqueat libidinem, & de iſto triplici errore dictum eſt ſup. diſt. 30. Hucuſque Scotus.

Et infrà n. 11. ſic ait: *Hi quatuor primi verſus* (quorum primus eſt: *Vis, fraus perſonæ, ſervi, dationis & amens*) *continent impedimenta, quæ repugnant naturæ contractûs Matrimonij.* Ergò, ſecundùm Scotum, fraus ſeu error ſervi irritat Matrimonium jure naturæ, utpote qui repugnat naturæ hujus contractûs.

131. *Hæc ſententia Scoti eſt valde probabilis: & videtur etiam eſſe D. Tho.*

Neque ipſe ſolus docet hanc ſententiam, ſed alij complures tam Theologi, quàm juriſperiti, quos citat Sanchez ſup. n. 15. ubi cenſet eam valde probabilem. Et videtur etiam eſſe Doct. Angelici 4. diſt. 30. q. 1. a. 2. in corp. ubi hæc lego: *Oportet quòd error, qui Matrimonium impedit, ſit alicujus eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonij. Duo autem includit Matrimonium ipſum, ſcilicet perſonas, quæ conjunguntur, & mutuam poteſtatem in invicem, in qua Matrimonium conſiſtit: primum autem tollitur per errorem perſonæ: ſecundum per errorem conditionis; quia ſervus non poteſt poteſtatem ſui corporis alteri tradere ſine conſenſu Domini ſui, & propter hoc hi duo errores Matrimonium impediunt, & non alij.* Sed error perſonæ impedit ex jure naturæ; ergò etiam error conditionis, qui hìc comparatur errori perſonæ.

132. *Similitudo erroris perſonæ & conditionis, non eſt omnimoda, ex Sanchez.*

Reſpondet Sanchez ſup. n. 18. ſimilitudinem non eſſe in omnibus; ſed in hoc, ut ſicut error perſonæ tollit omninò conſenſum; ita error conditionis tollat circà conditionem illam ſervitutis; & licèt hoc ſit involuntarium tantùm ſecundùm quid: at jus Eccleſiaſticum irritavit, ubi non admittitur voluntariè conjugium cùm ſervo vel ancilla; quod minimè contingit, quando conditionis ſervilis error adeſt. Hæc ille.

Sed hoc quæritur, ubi Eccleſia irritaverit, & quare non ſufficiat involuntarium ſecundùm quid, id eſt, ſecundùm illud, quod, ſecundùm D. Tho. includit Matrimonium, ſcilicet mutuam poteſtatem in invicem, ut Matrimonium jure naturæ ſit irritum. Nam ſicut perſona eſt materia circà quam, ſic traditio corporis eſt quaſi materia ex qua ſive intrinſeca; ergò error circà traditionem æquè videtur irritare, atque error circà perſonam; quia uterque repugnat ſubſtantiæ Matrimonij, quæ, ſecundùm D. Tho., includit perſonam, & poteſtatem; jam autem ſervitus tollit liberam poteſtatem, ſeu traditionem corporis.

133. *Servitus non omninò repugnat ſubſtantiæ Matr. ſecundùm Sanchez.*

Reſpondet Sanchez ſup. ſervitutẽ aliquo modo adverſari ſubſtantiæ Matrimonij, quod omninò plenam & perfectiſſimam corporis traditionem non patiatur; at patitur, inquit, abſolutam, & rationi ſtatûs conſonam, quod ad veram Matrimonij rationem ſatis eſt, attento jure naturali.

Sed hoc rurſum eſt, quod petitur, & quod ſententia Scoti negat; unde probatum oportuit, non ſuppoſitum. Probavit quidem, aut certè conatus fuit probare Sanchez ſup. n. 16. exemplo ſervitutis ſcitæ, lepræ ignoratæ, & erroris qualitatum; ſed quàm inefficaciter probaverit, patet ex antedictis.

134. *Non valet hìc arg. ab errore fortunæ, qualitatis &c. ad errorem ſervitutis.*

Benè dixit D. Tho. ſup. ad 4. *Quòd diverſitas fortunæ non variat aliquid eorum, quæ ſunt de eſſentia Matrimonij, nec diverſitas qualitatis, ſicut facit conditio ſervitutis.* Et ad 5. *Quòd error nobilitatis, inquantùm hujuſmodi non evacuat Matrimonium eâdem ratione, quâ nec error qualitatis.*

Igitur, juxtà hanc doctrinam D. Tho., non valet hoc argumentum: Error qualitatis, aut nobilitatis, vel fortunæ non vitiat Matrimonium jure naturæ, niſi conſenſus fuiſſet expreſsè conditionatus; ergò neque eo jure vitiat error ſervitutis; quia hic error aliquid variat, quod eſt de eſſentia Matrimonij, ſecùs error qualitatis, nobilitatis aut fortunæ; quippè ſervitus facit, ut uſus corporis traditi dependeat ab alterius voluntate.

135. *Probatio à ſimili.*

Sicut ergò, ſi quis equum vendat, cujus uſus ex alterius voluntate pendet, id tacendo, irrita eſt jure naturæ venditio: cùm eò intrinſecè tendat venditio, ut Dominium, cum liberâ uſûs rei venditæ poteſtate, tranſeat in emptorem: ſic itidem Matrimonium, per quod ſervus liberæ tradit dominium ſui corporis, tacitâ ſervitute, eſt jure naturæ irritum; cùm eò intrinſecè tendat traditio, ut dominium, cum liberâ uſûs rei traditæ poteſtate, tranſeat in eum, cui corpus traditur. Jam autem uſus corporis ſervi pendet magnâ ex parte ex Domini voluntate.

136. *Reſp. Sanchez.*

Reſpondet Sanchez ſup. latam eſſe differentiam inter Matrimonium, & cæteros contractus bonæ fidei, qui irritantur ex dolo circà qualitatem, dante cauſam contractui, ut in hoc eventu accidit: quod ſecùs ſe habet in Matrimonio.

Rejicitur.

Planè ſecùs ſe habet in Matrimonio, quando dolus

dolus solùm versatur circà divitias, pulchritudinem, & similes qualitates : sed contendunt Scotus & D. Tho. libertatem non esse qualitatem, sed aliquid pertinens ad substantiam Matrimonij, simili modo quo persona, & physica potentia coëundi.

137. *Alia responsio.* Hinc aliter responderi posset ad dictum argumentum à simili : venditionem illam esse validam, quàmvis sit injusta, cùm pretium ordinariè proportionetur Dominio & usui rei. Vel dic disparitatem esse : quòd usus equi sit quasi substantia, quæ venditur & emitur, illius enim maximè habetur ratio ; & tamen tali casu verè non haberet usum emptor, sed tertius. At verò in casu nostro traditur corpus & usus corporis, quàmvis indirectè impeditus, traditur, inquam, pro illo tempore, quo legitimè non impeditur. Quòd autem unum corpus plus vel minùs sit impeditum, merè accidentale est ; adeoque usus ille frequentior, vel minùs frequens, non potest censeri substantia contractûs, sed solùm est aliquod accidens.

138. *Differentia inter errorem personæ & servitutis.* Aliud est, quando erratur in persona ; nam tunc mutatur ipsa individua substantia contractûs, videlicet ipsum substantiale corpus, circà quod contrahitur : hic porrò est corpus illud, quod alter intendit, quàmvis habeat aliquod impedimentum frequentioris usûs, quod ignorat ; & per consequens non intendit, nisi indirectè & consecutivè : neque enim ipse usus corporis est substantia, sed dominium corporis; usus autem est finis contractûs, & finis ille habetur, tametsi aliquo modo impeditus.

Oppugnatur. Sed contrà, dicet aliquis : finis non est usus impeditus, sed liber ; idque ex natura rei, quia corpus ex natura sua liberum est, adeoque & usus corporis ; illum ergò censetur intendere is, qui liberum usum sui corporis tradit ; ac proinde, licèt hic usus non sit physica substantia contractûs, est tamen substantia moralis, sive moraliter substantia ; ut proinde error circà eum usum, licèt non sit formaliter error personæ, seu substantiæ, equidem in substantiam seu personam redundet, quod videtur sufficere, ut Matrimonium sit jure naturæ irritum.

139. *Alia impugnatio à simili in voto.* Veluti jure naturæ irritum est votum, emissum ex errore redundante in ejus substantiam, ut si sit circà ejus vim obligativam, partem notabilem, rationem formalem vel finalem rei promissæ. Iam autem error servitutis in casu nostro est circà rationem finalem, non tantùm merè extrinsecam contractui, sed maximè intrinsecam ; cùm finis intrinsecus Matrimonij sit generatio prolis, & ejus debita educatio, mutua societas in cohabitatione & aliis obsequiis, evitatio fornicationis, quæ si non totaliter, saltem notabiliter impediuntur per servitutem. Quid ni ergò error hujus finis redundet in substantiam Matrimonij ?

Evasio Sanchez. Fatetur Sanchez sup. errorem servitutis aliquo modo adversari bonis Matrimonij, non tamen adeò, ut substantiam destruat. Quod si ita (inquit) adversaretur, non sufficeret scientia servitutis, nec cessio proprij juris.

Sed contrà : error personæ destruit substantiam Matrimonij, & tamen sufficit scientia alterius personæ, & cessio proprij juris : ergò consimiliter, estò error servitutis destrueret substantiam Matrimonij, id est, consensum contrahentis, adhuc sufficeret scientia servitutis, & cessio proprij juris ; quia ubi aliàs non consentiret in personam non liberam, jam in eam consentit. 140. *Præcluditur.*

Igitur servitus ignorata aufert voluntarium consensum, non tantùm secundùm quid, sed simpliciter. Cùm enim iniens Matrimonium, id principaliter velit & intendat, propter primarios & intrinsecos fines, qui magna ex parte deficiunt, quando liber contrahit cum serva, conditionis ignarus, sequitur ut non habeat verum consensum in illud Matrimonium. Quod secùs est, quando conditionis est conscius, tunc enim cedit juri suo, & adest plenus consensus. *Servitus ignorata videtur auferre simpliciter voluntarium.*

141. *Secùs error divitiarum, & similium qualitatum.* Neque eadem est ratio de errore divitiarum, pulchritudinis, nobilitatis &c. quia hi non sunt primarij & fines intrinseci, sed merè extrinseci ; seu non sunt fines Matrimonij, sed potiùs fines contrahentis Matrimonium ; quibus proinde non obligatur consensus, sinè expressa ad eos relatione. Cùm enim sæpè sæpiùs in his possit contingere aliquis error, ne pleraque Matrimonia exponantur periculo nullitatis, cum magno scandalo & perturbatione Reipub., non debuit, nec verò potuit consensus Matrimonialis eis alligari. At verò error servitutis rarissimus est, & valde repugnans bonis Matrimonij, ut jam dictum est ; & ideò meritò censetur consensus Matrimonialis semper ei alligatus, etsi contrahentes nihil minus, quàm de servitute cogitaverint. Unde & hunc errorem dirimere Matrimonium, satis manifestè significant jura superiùs allegata (quibus utique contrahentes videntur suum consensum velle attemperare) de aliis autem erroribus circà divitias, pulchritudinem, & similes qualitates omninò tacent.

142. *Ultima probatio sententia Scoti.* Denique probatur sententia Scoti : quòd naturæ is defectus ascriberetur, ut in valdè necessariis deficiens esset, nisi Matrimonium, cum hoc errore initum, esset nullum ipso naturæ jure. Cùm enim gravissima injuria irrogaretur conjugi decepto ; nec reparari possit, existente valido Matrimonio, natura deficiens fuisset, non consulens huic errori.

Respons. Sanchez. Respondet Sanchez sup. non imputandum esse vitio naturæ, si non irritârit hoc Matrimonium, nec providerit huic injuriæ resarciendæ, quæ consistente Matrimonio reparari nequit. Nec enim omnes injuriæ debent reparari in eodem bonorum genere. Et natura Matrimonij indissolubilis exposcit, ne hujusmodi injuriis satisfiat Matrimonio dissoluto. Posteà autem Ecclesia, experientiâ comperiens damna multa inde subsequi, irritavit. Hæc ille.

143. *Oppugnatur.* Sed contrà : omnes injuriæ debent reparari, si non in eodem bonorum genere, saltem in diverso. Et, amabo, quod hic diversum genus, in quo possit injuria illata reparari ? An fortè bona fortunæ ? Sed nulla servus habet ; omnia quippe

pe quæ habet, & impoſterùm acquirit, ſunt Domini, paucis aliquibus exceptis. An forſitan bona famæ? Sed reverà ſervitus non ſolùm ipſum ſervum imfamiâ notat; verùm etiàm conjugem liberam, quæ proinde non aliâ viâ poteſt famam ſuam retinere, quàm per irritationem Matrimonij.

Igitur natura Matrimonij indiſſolubilis expoſcit, ut hujuſmodi injuriis ſatisfiat, non Matrimonio ſemel valido diſſoluto, ſed Matrimonio à principio irritato ſeu annullato, quæ irritatio nullatenùs repugnat naturæ Matrimonij indiſſolubilis.

144. *Certum eſt errorem ſervitutis dirimere, incertum quo jure.*

Et ecce argumenta utriuſque ſententiæ breviter expenſa & appenſa in ſtatera. Vide quæ præponderent, eaque amplectere, & ſequere ſententiam iis innixam. Hoc certum eſt & indubitatum, errorem ſervitutis Matrimonium dirimere; incertum autem quo jure. Certum item eſt, ſervitutem adverſari bonis Matrimonij; incertum autem, an ita adverſetur, ut error ejus per ſe ſubſtantiam Matrimonij deſtruat.

Doct. Angel. ut audivimus ſup. ait: jure poſitivo determinatè factum eſſe, quòd ſervitus ignorata Matrimonium impediat; & conſimiliter loquitur Doct. Seraphicus. At verò Doct. Subtilis legis poſitivæ expreſsè non meminit: interim Scholium præfixum n. 4. diſt. 42. ſic eum interpretatur: *Non dicit Doctor, omnia iſta* (inter quæ eſt error ſervitutis) *complete dirimere jure naturæ, ſeclusâ Eccleſiæ determinatione, & juris Divini poſitivi diſpoſitione.*

145. *Fortè Scotus non diſcordat à D. Tho. & à Bonav. Hugo cavellus.*

Et in Reportatis editionis Colonienſis in fine d. diſt. hæc lego: *Adverte* (inquit Scholiaſtes, Hugo Cavellus) *non velle Doctorem omnia illa impedimenta, quæ ait eſſe ex natura contractûs, dirimere ſecluſo omni Eccleſiæ jure, ſed eſſe ita conſona juri naturæ, ut vix poſſit aliter fieri, & in pleriſque Eccleſia non poteſt aliter ſtatuere, ſed in aliquibus poteſt.* Quæ ſi vera ſunt, liquet profectò, Scotum non diſcordare à D. Tho. & S. Bonaventura.

Hiquæus defendit, eum jure naturali dirimere.

Cęterùm Hiquæus, celeberrimus Scoti commentator, in ſuo Commentario 4. diſt. 30. n. 8. & ſequentibus, accerrimè defendit, errorem conditionis ſervilis jure naturali & Divino irritare Matrimonium, propter defectum conſenſûs ſubſtantialis, contrà D. Tho. & S. Bonaventuram. Videatur præfatus Auctor, quia nimis longum eſſet, omnia ejus argumenta exſcribere. Et ad praxim inter fideles parùm refert, quo jure ſervitus ignorata dirimat.

146. *An hic eadem ratio Matr. fidelium & infidelium.*

Dico: *Inter fideles:* quia in ſententia Sanchez valeret Matrimonium initum inter infideles cum errore conditionis, niſi aliquâ ſpeciali eorum lege irritetur. Patet; quia legibus Eccleſiaſticis, id irritantibus, minimè aſtringuntur. Porrò in oppoſita ſententia non valeret; quia infideles ſubjiciuntur juri naturæ, quo tale Matrimonium irritatur.

Si autem à me quæratur; an ad hunc effectum quælibet ignorantia ſufficiat, etiam craſſiſſima & leviſſima? Reſpondeo.

CONCLUSIO III.

Matrimonium liberi cum ancilla non valet, eſtò ignorantia conditionis ſit craſſiſſima ac leviſſima.

147. *An craſſiſſima ignorantia ſervitutis irritet.*

CRaſſiſſimam ac leviſſimam ignorantiam voco, quam ignorans cùm facillimè poſſet vincere, nullam omninò diligentiam apposuit, ut vinceret. Eam non excuſare à culpa, & correſpondente pœnâ, omnes admittunt; an autem, in propoſito caſu irritet Matrimonium, diſputatur; & reverà irritare, amplectitur Sanchez lib. 7. diſp. 19. n. 20.

Pars affirmans probatur à Sanchio. Primò.

Movetur autem primò; quòd ut Matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum ſervo valeat, deſideretur libera electio & omninò voluntaria talis conditionis ſervilis, ut ſic liberè cedat contrahens juri ſuo, quæ ceſſio eſt quædam condonatio juris proprij. At hæc irritatur ex errore, quantumvis fatuo. Vt ſi velim dare Petro, & errore leviſſimo ductus dein Ioanni, non tenet donatio; quia deficit donandi voluntas.

148. *Confirmatur.*

Et confirmatur: quia ſicuti jure naturæ exigitur conſenſus in perſonam ad Matrimonij valorem, & irritatur quocumque errore craſſiſſimo perſonæ exiſtenti, utpote qui conſenſum directum & formalem in illam perſonam aufert; ita jure Eccleſiaſtico petitur voluntarius omninò & conſenſus directus in circumſtantiam illam conditionis ſervilis, ut ſic conſcius conjux damni, ex eo Matrimonio ſibi ſubſecuturi, cedat liberè juri ſuo, & ſponte illud amet. Similiter igitur irritabitur ex quocumque conditionis ſervilis, quantumvis craſſo & temerario errore. Is enim verè tollit directum & formalem conſenſum ac animum juri proprio cedendi.

149. *Secunda probatio.*

Tandem: quia licèt ad culpam, & pœnam illi correſpondentem, hæc ignorantia æquiparetur ſcientiæ: quia actus eſt indirectè & interpretativè volitus, propter obligationem advertendi: præceptum enim obligans ad aliquid, ſubinde aſtringit ad diligentiam adhibendam ad advertendum, ne violetur. At cùm nullum præceptum ſit contrahendi cum perſona liberæ conditionis, non eſt quòd culpæ aſcribatur contrahenti ea inadvertentia: ac ſubinde cenſeatur indirectè volita.

Confirmatur.

Et confirmatur; quòd jus Canonicum irritans Matrimonium id, abſque ſcientia conditionis ſervilis initum, non tam attendat modum irrogandi injuriam ex parte perſonæ ſervilis conditionis, decipientis tacendo conditionem, quàm dolum re ipſa contingentem, & damna ex eo ſubſecuta, quæ liberum pati noluit, niſi ſciens ac prudens juri ſuo ceſſerit. Aliàs valeret Matrimonium, quando nullus dolus nullaque culpa adeſſet in ſervo, utpote qui vel exiſtimabat, alterum ejuſdem conditionis eſſe, aut ſi diverſæ,

versæ, conscium suæ servitutis. At quando est ignorantia hæc fatua & crassissima, idem dolus reipsâ contingit, & eadem damna pullulant, nec ignorantis animus fuit juri suo renuntiare. Hucusque Sanchez pro nostra Conclusione, quam existimat probabiliorem; quàmvis opposita sententia sit valdè probabilis, ut ibidem ait.

150. *Primum fundamentum oppositæ sententiæ.* Rogas: quæ fundamenta hujus probabilitatis? Primum; quod Ecclesia ideò irritaverit hoc Matrimonium, ut resarciatur gravissima injuria irrogata conjugi ignoranti, quæ cessat ac levissima est, ubi ignorantia est adeò crassa.

Secundum. Secundum; quòd metus levis non irritet Matrimonium; ac proinde idem videatur dicendum de ignorantia levi. Sicut enim jura nihili faciunt vani hominis timorem, l. *Metum*, 6. ff. De Eo quod metûs causa; ita & imprudentis fatuam ignorantiam.

Tertium. Tertium; quòd ignorantia adeò crassa æquiparetur scientiæ, adeò ut in materia pœnali & odiosa, quando jus punit delictum scienter admissum, hæc ignorantia tam crassa à pœna minimè eximat.

151. *Quartum ex Pontio.* Quartum addi potest ex Pontio lib. 7. c. 43. n. 3. ubi dicit, ignorantiam affectatam non irritare. Cùm enim, inquit, hoc impedimentum in favorem liberi & ingenui inductum sit ab Ecclesia, iniquum est, commodum reportet ingenuus ex sua iniquitate aut affectata ignorantia. Vocat autem ignorantiam affectatam, quando quis ex industria vult contrahere cum aliqua, nolens addiscere, an sit serva, ad hoc, ut postquam potitus fuerit, si invenerit esse mancipium, illam abjiciat.

Quæ apud ipsum sit ignorantia affectata.

Sed de hac ignorantia non loquitur Sanchez, ut patet ex dictis, neq; nostra Cõclusio. De qua ergò? de ea ignorantia, quę provenit ex supina negligẽtia in inquirenda conditione illius personæ, cum qua vult contrahere, sinè expressa voluntate, quâ vult ignorare, ne ab actu, quem exequi optat, retrahatur.

152. *Hanc etiam irritare, probant dd. rationes Sanchez.* Atque ut etiam de ignorantia affectata loquerentur Sanchez & nostra Conclusio; sanè hanc quòque irritare, videntur rationes Sanchij sufficienter probare; quippè sive ignorantia sit directè volita, veluti dum est affectata, sive solùm indirectè, sicut dum est crassissima & levissima; equidem occultat conditionem servilem, ita ut consensus non sit omninò voluntarius. Patet: quia si sciret eam conditionem, non vellet ullo modo contrahere; ideò namque affectat non scire, ut exteriùs contrahendo copulam obtineat, quam aliàs non posset obtinere. Igitur per illam affectationem non vult cedere juri suo; sed retento suo jure Matrimonium dissolvendi, copulam obtinere. Quare nec in hoc casu ignorantia æquiparatur scientiæ; quia scientia conditionis servilis reddit consensum in talem personam omninò voluntarium; secùs ea ignorantia, quæ, licèt non causet consensum involuntarium, facit tamen eum non voluntarium, quod sufficit ut Matrimonium sit invalidum.

153. Auscultate Aversam de hac controversia q. 12. sect. 2. §. *Quintò*: Quando quis haberet dubitationem aut opinionem de conditione servili personæ, cum qua contrahit, tunc benè valeret Matrimonium, ut advertunt Bonacina q. 3. punct. 3. n. 4. & Pontius lib. 7. c. 43. n. 3. Quia hæc opinio aut dubitatio venit sub nomine scientiæ, id est, notitiæ in hac re. Quàmvis non valeret cum levi solùm titubatione aut suspicione, non excludente determinatum judicium libertatis, ut notavit Scotus 4. dist. 35. q. 1. a. 2. *Opinio Aversæ de hac re.*

Addit etiam Pontius, ignorantiam affectatam: quando scilicet quis ex industria vellet contrahere cum aliqua, nolens addiscere, an sit serva, ad hoc, ut postquã illã potitus fuerit, abjiciat, si invenerit esse servã. Quia ignorantia affectata in tali casu æquiparatur scientiæ. Verùm ex alio capite in hoc casu videtur deesse voluntas requisita ad validitatem Matrimonij. Debet enim hæc voluntas esse de contrahendo perpetuo vinculo Matrimonij, ut suo loco dicebamus; at hoc modo non habetur talis voluntas. Hæc ille.

154. *Expenditur.* Sed quæro ego: si scienter cum tali voluntate contraxisset, dimittendi scilicet servam, postquam eâ potitus fuisset, censen' quòd Matrimonium fuisset validum? Scio, quòd non censeas, si per dimissionem intelligatur dissolutio vinculi; quia hæc voluntas repugnat substantiæ Matrimonij, scilicet ejus indissolubilitati.

De tali ergò Matrimonio ficto nequit intelligi hæc doctrina Pontij, putà ignorantiam affectatam non irritare: sed debet intelligi, ut possit vera esse, de Matrimonio, quod scienter contractum cum serva, foret validum; & id ipsum validum esse, etsi affectatè ignoretur servitus; probatur quòd ista ignorantia æquiparetur scientiæ, & per consequens, tale Matrimonium in jure censeatur contractum scienter, & non ignoranter, Et prætereà; quia alioquin ingenuus commodum reportaret ex sua iniquitate aut affectata ignorantia. Quæ argumenta videntur procedere etiam in ignorantia crassissima, licèt non affectata; quia & hæc ignorantia æquiparatur scientiæ. *Probatur ignorantiam affectatam non irritare.*

155. *Respons. Sanchez.* Sed respondet Sanchez, ut sup. audivimus, tantùm quoad culpam & pœnam correspondentem; non autem quoad alios omnes effectus. Quinimò existimat, in casu nostro ne quidem quoad culpam æquiparari, dicens: Cùm nullum præceptum sit contrahendi cum persona liberæ conditionis, non est quòd culpæ ascribatur contrahenti ea inadvertentia.

Objectio. Sed contrà, dicet aliquis: quamquam non sit præceptum contrahendi cum persona liberæ conditionis, est tamen præceptum validè contrahendi ac validè administrandi & suscipiendi Sacramentum Matrimonij; jam autem, qui negligit scire conditionem personæ, exponit se periculo invalidè contrahendi, ac invalidè administrandi & suscipiendi Sacramentum Matrimonij: ergò est, quòd culpæ ascribatur contrahenti ea inadvertentia.

156. *Quando sic* Nisi fortè contrahens ita sit actualiter constitutus, ut velit contrahere cum persona præsente, quæcum-

contrahens non peccet, & Matr. valeat.

quæcumque ea ſit, ſive libera, ſive ancilla; tunc enim valet Matrimonium, eſtò foret ſerva, quam putabat liberam; adeoque non exponit ſe periculo invalidè adminiſtrandi & ſuſcipiendi Sacramentum Matrimonij.

Patet: quia cum tali errore perſonæ valet Matrimonium: v. g. ſi quis putat ſe contrahere cum Maria, & eſt Catharina, ſi in actu ſecundo erat ita affectus, & habebat actualem voluntatem ducendi præſentem, eſtò non foret Maria, ſed Catharina, valet ſecundùm Omnes Matrimonium; quia tantùm eſt error ſpeculativus, cui nullatenùs innitur voluntas contrahendi, & ideò eam non poteſt deſtruere ſeu annullare. Ergò ſimiliter in noſtro caſu, ſi quis in actu ſecundo erat ita affectus, & habebat actualem voluntatem ducendi illam, etiamſi eſſet ſerva, valebit Matrimonium.

157. *Quando non valeat.*

At ſi ſolùm in actu primo ſeu habitualiter erat diſpoſitus, ut cenſeatur, quòd fuiſſet contracturus, etiamſi noſſet, illam eſſe ſervam: hoc

Averſa.

planè non ſufficit (inquit Averſa ſup. §. *Sextò.*) quia Matrimonium perficitur ſolùm per actualem conſenſum, non verò per habitualem diſpoſitionem, aut per voluntatem, quam habiturus quis fuiſſet. Hæc ille.

Explicatur doctrina aliqua Pontij, de habituali diſpoſitione.

Atque de hac habituali tantùm diſpoſitione intelligo Pontium ſup. quando ait: Addo: etiamſi ita affectus eſſet, ut etiamſi ſciret mancipium eſſe, contraheret adhuc, nullum eſſe conjugium; quia ad Matrimonium requiritur plenè voluntarius conſenſus, ille autem eſt negativè voluntarius, atque adeò inſufficiens, ut dixi ſup. lib. 4. c. 20. n. 21. Quàmvis alij oppoſitum cenſeant, inter quos Sylveſter verb. *Matrimonium* 8. q. 3. Nobiſcum tamen Antoninus 3. part. tit. 1. c. 3. Soto in 4. diſt. 35. a. 2. Pateret certè multis calumniis locus, cùm facilè eſſet, & eum animum aſſerere, & negare. Ita Baſil.

158. *Conformiter doctrinæ D. Antonini.*

Sed ſi verum eſt, quòd Antoninus & Soto cum ipſo ſentiant, neceſſariò intelligendus eſt de diſpoſitione habituali. Siquidem Antoninus loco citato ſic ait: Secundum eſt, quòd ſi liber vel libera contrahit Matrimonium cum ſerva vel ſervo ignoranter, id eſt, neſciens conditionem ſervitutis, nullum eſt Matrimonium, niſi poſtquam ſcivit conditionem ejus, conſenſit in eo, vel verbo, vel facto, ſcilicet carnaliter cognoſcendo, 29. q. 2. *Si quis ingenuus.* Vel niſi in animo teneat, quòd etiam cum illo contraheret, ſi eſſet ancilla, ſecundùm Richardum.

Et Soto.

Idem expreſſis verbis docet Soto loco citato Concl. 2. ubi proponit hoc dubium: Quid ſi ingenuus ancillam duxit, quam liberam eſſe arbitrabatur, ſed tamen quàmvis noſſet eſſe ancillam, eam nihilominùs duceret? Richardus

Richardus.

(inquit Soto) diſt. præſenti a. 1. reſpondet, quòd ſi in animo teneat, quòd etiam cum illa contraheret, licèt eſſet ancilla, Matrimonium tenet. Non dicit ſimpliciter, quòd ſi eſſet ancilla, eam etiam duceret: nam hujuſmodi conditionales nihil ad rem pertinent; ſed ſi in animo teneret, hoc eſt, talem haberet affectum & conſenſum, ſcilicet, quàmvis ancilla hæc eſſet, illam ducerem. Et ideò non prorſus probabilitate caret, nam videtur ille tunc in ancillam conſentire.

159. *Mens Soto magis explicatur.*

Nihilominùs explicatiùs reſpondendum eſt. Si enim expreſsè dicat: *Duco te in uxorem, quàmvis ſis ancilla*, tum, licèt credat eſſe ingenuam, verum eſt Matrimonium; quia conſenſus practicus fertur in ancillam, & ideò ignorantia ſpeculativa non obſtat. Sed ſi ſeorſim apud ſe habeat illum conſenſum: *Quàmvis hæc eſſet ancilla, illam ducerem*, nihilominùs in conſenſu, quo contrahit Matrimonium, nec voce, nec mente explicat illam conditionem, ſed abſolutè contrahit cum hac, quam credit eſſe liberam, reverà Matrimonium non celebratur: quia Canones ſimpliciter hujuſmodi conſenſum pro nullo ducunt. Niſi poſteà cognitâ conditione abſolutè integretur. Hæc Sotus.

Et placet Auctori.

Si plus aliquid velit Pontius, ab eo recedimus cum his Auctoribus. Certè ratio, quam affert, etiam hanc ſententiam videtur impugnare: Pateret, inquit, multis calumniis locus, cùm facilè eſſet, & eum animum aſſerere, & negare. Sed non minùs facilè eſt, aſſerere, & negare animum actualem, quàm habitualem: ergò ſecundùm Pontium, neuter videtur ſufficere, niſi dum animus actualis voce exprimeretur, quod tamen, ſecundùm Sotum, non requiritur, cum dicat: *Nec voce, nec mente explicat*; ergò, ſecundùm ipſum, ſufficere videtur, quòd vel voce, vel mente explicet.

160. *Solvitur objectio.*

Sed nunquid ideò calumniis locus patet? Reſpondeo: Eccleſia non judicat de internis; unde ſi conſtet de ignorantia ſervitutis, Eccleſia judicat Matrimonium non valere, niſi is animus internus fuerit legitimè probatus: & facilè quidem eſt, eum aſſerere; ſed difficile probare. Unde quàmvis tali caſu Matrimonium in conſcientia validum foret; equidem in foro externo diſſolveretur, id eſt, conjuges ſepararentur.

Pontius.

Sicut etiam, teſte Pontio ſup. contingere aliquando poteſt, ut contrahens cum ſerva, quam exiſtimabat liberam, invalidè contraxerit, ſpectato jure naturæ, & foro conſcientiæ; & tamen in externo foro, quia non præſumitur ignorantia, cohabitare cogatur: ut ſi adfuerint ſervitutis indicia, quæ prudenti homini ſtatum ſervitutis aut oſtenderint, aut ſaltem probabile dubium injecerint.

161. *An ſufficiat ſolus animus internus contrahendi, etſi foret ſerva.*

Hoc certum mihi eſt, Matrimonium valere, ſi dum expreſſit conſenſum Matrimonialem, ſimul expreſſerit illum internum animum voce aut alio ſigno. Sin autem mente ſolùm explicaverit, poſſet aliquis dubitare, utrùm valeat; eo quòd ad Matrimonium non ſufficiat conſenſus merè internus, ſed eſſentialiter requiratur conſenſus expreſſus. Porrò in ca-

sù consensus expressus solùm fertur in personam liberam.

Si respondeas ex Soto sup. consensus speculativus fertur in personam liberam; sed practicus in ancillam. Contrà: illa tendentia practica in ancillam, exteriùs non significatur, ut supponitur; unde omnes adstantes judicant, consensum practicum ferri in personam liberam, etiam ipsa ancilla, cum qua contrahitur, posito, quòd sciat, liberum ignorare suam conditionem.

162. Instas: consensus ejus externus fertur in personam præsentem. Respondeo: planè fertur, sed in personam præsentem, quam putat liberam, nisi aliud exprimat. Hæc maturè expendantur, & apparebit difficultas.

An reportet commodum ex sua malitia, qui affectatè ignorans contrahit cum mancipio.

Sed revertamur ad principale punctum, ad ignorantiam dico crassissimam & affectatam, & videamus; an ignorans ex sua malitia reportet commodum, si fortè Matrimonium ejus sit invalidum.

Fortassis existimas, quòd ille, qui cum tali ignorantia contraxit, non peccaverit sic contrahendo, vel non peccet, post hujusmodi contractum accedendo ad ancillam, & utendo ejus corpore? Erras toto cælo. Nam exponit se manifesto periculo invalidè contrahendi Matrimonium, & utendi corpore non suo, Quis autem ambigat, utrumque esse peccatum? Num dixeris reportare commodum ex sua iniquitate, qui reportat novam iniquitatem, & fit reus æternæ damnationis?

163. *Arguitur quòd non.* Commodum, inquis, est, quòd habitâ copulâ, possit eam dimittere. An ergò dixeris, concubinarium reportare commodum ex sua iniquitate, quia concubinam potest dimittere? Et ne commodum illud reportet, Matrimonium posse inter ipsos celebrari, & jam celebratum esse absque legitimo consensu? Jam autem in nostro casu deest legitimus consensus; quia cum tali ignorantia contrahens non vult absolutè & pro perpetuo consentire, nisi in personam liberam, ut suppono. Commodum ergò illud, si ita placeat vocare, putà, quòd possit eam dimittere, cognitâ servitute, non oritur ex iniquitate, sed ex jure naturæ, aut certè ex jure positivo, quod talem contractum invalidat.

164. *Objectio.* Contrà, dicet aliquis: hoc est quod quæritur: an invalidet talem contractum. Et quòd non, sup. probatum est, exemplo levis metûs, qui nullo jure invalidat Matrimonium.

Diluitur ex Sanchez. Respondet Sanchez sup. n. 21. disparem esse rationem. Metus enim, inquit, non aufert consensum, sed minuit libertatem; quare solus is metus spectatur, qui id nomen meretur: qualis solus est, qui in virum constantem cadit. At error, quicumque sit, tollit consensum circà rem, in qua erratur. Hæc ille.

165. *Instantia.* Sed contrà: hoc est quod quæritur, an error quicumque tollat consensum: nam dicam ego, solùm minuere consensum; sicuti metus levissimus non tollit libertatem, sed solùm eam minuit. Dum de ignorantia loquimur (inquit Soto sup. §. *De his conclusionibus*) de illa sermonem habemus, quæ usu & more reputatur ignorantia: nam leviss ima, quippè quæ facilè purgari poterat, pro nulla reputatur. Qui enim cum atra muliere & vili contraxit, quam ab hero infimè tractari videbat, non censetur ab Ecclesia ejus servitutem ignorasse. Imò tam crassa posset esse ignorantia, ut in conscientia ille censeretur non ignoranter, sed sciens cum ancilla contraxisse. Ita hic Auctor. Idemque docet Rodriguez Sum. 2. edit. c. 223. n. 3. & alij plures.

Reprobatur. Verùm enimverò hoc exemplum solùm probat, ignorantiam, de qua loquimur, excludere dubitationem & opinionem servitutis; nam qui videbat, mulierem atram & vilem sic tractari, meritò dubitare poterat, & opinari, eam fore ancillam, & non liberam personam, quæ tali modo non solet tractari, unde non poterat determinatum judicium libertatis formare, quod tamen requiritur ad veram ignorantiam servitutis.

166. *Ponitur casus quæstionis.* Casus ergò, de quo loquimur, est, quòd contrahens nulla hujusmodi indicia servitutis habuerit, aut certè insufficientia, ad excludendum determinatum judicium libertatis; potuisset tamen facilè inquirere, & cognoscere servitutem, quæ reverà suberat; sed neglexit, aut etiam positivè noluit, quia voluit ignorare eam conditionem. Et in tali casu dicimus, eum ignoranter contrahere, quod, & non aliud, requirunt jura, ut Matrimonium non valeat.

Jura non requirunt formalem injuriam. Nec obstat: quòd tali casu non fiat formalis iujuria ignoranti; quia, ut dictum est sup. ex Sanchio, eam non considerant jura, sed tantùm dolum materialem, & damna ex eo provenientia, quæ planè eadem sunt, sive prudenter quis, sive fatuè ignoraverit servitutem.

167. *An hic sit dolus materialis.* Sed qui negaret dolum materialem, quando potest facilè haberi scientia opposita, & negligitur supinè, vel etiam positivè nolitur; ubi tamen deberet haberi scientia, ne invalidè contrahatur Matrimonium; quo argumento efficaciter redargueretur?

Respondetur: quòd reverà negari non possit physica ignorantia servitutis, & affirmari physica scientia; quidquid sit de morali scientia, quæ non tollit nisi dolum formalem. Videtur autem jus requirere scientiam physicam, ut Matrimonium valeat. Sed hoc est quod alij negant, idque satis probabiliter, ut patet ex hactenùs dictis. Interim amplexi fuimus sententiam Sanchez, non quia favet malitiæ contrahentis; sed quia favet Matrimonio, quod valdè impeditur à conditione servitutis, & per consequens infelicem natum est habere exitum, nisi cum plena scientia servitutis contrahatur.

168. *Quid si solus contrahens ignora-* Quid ergò, inquis, si servitus communiter erat nota, ipse autem contrahens eam solus ignorabat? Respondeo: Matrimonium

non

bat servitutem.

non valere in foro conscientiæ. In foro autem externo præsumitur valere, quia non præsumitur ignorantia rei communiter notæ : unde tunc onus probandi ignorantiam, incumbit contrahenti, illam alleganti. Et idem dico, quando fuisset error crassissimus vel affectatus : præsumitur enim quis habere scientiam, quam facilè potuit habere, & debuit habere.

An alleganti ignorantiam incumbat probatio. Henriquez.

Quinimò, tametsi fuisset prudens error, putat Henriquez lib. 11. de Matr. c. 10. n. 5. eum alleganti incumbere probationem. Idque colligi videtur ex c. fin. de Conjug. servorum ibi : *Mandamus, quatenùs si constiterit, quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla.*

169. *Negat Sanchez.*

Verùm (inquit Sanchez sup. n. 8.) dicendum est, conjugi servilis conditionis incumbere onus probandi scientiam suæ conditionis in altero, & ignorantiam liberi præsumi, dum contrarium minimè probatur. Quòd in alieno facto non præsumatur scientia, sed ignorantia : Reg. 47. de Reg. juris in 6. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

Reg. juris 47. in 6.

Canisius.

Etenim (ut ait Canisius in hanc Reg.) scientia nobis innata non est, sed extrinsecùs accedit : proinde alleganti incumbit probatio scientiæ, L. 21. ff. de Probationibus : *Verius esse existimo, ipsum qui agit, id est, legatarium probare oportere, scisse, alienam rem, vel obligatam, legare defunctum : non hæredem probare oportere, ignorasse alienam, vel obligatam.*

L. 21. ff. de Probation.

170. *Limitatur hæc sententia.*

Nisi (prosequitur idem Auctor) de eo quæstio verteretur, quod vel publicè actum est, c. 1. de Postul. Prælatorum, vel proprium factum concernit, l. *Quamquam*, 7. ff. ad SC. Velleianum : vel ex officio incumbebat, c. *Innotuit*, 20. de Electione. Quò spectat illud Gregorij in cap. *Quamvis*, de Reg. juris : *Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit.* His igitur casibus non ignorantia, sed scientia præsumitur; adeoque ignorantia probanda est, saltem per juramentum, cùm in animo consistat, c. *Nulli*, 8. de Elect. in fine : *De hujusmodi autem ignorantia fidem faciat proprio juramento.* Ita Canis. Placet itaque sententia Sanchez sic limitata.

Si autem à me quæritur : an valeat Matrimonium, si in ipso contractu, vel paulò post restituatur libertas, aut paulò antè contractum fuerit restituta ? Resolutio patebit ex Conclusione sequenti, quæ talis est :

CONCLUSIO IV.

Valet Matrimonium liberi cum liberta, aut cum ea, cui in ipso contractu, vel paulò pòst, sit decreta libertas.

171. *Quæ fœmina appelletur liberta.*

HÆc Conclusio tres habet partes, sigillatim explicandas; nam singulæ continent proprias difficultates. Pro prima parte suppono, libertam appellari eam fœminam, quæ ancilla fuit, jam tamen libertate donata est, ut patet ex toto tit. Cod. de Libertis, quæ & alio nomine vocatur Libertina.

Probatur 1. pars Conclus. ex Sanchez.

Hoc supposito, probatur Conclus. quòd sit verè libera; ac proinde ejus conditionis error, cùm non sit error servitutis præsentis, non obstat Matrimonij firmitati. Ita Sanchez sup. n. 10. cum aliis, quos citat. Nec lego aliquem apud d. Auctorem, qui contradicat.

172. *Objectio.*

Habeo tamen aliquid, quod opponam; videlicet libertam sive libertinam, propter ingratitudinem ergà patronum, ad servitutem posse reduci, ut patet ex d. tit. de Libertis; & idem est de liberto seu libertino, de quo expresè agitur in d. tit. ac proinde liber contrahens cum liberta, vel libera contrahens cum liberto, ignoratâ priori servitute, ex eo Matrimonio grave damnum incurrunt, quod si prævidissent, fortassis contrahere noluissent.

Solvitur.

Respondeo; meram habitualem dispositionem hic nihil operari. Sed neque damnum istud, cùm non sit certum, sed dependens ex mala voluntate libertæ, aut liberti; ideoque jus, sive naturale, sive positivum, ad id nullatenùs attendit. Nam etiam, qu nunquam servus fuit, ob varias causas potest servus effici, ut clarum est. Quis autem dixerit eum, qui ignoraret illas causas, quibus cogitis, noluisset contrahere, quia vidisset, fortè brevi eventuram servitutem; quis, inquam, dixerit, eum propter illam ignorantiam invalidè contraxisse ? *Ad ea potius* (inquit lex 5. ff. de Legibus, *debet aptari jus quæ & frequenter & facile, quàm quæ perrarò eveniunt.* Quare ad prædictum damnum, quod per accidens omninò & rarò evenit, non debuit jus attendere.

173. *Quid si libertas foret tantùm temporalis ?*

Aliud fortè dicendum, si aliqua persona frueretur ad tempus libertate, postmodum reditura in servitutem, utpote si Dominus donasset ei temporaneam libertatem, videlicet ad biennium, aut simile tempus. Nam Multi apud Sanchez lib. 7. disp. 19. docent : Matrimonium eo medio libertatis tempore contractum, cum ignorantia hujusmodi servitutis, certò certiùs obventuræ, esse invalidum. Quia, inquiunt, reverà manet illa servilis conditionis, & quidquid interim agit, agit ut mancipium : atque ita non potest ad Ordines promoveri, nec domicilium mutare, nec potest liberè tradere potestatem corporis sui, quæ non habent locum in casu præcedenti.

Putat Scotus eam non sufficere,

Ita sustinet Scotus 4. dist. 35. q. un. a. 2. §. *Ad hæc*, dicens : Cùm de libertate loquimur, perpetuam intelligimus : nam si fortè herus ancillam in tempus donaverit libertate, ut postea in servitutem retrahatur, quàmvis eo libertatis tempore eam ingenuus duxerit, credens esse liberam, Matrimonium est nullum. Secùs si in perpetuum fuerit manumissa; nam tunc, licèt ingenuus credat nunquam fuisse ancillam, & si crederet aliquando fuisse ancillam, nunquam illam duceret, nihilominùs Matrimonium tenet, quandoquidem libertas in ratione Matrimonij

contrahendi verè libera est. Hæc ille.

174. *Consentit Sanchez suppositâ veritate casûs.*

Consentit Sanchez sup. n. 3. suppositâ veritate casûs, scilicet quòd libertas pro tempore determinato validè possit concedi. Quoniam (inquit) reverà simpliciter esset ille servus, cùm eo tempore concessæ libertatis transacto, ad servitutem reduci debeat.

Negat libertatem posse esse temporalem, ex l. 31. & 34. ff. de Manumiss. test.

Verùm (prosequitur idem Auctor) fundamentum corruit; quòd libertas concedi nequeat pro determinato tempore, sed semel pro quocumque tempore concessa, sit perpetua; ut expressè habetur l. *Libertas*, 31. (aliàs 32.) junctâ l. *Ideò*, 34. (aliàs est immediatè sequens) ff de Manumissis testamento, ibi: *Libertas ad tempus dari non potest. Ideoq; sicta scriptum sit*: Stichus usque ad annos decem liber esto, *temporis adjectio supervacua est.*

Ubi Glossa verb. *Non potest*, ait: *Vt sic relicta valeat: sed adjecto tempore valet libertas*, scilicet pro perpetuo. Et verb. *Supervacua est*, inquit: *libertate cum effectu procedente.*

Hanc doctrinam Sanchez sup. latiùs probat, & tandem concludit, contrà Sotum, & Alios, valere Matrimonium liberi cum ancilla, cui pro certo tempore donata est libertas. Quia, inquit, ancilla est jam omninò & perpetuò libera. Atque hæc de 1. parte Conclusionis.

175. *Probatur 2. pars Conclus. per Authent. Ad hoc, Cod. de Latin. libert.*

Secunda pars ait: valere Matrimonium, cum ea, cui in ipso contractu, seu per ipsum contractum decreta est libertas; v. g. si Dominus servum vel ancillam collocet in Matrimonium cum persona libera, ignara servitutis, nec eam detegat, eo ipso marito donatur libertate; Authenticâ, *Ad hoc* Cod. de Latina libertate, ibi: *Qui suam ancillam credenti tradidit in Matrimonium tamquam liberam: sive confecerit dotalia instrumenta, sive non: aut sciens eam duci, tacuit ex studio, dominium ejus amittit, eaq; ad ingenuitatem rapitur. Idem dicitur de servo. Si verò nec Domini voluntas, nec taciturnitas studiosa interveniat; & quis credidit liberæ se jungi personæ, illa verò famula existere declaretur, ipso jure Matrimonium non erit.*

176. *Quando ancilla per Matr. acquirat libertatem, ex Auth. de Nupt. Coll. 4. c 11.*

Quæ desumpta est ex Authentica de Nuptiis, Collat. 4. cap. 11. sequentis tenoris: *Nam si tradiderit, tamquam liberam, suam ancillam Dominus; ille autem liber existens, & credens tradenti, hanc accipit; forsan etiam dotalibus celebratis documentis, aut neque celebratis quidem, ejus autem voluntate causam gubernante; non erit justum, tale non constare Matrimonium, sed tacitam libertatem sequi, sive virum sive mulierem. Et cum tale aliquid à Domino fit: sancimus & rapi talem virum aut fœminam ad ingenuitatem, & causam tamquam super liberis & ingenuis judicari.*

Si verò ipse quidem non celebraverit nuptias, alterius persona Dominus, sciat autem quod agitur, & ex studio taceat, ut postea causam sarciat alteri conjunctorum; ulciscimur hujusmodi, si apertè probetur nequitia, & privamus Dominum, ita malignè cogitantem: sitq; rursus hoc etiam Matrimonium, tamquam si consensisset Dominus ab initio: & ille quidem cadat dominio, ad ingenuitatem verò servilis persona rapiatur, hoc ipso conveniente effectu, sive consensit, sive malignatus est Dominus. Palam itaque est, quia etiam filij ex talibus nuptiis, liberi & ingenui secundum hanc nostram erunt legem. Ubi Gloss. verb. *Credens*: *Hanc*, inquit, *esse liberam, alias non esset deceptus.*

Et idem dicendum est (inquit Sanchez sup. disp. 20. n. 1.) si Dominus dicat Clerico, vel alij, ut conjungat servum cum ignoranti servitutem libera, tacitâ servitute. Quod perinde sit, ac si ipse Dominus conjungeret. Sanchez.

177. *Qua ratio hujus decisionis.*

Rogat aliquis: quæ ratio hujus decisionis? Consulat d. Authenticam, & dicet illi, ut mox audivimus: *Non erit justum, tale non constare Matrimonium, sed* (justum erit) *tacitam libertatem sequi, sive virum sive mulierem.* Ratio ergò est; quòd Dominus, in Matrimonium servi consentiens cum libera persona, tacens servitutem, eo ipso censeatur libertatem dare, sinè qua Matrimonium consistere nequit. Consentiens enim in aliquid, consentit subinde in id, absque quo illud perfici nequit.

Non requiritur sententia judicis.

Quare (inquit Sanchez sup.) non existimo hoc esse in pœnam fraudis, sed favorem Matrimonij, ut valeat. Nec credo, desiderari judicis sententiam, ut is servus liber fiat, ut constat ex illis verbis d. Authent. *Ad hoc: Dominium ejus amittit, eaq; ad ingenuitatem rapitur.* Quæ verba, ipso facto libertatem comparari, satis clarè indicant. Deinde: quia ibi decernitur, validum esse Matrimonium, & ut id valeat, conceditur ea libertas. At valere minimè posset, nisi servus eo ipso per Matrimonium consequatur libertatem. Quippè esset Matrimonium liberæ cum servo, ignorata servitute. Hæc ille.

178. *Objectio.*

Sed contrà, dicet aliquis; valet Matrimonium, secundùm Sanchez disp. 19. n. 4. (estque ultima pars nostræ Conclusionis) cum ancilla statu libera, quando modicum tempus deficit, ut plenam acquirat libertatem, ergò similiter valebit in casu proposito, si post modicum tempus speratur sententia judicis.

Solutio.

Respondeo: illam spem esse nimis incertam, ut ab ea possit aut debeat dependere valor Matrimonij; aliud est quando ex nunc certum & modicum tempus determinatum est, post quod indubiè statu libera plenam acquiret libertatem.

179. *Probatio hujus doctrinæ.*

Atque ut illa probatio Sanchij non foret efficax, sufficit prima probatio pro veritate doctrinæ; ubi enim jus non requirit sententiam, neque nos debemus eam requirere, cùm sinè omni sententia jus possit Dominum privare dominio sui servi, vel suæ ancillæ. Maximè si hæc constitutio non sit facta in pœnam fraudis, aut negligentiæ Domini, non exprimentis alteri servitutem, sed in merum favorem Matrimonij, ut actus potiùs valeat, quàm pereat.

Hæc constitutio non est pœnalis, quando De-

Et verò sic factam esse, videtur satis colligi ex textu, in quo, dum tractat hunc casum, nulla fit mentio alicujus fraudis aut negli-

negligentiæ, sed simpliciter dicitur: *Cum tale quid à Domino fit, sanctimus & rapi talem virum aut fœminam ad ingenuitatem* &c.

minus expressè consensit.

180. *Secùs quando solùm permisit.*

At verò dum agit de casu, in quo Dominus non tradidit; sed sciens contractum, tacuit, addit: *Ex studio*, ibi: *Sciat autem quod agitur, & ex studio taceat.* Et infrà: *Si apertè probetur nequitia, & privamus Dominum ita malignè cogitantem* &c. Itemque paulò pòst: *Sive consensit sive malignatus est Dominus.* Ubi Gloss. verb. *Consensit*, ait: *Expressè*, & verb. *Malignatus*, inquit, *scilicet tacendo.*

Ergò apertè textus id discrimen constituit inter expressam voluntatem Domini, quâ servum in id Matrimonium collocat, de quo casu hactenùs egimus, & inter permissionem tacendo, de quo casu mox agemus; ut in priori dolus non desideretur, secùs in posteriori.

Est autem posterior casus, quando servus vel ancilla, Domino tacente conditionem servilem, conscioque Matrimonij, illud ineunt cum persona libera, servitutis ignara.

181. *Quare Dominus qui tacet, privetur dominio servi, ex Sanchez.*

Interrogas: quare per dd. Authenticas in hoc casu Dominus privetur dominio servi vel ancillæ? Respondet Sanchez sup. n. 5. Quòd Dominus tunc non aperiens conditionem servilem sui mancipij, est in culpa de dolo gravi injuriæ contrahenti libero illatæ. Quare dignus est, ut in pœnam illius fraudis, & favorem Matrimonij, ut illud sit validum, mancipium libertatem consequatur. Quare textus, hoc statuentes, non fundantur in præsumptione voluntatis Domini; sed in vera voluntate puniendi taciturnitatem Domini, debentis in eo eventu manifestare servitutem. Hæc ille.

Sed quæret aliquis: cur Dominus tacens debet manifestare servitutem, magis quàm Dominus expressè consentiens? Vel si uterque debet manifestare, cur potiùs punitur unus, quàm alius? Si dixeris: expressè consentiens non debet manifestare; nam hoc ipso censetur mancipio dare libertatem; dicet ipse similiter: tacens non debet manifestare, quia eo ipso quò tacet, censetur mancipio dare libertatem.

182. *Non sufficit quæcumque taciturnitas.*

Interim certum est, non sufficere quamcumque taciturnitatem; quia jus expressè requirit, ut sup. vidimus, quòd Dominus taceat ex studio, ut posteà causam sarciat alteri conjunctorum, *Id est*, secundùm Glossam ibi, verb. *Sarciat*: *litem inferat*, scilicet tamquam illegitimè & invalidè conjuncto. Ergò non potest hæc constitutio fundari in præsumptione voluntatis Domini, quia præsumit voluntatem contrariam

Et ideò sequitur in textu: *Vlciscimur hujusmodi, si aperta probetur nequitia, & privamus Dominum, ita malignè cogitantem.* Quis non clarè videt ex his verbis, d. textum fundari in vera voluntate puniendi taciturnitatem Domini; taciturnitatem, inquam, ex malitia, scilicet animo litem inferendi?

183. Ac propterea requiritur dolus in Domino, sic tacente, ut benè notat Sanchez sup. n. 6. & Gloss. sup. verb. *Ex studio*, dicens: *Scilicet dolo malo.* Verbum enim, *Studiosè*, vel, *Ex studio*, aliquid facere, importat in delictis (inquit Sanchez) dolosè, & fraudulenter efficere, ut docet Gloss. fin. Authent. Ut ex actione instante dotis &c. §. fin. verb. *Ex studio: Id est*, inquit, *dolo vel fraude.*

Requiritur insuper dolus.

Unde ignorantia quantumcumque crassa facti vel juris excusabit. Quòd, ubi dolus exigitur, nulla Ignorantia juris vel facti sufficiat. Ex quo infero, non plecti Dominum hâc pœnâ amittendi servi, si non advertens, vel ex simplicitate, quantumcumque culpa lata intervenerit, taceat. Quia deficit dolus. Ita Sanchez.

Ignorantia crassa excusat, ex Sanchez.

184. *An desideretur sententia judicis. Negat Sanchez.*

A quo si petas; an desideretur sententia judicis, ut Dominus dolosè tacens privetur servi dominio? Respondet citiùs: Eam desiderari, fortiter probans, id esse pœnam fraudis. Verùm non desiderari, est mihi certum. Quòd idem Authenticum de Nuptiis §. *Si verò decretum*, sic dicat: *Privamus Dominum, ita malignè cogitantem .... & ille quidem cadat dominio, ad ingenuitatem verò servilis persona rapiatur.* Quæ verba latæ sententiæ sunt.

Deinde: quia ibidem dicitur, esse validum Matrimonium cum ea persona servilis conditionis initum à libero ignorante, quando Dominus scivit & tacuit, ibi: *Sitq; rursus hoc etiam Matrimonium, tamquam si consensisset Dominus ab initio.* Sed si à principio consensisset, Matrimonium fuisset validum antè sententiam judicis, ut sup. ex eod. Auctore ostendimus; ergò &c.

185. *Objectio.*

Tantùm videtur obstare huic doctrinæ Sanchij, quòd dicitur in textu: *Vlciscimur hujusmodi, si aperta probetur nequitia, & privamus Dominum, ita malignè cogitantem.* Ergò ex vi illius textûs non privatur Dominus, priusquam aperta probetur nequitia; ergò requiritur sententia, saltem declaratoria nequitiæ.

Diluitur.

Respondeo: indubiè debet fraus seu nequitia probari, si Dominus eam neget, antequam ipse in foro externo censeatur privatus dominio servi sui; neque hoc negat Sanchez: interim si reverà fraus commissa fuerit, per ipsum Matrimonium, sive in ipso Matrimonio, servus effectus est liber in conscientia, absque alia sententia, sive condemnatoria, sive declaratoria fraudis. Neque enim valor Matrimonij absolutè contracti potest dependere à sententia futura. Cui non placet hæc responsio quærat meliorem, quam ego non potui usque modò reperire.

186. *Pro oppositâ sententia citatur Paludanus.*

Cæterùm non desunt Auctores, qui videntur dicere, in casu proposito servum non donari libertate. Citat Sanchez Paludanum 4. dist. 36. q. 2. a. 1. concluſ. 2. quæ talis est: Licet Dominus videatur manumittere servum, quem scienter non reclamans permittit ordinari, vel profiteri: secùs tamen est in Matrimonio carnali; quia Dominus sciens, & non

contradicens, non propter hoc manumittit: quia taciturnitas ejus, cujus contradictio non impedit, non habetur pro consensu; sed solùm taciturnitas ejus, cujus contradictio impedit: potest autem contradicere ad Matrimonium carnale secundùm legem humanam, non Divinam, ideò &c. sed potest contradicere ad Matrimonium spirituale secundùm utramque legem. Unde quàmvis sciente, & non contradicente Domino, contrahat Matrimonium, non fit liber jure Divino & Canonico, licet videatur manumitti jure civili, quod in casu isto non tenet. Sed si sciente Domino, & non contradicente, ordinetur, vel profiteatur, liber efficitur. Hæc ille.

187. Et licèt non explicet, an liber ignoret servitutem; at manifestè, ut vult Sanchez sup. n. 4. in hoc eventu loquitur; in hoc enim solo disponit jus civile.

Dubia est ejus mens.

Sed contrà: in eo eventu loquitur Paludanus, in quo jus Divinum & Canonicum dispenuant, servum non effici liberum; qui eventus est, quando libera contrahit cum servo, vel servus cum ancilla, cognitâ servitute, in quo utique, sive Dominus consentiat, sive contradicat, Matrimonium valet, & servus non donatur libertate.

188. *Rejicitur hæc sententia.*

Quidquid sit de mente istius Auctoris, alios ibidem allegat Sanchez, qui expressè tamquam probabiliùs id sustinent. Sed non sunt audiendi, nisi adferant jus aliquod Canonicum, quod in casu, de quo loquimur, contrarium disponat. Nam jus civile clarum est; & veluti jure civili servitus est inducta, sic indidem per jus civile servitus hìc & nunc potest tolli.

Fatemur libenter, Dominum jure Canonico non posse contradicere, id est, per suam contradictionem non posse Matrimonium irritare; & ideò ex taciturnitate hìc non posse præsumi consensum; sed jam ostensum est, d. jus civile, non concedere libertatem ex tacito consensu Domini, aut in pœnam fraudis, quia cùm posset servitutem detegere, atque ita efficere, ut Matrimonium non fuisset contractum, aut certè validè contractum, tacuit, ut postmodum litem posset movere alteri conjunctorum, tamquam invalidè conjuncto, ut patet ex suprà dictis.

189. *An jam dicta locum habeant etiam in servo adscriptitio? Negat Sanchez.*

Quidam extendunt jam dicta, ut procedant etiam in servo adscriptitio. Quòd libertas concessa à vera servitute in hoc eventu, meritò extendenda sit ad hanc servitutem impropriam.

Sed meritò (inquit Sanchez sup. n. 7.) contrarium docet Glossa Authent. de Nuptiis §. *Si verò decretum*, verb. *Mulierem*, dicens: *Ancillam. Sed contrà inf. eod. §.* Adscriptitio. *Sed aliud in adscriptitio, quia per eum terra desereretur.*

190. *Probatio.*

Aliter probat Sanchez: quòd non militet ex hac libertate, inde consurgente, idem favor Matrimonij. Nam eâdem adscriptitiâ servitute manente, ejus error non obstat valori Matrimonij. Deinde: quòd non tanti momenti sit hæc fraus, ac quando est vera servitus; ac subinde lex pœnalis non est ad illam extendenda. Ita Sanchez.

Sed ultima probatio non habet locum in casu, quo Dominus traderet adscriptitium in Matrimonium; quippè tunc lex, concedens libertatem, non est pœnalis, ut sup. dictum est.

Quod attinet ad priorem probationem, docet Palud. 4. dist. 36. q. 1. a. 2. concluss. 1. non valere Matrimonium, ubi est error ascriptitiæ vel originariæ conditionis; quòd jure civili æquè reprobatur Matrimonium ascriptitij & servi, Authent. de Nuptiis cap. 17. sequentis tenoris: *Adscriptitio autem alieno nubere liberam non licet, neque ignorante, neque sciente, neque consentiente possessore; sed licet aliquid tale ab adscriptitio geratur, licebit Domino & ipsi per se, & per provinciæ judicem castigare plagis mediocribus hoc agentem adscriptitium, & abstrahere ab ea, quæ frustrà ei conjuncta est, unde ncque nuptiæ sunt, quod factum est.*

191. *Palud. docet, errorem adscriptitiæ conditionis irritare, ex Auth. de Nupt. c. 17.*

Respondetur: hunc textum procedere, etiam cognitâ eâ servitutis conditione, & correctum esse per jus Canonicum cap. 1. de Conjug. servorum, quod concedit servo, etiam propriè dicto, contrahere validum Matrimonium, Domino quoque contradicente.

Resp. ad D. jus.

Aliter ergò probat suam sententiam Palud. dicens: Ad hoc homo contrahit Matrimonium, ut provideat sibi de filiis legitimis ad cultum Dei, & ad hereditatis successionem; unde parentes debent thesaurizare filiis. Quidquid autem sit de jure, servi nostri temporis ità arcentur de consuetudine ab Ordinibus, sicut servi veri. Item, bona eorum in morte quandoque occupantur jure peculij, & filij fiunt eodem modo conditionati: unde multùm deciperetur volens habere liberos Clericos & hæredes, qui contraheret cum illâ, quam credit liberam, & esset sic serva; quia filij non possent promoveri, nec ad hæreditatem patris alibi transire, nec ipsi matri succedere.

192. *Alia probatio sententiæ Palud.*

Nec obstat: quòd etiam contrahens cum corrupta, quam credit virginem, fit bigamus, & tamen est verum Matrimonium: quia in Matrimonio plus providetur liberis, quàm conjugi; quia est propter prolem principaliter.

193. *Occurritur objectioni.*

Requiritur igitur, quòd sit servitus vera, non tantùm sicut jure civili, putà, quòd possit vendi, ut bos; sed quod ejus conditio sit contrà bona Matrimonij, putà contrà bonum prolis educandæ, quia successio non speratur, vel non in totum, sed fiscus occupat totum vel partem; vel ad cultum Dei, quia non potest fieri Clericus, vel religiosus; & contrà cohabitationem, quia est ascriptus glebæ; quia si vult ire ad alias partes, uxor non potest sequi eum, cùm sit serva de corpore, & hujusmodi, ideò &c. Hucusque Paludanus.

Quid requiratur ad servitutem juxta Palud.

Sed his non obstantibus, opposita sententia est ferè certa, inquit Sanchez sup. disp. 19. n. 9. Quòd Ecclesia non irritârit Marrimonium ex cujuscumque conditionis errore, sed solius servilis. At servi ascriptitij vel originarij sunt verè liberi; non ergò impedimentum hoc erroris conditionis servilis erit ad hanc impropriam servitutem extendendum, quàmvis in ea aliqui servitutis effectus reperiantur, & ea sit aliquantulum contrà prolis bonum: id enim solùm ad

194. *Oppositum sententiæ Paludani est ferè certum, ex Sanchez.*

conjugij

conjugij valorem spectandum est, ut liberè possit exigi & reddi debitum, quod hi efficere possunt: nec habenda est ratio, ut proles habilis sit ad Ordines aut monasticam vitam recipiendam. Hæc ille.

195. *Probatio aliqua.* Et meritò: quia non licet extendere impedimenta, maximè quæ dirimunt Matrimonium, ad casus in quibus non militat eadem ratio, sed qui multùm dissimiles sunt; constat autem, servitutem ascriptitiam oppidò dissimilem esse servituti propriæ dictæ & longè minùs repugnare bonis Matrimonij.

Supposito itaque, quòd Matrimonium personæ liberæ cum servo ascriptitio valeat, etiam ubi est error ascriptitiæ conditionis, non video, quo fundamento concedatur libertas servo ascriptitio sic contrahenti, Domino etiam expressè consentiente & ad nuptias tradente.

196. *Per Matr. quod aliàs valet, mancipium non accipit libertatem.* Ex quo etiam deducitur: quando uterque contrahens est propriè servus, vel si alter liber est conscius servitutis, quamvis Dominus consentiat, tradatque mancipium in Matrimonium, non consequitur servus libertatem. Probatur: quia textus superiùs allegati, eam libertatem donantes mancipio, expressè loquuntur, ut audivimus, quando liber fuit servitutis inscius. Deinde, quoniam favor valoris Matrimonij, eam libertatem necessariò petentis, cessat in hoc eventu; cùm valeat Matrimonium absque mancipij libertate; nullus enim, ut supponitur, in libero adfuit error. Jam autem huic favori dicti textus innituntur, ut sup. ostensum fuit.

197. *Rejicitur sententia Abbatis, servum consequi libertatem, quandocumque contrahit sciente Domino. Sanchez.* Unde (inquit Sanchez sup. disp. 20. n. 3.) non est audiendus Abbas cap. *Illud*, 11. de Præsumptionibus, dicens: servum fortè consequi libertatem, quando, Domino sciente, init Matrimonium. Accipe ejus genuina verba: Dominus fraudatur servo in multis casibus, inter cæteros est iste, quòd si Dominus constituat dotem, vel donationem propter nuptias ancillæ vel servo, videtur ei conferre libertatem, ut l. 1. Cod. de Ser. fu. & in l. 1. §. *Sed & si quis homini*, Cod. de Latina libertate tol. quia hæc non fiunt, nisi inter liberos. Et fortè idem dicendum, quando Domini sunt præsentes & tacent; arg. cap. *Si servus sciente*, dist. 54. Hæc ille.

Describo ego verba d. textûs: *Si servus sciente, & non contradicente Domino, in clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso, quòd constitutus est, liber & ingenuus erit.*

Sed non est ad rem. Id enim expressè definitum in sacri Ordinis honorem, non est cur ad Matrimonium trahatur, in quo nullo pacto eadem ratio invenitur. Ita Sanchez sup.

198. *Quid si Dominus constituat servo dotem vel donationem propter nuptias.* Et n. 9. non credit Abbati in hoc, quod sup. dicit: *Si Dominus constituat dotem, vel donationem propter nuptias, ancillæ vel servo* &c. eò quòd jus tantùm loquatur de dote, & de ancilla.

Describo verba juris, putà l. unicæ Cod. de Latina libertate tollenda (alia lex, quam citat Abbas, nihil habet ad propositum) *Sed & si quis homini libero suam ancillam in Matrimonium collocaverit, & dotem pro ea conscripserit (quod solitum est in liberis personis solùm procedere) ancilla non Latina, sed civis efficiatur Romana. Si enim hoc, quod frequentissimè in cives Romanas, & maximè in nobiles personas fieri solet, id est, dotalis instrumenti conscriptio, & in hac persona adhibita est, necessarium est consentaneum effectum hujus scripturæ observari.*

199. *Ancilla fit libera per constitutionem dotis, etiò liber foret conscius servitutis, secundum Sanchez.* Ex his verbis rectè concluditur, secundùm Sanchez sup. si Dominus in Matrimonium tradat ancillam libero, servitutis conscio, dotis instrumentum ancillæ conficiens, eo ipso ancilla efficitur libera.

Si dixeris ly *Servitutis conscio*, non exprimitur; ac proinde intelligi possunt de libero servitutis ignaro, prout intelligit Gloss. ibi verb. *Sed & si quis*, hisce verbis proponens casum: *Si quis ancillam suam alicui liberto, credenti eam liberam, collocaverit in Matrimonio, & dotalia conscribat instrumenta, olim fiebant Latini, hodie cives Romani.*

200. *Probatur ex jure.* Respondet Sanchez sup. Quàmvis textus non explicet, an liber nosset servitutem fœminæ; at manifestum est, ita intelligi, ut constat ex Authent. *Ad hoc*, quæ ibi statim inseritur, ubi, quando alter ignorat servitutem, decernitur; ancillam consequi libertatem, sive Dominus, eam in Matrimonium collocans, dotalia confecerit instrumenta, sive non. Atque ita, ut speciale aliquid contineat illa lex unica §. *Sed & si quis homini*, necessariò intelligi debet, quando etiam scienti Dominus tradit conficiens dotalia instrumenta.

Confirmatur. Idque amplius confirmatur; quòd decisio illius §. eo innitatur, quòd dotem constituere pro fœmina in solis liberis personis procedat, ut in eo expressè dicitur. Atque ita intelligunt Glossa ibi in casûs positione, & Molina to. 1. de Justitia tract. 2. disp. 39. §. *Septimus est*. Hactenùs Sanchez. *Molina.*

201. Et quidem Molina ita intelligit hanc legem, uti & Covarruvias de Matr. part. 2. c. 3. §. 7. n. 1. At Glossam sic intelligere, non ex verbis ejus, sup. fideliter relatis, sed magìs oppositum colligitur.

Impugnatur. Prætereà quæro ego: unde probatur, quod illa l. unica speciale aliquid debeat continere? quippè ut sit distinctio inter d. l. & Authent. sufficit planè, ut Authentica contineat aliquid speciale, sicut reverà continet. Interim tamen ratio legis videtur æqualiter militare in utroque casu: & cùm expressè verba legis non meminerint ignorantiæ servitutis, nil cogit, verba generalia ad eam restringere.

202. *An sicut ancilla, ita etiam servus fiat liber? Negat Sanchez.* Quia porrò verba legis solam conscriptionem instrumenti dotalis exprimunt, & non donationem propter nuptias. Itemque solius ancillæ, & non servi meminerunt; & quando lex voluit servum quoque amplecti, id explicuit, ut constat ex d. Authentica; hinc Sanchez sup. ut dixi, non credit Abbati asserenti, ut audivimus, sufficere donationem propter nuptias; & non soli ancillæ, sed etiam servo tali casu fore concessam libertatem.

Affirmat Covar. cum Abbate.

At verò Covar. sup. subscribit Abbati, quantùm attinet ad servum ; sic enim ait : Quintum his addendum erit, Dominum tradentem servum in Matrimonium, etiam scienti ejus conditionem, eumdem servum ex hoc liberum efficere, si dotalia instrumenta ad hoc Matrimonium constituerit, text. in l. un. §. *Sed & si quis homini*, Cod. de Lat. libert. toll. Gloss. per text. ibi in c. *Illud*, de Præsumptionibus. Ubi Abbas id esse dicendum censet eo casu, quo ipse servus hæc instrumenta fecerit, præsente & tacente Domino, nec tunc contradicente, & hoc favore libertatis inductum esse, manifesti juris est. Ita Covarruvias.

203. *An sit necesse, ut Dominus per seipsum constituat dotem.*

Sed neque in hoc puncto Sanchez sup. fidem habet Abbati. Nam textus, inquit, solùm id decernit, quando ipse Dominus conficit ; unde non est, cur extendatur ad permissionem, ut alius conficiat. Sic ille.

Miror ego Sanchium hìc ita inhærere verbis legis ; cùm enim libertas sit favorabilis, veluti quidpiam homini naturale, potiùs hæc l. unica extendenda foret, quàm restringenda, extendenda, inquam, ad eos casus, in quibus eadem omninò ratio in lege expressa, militare cognoscitur. Jam autem ratio expressa in lege, hæc est : *Quod solitum est in liberis personis solùm procedere*, quæ æqualiter militat in servo, & ancilla ; in conscriptione dotis, & donatione propter nuptias ; itemque in conscriptione, quæ immediatè fit à Domino, & quæ fit ab alio de mandato Domini, seu Domino vidente & non contradicente, cùm facilè posset contradicere : ait quippè Reg. 72. de Reg. juris in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum*, & Reg. 43. eod. *Qui tacet, consentire videtur.*

Sententia Auctoris.

Porrò quòd in d. Authentica, *Ad hoc*, explicetur servus, non ideò factum est, quòd alioquin lex eum non amplecteretur ; sed ad majorem claritatem, & ad omne dubium tollendum. Quare puto sententiam Abbatis satis probabilem.

204. *Quid si ipse Dominus ducat suam ancillam.*

Sed quid (interrogat quispiam) si Dominus ancillam suam ducat in uxorem, nunquid & ea consequetur hoc ipso libertatem? Affirmat Gloss. cap. *Si quis viduam* 15. dist. 34. verb. *Ancillam*, dicens : *Sed quare hìc prohibetur, cùm tamen eo ipso quòd aliquis ducit ancillam suam in uxorem, ipsa libera efficiatur ? ut Cod. de Lat. lib. toll. Authent.* Ad hoc. *& Cod. de Operis libertorum, Libertæ.*

205. *Sanchez putat non consequi libertatem, attento jure communi.*

Verùm, ut benè notat Sanchez sup. n. 10. dicta Authent. nec verbum dicit ad hoc conferens ; sed solùm, quando Dominus tradit ancillam libero, ignoranti servitutem, ut patet ex antedictis. Etiam d. l. *Libertæ* nil dicit, sed solùm, libertam ductam in uxorem non esse cogendam operas præstare. Hæc sunt verba legis : *Libertæ tuæ, ducendo eam uxorem, dignitatem auxisti, & ideò non est cogenda operas tibi præstare : cùm possis legis beneficio contentus esse, quòd invito te, alij non possit justè nubere.*

Hinc Sanchez sup. n. 11. Cùm, inquit, nullus detur textus, eam libertatem decernens, jure optimo ab hac opinione recedendum est, dicendumque, jure communi attento, eam ancillam minimè effici liberam.

206. *Idem docet Covar.*

Et ita sentit Covarr. sup. ibi : Tertiò & istud est considerandum, Dominum accipientem in uxorem propriam ancillam, non efficere eam ex eo solo liberam ; imò necessariam esse manumissionem, ut probat textus in Authentica de Trient. & semisse, §. ult. ibi : *Sed quoniam utique hoc dubitatum est, sancimus, si quis uxorem non habens legitimam, aut filios legitimos, ad ancillam propriam habuerit quamdam meliorem sententiam, & filios protulerit ex ea in servitute constituta : postea verò libertate honoraverit, & ancillam & natos, & jus eis aureorum petierit annulorum, & regenerationis, & inter ingenuos secundùm justos reduxerit modos, & nuptias consummaverit ; posteà verò nuptialia conscripserit documenta, & aut fuerint filij postea, aut non fuerint (ut utriusque nostræ constitutionis amplectamur casus) sit & uxor legitima, & filij sub potestate ipsius, & sui & ab intestato hæredes genitori* &c. Ubi præter Matrimonium videtur requiri conscriptio nuptialium documentorum.

207. *Iure regni Hispaniæ contrarium disponitur.*

Interim quod jure communi, secundùm Sanchium, non est concessum, jure regni Hispaniæ expressè disponitur, l. 1. tit. 13. part. 4. in fine ibi : *Tan gran fuerça ha el Matrimonio, que luego, que el padre e la madre son casados, se fazen por ende los hijos legitimos. Esto mismo seria si alguno uviesse hijo de su siervo, y despues desto de cassa se con ella, ca tan gran fuerça ha el Matrimonio, que luego que es fecho, es la madre, por ende libre è los hijos legitimos.*

208. *Explicatur illud jus.*

Ubi, ut notat Sanchez sup., duplex vis tribuitur Matrimonio, altera legitimandi prolem anteà conceptam, & ad hoc desideratur proles : altera verò redigendi ancillam in libertatem, & ad hoc nil confert habitam esse prolem ex ea, nec ne. De filiis verò, anteà conceptis ab eo Domino ex illa ancilla, qui patris servi erant, nil disponitur expressè in ea lege circà eorum libertatem : at satis clarè id indicat, dum eos legitimos fieri, & per consequens hæredes decernit : quod servituti repugnat. Item : quia sufficit ut Dominus manumittat matrem, ut filij quoque, quos ex ea habuit, censeantur manumissi. Quod optimè probatur ex Authentica. Ut liberto de cætero aureo, §. *Si quis autem* (aliàs cap. 4.) ibi : *Neque enim quilibet eum putaturus erit voluisse, filiorum quidem matrem legitimam esse, & hoc tam magnum ei donasse opus libidinis : proprios autem filios ex suo natos semine, adhuc relinquere servituros.* Ita Sanchez.

Pontius putat, libertatem competere ancillæ jure communi.

Cæterùm Basilius Pontius lib. 7. c. 44. n. 3. existimat, quòd in casu proposito libertas competat ancillæ, non tantùm attento jure regni Hispaniæ, sed ex ipso jure naturali ; ac proinde locum habere jure communi, cùm de eo nulla existat in oppositum dispositio.

209. *Prima probatio ex ipsa natura Matr.*

Et in primis (inquit n. 4.) id ostendo ex ipsa natura Matrimonij. Matrimonium enim suapte naturâ talis virtutis est (inquit optimè Gabr. Vasquez, qui mihi hujus sententiæ Auctor est,

3. part. disp. 80. c. 8. n. 41.) ut si aliquis ducat uxorem, quam anteà servam & ancillam habuit, jam deinde illa ad dignitatem Matrimonij evecta, absque alia lege & pacto, jure ipso conjugij solùm, libera & ingenua permaneat. Ita enim arctum est vinculum conjugij, ut duo sub eodem thalamo commorentur, & eodem titulo ac nomine gaudeant honoris, Regis videlicet aut Imperatoris, Authent. de Consulibus c. 2. in principio: *Si autem etiam uxorem consul habeat, definita est à nobis, & circa illam expensarum mensura, decet enim frui eas & conjugis claritate.* Et l. 13. Cod. de Dignitatibus: *Mulieres honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum persona statuimus, & domicilia mutamus. Si autem minoris ordinis virum postea sortitæ fuerint: priori dignitate privatæ, posterioris mariti sequuntur conditionem.* Et postquam consummatum fuerit Matrimonium, dicuntur una caro.

Vxores gaudent honore virorum, ex Auth. de Consul. & Cod. de Dignit.

210. Hanc autem esse naturam Matrimonij, optimè docuit Leo Pontifex in cap. *Non omnis* 12. caus. 32. q. 2. ex Epist. ab Rusticum c. 4. ibi: *Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter coæquales, multò priùs hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani juris existeret.* Et infrà: *Igitur cujuslibet loci clericus, si filiam suam viro habenti concubinam, in Matrimonium dederit, non ita accipiendum est, quasi conjugato eam dederit, nisi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honestata videatur.* Hæc autem omnia pugnant cum statu servitutis; atque ideò servilis conditio Matrimonij æqualitate extinguitur.

Hanc esse naturam Matr. probatur ex Leone Papa.

Id quod etiam lex nostri Regni apertè indicat his verbis: *Tan gran fuerça* &c. ut sup. In quo non legem novam esse dicit, sed naturalis juris & æquitatis rationem explicuit. Unde repugnat omninò patronum nùbere ancillæ suæ in servitute manenti; sed eo ipso, etiamsi Dominus nolit, ingenua efficitur. Hucusque Pontius.

211. Eamdemque sententiam amplectitur Dicastillo hìc disp. 7. n. 122. propter easdem rationes. Si autem ei objicias: quod Agar verè fuit uxor Abrahæ, & tamen Gen. 10. dicitur ancilla. Item ex Aristotele, qui 1. Politicorum c. 1. refert apud aliquos uxoreshabitas fuisse tamquam ancillas.

Pontium sequitur Dicastillo.

Respons. ad arg. Respondet ad ultimum: erant gentes illæ barbaræ, & in hoc, sicut in plerisque, jus ipsum naturæ non servabant. Ad primum ait: nullam id vim habere: neque enim dicebatur ancilla, quia post Matrimonium mansisset talis; sed quia priùs fuerat, & posteà non assumpta fuit ad domûs gubernationem, sed mansit ministrans tamquam famula. Hæc ille.

212. Sed dicet aliquis: quomodo ergò valet, quod ibidem asserit: Conjux ex vi Matrimonij fit alteri socius, & ejus nomine & honore gaudens? Nonne Agar gaudebat honore Abrahami, aut honore Saræ, quæ assumpta fuerat ad domûs gubernationem? Aut fortè Abraham non servavit jus naturæ? Nonne Salomoni fuerunt uxores, quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ? Censes autem, quòd hæ trecentæ concubinæ gavisæ fuerint nomine & honore regio? Clarum est quòd non? Et ipsæ tamen jus habebant, ut fierent una caro cum Rege, & per Matrimonium consummatum fiebant una caro cum Rege.

Impugnatur hæc sententia.

Status servitutis non repugnat statui Matr.

Manifestum herculè est, statum servitutis non repugnare statui Matrimonij; sed Matrimonium suâpte naturâ stare posse inter personam liberam, & mancipium: alioquì quandocumque liber contraheret cum serva, etiam invito Domino, consequeretur hæc libertatem, quod ex hactenùs dictis constat esse falsum.

213. Respondet Pontius sup. n. 5. tantam esse vim Matrimonij, ut quantùm est ex se, quoties ingenuus nuberet servo, extingueret statum servitutis, nisi repugnaret illi, vel impediretur ea vis jure altero quæsito Domino & patrono, quo invitùs privari non potest, cùm sit prior Domini conditio. Ex quo consequenti consideratione fit, ut quoties vel perseverat istud jus impediens, vel contrahens ingenuus non cedit juri suo, Matrimonium sit jure naturali nullum, vel Ecclesiastico.

Matrimonium ex se extinguit servitutem, quoties ingenuus nubit servo, juxtà Pontium.

Quare servitus cognita non dirimat, ex eod.

Inde fit servitutem cognitam non dirimere, quia aliud est copulari Matrimonio cum illo, cujus est servus, quod pugnat cum Matrimonij vi & efficacitate: aliud eum, qui alterius est servus, copulari cum alia ingenua. Quod, etsi dedeceat Matrimonium, quod æqualitatem inducit, ut cum una caro sint, medietas ingenua, medietas in servitutem redacta sit, non tamen repugnat; cedit enim, cognitâ servitute, contrahens juri suo.

214. At quoties ingenuus contrahit, ignoratâ servitute, & aliàs est consensus Domini, sive quia ille collocat, sive dotem designat, sive videt & tacet, Matrimonium valere censetur, non tam jure positivo, quàm naturali; explicatâ tamen lege positivâ.

Quare ignorata dirimat.

Id enim indicatur in Authent. *Ad hoc*, Cod. de Lat. libert. ibi: *Qui suam ancillam* &c. vide sup. *eaq; ad ingenuitatem rapitur.* Ubi convenienter utitur hoc verbo: *Rapitur ad ingenuitatem*, quo explicat vim & efficacitatem Matrimonij. Id enim sublato jure patroni, quod impediebat, rapit servum ad statum ingenuitatis. Cui favet quod habetur Authent. de Nuptijs Collat. 4. *Si verò*, versic. *Hoc autem decernimus*, ubi agens, quando Dominus tradit ancillam libero ignoranti servitutem, inquit: *Non erit justum tale non constare Matrimonium, sed tacitam libertatem sequi* &c. Hactenùs Pontius.

215. Sed enim, dicet aliquis; verbum istud: *Rapitur ad ingenuitatem*, commodè intelligitur, non de sola vi & efficacitate Matrimonij, seclusâ lege positivâ; sed de vi & efficacitate Matrimonij, quæ ei competit immedia-

Quomodo Matrimonium rapiat ancillam ad ingenuitatem.

mediatè ex vi & efficacitate legis humanæ, quæ propter majorem decentiam, & in favorem Matrimonij, ac subinde in pœnam fraudis à Domino commissæ, talem effectum Matrimonio tribuit, qui aliàs, consideratâ solâ ejus essentiâ, ei nequaquam competeret in hujusmodi circumstantiis; quia fieri potest, ut Dominus tradens, aut tacens nolit cedere juri suo; cùm enim ex natura rei non repugnet Matrimonium liberi cum ancilla, saltem aliena: unde probatur, quod repugnet cum ancilla propria? Quid si ancilla nolit fieri libera, sed cedat juri suo, & velit manere ancilla?

216. *Auctor adhæret sententiæ Sanchij contrà Pontium.* Prætereà: dictæ Authenticæ solùm loquuntur de Matrimonio, quod contrahitur cum ignorantia servitutis, quod vel ex jure naturæ, vel saltem jure Ecclesiastico irritum est, nisi in casibus jure expressis: hìc autem agimus de Matrimonio, contracto cum scientia servitutis, quod jure naturæ validum est: non posse autem esse validum, nisi mancipium rapiatur ad ingenuitatem, aut injustum esse, nisi mancipium hoc ipso consequatur libertatem, secluso etiam omni jure positivo, non video sufficienter probari à Pontio aut Dicastillone, & ideò adhæreo sententiæ Sanchij.

Matrimonium cum propria ancilla per se valet. Utut sit de libertate, certum est, quòd Matrimonium valeat, nisi deficiat consensus contrahentium; Domini quidem, qui non intendat contrahere, nisi ancilla maneat in eadem conditione; ancillæ autem, quæ non intendat Matrimonium, nisi per istud liberetur à servitute.

217. *An valeat Matr. contractum cum servo ab ignorante, dum ipse consequitur libertatem? Negat Covar.* Patet quòque ex dictis, ancillam consequi libertatem, si eam Dominus tradat personæ liberæ, ignoranti servitutem, vel sciens taceat. Sed nunquid inde rectè infertur: ergò Matrimonium initum valet?

Negat Covar. sup. dicens: Verum tamen est, in hoc casu Matrimonium, cum servo contractum ab ignorante, minimè valere, etiamsi ex hoc contractu efficiatur liber: potest enim ipsa ab hoc contractu discedere. Regia l. 1. tit. 5. partita 4. cujus contrarium notant Glossa, Host. Abb. & DD. communiter in c. ult. de Conjug. servorum. Hæc ille.

218. *Sanchez cum communi sententia affirmat, per d. Auth. de Nuptijs. Probatur ex ratione.* Sanchez sup. n. 14. sequitur sententiam communem, estque secunda pars nostræ Conclus. expressa in d. Authent. de Nuptijs ibi: *Non erit justum, tale Matrimonium non constare.* Et infrà: *Sitq; rursus hoc etiam Matrimonium.* Et ratio est: quia cùm statim eodem momento, quo perficitur Matrimonium, maneat conjux servilis conditionis effectus liber, servitus illa est nullius considerationis, nec obest Matrimonij fini, nec affert incommoda, ob quæ jus naturale vel Ecclesiasticum irritat Matrimonium, cum errore conditionis initum.

219. *Objectio.* Si dixeris: priùs est Matrimonium iniri, quàm libertatem consequi; ac proinde verè initum est inter personam liberam & servituti subjectam, cum errore conditionis servilis.

Solutio. Respondetur: illo instanti, in quo est verum dicere, jam est Matrimonium initum, etiam verum est dicere, jam illa persona est libera; ac proinde Matrimonium verè initum est inter personas liberas; Quid ni ergò valeat? Quippè hìc non consideratur prioritas naturæ, quæ nullum adfert incommodum, sed sola prioritas temporis, ex qua oriri possunt incommoda, ob quæ jus naturæ, vel Ecclesiasticum, Matrimonium servi cum ancilla irritat.

220. *Resp. Sanchez ad l. Regiam.* Quantùm ad l. Regiam, quæ statuit nullitatem; respondet Sanchez sup. solùm arguit, conditores illius fuisse in ea opinione, non tamen habet vim legis, quoad decisionem nullitatis Matrimonij, benè tamen quoad libertatem dandam servo illi. Quod priùs sit fori Ecclesiastici: posteriùs autem sæcularis. Atque hæc satis de secunda parte Conclusionis.

Venio ad 3. quæ majorem habet difficultatem; quia supponit, quòd in ipso contractu, & post contractum maneat servitus, quàmvis pro brevi tempore. Casus ergò, de quo hìc disputatur, est; an valeat Matrimonium liberi cum ancilla statulibera, cui ex tempore aliquo jam est concessa libertas, ignorante libero eam conditionem servilem. *An valeat Matr. liberi cum ancilla statulibera.*

221. *Ratio negandi.* Et ratio negandi est: quòd eo medio tempore sit verè ancilla, ut expressè habetur l. 9. ff. de Statuliberis, in principio: *Statuliberum medio tempore servum hæredis esse, nemo est, qui ignorare debeat, ea propter noxæ dedi poterit.*

Quis sit statuliber, ex l. 1. ff. de Statulib. Quæris à Jurisconsulto: ecquis statuliber? Respondet eod. tit. l. 1. *Statuliber est, qui statutam & destinatam in tempus vel conditionem libertatem habet. Fiunt autem statuliberi vel conditione expressâ, vel vi ipsâ. Conditione expressâ quid fit, manifestum est. Vi ipsa, cùm creditoris fraudandi causâ manumittuntur. Nam dum incertum est, an creditor jure suo utatur, interim statuliberi sunt: quoniam fraus cum effectu in lege Ælia accipitur.* Ita Paulus lib. 5. ad Sabinum.

222. *Non valet ignoratâ servitute, juxtà Ang. & Sylvest.* Igitur Matrimonium in casu proposito inter liberum est & ancillam, ignoratâ servitute; quid ni ergò sit irritum, juxta cap. ult. de Conjugio servorum? Ita docet Angelus verb. *Matrimonium* 3. impedimento 4. n. 6. & Sylvester eod. verb. 8. q. 2. dicto 3.

Nisi modicum tempus deficiat secundùm Sanchez. Verùm (inquit Sanchez sup. 19. n. 4.) quàmvis neminem invenerim hoc temperantem, consultis tamen viris doctissimis, illis visa fuit mea sententia valdè probabilis; nimirum, ut temperetur hoc, nisi modicum tempus deficiat, ut statulibera plenam acquirat libertatem, tunc enim id Matrimonium valebit. Cessant enim rationes, quibus Ecclesia ducta, irritavit Matrimonium inter liberum & ancillam, quando jam intra breve tempus est acquirenda libertas.

223. Nullius enim momenti est præjudicium, quòd

Probatur hac limitatio.

quòd obligari perfectè & liberè nequeat ad reddendum debitum & cohabitandum, quin occupari à Domino possit, cùm brevi duraturum sit impedimentum : neque potest jam ea serva per venditionem separari: atque ita non erit contrà bonum Sacramenti, nec prolis : & si attendas dedecus, quod est contrahere cum reverà ancilla, idem profectò sequitur ex Matrimonio cum liberta : parùm enim refert, paulò antè fuisse servam, & tunc esse liberam. Et tamen Matrimonium cum liberta valet, ignoratâ conditione.

Confirmatur.

Nec mirum est, si valeat Matrimonium durante servitute : quia disp. sequenti n. 14. dicemus cum communissima sententia, valere Matrimonium, quando Dominus collocat in Matrimonium, ancillam cum libero, ignoranti servitutem ; quòd statim ac initum fuerit Matrimonium, consequatur per illud ancilla libertatem ; cùm tamen verè tempore consensûs conjugalis fuerit ancilla. Ita Sanchez.

224.

Expenditur confirmatio.

Sed enim, dicet aliquis ; si verè tempore consensûs conjugalis fuerit ancilla ; quomodo ergò verum est, quod ait idem Auctor, disp. sequenti n. 14. statim eodem momento, quo perficitur Matrimonium, manet conjux servilis conditionis effectus liber ? Si eodem momento, quo præstatur consensus conjugalis, conjux servilis conditionis efficitur liber, quomodo verè tempore consensûs fuit ancilla ? An eodem momento potest esse ancilla & libera ?

Sententia Sanchez non est improbabilis, ex Coninck. Placet Dicastilloni.

Quidquid sit de hoc ; propter primum argumentum apparet sententia Sanchez non improbabilis, ut notat Coninck disp 31. n. 26. quàmvis dicat, eam certò probari non posse. Placet etiam Dicastilloni sup. n. 114. etiamsi, inquit, supponamus, pro illo brevi tempore esse servam.

225.

Existimat, ipse talem personam pro modico illo tempore non esse servam.

Verùm (prosequitur n. 115.) si fas est asserere, eam non esse servam, quantumvis oppositum videatur tamquam certum, & expressum in jure, affirmari, aut supponi à Sanchez, & ab Angelo, & Sylvestro ; si hoc, inquam, fas est, non video quid possit obstare prædictæ resolutioni, quod Matrimonium valeat. Existimo igitur, salvo meliori judicio, & pace tantorum virorum, illam personam, sic libertate donatam, esse absolutè jam non servilis conditionis, & (quod idem est) definere esse statuservam, & tantùm abest, quòd ex citata lege 9. ff. de Statulib. censenda sit serva pro illo tempore, ut potiùs inde possit sumi argumentum à fortiori, ut probemus jam esse statuliberam.

226.

Pro quo expendit l. 9. ff. de Statulib.

Atque in primis in ea lege casus erat de servo, cui legatum relinquebatur, suppositâ libertate dubiâ sibi ex testamento concessâ, nempe (ut explicat Gloss. verb. *Statuliberum*) sub conditione de futuro satis contingenti & dubio, *Si navis ex Asia venerit*, & talis servus, sic libertate donatus, appellatur statuliber : ergò multò potiori ratione statuliber appellaretur, si intrà breve aliquod tempus consecuturus esset libertatem in omni eventu, & absque ulla alia conditione.

Conatur ostendere, eam sibi non contrariari.

Quòd autem in illa lege non sit vestigium, nedum expressum decretum, quòd medio tempore censeatur servus, sic probo : in casu legis concessio libertatis non fuit absoluta, sed sub conditione pendente in futurum, eâque incertâ: ergò in casu legis ille nondum exuerat propriè loquendo servitutem, neque acquisierat expeditum & absolutum jus ad libertatem : ergò non mirum est, quòd lex supponat, illum adhuc esse servum ; neque illud tempus antè eventum conditionis est tempus medium propriè loquendo, sed tempus dubium & pendens atque indifferens, ut pro diversitate eventûs, talis servus confirmaretur in servitute, vel liberetur ab illa.

227.

Dicit, talem ancillam debere & posse appellari liberam seu libertam.

At in nostro casu, factâ donatione libertatis ex tunc pro tali die mox futuro, independenter ab alia conditione, multò potiori ratione talis ancilla debet & potest appellari libera seu liberta, nec censetur ampliùs obligata ad servitutem, quàm si alioquì libera seu liberta, ex pacto se obligasset ad serviendum pro illo brevi tempore : ergò etiam pro tunc appellari potest & debet statulibera, atque adeò non statuserva. Quapropter citata lex non videtur nobis obstare, quò minùs dicamus, ex puncto factæ donationis desinere esse servam, solùmque pro aliquo tempore manere obligatam ad præstandum servitia Domino ; ergò valebit Matrimonium cum ea contractum ab homine libero, ignorante prædictam qualem qualem servitutem. Hactenùs Dicastillo.

228.

Arguitur pro oppositâ sententia.

Nec adeò malè, si omnia vera forent, quæ dicit. Ac principio quidem non est quæstio, an talis ancilla debeat dici statuserva, an verò statulibera ; nam quæstio supponit, quòd sit statulibera ; sed Angelus & Sylvester contendunt, hanc statulibertatem non sufficere ad valorem Matrimonij, cùm relinquat ancillam verè talem pro tempore intermedio : sic ut ea, quæ interim facit ut serva, non ut libera faciat; arg. l. *Statulib.* ff. de Statulib. Ita arguunt dd. Auctores.

Exponitur l. 9. ff. de Statulib. per Gloss. ibi.

Quam autem l. intelligant, mihi incertum est ; quia multæ leges illius tit. per ly *Statulib.* designari possunt. Interim Sanchez intellexit, & post illum Dicastillo l. 9. quæ incipit : *Statuliberum*, cujus casum sic exponit Glossa : *Statuliber, antequam impleatur conditio, dicitur servus hæredis, & si interim delinquat, poterit hæres eum dare pro noxa ; adveniente autem conditione erit liber, sed si hæres eum vendat, adhuc durat spes libertatis, & si vendiderit eum tamquam merum servum, non tamquam statuliberum, tenebitur emptori act. ex empt.*

De qua autem conditione hoc debeat intelligi, an de ea, quæ satis contingens est & dubia v. g. *Si navis ex Asia venerit* ; an verò etiam de ea, quæ minùs contingens est & minùs dubia, v. g. *Si servus decem*

dederit, aut simili, cujus impletio pendet à voluntate servi, ibi non explicat Glossa.

229. *An possit Gloss. intelligi de conditione impropriè dicta.* Et quidni etiam possit Glossa intelligi de conditione impropriè dicta, putà de certo tempore, in quod servus habet destinatam libertatem? Nam & hic statuliber est, ut patet ex d. l. 1. eod. tit. & non video, quare ipsum quoque, si delinquat interim, hæres non posset dare pro noxa, & quare non posset eum vendere, non quidem tamquam merum servum, sed tamquam statuliberum.

An talis ancilla possit vendi medio tempore. Pars affirmans probatur ex l. 25. eod. Dicit quidem Sanchez sup. ut vidimus, talem non posse interea vendi; sed unde hoc constat? Sanè oppositum potiùs videtur ex hac lege, & aliis similibus eod. tit. probari. Audi l. 25. *Statuliberos venundari posse, leges duodecim tabularum putaverunt. Duris autem conditionibus in venditione minimè onerandi sunt: veluti ne intra loca (certa) serviant, neve unquam manu mittantur.*

230. *Objectio.* Si dixeris: etiam hanc legem Glossa explicat de libertate conditionata, dicens in expositione cásûs: *Statuliber interim, antequam impleatur conditio, sub qua relicta erat libertas, potest vendi* &c.

Solvitur. Respondeo: verba l. esse generalia, nec ullam esse rationem restringendi ad libertatem conditionatam propriè dictam, sive ad conditionem satis contingentem & dubiam; unde vel Gloss. malè explicat, vel intelligenda est etiam de conditione impropriè dicta, sive de certo tempore, in quod servus habet designatam libertatem.

231. *Probatur etiam ex l. 29. eod.* Attende l. 29. eod. *Statuliberi à cæteris servis nostris nihilò penè differunt: & ideò quod ad actiones, vel ex delicto venientes, vel ex negotio gesto, vel contractu pertinet, ejusdem conditionis sunt statuliberi, cujus cæteri: & ideò in publicis quòque judiciis easdem pœnas patiuntur, quam cæteri.* Casum autem hujus legis ita exponit Glossa: *Statuliberi nihil penè* (id est ferè) *differunt à servis, & quoad contractus, & quoad actiones, & quoad delicta.*

Item l. 16. eod. Et l. 16. sequentis tenoris: *Statulibera quidquid peperit, hoc servum hæredis est.* Ubi Gloss. verb. *Hæredis est*, rationem dat, dicens: *Cùm ipsa serva sit.*

232. *Solvitur objecta.* Planè, inquis; sed loquitur de statulibera sub conditione: nam citat d. l. *Statuliberum.* Respondeo ut sup. sub conditione propria vel impropria. An fortè putas, quidquid statulibera ex die, quidquid, inquam, pepererit, hoc servum hæredis non esse? Noli putare; quia nec ratio, nec jus suffragatur, vel assignetur illud jus.

Quod sit hic modicum tempus, ex Sanchez. Quinimò fieri servum, supponit Sanchez sup. ut statim videbimus, explicando modicum tempus, ex quo libertas servo est relicta. Sic quippe ait hic Auctor: Quod si quæras, quantum temporis designandum sit, ut si eo transacto, servitute jam finitâ, libertas comparanda sit, valeat Matrimonium cum illius servitutis ignorantia initum? Existimarem, dummodò brevius spatio sex mensium sit.

Ducor: quoniam lib. 3. disp. 23. n. 13. probavi, esse modicum tempus minus sex mensibus, ut incolatus, & Parochia acquirantur. Et disp. 18. n. 6. eod. 3. lib. probavi, quod modico tempore durat, reputari pro nihilo, & n. 9. id modicum tempus esse minus sed mensibus. Nec in hoc tempore potest sequi id prolis damnum, ut servituti subjiciatur, quòd ancilla ducta in uxorem nondum verè sit libera: quia legitimus & perfectus partus septimo mense nascitur, l. *Septimo mense* 12. ff. de Statu hominum. Hæc ille. 233. *Brevius spatio sex mensium.*

Supponit itaque, quidquid pepererit statulibera, sive libera ex die, sive sub conditione, hoc servum hæredis esse. 234.

Hinc Coninck sup. Breve, inquit, tempus vult esse, quod est minus sex mensibus; quia nec intrà illud tempus, posset à Domino vendi, aut procul ablegari, nec etiam ex Matrimonio parere, & consequenter soboles esset futura libera. Secùs si tempus esset futurum longius; quia proles concepta fieret serva, & alia incommoda sequerentur, quæ non sunt improbabilia, sed certò probari nequeunt. Ita Coninck. *Consentit Coninck.*

Quæ cùm ita sint, liquet profectò, parvam immò nullam vim habere argumentum Dicastillonis, quod eodem modo procedit, sive tempus sit breve, sive longum; quia, secundùm ipsum, d. l. *Statuliberum*, non loquitur nisi de libertate concessa sub conditione satis contingenti & dubia.

Unicum igitur fundamentum sententiæ Sanchez, & Conclusionis nostræ est: quia quod modicum est, pro nihilo reputatur, adeoque pro modico illo tempore talis persona potiùs libera quàm serva dici debet in morali æstimatione, quæ in similibus solet attendi, sive à jure naturali, seu etiam à jure Ecclesiastico aut civili; quippè propter incommoda, quæ sequuntur ex Matrimonio inter liberum & ancillam, jus naturale aut positivum istud irritavit; ubi ergò cessant hæc incommoda, sicut pro maxima parte cessant in casu proposito, etiam videtur cessare irritatio. Non quòd cessante fine legis in casu particulari, semper cesset lex; hoc enim in multis exemplis fallit: sed quia hìc deficit materia legis, scilicet conjugium cum ancilla vel servo; quia talis persona in morali æstimatione non est servus vel ancilla, secundùm ea, quæ jus dirimens Matrimonium in eis considerat. 235. *Fundamentum sententiæ Sanchez & nostræ Conclus.*

Sed certè (inquit Aversa q. 12. sect. 2. §. *Tertiò*, in fine) si statim atque quis contraxit cum serva, discat illam esse tunc servam, potest recedere, & habere suum Matrimonium pro nullo, quàmvis sciat securitatem proximæ libertatis: igitur verè Matrimonium fuit nullum. Hæc ille. 236. *Aversa videtur esse in sententia oppositâ.*

Et quidem sequela verissima est, si antecedens verum foret; sed falsum esse asserere debent illi, qui docent sententiam Sanchez. Unde

Aversa

Aversa videtur in hoc puncto recedere à Sanchez, & adhærere Angelo, & Sylvestro; benè an malè, patet ex jam dictis. Ipse nihil particulare affert pro una vel altera sententia.

237. *An valeat Matr. inter liberum & liberam, quæ post modicum tempus futura est ancilla.*

Ego autem quæro; utrùm ex sententia Sanchez rectè inferatur: ergò non valet Matrimonium initum inter liberum & liberam, quæ post modicum tempus certissimè futura est serva? Et videtur quòd sic: etenim sicut serva, quæ post modicum tempus futura est libera, medio illo tempore non serva, sed libera censenda est; quidni itidem, quæ jam est libera, post modicum autem tempus certissimè futura est serva, medio illo tempore non libera, sed serva censenda erit? Et aliunde ferè omnia inconvenientia, quæ sequuntur ex Matrimonio, inito cum ea, quæ de facto serva est, sequuntur ex Matrimonio inito cum ea, quæ post modicum tempus certissimè futura est ancilla: quid ni igitur etiam hoc Matrimonium sit irritum? Tu cogita. Pergam ego ad alia.

Contrahit servus cum ea, quam putabat liberam, & est serva, vel quam putabat servam, & est libera, nunquid validè? Iam edissero.

CONCLUSIO V.

Non omnis conditionis error efficit, ut Matrimonium sit nullum: sed quando talis est error, ut fiat deterior errantis conditio; secùs si erretur in pari, aut digniori conditione.

238. *Error melioris conditionis vel æqualis non dirimit Matr. ex Scoto.*

HÆc Conclusio est Scoti 4. dist. 30. q. 1. n. 3. ibi: *Et ex hoc sequitur aliud corollarium, quòd error conditionis melioris non impedit.* Item dist. 36. q. 1. n. 8. ibi: *Sed si ancilla credit contrahere cum libero, qui tamen est servus, nunquid contrahitur? Posset dici, quòd error conditionis pejoris impedit contractum: quia impedit commutantem recipere tantum, pro quanto intendit commutare: sed ignorantia melioris conditionis, vel æqualis, non impedit propter contrariam rationem.* Putà, quia non impedit commutantem recipere tantum, pro quanto intendit commutare; quippè vel tantum recipit, vel amplius.

239. *Nulla est inæqualitas ex vi talis contractûs.*

Igitur ex vi contractûs, aut consensûs, non sequitur aliqua inæqualitas, aut gravámen contrà finem Matrimonij, diversum ab eo, cui non sit ipse obnoxius ex propria conditione: v. g. si est servus ducens ancillam, quam putavit esse liberam, nulla inæqualitas est in contractu; quæ sequitur ex errore, aut ad quam subsisteret rationabiliter consensus voluntatis repugnantis, juris aut facti præsumptione; nisi hæc conditio redundet in personam, ut cùm ipsi solùm est persona per libertatem nota: v. g. si quis vellet alterutram ex filiabus, quarum una est libera, altera serva, offerre servo sub electione, & ille eligeret liberam, quam aliàs non novit; si supponatur serva, est error personæ; quia consensus contrahentis dirigitur in liberam, quam solùm novit ex libertate. Hunc autem errorem secludimus à proposito casu, & consideramus solum errorem conditionis servilis.

240. *Objectio.*

Sed contrà, dicet aliquis; posset esse servus tam arrogans, ut nullâ ratione ducere vellet ancillam: quinimmò prudenter faceret, ne filij essent servi, & ut liberiùs posset usui Matrimonij vacare, & si à Domino venderetur, posset ipsum uxor sequi.

Opposita sententia probatur ex Vivaldo. Angel. Sylvester

Audi Vivaldum Candelabro aureo 1. parte, ubi de Matr. n. 122. Servus, inquit, contrahens cum ancilla, quam credit esse liberam, verè contrahit, quia sunt in æquali gradu. Angelus Matr. 3. imped. 4. n. 4 Sylvester Matr. 8. q. 2. dicens communem Theologorum & Canonistarum, à qua (nisi singularitatis vitio essem notandus) forsàn discederem. Primò: quia talis servi consensus in illam liberam tendebat, in quam, si ancillam esse priùs cognovisset, minimè consensisset.

Primò.

241. *Secundò*

Secundò: quia non omnes servi, nec omnes ancillæ æquales sunt conditionis; poterit enim dari casus (ut sæpissimè fit) quo servus plus desideretur in Matrimonium ab aliqua libera, quàm alius liber, vel propter pulchritudinem, vocem, artem, industriam, vel alia multa. Sed nolo à communi discedere. Hæc ille.

Resp. Sanchez.

Respondet Sanchez sup. n. 24. eum errorem tantùm esse errorem qualitatis, manente eâdem personâ; ac proinde minimè obesse valori Matrimonij.

242. *Arg. contrà.*

Contrà, inquis; etiam similiter dicam, quando liber putat se contrahere cum libera, & est serva, eum errorem tantùm esse errorem qualitatis, manente eâdem personâ; ac proinde minimè obesse valori Matrimonij.

Solvitur ex Sanchez.

Respondet Sanchez: planè non obesse, nisi jus positivum Ecclesiæ sic statuisset; jam autem jus Ecclesiasticum solùm irritat Matrimonium inter eos, quorum alter est liber, alter verò servus, ac liber inscius est servitutis, ut constat ex textibus, in quibus hoc impedimentum statuitur. Et hanc putat Sanchez esse legitimam rationem suæ & nostræ doctrinæ.

243. *Alia solutio.*

Deinde, inquit, quia ratio, quæ induxit Ecclesiam, ad hoc impedimentum statuendum, ea est, ut reparet injuriam irreparabilem illatam libero, ignoranti conditionem alterius servilem, & ob gravem contractûs inæqualitatem: at ubi conditio alterius, in qua erratur, est dignior conditione, aut

par conditioni errantis, cessat ea injuriæ gravitas, & inæqualitas contractûs : nil igitur valori Matrimonij obstabit is error. Hæc ille.

Resp. ad 1. *probationem Vivaldi.*

Fateor, fieri potest, ut talis servi consensus in illam liberam tendat, in quam, si ancillam priùs esse priùs-cognovisset, minimè consensisset. Sed quid tum ? Etiam fieri potest oppositum, ut equidem consensisset. Et aliundè dispositio illa merè habitualis nihil hìc operatur, ut patet ex alibi dictis, Sin autem ita fuisset affectus non solùm habitualiter, sed formaliter & actualiter, quòd non intenderet contrahere cum altera, si esset serva, tunc verè ex defectu consensûs non valeret Matrimonium, sicut disp. præced. diximus circà errorem cujuscumque qualitatis. Sed ille non est casus, de quo hìc disputatur.

244. *Quid dicendum ad* 2.

Consentio quòque Vivaldo suprà : non omnes servos, nec omnes ancillas æqualis esse conditionis quoad pulchritudinem, vocem, artem, industriam & similia; adeoque posse dari casum, quo servus plus desideretur in Matrimonio ab aliqua libera, quàm alius liber. Sed hoc planè per accidens est, & contrarium sæpissimè fit ; sicut per accidens est, ut persona libera sit dives, nobilis, pulchra &c. quæ plus desideretur in Matrimonio ab alia persona libera, quàm pauper, ignobilis &c. & tamen error divitiarum, nobilitatis &c. per se non vitiat Matrimonium; ergò nec error libertatis in nostro casu. Quare propter hæc argumenta Vivaldi non est recedendum à communi sententia.

245. *Alia probatio ex Gloss.* 29. q. 2.

Sed neque propter rationem, quam adducit Gloss. 29. q. 2. in summa verb. *Secunda*, ubi sic ait : *Hic quæritur, an servili conditione repertâ, libera possit recedere ? Et quidem sic, si ignoravit eum esse servum, quando contraxit cum eo, ut infrà eâd.* Si quis ingenuus. *Et notat Hugo, quòd non omnis error conditionis impedit Matrimonium ; sed tantùm error servilis conditionis ; nec etiam semper talis error impedit. Vnde si libera vult contrahere cum servo, & contrahit cum libero, non dirimitur Matrimonium, licèt ibi sit error conditionis : quia non intelligitur talis decepta, quæ cum meliori contrahit, quam credebat. Similiter dic, quòd si servus credit contrahere cum libera, & contrahit cum ancilla, non dirimitur Matrimonium : quia consentit in hominem suæ conditionis : & quia neuter potest aliquid alij objicere, & ita propter errorem servi nunquam dirimitur Matrimonium. Sed certè pari ratione videtur, quòd si aliqua credit contrahere cum uno, & contrahit cum alio, qui est ditior & melior, quòd Matrimonium teneat : quia non videtur decepta.* Cùm tamen communi calculo tale Matrimonium non teneat.

246. *Propter quam recedit à nostra Conclus.*

Atque hæc est ratio, propter quam Gloss. in sequentibus tenet oppositum : sic quippè prosequitur : *Alij autem dicunt ; quòd sive erret in meliori, sive in deteriori conditione, semper dirimitur Matrimonium. Tertij dicunt ; quòd si interveniat error in dispari conditione, dirimitur Matrimonium ; sed si in pari, non dirimitur : unde si libera vult contrahere cum libero, & contrahit cum servo ; vel si servus vult contrahere cum serva, & contrahit cum libera, non tenet Matrimonium : sed si liber vult contrahere cum serva, & contrahit cum libera, vel si ancilla vult contrahere cum libero, & contrahit cum servo, tenet Matrimonium, quia utrobiq; est paritas. Ioan. & hac opinio bona mihi videtur.*

Secundum arg. Glossæ ad idem.

Eamdem sententiam sequitur Gloss. c. *Si quis ancillam*, in fine eâdem caus. & quæst. & format secundum argumentum pro ea, ibi : *Vnde dicunt quidam, quòd cùm hìc lex dicat, non esse Matrimonium cum ancilla, ut. Cod. de Incestis nupt.* l 3. *& Canon non excipiat, nisi cum scienter ducit, quòd ubi etiam cum libera contrahit servus, credens se contrahere cum serva, non teneat Matrimonium.*

247. *Resp. ad* 1. *ex Sanchez.*

Sed nec unum, nec aliud argumentum valet. Ad primum (inquit Sanchez sup. n. 24.) dic, esse verum (scilicet quòd tale Matrimonium non teneat) ubi esset error circà personam ; secùs si eâdem personâ existente, erraretur circà qualitatem ; ut quia contrahens credebat esse pauperem, & est dives, vel cùm sit servus, credebat alterum esse liberum, & non servus, vel servum, & est liber. Ad secundum dic : jus Canonicum permittere quodcumque Matrimonium cum ancilla, modò si eam ducens sit liber, non ignoret ejus conditionem. Hæc ille.

Quid dicendum ad 2. *ex eod.*

248. *Sanchio consonat Aversa.*

Consonat Aversa sup. §. *Septimò*, dicens : Sacri Canones, constituentes hoc impedimentum ad dirimendum Matrimonium, præcisè loquuntur, quando una persona libera ducit alteram servam, inscia hujus conditionis ; non autem, quando una persona serva ducit alteram, etiam servam, quàmvis putans esse liberam. Et meritò Ecclesia sic statuit ; quia evitare voluit incommoda, quæ oriuntur ex dispari conditione inter liberum & servum ; ubi ergò est par conditio, utpotè inter utrumque servum, non dirimitur Matrimonium.

Et §. *Octavò*, idem Auctor sic scribit : Sacri Canones non reddunt ex hoc capite irritum Matrimonium, nisi quando persona libera ducit servam, putans esse liberam : & non è converso, quando ducit liberam, putans esse servam. Et meritò Ecclesia sic statuit : quia evitare voluit tantam depressionem ac deteriorationem ejus, qui duceret servam, putatam liberam ; sed noluit impedire exaltationem ac meliorationem ejus, qui duceret liberam, putans servam. Hæc ille.

249. *Notabile ex Sanchez.*

Nota autem cum Sanchio sup. n. 23. quando dicimus valere Matrimonium, si servus contrahat cum libera, existimans eam esse ancillam, id intelligendum ex parte sui erroris, ubi fœmina libera non erraret in conditione servi, sciens eum esse servum ; si enim crederet eum liberum, ex hac parte esset nullum Matrimonium.

Non omnis error conditionis invalidat Matr.

Maneat ergò non omnem conditionis errorem invalidare Matrimonium ; sed tantùm quando talis error est servitutis, ut fiat deterior errantis conditio. Pro hac certissima veritate Sanchez sup. citat innumeros tam Theologos, quàm Juristas. Audivimus sup. Doct. Subtilem, adjungamus ei Doct. Angelicum & Seraphicum.

Prior 4. dist. 36. q. 1. a. 1. ad primum, scribit 250.

Est sententia D. Thomæ.

bit in hæc verba: *Similiter etiam quia in Matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere: & propter hoc servus, etiamsi contrahat cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impedit Matrimonium. Et sic patet, quòd servitus non impedit Matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjuge, etsi ille sit liberæ conditionis; & ideò nihil prohibet inter servos esse conjugia, vel etiam inter liberum & ancillam.*

Vti etiam D. Bonav.

Porrò Doct. Seraph. eâd. dist. ar. 1. q. 2. in corp. sic ait: *Respondeo dicendum, quòd error conditionis potest esse triplex: aut paris, ut cum servus contrahit cum ancilla. Aut melioris, ut cum servus cum libera. Aut deterioris, ut cum liber cum ancilla. In primis duobus casibus error non impedit Matrimonium, in tertio vero impedit Matrimonium & dirimit, nisi post cognitionem conditionis consenserit verbo vel facto.*

251. *An copula sufficiat ad ratificandum Matr. post cognitam servitutem. Cap. 2. de Conjug. servor.*

Quæris à me; & quod istud factum? Nunquid sufficit copula carnalis? Respondeo: planè sufficere, ubi non obstat decretum Concil. Trident. de Assistentia Parochi & testium. Ita decisum habemus cap. 2. de Conjug. servor ibi: *Mandamus, quatenùs si constiterit, quòd idem vir præfatam mulierem, postquam audivit illam esse ancillam, carnaliter cognovit, ipsum, monitione præmissâ, compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectione pertractet.*

Qualis cognitio requiratur, ex Gloss. d. cap.

Ubi Gloss. verb. *Audivit*: *Supple*, inquit, *& credidit*: *non enim cuilibet referenti credere tenetur; arg.* 23. *q.* 4. Quàm magnum, *& ff. Quod fal. tut. l.* 2. *titubans enim pro ignorante habendus est*, Cod. *de Condit. indeb. l. ult.* Et post pauca: *Dic, quòd si iste habet conscientiam servitutis ex probabili causa & discreta, tunc præjudicat sibi, si carnaliter cognoscat: si ex levi & temeraria, cui credi non debet, non videtur, quòd ei præjudicet; arg. infrà de Sentent. Excom.* Inquisitioni, *& inf. eod. c. ult.*

252. *An lite pendente, debeat Ecclesia libero præcipere copulam.*

Sed pone, quòd iste movet ei litem conditionis; ipsa petat, quòd lite pendente reddat ei debitum, cùm lite pendente jure suo privari non debeat, sup. Vt lite pendente c. 1. *&* 2. *&* 16. *q.* 4. Volumus, *&* 8. *q.* 4. Nonne. *Nunquid Ecclesia debet ei præcipere, ut debitum reddat, quod videtur per jura prædicta?*

An liber teneatur ad mandatum Ecclesiæ.

Dicunt quidam, quòd bene tenetur reddere debitum ad mandatum Ecclesiæ, sed ipse non debet exigere, nec sibi fit præjudicium. T. dixit, quòd non debet exigere, nec exigenti reddere; quia ei fieret præjudicium, quod videtur per istam litteram innuere: & si compellatur, non reddat; quia si eam cognoscit uxoris affectu, fit ei præjudicium, si habeat conscientiam ex causa probabili & discreta, & sic statim esset Matrimonium: si fornicario affectu, peccaret mortaliter, quod facere non debet: imò potiùs pati debet excommunicationem, sup. de Restit. spoliat: Litteras, *& hoc dixit arg. illius Decret.* Inquisitioni.

253. *Satis videtur, quòd possit reddere.*

Sed satis videtur, quòd possit reddere ad mandatum Ecclesiæ, ut ex primo consensu ei conjungatur, quamdiu constet per sententiam de impedimento conditionis, & hoc ubi non est certus, licet aliquas inde habeat præsumptiones: secùs si sciret pro certo. Et quod dicit litera ista: Postquam audivit illam ancillam, cognoverit eamdem, *intellige antè litem motam, & sine mandato Ecclesiæ: tunc enim intelligitur consentire, non obstante illo impedimento; & ita secùs videtur, si ad mandatum Ecclesiæ eam cognoscat. Ber.* Hæc Glossa.

Quę an omnia vera sint, nolo hìc discutere; quia alibi dabitur commodior locus, ubi de usu conjugij, estque res communis etiam ad alia impedimenta, sive Matrimonia invalida ex aliis impedimentis, de quorum revalidatione inferiùs post explicata omnia impedimenta tractabimus.

254. *Matr. invalidum ex errore conditionis potest revalidari verbo vel facto, ex c. ult. de Conjug. servor. Tale factum est copula habita affectu maritali.*

Averſa.

Impræsentiarùm sufficiat scire, matrimonium invalidum ex errore servilis conditionis, posse revalidari verbo, vel facto, juxtà illud quod habetur cap. ult. de Conjug. servor. *Ideoq; mandamus, quatenùs si constiterit, quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quòd postquam intellexit conditionem ipsius, nec facto nec verbo consenserit in eamdem &c.*

Ubi Gloss. verb. *Nec facto*, inquit: *Putà carnaliter cognoscendo eam, postquam intellexit illam esse ancillam.* Cognoscendo, inquam, affectu uxoris, ut patet ex superiori Gloss. Et ratio in promptu est: quia consensus conjugalis non solùm verbis exprimitur, sed etiam signis & factis, inter quæ (inquit Averſa sup. §. *Decimò*) est copula, habita tamen sub figura Matrimonij, ut in casu nostro; imò etiam inter sponsos de futuro, ex cap. *Is qui*, de Sponsal.

Et id quidem absolutè procedit, ubi non viget Decretum Concilij Tridentini de assistentia Parochi & testium. Alioquin ubi viget Decretum Concilij, & conditio servitutis erat aliis nota, sive poterat probari, aut sciri, ut in hac re est facilè; requiritur omninò solemnitas Concilij in revalidatione Matrimonij priùs invalidi. Hæc ille.

255. *Ecclesia præsumit talem affectum.*

Et quàmvis fieri possit, ut per copulam non revalidetur à parte rei Matrimonium, si nimirum habita fuerit animo fornicario; equidem in foro externo præsumitur revalidatum, quia in illis circumstantiis, scilicet quando præcessit Matrimonium invalidum, aut etiam solùm sponsalia, præsumitur animus seu affectus conjugalis, ut latiùs videri potest Disp. 11. Sect. 3. Conclus. 5.

An serva ad petitionem liberi teneatur Matr. revalidare.

Si autem à me quæritur: an post cognitam nullitatem Matrimonij ob errorem conditionis, si velit liber id confirmare & validare, quæ servili conditione affecta erat, teneatur de novo contrahere? Respondeo citiùs: si neutra pars fecit dolum, sed liber bonâ fide putavit eam esse liberam, & ancilla bonâ fide existimavit, liberum esse consium suæ servitutis, neutram partem teneri ad noviter & validè contrahendum. Idemque dicendum, si utraque pars decipere voluit, & decepit.

256. *Si fecerit dolum potest cogi per judicem.*

Sin autem altera pars tantùm dolum fecerit, dico, per sententiam judicis in pœnam fraudis cogi posse ad Matrimonium revalidandum; antè sententiam tamen posse, etiam alterâ parte invitâ

invitâ, resilire, nisi intulisset damnum alio modo irreparabile. Vide Disp. 11. Sect. 7. Concluſ. 8. ſequentis tenoris: *Qui injustè coëgit ad Matrimonium, posset antè sententiam, altero invito, resilire, nisi intulisset damnum alio modo irreparabile.* Est quippè eadem utrobique ratio.

Tantùm addo hic doctrinam Gloſſæ cap. *Si quis ingenuus* 4. 29. q. 2. verb. *Faciat*, ubi ſic ait: *Sed pone, quòd liber ignoranter contraxit cum serva, postea Dominus manumittit eam, & ipse cognoscit eam post ejus manumissionem, pòst comperit eam fuisse ancillam tempore contracti Matrimonij; quæritur, an possit eam dimittere? Et dicimus, quod sic; quia consensus ille ab initio nullus fuit.....*

257. *Ad quid teneatur antè sententiam.*

Sed pone, quòd libera contraxit cum eo, quem credebat liberum; sed postea compertâ conditione servitutis, nihilominùs vult stare secum, sed ille recusat. Dicunt quidam hoc Matrimonium esse ex una parte, & non ex altera, ut Extrà de Eo qui duxit in Matrimonium c. 1. *Sed dico, quòd quantùm ad neutrum est Matrimonium: unde neuter cogitur stare cum altero quantùm ad vinculum Matrimonij, sed ratione fidei promissæ bene tenetur ei.*

Idem posset dici, cum major contrahit cum minori, quod quantùm ad neutrum est Matrimonium, & quantùm ad vinculum Matrimonij, æquè potest major recedere a minori, sicut minor à majore; sed non est ita quantùm ad fidem promissam.

258. *Judicium Auctoris.*

Equidem ſi verum foret, quòd Matrimonium invalidum in ratione Matrimonij, valeret ſemper, aut ſaltem in hoc caſu, in ratione ſponſalium, crediderim facilè, deceptorem ſervum vel ancillam, qui ſe finxit liberum, non poſſe, etiam antè ſententiam, reſilire, alterâ parte invitâ, licèt deceptus id poſſet; quippè in aliis etiam caſibus non rarò contingit, ut unus ſponſorum poſſit reſilire, & non alius; ut patet in ſponſalibus coactis vi aut metu, quæ non ſunt nulla ipſo jure, quàmvis injuſtè coactus poſſit reſilire, ſecùs qui injuſtè coëgit.

Sepè unus ſponſorum reſilire poteſt, & non alius.

Similiter Votum Religionis, ejuſque ingreſſus tribuunt alteri parti jus reſiliendi à ſponſalibus, minimè illa diſſolvunt ex parte utriuſque. Aliaque plura exempla ad hoc propoſitum adduci poſſent, quæ videantur Diſp. præced. Sect. 2. per multas Concluſiones. Cur ergò ſimiliter fieri non poſſet, ut ſponſalia liberi cum ſerva, detectâ ſervitute, obligarent ſervam, eſtò liber poſſet pro libitu ſuo reſilere? Non video rationem dubitandi.

Si ergò Matrimonium invalidum inter liberum & ſervam habeat rationem ſponſalium, ut videtur Gloſſa illa ſentire, dum comparat hoc Matrimonium Matrimonio Majoris, id eſt, puberis cum Minore, id eſt, impubere, quod interpretatione juris habet rationem ſponſalium, dicerem conſequenter, deceptorem, quantùm ad fidem promiſſam non poſſe reſilire, alterâ parte invitâ, etiam antè ſententiam.

259. *Qualiter deceptor hic non poſſit reſilere.*

Idemque ſentio dicendum de eo, qui gravi metu injuſto coëgit ad Matrimonium, eo ſuppoſito, ut tale Matrimonium valeat in ratione ſponſalium. An autem hoc ſuppoſitum ſubſiſtat eſt alia quæſtio. Vide Diſp. præced. Sect. 1. Concluſ. 15. ubi probabile diximus, Matrimonium clandeſtinum puberum non habere rationem ſponſalium, nec minùs probabile oppoſitum.

260. *Deceptus poteſt reſilire, aliquando propriâ auctoritate, aliquando non: Sanchez.*

Certum omninò eſt, deceptum poſſe reſilire & recedere. Sed nunquid propriâ auctoritate? Dico (inquit Sanchez ſup. n. 7.) Ceſſante ſcandalo, id licitum eſſe. At quando id non ceſſat, quia conjux liber non abit in partes longinquas, ſed manet in loco, ubi publicum eſt Matrimonium, & impedimentum dirimens occultum, tunc vera eſt ſententia aſſerens, non licere propriâ auctoritate recedere, ſed neceſſariam eſſe auctoritatem publicam, per quam declaretur & ſervitus, & ignorantia ſervitutis.

261. *Tametſi foret notoria ignorantia ſervitutis.*

Immò tametſi foret notoria ignorantia ſervitutis, adhuc deſideraretur auctoritas publica; quia, ut notat Sanchez ibidem in fine, quando eſt impedimentum dirimens omninò Matrimonium, non poteſt conjux propriâ auctoritate recedere, quàmvis notorium ſit, quin concedatur alteri reſtitutio; idque ad evitanda inconvenientia, quæ nata forent ſequi, ſi unuſquiſque pro libito ſuo ſe poſſet ſeparare.

Porrò cui incumbat probatio ignorantiæ, jam ſup. diximus, & quia nihil aliud occurrit, quod de ſervitute hoc loco ſpecialiter explicandum cenſeo, pono calamum, & tranſeo ad impedimenta Voti ſolemnis, & Ordinis ſacri, pro quibus inſtituitur.

SECTIO IV.

DE

IMPEDIMENTIS VOTI & ORDINIS.

1. *Quare de his duobus impedimentis ſimul tractatur.*

TAmetſi in vulgari enumeratione impedimentorum dirimentium Matrimonium, non ſolùm diſtincta, ſed & diſtantia ſint hæc duo impedimenta, Votum & Ordo; at inter ſe ita connectuntur, ut in tractatione ſeparari non debeant, nec ſoleant; quoniam alterum ex alterius intelligentia pendet; & hinc fortè Doct. Subtilis in ſua enumeratione ea conjunxit, dicens: *Ordo ſacer, Votum* &c.

Ut autem incipiamus à voto, quod eſt magis amplum, ſpectans utique tam ad fœminas, quàm ad viros; Ordo verò tantùm ad viros: *Dico* (Scotum

Diviſio voti

continentia ex Scoto.

(Scotum auditis 4. diſt. 28. q. un. n. 2.) *quòd votum continentiæ poteſt eſſe publicum vel privatum, ſimplex vel ſolemne. Nec iſtæ duæ diſtinctiones ſunt eadem; quia tam publicum, quam privatum poteſt eſſe ſimplex vel ſolemne. Votum enim non ſolemnizatur, niſi aliquo iſtorum modorum, qui ponuntur extrà de Voto & voti redempt. & eſt hodie in 6. lib.*

2. Quod votum debeat dici ſolemne ad dirimendum Matr. ex c. un. de Voto in 6.

Hæc ſunt verba juris: *Quod votum debeat dici ſolemne, ac ad dirimendum Matrimonium efficax, nos conſulere voluiſti: Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa: Matrimonij verò vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium conditore, ipſum in paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente, unionem & indiſſolubilitatem acceperit: Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantùm ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis: aut per Profeſſionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Reliqua verò vota, & ſi quandoque Matrimonium impediant contrahendum, & quantò manifeſtiùs ſunt emiſſa, tantò propter plurium ſcandalum & exemplum durior pœnitentia tranſgreſſoribus debeatur: non tamen reſcindere poſſunt Matrimonia poſt contracta.* Ita Bonifacius 8. Erit igitur.

CONCLUSIO I.

Profeſſio ſolemnis expreſſa vel tacita, facta alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis, dirimit Matrimonium poſt contractum: eaque ſola jure communi.

3. Profeſſionem ſolemnem dirimere eſt definitum in Trid.

QUòd Profeſſio ſolemnis dirimat nemo Catholicorum dubitat, eſtque in terminis definitum à Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Matr. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ, vel voto..... anathema ſit.*

Alia jura antiquiora ſunt obſcuriora, c. 3.

Omitto jura antiquiora, cap. 3. Qui Clerici vel voventes, ibi: *Reſpondemus, quod ſi quiſquam, qui ſe Religioni devovit, & habitu ſuſcepto Profeſſionem fecit, poſtmodum ſibi aliquam copulaverit, eſt cogendus ab ea recedere, & ad Eccleſiam, cui ſe contulit ſinè contradictione tranſire.*

Et cap. 7. Qui Clerici vel voventes.

Item cap. 7. eodibi: *Mandamus, quatenùs ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, præfatam mulierem ad malè dimiſſum Religionis habitum reſumendum, & ſervandum quod vovit, monere & inducere procuretis, & (ſi opus fuerit) per cenſuram Eccleſiaſticam coërcere.*

4. Trid. ea intellexit de Profeſſione ſolemni caſtitatis.

Omitto, inquam, hæc jura; quia obſcuriora ſunt, & clariſſimè hodie res illa definita eſt, ut jamjam vidimus, per Concil. Trid. quod hæc jura intellexit de Profeſſione ſolemni caſtitatis, id eſt, de voto caſtitatis, quod ſolemnizatum fuerit, ut loquitur Bonif. 8. ſup. per Profeſſionem expreſſam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis.

Quæ ſit Profeſſio tacita.

Rogas: quæ ſit Profeſſio tacita? Reſpondet Gloſſa in cap. un. de Voto & voti redempt. in 6. verb. *Tacitam: Quæ ſit, cùm major ſponte & ſciens recipit habitum profeſſorum, ubi eſt diſtinctus, ſup. tit. prox. c. 1. & cap.* Conſtitutionem; *vel cùm habitum indiſtinctum fert per annum, ut ſup. eod. tit. cap.* Ex parte, *& cap. 1. eod. lib.*

5. Quod ſit votum ſolemne, & quotuplex.

Et hinc alia Gloſſ. cap. *Rurſus*, 6. Qui Clerici vel voventes, verb. *Apud Deum*, inquit: *Votum ſolemne eſt, quod ſit interveniente aliquâ iſtarum ſolemnitatum, videlicet per ſuſceptionem ſacri Ordinis*, 28. *diſt.* Diaconi, *&* 84. *diſt.* Cùm in præterito. *Item per ſuſceptionem ſacræ veſtis, quæ tantùm profitentibus dari debet, ſup. de Regular.* Statuimus, *& maximè ſi cum aliis incipiat cantare & oblationem facere in Eccleſia*, 27. *q.* 1. Vidua, *& ſup. de Regular.* Vidua, *&* 27. *diſt.* Interrogaſti.

Tertio modo, cùm per profeſſionem devovet ſe alicui Religioni in manu Abbatis vel Abbatiſſæ, vel etiam in manu Monachi, ſup. de Regular. Statuimus, *& ſup. eod.* Conſuluit, *& inf. eod. cap. prox. præſentibus teſtibus, per quos poſſit probari Profeſſio, ſi ille negaret; & ne hoc negari poſſit, fiat inde publica ſcriptura*, 29. *q.* 1. Omnes fœminæ, *in quâ ſcriptura profiteatur, ſe velle religiosè vivere*, 30. *q.* 1. Vidua.

6. Dirimens Matrimonium ex Gloſſ.

Et tale votum impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit jam contractum, 27. *q.* 1. *per totam uſque ad cap.* Nuptiarum. *Alias autem votum continentiæ factum, quamvis coram multis, dicitur ſimplex, quaſi non veſtitum ſive inſtitutum aliquâ ſolemnitate, & tale votum impedit Matrimonium contrahendum, ſed non dirimit jam contractum, quaſi dicat non debet contrahere poſt tale votum, tamen ſi contrahat, tenet.* Hactenùs Gloſſ.

Scotus tantùm duos modos ſolemnitatis ponit.

Quam Doct. Subtilis ſup. n. 3. videtur redarguere, dicens: *Iſti tres modi, qui hic ponuntur, & illi qui ponuntur in alio capite in 6. lib. non ſunt juris niſi duo, ſcilicet per ſuſceptionem ſacri Ordinis, & per votum Religionis verum vel præſumptum. Præſumptum quidem eſt, quando recipit habitum profeſſorum, ubi eſt diſtinctio inter habitum profeſſorum & novitiorum: & etiam quando ultra annum moratur in monaſterio, abſque proteſtatione de non profitendo.*

7. Quare aliquod votum dicatur ſolemne.

Dicitur ergò ſolemne, non quia publicum, ſed quia in ſe habet aliquid annexum, ut in publicum debeat venire; & per quod vovens ponitur ſub alterius hominis poteſtate, & ſic eſt præcisè in ſuſceptione ſacri Ordinis, per quem ſuſcipiens conſtituitur miniſter Eccleſiæ, & aliter quam priùs ſub Epiſcopi poteſtate: quia Epiſcopus poteſt eum cogere ad ſtatum clericalem ſervandum, & ad vitandum ea, quæ repugnant ſtatui clericali. Unde ſi prædictum Ordinem ſuſciperet in ſecreto, adhuc eſſet ſolemne, propter rationem jam dictam. Sicut etiam profeſſio Religionis facta in manu ejus, qui poteſt recipere, habet in ſe aliquid annexum, unde debeat in publicum venire:

quia oportet talem, vitam sæcularem dimittere, & cum aliis in claustro sui Ordinis conversari, & ideò est solemne, etiamsi fieret in occulto. Hucusque Scotus.

8. *Tres modi qui ponuntur in Glossa, coincidunt cum 2. modis Scoti.*

Sed, pace Doct. Subt., tres modi, qui ponuntur in Glossa, coincidunt cum duobus modis, quos ipse ponit; nam secundus modus, qui ponitur in Gloss. scilicet, susceptio sacræ vestis, idem est, quod votum Religionis præsumptum, sive professio tacita, ut patet ex d. cap. *Statuimus*, quod sic sonat: *Statuimus, novitios, in probatione positos, ante susceptum Religionis habitum, qui dari professionis consuevit* &c.

Ubi Gloss. verb. *Qui dari professionis*, ait: *Nota, quod est habitus professionis, qui votum habet annexum, & eo ipso, quòd quis talem habitum recipit, Monachus efficitur, & per talem habitum intrando Religionem, solemnizat votum; quare postea reclamare non potest, ex quo cœpit cum aliis canere, & de tali habitu loquitur hic.*

Itaque omnes modi, qui ponuntur in Glossa, sunt juris, sive antiqui, cap. un. de Voto, & voti redempt. in 6. sive novi Concilij Trident. sess. 24. de Matr. can. 9. Licèt enim Concil. non exprimat Professionem tacitam, equidem intelligenda venit sub generali nomine Professionis.

9. *An Scotus bene distinguat votum solemne à simplici.*

Sed nunquid Scotus sup. bene distinguit votum solemne, a simplici, in eo præcisè, quòd istud habeat aliquid annexum, propter quod debeat venire in publicum, & per quod vovens ponitur sub alterius hominis potestate; secùs votum simplex? Si hodie viveret Doct. Subtilis, procul dubio aliquid præterea requisivisset ad votum solemne, scilicet perpetuitatem, non solùm voventis, sed etiam Superioris, Professionem admittentis.

Cujus utique defectu, vota emissa in Societate Iesu post biennium, licèt aliquid annexum habeant, propter quod in publicum debeant venire, & per quod vovens ponitur sub alterius hominis potestate; equidem non solemnia, sed simplicia sunt, & ab omnibus pro talibus habentur.

10. *Vota Societatis Iesu simplicia, post biennium emissa, erant ignota Scoto.*

Sed hæc vota incognita erant tempore Scoti, quando vota cujuscumque Religionis, à Sede Apostolica approbatæ, erant perpetua, tam ex parte voventis, quàm Religionis ea acceptantis. Quidquid sit de tempore primitivæ Ecclesiæ, in quo juxtà Pontium lib. 7. c. 12. vota Religionis non habebant perpetuitatem ex parte Religionis; sed Superior poterat subditos suos ad sæculum remittere, dissolvendo eorum vota; quod an verum sit, non est hujus loci disputare.

11. *An ante Concil. Romanum Professio habuerit vim dirimendi Matr.*

Breviter aliquid tangam de effectu impediendi & dirimendi Matrimonium contrahendum, quem idem Auctor negat Professioni religiosæ ante Concilium Rom. quod fuit celebratum an. 1139. ex quo desumptus est can: *Vt lex, 27. q. 1.* ubi sic legitur: *Vt lex continentiæ, & Deo placens munditia, in Ecclesiasticis personis & sacris Ordinibus dilatetur, statuimus, quatenùs Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contrà Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus.* Ita Innocentius 2. in Concil. sup. dicto c. 7.

In hoc ergò Concilio, & non anteà, putat Pontius sup. c. 14. irritata fuisse conjugia Religiosorum; quoniam in omnibus Sanctionibus, ante Concilium istud, nullum est verbum, quod invaliditatem sonet, ut ibi diffusissimè conatur ostendere. *Negat Pontius.*

Sed nos præced. Disp. Sect. ult Conclus. 9. probavimus, à tempore Innoc. 1. & fortè ante illud, votum Religiosæ professionis habuisse talem effectum. Videantur ibi dicta.

12. *Aliquot testimonia D. Aug. pro Pontio.*

Addam hic aliquot testimonia D. Augustin. ex quo Basilius sup. cap. 16. probat, eum fuisse in sua sententia. Ita enim (utor verbis Pontij) distinctè in lib. de Bono viduitatis asserit, post vota Religiosorum valere conjugia, ut non parùm mirer, tam apertis testimoniis nonnullos tenebras offundere conatos esse.

Primum.

Inquit ergò cap. 9. *Damnantur tales* (post votum scilicet nubentes) *non quia conjugalem fidem posteriùs inierunt, sed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod ut breviter insinuaret Apostolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ post amplioris sanctitatis propositum nubunt; non quia non damnentur, sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur.*

13. *Secundum.*

Sed apertiùs & distinctiùs cap. 10. *Proinde qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potiùs adulteria, non mihi videntur satis acutè ac diligenter considerare, quid dicant. Fallit eos quippe similitudo veritatis. Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ Christianâ sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes:* Si viro suo vivo, quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit: vivo ergò Christo, cui mors ultrà non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubat, adultera est. *Qui hoc dicunt, acutè quidem moventur, sed parum attendunt hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas.* Quam in sequentibus latè prosequitur Aug.

14. *Tertium.*

Et cap. 11. *Quapropter non possum quidem dicere, à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non conjugia; sed planè non dubitaverim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis esse pejores.* Hactenùs Aug.

In quibus apertissimè eorum opinionem, qui hujusmodi nuptias nullas, atque adeò dirimendas existimabant, inconsideratam esse pronuntiat; & sumptam à Christi immortalis viri conjugio similitudinem, à præcedentibus nonnullis Patribus usurpatam, nihilominùs fallacem esse, & non uno pede claudicare; & denique ejusmodi nuptias, quamvis illicitè & sacrilegè contrahantur, ratione voti præcedentis, & ob hujusmodi sacrilegium pejores sint adulteriis; attamen nequaquam censendas esse adulteria, sed veras & legitimas nuptias.

Meritò quidem affirmavit Claudius Spencæus

cæus lib. 5. de Continent. cap. 2. Augustinum in hac re faciliùs negari, quàm solvi; neque enim ejus apertissima verba aliò detorqueri possunt. Hucusque Pontius.

15. *Præcluditur evasio.* Nec benè dixeris: Aug. locutum fuisse de voto castitatis, emisso extrà Religionem; quia (inquit Pontius sup. n. 5.) universè nullâ exceptione aut distinctione factâ locutus est; mirum autem non distinxisse, si inter votum castitatis in Religione, aut extrà, illis temporibus quoad hoc esset ulla distinctio.

Adde etiam: nullibi in ejus scriptis aliquid reperiri, quo sententiam hanc, de firmitate nuptiarum post votum, limitet, explicet, aut revocet. Quare de nuptiis post quodvis votum sinè dubio intellligitur D. Aug.

Deinde: nonnulli Patres, inter quos sunt D. Basilius, & alij, similitudine illâ petitâ ex conjugio carnali frequenter utebantur, agentes de Religiosarum & consecratarum conjugiis; quam tamen similitudinē longè à veritate abesse docet. Agit ergò de nuptiis etiam Religiosorum, aliàs extrà rem loqueretur, nec in refutando scopum attingeret Aug.

16. *Quarum testimonium D. Aug. ad idem propositum.* Adde etiam: eumdem August. lib. de sancta Virginitate c. 34. hæc habere: *Nec tamen ait,* (Apost. 1. Timot. 5.) *nubunt, sed,* Nubere volunt; *multas enim earum revocat a nubendo, non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, veniens & ipse a superbia, qua formidatur magis hominibus displicere, quam Deo. Hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impune non possunt, quæ melius nuberent, quam urerentur, id est, quam occultâ flammâ concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur, quas pœnitet professionis, & piget confessionis* &c.

Expenditur à Pontio. Quibus verbis (inquit Pontius) apertissimè docet, virginibus, quæ præclaram castitatem voverunt, etiam post votum meliùs illis esse nubere, quàm uri; quàmvis si non nuberent, & aliàs libidinem non vincant, ait habendas esse pro mortuis juxtà Apostolum: *In deliciis vivens mortua est.* Aug. autem sibi consonus in libro de Bono viduitatis, hujus etiam de sancta Virginitate meminit, quasi eamdem doctrinam contineret.

17. *Et ostenditur debere accipi de conjugijs post vota, ex D. Bernardo.* Locum verò istum Augustini ex lib. de S. Virginitate, de Religiosarum fœminarum conjugiis post vota accipi debere, manifestum facit Bernardus, qui in lib. de Præcept. & dispens. cap. 21., ita inquit: *Item postulatis absolvi vobis, cur vel B. Gregor. nescio quem Venantium, habitum monachalem, quem piè susceperat, impiéq; rejecerat, non solùm resumere non coegit; sed etiam omnem legitur indulsisse communionem apostatæ perduranti; vel S. Augustinus conjugy legi votum quodammodò subjiciat continentiæ, ita ut in lib. de Virginitate* (alij, Viduitate) *asserere videatur, nec cœlebis quidem vitæ propositum posse præscribere conjugali, quò minùs indissolubile maneat, etiam quòd à continentibus, fallente diabolo, fracto sanctitatis voto, initum fuerit Matrimonium.*

Ecce dubitationem Bernardi propositam de validitate Matrimonij post emissum votum, quam eo libro asseverare videtur Augustinus. Vide quid respondeat Bernardus: *Et ad hæc nihil ad præsens certius breviusq; respondendum occurrit, nisi quòd ita sancti Antistites sapuerunt, rectènè, ipsi viderint. Nam ego in sensibus actibusq; illustrium Patrum, cautus profectò sum, omninò non aliud æstimare, quam quòd, B. Apost. teste, quæritur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus sum enim, sive in suo abundaverint sensu, sive in Dei spiritu, sicut & in cæteris, ita & in his ambos extitisse fideles, illum in dispensando, quod præ manibus erat, istum in scribendo, quod senserat.* Hactenùs Bernardus.

18. *Confirmatur.* Quòd si Augustinus de voto castitatis, extrà Religionem emisso, tantummodò verba fecisset, & non de Matrimonio post quodcumque in universum votum; facillimum esset Bernardo dicere, illum locutum de indissolubili Matrimonij vinculo post votum simplex, non verò post Matrimonium in Religione. Neque enim cogitare possumus, ignorasse Bernardum, Matrimonium post votum simplex, extrà Religionem emissum, validum & indissolubile esse. Supponit ergò Bernardus, Augustinum de Matrimonio etiam post Religiosorum castitatis votum agere; quorum tamen Matrimoniorum nullitas, jam invaluerat tempore Bernardi, cum anno 1150. vitâ functus fuerit.

19. *Bellar. putat dici posse D. Aug. fuisse in illa sententia.* Denique Bellarminus lib. 2. de Monachis c. 34. affirmat, dici posse, Aug. in hac esse sententia de validitate Matrimonij, post emissa Religiosorum vota, tamen ignorasse legem Ecclesiasticam irritantem ejusmodi connubia. Potiùs certè dicere debuisset, Augustini ætate hujusmodi legem non extitisse, quam Augustinum, duarum maximarum Religionum in Latina Ecclesia erectorem, istam legem latuisse. Usque adhuc Pontius, ut sua sententia Augustinum habeat patronum.

20. *An etiam Bernardus? Affirmat Pontius.* Sed nunquid etiam Bernardum habet? Affirmat idem Auctor sup. c. 17. n. 8. & probat ex Epist. 76. Bernardus enim (inquit ille) ab Abbate Pultarensi hâc super re consulitur. Quidam Monachus jam professus institutum deseruerat, nupserat. Quæritur à D. Bernardo, quid faciendum? Ille autem, quàmvis illicitam fateatur habitûs dimissionem, & Matrimonij copulam, inquit tamen: *Non nobis videtur tutum, illum illam non consentientem dimittere, nisi priùs Episcopali consilio fretum, vel imperio, aut certè Ecclesiastico judicio.* Addit tamen in fine Epistolæ, posse Episcopum rectè judicare, ut separentur.

Constat ergò tempore Bernardi adhuc sub dubio esse, an valerent hujusmodi conjugia, & Bernardum tutiùs existimasse, ne proprio consensu separarentur post semel initum Matrimonium. Sentit ergò valere, aliàs si adulterium aut scortatio esset, non expectaret Bernardus judicium Ecclesiasticum. Hæc ille.

21. *Explicatur Bernardus.* Respondeo: ad evitandum scandalum hoc consuluisse Bernardum; quia irritatio tunc temporis non erat ita manifesta, sicuti de facto est; & Matrimonium fuerat publicè ac solemniter celebratum. Alioquin quæ fuerit mens Bernardi,

satis patet ex iis, quæ sup. retulimus ex lib. de Præcept. & dispens. ibi: *Ipsi viderint*, quibus verbis sufficienter indicat, se esse in contraria sententia.

22. *Quid dicendum ad D. Aug.ſt.* Quantùm ad D. Aug. miror valde, quòd cum ejus tempore manifesta foret distinctio inter virgines velatas, & non velatas, quæ extrà Religionem voverant continentiam, ut patet ex Innoc. 1. Epist. 2. ad Victricium cap. 12. & 13. secundùm alibi dicta, miror, inquam, Augustinum ita generaliter fuisse locutum, & nusquam mentionem hujusmodi distinctionis fecisse, quam tamen non est dubium, eum cum Innocentio, cujus fuit contemporalis, optimè agnovisse.

Non satis clarè mentem suam explicavit. Fortè ita generaliter locutus fuit contrà illos, qui generaliter asserebant, per votum perpetuæ continentiæ dirimi subsequens Matrimonium, haud clarè distinguentes inter votum virginum velatarum, sive intrà Religionem, & non velatarum, id est, extrà Religionem. Hoc certum est, Augustinum potuisse apertiùs mentem suam declarare, quàm fecerit. Quare non fecerit, fateor me nescire.

23. *Testimonium D. Basilij contrà Eonium.* Scio tamen Basilium magnum in Epist. ad Amphilocium con. 6. dixisse: *Canonicorum fornicatio pro Matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio omninò divellatur. Hoc enim Ecclesiæ ad severitatem est utile, & non dabit hæreticis adversùs nos ansam, quòd propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.* Canonicorum autem nomine Monachos & Moniales intelligi, interpretatur ibi Theodorus Balsamon; & constat ex phrasi familiari Basilio, cum animadversiones scribit ad Canonicos & Canonicas. Plura testimonia Basilij ad idem propositum, vide apud Pontium sup. c. 18,

Præterea: multa sunt Concilia antiquiora Concilio Romano sub Innoc. 2. in quibus Monachi nubentes separari jubentur; citat ea Pontius sup. Ipse autem c. 19. his omnibus duplicem adhibet solutionem, dicens: Ad hæc omnia, quæ ex PP. & Conciliis objecta sunt, duobus modis responderi potest.

24. *Prima resp. Pontij.* Primò: forsan illis temporibus Patres aliquos in suis Ecclesiis & Diœcesibus cœpisse irritare ejusmodi conjugia, cùm penes Episcopos esset potestas constituendi impedimenta; atque in his forsan fuisse Basilium; Augustinum autem & alios Patres non adhæsisse illorum sententiæ, immò neque id ab universali Ecclesia observatum fuisse.

Secunda. Secundò (inquit) uno verbo respondetur: tam Basilium, quàm Gregorium, & Concilia explicari, scilicet loqui de separatione quoad torum, non verò de separatione quoad vinculum. Vinculi namque nullitatem nullus eorum insinuat. Jubebantur itaque separari, & ad Monasteria revocari, non tamen dirimebatur Matrimonij vinculum validè contractum, quàmvis interveniente sacrilegio.

25. *Quare Patres & Concilia jusserint taliter conjugatos separari.* Justissimè autem id dispositêre Patres, atque Concilia aliqua, ut hac ratione petulantiæ Monachorum, & lasciviæ fœminarum occurrerent, quæ ne manerent partim sine viro, partim ad ineundum cum alio inhabiles, ob Matrimonium initum cum Monacho, sacrilegium quidem, firmum tamen, Matrimonium cum sacratis hominibus & fœminis recusarent. Afficiebantur autem, si contraherent, justissimâ pœnâ, quia cum Monachis scienter Matrimonia celebraverant. Itaque manebat simul utrumque vinculum, illis ad Monasterium revocatis. Hæc ille.

An pœna illa fuerit justa. Sed quæro ego: quid si ignoranter & bonâ fide cum Monachis celebraverant Matrimonia, nunquid & tali casu justissimâ pœnâ afficiebantur? Videtur hæc aliquibus planè contrà justitiam; cur enim privaretur jure acquisito ille, qui nihil peccavit? Ita interrogat Suarius tom. 3. de Relig. lib. 9. c. 21. n. 11.

26. *Evasio præcluditur, ex Suario.* Si dixeris: legem illam de tali separatione non extendi ad illum casum: contrà est (inquit idem Auctor) quia decreta generaliter & sine limitatione loquuntur, coguntque ejusmodi religiosum non solùm, ut neget debitum; sed etiam, ut relinquat conjugem, & ad pristinum statum redeat; & nisi hoc faciat, privat illum perpetuâ communione, nihilque distinguunt de bonâ vel mala fide alterius; neque aliquid curant de jure illi acquisito, sed supponunt potiùs nullum esse posse. Hæc ille.

Alia reprobatur, ex eod. Et prosequitur: Dices fundari in præsumptione; quia qui cum Religioso vel Moniali contrahit, præsumitur malâ fide contrahere. Sed hoc non satisfacit; quia aliàs, ubi cessaret præsumptio, & bona fides sufficienter probaretur, sustinendum esset tale Matrimonium, & jus suum tali conjugi reddendum, quod est contrà intentionem talium jurium, & eorum absolutam ordinationem. Imò etiamsi in exteriori foro Ecclesiæ non excluderetur præsumptio, in conscientia non posset negari jus proprium vero & innocenti conjugi, si in contrarium veritas subsisteret, & de ea in conscientia constaret.

27. *Fuisset durissima pœna juxtà Suarium.* Prætereà: etiamsi intercederet culpa ex parte conjugis cum Religioso contrahentis; si tamen nihilominùs Matrimonium esset validum, fuisset durissima pœna, & cum magno periculo animæ, cogere illum ad perpetuam continentiam, quam nunquam promisit; quæ coactio manifestè sequitur ex dicta separatione; hæc ergò separatio, tam generaliter commendata in antiquis decretis, est apud me magnum indicium, talia Matrimonia jam tunc fuisse invalida. Hæc Suarius.

Ipse intelligendam putat separationem quoad vinculum in decreto Calixti 2. Igitur separatio in hac materia intelligi videtur quoad vinculum, non quia vinculum, quod anteà erat validum, dissolvatur, sed quia nullum fuisse supponitur. Ita juxtà Suarium sup. n. 12. intelligitur decretum Calixti 2. dist. 27. (quàmvis non multo tempore Innocentium præcesserit) *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere, & Matrimonia contrahere penitùs interdicimus*, quod verbum, juxtà

pro-

probabilem ſententiam, irritationem etiam in rigore includit.

28. *Probatio.* Et addit: *Contracta quoque Matrimonia ab hujuſmodi perſonis, disjungi & perſonas ad pœnitentiam redigi debere, juxtà ſacrorum Canonum diffinitiones judicamus.* Ubi etiam teſtificatur, legem illam antiquiorem in Eccleſia fuiſſe. Exponit autem Gloſſa talia Matrimonia debuiſſe disjungi quoad copulam; non quia putaret durare quoad vinculum, ſed potiùs quia ſupponit illa nulla fuiſſe.

Hæc ſunt verba Gloſſæ verb. *Disjungi: Quoad carnis copulam, quia quod non eſt, non poteſt diſſolvi, neque accuſari, extrav. de Deſponſ. impub.* Ad diſſolvendum. *Sed dicit lex, quòd Matrimonium non dicitur diſſolvi, quod ab initio nullum fuit, ut in Authent. de nuptijs, §. Si verò ab initio.*

29. *Simile decretum Concil. Turon. 2.* Similia Decreta (inquit Suarez ſup.) ſunt multa 27. q. 1. Optimum autem mihi videtur Decretum Concil. Turonenſis 2. ſub Ioan. 3. ut habetur in tom. Conciliorum, vel ſub Pelagio 1. ut alij volunt: uterque autem ferè per 500. annos Innocentium 2. anteceſſit: ibi ergò c. 16. ſic habetur: *Si qui in Monaſterio converſi ſunt, aut converti voluerint, nullatenùs exinde habeant licentiam evagandi, nec (quod abſit) ullus eorum conjugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere; nam, ſicut ſup. dictum eſt, ſi uxorem duxerit, excommunicetur, & de uxoris malè ſociatæ conſortio etiàm judicis auxilio ſeparetur.*

Et infra: *Qui infelix Monachus, tali conjunctione fœdatus, ſi per cujuſcumque patrocinium ſe conatus fuerit defenſare, & is, qui in hac pertinacitate perdurat, & ille, qui eum exceperit ad defenſandum, ab Eccleſia ſegregentur, donec revertatur ad ſepta Monaſterij, & indictam ab Abbate, quamdiu præceptum ei fuerit, agat pœnitentiam.*

Sanè non aliis verbis ſolent nova jura invaliditatem talis Matrimonij nobis ſignificare, ut videre licet in cap. ult. Qui cler. & vovent. cum ſimilibus.

Concluſio Suarij. Concludo igitur antè Innoc. etiam 2. vel etiam antè Calixtum 2. fuiſſe vota ſolemnia Religioſorum, quoad hanc vim irritandi Matrimonium poſteà contractum. Hactenùs Suarez.

30. *His decretis opponit Pontius alia, in quibus valide conjugati jubentur ſeparari. Forojulienſe.* Sed his Decretis opponit Pontius ſup. c. 20. & 21. alia Decreta, in quibus aliqui jubentur ſeparari, inter quos tamen erat validum Matrimonium; v. g. qui contraxerant poſt votum continentiæ, emiſſum extrà Religionem; Concil. Forojulienſe ſub Adriano 1. anno 791. can. 11. *Item placuit de fœminis cujuſcumque conditionis, puellis ſcilicet vel viduis, quæ virginitatis ſive continentiæ propoſitum ſpontaneè pollicentes Deo, emancipatæ fuerint, & ob continentiæ ſignum nigram veſtem, quaſi religioſam, ſicut antiquus mos fuit in his Regionibus, indutæ fuerint, licèt non ſint à Sacerdote ſacratæ, in hoc tamen propoſito perpetim perſeverare mandamus. Si verò poſteà ſeſe, ſive clanculò corruperint, ſive publicè nupſerint, dignis quidem mundano judicio corporalibus coërcitæ vindictis; ſegregentur ab invicem, & agant cunctis diebus vitæ ſuæ pœnitentiam.* &c.

Prætereà: Matrimonia relictarum ab initiatis valida erant, ut conſtat ex Tolet. 1. an. 404. can. 18. *Siqua vidua Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi, maritum acceperit, nullus clericus, nulla religioſa cum ea convivium ſumat, nunquam communicet; morienti tantùm ei Sacramentum ſubveniat.*

31. *Aurelianenſe.* E quibus planè colligitur valere, quàmvis ob delictum à communione ſecernatur Religioſarum & Eccleſiaſticorum, & à communione Euchariſtiæ, niſi in mortis articulo. At iſtos ſeparari jubent Canones, Aurelianenſe 1. ſub Symmacho Papa anno 507. can. 15. *Si ſe cuicumque mulier duplici conjugio Præsbyteri vel Diaconi relicta conjunxerit, aut caſtigati ſeparentur, aut certè, ſi in criminum intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur.*

Epaunenſe. Epaunenſe eodem tempore can. 32. *Relictæ Presbyteri ſive Diaconi, ſi cuicumque renupſerint eatenùs ab Eccleſia elongentur, donec a conjunctione illicita ſeparentur, maritum quoque ejus ſimili uſque ad compunctionem ſeveritate plectendum.*

Et Matiſconenſe. Matiſconenſe 2. ſub. Pelagio 2. anno 588. c. 16. *Illud quoque rectum nobis viſum eſt diſponere, ut quæ uxor Subdiaconi, vel Exorciſtæ, vel Acolythi fuerat, mortuo illo, ſecundo ſe non audeat ſociare Matrimonio. Quòd ſi fecerit, ſeparetur, & in cœnobijs puellarum Dei tradatur, & ibidem uſque ad exitum vitæ ſuæ permaneat.*

32. *Occurritur reſponſioni.* Et ne aliquis reſponderet, ea Concilia ſolùm fuiſſe provincialia, addit Pontius Deciſionem quamdam Rom. Pontificis, ſcilicet Greg. magni lib. 11. Epiſt. ultima ubi cum Fantinus defenſor puniret Petrum, quòd Diaconi relictam marito tradidiſſet: Petrus verò contenderet, non fuiſſe Diacono junctam: Reſpondit Pontifex hiſce verbis: *Si in conjugio Diaconi mulierem, de qua agitur, junctam fuiſſe conſiſterit, & ſupraſcriptus lator memorato defenſori & rectori patrimonij ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione hi qui malè ſociati ſunt, disjungantur.*

Decretum Greg. magni ad idem propoſitum.

Concluſio Pontij. Maneat ergò (inquit Pontius ſup. c. 21 n. 1. in fine) eâ phraſi vel ſeparationis verbo, quo nonnulli canones uſi ſunt, non convinci invaliditatem Matrimonij Religioſorum prioris ſæculi, ſed tantùm ſeparationem tori.

33. *Quid doceat Suarez.* Planè non convincitur; neque hoc aſſerit Suarez, ſed ſolùm dicit, vehementem conjecturam eſſe invaliditatis, quoties Eccleſia lege univerſali præcipit, omnia Matrimonia contracta cum aliquo impedimento diſſolvi ac ſeparari: ut conſtat adhuc hodiè diſſolvi ac ſeparari Matrimonia contracta poſt votum ſolemne caſtitatis, aliis conſtitutionibus pœnalibus ſublatis; idque quia Eccleſia judicat, illa ab initio fuiſſe invalida; & ita meritò oportet conjuges putatitios ſeparari, ne vivant in continua fornicatione & inceſtu.

Quod probè ſciens D. Baſilius. ſup. Matrimonium Canonicorum fornicationem appellavit. Et alibi, adulterium.

34. *Qualiter D. Basil. Matr. Canonicorum appellaverit fornicationem, & adulterium, ex Pontio.*

Respondet Pontius sup. c. 19. n. 2. Fornicationem appellavit Basilius; quia usus istius Matrimonij post emissum votum peccatum erat. Adulterium autem vocat planè metaphoricè, non in rigore sermonis, & quia permanente obligatione voti Deo facti, non plenè transibat fœminæ corpus in potestatem viri, quandoquidem & illicitus usus, utpotè in quo interveniret violatio voti: ideò utitur comparatione, desumptâ ab ea, quæ vivente viro, alteri nubit; non quidem ut eamdem utriusque rationem esse quoad vinculum affirmaret, quod in casu Matrimonij post vota, firmum, post priora verò connubia invalidum est: sed quoad corporis usum, qui in utroque casu non est sinè peccato.

Unde meritò separari jubentur; quia in eo quòd maneat simul vinculum Religionis & conjugij, nullum peccatum, nec repugnantia, in usu verò culpa committitur. Meritò etiam communione privantur, donec separentur invicem, & nullatenùs antè separationem admittuntur ad pœnitentiam; quia manent in actuali peccato, & ejus occasione, dum votum non rescinditur. Hæc ille.

35. *Contrà arguitur.*

Sed non valent, nisi ad summum in unico casu, quando videlicet uterque conjux haberet votum castitatis; nam si unus liber est à voto, hic potest sinè peccato debitum exigere, & alius, non obstante suo voto, potest sinè peccato, & tenetur debitum reddere; quo ergò jure illi separari jubentur, aut communione privantur, donec separentur invicem, & nullatenùs antè separationem admittuntur ad pœnitentiam? Quippè non sunt in peccato actuali, & occasio peccandi in eo, qui habet votum, solùm est remota, tametsi votum non rescindatur. Quin etiam majus periculum peccandi subesse videtur, si cogantur, maximè sinè sua culpa, vitam cœlibem ducere, ut sup. ex Suario indicavimus.

36. *Hodie non separantur, qui cum voto simplici contrahunt.*

Censen', quòd hodie invicem separarentur, & privarentur communione ac pœnitentiâ, qui cum voto simplici castitatis contraxissent Matrimonium? Scio quòd non censeas. Sed cur hoc? An fortè jam minùs peccatum est, quàm olim fuerit? Patet, quòd sit sacrilegium æqualis gravitatis cum sacrilegio, quod olim committebatur, quando votum erat emissum extrà Religionem. Et consimiliter, si hodie votum simplex emitteretur intrà Religionem, Matrimonium post contractum æqualis foret malitiæ cum Matrimonio, quod olim contrahebatur post votum emissum in Religione. Cur ergò hodie non plectitur eâdem pœnâ? Quia Ecclesia judicat melius esse, ut suppositâ validitate Matrimonij, simul maneant conjugati, obtentâ seu concessâ dispensatione voti, ad evitandum periculum peccati.

37. *Nullum votum simplex jure communi est impedimentum dirimens.*

Quidquid ergò sit de tempore antiquæ Ecclesiæ, constat hoc tempore votum simplex castitatis sive emissum in Religione, sive extrà Religionem jure communi non dirimere Matrimonium post contractum; sed hunc effectum competere soli voto solemni.

Quare dixerim, *Iure communi*, patebit infrà, postquam paucis declaravero, quæ sit distinctio inter votum simplex & solemne.

38. *Votum simplex non minùs obligat coram Deo, quàm solemne, ex cap 6 Qui Clerici.*

Et quidem coram Deo non minùs obligare votum simplex, quàm solemne, docet Celestinus 3. cap. *Ursus*, 6. Qui Cler. vel vovent, hisce verbis: *Unde à fraternitate tua requisiti arbitramur, quòd cùm simplex votum apud Deum non minùs obliget, quam solemne, pro eo quòd juravit temerè pœnitentiam agat, & votum quod Deo fecit, studeat observare. Quòd si postquam hujusmodi præstitit juramentum, ad nuptias proprio motu convolasset, cùm votum simplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum* &c.

Quare non dirimat Matr.

Sed cur non dirimit? An fortè solemnitas voti consistit in illo effectu? An verò in potentia causandi talem effectum, seu reddendi voventem inhabilem ad Matrimonium contrahendum? Ast datur votum simplex, quod reddit voventem inhabilem, ut infrà videbimus; ergò in solo illo effectu, seu potiùs virtute causandi illum effectum, nequit consistere solemnitas voti castitatis. In quo ergò?

39. *Quid sit solemnitas voti, & quotuplex? ex Pontio.*

Observat Pontius sup. c. 7. n. 1. solemnitatem nihil aliud esse, quàm externam actûs formam, ritibus & cæremoniis constantem, à personis, locis, temporibusque desumptam. Potest autem dividi (inquit ille) in essentialem & accidentalem. Essentialem solemnitatem voco formam, quæ actum aliquem constituat, & ab aliis distinguat. Accidentalem autem, quæ, ut juxtà Regulas Dialecticorum definiamus, abesse & adesse potest absque subjecti corruptione. Hæc autem duplex est, quædam ea, quæ appelletur à nobis legitima, sine qua aliàs actus validus esse posset; at ex voluntate Legislatoris necessariò adjungenda est. Alia autem omninò extrinseca, sinè qua actus validus esse potest, etiam secundùm Legislatoris voluntatem.

40. *Explicatur exemplo Matr.*

Explicemus hæc omnia exemplo contractûs Matrimonij. Ejusmodi contractus solâ traditione & acceptatione corporum, cum verbis aut signis, animum significantibus, constituitur ex natura sua, & ita celebratus valuit à principio. Hanc formam contractûs Matrimonij, quâ multis sæculis constitit validus, voco solemnitatem essentialem. At posteà Ecclesiæ constitutione cautum est, ut celebretur coram Parocho & testibus, ita ut aliter celebratus non valeat. Hanc voco solemnitatem accidentalem, legitimam tamen; quia licèt aliàs validus esse posset contractus, attamen ex voluntate Legislatoris, adjungente ejusmodi formam, non valet, si secùs fiat.

Præcipitur etiam, ut præcedant denuntiationes publicæ, & requiratur consensus patris, & alia hujusmodi. Hanc voco solemnitatem accidentalem extrinsecam; quia, etiam secundùm Legislatoris voluntatem, omissâ hâc solemnitate, valet Matrimonium. Hactenùs Pontius.

41. *Ostenditur in votis Religionum.*

Rogat aliquis ab eo, an etiam eæ tres solemnitates distingui possint & debeant in votis Religionum? Respondet sup. n. 18. affirmativè. Prima, inquit, est essentialis, forma scilicèt statûs Religionis, Divino jure introducta; constatque

ſtatque donatione & promiſſione trium votorum vinculo firmata, quæque communis eſt omni ſtatui Religionis, quæ verè Religio ſit. Secunda, quam appellamus legitimam, quamque Eccleſiæ conſtitutione inventam eſſe probavimus, & in quo conſiſtat explicabimus capitibus ſequentibus. Tertia omninò accidentalis, ut quòd ea vota emittantur die feſto, Sacerdote Euchariſtiam in manibus tenente, plurimis adſtantibus, quæ purè extrinſeca eſt, ita ut ſinè illa etiam actus ſit legitimus. Hæc ille.

Et quidem de hac poſteriori ſeu omninò accidentali ſolemnitate tractare, non ſpectat ad hunc locum, quia nihil confert ad impedimentum dirimens. De prima ſeu eſſentiali quid dicam? Sinè ipſa non invenitur ſolemnitas legitima, ipſa tamen invenitur ſinè ſolemnitate legitima.

42. *Per vota ſimplicia in Societate Ieſu conſtituitur quis verus Religioſus, ex Bulla Greg. 13.*

Rogas, ubi? Reſpondeo: in votis ſimplicibus emiſſis in Societate Ieſu poſt biennium, per quæ conſtituitur vovens verè & ſubſtantialiter Religioſus, juxtà declarationem Greg. 13. Bullâ: *Quantò fructuoſius*, 26. apud Rodr. ibi: *Ad hæc dictam Societatem firmo declarationis noſtræ præſidio communire volentes, ſtatuimus ac etiam decernimus, non modò eos, qui in Coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium ſive temporalium, gradus & miniſteria admittuntur; ſed etiam alios & quoſcumque, qui in ipſa Societate admiſſi, biennio probationis a quocumque peracto, tria vota prædicta, tametſi ſimplicia, emiſerint, emittentq; in futurum, verè & proprie Religioſos fuiſſe & eſſe, & ubique, ſemper, & ab omnibus cenſeri & nominari debere, ac ſi in Profeſſorum prædictorum numerum adſcripti fuiſſent. Præcipimuſq; & interdicimus, ne quiſquam ſcrupulum, de hoc cuiquam injicere, neque illud in controverſiam, dubium vel ſuſpicionem ponere audeat quoquo modo.*

43. *Alia Bulla ejuſdem Pontif. ad idem.*

Cùmque hoc præceptum aliqui parùm curarent, & adhuc pergerent illud in controverſiam, dubium & ſuſpicionem ponere, idem Pontifex, ad reprimendam magis eorum audaciam, novam edidit Bullam, quæ incipit: *Aſcendente Domino*, in qua eiſdem ferè verbis idem declarat dicens: *Ad hæc dictam Societatem firmo Sedis hujus præſidio communire volentes, hâc noſtrâ perpetuâ conſtitutione, motu, ſcientiâ, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſtatuimus atque decernimus, tria vota hujuſmodi, etſi ſimplicia, ex hujus Sedis inſtitutione, ac noſtra etiam Declaratione & confirmatione, eſſe verè ſubſtantialia Religionis vota ac in dicta Societate, tamquam in Religione approbata per Sedem eamdem, admiſſa fuiſſe & eſſe, ac per Nos admitti, nec in illis à quoquam præter Nos, & Sedem hujuſmodi, diſpenſari; nec ea ullo alio modo, quàm per legitimam dimiſſionem à Societate, ceſſare poſſe: & non modò eos, qui in Coadjutorum formatorum, ſive ſpiritualium, ſive temporalium, gradus & miniſteria, ut præfertur, admittuntur; ſed & Scholares ipſos, ac ſuprà dictos alios omnes, & quoſcumque, qui in ipſam Societatem admiſſi biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia prædicta, tametſi ſimplicia emiſerint, aut emittent in futurum; verè & propriè Religioſos fuiſſe & eſſe ac fore & ubique ſemper & ab omnibus cenſeri & nominari debere; non ſecùs, atque ipſos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum profeſſos, ſuiſq; Præpoſitis in omnibus & per omnia obedire, & huic Sedi immediatè ſubjectos; & à quorumvis Ordinariorum & delegatorum ſeu aliorum Iudicum juriſdictione omninò exemptos, prout Nos etiam vigore præſentium eximimus.*

In ea præterea declarantur tales Religioſi inhabiles ad Matr.

Denique ut omnium Societatis privilegiorum, juxta Generalis Præpoſiti diſpoſitionem, ſunt participes; ita quoque excommunicationis majoris latæ ſententiæ, & aliis Apoſtatarum pœnis, ſi qui a Societate deficiant ſubjacere, ac tamquam veros Apoſtatas puniri poſſe; nec à quoquam niſi per nos, & Sedem prædictam, aut Generalem Præpoſitum, ab iiſdem pœnis abſolvi, nec ante hujuſmodi abſolutionem, & à Societate dimiſionem Matrimonium contrahere, quinimò eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus hujuſmodi nullos & irritos eſſe, prout irritos facimus & annullamus.

Cùm autè eam forent capaces.

Ubi, ut clarè vides, novum conſtituitur Matrimonij impedimentum dirimens. Nam ante hanc Bullam ſeu Extravag. neque vi conſtitutionis Bonif. 8. *Quod votum*, de Voto & voti redempt. in 6. neque vi Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Matrim. can. 9. dicta vota ſimplicia Societatis Ieſu ſolventes inhabiles reddebant ad Matrimonium contrahendum: quippè de ſola Profeſſione ſolemni loquuntur, ut patet ex antedictis; immò Conſtitutio Bonif. 8. expreſsè negat hunc effectum votis ſimplicibus.

45. *Trid. intelligendum de ſola Profeſſione ſolemni.*

Et quàmvis Trident. non dicat explicitè, ſola Profeſſione ſolemni dirimi Matrimonium; equidem ſic intelligendum eſt, ne alioquin diminutam tradiderit doctrinam, relinquens Matrimonia poſt votum ſimplex contracta valida, cùm tamen eſſent irrita, & ita dediſſet cauſam multorum peccatorum, cùm tamen facilè potuiſſet ea præcavere.

Unde etiam in eodem Canone ſubjungit: *Poſſeq; omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum &c.* Ubi generaliter agit de quocumque voto, & ſolùm ſignificat illicitè contrahi Matrimonium.

46. *Iure communi vota ſimplicia Societatis non dirimunt Matr.*

Igitur jure communi vota ſimplicia Societatis non dirimunt Matrimonia; & ideò conſultò in Concluſ. addidi ly *Iure communi*; juxtà quod jus loquitur Scotus 4. diſt. 38. q. un. n. 4. ibi: *Hæc tamen opinio eſt communis, quod votum ſimplex non impedit ſimpliciter, ſicut habetur ibi in textu* (cap. *Rurſus*, Qui Cler. vel vovent.) *licèt enim impediat Matrimonium contrahendum non tamen dirimit jam contractum, & ſolùm hoc dicimus ſimpliciter impedire. Votum autem ſolemne ſimpliciter impedit ſicut habetur ibidem cap. Inſinuante.* Hæc ille.

Qui, ſi modò viveret, exciperet indubiè votum ſimplex Societatis Ieſu, propter particularem Conſtitutionem Greg. 13. *Aſcendente Domino*. In qua utique expreſsè derogatur Conſtitutioni Bonif. 8. & aliis, ibi: *Non obſtantibus recol. memor. Bonif. Papæ 8. quæ incipit*: Quod votum, *& aliis apoſtolicis Conſtitutionibus &c.*

Quæ

47. *Habent solemnitatem, quam Pontius vocat essentialem intrinsecam.*

Quæ cùm ita sint, liquet profectò, quòd dicta vota Societatis, etiam antequam haberent hunc effectum, fuerint vota solemnia, ea solemnitate, quæ apud Pontium vocatur essentialis intrinseca: intrinseca, inquam, votis quibuscumque constituentibus statum Religionis seu Religiosi; & in eo consistit, quòd in emissione votorum interveniant duo illi quasi contractus, donationis & promissionis, quibus & fit promissio Deo, & donatio Religioni, & quòd Religio approbata sit à jurisdictionem habente, sive sit Episcopus, sive Romanus Pontifex.

48. *Hanc solemnitatem putat hic Author esse juris divini.*

Atque hanc solemnitatem putat Pontius esse juris Divini; quàmvis enim, inquit sup. c. 7. n. 16. quod Religio approbetur tantùm à Romano Pontifice, sit juris Ecclesiastici; attamen quòd approbetur à Prælato tacitè vel expressè, juris Divini est. Hæc autem omnia essentialia sunt statui religioso sive constet votis solemnibus solemnitate Ecclesiasticâ, sive his, quæ ad differentiam illorum appellantur simplicia: cumque ista requirantur ex institutione Christi, sic instituentis statum Religionis, eaque institutio juris Divini sit, censebam, prædictam solemnitatem esse etiam ex jure Divino. Itaque uno verbo, hanc solemnitatem intrinsecam & juris Divini, dico esse eam formam, quam status Religionis habet ex jure Divino, quam non habent vota extrà illum emissa. Ita ille.

Sed quorsum hæc omnia? Ut cum communiori sententia concludamus, quod sequitur:

CONCLUSIO II.

Professio solemnis solo jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium post contractum.

49. *Quo jure solemnis Professio dirimat Matr.*

TAmetsi omnes Catholici libenter concedant Professionem solemnem dirimere Matrimonium post contractum, nihilominùs disputant inter se, quo jure dirimat. Quidam existimant jure solùm Ecclesiastico id statutum esse; alij ex jure Divino positivo id consurgere; & tertij ex jure naturali Divino eam vim habere.

Scotus docet, jure Ecclesiastico id facere.

Elegimus porrò primam sententiam, quia & hæc magis placuit Doctori nostro Subtili, & firmioribus nititur fundamentis, ut in progressu patebit. Incipiamus à verbis: *Ratio duplex* (inquit 4. dist. 38, q. un. n. 4.) *assignatur* (cur potiùs dirimat votum solemne, quàm simplex) *Vna quia solemne probari potest, non autem simplex. Sed hoc nihil est; quia, ut dictum est, simplex, etsi sit publicum, & probetur, non tamen dirimit.*

50. *Ratio pro jure naturali Divino.*

Alia ratio est; quia per votum solemne dat aliquis illi, cui vovet, jus sui ad actum sequentem illud votum, & per consequens vovens solemniter continentiam, dat illi, in cujus manu vovet jus sui ad faciendum illud observari: igitur non potest dare jus sui ad actum oppositum, quia jam non habet illud.

Oppugnatur à Scoto.

Hæc ratio (prosequitur Doctor) *probabilis est* (& per consequens tertia sententia ex sup. enumeratis, quæ illi rationi innititur) *instaretur tamen; quia vovens voto privato, dat corpus suum Deo quantùm ad actum voti; igitur non posset postea dare corpus suum conjugi ad actum contrarium: non enim minus transferi aliquis à se, quod immediatè dat Deo, quam quod dat sibi mediante homine vicario.*

Si dicatur; quòd Deus noluit potestatem corporis immediate sibi dari, sic quòd datio sequens ad conjugium, simpliciter nulla esset: sed sic voluit de datione facta sibi mediante homine. Sed unde hoc? Scriptura non videtur continere istam voluntatem Dei.

51. *Alia ratio rejicitur, ex eod.*

Addit tertiam rationem, dicens: *Alia ratio est; quòd vovens solemniter mittit in possessionem illum, cui vovet solemniter: vovens autem private non, sed quasi promittit: Sed hæc valet minùs, quam secunda; quia omnia intrinseca vota, ut respicit actum voluntatis, per quem obligat se vovendo, & transfert Dominium suum in alterum (quia per solam voluntatem est Dominus, & transfert dominium) omnia, inquam, ista sunt æqualia hinc inde: igitur non magis datio hic, quam ibi, nec promissio hic, quam ibi.*

52. *Quod transgressio voti solemnis sit scandalosa nihil hic probat, ex eod.*

Sed neque hic finis: *Si ponatur* (inquit Scotus) *quarta ratio; quòd transgressio voti solemnis est scandalosa, & ideo ad ejus observantiam tenetur, non tantùm Deo & sibi, sed etiam toti Ecclesiæ: transgressio voti privati non est sic scandalosa. Hoc nihil arguit, nisi gravius peccatum hic, quam ibi; sed de hoc non quæritur: non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum.*

Consimiliter, si de peccato ageretur, videretur illicitum contrahere post votum privatum; quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo, cum intentione consentiendi & consummandi actum carnalem: & ideo non potest licitè contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, & per consequens intrandi Religionem. Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum; licet secundùm Aliquos, post primum actum non peccet mortaliter in reddendo; quia ad illud jam est obligatus vinculo fortiori, peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet juris in hoc, cùm renuntiaverit tali juri in voto. Hæc etiam ratio de scandalo non cogit; quia votum publicum, etsi non solemne, inducit scandalum, si vovens transgrediatur finaliter.

53. *Doct. Angel. asserit jus naturale.*

Ecce quomodo Doct. Subtilis pro viribus rejiciat rationes, quibus Aliqui conantur probare, irritationem Matrimonij provenire ex ipsa natura voti, secluso omni alio præcepto superaddito. Quam utique sententiam tenet. Doct. Angel. 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæstiuncula 3. in corpore, ubi lego sequentia verba: *Ad tertiam quæstionem dicendum, quòd omnes dicunt, quod votum solemne sicut impedit Matrimonium contrahendum, ita dirimit Matrimonium contractum. Quidam autem assignant pro causa scandalum: sed hoc nihil est, quia etiam votum simplex quandoque scandalum habet, cùm sit quodammodo publicum quandoque. Et præterea: insolubilitas Matrimonij est de veritate vitæ, quæ non est propter scandalum dimittenda. Et ideo Alij dicunt, quòd hoc est propter statutum Ecclesiæ: sed hoc etiam non sufficit, quia secundùm hoc Ecclesia posset contrarium statuere, quod*

non

non videtur verum. Et ideò dicendum cum aliis, quòd votum solemne ex sui natura habet, quòd dirimat Matrimonium contractum, inquantùm scilicet homo per ipsum amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, ut ex dictis patet, & ideò non potest ipsum tradere in potestatem uxoris ad Matrimonium contrahendum.

54. *Vti etiam Doct. Seraph.*

Ejusdem opinionis fuit Doct. Seraphicus 4. disp. 38. a. 2. q. 1. in corp. Subdo ejus verb: *Respondeo dicendum, quòd votum continentiæ est tale votum, quod generaliter impedit Matrimonium contrahendum, sed non generaliter dirimit jam contractum, nisi solemnizatum; & rationem hujus assignant aliqui Ecclesiæ institutionem. Quòd enim vovens sit persona illegitima, hoc non est ex voto; quia in ipso Matrimonio perfecto continentia servari potest ab eo, qui debitum non exigit, sed solvit. Vnde Aug. dicit, quòd computatur pro sanctificatione perfecta, si non exigis, sed reddis, quod debes. Sed quòd impediat, hoc est ex constitutione Ecclesiæ, cujus est personas legitimas, vel illegitimas Matrimonio determinare.*

55. *Reprobat rationem oppositæ sententiæ.*

Ratio autem, quare Ecclesia de voto solemni instituit (ut dicunt) est, quòd in voto solemni non potest decipi, & potest in fractione ejus scandalizari, quia publicum est; sed in voto simplici neutrum habet locum, quia privatum est. Sed hæc solutio videtur supponere duplex falsum, unum quòd sit ab institutione Ecclesiæ talis illegitimitas; quia Ecclesia, ut communiter dicitur, non potest ibi dispensare: potest autem dispensare generaliter in suis constitutionibus. Aliud falsum est, quòd votum solemne non dicitur, quia notorium vel publicum; quia votum quantumcumque publicetur (nisi aliud adsit) simplex judicatur, nec impedit Matrimonium jam contractum. Vnde aliud est votum publicum, aliud occultum.

56. *Assignat rationem suæ sententiæ.*

Ideo alia ratio assignatur, & accipitur à voti solemnizatione. Votum enim tripliciter solemnizatur, scilicet Ordinis susceptione, Professionis emissione, & habitûs Professorum assumptione, cum aliis quæ hominem professum ostendunt. Et hoc est commune in omni solemnizatione, quòd fiat coram persona, quæ locum Dei tenet, & quæ votum potest approbare; quia in recipiente votum continentiæ transfertur potestas corporis voventis, quia alius adest, qui recipit: sed in voto simplici, ubi homo merâ se obligat voluntate, & in nullius manibus hoc facit, obligatur quidem, sed tamen Dominium sui corporis in alterum non transfertur. Et quia, quod translatum est in potestatem unius, non potest transferri in potestatem alterius; ideò emisso voto solemni non potest Matrimonium contrahi, in quo est translatio dominij proprij corporis. Sed quod translatum non est, adhuc transferri potest; ideo voto simplici emisso potest mulier potestatem sui corporis in Matrimonio dare: ideo & si contrahat, contractum est.

57. *Confirmatur.*

Amplius: in voto solemni Deo & homini obligatur; sic & in Matrimonio: & quoniam utrobique est par obligatio, & par obligatio non solvit vinculum paris obligationis, sed bene præpotens super vinculum minoris obligationis; ideo obligatio voti solemnis non potest infringi per superveniens vinculum Matrimonij. Hoc autem non ideò dico, quòd faciat scandalum; quia illud potest esse in voto simplici, sed hoc facit obligatio duplex, cum translatione potestatis in alterum. Est igitur hæc summa rationis, quòd votum solemne obligat æqualiter districtè ex opposito, non simplex; ideo impedit. Usque adhuc D. Bonaventura.

58. *Ratio ex Scoto pro sua sententia.*

Ego autem dico cum Doct. Subtili sup. n. 6. *Ratio ad hoc* (putâ, quòd solemne votum dirimat Matrimonium) *poni potest hæc, scilicet quòd Ecclesia illegitimavit sic voventem. Et hoc fuit rationabile; quia ipse posuit se in potestate Ecclesiæ, quantùm ad oppositum ejus, ad quod est contractus Matrimonij. Voventem autem privatè non illegitimavit, quia non sic se posuit in manu Dei, ad oppositum servandum, & consuluit animæ suæ apud Deum, ne transgrediatur: nam Ecclesia reliquit eum judicio Divino.*

Quare Ecclesia non illegitimavit voventem voto simplici, ex eod.

Et si quæras (prosequitur Scotus) *quare non illegitimavit eum, cùm peccet mortaliter contrahendo, nisi cum proposito non consummandi? Respondeo, non omnia mala punit, ut propterea pœnas Ecclesiasticas injungat: & fortè majus malum sequeretur ex illegitimatione voventium voto simplici, quàm ex non illegitimatione; quia ibi sequeretur frequentior culpa in actu carnali, si nollent continere, sicut valdè probabile est de multis: nec haberent suas quibus contenti essent, & si non petendo, tamen reddendo licitè uterentur.*

59. *Vltimata ratio, quare unum votum dirimat, & non aliud, est secundùm Scotum, constitutio Ecclesiæ.*

Igitur secundùm Scotum ultimata ratio, quare votum solemne continentiæ dirimat Matrimonium, secùs votum simplex, est voluntas seu constitutio Ecclesiæ, qua illegitimavit solemniter voventem, secùs voventem simpliciter. Quâ proinde sublatâ (quod fieri posset, quàmvis D. Bonav. & D. Tho. videantur hoc negare) votum continentiæ, quod jam dirimit Matrimonium, cras non dirimeret. Sicuti si hodie Ecclesia acceptaret aliqua vota simplicia ad effectum dirimendi Matrimonium, hodie dirimerent Matrimoniũ, quod heri non fecissent.

60. *An Ecclesia possit tollere illam constitutionem.*

Et sic vota simplicia Societatis, post biennium emissa, hodie ex Constitutione Greg. 13. *Ascendente Domino*, dirimunt Matrimonium, cùm tamen ante illam Constitutionem id non fecissent. Et putas; quia modernus Pontifex non posset tollere illum effectum ab his votis? Noli putare, si non vis errare. Cur ergò similiter nequeat tollere illum effectum ab aliqua solemni Professione Religionis, & facere, ut vota, quæ hodie sunt solemnia, cras tantùm sint simplicia?

Posset facere, ut Ordo sacer amplius non dirimeret Matr.

Censen', Ecclesiam non posse facere, ut votum Ordinis sacri, quod hodie est solemne, & dirimit Matrimonium, cras tantùm sit simplex, non dirimens, sed tantùm impediens Matrimonium? Et cur hoc, nisi quia solemnitas illa inventa est ex sola constitutione Ecclesiæ? Porrò sicut solemnitas voti Ordinis sacri inventa ex sola constitutione Ecclesiæ, ita etiam solemnitas Professionis.

61. *Bonif. 8. eodem modo*

Enimverò eodem modo de utraque loquitur Bonif. 8. in d. cap. *Quod votum*, de Voto & voti redempt. in. 6. ibi: *Nos igitur attendentes, quòd*

loquitur de solemnitate Ordinis & Professionis.

voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa. Et infrà declarat, *illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem* &c.

Sicque intellexit Bonifacium Greg. 13. d. Bulla: *Ascendente Domino*, ubi loquens de solemnitate votorum Religionis, sic ait: *Nos considerantes voti solemnitatem solâ Ecclesiæ constitutione inventam esse; triaq; hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia Religionis vota ab hac Sede fuisse admissa; illaq; emittentes in statu Religionis verè constitui: quippè qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seq; Divino servitio in ea mancipant* &c.

62. *Solemnitas voti non consistit in traditione.*

Ecce vota simplicia, ut substantialia tamen Religionis, à Sede Apostolica admissa, & à Superiore Religionis acceptata, per quæ vovens seipsum tradit Religioni, idque pro perpetuo, quantùm est ex parte ipsius non minùs, quàm per solemnem professionem: ergò in illa traditione non potest consistere solemnitas voti, de qua hîc tractamus, id est, solemnitas legitima, quæ irritat Matrimonium subsequens; quippè illa vota, ut sup. diximus, non irritabant Matrimonium subsequens ante illam Constitutionem, estò forent vota substantialia Religionis. Ergò vota substantialia Religionis ex natura sua non habent talem effectum.

63. *Evasio.*

Si dixeris: non est traditio omninò perfecta, sive perfectissima, quæ tradentem semetipsum privat totali corporis dominio; nam temporalis est ex parte acceptantis, qui potest ea vota solvere, & voventem restituere pristinæ libertati ad contrahendum Matrimonium; secùs quando est Professio solemnis, cujus vota perpetua sunt, non solùm ex parte voventis, sed etiam acceptantis.

Præluditur.

Respondeo: & quis dedit illam perpetuitatem ex parte acceptantis, quando vota sunt solemnia? Num ipse Deus? Sed ubi? Num ipse vovens? An fortè tradens mihi seipsum, ita in me potest transferre dominium corporis sui, ut ego velim nolim debeam illud acceptare, & acceptato dominio, nequeam illud à me abdicare? Nonne qui emit servum, potest eum manumittere, dum sibi placuerit? Quis ergò prohibuit Superiori, ne dimittat Religiosum à suo dominio, & restituat illum suæ libertati? Quilibet potest rem suam alienare, nisi à Superiore prohibeatur.

Planè, inquis; sed prohibetur Prælatus à Superiore, scilicet à Deo, sive à Pontifice, qui vice Dei vota illa acceptavit.

64. *A quo oriatur perpetuitas Religionis.*

Fateor, prohibetur à Pontifice; & hoc est, quod contendimus, perpetuitatem illam ex parte Religionis immediatè oriri ab Ecclesia seu Pontifice, qui, si vellet, posset Superiori Religionis dare potestatem relaxandi dicta vota, sibi autem illam potestatem reservavit respectu solemnis Professionis, secùs respectu votorum simplicium. Ac proinde immediatè oritur ex voluntate Pontificis, ut hæc vota sint solemnia, illa autem tantùm simplicia; & per consequens, ut hæc vota solvant Matrimonium post contractum, secùs illa.

65. *Cur potiùs unum votum sit perpetuum ex parte acceptantis, quàm aliud.*

Cur autem Pontifex potiùs reservet hæc vota, quàm illa, & potiùs illegitimet hunc voventem, quàm illum; non est, quia unus publicè vovet, alter solùm privatim; vel quia ex transgressione unius voti natum est oriri scandalum, secùs ex transgressione alterius; vel etiam, quia per unum votum homo se tradit Deo, & non per aliud, ut patet ex hactenùs dictis: sed quia ipse edoctus à Spiritu sancto, judicavit expedire bono communi, quòd esset aliquis status perfectionis in Ecclesia perpetuus, non solùm ex parte voventis, sed etiam Superioris vota acceptantis, qui dissolveret Matrimonium ratum priùs contractum, & dirimeret Matrimonium post contrahendum; & hujusmodi vota sic acceptata, & qualificata, voluit vocari vota solemnia, ad distinctionem aliorum votorum, quæ emittuntur vel extrà Religionem, vel etiam in Religione, non habentia illam perpetuitatem & qualificationem, seu efficaciam dissolvendi Matrimonium ratum, & dirimendi Matrimonium contrahendum.

66. *Legitima solemnitas votorum consistit in quibusdam inhabilitatibus.*

Ex his festinè cognoscet quilibet, in quo consistat legitima solemnitas votorum; quia non in traditione, non in publicitate & scandalo, non in translatione dominij, aut approbatione Religionis; sed in perpetuitate extrinseca ex parte acceptantis, scilicet quòd Prælato sit sublata facultas liberum dimittendi Religiosum; & in illegitimatione, quæ ex lege Ecclesiastica accessit hisce votis, quâ redditur vovens inhabilis & ad Matrimonia ineunda, & ad dominia rerum acquirenda; denique in efficacia ad dirimendum Matrimonium ratum non consummatum, quam etiam efficaciam habent ex sola lege Ecclesiastica, ut alibi ostendimus, & diffusè probavimus.

67. *Prima objectio solvitur ex Pontio.*

Neque obstat 1. (inquit Pontius sup. cap. 9. n. 2.) quòd inhabilitates istæ videantur non solemnitas ipsa, sed solemnitatis effectus. Nam inhabilitates istæ effectus quidam sunt legis præcipientis, non verò solemnitatis; sed potiùs forma, sub qua hujusmodi vota emittuntur. Hæc ille.

Objicitur 2.

Neque etiam obstat (prosequitur idem Auctor) quòd in cap. *Quod votum*, de Voto & voti redempt. in 6. cùm explicaret Pontifex, *quod* esset votum solemne, respondit: *Quod solemnizatum fuerit per Professionem aut sacri Ordinis susceptionem.* Si enim solemnitas esset ea inhabilitas, respondere deberet, solemne esse, quod inhabiles reddit ad Matrimonium.

68. *Solvitur ex eod.*

Respondetur enim: Pontifici eam propositam fuisse quæstionem: quodnam votum esset solemne, & ad dirimendum Matrimonium efficax? Respondítque, illud esse solemne ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod emittitur in Professione & sacri Ordinis susceptione. Itaque assignavit responsum ex subjecto. Si enim quæsitum est, quod ita solemne, ut inhabilem

habilem voventem redderet ad Matrimonium, non respondere deberet, quod inhabilem reddit; sed quod emittitur in Professione, vel susceptione Ordinis: imò cùm rationem assignat Pontifex, quia solemnitas voti ex sola Ecclesiæ constitutione ortum habet, planè indicavit, non aliâ ratione esse solemne, nisi quia voto in Ordine & Professione eam inhabilitatem adjunxit Ecclesia, & non aliis votis, cùm tamen possit. Ita Pontius.

Pontius & Sanchez docent sententiam Scoti.

Docet autem nobiscum, votum solemne solo jure Ecclesiastico dirimere Matrimonium ibidem c. 22. n. 4. Quam etiam sententiam omninò amplectendam esse, ait Sanchez lib. 7. disp. 26. n. 4. in fine, postquam n. 2. eam variè probasset.

69. *Probatur 1. ex Sanchez.*

In primis, quòd nulla sit ratio cogens affirmare, id jure naturæ inductum esse. Quia traditio rei, vel personæ, ex justitia descendens, est alterius rationis ab ea, quæ ex Religione exiit; neque hæ duæ traditiones suaptè naturâ repugnant, nec una alteram expellit, ut manifestè constat. Conjugatus enim potest de licentia alterius conjugis validè profiteri, & sine licentia, altero adulterante; & tamen non dissolvitur prior traditio, cùm vinculum Matrimonij perseveret. Ergò ex eo, quod Religionis professio consistat in traditione, non sumitur efficax ratio ad concludendum, traditionem postea factam per contractum Matrimonij esse irritam.

Confirmatio.

Et confirmatur: nam servitus & Matrimonium simul consistunt, cùm tamen servus sit priùs Domino traditus, & sub ejus possessione. Traditiones igitur diversæ rationis simul stant. Hæc ille.

70. *Resp. Adversariorũ.*

Respondent Adversarij: vinculum Matrimonij in fieri, id est, quoad sui initium, ita adversatur professioni Religionis præcedenti, ut nullatenùs simul consistere possint; secùs in facto esse, id est, postquam semel est legitimè initum Matrimonium, tunc enim potest stare cum Professione valida.

Ratio discriminis est; quia non potest validè iniri Matrimonium absque plena translatione potestatis corporum, & jure ac potestate utendi illo, & obligatione mutuò cohabitandi; quæ translatio & jus adversantur è diametro Professioni, utpotè quæ plenè transfert dominium corporis professi in Deum, cum obligatione perpetua abstinendi à quibusvis venereis, & usu conjugali: atque ita suaptè naturâ obstat Professio Matrimonio validè ineundo. At postquam semel legitimè contractum est Matrimonium, cum plena hac translatione potestatis & juris, potest Matrimonij essentia permanere, amisso jure usus corporis & cohabitationis. Et constat, quando alter adulteratur, vel alter ex conjugis licentia profitetur. Hæc illi.

71. *Impugnatur*

Respondetur: Matrimonium posse validè iniri, absque plena translatione potestatis corporum, & jure ac potestate utendi illo, & obligatione mutuò cohabitandi, ut patet in conjugio servorum, Domino contradicente; & alibi ostendimus, ab initio Matrimonij validè & licitè separari posse jus proximum usûs corporis, ab ejus dominio, per legem, pactum, vel votum ex mutuo consensu. Igitur hæc ratio discriminis non subsistit; ac proinde manet, illa vincula non repugnare, etiam in fieri; quia sunt diversæ rationis, unum justitiæ ex Matrimonio ad actum carnalem, alterum ex Religione ad abstinentiam à tali actu. An fortè putas, Religiosum peccare contrà justitiam, dum fornicatur, aut aliter peccat contrà castitatem?

72. *Per Professionem non acquiritur ulli jus justitiæ ad abstinentiam à venereis.*

Quare neq; Deo, neque Religioni, per solemnem Professionem acquiritur jus justitiæ, quo Religiosus obligetur perpetuò abstinere à quibusvis venereis & usu conjugali; ut clarissimè patet in eo, qui post contractum Matrimonium validè fuit professus; hic enim utendo conjuge suâ, nullatenùs peccat contrà justitiam, sed tantùm contrà votum castitatis, ut Omnes fatentur. Igitur qualiscumque sit illa traditio, quâ homo se tradit in jus Ordinis seu Religionis, homo tamen semper manet Dominus corporis sui, ut illud alteri tradat ad usum Matrimonialem; quippè ad talem usum nulli alteri debitum est.

73. *Alius arg. Adversariorum.*

Ex quo patet solutio hujus argumenti Adversariorum: Iure naturæ res uni tradita, invalidè traditur alij: Nemo enim transferre potest in alium, quod jam non habet, juxtà regulam traditam cap. *Quod autem*, 5. de Iure patron. in fine: *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare.* At per votum solemne Religiosi, transfertur dominium personæ in Deum, ita ut jam non habeat Religiosus dominium sui corporis ad usus Matrimonij: ergò jure naturæ est irrita translatio dominij in conjugem per Matrimonium.

Confirmatur.

Et confirmatur: quia hâc ratione est jure naturæ irritum Matrimonium initum à conjugato, vivente priori conjuge: quòd corpus priori conjugi traditum non possit validè alij tradi.

74. *Respondetur, Religiosum habere dominium sui corporis de usus Matr.*

Hoc, inquam, argumentum cum sua confirmatione jam solutum est; quippè negavimus, Religiosum non habere dominium sui corporis ad usus Matrimonij, cùm nemini faciat injuriam, si corpore suo utatur; facit autem injuriam conjugatus comparti suæ, si corpore suo utatur extrà primum conjugium, priori conjuge vivente, ut Omnes debent admittere; quoniam prior conjux, quamdiu vivit, jus justitiæ habet, ad actus conjugales.

Nunquid etiam Superior Religionis? Cur ergò Religiosus non possit dare alteri jus ad illos actus, cùm nulli alteri debiti sint? Et ideò non habet hic locum dicta regula: *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare*: siquidem Religiosus dat corpus suum ad actus conjugales, quod potest de jure, id est, sinè cujusque injuria, donare.

75. *Alia confirmatio Adversariorum.*

Hinc etiam non valet, quod in ulteriorem confirmationem propositi argumenti adducunt Adversarij, dicentes: quàmvis irritatio Matrimonij subsequentis pendeat ex Ecclesia, quasi acceptante votum solemne; at id non obstat, quò minùs, ubi acceptavit, dicendum sit, non

ex jure Ecclesiastico, sed ex ipsa rei natura dissolvi Matrimonium posteà subsequens : ut institutio præbendæ Ecclesiasticæ ex auctoritate Ecclesiæ ortum habet ; at illâ institutione suppositâ, est contrà jus naturale Divinum, illam vendere. Similiter contractus Matrimonij pendet ex alterius conjugis acceptatione ; at ea præmissa, dissolvit vi suâ & jure naturæ alium Matrimonij contractum subsequentem. Et ratio est ; quia auctoritas Ecclesiæ non concurrit, quasi statuentis, dirimi Matrimonium post initum, sed quasi acceptantis : ut in Matrimonio consensus alterius conjugis. Hæc illi.

76. *Reprobatur.* Sed valde allucinantur, ut patet ex jam dictis, & iterùm declaro. In primis per contractum Matrimonij datur & acceptatur jus in solidum ad actus conjugales ; quid ergò mirum si vi suâ dissolvat alium contractum Matrimonij consequentem, per quem idem jus traditur & acceptatur ? Nonne repugnat, rem uni venditam in solidum, & traditam, alteri in solidum vendi, & tradi ?

At verò per vota, quæ fiunt in Religione approbata & acceptantur ab Ecclesia, neque traditur, neque acceptatur jus ad actus conjugales ; imò neque jus justitiæ ad abstinentiam ab illis actibus ; cur ergò nequeat Religiosus validè tradere corpus suum alteri ad tales actus, cum ipse eorum sit Dominus ?

Alia reprobatio exemplo votorum Societatis. Nonne vota simplicia in Societate post biennium emissa, acceptantur ab Ecclesia, & tamen ante D. Constitutionem : *Ascedente Domino*, haud dirimebant Matrimonium subsequens ? Iam autem dirimunt : quâ vi ? quo jure ? Nunquid vi suâ, suppositâ acceptatione Ecclesiæ ? Iam Ecclesia non aliter ea acceptat, quàm anteà acceptabat, & tamen nunc habent eum effectum, quem anteà non habebant, neque modò alterius naturæ sunt, quàm tunc erant ; nam manent vota simplicia.

77. *Evasio.* Planè, inquis ; sed ideò manent simplicia, quia non acceptantur ab Ecclesia pro perpetuò, sed solùm pro beneplacito Superioris.

Præcluditur. Fateor, sed quid tum ? Pono, quòd aliquis donet rem suam, & tradat alteri pro certo tantùm tempore, quo expleto, dominium ad se revertatur ; putas, quòd eamdem rem, pro eodem tempore, possit tertio donare, & tradere ? Donet eam absolutè pro semper, num quia donatarius, qui acceptavit donationem, potest eam redonare, quando sibi placuerit, ideò donans potest eam tertio donare & tradere ? Manifestum est, secundam donationem & traditionem esse invalidam ex natura rei.

78. *Concluditur à simili.* Ergò à simili : quod Ecclesia acceptet mea vota pro perpetuò, vel ad beneplacitum Superioris, nequit facere, ut traditio corporis, quæ fit in Matrimonio sit valida vel invalida ex natura rei. Proinde vota simplicia Societatis hodie dirimunt Matrimonium non ex natura rei, sed ex sola constitutione Ecclesiæ ; & consimiliter vota solemnia, sive professio solemnis in Societate dirimunt Matrimonium non ex natura rei, sed ex sola constitutione Ecclesiæ ; quippè non aliter inter se distinguuntur, quàm ratione perpetuitatis ex parte acceptantis.

Voluit itaque Ecclesia, ut vota, quæ Religione emittuntur, & perpetua sunt, tam ex parte voventis, quàm acceptantis, haberent talem effectum, quem aliàs non habuissent ; eumdemque effectum voluit habere vota simplicia in Societate post biennium emissa.

Quantùm ad simile sup. adductum de institutione Præbendæ Ecclesiasticæ : Respondeo : vendere Præbendam, ab Ecclesia institutam, planè formaliter, quatenùs est jus fructuum, obtingens per officium sacrum, jure divino est illicitum ; non ratione institutionis Ecclesiæ, sed quia non potest vendi officium sacrum ; non solùm post institutionem, sive postquam Ecclesia annexuit ei jus fructuum, sed etiam antè institutionem Ecclesiæ. Sin autem præbenda consideretur materialiter, nempè prò jure ad illos fructus, qui officio per Ecclesiam sunt annexi, sic præbenda vendi, potest absque simonia juris Divini, non obstante institutione Ecclesiæ, & invendibilitas solùm est juris Ecclesiastici. 79. *Respondetur ad simile de institutione præbendæ.*

Ergò consimiliter in casu nostro, cùm antè acceptationem Ecclesiæ vota illa ex natura sua non habeant vim dirimendi Matrimonium, neque post acceptationem habebunt ; sed sicuti ipsa acceptatio est juris Ecclesiastici, ita & dissolutio Matrimonij subsequentis. Quòd autem acceptatio, quæ hîc requiritur, sit juris Ecclesiastici, & non Divini, liquidò constat ex votis simplicibus Jesuitarum, quæ sunt substantialia vota Religionis, per quæ aliquis constituitur verus & propriè dictus Religiosus, estò ab Ecclesia sic non acceptentur, & ideò non sint vota solemnia.

Restat adhuc unum argumentum Adversariorum, desumptum ex decreto Syricij Epist. 1. cap. 6. & refertur cap. *Si quis sacro*, §. *Velatæ*, 27. q. 1. ubi sic ait Pontifex : *Velatæ & Deo consecratæ, si abjecto proposito sanctitatis, clanculò sacrilega se contagione miscuerint & illicitis complexibus publicè & liberè filios procreaverint ; has impudicas detestabilesq; personas à Monasteriorum cætu, Ecclesiarumq; conventibus eliminandas esse, judicatum est, quatenùs retrusæ ergastulis, tantum facimus continuâ lamentatione desleant. Vnde & verbo Domini, & canonicâ auctoritate in hac sancta Synodo præcipimus, ut omninò separentur, & juramento colligentur, ut ulterius non sub uno cohabitent tecto. Non ergo solo jure Ecclesiastico, sed Divino quoque id Matrimonium est irritum.* 80. *Arg. Adversariorum ex Syricio Papa.*

Et confirmatur ; quia Trid. sess. 24. de Matr. can 9. sic ait : *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto &c. anathema sit.* Ubi videtur, lex Ecclesiastica referri ad sacros Ordines, votum verò ad Professionem, quasi ex natura hujus voti sit, ut Matrimonium posteà contractum dirimat. *Confirmatur ex Trid. sess. 24. can. 9.*

Antequam respondeam ad hoc argumentum, operæ pretium duxi hîc transcribere, quod lego apud 81. *Quid de*

apud Pallavicinum Hiſt. Concil. Trid. lib. 23. cap. 9. n. 2. Oſius Legatus miſit poſtridie (propoſitionis Canonum de Matrimonio) ad Synodi ſcribas hujuſmodi ſcriptum: *De Matrimoniis clandeſtinis ſentire ſe id, quod hactenùs Eccleſia ſenſerat, à qua illicita, non irrita, exiſtimata ſunt. Eam igitur novitatem ſibi non placere, adverſantem doctrinæ, quam ad id uſque temporis acceperat ab Eccleſia; nec novam cauſam conſpici. Si aliter viſum fuiſſet Pontifici; cui petebat, ut ea cauſa committeretur, ſuum à ſe judicium ſubjici Pontificis judicio, & quâ par erat obedientiâ, reverentiâ ac ſubmiſſione.*

hoc Can. ſenſerit Oſius Legatus in Concil. ex Pallavicino.

Prætereà: novum Canonem à ſe comprobari, modò intelligeretur ſecundùm Synodi mentem; quæ non fuerat, ut definiretur, legem cœlibatûs eſſe legem Eccleſiaſticam, de quo ne diſputatum quidem fuerat, ſed ſolùm, ut damnaretur error Lutheri cum iiſdem ipſius verbis, quæ erant: Non obſtantibus lege Eccleſiaſticâ & voto.

82. Et n. 3, ita ſcribit idem Auctor: Lotharingo diſplicuit anathema 6. Canonis, ubi dicitur, per ſolemnem Profeſſionem ſolvi Matrimonium non conſummatum. Similiter in nono eidem diſplicuerunt illa verba: *Lege Eccleſiaſtica*; ea tamen comprobavit, ubi majori parti probarentur; ſed ſecundùm veram Concilij mentem. Et hic idem planè adjecit, quod diximus de Oſio; atque in hoc utroque capite complures ejus ſententiam complexi ſunt. Hæc Pallavicinus.

Lotharingo diſplicuit anathema 6. Can. & quid in Can. 9.

83. Ex quibus rectè colliges, intentum Concilij ſolùm fuiſſe, errorem Lutheri damnare, dicentis: Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, & Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, validè & licitè contrahere Matrimonium, non obſtantibus lege Eccleſiaſticâ & voto. An autem lex cœlibatûs foret lex Eccleſiaſtica, aut certè Divina vel naturalis; & an votum ſolemne dirimeret vi ſuâ, an verò ex conſtitutione Eccleſiæ, ne diſputatum quidem fuit, ut patet ex verbis Oſij jamjam adductis. Sufficiebat intento Concilij, quod dirimeret.

Quæ fuerit mens Concilij in d. can. 9.

Igitur ex illo Canone Concilij nil ſequitur contrà Concluſionem noſtram, ut rectè advertit Hiquæus in ſuo Comment. 4. diſt. 38. q. un. n. 38. Reſpondetur (inquit) admittendo, ut ſup. diximus de impedimento Ordinis, eſſe hæc diverſa impedimenta, & extrà controverſiam eſſe inter Theologos, votum ſolemne in Religione, eâ ſolemnitate, quæ nunc eſt in uſu in Eccleſia, maximè poſt Innoc. 2. dirimere Matrimonium; ſed neque ex intento Concilij quidpiam ſequitur ad propoſitum contrà Concluſionem, an ſcilicet votum ſit ſolemne Divino, an humano jure; neque hæc quæſtio faciebat ad intentum ejus contrà hæreticos modernos, quos damnat.

Hic can. non officit Concluſ. noſtræ. Hiquæus.

84. Per particulam ergò illam: *Votum*, intelligit votum ſolemne, de quo ſuperiùs egit, prout nunc eſt in uſu; & licet eadem ſit inhabilitas inducta ab Eccleſia utrobique, quia tamen intuitu Ordinis, annexa eſt Ordini continentia, non jure Divino ſed merè Eccleſiaſtico, ideò dicit impedimentum Ordinis eſſe legis Eccleſiaſticæ; non ita tamen ſe habet continentia reſpectu votarij: quia jure Divino annexa eſt voto, licet non inhabilitet ad contractum, niſi accedat conſtitutio Eccleſiaſtica. Hæc ille ad propoſitam difficultatem ex Concilio.

Quid Concil. intellexerit per ly Votum ex Hiquæo.

Alij dicunt (& ferè coincidit) ideò Concilium legem, & votum poſuiſſe; quia in utroque impedimento intervenit lex Eccleſiæ, & votum; ſed in Ordine votum eſt ex lege, in Profeſſione autem lex ex voto. Deinde, poſuit fortè utrumque, ſcilicet legem, & votum; quia ratione voti tale Matrimonium eſt illicitum, ratione autem legis irritum. Cui hæc non ſatisfaciunt, dicat cum Oſio ſup. ideò poſuiſſe legem, & votum, quia Lutherus utrumque poſuerat. Atque hæc ſatis de mente Concilij.

Alia explicatio.

Rogas quid dicendum ad Syricium Papam? 85. Reſpondent quidam, ut ſup. audivimus ex Pontio, hanc ſeparationem non indicare ſemper nullitatem contractûs in Canonibus antiquis.

Reſp. ad Syricium Papam.

Hiquæus autem ſup. n. 37. Reſpondet: hanc ſeparationem, *verbo Domini* faciendam, intelligi quoad communionem & cœtum aliorum, non verò quoad ipſum contractum; ut patet (inquit) ex cap. *Viduas*, 2. 27. q. 1. quod eſt Gregorij in Epiſt. ad Bonifacium, ubi loquens de Viduis tranſgredientibus votum Profeſſionis: *A nobis*, inquit, *& ab omnibus fidelibus à liminibus Eccleſiæ, & à cœtu fidelium, uſque ad ſatisfactionem, ſunt eliminandæ, & carceribus tradendæ, qualiter juxtà Apoſtolum Paulum, tradentes hujuſmodi hominem Satanæ, ut ſpiritus ejus ſalvus ſit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moyſen loquitur dicens: Auferte malum de medio veſtri* &c. Hoc ergò eſt verbum Domini, ad quod alludit Canon præfatus, quo jubentur à Domino ſeparandi mali de medio fidelium. Ita Hiquæus.

Hiquæus.

Igitur, ut finem imponamus huic controverſiæ, dico iterùm cum Bonifacio 8. ſolemnitatem voti, quantum ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, inventam eſſe ex ſola conſtitutione Eccleſiæ; adeoque Profeſſionem ſolemnem Religionis, ſolo jure Eccleſiaſtico dirimere poſt contractum Matrimonium. Immò quod plus eſt, nec poſſe quempiam propriâ ſuâ voluntate ſive per votum caſtitatis, ſive per traditionem ſui in jus Ordinis fieri incapacem validi Matrimonij; quia ſemper manet Dominus corporis ſui quoad actus conjugales, cum nulli poſſit dare illud dominium, niſi per contractum Matrimonialem. 86.

Reſolutio finalis.

Nemo propriâ voluntate poteſt fieri incapax Matr.

Itaque Profeſſio ſolemnis vel jure Divino poſitivo inhabilitat, quod non, quia nuſpiam tale jus invenitur; vel jure Eccleſiaſtico. Cumque hoc jus ſolius Profeſſionis meminerit, ſoli Profeſſioni hunc effectum tribuimus.

Excipio vota ſimplicia Societatis Ieſu, poſt biennium emiſſa, quibus per Bullam particularem Greg. 13., ut ſup. vidimus, eumdem effectum conceſſit. Potuiſſe autem concedere, patet ex ipſo facto, qui aliàs eſſet gravis error. Et verò Pontifex, veluti ponit & aufert alia impedimenta dirimentia, quid ni pari auctoritate potuerit his votis tale impedimentum annectere? 87.

Vota ſimplicia Societatis dirimunt Matr.

Occurritur objectioni.

Nec obstat: quòd vota illa possint solvi per dimissionem à Religione; quippe tunc unà tollitur impedimentum, quod antè dimissionem erat. Sicuti quando aufertur minor ætas, auferetur simul inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, quæ erat in illa minori ætate. Et consimiliter quando adsunt Parochus & testes, personæ fiunt habiles, quæ sinè illa præsentia erant inhabiles.

88. *Religiosi & Sanctimoniales contrahentes Matr. ipso facto excommunicantur, ex Clem. un. de Consang.*

Illud pro fine hujus Conclus. addiderim: Religiosos & Sanctimoniales Matrimonium contrahentes, seu potiùs dicam, attentantes, & eos qui cum Monialibus contrahunt ipso facto incurrere excommunicationem latam in Clem. unica de Consanguinitate, quæ sic incipit: *Eos qui Divino timore postposito, in suarum periculum animarum scienter in gradibus consanguinitatis & affinitatis, constitutione Canonica interdictis, aut cum Monialibus contrahere Matrimonialiter non verentur, nec non Religiosos & Moniales, ac Clericos in sacris Ordinibus constitutos Matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: Ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere &c.*

89. *Quid si sola sponsalia contrahant.*

Ubi Glossa verb. *Contrahere*, interrogat: *Quid si non contraxit Matrimonium, sed sponsalia tantùm? Arg.* (inquit) *quod ligetur ff. de Sponsal.* Oratio, *ubi prohibitio nuptiarum includit sponsalia. Ad idem de Eo qui duxit in Matrimonium cap.* Cùm haberet, *ubi æquiparantur sponsalia & Matrimonium. Non puto ligari, cùm constitutio sit pœnalis, & verba hoc non importent: quòd verum puto, nisi consummaverit per copulam carnalem; quia tunc ligatur, quasi tunc contraxisse videatur, de Sponsal.* Veniens, *& cap.* Is qui. *Contrarium non obstat: quia licèt fatear, quòd ubi prohibetur Matrimonium, prohibentur sponsalia, non sequitur, quòd contrahenti sponsalia sit eadem pœna, quæ contrahenti Matrimonium.*

Quod hîc dicit Gloss. de sponsalibus, per copulam consummatis, intelligendum est ante Trident. vel ubi Trid. non obligat, aut certè quando copula illa haberetur præsente Perocho & testibus. Patet; quia aliàs non est verus contractus Matrimonij. Adde: quòd copula illa deberet esse maritalis, sive habita animo matrimoniali, & non fornicario.

90. *An sufficiat Matr. non consummatum.*

Sed nunquid sufficit Matrimonium non consummatum? Planè, juxtà Gloss. eod. verbo in principio: *Non punit ergò incestum vel coitum, sed contractum, ut sic contrahens ligetur*, licèt non consummet.

Quid si fœmina contrahat cum Religioso vel Clerico.

Quæro iterùm: quid si fœmina contrahat cum Religioso vel Clerico? Videtur non incurrere hanc excommunicationem, neque directè, neque indirectè: quia nec in illam directè lata est, quia non dicitur: Aut cum Monachis contrahere Matrimonialiter non verentur: sed tantùm: *Aut cum Monialibus* &c. Cùm ergò constitutio sit pœnalis, ut sup. dicebat Gloss. & ly *Monialibus*, non importet ly *Monachis*, non est ad hos extendenda. Unde quando Pontifex voluit etiam Monachos comprehendere, expressit eos dicens: *Nec non Religiosos & Moniales.*

Nec etiam indirectè incurrit censuram, eò quòd in crimine communicet criminoso, seu excommunicato, juxtà cap 55. de Sent. excom.: *Si concubinæ publicæ Clericorum, Ecclesiasticæ censuræ districtione notentur, eosdem concubinarios non est dubium sententia majoris excommunicationis involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminosis.* Siquidem quando contrahit, nondum communicat (inquit Suarez de Censuris disp. 23. sect. 5. n. 22. ubi tenet hanc sententiam) cum excommunicato, quia alter non incurrit, nisi finito contractu.

91. *An saltem indirectè incurrat eam censuram.* *Negat Suarez.*

Nec verò etiam hoc modo incurrit talis fœmina censuram, per usum talis Matrimonij; quia ille usus non est communicatio in crimine formaliter, ut sic dicam, sed materialiter: nam est quidem communicatio cum excommunicato in quodam crimine, non tamen in illo propter quod excommunicatus est; nam ille non excommunicatur propter usum Matrimonij, sed propter contractum. Solùm ergò incurret talis mulier excommunicationem minorem, & ad hoc erit necessarium, ut alter denuntiatus sit, juxtà Extrav. *Ad evitanda.* Ita Suarez.

92. *Esto etiam tali Matr. utatur.* *Ad summum incurret excom. minorem.*

Et Glossa sup. verb. *Et Monialis*, ait: *Quia supra jam nominaverat contrahentem cum Moniali, & hic repetit de Moniali, videtur hic probari, quòd communicans in illo actu, pro quo quis excommunicationem incurrit, excommunicatus non est. De hoc scripsi de Sent. excom.* Contingit, 1. *Posset tamen dici, quod sup. punit scienter contrahentem cum Moniali; hîc verò punit Monialem contrahentem etiam eo casu, quo cum ea contrahens non ligatur: ut quia hoc ignorat.*

93. *Hæc constitutio quoad 1. partem non ligat ignorantes.*

Nam ignorantes non ligat hæc constitutio, saltem quoad priorem partem, ut patet ex illo verbo: *Scienter*, quod ponitur in prima parte, & excludit, secundùm Suarium sup. n. 13., ignorantiam etiam culpabilem, non solùm facti, ut Omnes fatentur, sed etiam juris, ut verior tenet opinio, dummodò non sit affectata.

Probatio.

Primum patet; quia aliàs nihil operaretur verbum illud, *Scienter*; nam ignorantia invincibilis semper excusat à censura. Glossa tamen ibi dicit, requiri ignorantiam probabilem: subjungit verò, affectatam non sufficere: unde videtur sub probabili omnem non affectatam includere: nam aliàs insufficienter numerat ignorantias. Statim verò destruit hunc sensum, & ideò potius sub ignorantia affectata videtur includere omnem culpabilem. Sed impropriâ utitur voce, & falsum etiam dicit, ut ratio facta probat. Hæc ille.

94. *De qua ignorantia hoc intelligatur, juxtà Gloss.*

Describo ego verba Glossæ. *Ignorantes ergò non ligat constitutio, quod intelligo in ignorantia facti probabili & non affectata, scilicet, quia ignorabant se consanguineos vel affines. Si verò ignorabant jus, nescientes gradum, in quo erant, esse prohibitum; ex quo enim sciebant gradum ligat constitutio, de Reg. juris*: Ignorantia, *lib. 6.* ubi sic dicitur: *Ignorantia facti non juris excusat.*

Ratio

Ratio autem hujus Regulæ est; quòd ignorantia facti sæpè sit inculpabilis, ignorantia autem juris plerumque culpabilis. Ergò videtur Gloss. sub ignorantia affectata includere omnem culpabilem. Alioqui malè applicaret illam Regulam; quia ignorantia aliquo modo culpabilis potest hic excusare à censura, licet non excuset à culpa, ut sup. bene dixit Suarius.

95. *Etiam ignorantia juris hic excusat, ex Suarez.* Et ideò cum ipso asserimus, etiam ignorantiam juris hic excusare à censura, quidquid dicat Glossa; tum quia ignorantia juris potest aliquando esse invincibilis seu inculpabilis, ut alibi latiùs diximus; tum etiam; quia, ut jam probatum est, ignorantia culpabilis, dummodò non sit affectata, excusat hic à censura: secùs si fuerit affectata; quia (inquit Suarez sup.) hæc moraliter æquiparatur scientiæ; imò semper includit aliquam cognitionem, saltem dubiam; nam qui vult ignorare, jam intelligit fieri posse (v. g. in materia, in qua versamur) ut interveniat tale impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis &c. & ideò non potest dici simpliciter ignorare, etiamsi id velit. At verò dicitur simpliciter ignorare, qui culpabiliter, non tamen affectatè ignorat factum, vel jus; ita ut falsum sit, tunc hominem operari scienter, quia (inquit Suarez sup. n. 14.) hoc non est intelligendum de operatione materiali tantùm, sed de operatione morali, ut mala vel bona, & hoc modo, qui operatur ex ignorantia juris, non operatur scienter.

Dummodò non sit affectata.

Simpliciter ignorat, qui non affectatè ignorat.

96. *Quid importet ly* Scienter *in lege pœnali.* Præterea (prosequitur idem Auctor) quando lex punit solùm eum, qui scienter facit, requirit dolum & malam fidem in illo, ex l. *Sed etsi*, 25. ff. de Petit. hæred. §. *Scire ad se non pertinere, utrùm is tantummodo videtur, qui factum scit, an & is, qui in jure erravit? Putavit enim rectè factum testamentum, cum inutile erat, vel cum eum alius præcederet adgnatus, sibi potiùs deferri. Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erret.* At verò ignorantia, etiamsi sit vincibilis, & culpabilis, excludit dolum, ut rectè dixit Glossa ultima in l. *Plagij*, 2. Cod. ad Leg. Flaviam de Plagiariis, verb. *Iusta ducti*, ubi ait: *Idem si non justa secundùm Ioan. quia quælibet ignorantia, etiam juris. excusat à dolo.* In hac ergò parte recedimus à D. Gloss. in Clement. un. verb. *Scienter*.

Ignorantia culpabilis non affectata excludit dolum.

97. *Quid si alter solus scienter contraxit? Hic solus excommunicatur in 2. casibus, ex Suarez.* Subscribimus autem ei, quod ibidem docet, dicens: *Si verò alter solus sciebat, ille solus ligatur.* Ita Omnes, teste Suario sup. n. 16. estque hoc manifestum (inquit ille) in duobus casibus, scilicet quando Matrimonium est inter consanguineos, vel affines; quia lex unumquemque horum per se & divisim prohibet, ne contrahat, &, si scienter id faciat, excommunicatione punit.

Occurritur objectioni. Neque obstat pluralis locutio illius legis, ibi: *Matrimonium contrahere non verentur*, quia non ponitur propter duos contrahentes, sed propter omnes, qui hoc modo peccare possunt.

98. *Quid dicendum in 3. casu, pu-* At verò circà tertium casum, advertendum est, ex vi illius prioris partis textûs, non incurrere censuram Monialem, cum qua alius contrahit; quia ibi solùm excommunicantur contrahentes cum Monialibus, in quo contractu non est, ut ita dicam, respectus ejusdem rationis inter contrahentes, sicut est inter consanguineos vel affines; sed est dissimilis rationis; ideoque ex vi excommunicationis latæ in alterum extremorum, non infertur latam esse in aliud; ac præterea in secunda parte textûs addita est excommunicatio in ipsas Moniales contrahentes. *tà de Mônial. contrahente, ex cod.*

Ex vi ergò illius partis, si ille, qui contrahit cum Moniali, ignoranter contrahit, licèt ipsa scienter & dolose contrahat, non incurret; nam requiritur dolus in ipso met, qui hac censura ligandus est. At verò è contrario, si ipse contrahat dolosè, Monialis verò, etiam per ignorantiam juris (facti enim esse non potest) uterque incurret, sæcularis ex vi hujus partis, Monialis verò ex vi posterioris, dummodò non sit ignorantia invincibilis, quòd vix contingere potest. Hactenùs Suarez.

99. *An ignorantia vincibilis eam excuset.* Quæro autem ego: quid si foret ignorantia vincibilis? Censen', quòd Monialis incurreret censuram ex vi posterioris partis? Sed cur hoc? An fortè, quia in ea parte non reperitur ly *Scienter*? Ita videtur existimare Suarez sup. n. 15.

Audiamus Gloss. ibi verb. *Contrahentes*: *Non repetit* (inquit) *scienter*: *quia licet ignoranter posset quis contrahere cum consanguinea, affine vel Monacha; non tamen in Monachum vel Monacham, vel constitutum in Sacris contrahentem cadit ignorantia: facit de Rescript.*, Ab excommunicato, *Cod. de Hæred. instit. l. fin. Puto tamen, quod ubi esset probabilis ignorantia, ut in ordinato ad Sacros in amentia vel dormitione, etiam eo casu, quo character imprimitur, de Bap.* Majores *in fine, vel intra pubertatem, de Cleric. per salt. prom. c. un. non esset locus huic pœnæ.*

100. *Videtur quòd sic.* Ubi Gloss. videtur requirere eam scientiam in posteriori parte, quæ requiritur in priori; nam dicit in utraque parte excusare ignorantiam probabilem. Si ergò, secundùm Suarium, à censura primæ partis excusat etiam ignorantia vincibilis, quidni similiter excuset à censura secundæ partis.

Ly Scienter, *ponitur in 2. part. textûs æquivalenter.* Fateor: non repetitur expressè in secunda parte ly *Scienter*; sed tamen in æquivalenti ponitur, dum contractus Matrimonij vocatur: *Temeritatis audacia*, ibi: *Matrimonia contrahentes refrænare metu pœnæ ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes.* Non est autem temeritatis audacia, ubi non est scientia, sive ubi est ignorantia, etiam culpabilis, dummodò non sit affectata. Et hinc (ut notatur in margine) in vetusto codice manuscripto ita legitur: *Matrimonia contrahentes, & inter eos scienter eadem celebrantes, refrænare* &c.

101. *Dicta constitutio non punit cohabitationem, vel incestum; sed solùm contractum.* *Sed quid* (interrogat eadem Gloss. verb. *Scienter*) *si contraxit ignorans, post tempora scivit, & cohabitavit cum consanguinea?* Respondet: *Videtur ligari; arg.* 1. *q.* 1. Eos, *in fin. de Simon.* Sicut tuis, *Cod. de Incest.* Cum ancillis. *Contrarium credo, cum ista constitutio non puniat cohabitationem, vel incestum, sed contractum.*

Aliam quæstionem proponit Gloss. ibidem dicens: 102.

Quid si falsò credatur consanguinea, vel monialis, cum quâ contrahitur.

dicens : *Quid si contraxi cum illa, quam credebam esse consanguineam, affinem vel Monialem ; sed in veritate non erat ?* Ad hanc quæstionem ibi Glossa non respondet, sed remittit lectorem ad ea quæ dixit cap. *Si verò* 2. de Sent. excom. & cap. *In audientia*, 25. eod.

In primo autem textu verb. *Ignoraverit*, ita scribit : *Quid si in veritate non erat Clericus, licet consuram deferret, & illum percussisti credens illum Clericum ? Propter conscientiam teneris, nisi postea certus efficiaris.* Tunc quippe, depositâ conscientiâ erroneâ, ampliùs non tenetur.

103. *Non incurritur censura, secundùm Glossam.*

Patet ex Gloss. in d. cap. *In audientia*, verb. *Injuriarum*, ibi : *Quid si percussi laicum, credens & volens percutere Clericum, nunquid incidi in Canonem ? Arg. quòd sic, sup. de Bigamis*, Nuper, *& cap. ult. ff. Ad legem Aquiliam* : Scientiam, §. 2. *Arg. contrà ff. Ad Leg. Cornel. de Sicarys l.* 1 §. Divus, *ubi judicatur secundùm quod fit, & non secundùm quod faciens intendit, ff. de Iniur.* Si cum servo. *Sed in veritate non est excommunicatus, licèt de injuria teneatur.*

Quam amplectitur Suarez.

Hanc Glossam amplectitur Suarez sup. n. 17. dicens : Respondetur in illo casu non consummari actum, propter quem fertur censura ; quia ille non contrahit scienter cum consanguinea, sed ignoranter cum putata consanguinea ; & ideò non incurrere censuram in re ipsa. Nam ex conscientia erronea ligabitur, quamdiu in priori errore perstiterit ; statim verò ac intellexerit in re non fuisse tale impedimentum, intelliget etiam, se non esse excommunicatum, neque alia indigebit solutione.

104. *Idem est si exteriùs contrahat sine intentione, ex eod.*

Idemque est (prosequitur præfatus Auctor) si quis exteriùs contrahat Matrimonium, sine intentione contrahendi ; quia ille non est verus contractus, sed fictus ; & ita non est actus consummatus, propter quem fertur censura. Hæc ille.

Objectio.

Quòd si objicias : hæc lex non prohibet verum Matrimonium, quia inter has personas supponit impedimentum dirimens ; ergò prohibet & punit Matrimonium attentatum ; ergò licèt fiat solùm cum voluntate exteriùs & apparenter contrahendi, incurretur hæc censura.

105. *Solvitur à Suario.*

Respondet Suarez sup. n. 19. quòd licèt in re non possit perfici hoc Sacramentum inter tales personas, nihilominùs posse ex parte contrahentium fieri eodem modo, & eadem voluntate, ac si ipsi essent personæ aptæ ad contrahendum, & tunc solùm incurrere hanc censuram. Est accommodatum exemplum de rebaptizante, qui ipso jure irregularis est, oportet tamen ut intentione baptizandi id faciat, quamquam alioqui talis secundus Baptismus verus esse non possit. Hæc ille.

106. *Contraria sententia est probabilis.*

Sed hoc exemplum æque incertum est, ut patet ex dictis 1. Parte hujus Operis disp. 2. Sect. 5. Conclus. 10. n. 109. & sequentibus, ubi de eo disputavimus pro utraque parte. Videantur etiam, quæ dixi de præsenti casu Part. 5. Sect. 7. Conclus. 3. ubi contrariam sententiam dixi probabilem.

Resp. ad fundamentum Suarez.

Unde responderi posset ad fundamentum Suarij ; contractum externum Matrimonij, sine intentione contrahendi, esse actum consummatum, propter quem fertur censura ; quandoquidem animus contrahendi nec augeat malitiam, nec scandalum ; sed neque temeritatem, vel audaciam ; & quòd cum eo animo non sit verus contractus, sed fictus, quia coram Deo & hominibus invalidus ; ut proinde verosimile sit, Ecclesiam in hac constitutione pœnali ad dictum animum internum non respexisse.

107. *Sanchez tenet sententiam Suarij, & probat.*

Interim opinionem Suarij docet etiam Sanchez lib. 7. disp. 48. n. 9. Quia, inquit, dicta Clement. punit affectum ac contrahendi voluntatem cum illis impedimentis, quàmvis ea prava voluntas effectum suum sortiri nequeat, jure dirimenti Matrimonium. Sed hoc est quod quæritur, an puniat affectum alium, quàm exteriùs contrahendi, in quo affectu tota consistit malitia. Hoc ergò manet probandum.

Confirmatur.

Probatur, inquis ; quia contrahens metu viri constantis Matrimonium hoc interdictum, non ligatur hac censura, eò quòd deficiat liber consensus.

108. *Coactio excusare videtur ab hac censura, ex Gloss.*

Ita Gloss. dicta Clement. un. verbo : *Matrimonialiter*, dicens : *Per hanc litteram, & per litteram inf. eod.* Matrimonia contrahentes, *videtur, quòd coactus ad contrahendum, non incurrat hanc pœnam. Et si de absoluta coactione loquimur, hoc est certum, De His quæ vi*, Sacris. *Sed si de conditionali, licèt tali quæ debuerit cadere in constantem virum, videtur ligari per eam decretalem : sed cum non sit Matrimonium deficiente consensu, ita quod non inducit publicam honestatem de Sponsal. cap. un. lib. 6. de æquitate videtur talis non obligari.*

Et Imolà ac Alijs, quos sequitur Sanchez.

Idem docet Imola ibi n. 8. & alij plures, quos sup. citat Sanchez, ex illo antecedente concludens : Ac proinde consensum petunt, ut sit locus huic excommunicationi.

Planè consensum petunt, idque liberum ; sed in actum externum, qui consensus à nullo negatur necessarius ; & quia hic non reperitur, dum ex gravi metu exteriùs contrahitur ; hinc in tali casu contrahens non ligatur hac censura ; & quid mirum, cùm non peccet sic contrahendo, ut patet ex dictis suo loco ? Ergò non ligatur hâc censurâ, qui plenè liberè contrahit exteriùs, sinè animo interno seu voluntate se obligandi : negatur Consequentia.

109. *Non idcò tamen, defectus consensus interni.*

Herculè tali via illuderetur huic censuræ, saltem in foro conscientiæ. Quis namque sciens, hanc sententiam veram esse, vellet contrahere cum animo se obligandi, cum sinè tali animo possit obtinere intentum suum, & evadere dictam censuram ? Dico : *Saltem in foro conscientiæ* ; quia, ut etiam fatetur Suarez sup. in foro Ecclesiæ, ubi de interiori mente non judicatur, ille habendus est & declarandus excommunicatus. An autem mens Ecclesiæ fuerit, pro solo foro externo constituere dictam censuram, relinquo judicio aliorum.

110. *Sanchez putat sufficere defectum consensûs in una parte.*

Ceterùm Sanchez sup. n. 10. putat sufficere defectum consensûs in una parte, ut utraque excusetur à censura ; quia uterque consensus requiritur ad Matrimonium. Quare (inquit) dicen-

eendum est, puniri pravam voluntatem contrahendi, quando adest consensus ex se sufficiens, ut illud sit Matrimonium, nisi aliundè obstaret impedimentum. Quod non evenit altero dissentiente.

Arg. contrà. Sed contrà, dicet aliquis: secundùm Sanchium ibidem n. 11. impuber contrahens Matrimonium hoc interdictum, non subjicitur huic excommunicationi, & tamen ille consensus ex se est sufficiens, ut illud sit Matrimonium, nisi aliundè obstaret impedimentum; quippè disp. 92. n. 2. eod. lib. ipse sic scribit: Quòd si objicias, Matrimonium impuberis irritum esse, cùm tamen sola temporali impotentia laboret. Dic, id esse peculiare in eo casu, quòd jus Ecclesiasticum Matrimonium impuberum irritarit, quàmvis impotentia eorum temporalis sit. Igitur nisi aliundè obstaret impedimentum ætatis ab Ecclesia introductum, Matrimonium impuberum esset verum Matrimonium; ac proindè consensus eorum ex se sufficiens est, quàmvis interpretatione juris solùm constituat sponsalia.

111. *Alia impugnatio.* Deinde: unde constat, quòd debeat adesse consensus ex se sufficiens ex parte utriusque? Quare non incurrit hanc pœnam illa pars quæ adhibuit totum quod potuit?

Responsio. Quia, inquis, hic solùm punitur Matrimonium, quando præcisè invalidum est propter impedimentum consanguinitatis, affinitatis, vel voti solemnis, ita ut esset validum, nisi aliquid istorum impedimentorum obstaret. Unde etiam, secundùm Sanchium sup. n. 8. non est satis ad incurrendam hanc excommunicationem, inire Matrimonium clandestinum, nimirum absque Parocho duplicique teste. Quòd is contractus non habeat hodie formam veri Matrimonij, nec contrahentes faciant quidquid in se est, ut illud ineant.

112. *Contrà arguitur.* Sed contrà: quid si ergò aliquis rapiat suam consanguineam, & cum ea contrahat adhuc existente in sua potestate? Quid si consanguineam polluerat adulterio, cum promissione Matrimonij, aut machinatione in mortem conjugis? Videtur consequenter dicendum, hujusmodi non esse subjectum dictæ excommunicationi, quia non facit quod in se est: nam posset raptam in loco tuto & libero constituere; posset petere dispensationem in impedimento criminis. Hæc maturè expendantur.

113. *Hæc pœna non habet locum nisi in 6. casibus, ex Glossa.* Certum est, hanc pœnam non habere locum, nisi in sex casibus in d. Clement. expressis, ut docet Gloss. ibi verb. *Eos: Scienter contrahens Matrimonium in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, excommunicatus est ipso jure, & publicari debet & vitari: idē in Professo & Professa, vel constituto in Sacris. Et nota, quòd in sex casibus, hîc expressis, tantùm locum habet hæc constitutio, & ejus pœna: unde si contrahat quis cum habente maritum, vel cum Iudæa, vel cum pagana, vel cū cognata spiritualiter, vel legaliter, vel contrà impedimentum publicæ honestatis, licèt non teneant Matrimonia, tamen non est locus pœnæ, quæ in iis casibus vel similibus expressa non est. Item in his sex casibus tunc demum est locus pœnæ, quando illicitè contrahuntur. Si enim licitè, ut ex dispensatione Papæ, tunc cessat culpa, ergò & pœna, de Constit c. 2.*

Rogat hìc aliquis: ecqui Religiosi in d. Clementina? Respondet Gloss. verb. *Religiosos: Scilicet professos tacitè vel expresè Religionem approbatam, de Voto, cap. un. lib. 6. Quod intelligo, etiamsi Professio illa tacita vel expressa non obliget illi Religioni, sed Religioni in genere. Pone exemplum de Regular.* Non solum, *& cap. sequenti lib. 6.*

114. *Qui censeantur hic Religiosi.*

Sed illa exempla hodie non valent; loquuntur quippè de professione facta ante expletum annum novitiatûs, quæ, juxtà Trid. sess. 25. de Regular. c. 15. nullam vim etiam voti simplicis habet. Sed neque ante Trid. talis Professio juxtà Sanchium sup. disp. 25. n. 22. & alios plures, quos citat, habebat vim voti solemnis dirimentis Matrimonium; quòd Professio sit contractus mutuus, quo Religiosus Monasterio, & hoc illi obligatur: cùm nulla igitur Religio ei obligetur, ea Professio, nullius Religionis approbatæ potuit esse, quod ad valorem voti solemnis dirimentis Matrimonium petitur, c. un. de Voto in 6. Jam autem d. Clement. loquitur de Religiosis, qui ratione voti castitatis invalidè contrahunt Matrimonium.

115. *An etiam Clerici Societatis post vota simplicia, ex Sanchez.* Non dico: *Ratione Professionis solemnis*; quia Sanchez sup. disp. 48. n. 17. putat, Religiosos Societatis Iesu, qui simplicia biennij vota emisêre, hac ligari excommunicatione, incundo Matrimonium; quia d. Clement. (inquit ille) veros Religiosos excommunicat. At hi sunt veri Religiosi, nec sunt jam Novitij, ut constat ex Bulla Greg. 13. Unde Glossa & cæteri Doctores explicarunt, quando sunt tacitè vel expresè professi; quia communiter hi soli sunt Religiosi veri. Non tamen excluditur, quin si aliqui sint verè & propriè Religiosi per vota simplicia, comprehendantur sub dicta pœna. Hæc ille.

Quæ hodie saltem vera sunt, quando per illa vota simplicia dirimitur Matrimonium subsequens, quidquid sit de tempore antecedente, quando non erant impedimentum dirimens.

116. *An etiam professi ante expletum annum probationis.* Et si verum est, quod aliqui docent apud Sanchez sup. disp. 25. n. 22. tacitam Professionem ante expletum annum probationis, olim habuisse vim voti solemnis dirimentis Matrimonium; consequenter dicendum foret, hujusmodi professum, contrahentem Matrimonium, subjectum fuisse huic excommunicationi; quia, secundùm illam sententiam, erant verè & propriè Religiosi, secùs secundùm sententiam Sanchij sup. propositam, quæ nobis magìs placet.

Hæc, credo, sufficient pro explicatione dictæ Clement. unicæ, quæ non solùm loquitur de Religiosis, sed etiam de Consanguinibus, affinibus, & Clericis Majorum Ordinum; nam & consanguinitas & affinitas in certis gradibus dirimunt Matrimonium contrahendum, ut infrà suo loco videbimus; uti quoque Ordo sacer, ut jam edissero.

CONCLUSIO. III.

Ordo sacer dirimit Matrimonium jure tantùm Ecclesiastico.

117. *An Ordo sacer sit impedimentum dirimens.*

DE voto seu præcepto continentiæ sacris Ordinibus annexo, diffusè tractavimus Disp. 10. hujus Operis Sect. 5. per totam. Videantur ibi dicta, neque enim operæ prætium est, ea hîc repetere, ubi non est proprius eorum locus, & tantùm quæretur; an Ordo sacer sit impedimentum dirimens Matrimonium post contractum, quod esse posset tametsi non haberet annexum votum continentiæ propriè dictum, expressum vel tacitum nimirum per immediatum præceptum Ecclesiæ inhabilitantis Clericos in sacris Ordinibus constitutos ad Matrimonium contrahendum. An autem factum sit, quod fieri potuit, de hoc præcipuè hîc disputatur.

118. *Esse tale impedimentum definivit Concil. Trid.*

Nemo Catholicè negare potest, Ordinem sacrum esse impedimentum dirimens, id enim Trid. in terminis definivit sess. 24. de Matr. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos .... posse Matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ vel voto .... anathema sit.* Et Bonif. 8. cap. un. de Voto & voti redempt. sic ait: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis* &c.

Idem declaravit Bonif. 8.

Et Ioan. 22.

Itemque Joan. 22. Extrav. *Antiquæ*, de Voto & voti redempt. *Præsenti* (inquit) *declaramus edicto, quòd licet votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantùm ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundùm statuta Canonum sit efficax reputandum* &c.

Ubi Gloss. verb. *Statuta*, ea enumerat, dicens: 31. *dist. c.* Quoniam, *& c.* Aliter, 84. *dist.* Cum in præterito, *& c.* Quorumdam, *extrav. de Clericis conjugatis*, Cùm olim, *de Voto & voti redempt. c. 1. lib. 6. cum multis similibus.* Quis ergò sanæ mentis adhuc potest dubitare, Ordinem sacrum habere hunc effectum, id est, dirimere Matrimonium post contractum?

119. *Quo jure dirimat.*

Interim multi dubitant, quo jure sacer Ordo habeat hunc effectum, Divino naturali, an humano. Audiamus primò Gloss. sup. verb. *Efficax reputandum. Admiranda*, inquit, *res videtur esse ista; cùm enim Sacramentum Matrimonij, à Deo ipso fuerit institutum in statu Innocentiæ ante peccatum: sed post in subsidium fragilitatis humanæ, quomodo voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ inducta, extrav. de Voto c. 1. lib. 6. potest Sacramentum à Deo institutum tollere, vel aliquatenùs impedire? Non videtur, 21. dist. cap.* Inferior, *extrav. de Majorit. & obed. cap.* Cum inferior. *ff. ad Trebel. l.* Ille à quo, §. Tempestivum. *ff. de Arbit. l.* Nam Magistratus.

Arg. quòd non jure Ecclesiastico, ex Glossa.

Et quod Dominus prohibet dicens: Quos Deus conjunxit, homo non separet, *omninò fieri non licet, 28. q. 1. c.* Jam nunc, *& per multa jura & rationes, quæ ad idem possunt allegari.*

Et ecce argumentum contrà Conclus. nostram, quæ hunc effectum adscribit soli Ecclesiastico juri. Sed non propter hoc ab eo recedendum.

120. *Satisfit argumento, ex eadem Glossa.*

Attendite responsionem Glossæ: *Ad hoc*, inquit, *breviter potest dici, quòd istud sit per constitutionem Ecclesiæ conditam per Vicarium Christi, & sic non per purum hominem, ex potestate clavium*: Quodcumque solveris: Quodcumque ligaveris &c. *ut in Evangelio Matthæi 16. cap. & 24. q. 1.* Quodcumque, *ex quibus magna attributa est eidem potestas, etiam circa Sacramenta. Unde talis dissolutio vel impedimentum Matrimonij non inducitur à puro homine, sed à Deo ipso, suo Vicario auctoritatem faciendi talia committente*: Omnia enim nostra facimus *&c. Cod. de Vete. jur. enucl. l. 1. §.* Sed neque, *vers.* Omnia enim, *extrav. de Præbend. c.* Si Apostolicæ, *lib. 6.* Hactenùs Gloss.

Ubi satis manifestè docet nostram Conclusionem, scilicet Ordinem sacrum habere hunc effectum immediatè à Pontifice, mediante potestate sibi à Christo concessâ, & ita mediatè à Christo, non autem immediatè. Estque hoc argumentum commune omnibus impedimentis solo jure Ecclesiastico dirimentibus, de quo alibi latiùs egimus.

121. *Sententia Scoti.*

Rogas, quid de hac re sentiat Scotus? ait 4. dist. 37. q. un. n. 2. *Hic est conclusio certa: dicitur enim, quòd non licet contrahere; quia persona suscipiens sacrum Ordinem, efficitur illegitima simpliciter ad contrahendum Matrimonium: & hoc vel per Ecclesiam, vel immediatè à Christo, licèt hoc non legatur in Scriptura. Sed secundum non videtur probabile; quia in primitiva Ecclesia non tenebatur; nisi fortè dicas, quòd nunquam licuit post susceptionem sacri Ordinis contrahere Matrimonium, licèt liceret aliquando uti Matrimonio jam contracto, sicut nunc apud Græcos.* Hæc Scotus.

122. *An ratio hujus impedimenti, sit votum: Arguitur ex Scoto quòd non, sive sit votum propriè dictum.*

Et illicò interrogat: *Sed quæ ratio hujus illegitimationis? Videtur* (inquit) *Aliquibus, quòd propter votum annexum sacro Ordini.*

Sed contrà: (prosequitur n. 3.) *aut votum illud est sic annexum, quòd suscipiens vovet: aut est tantùm ex præcepto Ecclesiæ quasi annexum, quia tenetur ita servare, ac si voveret. Primò non; quia nullus vovens vovet nolitum: sed iste suscipiens Ordinem sacrum, explicitè habet in voluntate non continere: igitur possibile est, quòd ipse non vovet continentiam.*

Si dicas quòd vovet in facto, quod facit in suscipiendo Ordinem sacrum; quia antiqui Patres Latini voverunt, & iste susciepit simile signum. Contrà: Nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maximè si habet votum contrarium. Præterea: Orientales suscipiunt idem signum, & tamen sinè voluntate castitatis.

123. *Sive tan-*

Si secundo modo; igitur contrahens simpliciter contrahit. Probatur extrav. de Matr. contr. cont. interd.

Quòd obligatio castitatis ex præcepto Ecclesiæ.

interd. Ecclesiæ cap. *Ex litteris*: Licèt contrà interdictum Ecclesiæ transire ad secunda vota non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob hoc Sacramentum, conjugij dissolvatur: aliqua tamen Pœnitentia debet eis imponi, quia contrà prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt. *Igitur si votum continentiæ est annexum Ordini sacro solùm ex præcepto Ecclesiæ: sequitur quòd non simpliciter illegitimat ad contrahendum: universaliter enim in Iure statutum prohibens hoc fieri non illegitimat; sed oportet, quòd contineat talem sententiam, quod si contractum fuerit, dirimatur, vel si copulati fuerint, non sunt aliqualiter tolerandi.* Hucusque Doctor Subtilis.

Ubi rejicit modum dicendi Aliquorum, scilicet ideò Ordinem illegitimare simpliciter ad Matrimonium, quia habet annexum votum castitatis; rejicit, inquam, quia potest ibi non esse votum tale, sed oppositum ei. Et si dicas, esse ei annexum ex præcepto Ecclesiæ, non sufficit; quia contrà id factum teneret, nisi inhabilitaverit personam simul, aut declaraverit nullitatem Matrimonij.

124. *Confirmatur arg. Scoti, ex Hiquæo.*

Confirmatur hæc ratio Doctoris (inquit Hiquæus in suo Comment. ad illum locum n. 7.) quia licèt continentia fuerit adjuncta Ordini sacro, in principio, saltem in Ecclesia Latina, & etiam in Græca (modo promotus non præmitteret primùm potestationem, se non observaturum continentiam) Matrimonium superinductum non erat irritum Iure Ecclesiastico aut Canonum: ergò non ex voto continentiæ adjuncto Ordini sacro fit impedimentum dirimens.

125. *Adducitur ad hoc propositum can. 10. Concil. Ancyrani.*

Antecedens probatur ex Can. 10. Concilij Ancyrani, in quo Diacono ineunti Matrimonium, & aliàs ex vi Ordinis obligato ad continentiam, imponitur pœna depositionis ab Ordine tantùm, & non inducitur separatio. *Quicumque sanè tacuerunt* (inquit Concil.) *& susceperunt manùs impositionem professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio vel clero cessare debebunt.* Et in eodem can. permittitur ei Communio laica, ibi: *Laicam tantùm recipientes Communionem.*

126. *Item Can. 4. Concil. Aurel. 3.*

Similiter Aurelianense 3. depositionem perpetuam indicit talibus, concedit tamen communionem, Can. 4. sequentis tenoris: *Clerici verò, qui cum uxores non habuerint, benedictione susceptâ, conjugia crediderunt eligenda, qui volentes absque ulla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus, quas acceperunt, excommunicatione percellantur. Quod si invitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, sed non à communione pellatur.*

Tolet. l. c. 4.

Toletanum 1. cap. 4. sic ait: *Subdiaconus autem defunctâ uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur & habeatur inter Ostiarios vel Lectores, ita ut Evangelium & Epistolam non legat, propterea ne qui Ecclesiæ servierit, publicis officiis servire videatur. Qui verò tertiam (quod nec dicendum est) acceperit, abstentus biennio, postea inter Laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.*

Accedat Can. 8. Concil. Aurel. 2. *Si quis Diaconus in captivitate redactus, uxori fuerit copulatus, reversus ab officij omnino ministerio removendus est. Cui sufficere debet pro actûs sui levitate, impletâ pœnitentiâ, pro satisfactione Communio.* 127. *Et Can. 8. Aurel. 2.*

Tempore horum Concil. Ordo non fuit impedimentum dirimens juxta Hiquæum.

Ex his Canonibus (inquit Hiquæus sup. n. 8.) in quibus vel datur Communio laica, vel permittitur in inferiori Ordine ministerium, cui Ordini non est conjuncta continentia, videtur sequi intentum, quòd simpliciter ex præcepto Ecclesiæ pro statu illorum temporum, non fuerit Ordo impedimentum dirimens Matrimonium: ergò rectè sequitur, quòd non ex præcepto Ecclesiæ, quo præscripsit continentiam in sacris Ordinibus, habeat Ordo, ut sit impedimentum dirimens.

128. *Ex quo habeat, quòd hodie sit tale impedimentum, ex Scoto.*

Rogas: ex quo ergò habeat, quòd sit impedimentum dirimens? Respondet Doct. Subtilis sup. n. 4. *Dico igitur, quòd nec propter votum continentiæ propriè dictum annexum Ordini sacro; nec annexum ex præcepto Ecclesiæ præcipienti tali non contrahere, est, quod iste non potest contrahere: sed ex hoc, quòd Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam. Quod statutum fuit rationabile, sive habitum fuerit a Christo, sive non; quia talis deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis & carnis, perspicacitatem intellectûs, & fervorem affectûs, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia carnalis actûs.*

Occurritur objectioni.

Nec in hoc debet aliquis dicere, Ecclesiam sibi præjudicare in suo jure: quia Ecclesia communiter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri, & satis publicavit, quia post talem Ordinem susceptum, suscipiens est inhabilis ad contrahendum: ergò voluntariè incurrit talem inhabilitatem. Hucusque Scotus.

129. *Solo jure Ecclesiastico dirimit.*

In quibus verbis apertissimè docet nostram Conclusionem, scilicet Ordinem sacrum dirimere Matrimonium solo jure Ecclesiastico; non illo, quo annectitur Ordinibus sacris votum continentiæ, aut initiatis Ordinibus sacris præcipitur continentia; quia, ut ostensum est alibi, votum simplex continentiæ non est impedimentum dirimens, sed neque simplex præceptum continentiæ, ut patet ex jam dictis: quo ergò jure?

Quod sit illud jus.

Illo utique, quo votum continentiæ factum est solemne, sive quo præcipitur continentia, non simpliciter, sed simul inhabilitando personam, & irritando Matrimonium post contractum: veluti inhabilitatur persona ad contrahendum Matrimonium sinè Parocho & testibus, & irritatur Matrimonium sic contractum; idemque cernitur in aliis impedimentis dirimentibus solo jure Ecclesiastico.

130. *Ab hac sententia non est alienus D. Bonav.*

Neque ab hac sententia, sic explicata, alienus est Doct. Seraphicus, qui 4. dist. 37. a. 1. q. 2. in corp. hæc scribit: *Resp. dicendum, quòd absque dubio, sicut sacri Canones dicunt, sacer Ordo impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit jam contractum. Verumtamen quantùm ad modum dicendi sive intelligendi,*

inter Auctores diversos diversitas opinionum resultat. Quidam enim dicunt, quòd Ordo Sacer impedit Matrimonium propter votum annexum, ad quod obligatur, qui suscipit Ordinem sacrum: sed quoniam in susceptione Ordinis non videtur voti emissio, aut si est emissio, hæc est quantùm ad factum, quamvis non sit quantùm ad verbum; sed non videtur tunc differre ab impedimento voti, quod falsum est; quia apùs Græcos non est votum continentiæ, quia illi Sacerdotes licite utuntur uxoribus, & tamen nullus potuit, nec potest in sacris Ordinibus constitutus contrahere, sicut ex Synodo 7. habetur, quæ celebrata fuit apud eos, in quo se huic statuto subjecerunt, præter votum continentiæ.

131. *Ostenditur ex ejus verbis.* *Ideò aliorum est opinio, quod Ordo præstat impedimentum ratione statuti Ecclesiastici, quod ligat Clericos suscipientes Ordines ad nunquam contrahendum. Sed quoniam auctoritates Canonum inveniuntur, quæ utrumque sonare videntur, ùt quod in susceptione Ordinis est solemnizatio voti. Ideo dicendum est meliùs, quòd etsi apud Græcos non impediat, hoc est ratione statuti: & sic non impedivit, ut dicunt quidam, à tempore Apostolorum, tamen apud Latinos impedivit, & ratione statuti, & ratione voti. Sicut enim Ordo Monachorum, & habitus continentiam habet annexam per illum, qui habitum instituit, & regulam edidit Monachalem; ideo qui profitetur, & suscipit habitum, dicitur emittere votum consequenter: sic Ordo apud Latinos ex Ecclesiastica constitutione habet inseparabiliter continentiam annexam: & ideò qui illum suscipit, spontaneè se obligat; ita quod illa obligatio procedit ex statuto pariter & ex voto: & sic patet quòd impedit, & qualiter impedit.* Hactenùs S. Bovav. quem Sanchez lib. 7. disp. 28. n. 11. citat pro sententia Scoti.

132. *Occurritur cuidam difficultati.* Nec obstat, quòd dicat: Ordinem impedire etiam ratione voti, & obligationem annexam procedere etiam ex voto, in quo videtur recedere à Scoto, qui negat obligationem illam procedere ex voto. Non obstat, inquam; quia loquitur Scotus non de simplici obligatione ad continentiam, quæ indubiè procedit à voto, si suscipiens Ordines sacros reverà voveat, aut certè ex præcepto Ecclesiæ, si nolit vovere; sed loquitur de obligatione dirimente Matrimonium consequens, quam negat procedere præcisè ex voto propriè dicto, annexo sacro Ordini, prout etiam negat D. Bonav. quasi ex jure naturali & Divino dirimeret illum contractum; & uterque requirit statutum Ecclesiæ, quo inseparabiliter annectitur Ordini sacro continentia, non solùm impediens usum Matrimonij jam contracti, sed etiam impediens & dirimens contrahendum. Si plus velit Doct. Seraphicus, recedimus ab eo.

133. *Videtur quòd perpetùm.* Dices: plus videtur velle, quia ait: *In susceptione Ordinis est solemnizatio voti.* Sed votum solemne Professionis, juxtà S. Bonav. ut vidimus Conclus. præced. jure naturali & Divino dirimit Matrimonium; ergò etiam votum solemne Ordinis. *Probatur.* Consequentia: quia etiam in Ordine sacro est traditio, sicut in Professione. Unde cap. un. de Voto in 6. Ecclesia votum Ordinis admittit ut solemne, & æquiparat illud voto solemni Professionis.

Quòd si dicas; expressè non appellari solemne simpliciter, sed quoad effectum dirimendi Matrimonium. Cùm eodem modo loquatur textus de voto solemni Professionis, idem de eo dicendum erit, atque ita concludetur, aut in neutro, aut in utroque voto esse veram traditionem.

134. *Confirmatur Primò.* Et confirmatur: quia non est ratio cogens, cur negemus eam traditionem in Ordine, quam concedimus in Professione Religionis; licèt non quoad omnia, ad quæ se tradit Religiosus; quia promotus ad Ordines non vovet pauperta-tem; at quoad castitatem servandam, quam uterque solemniter vovet: cùm uterque status sit fixus & immobilis omninò, ita ut contrà gesta sint prorsùs irrita.

Secundò. Secundò: quia ordinatus se dedicat Divino obsequio ad castitatem servandam, & mutat statum: at Episcopus nomine Ecclesiæ acceptat. Et si dicas: nullam esse formam traditionis, nec acceptationis: obstat; quia idem contingit in Professione tacita, votum autem hoc solemne est tacitum.

135. *Tertiò.* Tertiò: quia Greg. 13. Bullâ quæ incipit: *Ascendente Domino*, appellat vota, quæ Religiosi Societatis Iesu emittunt, finito novitiatûs biennio, simplicia; cum tamen per illa statuat dirimi subsequens Matrimonium. Non igitur sufficeret per votum sacro Ordini annexum dirimi sequens Matrimonium, ut appellari deberet solemne, si in eo traditio non esset. Et confirmatur: quia cum de voti solemnis essentia sit perfecta traditio, si in hoc voto traditio perfecta non reperiatur, neutiquam erit solemne, quod est contrà d. cap. un. Ita argumentantur quidam apud Sanchez sup. disp. 27. n. 16.

136. *Hæc arg. non impugnant nostram sententiam.* Sed hæc argumenta non impugnant, multò minùs expugnant eos, qui negant, sicut nos negavimus cum Scoto Concl. præcedenti, solemnitatem, ratione cujus Professio dirimit Matrimonium post contractum, consistere in illa traditione. Interim quia D. Bonav. id admittit, videamus, quomodo responderi possit ad proposita argumenta.

Respond. ad 1. ex Sanchez. putà votum Ord. sacri non esse per se & simpliciter solemne. Sanchez sup. n. 17. Doctores, inquit, dicentes, essentiam voti solemnis consistere in ea traditione, per quam dominium corporum transfertur jure naturæ, dicerent, id votum (putà annexum Ordini sacro) non esse simpliciter per se solemne; quia non reperitur in eo perfecta traditio, quâ transferatur dominium corporis in Deum; sed esse per se votum simplex castitatis, dici autem per accidens & extrinsecè solemne, quòd habeat effectum potissimum ex Ecclesiastica constitutione annexum voto solemni, qui est subsequens Matrimonium dirimere.

137. *Hic modus loquendi probatur à similis.* Nec hic loquendi modus alienus est à vero loquendi modo, quo universi Theologi loquuntur. Nam omnes illi eam vim Sacramentis, saltem Pœnitentiæ & Baptismi, tribuunt, ut ex attrito efficiant contritum, cùm tamen substantia doloris & objectum eadem perseverent, &

dolor

dolor ille, qui ante susceptum Sacramentum erat propter pœnas inferni, non transit in dolorem propter Deum, ac proinde per se & essentialiter dolor ille prior est attritionis: appellatur verò per accidens & extrinsecè dolor contritionis, quòd virtute Sacramenti eumdem habeat effectum, qui competit contritioni absque actuali Sacramenti receptione, cum solo proposito recipiendi, qui est restituere peccatorem ad gratiam.

138. *In quo æquiparetur votum Ordinis voto Professionis.* Sic ergò votum illud annexum Ordini sacro est per se & essentialiter simplex; at dicitur solemne extrinsecè, & per accidens, quia habet eumdem effectum voti solemnis. Et ideò cautè cap. un. de Voto in 6. non appellatur solemne absolutè & simpliciter; sed quoad effectum dirimendi Matrimonium, & quoad hoc æquiparatur voto Professionis: & sicut non obstante eâ æquiparatione, est differentia in modo dirimendi, quòd votum solemne dirimat ex natura sua & jure naturali, at votum Ordinis solâ constitutione Ecclesiæ, ita est differentia in modo, quo utrumque est solemne.

In quo differant.

Sed dices: eam differentiam non colligi ex eo textu. Id fatebuntur Doctores hujus sententiæ, sicut neque colligitur discrimen modi irritandi; at colligitur ex ratione, & Auctorum doctrina. Ita Sanchez.

139. *Discrimen colligitur ex ratione, & quæ illa.* Sed quæ illa ratio? Status Ordinis sacri (inquit ibidem hic Auctor) non habet suaptè naturâ castitatem adjunctam, sed ex solo Ecclesiæ statuto; nec promotus ad Ordines sacros suaptè naturâ renuntiat nuptiis, nec moritur sæculo, quasi ad aliam se transferens vitam, & ita non est, cur dicamus, illum alienationem sui facere: sed tantùm ob ministerij sacri decentiam adjungit Ecclesia votum castitatis, statuens, ut per illud, instar voti solemnis, dirimeretur Matrimonium subsequens. Quæ omnia secùs se habent in statu Religionis, qui continet suaptè naturâ castitatem, & est perfecta mors spiritualis.

In susceptione Ord. non est vera & perfecta traditio. Dicunt itaque hi Doctores, in susceptione Ordinis sacri non esse veram & perfectam traditionem, per quam transferatur dominium corporis in Deum ad castitatem servandam, ut in Religionis Professione: sed aliqualem tantùm, & non ad castitatem, sed ad ministeria Divini cultus; ac per accidens adjungi votum illud castitatis. Erit proinde id votum simplex ex natura sua & per se: at extrinsecè ac per accidens solemne, quòd voti solemnis effectum habeat.

140. *Resp. ad Bullam Greg. 13.* Quid ergò, inquis, ad ultimum argumentum sup. adductum ex Bulla Greg. 13.? Ad illud non respondet Sanchez, sed tacens pertransit. Dico ego, salvo meliori, votum castitatis, emissum post biennium novitiatûs in Societate Iesu, hoc sensu esse solemne; vocari autem à Pontifice simplex, quia agit ibi de Voto solemni Ptofessionis, quod non tantùm solemne dicitur propter hunc effectum; sed etiam propter effectum dirimendi Matrimonium ratum, & perpetuitatem tam ex parte voventis, quàm acceptantis vota; jam autem votum castitatis, post biennium novitatûs emissum in Societate, nec habet perpetuitatem ex parte acceptantis, nec effectum dirimendi Matrimonium ratum; & ideò meritò appellatur simplex, ut distinguitur contrà solemne Professionis.

141. *Disparitas inter votum simplex societatis, & votum solemne Ordinis.* Posset etiam dari disparitas inter hoc votum simplex, & solemne sacri Ordinis; quòd unum ab acceptante possit relaxari, putà votum simplex Societatis, alterum non, scilicet votum solemne sacri Ordinis; quod non ab Episcopo, qui tamen illud acceptat aut quasi acceptat; sed à solo Pontifice potest dispensari, aut ab eo cui Pontifex specialem communicaverit potestatem. Et rarissimè dispensatur, saltem in voto Ordinis sacerdotalis; cùm tamen sæpissimè relaxetur votum Societatis.

Hæc dicta sint in defensionem sententiæ D. Bonav. qui licet admittat Professionem solemnem jure Divino naturali propter adjunctam perfectam traditionem dirimere Matrimonium post contractum; negat tamen votum solemne Ordinis eo jure habere hunc effectum, sed præter votum requirit statutum Ecclesiæ.

142. *D. Tho. requirit statutum Ecclesiæ ad impedimentum Ordinis.* Uti etiam Doct. Ang. 4. dist. 37. q. 1. a. 1. in corp. *Resp. dicendum, quòd Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia, quòd Matrimonium impedire debeat; quia in sacris Ordinibus constituti, sacra vasa & Sacramenta tractant, & ideò decens est, ut munditiam corporalem per continentiam servent: sed quòd impediat Matrimonium ex constitutione Ecclesiæ. Habet tamen aliter apud Latinos, quam apud Græcos; quia apud Græcos impedit Matrimonium contrahendum solùm ex vi Ordinis, sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulteriùs ex voto continentiæ, quod est Ordinibus sacris annexum, quod etiamsi quis verbotenùs non emittat, ex hoc ipso quòd Ordinem suscipit, secundùm ritum Occidentalis Ecclesiæ, intelligitur emisisse: & ideò apud Græcos, & alios Orientales, sacer Ordo impedit Matrimonium contrahendum, non tamen Matrimonij priùs contracti usum. Possunt enim Matrimonio priùs contracto uti, quamvis non possint Matrimonium de novo contrahere: sed apud occidentalem Ecclesiam impedit Matrimonium, & Matrimonij usum.* Ita D. Thom.

143. *Explicantur verba Doct. Angel.* Ubi per *Vim Ordinis*, intelligit constitutionem Ecclesiæ, per quam non solùm impeditur, sed etiam dirimitur Matrimonium contrahendum; non solùm in Ecclesia Latina, sed etiam Græca: per *Votum* autem *continentiæ*, votum perfectæ castitatis, quo in Ecclesia Latina impeditur etiam usus Matrimonij anteà contracti, aut posteà contrahendi; ita ut tametsi posset validè Matrimonium contrahi, sublatâ scilicet lege irritante per ejus Legislatorem, adhuc sinè peccato non posset quis eo Matrimonio uti, petendo debitum, nisi & in voto simul dispensaretur.

Neque id negat Scotus, ex hypothesi, quòd votum emissum fuerit, sive verbo, sive facto; sed videtur Scotus negare illam hypothesim in casu, quo aliquis absolutè nollet vovere; qui tamen obligaretur, non tantùm non contrahere Matrimonium, sed etiam abstinere ab usu Matrimonij ante contracti; non ratione vo-

ti, sed præcepti Ecclesiastici.

144. *In quo conveniant D. Tho. D. Bonav. & Scotus, & in quo discrepent.* In eo igitur conveniunt hi tres DD. Angelicus, Seraphicus, & Subtilis, quòd ad impedimentum Ordinis requirant constitutionem Ecclesiæ; in hoc autem videntur discrepare, quòd DD. Angelicus & Seraphicus doceant sacro Ordini in Ecclesia Latina esse annexum votum perfectæ continentiæ propriè dictum expressum vel tacitum; Doctor verò Subtilis, vel votum, vel saltem præceptum Ecclesiæ, de qua controversia suo loco diffusè disputavimus.

Pontius citat D. Tho. & Scotum pro diversis sententijs Undè Pontius lib. 7. c. 27. Doct. Subtilem & Angelicum allegat pro diversis sententiis in præsenti controversia. Sic enim scribit n. 6. Secunda aliorum sententia est, Ordinem secundùm se spectatum, etiam non adjuncto voto, impedire & dirimere Matrimonium; ex Ecclesiæ tamen statuto, quod sacris initiatos Matrimonio interdixit primò, deindè inhabiles reddidit ad Matrimonium. Quam sententiam ex Theologis non pauci secuti sunt, Scotus in 4. dist. 37. q. un &c.

145. *Fundamenta Scoti.* Qui omnes Auctores duobus præcipuè nituntur fundamentis. Primum est; quia aliàs non essent duo impedimenta votum & Ordo, sed unum tantùm, si Ordo ratione voti impediret & dirimeret. Secundum est; quia aliàs qui non haberet animum vovendi & se obligandi voto in Ordinis sacri susceptione, non teneretur ad continentiam servandam ut si quis parvulus ordinaretur ante rationis usum, ordinatus esset, & conjugia post attentata nulla: & tamen non ille teneretur voti obligatione. Hæc ille de sententia Scoti.

Pontius ait, veriorem esse sententiam D. Tho. Verior tamen (prosequitur n. 7.) mihi videtur tertia aliorum sententia, quæ docet, Ordinem ex adjuncto voto castitatis habere, quòd impediat Matrimonium; dirimere autem ex eo, quòd illi voto castitatis adjuncta est ea solemnitas, quæ inhabiles redderet ad Matrimonium sacris initiatos. Est expressa sententia D. Tho. 4. dist. 37. q. 1. a. 1. &c.

146. *Fundamentum ejus.* Unicum mihi pro hac sententia fundamentum est; quia ab exordio nascentis Ecclesiæ, qui ordinabantur, emittebant castitatis votum, & ideò illis prohibita conjugia, & accessus ad uxores anteà ductas. Quare votum illis Ordinibus adjunctum, impediebat primò; solemnitas autem addita posteà, quâ votum in Ordinibus sacris emittentes, inhabiles redditi sunt ad Matrimonia ineunda, ut dixit Bonif. in cap. un. de Voto in 6. Hæc ille.

Incertum est. Sed hoc fundamentum mihi valde incertum est, si intelligatur de voto castitatis propriè dicto, de quo loquitur Scotus; & puto, quòd neque hodie, qui ordinantur emittant tale votum, nisi in casu particulari, prout videre poteris Disp. 10. Sect. 5. Concluſ. 5. Quid ergò? Dico: eos ab exordio Ecclesiæ obligatos fuisse & hodie obligatos esse in Ecclesia Latina ad perfectam castitatem, immediatè ex præcepto Ecclesiæ. Propter hoc ergò fundamentum nolo recedere à sententia Scoti, quidquid sit de mente D. Thomæ & D. Bonav.

147. *Resp. Pontij ad 1. arg. Scoti.* Cæterùm ad 1. argumentum pro sententia Scoti, Respondet Pontius sup. n. 8. dubitari non posse, hæc duo impedimenta nihil aliud esse, quàm duo vota solemnia, quæ ratione subjectorum distiguuntur; scilicet, quia in Ordinis & habitûs susceptione emittuntur. Id quod apertè docuit Bonif. in D. cap. un. de Voto. Unde idem est dicere: votum solemnizatum per Ordinis sacri susceptionem, vel Professionem certæ Regulæ, dirimere Matrimonium, ac dicere: Ordinem & Religionis Professionem dirimere. Sic ille.

Planè idem est; & hoc dictum verum est, sive continentia sit annexa Ordini sacro immediatè ex voto propriè dicto, sive immediatè ex præcepto Ecclesiæ: unde d. cap. un. de Voto nullatenùs opponitur doctrinæ Scoti.

148. *Resp. ad 2.* Sed audiamus, quid Pontius respondeat ad 2. argumentum. Dicimus, inquit, idem argumentum fieri posse de eo, qui emittit Professionem in Regula approbata, si verbis tantùm proferat, sinè animo tamen se obligandi. Dicimus ergò, sicut hic fictè professus lege Ecclesiasticâ cogitur ad servandam Professionem, cum Ecclesia de intentionis secreto non judicet, & ab Ecclesia etiam propter eamdem rationem judicatur inhabilis ad conjugia; & prætereà ille fictè professus lege Divinâ obligatur ad votum eliciendum, quo se conformet externo signo, & quamdiu id differt, est in lethali peccato: idem prorsùs dicendum esse de eo, qui sinè animo servandi castitatem, ordinaretur; imò & suspensum ab Ordine dicit Rebellus 2. part. de Oblig. justitiæ lib. 3. q. 12. n. 9. cum aliis Doctoribus. Ita Basilius.

149. *Expenditur ab auctore.* Ast quæro ego: fictè professus, si non servet Professionem, censesne eum peccare contrà Professionem? Quid si contrahat Matrimonium, putasne Matrimonium contractum non valere in foro conscientiæ? Nequaquam, inquis. Sed quare? Quia reverà non emisit Professionem, sive quia Professio ejus fuit invalida; jam autem ex actione nulla, ut nulla est, sive sit nulla jurè naturæ, ut in casu proposito, sive jure positivo, v. g. quando Professio fit ante annum 16. expletum, nullus sequitur effectus; quia esse nullum, est destitutum esse virtute ad causandum effectum.

Professio invalida nullum habet effectum. Hinc Trid. sess. 25. de Regul. c. 15. *Professio*, inquit, *antea* (id est ante expletum annum 16. vel annum probationis) *facta sit nulla, nullamq; inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observantiam, aut ad alios quoscumque effectus.* Quidni idem dicendum de Professione invalida jure naturæ, v. g. defectu consensûs? Non video, quid obstet. Concil. Trid.

150 *Ecclesia potest fictè professum cogere ad observantiam.* Estò igitur Ecclesia possit fictè professum cogere ad observandam Professionem; equidem non tenetur professus obedire vi istius legis, quæ utique fundatur in præsumptione veri consensûs, quo deficiente, deficit lex illa Ecclesiastica, non solùm negativè in casu particulari, sed etiam contrariè; quia eo ipso quòd cessat præsumptio, deficit ratio justitiæ in tali actu, & ita

ita ceſſat intrinſecus finis ſeu honeſtas ipſius legis: quippè obſervantia ejus redundat in graviſſimum onus & incommodum talis perſonæ, ſinè ullo juſto titulo.

151. *Quid operetur mala fides ſeu dolus, ex Suarez.*

Siquidem, ut notat Suarez to. 3. de Relig. lib. 7. c. 2. n. 9. ex mala fide, aut dolo, ſolùm poteſt ſequi vel obligatio ad pœnam, vel ad aliquam reſtitutionem propter injuriam vel nocumentum illatum; neutro autem modo ſequi poteſt obligatio ad Profeſſionem: nam quod ad pœnam attinet, neque aliquis ad illam obligatur priuſquam condemnetur; præcipuè quando non eſt ipſo jure impoſita, nec ratificatio Profeſſionis poteſt in pœnam imponi. Quin potiùs, ſi in judicio Eccleſiaſtico conſtet de tali fraude, & de nullitate Profeſſionis, perſona quidem aliàs punietur, libera tamen relinquetur à jugo Religionis.

An ſcitè profeſſus obligetur verè profiteri.

Quod verò ſpectat ad reſtitutionem, regulariter non poteſt eſſe tanti momenti in hoc negotio, quin poſſit aliâ viâ fieri; quia per ſe nullum grave nocumentum inde ſequitur Religioni; unde ad ſummum tenebitur reſtituere alimenta, vel alias expenſas, quæ ob eam cauſam à Religione factæ ſunt, niſi ejus obſequia æquivalerent.

Hæc autem reſtitutio aliter fieri poterit, vel ſi fortaſsè non poſſit, non eſt tanti momenti ut propter eam cogendus ſit aliquis Religionem profiteri. Hæc ille.

152. *Communis ſententia negat obligationem per ſe.*

Eſtque ſententia ſatis communis, intellecta de obligatione per ſe reſultante ex ficta Profeſſione, aut coactione Eccleſiæ. Nam per accidens fieri poteſt, ut quis teneatur, etiam ante ſententiam Eccleſiæ, Profeſſionem fictam ratificare. Vide Suarium ſup. quia res non eſt hujus loci.

Per accidens poteſt obligari.

Vellem ergò ſcire à Pontio, quæ ſit illa lex Divina, quæ obligat fictè profeſſum; ad votum eliciendum, quo ſe conformet externo ſigno, & ratione cujus, quamdiu differt votum, eſt in lethali peccato. Certè nullam ego video, præter legem ſcandali & juſtitiæ; nam ceſſante ſcandalo poteſt Religionem deſerere, & ad ſæculum reverti; adeoque jam ampliùs non eſt ſignum externum, quo ſe conformare debeat. Certum autem eſt, poſſe ſcandalum ceſſare. Sin autem velit in Religione permanere, & vivere de bonis Monaſterij, exercere actùs profeſſorum, & gaudere privilegiis Religionis procul dubio tenetur ad votum eliciendum, ſinè quo nullum jus habet ad prædicta.

153. *Qui ſinè animo ſe obligandi ad continentiam ſuſcepit ſacrum Ord. equidem obligatur.*

Sed nunquid idem dicendum de eo, qui ſinè animo ſervandi caſtitatem, aut meliùs, ſinè animo ſe obligandi ad obſervantiam caſtitatis ordinaretur? Conſtat apud Omnes, cum non ſolùm in foro Eccleſiæ ſeu externo; ſed etiam in foro interno ſeu conſcientiæ ita obligari ad perpetuam continentiam, ut poſt contractum Matrimonium non ſolùm ſit illicitum, ſed etiam invalidum.

Probatio.

Ratio plana eſt: quia talis Ordinatio valet; validæ porrò Ordinationi annexa eſt ſive ex voto, ſive ex præcepto Eccleſiæ, perpetua continentia, niſi obſtet defectus ætatis, aut libertatis, ſecundùm Multorum opinionem, quam alibi ſecuti fuimus, & adhuc ſequimur. Igitur non valet hìc argumentum à Profeſſione ficta, ad ſuſceptionem ſacri Ordinis ſine animo vovendi caſtitatem. Quippè ſicut dictum eſt, profeſſio ficta nulla eſt; ſuſceptio autem ſacri Ordinis ſinè animo vovendi caſtitatem, valet; & ideò hæc ſuſceptio eſt impedimentum dirimens, ſecùs illa Profeſſio.

156. *A quo tempore Ordo fuerit impedimentum dirimens.*

Si autem à me quæritur; à quo tempore ſuſceptio Ordinis ſacri fuerit impedimentum dirimens; & an unquam permiſſum fuerit ſacris Ordinibus initiatis Matrimonium contrahere? Reſpondeo 1. obligatio continentiæ annexa fuit Ordinibus ſacris jure Eccleſiaſtico à temporibus Apoſtolorum, tam in Eccleſia Græca, quàm Latina, ut patet ex dictis Diſp. 10. hujus Operis Sect. 5. Concluſ. 2. & 3.

Verùm hæc obligatio, quia juris erat Eccleſiaſtici, procedente tempore potuit per contrariam conſuetudinem, aut legem abrogari. Et verò abrogatam fuiſſe in Eccleſia Orientali, quantùm ad uſum Matrimonij anteà contracti, luculenter probavimus d. Concluſ. 3.

157. *Aliquando Matr. fuit validum & licitum. ex Concil. Ancyrano.*

Imò etiam aliquo tempore licitum fuiſſe contrahere Matrimonium poſt Ordinationem, ſaltem in aliqua Provincia Eccleſiæ Orientalis, ſi non per totum Orientem, ibidem oſtendimus ex Concil. Ancyrano inter Græcos celebrato, ſub Sylveſtro 1. vel paulò antè can. 9. aliàs 10. ſequentis tenoris juxtà 1. tranſlationem: *Diaconi quicumq; ordinantur, ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt & dixerunt velle ſe conjugio copulari* (ſecunda tranſlatio habet: *velle ſe habere uxores* Et 3. *oportere ſe uxores ducere*) *quia ſic manere non poſſunt, hi ſi poſtmodum uxores duxerint* (alia tranſlatio habet: *Si ad nuptias venerint*) *in miniſterio maneant, propterea quòd eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicumq; ſanè tacuerint & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſteà nuptiis obligati ſunt* (alia tranſlatio habet: *Si poſteà ad nuptias venerint*) *à miniſterio ceſſare debebunt.*

158. *Expoſitio textûs per Gloſſam.*

Ubi Gloſſa in propoſitione ſeu expoſitione caſûs ſic ait: *Statutum fuit in Synodo Ancyrana, quòd ſi aliqui in Diaconos ordinentur, & dicant, ſe nolle, vel non poſſe continere, & Epiſcopus nihilominùs ordinat eos, ſi poſteà contraxerint, ab uxore ſeparabuntur, ſed in miniſterio remanebunt; quia videtur, quòd Epiſcopus eis licentiam dederit; ſi verò in Ordinatione ſua tacuerint, videntur continentiam profiteri, & ideò ſi poſteà contraxerint, officio & beneficio privabuntur.*

Expenditur.

Nota illa verba: *Ab uxore ſeparabuntur*, quæ non habentur in textu. Et verò non video, quare debuiſſent ſeparari, cùm illa ſeparatio ſit pœna, quæ non ſolet infligi ſine culpa; hìc autem nulla erat culpa, & aliundè illo tempore non erat Diaconis prohibita cohabitatio, aut copula cum propria uxore.

159. *Objectio ſolvitur.*

Si dixeris: erat cauſa ſufficiens ſeparationis, nimirum reverentia Divini cultûs. Reſpondeo: illa reverentia non erat cauſa ſufficiens ſeparandi Diaconum ab uxore habita ante Ordinationem;

ergò

ergò nec separandi ab uxore, accepta post Ordinationem, pro illo tempore, quo illæ nuptiæ erant licitæ. Imò in casu, quo erant illicitæ, quando scilicet Diaconi professi fuerant continentiam, ut dicitur in posteriori parte dicti textûs, adhuc non separabantur, sed solùm à ministerio cessare debebant; alia enim pœna ibi illis non imponitur.

160. *Alius Canon ad idem.* Unde colligunt quidam, isthæc Matrimonia, quàmvis illicita, tamen fuisse valida; alioquin necessariò debuissent separari. Confirmant ex simili constitutione Martini Papæ, quæ refertur Can. 1. dist. 27. *Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo Matrimonio, & dixerit, non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in Ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea Matrimonium desideraverit, alienus sit à ministerio, & vacet à Clero.*

Marchinus. Et infrà (inquit Marchinus de Ordine tract. 2. part. 6. diff. 3. n. 2.) *Si verò Diaconus à ministerio cessare voluerit, contracto Matrimonio licitè potest uti* &c. Sed hoc infrà, non sunt verba Pontificis. Cujus ergò? Gratiani.

161. *Tertius Canon.* Idem (prosequitur Marchinus) non obscurè deducitur ex cap. *De Syracusanæ*, ab Adversariis malè intellecto, ubi in fine hæc habentur: *Orientalis Ecclesia non suscipit generale votum castitatis; hoc tamen diligenti observatione custodit, ut post adeptum Sacerdotium, defuncta priori uxore, cum qua Sacerdos factus fuerat, si aliam, deponatur* Ita Marchinus.

Sed tu Lector adverte, neque hæc verba esse Pontificis Pelagij, qui est auctor istius cap. (quod est 13. dist. 28.) & si interrogas: cujus ergò sunt? Respondeo iterùm: Gratiani, quod miror Auctorem illum non advertisse. Hoc ergò animadverso, audiamus, quid ex his testimoniis deducat Marchinus.

162. *Primum corollarium deductum à Marchino ex his can.* Ex his tribus testimoniis (inquit n. 3.) rectè pensatis tria corollaria deduco. Primum est in susceptione Diaconatûs apud Græcos, datam fuisse ordinando optionem, an vellet continentiam profiteri, non quoad usum thori cum uxore, quam habebat; hoc enim illi jam permittebatur, sed quoad facultatem ducendi novam uxorem, si eâ carebat, vel obiisset: si ordinandus protestabatur, legi continentiæ nullo modo se velle subjicere, vel repellebatur ab Ordine, vel si de licentia Episcopi initiabatur, licebat ei impunè uxorem ducere, & usum thori possidere. Colligitur id ex primo testimonio ibi: *Diaconi quicumque.* Hæc ille.

Secundum. Secundum Corollarium est: si initiandus tacens legi continentiæ consentiebat, non poterat impunè novum conjugium inire post Ordinationem; consequenter illicitè nubebat, & puniebatur pœnâ depositionis ab officio. Colligitur ex omnibus tribus testimoniis, ex primo ibi: *Quicumque sanè tacuerint.* Ex secundo ibi: *Quod si in Ordinatione.* Ex tertio ibi: *Deponatur.* Ita Marchinus. Et collectio bona est, excepto quod ly *Deponatur*, non sit Pontificis, sed Gratiani, ut sup. dixi.

163. *Tertium.* Tertium corollarium est: Matrimonia contracta post Ordinationem, & continentiæ professionem, fuisse prohibita & illicita, non tamen nulla & irrita. Id probo: tum, quia sola apponitur pœna depositionis & cessationis à ministerio; at nullum est verbum irritans. Tum, quia in secundo testimonio dicitur: *Si Diaconus à ministerio cessare voluerit contracto Matrimonio licitè uti potest.* At si Mattimonium fuisset nullum, vel ratione voti solemnis, vel ex Ecclesiastica Constitutione, ut in Ecclesia Latina factum est, non potuissent contrahentes licitè Matrimonio frui, cùm clarum sit, ex Matrimonio nullo fornicationem sequi. Hæc ille.

164. *Marchinus non rectè pensavit 2. can.* Sed reverà non rectè pensavit secundum testimonium: nam D. verba, ut sup. notavi, non sunt verba Martini Ponficis, sed Gratiani, & ideò minorem habent auctoritatem. Quidquid sit de hoc, prima probatio ex primo testimonio videtur sufficiens.

Sententia Sanchez, nunquam Ordinatis licuisse inire Matr. ex diversis juribus. Unde & hanc sententiam ante Marchinum, inter alios docet Pontius lib. 7. cap. 23. n. 6. contrà Sanchez sup. disp. 28. n. 3. ibi: Verius est, nunquam licuisse in Ecclesia, sive Latina, sive Græca sacro Ordine præditis Matrimonium inire. Nam. cap. *Si quis eorum* 7. dist. 32. ex 6. Synodo Generali c. 6. dicitur de Ecclesia Græca sic: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc antè Ordinem Subdiaconatus faciat.* Et de Ecclesia Latina hoc certum est ex cap. *Sunt quidam*, & cap. *Presbyteris*, 27. q. 1. & cap. *Decernimus*, dist. 28. & cap. *Lectores* dist. 32.

165. *Item ex can. 27. Apost.* Id etiam constat: quia ab initio nascentis Ecclesiæ id prohibitum fuit, ut constat ex Can. 27. Apost. ibi: *Qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed Lectores & Cantores tantummodò.* Et inter alios novissimè id probat Azor. lib. 13. Inst. moral. cap. 12. q. 3. Et semper apud Græcos fuit irritum Matrimonium, contractum post Ordinem sacrum, ut bene probat Azor. eod. cap. 12. q. 5. Azor.

166. *An apud Græcos Matr. post Ordines sit validum.* Unde deducitur: Græcum sacris Ordinibus post conjugium initiatum, non posse validè, uxore mortuâ, ad alias nuptias transire. Quod irritum sit etiam apud illos Matrimonium, initum post sacros Ordines. Sic Azor. lib. 13. Inst. Moral. c. 14. q. 7. Hactenùs Sanchez.

Equidem, si de hoc tempore agitur, admittimus, sacro Ordine præditis illicitum esse Matrimonium inire, ut patet ex Can. 6. Concil. Trullani: *Decernimus, ut deinceps Hypodiacono, Diacono, Presbytero, post Ordinationem suam contrahere non liceat*; & nihil aliud probat D. cap. *Si quis eorum*, quod ex eodem Concil. sive 6. Synodo Generali desumptum est.

167. *Affirmat Arcudius, teste Aversa.* Si tamen contrahant (inquit Aversa de Ord. q. 4. Sect. 5. §. *Non satis*) eorum conjugia, quàmvis illicita, esse adhuc valida, censet Arcudius in Concord. lib. 7. c. 42. donec à Romana Ecclesia in futurum etiam pro Græcis statuantur invalida. Hæc ille.

Idem videtur sensisse Erasmus. Et Azor. sup. cap. 12. q. 3. sic ait: Erasmus scripsit, hodiernis temporibus Sacerdotes & Episcopos post susceptos Ordines uxores ducere; quam

quam ſententiam, cum temerariam eſſe dixiſſet Pariſienſis Academia, reſpondit Eraſmus, ſe, cum Venetiis commoraretur, id à Græcis accepiſſe, qui ibi degebant. Sic ille. Adeoque etiam hodie tale Matrimonium non ſolùm validum, ſed etiam licitum foret, non obſtante 6. Synodo generali, cujus Decretum contrariâ conſuetudine potuit aboleri.

168. *Imò licitum eſſe colligunt Aliqui ex c. 14. diſt. 31.* Id colligunt Aliqui ex cap. 14. diſt. 31. *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter hujus S. Romanæ Eccleſiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi atque Subdiaconi Matrimonio copulantur: iſtius autem Eccleſiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdotum, a Subdiacono uſque ad Epiſcopum, licentiam habet conjugium ſortiendi.*

Reſp. Azorij. Reſpondet Azor ſup. cum Gloſſ. communi conſenſu receptâ, illud: *Matrimonio copulantur*, idem eſſe, ac ſi diceretur, nuptiis ante contractis utuntur. Nec eſt (inquit) quòd Cajetanus hanc Gloſſ. ut ridiculam rejiciat: jus enim Canonicum non rarò hoc, quod eſt Matrimonio copulari, ſumit pro eo, quod eſt conjugali copula uti: ea enim carnis commixtio appellatur Matrimonij conjunctio. Unde in cap. *Quoniam*, eâd. diſt. dicitur: *Non ſuis copulentur uxoribus.* Nec abſimili loquendi modo utitur jus in cap. *Noſſe*, in prædicta diſt. & in cap. *Agathoſa*, & cap. *Priuſquam*, 27. q. 2. Sic ille.

169. *Impugnatur 1.* Sed aliud eſt, copulari uxoribus, aliud, Matrimonio copulari; ſi diceret jus: Matrimonio copulâtur uxoribus ſuis, non abſimilis foret modus loquendi; nunc verò ſolùm dicit: *Matrimonio copulantur.*

Secundò. Preterea cap. *Noſſe*, in prædicta diſt. non reperitur, ſed 30. q. 1. & ex ſubjecta materia ſatis conſtat, debere intelligi de commixtione conjugali: *Noſſe deſideras* (inquit Nicol. Papa) *utrùm mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de ſacro fonte levaverit, poſtmodum poſſit cum eodem viro copulari.*

Similiter ſeipſum explicat cap. *Agathoſa*, ſic dicens: *Quia poſtquam copulatione conjugij viri atque mulieris unum corpus efficitur* &c. Ubi poſtrema verba manifeſtè indicant, priora verba intelligenda eſſe de copula carnali. Utì etiam quod dicitur cap. *Priuſquam*, patet ex contextu, intelgendum eſſe de copula conjugali; nam ait: *Priuſquam convenirent* &c.

170. *Tertiò arguitur ex Cajet.* Quantum ad dictam Gloſſam Cajetanus to. 1. Opuſc. tract. 27. dicit eam non admittendam eſſe: quoniam, inquit, manifeſtè ſeries textûs de contractu Matrimonij loquitur; ut confirmat etiam adverſativa ſubjuncta, ſcilicet: Quòd Occidentales non ſortiuntur conjugia.

Quidquid ſit de hac controverſia, an ſcilicet d. cap. *Aliter*, intelligi poſſit & debeat de contractu Matrimonij, ſaltem d. cap. *Diaconi quicumque*, deſumptum ex Concilio Ancyrano, videtur planè de ipſo contractu intelligendum, & non de ſola copula conjugali, ut expendimus Diſp. 10. Sect. 5. Concluſ. 3. n. 62. & nobiſcum tenet Averſa ſup. §. *Magis facit*, ubi ſic ſcribit.

171. *Concil. Ancyrano celebrato aliquantum ante ipſum Nicæ-* Magis facit, quod in Concilio quodam Ancyrano celebrato aliquantum ante ipſum Nicænum, & refertur cap. *Diaconi*, diſt. 28. ſic ſtatutum eſt: *Diaconi quicumque* &c. vide ſup. Et hoc Concilium poſteà approbatum fuit à Leone 4. ut habetur cap. *De libello*, diſt. 20. Et quàmvis aliqui voluerint dicere, Concilium non per hoc id approbaſſe, ſed tantùm permiſiſſe, ſicut quoque permittuntur alia peccata; aut ſolùm voluiſſe, tales Diaconos debere ab uxoribus ſeparari, & ſic in miniſterio permanere, id planè eſt præter verba Concilij: Et quàmvis etiam Aliqui ea verba exponere conati ſint de ſolo uſu conjugij ante Ordinationem contracti: tamen verba magìs indicant conceſſionem contrahendi etiam conjugij poſt Ordinationem. Hæc ille.

Cyranum loquitur de contractu, & non de ſola copula. Averſa.

172. *Qui explicant de copula.* Rogas qui ſint iſti, qui ita conantur exponere dicta verba? Audi Sanchium ſup. n. 7. Ad quintum, & confirmationem, dic cum Majori 4. diſt. 24. q. 2. in ſolutione ad 2. & Azor d. cap. 12. q. 2. & 4. ibi ſermonem eſſe de more Eccleſiæ Græcæ, & de uxoribus ante Diaconatum ductis, & ideò dici: *Si cùm ordinantur dixerint, velle ſe uxores habere*, id eſt, retinentes anteà ductas velle ſe Matrimonio uti, & cum poſteà dicit: *Si poſteà ad nuptias venerint*, id eſt, ſi nuptiis anteà contractis uti voluerint. Vel dic cum Archidiac. Domin. Turrecrem. eo cap. *Diaconi*, & Azorio proximè citato, intelligi: *Si ad nuptias venerint*, id eſt, ſi contraxerint, non de jure, ſed de facto, tunc ſeparentur ab illis uxoribus, quas duxerunt, eò quòd Matrimonium non valeat, & ſeparati ab uxoribus permaneant in miniſterio, nec à Clero ejiciantur; quòd Epiſcopus licentiam dederit. Ita Sanchez.

173. *Aliqui putant, hunc Can. Concil. Ancyrani abrogatum eſſe.* Azor. Addit Azor. ſup. d. q. 2. Vel certè is Canon abrogatus eſt per Can. 6. Concilij 6. Generalis, ut ait Balſamon. Atque hæc eſt optima expoſitio, quam libenter amplectimur: nec enim contendimus, adhuc licitum eſſe Græcis poſt Ordinationem contrahere Matrimonium; ſed aliquando licitum fuiſſe contrahere Diaconis, qui in ſua Ordinatione proteſtati fuerant, velle ſe conjugio copulari. Nunquid etiam Sacerdotibus?

174. *Affirmat Pontius, etiam Sacerdotibus Græcis fuiſſe licitum contrahere Matr.* Affirmat Pontius lib. 7. c. 23. n. 15. dicens: Si Græci nollent in ſuſceptione Ordinum profiteri continentiam, licuit non uxoratis uxores ducere impunè poſt Ordinationem: uxoratis autem licuit ſuis uxoribus anteà ductis copulari, abſque ſupplicio & pœna. Duæ ſunt hujus aſſerti partes. Prima non uſquequaque certa, neque communi ſenſu recepta. At ea videtur mihi manifeſtè colligi ex Can. 10. Ancyrano, ibi: *Si poſtmodum uxores duxerint.* Quid clarius? Nec enim hæc verba de uſu Matrimonij anteà contracti explicari poſſunt. Sublata autem fuit ea licentia nubendi poſt Ordinationem apud Græcos Can. 6. Trullano. Quo ſanè indicatur uſque ad illa tempora licuiſſe Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris.

Secùs Epiſcopis, ex d. can. 10. Ancyrano. Et infrà eod cap. n. 24. His omnibus, inquit, adjiciendum eſt, contrahere Matrimonium poſt Ordinationem ſolùm inter Græcos permiſſum Subdiaconis, Diaconis atque Presbyteris; Epiſcopis verò nequaquam. Idque colligi ex d. Can. 10. Ancyrano adjuncto Can. 6. Trullano. Ita Pontius. Sed

175. *Objicitur.* Sed contrà est; quòd in d. Can. 10. nulla fiat mentio Presbyterorum, & ideò Disp. 10. Sect. 5. Concluf. 3. n. 62. cum Aversa sup. dixi, d. Can. non fuisse extensum ad Sacerdotes; sed solùm spectasse ad Diaconos & Subdiaconos.

Aversa.

Resp. Pontij. Respondet Pontius sup. n. 9. Fit hoc loco mentio Diaconi, non Presbyteri; quia sicut apud Latinos nunc in Subdiaconatûs susceptione fit professio continentiæ, ita apud Græcos fiebat in Diaconatu.

176. *Ratio quare Episcopi non potuerint contrahere.* Interrogas Pontium: cur ergò negas, etiam Episcopis id fuisse permissum? Quia, dicit, in Can. 6. Trullano non nominantur Episcopi, sed soli Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri: *Decernimus, ut deinceps penitus Hypodiacono, Diacono, Presbytero post Ordinationem suam contrahere non liceat.* Ergò ante hunc Canonem licebat contrahere Hypodiacono, Diacono & Presbytero, non autem Episcopo; alioquì adhuc liceret Episcopo contrahere, cùm nuspiam licentia prior revocetur, sicut in d. Can. revocatur licentia Subdiaconi, Diaconi & Presbyteri.

Objectio. Sed contrà: in eod. Concil. can. 12. jubetur omninò, Antistites, postquam sunt ordinati, à propriis uxoribus secedere; ergò multò magìs prohibetur de novo contrahere.

177. *Quare fiat mentio Presbyteri in Can. 6. Trullano.* Quòd autem in Can 6. expressa fiat mentio Presbyteri, non ideò factum est, quasi anteà licuisset ei contrahere; sed ne daretur occasio cogitandi, quòd deinceps ei liceret, si simul cum Subdiacono & Diacono non exprimeretur. Unde ly *Deinceps*, satis verificatur in Subdiacono & Diacono.

Cur ergò Ordo sacerdotalis longè dignior sit, & per consequens majorem requirat sanctitatem & munditiam cordis & corporis, potuit Ecclesia velle permittere seu concedere Diacono contractum Matrimonij post Ordinationem, estò eum negaret Presbytero: irrationabile autem videretur, eum concedere Diacono, & negare Subdiacono, qui est inferioris gradûs seu dignitatis.

Objectio. Sed contrà, dicet aliquis: ergò etiam non fuit necesse, Presbyterum exprimere in Can. 6. quia irrationabile fuisset, id concedere Presbytero, & negare Subdiacono & Diacono. Respondeo: non fuisse omninò necessarium; factum tamen fuit majoris claritatis gratiâ.

Solutio.

178. *Expenditur quædam doctrina Pontij.* Cæterùm, quod Pontius sup. dicebat: *Sicut apud Latinos nunc in Subdiaconatûs susceptione fit Professio continentiæ, ita apud Græcos fiebat in Diaconatu*, ut verum foret, quid tum? Num ideò non debuit fieri mentio Presbyteri in D. cap. *Diaconi*? Potuit Ecclesia concedere Diacono licentiam contrahendi post Ordinationem, & eam negare Presbytero, estò protestatus fuisset in Ordinatione Diaconatûs, se nolle continere, sed velle uxorem ducere, eò quòd sit magìs indecens, Presbyterum contrahere Matrimonium, & contracto uti, quàm Diaconum: cùm ergò non expresserit Presbyterum, non videtur, nisi majus succurrat fundamentum, ad eum hæc constitutio extendenda.

Atque hæc satis de Ecclesia Græca, in qua licèt admitteremus cum Sanchio, Azorio, & aliis, semper fuisse illicitum Matrimonium post susceptionem Ordinis sacri; haud equidem inde sequitur, semper fuisse irritum; quippè multa Matrimonia, etiam hodie, sunt illicita, ut patet ex antedictis, quæ tamen sunt valida.

179. *Azor. docet Matr. post Ordinationem apud Græcos etiam invalidum fuisse.* Interim etiam fuisse invalida, tenet Azorius sup. q. 5. dicens: Id probat Sylvester ex cap. *Si quis eorum*, dist. 32. cap. *Nicæna*, dist 31. cap. *Cùm in præterito*, dist. 84. Alij probant ex Can. 27. Apost. Sed certè hi Canones solùm prohibent, ne Clerici post sacros Ordines nuptias contrahant; at expressè non statuunt, Matrimonium contractum à Clerico post sacrum Ordinem irritum esse & inane.

180. *Qualiter ejus apud Græcos interpretetur præditos Can.* Quidquid sit, prædictos Canones usus & mos apud Græcos servatus, interpretatur, sic Clericos post sacros Ordines à contrahendis nuptiis prohiberi, quòd si contraxerint, esse eos ab uxoribus, quas duxerint, penitùs separandos. Matrimonium igitur post sacros Ordines initum, etiam apud Græcos, non valet Ecclesiasticâ Constitutione: ut ait Gloss. in cap. *Si se cuiquam*, ad finem dist. 28. & Rosella verb. *Impedimentum*, n. 11. ubi citat Direct. & Gloss. in c. *Diaconi*, dist. 28. & colligi videtur ex can. 6. Concil. 6. Generalis. Hactenùs Azorius.

181. *Matr. non valet post sacros Ord. apud Græcos Ecclesiasticâ constitutione, ex diversis Glossis, quas sequitur Azor.* Prima Glossa sic ait: *Sed videtur, quòd sola constitutio Ecclesiæ hoc Matrimonium dirimat, non scientia, vel votum: quod ex eo patet, quòd Græcus non promittit continentiam, dum recipit sacros Ordines, ut 31. dist.* Quoniam, *tamen si contraxerit post sacros Ordines, non tenet Matrimonium: hoc ergò non facit votum, sed sola constitutio Ecclesiæ.*

Alia Gloss. verb. *Diaconi*, inquit: *In Orientali Ecclesia, & in Occidentali, licitè contrahitur in minoribus Ordinibus; sed constituti in superiori Ordine, nec apud nos, nec apud Græcos possunt contrahere, nec poterant tempore Apostolorum, & si contrahant, non est Matrimonium; & hoc patet ex 6. Synodo, quæ in Oriente fuit celebrata, & regulam statuit eis.*

182. *Ius non est satis clarum.* Et quæ putas illa regula? Non alia sanè, quam Can. 6. sequentis tenonis: *Decernimus, ut deinceps penitus Hypodiacono, Diacono, Presbytero post Ordinationem suam contrahere non liceat.* Ubi tamen expressè non statuitur, Matrimonium contractum irritum esse & inane, nisi dixeris, ly *Penitùs*, esse particulam irritantem, de quo alibi disputavimus.

Utut sit de verbis d. Canonis, & aliorum jurium, ut lex actum, quem prohibet, etiam irritare censeatur, sufficit, secundùm Omnes, ut eo sensu sit usu recepta. An autem lex, quæ prohibet Græcis post Ordinationem Matrimonium contrahere, eo sensu sit usu recepta, affirmat Azor, ut audivimus, negare videntur Erasmus & Arcudius superiùs allegati.

183. *Incertum est, quo tempore cœperit Ordo esse impedim. id dirimens.* Hoc firmissimè teneas; incertum omninò esse, quo præcisè tempore sacer Ordo cœperit Matrimonium dirimere, etiam in Ecclesia Latina: tum, quia nulla est certa ratio, nec jus,

id probabiliter inſinuans; tum, quia hoc impedimentum conſuetudine magis & traditione introductum eſt, quàm lege ſcriptâ; non poteſt autem certò conſtare, quando cœperit introduci.

184. *Pontius exiſtimat à tempore Innoc. 2.* Pontius ſup. cap. 27. n. 2. dicit, ſe primis mille annis nullam legem Eccleſiaſticam univerſaliter receptam invenire, quæ irrita redderet huſjuſmodi Matrimonia, poſt Ordinationem contracta, quàmvis ſic contrahentes punirentur, uſque ad Innocentium 2. in Concil. Later. (& habetur cap. *Vt lex*, 27. q. 1.) cap. 7. ſequentis tenoris: *Ad hæc prædeceſſorum noſtrorum Greg. 7. Vrbani & Paſchalis Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, præcipimus, ut nullus Miſſas eorum audiat, quos uxores vel concubinas habere cognoverint. Vt autem lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis, & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus, quatenùs Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici & Monachi atque Converſi profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, quam contrà Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, Matrimonium non eſſe cenſemus. Qui etiam ab invicem ſeparati pro tantis exceſſibus condignam pœnitentiam agant.*

Eſtò priùs Matr. prohibuerit. Et quàmvis (proſequitur Pontius ſup.) innumeri Canones reperiantur apud Gratianum à diſt. 27. & ſequentibus, quibus initiatorum conjugia prohibeantur, in nullo cenſentur irrita uſque ad Innoc. 2. in d. cap. *Vt lex*. Et quamvis in nonnullis Canonibus ſeparari præcipiantur: attamen ex eo verbo non ſatis colligi nullum eſſe Matrimonium, dixi in præcedentibus. Hæc ille.

185. *Contrà Pontium adducitur ſtatutum Calixti 2.* Planè dixiſti: ſed nunquid bene? Videat Lector, quæ de ea re diximus Diſp. Præced. Sect. fin. Concluſ. 9. Non lubet nobis hìc ea repetere, quia parùm utilia ad hodiernam praxim. Tantùm addam ſtatutum Calixti 2. qui aliquot annis præceſſit Innoc. 2. & habetur diſt. 27. c. 8. *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere ſeu Matrimonia contrahere, penitùs interdicimus: contracta quòque Matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi, & perſonas ad Pœnitentiam redigi debere juxtà ſacrorum Canonum diffinitiones judicamus.*

186. *Quod Gloſſ. intelligit de imped. dirimente.* Ubi Gloſſ. verb. *disjungi*, 1. *Non enim*, inquit, *debet diſſimulatione culpabili nefanda ſententia corroborari, Cod. de Inceſtis. nupt. l. ult. in fine.* Et verb. *Disjungi*, 2. ait: *Quoad carnis copulam; quia quod non eſt, non poteſt diſſolvi, neque accuſari, extrà de Deſp. impub.* Ad diſſolvendum. *Sed dicit lex, quòd Matrimonium non dicitur diſſolvi, quod ab initio nullum fuit, ut in Auth. de Nupt. §. Si verò ab initio.* Igitur ſecundùm hanc Gloſſam Matrimonium Presbyteri, Diaconi &c. tempore Calixti ab initio erat nullum.

Et nota, quod d. cap. ſubjungunt Correctores Decreti, *Hic Canon*, inquiunt, *inventus eſt in Cod. Vatic. Biblioth. in fragmento cujuſdam Concilij ab Vrb. 2. habiti, c. 2.* Anteceſſit autem Urb. 2. Innoc. 2. plus quàm per 40. annos.

187. *Poſt Innoc. 2. hanc veritatem declaravit Alex. 3.* Cæterùm poſt Innoc. 2. hanc veritatem apertiſſimis verbis declaravit Alex. 3. in Append. Concil. Later. ſub ipſo celebrati parte 18. cap. 6. in fine: *Illi verò qui in Subdiaconatu & ſup. ad Matrimonium convolaverunt, poſſunt & debent mulieres invitas & renitentes relinquere: nec hujuſmodi conjunctio Matrimonium, ſed contubernium eſt potiùs nuncupandum.*

Facilibus ex cauſis fuit permiſſum Matr. Subdiaconis, ex Pontio. Notat autem Pontius ſup. n. 5. facilibus ex cauſis fuiſſe permiſſum nubere Subdiaconis ex cap. Append. cap. part. cap. 4. ibi: *Si verò Subdiaconi contraxerint Matrimonium, eos, dummodò, ante tales fuerint, quod timendum ſit, ne pro una pluribus abutantur, diſſimulare poteris cum ſuis mulieribus remanere: quia tolerandum eſt malum, ut pejora vitentur.*

188. *Explicant ut verba Alex. 3.* Dicit autem Pontifex tolerandum malum; non quia jam poſt cum conſenſum Pontificis illicitus eſſet uſus fœminæ: jam enim ab eo tempore & Matrimonium valebat, & licitus erat uſus; ſed malum illud, quod perpetratum eſt in Matrimonio contrahendo, quod & legibus Eccleſiaſticis prohibitum erat, & irritum. Idem prorsùs ſtatuitur cap. 13. cùm hac tamen clauſula: *Ita tamen quòd ad altaris miniſterium non accedant, nec Eccleſiaſtica beneficia percipiant.*

189. *Licentia, ab eo conceſſa, nubendi cuidam Subdiacono.* Et rursùs cap. 14. ſic ait idem Pontifex: *Cùm inſtitiſſet apud nos lator præſentium H. Parochianus veſter, ut de Ordine Subdiconatûs, ad quem recipiendum minùs* (fortè *nimis*) *enormiter & inordinatè ſe ingeſſerat, cum eo miſericorditer ageremus: ne potuiſſet ſicut nec debuerat in parte proficere: tandem tamen à nobis licentiam poſtulavit, ut poſſet ſibi aliquam in Matrimonio copulare. Nos itaque ſtudioſiùs attendentes, quomodo prædictus Ordo, cùm nullam ſibi dignitatem attulerit vel honorem, Matrimonium ejus non impedit, diſcretioni veſtræ &c. quatenùs ſi Matrimonium legitimè duxerit contrahendum, nullus veſtrùm eum à contracto Matrimonio prædicti Ordinis obtentu prohibere præſumat, nec ſibi propter hoc moleſtiam inferat vel gravamen.* Signum ergò evidens eſt (infert Pontius ſup.) Ordinem ſacrum nequaquam ex inſtitutione ac jure Divino Matrimonium impedire. Sic ille.

190. *Objicitur 1.* Sed contrà, dicet aliquis: Videtur Pontifex ibi agere de Ordine Subdiaconatûs invalidè ſuſcepto: nam ait, nullam ſibi dignitatem attuliſſe vel honorem, & ideò Matrimonium ejus non impedire.

Secundò. Prætereà: poteſt Papa diſpenſare in voto ſolemni, & ita relaxare ejus Obligationem, ut quis poſteà Matrimonium contrahere poſſit; ergò idem poterit præſtare cum Ordinatis in Sacris, tametſi id ſit lege Divinâ prohibitum.

191. *Reſp. ad 2.* Reſpondetur ad ultimum: illud non efficiet Papa, relaxando jus Divinum, quo voventes tenentur ad ſervandum id, quod promiſerunt; ſed remittendo verbum promiſſionis factæ Deo, quo remiſſo, ceſſat & tollitur omnis obligatio voti. Diſpenſatio quòque, quæ fit in diſſolvendo Matrimonio rato non conſummato, non fit auferendo aut relaxando ex parte obligationem juris naturalis, quâ conjuges tenentur, ut maneant in Matrimonio ſemel contracto, ſed diſſolvendo contractum ipſum, ex quo nata fuit obligatio juris naturalis, ad quod dicimus, Summum Pontifi-

cem potestatem à Deo habere, non autem ad relaxandum ullo modo, etiam ex parte, legem Divinam. Ita Perez hîc disp. 27. Sect. 6. n. 3. in fine.

Perez.

192. *Constat Papam etiam hodie dispensare.*

Cùm ergò constet, Papam dispensare, etiam hoc tempore (quidquid sit de illis dispensationibus Alex. 3.) cum Ordinatis in Sacris, ita ut posteà Matrimonium possint contrahere non solùm validè, sed etiam licitè, dicit nequit impedimentum hoc dirimens immediatè à Deo fuisse constitutum, & annexum Ordini sacro; sic quippè propriè Papa dispensaret in lege Divina, eamque relaxaret; nec esset ulla ratio, quare in aliis præceptis Divinis non posset similiter dispensare eaque relaxare. Quam utique potestatem nemo hactenùs Pontifici ausus fuit concedere, estò dictum sit Petro ejusque successoribus Matth. 16. & alibi: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Pontifex non potest dispensare in præceptis divinis.

Si Pontifex posset dissolvere, seu tollere Ordinem semel validè susceptum, facilè intelligeremus, quomodo posset tollere impedimentum dirimens, tametsi à Deo immediatè foret constitutum, scilicet tollendo sacrum Ordinem, qui esset tota ratio constitutionis: sed quoniam Ordo sacer semel validè susceptus, inconcussus permanet, utpotè imprimens characterem indelebilem, quâ, quæso, ratione Ecclesia posset tollere illud impedimentum sive in universali sive in particulari, nisi dispensando in ipso præcepto Divino.

193. *An ex d. dispensatione bene inferatur Ordinem non dirimere jure divino.*

Dicunt aliqui; tametsi Ordo sacer non habeat ex natura sua, & jure naturali Divino dirimere Matrimonium subsequens, quòd non habeat eo jure annexam sibi continentiam: at ratione voti solemnis annexi, id efficere jure naturali Divino. Et hâc ratione eo modo potest dispensare Ecclesia in hoc impedimento, quàmvis sit juris naturalis, atque in impedimento solemnis Professionis. Ergò ex dispensatione Ecclesiæ in impedimento Ordinis, non rectè infert Pontius sup. Ordinem sacrum nequaquam ex institutione ac jure Divino Matrimonium impedire.

Quod non probatur.

Probatur autem antecedens: quia licèt per accidens & ex statuto solo Ecclesiæ annexum sit id votum solemne Ordini sacro: at, suppositâ annexione, habebit jure naturæ dirimere Matrimonium, qui est voti solemnis effectus. Sicut album per accidens conjungitur corpori, & ideò corpus, ut sic, disgregat per accidens visum: at corpus, ut album est, id habet essentialiter.

194. *Confirmatur,*

Et confirmatur: quia si per accidens ex statuto Ecclesiæ annecteretur votum simplex Ordini; impediretur jure naturæ Matrimonium subsequens, non ex vi Ordinis, sed ex vi voti. Cùm ergò sit annexum votum solemne, quàmvis ex jure Ecclesiastico, dirimetur Matrimonium subsequens, non solo jure Ecclesiastico, sed Divino naturali, ratione voti solemnis adjuncti. Perinde enim est voti solemnis effectus, dirimere jure naturæ Matrimonium, ac simplicis impedire.

195. *Explicatur mens Pontij.*

Respondetur: Pontium non fuisse locutum de jure Divino naturali; sed de jure Divino positivo superaddito institutioni sacrorum Ordinum, quasi Deus immediatè per seipsum inhabilitasset personas Sacris initiatas, etiam secluso voto continentiæ, qualiter Ecclesia eas illegitimavit, ita ut tametsi formaliter & expressè noluissent vovere, equidem Matrimonium non valeret.

Votum solemne non inhabilitat jure naturali.

Quantùm ad votum solemne annexum, neque illud jure naturali Divino inhabilitat, cùm nec ipsum votum solemne Professionis sic inhabiliter, ut Concluf. præced. ostendimus. Et ratio est: quia quod votum aliquod sit solemne, non habet ex natura rei, seu ex jure Divino naturali; sed merè ex constitutione Ecclesiæ; ergò etiam quà solemne est non dirimit essentialiter Matrimonium; sed merè per accidens, sive ex constitutione Ecclesiæ, per quam inducta est solemnitas.

196. *Respond. ad simile de albo.*

Porrò quòd album disgreget visum, hoc habet ex natura rei, & essentialiter ei competit, & sic non mirum, quòd corpus, ut album est essentialiter disgreget visum; hoc quippè nihil aliud est, quàm albedinem essentialiter disgregare visum. Similiter, quòd votum simplex castitatis impediat Matrimonium contrahendum, non habet ex constitutione Ecclesiæ, sed ex natura sua, sive ex jure Divino naturali: unde sive adjungatur susceptioni Ordinis sacri, seu alteri cuipiam actioni, semper ex jure Divino naturali impedit Matrimonium; at verò quòd votum aliquod castitatis dirimat Matrimonium, non habet ex natura rei, seu jure Divino naturali; ac proinde seu conjungatur Ordini sacro, seu Professioni Religionis approbatæ, aut alteri cuipiam actioni, nunquam ex jure Divino naturali dirimet Matrimonium; sed si dirimat, hoc erit ex constitutione Ecclesiæ.

197. *Ecclesia potuit merito Ordinem instituere imped. dirimens.*

Nec dubitandum: quin Ecclesia optimo jure potuerit sacro Ordini conjungere non solum votum simplex continentiæ, sed etiam solemne, id est, Sacris initiatos suo præcepto reddere inhabiles ad Matrimonium; sicuti consanguineos in secundo, & ulterioribus gradibus usque ad 4. reddidit inhabiles.

Hæc potestas declaratur ex S. Bonav.

Hanc potestatem Ecclesiæ graphicè nobis declarat Doct. Seraph. S. Bonav. 4. dist. 37 a. 1. q. 3. in corp. hisce verbis: *Dicendum, quòd istud statutum de Clericorum continentia fecit Ecclesia, quia potuit, sive licuit, quia decuit, quia expediens fuit. Potuit autem Ecclesia dupliciter, tum propter auctoritatem Prælatorum, & maximè Pontificis Summi; tum propter consensum subditorum. Propter auctoritatem namque potuit, quoniam etsi omnia Sacramenta auctoritatem respiciant in dispensante aliquo modo, tamen illud Sacramentum præcipuè inter alia. In cujus signum in Ordinis datione loquitur potestatem habens ille, qui Ordines confert: unde & dicit:* Accipe potestatem *&c. & ideò istud opus, quod voluit Summus Pontifex huic Ordini sive Sacramento alligare, potuit & sibi licitum fuit. Sed huic auctoritati & potestati succesit in Latinis voluntas obtemperandi; quia tale statutum super se libenter susceperunt; & hæc duo fecerunt statutum firmum. Sed Græci dederunt tergum, & quia non consenserunt in nobile statutum, ut vasa sua servarent munda, ablatum est regnum, & intelligentia Scripturarum,*

rum, & datum eſt genti facienti fructum ejus. Sic igitur patet quòd potuit.

198. *Oſtenditur tale impedimentum fuiſſe decens, ex eod.*

Nec ſolùm licuit, imò etiam decuit; & hoc propter duo, quoniam in actu carnali, qui eſt uſus Matrimonij, ut plurimùm eſt libido, & in cohabitatione ut plurimùm eſt ſollicitudo. Et libido ſive carnalis delectatio reddit fœtidum & immundum, & ſollicitudo reddit diviſum. Et quoniam Clericum, in ſacris Ordinibus conſtitutum decet eſſe mundum, cùm ferat vaſa Domini, decet nihilominùs eſſe ſollicitum & attentum ut ſollicitè & diligenter ſerviat Domino, & ſtudeat quomodo placeat Chriſto, ideo decens fuit, eos ab uxoribus ſeparari, ut per omnia fierent idonei cultores miniſtri altaris. Si enim illi, qui comedebant panes propoſitionis, vaſa facta habere debebant; quantò magis iſti, qui agno immaculato aſſiſtunt, & diſpenſant, & ſumunt, omni paritate & ſanctitate debent fulgere, & vaſa ſua cuſtodire in ſanctificatione & honore, non in deſiderij poteſtate? Certè hoc non tantùm decens, ſed & decentiſſimum judicabit omnis anima, quæ eſt templum Spiritus ſancti.

199. *Declaratur fuiſſe expediens, ex eod.*

Et non tantùm decuit, imò etiam expediens fuit. Primò, propter vitandum irregularitatis periculum. Secundò, propter vitandum latrocinium. Propter vitandum periculum; quia ſi mulier quæ eſt uxor alicujus cognoſcat alium virum, & ille vir poſt cognoſcat eam, jam irregularis eſt; & ideo ſi uxor Sacerdotis Græci fornicatur, jam ampliùs nec cum ipſa, nec cum alia poteſt rem habere; & quia difficile eſt talibus abſtinere, frequenter in irregularitatem incideret, & cum periculo miniſtrarent, ſi uxores haberent.

Secundò verò propter vitandum latrocinium. Si enim Epiſcopi & Archiepiſcopi nunc filios haberent, omnia bona Eccleſiaſtica furarentur & diriperent, ita quòd pauperibus pauca vel nulla remanerent: cùm enim modò congregent & ditent nepotes, quaſi gradibus incomputabilibus ab eis elongatos, quid facerent ſi haberent filios legitimos? Vnuſquiſque attendat quantum eſſet periculum; ideò prævidit Spiritus ſanctus hoc offendiculum auferre, & Dei conſilio hoc ſtatutum fuit in Eccleſia ſancta Dei, ut Clerici ad ſacros Ordines venientes nullo modo Matrimonio poſſint uti. Hucuſque D. Bonaventura.

Qui ibidem reſpondet ad ea, quæ ſolent objici contrà hoc ſtatutum. Nimis longum eſſet omnia hîc tranſcribere, tranſcribam tamen aliqua.

200. *Prima objectio.*

Objicitur ergò 1. Matrimonium eſt in remedium concupiſcentiæ; ſed hic morbus maximè viget in Clericis, ut patet, ergò non debuit denegari remedium.

Solvitur

Reſpondet S. Doctor: *Quòd verum eſt* (ſcilicet Clericos indigere remedio) *ſed tamen non ſolum eſt remedium Matrimonij ad vitandam fornicationem, ſed multò nobiliùs eſt remedium, macerare carnem: unde quando otium eſt, & nulla eſt carnis maceratio, ſed nutritur & impinguatur venter, tunc præſtatur fomentum igni luxuriæ, & ideò aliquibus videtur difficilè continere: ſed ſi exercerent ſe bono exercitio, & carnem macerarent, alio remedio non indigerent: & iſtud remedium eſt eis conceſſum, quia convenit eorum ſtatui. Aliud verò eſt remedium, quod non competit eorum cœlibatui.*

Secunda objectio eſt: Difficillimum eſt juvenibus abſtinere à mulieribus; & ideò continentia in eis pro Martyrio computatur à Hieronymo: ſed lex nova debet eſſe lex levitatis & ſuavitatis: ergò &c. 201. *Secunda.*

Solutio.

Dicendum (inquit S. Bonav.) *quòd revera hoc difficillimum eſt; quia qui ignem abſcondit in ſinu, quomodo poteſt eum ferre, ut ejus plantæ non ardeant? Difficilè autem eſt extinguere ignem immittendo ligna; ſed facillimum eſt ſuperinfundendo aquam. Si enim vis continere, neceſſe habes mulieres effugere, & carnem macerare, maximè ſi juvenis es; quòd ſi hoc feceris, & continentiam amare cœperis, fiet tibi non ſolùm non difficilè, immo per omnia facilè. Cùm enim dicitur, quòd lex nova eſt onus leve, hoc dicitur ratione charitatis, quæ cætera mandata facit facilia, quâ qui caret, difficulter poteſt onus portare.*

202. *Quare potiùs hodie ſit indicta continentia Clericis, quàm in primitiva Eccleſia, ex D. Bonav.*

Rogas S. Doctorem quare potiùs hodie ſit indicta Clericis continentia, quàm in primitiva Eccleſia? Reſpondet continuò: *Quòd illi* (primitivæ Eccleſiæ) *non competebat, tum propter perſonarum paucitatem; tum etiam propter paupertatem; tum etiam propter modeſtiam & honeſtatem. Propter paucitatem; quia oportebat Clericos fieri de novo converſos, qui utplurimùm uxores habebant, nunc autem à cunabulis inſtruuntur. Propter paupertatem, quia non tantùm abundabant tunc, quantùm nunc ideo non tantùm timendum de furto erat, ſed poſt Dei diſpenſationem Eccleſia temporalia habens, ne charitate refrigeſcente, tam in Clericis, quam in Laicis cultus Dei periret, qui dilatari deberet, ideo tunc oportuit continentiam indicere. Propter modeſtiam, quæ erat in illis; ſciebant enim uxoribus meliùs & temperantiùs uti.* Sic ille.

203. *Explicatur ejus mens, primò.*

Ubi videtur ſupponere, Clericis in primitiva Eccleſia non fuiſſe indictam continentiam, quod commodè debet intelligi de Eccleſia Græca; alioquì ſibiipſi contradiceret, quando ait in cod. a. q. 2. in corpore: *Dicendum eſt, quòd etſi apud Græcos non impediat* (Ordo ſacer Matrimonium) *hoc eſt ratione ſtatuti, & ſic non impedivit* (ſcilicet apud Græcos) *ut dicunt quidam, à tempore Apoſtolorum: tamen apud Latinos impedivit* (ſcilicet à tempore Apoſtolorum) *& ratione ſtatuti & ratione voti.*

Secundò.

Vel dic, ſic fuiſſe locutum S. Doctorem, ut ſatisfaceret ſequenti objectioni: Non eſt majoris perfectionis moderna Eccleſia, quàm primitiva; ſed tunc non fuit indicta Clericis continentia: ergò nec modò debuit indici. Oſtendere, inquam, voluiſſe, modò majorem eſſe rationem indicendi continentiam, quidquid ſit de hoc, an etiam tunc fuerit indicta, de quo ibi non diſputabat.

204. *Tertia objectio ſolvitur.*

Porrò quomodo ſacer Ordo poſſit impedire Matrimoniũ, tametſi virtus cum virtute non habeat oppoſitionem, bene explicat D. Bonav. ſup. q. 2. dicens, hoc verum eſſe, quantùm ad habitum: *Sed tamen*, inquit, *ſtatus aliquando ſunt incompoßibiles, ut conjugalis & virginalis, & quoniam Sacramenta diverſa ſtatus diverſos reſpiciunt, ut Ordo ſtatum continentiæ virginalis: hinc eſt quòd impedit; ſicut ſtatus ſecularis & religioſus ſuo modo opponuntur.*

205. *Objicitur 4* Si dixeris: Matrimonium non impedit Ordinem; ergò nec Ordo Matrimonium; quippè oppositio est relatio æquiparentiæ. Respondet Doct. Seraphicus ibidem: Antecedens verum esse, si uxor fuit virgo, & vult continere: *Sed tamen*, inquit, *non est simile; quia processus in virtutibus est à statu imperfectiori ad perfectiorem; sed non debet esse reditus: & quoniam Matrimonium collocat in statu imperfectionis; Ordo verò in statu perfectionis, ideò &c. sicut de sæculo ad Religionem licet ascendere, non descendere.*

Resp. D. Bonav.

206. *Fuit maximè expediens, ut nunc Ordo sacer foret impedimentum dirimens.* De cætero, ut continentia Clericorum tantò firmior esset, & magis perfecta, estò à principio sive in primativa Ecclesia, quando adhuc omnes fideles tam Clerici, quàm Laici, non nisi charitatem aliasque virtutes spirabant; estò, inquam, Ordo sacer non fuisset impedimentum dirimens, sed tantùm prohibens; equidem procedente tempore, jam refrigescente charitate, aliisque virtutibus, tam in Clericis, quàm in Laicis, planè expediens & quodammodò necessarium fuit, ut fieret impedimentum dirimens, ut sic magis coërceretur libido tam Clericorum, quàm Laicorum, & confusiones quàmplurimæ, quas facilè quilibet apud se poterit expendere, evitarentur.

Enimverò eousque malitia aliquorum Clericorum excrevit, ut, non obstante, quòd probè sciant, Sacrum Ordinem esse impedimentum dirimens, audeant nihilominùs Matrimonium contrahere, ut patet ex Clem. un. de Consang. & Affin. Quam utique audaciam punit Ecclesia ibi pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, de qua diffusè satis egimus in fine præced. Sect. & ideò hîc supersedeo.

207. *Clericus in Sacris contrahens Matr. incurrit privationem Officiorum ac Beneficiorum ex Decreto Innoc. 2.* Dico autem, hujusmodi Clericos, præter jam dictam pœnam excommunicationis, incurrere privationem Officiorum ac Beneficiorum Ecclesiasticorum, per Decretum Innoc. 2. in Conc. Rom. aliàs Later. 2. (& refertur 28. dist. c. 2.) cap. 5. aliàs 6. *Decernimus etiam, ut ij, qui in Ordine Subdiaconatûs* (aliàs, *Diaconatûs*) *& sup. uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio atque Ecclesiastico Beneficio careant. Cùm enim ipsi templum Dei, vasa Domini, & Sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum est, eos cubilibus & immunditiis deservire.*

An sit pœna latæ sententiæ? Negat Perez. Perez sup. sect. 8. n. 4. pro ly *Careant*, quod habetur in Decreto Gratiani & in Summa Concil. Francisci Longi, legit: *Priventur.* Unde existimat hanc pœnam non incurri ipso facto; sed hujusmodi Clericos, sic contrahentes, privandos esse suis beneficiis. Quod satis, inquit, comprobatur ex ipso textu, in quo non additur particula, *Ipso facto*; sed indefinitè dicitur: *Beneficio Ecclesiastico priventur.* Id autem indifferens est, ut privetur ipso facto, vel per sententiam judicis, & ideò in materia pœnali mitiori modo est interpretandum. Hæc ille.

208. *Expenditur hæc sententia.* Ego autem nescio, in quo libro legerit ly *Priventur*; & sanè, si ita res se haberet, communi calculo foret lex ferendæ sententiæ, præsertim si accipiatur pro verbo futuri temporis; sin autem pro verbo imperativi modi, cùm cadat in actionem judicis, sicuti dum dicitur: *Excommunicetur, suspendatur à Divinis* &c. etiam sic potest convenienter intelligi de pœna ferendæ sententiæ, ad minùs res est dubia & obscura secundùm omnes: porrò, ut ait Regula 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda.* Et Reg. 30. eod. dicit. *In obscuris minimum est sequendum.*

Si igitur dict. textus legi debeat, sicuti ipsum legit Perez; lubens subscribo ejus sententiæ. Sin autem legi debeat: *Officio atque Ecclesiastico beneficio careant*; res non caret difficultate, cum ly *Careant*; non cadat in actionem judicis, sed immediatè versetur circà ipsam pœnam, vel potiùs sit ipsa pœna, sicuti si diceretur: *Sit excommunicatus, sit privatus suis bonis* &c. quæ verba, secundùm Omnes, continent latam sententiam.

Multi oppositum tenent. Sanchez ad hanc sententiæ negativæ. Unde & multi Auctores apud Sanchez sup. disp. 43. n. 4. asserunt, in casu proposito, ipso jure absque alia sententia perdi beneficia. At contrarium (inquit Sanchez) est probabilius, nimirum non vacare beneficia ipso jure, sed desiderari sententiam. Quod probatur rationibus n. præced. adductis.

209. *Probat ex c. 1. de Cler. conjug.* Prætereà ex c. 1. de Clericis conjugatis, ubi de Clericis minorum Ordinum ducentibus uxores deciditur, uxores retinendas, beneficia autem dimittenda: & statim fit sermo de constitutis in Sacris, transeuntibus ad Matrimonium, & solùm dicitur, uxores dimittendas. Hæc ille.

Accipe verba hujus textûs: *Si qui Clericorum, infrà Subdiaconatum, acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas uxores, districtione Ecclesiasticâ compellatis. Sed si in Subdiaconatu, & aliis superioribus Ordinibus uxores accepisse noscantur, eos uxores dimittere, & pœnitentiam agere de commisso per suspensionis & excommunicationis sententiam compellere procuretis.* Ita Alex. 3.

210. *Textus expenditur. Pontius.* Enimverò si hunc solum textum velim attendere, dicam cum Pontio lib. 7. c. 28. n. 7. Initiati sacris Ordinibus, licèt graviter puniantur, si attentent conjugium contrahere, non tamen privantur beneficio Ecclesiastico. Quia cùm Matrimonium sit irritum, si eo privarentur, cogerentur mendicare. Atque id expressè colligitur ex cap. *Si qui Clericorum*, ex 2. part. cap. ubi sic contrahentes puniri jubentur, non privari beneficio, cùm tamen infrà Subdiaconatum nubentes, priventur beneficio. Ita Basilius.

Et meritò, si ille solus textus expendatur: sed nihil clariùs est, ex d. cap. *Decernimus*, quàm eos posse privari officio & beneficio Ecclesiastico, si non priventur ipso facto.

211. *Gloss. in d. cap. Decernimus, videtur ipsum intelligere de privatione latæ sententiæ.* Immò ipso facto privari, præter eos, quos citat Sanchez, videtur docere Gloss. in d. cap. *Decernimus*, verb. *Careant*, ubi sic ait: *Mitiùs agit cum eis Decretalis, quæ jubet eos amoveri post admonitionem, ut extrà de Cohabitatione Clericorum, Sicut*, sequentis tenoris: *Sicut ad extirpanda*: Et infrà: *Fraternitati vestræ mandamus, quatenus Clericos vestræ jurisdictionis, qui in Subdiaconatu, & supra, fornicarias habuerint, studiosè monere curetis, ut à se illas removeant, eas ulteriùs mini-*

minimè admiſſuri. Si verò acquieſcere contempſerint, eos ab Eccleſiaſticis beneficiis, uſque ad ſatisfactionem congruam ſuſpendatis. Et ſi eas ſuſpenſi præſumpſerint detinere, ipſos ab eiſdem beneficiis perpetuò removere curetis.

Si hic mitiùs agitur, ſecundùm Gloſſ. haud ſanè in alio quoquam, quàm quòd privatio beneficij hìc ſit ferendæ ſententiæ poſt admonitionem; in d. autem cap. *Decernimus*, latæ ſententiæ, quod cap. miror, à Sanchio & Pontio non ſemel in hac materia citari.

212. *Reſp. ad arg. quoddam Pontij.* Quod autem ſup. ait Pontius: *Si eo* (beneficio) *privarentur, cogerentur mendicare*, ſæpiùs non eſt verum; quia habent aliunde, unde vivere poſſunt ſine mendicatione; vel ſi non habent, poteſt eis aliunde provideri. Et profectò ex hac ratione Pontij ſequeretur, nunquam aliquem Clericum poſſe privari ſuo officio & beneficio, quod repugnat d. cap. *Sicut*, & aliis multis ſimilibus.

Iudicium Auctoris. Dico itaque, in caſu propoſito Clericum vel ipſo facto eſſe privatum officio & beneficio Eccleſtico, vel ſaltem, quod mitiùs eſt, poſt admonitionem, ſi nolit deſiſtere, ſed contrahat; aut poſt contractum nolit eam dimittere, poſſe officio & beneficio Eccleſiaſtico privari in pœnam delicti. Unde Gloſſ. ſup. addit: *Vt hoc dictum ceſſet, dic*, Careant, *ſi prænoniti non ceſſaverint ſecundùm Laurent. Vel dic, quòd Decretalis*: Sicut, *loquitur in concubinario Clerico, hic autem in eo, qui de facto duxit uxorem, qui plus contemnit. Archid.*

213. *Sub beneficio hic comprehenditur penſio, qua datur pro miniſterio ſpirituali. Perez.* Porrò quod hic dicitur de Beneficio, etiam eſt intelligendum de illis penſionibus, quæ veniunt nomine beneficij Eccleſiaſtici, ut ſunt illæ, quæ ob ſpiritualem titulum dantur: in aliis verò (inquit Perez ſup. n. 5.) conſulenda eſſet propria conſuetudo in modo puniendi hoc delictum. Quamquam hodie poſt Motum proprium Pij V. quo penſio quælibet ſecum affert obligationem recitandi preces B. Virginis, conſequenter jam habet annexum aliquem ſpiritualem titulum, ratione cujus jam comprehenditur ſub nomine beneficij, & ideò probabiliùs eſt, amitti per contractum Matrimonij, non ipſo jure, ſed per judicem modo dicto. Hæc ille.

Secus pro miniſterio merè temporali, ex Sanchez. Ego autem dico cum Sanchio lib. 7. diſp. 44. n. 2. Penſio data Laico pro miniſterio merè temporali v. g. pro puiſandis campanis, organis &c. non vacat per Matrimonium. Conſtituatur ergò ſimilis penſio Clerico Sacris initiato, nonne per Matrimonium illam amitteret, vel ipſo jure, vel per judicem? Negat Sanchez ſup. n. 4. Quia, inquit, ea penſio datur tamquam Laico, & pro re merè temporali, & ideò eſt eadem ratio, ac ſi conferretur Laico.

214. *Objectio.* Si dixeris: talis Clericus non obligatur recitare preces B. Virginis, ut patet ex verbis d. Motûs proprij Pij V. (qui eſt Bulla 135. apud Cherubinum) §. 1. in fine: *At quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum rerumq; ipſarum amiſſioni obnoxium.* Jam autem talis Clericus non accipit penſionem ut Clericus, id eſt, non accipit titulo clericali, ſed pro miniſterio merè temporali.

Si, inquam, id dixeris, rectè quidem. Sed quomodo (inquit aliquis) tunc verum eſt, quod ait Perez: *Quamquam hodie poſt Motum proprium Pij V. quo penſio quælibet ſecum adfert obligationem recitandi preces B. Virginis?* Siquidem hæc penſio non affert dictam obligationem, ut concedis.

215. *Solvitur.* Reſpondeat Perez pro ſe. Ego dico: per penſionem in Motu Pij V. intelligi debet non quælibet penſio, ut patet ex verbis mox relatis; ſed ea tantùm, quæ accipitur titulo clericali, id eſt, quæ fundatur in titulo merè ſpirituali, ut ea, quæ datur Concionatori, vel adjutori Epiſcopi, aut Parochi: item, quæ fundatur in ſolo ſtatu ſpirituali, non tamen in officio ſpirituali præſtando, ut ea, quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho ſeni, ut ſe ſuſtentet; & quæ datur cauſâ reſignationis, vel litis componendæ. *Quæ penſiones hìc vacent.*

Atque hæc penſio per Matrimonium vacat eodem modo, quo per illud vacat beneficium. Ratio eſt: quia beneficij loco ſubrogatur; at quod loco alicujus ſubrogatur, ejus naturam ſapit. Imò (ait Sanchez ſup. n. 6. ſtylus Curiæ, qui facit jus, cap. *Quam gravi*, de Crimine falſi, habet ejuſmodi penſiones per Matrimonium vacare, etiamſi nullo ſpirituali onere adjecto ſint conſtitutæ. Atque hæc ſatis de pœna privationis beneficij & officij Eccleſiaſtici. *Probatur ea: vacare ex Stylo Curiæ. Sanchez.*

216. *Incurritur etiam per tale Matr. irregularitas ex c. 4. de Bigam.* Eſt & alia pœna, quæ incurritur per Matrimonium attentatum in caſu propoſito, ſcilicet irregularitas, de qua tractat Sanchez ſup. diſp. 85. & probatur ex diverſis juribus, in primis ex cap. *Nuper*, de Bigamis, in fine: *Nos autem in hac quæſtione taliter reſpondemus, quòd cum hujuſcemodi Clericis, qui, quantùm in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat diſpenſari, licèt in veritate bigami non exiſtant, non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.*

Sed hic textus non loquitur generaliter de omnibus Clericis majorum Ordinum; ſed de illis tantùm, qui duplex Matrimonium inierunt, unum ante Ordinem ſacrum, & alterum poſteà.

Item pri cap. fin. eod. Aliud jus eſt cap. finale eod. ibi: *Ille autem, qui in Subdiaconatûs Ordine conſtitutus de facto tantùm (quia de jure non potuit) duxit viduam in uxorem, profectò bigamus non exiſtit: ſed nec vidua poteſt in veritate dici maritus, cùm inter ipſum & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen, contrà doctrinam Apoſtoli, tamquam cum marito viduæ diſpenſare non licet, non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.*

217. *Neutrum jus eſt univerſale, & utrumque requirit copulam* Sed neque hoc jus eſt univerſale, quia, ut patet, ſolùm loquitur de Clerico contrahente cum vidua. Et nota, quòd utrumque jus requirat copulam, ibi: *Opere ſubſecuto: Scilicet* (inquit Gloſſ. eo verbo in ult. textu) *carnali, ſup. eod. Debitum.* Ubi ad veram bigamiam requiritur com-

Cap. 5. de Bigam. commixtio corporum, dicente Innocent. 3. *Cùm ergò propter Sacramenti defectum inhibitum sit, ne bigamus aut maritus viduæ præsumat ad sacros Ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius; profectò ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum Sacramenti. Vnde is qui mulierem, ab alio viro ductam, sed minimè cognitam, duxit uxorem, quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri.*

218. *Communis sententia affirmat copulam esse necessariam*

Si ad veram bigamiam, & irregularitatem inde emanantem requiritur commixtio carnalis, quidni etiã ad bigamiam similitudinariam, & irregularitatem ab ea provenientem? est communis sententia affirmans. Jam autem in d. cap. 4. & fin. propter bigamiam similitudinariam incurritur pœna irregularitatis; quia nempè Matrimonium invalidum est simile Matrimonio valido; porrò ex Matrimonio valido cum secunda uxore, vel cum vidua, oritur vera bigamia, & contrahens efficitur irregularis; ergò ex Matrimonio invalido in his evẽtibus oritur bigamia similitudinaria, & ratione ejus contrahens efficitur irregularis.

219. *Quid si ordinatus ineat unicum Matr. cum virgine.* Sanchez.

Sed quid si initiatus Sacris unicum Matrimonium ineat cum virgine? nunquid & hic erit irregularis propter bigamiam similitudinariam, aut certè in pœnam delicti? Verius est (inquit Sanchez sup. disp. 85. n. 5.) incurri hanc bigamiæ irregularitatem similitudinariæ, quàmvis in Sacris constitutus cum unica & virgine contrahat

Probatur esse irregularem, ex c. 1. Qui Clerici &c.

Probat ex cap. 1. Qui Clerici vel voventes, ubi Alex. 3. Remen. Archiep. in hanc formam verborum rescribit: *De Diacono, qui in Sabbato sancto alium Diaconum vulneraverat, & uxorem accepit, hoc tuæ prudentiæ respondemus, quòd si contrito & humiliato corde ad Ecclesiam redire voluerit, dimissâ illâ, quam accepit in uxorem, & absolutione obtentâ, injunctâ sibi pœnitentiâ de utroque excessu, post eam peractam dispensativè poteris ei Diaconatûs officium reddere, & si perfectæ vitæ & conversationis fuerit, eum in Presbyterum ordinare.*

220. *Item ex cap. 2. eod.*

Et cap. 2. eod: idem Pontifex Cenoman. Episcop. rescribit, dicens: *Ex literarum tuarum tenore accepimus, quòd lator præsentium in Subdiaconatûs officio constitutus, quamdam sibi in conjugem copulavit, quam eumdem abjurare fecisti: Super quo prudentiam tuam in Domino commendamus: Mandantes, quatenùs si ad monasticum Ordinem transire voluerit, & tibi post laudabilem conversationem ipsius, visum fuerit, eum ad majores Ordines promoveri concedas; quòd si ad Religionem se transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu ministrare, neque ad altiores permittas Ordines promoveri, in minoribus tamen Ordinibus poterit ministrare.*

221. *Et cap. 4. de Cler. conjug.*

Adde cap. 4. de Clericis conjugatis: *Sanè Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potiùs nuncupanda, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi ejus executionem habere.*

In his juribus nulla fit mentio secundæ uxoris, aut etiam viduæ; sed simpliciter statuitur irregularitas ei, qui Sacris initiatus contrahit de facto Matrimonium, & nihil cogit excipere eum, qui contrahit cum unica & virgine; ergò & ipse efficitur irregularis.

222. *Ratio bigamiæ similitudinariæ in hoc contra. tur, ex San. chez.*

Ratio autem (inquit Sanchez sup.) hujus similitudinariæ bigamiæ ea est. Quia hic, post Matrimonium similitudinarium initum cum Christo per votum solemne Castitatis Ordini annexum, de facto ad alias nuptias transivit, eas consummans copulâ. Atque proinde verificatur in ipso ratio tradita in cap. *Nuper*, & cap. fin. de Bigamis, nimirum dari quamdam similitudinem bigamiæ in hoc eventu, propter affectum ad duplex Matrimonium cum opere subsecuto. Ita Sanchez.

Contrahitur d. irregularitas ob delictum.

Et actutùm subjungit: Quòd si nolis hanc irregularitatem appellare bigamiæ similitudinariæ; sed propter Ordinis reverentiam, & in pœnam incontinentiæ inductam, & sic velis conciliare Doctorum varias sententias, non contradicam. Quia textus adducti probant hunc esse irregularem; at non probant hunc esse bigamum. Nec ad rem moralem confert, sive unum sive alterum dicamus, modo fateamur hunc esse irregularem. Nam licèt dicamus, esse bigamiæ similitudinariæ irregularitatem, tenebimus n. 10. non ob defectum significationis, sed ob delictum contrahi. Hæc ille.

A qua proinde excusatur, qui bonâ fide contraxit.

Ex quo consectarium est, Clericum, qui bonâ fide existimaret, se posse licitè & validè contrahere Matrimonium, sic contrahendo non incurrere irregularitatem; quia reverà delictum non commisit, & reverà non est bigamus.

223. *Inquisitores contrà hujusmodi delinquentes procedunt tamquam contrà suspectos de hæresi.*

De cætero Marchinus sup. diffic. 11. ubi tractat de his pœnis n. 2. sic ait: Hodiè Inquisitores contrà hujusmodi delinquentes, procedere solent tamquam contrà suspectos de hæresi, & malè sentientes de Sacramentis Ecclesiæ, nec non contrà Religiosos professos sive palàm, sive clàm Matrimonium contrahentes, adeò ut propter istam hæresis suspicionem torqueantur: & si nihil emergat, præmissâ abjuratione de vehementi, ad Triremes ad tempus de Stylo Supremi Tribunalis Rom. Curiæ condemnantur. Marchinus.

Sic post multos alios testatur Prosper Farinacius tract. de Hæresi q. 183. §. 6. n. 71. in fine, loquens de Religiosis professis, qui Matrimonio sive palàm, sive clàm se jungunt n. 72. & 73. Ita Marchinus. Farinacius.

Alia multa solent hîc tractari circà Ordinem sacrum, & obligationem continentiæ ei annexam, quæ nos tractavimus disp. 10. hujus Operis Sect. fin. & ideò hìc supersedeo iis repetendis, quia repetitio tædiosa foret Lectori, & confido, quòd qui hanc partem sibi comparaverit, etiam præcedentes non neglexerit comparare. Pergam igitur ad impedimentum Cognationis, pro quo instituitur.

SEC.

SECTIO V.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

1. Quid cognatio, & qui cognati.



Cognatio sic appellatur, quasi simul natio ab eodem stipite; unde cognati, quasi simul ab eodè nati dicuntur. *Cognati* (inquit Iurisconsultus l. 4. ff. de Gradibus) *ab eo dici putantur, quòd quasi unà communiterve nati, vel ab eodem orti progenitive sint.*

Numeratur inter impedimenta dirimentia, & sic considerata, nihil aliud est, quàm conjunctio quædam inter certas personas, ob quam non admittitur inter eas Matrimonium. Triplex autem solet distingui, naturalis, spiritualis, & legalis. Naturalis conjunctio oritur ex naturali propagatione ac generatione, quæ proinde dicitur etiam carnalis, dicitur conjunctio sanguinis, & proprio nomine vocatur consanguinitas.

Triplex est cognatio. Quid naturalis.

2. Quid spiritualis & legalis.

Ad hujus porrò imitationem, & similitudinem quamdam, nominatur & additur cognatio spiritualis, quæ est conjunctio quædam in spirituali generatione per Sacramentum. Tertia denique est cognatio legalis, quæ est conjunctio quædam per institutionem legis, quâ quis adoptat sibi alium in hæredem loco filij; ac proinde per legem reputatur, ac si nativitas esset.

De hac triplici cognatione seu conjunctione distinctè jam agendum est, & primùm quidem de cognatione naturali seu consanguinitate, pro qua, Dico primo.

CONCLUSIO I.

Cognatio naturalis dirimit Matrimonium jure naturæ in quocumque gradu lineæ rectæ.

3. Descriptiones quorumdam nominum, consanguinitas, stipes, linea, gradus, ex Scoto.

DOctor Subtilis 4. dist. 40. q. unica: *Vtrùm cognatio carnalis impediat Matrimonium?* n. 2. sic ait: *Hic præmittendæ sunt quædam descriptiones quorumdam nominum, & quædam regulæ, & secundò est solvenda quæstio. De primo sit hæc prima descriptio. Consanguinitas est vinculum personarum, ab eadem persona carnali propagatione descendentium. Secunda, persona à qua plures carnali propagatione descendunt, stipes vocatur. Tertia, linea consanguinitatis est ordo personarum, consanguinitate junctarum.*

Quarta, hæc linea dividitur in ascendentem & descendentem, & transversalem. Linea descendens est à persona propagante ad propagatas, & ascendens à propagata ad illas, à quibus descendit. Transversalis est, quando ambæ personæ descendunt ab eadem, sed neutra ab altera. Quinta, gradus est determinata propinquitas personæ ad personam secundùm consanguinitatem: gradus enim propriè invenitur in linea ascendente & descendente: improprie autem in linea transversali.

Hæ sunt descriptiones nominum, ut eas vocat Scotus, non autem definitiones essentiales; & quàmvis communes sint, equidem patiuntur aliquas oblocutiones, præsertim prima, quæ est consanguinitatis.

4. Objectio contrà descriptionem consanguinitatis, ex Aversa. Prima.

Hæc definitio (inquit Aversa hìc q. 16. sect. 1. §. *Definiri solet*) ex una parte videtur diminuta: quia specialter adaptatur conjunctioni per lineam lateralem, utpotè inter fratres, & non per lineam rectam, ut inter patrem & filium. Et quàmvis excepto Adamo & filiis ejus, omnes alij rectè dicantur ab eodem stipite descendere, tamen: & ipse Adamus erat consanguineus cum filijs suis: & Abraham v. g. non solùm erat consanguineus cum Isaac, quia ambo descendebant ex uno superiori stipite; sed præcipuè, quia ex ipso Abrahamo descendebat Isaac. Et omninò consanguinitas in communi sub se continet non solùm conjunctionem per lineam lateralem, sed etiam, imò præcipuè, per lineam rectam.

5. Secunda.

Ex alia parte videtur definitio nimis ampla: quia in linea laterali extenditur in infinitùm; & post qualscumque generationes valebit dicere, omnes homines esse consanguineos; quia certè omnes ab eodem stipite descendunt. Et quàmvis D. Thomas in 4. dist. 40. q. 1. a. 1. ad 1. hoc limitet quoadusque virtus generantis duret ac diffundatur: tamen neque in definitione hæc limitatio indicatur, neque ullâ naturali regulâ præfiniri potest, quamdiu illa virtus diffundatur. Itaque satiùs videtur dicere: Consanguinitas est conjunctio personarum per naturalem generationem usque ad certum gradum. Ita Aversa.

6. Resp. Sanchez ad 1.

Sed hæc parvi sunt momenti, ut propterea recedere debeamus à communi descriptione nominis *Consanguinitatis*. Siquidem ad primum benè respondet Sanchez lib. 7. disp. 5. n. 1. Quàmvis ad rationem consanguinitatis satis sit, unum ab altero descendere, licet à nullo communi stipite procreentur: ac ob eam rationem vera consanguinitas salvetur inter Adamum & Cain: non fuit tamen opus eam partem in definitione addere, quòd res illa singularis sit: in omnibus enim aliis præter primos parentes, & ejus filios, reperitur eos à communi stipite procedere: ut pater & filius procedunt ab avo, avus & nepos à proavo. Hæc ille.

Unde hæc definitio seu descriptio non magis specialiter adaptatur conjunctioni per lineâ lateralem, utpotè inter fratres, quàm per lineam re-

ctam, ut inter patrem & filium; conjunctioni, inquam, quæ hodie existit, & de qua quæritur, an sit impedimentum dirimens; quippè tam pater & filius, quàm fratres hoc tempore ab eodem stipite descendunt.

7. *Quomodo Adam & filij ejus processerint ab eodem stipite.*

Adde: etiam Adamum cum filiis suis, ab eodem stipite descendisse, ab eodem, dico, negativè, id est, non diverso. Et dici potest Abrahamum fuisse consanguineum cum Isaac, non magis, quia ex ipso Abrahamo descendebat Isaac, quàm quia ambo descendebant ex uno superiori stipite per lineam rectam: quippè non poterant descendere ex uno superiori stipite per lineam rectam, nisi unus ab altero descenderet.

Fateor itaque consanguinitatem in communi sub se continere non solùm conjunctionem per lineam lateralem, sed etiam, imò præcipuè, per lineam rectam: sed iterùm nego, hanc definitionem specialiter adaptari conjunctioni per lineam lateralem, & non per lineam rectam; quoniam non minùs pater, & filius descendunt ab eodem stipite, quàm duo fratres, imò magis, quia pater & filius descendunt per lineam rectam, duo verò fratres solùm per lineam transversalem.

8. *Descriptio Scoti non est diminuta.*

Igitur hæc definitio seu descriptio non est diminuta, tametsi satis sit ad veram consanguinitatem, quòd unus ab altero descendat, licet à nullo communi stipite procreentur; quia de facto talis consanguinitas non datur, & ideò pro ea hæc descriptio non est inventa, nisi, sicut antè dixi, ly Eodem, accipiamus negativè, ut idem sit quod, non diverso.

Sed nunquid hæc descriptio est nimis ampla? Affirmat Aversa sup. ut audivimus; quia sic omnes homines essent consanguinei; quia descendunt ab eodem stipite, scilicet Adamo.

9. *Ostenditur ex D. Thoma, quòd etiam non sit nimis ampla.*

Ad hoc respondet Doct. Ang. 4. dist. 40. q. 1. a. 1, ad primum: *Quòd virtus activa non recipitur secundùm eamdem perfectionem in instrumento, secundùm quam est in principali agente, & quia movens motum est instrumentum, inde est quòd virtus primi motoris in aliquo genere per multa media deducta, tandem deficit, & pervenitur ad aliquid, quod est motum tantùm, & non movens. Virtus autem generationis movet non solùm quantùm ad id, quod est speciei; sed etiam quantùm ad id, quod est individui, ratione cujus filius assimilatur patri etiam in accidentalibus, non solùm in natura speciei: nec tamen individualis virtus patris ita perfectè in filio est, sicut in patre erat, & adhuc in nepote minùs, & sic deinceps debilitatur; & inde est, quòd virtus illa quandoque deficit, ut ultrà procedere non possit. Et quia consanguinitas est, inquantùm multi communicant in tali virtute, ex uno in multos per propagationem deducta paulatim se consanguinitas dirimit, ut Isid. dicit; & ideò non oportet accipere stipitem remotum in diffinitione consanguinitatis, sed propinquum, cujus virtus adhuc manet in illis, qui ex eo propagantur.*

Perez. Adde (inquit Perez hìc disp. 28. sect. 1. n. 3.) prædictam definitionem non dicere, esse cognationem vel consanguinitatem inter omnes descedentes ab eodem stipite, sed inter eos solos, inter quos hoc vinculum oritur seu communicatio sanguinis, quod non contingit omnibus, ut est per se notum. Hæc ille.

10. *Distinctio consanguinitatis in physicam & moralem, ex Caramuele.*

Sed loquatur Caramuel Theol. moral. lib. 2. n. 537. Si (inquit) rem altè indagemus, gradus consanguinitatis physicæ omni termino carent; unde Petrum & Ioannem triginta gradibus distare asserimus, aut aliàs quadraginta: moralem autem consanguinitatem terminos habere opus est, quia aliàs omnes essemus consanguinei, quod bono publico non expediret.

Moralis habet determinatum terminum.

Termini consanguinitatis moralis necessariò ponendi sunt; sed in quo gradu? Debet id prudentia decernere; sed non esset talis, si careret fundamentis, quibus inniteretur.

Et n. 538. sic ait idem Auctor: Dicitur consanguinitas, quasi communis sanguinis unitas; imò qui ab eodem progenitore nati sunt, Cognati nominantur.... Distrahendo igitur à consanguinitate physica, moralis debet dividi in carnalem, spiritualem, & legalem. Cognatio legalis, lege civili est instituta; Spiritualis Ecclesiasticâ; Carnalis pendet ab ipsâ rei natura, ut prudenter cognitâ; in hoc enim à physica distinguitur, quod physica sit consanguinitas secundùm se, prout præcedit humanam opinionem; moralis est ipsa consanguinitas, prout subest dictamini prudenti, proscribenti gradus aliquos remotos, boni publici causâ. Ita Caramuel.

In quo distinguatur à physica.

11. *Consanguinitas physica est inter omnes posteros Adæ.*

Facilè ergò admitteret hic Auctor consanguinitatem physicam inter omnes posteros Adæ, eò quòd descendant carnali propagatione ab eodem stipite, sed moralem negaret; & reverà neganda est, quia habet gradum determinatum, saltem in linea transversali, ut patebit ex dicendis.

Igitur definitio sup. data non est nimis ampla, si definitum ponatur consanguinitas ut sic; quippè omnes homines sunt physicè consanguinei, quia participant eamdem materiam specificam ab eodem primo parente; & ideò omnes dicuntur filij Adæ, & in ipso omnes peccaverunt originaliter; & si Adam adhuc viveret, non posset ducere aliquam uxorem, ut cum Scoto infrà dicetur. Si ergò consanguinitas in linea recta caret termino, & quasi in infinitum extenditur; cur non idem dici posset de consanguinitate in linea transversali? Non video quid obstet, physicè rem considerando.

12. *Consanguinitas moralis in linea transversali habet terminum.*

Interim propter bonum commune tam Resp. civilis, quàm Ecclesiastica certum terminum posuit, ultrà quem non extenditur hæc consanguinitas. Porrò consanguinitati in linea recta, nec jus civile nec jus Canonicum legitur certum terminum constituisse, ultrà quem nequeat extendi. Sed de his statim latiùs.

Rejicitur quadam definitio consanguinitatis. Averſa.

Hinc non valet in principiis Scoti hæc definitio consanguinitatis, sup. ab Aversa posita: *Consanguinitas est conjunctio personarum per naturalem generationem usque ad certum gradum*; quia diminuta est, utpotè specialiter adaptata conjunctioni per lineam lateralem, prout subest dictamini prudenti.

Melior

13. *Alia approbatur.* Dicastillo.

Melior est ista Dicastillonis hic disp. 7. n. 183. *Consanguinitas est propinquitas diversarum personarum, per carnalem propagationem proveniens, ita ut ex eadem descendant, vel una ex altera.* Ubi additur ultima illa particula: *Vel una ex altera*, ut tantò expressiùs comprehendatur consanguinitas inter Adamum & Cain; quod tamen non fuit necessarium, ut patet ex communi definitione, quæ non solùm est Doctoris Subtilis, sed etiam Doctoris Angelici, & Doct. Seraphici, scilicet: *Vinculum personarum* &c.

14. *Quare consanguinitas dicatur vinculum, ex Sanchez.* Cicero. Aristoteles.

Dicitur: *Vinculum* (inquit Sanchez sup. n. 1.) quòd consanguinei majori affectu & necessitudine inter se conjungantur: & sic consanguinitas est formaliter ipsa conjunctio in communicatione ejusdem sanguinis fundata. Neminem enim latet, speciali quodam vinculo colligari sanguine conjunctos. Quod non obscurè significavit Cicero lib. 1. de Officiis, dicens, sanguinis conjunctione & benevolentiâ devinciri charitate homines. At omne vinculum inter homines est vinculum amicitiæ, fundatum in aliqua communicatione, ex Arist. 8. Ethic. c. 12. Quare cùm vinculum consanguinitatis fundetur in naturali ejusdem sanguinis communicatione, qui eo inter se connectuntur, dicuntur consanguinei. Hæc ille.

15. *Consanguinitas est effectivè vinculum, non formaliter.*

Igitur consanguinitas non est formaliter vinculum, sed potiùs effectivè; quia conjunctio in communicatione ejusdem sanguinis, sive quod idem est, communicatio ejusdem sanguinis per carnalem propagationem, est causa vinculi, id est, juris amicitiæ, quod fundatur in illa communicatione.

Eva non fuit consanguinea Adamo.

Dico: Per carnalem propagationem; quia Eva minimè fuit Adamo consanguinea, ex cujus osse formata est; Christus autem Dominus omninò consanguineus fuit Beatissimæ Virgini Matri suæ; quippè quæ administravit conceptioni Christi totum illud materiæ, quod veræ matres naturales administrant.

16. *Inter Angelos non est consanguinitas.*

Et propter eamdem rationem inter Angelos non est verè consanguinitas; quamvis enim ab eodem Deo immediatè processerint, at non per carnalem propagationem, ut planum est.

Sed neque inter bruta animantia.

Sed neque inter bruta animantia, licet procedant ab invicem, vel ab eodem stipite; tum, quia quidquid est de humanæ naturæ veritate in omnibus hominibus, fuit in primò parente, quod non est de aliis animalibus; tum, quia animalia non conjunguntur ad amicitiæ unitatem propter propagationem multorum ex uno parente, sicut est de hominibus. Et ideò in descriptione Consanguinitatis ponitur ly *Personarum.*

17. *Persona, à qua plures descendunt, stipes vocatur.* Sanchez.

Sequitur: *Ab eadem persona*, id est, ab eodem stipite; nam ut Scotus sup. & cum eo universi Doctores, Persona, à qua plures carnali propagatione descendunt, stipes vocatur. Qui vel est proximus seu propinquus, vel remotus. Sanchez sup. intelligit de stipite ita propinquo, ut virtus ejus in descendentibus perseveret.

Quàmvis enim (inquit) virtus primi parentis Adami perseveret in omnibus descendentibus secundùm similitudinem specificam; at non perseverat secundùm similitudinem individuam, juxtà quam avus & parentes assimilant sibi prolem, quæ eorum imaginem complexionisque ac morum effigiem refert. Nam virtus paterna non secundùm totam suam perfectionem descendit in filium, sed imperfectiùs, & eo debilior ac imperfectior est, quò in plures generationes derivatur, ac tandem in tot protendi potest, ut omninò debilitetur, & sic consanguinitatis ratio deficiat: ut Auctor est D. Isidorus lib. 9. Etymolog. c. 6. & refertur cap. *Consanguinitas*, 35. q. 4. Hæc ille ex D. Tho. sup. allegato.

An consanguinitatis ratio possit deficere.

18. *Videtur quòd sic ex D. Isidoro.*

Describo ego verba S. Isidori: *Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, usque ad ultimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursùs lex Matrimonij vinculo repetit, & quodammodò revocat fugientem. Ideò autem usque ad sextum generationis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut sex ætatibus mundi generatio & status hominis finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.* Manifestum autem est ex toto contextu d. cap. 6. Isidorum ibi locutum fuisse de solis gradibus consanguinitatis in linea transversali.

Loquitur de gradibus transversalibus.

Hinc ex eodem Isidoro 35. q. 5. c. 1. hæc verba referuntur: *Series consanguinitatis sex gradibus hoc modo dirimitur: Filius & filia, quod est frater & soror, sit ipse truncus: illis seorsim sejunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi, nepos, neptis, primus; pronepos, proneptis, secundus: abnepos, abneptis, tertius: atnepos, atneptis, quartus: trinepos, trineptis, quintus: trinepotis filius, & trinepotis filia, sextus:* Quis non videt, hos esse gradus lineæ lateralis.

19. *In linea recta nunquam deficit juxtà Scotum.*

Demus ergò in gradibus hujus lineæ tandem consanguinitatis rationem deficere, saltem in morali æstimatione hominum, & prout subest prudenti æstimationi: equidem in linea recta, dicimus cum Scoto, nunquam deficere: *De secundo* (inquit Doctor sup. n. 4.) *dico, quòd in omni lege aliqua propinquitas impedivit. In lege naturæ illa sola, ut dictum est, in primo gradu in linea descendente ex illo verbo Adæ:* Relinquet homo patrem & matrem, *quantùm ad copulam conjugalem, & non intelligitur tantùm de patre proximo, sed de quocumque in linea recta, ita quòd si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam uxorem.* In quibus verbis continetur nostra Conclusio, de qua statim plura.

20. *Quid sit linea consanguinitatis,* Scotus. Sanchez.

Præmittamus pauca pro clariori notitia lineæ & gradûs. Linea consanguinitatis, ut sup. audivimus ex Scoto, est ordo personarum consanguinitate junctarum. Vel, ut Sanchez sup. n. 2. est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium, diversos continens gradus, seu potiùs ipsæmet personæ consanguineæ collectivè sumptæ. Ut acervus lapidum dicuntur ipsimet lapides in unum coacti. Duciturque similitudo à linea Mathematica, in qua plura ordinatim continentur puncta. Hæc ille.

21. *Quid sit gradus, ex*

Porrò gradus secundùm Scotum sup. est determinata propinquitas personæ ad personam secundùm consanguinitatem. Vel, ut Sanchez sup.

Scoto & Sanchez.

sup. est habitudo seu mensura distantium personarum, quâ cognoscitur, quotâ consanguinitatis distantiâ aliqui consanguinei conjungantur. Et sunt gradus ad similitudinem graduum scalæ, per quos à proximo in proximum tendimus, sursùm ascensuri, aut deorsùm descensuri, l. *Iurisconsultus*, ff. de Gradibus, vers. 10. *Gradus autem dicti sunt à similitudine scalarum locorumq; proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus.*

A quo gradus dicti, ex l. 10. ff. de Grad.

22. *Linea consanguinitatis est triplex, ascendentium, descendentium,*

Rursùs (inquit Sanchez) linea consanguinitatis est triplex, quædam ascendentium, in qua continentur personæ, à quibus origo deducitur, ut pater, avus, proavus, atavus: alia descendentium, quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, ut filios, nepotes, pronepotes, trinepotes: & hæc duplex linea est, re ipsâ eadem; nam eodem gradu ascenditur & descenditur in scala: distinguitur autem ratione. Quia quatenùs per illam ascenditur ad stipitem, dicitur ascendentium: quatenùs autem descenditur ad sobolem, à stipite procedentem, dicitur descendentium. Et hæc appellatur linea recta: quòd contineat directos gradus, per quos ad progenitores ascenditur, & ad progenitos descenditur, & ad neutrum latus deflectitur.

Et linea transversa.

Tandem est alia linea collateralis seu transversa, in qua continentur personæ, quæ ex latere, & ex transverso junctæ sunt, à quibus nos non ducimus originem, nec ipsæ à nobis, & tamen ab eodem stipite & sanguine descendimus; ut fratres & eorum filij, patruus, amita.

23. *Hæc est duplex, æqualis, & inæqualis.*

Hæc autem transversa linea est duplex, quædam æqualis; nimirum, in qua continentur gradus consanguineorum, æquè à stipite distantium, ut sunt duo fratres, aut duorum fratrum filij. Alia verò inæqualis, nempè, quando consanguinei transversi seu collaterales distant inæqualiter à communi stipite, in quo uniuntur, ut contingit in patruo & amita, respectu consobrini; distat enim consobrinus ab illis in secundo gradu dispari. Quòd patruus & amita distent à communi stipite, nempè ab avo consobrini, in quo proximè uniuntur in solo primo gradu, utpotè qui ejus filij sunt. At consobrinus distat ab avo in secundo gradu tamquam ejus nepos. Tandem dividi solet linea in maternam, cujus scilicet est caput mater, & in paternam, cujus caput est pater. Hûc usque Sanchez.

Alia divisio in lineam paternam & maternam.

24. *Sanchez non dissentit à Scoto.*

Qui utique à Scoto nullatenùs in re dissentit, sed tantùm in vocibus, nisi quòd Scotus expressè non meminerit duplicis lineæ transversæ seu transversalis, neque ultimæ divisionis lineæ in maternam & paternam. Nec mirum, quia hæc divisio minimè deservit Matrimonio, ut Sanchez ibi fatetur. Alteram autem divisionem satis insinuat in Regulis, quas ibidem immediatè subjungit.

Prima regula consanguinitatis, ex Scoto.

Prima (inquit) *regula hæc est: In linea recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, unâ minùs. Hoc probatur; quia tot gradus, quot propagationes, cùm gradus sit habitudo vel propinquitas inter personam & personam: sunt autem personæ unâ plures, quàm propagationes: quia præsupponitur toti collectioni aliqua ibi non propagata.*

25. *Est communiter recepta, & magis explicatur, ex Sanchez.*

Atque hæc regula est communiter ab omnibus recepta, ad dignoscendum, quoto gradu una persona distet ab altera in linea recta, quam Sanchez sup. n. 4. diffusiùs explicat hisce verbis: Quando persona, cujus gradus quæritur, est in linea recta ascendentium vel descendentium cum alia, si inter ipsam & alteram personam nulla persona mediet, sunt illæ in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ; ut sunt parentes & filij. Si verò inter ipsas aliqua persona aut multiplex mediet, tunc numeratis omnibus personis mediis & extremis, dematur de numero illo una persona, & quot personæ restant, tot sunt gradus: v. g. nepos distat ab avo in secundo gradu lineæ rectæ: quia sunt duæ personæ extremæ, nimirum nepos & avus, & una media inter ipsas, nempè pater nepotis, & ita demptâ una manent duæ, & sic duo gradus. Et proavus distat à pronepote in tertio gradu. Quia sunt duæ personæ extremæ, nempè abavus & pronepos, & duæ mediant, nempè pater & avus pronepotis, sublatâ ergò unâ ex his quatuor, manent tres, & subinde distant in tribus gradibus.

26. *Ratio regulæ.*

Ratio autem hujus regulæ est; quia pater secundùm se non constituit gradum, sed in ordine ad illum, qui ab ipso descendit: ergò pater cum filio ab ipso descendenti constituit primum gradum; & præterea ipse filius cum altero filio, qui ab ipso procedit, constituit alterum gradum. Jam igitur inter has tres personas, videlicet avum, patrem & nepotem, dantur duo tantùm gradus. Et consequenter tot sunt in hac linea computandi gradus, quot sunt personæ ab invicem procedentes, unâ demptâ. Ita Sanchez.

27. *Explicatur D. Isid. qui posset videri contrarius huic regulæ.*

Et prosequitur dicens: Unde dum D. Isidorus, relatus cap. *Primo gradu*, 35. q. 5. ait, in primo gradu superioris lineæ contineri patrem & matrem, & in primo inferioris filios, non sentit solos parentes constituere unum gradum, & filios alium, ac proindè distare inter se in secundo gradu, quod est contrà priorem regulæ traditæ partem, & contrà veritatem ipsam: sed mens ejus est, parentes constituere extremum superius primi gradûs, filios autem inferius ejusdem gradûs: hic enim ex duobus extremis constare debet.

Explicatio sumitur ex l. 1. ff. de Gradibus.

Et satis probatur ex l. 1. ff. de Gradibus, quæ sic incipit: *Gradus cognationis alij superioris ordinis sunt, alij inferioris, alij ex transverso, sive à latere. Superioris ordinis sunt parentes, inferioris liberi, ex transverso sive à latere fratres & sorores liberiq; eorum.* Et infrà: *Primo gradu sunt suprà pater, mater, infrà filius, filia.* Atque hæc de prima regula pro linea recta.

28. *Secunda regula, ex Scoto.*

Sequitur secunda pro linea transversali. *In transversali* (inquit Scotus sup. n. 3.) *computantur gradus secundùm magis remotum à stipite, extrà de Consang.* Vir, qui à stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundùm regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto

gradu

gradu remotior differt à ſtipite, & à quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem, licitè poſſunt matrimonialiter copulari.

Ejus ratio. *Et ratio hujus eſt; quia perſonæ, quæ ſunt in linea tranſverſali, non habent inter ſe propinquitatem, niſi ratione ſtipitis; & ideò non poſſunt inter ſe propinquiùs conjungi, quàm remotior eorum conjungatur ſtipiti.* Ita Doct. Subtilis & alij communiter.

29. *Notabilis Gloſſ. in c. fin. de Conſan.* Audiatur Gloſſ. d. cap. fin. *Vir qui à ſtipite*, verb. *Remotior*: *Si vis*, inquit, *ſcire, in quo gradu aliquæ perſonæ diverſarum linearum ſibi attineant, recurre ad communem ſtipitem ſive parentem, à quo deſcenderunt, & deſcende æqualiter computando per ambas lineas, quouſque altera illarum primò occurrat: & ſi ambæ ſimul occurrant, erunt in eodem gradu primo, ſecundo, tertio, vel quarto: & iſtæ perſonæ, quæ æqualiter deſcendunt, non dicuntur diſtare à gradu, ſed potiùs ſunt in gradu æquali deſcendente a communi ſtipite æqualiter, & ſi ſunt infrà quartum gradum, non poſſunt matrimonialiter conjungi. Sed ſi una primò occurrit, quam altera, deſcende per lineam alterius uſque ad illam, & ſemper poſt illum gradum, in quo occurrit prima perſona, additur gradus pro numero perſonarum: & ſic habebis, quoto gradu una diſtat ab altera: & iſtæ perſonæ non dicuntur eſſe in gradu, ſed diſtant gradu, ſicut iſtæ perſonæ, de quibus hic dicitur, cùm una diſtet quarto gradu, & alia quinto à communi parente, quod planum eſt videre: & quoto gradu remotior perſona diſtat a communi parente, toto diſtat à quolibet alio deſcendente per aliam lineam.*

Perſonæ, quæ æqualiter deſcendunt, ſunt in æquali gradu.

30. *Exemplificatur.* *Verbi gratiâ: Communis parens iſtorum fuit Petrus, ejus filij fuerunt Martinus & Berta, qui ſunt in primo gradu: de Martino deſcendit Ioannes: de Berta ex alia parte natus fuit Robertus, qui Ioannes & Robertus ſunt in ſecundo gradu æqualiter deſcendentes à Petro: de Ioanne natus eſt Stephanus: de Roberto eſt Albertus natus, qui ſunt in tertio gradu & æqualiter deſcendunt à Petro tertio gradu: ſcilicet de Stephano natus eſt vir iſte, de quo hìc quæritur: de Alberto natus eſt Titius, qui eſt in quarto gradu cum viro iſto æqualiter diſtantes à Petro. Primo loco occurrit tibi vir iſte, qui quarto gradu diſtat à Petro, & ſic eſt ultima perſona in conſanguinitate Petri ex una linea, & Titius ex alia linea: de Titio nata eſt hæc mulier, de qua hìc quæritur, & diſtat quinto gradu à Petro, & ſic exivit jam conſanguinitatem Petri: ergò eodem gradu diſtat à quolibet alio deſcendente per aliam lineam, & ſic diſtat quinto gradu à Martino, Ioanne, Stephano, & ab iſto viro, videlicet filio Stephani: ideoq; rectè poteſt illum habere in virum & quemlibet deſcendentem à Petro per aliam lineam poſſet accipere, cùm omnes illæ perſonæ huic ſint in quinto gradu.* Hactenùs Gloſſa. Quam totam referre volui, quia ſolemnis eſt, & ab omnibus recepta.

31. *Qui diſtant inæqualiter à communi ſtipite, eo gradu diſtant inter ſe, quo remotior.* Igitur quoties perſonæ, in linea tranſverſa conſanguineæ, diſtant inæqualiter à communi ſtipite, eo gradu diſtant inter ſe, quo remotior diſtat à ſtipite, ut patruus & filius ex fratre diſtant inæqualiter ab avo, in quo uniuntur; ille enim diſtat in primo gradu, eſt enim ejus filius; hic verò diſtat in ſecundo, utpotè qui eſt ejus nepos: diſtabunt igitur inter ſe in ſecundo conſanguinitatis gradu. Alioquin, ſi penes diſtantiam propinquioris computatio foret facienda, minimè poſſent gradus commodè diſtingui. Nam (inquit Sanchez ſup. n. 6.) quando alter eſſet in primo gradu cum ſtipite, alter verò in quarto, eſſent conjuncti inter ſe in primo gradu, atque ita æquè ac fratres. Quare graduum confuſio non immodica inde conſurgeret. Hæc ille. Sanchez.

Sed quæro ego; quid ſi perſonæ, quarum gradus quæruntur, ſint in linea tranſverſa æquali? reſpondet Sanchez ſup. n. 5. (& erit regula tertia, quam Scotus omiſit tamquam ſatis notam) eodem gradu diſtant inter ſe, quo diſtant à communi utriuſque ſtipite proximo: ut duo fratres diſtant inter ſe in primo gradu, quia in eo diſtant à proximo ſtipite, in quo conjunguntur, qui eſt parens: Filij duorum fratrum ſunt conſanguinei in ſecundo gradu, quia in eodem conjunguntur in communi utriuſque ſtipite proximo, qui eſt avus. 32. *Tertia regula conſanguinitatis, ex Sanchez.*

Ratio autem eſt; quia cùm tota & adæquata conjunctionis horum ratio ſit unio cum ſtipite, jure optimo computantur gradus penes diſtantiam ab illo: nec magis aut minùs poſſunt inter ſe diſtare, quàm à ſtipite. Et ita regula hæc traditur cap. *Ad Sedem*, quod eſt Alex. 2. & cap. *Parentelæ*, quod eſt Zachariæ Pontificis, 35. q. 5. *Parentelæ gradus taliter computamus: ſiquidem ego & frater meus una generatio ſumus, primumq; gradum efficimus, nulloq; gradu diſtamus. Rurſus filius meus, fratriſq; mei filius ſecunda generatio ſunt, ac gradum ſecundum faciunt, nec à ſe aliquo gradu ſeparantur. Atque ad hunc modum cæteræ ſucceſſiones numerandæ ſunt.* *Ratio ejus.*

Quòd ſi objicias (inquit Sanchez ſup.) filium conjunctiorem eſſe parentibus, quàm fratri: ergò ineptè in eodem gradu computantur. Dic, conjunctiorem eſſe parentibus intenſivâ perfectione propinquitatis: perfectior enim eſt propinquitas filij ad parentes, cùm ſit effectûs ad cauſam: quàm fratris ad fratrem, cùm ſit propinquitas effectuum, ab eadem cauſa promanantium. Non autem eſt propinquior parentibus extenſivè. Hæc enim propinquitas extenſiva ſolùm attenditur penes diſtantiam ab eodem ſtipite: at non magis diſtant fratres inter ſe, quàm à parentibus. Sic ille. 33. *Occurritur objectioni.*

Obſervandum tamen eſt, in hac graduum computatione in linea recta concordare jus Canonicum cum civili; ac proinde primam regulam juris utriuſque computationi deſervire: at diſſidere in computatione graduum in linea tranſverſa: jus enim Canonicum eos computat, modo tradito in duabus poſterioribus regulis; at jus Civile longè aliter computat. 34. *Aliter jus civile computat gradus in linea tranſverſa, aliter jus Canonicum.*

Auſcultate d. cap. 2. 35. q. 5. *Ad Sedem Apoſtolicam perlata eſt quæſtio, noviter exorta de gradibus conſanguinitatis, quam quidam Legum & Canonum imperiti excitantes, eoſdem propinquitatis gradus contrà ſacros Canones & Eccleſiaſticum morem numerare nituntur, novo & inaudito errore affir-* *Ex c. 2. 35. q. 5.*

mantes, quòd germani fratres vèl sorores inter se sint in secunda generatione, filij eorum vel filiæ in quarta, nepotes vel neptes eorum in sexta. Taliq; modo progeniem computantes, & in hujusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere. Et ad hujusmodi profanum errorem confirmandum in argumentum assumunt sæculares leges, quas Iustinianus Imperator promulgavit de successionibus consanguineorum. Quibus confisi ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes in sexto. Sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum Patrum, & antiquam Ecclesiæ computationem, ad nos usque productam, perversâ quâdam calliditate disturbare nituntur. Ita Alex. 2.

35. *Qualiter numeret jus civile,* Igitur jus civile non numerat gradum, in quo altera persona distat à stipite, ut facit jus Canonicum; sed numerat gradus omnes utriusque personæ, & tot constituit gradus distantiæ inter illas, quot habent distantiæ à stipite, numeratis utriusque personæ gradibus, v. g. duo fratres distant à communi parente in primo gradu, numerat jus civile gradum primum, quo uterque distat à parente, tamquam duplicem, alterum in uno fratre, & alterum in altero: & ita jure civili distant inter se in secundo gradu. Similiter filij duorum fratrum distant in quarto gradu, quia quilibet distat à stipite in secundo gradu. Patruus & consobrinus distant in tertio gradu. Quia ille distat à stipite in primo, hic autem in secundo, ac subinde triplex constituitur gradus.

36. *Regula pro computatione civili.* Quare breviter pro computatione graduum in linea transversa, attento jure civili, hæc sit regula: Si linea est æqualis, quoto gradu quis distat à communi stipite, toto duplicato distat inter se: si verò linea sit inæqualis, quot sunt personæ, computatis extremis & mediis, stipite dempto, tot sunt gradus: ut duo fratres jure Canonico distant inter se in linea æquali in primo gradu, jure civili distant in duplici gradu. Patruus & filius ex fratre distant in tertio gradu; quia sunt duæ personæ extremæ, & una mediat inter communem stipitem, nempè avum, videlicet pater illius consobrini. Hucusque Sanchez sup. n. 7.

37. *Quæ ratio hujus diversitatis.* Rogas: quæ ratio hujus diversitatis? Consule d. Cap. *Ad Sedem Apostolicam*, & dicet tibi Alex. 2. *Nos, Deo annuente, hanc quæstionem discutere curavimus in Synodo, habita in Lateranensi consistorio, convocatis ad hoc opus Episcopis & Clericis, atque judicibus diversarum provinciarum. Denique diu ventilatis legibus, & sacris Canonibus, distinctè invenimus ob aliam atque aliam causam, alteram Legum fieri, alteram Canonum computationem.*

Leges civiles attendunt hæreditates: Canones autem nuptias. *In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus verò ob hoc progenies computatur, ut apertè monstretur usque ad quotam generationem à consanguineorum sit nuptiis abstinendum. Ibi præscribitur, ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò, ut ritè & canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distinctè non numerantur gradus, nisi usque ad sextum: in Canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem.*

Hac igitur de causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcircò curavit sæcularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia verò nuptiæ sinè duabus non valent fieri personis, ideò sacri Canones duas in uno gradu constituere personas. Ita Alex. 2.

38. *Vtraque computatio idem sentit, juxtà Alex. 2.* Et actutùm subdit: *Vtramque tamen computationem, si attentè ac subtiliter perspecta fuerit, idem sensisse, & eamdem esse in eis sententiam, atque ad eumdum terminum convenire, manifestissimum erit. Iustinianus namque, usque ad quem gradum consanguinitas ipsa perduret, in suis legibus non definivit. Canones verò ultra septimam nullam numeravêre generationem. Sexto quippe gradu determinato, in ipsis legibus subintulit Imperator*: Hactenùs ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus. Generata quippè persona semper gradum adjicit.

Ecce in his brevibus verbis apertè ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantùm usque ad sextum, verùm etiam ultrà numerari debere; quippè cùm ultra sextum ulteriores gradus numerandos esse decernat. Vbi enim ulteriores nominat gradus, apertè indicat, non sex tantummodò esse gradus, sed sex finitis, adhuc alios numerandos. Nec mirum, cùm in præcedentibus ipse firmaverit Imperator, decimo etiam gradu consanguineos sibi inter se posse succedere. Cùm decimum nominat, non esse tantummodò sex, luce clariùs confitetur.

39. *Computatio juris Canonici servanda est in Matr.* Utut sit de hac convenientia utriusque computationis, certum est esse aliquam discordantiam, ut satis patet ex prioribus verbis Pontificis, & ex communi omnium sententia. Et verò computationem juris Canonici servandam esse quoad Matrimonia, nemo dubitat. Quia circà hæc jus civile disponere nequit. At quoad successiones, omninò servanda est computatio juris civilis, cujus est de his disponere. Ita Sanchez sup. n. 8. cum aliis, quos citat.

Idque in utroque foro, ex Covar. Idque verum existimat & servandum in utroque foro, Covar. 4. Decret. part. 2. c. 6. §. 6. n. 8. ibi: Quò fit, ut promiscuè in utroque foro quoad conjugia Canonum computatio probanda sit. Ita Gloss. in arbore consanguinitatis; cui similis in §. *Hactenùs*, Inst. de Grad. cognat. quam putat singularem esse Franc. in cap. 2. de Arbitr. in 6. hæc est magis communis opinio. In hæreditatibus verò ac successionibus in utroque foro legalem computationem esse advertendam & observandam, prædicti omnes sentire videntur. In aliis autem contractibus actibusque cæteris similibus, quælibet computatio in proprio foro est servanda; nimirum civilis in foro sæculari, Canonica autem in foro Ecclesiastico.

40. *Quis gradus sit efficacior.* Cæterùm si à me quæritur; quis gradus efficacior sit, utrùm in linea recta, an in transversa? Respondeo verbis Scoti sup. *Ad propositum etiam est*

tacior in recta, an in tranſverſa lineæ, ex Scoto.

eſt una regula ; quòd efficacior gradus eſt in linea deſcendente, quàm in tranſverſali. Et ratio naturalis eſt ; quia plus conjungitur proles parenti, quàm proles proli : & ideò magis eſt contra legem naturæ, conjungi in primo gradu in linea rectâ, quam in tranſverſali : ſemper enim fuit contra Matrimonium illa conjunctio ; & magis filij ad matrem, quàm patris ad filiam, quia major irreverentia eſt. Vnde 8. de Animalibus dicit Ariſtoteles de equo, qui velatus cognoverat matrem ſuam, quòd poſtea diſcoopertis oculis videns hoc, ſe præcipitaverit. Et alibi legitur de elephante, qui ingeniatus , ut matrem ſuam cognoſceret, poſt hoc ingeniatorem occidit ; ex quo patet, quòd hoc eſt contra legem naturæ, etiam ut competit brutis per propagationem , & ideo primus gradus deſcendens & potiſſime matris ad filium, maximè impedit Matrimonium.

41. *An 1. gradus lineæ rectæ dirimat jure naturæ.*

Sed numquid ſic impedit, ut etiam dirimat ? Et numquid dirimit jure naturali? Conſtat apud omnes, non eo ipſo, quòd Matrimonium jure naturæ interdicitur, conſequi, eodem jure ipſum irritum fore. Quippe Matrimonium, contrà priorem ſponſalium fidem, aut adverſus ſimplex caſtitatis votum initum adverſatur juri naturali , dictanti fidem Deo per votum, & homini per ſponſalia datam , præſtandam eſſe ; cùm tamen conſtet in neutro eventu Matrimonium fore irritum. Sic ergò fieri poſſet, ut Matrimonium foret illicitum jure naturæ in aliquo gradu conſanguinitatis, tametſi validum eodem jure.

42. *Quæ dicantur præcepta naturalia, ex Sanchez.*

Rogas : quæ dicantur præcepta naturalia ? Reſpondet Sanchez ſup. diſp. 51. n. 4. quæ ſolo naturali lumine ſinè aliquo diſcurſu, aut ſaltem facillimò dignoſcuntur, & apud omnes nationes bene inſtitutas ſunt eadem , habentque eamdem rectitudinem.

Fornicari poteſt aliquâ ratione honeſtari.

Et hæc quidem (proſequitur) aut prohibent rem ita intrinſecè malam, ut nullâ ratione, in nulloque eventu cohoneſtari poſſit, quale eſt mentiri aut fornicari. Vel rem ſemper malam, & apud omnes , talem tamen, ut ratione extremæ indigentiæ excuſari poſſit : ut eſt furtum. Ita Sanchez.

Ego autem dico : fornicari aliquâ ratione, & in aliquo eventu, poſſe honeſtari, fortè etiam mentiri ; ſcilicet ſi Deus ea præciperet diſpenſando in illis præceptis ſecundæ tabulæ ; unde pro exemplo meliùs poſuiſſet odium Dei, quod Deus nullatenùs poteſt præcipere.

Prætereà dico : furtum non excuſari ratione extremæ indigentiæ, ſed benè acceptionem rei alienæ invito Domino, quæ eſſet furtum , niſi excuſaret extrema indigentia ; nam, eâ ſtante, Dominus non eſt rationabiliter invitus, quod requiritur , ut acceptio rei alienæ ſit furtum ; ac proindè in extrema neceſſitate non eſt furtum.

43. *Aliquid eſt de lege naturæ dupliciter, ex Scoto.*

Dico tertiò cum Scoto 4. diſt. 33. q. 1. n. 7. *Aliquid eſt de lege naturæ dupliciter, ſcilicet primò, quod eſt verum practicum ſimpliciter notum lumine rationis naturalis, & ita potiſſimum gradum tenet principium practicum notum ex terminis. Secundum gradum tenet concluſio demonſtrata ex talibus principiis. Secundariò autem eſt de lege naturæ, quod regulariter conſonum eſt legi naturæ primo modo dictæ. Circà primum nulla cadit diſpenſatio : & ideò ejus oppoſitum ſemper videtur eſſe peccatum. Circà ſecundum in caſu cadit diſpenſatio, in quo communiter oppoſitum videtur conſonum legi naturæ.*

44. *Quæ ſint ex ſe neceſſaria ad honeſtatem creaturæ rationalis.*

Breviter : lex naturalis præcipit ea fieri, quæ vel ex ſe neceſſaria ſunt ad honeſtatem rationalis creaturæ, vel tantam habent cum ea conformitatem, ut propterea à Deo tamquam Auctore naturæ fuerint Angelis hominibuſque ab initio inſpirata. Ex ſe autem neceſſaria ſunt omiſſio poſitivæ irreverentiæ Dei, ſive per idololatriam, quæ prohibetur primo præcepto Decalogi, ſive per falſum juramentum, quod prohibetur ſecundo præcepto Decalogi.

Ratio : quia ſinè quo non poteſt aliqua res attingere ſuum finem, illud ex ſe ſeu naturâ rei eſt illi neceſſarium. Et ideò ex ſe malum eſt corpori gravi ferri ſurſùm, & ex ſe neceſſarium eſt ferri deorſùm ; quippè motus deorſùm neceſſarius eſt, ut centrum ſuum ſeu finem poſſit obtinere. Atqui rationalis creatura non poteſt attingere ſuum finem ultimum, qui eſt Deus, ſi admittat illa, quæ neceſſariò avertunt à Deo, qualia ſunt habere Deos alienos, & aſſumere nomen Dei in vanum ; ergò omiſſio horum actuum eſt ex ſe neceſſaria ad honeſtatem rationalis creaturæ, & illi actus non poſſunt non habere aliquam indecentiam & inconvenientiam moralem, etiam ſecluſo quocumque præcepto ſuperaddito ; quippè formaliter avertunt hominem à Deo, cum qua averſione nequit omninò ſtare conſecutio ultimi finis, qui eſt Deus.

45. *Et quæ non.*

At verò præcepta 2. Tabulæ Decalogi, ſaltem pleraque, non verſantur circà rem neceſſariam conſecutioni ultimi finis : verſantur ſiquidem circà jus bonorum temporalium cuique tribuendum ; nempè ut quis honorem filiorum habeat, propriam uxorem, & alia bona poſſideat, ut vitam innocentem tueatur, quod jus conſtat non eſſe ex ſe neceſſarium, ſecluſo ſcilicet præcepto Divino ſuperaddito, ad ultimi finis conſecutionem, & ex inde ad honeſtatem rationalis creaturæ. Cur enim non poſſet hic finis haberi, ſi filij non eſſent parentibus obligati, ſi uxores & alia bona forent communia, ſi denique liceret ex gravi cauſa innocenti vitam auferre ; v. g. ſi ad liberandum totam civitatem unus innocens occideretur , vel occiderentur filij monſtroſi, ne eſſent infamiæ parentibus vel humano generi?

46. *In illis non cadit diſpenſatio. ſecùs in his, ex Scoto.*

Attendite Scotum 3. diſt. 37. q. un. n. 5. *Ad quæſtionem dico, quod aliqua poſſunt dici eſſe de lege naturæ dupliciter. Vno modo tamquam prima principia practica, nota ex terminis, vel concluſiones neceſſariò ſequentes ex eis : & hæc dicantur eſſe ſtrictiſſimè de lege naturæ. Et rationes contra primam opinionem probant, quod in talibus non poteſt eſſe diſpenſatio, quas concedo : ſed talia non ſunt quæcumque præcepta ſecundæ tabulæ : quia rationes eorum, quæ ibi præcipiuntur vel prohibentur, non ſunt principia practica ſimpliciter neceſſaria, nec concluſiones ſimpliciter neceſſariæ : non enim in his, quæ*

præ-

præcipiuntur ibi, est bonitas necessaria ad bonitatem ultimi finis, convertens ad finem ultimum: nec in his, quæ prohibentur, est malitia necessariò avertens a fine ultimo, quia si bonum istud non esset præceptum, posset finis ultimus amari & attingi, & si illud malum non esset prohibitum, staret cum eo acquisitio finis ultimi.

De præceptis autem primæ Tabulæ secùs est; quia illa immediatè respiciunt Deum pro objecto. Duo quidem prima, si intelligantur esse tantùm negativa, primum: Non habebis Deos alienos, *secundum*: Non assumus nomen Dei tui in vanum, *id est, non facies Deo tuo irreverentiam: ista sunt strictè de lege naturæ: quia sequitur necessariò*: Si est Deus, est amandus ut Deus, & quòd nihil aliud est colendum tamquam Deus, nec Deo est facienda irreverentia: *& per consequens in istis non poterit Deus dispensare, ut aliquis possit licitè facere oppositum talis prohibiti.* Hæc Doct. Subtilis.

47. *Ius naturæ dirimit Matr. in quocumque gradu lineæ rectæ.* Quæ uberiùs ibi explicat; sed jam dicta sufficient ad nostrum propositum, quod est, jus naturæ in quocumque gradu lineæ rectæ Matrimonium prohibere & dirimere, quæ est sententia Scoti, ut patet ex suprà dictis. Et quidem Omnes, nemine excepto, docent, Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ non solùm esse illicitum, sed etiam invalidum. Quantùm ad ulteriores gradus non conveniunt Doctores Catholici, ut statim videbimus.

Probatur dirimere in 1. gradu ex Sanchez. Sed unde, putas, efficaciter probatur communis doctrina? Nunquid ex eo, quòd tale Matrimonium omnes gentes benè instructæ, solo naturæ lumine edoctæ, nefandum existiment? Et Persæ, illud permittentes, notentur tamquam barbari? Ità probat eam Sanchez lib. 7. disp. 51. n. 7.

An efficaciter? Negat Perez. Verùm (inquit Perez hìc disp. 28. sect. 3. n. 3.) hæc ratio non vincit; solùm enim probat id Matrimonium, & ejus usum esse jure naturæ illicitum, non verò irritum, ut rem consideranti apparet manifestum. Hæc ille.

48. *Auctor existimat quòd sic, supposito quòd usus talis Matr. nullo eventu possit esse honestus.* Sed mihi rem consideranti manifestum apparet, quòd hæc ratio vincat, ex hypothesi, quòd probet id Matrimonium, & ejus usum, esse jure naturæ illicitum, ita ut nequeat ullâ causâ justâ honestari, ut ibidem docet hic Auctor, dicens: Existimo nullam aliam rationem firmiorem ad illud (scilicet, tale Matrimonium esse jure naturæ irritum) probandum adduci posse, nisi illam, quæ deducitur ex illo principio à nobis sup. tradito præced. sect. n. 6. nempè, homines non habere absolutum dominium corporum suorum, sed solùm tale, quale Deus illis concessit; atque ideò invalidè illud alteri per Matrimonium tradere aliâ ratione, quàm Deus illud concesserit: ex hoc enim principio formatur hæc ratio efficax. Nam dedecet infinitam honestatem ac sanctitatem Dei, dedisse homini voluntatem transferendi in alium dominium sui corporis ad eum usum, qui adeò est summè inhonestus, ac indecens, & rectæ rationi repugnans, ut nequeat ullâ causâ justâ honestari; talis verò est omnis usus Matrimonij inter patrem & filiam, & inter filium & matrem, cùm constet, copulam parentis cum prole naturam ita graviſſimè abhorrere, ut etiam plurima bruta eam abhorreant, nec ad eam adigi possint. Igitur dicendum est, Deum numquam concessisse potestatem id Matrimonium contrahendi. Ita Perez.

Ego autem dico: si verum est, quòd ratio Sanchij vincat, tale Matrimonium, & ejus usum adeò esse illicitum, ut nequeat ullâ justâ causâ honestari; vincere quoque, tale Matrimonium esse invalidum; nam ideò invalidum, quia usus ejus summè inhonestus; ergò ratio, quæ vincit hanc inhonestatem, etiam vincit invaliditatem. Alioquì Matrimonium foret vinculum iniquitatis; quippè obligaret ad usum Matrimonij summè inhonestum, cùm tamen nemo ad malum possit obligari. 49. *Probatur.*

Quid lex naturalis dictet, ex Suarez. Lex naturalis (inquit Suarez lib. 5. de Legibus cap. 27. n. 7.) non tantùm dictat, quid honestum vel turpe in actione aliqua; sed etiam dictat, quid tale sit in usu illius vinculi vel effectûs, quem talis actus post se relinquere posset. Nam si talis usus habet turpitudinem intrinsecam ejusdem rationis cum turpitudine prioris actionis, tunc necesse est, etiam illum usum prohiberi ex vi ejusdem legis naturalis, & consequenter impediri effectum seu vinculum, quod solùm propter talem usum induci poterat. Nam si induceretur, esset etiam turpe & contrà rationem, quia esset iniquitatis vinculum; ut in exemplo de Matrimonio inter consanguineos in primo gradu videre licet. Sic Suarez.

Igitur in illo solo eventu, in quo usus talis Matrimonij foret honestus, tale Matrimonium foret validum. Si autem quæritur; an in aliquo eventu, & in quo, usus talis Matrimonij posset esse honestus, & per consequens honestum & validum tale Matrimonium. Respondet Perez sup. sect. 2. n. 11. Etsi solus pater & filia, vel mater & filius ex omni hominum genere supereſſent, non fore licitum in eo casu Matrimonium contrahere, nec Deum posse talem facultatem concedere. 50. *An in aliquo casu usus talis Matr. posset esse honestus. Negat Perez.*

Prima pars probatur; quia illud est adeò intrinsecè malum, & ita à ratione abhorrens, non secùs, ac mendacium, ut nullâ decenti causâ cohonestari posset. Secundum liquet; quia cùm talis usus nequeat ullo modo honestari, propter intrinsecam indecentiam, non secùs ac odium Dei & mendacium, non videtur possibilis Dei concessio ad tale Matrimonium & usum peragendum. Unde in eo eventu judicandum est, Deum velle totum genus humanum perire, ne talis indecentia committatur, præsertim cùm facilè potuisset illum casum impedire infinitis aliis modis decentissimis. Hæc ille. *Et probat.*

At verò Coninck disp. 32. postquam n. 13. probavit invaliditatem talis Matrimonij eo argumento, quod sup. Perez ex ipso descripsit, scilicet; omninò incredibile est, Deum dedisse homini potestatem transferendi in alium dominium corporis sui ad eum usum, qui nullo unquam casu futurus fuisset non summè inhonestus, & quem rectà ratio summè detestatur: atqui 51. *Coninck concedit de absoluta Dei potentia.*

qui talis est omnis usus Matrimonij inter prolem & parentem, ergò &c. Ex hoc, inquam, argumento infert n. 14. tale Matrimonium nullo unquam casu, sinè expressa Dei concessione (in qua, quò minùs de absoluta potentia fieri possit, nullam video implicantiam: quia Deo non desunt causæ, quibus illa concessio posset honestari) validè posse contrahi, etsi soli pater & filia ex omni hominum genere supererent. Ita Regius.

52. *Tale Matr. non est ita intrinsecè malum, sicut odium Dei.*

Quare, secundùm ipsum, & communem aliorum sententiam, usus talis Matrimonij, & per consequens tale Matrimonium, non habet eam intrinsecam indecentiam, quam habet odium Dei & mendacium; nam in his, juxtà communè sententiam, Deus non potest dispensare, seu concedere, ut licitè & honestè fiant. Et quàmvis de mendacio ego multùm dubitem, equidem de odio Dei non video rationem dubitandi.

An Deus possit dispensare in mendacio.

Mea autem ratio dubitandi de mendacio hæc est: quia non avertit formaliter ab ultimo fine, cùm immediatè non respiciat Deum, sed proximum, in cujus intellectu error generatur. Et aliundè non sequitur, si mendacium possit esse honestum, Deus posset mentiri; quia multa sunt, quæ Deus non potest facere, estò honestè fiant ab hominibus. Non posset igitur mentiri, non quia hoc repugnaret summæ ejus bonitati, nam suppono quòd non esset malum, sed quia hoc repugnaret summæ ejus veracitati, ratione cujus nec falli potest, nec fallere.

53. *In odio Dei nulla cadit dispensatio, quâ Deus illud præciperet*

Utut sit de mendacio, saltem in odio Dei non videtur Deus posse dispensare, illud præcipiendo; sic enim idem actus foret odij, & amoris, aversio Dei, & conversio; quia impletio præcepti Divini non potest non esse conversio, & amor aliquis Dei.

Igitur Matrimonium inter parentem & prolem non est tam malum, sicut odium Dei, si Deus in tali Matrimonio possit dispensare. Neque est ita intrinsecè malum (inquit Sanchez sup. n. 9.) ac mendacium: atque ideò posset Deus Opt. Max. dispensare, ut id Matrimonium iniretur. Quia nullus gradus tollit omninò finem Matrimonij, licet aliquo modo impediat. Ex eo enim conjugio nasci possunt liberi, & educari. Hæc ille cum aliis, quos citat.

Deus potest dispensare in prædicto Matr. ex Sanchez.

54. *Est etiam opinio Scoti.*

Estque hæc opinio à nobis omninò sequenda, tamquam Doct. Subtilis, qui loco sup. citato docet, Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ (excepto mendacio) eò quòd in his, quæ præcipiuntur, non sit bonitas necessaria ad bonitatem ultimi finis, convertens ad finem ultimum, nec in his, quæ prohibentur, malitia, necessariò avertens à fine ultimo. Iam autem liquet, in tali Matrimonio non esse malitiam, necessariò avertentem à fine ultimo, quin, si illud non esset prohibitum, staret cum eo acquisitio finis ultimi. Igitur in eo posset Deus dispensare, sicut in præceptis Decalogi secundæ Tabulæ, quæ non sunt de lege naturæ strictissimè seu strictè, sed latè tantùm; quia ea, quæ præcipiuntur, tantam habent conformitatem cum natura rationali, & ea quæ prohibentur, tantam difformitatem & indecentiam, ut propterea Angelis & hominibus à principio Deus ea inspiraverit tamquam auctor naturæ.

Oppositum non nititur solidâ ratione.

Atque hanc & non aliam indecentiam admittimus in Matrimonio & usu ejus inter prolem & parentem; ac proinde dicimus, Deum in eo Matrimonio posse dispensare, non minùs quàm in fornicatione, furto, homicidio &c. Nec oppositum solidâ ratione vel auctoritate nititur: solus, quòd sciam, Perez id docet, potiùs asserendo, quàm probando.

55. *An liceat, si soli pater & filia supererssent.*

Major difficultas est; an in aliquo eventu citrà specialem Dei dispensationem liceat & valeat tale Matrimonium, v. g. ratione extremæ indigentiæ; ut si soli filius & mater, aut pater & filia in mundo supererssent.

Affirmat Sanchez. & probat Primò ex D. Chrys. & Ambr.

Sanchez sup. n. 10. cum aliis multis, quos citat, existimat verius esse, tunc licere. Primò: quia sic D. Chrysostomus Homil. 44. in Gen. & D. Ambr. lib. 1. de Abraham, c. 6. excusant filias Loth à culpa, dum cum patre concubuere: existimabant enim nullum virum superesse, qui generationi deservire posset. Gen. 19.

Secundò ex ratione.

Deindè: quia malum ordinis inferioris cohonestari potest propter superioris ordinis bonum, ut dammum vitæ propter bonum rationis. Cùm ergò malum privatum irreverentiæ paternæ, consurgens ex tali Matrimonio, sit inferioris ordinis respectu boni communis, ad quod spectat conservatio speciei, poterit cohonestari, ut huic consulatur. Ita Sanchez.

56. *Consonat Pontius.*

Sequitur Basil. Pontius lib. 7. cap. 31. n. 5. ibi: Quàmvis adeò turpis sit (conjunctio inter parentem & prolem) occurrere potest aliud præceptum urgentius & efficacius, quo absque dispensatione ulla cessaret obligatio non contrahendi ea conjugia: ut si deficiat genus humanum, ut contigit in primi ævi Matrimoniis. Quæ existimatio, licet tempore illo non satis prudens, filiarum Loth peccatum aliquantulùm excusavit; crediderunt enim perire genus humanum, atque ideò licere sibi à parente posteritatem accipere; immò & nonnulli ex Patribus factum filiarum Lot non solùm non accusant, sed etiam à peccato liberant.

57. *Arridet ei, hoc Matr. potiùs lege divina, quàm naturali prohibitum esse.*

Nisi fortè quis dicat, Matrimonium patris cum filia, matris cum filio, Divinâ aliquâ lege potiùs prohibitum, quàm naturali, quæ quia consonat naturæ, naturalis dicatur, & traditione derivata sit: quod mihi aliquantulùm arridet, cùm non inveniam firmum aliquod argumentum, quod ostendat, hanc conjunctionem jure naturali nullam, cùm non opponatur ita clarè fini Matrimonij, quod necessarium esset, ut jurè naturali irritaret. Quàmvis hujus Divini præcepti, adhuc perservantis, nullum inveniam vestigium. Hactenùs Pontius.

Vestigium illius legis invenitur scriptum in cordibus hominum.

Ubi bene advertit, illam irritationem juris potiùs Divini esse, quàm naturalis strictè dicti, ut patet ex antedictis. Porrò vestigium hujus Divini præcepti, adhuc perseverantis, invenitur in cordibus hominum; nam lex naturalis, non solùm strictè dicta, sed etiam latè dicta, scripta est à Deo in cordibus hominum. Vestigium

ergò illud est lumen rationis, quod ante prohibitionem hujusmodi Matrimonij in lege veteri, dictabat, & adhuc dictat, illud esse planè illicitum, propter reverentiam debitam parentibus in actu conjugali, ad quem Matrimonium ex natura sua ordinatur, ut statim latiùs dicetur.

58. *Coninck requirit expressam dispensationem.* His tamen non obstantibus, oppositа sententia suos etiam habet patronos; Coninck sup. ubi præter extremam indigentiam requirit expressam dispensationem Dei: & continuò subjungit: Quòd autem aliqui dicunt, eo casu præsumendum fore, Deum dispensare, ut tales inter se contraherent, nescio quo fundamento dicant, cùm tunc potiùs præsumendum esset, Deum velle totum genus humanum interire, quod permisisset in eum statum incidere, in quo non posset ulteriùs licitè conservari, sine concessione rei, quæ ita à recta ratione abhorret: præsertim cum infinitis aliis modis decentissimis potuisset eum casum impedire.

Putat eam tali casu non esse præsumendam. Et confirmatur: quia si in tali casu liceret eam Dei dispensationem præsumere, multò potiore ratione possemus præsumere, Deum dispensare, ut quis cum secunda, vivente priore uxore, contraheret, quando hoc ad gravissima mala impedienda esset necessarium. Quia Deus hoc in veteri lege generatim concessit, illud verò nunquam. Ita Coninck.

59. *Resp. ad D. Chrys. & D. Ambr.* Respondet autem, Div. Chrysostomum & D. Ambros. tantùm velle, filias Lot ex perturbatione errasse tam circà mundi interitum, quàm circà necessitatem hujus remedij & actûs licentiam. Nam (inquit) etiamsi verè tunc illi soli fuissent in mundo, & tali casu licitè filia nuberet patri: tamen illæ excusari hâc ratione non poterant, quæ sine ullis nuptijs patri copulatæ sunt, eumque astu inebriârunt, ut ad tantum scelus ignarum pellicerent, quod sciebant sobrium nunquam admissurum. Incredibile autem est, tantis Patribus unquam venisse in mentem, ista, seclusâ ignorantiâ, potuisse unquam licitè fieri. Hæc ille.

Ego dico: non esse omninò incredibile, tantis Patribus aliquando venisse in mentem, quod postmodum multis viris doctis venit in mentem; scilicet suppositâ verâ necessitate extremâ, irreverentiam in tali casu cessare, quæ alioquin extrà necessitatem inveniretur in tali Matrimonio, & ejus usu.

60. *Aliquando cessat irreverentia in necessitate, quæ extrà eam foret.* Et verò quis nesciat (Theologis scribo) sæpè sæpiùs actum aliquem, qui extrà necessitatem gravis foret irreverentia, v. g. sumptio Eucharistiæ in malo statu, in necessitate excusari posse ab ea malitia? Cur sic itidem non posset excusari ab irreverentia copula inter patrem & filiam, ratione extremæ indigentiæ boni communis, tametsi extrà eam necessitatem foret gravis irreverentia? Non video, quid efficaciter obstet. Nam etiam in simili adducto, Deus aliis modis decentissimis posset impedire majorem irreverentiam, aliàs obventuram Eucharistiæ, nisi sumeretur in malo statu, ut considerantі manifèstum est. Licet ergò in casu proposito, Deus posset aliis modis decentissimis providere generi humano, tamen ad illos modos non tenetur, sed potest velle, ut per talem copulam species humana conservetur. Dicere: semper manet illa irreverentia, est petere principium; de hoc enim quæritur; & si alij affirmando probârunt, alij negando reprobârunt

Hinc Dicastillo disp. 7. n. 202. Sanè (inquit) quàmvis utraque sententia probabilis sit, probabilior mihi apparet prima, & fundamentum illius: nam secunda sine probatione assumit, adhuc pro tali casu perseverare irreverentiam, quod prioris sententiæ Auctores negant; neque enim pro tali casu necessitatis debetur illa reverentia ascendenti; id enim non est per se notum, alioquin viri doctissimi non negarent: immò illis potiùs apparet, talem irreverentiam non esse, propter rationem allatam. De sententia tamen Chrysostomi & Ambr., nihil ex iis locis certi colligitur, & ad excusandas filias Loth à peccato, satis est, quòd existimassent licere; quamvis errarent. Hæc ille. 61. *Dicastillo approbat primam sententiam.*

Sed audiamus nostrum Hiquæum in suo Comment. 4. dist. 40. q. un. n. 8. judicarem (inquit ille) esse illicitum (talem contractum) nisi Deus dispensaret, & deberi tunc ejus voluntatem expectari; præceptum enim illud: *Crescite & multiplicamini* &c. non comprehendit tale connubium; quia personæ sunt inhabiles jure Divino & naturali; & sicut non liceret citrà Matrimonium & contractum multiplicare, quia hoc lege Divina non est concessum; sic etiam neque personæ inhabiles eâdem lege ad Matrimonium, possunt illud inire ex obligatione præcepti propagationis, nisi Deus tollat impedimentum. 62. *Hiquæus amplectitur secundam sententiam. Probat 1.*

Deinde: quia finis Matrimonij est propagatio hominum in cultum Dei: in casu ergò illo incertum esset, an Deus vellet talem cultum, aut eos sic propagari, donec ipse suam voluntatem declararet; maximè stante impedimento, quod per ipsum solùm potest relaxari. Aliud autem est in casu, quo Religiosi soli manerent: quia illi lege Divinâ non sunt inhabiles ad Matrimonium, sicut pater cum filia, & mater ad contrahendum cum filio. Ita Hiquæus. *Secunda probatio.*

Et n. 9. ad rationes in oppositum respondet: quòd non solùm contractus sit irritus ex eo capite (putà irreverentiæ) quàmvis reverentia paterna, ne commisceantur, aut confundantur jura pietatis, & thori, sit bona congruentia, unde colligamus impedimentū; sed impedimentū oritur ex ipso contractu, ut fundatur lege Divinâ & naturali alterius societatis, & amicitiæ diversæ. 63. *Respondet ad rationes in contrarium. Ad 1.*

Quod additur de filiabus Lot, nihil confert; quia licet ille desiderio prolis commixtæ sunt cū parente ebrio; tamen certum est, non intercessisse connubium, quà defuit voluntas parentis ad contractum: ac proinde fuit copula illicita ex parte ipsarum, quàmvis magis excusabilis, quia ob finem successionis, & non libidinis habita. *Ad exemplum de filiabus Loth.*

Ad aliud, quàmvis verum sit, non obesse bono prolis aut fini Matrimonij, hìc & nunc in casu tale connubiū: tamē repugnat vinculo, quod nequit induci nisi in materia capaci, & intrinsecè repugnat contractui legitimo. Usque adhuc Hiquæus. 64 *Ad 3.*

Sed

Videtur petere principium.

Sed hìc rursùm petitur principium, : nam quærimus, an pro tali casu personæ sint inhabiles jure Divino & naturali ad Matrimonium ; an verò jus naturale & Divinum à principio illum casum non compræhenderit. Quòd non possint citrà Matrimonium copulari tali casu, quid mirum, cùm nulla sit necessitas? Nam possunt copulari contracto priùs Matrimonio.

65. *Deus potuit ab initio excepisse illum casum, & videtur sic fecisse.*

Et verò per solum Deum posse relaxari hoc impedimentum, libenter admittimus ; sed unde constat, in tali casu impedimentum illud stare ? Et Deum à principio non excepisse illum casum ? Sicut enim in tempore potest in illo casu dispensare seu impedimentum tollere ; sic etiam à principio potuit nolle impedimentum pro tali casu ponere. Et videtur noluisse ponere, quando voluit per Matrimonij usum genus humanum conservare, donec oppositum expressè declararet. Non declarat autem hoc ipso, quòd permittat hunc casum evenire ; quia potest habere alias justissimas rationes nobis incognitas ; adeoque incertum esset, an velit interitum generis humani, donec ipse suam voluntatem magìs declararet.

Fateor, Religiosi jure Divino aut naturali non sunt inhabiles ad Matrimonium ; sed tamen jure naturali impediuntur ; sicut ergò jus illud naturale, quo prohibentur contrahere in tali casu, absque alia dispensatione Dei aut hominis cessaret, quid ni similiter cessaret impedimentum dirimens inter patrem & filiam ?

66. *Refertur ex Hiquæo, aliquando Papam dispensasse in tali Matr.*

Cæterùm Hiquæus sup. n. 10. admittit sententiam Sanchij esse probabilem, si, inquit, verum est, quod à fide dignis audivi, nempè, fuisse confirmatum & dispensatum tale Matrimonium parentis cum filia, ex quo secuta est proles, utroq; ignorante impedimentum, donec avia secretò revelavit nepoti, se duxisse filiam, postquam aliquot annis in bona fide convixerunt ; dicitur autem communicasse casum Clementi 8. & Clementem ob circumstantias præponderantes scandali, & aliorum inconvenientium, dispensasse in foro interno, ut in tali Matrimonio, bonâ fide contracto, perseverarent. Viri fide digni id mihi retulerunt.

Expenditur ab eo.

Non inde sequitur, Matrimonium tale absolutè esse subjectum dispensationi Pontificiæ ; sed in circumstantiis, in quibus vinculum fortius Divini juris obligat, & gravissima damna & scandala alioquin sequerentur; idque judicarem tantùm in foro interiori, quando aliter nequit provideri : quia plenaria potestas, etiam ad casus quoscumque extenditur in ea circumstantia, quâ necessariò provideri debet saluti animarum: & materia hæc non est ita intrinsecè & ex objecto mala, ut sit omninò indispensabilis, ut lex strictè naturalis, sicut scandalum, quod ex dissolutione illius Matrimonij sequeretur, & alia pericula contrahentium. Hactenùs ille Auctor.

67. *Sed judicio Auctoris minùs rectè.*

Verùm enim verò haud satìs solidè, meo judicio. Consentio quidem, plenariam potestatem ad quoscumque casus se extendere, extrà saltem materiam juris naturalis strictè ; ast hanc plenitudinem potestatis competere seu inesse Summo Pontifici, constanter nego, nisi quis admittere audeat, Summum Pontificem posse dispensare in foro interiori in furto, homicidio, adulterio, & aliis similibus præceptis, quæ sunt tantùm juris naturalis latè dicti, in quibus, secundùm Scotum, Deus potest dispensare; nam & in illis dispensatio potest esse necessaria saluti animarum propter scandala aliorum, & gravissima damna, quæ alioquin sequerentur.

Nam sequeretur, Papam posse dispensare in Matr. consummato.

Quis non videt, nisi hìc & nunc dissolvatur Matrimonium fidelium consummatum, gravissima posse oriri scandala & damna ? An propterea diceret Hiquæus, Summum Pontificem in eo posse dispensare ? Deberet sanè dicere, si consequenter vellet loqui ; nam illud Matrimonium, secundùm Scotum, & Alios omnes, non est ita indissolubile, sicut lex naturalis strictè, & tamen talis dissolutio potest esse necessaria pro salute animarum, æquè atque dispensatio in casu proposito.

68. *Opponitur etiam c. 2. de Reg. juris.*

Et nonne cap. 2. de Regulis juris dicitur : *Vtiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur ?* Scio Gloss. ibi verb. *Veritas*, intelligere, quod hìc dicitur, de his quæ indispensabilia sunt, ibi : *Et intellige, quod hìc dicitur, de his, quæ indispensabilia sunt, & tale jus commune, quod indispensabile est, veritas appellatur.* Sed nunquid per jus commune indispensabile intelligit solum jus naturale strictè dictum ? Non est credibile. *Ius commune*, inquit, *quandoque indispensabile est, 1. q. ult.* Et si illa, *& de tali hìc loquitur, tale jus pro nullo scandalo relaxandum est.*

Describo verba d. cap. 1. quæst. ult. *Et si illa nonnunquam finenda sunt, quæ, si cæterorum constet integritas, nocere sola non valeant : illa tamen sunt magnoperè præcavenda, quæ recipì nisi manifestâ decoloratione non possunt.*

Ubi Gloss. verb. *Decoloratione*, inquit : Putà, *si esset latro vel ebriosus, ut extrà de Reg. juris*, Estote, *in fine*, ibi : *De manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri : ut stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietates, & similia.* Inter quæ, procul dubio enumerari possunt dissolutio Matrimonij consummati, & Matrimonium inter parentes & filios ; hæc igitur pro nullo scandalo relaxanda sunt.

69. *Auctor non assentitur d. dispensationi Clem. 8.*

Unde non assentior iis, qui dicunt, Clem. 8. dispensasse in Matrimonio sup. proposito; sed ad summum permisit illud, tamquam minùs malum, si verum est, tale Matrimonium jure naturæ, saltem latè dicto, esse illicitum, imò & invalidum.

Probatur Matr. in 1. gradu esse invalidum, ex Sanchez.

Porro etiam invalidum esse extrà casus jam adductos (putà, nisi à Deo specialiter dispensetur, aut occurrat extrema indigentia generis humani) probat præterea Sanchez sup. Quia ea conjunctio adversatur quodammodò substantiæ ipsius Matrimonij. Cùm enim hoc sit quidam contractus, & conjugalis amicitia, desiderat duo extrema distincta, quorum unum non sit alterius pars, juxtà id Gen. 2. *Et erunt duo in carne una.* At filij sunt quædam parentum pars. Non ergò possunt Matrimonio jungi.

Confirmatur.

Et confirmatur : quia cùm sint una caro per con-

conjunctionem naturalem, non sunt naturaliter habiles, ut ex eis denuò fiat una caro, ad quod tendit conjugium. Unde Adamus Gen. 2. afflatus Spiritu sancto antequam pronuntiaret, conjuges effici unam carnem, excluſit parentes à liberorum conjugiis, significans, id dictante ipso naturæ jure, alios à parentibus debere esse liberorum conjuges, ibi: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ.* Hæc ille.

70. *Alia probatio, ex eod.* Neque his contentus, aliam adducit probationem: Quia, inquit, adversatur primario Matrimonij fini, non simpliciter; ex concubitu enim parentum cum filiis potest subsequi proles, atque apud eos educari; sed ut convenienter fiat. Natura enim Matrimonij, ut convenienter ineatur ad generationem prolis, petit uxorem esse viro subditam, ac ejus sociam, eique parem in actu conjugali. At repugnat naturæ filium æqualem ac socium parentibus fieri in quodam actu naturali, quàmvis in contractu civili societatis id non dedeceat, ubi æqualitas est parvi momenti, ac facilè dissolvi potest contractus ille.

Insuper repugnat ei conjunctioni conjugali reverentia, parentibus præcepto naturali à filiis debita. Huic enim reverentiæ maximè adversatur conjugalis actus, qui sinè turpitudine quadam & irreverentia exerceri nequit, ut testatur D. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. ibi: *Nescio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddã naturale atque laudabile: ut cui debet causâ propinquitatis verecundum* (aliàs *reverendum*) *honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.* D. Aug.

71. *Ultima probatio.* Tandem: quia repugnat fini secundario Matrimonij, qui est concupiscentiam reprimere. Quòd parentes & filij in eadem domo habitent, & assiduè nocte & interdiu simul versentur: quamobrem si natura inter eos non irritasset Matrimonium, maximis incestibus aditus pateret. Quippè faciliùs cum eis peccata hæc perpetrantur, cum quibus jus est Matrimonij ineundi. Insuper juncti amore naturali sanguinis, & conjugij, vacarent effrenatè libidini. Ita Sanchez.

Impugnatur à Coninck Sed ex hac ratione sequeretur (inquit Coninck sup. n. 3.) nuptias debere esse illicitas inter ejusdem Domini famulos, ne fortè earum spe excitentur ad fornicationem. Itaque ex eo, quòd ob hominum malitiam contingat ex aliqua re sæpè aliqua mala nasci, non sequitur, eam esse omninò illicitam. Aliàs oporteret omnem usum vini esse illicitum, quia multi se inebriant. Et eadem ratio probaret, Matrimonium inter fratres & sorores non solùm esse illicitum, sed etiam invalidum, quia & ipsi in eadem domo habitant, & assiduè nocte & interdiu simul versantur. Et quàmvis id Sanchez admittat, ut infrà suo loco videbimus, tamen Alij multi negant. Quapropter hæc ratio non convincit intentum.

72. *Aliæ probationes ex D. Tho.* Porrò duas præcedentes rationes desumpsit Sanchez ex D. Tho. 4. dist. 40. q. 1. art. 3. ubi sic ait: *In Matrimonio illud contrà naturæ legem esse dicitur, per quod Matrimonium redditur incompetens respectu finis, ad quem est ordinatum. Finis autem Matrimonij per se & primò est bonum prolis, quod quidem per aliquam consanguinitatem, scilicet inter patrem & filiam, vel filium & matrem impeditur, non quidem ut totalitur tollatur; quia filia ex semine patris potest prolem suscipere, & simul cum patre nutrire & instruere, in quibus bonum prolis consistit; sed ut non convenienti modo fiat. Inordinatum est enim, quòd filia patri per Matrimonium adjungatur in sociam causâ generandæ prolis & educandæ, quam oportet per omnia patri esse subjectam, velut ex eo procedentem. Et ideò de lege naturali est, ut pater & mater à Matrimonio repellantur, & magis etiam mater, quam pater; quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus, derogatur, si filius matrem, quàm si pater filiam ducat in uxorem, cùm uxor aliqualiter viro debeat esse subjecta.* Hactenùs Doct. Ang. *Tiones desumptæ sunt ex D. Tho.*

Audite etiam Doct. Seraphicum eâd. dist. a. 1. q. 2. in. corp. *Dicendum, quòd vinculum consanguinitatis impedit* (intelligit impedimentum simpliciter, id est, impedimentum dirimens) *Matrimonium in aliquo sui gradu propter dictamen legis naturæ; in aliquo verò propter prohibitionem legis Divinæ; in aliquo propter statutum Ecclesiæ. Vinculum consanguinitatis, quod est stipitis ad prolem, impedit propter dictamen naturæ. Vnde naturale est apud omnes, quòd filius non conjungatur matri, & quòd filia non conjungatur patri.* 73. *Consonat Doct. Seraph.*

Et si quæratur ratio, quare hoc est; dicendum, quòd hoc est propter reverentiam & honorem, qui debet exhiberi patri & matri, & idcò non debent commisceri. Vel propter generationis successionem, quæ debet procedere, non retrocedere. Vnde non debet proles genita conjungi suo principio, ut gignat. Et hinc est, quòd natura dictat, quòd alio affectu tractandi sunt parentes, alio affectu tractari debent conjuges. Ideò propter dictamen naturæ impeditur Matrimonium per consanguinitatis primum vinculum, quæ est prolis genitæ ad suum principium. Ita D. Bonav.

Scitè ergò scripsit D. Ambr. Epist. 66. aliàs lib. 6. Epist. 48. quæ est ad Paternum: *Ne pater filiam suam accipiat uxorem, interdictum est jure naturæ, interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum, interdictum est inviolabili præscriptione pietatis titulo necessitudinis.* 74. *Ejusdem doctrinæ est D. Ambros.*

Ubi rationem assignat pietatem sive reverentiam debitam patri & matri, quam dicit inviolabiliter esse præscriptam, id est, in omni casu ordinario obligare, adeò ut usus conjugalis inter tales personas ex natura sua, & ex suo objecto, involvat indecentiam & inhonestatem.

Ex quo rectè infertur, ut sup. adhuc dixi, & iterùm dico, tale Matrimonium per se loquendo non valere; quia non est credibile, Auctorem naturæ instituisse validum aliquem contractum, qui nunquam possit habere licitum usum, ad quem ex natura sua ordinatur, & ad quem ex justitia obligat; sic enim esset vinculum iniquitatis. Iniquitatis, inquam, non ex aliquo accidente, quod facilè tolli 75. *Tale Matr. per se non valet.*

tolli poteſt, ut quando duo contrahunt, qui habent votum caſtitatis; ſed ex ipſa natura perſonarum, & copulæ carnalis inter illas, quæ præcisè, quia inter illas perſonas eſt, ex objecto ſuo eſt inhoneſta; neque de facili diſpenſatur, quia à ſolo Deo.

An omnes Gentiles illud abhorruerint.

Hinc, ut patet ex dictis, omnes Gentiles, benè inſtructi, ſolo naturæ lumine edocti, eam abhorruerunt; immò & beſtiæ, ut ſup. dixit Scotus, ab hujuſmodi concubitu abhorrent.

76. *Quòd non conatur oſtendere Caramuel.*

Sed contrà hoc arguit Caramuel Theol. Moral, lib. 2. n. 541. dicens: Patris & filij Matrimonium non fuiſſe contrà legem naturalem, expreſsè docuerunt multi Ethnici, quorum hiſtorias quotidie legimus in variis libris. Hiberni ingenio ſunt felices, & præcoces, habuerunt viros præclaros & doctos, antequam Evangelium admitterent, in ſua idololatria fuerunt exacti, timorati & ſoliciti; nihilominùs aliquando publicâ reſolutione decretum, licere filiam duci à patre.

77. *Ad hoc adducit hiſtoriam cujuſdam Regis Hiberniæ, ex Surio.*

Hiſtoriam expendit Surius die Majas 15. ex Petro Cameracenſi & aliis, aſſerens B. Dympnam pulcherrimam adoleſcentem, Regis Hiberniæ filiam, & cæleſti lumine illuſtratam, nomen dediſſe Chriſtianæ Religioni. Mortuâ matre, in Comitiis de Dympnæ ſponſo, Regis genero, imò futuro Rege tractabatur. Dilectæ filiæ Rex Monarcham, tantâ dignum Principe, exoptabat. Examinatur, controvertitur, diſputatur, & tandem ex plurium ſuffragiis Conſcripti Patres reſolverunt, cuinam deberet nubere, & Legati, belli & pacis doctiſſimi, Regi anxio Concilij reſolutionem inſinuarunt.

Nos quidem, inquiunt, Invictiſſime Rex, Majeſtatis tuæ juſſis obtemperantes, nullum præter te tantâ Principe dignum reperire potuimus; & præter Dympnam nulla eſt inter Principes digna te conjuge. Si placet, jube illam tibi potiùs felici Matrimonio conjungi. Placuit parenti reſolutio, diſplicuit virgini, quæ ſub initium diſſimulans, in Belgium profugit, ubi capitur, & in patriam redux, cùm conſtans remaneret, ultimâ ſententiâ condemnatur.

78. *Ait, inter Hibernos tale Matr. fuiſſe licitum.*

Omitto hujus hiſtoriæ circumſtantias aliquas, licèt digniſſimas ponderatione. Video tamen inter Hibernos ſupponi, talia Matrimonia eſſe licita; quia ſi ipſi ſenſiſſent, illa jure naturæ, cui etiam in Gentiliſmo tenebantur, eſſe irrita, nullo modo decreviſſent connubium, nec inſolenti decreto adquieviſſet Rex; aut ſaltem, ut vulgò ſatisfacerent, colore & prætextu juris excuſaſſent. Præſumendum eſt igitur non fuiſſe inſolens decretum, nullo contradicente.

Occurrit objectioni.

Nec ſufficit: reſtitiſſe conſtanter Beatam Principem, quia ipſa Chriſtiana erat, & in noſtra Religione interdicuntur talia Matrimonia. Imò hinc videtur deduci conjecturam aliquam in contrarium. Ideò Dympna corde virili reſtitit, quia Chriſtianis in primo gradu contrahere Matrimonia non licet; ergò ideò Regis Conſiliarij, imò & ipſemet Rex, connubium hujuſmodi inſtituerunt, quia in Religione idololatrica permittebatur; fortè eo collineantes, ut illam longiùs à Chriſtianiſmo averterent. Hucuſque Caramuel.

79. *An ex hac Hiſtoria reſtè inferatur; ergò tale Matr. non eſt irritum jure naturæ.*

Aſt, quæro ego: idololatria prohibita eſt jure naturali? Planè, inquis, idque jure naturali ſtrictè dicto, in quo nulla cadit diſpenſatio, quâ fiat honeſta & licita, & tamen Hiberni, licèt ingenio ſint felices & præcoces, & habuerint viros præclaros & doctos, Idololatræ erant tunc temporis, & idololatriam putabant licitam & honeſtam, eſtò repugnaret juri naturali ſtrictè. Ergò ex eo, quòd Conſiliarij iſti Regis decreverint Matrimonium parentis cum filia tamquam validum & honeſtum, non licet inferre; ergò Matrimonium iſtud jure naturæ non eſt invalidum aut illicitum. Et quid mirum, ſi errarent in præcepto latè dicto, qui errabant in præcepto naturali ſtrictè.

80. *Oſtenditur, quòd non.*

Nonne & olim & hodie aliquæ Gentes, etiam cultæ, admittunt & admiſêre polygamiam, libellum repudij & ſimilia, quæ ſunt tamen contrà jus naturale? Imò & nonnulli exiſtimârunt mendacium in aliquo caſu eſſe licitum, ut videre poteris apud Caſſianum Collat. 17. cap. 17. Num inde rectè infertur: ergò non eſt prohibitum lege naturali?

Sic ergò & illi Conſiliarij adhuc idololatræ, adeoque habentes intellectum obſcuratum, & quaſi legem naturalem deletam ex cordibus ſuis, ac ſolùm innitentes prudentiæ hujus mundi, quæ magis fatuitas eſt, quàmvis generaliter judicaſſent illicitum & invalidum tale Matrimonium; tamen propter circumſtantias occurrentes potuerunt facillimè dicipi, ut judicarent in tali caſu licitum; maximè cùm etiam hodie adhuc diſputetur, ut ſup. audivimus, an in aliquo caſu, ſinè expreſſa Dei diſpenſatione, valeat & liceat.

81. *Parùm curandum de judicio iſtorum Hibernorum.*

Atque ut Idololatræ illi judicaſſent generaliter tale Matrimonium validum & licitum, parum curandum de hujuſmodi judicio, quod provenit ab intellectu, ut dictū eſt, prorsùs excæcato & obvoluto tenebris ignorantiæ unius Dei. Unde decretum iſtud inſolentiſſimum fuit, & ideò B. Dympna jam illuſtrata lumine veræ fidei, conſtanter ei reſtitit malens mori, quam fœdari turpiſſimo Matrimonio cum proprio patre, & barbaro ac belluino cum eo congreſſu, à quo & beſtiæ abhorrent.

Quid ſentiat Caramuel de invaliditate talis Matr.

Igitur non eſt, quòd Caramuel dubitet de invaliditate talis Matrimonij, propter dictum decretum Conſiliariorum Regis Hiberniæ. Sed nunquid dubitat? Ibidem n. 545. Hanc ſtatuit tertiam concluſionem: Matrimonium in primo gradu rectæ lineæ (putà patris & filiæ, filij & matris) irritum jure naturæ docent Omnes. Et ſtatim ſubjungit: Subſcribo, ne ſingularis videar, licet non reperiam rationem, quæ perſuadeat eſſe hoc impedimentum naturale. Si contingat Auctores reperiri, qui negent, illis me adnumera, aliàs in ſententia communi remaneamus, dicentes eſſe contrà naturæ jus, licèt lumine naturæ conſule, non videatur habere aliquam repugnantiam. Meliùs eſt enim intellectum in doctrinæ communis

obsequium captivare, quàm aperire novam viam in materia gravissima.

Sed statim Caramuelis scrupulum demiraris, quem scis non turbari, cùm solus vias novas frequentissimè ingreditur, & maximè in hoc opere, quod totum novæ viæ aperiendæ & firmandæ conscribitur.

82. *Dicit se nescire, an sit invalidum jure naturæ.* Et respondeo: pusillanimem esse, qui in scientiis naturalibus claras notitias proprias alienis conjecturis postponit. Et quia multæ quæstiones in Theologia sunt, quæ mores non tangunt, etiam pusillanimem illum, quem aliena auctoritas moretur contrà rationes solidas. At ubi de Sacramentorum valore, & conscientiæ securitate agitur, non tam liberè procedendum est. Estò nesciam, cur Matrimonia patris & filiæ, filij & matris, debeant credi irrita jure naturæ, estò rationes fortes videantur mihi contrarium persuadere; faciliùs est unum quàm omnes Doctores errare; ideoque prudenter, ut opinor, doctrinæ communi subscribam, quamdiu non nisi solus ab illa discedere possim; quod si reperiam comites sufficientes, ut contraria sententia evadat authenticè probabilis, si illis adnumerer, dolerem: esset in causa timor meus, quòd illa probabilitate careret, ac ideò illicò eisdem subscriberem. Hactenus Caramuel.

83. *Ostenditur Historiam, in aliquo perperàm relatam fuisse.* Legi ego historiam B. Dympnæ apud Surium, sed nullas invenio circumstantias dignissimas ponderatione, faventes huic sententiæ, & ideò benè fecit Caramuel, eas omittendo. Utinam & hanc omisisset: *Et in patriam redux, cùm constans remaneret, ultimâ sententiâ condemnatur.* Nam ex ipsa historia citata liquidò constat, eam nunquam in patriam rediisse; sed in loco, ubi modò requiescit corpus ejus, scilicet in pago dicto Geele, à proprio patre decollatam fuisse.

A patre, inquam, qui erat magnus Idololatra, ita ut etiam promitteret filiæ suæ, si vellet consentire in Matrimonium, eam tamquam Deam honorandam. Et non est dubium, quin consiliarij ejus, saltem pro majori parte, eâdem pernitiosissimâ lue infecti fuerint; ac proinde eorum Decretum, sanè insolentissimum, nulli Christiano justam potest præbere occasionem dubitandi de oppositâ veritate. Si ergò Caramuel dubitavit, aut certè anxius fuit, propter illam historiam, potest & debet eam anxietatem deponere; quia orta ex levissima, & solùm apparenti causa.

84. *Caramuel conatur satisfacere arg. Sanchij.* Sed nunquid propter hanc solam historiam anxius fuit? Videtur quòd non: quippè n. 539. conatur solvere argumentum Sanchij & aliorum pro communi doctrina sup. adductum, dicens: Ratio, quâ communiter talia Matrimonia condemnantur, hæc est: Natura postulat filios subjici patri, marito uxorem; atqui si non vitaretur consanguinitas, leges hujusmodi temerarentur; ergò consanguinitas debet in Matrimonijs evitari. Minorem probant; quia si filius matrem duceret, temeraretur patria auctoritas; mater enim filio subesset; & si hæc maneret inviolata, non posset non temerari connubiale jus naturale, aut Divinum, subjiciens fœminam viri auctoritati.

Consultò, *Naturale aut Divinum*, disjunctivè ponitur; quia ex rei natura uxor non subest dominio viri, sed est condomina; ipsi servire non debet, sed condominari familiæ; subordinatè tamen, nempè secundùm prudentiam, non propriam, sed mariti. In paradiso miserabiliter deliquit, & condemnata fuit divinitùs subjectionis pœnâ ab universorum Domino, eam arbitrio & dominio mariti subjicienti. Fortia sunt illa verba Gen. 3. v. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios & sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.* Ex hac enim condemnatione clarè colligitur, in innocentiæ statu maritum non fuisse fœminæ dominaturum. 85. *Quomodo uxor subsit viro.* Gen. 3.

Sanè si hæc ratio admittatur, prout exponitur ab Adversariis, probabit non obversari naturali rerum ordini Matrimonia contracta inter fratres; imò nec contractum inter patrem & filiam, quia tunc hæc esset subjecta duplici titulo (filiationis videlicet & Matrimonij) quia per tale Matrimonium non tolleretur debita subordinatio.

Prætereà: qui historiam Adami & Evæ ignorant, aut non admittunt, si prudenter philosophentur, uxorem dominio mariti non subjicient, & si uxor non sit marito subdita, cur non poterit eadem esse & conjux & mater? Ita ille interrogat. 86.

Respondeo: quia ut mater est superior, & ut conjux ad summum æqualis. Et consimiliter nequit eadem esse filia, & conjux; quia ut filia est inferior sive subdita, & ut conjux est æqualis. *Cur eadem mulier non possit esse conjux & mater.*

Pergit Caramuel: Sed estò, sit uxor suo marito subdita jure naturæ, & status ipsius, ingenio postulante; an repugnat eamdem personam respectu ejusdem præponi, & postponi, jubere & obedire, dominari & servire in diversis generibus. Si filius ad Reipub. fastigiũ evectus & Princeps factus patrem habeat, illi suberit in ordine cognationis, præerit in ordine civili: ergò similiter, si filius matrem duceret, ipsi præesset in ordine connubialis, subesset in ordine patriæ auctoritatis. 87. *Id fieri posse probat Caramuel.*

Nec proderit dicere; utramque auctoritatem (patriam & connubialem) consanguinitatis esse; quia etiam utraque illa auctoritas (nempè patria & politica) moralis est: & nihilominùs compatiuntur in eodem subjecto. Ergò sicut sub eodem genere physico non opponuntur album & non dulce, neque dulce & non album: sic etiam nec opponi poterunt præeminentia patria, & non præeminentia connubialis, aut connubialis præeminentia & carentia præeminentiæ patriæ. Hucusque Caramuel. *Evasionem præcludit.*

Respondetur: auctoritatem Principis sæcularis (& idem est de auctoritate Principis Ecclesiastici, v. g. Episcopi) publicam esse, ratione cujus præcellit omnes alias privatas personas, etiam patrem & matrem, estò alioquin privatâ auctoritate sit eis inferior, quod nullatenùs repugnat, cùm sint auctoritates planè diversæ rationis, utpotè concernentes diversum omninò regimen, 88. *Resp. Auctoris, eumdem posse esse auctoritate publicâ superiorem, & privatâ subditum.*

men, scilicet politicum & domesticum.

At verò maritus in Matrimonio privatâ auctoritate vel est superior, aut certè æqualis uxori, respectu gubernationis domesticæ; nequit ergò respectu ejusdem esse inferior, & ideò nequit esse filius suæ uxoris; sic enim esset inferior & superior, aut saltem æqualis; inferior, quâ filius, superior aut saltem æqualis, inquantùm maritus. Similiter nequit filia esse conjux patris; quoniam sic esset inferior respectu gubernationis privatæ ac domesticæ, quâ filia est; æqualis autem, quatenùs conjux, saltem quoad actum conjugalem, qui etiam spectat ad privatam & quodammodò domesticam gubernationem, scilicet ad familiæ multiplicationem.

89. *Patria & politica potestas sunt omninò distinctæ.* Nec obstat: quòd utraque illa auctoritas, scilicet patria & politica, sit moralis; quia equidem omninò distinctæ, & ad distinctum prorsùs finem ordinantur; una nimirum ad finem publicum, seu ad bonum commune; altera autem ad bonum privatum, nempè regimen particularis familiæ. Iam autem auctoritas patria & connubialis quasi eadem est moraliter loquendo; quia ordinata ad eumdem finem, putà bonum regimen familiæ; & ideò præeminentia patria, & non præeminentia connubialis, non compatiuntur se in eodem subjecto, sicuti non compatiuntur se præeminentia patria, & non præeminentia patria.

90. *Non repugnat, eamdem personam respectu ejusdem præponi & postponi in diversis generibus.* Quamvis ergò non repugnet eamdem personam respectu ejusdem præponi, & postponi, jubere & obedire, dominari & servire in diversis generibus; secùs tamen in eodem aut quasi eodem genere. Breviter, repugnat, ut idem homo sit privatâ auctoritate superior, & inferior vel æqualis. Repugnat, ut idem homo sit superior, & inferior aut æqualis respectu ejusdem gubernationis domesticæ.

Maneat itaque omninò certa communis sententia, quæ docet Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ jure naturæ esse illicitum juxtà ac invalidum. An idem dicendum sit de secundo, & aliis ulterioribus gradibus, non convenit inter DD. Catholicos, diversis diversa sentientibus.

91. *Matr. est invalidum jure naturæ in quocumq; gradu lineæ rectæ, juxtà Scotum, & Alios plures. Sanchez.* Sententia nostra est, idem dicendum esse in quocumque gradu, cum Doct. Subtili sup. n. 4. ibi: *Et non intelligitur tantùm de patre proximo, sed de quocumque in linea recta, ita quòd si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam uxorem.*

Hanc Sanchez sup. n. 12. vocat probabilissimam, quàmplurimis pro ea citatis, tum Iurisperitis, tum Theologis. Præter illos autem consentiunt Scoto Coninck sup. n. 16. Dicastillo sup. n. 213. Herinx 4. part. tract. 5. disp. 6. n. 50. Hiquæus in suo Comment. sup. n. 11. & Alij. Citat Dicastillo sup. etiam Pontium lib. 7. de Matr. c. 31. sed perperàm quia n. 6. in terminis tenet contrarium, ut infrà videbimus. Priùs probemus Conclusionem nostram, & Doct. Subtilis.

92. *Probatur ex Hiquæo.* In quocumque gradu ascendente respectu descendentium (inquit Hiquæus sup.) salvatur honor & reverentia paterna, & communicatio naturæ; ergò & hoc impedimentum; quod in eis fundatur. Probatur Antecedens, stylo Scripturarum, quo Iudæi dicuntur filij Abraham, Isaac, & Iacob, Christus filius David & Abraham, juxtà promissionem his factam. Omnes nascimur filij Adæ secundùm originem, & virtute hujus originis per propagationem naturalem descendentes contrahimus etiam maculam originis; & benedictiones Patriarcharum extendebantur ad futuram successionem filiorum, & magis prospiciebant futuros, quàm præsentes, ut patet de benedictionibus Iacob & Isaac; hæc autem benedictio authoritati paternæ innitebatur, & rata fuit coram Deo; & aliàs, sublatâ illâ auctoritate in posteris in primo aut secundo gradu, cessaret etiam fructus benedictionis, quæ solùm in paterna auctoritate fundabatur; ergò origo ad omnes descendit, quos ipsa benedictio comprehendebat, & consequenter authoritas & reverentia paterna. Hæc ille.

93. *Responsio Sanchez, qui oppositam sententiam tenet, estque probatio ejus.* Respondet Sanchez sup. n. 19. ubi sustinet, in solo primo gradu esse irritum Matrimonium jure naturæ; respondet, inquam, estque probatio suæ doctrinæ: Avus & cæteri ascendentes non sunt principium nepotum per se, sed per accidens: ad rationem enim filij, ut filius est, solùm desideratur, ut à parentibus originem trahat, ac per accidens est, ut suus pater alium patrem habuerit: filij enim Adami carentes avo, ita veri filij fuerunt, ac illum habentes. Ac proinde reverentia, debita avis à nepotibus, non est debita necessariò & per se, sed per accidens, utpote quæ in sola ratione principij & causæ per accidens fundatur. Non ergò ea reverentia & superioritas per accidens ita impedimentum de jure naturæ præstabit Matrimonio inter eos, ut illud eodem jure irritet.

94. *Confirmatur.* Et confirmatur: quia avus respectu nepotis non habet rationem genitoris, sed solùm rationem causæ quasi applicantis genitorem: at causa applicans aliam causam suo effectui, non est per se, sed per accidens causa illius effectûs. Quare loquendo de reverentia naturali, non est verum, majorem exhiberi avo. Quia reverentia naturalis respectu avi est per accidens: at respectu patris est per se. At est verum de reverentia politica: avum enim ut primum Dominum & primum in gubernando principium reveremur. Hæc ille.

95. *Rejicitur confirmatio.* Respondeo ad confirmationem & dico: avum non solùm applicare causam per se, sed esse veram causam ipsius causæ per se, quod sufficit, ut dicatur causa per se remota: quia (inquit Hiquæus sup. n. 15.) causa remota eo ordine comparatur ad effectum, mediante proximâ in eadem serie, quo comparatur ad causam proximam & immediatam, quæ est ejus per se effectûs: causa autem per accidens neque virtutem confert causæ per se, neque agit in effectum, sed solùm ex conjunctione sui, aut sui effectûs ad effectum causæ per se, dicitur denominativè causa, non autem virtute & actione. Patet in eo, qui applicat ignem rei combustibili.

96. Igitur quilibet ascendens est principium naturale

Quilibet ascendens est principium naturale & per se respectu descendentis. Dicastillo.

turale & per se, quantumvis mediatum & remotum, respectu descendentis remoti: quilibet enim ascendens mediatus eâ ratione est principium descendentis remoti, quâ est principium sui proximi descendentis, nam medio proximo descendente est aliorum: atque adeò sicuti proximi descendentis est principium per se proximum, ita cæterorum est principium per se remotum. Ita Dicastillo sup.

Et prosequitur: In copula verò carnali ob ejus turpitudinem fit irreverentia principio naturali, & naturaliter superiori, cui debet inferior potiùs parere & submitti, quàm conjungi cum illo ad communem societatem procurandæ & educandæ prolis. Ergò propter similem inordinationem credendum est, Deum non dedisse potestatem transferendi in alium dominium corporis sui, qui esset principium illius & principium per se.

97. *Resp. ad probationem Sanchij, ex Dicastillo.*

Neque ex hoc, quòd filius potuisset esse sinè avo, ut patet in filiis Adami, colligere licet, avum esse principium per accidens nepotis: quia Petrus v. g. sub ratione nepotis tam essentialiter respicit avum, quàm patrem sub ratione filij; si verò consideretur tamquam quid absolutum, & quatenus est hic homo, secundùm ordinem naturæ, tam impossibile fuit, eum esse sinè generatione avi, quam sinè generatione patris.

Quod si recurras ad potentiam supernaturalem, vel ad viam extraordinariam, quæ sit suprà vires causæ creatæ, qualis fuit in creatione Adami, utrumque est æqualiter possibile. Sicut enim Seth potuit esse, & fuit sinè avo, ita Adam potuit esse & fuit sinè patre; atque adeò sicut hominem posse esse sinè patre, saltem per Divinam & extraordinariam potentiam, non tollit quin pater sit causa per se, & principium immediatum filij; ita non tollit, quin avus etiam sit principium per se mediatum nepotis. Hæc ille. Et sic satisfactum est argumento Sanchij, & ejus confirmationi, ac permanet efficax prima probatio nostræ Conclus.

98. *Secunda probatio nostræ conclus. ex Hiquæo.*

Secunda talis est: Canones (inquit Hiquæus n. 12.) qui interpretantur jus Divinum & naturale, vel saltem secundùm illa statuunt, consanguinitatem extendebant olim usque ad septimum gradum inclusivè: ergò origo paterna extenditur ad septimum gradum saltem. Probatur Consequentia; quia in linea transversali non est ulla conjunctio personarum ad invicem in sanguine, quia nulla ab alia procedit, nisi ut uniuntur in stipite: ergò stipes etiam ratione originis conjungitur ad singulas personas usque ad septimum gradum: ergò ipsi manet jus salvum paternum usque ad illum gradum inclusivè in linea recta.

Tunc sic argumentor: sub lege Matrimonij non comprehenditur casus impossibilis: sed impossibile est, ut stipes sit idonea Matrimonio cum aliqua persona in septimo & octavo gradu naturaliter, quàmvis etiam ad illos extendatur origo: ergò casus hic est imaginarius practicè, & non comprehensus lege Matrimonij, quæ sequitur cursum naturalem viatoris.

99. *Origo extenditur ad 7. gradum.*

Reducendo itaque casum ad considerationem speculativam, quamdiu extenditur titulus juris paterni, tamdiu etiam extenditur jus in ipso fundatum, & consequenter excluditur omne aliud jus repugnans ex lege; sed origo ex dictis extenditur ad septimum gradum, ultrà quem non est possibilitas Matrimonij, quàmvis ipsa origo contrahatur eâdem lineâ in posteros omnes; ergò sicut in primo & secundo gradu hoc jus inducit impedimentum Matrimonij, sic etiam inducit usque ad 3. &. 4., & sic de cæteris. Quòd verò extendatur origo ad septimum gradum, patet ex ratione præmissa; quia alioquin inter laterales nullum foret motivum, unde Canones statuerent impedimentum consanguinitatis, nisi ratione originis, quæ lineâ rectâ descendit à stipite. Ita Hiquæus.

100. *Objectio & 2. probatio sententiæ Sanchez.*

Sed, dicet aliquis, & est secundum fundamentum Adversariorum; cùm ratio consanguinitatis sit participatio ejusdem sanguinis, communicata à virtute generante stipitis, & hæc eò debilior reddatur quò in plures generationes protenditur, nequit in infinitum extendi; sed tandem extinguetur & deficiet. Ergò impossibile est in quacumque linea consanguinitatem in infinitum protrahi: ac subinde dicendum necessariò erit, impedimentum hoc consanguinitatis in recta linea certis finibus, attento jure naturæ, contineri. Ita Sanchez sup. n. 13.

101. *Impugnatur ab Hiquæo.*

Contrà (inquit Hiquæus sup. n. 13.) hæc ratio nulla est: quia ex mente antiquorum Canonum perinde durebat usque ad gradum septimum: alioquin hoc impedimentum, quod plurimùm gravabat, non inducerent Canones: alij autem posteriores, qui correxerunt in hac parte priores, reducentes consanguinitatem ad quartum gradum, non ideò id statuerunt, quòd originem in linea recta censerent non protendi ulteriùs; sed propter incommoda descendentium, & difficultatem ineundi aliàs Matrimonij, in locis non adeò frequentis concursûs populi.

Manet origo saltem usque ad 4. gradum.

Manet ergò origo usque ad quartum saltem gradum, secundùm omnes Canones, tam priores, quàm posteriores, & in eo gradu sui vigoris & perfectionis, qui sufficiat statuere impedimentum hoc juris Canonici: ergò à fortiori manet in linea recta, etiam quoad jus naturale in ea fundatum.

102. *Quomodo intelligendum, quòd virtus generativa debilitetur in tertio. Primus intellectus.*

Deinde; quòd dicatur virtus generativa debilitari in tertio, aut ulterioribus gradibus, nescio quid per hoc insinuare velint hi Doctores, nisi desumere velint argumentum physicum ex causa naturali, cujus virtus repatiendo per frequentes actiones debilitatur: sed nequit hæc doctrina applicari proposito: quia potiùs in primo gradu ex generatione plurium filiorum deberet sic debilitari, quàmvis ultimus filius perindè sit in primo gradu, sicut & primus filius, Benjamin sicut & Ruben.

Secundus

Vel debet intelligi, quasi natura recepta per generationem deficeret in ulterioribus gradibus, & redderetur extranea primo parenti, aut ei, qui communicavit: sed neque hoc etiam rectè dicitur:

tur : quia etiam ſic poſſet in ipſo filio deſinere per continuum fluxum ; non ideò tamen deſinit eſſe filius, quia à parente recepit eſſe, & in ultima reſurrectione etiam non deſinet eſſe filius.

103. *Quid ſufficiat ad ſalvandam ſeriem originis.* Sufficit ergò ad ſalvandam ſeriem originis, quòd in virtute ejus, qui primo generavit, dando eſſe filio, per hunc recipiat nepos eſſe, & ſic de cæteris : hoc autem ſalvatur quoad gradus omnes deſcendentes : ergò & ipſa origo, & jus in ea fundatum, juxtà mentem & interpretationem Canonum ; & ſicut filius eſt aliquid patris quoad naturam ; ita etiam nepos nequit eſſe filij, quin ſit patris quoad naturam, hoc eſt, avi, & ſic de ſingulis ejus poſteris ; quia Benjamin decimatus eſt in lumbis Abrahæ. Exemplum poteſt eſſe in cauſis ſecundis, quarum effectus non ſolùm eſt à Deo, quia ad ipſum immediatè concurrit ; ſed etiam eſt à Deo, quia ad ipſum mediatè concurrit, quà virtutem tribuit cauſæ ſecundæ, per quam agit in effectum. Hucuſque præfatus Auctor.

104. *Alia ſolutio arg. Sanchij, ex Dicaſt.* Breviùs & clariùs reſpondet ad hoc argumentum Sanchij Dicaſtillo ſup. n. 215. Quòd, inquit, participatio ſanguinis ſit magis remota, & eò minor, quò remotior eſt aſcendens, parùm aut nihil refert ; neque enim attenditur præcisè ſanguinis participatio, ſicuti attenditur in linea tranſverſali ; ſed attenditur ratio principij, quæ ex ſe poſtulat reverentiam & ſubmiſſionem ex parte principiati ergà principium ; ac proinde etiamſi participatio ſanguinis, & in eo ſenſu conſanguinitas in remotiſſimo aſcendente jam evanuerit, nihilominùs ſemper reperitur ratio reverentiæ deſcendentis ergà aſcendentem, ſup. explicatam, contrà quam fit per copulam, & Matrimonium ad illam ordinatum. Hæc ille.

105. *Virtus primi parentis perſeverat in omnibus deſcendentibus.* Ego difficulter intelligo, quomodo evanuerit conſanguinitas in remotiſſimo aſcendente, cùm ſemper deſcendentes aliquid naturæ participent ab aſcendentibus proximis, & hi ab aliis, & ſic tandem omnes habeant aliquid à primo aſcendente uſque ad Adamum ipſum ; naturam enim, quam ab ipſo acceperunt, aliis communicarunt.

Saltem ſecundùm ſimilitudinem ſpecificam, ex Sanchez. Neque hoc negat Sanchez, ſed diſertè confitetur diſp. 50. n. 1. ibi : Quàmvis enim virtus primi parentis perſeveret in omnibus deſcendentibus ſecundùm ſimilitudinem ſpecificam : at non perſeverat ſecundùm ſimilitudinem individuam, juxtà quam avus & parentes aſſimilant ſibi prolem, quæ eorum imaginem, complexioniſque ac morum effigiem refert.

106. *An requiratur ſimilitudo individua.* Sed quæro ego ; unde conſtat, quòd ſimilitudo individua ſit neceſſaria ad conſanguinitatem, & non ſufficiat ſimilitudo ſpecifica? Vide quæ ſup. diximus de conſanguinitate phyſica & morali. Profectò frequenter nulla aut ſaltem vix ulla eſt ſimilitudo individua, juxtà quam filius referat imaginem, complexioniſque ac morum effigiem patris aut avi ; & tamen non propterea deſinit eſſe verus filius, & verus conſanguineus ; atque adeò illa effigies complexionis & morum, parùm aut nihil conducit ad conſanguinitatem. Quis enim neſciat, quempiam poſſe referre perfectiorem imaginem, complexioniſque ac morum effigiem avi, proavi &c. quàm patris ; immò perfectiorem imaginem alicujus hominis planè extranei?

107. *In ea non fundatur reverentia debita parentibus.* Utut ſit de hac ſimilitudine, in ea non fundatur reverentia debita parentibus, aut ſuperioritas eorum, ratione cujus, ut ſup. vidimus, Matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes jure naturæ eſt invalidum. In quo ergò ? In ratione originis ſive principij immediati aut mediati, quæ utique ratio ſe extendit uſque ad infinitum.

L. 53. ff. de Rit. nupt. Hinc Iuriſconſultus Cajus lib. 11. ad Edictum provinciale, & refertur l. 53. ff. de Ritu nupt. *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum aliorumve ſunt : ſive proximi, ſive ulterioris gradûs ſint uſque ad infinitum.*

Ius civile docet noſtram Concluſ. Ubi Gloſſ. verb. *Ad infinitum*, inquit : *Adeò, ut ſi Adam hodie viveret, nullam accipere poſſet, ut Inſt. de Nuptiis*, §. 1. aliàs 2. ubi hæc lego : *Ergò non omnes nobis uxores ducere licet ; nam à quarumdam nuptiis abſtinendum eſt ; inter eas enim perſonas, quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt : veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & uſque in infinitum. Et ſi tales perſonæ inter ſe coïerint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur.* Ergò Ius civile docet noſtram Concluſionem.

108. *Reſp. Sanchez.* Reſpondet Sanchez ſup. n. 13. ſolius juris Canonici eſt, inter fideles Matrimonij impedimenta decernere : nec quidquam confert prohibitio juris civilis, niſi expreſsè jure Canonico approbetur. At hæc prohibitio non eſt jure Canonico approbata, quin potiùs reprobata, cap. *Non debet*, de Conſanguinitate, ubi conſanguinitas ad quartum diſtinguitur gradum.

Rejicitur. Planè reſtringitur ad quartum gradum, ſed lineæ tranſverſalis, ſecùs lineæ rectæ. Sic enim loquitur Pontifex Innoc. 3. in Concil. General. cap. 50. ex quo dictum cap. deſumptum eſt. *Prohibitio quoq; copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.*

109. *Iura, quæ reſtringunt conſanguinitatem, loquuntur de linea tranſverſali.* Quæ profectò ratio nullatenùs militat in gradibus lineæ rectæ, cùm luce meridianâ clariùs ſit, eam prohibitionem in quinto, ſexto & ulterioribus gradibus lineæ rectæ ſinè ullo incommodo poſſe obſervari ; quippe moraliter, ſive ſecundùm communem curſum naturæ, impoſſibile eſt, Matrimonium in eis contrahi.

Deindè : dictum jus corrigit priora, quæ extendebant impedimentum conſanguinitatis ad ſeptimum gradum ; certum autem eſt, quòd hæc jura intelligenda ſint de linea tranſverſali ; cùm jura non attendant ad caſus moraliter impoſſibiles, qualis eſt, ut ſtatim dixi, quòd quis ducat filiam abnepotis : quotus enim quiſque eſt, qui pronepotem videat patrem, nedum avum, & talem avum, qui neptem habeat nubilem, &

hanc sibi ab avo, vel potiùs tritavo vel atavo copulatam? Igitur & dictum jus, *Non debet*, similiter intelligendum erit de linea tranversali.

110. *Objectio solvitur.* Contrà, inquis; dicta jura loquuntur generaliter, & non distinguunt; ergò nec nos debemus distinguere. Respondeo: nisi habeamus justam rationem distinguendi, quæ mox allegata fuit.

Solutio non satisfacit Pontio. Sed hæc non satisfacit Pontio lib. 7. c. 31. n. 6. ubi sic scribit: Unde neque existimo, secluso jure positivo, esse culpam lethalem, contrahere in gradibus consanguinitatis rectæ lineæ, saltem ultrà secundum vel tertium gradum: nam jam deinceps non cernitur in illis gravis irreverentia, ex qua petenda tota ratio malitiæ.

Addo etiam: Pontifices atque Concilia in his, quæ citavimus, Decretis, universè statuisse, nullum esse impedimentum ultrà septimum gradum, vel ultrà quartum consanguinitatis. Quâ locutione universè statuitur ultrà illos gradus neque irritum, neque illicitum esse.

111. *Probat dd. jura loqui etiam de linea recta.* Quòd autem loquantur non tantùm de gradibus lineę transversalis, sed etiam rectę, manifestè constat; quia cùm statuant, cum nullo de cognatione contrahendum esse conjugium, vel quousque se parentela cognoscit, inquiro, an tunc de omni linea intelligantur? Intelliguntur certè, aliàs deveniendum esset in quoddam absurdum; scilicet, si in illis Canonibus non est sermo de gradibus lineæ rectæ, cùm variæ extiterint opiniones de valore Matrimonij in gradibus rectæ lineæ infrà secundum; posse validè, absque dispensatione ulla, iniri Matrimonium inter avum & neptem, vel proneptem, sequendo opinionem probabilem affirmantium valere. Igitur quando dicunt, tantùm usque ad septimum vel quartum gradum extendi, universè de omnibus intelliguntur; siquidem non minùs isti, quàm illi consanguinei sunt. Hactenùs Basilius.

Probatio non placet. Respondeo: vel ex isto absurdo apparet major probabilitas nostræ sententiæ, scilicet, jure naturæ Matrimonium in quocumque gradu lineæ rectæ esse irritum; cùm longè probabiliùs sit, dicta jura non esse intelligenda de gradibus lineæ rectæ, ut patet ex dictis.

112. Atque ut loquerentur etiam de his gradibus; solùm exinde sequitur, quòd vi juris positiui dirimatur Matrimonium in his gradibus, & non ultrà, secùs quòd non dirimatur in his & ulterioribus gradibus vi juris naturalis. Nihil enim repugnat, aliquod Matrimonium esse irritum jure naturæ, & positivâ constitutione Ecclesiæ.

Quare Ecclesia non irritaverit Matr. in linea recta ultrà 7. gradum. Quare autem Ecclesia non irritaverit etiam in ulterioribus gradibus, cùm, secundùm nos, & in his irritum sit Matrimonium jure naturæ; ratio est; quia in ipsis Matrimonium est moraliter impossibile, & ideò reliquit eos dispositioni solius juris naturæ: quia tamen erat controversia de tali jure, & contingere posset, ut in secundo aut tertio gradu Matrimonium attentaretur, ideò de his disposuit, ut nulla foret controversia de ejus invaliditate. Itaque prohibitio juris civilis non est reprobata d. cap. *Non debet*. Quinimò jure Canonico approbatam esse, jamjam declarabimus.

Fateor, solius juris Canonici est, inter fideles Matrimonij impedimenta decernere, id est, de novo constituere; sed non est solius juris Canonici ostendere, quæ sint impedimenta juris naturæ, sed etiam id competit legi civili. Non ergò hæc obligatio sive irritatio in ulterioribus gradibus usque ad infinitum provenit ex d. lege 53. sed hæc lex significat, quid dictet jus naturæ; siquidem secundùm instinctum legis naturalis & ipsius naturæ facta est. Unde non est nova constitutio, sed solummodò interpretatio juris naturalis. 113. *Solum jus Canonicum de novo impedimenta instituit: etiam juri civili competit declarare impedimenta juris naturæ.*

Et hinc Alex. 2. cap. *Ad Sedem*, 35. q. 5. in computatione graduum consanguinitatis dicit, legem civilem esse veracem, & approbat dictum Imperatoris, ubi, determinato gradu sexto, subintulit: *Hactenùs ostendisse sufficiat, quemadmodum gradus cognationis numerentur; namque ex his palam est intelligere, quemadmodum ulteriores quoque gradus numerare debeamus; generata quippè persona gradum adjicit* &c. Hactenùs Ius civile. 114. *Probatur ex Alex. 2. cap. 2. 35. q. 5.*

Subinfert Pontifex contrà asserentes, consanguinitatem terminari in sexto gradu: *Ecce*, inquit, *in his brevibus verbis aperte ostenditur, tales gradus, quales isti computant, non tantùm ad sextum, verùm etiam ultrà numerari debere* &c. *Nec mirum, cùm in præcedentibus ipse firmaverit Imperator, decimo etiam gradu consanguineos sibi inter se posse succedere* &c.

Ergò (inquit Hiquæus sup. n. 17.) computatio consanguinitatis, quam admittit jus civile, recipitur per Canones: & quàmvis Canones agant de consanguinitate in ordine ad Matrimonium, jus verò civile in ordine ad successionem & translationem hæreditatis; idem est titulus & fundamentum conservatæ originis & consanguinitatis, in quibus utrumq; jus fundatur. Hæc ille. 115. *Computatio consanguinitatis factâ per jus civile recipitur per Canones.*

Et n. 18. confirmat jam dicta ex Calixto 1. Epist. 2. ad Episcopos Galliæ, in qua confirmat leges civiles & pœnas ab eis latas contrà eos, qui in consanguinitate ineunt Marrimonium, id est, infamiæ, quæ est pœna legis civilis: *Conjunctiones*, inquit, *consanguineorum fieri prohibete, quando has & Divinæ & sæculi prohibent leges. Leges ergò Divinæ hoc agentes, & eos, qui ex eis prodeunt, non solùm ejiciunt, sed & maledictos appellant. Leges verò sæculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò sequentes Patres nostros, & eorum vestigiis inhærentes, infamiâ eos notamus, & infames esse censemus &c. Eos autem consanguineos dicimus, quos Divinæ, & Imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hæreditate suscipiunt, nec repellere possunt.* Ita refertur 35. q. 2. & 3. c. 2. *Probatur ex Calixto 1.*

Hìc ergò expressè recipitur lex civilis de consanguinitate, & ejus serie; ac proinde retinetur per Canones: sed ex lege civili, ut constat, in tota linea recta manet origo, & impedimentum in ea fundatum; ergò &c.

Clariùs id ipsum expressit Nicol. 1. ad Consult. Bulgarorum cap. 39. *De consanguinitate*, inquit, *generationum exquiritis, ut quibus utique fœminis jungi debeatis, liquido cognoscatis; verùm quod leges hinc sanciunt, jam meminimus, & jam memorare* 116. *Confirmatur ex Nicol. 1.*

memorare ſummatim operæ pretium ducimus ; aiunt enim: Ergò omnes nobis uxores ducere non licet, nam quarumdam nuptiis abſtinere debemus. Inter eas enim perſonas, quæ parentum liberorumúe locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, aviam & nepotem, & uſque in infinitum &c. Quibus, amabo, verbis evidentiùs potuiſſet hic Pontifex approbare jus civile? Igitur leges civiles & Canonicæ in hoc conveniunt.

117. *Quare Canones reſtrinxerint conſanguinitatem ad 7. gradum, ex Greg. Papa.*

Et verò, quæ putas fuit ratio, propter quam antiqui Canones reſtrinxerint hoc impedimentum ad ſeptimum gradum ? Audi quid ſcribat Gregorius Papa Epiſcopis Galliæ, & refertur 35. q. 2. & 3. c. 16. *Progeniem ſuam unumquemque, uſque ad ſeptimam decernimus obſervare generationem, & quamdiu ſe agnoſcant affinitate propinquos, ad conjugalem copulam accedere denegamus. Quod ſi fecerint, ſeparentur.*

Et Nicol. 2.

Et Nicol. 2. Amalphitanæ Eccleſiæ Suffraganeis (ut refertur eâd. q. cap. 17.) *De conſanguinitate ſua uxorem nullus ducat uſque poſt generationem ſeptimam, vel quouſque parentela cognoſci poterit.*

Hiquæus.

Ex quibus ſequitur (inquit Hiquæus ſup. n. 19.) & parentelam conſervari poſt ſeptimam generationem, & ſi Adam vixiſſet, nemini poſſe conjungi; quia parentela ejus notiſſima eſſet, & origo perſeveraret; quod in aliis non poſſet ita commodè cognoſci & notari. Hæc ille.

118. *Reſtrictio illa tantùm concernit lineam tranſverſalem.*

Igitur hæc reſtrictio ad 7. gradum tantùm concernit lineam tranſverſalem, in qua ultrà eum gradum vix eſt cognitio conſanguinitatis. Atque de eadem tantùm linea intelligitur, quod dicitur cap. *Gaudemus*, 8. de Divortiis, Matrimonia quæ Gentiles in ſecundo gradu contraxerunt, iis poſteà converſis, non eſſe diſſolvenda: loquitur enim Pontifex de Matrimoniis, quæ illæ Gentes ſolebant communiter contrahere. Inauditum autem eſt, quòd unquam aut nepos cum avia, aut avus cum nepte contraxerit, quàmvis alioquì non ſit impoſſibile, ut avus quinquagenarius aut ſexagenarius, habeat neptem nubilis ætatis, & avia quinquagenaria aut ſexagenaria, habeat nepotem nubilis ætatis.

Arg. pro noſtra Concluſ.

Unde omitto hoc argumentum, quo aliqui probant noſtram Concluſ. putà: licèt in gradibus remotioribus minor ſit propinquitas ſanguinis, ac proindè minor indecentia conjugij appareat, quàm inter parentes & liberos; at eſt major inæqualitas ætatis, & conſequenter major indecentia ratione illius; & proindè defectus ille propinquitatis compenſatur inæqualitate hâc.

119. *Reſp. ex Pontio.*

Ad quod utique argumentum ita reſpondet Pontius ſup. Quòd ſit inæqualitas major ætatis, ad prohibitionem naturalem inveſtigandam, ridiculum eſt: pone enim à Deo per miraculum conſervari. Adde; avum quinquagenarium & ſexagenarium poſſe habere neptem & proneptem nubilis ætatis. Quòd autem ſexagenarius nubat vinginti annos habenti, quid obſtat? Quot ejuſmodi conjugia videmus iniri quotidie, ſinè culpa ulla? Ergò ſi aliud non obſtat, ex inæqualitate ætatis nec culpa venialis colligi poteſt, multò minùs eſſe irritum Matrimonium.

Unde neque exiſtimo, ſecluſo jure poſitivo, eſſe culpam lethalem contrahere in gradibus cõſanguinitatis rectæ lineæ, ſaltem ultrà ſecundum & tertium gradum. Nam jam deinceps non cernitur in illis gravis irreverentia, ex quo petenda eſt tota ratio malitiæ, Ità Baſilius.

Sed hoc eſt, quod quæritur; an in illis gravis irreverentia cernatur, & an ex illa irreverentia petenda ſit tota ratio malitiæ. Quàmvis autem gratìs concederemus, majorem eſſe irreverentiam in primo gradu, quàm in ſecundo, aut tertio, & aliis ulterioribus; haud equidem indè benè concluditur, in aliis gradibus levem dumtaxat eſſe; quia inter graves irreverentias una poteſt eſſe gravior alterâ. 120. *Impugnatur*

Et dato etiam, quòd eſſet ſolùm levis, & per conſequens levis dumtaxat malitia in illo Matrimonio, quid tum? Nonne malitia mendacii in ſe ſpectata, ſive in genere ſuo, venialis ſolùm eſt, & tamen contrà legem naturalem, in qua, ſecundùm communem ſententiam, nequidem Deus poteſt diſpenſare? Ergò ex eo, quòd ſolùm levis foret irreverentia in illis gradibus, non rectè infertur, Matrimonium non eſſe irritum; dummodò ſit talis irreverentia, quæ nequit eſſe licita, niſi in caſu extremæ indigentiæ, & per ſolam Dei expreſſam diſpenſationem.

Sed & hoc, inquis, quæritur, ac oppoſitum videtur dicere Doct. Angel. 2. 2. q. 154. a 9. ad 3. *In commixtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt, quod eſt ſecundùm ſe indecens & repugnans naturali rationi, ſicut quòd commixtio fiat inter parentes & filios, quorum eſt per ſe & immediata cognatio: nam filij naturaliter honorem debent parentibus. Vnde Philoſophus dicit in 9. de Animalibus, quòd quidam equus, quia deceptus fuit, ut matri commiſceretur, ſeipſum præcipitavit, quaſi præ horrore, eoquod etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reverentia ad parentes. Aliæ verò perſonæ, quæ non conjunguntur ſecundùm ſeipſas, ſed per ordinem ad parentes, non habent ita ex ſeipſis indecentiam, ſed variatur circa hoc decentia vel indecentia, ſecundùm conſuetudinem & legem humanam.* Hæc D. Thomas. 121. *An Doct. Ang. aliam agnoſcat irreverentiam in 1. gradu lineæ rectæ, quàm in alijs.*

In quibus verbis (inquit Perez ſup. ſect. 4. n. 4.) docet optimè ſanctus Doctor in commixtione cognatorum primi gradûs lineæ rectæ, nempè parentum & filiorum, ſe invenire manifeſtam indecentiam; videlicet indecentiam ſecundùm ſe & repugnantem naturali rationi; at inter alios ulteriorum graduum, inter quos non eſt immediata conjunctio, non invenire indecentiam naturalem ac repugnantem omninò rectæ rationi naturali, ſed eam variari ſecundùm conſuetudinem & legem humanam. Quare non erit inter illos ex natura rei impedimentum, jure naturali irritans Matrimonium. Hæc ille. *Affirmat Perez.*

Verùm enimverò mihi videtur, D. Thom. loco citato non locutum de ulterioribus gradibus lineæ rectæ; cùm nullum ſit veſtigium in jure ſive civili, ſive Canonico, aliquando fuiſſe factam 122. *Negat Auctor eum loqui de ulte-*

rioribus gradibus lineæ rectæ.

ctam variationem in illis ; sed neque per consuetudinem. De quibus ergò loquitur ? De gradibus lineæ transversalis in quibus constat fuisse factam variationem per legem humanam.

Et reverà personæ conjunctæ in his gradibus, ipsæ sunt quæ conjunguntur per ordinem ad parentes, sive ad communem stipitem, & una non procedit ab alia, seu proximè, seu remotè ; secùs personæ conjunctæ in gradibus lineæ rectæ, quæ conjunguntur omnes secundùm seipsas, quàmvis una proximiùs alterà. Igitur D. Thomas per parentes & filios intellexit omnes illos, qui obtinent locum parentum & filiorum, putà omnes ascendentes & descendentes in linea recta. Atque, ut D. Thom. fuisset in illa sententia, Scotus & innumeri alij oppositam docuerunt.

123. *Diversitas sententiarum circà irritationem Matr. in linea recta.*

Sed & inter illos, qui docent hanc irritationem certis finibus seu gradibus contineri, magna est dissensio. Nam prima sententia dicit, durare hoc impedimentum, quamdiu durat amicitia & communicatio propriętatum individualium inter ascendentes & descendentes, nec constare quamdiu hæc durent.

Secunda sententia asserit, non excedere prohibitionem hanc vigesimum gradum : at non præfinit certum gradum. Tertia protendit eam usque ad 4. gradum. Quarta usque ad secundum, Quinta denique, cui tamquam probabiliori adhæret Sanchez sup. n. 19. sustinet, in solo gradu primo Matrimonium jure naturæ esse irritum. Ecce quanta varietas sententiarum.

124. *Iudicium Auctoris.*

Ego si vellem recedere à Doct. Subtili, eligerem sententiam Sanchij ; & consequenter dicerem, infideles licitè contrahere in secundo & ulterioribus gradibus, quando est aliqua causa justa, & per leges suas id Matrimonium non est irritatum aut prohibitum. Ac proinde conversos ad fidem non esse separandos.

Imò tametsi illicitè contraxissent, quia sinè justa causa cohonestante ; quid ni licitè possent uti tali Matrimonio ? Nonne usus ille satis cohonestatur per ipsum contractum, qui ex justitia obligat ad redditionem debiti ? Tu cogita. Atque hæc satis de linea recta. Expectat calamum nostrum linea transversalis, pro qua instituitur.

CONCLUSIO II.

Lineæ transversalis nequidem primus gradus Matrimonium irritat jure naturæ.

125. *Gradus prohibiti olim à Deo, Levit. 18.*

INcipio hanc Conclusionem à Scriptura sacra Levit. 18. v. 6. & sequentibus : *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies : mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies : turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eò quòd caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filij tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Filiam filij ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illâ vivente.*

126. *An hodie adhuc omnes obligent,*

Ecce gradus Levit. 18. interdicti, partim lineæ rectæ, partim lineæ transversæ, aliqui consanguinitatis, alij affinitatis. Quæstio jam est, an hi omnes obligent in lege nova, si non ex eo quòd in veteri lege interdicti fuerint, nam lex vetus jam cessavit, secundùm omnes Catholicos, saltem ex jure naturæ, aut Divino positiuo ante legem veterem, vel in lege nova.

Porrò quia in hoc opere defensandam suscepimus sententiam Doct. Subtilis, primò omnium audiamus & intelligamus, quid ipse de hac controversia doceat, & qualiter hanc quæstionem resolvat.

Sententia Scoti de hac re.

Igitur 4. dist. 40. q.un. scribit in hæc verba : *Forte etiam post multiplicationem humani generis, si stetissent in innocentia, fuisset prohibitio in quibusdam gradibus ultrà primum* (loquitur de quibusdam gradibus lineæ transversalis, ut patet ex verbis sequentibus) *sed in principio non potuit fieri ; quia non erant aliæ fœminæ, quàm sorores.*

127. *In statu innocentiæ, secundùm ipsum, forte fuissent prohibita Matrimonia inter fratres & sorores. Hiquæus.*

Ergò, secundùm Scotum, in statu innocentiæ, post sufficientem multiplicationem hominum, fortè fuissent prohibita Matrimonia inter fratres & sorores, ac quosdam alios collaterales.

Quod satis probabile est (inquit Hiquæus sup. n. 22.) quia natura ad hoc inclinat & recta ratio. Unde Divinâ lege in Levitico fuerunt aliqua prohibita, & instinctu naturali Gentiles, in quibus magis viguit dictamen rectum, & politia, ex tali dictamine talia connubia ut prohibita respuerunt : in statu autem Innocentiæ non deficeret talis rectè dirigens Matrimonij contractum, juxtà decentiam & inclinationem ipsius naturæ ; ideoque rectè rejicit Doctor, talem prohibitionem fore in illo statu. Hæc ille.

Quare dicat Scotus, Fortè.

Dicitur : *Conjicit* ; quia asseveranter non docet, ut patet ex ly *Fortè* ; & meritò, quippè cùm talia Matrimonia non habeant intrinsecam omninò indecentiam & repugnantiam cum recta ratione, ut statim latiùs dicetur, potuit occurrere sufficientissima ratio, talia Matrimonia permittendi seu non prohibendi pro illo statu, ut confideranti patebit. Qui status cùm fuerit, & amplius non sit, nec unquam erit, non lubet de hac re diffusiùs disputare.

128. *Quid Scotus*

Quod attinet statûs veteris & novæ legis, de iis Scotus sup. sic ait : *In lege Mosaica erat prohibitio*

tus docent de statu veteris & novæ legis.

hibitio quantùm ad quosdam gradus ulteriores, ut patet Levit. 18. *In lege autem Evangelica fuit aliquando prohibitio usque ad 7. gradum. Patet per Magistrum in litera, sed sub Innocentio 3. restricta est usque ad quartum gradum inclusivè, extra de Consang.* Non debet: Prohibitio copulæ quartum consanguinitatis gradum non excedat.

Et assignat rationem, Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari, *& post approbat & ratificat pro futuro*: Cùm ergò, *inquiens*, jam usque ad quartum gradum prohibitio copulæ conjugalis sit restricta, *scilicet per nos hic in Concilio. Et infrà*: Eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis.

Et in eodem cap. revocat omnes prohibitiones de conjugio contrahendo in secundo & tertio genere affinitatis, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri prioris non copulandæ quæ prohibitiones multas difficultates inducebant, & (ut dicit) aliquando periculum animarum. Ita Scotus.

129. *Unde fiat, quòd propinquitas aliqua dirimat Matr. ex eod.*

Et continuò interrogat: *Sed unde est, quòd propinquitas talis vel talis simpliciter impedit?* id est impedit & dirimit. Respondet: *In lege Evangelica non invenitur à Christo alia prohibitio ultrà prohibitionem legis naturæ: nec etiam explicite confirmavit prohibitionem, super hoc faciam in lege Mosaica: sed Ecclesia illegitimavit personas aliquando in gradu remotiori, postea in quarto gradu. Et ratio illegitimationis fuit, propter pacem & amicitiam servandam in Ecclesia: usque enim ad quartum gradum* (in linea transversali) *manent amicitia ratione consanguinitatis: & ex tunc incipiunt esse quasi extranei & amore contepescere: & ideò congruum est, tunc per vinculum conjugale tepescentem amicitiam revocare.* Hactenùs Doct. Subtilis.

130. *In linea transversali provenit ex jure Ecclesiastico.*

Ubi satis manifestè declarat suam mentem circà irritationem Matrimonij in linea transversali, videlicet eam provenire à solo jure Ecclesiastico; quàmvis fortè in aliquibus gradibus sit aliqua indecentia naturalis, propter quam Ecclesia illam irritationem constituit. Cùmque non distinguat inter primum, & alios gradus, neque nos volumus distinguere; tametsi multi sint, qui distinguant, inter quos Sanchez sup. disp. 52. n. 11. dicens: Tertia sententia (cui tamquam probabiliori adhæreo) affirmat, in solo primo gradu lineæ transversæ, ut inter fratres & sorores, esse interdictum & irritum jure naturæ Matrimonium.

Sanchez putat in 1. gradu esse irritum jure naturæ.

Probatur, ex c. 8. de Divort.

Probatur, inquit, prior pars, nempè in primo gradu esse irritum: quia Innoc. 3. cap. *Gaudemus*, 8. de Divortiis, decernit, infideles conversos ad fidem non separandos esse à Matrimonio, tempore infidelitatis inito in secundo, & aliis ulterioribus consanguinitatis gradibus, quòd legibus Ecclesiæ non arctentur. Ergò à contrario sensu, quando sunt conjuncti in primo gradu, censet Pontifex separandos esse: quòd hic gradus jure naturali Matrimonium irriteret.

131. Hunc textum ita fortem ad hanc partem probandam, existimavit Scotus, ut eo ductus 4. dist. 40. q. un. a. 4. vers. *Verumtamen*, damnaverit contrariam sententiam tamquam erroneam. Sed est valdè probabilis. Et hic textus parùm probat hanc sententiam. Ita Sanchez.

Oppositum existimat Scotus erroneum; Sed fallitur.

Describamus verba textûs: *Vtrùm Pagani uxores accipientes in secundo, vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas, sic conjuncti debeant post conversionem suam in simul remanere, vel ab invicem separari, edoceri per scriptum Apostolicum postulasti. Super quo taliter respondemus, quòd cùm Sacramentum conjugij apud fideles & infideles existat, quemadmodum ostendit Apostolus dicens:* Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat; *& in præmissis gradibus à Paganis quoad eos Matrimonium licitè sit contractum, qui constitutionibus Canonicis non arctantur* (quid enim ad nos, *secundùm Apostolum eumdem*, de his quæ foris sunt judicare) *in favorem præsertim Christianæ Religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores sè deseri timentes viri possunt facilè revocari, fideles hujusmodi matrimonialiter copulari liberè possunt, & licitè remanere conjuncti, cùm per Sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.* Ita Innoc. rescribit Tiberiadensi Episcopo.

Verba d. c. 8.

132. *Expenduntur.*

In quibus utique verbis declaravit, quod certum erat, & de quo fuerat interrogatus, relinquens primum gradum, qui sub judice est, num jure naturæ Matrimonium dirimat, & de quo non fuerat interrogatus. Et ideò hic textus, ut sup. bene dicebat Sanchez, parùm probat: tum, quia argumentum à contrario sensu in jure sive Canonico, sive civili rarò efficax est, sæpiùsque fallit; tum, quòd rescripta Pontificum, quàmvis subinde generalibus verbis expressa, tamen non generaliter sint intelligenda, sed restrictè ad ea, de quibus Pontifex fuerat interrogatus.

133. *Differentia aliqua inter rescripta Pontificum, & alia Decreta generalia.*

In quo adverto aliquam differentiam inter hæc rescripta, & ea Decreta Pontificum, quæ absque ulla prævia alicujus interrogatione tam quoad mores, quàm res fidei, in Conciliis Generalibus definiuntur, ac universali Ecclesiæ observanda proponuntur.

Unde non omninò approbo simile, quod sup. adducit Sanchez. Sicut, inquit, ex eo quòd Tridentinum sess. 14. de Matr. (debet esse de Pœnitentia) can. 7. definivit, circumstantias mutantes speciem esse necessariò confitendas, non sumitur efficax argumentum ad probandum eas, quæ non mutant, sed intrà eamdem speciem notabiliter aggravant, non esse necessariò in Confessione explicandas. Hæc ille.

134. *Arg. desumptum ex d. c. 8. non est efficax.*

Ego autem dico: tametsi ex eo efficax argumentum sumeretur; nam alioquin Concilium dedisset occasionem fidelibus errandi circà necessariò confitenda; quippè cùm ibi tradat doctrinâ generalè de iis, quæ exprimenda sunt in Confessione, possent prudenter cogitare fideles, se satisfacere præcepto confessionis, exprimendo ea, quæ Concilium dicit exprimenda; quàmvis, inquâ, hoc

concederemus, haud equidem propterea in casu proposito argumentum à contrario sensu foret efficax: quoniam Pontifex in d. cap. *Gaudemus*, non tradit doctrinam generalem, in quibus gradibus consanguinitatis Matrimonia sint invalida, sed tantùm respondet ad interrogationem cujusdam Episcopi de Matrimoniis contractis à Paganis in secundo & ulterioribus gradibus; ideòque non datur occasio fidelibus errandi circà primum gradum, contrahendo scilicet in eo Matrimonium, ex hoc quòd Pontifex non dicat, in tali gradu Matrimonium esse invalidum; quia, ut dictum est, de tali gradu non fuerat ab Episcopo illo interrogatus; credo, quia etiam Gentiles non solent in eo gradu contrahere, secùs in secundo & ulterioribus.

Quid autem respondisset Pontifex, si etiam de primo fuisset interrogatus, quis consiliarius ejus fuit? Fortè separandos dixisset, qui in illo gradu contraxerant, fortè non separandos; quia probabile est, quòd Matrimonium valeat, & etiam probabile est, quòd non valeat. Sed quòd non valeat, non probatur efficaciter ex d. cap. *Gaudemus*, ut jam satis ostensum fuit.

135. *Alia probatio ex Sanchez.* Aliter ergò probat suam sententiam Sanchez sup. Quia Aristoteles 2. Polit. c. 2. solo naturali lumine ductus, turpissimam censet, conjunctionem parentum cum filiis, & fratrum cum sororibus; & D. Aug. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. & lib. 22. contrà Faustum cap. 35. censet Matrimonia inter fratres & sorores solo mundi exordio licuisse, necessitate generis humani propagandi compellente: & Tertullianus in Apologetico c. 6. & Theodoretus lib. de Legibus, consuetudinem quarumdam barbararum nationum, conjugia hæc permittentem, tamquam perversam, & legi naturali adversantem, impugnant. Hæc ille.

Arist.

D. Aug.

136. *Non videtur Pontio efficax. Primò.* Sed neque hæc probatio Pontio sup. c. 32. n. 11. videtur efficax. Nam, inquit, ex eo efficitur tantùm, illicitum illud quidem conjugium jure naturali, sinè magna causâ: attamen non video, unde colligatur esse irritum.

Secundò. Addo etiam; non minorem, imò, quantùm ego judico, majorem, aut saltem æquè gravem turpitudinem cerni in eo, quòd idem duas sorores ducat uxores, aut duo fratres eidem uxori copulentur, utroque consummato Matrimonio. Quis id neget? Et tamen dispensari in eo posse, & jure naturali valere Matrimonium, nullus Catholicus ambigit.

137. *Tertiò.* Æquè gravis, imò gravior turpitudo cernitur in eo, quòd quis novercam aut privignam ducat uxorem, vel relictam avunculi: & tamen solo Ecclesiastico impedimento ea conjugia dirimuntur. Item non minor turpitudo relucet, quòd Matrimonium infidelium consummatum dissolvi possit, & uterque cum altera consummare, conjuge superstite; & tamen auctoritate Pontificis fieri posse, non pauci docuerunt. Non ergò ratio ex turpitudine desumpta vires habet.

Quartò. Adde: multò minorem eam turpitudinem esse, si Matrimonium esset inter fratres non uterinos; sed tantùm ex eodem patre, non matre, quales erant Sara & Abraham, Ammon & Thamar. Ita Basilius.

138. *Sanchez admittit copulam inter fratrem & sororem contingere quamdam indecentiam naturalem.* Sed inquiro ego: copula carnalis inter fratrem, & sororem, est illicita jure naturali, seu eo jure, quo est illicita copula carnalis inter patrem, & filiam? Sanchez sup. n. 7. sic ait: Id valde observandum est, Matrimonia in illis gradibus Levit. 18. vetitis inita, licet non sint adversa juri naturali primævo & irritanti; adversari tamen juri naturali secundario, quatenùs nudè ac secundùm se considerata, & pro libito privatorum inita, sinè peculiaribus circumstantiis cohonestantibus, indecentiam quamdam naturalem continent. Quòd natura dictet, reverentiam quamdam consanguineis in illis gradibus conjunctis deberi, cum qua pugnat copula conjugalis. Quare Gentiles peccabant, indifferenter & absque delectu & causa contrahentes ea Matrimonia.

De hac intelligit SS. Patres. Et hanc partem probant textus, & rationes adducti n. 5. & ita intelligendi sunt Sancti, dicentes, hæc Matrimonia esse jure naturali interdicta. Sicut D. Ambrosius Epist. 66. ad Paternum dicit, illicitum esse jure naturæ, ut patruus ducat neptem, cùm tamen is gradus non sit prohibitus in Levitico. Quare optimè Cajetanus d. cap. in Levitic. ad finem, ait, neque hæc Matrimonia esse suâptè naturâ mala, quæ nullâ ratione licita sunt: neque indifferentia, quæ passim liceant; sed media inter hæc penitùs mala, & indifferentia, utpotè quæ nudè sumpta culpam continent, secùs ubi aliquâ justâ ratione cohonestantur. Hucusque Sanchez.

139. *Approbat Doctrinam Pet. de Ledesma.* Et paucis interjectis, approbat doctrinam Pet. de Ledesma de Matr. q. 54. a. 3. diffic. 4. concluf. 2. & q. 55. a. 4. circà primum statum affinitatis diff. 2. in explicatione 1. Concluf. dicens: Qui optimè addit utroque loco, cum aliquibus Theologis, quos tali nomine refert, non fore culpam lethalem, secluso jure humano, inire Matrimonia in gradibus lineæ transversæ, qui jure naturæ irritanti vetiti non sunt, etiamsi nulla sit causa cohonestans.

140. *Probat Matr. inter eos solùm esse venialè, secluså lege positivâ.* Et ratio esse potest; quia ut hæc, quæ aliquam indecentiam naturalem nudè sumpta continent, cadant propriè sub præcepto, oportet, ut aliquâ lege humanâ sanciantur. Atque ideò eâ seclusâ, contravenire absque omni prorsùs causa, non excedet culpam venialem aliqualis indecentiæ. Hæc ille.

Igitur in nostra sententia, quæ docet Matrimonium inter fratrem, & sororem, non esse vetitum jure naturæ irritante, ad summum erit veniale istud inire sine causa cohonestante. Immò, dicet aliquis, nullum videtur esse peccatum contrahere in secundo & ulterioribus gradibus per d. cap. *Gaudemus*, ibi: *Et in præmissis gradibus à Paganis quoad eos Matrimonium licitè sit contractum.* Et infrà: *Hujusmodi fideles Matrimonialiter copulari libere possint & licitè remanere conjuncti.* Quod autem licitè sit, nequidem veniale potest esse peccatum.

Quid ni idem dici possit de Matrimonio, quod 141.

An poſſit dici, nullum eſſe peccatum.

quod contrahitur in primo gradu inter fratrem & ſororem, ſcilicet, continere aliqualem indecentiam, non tamen prohibitam per jus naturale; ſed ſufficientem, ut per jus humanum prohibeatur? Multa ſiquidem licent, quæ tamen non expediunt, ut fiant.

Affirmat Dicaſt.

Ita docet Dicaſtillo diſp. 7. n. 227. ubi ſic ait: Præcipua ratio (quare Matrimonium inter fratres & ſorores non ſit irritum jure naturæ) eſt; quia nullo ſufficienti fundamento oſtendi poteſt, ex natura rei ſeu jure naturali debitam eſſe tantam reverentiam conſanguineis, qui non ſunt aſcendentes, & naturaliter ſuperiores; atque adeò non eſt, cur dicamus, in copula inter ipſos irreverentiam reperiri ex natura rei, & eorum Matrimonium, ad eum ordinatum, ex natura rei nullum, imò & eſſe illicitum, quàmvis reverà tanta ſanguinis conjunctio ſit in primo gradu, ut negari non poſſit, eſſe magnam indecentiam prædictos copulari, atque adeò Matrimonio jungi. Hinc eſt, ut omnes ferè Gentes jure poſitivo tale Matrimonium prohibibuerint, & Summi Pontifices requiſiti noluerint concedere diſpenſationem; quia nunquam fortè oblata eſt cauſa, ad diſpenſandum in lege prohibente tales nuptias, fundatâ in tali & tanta indecentia. Hæc ille.

142. *Approbatur ejus Doctrina.*

Et meritò; quippè ſi reverà copula inter illos ex natura rei eſt prohibita, ſicuti eſt prohibita inter patrem & filiam, matrem & filium, conſequenter dici deberet, etiam eſſe ex natura rei irritum. Si enim ex natura rei eſt validum, ex naturâ rei dat jus ad copulam; non datur autem ex natura rei jus obligans ad actum ex natura rei illicitum, etiam ſolùm venialiter; quia implicat aliquem obligari ad malum, ſic enim obligaretur, & non obligaretur; in caſu propoſito obligaretur reddere debitum, & obligaretur non reddere, quia reddendo peccaret: obligatur autem quiſque ad non peccandum, ut clarum eſt, & ab Omnibus admiſſum. Igitur vel non valet Matrimonium jure naturæ inter fratrem & ſororem, vel ſi valeat, jam ex natura rei redditio debiti non eſt illicita.

143. *Objectio, ex Arriaga.*

Dices: jure naturæ multa prohibentur, quæ non irritantur, v. g. vendere aliquid ullo modo cariùs, quàm valeat; non tamen ideò illa venditio eſt nulla. Similiter etiam lex naturalis prohibet Matrimonium poſt votum caſtitatis, & tamen non irritat. Ita argumentatur Arriaga tract. de Leg. diſp. 23. n. 54.

Et n. 56. oppugnat, quod nonnulli ponunt, ſcilicet, legem irritare contractum, quando per eam non ſolùm prohibetur contractus, ſed etiam uſus illius redditur illicitus; quia non poteſt intelligi obligatio valida ad actum illicitum.

144. *An poſſit acquiri dominium alicujus rei abſque licito ejus uſu? Affirmat hic Auctor.*

Hæc ratio (inquit ille) nihil valet: nam per votum poteſt quis ſibi facere illicitum omnem uſum pallij v. g. & tamen non amittit dominium ejus; ergò etiamſi lex prohibeat contractum & uſum illius, non ideò inferre licet, non acquiri per illum actum verum dominium. Clariùs id oſtendo, in materia juſtitiæ: nam Religioſus Societatis Ieſu non profeſſus, qui eſt capax ad habendum dominium, etiamſi ratione voti non poſſit licitè dominium acquirere, & illo uti; tamen validè illud acquirit. Ratio à priori eſt; quia poteſt aliquid validè acquiri intrà virtutem juſtitiæ, etiamſi in alia virtute ſit illicitum.

Unde ad argumentum dico: Nemo poteſt validè acquirere jus ad actum injuſtum: diſtinguo; Non poteſt in ea virtute acquirere jus, in qua actus eſt injuſtus, concedo: non poteſt in alia virtute, nego.

Explico: Si intrà materiam Religionis actus eſt malus, non poterit intrà eam virtutem acquirere jus ad talem actum; at optimè poterit in materia juſtitiæ acquirere jus ad actum malum in materia temperantiæ, aut Religionis. Hactenùs Arriaga. 145. *Et explicat.*

Ergò in caſu noſtro per contractum Matrimonij poterit quis acquirere jus ad copulam illicitam; quia illa copula non eſt illicita in materia juſtitiæ, ſed pietatis ſeu reverentiæ debitæ conſanguineis.

Enimverò ſicut poteſt Legiſlator prohibere actum ipſum, non quidem contrà virtutem juſtitiæ, faciendo illum irritum; ſed intrà aliam virtutem; ita etiam poteſt eodem modo effectum illius actûs prohibere, non intrà virtutem juſtitiæ, ſed intrà virtutem religionis aut alterius diverſæ: tunc autem, eſtò motivum prohibendi non ſolùm reperiatur in ipſo actu, ſed in effectu illius, & conſequenter utrumque prohibeatur; non propterea ſequitur, quòd actus irritetur; nam ad hoc deberet etiam effectus illius fieri prohibitus intrà virtutem juſtitiæ; cujus optimum exemplum eſt, quod jam tetigimus ex Religioſo Societatis Ieſu non profeſſo, cui prohibetur vi voti non ſolùm acquirere dominium, ſed etiam effectus ſeu uſus illius, & tamen non propterea caſſatur ea acceptatio dominij. 146. *Probatur à ſimili.*

Confirmatur: nam qui votum habet caſtitatis, prohibetur accipere uxorem: non quia immediatè votum adverſetur valori contractûs matrimonialis, ſed propter ipſum Matrimonij uſum; ubi locum habet: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ſi ergò Matrimonium ſub voto prohibetur propter effectum Matrimonij; ergò à fortiori prohibetur ille effectus, & tamen non ideò irritatur Matrimonium. Ita Arriaga ſup. n. 59. *Confirmatur.*

Reſpondeo ad confirmationem: omninò Matrimoniũ ſub voto prohibetur propter effectum Matrimonij, id eſt, propter uſum, adeò, ut Matrimonium non ſit per ſe prohibitum habenti votum, ſi non intendat eo uti, ſed ante uſum intrare Religionem, ut alibi diximus. Sed quid tum? Nunquid & uſus illicitus, ſi contracto Matrimonio non intret Religionem? Et quomodo illicitus, cùm, ſecundùm Omnes, niſi intret Religionem, & in ea profiteatur, teneatur reddere debitum ex vi ſui contractûs? 147. *Reſp. ad confirmationem.*

Quàmvis enim turpe ſit, fidem Deo datam primò frangere; non tamen turpe eſt, fractâ ſemel fide, ſolvere illud, ad quod quis ex juſtitia *Qui cum voto caſtitatis contraxit, poteſt reddere.*

tia obligatur ; cùm vinculum justitiæ vinculum voti præcedat ; idque quia Deus non vult sibi solvi votum cum injuria alterius, sive stante tali mutatione rerum & vinculo justitiæ.

Nonne posterior contractus venditionis cum traditione prævalet priori contractui, facto sinè traditione rei ? Planè. Nec obstat, quòd secundus contractus sit injustus ; quia non continuatur illa injustitia, sed cessat, eò quòd prior contractus dissolvatur.

148. *Aliud est, actum esse injustum, aliud esse irritum ;*

Aliud ergò est, actum aliquem esse injustum, aliud verò esse nullum, ut patet in dicto exemplo : & similiter in venditione ultrà justum pretium : quia non obstante injustitiâ, potest actus fieri cum sufficienti voluntate ad valorem ejus, & posteà conservari potest removendo injuriam, seu resarciendo injuriam factam, & ideò sola injustitia contrà legem prohibentem non sufficit irritare actum, licet sufficere possit talis lex, ad inducendam obligationem ad aliquam restitutionem faciendam. Sic lex taxans pretium rerum, licèt prohibeat cariùs vendere, non potest dici irritans actum factum contrà illam prohibitionem ; quia ut dixi, venditio valida est, cum obligatione restituendi excessum.

149. *Estò aliter injuria nequeat resarciri.*

Quid igitur, si non possit injustitia aliter resarciri, nisi annullando actum ? Sed neque hoc semper sufficit ; quia si quis contraxit Matrimonium cum una, contrà sponsionem alteri factam, injuriam priori fecit, quæ resarciri non potest, si Matrimonium subsequens validum sit, & tamen non propterea lex prohibens tale Matrimonium, irritat illud : nam per accidens est, quòd injuria nequeat resarciri, & effectus talis Matrimonij seu usus non permanet turpis aut malus ; quamvis turpe fuerit & malum, se ad istum effectum seu usum obligare. Igitur Matrimonium jure naturæ potest esse illicitum, quàmvis alioquì validum.

150. *Matr. potest esse illicitum jure positivo, tamen non invalidum.*

Similiter potest esse illicitum jure positivo, & tamen non invalidum, ut patet in omnibus impedimentis jure Ecclesiastico merè prohibentibus, v. g. in interdicto Ecclesiæ, quod prohibet Matrimonium sine irritatione ; quia vinculum permanens, seu Matrimonium in facto esse, non est ita contrà interdictum Ecclesiæ, sicut in fieri ; & ideò, qui contraxit Matrimonium, potest licitè eo uti, petendo & reddendo debitum. Similiter lex prohibens Matrimonium inter cognatos ex solo Catechismo, prohibet actum, & non impedit effectum, etiamsi ille modus cognationis semper duret inter conjuges ; quia lex humana solùm reputavit illam, ut aliqualem indecentiam ad contrahendum de novo, non autem ad permanendum in Matrimonio semel contracto.

151. *Matr. potest esse illicitum jure naturali, estò usus sit licitus, & vice versâ.*

Fateor quoque, Matrimonium posse esse illicitum jure naturali, tametsi ejus usus sit ex omni parte honestus & licitus ; v. g. si quis vovisset non contrahere Matrimonium, illicitè contrà jus naturale voti contraheret Matrimonium ; equidem Matrimonio contracto, potest licitè petere & reddere debitum. Et è converso fieri posset, ut Matrimonium liceret, quàmvis ejus usus foret contrà jus naturale, aut positivum, v. g. si qui conjuges ab initio Matrimonij jus proximum usûs corporis separent ab ejus dominio per pactum vel votum ex mutuo consensu ut validè & licitè fieri posse, docuimus Sect. 3. præced. disp. Concluf. 9. Quod solùm, & aliud nihil, probat exemplum Arriagæ sup. de eo, qui per votum sibi faceret illicitum omnem usum pallij, qui tamen propterea non amittit dominium ejus.

Resp. ad exemplum Religiosi Societatis Jesu.

Aliud exemplum de Religioso Societatis Jesu, obscurius est, quàm præcedens ; quia per votum suum non reddit sibi illicitam omnem acquisitionem dominij, & omnem usum ejus, sed tantùm acquisitionem dominij & ejus usum, independenter à voluntate Superioris ; quid ergò miramur, si acceptatio valeat ? Nonne quia valet, ideò obligatur ad actum aliquem illicitum ? Plusquam meridianum est, quòd non. Et nonne ipse licitè potest uti illo dominio, dependenter à voluntate Superioris ? Nemo ambigit.

152. *Malè applicatur Matr. inter fratrem & sororem.*

Igitur ad casum propositum de Matrimonio, inter fratrem, & sororem, ratione cujus hæc latiùs dicta sunt, nihil refert istud exemplum, uti nec alia superiùs adducta, ex hypothesi, quòd usus Matrimonij contracti inter fratrem & sororem maneat semper illicitus, vel saltem venialiter, quia sic foret obligatio ad actum illicitum ; illicitum, inquam, non ex causa aliqua extrinseca, & voluntaria, quæ facilè auferri possit per ipsos conjuges, aut eorum Superiores, uti est pactum mutuum, votum &c. sed ex natura rei, quæ per nullum hominem possit immutari.

Alioquì, si dixeris ; contracto Matrimonio obligationem justitiæ prævalere obligationi pietatis & reverentiæ debitæ fratri, & sorori, ita ut jam non sit irreverentia copulari, sicut fuisset ante Matrimonium ; eo modo, quo prævalet obligatio justitiæ ex contracto Matrimonio obligationi fidelitatis ex voto anteà emisso ; ita ut copulari jam non sit peccatum infidelitatis, sicut fuisset ante contractum Matrimonium ; lubens admitto, Matrimonium inter fratrem & sororem, quàmvis illicitum, validum tamen esse.

153. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis ; hic etiam nulla erit obligatio ad actum illicitum ; nam jus proximum ad usum ab initio Matrimonij separatum fuit à dominio per legem naturalem reverentiæ debitæ consanguineis ; adeoque sibi imputent, qui sic contraxerunt, quòd nec petere, nec reddere possint, & videntur in eo consensisse : sicuti, quando uterque contrahens habet votum castitatis, neuter potest petere aut reddere debitum, donec cum altero, aut utroque dispensetur. Ergò similiter in casu proposito neuter posset petere aut reddere debitum, donec & usque talis occurreret circumstantia, quæ cohonestaret copulam, abstergendo ab eo omnem aliàs irreverentiam.

154. *Solvitur.*

Video sic posse responderi ; interim Multi docent, ut suo loco videbimus, petenti debitum

cum

cum voto castitatis, esse reddendum. Deinde: disparitas jam est assignata; scilicet, facilè posse obtineri dispensationem in voto castitatis, contracto jam Matrimonio, & impedimentum planè esse extrinsecum, quod non alio modo impedit copulam, quam quemlibet alium actum aut omissionem actûs Deo promissam, v. g. non vendere, non donare &c. At verò reverentia debita consanguineis in primo gradu, etiam lateris transversalis, est impedimentum ex natura rei, & quasi intrinsecum illis personis, quod in rarissimo casu tolli potest; veluti impedimentum consanguinitatis, quod est inter patrem & filiam.

Igitur si hoc jure naturæ dirimat; quia non censetur Deus dedisse potestatem hominibus transferendi dominium corporis ad usum, qui non potest esse licitus, nisi in extrema necessitate, vel ex speciali dispensatione Dei; quid ni similiter istud impedimentum dirimat, si verum est, quòd usus talis Matrimonij non possit esse licitus, nisi in gravi necessitate, vel ex speciali dispensatione Dei?

155. *An Pontifex possit dispensare in tali Matr.* Dices: etiam Pontifex potest dispensare. Sed undè hoc constat. Non legitur unquam dispensasse, sive ex defectu causæ sufficientis, sive ex defectu potestatis. Quòd autem potiùs ex defectu causæ, quàm potestatis, unde probatur? Vel si ex defectu causæ tantùm, jam liquet rarissimè usum hujusmodi Matrimonij posse esse licitum; cùm hactenùs talis causa non occurrerit, & verisimiliter nunquam occurret.

Quæ posset esse justa causa dispensandi, ex Pontio. Et, amabo, quæ hic justa causa? Unam assignat Pontius sup. n. 14. Justa, inquit, mihi causa videretur, ut, quod exempli causa dictum sit, si Hispaniarum Princeps, cùm ex una parte digna tantâ Regiâ Majestate uxor non esset, nec sinè gravi inconvenienti, juxtà prudentem æstimationem, etiam adhuc illam ducere non posset, & ex alia parte illæ, quæ pari conjugio copulari possent, essent aut hæresi infectæ, aut suspectæ, unde probabile periculum immineret, vel pervertendi Regis, vel inficiendi regni, quod non est difficilè evenire; posset certè justè dispensari, ut cum sorore nuberet, maximè si uterina non esset. Ita mihi videtur sub Sedis Apostolicæ judicio, quæ an adhuc in eo casu expediret, providè ut reliqua omnia & maturè consideraret. Hæc ille.

156. *Proponitur aliqua quæstio ab Auctore.* Sed quæro ego; in dicto casu cessat per se irreverentia & malitia copulæ, vel non? Si primum; quid opus dispensatione Pontificis? Si secundum; jam Pontifex poterit dispensare in jure naturali. Et quare etiam non poterit dispensare, ut frater & soror, qui ignoranter contraxissent, idque validè, ut suppono; cur, inquam, non poterit dispensare, ut licitè utantur suo Matrimonio, ne alioquin toto tempore vitæ absque sua culpa debeant abstinere à copula, ad quam habent saltem remotum jus? Si cum illis possit dispensare, cur non etiam cum his, qui scienter & illicitè contraxerunt? Nonne dispensat cum illis, qui scienter & illicitè contraxerunt cum voto castitatis? Non est dubium. Ergò non valet argumentum à voto Castitatis ad consanguinitatem in primo gradu lineæ transversalis.

157. *Dictum Matr. vel est irritum jure naturæ; vel non est illicitum saltem quoad usum.* Ex quibus omnibus concludo, vel Matrimonium in hoc gradu esse irritum jure naturæ; vel certè non esse illicitum jure naturæ, quàmvis indecens; aut denique estò foret illicitus ipse contractus, tamen posito contractu valido, non esse illicitam saltem redditionem debiti, obligatione justitiæ abstergente omnem irreverentiam, seu prævalente obligatione reverentiæ debitæ consanguineis, etiam in tali gradu.

Quid ergò, inquit aliquis, ad D. Aug. quem citat Sanchez pro sua sententia, ut sup. vidimus? Nonne adversatur nostræ Conclusioni? Dicit quippè, Matrimonia inter fratres & sorores, etiam ante legem veterem, fuisse illicita: ergò illicita jure naturæ, ac proinde, secundùm nos, invalida.

158. *Nostræ Conclus. videtur favere Hier. ex Pontio.* Audi Pontium sup. n. 4. Pro hac etiam sententia (quæ docet, Matrimonium inter fratrem & sororem non esse irritum jure naturæ) videntur stare Hieronymus, & Augustinus. Hieronymus in quæstionibus sive traditionibus in Genesim. *Necdum quippè*, inquit, *inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres & sorores initæ sunt.*

Et posteà in eod. lib. Genesis 20. in illa: *Etenim verè soror mea est de patre, sed non ex matre. Id est*, inquit, *fratris ejus est etiam filia, non sororis. Sed quia in Hebræo habetur*: Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, *& magis sonat quod soror Abrahæ fuerat, in excusationem ejus dicimus, necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas.* Hæc Hieronymus.

159. *Nec repugnat Aug. ex eod.* Nec verò repugnat Aug. lib. 15. de Civitate Dei c. 16. ubi cùm de fratrum conjugiis sermo esset, inquit: *Quod profectò quantò est antiquiùs, compellente necessitate, tantò posteà factum est damnabiliùs, religione prohibente.* Quibus indicat accessisse posteà prohibitionem per legem scilicet Divinam, ut latiùs serperet genus humanum, pluribus necessitudinibus existentibus. Quâ prohibitione secutâ, rectè dicitur posteà, nefas jam esse, idque contrariâ probatum consuetudine.

Unde circà medium capitis inquit: *Quod humano genere crescente & multiplicato, etiam inter impios Deorum multorum falsorumq; cultores, sic observari cernimus, ut etiamsi perversis legibus permittantur fraterna conjugia; melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam. Et cùm sorores accipere in Matrimonium primis humani generis temporibus omninò licuerit, sic aversetur quasi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim sensum vel alliciendum vel offendendum mos valet plurimùm.*

Ecce legibus concessam licentiam nubendi dicit, quàmvis perversas leges affirmet; quia sinè magna necessitate: quo ipso indicat, justâ existente causâ, fieri licitè posse. Etiam consuetudine id receptum dicit, atque adeò prohibitionem non ab ipsa lege naturæ manasse. Ita Pontius.

160. *Aug. solùm docet, nefas esse sic contrahere sine ulla necessitate.*

Igitur Aug. non adversatur nostræ Conclusioni; quippè solùm docet, nefas esse sinè ulla necessitate contrahere cum fratre Matrimonium; an autem contrà jus naturæ, an verò contrà solum jus positivum, ibi non disputat, aut resolvit, multò minùs asserit fuisse irritum, aut, Matrimonio validè jam contracto, copulam fuisse nefariam. Nos autem libenter admittimus, humano genere crescente, & satis multiplicato, tale Matrimonium fuisse prohibitum sive jure positivo Divino, sive humano.

Probatur non fuisse prohibitum à Deo in ipsa institutione Matr.

Porrò quòd in ipsa institutione Matrimonij non fuerit à Deo prohibitum, probant aliqui argumento petito ex Matrimoniis, iniri solitis in principio nascentis mundi, quo tempore fratres cum sororibus inibant Matrimonia, nec constat de Divina dispensatione. Imò, inquiunt, adeò dedecet, statim ipso mundi exordio jus naturæ infringi, ut potiùs credendum sit, si id esset contrà jus naturæ, fore ut Deus plures masculos & fœminas crearet, ne cogerentur fratres, jure naturæ violato, Matrimonium cum sororibus inire. Unde etiam Adam non dixit: Propter hoc relinquet homo fratrem, & sororem; sed patrem & matrem.

161. *Rejicitur probatio à Dicast.*

Verùm hoc argumento non vult uti Dicastillo sup. n. 225. quia, inquit, possunt oppositæ sententiæ Auctores respondere, Deum tunc dispensasse, propter necessitatem propagandi generis humani, eamque dispensationem satis constare ex eo, quòd Deus voluerit, imò dixerit: *Crescite & multiplicamini*: neque alium modum dedit aut instituit, quam per unum tantùm patrem & matrem; atque adeò fuit impossibilis multiplicatio, nisi per fratres & sorores.

Accedit: quòd probabile sit, propter magnam necessitatem non obligare legem naturæ, etiam inter ascendentes, & descendentes; quia bonum inferioris ordinis, debet cedere bono ordinis superioris: id ipsum potiori ratione dicendum esse putant Auctores contrariæ sententiæ in hoc casu. Hæc ille.

162. *Aliud arg. ex Pontio.*

Qui ibidem non approbat aliud argumentum, petitum ex usu Gentilium, quo utitur Pontius sup. n. 5. dicens: Si mores hominum consulamus, cùm, quod ab omnibus recipitur, satis indicet, ab ipso jure naturæ manare, & quod modò ab his, modò ab illis, satis etiam ostendit, non deduci ex naturæ principiis; reperiemus profectò, Matrimonium inter fratres non ab aliquo libidinoso, & communi sensu rejecto, sed apud multas Gentes, easque prudentiæ laude florentes, usu & consuetudine receptum atque probatum. Si ad tenebris obvoluta sæcula te convertas, & quæ fabulosa propter antiquitatem judicantur; Saturnus duxisse dicitur sororem Opem, Iupiter Iunonem, & quamplurima alia Deorum Matrimonia, quæ Poëtæ ac Philosophi finxerunt, è fratribus extiterunt. Si verò ea respiciamus sæcula, quæ litteris commendata sunt, & in historia vivunt, apud Ægyptios in usu fratrum Matrimonia referunt Diodorus & Pausanias in Atticis. Ptolomæum nupsisse Arcinoë sorori, tradunt historici. Apud Athenienses id in more receptum, affirmat interpres Aristophanis; fateturque Ludov. Vives ad prædictum locum & cap. Aug. & Paleotus lib. de Nothis filiis c. 3. n. 2. & 3. Hactenùs Pontius.

163. *Dicast. non vult eo uti.*

Sed nec hoc Argumento uti vult Dicastillo sup. dicens; hæc barbara sunt, atque ut adorare cepas, & colubros, non sunt in exempla adducenda, ut probemus id non repugnare naturæ rationali. Addo ego exemplum Regis Hiberniæ, qui ex consilio suorum volebat ducere propriam filiam; ex quo tamen non sufficienter probatur, id non repugnare naturæ rationali, ut sup. latiùs ostendimus.

Scriptura Gen. 20. testatur Abraham duxisse Saram sororem suam.

Et verò quid opus est recurrere ad exempla Ethnicorum, cùm Scriptura sacra dicat, Abraham duxisse Saram sororem suam. Nam Gen. 20. cùm expostularet Abimelech, quod deceptus esset ab Abraham, dicente, Saram sororem suam esse, respondit: *Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient me propter uxorem meam.* Ac ne metûs causâ mentitus crederetur, addit: *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.*

Quæ verba (inquit Pontius sup. n. 6.) quàmvis, si illis vis inferatur, aut variè torqueantur, in alium sensum deflecti possint; attamen planè & simpliciter, ac sinè tropo accepta, nostram sententiam planè continent, & Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. c. 12. in principio de conjugio cum sorore accipit.

164. *Objectio solvitur.*

Neque obstat; quod Gen. 11. appelletur nurus Thare uxor Abraham filij sui, si enim filia esset, non ita appellari deberet: Dico enim tunc potiùs nomine nurûs explicandam & significandam quàm filiæ. Quare non probo, quod alij dicunt Sarai Jescham appellatam etiam fuisse in eo capite, ut constet filiam esse Haran; id enim nullo cum fundamento asseritur.

Occurritur alteri objectioni.

Neque obstat etiam: quòd Abrahamus, ut Matrimonium celaret, & posteà etiam Isaac, sororis appellationem suis uxoribus indiderint, quæ inutilis simulatio esset, si conjugia cum sororibus essent eo tempore in usu. Eâ enim excusatione optimo consilio usi Abraham & Isaac: quia licet ea conjugia inter aliquos celebrarentur: at non ita frequenter, ut statim de quibusvis fraterno sanguine junctis suspicari etiam id facilè posset. Hucusque Basilius.

165. *Exemplum Abrahæ non probat efficaciter.*

Sed neque hoc exemplum quidpiam efficaciter probat; cùm dubium sit inter Scripturæ Interpretes, an Sarai verè fuerit soror Abrahæ. Atque etiam eo admisso, respondere possent Adversarij, Abrahamum habuisse sufficientem causam ducendi sororem, scilicet propagationem populi fidelis, sicut & habuit sufficientem causam accipiendi secundam uxorem, vivente adhuc primâ, quod alioquì est

contrà

contrà jus naturale. Vel ſi in uno caſu recurras ad ſpecialem diſpenſationem Dei, etiam ad eam in altero caſu poteris recurrere.

166. *An in lege veteri fuerit Matr. inter fratrem & ſororem irritum, ex Hiquæo.*

Audite Hiquæum ſup. n. 26. Cæterùm videtur Doctor agnoſcere, tantùm eſſe prohibitionem quoad aliquos gradus, & non irritationem contractûs; quia ſolùm in linea recta admittit conjunctionem eſſe nullam, non in linea tranſverſali, quantùm eſt ex parte legis Divinæ: an autem in Iudæis ſpecialiter irritans fuerit extrà caſum, quo proximus ſanguinis ſuccedebat in Matrimonium, ad ſuſcitandum ſemen fratri defuncto, & non aliàs, videtur ex pœnis, ibi adjunctis, fuiſſe aliàs irritum contractum in his gradibus; & hoc conceſſerim Cajetano, & aliis, fuiſſe ſpeciale in lege veteri; quàmvis aliàs fuerit prohibitum in omni lege contrahere in illis gradibus, niſi quando neceſſitas, & majoris boni circumſtantia urgebat, ut in Patriarchis ad propagandum populum fidelem, vel fortè etiam in Regibus, aut eorum filiis, ut comprehendamus Thamar, quæ ita ſuadere conabatur Amnon fratri, ut eam à Rege peteret, & non violaret per vim. Hæc illie.

167. *Quando fuerit licitum contrahere in gradibus quibuſdam prohibitis in veteri lege, ex eod.*

Et n. 27. ait: Conceſſionem contrariam (huic præcepto) factam eſſe, quando vel ob neceſſitatem, ut initio generis humani; vel ob interdictam communionem cum populo infideli, & ad multiplicandum populum fidelem ex pari cultu; ſicut contigit in Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob; vel ob dignitatem ſanguinis & auctoritatis in Regibus conſervandam; vel ob ſuſcitandum ſemen defuncti fratris, ut ex lege licebat; vel ne obſtaculum fiat fidei, ut cap. *Gaudemus*, de Divortiis, permittitur Matrimonium in ſecundo & tertio gradu initum ante Baptiſmum, & dicitur Matrimonium inter fideles conſtare, & illud in gradibus aliàs prohibitis eſſe licitum, quod intelligendum eſt ex ignorantia invincibili Divinæ legis, & ex uſu & conſuetudine contraria, ubi vigebant talia Matrimonia. Sic Hiquæus.

168. *An id bene probetur ex c. 8. de Divort.*

At, inquis, ſi eſt lex Divina, conſuetudine ei non poteſt derogari. Neque Pontifex in d. cap. ullam facit mentionem ignorantiæ legis Divinæ, ſed ait: *Et in præmiſſis gradibus à Paganis quoad eos Matrimonium licitè ſit contractum, qui conſtitutionibus Canonicis non arctantur.* Ergò ſupponit illa Matrimonia inter fideles eſſe illicita, non ex lege Divina, ſed ex conſtitutionibus Canonicis.

Planè ſupponit; ſed per Tò *Licitè* dicet aliquis, videtur intelligi Tò *Validè*; quia ſolùm interrogabatur Pontifex, an ſic conjugati poſſent manere conjuncti poſt Baptiſmum; & reſpondet, poſſe permanere; tum, quia Matrimonium jure naturæ erat validum; tum in favorem Chriſtianæ Religionis, ſive licitè, ſive illicitè, id eſt, ſine peccato, an cum peccato ante Baptiſmum contraxiſſent.

Utut ſit de hoc puncto, conſtat ex dictis, exemplum Abrahæ non probare efficaciter intentum; quia lex naturæ, ſecundùm Adverſarios, non irritat Matrimonium fratris cum ſorore in quocumque caſu, ſed regulariter tantùm, hoc eſt, niſi id poſtulet bonum ſuperioris ordinis, aut alia juſta cauſa.

169. *An exemplum Thamar probet efficaciter intentum;*

Et idem reſponderi poſſet ad exemplum Thamar ſororis Amnon, (quo utitur Pontius ſup. n. 7.) quæ ad illum inquit 2. Reg. 13. v. 12. & 13. *Noli frater mi, noli opprimere me, ... quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Quo inaniter, inquit Pontius, ſe puella defendere conaretur, ſi illicitum, inauditum, non uſu receptum, aut quòd juſtâ ſubſiſtente causâ fieri non poſſet conjugium.

Nec verò dici poteſt, Thamar non fuiſſe filiam David, ſed privignam, ut conſtat ex eodem cap. & lib. 1. Paralip. cap. 3. ubi enumeratur inter filios David. Nec etiam dici poteſt, illam non fuiſſe ſeriò & ex animo locutam, ſed tantùm, ut juvenem inſanientem illuderet, cùm poſteà dixerit v. 16. *Majus eſt hoc malum, quod nunc agis adverſum me, quàm quod antè feciſti, expellens me*, volebat jam, ſcilicet patre conſentiente, more conjugis cum Amnone fratre permanere, idque ſatagebat. Ita Baſilius.

170. *Pontius putat valdè probabiliter ex eo confirmari.*

Et concludit dicens: Quicumque certè hæc duo (exempla, Abraham ſcilicet & Thamar) attentè expenderit, licet non concedat, certam eſſe opinionem, quam defendimus; dabit tamen, cum magna probabilitatis ſpecie aſſeri poſſe, illam ſacris Lteris confirmari.

Iudicium Auctoris.

Expendi ego attentè, ut puto, hæc duo exempla, & video ad ſummum probare, in aliquo caſu, juſtâ exiſtente causâ, Matrimonium fratris cum ſorore poſſe eſſe licitum & validum, quod Adverſarij non negant; ſed ſolùm aſſerunt, Matrimonium hujuſmodi non eſſe validum, abſente juſtâ causâ. An autem in illis exemplis fuerit juſta cauſa, eſt alia quæſtio; Hiquæus affirmat, ut audivimus.

171. *Reſp. ad exemplum Thamar, ex Dicaſt.*

Deinde ad exemplum Thamar reſpondet Dicaſtillo ſup. An illa ſcire debebat id, de quo etiam nunc hodie in lege nova diſputatur? Unde & illo exemplo non vult uti hic Auctor. Quippè, ut Sanchez ait ſup. n. 14. non poteſt firmum argumentum duci ex opinione unius puellæ, exiſtimantis vel id Matrimonium licitum eſſe, vel minùs malum, quàm vi ſtuprari.

Reſp. ad. exemplum Abraham, ex Sanchez.

Porrò ad exemplum Abraham reſpondet Sanchez ibidem, Saram non fuiſſe veram Abrahæ ſororem; ſed vocaſſe illam Abrahamum filiam patris ſui Thare, quia erat neptis ejuſdem Thare ex ejus filio Aram, fratre Abrahæ, ut aſſerunt D. Aug. lib. 16. de Civit. cap. 12. & 19. Nec ſolus Aug. id aſſerit, ſed alij complures, quos ibi citat Sanchez. Igitur hæc exempla non dant magnam probabilitatis ſpeciem opinioni Pontij.

172. *Probatur ſententia Pontij ex decreto Concil. Agath.*

Majorem fortè dabunt Decreta Conciliorum. Agathenſe Concilium (inquit Pontius ſup. n. 8.) cap. 61. cùm aliquas inceſtas conjunctiones enumeraſſet, ſubdidiſſetque univerſè, ut omnia quæ dixerat, & dicenda ſuperarant, uno verbo comprehenderet, tam inter conſanguineos, quàm affines, concludit: *Aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam*

consanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem. Cùm ergò hæc omnia Matrimonia prohibuisset, inquit: *Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut, quæ sunt ante nos instituta, non dissolvamus.*

Quo Decreto convinci videtur, ea Matrimonia valere potuisse. Pone enim fratres aliquos Matrimonio conjunctos tempore ejus Decreti, inquiro, an essent dissolvenda conjugia illa, vel secùs? Si hoc secundum, vinco quod volo, valuisse scilicet; si verò dissolverentur, id manifestè est contrà tenorem Decreti. Hæc ille.

173. *Recitantur verba Decreti.* Quæ ut meliùs expendantur, transcribo totum Decretum, ut refertur 35. q. 2. & 3. c. 8. *De incestis conjunctionibus nihil prorsùs venia reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestuosos verò nullo conjugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censemus esse: si quis relictam fratris (quæ penè priùs soror extiterat) carnali conjunctione polluerit: si quis frater germanam uxorem acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ suæ se sociaverit: si quis relictæ vel filiæ avunculi misceatur, aut patrui filiæ, aut privignæ suæ, aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit concubitu polluerit, aut duxerit uxorem. Quos omnes & olim & nunc sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter Cathecumenos usque ad legitimam satisfactionem manere, & orare præcipimus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut ea quæ sunt hactenùs constituta* (aliàs, *Instituta*) *non dissolvamus.*

174. *Quis sit sensus horum verborum, ex Gloss.* Ubi Gloss. verb. *Constituta*, 2. inquit: Id est, *antiquos Canones*, Adeoque secundùm hanc Gloss. sensus istorum verborum est: Quod ita præsenti tempore prohibemus, ut antiquos Canones non dissolvamus. Ergò si fratres, Matrimonio conjuncti tempore ejus Decreti, separarentur, tamquam invalidè conjuncti, id manifestè esset contrà tenorem Decreti, negatur Consequentia; nisi ostenderis antiquos Canones hujusmodi Matrimonia pro ratis habuisse.

Alius sensus, ex Aurelian. 3. Igitur ut hoc Decretum aliquid probat, per ly *Instituta*, seu, *Constituta*, intelligenda sunt Matrimonia, prout intelligit Pontius. Et verò sic debere intelligi, videtur colligi ex Concilio Aurelianensi 3. Can. 7. sequentis tenoris: *De incestis conjunctionibus ita quæ sunt statuta, serventur, ut hi, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antèa in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suæ credidimus consulendum, ut contracta hucusque conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur, id est, ne quis sibi sub conjugij nomine sociare præsumat relictã patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam, relictã avunculi vel patrui.*

175. Sed hìc tantùm agitur de gradibus affinitatis, ut patet; in Decreto autem Concilij Agathensis, etiam de gradibus consanguinitatis; non tantùm in secundo, tertio & ulterioribus, verùm & in primo gradu, ut notat Pontius sup. n. 9. ubi sic ait: Sed expendo alia verba ejusdem Decreti, quæ, nisi fallor, apertè & sinè ambage continent nostræ sententiæ decisionem. Inquit enim. *Si quis relictam fratris (quæ penè priùs soror extiterat) carnali conjunctione polluerit: Si quis frater germanam uxorem acceperit.* *Alia verba ejusdem Concil.*

Inquiro enim: quis sit horum postremorum verborum sensus? Ego quidem eum, quem præ se ferunt, esse intelligo, scilicet: ne quis frater germanam suam uxorem accipiat; alius enim esse non potest. Si enim quis existimaverit sensum esse, ne frater ejus, qui uxorem duxit, ducat in uxorem germanam uxoris primi mariti, ridiculus erit: duo enim fratres duabus sororibus nubere nunquam affinitatis genere primo, secundo, & tertio prohibiti fuerunt. *Quæ expendit Pontius pro sua sententia.*

Si autem quis dicat, ibi præcipi, ne frater ducat germanam uxoris suæ, quam priùs habuerat, non minùs alienus sensus est; tum, quia in omnibus codicibus, quos ego hactenùs reperire potui, invenitur: *Germanam uxorem*, non, uxoris; & in cap. *De incestis*, 35. q. 2. & 3. eodem modo legitur. Quare corruptum esse textum, dici non potest cum aliquo fundamento. Tum etiam; quia quorsùm diceret: *Si quis frater*, & non absolutè: Si quis ducat germanam uxoris? Non ergò est aliud, quod referat illa vox, *Germanam*, nisi vocem illam: *Frater*, & contrà. 176.

Nec dici potest, hâc secundâ clausulâ idem significasse, quod primâ, ut ex ipso contextu satis liquet. At statim dicit Agathense Concilium, se non dissolvere anteà secùs instituta conjugia. Ergò sentit de omnibus Matrimoniis, in illis saltem gradibus expressim prohibitis valere conjugia, aliàs illos relinqueret in manifesto peccato. Hactenùs Pontius. *Evasio præcluditur.*

Et siquidem Concilium apertè diceret, se non dissolvere anteà secùs instituta conjugia, transeat, quòd apertè, & sinè ambage prædicta verba continerent decisionem sententiæ Pontij; sed sup. ostendimus, Gloss. per ly *Instituta*, intelligere antiquos Canones. Et quamvis Aurelianense 3. apertè dicat: *Contracta hucusque conjugia non solvantur*; non tamen apertè loquitur de Matrimonio contracto inter fatrem & sororem, ut liquet ex verbis sup. allegatis. 177. *Ostenditur hæc decreta non continere apertam decisionem sententiæ Pontij.*

Sed neque Concilium Agathense. Quippè Concil. Turonense secundum cap. 22. in quo tractat de incestis conjunctionibus, in principio refert se ad statuta Canonum vetera, dicens: *De incestis verò conjunctionibus censuimus statuta Canonum vetera* (putà, Concil. Agatinensis, Concil. Epaunensis, & Aurelianensis) *non interrumpi. Satis enim facimus, si in hac parte statuta prisca servemus. Sed propterea fuit iterare necessarium; quia dicunt plures, quasi illud, per Prædecessorum negligentiam Sacerdotum, illis non fuisse apertum.*

Et quibus verbis putatis, quòd iteraverit? *Incestis*, inquit, *conjunctionibus nihil prorsùs venia reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. Incestus verò, nec ullo conjugij nomine prædicandos, præter illos, quos dinumerare funestum est, hos esse censuimus: ut si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit: Si quis insuper germanam uxoris suæ acceperit, si quis novercam duxerit, si quis consobrinæ, sobrinæque se sociat, ab Ecclesia segregetur. Quod ut* 178. *Decretum Concil. Turon.*

a præ-

à præſenti tempore prohibemus, ita ea, quæ ſunt anteriùs inſtituta, non ſolvimus. Et quæ iſta anteriùs inſtituta? Sequitur: *Ne quis relictæ Avunculi miſceatur, aut patrui, aut privignæ cõcubitu polluatur.*

179. *Expenditur.* Ecce non utitur iiſdem prorsùs verbis, quibus Concilium Agathenſe, ſed quod hoc Concilium obſcurè dixerat, ſcilicet *ſi quis frater germanam uxorem duxerit*, claris verbis explicat, dicens: *Si quis inſuper germanam uxoris ſuæ acceperit.* Ubi omittitur ly *Frater*, & abſolutè dicitur: *Si quis inſuper germanam* &c. Nec dicitur: *Germanam uxorem acceperit*; ſed: *Germanam uxoris ſuæ.* Non igitur ly *Germanam*, poteſt referre vocem illam *Frater*, quæ ibi non ponitur, ſed neceſſariò refert ſororem uxoris ſuæ.

Nec ſolùm omittitur hìc lij *Frater*; ſed etiam in Concilio Epaunenſi cap. 30. (quod Pontius citat pro ſua opinione) nam ait: *Inceſtis junctionibus nihil prorsùs veniæ reſervamus* &c. *Si quis Germanam uxorem acceperit.* Igitur probatio, quam Pontius ſup. accipit ex ly *Frater*, nullius eſt pili.

180. *Aliud arg. Pontij.* Utì nec valet, quod lego in fine ejuſdem n. 9. Et quidem ita eſſe legendum, præter ea, quæ diximus, conſtat ex eo; quia Matrimonium cum duabus ſororibus jam prohibitum erat priori clauſulâ, eo ipſo, quò prohibetur Matrimonium unius uxoris cum duobus fratribus.

Elicitur. Reſpondeo: erat prohibitum implicitè priori clauſulâ, concedo; explicitè, nego. Nihil autem repugnat id, quod implicitè prohibitum eſt, ad majorem claritatem rursùs apertis verbis prohiberi. Et verò ſi mens Concilij Agathenſis fuiſſet, prohibere illis verbis Matrimoniũ fratris cũ germana ſorore, certè primo loco illud poſuiſſet, veluti in primo gradu conſanguinitatis, Matrimonium autem cum relicta fratris ſolùm in 1. gradu affinitatis.

Igitur ſcitè dixit Pontius: *Niſi fallor*; quia reverà fallitur, dum putat, illa verba Concilij Agathenſis apertè & ſinè ambage continere ſuæ ſententiæ deciſionem; quippè ſatis obſcurè continent, ut patet ex dictis, ſi tamen contineant.

181. *Duplex probatio ſententiæ Pontij. ex Coninck.* Quæ ergò, dicet aliquis, efficax probatio ſententiæ Pontij & noſtræ Concluſionis? Probat eam Coninck diſp. 32. n. 19. Primò; quia hi (frater & ſoror) non habent immediatam inter ſe conjunctionem & reverentiam, ſed tantùm ratione parentum, quæ non videtur ita adverſari Matrimonio, ut hoc irritet. Secundò: quia non videtur credibile, Deum voluiſſe inter eos irritum eſſe Matrimonium, per quos volebat genus humanum initio propagari, itaque illud inſtituere, ut neceſſe fuerit in filiis Adæ ejus inſtitutionem immutare, concedendo, ut ij inter ſe contraherent, qui per Matrimonij inſtitutionem ad hoc erant inhabiles. Hæc ille.

Neutra convincit. Sed quod uni non videtur, hoc alteri videtur. Unde nec ipſe Coninck putat has probationes convincere: nam dictis verbis actutum ſubjungit: Utrimque ergò ſunt congruentiæ, quæ non convincunt, Quare utraque ſententia probabiliter defendi poteſt.

182. *Congruentia* Congruentias ſententiæ Sanchez aliquas jam audiviſtis. Auſcultate & hanc: Matrimonium inter fratres & ſorores adverſatur fini ſecundario ipſius: cùm enim convivant, ſimulque ab incunabulis nutriantur, ſi inter eos jure naturæ Matrimonia non eſſent irrita, maxima præberetur anſa inflammandæ concupiſcentiæ, & paſſim inceſtus committerentur inter eos, ut vel ſic Matrimonio jungerentur: cùm notiſſimum ſit, faciliùs quemquàm ab earum fœminarum concubitu abſtinere, cum quibus non eſt ſpes futuri Matrimonij poſſibilis. *aliqua prò ſententia Sanchez.*

Et confirmatur: quia his Matrimoniis jure naturæ permiſſis, tantùm aberit, ut ea ardori concupiſcentiæ reprimendo deſerviant (qui finis eſt ſecundarius Matrimonij) ut potiùs ille ardentiùs flagraret. Quippè cùm amor naturalis tam arctæ conſanguinitatis coëat cum conjugali, arderet utique concupiſcentia & effrenatè uſui conjugali vacaretur. At recta ratio dictat, ut inter eas ſolas perſonas natura Matrimoniũ permittat, inter quas poſſit eſſe moderatus uſus conjugij. Ita Sanchez. *Confirmatur.*

183. *Reſp. Pontij.* Reſpondet autem Pontius ſup. n. 12. Quòd id periculum ſequeretur, non oſtendit invalidum, ſed ut plurimùm illicitũ. Idemque argumentum fieri poſſet ad reddendam ſuſpectam habitationẽ cum relicta fratris, aut cum duabus ſororibus, & cum ſobrina, quæ tamen abſque ſuſpicione cum patruis habitant, ſoceris & fratribus maritorum, & abſque controverſia certiſſimum eſt valere jure naturali, & tantùm canonicè impediri.

Adde etiam filios legales ſimul cum naturalibus habitare, & tamen inter legales nullum impedimentum eſt, & inter legales & naturales tantùm Eccleſiaſticum. Quare ex eo, quòd natura velit communem eſſe habitationem fratrum, tantùm colligetur jure optimo, Deũ olim in veteri lege, & in nova nunc Eccleſiam impedimentũ conſtituiſſe, ut ſcientes ſe invalidè contrahere, etiamſi attentarent, abſtineant à cõcubitu. Hæc ille.

184. *Alia probatio ſententiæ Sanchez.* Probat præterea Sanchez ſuam ſententiam, quia nunquam Eccleſia in hoc gradu diſpenſavit, cùm aliquando petitũ fuerit à Pontifice. Nam teſte Paulo Emilio in Ludovic. 11. Comes Armeniacus, Pontificiâ diſpenſatione ementitâ, ſororem duxit, eò quòd verã nunquã impetrare potuiſſet.

Rejicitur à Pontio. Reſpondet Pontius ſup. n. 10. id parùm referre: tum, quia juſta cauſa, & quæ neceſſaria ad diſpenſandum in eo gradu eſſet, non occurrit; tum etiam, quia quantùm ex allatis Decretis colligi poteſt, veroſimile eſt, nonnulla Matrimonia inita inter fratres valuiſſe; aut ſaltem ex illis Decretis colligitur non obſcurè diſpenſatio, cùm concedant, ut ſecùs inita conjugia perſeverent, quod olim ad Epiſcopos pertinebat: tum denique inquiro ab iſtis, quando audivimus vel legimus diſpenſaſſe Pontificem, ut quis nubat duabus ſororibus, & tamen noſtrâ ætate diſpenſatum in eo eſt à Clem. 8. & ſuperioribus annis conceſſum, ut relictam fratris alter acciperet; & tamen ignoro, an prioris diſpenſationis prioribus ſæculis ullum extet exemplum. Ita Baſilius.

185. *Reſolutio finalis.* Manet itaque probandum Adverſariis, quòd Pontifex noluerit diſpenſare, exiſtente juſtâ & neceſſariâ cauſâ diſpenſandi. Quod cùm non faciant, neque hoc argumentum quidpiam con-

convincit. Sed nec prima argumenta, ut patet ex eorum solutionibus, adeoque vera permanet nostra Conclusio: cùm enim irritatio Matrimonij fit res gravis & odiosa, ac in dubiis standum sit pro valore Matrimonij, non debet ea irritatio asseri, absque solido omninò fundamento & ratione convincente. Hìc ergò sit finis hujus Conclusionis. Sequitur

CONCLUSIO III.

Matrimonium in linea transversali jure Ecclesiastico est illicitum juxtà ac invalidum usque ad quartum gradum inclusivè, & non ultrà.

186. *Probatur Conclus. ex c. 8. de Consang.* ITà omnes Catholici, & habetur expressum cap. *Non debet*, de Consangui. Ibi: *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat.* Ubi ly *De cætero* satis clarè innuit, olim eum gradum excessisse.

Ad quem gradum se olim extenderit consanguinitas. Et si quæras, ad quem gradum se extenderit? Respondeo usque ad septimum, ut constat ex cap. 7. 35. q. 2. & 3. quod est Iulij Papæ: *Nullum* (inquit hic Pontifex) *in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque ad septimum generis gradum uxorem ducere.* Et eâd. causâ ac q. c. 19. ex Concil. Lugdun. dicitur: *Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant.*

Similiter loquuntur alij Canones, qui ibid. referuntur, putà Can. 16. qui est Greg. Papæ, & præcipit taliter conjunctos separari, dicens: *Progeniem suam unumquemque usque ad septimam decernimus observare generationem, & quamdiu se agnoscant affinitate propinquos ad conjugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerint, separentur.* Et cap. 17. sic ait Nicol. 2. *De consanguinitate sua uxorem nullus ducat usque ad generationem septimam* &c. Vide etiam cap. *Ad sedem Apostolicam*, 2. 35. q. 5.

187. *Objectio ex c. 20. 35. q. 2. & 3.* Sed objicitur illud Greg. ad Aug. Anglorum Episcopum c. 6. (& refertur 35. q. 2. & 3. c. 20.) *Quædam lex terrena in Romana Repub. permittit, ut sive fratris & sororis, seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere, & sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Vndè necesse est, ut in quarta vel quinta generatione* (alia lectio habet: *In tertia vel quarta*) *fidelium licenter sibi conjungantur.*

Solvitur ex eodem cap. Ecce objectio; sequitur responsio in eodem cap. sequentis tenoris: *Sed idem humillimus Pater Gregorius post multum temporis à Felice Messanæ Siciliæ civitatis Præsule requisitus, utrùm Aug. scripserit, ut Anglorum in quarta generatione contracta Matrimonia minimè solverentur, inter cætera talem responsionem reddidit. Quod scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo, alumno videlicet* (ut recordaris) *tuo, de sanguinis conjunctione, ipsi, & Anglorum genti, quæ nuper ad fidē venerat, ne à bono, quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter, & non generaliter cæteris me certissimè scripsisse cognoscas. Vnde & mihi omnis Romana civitas testis existit. Nec eâ intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firmâ radice in fide fuerint solidati, si in infrà propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, ut infrà affinitatis lineam, id est, usque ad septimam generationem jungantur.*

Ecce solutio clarissima, videlicet Greg. Papam dispensasse cum Anglis favore fidei, ut possent contrahere in quarta vel quinta generatione pro initio suæ conversionis. Signum profectò, quòd prohibitio hæc usque ad septimum gradum tantùm fuerit Ecclesiastica, cùm in lege Divina, nequeat Pontifex dispensare. Unde quod ibi dicitur: *Sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare*, vel intelligendum est de lege Ecclesiastica, quæ rectè dicitur sacra, prout condistinguitur legi civili, vel intelligendum est de lege Divina veteris Testamenti, non quasi adhuc obliget, sed per modum paritatis & exempli prohibitionis Ecclesiasticæ. 188. *Quid Pontifex in d. c. intellexerit per legem sacram.*

Et eodem modo exponitur, quod ait Zacharias Papa cap. *Pitacium*, 2. 30. q. 3. ibi. *Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quòd Dominus præceperit per Moysen, dicens*: Turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis non revelabis; turpitudo enim tua est. *Cùm ergò à propria consanguinitate jubemur abstinere* &c. *Exponitur Zacharias Papa.*

Ubi Gloss. verb. *Sororis*, inquit: *Arg. quòd in primo, vel in secundo gradu Dominus Papa, etiamsi velit, non possit dispensare: quia à naturali jure habuit initium, & in veteri testamento fuit prohibitum, ne quis sororem in uxorem acciperet: quia licet de sola sorore dixit, tamen sub appellatione sororis continetur neptis, arg. 22. q. 2.* Quæritur cur Patriarcha. *In tertio gradu non fuit prohibitum; quia in eo dispensavit Greg. ut 35. q. 3.* Quædam.

Quòd autem in secundo gradu Dominus Papa non possit dispensare, intelligit eadem Gloss. de secundo gradu in descendentibus, ibi: *Sed dic, quòd in Levitico prohibetur secundus gradus in descendentibus: unde in secundo collaterali bene potest Papa dispensare.* Prout dispensavit cap. *Gaudemus*, de Divortio, ubi dicitur, quòd si Pagani contraxerint in secundo gradu, post conversionem non sunt separandi. 189. *Pontifex potest dispensare in 2. gradu collaterali.*

Si objicias cap. *Litteras*, 13. de Restitut. spoliat. ubi dicitur, quòd Papa non possit dispensare in secundo gradu: Respondet ead Gloss. *Quòd non potest ita de facili.* Operæ pretium erit transcribere dictum caput: *Rescripto petebas Apostolico* (inquit Innoc. 3.) *edoceri, utrùm quando aliquis consanguinitatis gradus objicitur, in quo Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit, & probationes promptæ sunt & paratæ, indulgenda restitutio sit, an neganda.* *Objectio ex c. 13. de Restit. spoliat. Solvitur.*

Ubi Gloss. verb. *Non potest*, ait: *Id est, non vult, vel non expedit. Sic* 32. q. 5. Si Paulus, *in Gloss.* Suscitare: *quoniam Papa in omnibus dispensare potest, quæ non sunt contrà articulos fidei, vel generalem statum Ecclesiæ*, 15. dist. Sicut, *in Gloss. fin. &* 25. q. 1. Sunt quidam, *cum Gloss. sua.* 190. *In quibus Pontifex non possit dispensare. ex Gloss.*

Nec

Nec in his, quæ sunt contrà substantiam monachatûs, inf. de Statu Monach. Cùm ad Monasterium, *in fin. Nec in his, quæ in sui naturâ sunt mala, ut quòd sinè peccato posset quis aaulterari, arg. inf. de jurejur.* Et si Christus, §. Quædam etiam. *Nec potest dispensare, ut simul quis habeat plures uxores, sup. de Transact. cap. ult. Idem credo de gradibus Divinâ lege prohibitis, ut hic dicitur. Vnde propriè ponitur hoc verbum*: Non potest, *& ideò hæc expositio*: Non vult, *vel*, Non expedit, *non habet locum hìc.* Hactenùs Gloss.

191. *Non est idem quoad hoc dicendum de omnibus gradibus Levit. 18.*

Sed ego credo, non esse idem dicendum de omnibus gradibus, Divinâ lege, putà Levit. 18. prohibitis; nam constat Pontificem d. cap. *Gaudemus*, dispensasse in secundo gradu lineæ transversalis, qui tamen, saltem pro aliqua parte, fuit prohibitus Levit. 18. ibi: *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies; quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis; eò quòd caro sit matris tuæ.* Ubi prohibetur Matrimonium nepotis cum amita vel matertera, quod constat esse in secunda linea. Igitur hoc verbum: *Non potest*, non propriè ibi ponitur, sed ut idem sit, quod, *Non vult*, vel, *Non expedit*, aut certè, *Non potest ita de facili*, ut alia Gloss. dicebat.

192. *Aliqui putant omnes obligare in lege nova, & probant ex d. cap.*

Putant aliqui, omnes gradus expressos Levit. 18. obligare in lege nova; ac proindè in ipsis Matrimonium fuisse prohibitum jure naturæ. Ducuntur: quia Deus ipse Levit. 18. tradens ea præcepta, videtur manifestè declarare, prohibitionem illorum graduum non pertinuisse ad præcepta judicialia, aut cæremonialia illius particularis legis, quæ morte Christi peritura erant, adeoque jam perierunt; sed ad præcepta moralia juris naturalis, quæ ad omnes homines, ac ad universa tempora pertinent; quippè postquam tradidit ea præcepta, subdidit: *Nec polluamini in omnibus his; quibus contaminatæ sunt universæ Gentes, & quibus polluta est terra, cujus ego scelera visitabo, ut evomat habitatores suos. Custodite legitima mea atque judicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena, quàm colonus, qui peregrinantur apud vos: omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.* Ergò manifestè declarat, prohibitionem illam fuisse juris naturalis: aliàs Gentes, soli juri naturali subjectæ, minimè sceleris & abominationis arguerentur, quòd in gradibus ibi prohibitis contraxerint.

Confirmant ex Levit. 20.

Confirmatur ex Levit, 20. ubi, post enumeratos gradus, habentur hæc verba: *Custodite leges meas atque judicia, & facite ea: ne & vos evomat terra. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos: omnia enim hæc fecerunt & abominatus sum eas.*

193. *Resp. Bellar. præcepta omnia de gradibus esse aliquo modo naturalia.*

Respondet Bellar. lib. 1. de Matrimonio cap. 27. omnia illa præcepta de gradibus cognationis naturalia sunt aliquo modo, nimirum si nudè ac solitariè sumantur gradus cognationis sinè circumstantiis, quæ sufficiant ad Matrimonia in illis gradibus honestanda. Nam certè propositio illa generalis Levit. 18. *Ad proximam sanguinis sui nemo accedat*, jus naturæ complectitur; & ideò etiam in singulis præceptis de gradibus, reperitur vocabulum, *Turpitudo*; quia turpe est cum cognata Matrimonium contrahere, cùm natura ipsa dictet reverentiam quamdam illis deberi, cum qua pugnat copula carnalis. Et quia Gentes illæ sinè ullo delectu miscebantur consanguineis, peccabant haud dubiè in singulis contrà jus naturæ, & ideò meritò puniebantur.

194. *Non propter sola Matr. in gradibus prohibitis Gentes ejectæ fuerunt è terra.*

Est tamen illud hìc observandum, peccasse quidem Gentes, in ejusmodi conjugiis contrahendis, sed non ita graviter, ut propter illa ejiciendæ essent è terra: ista enim pœna propriè respicit crimen idololatriæ, & adulteria & flagitia illa prodigiosa cum bestiis & masculis. Cùm enim Scriptura dicit: *Omnia hæc fecerunt* &c. non intelligit tantùm conjugia in gradibus prohibitis, sed omnia scelera sup. nominata. Nec dicit Scriptura, propter singula peccata fuisse dignos illos, qui à terra evomerentur: sed propter omnia; quia nimirum inter illa omnia, erant quædam gravissima, & enormia.

Ostenditur ex factis Patriarcharum.

Veram esse hanc solutionem, confirmari potest exemplis Patriarcharum, ut Iacob, Iudæ & Amram; addo etiam Abraham ex opinione Theodori Bezæ, qui in gradibus prohibitis conjugia contraxerunt, & tamen à Deo puniti non sunt; quia videlicet non temerè, sed cum ratione id fecerunt; neque ad ista conjugia adjunxerunt quatuor illa scelera, ob quæ propriè Gentes illæ punitæ fuerunt. Hactenùs Bellarminus.

195. *Aliqua præcepta de gradibus in Levit. sunt judicialia.*

Qui ibid. diffusè probat contrà hæreticos, non obligare jure Divino Christianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Levitico, eò quòd aliqua sint judicialia illius peculiaris legis, & non moralia juris naturalis. Unde neque ante legem veterem obligârunt, ut ibid. probat hic Auctor ex diversis exemplis Sanctorum, qui in lege naturæ in gradibus, in Levitico prohibitis, connubia junxerant, ut Iacobi, qui duas sorores viventes simul accepit uxores, Liam, & Rachelem, Gen. 29. id autem expressè prohibetur Levit. 18. & est primus gradus affinitatis in linea transversa. Ita Bellar.

Verùm ad hoc, & similia exempla respondent Adversarij; conjugia ista facta fuisse, Deo dispensante. Sed hæc solutio (inquit Bellar.) non est solida: nam ex cap. 28. Gen. satis apparet, fuisse consuetudinem loci, ut duæ sorores uni viro conjungi possent. Sic ille.

Estò, fuerit consuetudo. Nunquid etiam consuetudo erat, ut unus vir acciperet duas uxores simul? Num ideò polygamia non est prohibita lege naturali, aut hodie Pontifex in ea potest dispensare?

196. *In Levit. quædam conjugia prohibentur in eodem gradu, & quædam non?*

Meliùs ergò probatur hæc sententia ex eo, quòd in Levitico quædam conjugia prohibeantur, & quædam non in eodem gradu; v. g. prohibetur conjugium nepotis cum amita & matertera, & non prohibetur conjugium patrui vel avunculi cum nepte ex fratre vel sorore. Quamquam enim unum conjugium sit magis indecens, quàm aliud, ut sup. ostendit Bellar. & illa

illa diversitas fuerit ratio sufficiens, unum prohibendi, & non alterum lege positivâ judiciali, tamen (inquit hic Auctor) si gradus ille jure naturæ interdictus esset, profectò non sufficeret modica illa diversitas ad id efficiendum, ut in eo gradu Matrimonium esset aliquando licitum. Non enim illa diversitas est in ipso gradu propinquitatis, sed in aliquo extrinseco superaddito; nimirum in ætate, vel sexu, vel aliâ simili circumstantiâ. Hæc ille.

Sicuti eadem diversitas in sexu reperitur in conjugiis patris cum filia, & matris cum filio, quæ tamen non sufficit, ut unum sit licitum & validum, alterum autem jure naturæ illicitum & invalidum. Unde & in Levitico 18. utrumque exprimitur ibi: *Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies.* Idque, quia utrumque jure naturæ prohibitum est, quàmvis sit major indecentia in Matrimonio matris cum filio, quàm in conjugio patris cum filia. Ergò similiter, si Matrimonium amitæ cum nepote foret jure naturæ illicitum, etiam Matrimonium patrui cum nepte foret eodem jure illicitum, & exprimeretur in Levitico, quod tamen constat non fieri.

197. *Definit Trid. Eccle sium posse dispensare in aliquibus gradibus.* Denique optima probatio hujus veritatis desumitur ex Concilio Tridentino sess. 24. Can. 3. *Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, anathema sit.*

Non dicit, in omnibus dispensare, sed: *In nonnullis.* Ergò Concilium agnoscit aliquos gradus, expressos in Levitico, impedire & dirimere Matrimonium jure Divino naturali, saltem latè dicto, in quo Pontifex non potest dispensare; alios autem jure tantùm Ecclesiastico, in quo Pontifex possit dispensare.

198. *Quomodo intelligendum c. Litteras de Rest. spol.* Igitur quando in d. cap. *Litteras* de Rest. spol. dicitur, Pontificem non posse dispensare in gradibus consanguinitatis, Divinâ lege prohibitis, ibi: *Opinioni autem ultimæ videtur non incongruè adaptari, ut in gradibus consanguinitatis Divinâ lege prohibitis restitutioni aditus præcludatur: sed constitutione (*scilicet humanâ*) interdictis, humana restitutio locum habeat cum effectu, cùm in illis dispensari non possit, & in istis valeat dispensari, sicut B. Gregorius, & multi alij dispensârunt:* intelligendum hoc venit, vel de aliquibus gradibus, aut si de omnibus velis intelligere, qui prohibentur in Levitico, dic, Ecclesiam non consuevisse in istis dispensare, quàmvis alioquìn in aliquibus absolutè possit dispensare.

199. *Quænam personæ excludantur à conjugio, ex Gloss.* Audi Glossam ibi verb. *Divinâ lege: In Levitico, scilicet* 18. *cap. Quondam propter hominum raritatem, tantùm duæ personæ excludebantur à conjugio, ut nec filius matrem, nec filia patrem duceret. Sub lege excepit ferè duodecim, matrem, novercam, sororem, neptem, amitam, materteram, uxorem patrui, uxorem fratris (sed hoc recipit determinationem* 8. *q.* 1. Olim) *privignam, filiam privigni vel privignæ, sororem uxoris, paucas tamen excluſit, ut multiplicarentur homines. Sub gratia verò, scilicet tempore Christi plurimæ personæ excluduntur, ut locum haberet continentia, & est illa prohibitio conjugij: nam à fornicatione quilibet & quælibet excluduntur. Et ita cùm Ecclesia in istis gradibus, Divinâ lege prohibitis, non consueverit dispensare, eis oppositis non est restitutio facienda, & hoc videtur sonare litera ista.*

Planè sic sonat littera ista circà principium ibi: *In qua Sedes Apostolica dispensare non potest, nec etiam consuevit,* quæ ultima particula frustrà adderetur, si absolutè non posset Sedes Apostolica dispensare. Si autem Pontifex possit dispensare, sicut reverà potest, quàmvis non soleat, quia rarissimè occurrit sufficiens causa dispensandi, non video, quomodo gradus omnes prohibiti in Levitico, adhuc hodie prohibiti & irriti maneant, seclusâ constitutione Ecclesiæ, ex solo jure Divino naturali, quod erat antè legem veterem. 200. *Sedes Apostolica non solet in aliquibus gradibus dispensare, quàmvis possit.*

Sanè, ut jam sæpiùs dictum est, d. capit. *Gaudemus,* Pontifex permittit paganos conjunctos in secundo & ulterioribus gradibus, post susceptum Baptismum permanere simul, & uti Matrimonio jam contracto, eò quòd non obligabantur legibus Ecclesiasticis, quando illud contraxerunt. Quod procul dubio non fecisset, si judicasset tale Matrimonium jure naturali Divino illicitum & invalidum. Nam eodem cap. Paganis, qui plures antè Baptismum duxerant uxores, præcipit permanere cum prima, aliis dimissis, eò quòd polygamia sit contrà jus Divinum naturale, ut alibi explicatum fuit; atque adeò secundum Matrimonium & tertium invalidum, in quo utique jure Pontifex non possit dispensare. *Cap. 8. de divort. permittit paganos in 2. gradu, post Baptismum manere simul.*

Sed dicet aliquis: idem Pontifex Innoc. 3. cap. fin. de Divortiis, approbat Matrimonia infidelium, qui contraxerunt cum uxoribus fratrum defunctorum, si tamen decesserunt sinè prole: *Quia (*inquit*) dispar est ritus Livonien. de novo ad fidem Catholicam conversorum à nostro; propter infirmitatem gentis ejusdem concedimus, ut Matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur: si tamen fratribus decedentibus sinè prole, ut semen defuncti, juxta legem Mosaïcam, suscitarent, cum talibus contraxerunt.* Ergò censet, gradibus illis veteris legis infideles arctari, alioquì non indigerent Matrimonia illa novâ approbatione, sed valida essent, sive cum liberis, sive absque liberis frater obisset. 201. *Objectio. ex c. fin. de Divort.*

Respondet Sanchez sup. disp. 52. n. 8. cum Abulensi 1. Reg. c. 8. q. 165. in fine, ibi haberi sermonem de Matrimoniis, tempore infidelitatis initis, quæ irrita erant cum uxoribus fratrum defunctorum cum liberis, & permittebantur, quando sinè liberis decesserant, ad suscitandum semen fratris mortui, non ratione legis antiquæ Mosaïcæ, quæ jam cessârat, sed ratione consuetudinis, quæ inter illos aliter irritabat ea Matrimonia. Dispensat ergò Pontifex, ut conversi ad fidem maneant in illis Matrimoniis, maximè si ad suscitandum semen defuncti fratris, 202. *Solvitur ex Sanchez & Abulensi.*

tris, contracta eſſent: unde etiam diſpenſat, licèt non ad eum finem eſſent inita: in quo eventu erant nulla, juxtà eorum conſuetudinem: unde ea verba textûs: *Si tamen* &c. non accipiuntur conditionaliter; ſed accipitur, *Si*, pro, *Maximè*.

203. *Secunda reſponſio ex Covar.* Vel ſecundò reſpondet Covar. 4. Decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 3. ea Matrimonia fuiſſe contracta poſt converſionem ad fidem, ac proinde fuiſſe irrita; at ea non diſſolvi à Pontifice, ſed diſpenſare propter fragilitatem illorum, qui noviter Chriſti fidem profeſſi fuerant. Hæc Sanchez.

Auctori magis placet 1. reſponſio. Nobis magis placet prima reſponſio: quia ſecundæ reſponſioni videtur obſtare, quod in fine dicti cap. ſcribit Pontifex: *Ne tales ſibi de cætero, poſtquam ad fidem venerint, copulent, prohibentes.* Ergò in prioribus verbis videtur loqui de iis, qui ante ſuſceptam fidem contraxerant.

204. *Alia objectio ex c. 4. de Conſang.* Objicitur præterea cap. 4. de Conſang. ubi idem Pontifex reſcribit Archiepiſcopo & Capitulo Tiren. in hæc verba: *De infidelibus ad fidem converſis, utrùm ſi ante converſionem ſuam ſecundùm legis veteris inſtituta circa gradus conſanguinitatis, à canone denotatos, conjuncti fuerint, ſeparari debeant poſt Baptiſmum. Conſultationi tuæ duximus reſpondendum, quòd Matrimonium ſic contractum non eſt poſt Baptiſmi levacrum ſeparandum.* Ergò à contrario ſenſu ſentit, ſeparandos eſſe, ſi contrà illius legis præſcripta conjuncti ſunt.

Solutio ex Sanchez. Reſpondet Sanchez ſup. hoc argumentum nihil valere. Quia (inquit) Pontifex non decidit, Matrimonia infidelium, juxtà veteris legis ſtatutum inita, eſſe valida, quaſi limitans, dummodò juxtà illud ſtatutum ineantur, ut ſic liceat formare argumentum à contrario ſenſu: ſed rogatus eſt expreſsè, an Matrimonia, juxtà illius legis permiſſos gradus celebrata infidelitatis tempore, ſint valida. Et reſpondet directè quæſtioni, valida eſſe. Quòd infidelitatis tempore validè poſſit contrahi Matrimonium, dummodò non ſit in gradu lege naturali irritanti prohibito. Hæc ille.

205. *Explicatur cap. Pitacium, ex Sanchez.* Ad cap. *Pitacium*, ſup. adductum, ubi Pontifex Zacharias ad probandum, non licere cognatam ſpiritualem ducere, affert præceptum Domini per Moyſen Levit. 18. Reſpondet Sanchez ſup. non afferri teſtimonium illud veteris legis, quaſi nunc obliget; ſed in argumentum, ſi Deus prohibebat Matrimonium cum cognata carnali, eò quòd id dedecebat; æquum eſt, ut ob indecentiam prohibeatur ab Eccleſia Matrimonium cum cognata ſpirituali. Ita Sanchez. Affertur igitur, ut ſup. dixi, præceptum Domini per Moyſen, per modum paritatis & exempli prohibitionis Eccleſiaſticæ.

Illatio Auctoris. Ex quo ego deduco: ſicuti non foret peccatum (ſaltem mortale) contrahere cum cognata ſpirituali, ſecluſo præcepto Eccleſiæ, eſtò contineat ante præceptum aliquam indecentiam; ſic itidem non fuiſſet peccatum (ſaltem mortale) contrahere in aliquibus gradibus prohibitis olim lege Divinâ, hâc ſeclusâ, quàmvis alioquin indecens fuiſſet ſic contrahere, propter quam utique indecentiam Deus talem contractum prohibuit; non enim natura omnia prohibet per ſe ipſam, ſaltem graviter; quàmvis adſit ſufficiens ratio naturalis, eam graviter prohibendi per legem poſitivam. Sic omne peccatum externum in Eccleſia commiſſum contrahit inde aliquam malitiam ſacrilegij, ad minùs venialem, rarò mortalem, ubi ſpecialis prohibitio non intervenerit, vel notabilis irreverentia in ipſo actu apparuerit. Ita docet Suarez to. 1. de Relig. lib. 3. c. 7. n. 6.

206. *Lex humana poteſt graviter præcipere, quod naturâ non ita præcepit.* Rogat aliquis: quomodo lex humana potentior ſit ad hanc malitiæ gravitatem, quàm naturalis lex? Reſpondet idem Auctor ſup. n. 9. in finè? Quia lex humana poteſt novam obligationem imponere proportionatam naturæ, & additam legi naturali. Imò ad hoc data eſt hominibus hæc poteſtas, ut poſſint adjungere obligationem determinando, quod lex naturalis per ſe non ita determinabat. Denique: quando non eſt lex directè prohibens, irreverentia loci eſt ſolùm indirecta, & ex generali principio, ideoque poteſt eſſe levis; quando verò addita eſt prohibitio, jam eſt directa irreverentia; quia lex humana determinat abſtinentiam à tali actu in loco ſacro, in cultum ejus, & in ſignum reverentiæ illi debitæ. Hæc ille.

Quæ ſic applico ad noſtrum propoſitum: quàmvis aliqualis ſit indecentia & irreverentia contrahere Matrimonium cum conſanguineis, etiam ex natura rei; non tamen ſemper mortalis, niſi ſpecialiter per jus Divinum aut humanum talis contractus prohibeatur. Nam quando non prohibetur, ſolùm eſt indirecta quaſi irreverentia, & ex generali principio, quòd in actu conjugali aliquis honor debeatur conſanguineis: porrò accedente prohibitione Divinâ vel humanâ, jam eſt directa irreverentia; quia lex Divina vel humana determinat abſtinentiam à tali actu in ſignum reverentiæ conſanguineis debitæ. *Oſtenditur in caſu poſito.*

Quæro autem; cur illa irreverentia naturalis non ceſſet, Matrimonio jam contracto, ex ſuppoſito, quòd valeat; ne alioquì debeant toto tempore vitæ ſuæ conjuges ab actu illo abſtinere, cum maximo periculo ſuarum animarum? Reſponſionem expectabo.

207. *Conciliatio diverſarum ſententiarum in hac materia, ex Hiquæo. Prima.* Interim ſubſcribam conciliationem quamdam diverſarum ſententiarum in hac materia, quam lego apud Hiquæum noſtrum ſup. n. 29.: Aut dicendum erit in hac quæſtione, ſatis incertâ, ob varias gravium DD. ſententias & interpretationes, hæc Matrimonia (prohibita in Leviticò) fuiſſe non ſolùm prohibita, ſed etiam invalida, ſecluſis circumſtantijs particularibus, ad quas non ſe extendebat, neque de facto extendit Divina præceptio & lex: hæ autem circumſtantiæ ſunt, aut neceſſitas communis boni, quod præponderat, pacis aut fidei, aut propagationis, & facultas Eccleſiæ, ita quòd particulari arbitrio non permittebantur talia conjugia inter fideles; aut lex & conſuetudo inter infideles, qui nullam aliam regulam habent contractûs.

Hæc secunda circumstantia est rationabilis: quia conjugia in his circumstantiis communis boni tam temporalis, quàm etiam spiritualis, debent ad communem & publicam auctoritatem revocari, & hoc olim in conjugio Isaac & Iacob fuit observatum, qui ex facultate & dispensatione parentum, in quibus fuit auctoritas spiritualis & Ecclesiastica illius statûs, uxores in his gradibus consanguinitatis acceperunt; in Gentibus verò, ubi consuetudo & lex viguit, hæc auctoritas etiam ad primates spectabat, qui hujusmodi connubia invexerunt. In lege autem Evangelica residet in Vicario Christi, sinè cujus auctoritate talia connubia, etiam lege Divinâ, essent invalida, & non solùm auctoritate Canonicâ, & sic intelligi possunt plures Doctores, qui hæc Matrimonia asserunt ipso jure naturali aut Divino esse irrita, id scilicet & absolutè & regulariter verum esse, & spectatâ materiâ in se, seclusis particularibus circumstantiis, majoris boni & auctoritatis publicæ. Hæc ille. Et ecce prima conciliatio. Sequitur secunda.

208. *Secunda.* Vel dicendum est secundò; illa Matrimonia fuisse tantùm prohibita Divinâ lege positivâ; sed simplici prohibitione, & non irritante contractum; esse autem nulla per legem Canonicam inter fideles, inter infideles autem per authoritatem publicam, ubi consuetudine reprobantur aut lege.

Occurritur objectioni. Et si dicas, hanc restrictionem esse liberam & voluntariè excogitatam.

Respondetur: esse fundatam in communibus principiis; quia in quæstione tam gravi & periculosa, cui admiscetur authoritas Divinæ & humanæ legis, Pontificum, Patrum, plurium Conciliorum & Doctorum, non est vacillandum, aut ad extrema transeundum, fovendo controversias, sed jura concordanda sunt, & ex praxi Ecclesiæ interpretanda, quę veritatis est columna.

209. *Extrema sententia.* Plures Patres dicunt, esse hæc Matrimonia inhibita jure Divino, cujus originem in discursu videntur referre ad jus naturale connubij & sanguinis. Ex alia parte habemus Decreta Ecclesiæ, nunc ampliantis, nunc restringentis illos gradus ad valorem Matrimonij, ut ex dictis apparet, & permittit infideles in secundo & tertio gradu tam affinitatis, quàm consanguinitatis conjunctos, post conversionem permanere. Dispensari etiam ob bonum publicum & præponderans in gradibus similibus affinitatis; oportet hinc colligi neque jure naturali aut Divino eos comprehendi in particularibus circumstantiis majoris & communis boni, quàmvis aliàs præcisè sumpta & absoluta essent nulla sine talibus circumstantiis.

Et hoc modo reducitur opinio negativa ad praxim Ecclesiæ, quæ suam auctoritatem ejusmodi contractui sæpiùs interposuit, & salvatur ejus dispensatio, & auctoritas Patrum, qui valorem horum contractuum reducunt ad legem humanam, ut Hieronymus, & Aug. Si verò dicamus, esse simplicem tantùm prohibitionem Divinam, & seclusis præmissis circumstantiis, perindè salvantur Decreta, & Canones, & praxis Ecclesiæ. Hactenùs Hiquæus.

Qui ibidem n. 31. confirmat hanc concordiam seu interpretationem, discurrendo à posteriori in hunc modum: Hæc conclusio pro certa statuenda est: Matrimonia illa in præfatis gradibus fuisse valida in Patriarchis; fuisse valida inter Gentiles conversos, ut inita primùm in infidelitate, ex cap. *Gaudemus*; esse valida ex dispensatione Pontificia. Debet ergò hæc conclusio reduci ad principia certa: proindè decisio ejus non cohæret cum hoc, quod est, talia Matrimònia esse jure Divino & naturali in quibuscumque circumstantiis nulla, quæ principia non cohærent cum veritate conclusionis; ideoque reducenda sunt ad limitatum sensum & materiam, seclusis circumstantiis, in quibus Matrimonia erant valida, quæ circumstantiæ jam præmissæ sunt. 210. *Confirmatur hæc concordia à posteriori.*

Ex alia parte, ipsa Divina Scriptura in Levitico reprobat illa Matrimonia, aut reprehendit tamquam illicita, etiam ante legem inita à Chananæis, & in ipsis à Deo punita. Patres dicunt esse contrà jus Divinum: etiam sunt contrà debitam in familia disciplinam, & cohabitationem; quâ ratione reducuntur ad jus naturale, & etiam ab iis Gentiles abstinuerunt, in quibus fuit majus lumen & melior consuetudo, tamquam ab illicitis, & contrà inclinationem sensûs, ut dicit Augustinus, quod plurimùm valet ad interpretationem legis naturalis, vel in seipsa, vel quoad ea, quæ sunt consona: ergò ex hac parte non est ita declinandum ad alterum extremum, ut dicantur nulli juri Divino repugnare, etiam comprehendendo simplicem prohibitionem, ideoque concordia præmissa retinet medium, reducendo extrema ad interpretationem congruam desumptam ex praxi Ecclesiæ, cum qua utraque sententia cohærere potest. 211. *Illa Matrimonia saltem fuerunt prohibita.*

Et neganda est sequela, quam aliqui Auctores inferunt hinc inde, vel dicendo, Matrimonia simpliciter invalida, & separandos esse infideles conversos, qui in gradibus illicitis aliàs contraxerunt ante Baptismum; vel ex alia parte neganda est sequela, quam deducunt Alij, vel ex praxi vel ex principiis, quibus innitûtur, probantes nullo Divino jure esse talia illicita: & per hoc patet responsio ad fundamenta utriusque sententiæ extremæ, inquantùm plus probant, quàm contineatur in principiis: admitti enim potest, illa Matrimonia aliquando, seclusis circumstantiis, fuisse invalida, vel fuisse illicita, juxtà unum vel alterum modum. Usque adhuc Hiquæus. 212. *Negatur sequela prætensa.*

Qui utrùm scopum attigerit, relinquo aliis judicandum. Ego, ut dicam, quod sentio; si verum est, Ecclesiam propriè dispensare in aliquibus gradibus, in Levitico prohibitis, non intelligo, quomodo adhuc illi gradus sint prohibiti jure Divino aut naturali, cùm in nullo alio jure Divino naturali Ecclesia dispenset, ut patet in polygamia, indissolubilitate Matrimonij fidelium consummati, & similibus. *Iudicium Auctoris.*

Dixi

213. *Ecclesia potest interpretari legem divinam aut naturalem, secùs in ea dispensare.*

Dixi consultò: *Propriè dispensare*, id est, tollere obligationem, quæ alias esset, nisi dispensaretur. Nam impropriè dispensare, id est, interpretari legem naturalem aut Divinam, Omnes concedunt Ecclesiæ; dispensare autem Omnes negant Ecclesiæ. Iam autem Concil. Trid. definit, ut sup. vidimus, Ecclesiam posse dispensare in nonnullis gradibus prohibitis Levit. 18. Igitur censet Concilium, aliquos ex illis gradibus hodie non esse prohibitos jure Divino aut naturali.

Ecclesia potest constituere, & constituit, plures gradus impedire & dirimere.

Definit præterea Concilium contrà hæreticos nostri temporis: Ecclesiam posse constituere, ut plures gradus impediant & dirimant. Et verò constituisse, quod potuit constituere, idque rationabiliter, nemo Catholicorum dubitat. Solùm describam hìc verba Doct. Seraphici 4. dist. 40. a. 1. q. 3. in corp. *Dicendum, quòd secundum tempora vestra Matrimonium impeditur a gradibus consanguinitatis usque ad quartum inclusivè, sicut patet extrà de Consang.* Non debet, *in Decretali edita in Concil. Generali. Si autem quæritur ratio hujus; dicendum, quòd hujus ratio est statutum Ecclesiæ. Si quæratur ultrà, quare Ecclesia statuerit, dicendum, quòd quia potuit, & congruum fuit, & quia erat utile, & quia erat necesse.*

Quare Ecclesia id fecerit, ex Doct. Seraph.

214. *Quod potuerit, probatur ex eod.*

Quòd potuerit, *Probatur* (inquit D. Bonav.) *per Scripturam: quia in principio in constitutione Matrimonij in lege naturæ, duæ excipiebantur personæ, scilicet pater & mater*: Relinquet homo patrem & matrem &c. *post processu temporis in Lege fuerunt proles exceptæ, sicut patet. Si ergò Lex Evangelica abundare debet à Mosaica: ergò in Lege Evangelica proles debuerunt excipi. Sed Christus in propria persona non excepit: ergò si nihil diminutum debet esse in Ecclesia: ergò posse determinandi reliquit Ecclesiæ, maximè Petro, & ejus successori. Quod attendentes SS. Patres exceperunt multos gradus consanguinitatis, ex quo apparet, quòd ipsi posse habuerunt.*

Quare Christus reliquerit Ecclesiæ hanc potentiam.

Rogas: quare hujusmodi posse Ecclesiæ reliquerit? *Dicendum*, inquit ille, *quòd ratio hujus est; quia illud Sacramentum in contractu consistit, qui est personæ ad personam. Et quoniam Dominus plenam jurisdictionem dedit Petro super spiritualia, & ampliorem, quam Reges terræ & Imperator habeant super temporalia: si ergò Regis potentia potest contractus limitare, ut malè fidei possessor judicetur, qui contrà eorum interdicta veniat, quid mirum, si dederit Ecclesiæ posse? Imò debuit dare, ut posset personarum legitimitatem & idoneitatem ad contrahendum determinare.*

215. *Quare Christus per se non determinaverit gradus.*

Quæris tamen, quare Christus per se non determinaverit? Respondet S. Doctor: *Dici potest, quòd secundùm diversa tempora oportebat diversas personas & diversos gradus excipi; quia ergò statuta Divina non decet sic mutare, sicut humana: hinc est, quòd non ipse Christus debuit limitare, sed limitandos Petro, & ejus successoribus committere; & sic patet quòd potuit.*

Ostenditur congruitas determinationis Ecclesiæ usque ad 4. gradum.

Porrò congruum fuisse, ut usque ad talem gradum consanguinitas protenderetur, probat idem Sanctus: *Quoniam consanguinitas est ex semine, semen autem in se habet naturam quatuor humorum, & quatuor elementorum; hinc est, quòd consanguinitas tantùm ad quartam generationem debuit terminari, & iterùm infrà illum gradum non debuit commisceri, nec Matrimonium copulari, nec potestas corporis aliis dari. Sicut ergò corpus quatuor constat elementis, ita oportet quatuor gradibus distare, qui debent carnaliter commisceri.* Hæc est prima congruentia, non autem ratio à priori.

216. *Non est inepta aut ridicula, sed physica, ex D. Tho.*

Neque inepta est aut ridicula, sed planè physica (ut bene docet D. Thomas 4. dist. 40. q. un. a. 4.) quia (inquit Sanchez sup. disp. 53. n. 6. in fine) cum homo ex quatuor elementis constet, colligitur probabiliter, ultrà quartum gradum deficere vim ejusdem sanguinis à primo stipite tracti. In permixtione enim sanguinis à patre accepti cum alio extraneo, quæ fit in generatione, vis ignea, quæ subtilissima est, primò confunditur & perit; secundò vis aërea; tertiò vis aquea; quartò terrestris; quare ultrà quartam generationem tota illa vis sanguinis omninò extincta videtur. Hæc ille.

Ex quo sit desumpta.

Porrò hanc congruentiam desumpserunt DD. Angelicus & Seraphicus ex d. Decretali Innoc. 3. *Non debet*, ibi: *Quaternarius verò numerus bene congruit prohibitioni conjugij corporalis: de quo dicit Apostolus, quòd* vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: *quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis.*

Ubi Glos. verb. *Quatuor sunt humores*, inquit: *De quibus habes sup. de Celeb. Miss.* In quadam, *in fine*, ubi idem Pontifex sic ait: *Cùm autem ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet, terra, aqua, aër & ignis: & ad vegetationem ejusdem corporis quatuor humores illis consimiles conveniant, videlicet sanguis, colera, phlegma, & melancholia* &c. Et sic patet, quomodo fuerit congruum.

217. *Declaratur utilitas determinationis 4. gradum, ex D. Bonav.*

Fuit etiam utile (prosequitur D. Bonav. sup.) *quia vinculum Matrimonij ratione affinitatis, quod ibi contrahitur, fovet charitatem, & fœderat inimicos: & quoniam charitas nostris temporibus refriguit, ideo citiùs nunc rumpitur vinculum amoris, quam in Ecclesia primitiva, & à ligatis vinculo citiùs fugit, & qui fuerat proximus, frequentissimè fit inimicus. Vt ergo fugiens possit revocari, cùm à quarto gradu & deinceps jam de affectione amoris frigescat, utile fuit constituere, ut post quartum gradum posset fugiens revocari ad vinculum: posset etiam confœderari inimicus: propter quam utilitatem decebat, Pontificem summum, manente priori prohibitione, dispensare: & cùm ista utilitas sit frequentissima, utile fuit fieri communem.*

218. *Ostenditur aliqualis necessitas, ex eod.*

Nec tantùm utile fuit, sed & quodammodò necesse. Rogas, quare? *Propter periculum* (inquit idem Sanctus) *quoniam propter multitudinem consanguineorum, & brevitatem dierum, vix potest aliquis computare consanguineos usque ad septimum gradum, & ita ibi maximum periculum: & frequentissimè contingebat, homines jungi infrà gradus prohibitos; imò vix poterat aliquis evadere, & ideò oportuit prius statutum retractare. Tale pe-*

viculum, vel talis necessitas, non fuit tempore primitivæ Ecclesiæ; tum, quia homines erant longioris vitæ; tum, quia minoris generationis; nunc autem crevit in hominibus potentia virtutis nutritivæ, & augmentata est potentia virtutis generativæ propter fervorem libidinis, qui viget nunc in hominibus; adeò quòd secundùm communem cursum, possent homines ita multiplicari, quod usque ad quartum gradum, nedum usque ad octavum, vix inveniret aliquis, cum qua contraheret.

Et illud patet ad oculum; possibile enim est, quòd aliquis generet viginti, & iterum quòd aliquis generet tres; nunc ponamus secundùm communem cursum, quòd generet decem, & illi decem alios decem, in secundo gradu erunt centùm, in tertio mille, in quarto decem millia; & ita infra quatuor gradus haberet aliquis consanguineos in una linea undecim millia, centùm & undecim, totidem in linea ascendente, & totidem in transversali; ergò secundùm naturam haberet triginta tria millia & trecentos triginta tres consanguineos. Et sic in una patria magna vix inveniret, cum qua contraheret usque ad quartum gradum, quantò magis usque ad octavum.

219. *Propter periculum oportuit revocare prius statutum.*

Et ita propter periculum oportuit revocari illud statutum, & hoc scilicet usque ad quartum gradum statuere, & ista fuit potissima ratio, quare mutatum est, sicut expresse dicitur in decretali editâ in in Concil generali, ubi dicitur, non reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum statuta quoque varientur humana, præsertim cùm urgens necessitas vel evidens utilitas hoc exposcit: hoc autem non solùm necessitas exposcebat, sed & utiltas requirebat, & aderat congruitas & potestas: ideò justè usque ad quartum gradum impediri Matrimonium rectissimè & irreprehensibiliter statuit & ordinavit Ecclesia. Hûc usque D. Bonav.

Non sunt hîc audiendi hæretici.

Quæ cùm ita sint, nequaquam audiendi sunt hæretici, sive qui affirmant, posse consistere Matrimonium inter quosvis consanguineos, dempto primo gradu lineæ rectæ; seu qui solos gradus, Levit. 18. vetitos, admittunt; aut certè, qui admittunt gradus ab Ecclesia prohibitos, ac posse alios ab ea prohiberi, dummodò culpâ vacet, in illis gradibus interdictis Matrimonium inire. Sunt & alij errores hæreticorum de hoc impedimento cognationis, quos omnes refert, & latè impugnat atque expugnat Bellarm. Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 25. & sequentibus.

220. *Prima objectio hæreticorum.*

Objiciunt autem primò; quòd Christus (cujus vices gerit Romanus Pontifex) venerit ad verbum Dei annuntiandum; non autem ad condendas leges politicas, quales sunt Matrimonium interdicentes.

Solvitur.

Frivola sanè objectio, quasi Christus, qui contractum Matrimonij elevavit ad dignitatem Sacramenti, non potuisset leges præscribere, juxtà quas hoc Sacramentum posset & deberet ministrari ac suscipi. Scitè ergò ad hoc argu- Sanchez. mentum respondit Sanchez sup. disp. 53. n. 6.

Leges de Matr. sunt etiam spirituales.

Leges de Matrimonio etiam esse spirituales, cùm Matrimonium sit Sacramentum; atque Christus leges aliquas de illo tulit auferens polygamiam ac repudium. Quid ni ergò ejus Vicarius possit auferre gradus aliquos in veteri lege prohibitos, & novos addere?

221. *Replica.*

Quia, inquis (& erit secunda objectio) Deus melius novit, inter quas personas expediat, vel non expediat conjugium iniri; ergò ineptè Ecclesia, Divinum institutum corrigens, aliquos gradus aufert, vel addit.

Diluitur ex Sanchez.

Respondet Sanchez sup. Ecclesiam minimè corrigere Divinum statutum. Sed Deus commisit Ecclesiæ facultatem prolatandi, & restringendi gradus, ut viderit pro temporum diversitate expedire. Et Hæbræis quidem expedivit, ne plures consanguinitatis Deus prohiberet. Quòd rari essent illi, ac valdè proni ad repudium, à quo arcerentur, ducentes consanguineas. Quæ rationes cessant modò, & ideò expediens fuit, plures ab Ecclesia gradus interdici. Hæc ille.

222. *Instantia.*

Si dixeris: non sufficit illas rationes cessasse, sed oportet, ut sint etiam rationes positivæ, propter quas Ecclesia plures gradus interdixit. Respondeo: planè oportet. Et si quæras, quæ sint istæ rationes:

Rejicitur ex eod.

Audi Sanchium sup. n. 3. Convenientissima, inquit, est prohibitio consanguinitatis in gradibus ab Ecclesia interdictis. Primò, propter reverentiam, quam cognati sibimetipsis exhibere debent, ob originem ab eodem stipite tractam, & sanguinis communionem. Cui reverentiæ valde detrahit actus conjugalis, habetque turpitudinem quamdam ipsi contrariam. Quamobrem ipsi conjuges pudore quodam suffunduntur, & verecundiâ quâdam inter seipsos conceptâ actu illo utuntur.

223. *Quare vinculum consanguinitatis impediat Matr. ex D. Bonav.*

Hæc ratio affertur à D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 9. in corp. atque à D. Bonav. 4. dist. 40. a. 1. q. 2. in corp. ubi sic ait: *Vinculum consanguinitatis impedit Matrimonium in aliquo sui gradu propter dictamen legis naturæ; in aliquo verò propter prohibitionem legis divinæ, in aliquo propter statutum Ecclesiæ. Vinculum consanguinitatis, quod est stipitis ad prolem, impedit propter dictamen naturæ. Vndè naturale est apud omnes, quòd filius non conjungatur matri, & quòd filia non conjungatur patri.*

Propter dictamen naturæ impedit primum vinculum.

Et si quæratur ratio hujus, est dicendum, quòd hoc est propter reverentiam & honorem, qui debet exhiberi patri & matri, & ideò non debent commisceri. Vel propter generationis successionem, quæ debet procedere, non retrocedere. Vnde non debet proles genita conjungi suo principio, ut gignat. Et hinc est, quòd natura dictat, quòd alio affectu tractandi sunt parentes, alio affectu tractari debent conjuges. Ideò propter dictamen naturæ impeditur Matrimonium per consanguinitatis primum vinculum, quæ est prolis genitæ ad suum principium.

224. *Propter legem divinam usque ad 2. gradum.*

Propter prohibitionem legis Divinæ impeditur Matrimonium per consanguinitatem usque ad secundum gradum, sicut patet per Levit. 18. cap. ubi sit prohibitio usque ad secundum gradum. Et si quæratur ratio hujus, dicendum, quòd hoc est propter honestatem, qui enim mulierem cognoscit, revelat ejus turpitudinem, & discooperit ignominiam, & hoc inhonestum est facere propinquæ; maxime cùm honestas dictet, quòd soror non est tractanda, ut uxor: & hinc est,

est, quòd in præcepto suo Dominus dicit: Non discooperies turpitudinem ejus.

Propter statutum Ecclesiæ à. 2. gradu & deinceps.

Vlteriùs propter statutum Ecclesiæ impeditur Matrimonium à secundo gradu & deinceps. Et si quæratur ratio hujus, dicendum quòd hoc statutum fuit propter dilectionem dilatandam: quia enim homo pronus est ad diligendum sibi propinquum, & Matrimonium aggravat propinquitatem, & dilectionis mutuæ præstat fomentum; hinc est, quòd Ecclesia statuit, ut amor ad extraneos extenderetur, ut Matrimonia extra propriam parentelam contraherentur, & ita non solùm in secundo, sed etiam deinceps propter dilatandam charitatem, & propter ampliandam honestatem.

225. *Duplex ratio hujus statuti.*

Igitur secundùm Doct. Seraphicum duplex est ratio, ob quam Ecclesia addidit alios gradus usque ad quartum, scilicet propter honestatem, & deinde propter charitatem seu dilatandi charitatem, id est, amicitiam.

Sanchez.

Quæ utique amicitia est maximum civitatis bonum, ut ex Aristotele notat Sanchez sup. dicens: Decet Matrimonia iniri eo pacto, ut deserviant bono publico politico. Cùm enim homo sit suâptè naturâ animal politicum, ex Aristotele

Arist.

1. Polit. c. 2. debet eo Matrimonio copulari, quod ad publicum civitatis bonum conducat. Hoc autem petit consanguineos & affines non jungi Matrimonio. Quòd hi fœdere consanguinitatis & affinitatis satis devincti sint: & eo inito, impeditur amicitiæ vincula protendi, quam esse maximum civitatis bonum asserit Aristoteles 2. Polit. c. 2. ad finem. Ità Sanchez.

226. *Tradita fuit à D. Aug.*

Atque hæc duplex ratio priùs tradita erat à D. Aug. lib. 15. de Civit. c. 16. ubi circà finem lego sequentia verba: *Vnde jam pleno hominibus orbe terrarum, non quidem sorores ex patre, vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere uxores. Verumtamen quis dubitet, honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia: non solùm secundùm ea, quæ disputavimus propter multiplicandas affinitates, ne habeat duas necessitudines una persona, cùm duæ possint eas habere, & numerùs propinquitatis augeri: sed etiam, quia nescio, quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui debet causà propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conjugalem.*

227. *Aliæ duæ rationes ex Sanchez, desumptæ ex D. Tho.*

Sed & præter has rationes, alias duas assignat Sanchez sup. quas refero verbis Doct. Angelici sup. ex quo desumptæ sunt. *Secunda ratio est; quia personas sanguine conjunctas necesse est ad invicem simul conversari. Vnde si homines non arcerentur à commistione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commistionis, & sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam. Et ideò in veteri lege illæ personæ specialiter videntur prohibitæ esse, quas necesse est simul commorari.* Et infra: *Addit autem Aristoteles quartam rationem in 2. Polit. quia cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor, qui est ex commistione venerea, fieret nimius ardor amoris & maximum libidinis incentivum, quod castitati repugnat.*

Prohibitio consanguinitatis non est nova, ac olim incognita.

Dic ergò, & intùs dic, quia sic est ut dicis, convenientissima est prohibitio consanguinitatis in gradibus ab Ecclesia interdictis. Eamque non esse ab herì aut nudiustertiùs, id est, non esse novam ac olim incognitam, ut calumniantur hæretici, liquidò constat ex juribus sup. allegatis, in quibus prohibetur Matrimonium usque ad septimum gradum. Nam Alex. 2. sedit anno 1062. Gregorius autem 400. annis ipsum antecessit, & Iul. 1. plùs 200. annis ipsum præcessit Gregorium.

228. *An duo consanguinei, quorum unus distat in 1. gradu, alter in 5. possint simul contrahere.*

Cæterùm si à me quæratur; num duo consanguinei, inæqualiter distantes à stipite, si alter distet ultrà quartum gradum, alter verò intrà illum, an, inquam, possint Matrimonio copulari? Respondeo citiùs, posse; estò etiam alter distaret à stipite in primo gradu, arg. cap. fin. de Consang. sequentis tenoris. *Vir qui à stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundùm regulam approbatam, quâ dicitur*: Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineâ descendentium ex eodem, *licite possunt matrimonialiter copulari.*

Videtur quòd sic.

Ubi Gloss. verb. *Quarto*, inquit: *Idem esset, si tertio vel secundo, secundùm regulam sequentem: quia nihil attinet ei, qui est ex alia linea in quinto, licet magis appropinquet communi parenti.* Infero ego: ergò etiam idem esset, si primo gradu. Quæ enim disparitas?

Quia, inquis, qui contrahit in primo gradu, perinde est, ac si contraheret cum ipso stipite; cùm filia stipitis sit cum ipso una caro, unde in infinitum est hæc prohibitio, sicut cum ipsis ascendentibus & descendentibus.

229. *Oppositum docet Hostiensis.*

Ita docet Hostiensis Sum. tit. de Consanguineis §. *Vsque ad quotum gradum.* n. 11. vers. *Sed nunquid in primo & quinto?* Non puto, inquit ille, & sic abnepos, qui quinto gradu distat à stipite, non poterit contrahere cum filia stipitis, sicut nec cum stipite posset: imò videtur, quòd in infinitum prohibeatur contractus.

Probat ex ff. de Rit. nupt. & veteri testamento.

Et probatur: ff. de Ritu nupt. sororis proneptem ideò ducere prohibeor, quia ei parentis loco sum: ergò in infinitum. Quod etiam taliter comprobo: in veteri testamento filij duorum fratrum, qui in secundo gradu sunt, licitè contrahunt, & tamen inter materteram & nepotem non potest Matrimonium contrahi, licèt in secundo gradu sibi attineant, ut sup. de Rest. spol. *Litteras.*

230. *Ratio diversitatis.*

Ratio diversitatis hæc est; quia in primo est secundus gradus transversalis, in alio descendens; & dicit regula juris civilis, quòd cujus filiam ducere non licet, ejus neque neptem permittitur; quod semper verum est in linea rectè descendenti; & sic patet, quòd cum quibus stipes contrahere non potest, nec filius ejus; unde omnes illi, qui sunt nepotes stipitis, nepotes vel neptes filij sui dicuntur, & sic in infinitum.

Et est ratio: quia filia & stipes una caro probantur, adeoque etiam, secundùm quosdam, inter ipsos nullus gradus reperitur; unde incipiunt

primum gradum computare à nepotibus, secundùm quos hodiè quartus gradus exclusivè prohibetur. Est ergò filius una persona cum patre &c. Ita Hostiensis.

231. *Alij plures docent hanc sententiam.* Nec ipse solus illam sententiam docet, sed & alij plures cum ipso, quos citat Sanchez sup. n. 5. ubi tenet oppositam sententiam, eamque vocat communissimam; sed non solvit argumenta Hostiensis, fortè quia putavit obviam habere solutionem.

Probatur sententia oppositaque est Sanchij. Sed quæ illa? Respondeo: quidquid sit de lege veteri, quæ ampliùs non obligat, ut superiùs ostendimus, utì nec jus civile, postquam Matrimonium elevatum fuit ad rationem Sacramenti; d. cap. fin. approbat generalem regulam, aut approbatam declarat, quâ dicitur: *Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem.* Sed in casu proposito remotior à stipite differt ultrà quartum gradum; ergò ambo, juxtà computationem juris Canonici, erunt consanguinei inter se ultrà quartum gradum; ac proindè nulla erit prohibitio Matrimonij inter illos, ut ex dictis patet.

232. *Resp. ad arg. quorundam Hostiensis.* Quid ergò ad argumentum Hostiensis: Filia & stipes sunt una caro. Respondeo: impropriè solùm filia dicitur una caro cum stipite, inquantùm scilicet habet carnem, ab eo immediatè participatam; & ideò, qui contrahit cum filia, non nisi impropriè dicitur contrahere cum stipite; nisi velis admittere, principio mundi filios Adami contraxisse cum stipite, scilicet cum Eva, & filias Adami contraxisse cum ipso Adamo, & ita licuisse quandoque Matrimonium filij cum matre, & filiæ cum patre.

Admittere etiam debebis, non posse Pontificem in tali Matrimonio dispensare; quippè qui non possit dispensare in linea recta. Porrò si Matrimonium abnepotis cum filia stipitis est Matrimonium cum stipite; liquet profectò, quòd sit Matrimonium in linea recta; cùm stipes sit in linea recta. An autem hoc admitteret Hostiensis, valdè dubito.

233. *In veteri lege non fuit prohibitum Matr. patrui cum nepte.* Sanè in veteri lege, quamvis prohibitum foret Matrimonium materteræ cum nepote; non tamen legitur prohibitum fuisse Matrimonium patrui cum nepte. Et tamen semper prohibitum fuit Matrimonium cum stipite. Si ergò tunc licuit nepti contrahere cum filio, cur hodiè non licebit abnepoti contrahere cum filia, aut abnepti contrahere cum filio?

234. *Objectio ex c. 3. de Consang.* Sed dicet aliquis: dicta regula: *Quoto gradu remotior* &c. neque secundùm jus Canonicum est generalis, ut patet ex cap. *Quòd dilectio*, 3. de Consang. ubi quæritur, an si dispensetur cum aliquo, ut possit contrahere in certo gradu, aliàs prohibito, v. g. sexto, qui olim erat prohibitus, requiratur, quòd uterque contrahentium distet illo gradu. Et allegatâ istâ regulâ pro parte negativa, respondet Pontifex Cælestinus 3. *Quòd indulgentia illa sic est intelligenda, quòd uterq; conjungendorum distet à stipite sexto gradu. Si verò alter sexto vel septimo gradu distet à stipite, alter autem secundo vel tertio, conjungi non debent.* Ergò multò minùs conjungi debent, si alter primo gradu distet.

Respondeo: hoc argumentum non magis premit nos, quàm Hostiensem, & cæteros omnes DD. qui unanimiter admittunt, licere Matrimonium quando unus distat 5. gradu, alius autem secundo vel tertio.

235. *Resp. Hostiensis.* Hinc Hostiensis sup. ad hanc objectionem ait: Quòd solutio est in litera. Illud enim contingit propter multitudinem & consuetudinem, quæ scandalum generabat in regione illa, de qua loquitur, si in quinto & sexto gradu remanerent conjugati. Undè si hodiè idem contingeret in aliqua terra certa, de conjunctis quinto & quarto gradu idem fortè esset dicendum, nec esset standum Gregorianæ, ut notavi sup. de Cognat. spirit. §. *Quis sit effectus*, vers. *Effectus verò tertiæ.* Hæc ille.

Quæ ne gratis dicta videantur, describo verba Pontificis immediatè subsequentia. *Vnde in hac parte consultiùs duximus, multitudini & observatæ consuetudini deferendum; quàm aliud in dissentionem & scandalum populi statuendum, quádam adhibitâ novitate.*

236. *Alia solutio, ex eod.* Aliam solutionem subjungit Hostiensis, quam tamen improbat dicens: Sed aliqui judaizantes faciunt vim in verbis indulgentiæ: quia fuit indultum, quòd in sexto, & non fuit dictum, quòd sexto gradu distantes possent contrahere; & aliud est esse in sexto, & aliud distare. Ecce solutio.

Reprobatio. Sequitur ejus reprobatio. Is, inquit, intellectus corrigitur 35. q. 3. §. *Hâc auctoritate, & cap. præced. contradicimus*, & in ead. Decretali. *Quod dilectio*: quia satis apparet ibi, utrùm Papa faciat vim in verbis, vel in consuetudine, & multitudine, & scandalo. Item infrà eod, *Non debet*, nihil aliud permittere videtur, nisi quod in quinto gradu contrahere possint; & sic secundùm eum, qui faceret vim in verbis, falsa esset Gregoriana.

237. *Tertia solutio.* Nec est dicendum, quòd abrogetur Decretalis, quæ loquitur de sexto, & septimo gradu (hæc posset esse tertia solutio) non enim juri derogatur, sed exemplis, quæ ponit in antiqua. Sed & illa ponit ex certa scientia, ut habeamus materiam ad tractandum, quid juris hodiè, sicut & quid juris fuit quondam. Hucusque Hostiensis.

Notandum pro intellectu hujus solutionis. Nota autem pro intellectu ultimæ solutionis, Gregorianam, per quam intelligitur cap. fin. de Consang. quod est Greg. 9. esse posteriorem Decretali, quæ loquitur de sexto & septimo, est que cap. *Quod dilectio*; nam hoc cap. est Cælestini tertij, qui præcessit Greg. 9. 30. annis. Et fortè tempore Cælestini dicta regula: *Quoto gradu* &c. nondum erat approbata; nec enim eo cap. dicitur approbata, sed simpliciter: *Quòd videtur posse fieri secundùm regulam, quâ dicitur: Quoto gradu quis* &c. At verò cap. fin. approbata declaratur, ut sup. vidimus. Cùmque non distinguat inter primum, & secundum gradum, neque nos oportet distinguere, cũ evidens ratio distinguendi nõ occurrat, ut ex dictis patet. Atque hęc satis de Cognatione carnali sive consanguinitate. Sequitur Cognatio spiritualis, pro qua erit.

CON-

CONCLUSIO IV.

Cognatio spiritualis impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum. Hodiè oritur ex Baptismo tantùm & Confirmatione; solùmque inter personas nominatim expressas à Concil. Trid.

238. *Datur cognatio aliqua spiritualis. Et quæ sit illa declaratur ex Doct. Seraph.*

DAri aliquam cognationem spiritualem, apud omnes Catholicos in confesso est. Eam Doct. Seraphicus 4. dist. 42. a 1. q. 1. declarat hisce verbis: *Dicendum, quòd spiritualis cognatio est & esse debet; & hoc propter conformitatem spiritualium ad carnalia. Sicut enim est carnalis generatio, in qua est vinculum, & quidam amor naturalis; sic & spiritualis regeneratio per Sacramenta aliqua, & per illam similiter aliquod vinculum acquiritur & amor spiritualis; & ideò in illis Sacramentis præcipuè contrahitur, in quibus est regeneratio. Quoniam igitur dispositio ad regenerationem est in Catechismo, regeneratio in Baptismo, regenerationis consummatio in Confirmatione; hinc est, quòd in his tribus, secundùm communem opinionem, contrahitur cognatio; sed tamen, quia in catechismo non est vera regeneratio, ideò non contrahitur ibi vera cognatio, nec alligatio fortis; sed adeò exilis, ut, sicut dictum est, nõ dirimat Matrimonium jam contractum, & vix impediat contrahendum.* Ita D. Bonav.

Consimiliter loquitur D. Tho. eâd. dist. q. 1. a. 1. in corp. *Dicendum, quòd sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ, ita per Sacramenta accipit esse spirituale gratiæ. Vndè sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est naturale homini, inquantùm est res quædam naturæ; ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, est quodammodo connaturale alicui, in quantùm est membrum Ecclesiæ: Et ideò sicut carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto.* Ita Doct. Angel.

239. *Item ex Doct. Angelico.*

240. *Quia sit cognatio spiritualis, ex Scoto.*

Quid ergò, inquis, est cognatio spiritualis? Respondet Doct. Subtilis eâd. dist. q. un. n. 2. *Quoddam vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum, specialiter Baptismi & Confirmationis. Quia sicut habetur extra de cognat. spirit. in 6. cap.* Quamvis §. *ult.* Ex datione aliorum Sacramentorum, *à Baptismo & confirmatione*, cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat vel dissolvat. *De qua & ejus gradibus habetur extrà de Cognat. spirit. in 6. libro.*

Hanc cognationem dirimere Matr. Probatur ex c. 1. de Cogn. spirit. in 6.

Rogas, quid habeatur? Iam edissero. Cap. 1. sic sonat: *Nedum inter Baptizatum, & illum, qui eum susceptit de Baptismo, ac inter eumdem Baptizatum, & susscipientis filios, & uxorem, ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem, imò etiam inter susscipientem, patremq; baptizati, & matrem, cognationem spiritualem contrahi, jure constat: quæ cognatio & contrahendum Matrimonium impedit, & dirimit post contractum. Et eadem, quæ de susscipientes sunt dicta, sunt etiam de baptizante censenda.*

Ex Confirmatione quoque, seu frontis Chrismatione, spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, Matrimonia similiter impediens contrahenda, & dissolvens post contracta. Ita Bonif. 8.

241. *Eo tempore erat triplex species cogn. spir.*

Proindè eo tempore triplex erat species cognationis spiritualis, nimirùm paternitas, compaternitas & fraternitas. Paternitas inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, & similiter inter patrinum seu susscipientem baptizati, vel confirmati, & baptizatum, vel confirmatum. Compaternitas inter parentes baptizati, vel confirmati, & baptizantem vel confirmantem, & patrinos Baptismi vel Confirmationis. Atque ita parentes baptizati vel confirmati, erant compatres baptizantis vel confirmantis, & patrinorum.

242. *Paternitas & compaternitas transfundebatur à viro in uxorem.*

Et duplex hęc cognatio transfundebatur à viro in uxorem, ita, ut eo ipso quòd vir baptizaret, aut confirmaret, vel esset Patrinus, uxor contrahebat eamdem cognationis spiritualis speciem cum eisdem personis, eò quòd sit una caro cum viro; cap. *Martinus*, 4. de cognatione spirit. ibi: *Nos autem consultationi tuæ duximus respondendum, quòd cùm, secundùm verbum Domini, vir & mulier efficiantur per connubium (id est, per carnalem copulam*, inquit, Gloss. ibi) *una caro, liquidum est, Tebergam non posse Matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus (scilicet Lotharij*, inquit Gloss. ibid.) *fuerat, cum quo una caro Teberga noscitur extitisse.*

Inter quos tunc fuerit fraternitas.

Tandem fraternitas erat inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, vel patrinorum, & ipsum confirmatum vel baptizatum. Itaque baptizatus, vel confirmatus, erat comfrater filiorum baptizantis, vel confirmantis, & filiorum ipsius patrini, & matrinæ.

243. *Quid circa hanc cognationem disposuerit Trident.*

Et olim quidem hæc res ita se habebat: verùm procedente tempore experientia docuit, non expedire bono Ecclesiæ, & animarum sibi creditarum, tam multiplicem cognationem; ideòque Concil. Trid. partim eam abstulit, & partim restrinxit, ut patet ex cap. 2. sess. 24. de reformatione Matrimonij, quod sic incipit. *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia; in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque S. Synodus huic incommodo providere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacrorum Canonum institutа, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum & baptizantem, baptizatiq; patrem ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.*

Et in fine ejusdem cap. idem statuit de Confirmatione, dicens: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusq; patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis.*

244. *Fraternitas*

Itaque sublata omninò est fraternitas, quia nulla omninò mentio fit in his verbis filiorum

bapti-

est omninò sublata: Restricta autem paternitas.

baptizantis vel confirmantis vel patrinorum. Restricta autem est paternitas ; cum inter personas, ibi enumeratas, non contineatur uxor.

De hac restrictione aliquando dubitatum fuit, ex Bulla Pij 5.

Dices: continetur sub viro, eò quòd sint una caro. Quare ab Aliquibus dubitatum fuit tempore Pij 5. num adhuc transfunderetur paternitas & compaternitas ad uxorem. Patet ex Bulla ejus 14. apud Cherubinum Declarat. 2. quæ incipit : *Cùm illius vicem, §. 1. Sanè licet ex eo, quòd in Concil. Trident. decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantùm contrahi, qui suscipiunt baptizatum de Baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non baptizantem & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, in reliquis personis, quæ per antiquos Canones occasione cognationis hujusmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videatur; adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus ; an saltem impedimentum cognationis spiritualis hujusmodi inter maritum, vel uxorem suscipientis & baptizatum, nec non inter maritum vel uxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea, quòd prohibitum de uno conjuge, de altero etiam prohibitum videatur.* Ecce dubium, & ratio dubitandi.

245. *Declaratio dubij.*

Sequitur declaratio dubij : *Nos piarum mentium quieti, & Matrimoniorum favori (quantùm ex alto nobis permittitur) consulere volentes, à præcisis verbis Concilij minime discedendum in præmissis esse censuimus. Et propterea nullum ampliùs impedimentum ratione cognationis hujusmodi subesse decernimus, & declaramus, quò minùs inter dictos maritum vel uxorem suscipientis , & baptizatum, baptizatiq; patrem & matrem, & quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis, quàm baptizantis & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, Matrimonium liberè & licitè contrahi possit, & ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus.*

246. *Compaternitas non contrahitur inter baptizantem & patrinos.*

Igitur de hac restrictione paternitatis & compaternitatis non est ampliùs dubitandum. Utì etiam de alia restrictione compaternitatis, ut non contrahatur inter Baptizantem vel confirmantem, & patrinos ; quippè nec hæ personæ in dicto Concilio nominatim sunt expressæ.

Neque inter ipsos patrinos inter se.

Idemque sentiendum de ipsismet patrinis inter se collatis, ita ut si vir & fœmina sint simul patrini, possint inter se liberè & licitè Matrimonio jungi. Quia (inquit Sanchez lib. 7. disp. 54. n. 12.) omnes fatentur jure antiquo id impedimentum non oriri inter eos. Nec Trid. voluit cognationem hanc prætendere, sed coarctare.

247.

Quare dum Tridentinum sess. 24. de Matr. c. 2. sic. ait : *Ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum cognatio contrahatur,* non est sensus illius particulæ, *Inter quos,* ut inter illos patrinos inter se hæc cognatio oriatur, sed inter illos & alias personas ibi numeratas, nimirum baptizatum & ipsius parentes. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

Sanchez.

Vir & uxor simul levantes non privantur

Quare, infert idem Auctor, n. 13. si vir & uxor simul alienum puerum de sacro fonte levent, nullatenùs privantur jure exigendi debitum; quippè nullam contrahunt inter se cognationem. An autem priventur eo jure, si proprium puerum levent, dicam alio loco magìs proprio.

jure copulæ.

Impræsentiarùm quæro ; an Decretum Trid. jam allegatum, non solùm accipiendum sit de cognatione spirituali imposterùm contrahenda ; sed etiam de contracta antè illud Decretum, ut similiter restricta censeatur.

248. *An Trid. intelligatur etiam de cognatione antè contracta.*

De hoc dubitatum fuit tempore Pij 5. ut patet ex ejus Bulla sup. allegata Declarat. 1. quæ sic incipit : *Sanctissimus in Christo Pater & Dominus D. N. Pius divinâ providentiâ Papa 5. ad cujus notitiam pervenit, quòd cùm in Decretis Sacri Concil. Tridentini certæ tantùm personæ enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus revocatur in dubium; an qui ultra personas, in dictis Decretis enumeratas, quoquo modo cognatione spirituali ante confirmationem dicti Concilij conjuncti erant, absque dispensatione Apostolica Matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie & de cætero contrahere possint, cum ante prædictam confirmationem id facere de jure minimè liceret.*

Ad hoc dubium sic respondet Pontifex ibi §. 2. *Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos, qui ante confirmationem prædicti Concilij cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis, in dictis Decretis enumeratis, & inter quas tantùm Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, Matrimonij vinculo inter se absque dispensatione aliqua liberè & licitè copulari posse, ac Matrimonia, etiam post confirmationem hujusmodi, absque dispensatione Sedis Apostolicæ inter eas jam contracta, valere, plenamq; roboris firmitatem obtinere.*

249. *Patet, quòd sic, ex Bulla Pij 5.*

Cùm autem Concilium Trident. sup. non distinguat inter parentes legitimos , & illegitimos, neque nos debemus distinguere; sed intelligere Decretum de patre & matre carnalibus, sive legitimis, sive illegitimis. Quia (inquit Sanchez sup. n. 16.) ante Tridentinum eam cognationem contrahebant, ut docet Glossa cap. 1. de Cognat. spirit. in 6. verb. *Et Matrem,* dicens : *Nota : non dixit, patrem baptizati , & ejus uxorem, imò dixit, matrem* ; si igitur de prima uxore vel concubina vir procreet filium , ille qui levat filium , est compater concubinæ & viri , sed non ejus uxoris, ut sup. dixi. At Tridentinum cognationem hanc, cum parentibus contractam, nullatenùs restrinxit, ut constat ex contextu.

250. *Non est distinguendum inter parentes legitimos & illegitimos, ex Sanchez.*

Et ita sentiunt Navar. & alij , qui post Trid. scripsêre, & tamen docent, eum, qui filium suæ concubinæ baptizat, non posse eam ducere, ratione cognationis spiritualis , inter eos ex illo Baptismo consurgentis.

Navar.

Quare parentes legales , nimirùm adoptivi ipsius baptizati vel confirmati, nullam prorsùs cognationem contrahunt cùm ea Sacramenta conferentibus, aut cum patrinis. Quia nec antiquitùs eam contrahebant : & textus loquens de parentibus est intelligendus de naturalibus, utpotè qui soli veri parentes sunt. Sic Sanchez.

251. *Parentes legales non contrahunt cognationem.*

Si

Hæc cognatio dirimit Matr. jure Eccleſiaſtico.

Si autem à me quæratur; quo jure hæc cognatio impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat poſt contractum? Reſpondeo cum communi ſententia, jure Eccleſiaſtico; cap. 1. de Cognat. ſpirit. in 6. ſup. allegato, cap. *Veniens*, 6. eod. tit. lib. 4. ibi: *Mandamus, quatenùs ſi conſiſterit H. mulierem, prædicti viri filium de ſacro fonte levaſſe, antequam eam deſponſaſſet uxorem, vos inter eos divortium appellatione poſtpoſitâ celebretis.*

252. *Patet ex Trid. quòd dirimat.*

Et multis aliis textibus idem effectus inſinuatur, atque manifeſtè à Trident. ſup. ſupponitur, ibi: *In quibus vel non ſinè magno peccato perſeveratur, vel ea non ſinè magno ſcandalo dirimuntur.* Si enim Matrimonium non foret invalidum, ſinè magno peccato in eo perſeveraretur, neque opus eſſet illud dirimere cum magno ſcandalo, ut clarum eſt.

Planè, inquis, ſupponit Concilium, Matrimonium fore invalidum, uti & alia jura citata; ſed quod ſolo jure Eccleſiaſtico, nuſpiam dicunt. Ex quo ergò id conſtat?

253. *Probatur non dirimere ex jure naturali aut divino.*

Reſpondetur; quia non ex jure naturali, aut Divino poſitivo. Primum probatur; quia ipſa Sacramenta, ad quorum collationem inducitur hic effectus, nullum in jure naturali habent fundamentum, ſed ex ſola inſtitutione Chriſti inceperunt; ergò neque hæc cognatio. Et multò minùs, quòd ſit impedimentum dirimens, fundatur in jure naturæ; ſed ad ſummum in inſtitutione Chriſti. Sed neque in illa; quia nullus in ſacra pagina locus invenitur, ubi de hac cognatione mentio fiat, ſaltem ut eſt impedimentum dirimens.

Quod addo: quia dicere quis poſſet, fit mentio de hac cognatione in ipſa inſtitutione Baptiſmi & Confirmationis, utpotè inſtitutâ per modum regenerationis, ſive imperfectæ per Baptiſmum, ſive completæ & perfectæ per Confirmationem. Hinc Doct. Angel. ut ſup. audivimus, ait: *Vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum ſuſceptione, eſt quodammodò naturale alicui, inquantùm eſt membrum Eccleſiæ.* Dicit: *Quodammodò naturale*; quia ſupponit inſtitutionem iſtorum Sacramentorum, per modum regenerationis.

254. *Eſt ſententia D. Tho.*

Quando igitur ſtatim ſubiungit: *Et ideò ſicut carnalis cognatio impedit Matrimonium, ita ſpiritualis ex Eccleſiæ ſtatuto*, tantùm intendit, hunc effectum impediendi & dirimendi Matrimonium provenire, non ex jure naturali, aut Divino poſitivo, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ. Quòd autem ipſum vinculum amicitiæ ſeu cognationis ſpiritualis conſurgat ex ſtatuto Eccleſiæ, quomodo ex illis verbis rectè infertur?

Rejicitur definitio cognationis ſpiritualis, à Sanchez tradita.

Unde non placet Sanchez, quando ſup. n. 1. ait: Cognatio ſpiritualis ſic communiter à Doctoribus definitur: Eſt propinquitas quædam perſonarum ex ſtatuto Eccleſiæ conſurgens propter collationem Baptiſmi vel Confirmationis, vel ſuſceptionem recipientis hæc Sacramenta.

Ex qua definitione n. 2. deducit: hanc cognationem ſpiritualem ex Baptiſmo & Confirmatione ortam, non eſſe ex jure Divino naturali, aut ex Divino poſitivo, ſed ex ſolo Eccleſiaſtico. Quod, inquit, affirmat D. Thomas ab omnibus receptus 4. diſt. 42. q. 1. a. 1. in corp. ſic ille.

255. *Cognatio ſpiritualis an oriatur ex ſtatuto Eccleſiæ.*

Sed non placet, ut dixi, ſiquidem D. Thomas non ait, cognationem ſpiritualem oriri ex ſtatuto Eccleſiæ; ſed impedire Matrimonium ex ſtatuto Eccleſiæ, quæ longè ſunt diverſa; ut patet in cognatione naturali, quæ contrahitur ex naturâ rei per carnis propagationem, eſtò in linea tranſverſali, ſaltem in ſecundo & ulterioribus gradibus, ſolùm ex ſtatuto Eccleſiæ impediat Matrimonium.

Comparatur à D. Tho. cognationi naturali.

Atque huic cognationi D. Thomas ſup. comparat cognationem ſpiritualem, & illam vocat naturalem, hanc autem quodammodò naturalem; eò quòd hæc, ſicut dixi, ſupponat inſtitutionem ſupernaturalem Sacramentorum, illa autem ſolam propagationem naturalem.

256. *Oſtenditur error Sanchez.*

Igitur Sanchez ſup. in definitione cognationis ſpiritualis de ſuo addidit ly *ex ſtatuto Eccleſiæ*; nam apud Doctorem Angelicum non reperitur; ſed neque apud Doctorem Seraphicum: nam ſup. in expoſitione litteræ definit eam, dicens: *Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas aut proximitas proveniens ex Sacramenti donatione, vel ad id neceſſe.* Similiter Doctor Subtilis in definitione ſuâ, ſuperiùs adductâ, non meminit ſtatuti Eccleſiæ. Quàmvis alioquì uterque cum D. Thoma doceat, cognationem ſpiritualem dirimere Matrimonium ex ſtatuto Eccleſiæ.

257. *Sententia Doct. Seraph. de hoc impedimento.*

D. Bonaventura ſup. q. 2. in corp. ſic ait: *Dicendum, quòd cognatio ſpiritualis poteſt ſiqui aut præcedere Matrimonium. Si ſequatur, generaliter verum eſt, quòd non poteſt infringere Matrimonii vinculum. Sed tamen quantùm ad jus ſolvendi debitum, diſtinguendum: quia hoc aut factum eſt neceſſitate, ut puta quando parvulus eſt in periculo mortis, & non eſt quì baptizat eum: aut ex ignorantiâ; aut ex induſtriâ. In primo caſu ſimpliciter non amittit jus petendi nec ſolvendi. In ſecundo caſu ſimiliter, ſi fuit diligentia, non amittit. In tertio caſu amittit jus petendi, qui hoc facit: tamen quia non debet peccatum ſuum alteri imputari, tenetur reddere ..... Si autem cognatio ſpiritualis præcedat Matrimonium, illa, inquam, quæ contrahitur per Baptiſmum & Confirmationem, ſic impedit contrahendum & dirimit contractum, pro eo quòd facit ſimpliciter illegitimas perſonas. Et ideò ſi videatur vinculum contrahi, non tamen contrahitur.* Hæc ille.

258. *Quo jure dirimat, ex eod.*

Ubi nondum determinat, quo jure id fiat: ſed infrà reſpondens ad quamdam objectionem, ſatis ſignificat id fieri jure Eccleſiaſtico. Hæc eſt objectio: Plus facit, qui aliquem de errore trahit ad fidem, quàm qui Baptizatum

satum levat de fonte. Sed si quis convertat aliquam ad fidem, non impeditur cum ea contrahere: imò potest sponsalia contrahere cum hac conditione: si velit ad fidem venire: ergò nec impeditur si levat de fonte, quin etiam possit contrahere. En objectio.

Videtur quòd jurè Ecclesiastico.

Sequitur solutio D. Bonaventuræ *Ad illud*, inquit, *quod objicitur de illo, qui revocat ab errore, dicendum, quòd illud vinculum* (scilicet ad prædictum effectum, de quo ibi tractat) *non solùm facit impensio beneficii; sed etiam statutum Ecclesiæ Christi. Si autem quæras, quare magis instituit Ecclesia. Dicendum, quòd per nullam instructionem dicitur homo generari, sed solùm ad generationem disponi: in Baptismo autem est vera generatio: & ideò non sic contrahitur vinculum, quod præstet Matrimonio impedimentum per documentum Fidei, sicut per Sacramentum Baptismi.*

259. *Idem docet Scotus.*

Consonat doctor Subtilis sup. ibi: *Quantùm autem ad illud, quod quæritur* (scilicet, utrùm cognatio spiritualis impediat Matrimonium) *dico, quòd si præcedat Matrimonium, simpliciter impedit* (id est, impedit & dirimit) *sicut patet in cap. ad oppositum prælegato*, Veniens. *Si sequatur Matrimonium non dirimit, sicut patet ex primo argumento. Et ratio primi non est, nisi statutum Ecclesiæ, illegitimantis personas in casu illo.* Hæc ille.

Munus Susceptoris nullatenùs est à Christo.

Et tamen, nec Doctor Seraphicus, nec Scotus in suis definitionibus meminerunt statuti Ecclesiæ. Interim munus susceptoris sive in Baptismo, sive in Confirmatione, nullatenùs à Christo institutum fuit; sed merè ab Ecclesia superadditum; ita ut in privato Baptismo, secundùm multos Doctores, nullus susceptor debeat, nec verò possit adhiberi. Proinde dici non potest, cognationem spiritualem, quæ ex susceptione oritur, esse juris Divini; cùm nec ipsa susceptio sit juris Divini, sed juris merè Ecclesiastici. Sed de his plura inferiùs.

Quidquid sit de ipsâ cognatione secundùm se, certum est, quòd impedimentum dirimens proveniat ex solo jure Ecclesiastico: quia neque ex naturâ rei est sufficiens repugnantia inter eam cognationem, & Matrimonii vinculum, ut clarum est; neque ex jure Divino, cùm nuspiam in Scriptura tale impedimentum vel leviter insinuetur; sed neque traditione, nisi fortè Apostolicâ, constitutum reperiatur.

260. *A quo tempore fuerit institutum hoc impedimentum, ex Pontio.*

Et si quæras, à quo tempore institutum fuerit hoc impedimentum? Forsàn (inquit Pontius lib. 7. cap. 39. n. 2.) ex Apostolorum traditione derivatum. Ego quidem primam legem scripto latam non reperio ullam ante Canonem 21. Concilii Nicæni (apud Turrianum) *Nemo fidelium cum patre aut matre spirituali Matrimonium contrahat* (id est, cum patrinis aut matrinis) *& qui hoc commiserit, habeatur tamquam ethnicus, quoùsque separetur.*

Est etiam Canon 53. Synodi in Trullo: *Quoniam spiritualis cognatio corporum conjunctione major est, novimus in quibusdam locis exceptores puerorum ex sancto & salutari Baptismate, postea cum matribus illorum viduis Matrimonium contrahere: statuimus ne in posterùm tale aliquid fiat. Si verò secùs fecerint, hi quidem primò ab illicito Matrimonio separentur, deinde fornicatorum pœnis subjiciantur.*

Inde posteà plures alii Canones emanârunt, quibus ea cognatio stabilita, & diversi gradus distincti, & connubia, ejusmodi vinculo interveniente, prohibita ac irritata: quæ videre poteris apud Gratianum in Decreto 30. q. 1. & 3.

Sed dicet aliquis: video apud Gratianum 30. q. 1. video, inquam, c. 8. & ibi lego sequentia verba: *Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda sacri Baptismatis regeneravit.* Ergò non ex solo Baptismo & Confirmatione oritur cognatio spiritualis, quod videtur contradictorium secundæ partis nostræ conclusionis. 261. *Objectio ex c. 8. 30. q. 1. contrà 2. part. Conclus.*

Respondeo: Conclusio loquitur de cognatione spirituali, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum, ut patet ex prima parte; eamque negat contrahi hodie, id est, secundùm jus novum, quod hodie in Ecclesia observatur, ex alio Sacramento, quam Baptismo & Confirmatione, ut disertis verbis dicit Bonifacius VIII. cap. fin. de Cognatione spirituali in 6. in fine: *Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat, vel dissolvat.* *Solvitur.*

Ubi Glossa verb. *Sacramentorum*, inquit: *Scilicet Pœnitentiæ, Corporis Christi, Extremæ Unctionis, Ordinis & Conjugii.* Rationem adjungit: *Renascimur enim in Baptismo, & Chrismatio frontis illam confirmat: quod non est in aliis Sacramentis: & ideò per ista spiritualis contrahitur compaternitas, non per illa.* 262. *Quare ex solo Baptismo & Confir. oriatur impedimentum.*

Atque hanc eamdem rationem sup. retulimus ex Doctore Seraphico, & modò transcribemus ex Doctore Angelico sup. a. 2. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd duplex est carnalis nativitas. Prima in utero, in quo adhuc id, quod natum est, est adeò debile, quòd non possit extrà exponi sinè periculo; & huic nativitati similatur generatio per Baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intrà uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, quando jam id quod natum erat, tantum roboratum erat, quòd potest sinè periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere, & huic similatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publico ad confessionem nominis Christi, & ideò congruè per utrumque istorum Sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio.* Constat autem, hanc congruentiam non esse in aliis Sacramentis. *Ratio Doct. Angel.*

Et sanè quantùm ad Sacramentum Pœnitentiæ, D. Thomas ibidem ad 8. sic ait: 263. *dicendum, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ non contrahatur* *Quare non contrahatur*

Per Sacram. Pœnit. ex eod.

contrahitur propriè loquendo ſpiritualis cognatio. Vnde filius Sacerdotis poteſt contrahere cum illâ, quam Sacerdos in confeſsione audit, aliàs filius Sacerdotis non inveniret in tota una Parochia mulierem cum qua contraheret. Nec obſtat, quòd per Pœnitentiam tollitur peccatum actuale; quia hoc non eſt per modum generationis, ſed per modum ſanationis.

Quare non per Euchar.

Et idem dici poteſt de aliis Sacramentis; Euchariſtiæ v. g. quæ licet conferat gratiam ſanctificantem, augmentum utique vitæ ſpiritualis; non tamen per modum generationis, ſed magis per modum nutrimenti; unde & Euchariſtia cibus ſpiritualis dicitur. Sicque diſcurre per cætera Sacramenta, & ſimile diſcrimen reperies inter ipſa, & Sacramenta Baptiſmi & Confirmationis. Quæ profectò diſſimilitudo, ratio ſufficiens fuit, ut Eccleſia uni Sacramento, ſive miniſtrationi & ſuſceptioni unius Sacramenti, annecteret cognationem ſpiritualem, quæ eſſet impedimentum dirimens, & non alterius.

264. D. Tho. agnoſcit aliquam cognationem in Pœnit.

Interim D. Thomas ſup. agnoſcit aliquam cognationem ſpiritualem in Sacramento Pœnitentiæ: nam verbis ſuprà relatis actutùm ſubjungit: *Sed tamen per Pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem, ſimile cognationi ſpirituali, ut tantùm peccet, eam carnaliter cognoſcens, acſi eſſet ſua ſpiritualis filia, & hoc ideò quia maxima eſt familiaritas inter Sacerdotem & confitentem, & ex hoc iſta prohibitio eſt inducta, ut tollatur peccandi occaſio.* Hæc ille.

Quorum veritatem alibi examinavimus: putà Parte 4. hujus Operis Sect. 8. Concluſ. 8. ſequentis tenoris: *Confeſſarius ex auditâ Confeſſione non contrahit ſpecialem obligationem ſeu cognationem aliquam ſpiritualem, quæ inducat in peccato carnali cum pœnitente malitiam neceſſariò confitendam.* Videantur ibi dicta; nam nimis longum eſſet ea repetere, & nihil novi habeo addendum. Inpræſentariùm ſufficit, quòd non inducat talem cognationem, quæ impediat Matrimonium contrahendum, & dirimat poſt contractum; etenim de illo impedimento hîc diſputamus.

265. Ex ſtatuto Eccleſiæ dirimit cognatio ex Bapt. dumtaxat & Confir.

Itaque veluti per ſolam generationem carnalem contrahitur cognatio carnalis, impediens, & dirimens Matrimonium; ſic itidem per ſolam generationem ſpiritualem in Baptiſmo & Confirmatione factam, contrahitur cognatio ſpiritualis impediens & dirimens Matrimonium ex ſtatuto Eccleſiæ.

Probatur ex Sanchez, ſtatutum iſtud fuiſſe rationabile. Primò.

Dubitas, an rationabili? Ecce rationes ex Sanchio ſup. n. 3. Prima: quia recipiens ab alio eſſe ſpirituale, debet illi quamdam reverentiam. Atque ideò baptizanti tanta olim exhibebatur reverentia, ut ob eam cauſam Zelus eſſet ac contentio inter Chriſtianos, à quo quiſpiam baptizatus eſſet, ut teſtatur D. Paulus 1. ad Cor. 3.

266. Major reverentia

Quod probè ſciens Doctor Seraphicus ſup. a. 1. q. 1. inquit: *Reverentiam & honorem tenetur aliquis ei facere, qui ſe regeneravit, majorem, quàm aliis: hoc autem non eſt propter aliud, niſi propter illud mandatum, quo pater honorandus eſt ſpecialiter præ aliis hominibus: ergo iſte aliquo modo eſt pater; ſed non carnalis; ergo ſpiritualis. Sed carnalis paternitas facit cognationem carnalem; ergo ſpiritualis ſpiritualem.* debetur baptizanti, quàm aliis. ex D. Bonav.

Secunda ratio; quia inde (inquit Sanchez) contrahitur quoddam amicitiæ ac familiaritatis vinculum. Quare oportuit inter hos cognatos interdicere Matrimonium, ut, cum extraneis inito, dilataretur in plures amicitia. Secunda probatio.

267. Tertia.

Tertia: quia ſicut ex generatione carnali, per quam quis eſſe naturale accipit, conſanguinitas orta dirimit Matrimonium: ita expediens fuit, ut ſpiritualis cognatio, profecta ex ſpirituali generatione, in ejus reverentiam impediret ac dirimeret conjugium inter eas perſonas, eo vinculo conjunctas.

Lagus.

Quare (infert Sanchez ſup.) malè Conradus Lagus in Methodica juris tit. de nuptiis dixit: prohibitionem Matrimonij cognatione ſpirituali ſinè cauſa factam eſſe, eamque valere authoritate Eccleſiæ quantùm poſſit.

Sanchez.

Hæc autem cognatio ſolo jure Eccleſiaſtico obſtat Matrimonio incundo. Cùm enim ex ſolo illo jure inſtituta ſit, fieri nequit, ut jure naturali, aut Divino poſitivo, is effectus ſibi competat. Ita Sanchez.

268. Probatur, quòd cognatio inter baptizantem & baptizatum ſit juris naturæ.

Planè ſic eſt, eo ſuppoſito, quòd ſolo jure Eccleſiaſtico ſit inſtituta. Sed de hoc ſup. dubitavimus, & oppoſitum quantùm ad cognationem, quæ oritur inter baptizantem & baptizatum, inde videtur probari: quòd, ſeclusâ omni inſtitutione Eccleſiæ, baptizatus tamquam filius ſpiritualis debeat reverentiam baptizanti, tamquam patri ſpirituali, quæ paternitas & filiatio immediatè oriuntur ex natura ipſius Baptiſmi, quæ inſtituta eſt à Chriſto. Ac proinde, quòd hic ſit pater ſpiritualis, & ille filius ſpiritualis, immediatè oritur à Deo, ſic inſtituente hoc Sacramentum.

Imò, ſuppoſitâ hâc inſtitutione, jus naturale dictat, reverentiam deberi patri ſpirituali, ut ſup. indicat D. Bonaventura ibi: *Hoc autem non eſt propter aliud, niſi propter illud mandatum, quo quo pater eſt honorandus ſpecialiter præ aliis hominibus.* Quis autem neſciat mandatum iſtud eſſe naturale, ſaltem latè dictum? Et quàmvis principaliter dictum ſit: *Honora patrem tuum & matrem tuam*, propter parentes carnales; quid ni ſecundariò intelligi poſſit de parentibus ſpiritualibus?

269. An inde ſequatur, quòd eodem jure dirimat.

Sed nunquid benè ſequitur: aliqua cognatio ſpiritualis oritur ex jure naturali, aut Divino poſitivo; ergò dirimit Matrimonium ex jure naturali, aut Divino poſitivo? Minimè, ut conſtat ex cognatione naturali, quæ licet in omnibus gradibus oriatur ex jure naturali, tamen in aliquibus dirimit ex ſolo jure Eccleſiaſtico. Ergò ſimiliter hic fieri poſſet, ut aliqua cognatio, ſeu vinculum amicitiæ ſpiritualis, proveniret ex jure naturali aut poſitivo Divino, licèt omnis dirimat ex ſolo jure Eccleſiæ, ut jam ſatis probavimus.

270. *An cognatio spiritualis dirimat pro perpetuo.*

Si quæras ; an dirimat pro perpetuo, sive an sit impedimentum perpetuum, ita ut non extinguatur morte personæ, quâ mediante contracta fuit, v. g. personæ baptizatæ, ratione cujus baptizans contraxit impedimentum non contrahendi cum ejus patre & matre ?

Sanchez.

Respondeo cum Sanchez sup. n. 8. affirmativè. Iuta enim hoc absolutè impedimentum statuunt. Nec invenitur textus id limitans : *dum ea persona superstes est*. Deindè : quia speciale est in cognatione legali transversæ lineæ, quòd sit impedimentum temporale : quòd jura, id statuentia, sic explicent : hic autem nullum jus sic explicat.

Igitur sicut affinitas est impedimentum perpetuum, id est, manet post mortem ejus, ratione cujus contracta est, ut Omnes docent ; sic itidem cognatio spiritualis ; vel assignetur disparitas.

271. *Cognatio hæc non dissolvit Matr. anteà contractum.*

Et veluti affinitas (ut maneamus in eodem exemplo) superveniens Matrimonio, non dissolvit illud ; pari passu cognatio spiritualis superveniens Matrimonio, ut quia alter conjux levavit de sacro fonte filium alterius, minimè dissolvit illud. Sic etiam Professio Religionis superveniens Matrimonio contracto, relinquit ipsum omninò validum ; estò, si antecederet, proculdubiò dirimeret.

Probatur.

Ratio universalis est ; quia Matrimonium est vinculum indissolubile, nisi ab eo, qui indissolubilitatem introduxit seu instituit. Non constat autem, Deum voluisse, ut per cognationem supervenientem prius Matrimonium dissolveretur ; imò planè inconveniens foret, quòd dissolveretur, propter inconvenientia. nata inde provenire, ut lippis atque tonsoribus notum est.

272. *Objicitur decretum Deusdedit Papæ.*

Sed his videtur obstare (inquit Pontius lib. 7. cap. 40. n. 8.) difficilis textus Deusdedit Pontificis in Epistola decretali, quæ nuper excusa extitit inter decretales, quæ prodierunt ex Bibliothecâ Vaticana, ex qua epistola desumptus est textus in cap. *Pervenit*, 30. q. 1. In quâ epistola post ea, quæ recitantur in eo canone, qui apud Gratianum extat, ista dicuntur : *Mulieres verò cùm separatæ fuerint pro hâc illicitâ re a propriis viris, totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum recipiant alium virum, similiter & vir uxorem.*

In quibus, cùm à Pontifice quæsitum esset, an mulieres, quæ ob magnum populorum concursum in Sabbatho Paschæ filios suos levârant de Baptismo, si pro eo debeant ad suum proprium redire usum ; respondet, separandos, ut nullo unquam modo se recipiant in conjugio mulieres ac viri, qui quâcumque ratione suos susceperunt natos, sed separent se, ne suadente diabolo tale vitium peccati inolescat per mundum.

At si id demus, quanta rerum absurditas sequatur, quis non videt? Sequitur enim in Ecclesia potestatem esse dissolvendi Matrimonium ratum consummatum. Cùm enim jure Ecclesiastico inductum sit cognationis spiritualis impedimentum, si, illo superveniente, voluit Romanus Pontifex Matrimonium dissolvi, quandoquidem facultatem concedit, ut post annum, peractæ scilicet pœnitentiæ, alium virum accipiat, & vir aliam uxorem, planè sequitur jure Ecclesiastico dissolvi Matrimonium ratum fidelium consummatum. Hæc ille.

273. *Responsio Hugonis.*

Respondet Hugo, quem referunt Archidiconus & Turrecremata in d. cap. *Pervenit*, hìc tantùm agi de separatione à conjunctione carnali ad tempus, ad agendam pœnitentiam, vel absolutè in perpetuum, retento vinculo, ne vitium hoc, quod eo sæculo frequens erat, indiès serperet.

Rejicitur à Pontio.

Sed hoc (inquit Pontius sup. n. 9.) ut vidimus, ipso textu refellitur : inquit enim : *Post expletum annum recipiant alium virum* &c.

274. *Alia interpretatio, ex Turrecr. An consona textui, ex Pont.*

Aliam interpretationem refert Turrecremata sup. scilicet sermonem esse, non de conjunctis, sed de conjungendis. Ast & illa non videtur consona textui : cùm (inquit Pontius) in quæstione proposita dictum sit : *Cupis ergò scire, si pro tali accidenti ratione debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire.* Et infrà : *Totam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & post expletum annum*, &c. Hinc Glossa verb. *Vsum*, ait : *Loquitur de conjunctis ante compaternitatem, & non de conjunctis post, prout quidam mentiuntur.*

275. *Trina explicatio Pontij. Prima.*

Nunquid ergò mentitur Pontius sup. n. 11. & 12. ubi hunc textum explicat etiam de conjunctis post? Ipse viderit. Hic Auctor trinam adhibet explicationem huic textui. Primam n. 10. dicens: Mihi ista consideranti, sese offert in primis, unius tantùm voculæ mutatione textum constare, scilicèt si legamus pro *Alium, Illum*, cujus facilis in vetustis characteribus mutatio esse potuit ; quasi jubeat Pontifex, ut per annum separentur ad pœnitentiam, & quò eo tempore non desint uxoribus alimenta, restituatur à viro dos quam die nuptiali acceperat. Adjuvarique potest hâc licèt levi conjectura, quòd non dixerit ; *Et vir aliam uxorem*, sed : *vir uxorem.*

276. *Secunda.*

Secundam explicationem tradit n. 11. hisce verbis : Vel dico : duas esse partes distinguendas in isto casu Canonis, aut de duobus personarum gradibus agi in illo, scilicet de jam conjugatis, quæ proprios filios susceperunt ; & de his quæ ex vago concubitu cum filios jam suscepissent, concubinarum suarum, vel earum, cum quibus sponsalia tantùm contraxerant, filios de fonte levarant in tanto hominum concursu ; & singula singulis accommodanda. Iis, qui jam conjugati filios levarant de fonte, ut separent se ad tempus, continentiæ & pœnitentiæ causâ. Iis autem, cum quibus vagus tantùm concubitus intercesserit, aut sponsalia, separentur, nec nubant, sed restituatur dos, si quæ forte à viro recepta fuerat in die nuptiali, id est, cum de nuptiis pacta firmata sunt.

277. *Tertia.*

Addit Basilius tertiam expositionem n. 12. sub hac forma verborum : Vel dico, totum textum intelligendum de his, qui filios levârant, quos de concubinis sinè conjugio susceperant. Cui dubitationi optimè respondet : statutum etiam

iam ab aliis Pontificibus, ut nullo modo se in conjugio reciperent, id est, ne inter eos celebrari posset Matrimonium.

Et quia fortè aliqui viri & mulieres, intelligentes, quòd filium levassent, sibi impedimento non esse, contraxerant Matrimonium post levatos filios de fonte; separari jubet, nō quia Matrimonium validum dissolvatur, sed quia nullum fuerat ratione impedimenti. Et quia reverà non subsistebat Matrimonium, statuit Pontifex, reddendam esse dotem uxori, quæ separatur à Matrimonio, post impedimentum celebrato, & peractâ unius anni pœnitentiâ pro delicto, liberum esse aliis viris copulari.

278. *Ratio hujus expositionis.* Placet autem textum istum de viris vel fœminis, qui filios in concubinatu susceptos levarant potiùs, quàm de aliis intelligere, quòd dicat, quæsitum esse de his, qui proprios filios suos levârant. Quare non potest universè intelligi de his, qui filios levârant alterius, & posteà cum eorum parentibus contraxerant. Hactenùs Pontius.

Iudicium Auctoris. Ego autem noto; in dicto textu non fieri mentionem, saltem expressam, concubinarum: deindè adverto: verba illa superiùs relata; *Mulieres verò* &c. ex quibus oritur difficultas, omissa esse apud Gratianum, quàmvis apud Binium Tomo 2. Conciliorum reperiantur. Quare autem omissa sint apud Gratianum, nescio. Hoc scio, Pontificem non posse dispensare in Matrimonio rato fidelium consummato, adeoque viros & mulieres, qui sive nescientes, sive scientes, proprios filios suscipiunt ex levacaro sancto, nullatenùs posse propterea cum aliis contrahere.

279. *Cognatio hæc supervenies dissolvit sponsalia* An autem priventur jure petendi aut reddendi debitum; dicam alio loco, ubi de usu Matrimunii. Hoc pervium est, quòd talis susceptio dissolvat sponsalia de futuro contracta sicut & affinitas. Quia cùm non sint vinculum indissolubile, solventur supervenienti obstaculo dirimenti subsequens Matrimonium.

Sed pergamus ad alia, & dispiciamus, ex quo Baptismo oriatur hæc cognatio, utrùm etiam ex Baptismo privato aut invalido; Deinde, an oriatur inter personas non baptizatas; de his enim omnibus quæritur inter Theologos. Nostra resolutio hæc est.

CONCLUSIO V.

In Baptismo, non solemniter ministrato, baptizans contrahit impedimentum cognationis spiritualis; secùs tenens. Sacramentum sit validum. Incertum est, an personæ debeant esse baptizatæ.

280. *Probatur 1.* DIcendum prorsùs est (inquit Sanchez sup. disp. 62. n. 10.) baptizantem, etiam laicum, in extremo necessitatis articulo, contrahere cognationem perfectam spiritualem, subsequens Matrimonium dirimentem, cum baptizato ejusque parentibus. Quia omnia jura clamant ex vero Baptismo oriri cognationem spiritualem. Sed Baptismus non solemniter ministratus, sive à laico, sive à Sacerdote, tam in extremo necessitatis articulo, quàm extrà eum, est verus Baptismus, & vera regeneratio, ergò &c. *pars Conclus. ex Sanchez.*

Sed contrà. dicet aliquis: cap. ult. de Cognat. spirit., ut cognatio spiritualis contraheretur, ponderatur baptizantem fuisse Sacerdotem, ibi: *Idem A. excipiendo proposuit, quòd eam habere non poterat in uxorem pro eo, quòd ipsum pater nulieris ejusdem, qui Sacerdos extitit, baptizavit.* 281. *Objicitur c. fin. de Cogn. spirit.*

Respondeo cum Sanchez sup. n. 12. narrari in eo textu factum, nec vim effici ad contrahendam cognationem spiritualem in Sacerdotio ministri baptizantis. *Solvitur. ex Sanchez.*

Si rursùm objicias: cap. *Ad limina*, 30. q. 1. declaratur, parentes, qui proprios filios in necessitate baptizant, non arceri à petitione debiti, ibi: *Unde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte pereuntem dimitteret, sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regnum Christi jam cognaturum sine dubitatione transmitteret, benè fecisse laudatur: idcircò sua uxori, sibi jam legitimè sociatæ, impunè quamdiu vixerit judicamus manere conjunctum.* Ita Ioannes Papa 8. Anselmo Lemovicinæ Ecclesiæ Episcopo. 282. *Alia objectio ex c. 7. 30. q. 1.*

Ubi conceditur petitio debiti, eò quòd injustum sit, propter actum præceptum pœnam subire. Quæ ratio æque militat in omni eo, qui necessitatis tempore baptizat; si enim ob id oriretur inter ipsum & baptizati parentes cognatio spiritualis, privaretur propter actum præceptum libertate ineundi Matrimonii cum illis; ac proinde pœnam incurreret: Negari enim non potest, privari hâc libertate, esse quoddam pœnæ ac gravaminis genus.

Respondeo ex Sanchez sup. n. 10. privari conjugem jure debiti exigendi, est in pœnam delicti admissi, baptizando filium conjugis alterius. At iniquum est, pœnam incurri propter observantiam præcepti. Contrahi autem cognationem, quæ subsequens Matrimonium dirimat, ac reddat incestuosum concubitum cum persona baptizata, vel ejus parentibus, nullatenùs habet rationem pœnæ, vel gravaminis, sed pertinet ad quoddam amicitiæ genus, & conjunctionis, quam statuit Ecclesia inter has personas, ob quàm vetuit Matrimonium inter illas. 283. *Solvitur ex Sanchez.*

Et confirmatur; quia Parochus tenetur Baptismum solemniter ministrare; & tamen nullus negabit, eum contrahere hanc cognationem. Tandem; quia quando impedimentum aliquod non statuitur ab Ecclesia in delicti pœnam, sed ob alias rationes, incurritur propter actum præcepti: ut Iudex obligatus ad suspendendum delinquentem, irregularis efficitur illum suspendendo *Confirmatur.*

dendo. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

284. Manet ergò vera prima pars Conclusionis, scilicet in Baptismo, non solemniter ministrato, Baptizantem, sive vir, sive femina fuerit, sive laicus sive Sacerdos, contrahere cognationem spiritualem cum Baptizato, ejusque parentibus, quæ est communis sententia.

Tenens in privato Bapt. non contrahit cognationem; probatur 1. ex Sanchez.

Nunquid etiam tenens? Negat sequens pars Conclusionis, quam tanquam probabiliorem amplectitur Sanchez sup. Quia, inquit, cùm adhibere susceptorem sit cæremonia ab Ecclesia instituta pro Baptismo solemni, ubi hic non est, non dicitur propriè & verè susceptor, qui tenet: imò valdè contingens est, ut puer tunc ab aliquo teneatur; in ulnis enim matris, aut in cunabilis positus solet baptizari; quod si ab aliquo teneatur, est per accidens, majoris commoditatis gratiâ. Quare nil peccaretur, omisso patrino in eo Baptismo.

Secunda probatio.

Secundò; constat ex communi modo loquendi, vulgique opinione, à quibus argumentum petitum efficax est. Nam tenentes infantem in prædicto casu, nec compatres, nec patrini appellantur, nec tales solent existimari, sed illi soli, qui in Baptismo solemni id munus obeunt. Ita Sanchez cum Aliis ab eo allegatis. Quam sententiam secuti fuimus Parte 1. hujus Operis Disp. 2. Sect. 6. Concluſ. 2. n. 16. & adhuc sequimur.

285. *Quid si tenens velit obire munus patrini.*

Quid ergò, inquis, si tenens reverà velit munus susceptoris obire? Respondet Sanchez sup. n. 15. etiam tunc minimè contrahere. Quòd non sit in potestate tenentis situm, hanc cognationem contrahere, nisi petita ab Ecclesia serventur: at munus susceptoris non obitur propriè, nisi quando Baptismus est solemnis.

Herinx. Unde (inquit Herinx 4. part. tract 2. disp. 7. n. 31. ubi sequitur sententiam Sanchez) nec nomina hujusmodi describuntur in libro, neque cognationem contractam eis Parochus inculcat; quod tamen præscribit Trid. sess. 24. de Refor. Matr. c. 2. Potuisset quidam Ecclesia cæremoniam istam pro Baptismo solemni præscripsisse per modum præcepti, eam relinquendo liberam, attamen efficacem, quando adhiberetur in Baptismo privato: de hoc tamen non constat, uti constare deberet, ut rectè assereretur. Hæc ille.

286. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat (prosequitur Sanchez sup.) baptizantem in ea necessitate contrahere: quia baptizans confert verum Sacramentum: at qui sic tenet vel susçipit, non dicitur propriè tenere vel susçipere eo modo, quo ab Ecclesia statutum est. Susceptio enim est cæremonia ab Ecclesiâ instituta ad Baptismum solemnem, ac proinde, solemnitate deficiente, deficit quòque vera susceptoris ratio. Hæc ille.

Quamvis igitur jura eodem pacto & tenore loquantur de baptizante & de susceptore, neque expressè distinguant inter Baptismum privatum & solemnem, quando statuunt susceptorem in Baptismo contrahere cognationem; equidem intelligenda sunt de vero & propriè dicto susceptore eo modo, quo de vero & propriè dicto baptizante.

Planè, inquis, sed pars adversa contendit, tenentes in privato Baptismo, esse verè & propriè susceptores, maximè quando volunt munus susceptoris obire. Quo equidem probato, haud dubium, quin cognationem contrahant. 287. *Instantia.*

Fateor; sed hoc non satis probatur ex juribus, quæ impedimentum cognationis spiritualis statuunt, tametsi non distinguant expressè inter Baptismum privatum & solemnem; & ideò adhæremus sententiæ Sanchii; maximè cùm impedimenta Matrimonii potiùs sint restringenda quàm extendenda; nam causa matrimonialis favorabilis est, ut non semel alibi diximus, & ex jure probavimus. *Solvitur.*

Hinc etiam probatur tertia pars conclusionis, scilicet: *Sacramentum sit validum*; quâ significatur, nullam contrahi cognationem, quæ Matrimonium subsequens dirimat, si vel defectu materiæ, formæ, aut aliâ quâcumque ratione Sacramentum fuerit invalidum. Ratio in promptu est, quia in tali eventu, non est verus Baptismus, & per consequens non est vera regeneratio spiritualis; jam autem jura decernunt, ex Baptismo oriri cognationem spiritualem, eò quòd sit regeneratio quædam spiritualis. 288. *Ex Sacramento invalido non oritur cognatio. Probatur.*

Et eadem est ratio de invalida Confirmatione; quia scilicet ipsa non est spiritualis quædam perfectio regenerationis spiritualis, cùm tamen jura statuant, ex Confirmatione oriri cognationem spiritualem, eo quòd sit talis perfectio.

Breviter, ly *Baptismus*, & ly *Confirmatio*, simpliciter prolata, significant in omni jure verum Baptismum, & veram Confirmationem, nisi aliquid obstet; sicut ly *Homo*, simpliciter prolatum, significat verum hominem, & non fictum seu pictum. Hic autem nihil obstat, quò minùs de solo Baptismo vero seu valido, itemque de sola Confirmatione vera seu valida, jura intelligantur. *Confirmatur.*

Quinimò, inquis, obstat cap. un de sponsali. in 6. ubi deciditur, ex sponsalibus irritis oriri impedimentum publicæ honestatis, dirimens Matrimonium. Ergò ad impedimentum dirimens inducendum, sufficit actum effici de facto, etsi non de jure, sed irritus sit. 289. *Objicitur cap. un. de Sponsal. in 6.*

Respondeo & quæro, an d. cap. unico decidatur simpliciter ex sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis, sicuti jura prælegata simpliciter statuunt, ex Baptismo & Confirmatione oriri cognationem spiritualem? Manifestum est quòd non: nam sic sonat: *Ex sponsalibus puris & certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut aliâ quâvis ratione sint nulla, dummodò non sint nulla ex defectu consensûs, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.* *Responsio.*

Est igitur in eo casu textus expressus, cùmque sit valde specialis, non potest extendi ad alios. Aliter (inquit Sanchez sup. n. 8.) posset inde probari ex omni actu irrito sequi impedimenta omnia jure statuta; ac proinde diceremus, irregularem esse, qui putans se hominem 290. *In casu sponsalium est expressus textus.*

minem interficere, verè feram necaret.

Secùs hic. Adferant Adversarii textum, in quo decidi-
tur, ex Baptismo oriri impedimentum cogna-
tionis spiritualis, etiamsi nullus sit, & libenter
eis subscribimus; cùm autem non possint eum
adferre, haud ægrè ferant, si eorum commento
non credimus, utpotè destituto omni solido
fundamento, sive ex jure, sive ex ratione. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, in-
quit Reg. 15. de Reg. juris in 6. Impedimen-
tum autem Matrimonii odium, ut sup. dixi;
ergò restringendum, & non ampliandum ad ca-
sum non expressum. Et Reg. 52. eod. ait: *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur ef-
fectum.*

291. *Explicatur Reg. juris 52. in 6. ex Canisio.* In quam Reg. Canisius hæc scribit: Exem-
plum require ex c. 4, & c. 5. extrà de despons.
impub. ubi species talis refertur: Contracta sunt
sponsalia à Cajo cum puellâ, minore septennio;
posteà idem Cajus consensit in Matrimonium
cum matre ejusdem puellæ: quâ de re consultus
S. Pontifex rescribit, Matrimonium hoc cum
matre initum, non impediri propter sponsalia
præcedentia cum filia: cùm sponsalia ipso jure,
utpote à minore septennio contracta, non con-
stiterint, ac proinde nullam publicæ honestatis
justitiam induxerint, ob quam aliàs inhibetur
Matrimonii contractus.

Alterum exemplum juris civilis sit: Si quis
post primum testamentum, alterum facere cœ-
perit, sed mortalitate præventus, aut, quia ejus
rei eum pœnituerit, id non perfecit, non ideò
infirmantur priores tabulæ, cùm posteriores ef-
fectum non habuerint, §. *Ex eo autem*, Instit.
Quibus mod. testam. infir. Hæc ille.

292. *Occurritur objectioni.* Et aliquibus interpositis ait: Neque huic Re-
gulæ obstat tex. in cap. un. de Sponsi. in 6. ubi
ex sponsalibus invalidis publica honestas oritur,
Matrimonium subsequens impediens & contra-
ctum dirimens. Nam tametsi ejusmodi sponsalia
ipso jure nulla sint: non tamen effectu carent
quoad opinionem vulgi, fortè existimantis, ea
valida esse: ut meritò & in his sponsalibus,
publicæ honestatis tuendæ & conservandæ cau-
sâ receptum fuerit, ea non minùs impedimento
esse justis nuptiis, quàm si legitimè contracta
essent. *Semper in conjunctionibus* (inquit Mode-
stinus) *non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit*, l. 42. ff. de. Ritu nupt.
Verùm cùm hodie dicessum sit ab hâc sententiâ
d. c. unici per Concilium Tridentinum sess. 24.
c. 3. in Decret. de refor. Matr. non est quod
longè insistamus. Hactenùs Canisius.

Cùm ergò in casu proposito Sacramenta Bap-
tismi & Confirmationis non sortiantur effe-
ctum, quia supponuntur ipso jure nulla; ne-
que præstabunt impedimentum Matrimonio
contrahendo.

293. *Replica.* Si dixeris: non carent omni effectu quoad
opinionem vulgi, fortè existimantis ea valida
esse, ut meritò & in his Sacramentis cognatio-
nis spiritualis tuendæ & conservandæ causâ re-
ceptum fuerit, ea non minùs impedimento esse
justis nuptiis, quàm si validè ministrata fuissent.

Respondeo: ad summum inde sequitur, quòd *Diluitur.*
Ecclesia posset taliter recipere Baptismum &
Confirmationem, ipso jure nulla; quòd autem
aliquando receperit, ex nullo textu constat, si-
cut constat ex dicto cap. unico aliquando rece-
pisse sponsalia, ipso jure nulla, cumque de facto
ampliùs non recipiat hujusmodi sponsalia; quo
fundamento asseremus, recipere hujusmodi Bap-
tismum aut Confirmationem?

Quod probè scientes S. R. E. Cardinales, de- *Declar. Card.*
clarârunt: *Qui in Ecclesia dumtaxat fuit præsens ei, qui domi fuerat verè baptizatus, sed deinde in Ecclesia servatæ fuerunt solæ solemnitates, nullam cognationem spiritualem cum eo contraxit.* Utique
neque susceptor neque Parochus, qui adhibuit
cæremonias: quia nec ille verus susceptor, nec
hic verus Baptizans.

Quid ergò, inquis, si iteretur Baptismus sub 294.
conditione, eò quòd de prioris Baptismi verita- *Quid si Bapt. itere-*
te dubitetur? Respondet Sanchez sup. n. 6. *tur sub con-*
postquam constiterit, priorem fuisse validum, *ditione, ex*
non oriri cognationem; at dum id non constat, *Sanchez.*
præsumet Ecclesia cognationem. Quòd intelli-
go, quando est merum dubium. Hæc ille.

Sed quæro ego: Quarè Ecclesia præsumet
cognationem? Equidem in dubio melior est
conditio possidentis: videtur autem baptizans
tali casu & susceptor possidere suam libertatem,
quamdiu non constat de nullitate prioris Bap-
tismi.

Respondetur: Ecclesia præsumet cognatio- 295.
nem, quia præsumet valorem Baptismi sub con- *Ecclesia*
ditione, quamdiu non constat de valore prioris *præsumet*
Baptismi; quippè certum est Baptismum sub *cognatio-*
conditione valuisse, si prior non valuerit; ergò *nem, quami-*
quamdiu non constat priorem valuisse, meritò *diu non cer-*
præsumitur posteriorem valuisse, ita ut pro cer- *tò constat de*
to habeatur, sic Baptizatum verè & validè esse *valore primi*
Baptizatum. Unde posterior Baptismus sub con- *Baptis.*
ditione possidet, utpotè qui adhibitus fuit, ut
certò constaret de Baptismo, & per consequens
ut certò constaret de baptizante & susceptore seu
patrino.

Veluti ergò secundus Baptismus præsumitur
validus, quousque non probatur validitas prio-
ris; sic indidem minister posterioris Baptismi
præsumitur verus baptizans, & susceptor in po-
steriori Baptismo verus susceptor; ac proindè
contraxisse cognationem spiritualem, quamvis
reverà non contraxerint, si præsumptio non ni-
tatur veritate. Quapropter si postmodum con-
staret, priorem Baptismum fuisse validum,
pronuntiaret Ecclesia cognationem non fuisse
contractam.

Sin autem prior Baptismus probabiliter va- 296.
luerit, probabiliter non valuit secundus Baptis- *Quid si*
mus; & per consequens probabile erit, ex se- *probabiliter*
cundo non fuisse contractam cognationem. Et *valuerit*
si prior Baptismus probabiliter non valuerit, pro- *prior Baptis.*
babiliter valuit secundus Baptismus; ac proindè
probabile erit ex secundo fuisse contractam
cognationem. Quid ergò tali casu faciendum?

Cùm utraque opinio sit probabilis (inquit *Resol. ex*
San- *Sanchez*

Sanchez sup. n. 7. in fine) poterit quispiam utrumvis illarum sententiarum tutâ conscientiâ amplecti, & secundùm unam velle contrahere Matrimonium, & juxtà aliam nolle contrahere; hoc autem indubiè tutiùs est, & consultiùs, ne postmodum de valore Matrimonii disputetur. Puto tamen ego, quòd post factum Ecclesia judicaret pro valore, cùm causa matrimonialis sit favorabilis.

297. *An hoc impedimentum oriatur inter personas non baptizatas.*

Restat ultima pars Conclusionis, quæ ait, incertum esse, an hoc impedimentum oriatur inter personas non baptizatas, v. g. inter infidelem baptizantem, vel suscipientem, & baptizatum, ejusque parentes infideles, aut etiam fideles.

In eo autem versatur cardo difficultatis, utrùm infidelis sit capax cognationis spiritualis. Hoc in primis certum est, infidelem posse validè baptizare; incertum verò, an possit validè suscipere, seu levare de sacro fonte; & qui diceret, non posse validè suscipere, consequenter affirmare deberet, nullam oriri ex tali susceptione cognationem spiritualem, quæ Matrimonium post contractum dirimat, neque obligationem instruendi baptizatum; cùm hi effectus non oriantur, nisi ex valida seu vera susceptione, sicut anteà dictum est, non oriri cognationem spiritualem, nisi ex valido seu vero Baptismo. Et quamvis, ut statim dixi, infidelis possit verè baptizare; equidem multi putant, ex tali Baptismo non oriri cognationem spiritualem.

298. *Non baptizatus non potest aliquem levare de sacro fonte, ex D. Th.*

Unus pro mille sit D. Thomas 4. dist. 42. q. 1. a. 3. *Ad tertium dicendum, quòd non baptizatus, non potest aliquem levare de sacro fonte, cùm non sit membrum Ecclesiæ, cujus typum gerit in Baptismo suscipiens; quamvis possit baptizare, quia est creatura Dei, cujus typum gerit baptizans; nec tamen aliquam cognationem contrahere spiritualem potest, quia est expers spiritualis vitæ, in quam homo primò per Baptismum nascitur.* Et per consequens, tametsi quis admitteret, infidelem validè posse suscipere; equidem negare posset, propter eamdem rationem, ex tali susceptione contrahere aliquam cognationem spiritualem.

299. *Infidelis incapax sit hujus cognationis, ex Sanchez. Probat. 1.*

Et ideò Sanchez sup. disp. 60. n. 7. absolutè docet, nullâ factâ distinctione inter baptizantem, & suscipientem, infidelem incapacem esse hujus spiritualis cognationis contrahendæ. Probat autem primò: quia sicut non habens vitam carnalem, non potest esse cognatus carnaliter; ita non habens vitam spiritualem, nequit esse spiritualiter cognatus.

Confirmatur.

Et confirmatur: quia sicut ad carnalem cognationem inter aliquos, desideratur processio utriusque ab eodem stipite, secundùm carnalem propagationem; ita ad spiritualem exigitur proprocessio uriusque ab eodem stipite, nempè Christo, secundùm spiritualem regenerationem, mediante visibili Sacramento Baptismi.

300. *Secunda probatio.*

Secundò; quia infidelis est incapax juris patronatûs, quod quasi spirituale est, c. *Quicumque*, 16. q. 7. nedum cognationis verè spiritualis.

Tertia.

Tertiò: quia cùm cognatio hæc sit ex mero Ecclesiæ instituto, nequit ab infidelibus contrahi, utpotè qui Ecclesiæ legibus minimè subduntur. Hæc ille.

Ex quibus deducit primò, infidelem sive baptizet, sive susceptor in Baptismo aut Confirmatione sit, minimè contrahere hanc cognationem; quia illius incapax est. 301. *Prima illatio.*

Secundò: Catechumenum quòque esse incapacem hujus cognationis; quòd non procedat ab eodem stipite, videlicet Christo per spiritualem regenerationem, mediante visibili Sacramento Baptismi; sicut nec Sacramentorum est capax. *Secunda.*

Tertiò: si Christianus unà cum infideli suscipiat puerum, vel alter suscipiat, altero baptizante, non contrahi cognationem cum infideli: utpotè qui illius expers est, benè tamen cum Christiano. Quia utile non vitiatur per inutile, quando commodè separari possunt, Reg. 37. de Reg. juris in 6. *Vtile non debet per inutile vitiari.* 302. *Tertia.*

Quartò deducit: infidelem baptizantem, vel suscipientem, non contracturum cognationem ex eo actu, tempore infidelitatis gesto, quàmvis posteà baptizetur. Quia quod à principio nullum fuit, convalescere nequit; arg. l. 210. ff. de Reg. juris, *Quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex post facto convalescere non potest.* Ergò baptizatio, quæ priùs inutilis fuit ad contrahendam cognationem, ex post facto, id est ex baptismo posteà suscepto, non potest convalescere ad hunc effectum. *Quarta.*

Sed de hoc corrollario statim plura: nã ei multi contradicunt. Alia autem proculdubiò verà sunt, si vera est principalis sententia. Sed quia & hæc veritas incerta est, & ab aliquibus negatur, oportet oppositam doctrinam cardinibus suis luxare (si tamen luxari possit) priusquam Sanchio subscribamus. 303. *Hinc multi contradicunt.*

In primis ergò docent nõ pauci: infidelẽ baptizantem filium fidelis contrahere cognationem cum baptizato, ac ejus parentibus; secùs suscipientem. Ducuntur primò: quia infidelis validè baptizat, non autem validè susceptoris munus exequitur. Quippè eum non posse esse susceptorem, decernitur cap. 102. de Consecr. dist. 4. *In Baptismate, vel in Chrismate, non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* *Docent aliqui, infidelem baptizantem filium fidelis contrahere cognationem; secùs suscipientẽ. & probant 1.*

Respondet Sanchez sup. n. 12. non satis esse, Baptismum ab infideli collatum, esse validum, ut ex eo oriatur cognatio spiritualis; sed desiderari, personam baptizantem esse capacem illius contrahendæ, qualis non est infidelis. 304. *Resp. Sanchez.*

Sed, inquis, hoc est, quòd quæritur; an sit capax, adeoque probatum oportuit, non supponi tum. Respondetur: jam sup. ex Sanchez probatum fuit. *Impugnatur.*

Prorsùs, replicas, probatum fuit; sed inefficaciter. Ad primum quippè respondetur: non benè sequitur: non habens vitam carnalem, non potest eam alteri dare; ergò non habens vitam spiritualem per baptismum, non potest eam alteri dare per Baptismum. Proindè non valet in omnibus argumentum à vita carnali, & cognatione carnali, ad vitam spiritualem & cognationem spiritualem. 305. *Resp. ad 1. arg. Sanchij*

Censes-

306. *Secundum fundamentum ſententiæ oppoſitæ.* Cenſeſne, aliquem poſſe dare vitam carnalem, qui ipſe eam non habeat ? Scio, quòd non cenſeas. Et verò nemo ambigit, poſſe quempiam dare vitam ſpiritualem, qui eam ipſe non habeat. Cùm ergò cognatio ſpiritualis oriatur ex datione vitæ ſpiritualis, cur infidelis, qui eam vitam poteſt dare, erit incapax cognationis ſpiritualis ; & cur eam non contrahet, ſi reverà puero, à ſe baptizato, eam vitam det ? Et eccè ſecundum fundamentum oppoſitæ doctrinæ.

Oppugnatur à Sanchio. Reſpondet Sanchez ſup. non ſatis eſſe, recipere eſſe ab alio, ut recipiens ſit ejus filius. Exigitur enim, ut recipiat eſſe à principio viventi, ſimili in natura. At baptizatus recipit eſſe ſpirituale ab infideli, non tamquam à principio ſimili, ſcilicet in natura regenerationis per Baptiſmum, quàmvis ſit ille catechumenus, habeatque fidem, & ſit in gratia conſtitutus. Hæc ille.

307. *Arguitur contrà Sanchez.* Sed dicet aliquis ; iterùm petitur principium, & ſupponitur, quod debet probari, ſcilicet in omnibus debere eſſe paritatem, inter filium carnalem & ſpiritualem ; quod tamen falſum eſſe ex eo colligitur, quòd peccator fidelis non ſit ſimilis in natura ei, quem baptizat ; quippè non tantùm tribuit baptizato characterem Baptiſmi, in quo ei aſſimilatur ; ſed etiam gratiam ſanctificantem, aut certè jus ad gratiam ſanctificantem accipiendam, per Baptiſmum, quod jus conſtat ipſum ampliùs non habere ; & tamen talis peccator eſt verus pater ſpiritualis, ſecundùm omnes, & baptizatus ab eo verè filius ejus ſpiritualis, non magis vel minùs, quàm ſi baptizans eſſet in ſtatu gratiæ.

Inſtatur. Et ſanè, ut Omnes fatentur, non baptizatus Baptiſmo fluminis, poteſt eſſe baptizatus Baptiſmo flaminis, id eſt, habere gratiam ſanctificantem per amorem Dei perfectum ſuper omnia ; cur autem hæc ſimilitudo non ſufficiat ad veram paternitatem & filiationem ſpiritualem ?

308. *Catechumenus per catechiſmum contrahit cognationem, ex c. 2. de Cogn. ſpir.* Sanchez. Nonne catechumenus contrahit veram cognationem ſpiritualem per catechiſmum, eſtò nondum ſit baptizatus ? Audi Bonifacium 8. c. 2. de. Cognat. ſpirit. in 6. *Per catechiſmum, qui præcedit Baptiſmum, Sacramentorum fundamentum & januam reliquorum, cognatio ſpiritualis contrahitur.* Atque hoc eſt tertium fundamentum.

Reſpondet Sanchez ſup. eam cognationem eſſe valde imperfectam, & ſecundùm quid, ac diſpoſitionem quamdam ad cognationem perfectam, quæ ex Baptiſmo conſurgit ; ac proindè nil mirum, ſi ex catechiſmo, qui ad Baptiſmum diſpoſitio eſt, Eccleſiâ ſic ſtatuente, contrahatur. At cognationis perfectæ ſpiritualis quicumque non baptizatus eſt incapax. Ita Sanchez.

309. *Cur magis per catechiſmum, quàm Baptiſmum.* Sed quæret aliquis : cur magis incapax perfectæ cognationis, quàm imperfectæ ? Nonne & hæc oritur ex ſtatuto Eccleſiæ ? Fatetur Sanchez. Infero ego : ergò non baptizatus ſubditur ſtatutis ſeu legibus Eccleſiæ ; ergò poſſet Eccleſia, ſi vellet ; ſtatuere cognationem perfectam pro non baptizatis, qui alium baptizarent ; vel oſtende diſparitatem, & da rationem, quare potiùs uno ſtatuto, quàm alio Eccleſia poſſit ligare non baptizatum, cùm generaliter dictum ſit : *Quid nobis de iis, qui foris ſunt, judicare ?*

310. *Tertium fundamentum Adverſariorum.* Si ergò hæc Scriptura non improbat cognationem imperfectam, quam catechumenus, ſeu non baptizatus contrahit ex catechiſmo, neque improbabit cognationem perfectam, quam catechumenus, ſtatuente Eccleſiâ, contraheret ex Baptiſmo alteri collato. Cùmque Eccleſia nuſpiam prohibeat non baptizato baptizare, & generaliter ſtatuat, cognationem perfectam contrahi ex collatione Baptiſmi, cur nos diſtinguere debemus inter baptizantem fidelem & infidelem ?

Videtur equidem tanta obligatio amicitiæ & reverentiæ oriri in baptizato ergà baptizantem infidelem, quàm fidelem, cùm æquale ab utroque recipiat beneficium ; ſcilicet regenerationem ſpiritualem, quæ non eſt major vel minor ex eo præciſè, quòd baptizans ſit fidelis aut infidelis.

311. *Argumentantur quartò.* Præterea (eritque quartum fundamentum Adverſariorum) ex factis infidelitatis tempore benè oritur impedimentum, ut infidelis non valeat poſt Baptiſmum ducere eam, quæ infidelitatis tempore ſibi facta eſt conſanguinea.

Confirmatio. Et confirmatur ex c. 1. De Converſ. infidelium, ex quo conſtat, infidelem, occidentem virum Chriſtianæ, machinante hâc in viri necem, non poſſe converſum ad fidem cum ipſa validè inire Matrimonium.

312. *Reſp. Sanchez ad 4. arg.* Reſpondet Sanchez ſup. conſanguinitatem eſſe quid naturale, & ideò eam contrahi ab infidelibus. At cùm cognatio ſpiritualis ſit ex ſolo jure Eccleſiaſtico, cui infideles non ſubſunt, non poteſt ab infidelibus contrahi.

Ad confirmationem ex eod. Ad confirmationem dic : in eo textu imponi pœnam Chriſtianæ illi, in odium ejus delicti, ne unquam poſſit illi infideli converſo ad fidem nubere : & ſubinde nec infidelis converſus poterit eam ducere, quàmvis ipſum infidelem non potuerit ligare Eccleſia : ſed quia Matrimonium poſtulat utrumque conjugem habilem, eo ipſo quòd alter, ſubjectus Eccleſiæ, redditur ab ipſa inhabilis, nequit inter ipſos Matrimonium conſiſtere. At cognatio ſpiritualis, utpotè res Eccleſiæ jure inventa, non poteſt contrahi ab infidelibus ; nec etiam poteſt eſſe in ſolo fideli. Hæc ille.

313. *Impugnatur primò.* Sed enim, inquis, jam ſup. oſtenſum fuit, & admiſſum à Sanchio, infidelem eſſe ſubjectum legibus Eccleſiæ quoad cognationem imperfectam, quæ contrahitur ex catechiſmo, ita ut ſi, catechiſmo facto, Baptiſmus impediretur, nequiret catechizatus licitè contrahere cum ſuſceptore ex ſtatuto Eccleſiæ, ſi adhuc obliget, de quo alibi diſputavimus. Cur ergò lex Eccleſiæ non poſſet etiam perfectam cognationem cauſare inter baptizatum & infidelem

infidelem baptizantem, aut suscipientem ? Cur enim una lex potiùs quàm alia potest infidelem obligare ?

314. *Secunda impugnatio, cui respondet Sanchez.* Deinde quod in fine addit: *Nec etiam potest esse in solo fideli*, unde constat aut probatur ? Respondet Sanchez sup. n. 14. Quia cùm cognatio spiritualis sit quædam relatio, non potest ab altero contrahi, quin ab utroque contrahatur. Quippè relatio duo extrema necessariò petit. Cùm igitur infidelis incapax sit cujuscumque cognationis spiritualis, nequibit fidelis cum infideli eam contrahere. Et confirmatur; quia nec Matrimonium, nec cognatio carnalis, nec legalis possunt consistere nisi inter duo extrema habilia. Hæc ille.

Lex Ecclesia irritans supponit consanguinitatem, non facit. Itaque consanguinitatem carnalem Ecclesia suâ lege non facit, sed supponit, & eâ suppositâ, decreto suo statuit, quòd talis consanguinitas in tali aut tali gradu dirimat, potestque suum inhabilitare subditum ad contrahendum cum eo, qui in eo gradu sit sibi sanguine conjunctus, sive id sit cum alio, etiam Ecclesiæ subdito baptizato, sive cum alio quovis; atque adeò non mirum, quòd etiamsi ille alius non sit subditus Ecclesiæ, sit nihilominus consanguineus alterius, qui est subditus Ecclesiæ, cùm consanguinitas non dependeat ab Ecclesiæ statuto: cognatio verò spiritualis ita ab Ecclesiæ statuto dependeat, ut nisi Ecclesia id statuisset, nulla fuisset cognatio.

315. *Facit cognationem spiritualem.* Unde duo facit Ecclesia, & quòd sit spiritualis cognatio, & quòd hæc spiritualis cognatio impediat & dirimat Matrimonium. Priùs ergò debet fieri ille non baptizatus cognatus, & posteà ex vi talis cognationis inducitur ab Ecclesia impedimentum; cùm autem non possit Ecclesia causare talem effectum cognationis in non baptizato, utpotè non sibi subdito, ad cognationem autem spiritualem, qualis nunc est, requiratur utrumque extremum, quia relatio est mutua; hinc est ut cognatio spiritualis non resultet in altero baptizato, eo ipso, quòd resultare non potest in altero non baptizato, atque adeò neque impedimentum ex cognatione resultans. Ita Dicastillo discurrit disp. 7. n. 240.

Ejus non est capax infidelis, sive activè, sive passivè, ex Dicast. Docet hic Auctor cum Sanchio, infidelem sive baptizantem, sive suscipientem, neque activè neque passivè cognationis esse capacem, id est, neque directè contrahere cognationem, ita ut baptizans, vel suscipiens filium fidelis, verè contrahat cognationem cum persona à se baptizata vel suscepta, ac cum ejus parentibus: neque passivè, sive indirectè terminando cognationem fidelis, ita ut si fidelis baptizet filium infidelis, ipsumve suscipiat, ipse infidelis non contrahat cognationem cum fideli, benè tamen econtrà fidelis cum infideli.

316. *Expenditur hæc doctrina ab Auctore.* Quæ utique doctrina vera est, si vera sint ea, quæ supponit; nimirum infidelem non esse capacem cujuscumque cognationis spiritualis, quod sup. falsum ostendimus in cognatione, quæ oritur ex catechismo, ad quam difficultatem non respondet Dicastillo; imò eam non tangit, quàmvis non dubitem, probè ei fuisse notam, cùm in Sanchio disertis verbis exprimatur.

Secundò supponit contrà Nonnullos (ut notat Dicastillo sup. n. 241.) cognationem & impedimentum inde ortum, non idem omninò esse, sed unum oriri ex alio Ecclesiasticâ constitutione. Sed ex quo hoc probatur ?

317. *Probatur non idem esse cognationem & impedimentum, ex Dicast.* Ni fallor (inquit Dicastillo ibi) efficaciter probatur in cognatione compaternitatis, v. g. in cognatione spirituali inter Parochum baptizantem & Patrem baptizati, inter quos, utpotè inter duos viros, non intercedit Ecclesiasticum impedimentum Matrimonii; nam impedimenta Ecclesiastica, maximè merè Ecclesiastica, solùm statuuntur comparatione personarum, alioquin naturâ suâ capacium copulæ carnalis, ordinatæ ad generationem, ergò non identificatur impedimentum cum cognatione, sed impedimentum supponit cognationem inter personas, alioquì sibi mutuò capaces copulandi.

Posset quidem Ecclesia, si vellet, impedimentum inducere dirimens inter baptizatum, & non baptizatum, eo ipso quòd v. g. non baptizatus alterum baptizavit (distinctum ab alio impedimento, quòd de facto est, propter cultûs disparitatem) id tamen non fecit; quia tale impedimentum voluit esse cognationem spiritualem, quam ipsa quòque Ecclesia instituit, & hanc non fecit esse inter baptizatum & non baptizatum; quia defuit potestas Ecclesiæ circà non baptizatum, ad instituendam mutuam cognationem, quamvis non defuerit potestas ad instituendum impedimentum ex parte sui subditi ad irritandum Matrimonium cum altero non subdito, ut re ipsâ factum est in impedimento disparitatis cultûs, in quo, quamvis non baptizatus non sit subditus Ecclesiæ, nihilominùs potuit indirectè impediri ab Ecclesia, impediendo alterum baptizatum sibi subditum, ne validè contraheret cum persona non baptizata. Hactenùs Dicastillo.

Expendamus singula. In primis, dicet aliquis: quid opus erat recurrere ad cognationem compaternitatis, cùm quotidie idem occurrat in cognatione paternitatis, quando baptizans & baptizatus sunt ejusdem sexûs ? Deinde: si inter illos, qui sunt ejusdem sexûs, non intercedit impedimentum Ecclesiasticum, sequitur; tactus, & alios actus inhonestos inter ipsos, non accipere specialem malitiam incestûs ex ea cognatione sive paternitatis, sive compaternitatis.

318. *Contrà hanc probationem arguitur 1. Secundò.* Probatur sequela; quia si Ecclesia legem suam irritantem revocaret, nequidem fornicatio foret specialiter illicita, ut patet in cognatione carnali, ex qua olim usque ad 7. gradum oriebatur malitia incestûs; hodie autem non oritur nisi usque ad quartum gradum, eò quòd impedimentum dirimens in ulterioribus gradibus sit sublatum,

sublatum. Igitur impedimentum Ecclesiasticum, sive cognationis carnalis, sive spiritualis, etiam aliquo modo reperitur inter personas, alioquin naturâ suâ incapaces copulæ carnalis, ordinatæ ad generationem. Aut certè nec copula sodomitica inter eas habet specialem malitiam incestûs. Et verò qualem effectum potest habere cognatio illa spiritualis inter Sacerdotem baptizantem, & patrem baptizati, nisi specialem prohibitionem turpitudinis inter illos, intuitu propinquitatis contractæ ex Sacramento?

319. *Tertiò.* Denique: si Ecclesia potuit velle inducere impedimentum inter baptizatum, & baptizantem non baptizatum; unde, rogat quispiam, constat, id non fecisse, cùm tota ratio constituendi hoc impedimentum inter baptizatos, militet etiam in hoc casu? Quippè ratio est reverentia, quam baptizatus debet baptizanti, eò quòd ab ipso fuerit spiritualiter regeneratus. Et quis negare potest, infidelem baptizantem spiritualiter regenerare baptizatum? Nonne omnis Baptismus, à quocumque collatus, est regeneratio? *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, ait Christus Ioannis 3. v. 5. Et quis dicere audeat, baptizatum ab infideli non fore renatum ex aqua & Spiritu sancto, & per consequens non posse introire in regnum Dei?

320. *Renascentia est totalis ratio hujus impedimenti.* Atque hæc renascentia est totalis ratio hujus impedimenti, quod Ecclesia expressit illo nomine cognationis spiritualis; unde hoc ipso quòd Ecclesia sustulit impedimentum inter baptizatum & filios baptizantis, etiam abstulit cognationem spiritualem inter eos, & hoc ipso quò est impedimentum inter aliquos ratione Baptismi aut Confirmationis, possunt & debent vocari cognati spirituales. Supposito ergò quòd Ecclesia potuerit impedimentum inducere inter baptizatum & baptizantem infidelem, ratione collati Baptismi, etiam potuit eos facere cognatos spirituales, nisi velimus movere quæstionem de nomine.

Et verò si potuit infidelem facere cognatum imperfectum in Catechismo, cur non etiam perfectum in Baptismo? Hæc sunt, quæ opponi possent contrà hanc doctrinam. Expectabo responsionem.

321. *Cognatio spiritualis non convalescit post Baptismum infidelis, juxtà Sanchez.* Interim quæro, utrùm rectè Sanchez ex sua doctrina deducat sup. n. 15. nec eam cognationem spiritualem convalescere, ac oriri cum parentibus illis infidelibus, licet posteà illi baptizentur. Quia, inquit ille, quod à principio irritum fuit, convalescere nequit, Reg. *Non firmatur* de Reg. juris in 6. & Reg. *Quod ab initio*, ff. eodem.

Eum sequitur Dicast. Sanchium sequitur Dicastillo sup. n. 243. Rationem dat: Quia cùm non baptizatus non esset subditus, non factus fuit ab Ecclesia cognatus spiritualis alterius; atque adeò nec resultavit impedimentum ex tali cognatione. Quòd autem posteà superveniat Baptismus, non sufficit, ut impedimentum resultet; quia nec Baptismus sufficit, ut resultet cognatio prærequisita ad impedimentum. Nam cognatio tunc tantùm debet causari, quando fit actus sufficiens ad illam causandam, qui in nostro casu nunquam fit; quando enim ille non baptizatus baptizavit, actus ille non fuit sufficiens ad causandam cognationem, utpotè proveniens à non baptizato. Posteà verò, quando jam est baptizatus, talis actus non fit, nec fieri potest, & actus, qui ab initio irritus fuit, & transivit, non acquirit vires pro hoc tempore; quia juxtà Reg. *Non firmatur*, de Reg. juris in 6. & Reg. *Quod ab initio*, ff. eod. quod à principio irritum fuit, tractu temporis convalescere nequit. Hæc ille,

322. *Oppositum docet Coninck.* Quibus non obstantibus, Coninck disp. 32. n. 27. docet, si Petrus suscipiat filium Paulæ adhuc infidelis, & hæc posteà baptizetur, eos irritè contrahere. Nam, inquit, etsi inter eos non oriatur hæc cognatio, quamdiu alter est infidelis, nascitur tamen statim atque ipse convertitur, non quidem immediatè ratione Baptismi, qui jam præteriit, sed ratione paternitatis, quæ orta est inter fidelem suscipientem & baptizatum, quæ posteà inter suscipientem & baptizati parentes gignit compaternitatem, statim atque hi sunt ejus capaces. Sicut olim proles v. g. Petri, hoc ipso quò baptizabantur, contrahebant cognationem spiritualem cum eo, quem Petrus jam ante susceperat, ut patet ex c. 1. de Cognat. spirit. in 6. quam tamen nullo modo contrahebant, dum alter baptizabatur, etsi tunc fortè essent natæ, si nondum erant baptizatæ. *Probat à simili, ex c. 1. de Cog. Spir. in 6.*

Ubi nota: tam baptizantem, quàm suscipientem, immediatè solùm contrahere hanc cognationem cum baptizato, & hâc mediante cum ejus parentibus; idque vel eodem instanti, si tunc ejus capaces sint, vel posteà statim ac capaces fiunt. Hucusque Coninck.

323. *Expendunt. d. textus.* Sed ego in d. cap. 1. nihil aliud lego, quàm baptizatum contrahere cognationem spiritualem cum filiis suscipientis, & uxore anteà carnaliter cognitâ. An autem id intelligi debeat de solis filiis jam natis & baptizatis, vel etiam de filiis non baptizatis, & nondum natis, hoc ipso quò baptizabantur, textus ille non loquitur: sed de filiis posteà natis habetur c. 1. de Cognat. spirit. ibi: *Et licèt primus Canon exinde editus, natos post compaternitatem ad invicem copulari prohibeat: alter tamen Canon posteriùs editus, primum videtur corrigere, per quem statuitur, ut sive ante, sive post compaternitatem geniti sunt, simul possint conjungi, exceptâ illâ personâ dumtaxat, per quam ad compaternitatem venitur.* Ita Alex. 3. Salernit. Archiepiscopo. Fortè Coninck voluit hoc cap. citare, & per errorem typographi additum est ly *In* 6. Canon autem, quem hìc citat Pontifex, tanquam posteriùs editus, est Urb. 2. & refertur 30. q. 3. cap. 4.

324. *Resp. Dicast. ad arg. Coninck.* Interim ad hoc argumentum Coninck, respondet Dicastillo sup. n. 245. Quàmvis concederemus, compaternitatem in matre baptizati non oriri immediatè ex Baptismo, sed mediante filio spirituali, oritur tamen non mediante relatione, ut Adversarii volunt, sed mediante generatione spirituali, quæ fit per ipsum actum tenendi, & suscipiendi ex sacro fonte, qui actus

est fundamentum seu conditio fundandi (ut cum dialecticis, aut metaphysicis loquar) tum relationem paternitatis & filiationis spiritualis inter patrinum & baptizatum, tum compaternitatis inter patrinum & matrem; cumque illa generatio spiritualis & actus ille tenendi & suscipiendi, initio quando extitit, non causaverit relationem compaternitatis, propter defectum Baptismi requisiti in Berta matre; posteà verò, quando mater baptizatur, non existat actus generandi spiritualiter, vel tenendi seu levandi ex sacro fonte, nec tunc consurget relatio, atque adeò nunquam; priùs quidem propter defectum in termino, posteà verò propter defectum fundamenti seu conditionis fundandi. Hæc ille.

325. *Oppugnatur.* Sed contrà: etiam in casu, à Coninck adducto, quando proles nascitur, aut baptizatur, deficit fundamentum seu conditio fundandi fraternitatem spiritualem, scilicet susceptio ex sacro fonte; & quando hæc susceptio erat, deficiebat terminus, quia vel nondum nata erat proles, vel nondum baptizata.

Resp. Auctoris. Ad hoc non respondet Dicastillo; ego autem video responderi posse, terminum à principio fuisse, scilicet prolem, non quidem in se ipsa, sed in semine patris; qui erat baptizatus, ut supponitur; atque adeò contraxit cognationem spiritualem pro se, & pro omnibus in semine suo contentis, pro illo tempore quando forent capaces cognationis hujusmodi contrahendæ.

Fuit igitur à principio illa cognatio valida, ut proindè non habeant hic locum dd. Reg. juris: *Non firmatur* &c. *Quod ab initio* &c. At verò in nostro casu quando ambo parentes sunt infideles, actus omninò fuit irritus, id est, non fuit contracta cognatio cum aliqua persona, in qua altera, ad quam posteà extenditur, formaliter vel virtualiter continebatur.

326. *Replica solvitur.* Quinimò, reponit quispiam; contracta fuit cognatio cum puero baptizato. Planè sic est: sed nunquid in puero baptizato formaliter vel virtualiter continentur parentes? Constat quòd non, sed oppositum est verum: nam continentia illa virtualis non est aliud, quàm virtus causæ producendi suum effectum,

Quid si sola mater sit infidelis, pater autem baptizatus. Quid ergò, inquis, si alter dumtaxat parens v. g. mater sit infidelis, pater autem baptizatus? Iam enim patrinus contrahet ab initio cognationem cum patre fideli, mater autem infidelis una est cum ipso caro; cur, putas, illa unitas non sufficiet, ut exurgat in matre infideli cognatio, postquam fuerit baptizata? Nunquid olim cognatio paternitatis & compaternitatis transfundebatur à viro in uxorem, eò quòd essent una caro effecti per copulam carnalem? Prorsùs, ut suprà vidimus.

Igitur tanta videtur esse connexio uxoris cum viro, quanta prolium cum parentibus; si ergò proles nondum natæ contrahebant cognationem in parentibus, quidni & uxor infidelis possit eam contrahere in viro fideli pro eo tempore, quo erit fidelis; sicut proles contrahebant pro illo tempore, quo forent natæ & baptizatæ?

327. Hanc difficultatem non tanguut DD. sed aliam sibi objicit Dicastillo sup. n. 246. dicens: Unum tamen est, quod secundùm hunc modum philosophandi posset ingerere aliquam difficultatem; nempè, si fortè contingat, quo tempore baptizatur quis, etiam matrem alioquin baptizatam esse mortuam, posteà verò per miraculum resurgat; fore concedendum, illam fœminam resurgentem non habere cognationem spiritualem compaternitatis cum baptizante, propter eamdem rationem, imò fortiorem; quia quando extitit generatio spiritualis, non existebat mater illius filij, qui tunc baptizabatur, atque adeò non consurrexit relatio compaternitatis, ex defectu termini; posteà verò, quando mater jam exist it rediviva, non existit generatio, quæ est fundamentum seu conditio fundandi talem relationem. Hoc autem fortasse alicui videbitur durum concedere. Ita Dicastillo. *Alia difficultas ex Dicast.*

Et quid putatis, ipsum respondisse ad hanc difficultatem? Concedit totum; nec video, inquit, inconveniens in eo concedendo: multa enim absurda primo aspectu, quæ reverà non sunt absurda, sequuntur, aut sequi possunt ex prædictis miraculosis resurrectionibus, de quibus suis locis disputandum est, cujusmodi sunt casus mortui professi & resurgentis: nam qui professus erat, si semel mortuus resurgat, non resurgit obligatus Professione, juxtà Multorum sententiam, sicut nec conjugatus resurgit conjugatus & obligatus uxori; tamen hæc non sunt absurda. 328. *Ejus responsio.*

Et quod attinet ad nostrum casum, Sanchez sup. n. 11. & 15. expressè concedit, valere Matrimonium cum illa persona, quæ propter defectum Baptismi non fuit capax cognationis spiritualis, quando hæc fuisset contrahenda, si posteà baptizetur, & tollatur impedimentum disparitatis cultûs. Hucusque Dicastillo. Sanchez.

Rectè quidem ad hanc difficultatem; cùm enim per mortem prius Matrimonium dissolutum fuerit (juxtà illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat*) neque in se ipsa, neque in suo aliquando viro potuit eam cognationem contrahere, quandoquidem dum puer baptizatur, ampliùs non sit suus vir; quid ergò mirum, si post miraculosam resurrectionem à mortuis, non habeat spiritualem cognationem, quæ respectu ejus ab initio omninò fuit nulla? 329. *Approbatur ab Auctore.*

Siquidem, ut suprà audivimus, *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Quippè tempus non est modus inducendæ vel tollendæ obligationis; arg. l. 44. ff. de Oblig. & act. ibi: *Placet etiam ad tempus obligationem constitui non posse.* Quò accidit, ut & sponsalia à minoribus septennio, vel Matrimonium ab impuberibus contractum, tractu temporis non convalescant, eò quòd inutiliter eâ ætate contrahantur. Nisi fortasse, superveniente legitimâ ætate, per novum consensum sponsalia, vel Matrimonium confirmentur expressè vel tacitè; vel nisi ratihabitione meâ, quod malè ab alio gestum *Tempus non est modus inducendæ obligationis.*

ſtum eſt, à me comprobetur. Verùm hæc novo conſenſu, non tractu temporis firmantur.

330. *Occurritur objectioni.* Nec valet, ſi dixeris: etiam in caſu propoſito non firmabitur cognatio tractu temporis, ſed ſuſceptione Baptiſmi. Reſpondetur enim diſparitatem nimis magnam eſſe; videlicet, novum conſenſum eſſe totalem cauſam obligationis, quæ de novo oritur ex ſponſalibus, aut Matrimonio; at verò Baptiſmus parentum infidelium, nullatenùs eſt cauſa iſtius cognationis, ſed ad ſummum reddit parentes capaces contrahendæ cognationis ex Baptiſmo filij, qui ampliùs non eſt, ut ſupponitur, nec ampliùs poni poteſt per quamcumque ratihabitionem prioris Baptiſmi, aut iteratam collationem novi Baptiſmi.

331. *Probatio à ſimili.* Appoſitè Gloſſ. D. Reg. 210. ff. de Reg. juris verb. *Quæ ab initio*: *Si impubes*, inquit, *vel furioſus teſtetur, non valet: licèt pubes vel ſanæ mentis poſtea factus fuerit, ut Inſtit. Qui teſtam. facc. poſſ. §. Præterea.*

Sed cur hòc? Iam enim eſt capax condendi teſtamenti. Planè eſt capax, & ideò teſtamentum, quod nunc facit, valet; licèt non valeat, quod anteà factum fuerat, juxtà D. Reg. *Quæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto* (id eſt, tractu temporis) *convaleſcere non poteſt*: Et tamen hìc etiam reperitur aliquid præter lapſum temporis, ſcilicet pubertas vel ſana mens. Sicut ergò hoc non ſufficit, ut illud teſtamentum valeat; ſic neque in noſtro caſu ſatis eſt, ut parentes jam ſint baptizati, qui erant infideles tempore Baptiſmi, ex quo debebat oriri cognatio ſpiritualis.

Cæterùm, omnes has difficultates evadunt illi, qui docent non baptizatum eſſe capacem cognationis ſpiritualis, æquè ac baptizatum, eamque contrahere ſi baptizet, aut verè ſuſcipiat. Dico: *Verè ſuſcipiat*: quia Multi docent eum invalidè ſuſcipere & non tantùm illicitè; atque adeò nullum, ut ſuprà inſinuavi, ex ſuſceptione hujuſmodi contrahere impedimentum, eſtò baptizando contraheret.

332. *An non baptizatus validè ſuſcipiat in Baptiſmo.* Ita Gloſſ. cap. 202. de Conſecr. Diſt. 4. *In Baptiſmate vel in Chriſmate, non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſè baptizatus, vel confirmatus.* Ubi verb. *Suſcipere*, ſic interrogat: *Sed quid ſi ſuſcipiat?* Reſpondet: *Dicunt quidam, quòd non contrahitur compaternitas: ſecùs ſi baptizet.*

Sotus. Iſti autem Quidam non poſſunt habere aliud fundamentum ſuæ diſtinctionis, quàm quòd Baptiſmus valeat, ſecùs ſuſceptio; ut inſinuat Sotus 4. diſt. 4. q. un. §. *Contrà ſecundam*, in fine, ibi: Quocircà, ut illic ait Gloſſa, ſi infidelis baptizat, contrahit ſubinde affinitatem; non autem ſi ſit ſuſceptor; quia dumtaxat eſt facto, non jure.

333. *Saltem ſuſcipit illicitè.* Et quidem, ſi Sotus intelligat per jus, permiſſionem ſeu approbationem Eccleſiæ, benè optimè negat, infidelem jure ſuſcipere, id eſt, licitè ſuſcipere, id enim ad minùs probat d. cap. 202. Sin autem intelligat irritationem, quaſi infidelis, licèt de facto ſuſcipiat, invalidè tamen, ei contradiximus Parte primâ hujus Operis Diſp. 2. Sect. 6. Concluſ. 4. Nam ly *Non poteſt*, quo utitur d. cap. non ſemper eſt particula irritans, ut ibi oſtendimus, alioquì etiam invalida foret ſuſceptio in Confirmatione ab eo facta, qui non foret confirmatus, quod plurimi negant, ut infrà videbimus.

Probabiliter valet ſuſceptio. Dico ergò rursùm: probabile eſſe, infidelem non ſolùm validè baptizare, ſed etiam validè ſuſcipere; & per conſequens, ſi contrahat cognationis impedimentum baptizando, etiam contrahere idem impedimentum ſuſcipiendo.

334. *An infidelis ſuſcipiendo incurrat impedimentum, ſecùs baptizando.* Quinimò Nonnulli apud Sanchez diſp. 60. n. 4. docent, infidelem baptizantem filium fidelis, non contrahere cognationem; ſecùs ſi teneat in Baptiſmo vel Confirmatione. Quòd baptizans non exerceat eum actum nomine proprio, ſed vice Spiritûs ſancti; at tenens non exerceat nomine alterius, ſed proprio.

Rejicitur ſententia aſſirmans. Sed nobis non placet hæc doctrina: nam etiam fidelis baptizans non exercet eum actum nomine proprio, ſed vice Spiritûs ſancti, juxtà illud D. Aug. tract. 6. in Ioan. ante medium, ibi: *Quid ergo per columbam didicit, ne mendax poſtea inveniretur, quod avertat à nobis Deus opinari, niſi quamdam proprietatem in Chriſto talem futuram, ut quamvis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſive juſti, ſive injuſti, non tribueretur ſanctitas Baptiſmi, niſi illi ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt*: Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. *Petrus baptizet*; Hic eſt qui baptizat: *Paulus baptizet*; *Hic eſt qui baptizat.* Iam autem nullus negat, fidelem baptizantem contrahere cognationem. Et aliundè, non baptizatus Baptiſmo fluminis, poteſt eſſe baptizatus Baptiſmo flaminis.

Quod verò additur: *At tenens non exerceat nomine alterius, ſed proprio*; eſt contrà plurimos Doctores, qui volunt, tenentem id exercere nomine Eccleſiæ; & ideò invalidè tenere, quia non eſt membrum Eccleſiæ; & per conſequens, non facit nomine Eccleſiæ, quod videtur requiri ad valorem illius cæremoniæ, quæ ab Eccleſia eſt inſtitutâ.

335. *Arg. pro ſuſceptione invalida.* Et ſanè, ſi quid probet, hanc ſuſceptionem eſſe invalidam, eſt hoc argumentum, quod nuſpiam invenio ſolutum; & propter ipſum indubiè hæc ſententia, quæ videtur magis communis, ſatis apparet probabilis. Interim, quia etiam ex nullo textu conſtat, hanc cæremoniam debere fieri nomine Eccleſiæ, & Eccleſia potuit velle, ut validè fieret etiam ab infidelibus, quid enim obſtat? Ac aliundè in re dubia præſumitur pro valore actûs; hinc dicimus, talem ſuſceptionem fore validam, ſaltem quoad obligationem inſtruendi, quæ quaſi naturaliter conſequitur talem actum, & cedit in maximum favorem baptizati, quo non oportet eum privare ſinè manifeſto textu.

Et quamvis communiter infideles nequeant inſtruere, cùm ipſimet inſtructi non ſint, propter quod Eccleſia prohibuit, tales admitti ad ſuſceptionem; equidem fieri poteſt, quòd inſtructi ſint, & alios inſtruere poſſint, fortè meliùs, quàm illi qui ſunt baptizati.

336. *Valet hæreticorum ſuſceptio.* Et verò hæretici nonne meliùs poſſunt inſtruere, quàm infideles? Et tamen eorum ſuſ-

ceptio, quàmvis illicita, valida est, si igitur incapacitas instruendi non irritat susceptionem hæreticorum, nec irritabit susceptionem infidelium, saltem quoad obligationem instruendi, quam quisque sibi ipsi potest imponere, & censetur imponere, suscipiendo voluntariè officium, quod talem obligationem habet annexam. Unde hæc obligatio oritur in non baptizato, non tam ex lege Ecclesiæ, quàm propriâ voluntate, quâ se constituit fidejussorem, quod potuisset facere, etiam seclusâ omni lege Ecclesiæ.

337. *In Rit. Rom. infideles conjunguntur hæreticis.* Unde quod bene notandum est, in Rit. Rom. tit. de Sacram. Baptismi §. De patrinis, infideles conjunguntur hæreticis, & aliis, quos prohibet admitti ad hoc munus, tametsi si admittantur, validè suscipiant, ibi. *Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles aut hæreticos* &c.

Neque eo loco fit mentio alicujus cognationis, sed tantùm instructionis, ibi: *Nec qui ignorant rudimenta fidei: Hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.* Sicut ergò ignorantes rudimenta fidei, tametsi instruere non possint, si tamen suscipiant, contrahunt obligationem instruendi vi officij sui; quippè valet eorum susceptio; quid ni similiter infideles?

338. *Probatur infideles contrahere cognationem.* Imò quidni contrahant cognationem spiritualem, quæ non est de substantia hujus muneris, sed quid merè accidentale, quasi effectus, ex decreto Ecclesiæ annexus; contrahant, inquam, eâ ratione, quâ illud impedimentum contrahunt hæretici, & alij ibi enumerati? Nonne ille, qui, tanquam membrum putridum, præcisus est ab Ecclesia per excommunicationem, potest aliquid operari nomine Ecclesiæ? Et tamen validè potest suscipere de sacro fonte, & contrahit suscipiendo impedimentum cognationis spiritualis. Scio hæreticos & excommunicatos habere characterem baptismalem; sed quòd hic requiratur, unde constat? Non utique ex eo, quòd debeat suscipere nomine Ecclesiæ, ut jam ostensum est.

339. *Est sententia Hug. ex Gloss. 30. q. 1. c. 1.* Attendite Glossam 30. q. 1. c. 1. verb. *Ex lavacro*, ubi sic lego: *Dicunt quidam, quòd si suscipio filium judæi de sacro fonte, inter me & ipsum non contrahitur compaternitas; quia nihil ad constitutionem Ecclesiæ de ijs, qui foris sunt, 2. q. 1. Multi. Vnde si judæa postea convertatur ad fidem, possum cum ea contrahere, quia non reviviscit, quod nihil fuit. Dicunt tamen, quod si esset secundùm legem Mosaicam, quòd contraheretur inter eos compaternitas per circumcisionem, sicut nunc per Baptisma contrahitur. Inter susceptum autem & suscipientem in ijs, quæ præcedunt Baptismum, contrahitur vinculum compaternitatis; & licet adhuc non sit in fide, vel in veritate ante Baptismum, ut 28. q. 1. Cave: destinatione tamen quâdam fidelis reputatur, extra de Baptismo.* Majores, *vers.* Si quamvis.

Hugo tamen & R. dicunt, quod inter me & judæam, cujus filium de sacro fonte suscipio, contrahitur compaternitas, unde non possum postea cum illa, ad fidem conversa, contrahere. Item dicit H. quòd bene contrahitur compaternitas inter me & patrem susceptum de sacro fonte, licet sit hæreticus, si aliquando fuerit baptizatus.

Quam Glossam (inquit Pontius lib. 7. cap. 40. n. 1.) à Doctoribus approbatam, in sua summa scribit Auctor Rosellæ verb. *Impedimentum*, impedim. 6. n. 26. Antoninus 3. part. tit. 11. cap. 13. §. 14. Angelus verb. *Matrimonium*, 3. n. 11. Sylvester verb. *Matrimonium*, 8. q. 8. dicto 12. In qua sententia, licèt falsò, creditur esse D. Thomas. 340. *An hæc Glossa sit approbata à DD.*

Negant verò contrahi pauciores; sed inter eos unus, qui pro mille, est D. Thomas, quidquid Sylvester dicat. Nam in 4. dist. 42. q. 1. a. 3. scripsit, cum uxore non baptizata nequaquam cognationem contrahi spiritualem, quia spiritualis vitæ est expers, quæ sententia non unâ probatur ratione. *Pauciores negant contrahi cognationem. An inter illos D. Tho. affirmat Pont.*

Prima est; quia quàmvis certum sit, hæreticum capacem esse ejus cognationis, si gentilis vel infidelis baptizet aliquem, vel suscipiat quempiam, cum eo, quem suscipit, vel baptizat, nullam cognationem spiritualem gignit, cum ejus non baptizatus sit minimè capax. Ergò pari ratione, neque Christianus baptizans, aut suscipiens contrahit cognationem aliquam cùm infideli parente. Antecedens autem docent D. Thomas, Richardus, Paludanus in 4. dist. 42. & testatur Sotus 4. dist. 42. q. 1. art. 3. Hæc ille. 341. *Prima ratio pro hac sententia.*

Prorsùs testatur Sotus, dum ait, Glossam can. *In Baptismate*, quæ distinguit inter baptizantem & suscipientem, ut suprà vidimus, nullâ ratione fulciri. Quamquam ipsemet rationem aliquam assignet. 4. dist. 4. q. un. a. 5. dicens: Quocircà, ut illic dicit Glossa, si infidelis baptizat, contrahit subinde affinitatem; non autem, si sit susceptor, quia dumtaxat est facto, non jure. Sed de hoc suprà satis dictum est. *Quid sentiat Sotus.*

Quantùm ad Paludanum, loco cit. q. 1. a. 1. concluf. 3. n. 8. ad medium, sic ait: De hoc autem quod dictum est in primo, non baptizatum tenentem non contrahere, potest distingui, ut nullo modo baptizatus non contrahat; quia non potest esse quis cognatus in vitâ, quam nullo modo participat; sicut non est de tribu aliqua Judæorum, qui non est de genere eorum: sed catechumenus est jam baptizatus Baptismo flaminis, & in vita spirituali quasi in utero natus, etsi non ex utero: ergò est jam cognatus: ergò sicut puer adhuc in utero existens, licet non agnoscatur consanguineus parentum, antequam animetur animâ rationali, quia inter bruta non est consanguinitas, & embrio priùs vivit vitâ plantæ; tamen postquam est verus homo, jam agnoscitur: unde si mulier primò pariat abortivum, priùs tamen animatum, secundò editus non videtur esse primògenitus, sed secundò; licet quoad aliquid non videatur peperisse filium, quæ edidit mortuum; quia qui in utero est, pro nato reputatur, cum de ejus utilitate agitur. Hæc ille. 342. *Quid Paludanus.*

Ubi, ut vides, admittit non baptizatum Baptismo 343.

Exiſtimat catechumenum poſſe contrahere.

tiſmo fluminis, dummodò ſit baptizatus Baptiſmo flaminis, poſſe contrahere cognationem, non ſolùm imperfectam, tenendo in catechiſmo; ſed etiam perfectam, tenendo in Baptiſmo. Ergò non benè adducitur à Pontio pro ſententia, quæ generaliter docet, non baptizatum non poſſe contrahere cognationem ſpiritualem, ſive baptizando, ſive ſuſcipiendo in Baptiſmo.

Et verò plerique concedunt, ut ſuprà dictum eſt, infidelem catechumenum poſſe contrahere cognationem ex catechiſmo, quæ tamen non oritur, niſi ex ſtatuto Eccleſiæ. Si autem ſubeſt huic ſtatuto, cur non etiam alteri? Quia, inquis, ut dicit Gloſſ. ſup. *Licet adhuc non ſit in fide, vel in veritate ante Baptiſmum, deſtinatione tamen quâdam fidelis reputatur.*

344. *Quare catechumenus potiùs contrahat cognationem ex catechiſmo, quàm ex Baptiſmo.*

Sed quæro ego, quare illa deſtinatio non etiam ſufficit, ut contrahat cognationem ex eo quod baptizet, aut teneat in Baptiſmo? Quia, ais, hæc cognatio eſt perfecta, fides autem catechumeni ſolùm imperfecta, quæ licet ſufficiat pro cognatione imperfecta, haud equidem pro perfecta: niſi velis admittere, catechumenum aliis etiam impedimentis Eccleſiaſticis, puta conſanguinitatis, affinitatis & ſimilibus obligari, quæ enim ratio diſparitatis?

Et idem argumentum formari poſſet contrà illos, qui abſolutè docent infidelem baptizantem, aut validè tenentem contrahere impedimentum dirimens cognationis ſpiritualis; quæri, inquam, poſſet ab illis, cur ſimiliter non adſtringantur aliis impedimentis juris Eccleſiaſtici, à quibus tamen communiter eximuntur, eò quòd non ſubſint legibus Eccleſiæ, quæ non judicat de ijs, qui foris ſunt?

345. *Quare potiùs poſſit obligari hoc impedimento, quàm alijs.*

Hoc argumentum non invenio apud aliquem Auctorem ſolutum, nec apparet facilis ſolutio, niſi retorquendo ipſum & dicendo; catechumenus olim antequam foret baptizatus, obligabatur lege Eccleſiæ prohibente Matrimonium; nam per catechiſmum, qui præcedit Baptiſmum, cognatio ſpiritualis contrahebatur, per quam Matrimonium contrahendum impediebatur jure Eccleſiaſtico; & tamen catechumenus ante Baptiſmum eſt foris, ſive extrà Eccleſiam, & non tenetur aliis impedimentis Eccleſiaſticis.

Et quamvis cognatio ex catechiſmo ſit imperfecta; equidem lex, ex quâ oritur in ratione legis, tam perfecta eſt, quàm ea, ex qua oritur impedimentum dirimens cognationis ſpiritualis; cur ergò potiùs uni, quàm alteri ſubjectus erit? Vide quæ de hac diſparitate diximus Sect. 2. Concluſ. 5.

346. *Incertum eſt, an perſonæ non baptizatæ contrahant hoc impedimentum.*

Igitur, ut finem imponamus huic Concluſioni, certum eſt, contrahi hanc cognationem à perſonis baptizatis; incertum, an etiam perſonæ non baptizatæ eam contrahant; rationes adduximus pro utraque parte: diſpiciat eas lector, & quas deprhenderit magis ſolidas, ne rejiciat; ſed in praxi eas amplectatur, & non errabit in fide aut bonis moribus.

Si autem à me quæratur: an ſicuti non baptizatus, baptizans aut tenens in Baptiſmo non contrahit, ſecundùm probabilem ſententiam, impedimentum ſpiritualis cognationis, quod aliàs contraheret, ſi eſſet baptizatus; an, inquam, conſimiliter non confirmatus, confirmans aut tenens in Confirmatione liber ſit ab hoc impedimento. Item; Utrùm putans ſe tenere Paulum, & eſt Petrus, maneat impeditus? Reſpondeo citiùs:

CONCLUSIO VI.

Contrahit Impedimentum Cognationis Spiritualis non confirmatus, qui ſuſcipit puerum in Confirmatione; neque obſtat error Perſonæ.

347. *Supponitur 1.*

SUpponamus ea, quæ certa ſunt. In primis: hoc impedimentum contrahit non confirmatus, qui ſuſcipit puerum in Baptiſmo. Quippè nuſpiam ea ſuſceptio interdicitur, nedum irritatur, eſtque membrum Eccleſiæ per Baptiſmum.

Secundum ſuppoſitum.

Secundò: Omnes admittunt, Epiſcopum non confirmatum, ſi puerum confirmet, veram contrahere cognationem; quàmvis enim fortè illicitè id faciat, validè tamen, juxtà commiſſivam ſententiam, de qua tractavimus proprio loco, ſcilicet Parte primâ hujus Operis Diſp. 3. Sect. 3. Concluſ. 5. in principio.

348. *Ex hoc probatur 1. pars Concluſ.*

His ſuppoſitis tanquam indubitatis; probatur prima pars concluſionis primò, ex ſecundo ſuppoſito: quæ enim ratio diſparitatis, ut magis Epiſcopus confirmans, quàm ſuſcipiens contrahat cognationem?

Cujus oppoſitum docet Sanchez.

Reſpondet Sanchez lib. 7. diſp. 60. ubi n. 20. adhæret oppoſito noſtræ Concluſionis, tamquam probabiliori, reſpondet, inquam, diſparitatem eſſe, quòd Epiſcopus, non inſignitus charactere Confirmationis, conferat verum Sacramentum Confirmationis, juxtà Omnes; at non eſt verus ſuſceptor.

349. *Probat, Epiſcopum non confirmatum haud valide poſſe ſuſcipere in Confir.*

Sed de hoc quæritur inter Doctores, an ſit verus ſuſceptor; & quòd non, probatum oportuit, non ſuppoſitum. Probatur, inquis, ex cap. *In Baptiſmate*, de Conſecr. diſt. 4. *In Baptiſmate vel in Chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum ipſe, qui non eſt baptizatus vel confirmatus.* Quod verbum, *Poteſt*, (inquit Sanchez ſup. n. 20.) præpoſitâ negatione, tollit potentiam, & reddit actum nullum.

Reſp. Dicaſt.

Reſpondet Dicaſtillo hìc diſp. 7. n. 254. (ubi docet noſtram Concluſionem tamquam probabiliorem) de particula negativa præpoſita verbo, *Poteſt*, non eſt admodum certum, quin alij id negent; & licet in illis alijs textibus, quos allegat Sanchez lib. 6. diſp. 38. n. 20. ſignificetur, non ſolùm actum eſſe illicitum, ſed nullum; id locum habet, tum ratione materiæ, tum aliarum circumſtantiarum.

350. *Ly Non poteſt.*

Et ſanè ſatis per ſe clarum videtur, verbum: *Non poteſt*, etiam in phraſi juris, non ſemper ſignificare actum fore invalidum, aut nullum, ſi poteſt.

atten-

non semper significat actum invalidum.

attentetur; sat enim est, quòd sit illicitus. Sic rectè & benè dicimus, eum qui habuit votum Castitatis & Religionis, non posse Matrimonium inire & consummare; non quia, si fiat, factum non teneat; sed quia contrà jus & fas. Unde ortum habuit illud vulgare Iurisperitorum axioma: *Id tantùm possumus quod jure possumus.* Quare quòd præponatur particula, *Non*, verbo, *possunt*, non sufficit ad colligendam actûs nullitatem. Hæc ille.

Vide quæ diximus de hac re Part. 1. Disp. 2. Sect. 6. Conclus. 4. n. 53. & 54. ubi latiùs probavimus, ly, *Non potest*, in dicto can. *In Baptismate*, non importare nullitatem susceptionis in Baptismate.

351. *Ly* Non potest, *est indifferens ad plura significandum.*

Atque ut eam importaret, adhuc non sequitur, etiam susceptionem in Confirmatione esse nullam: quippe ly, *Non potest*, cùm ex se indifferens sit ad sensum irritantem, & solùm prohibentem; ut significet negationem potentiæ facti, aut solius juris; ut inducat necessitatem impotentiæ ad oppositum actum quoad valorem ejus, aut necessitatem solius obligationis; ut tollat potentiam solùm civilem, seu ad se obligandum civiliter, vel etiam naturaliter; quid hic & nunc determinatè significet, colligi debet ex subjecta materia, aut alijs circumstantijs. Jam autem ex subjecta materia colligunt Aliqui, significare irritationem susceptionis in Baptismo, secùs in Confirmatione.

352. *Quare potius significet irritationem in Bapt. quam in Confir.*

Siquidem non confirmatus habet esse spirituale, & est membrum Ecclesiæ per Baptismum, ut supponitur; secùs non baptizatus; & ideò, secundùm hos Doctores, Ecclesia, cujus typum gerit patrinus in Baptismo, voluit irritam esse susceptionem in Baptismo, secùs in Confirmatione.

Respondetur ex Sanchio suprà: Quàmvis habeat vitam spiritualem ratione Baptismi: at non habet conditiones petitas ab Ecclesia, ut verus susceptor sit, ut constat ex cap. *In Baptismate* &c. Quia is textus decidit, infidelem non posse esse susceptorem in Baptismo, quod idem decidit textus de fideli non confirmato, dicens eum non posse esse susceptorem in Confirmatione.

353. *Fundamentum sententiæ Sanchez.*

Et ratio hujus decisionis fuit; quia sicut in naturalibus, ut quispiam generare valeat, exigitur ultrà vitam, debitum ejusdem vitæ robur: ita ad susceptionem in Confirmatione, quæ habet rationem regenerationis, inquantùm robur ad conservandam vitam spiritualem Baptismi confert, oportuit, ut patrinus robur vitæ per Confirmationem obtinuerit, utpotè qui representat tenens puerum ejus imbecillitatem in fide ac indigentiam, ut ab alio fortiori sustentetur. Ita Sanchez. Estque totum fundamentum suæ sententiæ.

354. *Evertitur à Dicast.*

Quod utique benè evertit Dicastillo sup. n. 255. dicens: In ijs quæ per metaphoram & allegoriam dicuntur talia, non semper in omnibus servanda est proportio generaliter loquendo. Descendendo autem ad nostrum casum, & cognationem spiritualem Patrini, patet, non esse necessarium ad spiritualiter, metaphoricè generandum, expectare aliquod vitæ robur acquirendum; nam eo ipso quòd quis est baptizatus, finè ulla Confirmatione & novo robore vitæ fidei, potest immediatè esse Patrinus alterius, qui baptizetur.

Frustrà ergò requiritur in hac metaphorica vita novum robur per analogiam ad vitam & generationem naturalem: sicut frustrà, imò falsò, requiret quis ipsam vitam Baptismi, ut alterum baptizando generet per Baptismum: imò, ut dicebamus pro prima sententia, Episcopus, non habens Sacramentum Confirmationis, potest validè causare generationem (ut sic dicam) Confirmationis, & verum Sacramentum conferre; ergò non est necessaria vita, seu robur vitæ ad contrahendam prædictam cognationem ejusdem generis. Hucusque Dicastillo.

355. *Confirmatur sententia Sanchez.*

Sed dicet aliquis, estò sit aliqua disparitas inter unam & aliam materiam, id est, inter susceptorem non baptizatum in Baptismo, & susceptorem non confirmatum, baptizatum tamen, in Confirmatione; equidem Ecclesia potuit utramque susceptionem invalidare; & certè invalidasse, videtur probari ex doctrina quadam Suarij lib. 5. de Leg. cap. 31. n. 14. ubi scribit, materiam, & alias circumstantias considerandas esse, ut plenum judicium illius verbi, *Non potest*, feratur.

Potestque (inquit) in primis considerari, an actus, cui forma præscribitur, pendeat ex potestate concessa à Principe vel Republica, vel ab auctoritate juris; ut est sententia, electio, alienatio bonorum communium, vel Ecclesiasticorum, & quælibet administratio publica, vel quæ publicâ actoritate fit; ut est officium tutoris, seu curatoris, & similia: an verò sit actus propriæ auctoritatis & dominij; ut est facere testamentum, alienare res proprias, &c.

356. *Quando præsumendum ly* Non potest, *irritare actum. ex Suario.*

In priori enim genere actionum valdè probabilis præsumptio est, ubi lex prohibet actum vel modum actûs, cum clausula: *Non posit*, vel, *Non posit aliter*, limitare ipsam potestatem, ita ut actus aliter factus sit invalidus; tum, quia videtur lex loqui de potestate, quam ipsa vel Princeps concedit; tum etiam, quia idem, qui dat potestatem, censetur tunc ponere formam, & ita procedit regula supradicta, quòd illa forma sit substantialis. Ita Suarez.

357. *Susceptio in Sacramento non est actus propriæ auctoritatis.*

Quæ profectò doctrina, si vera foret & certa, videri alicui posset, etiam certum esse, quòd Episcopus non confirmatus non sit verus susceptor, ut vult Sanchez. Quippè susceptio sive in Baptismo, sive in Confirmatione, non est actus propriæ auctoritatis aut Dominij, sed pendet ex potestate concessa ab Ecclesia, quæ cùm prohibeat actum cum clausula: *Non potest*, videtur limitare velle ipsam potestatem, ita ut actus aliter factus, sit invalidus.

Et quidem non est dubium, quin lex illa Ecclesiæ usu potuerit eo sensu recipi, & manere recepta: an autem recepta fuerit, non satis mihi constat; hoc scio, communiùs à Doctoribus eo sensu intelligi: quia tamen & contrarius sensus suos habet fautores, & satis multos quantùm ad susceptionem

ſuſceptionem in Confirmatione, de qua hîc tractamus; & aliundè irritatio actûs odioſa eſt, perſiſto in Concluſione, & ad propoſitum argumentum ex adverſo,

358. *Repp. ad arg. ſup. pro Sanchio addutum.* Reſpondeo: non conſtare, Eccleſiam ab initio inſtituiſſe hanc cæremoniam, ut ſolùm poſſet fieri à confirmato; nam ipſius meminit Igi-nus Papa (qui ſedit anno 154.) ut refertur cap. 100. de Conſecr. Diſt. 4. *In Catechiſmo, & in Baptiſmo, & in Confirmatione unus patrinus fieri poteſt, ſi neceſſitas cogit* &c. Concilium porrò Moguntinum primum, nam plura ſunt, celebratum fuit ſub Leone IV. qui ſedit anno 851. ac proindè dictum cap. *In Baptiſmate*, quod in Decret. Grat. dicitur deſumptum ex Concilio Moguntino, multis ſæculis præceſſit inſtitutio hujus cæremoniæ.

Fuitque hoc Concilium tantùm provinciale, adeoque non potuit immutare priſtinam inſtitutionem univerſalis Eccleſiæ, & reddere ſuſceptionem invalidam, ſaltem pro tota Eccleſia, quæ anteà erat valida, neque præſumendum eſt id voluiſſe facere, etiam pro ſola illa provincia, in qua Concilium illud celebrabatur; cùm non ſoleant Concilia provincialia immutare conſtitutiones univerſalis Eccleſiæ, maximè in his, quæ ſpectant ad Sacramẽtorum adminiſtrationem, in qua oportet eſſe magnam conformitatem inter particulares Eccleſias, propter inconvenientia, quæ aliàs orirentur.

359. *Objectio.* Dices: Univerſalis Eccleſia recipit illam prohibitionem Concilii Moguntini in ſuo Pontificali, Clem. 8. juſſu reſtituto ac edito. Siquidem Tit. de Sacramento Confirmationis ſic lego: *Nullus qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione patrinus.*

Solvitur. Benè legiſti. Sed nunquid attendiſti ad ea verba, quæ mox ſubduntur? Videtur quòd non. Attende ergò nunc: *Nec pater aut mater, maritus aut uxor.* Et verò cenſes, patrem aut matrem, maritum aut uxorem invalidè ſuſcipere? Nunquam legiſti cap. 1. 30. q. 1. in quo jubentur ſeparari viri ab uxoribus, qui aliquo caſu natos proprios coram Epiſcopo tenent?

360. *Confirmatur ſolutio.* Atque ut non deberent ſeparari, ſive ex ſcientia, ſive ex ignorantia id feciſſent, ut poſteà Eccleſia videtur conſtituiſſe, de quo alibi tractabimus; hinc non ſequitur, ſuſceptionem fuiſſe invalidam; ſed Eccleſiam miſericorditer indulgere petitionem, & redditionem debiti, ob majora inconvenientia evitanda.

Itaque Pontificale Romanum acceptavit conſtitutionem Concilij Mog. non tamquam irritantem, ſed merè prohibentem, cùm eiſdem verbis prohibeat actum illum, ſcilicet per clauſulã: *Non poteſt*, patri aut matri, marito aut uxori; cùm tamen communis ſententia doceat, has perſonas validè ſuſcipere.

361. *Plures ſunt perſonæ, quæ illicitè, validè tamen ſuſcipiunt.* Et aliæ plures perſonæ ſunt, ut Religioſi, excommunicati, &c. quæ etſi illicitè, validè tamen ſuſcipiunt in hoc Sacramento. Idque nullus negat; ſed reſpondet Sanchez ſup. n. 21. textus, qui prohibent Religioſis hanc ſuſceptionem; putà, c. *Placuit cõmuni*, 16. q. 1. & cap. *Non licet*, de Conſ. diſt. 4. non uti verbo aliquo, factum irritante.

Fateor; ſed nego, verbum: *Non poteſt*, ſemper eſſe irritans; & aſſero, impræſentiarùm, vel ex materia ſubjecta, vel ex alijs circumſtantijs ſatis conſtare de ſenſu non irritante, quidquid ſit de ſuſceptore non baptizato. Plura de Patrino Confirmationis vid. Part. 1. hujus operis diſp. 3. Sect. 3. Concluſ. 6.

362. *An error perſonæ invalidet ſuſceptionem.* Pergo ad alteram partem Concluſionis; quæ etiam ſub judice eſt, & cui contradicitur à Sanchio ſup. n. 7. veriùs exiſtimãte, errorem perſonæ invalidare ſuſceptionem; ac proindè non contrahi per eã cognationis impedimentum. Conſequentia eſt evidens, ſed Antecedens à multis negatur.

Invalidare probat Sanchius. Probatur autẽ à Sanchio, primò: ex cap. 2. de Cogn. ſpir. ubi deciditur, conjugem quæ per ignorantiã levavit filium mariti, non arceri à debiti petitione. Secundò: quia reverà hic non intendebat exercere actionem illam veri Patrini ergà hunc, quem levavit: ergò deficit intentio quæ neceſſaria eſt.

363. *Oppugnant probatio.* Sed hæc argumenta ſunt parvi momenti. Incipiam ab ultimo. Conſentio Sanchez, intentionem levandi fore neceſſariã, quod probavi part. 2. 1. diſp. 2. Sect. 6. Concl. 3. in princ. Nego autẽ in caſu propoſito defeciſſe intentionem; ſicut in ſimili non deficit intentio, quando quis baptizat Paulum, putans eſſe Petrum.

Reſp. Sanchez. Reſpondet Sanchez ſuprà Miniſtri Sacramentorũ tenentur animũ habere miniſtrandi Sacramentũ præſenti, quicumque ille ſit. At Patrinus non tenetur habere eam intentionẽ, & verè eligitur ad perſonam determinatã, ut contingit in Matrimonio, quod ratione erroris perſonæ vitiatur.

364. *Rejicitur.* Prorsùs vitiatur Matrimonium; quia multùm intereſt, cum qua perſona quis contrahat, ut conſtat ex alibi dictis, at verò nihil vel parùm intereſt, quam perſonam quis ſuſcipiat, ſicuti parùm aut nihil intereſt, quàm perſonam quis baptizet; & ideò ſicut baptizans tenetur habere intentionem generalem, ſeu indeterminatam, baptizandi quamcumque perſonam præſentem, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis; ſic itidem ſuſcipiens tenetur habere intentionem ſuſcipiendi quamcumque perſonam præſentem, ne notabilis illa cæremonia omittatur, & baptizatus aut confirmatus careat ſpirituali fidejuſſore, quem alioquì haberet, & Sacramento ſemel validè miniſtrato, nequit in poſterum accipere. Et aliundè non magis eligitur ſuſceptor ad determinatam perſonam, quam baptizans, neque majora inconvenientia ſequuntur ex uno errore, quàm ex alio.

365. *Primum fundamentum Concluſ. ex Dicaſt.* Hoc itaque ſit primum fundamentum noſtræ Concluſionis: quia non eſt, cur negemus (inquit Dicaſt. ſup. n. 271. ubi noſtrã tenet ſententiam tamquam probabiliorem) quòd ſicut baptizans debet habere intentionem baptizandi illum, quẽ præſentem habet, talemq; cenſetur habere, quoties non habet intentionẽ contrariã, ita ſimiliter tenens, ſeu levans ex fonte ſacro debeat velle tenere & levare illũ, quẽ preſentẽ habet, idq; cenſetur velle, quoties non habet oppoſitã voluntatẽ. Undè etiam idẽ Sanch. putat hanc opinionẽ ſatis

probabilem. Atque in alijs actionibus hoc ipsum sæpè contingere solet. Illud meritò concedit ipse Sanchez, & communiter Doctores, quòd si habeat intentionem suscipiendi præsentem, quicumque ille sit, talis cognatio omninò contrahatur. Hæc ille.

Et quid mirum, cùm etiam talis intentio sufficiat ad contrahendam obligationem matrimonialem, etsi reverà erretur in persona? Nam solùm est error speculativus, ut suo loco latiùs explicavimus. Solùm differentia est, quòd talis intentio non præsumatur in Matrimonio, sicut præsumitur in Baptismo, & susceptione, saltem communiter.

366. *Limitatur.* Quod addo; quia fortè tales occurrerent aliquando circumstantiæ, in quibus meritò oppositum præsumeretur, videlicet noluisse suscipere, nisi hanc determinatam personam. Et si suscipiens reverà habuerit hanc actualem voluntatem, sive rationabiliter, sive irrationabiliter, liquet profectò, susceptionem hujusmodi non valuisse; atque adeò susceptorem nullam ex eâ contraxisse cognationem. Sed, sicut dixi, communiter talis voluntas non præsumitur, ast opposita.

367. *Resp. ad c. 2. de Cog. spirit. c. Coninck.* Quid ergò, inquis, ad d. cap. 2. de Cognat. spirit? Miror (inquit Coninck disp. 32. n. 34. ubi tenet nostram Conclusionem) viros doctos hoc caput pro ea sententia citare, cum in eo apertè idem planè dicatur de eo, qui scienter filium suæ conjugis susceperit, quem tamen constat contrahere cognationem spiritualem. Et eodem capite apertè innuitur, utrumque contrahere hanc cognationem; ob alias tamen causas, ibi relatas, deciditur, neutrum ab uxore separandum. Sic ille.

Verba d. cap. 2. Hæc sunt verba d. cap. *Si vir vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant. Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd quàmvis generaliter sit institutum, ut debeant separari: quidam tamen humaniùs sentientes, alter statuerunt. Ideoq; nobis videtur, quòd sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi: nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

368. *Conjuges suscipientes proprias proles olim debebant separari. per c. 1. & 2. 30. q. 1.* Quæris: ubi generaliter sit institutum, ut debeant separari? Respondet Glossa ibi verb. *Institutum*, Respondet, inquam, 30. q. 1. c. 1. & 2. Et verò propter quid, putas, tunc temporis debuisse separari? Sanè non propter aliam causam, quàm cognationem spiritualem, contractam ex susceptione proprij filij, etiam ignoranter; sic enim incipit d. cap. 1. *Pervenit ad nos Diaconus vester, Sanctitatis vestræ epistolam deferens, quòd quidam viri & mulieres, præterito Sabbatho Paschali die, præ magno populorum incursu, nescientes proprios filios suscepissent ex lavacro sancto* &c. Et infrà. *Beatæ memoriæ sanctissimi Patres, Iulius, Innocentius, & Cælestinus cum Episcoporum plurimorum, & Sacerdotum consensu, in Ecclesia Apostolorum Principis prohibentes talia præscripserunt, & confirmaverunt, ut nullo modo se in conjugium reciperent mulieres ac viri, quicumque aliquâ ratione susciperent natos proprios, sed separent se, ne, suadente diabolo, tale vitium inoleſcat.* Igitur non requiritur scientia ad contrahendam cognationem, saltem pro tunc non requirebatur.

Et quàmvis hoc jus posteà correctum sit quantùm ad separationem, ut significatur d. cap. 2. ibi. *Quidam tamen humaniùs sentientes aliter statuerunt*, ut refertur 30. q. 1. c. 4. 5. & 7. scilicet neutrum ab uxore separandum; nunquid propterea sublatum fuit impedimentum cognationis spiritualis, ita ut, si mutuò se polluerent extrà copulam, non peccarent peccato incestûs? 369. *Hoc jus hodie correctum est, quantum ad separationem.*

Enimverò textus allegati solùm concedunt redditionem & petitionem debiti; quia durissimum foret, si à copula deberent abstinere ac ab invicem separari; quòd autem abstineant ab alijs immunditijs (à quibus alioquì jure naturæ tenentur abstinere) ex speciali motivo, scilicet propter reverentiam debitam commatribus & compatribus, nulli durum videri debet, sed oppidò rationabile. *Manet cognatio spir.*

Et sanè si susceptio proprij filij, facta ex ignorantia, invalida est, ac proindè nullam parit cognationem spiritualem; quid opus erat, ut jure expresso concederetur tali casu petitio debiti? *Probatio.*

Si respondeas: quia alioquì fuisset orta cognatio spiritualis, & per consequens petitio debiti facta illicita; sicuti quando affinitas supervenit Matrimonio contracto, redditur illicita petitio debiti, nisi dispensetur in illa petitione. 370. *Resp. Adversariorum.*

Contrà 1. ex invalida susceptione non potest oriri cognatio. Secundò; nunquid quia dispensatur in illa petitione, ideò ablatum est impedimentum affinitatis, quoad alios actus inhonestos, alioquì ex natura sua illicitos, ita ut in eis non reperiatur malitia incestûs? Valde dubito, si reverà alij actus inhonesti, præter copulam ordinariam, habeant malitiam incestûs, ut putat Card. Lugo de Sacram. Pœnit. disp. 16. sect. 6. n. 346. cujus sententia mihi magis probatur. *Oppugnatur.* *Lugo.*

Ergò similiter in casu nostro, tametsi jure communi concessa sit petitio debiti illi, qui nescienter suscepit proprium filium, inde non clarè sequitur, impedimentum fore sublatum, nisi tantùm quoad istum actum, quem alioquin non posset licitè exercere.

Multò minùs sequitur, errorem cujuscumque personæ irritam reddere susceptionem, ut benè advertit Pontius lib. 7. cap. 39. n. 9. in fine, ibi: Unde etiam, si per errorem levet filium Petri, existimans esse filium Ioannis, reverà contrahit cognationem: error enim ille non impedit fidejussoris & patris spiritualis officium, quidquid Alij dicant; est enim error personæ in hoc casu circà accidentalia. 371. *Quid Pontius sentiat de hac controversia.*

Neque eadem ratio est de uxore, quæ per ignorantiam levat mariti filium. Tum, quia de eo est expressa juris decisio, ut dicam posteà, ex quo totum id impedimentum pendet. Tum etiam, quia supervenit Matrimonio contracto, & ita non mirum, si ignorantia excuset à cognatione. Quare non probo in hoc sententiam Tho. Sanchij lib. 7. disp. 38. à. num. 7. Ita Basilius.

Non

372. *Ignorantia excuſat à partiali cognatione.*

Non mirum, inquam, ſi ignorantia excuſet à cognatione, intellige partiali, id eſt, ab aliquo effectu, ut ſic loquar, cognationis, putà privatione uſûs Matrimonij jam contracti; quia hoc duriſſimum eſſet. Interim cur non maneat obligatio inſtruendi; & caſu quo prius Matrimonium foret invalidum, aut per Deum diſſolveretur, cur Matrimonium de novo poſt contractum non eſſet irritum? Tu cogita.

Plura hîc pertractanda eſſent, nimirùm de numero Patrinorum, ſuſceptione per procuratorem & ſimilia, niſi alibi ſufficienter diſcuſſa & examinata forent, nempè Parte 1. hujus operis Diſp. 2. Sect. 6. Concluſ. 3. & ſequentibus, item diſp. 3. Sect. 3. Concluſ. 6. Videantur ibi dicta, ne ea repetendo, ſinè aliquo fructu opus nimiùm excreſcat. Progrediar itaque ad cognationem legalem, pro qua inſtituitur.

CONCLUSIO VII.

Cognatio Legalis impediens, ac dirimens Matrimonium, provenit ex perfecta adoptione, ſeu arrogatione; fortè etiam ex imperfecta.

373. *Sententia Scoti de cognatione legali.*

DE cognatione legali ſequentia verba lego apud Doctorem Subtilem 4. Diſt. 42. q. un. n. 3. *Iuxtà quod notandum, quòd cognatio legalis impedit etiam Matrimonium, de qua habetur extrà de cognatione legali capitè unico*: Si qua per adoptionem ſoror mihi eſſe cœperit, quamdiù durat adoptio, inter me & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. *Et Gloſſa ſuper illo capite dicit, quòd illud verum eſt, ſive cognatio legalis ſit per arrogationem, ſive per adoptionem. Dicimus autem arrogari illum, qui ſui juris eſt, & per arrogationem tranſit in noſtram poteſtatem: & fit arrogatio auctoritate Principis; adoptio fit per quemlibet Magiſtratum: nec adoptatus tranſit in poteſtatem adoptantis, ſed remanet in poteſtate ſui patris: & tam adoptati, quam arrogati, dicuntur filij adoptivi, & inter fratres adoptivos & naturales impeditur Matrimonium, quamdiu durat adoptio.* Ita Scotus.

374. *Videtur tenere, ex imperfecta adoptione oriri cognationem, ex Hiquæo.*

Ubi videtur approbare opinionem Gloſſæ, cùm eam non improbet, neque oppoſitæ opinionis expreſsè meminerit. Undè Hiquæus in ſuo Commentario ad hunc locum n. 7. ait: Scotum cum citata Gloſſa tenere, etiam ex imperfecta adoptione oriri impedimentum cognationis legalis; quod indubiè probabile eſt, imò magis commune, ut videre poteris apud Sanchium lib. 7. diſp. 63. n. 8.

Sed antequam eam opinionem probo vel improbo, placet paulò diffuſiùs explicare naturam adoptionis, ejuſque diviſionem in perfectam & imperfectam: quippè cognatio legalis eſt quaſi effectus aliquis adoptionis, ex eaque oritur, ſicut affinitas ex copula.

375. Igitur lib. 1. ff. tit. 7. definitur adoptio: *Legis actio, quâ, qui mihi filiusfamilias non eſt, ad vicem filijfamilias redigitur.* Ex qua definitione patet, adoptionem jure civili eſſe inſtitutam, ad inſtar generationis cujuſdam naturalis, ut ſicuti per generationem naturalem, qui mihi filius familias non eſt, incipit eſſe verus ſeu naturalis filiusfamilias, ita per adoptionem, qui mihi filiusfamilias non eſt, incipiat eſſe filius adoptivus, ſive ad inſtar, ſeu ad vicem filijfamilias naturalis.

Quid ſit adoptio.

Eſt inſtituta jure civili.

Nam, ut dicit Iuriſconſultus dict. tit. de Adoptionibus, l. 1. *Filiosfamilias non ſolùm natura, verùm & Adoptiones faciunt. Quod adoptionis nomen eſt quidem generale, in duas autem ſpecies dividitur: quarum altera adoptio ſimiliter dicitur, altera adrogatio. Adoptantur filijfamilias; adrogantur, qui ſui juris ſunt.*

376. *Dividitur in duas ſpecies.*

Ubi Gloſſa in expoſitione caſûs: *Filiumfamilias* (inquit) *fieri dupliciter contingit: nativitate ſcilicet & adoptione. Porrò adoptionis duæ ſunt ſpecies: harum altera adoptio, altera adrogatio dicitur. Adoptantur imperio Magiſtratûs, qui in patris naturalis poteſtate ſunt: adrogantur, qui ſui juris ſunt, idq; Principis auctoritate, quorum etiam liberi in adrogantis poteſtatem tranſeunt. Iam ſpadones, & ſi generare non poſſint, adoptare tamen poſſunt, quod caſtratis non eſt permiſſum.*

Filiusfamilias duobus modis fit.

Hinc Gajus lib. 1. Inſtit. (& refertur l. 2. eod) *Generalis adoptio duobus modis fit: aut Principis auctoritate, aut Magiſtratus imperio. Principis auctoritate adoptamus eos, qui ſui juris ſunt: quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio; Nam & is, qui adoptat, rogatur, id eſt, interrogatur, an velit cum, quem adopturus ſit, juſtum ſibi filium eſſe: & is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. Imperio Magiſtratûs adoptamus eos, qui in poteſtate parentis ſunt: ſive primum gradum liberorum obtineant, qualis eſt filius, filia: ſive inferiorum, qualis eſt nepos, neptis, pronepos, proneptis.*

377. *Generalis adoptio duobus modis fit, ex l. 2. ff. de Adopt.*

Illud utriuſq; adoptionis commune eſt, quòd & hi, qui generare non poſſunt, quales ſunt ſpadones, adoptare poſſunt. Hoc verò proprium eſt ejus adoptionis, quæ per Principem fit, quòd is, qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe adrogandum dederit, non ſolùm ipſe poteſtati adrogatoris ſubjicitur: ſed & liberi ejus in ejuſdem fiunt poteſtate tamquam nepotes.

Quid utriuſque adoptionis ſit commune, & quid proprium.

Hæc latiùs volui referre ex jure civili, quia in aliquo puncto videntur diſſentire Theologi, quamvis, re benè conſideratâ, non diſſentiant. Ecce verba Doctoris Seraphici, quibus perſtringit totum hoc impedimentum cognationis legalis, 4. diſt. 42. a. 2. *Primò ſciendum, quòd cognatio legalis ita deſcribitur*: Cognatio legalis eſt proximitas proveniens ex adoptione. *Oritur autem triplex proximitas ex adoptione. Vna eſt quaſi deſcendentium, quæ attenditur inter adoptantem & filiam vel neptem adoptatam. Alia eſt quaſi à latere, ſcilicet illa, quæ eſt inter filium naturalem, & filiam adoptivam. Tertia verò eſt quaſi quædam affinitas inter adoptatum & uxorem adoptantis, vel adoptantem & uxorem adoptati. Hæ ſunt ſpecies de quibus parùm dicitur in jure Canonum*: Multùm verò in jure civili, ut infrà videbimus.

378. *Doctrina D. Bonav. de hoc impedimento.*

Secundò (proſequitur D. Bonaventura) *intelli-*

telligendum est, quòd ista cognatio, sicut patet per rationem suam, contrahitur per actum adoptandi. Adoptare autem, est extraneam personam in filium, vel filiam, vel nepotem, vel deinceps legitimè assumere.

Quid sit adoptare.

379. Rogas: quæ sit extranea persona? Respondeo: quæ non est in potestate adoptantis, sive sit consanguinea, sive non. Legitima autem assumptio dicitur, quæ fit secundùm formam legis. Hinc idem Doctor: *Legitima*, inquit, *assumptio dicitur; quia non omnis persona potest omnem adoptare. Nam adoptare non potest mulier, nisi ex rescripto Principis sibi concedatur in solatium filiorum. Iste enim actus est propriè virorum.* Instit. de Adopt. ibi: *Fœminæ quoque adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in sua potestate habent, sed ex indulgentia Principis, ad solatium liberorum amissorum adoptare possunt.* At hæc ratio non probat, nisi fœminam non posse adrogare. Quare l. 5. Cod. de Adopt. sic scriptum reperio: *Mulierem quidem, quæ nec suos filios habet in potestate, adrogare non posse certum est &c.*

Quæ ju hic extranea persona, & quæ legitima assumptio.

380. Sed pergamus in S. Bonavent. *Item*, inquit, *non omnium* (est adoptare) *quia adoptare non potest minor 20. annis, nisi forte justa causa interveniat. Ille verò potest adoptare, qui paterfamilias est, & sui juris, & potest generare; nam spado vel frigidus non potest adoptare. Quilibet autem potest adoptari, sive masculus sit sive fœmina, dummodò sit minoris ætatis patre adoptivo.* (Instit. de Adopt. §. 5. *Minorem natu majorem non posse adoptare placet. Adoptio enim naturam imitatur, & pro monstro est, ut major sit filius quàm pater.*)

Qui possint adoptare.

Qui possint adoptari.

Vnde sive sit minor sive major, sive habeat patrem sive non, adoptari potest, differenter tamen. Qui enim sui juris est, dicitur arrogatus, & transit in potestatem arrogantis; qui autem est in potestate patris, non transit in potestatem adoptantis, & dicitur simpliciter adoptari. Primum debet fieri auctoritate Principis, secundum imperio Magistratûs. Alia etiam differentia est, quia adoptans filio arrogato tenetur relinquere quartam partem bonorum, filio adoptivo nihil, si non vult,

Quis dicatur arrogatus.

differentia inter filium arrogatum, & adoptum.

Intellige per testamentum, nam ob intestato etiam adoptivus est hæres necessarius. Instit. de Adopt. §. *Sed hodie.* in fine: *Licet ab intestato jura successionis ei à nobis tributa sint.*

Porrò quæ hìc Doctor Seraphicus tradit, eadem propè lego apud Sanchez sup. Disp. 63. n. 3. Multæ, inquit ille, conditiones desiderantur, ut alicui integrum sit alium adoptare. Prima, ut adoptans sit sui juris, & major 25. annis. Ratio est; quia si non sit sui juris, & major 25. annis, bona sua administrare nequit.

381. *Conditiones requisitæ in adoptante, ex Sanchez. Prima.*

Secunda. Secunda est, ut sit vir, nam fœminæ adoptare nequeunt, nisi ex privilegio Principis; Cùm nec filios carnales habeant in potestate.

382. *Tertia.* Tertia, ut possit generare, vel si non possit, id non sit ex defectu naturali, sed ex casu accidentario. Quare frigidi adoptare non possunt, eò quòd sunt naturaliter impotentes, l. 2. ff. de Adopt. Et ratio est quia adoptio instituta est ad supplendum liberorum defectum: & ideò illis solis conceditur, qui naturaliter generare possunt. At gladio castrati adoptare possunt: quia sunt impotentes ex accidenti.

Quarta, ut ita excedat ætate adoptatum, ut possit esse ejus pater naturalis; imò decem & octo annis debet eum excedere. Arrogare verò nequit, qui quadraginta annos non nactus est. Hæc omnia habentur Instit. de Adopt. & tradit latè Sylvester verbo, *Adoptio*, q. 5. *Quarta.*

Hinc fit Sacerdotem posse adoptare. Quia naturaliter non est impotens ad generationem. Sic Hostiensis. c. un. n. 4. de Cognat. legal. & ibi Abbas n. 4. Sylvester verb. *Adoptio*, q. 5.

Potest autem adoptari quilibet, sive masculus sive fœmina, dummodò sit præsens; quippè absens nec adoptare, nec adoptari potest, etiam per procuratorem, l. 24. ff. de Adopt. *Neque absens neque dissentiens adrogari potest.* Et l. 25. eod. *Neque adoptare, neque adrogare quis absens, nec per alium cujusmodi solemnitatem peragere potest.* Hùcusque Sanchez. 383. *Quilibet potest adoptari, dummodò sit præsens.*

Sed indiget aliquâ explicatione tertia conditio: Videtur enim contrarium statui l. 2. ff. de Adopt. sup. allegatâ, uti etiam Instit. eod. ubi generaliter decernitur, eos, qui generare non possunt (quales sunt spadones) adoptare posse; castratos autem non posse. Hæc sunt verba juris §. 10. *Sed & illud utriusque adoptionis commune est, quod & ij, qui generare non possunt (quales sunt spadones) adoptare possunt, castrati autem non possunt.* Nunquid aliud jus civile statuit, aliud D. Bonaventura, Sanchez, & alij Theologi clamant? Minimè. Sed intellectis terminis seu vocibus, plusquam meridianum erit, optimè eos convenire. *Tertia conditio videtur opposita l. 2. ff. de Adopt. & Instit. eod. §. 10.*

Et quidem in rigore grammaticali, ly *Spado*, idem significat, quod à natura castratus, quem constat naturaliter impotentem esse, idque in perpetuum, ad generandum, atque adeò non posse adoptare; perinde de hujusmodi spadonibus nequeunt prædicta jura intelligi; debet autem de iis intelligi D. Bonaventura, quando suprà dicit: *Spado vel frigidus non potest adoptare*; id est, naturaliter & in perpetuum impotens generare. 384. *Quid significet hìc Spado, in rigore grammaticali.*

Porrò in jure, l. 128. ff. de verb. signif. *Spadonum generalis appellatio est. Quo nomine tam hi, qui naturâ spadones sunt, item thlibiæ, thlasiæ, sed & si quod aliud genus est, continetur.* Ergò etiam continentur castrati sive à natura, sive gladio. Et ita generaliter hoc nomen nequit intelligi instit. de Adopt. §. 10. superiùs allegato; nam distinguit expressè inter spadones, & castratos. *Quid importet in jure.*

Quid ergò, inquis, intelligit per spadones, & quid per castratos. Respondet Zoëtius in suo Commentario ad hunc locum: Adoptare licet homini sui juris, non impedito aut naturâ, quam adoptio imitatur, aut lege. Naturâ impeditur minor natu adoptare majorem; quia pro monstro esset 385. *Quid significet in §. 10. Instit. de Adopt. ex Zoëtio.*

eſſet, filium patre eſſe majorem, ut habet hic textus §. 5.

Ubi prætereà opus eſt, ut adoptans ſit plenâ pubertate, id eſt. 18. annis major, eò quòd, licet ante quis generare poſſit, rariùs tamen id contingat; leges autem accommodentur iis, quæ ſunt frequentiora, l. 3. & 4. ff. de Legib. Impedit & eos natura, qui generare non poſſunt, quibus ſcilicet generandi facultas eſt adempta in perpetuum, cujus generis ſunt caſtrati, §. *Sed & illud*, eod.

Dico: *perpetuum*: nam quibus tantùm eſt temporale vitium, non impediuntur, uti ſpadones, quatenùs nomen *Spadonis*, propriè ac ſpecialiter ſumitur pro ijs, qui valetudine aliquâ impediti, aut vitio corporali, liberis operam dare nequeunt, ex contortione meatuum, per quos ſemina ferri nequeunt, ut docent Medici. Quod vitium cum poſſit purgari, & redire generandi vis, non debent tales ab adrogandi licentia ſecludi. Hæc ille.

386. *Significat eum, qui temporali laborat impedimento.* Itaque jura, quæ ſpadonibus concedunt poteſtatem adrogandi, intelligunt eos (ſecundùm hunc Auctorem) qui temporali laborant impotentiâ generandi, unde & Gloſſ. d. l. 2. ff. de Adopt. Spadonibus, de quibus ibi eſt ſermo, etiam poteſtatem Matrimonium contrahendi tribuit: *Spadones*, inquit, *poſſunt adoptare, Matrimonium contrahere, ſubſtituere poſthumo, non autem caſtrati.* Id eſt, naturaliter frigidi, juxtà Hoſtienſem de Cognat. legal. ibi: Neceſſe, inquit, eſt, quod is, qui adoptat, ſit pater familias, id eſt, ſui juris, & talis qui generare poſſit; ſed & qui non poteſt generare, adoptabit, dummodò tamen non naturaliter impediatur, ſed per accidens. Caſtratus ergò, id eſt naturaliter frigidus, ſcilicet caſtè natus, non adoptabit. Spado autem, id eſt, qui cum gladio ſeu ſpata amiſit fratres, adoptare poteſt. Hæc ille.

Quis ſit caſtratus juxtà Hoſtienſem.

Ex quibus omnibus patet, Theologos & Iuriſperitos, quantùm ad hoc punctum, optimè inter ſe convenire, quàmvis primâ facie poſſent alicui videri diſſentire. Atque hæc nobis, quæ Iuriſperitorum ſunt propria, rudi minervâ inſinuaſſe ſufficiat. Plura, qui deſiderat, ipſos adeat & inveniet.

387. *An qualibet cognatio legalis ſit impedimentum dirimens.* Nos progedimur ad ea, quæ Theologis magis propria ſunt, inquirimus, inquam, an quælibet cognatio legalis ſit impedimentum dirimens Matrimonium poſt contractum, & per conſequens impediens Matrimonium contrahendum; atque adeò diſſolvens ſponſalia, ut ſuprà dictum eſt de cognatione ſpirituali. Non quæro, utrùm diſſolvat Matrimonium antè contractum, quia negativa pars eſt extrà quæſtionem, an autem impediat petitionem debiti, dicam inferiùs.

Cognatio proveniens ex arrogatione dirimit. Nunc autem ad principalem quæſtionem dico cum alijs Theologis communiter: quælibet vera cognatio legalis, proveniens ex arrogatione impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit poſt contractum, quæ eſt prima pars noſtræ Concluſionis.

Eſt autem triplex ejus ſpecies, ut ſuprà audivimus ex D. Bonaventura. Prima eſt linea recta inter adoptantem & adoptatum ac adoptati deſcendentes. Hæc habetur Inſtit. de Nuptijs §. 2. ubi lego ſequentia verba: *Ergò non omnes nobis uxores ducere licet: nam à quarumdam nuptijs abſtinendum eſt; inter eas enim perſonas, quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt: veluti inter patrem & filiam, vel avum & neptem, vel matrem & filium, vel aviam & nepotem, & uſque in infinitum. Et ſi tales perſonæ inter ſe coierint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur. Et hæc adeò vera ſunt, ut quàmvis per adoptionem parentum, liberorumve loco ſibi eſſe cœperint, non poſſint inter ſe Matrimonio jungi: in tantùm, ut etiam diſſolutâ adoptione, idem juris maneat. Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia vel neptis eſſe cœperit, non poteris uxorem ducere, quàmvis eam emancipaveris.* 388. *Prima ejus ſpecies ex §. 2. Inſtit. de Nupt.*

Idemque ſtatuitur l. 55. ff. de Ritu nupt. *Quin etiam nefas exiſtimatur, eam quoque uxorem ducere, quæ per adoptionem filia neptiſve eſſe cœperit, in tantùm, ut etſi per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem juris maneat.* *Et l. 55. ff. de Ritu nupt.*

Eodem modo loquitur jus Civile de ſecunda ſpecie, quæ eſt lateralis, ſeu in linea tranſverſa inter adoptatum & filios carnales adoptantis, quantùm ad Matrimonium, quod contraheretur ſtante adoptione, ſecùs adoptione ſolutâ. 389. *Secunda ſpecies cognationis.*

Habetur Inſtit. de Nuptijs §. 3. ſequentis tenoris; *Inter eas quoque perſonas, quæ ex tranſverſo gradu cognationis junguntur, eſt quædam ſimilis obſervatio, ſed non tanta. Sanè enim inter fratrem, ſororemq; nuptiæ prohibitæ ſunt, ſive ab eodem patre, eademq; matre nati fuerint, ſive ex altero eorum. Sed ſi qua per adoptionem ſoror tibi eſſe cœperit, quamdiu quidem durat adoptio, ſanè inter te & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt; cùm verò per emancipationem adoptio ſit diſſoluta, poteris eam uxorem ducere. Sed & ſi tu emancipatus fueris, nihil eſt impedimento nuptijs.* *Habetur §. 3. Inſtit. de Nupt.*

Item l. 17. ff. de Ritu Nupt. *Per adoptionem quæſita fraternitas, eòuſque impedit nuptias, donec manet adoptio, ideoq; eam, quam pater meus adoptavit & emancipavit, potero uxorem ducere, æque & ſi me emancipato, illam in poteſtatem retinuerit, poterimus jungi Matrimonio. Itaque volenti generum adoptare, ſuadetur, ut filiam emanciparet. Similiter ſuadetur ei, qui nurum velit adoptare, ut emancipet filium. Amitam quoque & materteram, item magnam quoque amitam, & materteram magnam, prohibemur uxorem ducere, quamvis magna amita & matertera quarto gradu ſint. Vtique autem amitam, & amitam magnam prohibemur uxorem ducere, etſi per adoptionem nobis conjunctæ ſint.* 390. *Item l. 17. ff. de Rit. Nupt.*

Sed & tertiam ſpeciem, quæ eſt per modum cujuſdam legalis affinitatis, ad ſimilitudinem affinitatis naturalis, quæ eſt inter adoptantem & uxorem adoptati, & econtrà inter adoptatum & uxorem adoptantis, expreſſam habemus l. 14. *Tertia ſpecies exprimitur eod. tit. l. 14.*

eod. tit. hisce verbis ; *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia novercæ locum habet. Item, si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurus loco est, nequidem post emancipationem filij ducere poterit, quia aliquando nurus ei fuit.*

391. *Prima speci s dirimit: de 2. & 3. aliqui dubitant. Ratio dubitandi de 2.* Cæterùm has omnes & singulas species dirimere Matrimonium post contractum, non omnibus Iurisperitis placet ; consentiunt equidem omnes, primam speciem habere hunc effectum; dubitant autem quidam de secunda & tertia specie. De secunda quidem, quòd frustrà esset separatio inter eos fratres, naturalem scilicet filium patris adoptantis, & filium adoptivum ; cùm statim possint Matrimonio copulari, solutâ adoptione per emancipationem, vel alio modo, ut latiùs infrà dicetur.

392. *Rejicitur ex Sanchez.* Respondet Sanchez sup. n. 23. non esse frustrà id impedimentum, quia perpetuò dirimit ante emancipationem ; & quàmvis hâc factâ, possit denuò Matrimonium iniri : at anteà initum est perpetuò irritum, nisi posteà ratificetur. Hæc ille.

Addo ego : impedimentum raptûs non esse frustrà, tametsi statim possint Matrimonio copulari per separationem raptæ à raptore, & constitutionem ejus in loco tuto & libero. Sed & minor ætas dirimit Matrimonium pro eo tempore, quo durat.

393. *Alter. ratio dubitandi, ex c. 1. 30. q. 3.* Altera ratio dubitandi sumitur ex cap. 1. 30. q. 3. (quod est Nicol. Papæ ad Consulta Bulgar. c. 2.) ibi : *Est inter fratres & filios spirituales gratuita & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potiùs habenda spiritualis proximitas. Vnde inter eos non arbitramur posse fieri quodlibet legale conjugium, quandoquidem nec inter eos, qui naturâ, & eos qui adoptione filij, venerandæ Romanæ leges Matrimonia contrahi permittant.* Igitur inferunt Adversarij, Canones permittunt talia Matrimonia ; arg. cap. 5. de Præsumpt. ibi : *Duo quippè ei illata fuerunt, unum negavit, alterum tacendo concessit.*

394. *Explicatur d. cap. ex Sanchez.* Respondet Sanchez suprà ; non dicere textum, Secundùm leges, quasi contrarium sit secundùm Canones ; sed ad denotandum, impedimentum hoc fuisse legibus civilibus inductum, quas ibi approbat, vocans eas venerandas. Ita hic Auctor. Sinè quâ utique approbatione non valerent ; quandoquidem sola Ecclesia hodie statuat pro fidelibus impedimenta dirimentia.

Colligo hunc intellectum ex iis, quæ ibidem subdit Pontifex : *Si ergò inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quantò potiùs à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœlestes Sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit ? Longè igitur congruentiùs filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina potiùs, quàm quem humana voluntas, ut filius patris mei, vel frater meus esset, elegit, prudentiùsq; ab alterna corporis commistione secernimur.*

Ubi Nicolaus videtur supponere adoptionem dirimere, à minori argumentatur ad majus, ostendens potiorem esse rationem constituendi impedimentum cognationis spiritualis, quàm adoptionis.

Notat autem Gloss. hic verb. *Quandoquidem*, non esse bonam hanc rationem : quia leges prohibent, etiam Canones : *Quandoquè enim* (inquit) *leges prohibent Matrimonium, nec tamen Canones, ut inter tutorem & pupillam, & inter Senatorem & libertam, ff. de Sponsal. l. Tutor. Et leges prohibent Acolythos uxores ducere : non tamen Canones, 15. q. 4. §. Cum autem.* 395. *Quandoque leges prohibent Matr. & non Canones.*

Sed nunquid Pontifex in d. textu sic argumentatur ? Minimè ; sed, sicut dixi, ex eo, quòd leges prohibeant Matrimonium inter filios adoptivos, utique justè ac rationabiliter ; infert, Ecclesiam justè & rationabiliter, imò rationabiliùs prohibuisse Matrimonium inter filios seu fratres spirituales. 396. *In d. cap. Papa argumentatur ab adoptione ad cognationem spiritualem.*

Et simili modo argumentatur Zacharias Papa cap. 2. eâd. causâ & q. dicens : *Cum ergò à propriâ consanguinitate jubemur abstinere, multò magis à spirituali nostri patris filia, omni excusatione aut argumento sepositò, sub nimia districtione nos cavere convenit* &c. Et tamen hodie licet Matrimonium cum filia spirituali nostri patris, tametsi sit & maneat prohibitum cum filia carnali, vel adoptiva, quousque manet adoptio, ut ibidem dicitur cap. 6. *Per adoptionem quæsita fraternitas, eousque impedit nuptias, donec manet adoptio* &c. ut sup. l. 17, ff. de Ritu nupt.

Ubi manifestè approbatur à jure Canonico secunda species. Prout etiam cap. un. extrà de Cognat. leg. *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt.* Ita Nicolaus ad Consulta. Bulgar. 397. *Secunda species approbatur cap. un. de Cogn. Leg.*

Consistere, inquam, *non possunt* ; quibus utique verbis Pontifex satis significat, maximè accedente communi interpretatione Ecclesiæ, & consuetudine ab omnibus receptâ, nuptias ejusmodi non solum illicitas, sed etiam irritas esse seu dissolvendas, alioquin consistere possent seu permanere, ut patet ; estò illicitè fuissent celebratæ. Sic enim consistunt seu permanent nuptiæ celebratæ illicitè cum voto simplici castitatis.

Sed ubi, interrogat aliquis, Ecclesia approbavit primam & tertiam speciem ? Respondet Sanchez sup. n. 17. Prima species approbatur in cap. *Ita diligere*, sive cap. 1. 30. q. 3. quod est Nicolai Papæ, ut suprà vidimus. Quàmvis autem (inquit Sanchez) tertia species affinitatis legalis non reperiatur expressè approbata in jure Canonico : at cùm rubrica juris canonici sit generalis, nimirum, *de cognatione legali*, & sit eadem ratio de hac specie, dicendum est, censeri subinde approbatam illam, sicut & reliquas. Adde consuetudine Ecclesiasticâ omnes tres illas species receptas esse, Pontificibus id scientibus, Hæc ille. *Vbi approbetur 1. & 3. species. Sanchez.*

Sed, meo judicio, neque prima species expressè approbata in jure Canonico reperitur. Siquidem d. cap. 1. quod adducit Sanchez, manifestè loquitur de secunda specie. Inspicite Gloss. am in expositione casûs. *Hoc caput*, inquit, *dividitur in tres partes. In prima dicitur, quòd ita debemus diligere patrem spiritualem, sicut carnalem.* 398. *An prima c. 1. 30. q. 3.*

In secunda parte dicitur, quòd filij carnales non possunt contrahere cum filijs spiritualibus, cùm sint fratres ad invicem. Nam cùm filius adoptivus non possit contrahere cum filia naturali, quos adoptio fecit fratres, multò minùs contrahere poterunt, quos divina gratia fratres conjunxit. In tertia parte dicitur, quòd magis teneor diligere fratrem, vel sororem spirituale̅m, quam carnale̅, & potiùs debet spiritualis frater appellari frater, quàm carnalis. Hactenùs Glossa.

Videtur quòd sic, saltem implicitè.

Porrò hanc expositionem legitimam esse, & conformem textui, facilè quilibet cognoscet, qui voluerit dispicere verba textûs suprà recitata. Interim cùm sit major connexio inter patrem adoptivum & filium adoptivum, quàm inter filium naturalem & filium adoptivum, qui expresè approbat impedimentum cognationis legalis in linea transversa, majori jure censetur approbare idem impedimentum in linea recta; cùm sit major ratio, hoc statuendi vel approbandi, quàm illud.

399. *Quæ sit ratio hujus impedimenti, ex Sanchez.*

Sed, amabo, quæ illa ratio? Convenientissimè statutum est (inquit Sanchez sup. n. 16.) ut cognatio legalis dirimat subsequens Matrimonium. Quia ex ea oritur quædam reverentia debita inter sic cognatos & amicitia. Ut ergò ea reverentia servetur & dilatetur ampliùs amicitia, Matrimonio cum extraneis inito, cautum est, ut inter sic cognatos nequeat Matrimonium consistere. Addit cum D. Tho. 4. dist. 42. q. 2. a. 2. in corp. id quoque effectum esse, quia sic cognati debent habitare in eadem domo: oriretur autem maximum fornicandi periculum, Matrimonio non interdicto inter eos. Hæc ille.

Item ex D. Tho.

Et Doct. Seraph.

Placeat etiam audire Doct. Seraphicum eâd. dist. a. 2. in corp. *Dicendum, quòd cognatio legalis impedit Matrimonium. Et ratio hujus est statutum Ecclesiæ, quæ legem confirmat & approbat. Si autem quæritur, quare Ecclesia statuit? Dici potest, quòd ratione honestatis, quoniam isti affectus, scilicet paternus & maritalis circa eamdem personam, sunt incompossibiles salvâ honestate; & quoniam talis cognatio ad effectum consanguinitatis perducit, si quis contraheret, jam in hoc honestati derogaret; & qui assuesceret contrahere cum filia adoptiva, aut parùm aut nihil cum naturali timeret contrahere, cùm illam assumpserit ad pertractandam ut filiam naturalem: & sic patet, quare debeat impedire.* Ita D. Bonav.

400. *Objectio.*

Cui si objicias: talis cognatio legalis nullo bono Matrimonij repugnat: sed omne, quod præstat impedimentum Matrimonio, ratione alicujus boni impedimentum præstat, ergò &c.

Solvitur.

Respondet: *Quòd impeditur bonum naturalis honestatis, propter quod conservandum principaliter est institutum Matrimonium.*

Probatur ex D. Bonav. quod ex adoptione oriatur vinculum speciale.

Porrò, quòd ex adoptione oriatur aliquod vinculum speciale, ita probat idem Doctor sup. q. 1. in corp. *Hoc vinculum transsumptum est, & habet originem a cognatione carnali, sicut & cognatio spiritualis. Patris enim carnalis est filium generare, & filium educare: quoniam igitur per Sacramentum regenerationis est spiritualis generatio; hinc est, quòd contrahitur spiritualis cognatio. Rursùs quoniam in adoptione fit assumptio alicujus ad actum paternum, qui est fovere, educare, possessionem dimittere; hinc est, quòd ibi est affectus paternus & officium, & per hoc aliquod vinculum. Hoc autem a legibus statutum est, in solatium filiorum, quod est maximum inter cætera ipsis conjugatis, & sic patet quomodò cognatio legalis sit vinculum.*

Vinculum, inquam, quod ex statuto Ecclesiæ impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit post contractum, proveniens utique ex adoptione perfecta, id est, arrogatione, juxtà communem sententiam. Quinimmò, secundùm multos DD. tam Theologos, quàm Iurisperitos, etiam ex adoptione imperfecta, ut videre poteris apud Sanchez sup. n. 8. qui pro ea sententia, quam vocat satìs probabilem, citat Scotum suprà; & quia Scoti discipulus sum, & ejus doctrinam propugno; hinc in Conclusione dixi: *Fortè etiam ex imperfecta.* Quàmvis enim ipse, ut suprà notavi, solùm referat sententiam Glossæ; cùm tamen eam non reprobet, sicut solet in his, quæ sibi displicent, implicitè videtur ei subscribere.

401. *An hoc impedimentum oriatur etiam ex imperfecta adoptione.*

Sanchez.

Scotus.

Nec immeritò, cùm, etiam juxtà Adversarios, sit valdè probabilis, ut statim dixi. Probatur autem primò: quia omnes textus hactenùs producti, in quibus hoc impedimentum cognationis legalis statuitur, de adoptione indistinctè loquuntur; ubi autem jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, nisi ratio evidens cogat.

402. *Sententia affirmans probatur* 1.

Secundò

Secundò: quia licet sic imperfectè adoptatus, non transeat in adoptantis potestatem; acquiruntur tamen ei quædam jura ex adoptione, quæ per emancipationem dissolvuntur, l. penult. §. penult. Cod. de Adopt.

Hęc fundamenta vocat Sanchez sup. n. 9. (ubi adhæret contrariæ sententiæ, tamquam probabiliori) leviſſima, ut, inquit, ex eorum solutione constabit n. 11.

Solutio Sanchez.

Rogas: ecquæ illa solutio? Ad primum dic; quàmvis textus non distinguant: at rationes adductæ cogunt eâ distinctione uti. Ad secundum dic; ea jura, quæ per adoptionem imperfectam acquiruntur, non esse causam irritationis Matrimonij, & ita nil conferre. Ita Sanchez.

Solutio profectò leviſſima. Nam in primis hoc quæritur; an jura, quæ acquiruntur per adoptionem imperfectam, non sint causa irritationis Matrimonii; ac proinde probatum oportuit, non suppositum; vel si Sanchez probavit asserendo, ego negando reprobavi.

403. *Impugnatur* 1.

Secundò.

Sed & positivè probo esse causam: quippè unum ex his juribus est, quòd adoptatus succedere possit adoptanti ut hæres ab intestato, ut suprà ostendi, instar filij naturalis, ex quo oritur quædam conjunctio inter illos similis naturali, atque ex ea conjunctione oritur quædam reverentia debita inter sic conjunctos & amicitia. Hæc autem reverentia, ut suprà vidimus ex Sanchio, est prima causa, propter quam Ecclesia irritavit Matrimonium.

Dices; hæc non est sola ratio, sed insuper periculum maximum fornicationis. Cognatio hæc (inquit Sanchez sup. n. 9.) introducta est à jure

404. *Primum fundamentum oppositum*

Et sententia, ex Sanchez.

re positivo ad impediendam fornicationem, quæ facilè esse potest inter personas in eadem domo commorantes. Sed per adoptionem imperfectam non traducitur adoptatus in domum, nec in adoptantis potestatem: ergò ea non obstat Matrimonio. Ita Sanchez. Estque primum fundamentum suæ sententiæ.

Destruitur.

Sed facilem habet solutionem. In primis ex nullo jure sive Civili sive Canonico constat, hoc impedimentum inductum fuisse ad impediendam fornicationem. Deinde, hæc non fuit sola ratio, etiam secundùm Sanchez; & quàmvis Doct. Angel. non aliam adducat, equidem nullo verbo indicat, solam adoptionem perfectam dirimere Matrimonium.

405. *Distinctio inter adoptionem perfectam & imperfectam ex D. Tho.*

Distinguit equidem inter adoptionem perfectam & imperfectam sup. a. 1. ad primum: *Dicendum, quòd filiatio adoptionis est quædam imitatio filiationis naturalis, & ideò duplex est adoptionis species. Una, quæ perfectè imitatur naturalem filiationem, & hæc vocatur adrogatio, per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis, & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum pater sinè culpa privare quartâ parte hæreditatis; sic autem adoptari non potest, nisi ille, qui sui juris est, qui scilicet, postquam adoptatur, non habet potestatem, aut si habet, est emancipatus, & hæc adoptatio non fit nisi auctoritate Principis.*

Alia est adoptatio, quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, quæ vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis: unde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta, & secundùm hanc potest adoptari, etiam ille, qui non est sui juris, & sinè auctoritate Principis, ex auctoritate Magistratus; & sic adoptatus non succedit in bonis adoptantis, nec tenetur ei adoptans aliquid de bonis suis in testamento dimittere, nisi velit. Hucusque Doct. Angel, Ubi videtur negare imperfectè adoptato jus successionis ab intestato, quod tamen hodie ipsi competit.

406. *Ejus non meminit, ubi quærit de impedimento Matr.*

Quidquid sit de hoc, nota interim, quòd ar. 2. ubi quærit utrùm ex adoptione contrahatur aliquod vinculum impediens Matrimonium, expressè non meminerit hujus distinctionis: sed absolutè respondeat: *Dicendum, quòd lex Divina illas personas præcipuè à Matrimonio exclusit, quas necesse erat cohabitare, ne, ut Rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret carnalis copula, facilis pateret concupiscentiæ locus, ad quam reprimendam Matrimonium est ordinatum: & quia filius adoptatus* (non dicit, arrogatus) *versatur in domo patris adoptantis* (non dicit, arrogantis) *sicut filius naturalis, ideò legibus humanis prohibitum est inter tales Matrimonium contrahi, & talis prohibitio est per Ecclesiam approbata, & inde habetur, quòd legalis cognatio Matrimonium impediat.*

An omnis filius adoptatus versetur in domo patris adoptantis.

Ubi videtur supponere, omnem filium adoptatum versari in domo patris adoptantis. Unde

Hiquæus.

Hiquæus in suo Comment. n. 7. probat sententiam Scoti: Quia, inquit, filius adoptivus habitat in domo adoptantis, sicut filius naturalis: congruum ergò erat, inducere impedimentum hoc respectu adoptati, sicut & arrogati. Ita hic Auctor. Cui tantam fidem possumus adhibere, quantam Sanchio, qui dicit, filium adoptivum non habitare in domo adoptantis.

407. *An illa cohabitatio sit causa hujus impedimenti. Quòd non, colligitur ex c. 1. 30. q. 3.*

Et sanè vellem videre textum aliquem juris, sive Civilis, sive Canonici, in quo vel leviter insinuatur, illam cohabitationem esse causam hujus impedimenti. Imò non esse, colligo ex d. c. 1. 30. q. 3. ubi Pontifex argumentatur ab impedimento cognationis legalis, ad impedimentum cognationis spiritualis, tamquam à minori ad majus, ut suprà ostendimus; quod argumentum planè corruit, si sola cohabitatio est causa impedimenti cognationis legalis; quoniam illa cohabitatio non habet locum in cognatione spirituali, cùm baptizans non soleat cohabitare, utì nec patrini, baptizato aut parentibus baptizati.

Deinde, quæro: servi & ancillæ ejusdem domini nonne habitant in eadem domo? An propterea leges civiles aut Ecclesiasticæ impediunt eorum Matrimonium ad vitandum periculum fornicationis? Clarum est quòd non. Igitur non est verisimile, propter solum illud periculum, Leges aut Canones dirimere Matrimonium inter cognatos legales.

408. *Periculum fornicationis, ad summum fuit motivum secundarium.*

Et dato, quòd ad illud periculum respexissent, certum videtur, quòd tantùm fuerit motivum secundarium; & alioqui reverentiam, quæ oritur ex adoptione inter adoptantem & adoptatum, esse causam sufficientem. Et quia illa manet, etiam adoptione seu arrogatione, & per consequens cohabitatione dissolutâ, adeò adhuc manet impedimentum inter adoptantem & adoptatum, ut videbimus Conclusione sequenti.

Vides nunc benevole Lector, quàm sint levissimæ solutiones Sanchij, seu responsiones ad fundamenta sententiæ Scoti, & quàm levissimum primum fundamentum sententiæ Sanchij.

409. *Secundum fundamentum sententiæ Sanchij.*

Sed nec secundum fundamentum majoris ponderis est. Cùm Matrimonium (inquit Sanchez suprà) sit res valdè favorabilis, jura illud prohibentia potiùs debent restringi, vel saltem coarctari ad propriam & perfectam verborum significationem: at simplex adoptio, cùm sit imperfecta, non dicitur absolutè talis; imò juxtà D. Tho. sup. a. 1. ad primum, est potiùs dicenda dispositio quædam ad perfectam adoptionem. Hæc ille.

Adoptio imperfecta non est dispositio ad perfectam.

Respondeo: adoptio imperfecta non est dispositio ad perfectam: siquidem dispositio debet præcedere formam, aut saltem concomitari formam, ad quam disponit: jam autem nulla omninò est necessitas, ut adoptio imperfecta præcedat arrogationem; sed immediatè potest quis arrogari, sicut potest adoptari imperfectè, dummodò habeat alias conditiones necessarias. Et sic etiam potest quis imperfectè adoptari, sinè aliquo ordine aut respectu ad perfectam adoptionem.

410. *Est absolutè adoptio.*

Igitur adoptio imperfecta est absolutè adoptio; sicut brutum est absolutè animal, licèt imperfectius homine: & sicut puer est absolutè homo, tametsi imperfectior, quàm vir.

Quamquam ergò Matrimonium sit res valdè favorabilis, & ideò jura, illud prohibentia, restringi

ſtringi vel ſaltem coarctari debeant; ſemper tamen intrà proprietatem verborum, niſi ad evitandum abſurdum. Quare cum adoptio imperfecta ſit propriè adoptio, & ſimpliciter in jure vocetur adoptio; atque dum jura volunt intelligi ſolam adoptionem perfectam, utantur proprio verbo, ſcilicet arrogationis, quid ni dum ſtatuunt adoptionem eſſe impedimentum dirimens, intelligi debeant de omni propria adoptione?

411. *Iuxtà Scotum oritur ex eo impedimentum dirimens.* Ita inſinuat Scotus ſuprà referens ſententiam Gloſſæ; imò ſatis expreſsè & manifeſtè eam docet, dum ait: *Tam adoptati, quam arrogati dicuntur filij adoptivi.* Ubi, ut vides, diſtinguit inter adoptatum & arrogatum, & tamen immediatè ſubdit: *Et inter fratres adoptivos & naturales impeditur Matrimonium.* Quomodo clariùs potuiſſet illam ſententiam exprimere? A quo non cogunt nos recedere argumenta Sanchij pro ſententia oppoſita, & ideò rursùm dicimus. Fortè etiam ex imperfecta adoptione provenire hoc impedimentum.

Quidam exiſtimant oriri impedimentum, ſed tantùm prohibens. Cæterùm quidam DD. apud Sanchez ſup. n. 10. quàmvis exiſtiment cum hoc Auctore, non oriri impedimentum dirimens ex imperfecta adoptione; admittunt tamen impedimentum merè prohibens, eò quòd ſit diſpoſitio ad perfectam adoptionem; ſicut catechiſmus eſt diſpoſitio ad Baptiſmum. Sicut ergò per Baptiſmi catechiſmum contrahitur quædam cognatio ſpiritualis imperfecta, quæ ſolùm impedit Matrimonium; ita per adoptionem imperfectam contrahetur cognatio legalis imperfecta, quæ ſolùm impediet ſubſequens Matrimonium.

412. *Hæc doctrina non probatur Sanchio, qui nullum agnoſcit impedimentum.* Sed hæc doctrina diſplicet Sanchio: Quia, inquit, in Catechiſmo eſt expreſſus textus, id decidens; non autem in adoptione imperfectâ: nec poteſt ex rationis ſimilitudine induci impedimentum Matrimonij. Aliàs dicendum eſſet, ex ſolo exorciſmo oriri, eò quòd ſit ad Baptiſmum diſpoſitio. Hæc ille. Et ideò exiſtimat, nullum ſubeſſe impedimentum: ſed poſſe licitè contrahi Matrimonium, ubi ſola eſt imperfecta adoptio. Maximè cùm etiam Catechiſmus hodie non ampliùs obliget, ut ſuo loco oſtendimus.

Supervemiens non impedit petitionem debiti. Sin autem licitè poſſit contrahi Matrimonium, multò magis licet petere & reddere debitum, dum imperfecta adoptio ſupervenit Matrimonio jam contracto. Enimverò tametſi ſuperveniret arrogatio, adhuc exiſtimat Sanchez ſup. n. 19. eam non impedire debiti petitionem; cùm nullus textus expreſſus inveniatur, qui eam debiti petitionem in eo caſu interdicat.

413. *Arg. contra* Sed contrà facit; quod docet Sylveſter verb. *Matrimonium*, 8. q. 7. dict. 2. Regulariter omne impedimentum, quod facit Matrimonium eſſe nullum ſimpliciter, ſi illud præcedat, facit etiam illud eſſe nullum ſecundum quid ex parte ejus, qui eſt in cauſa, ſi illud ſequatur, inquantùm impedit exactionem. Loquitur Sylveſter de cognatione ſpirituali, ſuperveniente Matrimonio contracto, quam putat impedire petitionem debiti, ſi ſcienter & ſinè neceſſitate contrahatur, quod an verum ſit, alibi diſputabimus, ibi de uſu Matrimonij, & ibidem de legali cognatio erit ſermo.

Infideles non contrahunt hoc impedimentum Impræſentarium pro fine hujus Concluſionis tantùm addo, quod univerſi fatentur, & D. Bonaventura ſuprà manifeſtè aſſeruit; ſcilicet, hoc impedimentum ſolo ſtatuto Eccleſiæ eſſe introductum; atque adeò ſi apud infideles hæc adoptio fieret, & eâ non obſtante iniretur Matrimonium inter adoptantem & filiam adoptatam, antè ſuſceptum Baptiſmum, valeret utique, niſi ſpeciali eorum lege id Matrimonium irritaretur, aut forent ſubjecti legibus Cæſareis.

414. *Probatio.* Ratio pervia eſt: quia antè Baptiſmum non ſubduntur legibus Eccleſiæ, ſecùs poſt Baptiſmum ſuſceptum: & leges Cæſareæ quàmvis pro fidelibus nequeant conſtituere impedimenta dirimentia; nam Eccleſia reſpectu eorum, ut alibi dictum eſt, illam poteſtatem ſibi reſervavit; equidem ſicut infideles ſibiipſis poſſunt ſtatuere talia impedimenta, ſic pariter Princeps fidelis pro infidelibus ſibi ſubjectis, in quibus Matrimonium tantùm eſt contractus civilis, qui ſubeſt diſpoſitioni Principum fidelium, ſicut & alij contractus civiles.

Si autem à me quæritur: Utrùm hoc impedimentum tranſeat in alteram perſonam, & in quam? Reſponſio erit.

CONCLUSIO VIII.

Cognatio legalis eſt in adoptante ad uxorem & filios adoptati, qui ſunt in ſua poteſtate. Similiter in adoptato ad uxorem adoptantis & proles, quæ ſunt in ſua poteſtate: ſed diverſimodè; nam proles poteſt ducere adoptione ſolutâ, uxorem non ſic. Validè contrahunt filij adoptivi ejuſdem adoptantis.

415. *Concluſ. exceptâ ultimâ parte, eſt certa.* HÆc Concluſio, exceptâ ultimâ parte, eſt omninò certa & ab omnibus admiſſa, tamquam ſufficienter expreſſa in jure civili ab Eccleſia approbato, ut videre poteris Concluſ. præcedenti. Hic tantùm addemus rationem diverſitatis harum prohibitionum, putà, quare una in perpetuum, alia verò ſolùm ad tempus duret.

Cognatio legalis in 1. ſpecie & 3. in perpetuùm dirimit: in 2. verò ſolum ad tempus. Itaque nemo dubitat cognationem legalem in prima ſpecie, ſcilicet inter adoptantem & adoptatum in perpetuum dirimere, id eſt, etiam ſolutâ adoptione; ſimiliter in tertia ſpecie inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter adoptatum & uxorem adoptantis: at verò in ſecunda ſpecie, putà inter adoptatum, & filios adoptantis ſolùm ad tempus dirimere, quouſque ſcilicet adoptio legitimè fuerit ſoluta.

Dico, *Legitimè*; id eſt, ſervatâ ſolemnitate à legibus præſcriptâ; quia ſicut adoptio ſinè auctoritate Principis, aut Magiſtratûs, aliiſque ſolemnitatibus juris ſervatis, contrahi nequit, ita nec diſſolvi; quoniam *Omnis res per quaſcumque cauſas*

causas nascitur, per easdem dissolvitur, cap. 1. de Reg. juris. Undè non servatâ formâ in dissolutione, durat impedimentum.

416. *Sex modis solvitur adoptio, ex Sanchez.*

Quæ sit autem hæc forma, non pertinet ad præsentem tractatum. Breviter dico ex Sanchio sup. n.4. Sex modis solvitur adoptio, nempè naturali morte adoptantis, morte ejus civili, ob nuptias incestuosas, ob dignitatem, ut Episcopalem, per sententiam, per mancipationem.

Factâ itaque legitimâ dissolutione adoptionis, adoptatus potest contrahere cum filia naturali adoptantis, secùs cum uxore. Sed quæ ratio diversitatis? Constitutionem diversam juris quis audeat negare? At quæ ratio tam disparis constitutionis?

Quæ hic ratio diversæ constitutionis juris, ex eod.

Quia (inquit Sanchez sup. n. 24.) prima & tertia prohibitio est propter reverentiam, quam debet exhibere adoptatus cum sua uxore adoptanti, & uxori ejus; & cùm hæc sit perpetua, similiter est perpetua utraque prohibitio illa. Secunda verò est ob interpretativam filiationem ex adoptione provenientem, & ideò eâ durante durat, & cessante cessat. Hæc ille.

417. *Oppugnatur.*

Sed dicet aliquis: ex quo constat; quòd potiùs prima & tertia prohibitio sit propter reverentiam, quàm secunda? Nonne ipse Sanchez ibidem n. 16. generaliter asserit, statutum esse, ut cognatio legalis dirimat subsequens Matrimonium, quia ex eo oritur quædam conjunctio similis naturali, ex qua oritur quædam reverentia debita inter sic cognatos & amicitia?

Planè sic docet, ut Concluſ. præced. audivimus. Et quæ est ista conjunctio similis naturali, nisi interpretativa filiatio? Ex ipsa ergò oritur quædam reverentia debita, tum patri & matri interpretativis, tum etiam interpretativis fratribus. Cur ergò cessante hâc interpretativâ filiatione per solutionem adoptionis, potiùs cessat prohibitio respectu fratris, quàm patris aut matris. An fortè, quia solutâ adoptione, cesset cohabitatio respectu fratris?

418. *Alia ratio ex D. Tho.*

Hanc rationem assignat D. Thomas sup. ar. 3. ad secundum: *Cognatio*, inquit, *legalis impedit Matrimonium propter cohabitationem, & ideò quando solvitur necessitas cohabitationis, non est inconveniens, si prædictum vinculum non maneat: sicut quando fuerit extrà potestatem ejusdem patris.*

Examinatur.

Ast nunquid etiam solvitur necessitas cohabitationis respectu patris? Procul dubio; & ideò addit D. Aug. *Sed pater adoptans & uxor ejus semper quamdam auctoritatem retinent super filium adoptatum, & uxorem ejus, & propter hoc vinculum manet inter eos.*

Addit omninò, inquit aliquis; sed ex quo oritur illa authoritas? Nonne ex adoptione? Quid ni ergò solutâ adoptione, & ipsa auctoritas pereat; sicut perit fraternitas, quæ oritur ex adoptione, hâc solutâ?

419. *Quid sentiat Doct. Seraph.*

Audite Doctorem Seraphicum, de eadem difficultate differentem, sup. q. 3. in corp. *Dicendum, quòd vinculum adoptionis transit in alterius personam dupliciter, scilicet per carnis commixtionem, & generationem; sed per carnis commixtionem transit ad semper, per generationem verò ad tempus. Et ratio hujus est; quia talis adoptio respicit bona temporalia, & educationem paternam: & quoniam vir & uxor conjunguntur ad semper, & omnia quæ habent, pro indiviso habent, ideò contrahitur vinculum sempiternum ad uxorem. Sed filij naturales nec semper cohabitant, nec semper cum parentibus habent bona indivisa; imò cum emancipantur, patrem & matrem relinquunt, & hinc est, quòd non maneat vinculum.*

Non maneat, respondet quispiam; quare manet vinculum, quando adoptatus relinquit adoptantem & uxorem ejus, solutâ adoptione, & ampliùs non est hæres necessarius, sive ex testamento, sive ab intestato? Hæc dicta sint inquisitionis gratiâ.

Interim voluntas Legislatoris adest, cui non licet contradicere, nisi constet, eam esse irrationabilem. Iam autem potuit rationabiliter Ecclesia velle, ut potiùs una cognatio legalis tolleretur per solutionem adoptionis, quàm alia; quia sicut arctius vinculum est paternitas & filiatio naturalis, quàm fraternitas naturalis; ita etiam arctius vinculum esse debet paternitas & filiatio legalis seu adoptiva, quàm sola fraternitas legalis seu adoptiva; quid ergò mirum, si unum vinculum solvatur, solutâ adoptione, & non aliud, accedente voluntate Legislatoris? 420. *Potuit Ecclesia rationabiliter unum velle, & non aliud.*

Si autem à me quæratur, in quos filios transeat hoc impedimentum? Respondeo citiùs; in filios, qui sunt in potestate adoptantis, quando adoptat, & filios, qui sunt in potestate adoptati, quando adoptatur. Ita loquitur nostra Conclusio, quæ, ut dixi, certa est. Dubitatur autem, an ad solos illos filios extendatur: v. g. an adoptatus possit contrahere Matrimonium cum filio illegitimo adoptantis, utpotè qui non est in potestate patris, vel cum filio jam emancipato, quando fit adoptio, aut qui post adoptionē nascitur in utero? Et similiter dubitari potest; an adoptans possit contrahere cum filio illegitimo adoptati, aut tempore adoptionis emancipato, aut postmodum nato in utero? 421. *In quos filios transeat hoc impedimentum.*

Posse contrahere docet Sanchez cum alijs quos citat sup. n. 34. dicens: Non poterit adoptans contrahere Matrimonium cum filijs suis adoptivis, neque cum filijs aut nepotibus ejus filij, aliisque ejus descendentibus, qui in ejus filij, dum fuit adoptatus, potestate constituti erant: at poterit utique contrahere cum filijs, vel quibuscumque descendentibus filij adoptivi, qui extrà ejus potestatem erant tempore adoptionis. *Transitin filios, qui tempore adoptionis erant in potestate adoptati, secùs in alios, ex Sanchez.*

Et ratio est: quia adoptatâ aliquâ personâ, censentur adoptati filij, & descendentes omnes solùm, qui in adoptati potestate erant tempore adoptionis; ut expressè deciditur l. 15. in principio ff. de Adopt. *Si pater familias adoptatus sit, omnia quæ ejus fuerunt & acquiri possunt, tacito jure ad eum transeunt, qui adoptavit: hoc ampliùs liberi ejus, qui in potestate sunt, cum sequuntur. Sed & hi qui postliminio redeunt, vel qui in utero fuerunt cùm adrogaretur, simili modo in potestatem adrogatoris rediguntur.* 422. *Probatio ex l. 15. ff. de Adopt.*

Cùm ergò illi descendentes in quovis gradu,

du, qui tunc erant sub adoptati potestate, sint etiam verè adoptati, jure optimo cum illis interdicitur Matrimonium. Si autem erant extrà adoptati potestatem, cùm non censeantur adoptati, nullâ ratione prohibetur Matrimonium adoptantis cum illis: utpote inter quos nulla cognatio legalis intercedit. Hactenus Sanchez.

423. *Videtur esse sententia D. Tho.*

Atque hujus sententiæ videtur esse D. Thomas sup. a. 3. ad 4. ibi. *Oportet, quòd quidquid est in potestate filij, transeat in potestatem patris adoptantis: unde adoptato patre, adoptantur filij, & nepotes, qui sunt in potestate adoptati.*

Quando ergò in corp. dicit: *Prima* (cognatio legalis) *quasi descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem & filium adoptatum, & filium filij adoptivi & nepotem, & sic deinceps*; id intelligendum est de filijs, & nepotibus, qui sunt in potestate adoptati, quando fit adoptatio.

424. *Explicatur textus Instit. de Nupt. §. 2.*

Et consequenter sic explicari deberet textus Instit. de Nuptijs §. 2. ibi: *Et hæc adeò vera sunt, ut quàmvis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse cœperint, non possint inter se Matrimonio jungi.* Ex quibus verbis aliqui deducunt, Matrimonium prohiberi inter adoptantem & adoptatum, ejusque descendentes usque in infinitum: nam postquam textus decidit in linea consanguinitatis ascendentium & descendentium prohiberi Matrimonium in infinitum, immediatè subjungit dicta verba.

Respondetur: ea verba intelligenda esse, juxtà subjectam materiam, porrò per adoptionem, de qua tractant, nemo incipit esse loco filij, nisi ipse, qui in filium adoptatur, & qui in potestate ejus est: at verò per generationem naturalem accipit quis locum parentis respectu omnium eorum, qui naturaliter generantur à filio, & filijs filij usque in infinitum. Consanguinitas itaque vinculum quoddam naturale est; cognatio autem legalis vinculum solum civile, & quàmvis sit aliqua inter hæc vincula similitudo, non tamen omnimoda paritas.

Non est omnimoda paritas inter vinculum Consang. & cognationis legalis.

Unde Sanchez sup. n. 32. negat hanc sequelam: consanguinitas restricta est ad quartum gradum; ergò etiam cognatio legalis. Tum

425. *Hoc non est restrictum ad 4. gradum, sicut illud, ex Sanchez. Probatur.*

quia (inquit) in linea recta ascendentium & descendentium non modica est difficultas, utrùm restricta sit consanguinitas usque ad quartum gradum. Tum etiam, quia cap. *Non debet*, de Consang. in ea restrictione solius meminit consanguinitatis, & affinitatis. Non ergò extendenda est ea restrictio ad cognationem legalem; eo vel maximè, quòd diversissima militet ratio: Cùm enim lex respiciat ea, quæ communiter accidunt, l. *Nam ad ea*, ff. de Legibus: atque impedimenta consanguinitatis, & affinitatis sint frequentissima, oportuit ea restringi. At impedimentum cognationis legalis est rarissimum, & ideò nulla est ratio restringendi hoc impedimentum, nec ut lex illa restringens extendatur ad hoc.

Confirmatur.

Et confirmatur: quia in restrictione graduum consanguinitatis & affinitatis occursum est periculis, quæ ex impedimentorum multiplicitate oriri experientia ipsa docuit, ut constat ex promijs d. cap. *Non debet*, & Trid. Sess. 24, de Matr. c. 2. At ex impedimento cognationis legalis, utpotè quod rarissimum est, non potuit docere experientia, periculum aliquod suboriri. Non ergò ea restrictio ad hoc impedimentum extenditur. Hucusque Sanchez, contrà DD. qui asserunt eam restrictionem.

Et ibidem n. 33. contrà Henriquez lib. 12. de Matri. c. 12. n. 3. negat restrictionem ad 2. gradum, quam ipse asserebat, exemplo affinitatis, ortæ ex fornicatione, quam Trid. sup. cap. 4. restringit ad secundum gradum; eò quòd utrumque impedimentum sit merè humanum, & sit quoddam propinquitatis genus: at cognatio legalis sit debilior.

426. *Negat Sanchez etiam restrictionem ad 2. gradum contrà Henriquez.*

Sed hoc (inquit Sanchez) nullatenùs placet, propter rationes numero præcedenti adductas. Et quia nullam video similitudinem aut rationis paritatem, ut, restrictâ illâ affinitate, censeatur quoque restricta cognatio legalis. Hæc ille.

Quæ cùm ita sint, liquet profectò, quòd non semper valeat argumentum à consanguinitate, ad cognationem legalem; atque adeò consanguinitas in linea recta, tametsi extenderetur usque in infinitum, prout extendi docuimus suo loco cum Scoto & alijs; equidem non valet hæc consequentia; ergò etiam cognatio legalis in linea recta extenditur usque in infinitum.

427. *Non valet semper arg. à consang. ad cognat. legalem.*

Filius illegitimus adoptantis potest contrahere cum filijs adoptivis.

Veluti etiam non rectè sequitur: filius illegitimus nequit contrahere cum consanguinea patris; ergò nec cum filijs adoptivis. Quia (inquit Sanchez sup.) illegitimus est conjunctus vinculo naturalis consanguinitatis cum patre, & sic cum ejus consanguineis: at cum filijs adoptivis nullum est vinculum naturale, sed solùm civile, & cùm hoc solùm duret inter fratres, quamdiu durat patria potestas, non contrahitur inter illos, qui in patriam potestatem minimè transeunt. Sic ille. Et nos cum illo. Jam autem illegitimus minimè transit in patriam potestatem; juxtà illud Instit. de Nupt. §. ult. *Aliquando autem evenit, ut liberi, qui statim ut nati sunt, in potestate parentum non sunt, postea redigantur in potestatem patris: qualis est is, qui dum naturalis* (id est, illegitimus) *fuerat, postea curiæ datus potestati patris subjicitur.*

§. ult. Inst. de Nupt.

Dico igitur cum Sanchio sup. illegitimum, quamdiu non est subjectus potestati patris, posse contrahere Matrimonium cum filio adoptivo, quidquid alij in contrarium sentiant.

Sanchez.

428. *Solvitur objectio desumpta ex c. 1. 30. q. 3.*

Nec obstat cap. *Ita diligere*, 30. q. 3. ibi. *Quandoquidem nec inter eos, qui naturâ, & eos, qui adoptione filij venerandæ Romanæ leges Matrimonia contrahi permittunt.* Quia (inquit Sanchez sup.) nomine filij naturalis, intelligit textus carnalem, ut distinguitur contrà filium spiritualem: & quàmvis filius illegitimus sit verè carnalis; at ratio cogit nos, ut intelligamus eum textum de filio carnali legitimo.

Ratio quare filius illegitimus non contrahat impedimentum.

Sed quæ hæc ratio? Quia cum cognatio orta inter filios legitimos & adoptivos cesset, solutâ patriâ potestate; à fortiori non contrahetur, ubi carnalis filius est talis, ut non transeat in patriam potestatem, neque ei acquirantur quædam jura,

quæ solvuntur per emancipationem.

Quod addo: quia per simplicem adoptionem, adoptatus non transit in potestatem adoptantis; & tamen probabile est, quòd ex tali adoptione oriatur impedimentum, ut suprà ostendimus; quia saltem per ea acquiruntur quædam jura, quæ dissolvuntur per emancipationem. Itaque nihil est quod cogit ponere impedimentum inter illegitimum & adoptivum.

429. *Est sententia Glossæ d. q. 3. caus. 30.*

Atque hujus sententiæ est Glos. dictâ *q. 3. caus.* 30. verb. *Quòd autem*, ibi: *Item potest dici, quòd filius, qui adoptatur, non dico, arrogatur, possit copulari filiæ naturali, cùm adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, ut Instit. de Adopt. §. 2. Item potest dici, quòd filius illegitimus potest copulari filiæ adoptivæ, quia illegitimus non est in potestate patris, ut Instit. de nuptijs §. ult. Licet illegitimus non possit copulari filiæ spirituali. Alij dicunt, quòd nec arrogatus, nec adoptatus potest copulari naturalibus: quia licet adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, acquiruntur tamen ei quædam jura ex adoptione, quæ dissolvuntur per emancipationem, ut Cod. de Adopt. l. penult. §. penult.*

Et Glos. c. un. de Cognat. legali.

Eisdem ferè verbis utitur Glos. cap. un. de Cognat. legali verb. *Quamdiu*, ibi: *Item posset dici, quòd filius adoptatus posset copulari filiæ adoptantis, cum adoptatus non transeat in potestatem adoptantis. Sic etiam potest dici, quòd filius illegitimus potest copulari filiæ adoptivæ, quia illegitimus non est in potestate patris .... Alij dicunt, quòd adoptatus non potest copulari filiæ adoptantis, quia licet adoptatus* &c. ut sup. *Et hoc idem videtur per decretalem istam, quæ indistinctè loquitur de adoptione, non distinguendo inter arrogatum, & adoptatum. Et hoc impedimentum desinit per emancipationem alterutrius. ff. de Adopt.* In omni, *ff. de Ritu nupt. Per adoptionem.* Sed de hoc casu satis.

430. *An filij adoptivi possint contrahere inter se.*

Alium ibidem proponit Glossa verbis præallegatis immediatè subdens: *Sed nunquid filij adoptivi possunt contrahere inter se? Dici potest, quòd sic; quia non invenitur prohibitum.* Et ecce pervenimus ad postremam partem nostræ Conclusionis, quæ consonat huic Glossæ, contrà aliquos, quos citat Sanchez sup. n. 28. ubi cum Alijs tenet & ipse sententiam Glossæ.

Probatur quòd sic, ex Sanchez.

Probat autem eam eâdem ratione; nimirum, quia nullo jure est cognatio inter hos statuta. Et cap. un. de Cognat. legali, quod pro contraria parte citatur: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit* &c. loquitur de vera filia patris adoptantis, quæ incipit esse soror adoptiva filij adoptivi sui legitimi patris. Nec hæc impedimenta ex sola rationis similitudine inducenda sunt.

431. *Confirmatur.*

Adde: inter filios spirituales ejusdem patris spiritualis, qui magis conjuncti sunt inter se quàm legales, posse consistere Matrimonium: ergò à fortiori inter legales. Hæc ille.

Oppugnatur confirmatio, & arguitur pro opposita sententia.

Sed quæro ego: unde constat, filios spirituales ejusdem patris spiritualis esse magis conjunctos? Certè homines ab eodem Parocho baptizati, nec nomine, nec re ostendunt, se inde agnoscere aliquam specialem inter se conjunctionem, non majorem, quàm si à diversissimis forent baptizati. At verò filij adoptivi ejusdem adoptantis simul solent habitare, & succedere ab intestato, aut per testamentum; ergò major videtur esse conjunctio inter filios adoptivos, quàm filios spirituales. Cùmque, secundùm D. Tho. sola cohabitatio videatur esse ratio hujus impedimenti, quidni etiam reperiatur hoc impedimentum inter filios adoptivos ejusdem adoptantis, inter quos etiam invenitur cohabitatio?

Hoc argumentum non tangit Sanchez: ego autem respondeo, rationem legis non sufficere, nisi adsit voluntas Legislatoris expresè vel tacitè. Censetur autem tacitè seu interpretativè adesse, quando alioquin lex foret irrationabilis, id est, quando Legislator irrationabiliter ageret hoc præcipiendo, & non aliud, in quo militat eadem prorsus aut similis ratio. Iam autem in nostro casu, quàmvis Legislator propter cohabitationem, & periculum fornicationis ex ea consequens, potuisset justè impedire Matrimonium inter filios adoptivos ejusdem adoptantis, sicuti inter filium adoptivum & naturalē; tamen etiam justè potuit non impedire, ad vitandam scilicet nimiā multiplicationē impedimentorū; & quia major debetur reverentia (quæ etiā secundùm nos est causa impedimenti) filio naturali, tamquam magis conjuncto patri adoptivo, quàm filio adoptivo tantùm. 432. *Resp. Auctoris ad arg.*

Transit itaque cognatio legalis tum in uxores adoptantis & adoptati, tum etiam in filios eorum, sed illos tantùm, qui subsunt patriæ potestati; atque adeò adoptatus posset contrahere cum illegitimis adoptantis, aut cum legitimis emancipatis; & consimiliter adoptans posset contrahere cum illegitimis adoptati, aut cum legitimis emancipatis, vel qui ex alia causa non subsunt patriæ potestati, ac proindè cum filia filiæ adoptivæ; quandoquidem fœmina non habeat filios in sua potestate; & per consequens, si fœmina ex indulto Principis quempiam adoptaret in filium vel filiam, adoptatus vel adoptata posset contrahere cum filio vel filia adoptantis. 433. *Resolutio finalis.*

Hinc Instit. de Nupt. §. 4. ita scriptum est: *Ejus mulieris, quam pater tuus adoptavit filiam, non videris impediri uxorem ducere; quia neque naturali, neque civili jure tibi conjungitur.*

Sed nunquid conjungitur pater aut mater? Id est, nunquid transit cognatio legalis in parentes adoptati, quemadmodum transit in filios, qui subsunt patriæ potestati? Responsio negativa est communis. At quæ ratio disparitatis? cùm se habeant in eadem proximitate; & cognatio spiritualis transeat à filio baptizato in patrem, ut patet ex supradictis de hac cognatione. 434. *Cognatio legalis non transit in parentes adoptati.*

Doct. Seraphicus sup. sic ait: *Ad illud quod quæritur, quare cognatio legalis non transit in patrem? dicendum, quod cognatio spiritualis transit in patrem, quoniam eumdem regenerat, quem pater generavit: ita quod cognatio spiritualis respicit bonum interius, & ideò communicatur in uno; & ideò contrahitur cognatio compaternitatis: sed adoptans adoptatum assumit ad aliquod extra, ideò non sic communicatur.* *Probatur ex D. Bonav.*

Et ibidem: *Ad illud*, inquit, *quod quæritur, quare non transit in ascendendo. Dicendum, quod humor venit à radice ad ramos, non è converso: & quoniam filij rami sunt patris, ideò cognatio legalis à patre com-*

communicatur filijs, non sic oportet, nec debent communicare parentibus.

435. *Convenit Doct. Angel.*

Simili modo respondet ad hanc difficultatem Doct. Angelicus suprà: *Ad primum ergò dicendum, quòd per generationem spiritualem non trahitur filius extra potestatem patris, sicut fit per adoptionem, & sic filius spiritualis manet filius utriusque simul, non autem filius adoptivus: & ideò non contrahitur aliqua propinquitas inter patrem adoptantem & matrem vel patrem naturalem, sicut erat in cognatione spirituali.*

Utut sit de his rationibus disparitatis, habemus clarum textum, extendentem cognationem spiritualem ad parentes baptizati; nullus autem textus vel obscurè saltem extendit cognationem legalem ad parentes adoptati: ergò nec nos extendamus. Et quia hìc aliud non occurrit scitu necessarium Theologis, lubens procedo ad impedimentum affinitatis, pro quo instituitur

SECTIO VI.

DE

IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

1. *De quibus hic sit disputandum.*

AD cognationem jam consideratam proximè accedit affinitas, ideò congruenter hâc Sectione de ea tractabimus. Et primò quidem disputabimus, quid sit affinitas, ac qualiter contrahatur. Secundò, an sit impedimentum dirimens Matrimonium pòst contractum. Denique, inter quas personas dirimat. De primo ponitur.

CONCLUSIO I.

Affinitas est propinquitas quædam, proveniens ex omni & sola copula carnali, aptâ ad generationem.

2. *Qui sint affines, & unde dicti, ex l. 4. ff. de Grad.*

INcipio cum verbis Modestini lib. 12. Pandectarum, & habentur l. 4. ff. de Gradibus & Adfin. §. 3. & seqq. *Adfines sunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Namque conjungendæ adfinitatis causa fit ex nuptijs. Nomina verò eorum hæc sunt, socer, socrus, gener, nurus, noverca, vitricus, privignus, privigna. Gradus autem adfinitati nulli sunt.*

Nomina eorum ex ead. l.

Et quidem viri pater uxorisq;, socer; mater autem eorum, socrus appellatur..... filij autem uxor, nurus; filiæ verò vir, gener appellatur. Vxor liberis ex alia uxore natis, noverca dicitur: matris vir ex alio viro natis, vitricus appellatur. Eorum uterque natos aliundè privignos, privignasq; vocant. Potest etiã sic definiri socer, uxoris meæ pater, ego illius sum gener. Socer magnus dicitur uxoris meæ avus, ego illius sum progener. Et retrò pater meus uxoris meæ socer est: hæc illi nurus. Et avus meus, socer magnus est, illa illi pronurus. Item prosocrus mihi uxoris meæ avia est, ego illius sum progener. Et retrò mater mea, uxoris meæ socrus est, illa huic nurus; & avia mea socrus magna est, & uxor mea illi pronurus est. Privignus est uxoris meæ filius ex alio viro natus, ego illorum vitricus: & in contrarium uxor mea, liberis, quos ex alia uxore habeo, noverca dicitur: liberi mei illi privigni. Viri frater levir; Viri soror glos dicitur. Duorum fratrum uxores janitrices dicuntur. Hactenùs Iurisconsultus.

A quo non dissentiunt Theologi, qui communiter definiunt affinitatem hâc formâ verborum: *Est propinquitas personarum, ex carnali copula proveniens, omni carens parentelâ.* Dicitur: *Propinquitas* (inquit Sanchez sup. disp. 64. n. 1.) quia in hoc convenit cum cognatione carnali. *Ex carnali copula proveniens*, in quo ab illa distinguitur. Et dicitur generaliter: *Ex copula*; quia oritur ex copula licita vel illicita. *Omni carens parentelâ*; intelligitur per se, & ex parte affinitatis, cui per accidens est, ut aliquando affinitas & consanguinitas in eodem reperiantur. Ita dictus Auctor cum Doct. Angelico & Seraphico 4. dist. 41. ubi tractant de hoc impedimento.

3. *Quid sit affinitas, & explicatio definitionis, ex Sanchez cum DD. Angel. & Seraphico.*

Et consonat Doct. Subtilis eâdem distinctione q. un. dicens: *Hic breviter ratio affinitas potest poni talis.* Affinitas est vinculum quoddam personæ ad personam aliquam ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum. *Semper enim, quia persona carnaliter copulata est consanguinea alicui, ideò illa, cui copulatur, fit affinis illius, & è converso, & est quasi expositio nominis,* Affinis, *id est,* accessio ad affines; *cõjunctus enim carnaliter alicui, de cõsanguinitate aliqua, accedit per hoc ad affines illius consanguinitatis; & ideò habet vinculum talis accessus ad omnes de illa consanguinitate. In isto vinculo possunt assignari gradus & lineæ, sicut priùs in consanguinitate, & pro his omnibus est una brevis regula.*

Consonat Doct. Subtilis.

Quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis distat ab eodem illa, quæ est ab isto carnaliter cognita. *Non dico,* uxor; *quia hoc non requiritur; non solùm enim cum uxore, sed cum concubina vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri, imò in incestu.*

4. *Non requiritur copula cum uxore.*

Non sufficit ad affinitatem propriè dictam, quod sit uxor, sed requiritur carnalis conjunctio, ut habetur 35. quæst. ultim. Fraternitatis, *ubi dicitur de conjugibus, quòd si una caro, non potest esse, quòd aliquis sit propinquus uni eorum, quin pertineat alteri. In quo datur intelligi, affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione carnali. Extendendo tamen affinitatem, dicitur contrahi non solùm cum uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognitâ; & quod plus est, cum illa, cum qua præcisè contrahuntur sponsalia.* Hucusque Scotus.

Non sufficit, quòd aliqua sit uxor, ad affinitatem propriè dictam.

5. *Etymologia nominis ex Sanchez.* Sed paulò fusiùs singula expendamus; quia non omnibus omnia placent. Atque in primis, quantùm ad etymologiam nominis, dicitur affinitas (inquit Sanchez sup.) quasi finium propinquitas: unde affines, teste Cicerone Invectivâ 4. in Catilinam, dicuntur aliqui, quia unus trahitur ad fines alterius. Sicut enim agri dicuntur affines, quia finis unius est proximus fini alterius, ita affines sunt consanguinei alterutrius conjugis alteri conjugi, quòd duæ cognationes inter se diversæ copulentur per nuptias, & altera ad alterius fines accedat. Hæc ille.

6. *An requiratur copula conjugalis.* Sed si requiritur, dicet aliquis, copulatio per nuptias; ergò non contrahitur affinitas cum concubina vel meretrice; sed requiritur uxor, contrà Scotum suprà.

Quod sic, probatur per l. 4. ff. de Grad. Et ecce prima difficultas, quæ fundari potest in l. *Non facilè*, 4. ff. de Gradibus, in qua postquam jurisconsultus, ut suprà vidimus, descripsit affinitatem, & recensuit nomina affinium, §. 8. sic ait: *Sciendum est, neque cognationem, neque adfinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, quibus adfinitas conjungitur.* Undè nec pater concubinæ, vel meretricis, appellari solet socer, neque mater socrus, & sic deinceps.

Confirmatur. Adde: quòd copula fornicaria non sit nata parere vinculum amicitiæ; sed potiùs odium inter concubinam, & consanguineos concubinarij, uti etiam inter consanguineos concubinæ, & concubinarium. Iam autem affinitas est vinculum aliquod amicitiæ; ergò ex fornicaria copula non oritur affinitas.

7. *Alia probatio. ex c. 6 de Eo &c.* Denique: impedimentum, quod oritur ex copula illicita, appellatur in jure Canonico publica honestas, cap. *Discretionem*, 6. de eo qui cognovit consanguineam &c. ibi: *Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd & viro pro tam turpi facinore gravis est pœnitentia injungenda, & mulier propter publicam honestatem est monenda sollicitè, ut nec primum repetat, cujus consanguineus eam, licèt invitam, cognovit* &c. Et cap. *Tuæ*, 10. *Et cap. 10. eod.* eod. ibi: *Nos igitur respondemus, quòd uxor ut à commixtione viri* (qui ejus sororem cognoverat) *abstineat propter publicam honestatem* &c.

Oppositæ doctrina est communis. Sanchez. Nihilominùs doctrina Scoti est communis, ut videre poteris apud Sanchez suprà n. 16. quàmvis ipse disp. 65. n. 9. cum alijs, quos citat, existimet affinitatem, ortam ex copula fornicaria, non esse naturalem, sed juris tantùm Ecclesiastici. Quod an verum sit, statim videdebimus. Scotus hujus controversiæ non meminit.

8. *Probatur 1. etiam intellecta de affinitate naturali. Coninck.* Probatur autem assertio, etiam intellecta de affinitate naturali, prout eam intelligit Coninck disp. 32. n. 49. cum Alijs à Sanchio sup. n. 8. relatis. Probatur, inquam, primò: quia tota ratio, cur aliqua copula naturaliter aliquos reddat affines, est; quia efficit eos unam carnem, ut colligitur ex D. Gregor. relato cap. *Fraternitatis*, 35. q. 10. ibi: *Si una caro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri? Hoc minimè posse fieri credendum est.* Quia videlicet sanguis unius alterius sanguinem tangit, ac proindè consanguinei unius trahuntur ad quamdam alterius cognationem.

Subsumo: atqui per copulam fornicariam fiunt fornicarij una caro, teste Apostolo 1. Corint. 6. v. 15. & 16. ubi ait: *Tollens ergò membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici* (scilicet per fornicationem, de qua ibi Apostolus loquitur) *unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una.* Ergò hæc copula etiam naturaliter inducit affinitatem.

9. *Resp. Sanchez, qui putat non oriri affin. naturalem.* Respondet Sanchez sup. n. 14. diversam esse rationem in copula conjugali, ac fornicaria. Quia per illam vir & fœmina conjunguntur, & fiunt una caro, ut inde naturaliter oriatur amicitia. Quod secùs contingit in hac, potiùs enim odia & rixæ pullulant. Præterea; licet illa ratio probet, jure naturæ optimo Ecclesiam statuisse hanc affinitatem, at non probat eam esse de jure naturali. Non enim omnia, quæ juri naturali innituntur, sunt de jure naturali: sed quæ sunt per se nota, vel ex per se notis inferuntur. Quippè omnis lex justa ratione naturali innititur, nec tamen omnis jus naturale continet.

Oppugnatur. 1. At contrà: d. cap. *Fraternitatis*, dicit, copulam inducere affinitatem, non quia conciliat uni parti amicitiam consanguineorum alterius partis; sed quia facit, ut duo fiant una caro, quod per copulam fornicariam verè & propriè fit.

10. *Secundò ex Coninck.* Præterea: si loquamur de copula per se spectata, & prout abstrahit à dedecore conjuncto, etiam ipsa conciliat amorem inter eos, qui eam habent; atque ita tam animis, quàm quâdam etiam ratione corpore, facit eos quid unum: quæ unitas (inquit Coninck sup. n. 50.) est fundamentum omnis amicitiæ & reverentiæ, quæ nascitur inter consanguineos unius partis cum altera parte. Amor enim & reverentia filiorum in patrem naturaliter hos inclinant, ut ament & revereantur eos, qui sunt quodammodò unum cum patre.

Hinc apud eos, quibus concubinatus non est turpis, est aliqua reverentia filiorum ergà concubinam patris. Et quàmvis inter homines benè institutos concubinatus reddat concubinam vilem, ac detestabilem filijs ipsius concubinarij, utpotè quæ parenti sit causa turpitudinis, & perditionis eidem; tamen ratione duce, etiam patre mortuo ejusdem copulam abhorrent, tamquam rem, quæ sit contrà reverentiam patri debitam, eò quòd is, qui ejus turpitudinem revelat, Patris turpitudinem censetur revelare, cum quo illa una caro facta est, in quo omnis ratio affinitatis in ordine ad præsentem effectum consistit. Hùcusque Coninck.

11. *Quare ex concubinatu oriantur odia.* Itaque quòd oriantur odia & inimicitiæ, ex eo fit, quòd filij concubinarij ducant sibi probro talè copulam, utpotè cedentem in dedecus familiæ; aliàs nata est resultare amicitia etiam ex tali copula, ut in aliquibus compertum est, qui, quando res occulta est, ita diligunt filios natos ex fornicatione fratris vel sororis, ac si essent nati ex conjugio, cùm tamen, quando res est publica, potiùs eos odio habeant. Atque idem evenit respectu consanguineorum, quos ille, qui habuit

copula

copulam fornicariam, diligit, ſicut ſi fuiſſet copula licita, & conſanguinei ſimiliter illum, niſi fiat propter dedecus, ut dixi.

Per accidens ergò eſt, quòd oriatur odium & inimicitia. Sicut etiam aliquando noverca odit privignum, & econtrà, non per ſe, ſed per accidens; quia jam magis amat proprios filios; inde tamen minimè ſequitur, eam affinitatem non eſſe naturalem.

12. *Oppugnatur tertiò.* Fateor, non omnia, quæ jure naturali innituntur, eſſe de jure naturali, ſed quæ ſunt per ſe nota, vel ex per ſe notis inferuntur. Aſt dico, affinitatem, quæ oritur ex copula conjugali, non magis eſſe per ſe notam, aut ex per ſe notis inferri, quàm affinitatem ex copula fornicaria.

Et adducitur auctoritas D. Greg. Unde D. Greg. Epiſt. ad Felicem, quæ habetur lib. 12. Epiſt. 31. & refertur cap. *Nec eam*, 35. q. 3. expreſsè ait, inceſtuoſum eſſe coitum, & abominabilem Deo & cunctis hominibus, ſi quis ducat aliquam, quæ uxor fuit proprij conſanguinei, vel ab eo illicitè eſt cognita. Hæc ſunt verba Pontificis: *Nec eam, quam aliquis ex propria conſanguinitate conjugem habuit, vel aliquâ illicitâ pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profectò licet Chriſtianorum, aut licebit: quia inceſtuoſus eſt talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis hominibus.* Sentit ergò eſſe contrà jus naturæ; aliàs non eſſet coitus ille inceſtus & abominabilis cunctis hominibus. Et in fine videtur concludere, eſſe naturæ ordine eum inceſtum prohibitum. Ita aliqui argumentantur.

13. *Quid Sanchez ad eam reſpondeat.* Reſpondet Sanchez ſup. n. 14. D. Gregorium non ſignificare ibi, cum coitum eſſe ordine naturæ inceſtum; ſed tunc eſſe inceſtum, quando priùs eſt habitus coitus ordine naturæ, id eſt, intrà vas naturale, cum conſanguinea illius, cùm qua admittitur modò fornicatio: ut benè explicat Gloſſa eo capite *Nec eam*, verbo, *Naturæ*. Et dum dicit eſſe inceſtum apud omnes homines; non dixit id abſolutè, ſed bonos homines, & apertè loquitur de Chriſtianis, cùm dicat, Chriſtianos non poſſe id Matrimonium inire; quia apud bonos homines eſſet inceſtus. Hæc ille.

Subdo verba Gloſſæ, vel potiùs Gratiani: *Naturæ videlicet ordine, ſi verò extraordinariè, non ſic.* Ubi Gloſſa, verb, *Naturæ, Reſpicit*, inquit, *illud verbum, Maculaverunt*, ſive, ut habet textus: *Maculavit*. Et nota, quòd in textu non habentur hæc verba: *Naturæ ordine*, & quod in originali Epiſt. D. Greg. ad ly *Cunctis*, additur, *Bonis*.

14. *Quæ hìc ſit extraordinaria pollutio.* Rogas: quæ hìc cenſeatur extraordinaria pollutio? Patet ex ſequenti capite: *Extraordinaria pollutio non niſi in naturalibus admiſſa, vel ſæpiùs iterata citrà maritalem affectum, ſi præbitis Sacramentis ita eſſe conſtiterit, quemadmodum nobis tuis ſignificatum eſt litteris, non videtur Matrimonium impedire, quamvis ipſa ſit criminoſa & damnabilis.*

Ubi Gloſſa in expoſitione caſûs. *Quidam*, inquit, *polluerat mulierem extrà membrum ad hoc deputatum, & non contraxerat Matrimonium cum ea, & hoc poterat conſtare per juramentum; quæſitum eſt, utrum ejus conſanguineus illam ducere poſſet? Reſpondetur, quòd poteſt.* Et verb. *Extraordinaria*, ait: *Id eſt, citra vel circà naturalia, & non intrà, ita quòd non attigit clauſtra pudoris, ſed in circuitu ejus palpitabat.*

Igitur ex hac auctoritate Gregorij non ſatis efficaciter probatur intentum; quia ſufficienter poteſt explicari de inceſtu, ſuppoſitâ prohibitione Eccleſiæ, ut patet ex dictis.

15. *Alia probatio ex l. 4. Cod. de Nupt. Coninck.* Aliam probationem adducit Coninck ſup. n. 49. ex l. *Liberi*, 4. Cod. de Nuptijs, *Liberi concubinas parentum ſuorum uxores ducere non poſſunt; quia minùs religioſam & probabilem rem facere videntur. Qui ſi contrà hoc fecerint, crimen ſtupri committunt.* Ita Alex. Imperator. Ubi (inquit Coninck) clarè oſtendit, ex tali copula aliquam cognationem naſci.

Rejicitur ex alia l. Planè, inquis, ſed non eam, quæ naturaliter naſcitur ex copula conjugali. Alioquì malè dicitur l. *Non facilè*, ſuperiùs allegatâ, ex ſolis nuptijs oriri affinitatem.

16. *Reſp. Coninck.* Reſpondet Coninck ſup. n. 50. eam legem nihil facere ad rem. Primò; nam aliàs probaret, ex fornicatione natos non contrahere cognationem; quia eodem modo de cognatione & affinitate loquitur. Secundò; quia aliàs apertè contradiceret l. *Liberi*, ſup. citatæ. Tertiò; quia ſolùm dicit, affinitatem non contrahi ex nuptijs interdictis, inceſtuoſis ſcilicet, idque non abſolutè, ſed quantùm ad aliquos effectus civiles, v. g. ſucceſſionem & ſimiles: quia lex noluit concedere hæc privilegia ijs nuptijs, quas damnabat.

Unde ibidem etiam ſtatuit, diminutos capite, ſive qui civitatem ac libertatem perdiderant, aut quibus aquâ & igni interdictum erat, perdere omnem cognationem ac affinitatem, quod de vinculo naturaliter antè contracto dici nequit. Nec enim per ea fratres poterant definere eſſe fratres, aut privigni eſſe privigni. Ita Coninck.

17. *Oſtenditur Sanchez perperàm adducere l. pro ſua ſententia.* Miror ego valdè, Sanchium ſup. n. 9. dictam legem pro ſua ſententia voluiſſe afferre, cùm eam eodem modo explicet diſp. 64. n. 16. contrà illos, qui negabant ex copula illicita oriri affinitatem, ibi: Nec obſtat d. lex: *Non facilè*: quia reſpondet ibi Gloſſa verb. *Per nuptias*, non oriri affinitatem quoad delationem hæreditatis, vel tutelæ, ſecùs quoad Matrimonij prohibitionē.

Et ratio differentiæ eſt: quia leges civiles in favorabilibus, qualia ſunt delatio hæreditatis, & tutelæ, noluerunt favere illicitæ copulæ: at verò jus Canonicum, ob reverentiam ineundi Matrimonij, reſpexit conjunctionem præcedentem, quàmvis illicitam. Hæc ille.

Quomodò ergò rectè diſp. 65. n. 9. per eam legem probat, affinitatem, ortam ex copula fornicaria, non eſſe naturalem? An fortè, quia affinitas naturalis neceſſariò habet illos effectus? Sed hoc probandum foret, non ſupponendum. Contrarium autem videtur verum: quia hi ſunt effectus civiles, ut dicit Coninck ſuprà, & Sanchez fatetur ſuprà dicens, Leges civiles in favorabilibus, qualia ſunt delatio hæreditatis & tutelæ, noluerunt favere illicitæ copulæ. Ergò quòd licita copula habeat

omnes

omnes eos effectus, non provenit ex natura rei, sed dispositione juris.

18. *Nomina, quibus affines solent nominari, sunt jure humano inventa.*

Uti etiam nomina, quibus affines solent nominari, ut socer, socrus, gener, &c. quæ suprà enumeravimus ex d. l. *Non facile*, non ex natura rei, sed jure humano inventa sunt; quod utique jus, sicut detestatur copulam illicitam, tamquam probrosam; ita noluit affines ex tali copula ejusmodi nominibus insignire, quàmvis alioqui, ut notat Coninck suprà, eisdem planè vocari possent; sed quia talis affinitas probro ducitur propter copulam, ideò communiter non solemus tales affines ijs nominibus compellere.

Ex copula illicita oritur affinitas positiva.

Utut sit de affinitate naturali, de qua inferiùs iterùm redibit quæstio, Omnes, paucis exceptis, admittunt, ex copula illicita aliquam provenire affinitatem, saltem positivam juris Ecclesiastici. Alioquin cur Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. restrinxisset affinitatem ex fornicatione ad secundum gradum, ut infrà videbimus?

19. *Resp. ad jura in contrarium.*

Nec obstant jura superiùs ex adverso adducta; putà cap. *Discretionem.* & cap. *Tuæ*, de Eo qui cognovit &c. In quibus vocatur hoc impedimentum publica honestas; quippè in eisdem textibus paulò pòst appellatur etiam affinitas, cap. *Discretionem* ibi: *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimè Matrimonium inter virum & uxorem iniquè contrahitur* &c. Et cap. *Tuæ*, ibi: *Cùm affinitas post Matrimonium iniquè contracta* &c.

Hinc Gloss. d. cap. *Discretionem*, verb. *Publicam honestatem*, inquit: *Id est, affinitatem, quæ sic iniquè contrahitur.* Et d. cap. *Tuæ*, verb. *Honestatem*: *Id est, affinitatem, sup. eod. Discretionem.*

Manet ergò vera doctrina Scoti, quæ ait: *Cum concubina vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri, imò in incestu.*

20. *Ad affinitatem propriè dictam requiritur carnalis conjunctio, ex Scoto.*

Uti etiam verissimum est quod sequitur: *Non sufficit ad affinitatem propriè dictam, quod sit uxor, sed requiritur carnalis conjunctio, ut habetur 35. q. ult. Fraternitatis*, ibi: *Si una caro fiant* &c. Et d. cap. *Extraordinaria*, ubi, ut suprà vidimus, Vrb. 2. rescripsit: Extraordinariam pollutionem non impedire Matrimonium, sed illam solam, quæ in naturalibus admittitur. Vide verba textûs suprà.

Ea sola apta ad generationem.

Proinde ex sola copula carnali, aptâ ad generationem, provenit affinitas; quia per illam solam fiunt una caro, & illa est pollutio, quæ in naturalibus admittitur, & non alia. Breviter, requiritur talis copula, per quam Matrimonium, si præcessisset, consummaretur, de qua re diffusiùs egimus præced. disp. Sect. 3. Conclus. 10. videantur ibi dicta.

21. *Sententia Pontij de hoc puncto.*

Pontius lib. 7. c. 33. n. 2. sic ait: Ut contrahatur affinitas, necessaria est in primis carnalis copula. Undè si semen alicujus viri ope dæmonis deferatur in uterum fœmineum, probabile judico, non contrahi affinitatem, quidquid Tho. Sanchez lib. 2. disp. 21. n. 2. dicat; quia illi non sunt facti una caro, nec sibi adhæserunt, & aliàs innumeros scrupulos injiceret ea opinio, dubitantibus hominibus, an ab illis dormientibus decisum semen raptum à dæmone, aliòque delatum esset. Undè neque si casu ad se traheret uterus fœmineus semen viri cum ea ludentis, contraheretur affinitas.

22. *Copula Eunuchorum non valet.*

Requiritur pretereà, ut in ea copula sit effusio veri seminis, quâratione ex copula eunuchorum utroque teste carentium, non oritur affinitas ulla; neque ex copula non consummata aliquorum, si ante decisionem seminis separentur. Parùm autem refert ad affinitatem contrahendam, quod fœmina seminet, vel non, cùm ejus semen ad generationem necessarium non esse sit constans opinio.

Debet copula fieri intra vas naturale.

Debet autem ea effusio seminis fieri intrà vas naturale, copulâ interveniente. Quare si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam vel in vase præpostero, vel emittens semen post extractum è vase naturali membrum, quamvis postmodum casu illabatur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas. Hæc Basilius.

23. *Sanchez putat sufficere receptionem seminis in uterb fœminæ quâcumque viâ.*

Qui licet in plerisque cum alijs conveniat, discrepat tamen in uno puncto; videlicet, quòd existimet necessariam copulam materialem, ut sic loquar, cùm alij communiter cum Sanchio doceant, sufficere copulam formalem, ut sic loquar, id est, semen virile receptum in utero fœminæ, quâcumque ratione id contingat, sive casu per attractionem, sive ope dæmonis.

Resp. ad fundamentum oppositum, ex D. Tho. & D. Bonav.

Quę sententia etiam nobis magis placet. Nam quod ait Pontius: illi non sunt facti una caro, probandum est, non supponendum. Sanè secundùm Doctorem Angelicum 4. dist. 41. a. 1. quæstiunculâ 4. ad 2. *vir & mulier efficiuntur una caro per commistionem seminum.* Et Doctor Seraphicus eâd Dist. q. 1. ait: *Tunc dicuntur una caro fieri, quando per commixtionem seminum fit consummatio illius operis.* Atque hoc putant hi DD. sufficere ad contrahendam affinitatem.

24. *Commixtio seminum potest fieri sine materiali copula.*

Iam autem supponitur, sine materiali copula fieri commixtionem seminum seu sanguinum, sufficientem per se ad generationem. Ergò facti sunt una caro, hoc est, sanguis unius alterius sanguinem tetigit; & ideò consanguinei unius trahuntur ad quamdam alterius cognationem.

Nec video, quos scrupulos hæc opinio possit injicere hominibus, quàmvis & de scrupulis parùm curandum, ut propterea oporteat recedere à communi sententia, quæ non scrupulis innititur, sed solido fundamento. Reverà scrupulizat, qui dubitat, an dormienti decisum semen raptum sit à dæmone, aliòque delatum. Ubi autem certis indicijs constaret id factum, quod nunquam fortè factum fuit, non erit scrupulus, sed fundata opinio, ex tali facto ortam fuisse affinitatem.

25. *Sanctium sequitur Aversa.*

Manifestum apparet (inquit Aversa q. 17. sect. 1. in fine) si per conatum aliquem viri aut appropinquationem carnis antè penetrationem exiliat semen intrà vas fœmineum, verè perfici copulam & consummari Matrimonium, cùm per hoc gigni possit proles, concurrente simul fusione seminis fœminei. Et similiter quocumque modo fiat infusio & commixtio seminis. Et per hanc propriè fit una caro, etiamsi contingat absque penetratione membrorum. Neque

per

per hoc injiciuntur scrupli : non enim propterea debent homines dubitare, de eo quod dæmon facere potest, & in eorum notitiam non devenit. Hæc ille.

26. *Occurritur objectioni.* Nec obstat : quòd omnia jura meminerint copulæ ; id enim factum est, eò quòd communiter alio modo non misceantur semina sufficienter ad generationem prolis. Iam autem ratio affinitatis adæquata, est hujusmodi mixtio ; ubi ergò illa intervenit, quocumque modo illa fiat, ibi est affinitas. Et ubi illa non reperitur, sive adsit copula, sive non, nulla est affinitas. Igitur per copulam jura intelligunt copulam perfectam, attentâ ratione, propter quam oritur ex copula affinitas.

Alia objectio ex cap. 3. de Sponsal. Sed contrà, dicet aliquis : oppositum colligitur ex cap. 3. de Sponsal. ubi Eugenius Papa statuit, quod hic sequitur : *Iuvenis qui puellam nondum septennem duxit : ex humana tamen fragilitate forsan tentavit quod complere non potuit. Quia igitur in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus ..... Mandamus, quatenus consobrinam ipsius puellæ, quam postmodum duxit, dividas ab eodem.* Utpotè quia tentando copulam contraxerat cum ea affinitatem.

27. *Solvitur.* Respondeo : non propter affinitatem ; sed *tum* (ut ipsum jus loquitur) *propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur ; tum propter prædictam dubitationem.*

Sed quæ illa dubitatio ? Glossa ibi verb. *Dubia*, sic ait : *Puella illa post septimum annum non consensit, vel non constabat de consensu ; quia statim recessit ab eo, vel mortua est : verumtamen quia tentavit forsitan, quod complere non potuit, præsumitur, quòd erat doli capax, sive quia malitia supplebat ætatem quoad sponsalia, sicut supplet Matrimonium ; unde propter hoc dubium, tum quia hoc plenè non constabat, tum etiam propter honestatem Ecclesiæ, non potest habere consobrinam ipsius.*

Igitur non propter affinitatem, quæ oritur ex copula ; sed propter publicam honestatem, quæ provenit ex sponsalibus, Pontifex in dubio voluit eos separari.

28. *Repugnat.* Contrà, inquis ; Glossa ibi verb. *Dividas*, opponit d. cap. *Extraordinaria*, 35. q. 3. in quo agitur de impedimento affinitatis. *Arg.* (inquit Glossa) *contra* 35. q. 3. Extraordinaria. *Solu. ibi, extra naturalia eam polluit, & non maritali affectu ; hic verò tentavit in naturalibus & maritali affectu.* Ergò secundùm Glossam hoc sufficit, ad contrahendam affinitatem.

Reprobatur. Respondeo : in eo cap. solùm agitur de impedimento Matrimonij, abstrahendo ab affinitate, & publica honestate, ut patet ex verbis suprà adductis. Unde de hoc ultimo impedimento intelligitur à Glossa, verbo, *Maritalem*, dicente : *Affectum ; nam si maritalis affectus interceßisset, impediret ; arg. extra de sponsal.* Iuvenis, *non propter factum* (id est pollutionem extraordinariam) *sed propter consensum*, 27. q. 2. c. *Si quis uxorem* ; id est, propter publicam honestatem, ortam ex sponsalibus aut Matrimonio rato.

Si quidem de hoc impedimento loquitur d. cap. *Si quis uxorem desponsaverit, vel eam subarrhaverit, quamquam postmodum, præveniente die mortis ejus, nequivit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate ejus, licet accipere eam in conjugio.* Ergò d. Glossa, quæ objiciebatur, potiùs facit pro nobis.

29. *Explicatur c. 7. Et qui &c.* Atque consimiliter intelligi debet caput *Fraternitati*, 7. de eo qui cognovit &c. ubi Innoc. 3. Bisunt. Archiepis. rescribit in hæc verba : *Divortij sententiam approbamus, quam in eum canonicè promulgasti, qui illam sibi postea copulare præsumpsit, cujus antea sororem adhuc septennem, contractis sponsalibus, extraordinariâ libidine noscitur pollusisse.*

Ubi Glos. verb. *contractis sponsalibus*, inquit : *Et sic maritali affectu, cùm esset sponsa ipsius, eam polluit. Sic sup. de Sponsal.* Iuvenis, *& ita non est contrarium* 35. q. 3. *extraordinaria.*

Si dixeris : non requiritur seminatio intra vas, ut liceat celebrare divortium, vel ut vir nequeat intrare Religionem ; ergò nec hæc requiritur ad contrahendam affinitatem.

30. *Quare hìc potiùs requiratur seminatio intrà vas, quàm in divortio, ex Sanchez.* Respondet Sanchez sup. n. 29. quidquid sit de veritate Antecedentis, disparitatem esse, quòd per solam clausuri penetrationem infertur injuria fœminæ & damnum, si liceat transitus ad Religionem, & ideò jus censet, consummari Matrimonium ad eum effectum, ne viro liceat ad Religionem transire. Insuper est violatio fidei conjugalis talis accessus ad non suam, & ideò sufficit ad divortium, juxtà illam sententiam. At verò affinitas petit virum & fœminam sic copulari, ut inde possit subsequi generatio, quod in ea copula imperfecta non reperitur. Ita Sanchez.

31. *Ex copula cum invita, ignorante, dormiente, ebriâ, insanâ oritur affinitas.* Et quoniam id reperitur in copula, habita cum fœmina prorsùs invitâ, ignorante, dormiente, ebriâ, insanâ ; hinc ex ea oritur affinitas. De invita patet ex supradicto cap. *discretionem*, de eo qui cognovit &c. Vide n. 7.

Et eadem est ratio de alijs ; quia scilicet per talem copulam efficiuntur una caro, sive sanguis unius tetigit sanguinem alterius, ita ut per se loquendo possent esse principium unius carnis, nisi obstaret sterilitas, aut aliud accidens,

32. *Non sufficit copula sodomitica, aut cum muliere mortua.* Et ideò ad hunc effectum non sufficit copula sodomitica, aut copula cum mortua muliere. Dubitat tamen Glossa d. cap. *Extraordinaria*, verb. *Sæpiùs* ; an copula sodomitica, propter enormitatem delicti, non impediret Matrimonium, ibi : *Forte si non naturali membro* (admitteretur pollutio) *tunc impediret Matrimonium propter enormitatem criminis.*

Non obstat enormitas criminis, ex Sanchez. Sed enormitas criminis (inquit Sanchez sup. n. 14.) nil prorsùs conducit ad impedimentum Matrimonij statuendum, nisi ea pœna in jure expressa sit : at hæc pœna nullibi exprimitur. Imò d. cap. *Extraordinaria*, videtur expressè decisum contrarium : cum ibi expresse decidatur, in eo solo eventu pollutionem impedimento esse Matrimonio contrahendo cum consanguineis alterius, quando in vase naturali recipitur semen. Secùs ergò est quando in

vase præpostero, & contra naturam. Hæc ille. Nec habeo quod opponam.

33. *Ex Matr. rato oritur impedimentum dirimens.* Et ideò pergo ad aliam difficultatem, quæ aliquibus potiùs videtur esse de nomine, quàm de re: sed reverà etiam de re est, ut statim edissero. Itaque omnes concedunt, ex Matrimonio rato oriri impedimentum, dirimens Matrimonium post contractum inter eas personas, inter quas dirimit affinitas; disputant autem, an debeat vocari affinitas.

Scotus negat esse affinitatem propriè dictam, seçùs latè. Equidem Doct. Subtilis negat, eam esse affinitatem propriè dictam, ut suprà audivimus: *Extendendo tamen* (inquit) *affinitatem, dicitur contrahi, non solùm cum uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita, & quod plus est, cum illa, cum qua præcisè contrahuntur sponsalia.* Potest itaque appellari affinitas, sed impropriè seu latè, quæ proprio nomine solet vocari publica honestas, seu justitia publicæ honestatis, de qua diffusiùs tractabimus sectione sequenti.

34. *Quod placet Sanchio.* Quæ utique sententia placet Sanchio sup. n. 25. ubi sic scribit: Quàmvis possit dici, oriri affinitatem impropriè & largè, seu quoddam affinitatis initium, eò quòd potestas corporum tradita per Matrimonium, est initium actus conjugalis, undè affinitas oritur; at verè & in rigore non est, indè oriri affinitatem.

Propriè est impedimentum publicæ honestatis. Et ita censeo, impedimentum, quod oritur ex Matrimonio rato, esse verè & propriè publicæ honestatis, & non affinitatis. Quia affinitas oritur ex eo, quòd vir & uxor efficiantur una caro per copulam perfectam & consummatam, quod non reperitur in Matrimonio rato. Item: quia hoc impedimentum sic appellatur c. fin. 35. q. 3. *Porrò duorum consobrinorum conjuges, quamvis diversis temporibus, viro uni alteram post alterius obitum nubere, ipsa, præter auctoritatem Canonicam, publicæ honestatis justitia contradicit.* Et ideò non oriri affinitatem, sed impedimentum publicæ honestatis, docent Gloss. cap. *Si quis desponsaverit*, in fine, 27. q. 2. Abbas cap. *juvenis*, n. 4. & alij. Ita Sanchez.

Probat Sanchez ex c. fin. 35. q. 3.

35. *Expenditur d. cap.* Sed ego in dicta Glossa nec in fine, neque in principio invenio hanc doctrinam. Et verò d. cap. fin. nunquid loquitur de Matrimonio rato? Glossa sic exponit casum: *Duobus consobrinis mortuis, quæsitum est, utrùm eorum uxores uni viro nubere possent, una post alteram; & respondetur quòd non, tum propter canonicam prohibitionem, tum propter publicam honestatem.* Adducitur autem hoc caput ad probandum tertium genus affinitatis: sic quippè ait Gratianus. Paschalis verò Papa secundus, scribens Rhegino Episcopo, tertium genus affinitatis assignat, cujus copula non ultrà secundum gradum invenitur prohibita. Ait enim: *Porrò duorum* &c. ut sup. Undè per publicæ honestatis justitiam videtur hic intelligi debere affinitas propriè dicta, quæ oritur ex Matrimonio consummato.

36. *Melius videtur probari ex c. 1.* Utut sit de hoc jure, dicet aliquis; sufficere debet d. cap. *Fraternitatis*, 35. qu. 10. *In quo* (inquit Scotus suprà) *datur intelligi affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione carnali.*

eâd. caus. & 10. Sed qui hoc negaret, & diceret: in eo cap. solùm datur intelligi, affinitatem contrahi mediante commixtione carnali; non autem, hanc commixtionem esse necessariam: quomodo efficaciter redargueretur?

Respondetur: quia cùm Pontifex loquatur de conjugibus, si ex solo conjugio oritur vera & propria affinitas, quid opus erat meminisse commixtionis carnalis ad probandam affinitatem.

37. *Ex Matr. rato oriri affinitatem, videtur sentire d. Tho.* Interìm ex Matrimonio rato oriri affinitatem, & non solùm ex consummato, videtur docere D. Thomas 4. dist. 41. q. un, a. 1. quæstiunculâ 4. ad 2. ibi: *Matrimonium affinitatem causat, non solùm ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam Matrimonium naturale est: undè & affinitas contrahitur eo ipso contractu Matrimonij per verbà de præsenti, antè carnalem copulam: & similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio conjugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet publicæ honestatis justitia.*

Et alij plures. Ejusdem opinionis sunt alij complures tam Theologi quàm Juristæ, quos citat Sanchez sup. n. 24. Ducuntur; quòd per Matrimonij contractum de præsenti adstringuntur conjuges multò arctiori vinculo, quàm per contractum sponsalium de futuro. Ergò vir cum consanguineis uxoris & econtrà, multò perfectiori vinculo, & majori propinquitate conjunguntur. Cùm ergò ex sponsalibus oriatur publica honestas, nec sit aliqua propinquitas media inter affinitatem, & publicam honestatem, dicendum est, ex Matrimonio rato oriri affinitatem. Secundò, quia per vinculum conjugale, cum potestate ad copulam, vir & uxor uniuntur in ratione unius principij ad generationem.

Probatio 1.

Probatio 2.

38. *Responsio Sanchez.* Respondet Sanchez sup. n. 27. illa argumenta solùm probant, arctiùs vinculum publicæ honestatis oriri ex Matrimonio rato, quàm ex sponsalibus, & initium quoddam affinitatis, non tamen verè affinitatem.

Quem sequitur Aversa. Sanchium sequitur Aversa hic q. 17. sect. 1. §. *Non ex sola copula*, ubi sic ait: Constat quidem ex tali contractu oriri impedimentum dirimens ergà alias personas consanguineas: tamen communior & retinendus loquendi modus, non illud appellat affinitatis, sed publicæ honestatis: quamvis alioquì attingat omnem gradum, ad quem extenditur consanguinitas & affinitas; nec sistat in primo tantùm gradu, in quo solo impedit publica honestas orta ex sponsalibus de futuro.

39. *Hic modus loquendi consonat sacris Can.* Ille autem loquendi modus consonat sacris Canonibus: & supponitur à Pio quinto in decreto edito ad Concil. Trident. incipiente: *Ad Romanum spectat* (estque Bulla 62. apud Cherubinum) ubi hoc impedimentum includit sub nomine publicæ honestatis. Et ita refertur declarâsse Congreg. Card. his expressè verbis. *Non esse impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis.* Hæc ille.

Non est de nomine. Et ut scires, non solùm esse quæstionem de nomine,

lium quæstio de nomine

nomine, sed etiam de re; continuò adjungit: Quare excommunicatio, quæ lata est in jure adversùs contrahentes cum affinibus, ne quaquam comprehendit hunc casum, sed omninò ex sola copula oritur impedimentum affinitatis. Ita Aversa.

40. *In quadam Bulla Pij 5. includitur sub nomine publicæ honestatis.*

Porrò quòd hoc impedimentum includatur sub nomine publicæ honestatis in D. Bulla Pij V. patet ex ejus verbis, quæ habentur §. 1. *Sanè ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, an decretum Oecumenici Concilij Trident. Sess. 24. de reform. Matr. c. 3. quo cavetur, impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsùs tolli; ubi verò valida fuerint, non excedere primum gradum, cùm in ulterioribus gradibus non possit hujusmodi prohibitio servari, de sponsalibus per verba (ut ajunt) de futuro tantùm conceptis, intelligatur, vel etiam Matrimonia per verba de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo casu, impedimentum inde proveniens, sublatum fuerit.*

Herculè non erat ratio dubitandi, si impedimentum, quod oritur ex Matrimonio rato, non est justitiæ publicæ honestatis, sed affinitatis; cum Trident. manifestè loquatur de impedimento publicæ honestatis, ut Sect. sequenti videbimus. Et Pontifex facilè respondisset: non censeri sublatum, eò quòd sit impedimentum affinitatis, & non justitiæ honestatis. Iam autem respondet ut sequitur:

41. *Definitio Pontificis.*

Nos itaque, ut omnis difficultas dubitatioq; tollatur, attendentes, quod sponsaliorum appellatione, quâ dictum Concilium utitur, non nisi impropriè Matrimonium, verbis de præsenti conceptis contractum, contineatur: quodq; agitur de correctione juris veteris, quo casu secundùm proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, præsertim cùm longè majorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de præsenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere, à nemine dubitetur: idcircò motu proprio Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus & definimus, Decretum Concilij hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio sic, ut præfertur, contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum (utique justitiæ publicæ honestatis) *in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri antè prædictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus.*

42. *Auctor approbat sententiam Sanchez & aliorum.*

Igitur B. Pius V. judicavit, impedimentum, quod oritur ex Matrimonio rato, esse verè & propriè impedimentum justitiæ publicæ honestatis, alioquì & eam improprietatem pro ratione posuisset, sicut posuit improprietatem sponsaliorum, ut audivimus. Et propterea nobis magis placet sententia Sanchii, quàm etiam alij Recentiores, Coninck, Dicastillo, Perez, Herinx amplectuntur. Nec video, quid ampliùs, quod non est solutum, possit objici pro sententia oppositа. Hic ergò sit finis hujus controversiæ.

An in affinitate detur gradus.

Finem autem Conclusioni imponet, quod ait Scotus sup. *In isto vinculo possunt assignari gradus & lineæ*, quod videtur repugnare Iurisconsulto in l. *Non facile*, 4. ff. de Gradibus §. 5. *Gradus autem affinitati nulli sunt.* Hinc regula (quam refert Glossa cap. *Non debet.* de Consang. verb. *In secundo*) *Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus & non gradum.* *Videtur quòd non per l. 4. ff. de Grad.*

43. *Consonat Doct. Seraph.*

Et Doct. Seraphicus sup. in expos. litteræ. *Secundò*, inquit, *intelligendum est, quòd in affinitate differt genus & gradus: nam genus attenditur secundùm plurificationem commixtionis, sive à parte commixtionis; sed gradus à parte sanguinis & propagationis, propter quod dicitur: Mutat nupta genus, sed generata gradum.*

Exemplificat Sanchez.

Exemplificat Sanchez sup. n. 3. Ut Petrus & Paulus fratres sunt consanguinei in primo gradu, additur persona per carnis copulam, quæ Petro commiscetur, illa persona mutat genus attinentiæ cum Paulo: nam Petrus est consanguineus Paulo; illa autem persona est affinis: at non mutat gradum; quia in eodem primo gradu affinitatis conjungitur Paulo, quo consanguinitatis conjuncti sunt Petrus & Paulus. Quia cum affinitas ex consanguinitate oriatur, distinctio graduum illius mensuratur per distinctionem graduum hujus.

44. *Colligitur ex c. 3. 35. q. 5.*

Atque id colligitur ex cap. 3. 35. q. 5. ubi ex Gregorio lego sequentia verba: *Porrò de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte uxoris, seu quæ ex parte viri ad uxorem pertinet, manifestissima ratio est: quia si, secundùm divinam sententiam, ego & uxor mea sumus una caro, profectò mihi & illi mea suaq; parentela propinquitas una efficitur. Quocircò ego & soror uxoris meæ, in uno & primo gradu erimus, filius verò ejus in secundo gradu erit a me, neptis verò tertio: idq; utrimque in cæteris agendum est successionibus.*

Ostenditur hanc esse doctrinam Scoti.

Quæ utique & non alia est doctrina Scoti, ut satis clarè significant verba subsequentia immediatè: *Sicut prius in consanguinitate: & pro his omnibus est una brevis regula: Quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis distat ab eodem illa, quæ est ab isto carnaliter cognita.*

45. *Affinitas propriè non habet gradus, secùs impropriè.*

Itaque gradus inter affines mensurantur juxtà gradus consanguinitatis. Et ideò propriè affinitas non habet gradus, secùs impropriè, ut Glossa exponit d. leg. *Non facile*, verb. *Nulli sunt*, dicens. *Verum est propriè: nam gradus dicitur ratione cognationis naturalis, quæ hic non est; impropriè tamen, ut hic non possunt dici gradus, ut infrà eod. l.* Iurisconsultus, *in principio*, ubi sic dicitur: *Iurisconsultus cognatorum gradus & affinium nosse debet.*

Ita intelligendus Doct. Seraph. & Alij.

Et juxtà hæc explicandus est Doct. Seraphicus sup. & alij Theologi, quando videntur negare gradus in affinitate; scilicet; qui ei proprij, seu peculiares sint; interim Omnes admittunt, eam habere gradus eosdem, quos habet consanguinitas, ab ea utique mutuatos; non quòd affinitas ex consanguinitate formaliter oriatur, sed quòd eam præsupponat: nam ut ait Doct. Seraphicus sup. *Primo attendendum est, quod differt esse affinem, & esse consanguineum.*

Nam consanguinitas venit ex carnis propagatione, sed affinitas ex carnali commixtione, præsuppositâ tamen consanguinitate.

46. *Vir & uxor non sunt inter se affines.*

Cæterùm ex his colligitur virum & uxorem, seu personas carnaliter copulatas, non esse inter se affines, sed potùs origo & radix affinitatis; ac proindè stipes in affinitate. Unde sicut manet consanguinitas post mortem stipitis, sive ejus, qui causa contrahendæ consanguinitatis fuit; ita etiam manet affinitas post mortem ejus, qui causa affinitatis fuit. Est expressa decisio Gregor. Pontificis, & refertur cap. *Fraternitatis*, 35. q. 10. ibi: *Porrò uno defuncto, in superstite affinitas non deletur.*

Affinitas est vinculum perpetuum, ex d. Bonav.

Hinc Doct. Seraphicus sup. *Secunda notula, quòd ex quo contracta est affinitas, mortuâ personâ, mediante qua contracta est, nihilominus manet affinitas pro eo, quod est vinculum perpetuum, sicut & consanguinitas.*

47. *Quæ ratio hujus perpetuitatis, ex D. Tho.*

Sed quæ ratio hujus perpetuitatis? Loquatur Doct. Angel. 4. dist. 41. q. un. a. 1. quæstiunculâ 2. in corp. *Relatio aliqua desinit esse dupliciter. Vno modo ex corruptione subjecti. Alio modo ex subtractione causæ, sicut similitudo esse desinit, quando alter similium moritur, vel quando qualitas, quæ erat causa similitudinis, subtrahitur. Sunt autem quædam relationes, quæ habent pro causa actionem vel passionem, aut motum; ut in 5. Metaphysic. dicitur: quædam causantur ex motu inquantùm aliquid movetur actu, sicut ipsa relatio, quæ est moventis & moti; quædam autem inquantùm habent aptitudinem ad motum, sicut motum & mobile, & dominus & servus; quædam autem ex hoc, quòd aliquid priùs motum est, sicut pater & filius, non ex hoc, quod est generari, nunc ad invicem dicuntur; sed ex hoc, quòd est generatum esse. Aptitudo autem ad motum, etiam ipsum moveri transit, sed motum esse perpetuum est; quia quod factum est, nunquam desinit esse factum; & ideò paternitas & filiatio nunquam destruuntur per destructionem causæ, sed solùm per corruptionem subjecti per alterutrum extremorum.*

Et similiter dicendum est de affinitate, quæ causatur ex hoc, quod aliqui conjuncti sunt, non ex hoc, quòd conjunguntur: undè non dirimitur, manentibus illis personis, inter quas affinitas est contracta, quamvis moriatur persona, ratione cujus contracta fuit. Hactenùs D. Thomas.

48. *Itemque ex D. Bonav.*

Et eadem in re est responsio D. Bonaventuræ sup. q. 1. *Ad illud*, inquit, *quod objicitur, quòd est vinculum insolubile; dicendum, quòd actio transiens ut plurimùm relinquit effectum perpetuum, sive (ut melius dicam) diuturnum, ut patet, quia sicut fornicatio inducit carnis corruptionem, sic uxoris cognitio efficit corporis unionem; & quoniam ex quo cognovit, necesse est cognovisse, ideò ex hac conjunctione resultat vinculum insolubile. Et est exemplum; quia sicut ex uno actu tali potest proles generari, quæ vinculo perpetuo alligatur patri & matri; sic potest affinitas generari, quando talis conjunctio est inducens affinitatem, non conservans, ideò ipsâ existente transitoriâ, potest esse affinitas diuturna.*

49. *Copula est necessaria*

Itaque necessaria est copula ad affinitatem non in facto esse, sed in fieri tantùm; & ideò transactâ copulâ adhuc perseverat affinitas, veluti & consanguinitas, atque ut dictum est, gradus affinitatis mensurantur juxtà gradus consanguinitatis. *Quoniam* (utor verbis D. Bonaventuræ sup. q. 2. in corp.) *vinculum affinitatis est vinculum per accidens, vinculum consanguinitatis est vinculum per se, & quoniam omne per accidens necessariò habet reduci ad per se; hinc est, quòd affinitas necessariò præsupponit consanguinitatem, & superaddit commixtionem, & ex his duobus surgit: quia ergò illud quod est per accidens, non habet virtutem multiplicandi & diffundendi se, nisi per illud, quod est ens per se; hinc est quòd definitio & descensus affinitatis secundùm veritatem attenditur a parte consanguinitatis solùm, non a parte commixtionis, quantùm est de natura vinculi. Vndè consanguinei uxoris Petri ita sunt affines ei usque ad quartum gradum, sicut si per consanguinitatem alligarentur uxori.* *ad affinitatem in fieri tantùm.*

Si autem à me quæratur; an sicuti consanguinitas dirimit Matrimonium jure naturæ, saltem in primo gradu lineæ rectæ; sic itidem dirimat affinitas: Respondeo & dico:

CONCLUSIO II.

Affinitas non dirimit Matrimonium jure naturæ, etiam, juxtà probabilem sententiam, in primo gradu lineæ rectæ.

50. *Affinitas habet lineam rectam & transversalem, ac gradus utriusque.*

EX dictis præcedenti Conclusione sequitur affinitatem habere lineam rectam & transversalem, ac gradus utriusque lineæ, sicut habet consanguinitas. In linea recta ascendentes sunt, socer, socrus, vitricus, noverca; descendentes verò gener, nurus, privignus, privigna. Diximus autem & diffusè probavimus sectione præcedenti, consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ, fortè etiam in alijs usque in infinitum dirimere Matrimonium jure naturæ.

Non dirimere jure naturæ in 1. gradu lineæ rectæ, videtur esse Scoti.

Sed nunquid eadem ratio affinitatis, ut & ipsa jure naturæ dirimat Matrimonium, saltem in primo gradu lineæ rectæ? Negat Conclusio, quæ videtur esse Scoti 4. dist. 41. q. un. n. 4. ubi habet sequentia verba: *Ad quæstionem ergo dico, quod affinitas simpliciter impedit Matrimonium; & ratio non est, nisi statutum Ecclesiæ, illegitimantis affines, & in eodem gradu impedit Matrimonium, in quo consanguinitas; & hoc quidem de affinitate propriè dictâ, patet in tit. illo de Consanguinitate & affinit. cap. Non debet.*

Ecce Doct. Subtilis, nullâ factâ distinctione inter lineas, aut gradus, generaliter affirmat, affinitatem impedire ex statuto dumtaxat Ecclesiæ; cùm tamen loquens de impedimento consanguinitatis expressè distinguat, ut suo loco vidimus, inter lineam rectam & transversalem. Cur ergò similiter hìc non distinxisset, si judicasset affinitatem in linea recta jure naturæ dirimere Matrimonium, secùs in linea transversali?

51. *Resp. Hiquæi.*

Audio respondentem Hiquæum in suo commentario ad illum locum Scoti n. 11. Doctorem agere juxtà præscriptum Canonum, quos citat, ut est propinquitas ex copula carnali duorum ad invicem;

vicem; quia ut dictum eſt, affinitas ſequitur regulam conſanguinitatis, in qua non numeratur ſtipes, ſed qui uniuntur ad ſtipitem propinquitate ſanguinis. Undè & affinitas etiam non comprehendit in ſupputatione truncum, ſed perſonas deſcendentes & collaterales, ut ad ſe invicem appropinquant in ſtipite. Ideoque Concluſio ejus de his intelligenda eſt, de quibus agunt Canones, non verò De Matrimonio cum ipſo ſtipite: nam filius deſcendens, ſicut eſt ipſa caro patris, ita non conſtituit gradum reſpectivè ad patrem, ſed ad alios deſcendentes juxtà ſupputationem Canonicam, quæ requirit duas generationes ad unum gradum. Hæc ille; ſed parùm obſcurè.

Breviter dici poſſet: Scotus citat Canonem, *Non debet*, qui, juxtà alibi dicta, ſolùm loquitur de linea tranſverſali. Ergò ſimiliter Scotus.

52. *Impugnatur.* Sed contrà, dicet aliquis: etiam citat Canones, qui dicunt, æquè abſtinendum eſſe à conſanguineis uxoris ut proprijs. Hæc ſunt verba Scoti ſup. immediatè poſt: *Conſimiliter de affinitate communiter & extenſivè dicta, quæ vocatur publica honeſtatis juſtitia, habetur extra de Conſang. & affinit. c. 1. Æquè, ut Canones dicunt, abſtinendum eſt à conſanguineis uxoris ut proprijs.*

Aſt qui illi Canones? Reſpondet Gloſſ. verb. *Vt Canones*, Reſpondet, inquam: 35. q. 3. *Æqualiter vir conjungatur conſanguineis proprys, & conſanguineis uxoris ſuæ.* cap. *Nullum*, eâd. ibi: *Præterea quoque illud adjecimus, quoniam ſicut non licet cuiquam Chriſtiano de ſua conſanguinitate, ſic etiam nec licet de conſanguinitate uxoris ſuæ conjugem ducere, propter carnis unitatem.* Item cap. *De propinquis*, eâd. ibi: *Æqualiter vir conjungatur in Matrimonio eis, quæ ſibi conſanguineæ ſunt, & uxoris ſuæ conſanguineis poſt mortē ſuæ uxoris.*

Porrò hi Canones loquuntur etiam de linea recta, & gradibus ejus, cùm nulla ſit ratio intelligendi eos diminutè de ſolis gradibus lineæ tranſverſalis. Ergò etiam Scotus intelligi debet non diminutè de ſolis gradibus lineæ tranſverſalis, ſed abſolutè de omni linea, & omni gradu.

53. *Mens Scoti dubia eſt.* Quidquid ſit de mente Scoti, quæ ambigua eſt, unde & à Sanchio nec pro una, nec pro altera ſententia citatur: Concluſio noſtra ſatis communis eſt, & ſatis probabilis, ſi non probabilior, ut eam vocat Sanchez ſup. diſp. 66. n. 7. Imò n. 3. tamquam certum tenet: affinitatem, ortam ex fornicatione, in nullo cujuſcumque lineæ gradu dirimere jure naturali Matrimonium. Quia, inquit, ea affinitas ex ſolo jure Eccleſiaſtico conſurgit. Si ergò ſtando in jure naturæ ea affinitas non erat, quomodo poterat, eò jure attento, obſtare Matrimonio. Hæc ille.

Sanchez putat certum, affinitatem ex fornicatione in nullo gradu jure naturæ dirimere.

54. *Non placet Auctori.* Ego autem dico; ſicut non eſt certum, eam affinitatem ex ſolo jure Eccleſiaſtico conſurgere (quidquid dicat Sanchez diſp. 65. n. 9.) ut Concl. præcedent. probavimus; ita pariter non eſt certum, hujuſmodi affinitatem in nullo gradu cujuſcumque lineæ dirimere jure naturali Matrimonium. Interim ſi probabiliùs eſt, affinitatem, ortam ex copula conjugali, jure naturæ non habere illum effectum, magis adhuc probabile erit, affinitatem ortam ex fornicatione, eum non habere: quippè minor oritur amicitia ex copula fornicaria, quàm conjugali. Sed enim neque majorem, neque minorem amicitiam dirimere, jam reſtat probandum.

55. *An affinitas dirimat in aliquo gradu jure naturæ.* Præmitto autem: aliud eſſe quærere, an affinitas ſit vinculum naturale, & aliud, an jure naturali dirimat Matrimonium. Non enim ex primo ſequitur ſecundum: conſanguinitas quippè, etiam in gradibus lineæ tranſverſalis, eſt quid naturale, cùm tamen non dirimat Matrimonium jure naturæ, ſaltem in ſecundo & ulterioribus. Non quæritur ergò hìc, an affinitas ſit quid naturale, id eſt, an ſtando in jure naturæ oriatur aliqua affinitas ex copula conjugali aut fornicariâ; ſed utrùm, ſtando in jure naturæ, affinitas in aliquo ſaltem gradu dirimat Matrimonium, veluti dirimit conſanguinitas, ſaltem in primo gradu lineæ rectæ.

Sententia negans probatur 1. exemplis Gentilium, & Adoniæ. Sententia negans, quæ eſt Concluſio noſtra, probatur. Primò (utor verbis Sanchez ſup. diſp 66. n. 7.) quia nō apud omnes Gentes hoc Matrimonium cenſetur interdictum. Nam Valerius Maximus lib. 5. c. 7. & Plutarchus in vita Demetrij, referunt, Seleuchum tradidiſſe filio ſuo Antiocho in Matrimonium Stratonicem, propriam uxorem, ac id factum laudat ipſe Valerius Maximus. Et 3. Reg. 2. Adonias filius David petijt Abiſag Sunamitidem in uxorem, & illa erat uxor David, ut conſtat ex 2. Reg. cap. ultimo. Signum ergò eſt, id Matrimonium non eſſe jure naturæ interdictum. Hæc ille.

56. *Expenditur exemplum Adoniæ.* Sed in primis, 2. Reg. cap. ult. nulla fit mentio Abiſag; undè error eſt Typographiæ, & debet eſſe 3. Reg. cap. 1. Verùm in eod. cap. dicitur: *Rex verò non cognovit eam*, adeoque nulla erat orta affinitas propriè dicta inter eam & Adoniam, de qua hìc loquimur, ac proindè exemplum illud parùm facit ad propoſitum.

Deindè eo exemplo utuntur adverſarij dicentes: Salomon rex ſapientiſſimus ſeverè vindicavit in Adoniam fratrem, quòd ſollicitârit nuptias cum Sunamitide, quæ erat uxor ſui patris, quàmvis eam non cognoverit.

Reſpondetur: Salomonem non vindicaſſe ſollicitationem nuptiarum, ſed ſollicitationem regni; ſic enim legitur loco citato v. 22. *Reſponditq; Rex Salomon, & dixit matri ſuæ: Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ? Poſtula & ei regnum; ipſe eſt enim frater meus, major me, & habet Abiathar Sacerdotem, & Ioab filium Sarviæ.*

57. *Exemplæ Gentilium non videntur ſufficere.* Quantùm ad exempla Gentilium, ea rara ſunt, nec videntur ſufficere ad hanc probationem; quia non apud omnes Gentiles viguit obſervantia perfecta legis naturalis, quoad concluſiones remotiores. Et quoque exemplum habemus Regis Hiberniæ, qui voluit propriam filiam ducere in uxorem ex judicio ſuorum Conſiliariorum, ut alibi vidimus.

Vnum factum Gentilium non indicat jus. Averſa. Unum factum Gentilium (inquit Averſa q. 17. ſect. 2. §. *Deinde*) non indicat jus: & ex alio capite illud factum non erat laude dignum, quia Seleuchus adhuc vivens tradidit filio ſuam uxorem. Factum etiam Adoniæ imperiti juvenis non demonſtrat jus, & pro uxore, quam petebat,

tebat, obtinuit mortem; neque Abisag fuerat carnaliter cognita à David, sicut requiritur ad affinitatem. Hæc ille. Igitur ex his factis non satis efficaciter concluditur, istud Matrimonium non fuisse interdictum, imò irritum jure naturæ.

58. *Secunda probatio Conclus. ex Sanchez.* Probatur ergò secundò Conclusio: Quia (inquit Sanchez sup.) Matrimonium in nullo gradu affinitatis lineæ rectæ initum, opponitur primario aut secundario ipsius Matrimonij fini, cùm possit ordinari ad sobolis propagationem, & remedium concupiscentiæ, & mutuum conjugum obsequium in rebus domesticis.

Nec violatur in eo Matrimonio debitus conjunctionis ordo, licet ineatur in primo gradu lineæ rectæ, ut inter privignum & novercam, vel vitricum & privignam: qualis violatio contingit in Matrimonio inter parentes & filios. Non enim datur aliqua relatio naturalis superioritatis inter sic affines, quæ debito conjunctionis ordini opponatur, ac datur inter parentes & filios. Quia relatio naturalis superioritatis, ex qua oritur naturalis reverentia debita superiori, solùm fundatur inter eas personas, quæ dant & accipiunt esse naturale per naturalem generationem, quales sunt parentes, non autem affines in primo gradu lineæ rectæ. Hactenùs Sanchez.

59. *Oppugnatur.* Sed dicet aliquis: hìc petitur principium: nam quæritur, an ex sola naturali generatione oriatur naturalis reverentia, debita superiori; an verò etiam ex commixtione sola sanguinum inter affines: Et Adversarij, sat multi numero, postremum affirmant, & probant ex juribus suprà relatis, in quibus dicitur, quòd eadem reverentia debeatur affinibus, ac consanguineis, & eodem modo ab utrisque abstinendum sit.

Probatur opposita opinio. Igitur eadem reverentia debetur vitrico, quæ patri, & novercæ, quæ matri, & ratio est: quia vitricus & mater, noverca & pater, sunt facti una caro; ergò eadem ipsis debetur reverentia. Nam teste Philosopho 8. Ethic. 12. sicut per propagationem carnis naturale quoddam amicitiæ vinculum contrahitur; ita etiam per conjunctionem conjugalem, ad propagationem carnis ordinatam: ergò sicut istud vinculum dirimit jure naturæ Matrimonium inter consanguineos in primo gradu lineæ rectæ, & fortè etiam in ulterioribus usque in infinitum; quid ni & hoc vinculum eumdem habeat effectum inter affines?

60. *Confirmatur.* Et hinc Levit. 18. simul ponuntur primus gradus consanguinitatis & primus gradus affinitatis lineæ rectæ ibi: *Turpitudinem matris tuæ, & uxoris patris tui, non discooperies.* Et redditur eadem utriusque ratio: *Turpitudo enim patris tui est.*

Adducitur pro ea auctoritas d. Augustini. Quod probè sciens D. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 61. relatus cap. *Si vir & uxor*, 35. q. 3. sic ait: *Si vir & uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quàm filia.* Ergò si Matrimonium jure naturæ non subsistit inter patrem & filiam, neque eodem jure subsistet inter socerum & nurum, juxtà D. Aug. & per consequens nec inter vitricum & privignam, novercam & privignum.

Quid ad hæc Sanchez? Admittit, vinculum affinitatis, ortum ex Matrimonio, simile esse vinculo consanguinitatis, sed non omninò æquale; & ideò unum ex natura rei repugnare vinculo Matrimonij, & non aliud.

61. *Explicatur de similitudine, non de omnimoda æqualitate vinculi consang. & affin.* Et de hac similitudine, non de æqualitate, D. Aug. intelligi posset; imò debet; quia ratio naturalis dictat, filium v. g. in extrema necessitate potiùs debere succurrere propriæ matri, quàm vitrico, proprio patri, quàm novercæ; & patrem potiùs debere succurrere propriæ filiæ, quàm generi, proprio filio, quàm nurui; ergò jure naturæ majus est vinculum consanguinitatis, quàm affinitatis in eisdem gradibus; ergò non mirum, quòd sistendo præcisè in jure naturæ, unum vinculum dirimat Matrimonium, & non aliud.

Utrumque dirimis æqualiter ex lege Ecclesiæ. Interim utrumque æqualiter dirimit, attentâ lege Ecclesiasticâ, ut Conclusione sequenti videbimus. Et de hac æqualitate intelligit Sanchez jura, quæ dicunt æqualiter esse abstinendum ab affinibus, & à propriis consanguineis, non autem de æqualitate absoluta, attento solo naturæ jure. Quia reverà non est talis æqualitas.

62. *Non esse perfectam æqualitatem probatur ex Hiqueo.* Quod Hiquæus sup. n. 8. probat hâc ratione: Matrimonium, inquit, cum secunda uxore, sicut dividit carnem parentis, & fit bigamus ex hac divisione; neque representat perfectè Sacramentum unionis Christi cum unica sponsa, quæ est Ecclesia: ita etiam respectivè ad filios ex prima uxore, novercam, sicut non est principium dandi esse, sic magis discindere societatem, quæ est ex Matrimonio respectivè ad priores filios, & familiam, ut experientiâ constat; quia proprios, etiam in præjudicium privigni, fovet, & amorem paternum discindit, ipsum ad suos proprios filios retrahens.

Hinc ergò sequitur; non attingere illam societatem perfectam & vinculum in ea fundatum, & debitum reverentiæ, quæ est inter filium & veram matrem; ac proindè non reperiri eamdem congruentiam irritandi contractum in affinitate quoad primum gradum in linea recta, sicut reperitur in linea recta consanguinitatis quoad primum gradum. Ita Hiquæus.

63. *Quare ponuntur simul Levit. 18.* Quàmvis ergò sit magna similitudo inter illos gradus, ob quam utique ponuntur simul Levit. 18. & redditur similis ratio; non tamen est omnimoda paritas seu æqualitas, ut ex dictis patet. Et quia major est similitudo, & magis accedit primus gradus affinitatis lineæ rectæ, ad primum gradum in linea recta consanguinitatis, quàm primus gradus consanguinitatis in linea transversali, ideò in Levit. huic præponitur; quàmvis, secundùm aliquos, in hoc prohibeatur Matrimonium arctiori jure, nempe naturali, v. g. Matrimonium inter fratrem & sororem.

64. *Matr. inter fratrem & uxorem fratris, non est jure naturæ nullum.* Nunquid etiam inter fratrem & uxorem fratris? Communiter negant D.D. & tamen uxor fratris una caro effecta fuit cum fratre. Ergò quòd noverca effecta fuerit una caro cum patre, non convincit, Matrimonium cum noverca jure naturæ fore invalidum.

Et

Pontifices aliquando diſpenſarunt in 1. gradu ex fornicatione, ex Dicaſt.

Et alioquin, etiam jure naturæ foret invalidum cum concubina patris; nam & ipſa effecta eſt una caro, cùm tamen Pontifices non rarò diſpenſaverint in primo gradu ex copula fornicaria, ſi credimus Dicaſtilloni diſp. 7. n. 384. ubi hæc ſcribit: Et quidem ſuppoſito, quòd in primo gradu, etiam per copulam illicitam contrahatur affinitas ex natura rei, non leve argumentum eſt, quòd non ſit impedimentum naturæ, ſed tantùm juris poſitivi, diſpenſaſſe nō rarò in eo pro foro conſcientiæ Pontifices; ſicut Pius V. doctrinâ pariter & ſanctitate proximè præcedenti ſeculo conſpicuus (hoc autem ſæculo inter Beatos relatus) conceſſit Henrico Cardinali diſpenſandi facultatem in affinitate cujuſcumque gradûs ex copula fornicaria. Nam hæc affinitas eſt ejuſdem rationis cum ea, quæ contrahitur per copulam conjugalem; quia etiam per copulam fornicariam prædicti fiunt una caro. Hæc ille.

65. *Ex natura rei non eſt illicitum tale Matr. juxtà eumdem.*

Et continuò addit. Imò ex tradita doctrina mihi probabiliùs apparet, non eſſe illicitum ex natura rei, ſecluſo jure poſitivo, tale Matrimonium; quia nulla in uſu ipſius reperitur irreverentia, quàmvis aliqua indecentia appareat. Ita Dicaſtillo.

Alioquì ſi uſus ipſius intrinſecè foret malus, non videtur quod Deus hominibus dediſſet poteſtatem transferendi corpora ſua ad talem uſum, & ſic vera foret ſententia Adverſariorum, dicentium, tale Matrimonium ex natura ſua eſſe irritum. Vide dicta Sect. præced. Concl. 2. ubi de primo gradu conſanguinitatis in linea tranſverſali.

66. *Eſt in eo aliqua indecentia, propter quam prohibitum fuit. & annullatum jure poſitivo.*

Porro hæc indecentia, quæ ſemper reperitur, niſi juſta cauſa interveniat, ratio ſufficiens fuit tum prohibitionis Divinæ in lege veteri, tum prohibitionis Eccleſiaſticæ, & irritationis in Lege nova. Et quoniam rariſſimè occurrit juſta cauſa diſpenſandi in hujuſmodi lege, quantùm ad affinitatem ortam ex copula conjugali; hinc rariſſimè Pontifex, & fortè nunquam hactenùs diſpenſavit; quia hactenùs non occurrerit talis cauſa, non autem defectu poteſtatis, ſi cauſa occurreret.

67. *Opinio Caramuelis de hac re.*

Audite Caramuelem Theol. Moral. lib. 2. n. 591. (debet eſſe 551.) Sed petis; utrùm affinitas dirimat Matrimonium ipſo jure naturæ? Qui aſſerunt, levi fulciuntur argumento, ac propterea negativam ſententiam eligo, quam apte Baſſæus vocat probabiliorem, & probo ſic. Sæpè Eccleſia diſpenſavit in primo gradu affinitatis, ergò potuit. Patet conſequentia; quia aliàs diceretur excedere limites propriæ auctoritatis, quod eſſet manifeſta injuria. Tunc ſic: atqui ſi affinitas ex natura ſua Matrimonium dirimeret, non poſſet Eccleſia diſpenſare: ergò. Minorem probo. Eccleſia non habet auctoritatem mutandi eſſentias rerum: ergò ſicut non poteſt concedere, quòd homo non ſit rationalis, non poterit concedere, quòd ſummus affinitatis gradus Matrimonium non dirimat, ſi affinitas & Matrimonium ex ſe & neceſſariò opponantur.

Eccleſiam diſpenſaſſe in primo affinitatis gradu dixi, dixerunt antè me Baſſæus verb. *Matrimonium*, n. 72. & alij, in quorum gratiam & confirmationem aliquas diſpenſationes recenſebo, quæ ab Eccleſia conceſſæ hodie inveniuntur authenticè adnotatæ.

68. *Exemplum diſpenſationis in 1. gradu tranſverſali.*

Duas ſorores ſucceſſivè duxit Emanuel Luſitanorum invictiſſimus Rex, Alex. 3. Pontifice Romano diſpenſante. Catharina uxor fratris, ſine prole defuncti, nupſit Henrico VIII. Angliæ Regi, ex Iulij II. diſpenſatione.

De noverca, cùm ſit in primo etiam gradu, eſt eadem omninò difficultas. Bellarminus Controverſ. de Matr. lib. 2. de impedimentis, nunquam diſpenſatum fuiſſe ab Orthodoxa Eccleſia credit. Baſſæus autem in floribus verb. *Matrimonium*, n. 72. (cito Edit. primam) non Matrimonium ſolùm, ſed & Matrimonia fuiſſe celebrata cum novercis, ex diſpenſatione Eccleſiæ affirmat, ſed non probat: Hucuſque Caramuel.

Equidem quod attinet ad gradum primum lineæ tranſverſalis, ſeu Matrimonium cum ſorore uxoris defunctæ, res non habet tantam difficultatem; tum propter diſpenſationes pontificias jam recenſitas, & alias plures, quas videre poteris apud Dianam part. 8. tract. 1. reſolut. 68. Tum, quia ex Scriptura Gen. 29. habemus, Iacob duxiſſe duas ſorores, Liam & Rachelem. Et Gen. 38. Thamar, nurum Judæ Patriarchæ, Matrimonio junctam fuiſſe duobus ejus filijs; quæ tamen Matrimonia non reprehenduntur à Scriptura, nec fit mentio alicujus diſpenſationis Divinæ. *Matrimonia in illo gradu ex Script.*

69. *Probantur licita fuiſſe ex Levit. 18.*

Imò Levit. 18. v. 18. dicitur: *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.* Ergò eâ mortuâ, id erat licitum, ſaltem ex natura rei. Quin etiam in lege poſitiva præceptum erat ducere uxorem fratris, ſine liberis defuncti, Deuter. 25. v. 7. *Quando habitaverint fratres ſimul, ut unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui*, &c. *Imò aliquando præcepta. ex Deut. 25.*

70. *Occurritur objectioni.*

Nec obſtat: quòd Joannes Baptiſta, Matth. 14. v. 4. dixerit Herodi: *Non licet tibi habere eam*, intellige Herodiadem uxorem fratris tui. Non obſtat, inquam; vel quia frater Herodis, cujus Herodiades erat uxor, adhuc vivebat: vel ſi jam mortuus erat, reliquerat ſemen, ſcilicet filiam ſaltatricem: porrò Levit 18. v. 16. dicitur; *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui eſt*, etiam eo mortuo, quando ſemen reliquerat. Huic autem legi ſubjectus erat Herodes, utpotè filius cujuſdam Iudæi, eaque lex tunc nondum exſpiraverat; nam duravit ſaltem uſque ad mortem Chriſti.

Reſolutio finalis.

Igitur ſatis certum eſt, affinitatem in primo gradu lineæ tranſverſalis non dirimere Matrimonium jure naturæ, maximè ſi nec conſanguinitas in illo gradu jure naturæ dirimat, ut docuimus Sect. præced. Concluſ. 2. Videantur ibi dicta, quæ hìc poterunt applicari, & à fortiori probabunt hanc veritatem.

71. Major difficultas eſt de primo gradu lineæ rectæ,

Matr. cum noverca non valere jure naturæ, probatur ex 1. Cor. 5.

rectæ, seu de Matrimonio cum noverca, quod jure naturæ non valere, probant Adversarij ex Apostolo 1. Cor. 5. v. 1. *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.*

Explicatur Script. ex Sanchez & Alijs.

Respondet Sanchez sup. n. 9. loqui D. Paulum de uxore patris adhuc viventis (ut testantur Cajetanus, & Sedulius, & multi alij in eum locum) aliàs non dixisset D. Paulus, ejusmodi peccatum non esse auditum inter Gentes. Quia volente patre adhuc vivo, Antiochus uxorem ejus duxit: & Persæ, mortuo patre, uxorem ejus ducebant. Unde, ut testantur præfati Auctores, loquitur D. Paulus de uxore patris, adhuc superstitis & renitentis. Hæc. ille.

72. *Colligitur explicatio ex 2. Cor. 7.*

Et colligitur dicta expositio ex 2. Cor. 7. v. 12. *Igitur etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est; sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis coram Deo: ideo consolati sumus.*

Estius.

Ad quæ verba ita scribit Estius: Quod igitur, inquit, per epistolam vos objurgavi, non tantùm, nec præcipuè hoc feci propter eum, qui fecit injuriam, id est, propter filium incestuosum, ut ille puniretur, aut etiam corrigeretur: nec item propter eum, qui passus est injuriam adulterij & incestûs, id est, propter patrem, ut ille vindicaretur, aut ab injuria liberaretur. Sic ille. Ergò loquitur Apostolus 1. Cor. 5. de uxore patris adhuc viventis. Alioquì non fuisset adulterium.

73. *Quare Jacob maledixerit Ruben. Gen 49*

Nec mirum alicui videatur, quòd Gen. 49. v. 4. Iacob maledixerit Ruben filio suo, dicens: *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus*, dormiendo cum uxore ejus; quia fuit gravissima injuria adulterij, atque adeò contrà jus naturæ, quàmvis eo attento non esset incestus.

Amos. 2.

Et consimiliter intelligitur, quod legitur Amos 2. v. 7. *Filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum.* Intelligitur, inquam, de puella, quæ erat alterutrius uxor, quâ ratione hoc erat atrocissimum adulterium.

74. *Objectio. Coninck.*

Si dixeris cum Coninck disp. 33. n. 51. hoc dicitur sinè fundamento, & contrà modum loquendi Scripturæ, quæ aliter loquitur, quando filius violat thorum patris, ut patet Gen. 49. v. 4. & Levit. 18. v. 8. Imò apertè colligitur, ibi solùm agi de copula fornicaria.

Solvitur.

Respondetur: Scripturam haud equidem eodem modo ubique loqui de peccatis; sed uno loco clariùs, alio obscuriùs pro exigentia materiæ, & aliarum circumstantiarum. Et quia Prophetiæ obscuriores sunt reliquis Scripturis, hinc non mirum, si Prophetæ obscurioribus subinde vocibus utantur. Vellem autem videre verbum, ex quo apertè colligitur, sermonem esse de sola fornicatione.

Alia solutio.

Atque ut verum esset, quod Coninck dicit, quid tum? Sequitur dumtaxat, illam fornicationem fuisse gravem incestum, non ex jure naturæ, sed jure Divino positivo, explicato Levit. 18. & 20. Et hæc fornicatio violabat nomen sanctum Dei, reddendo illud detestabile Gentibus, quæ talem libidinem sciebant Hæbræis à Deo gravissimè prohibitam.

Dices Levit. 20. v. 11. & sequentibus; incestus commissus cum affine in primo gradu mistim, connumeratur cum præpostera libidine, & bestialitate, idque eâdem, vel majori exaggeratione, ac pœnæ impositione: nam dicitur. *Qui suprà uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est, vivus ardebit cum ys, nec permanebit tantum nefas in medio vestri*; quâ ratione ibi nec bestialitas, nec præpostera libido exaggerantur, aut puniuntur. 75. *Secunda objectio ex Levit. 20.*

Undè omninò colligitur (inquit Coninck sup. n. 52.) illud gravissimè juri naturæ repugnare: idque non quia talis duas simul ducebat (quia hoc illo tempore erat licitum, nec in eo uxori faciebat injuriam) sed quia socrum suam sibi Matrimonio copulabat, & ita fiebat uxoris suæ socer: unde etiam filia jubetur viva comburi, si quâ ratione tanto sceleri connive-ret. Hæc ille, Coninck.

Respondetur: eo tempore fuisse licitam polygamiam, sed juxtà beneplacitum Dei, qui in ea dispensaverat; jam autem prohibitum erat jure Divino accipere simul filiam & matrem; unde fiebat vera injuria filiæ, non consentienti Matrimonio matris; quia vir ejus nullum habebat jus ducendi matrem. 76. *Solutio.*

Et sanè majoris pœnæ impositio posset alicui suspicionem ingerere, præter incestum aliam hìc interveniisse malitiam: nam eodem capite incestus cùm noverca, quæ etiam est in primo gradu affinis, punitur simplici pœnâ mortis v. 11. *Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos.*

Sed Abulensis hìc q. 13. sic ait: In isto peccato ponitur specialis pœna, quoniam in omnibus alijs ponitur lapidatio; hìc autem combustio: & ponitur tanquam gravior pœna, quoniam sic est. Etiam, quia non fuit facta aliqua differentia à superioribus, nisi esset istud, quòd imponitur tamquam aliquod majus. Et propter hoc, dicet aliquis, istud esse majus peccatum, quàm alia, quæ habentur in hoc capite: sed falsum est; quoniam majus est, quòd aliquis accipiat sororem suam in uxorem, vel cognoscat matrem; sed omnia hæc prohibentur hìc: ponitur tamen hoc, quia homines erant magis assueti ad istud vitium, quàm ad alia, ut sic homines magis arcerentur ab illo. Sic ille. 77. *Expositio Abulensis.*

Ac proinde, neque propter dictum locum Levitici recedendum fore judico ab hac Conclusione, quæ validis innititur fundamentis, superiùs adductis, quibus tantùm addo, quod lego in Concil. Aurelian. 3. can. 10. *De incestis conjunctionibus, ita quæ sunt statuta serventur, ut hi, qui aut modo ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum statuta sacerdotali prædicatione antèa in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suæ credimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur; sed in futurum, quod de incestis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum est, observetur, id est,* 78. *Probatio Conclus. ex Concil. Aurel. 3.*

ne

ne quis ſibi ſub conjugij nomine ſociare præſumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, ſororem uxoris, &c.

79. *Hanc putat Pontius eſſe apertiſſimam.* Quid apertiùs ? Clamat Pontius lib. 7. cap. 34. n. 6. Ecce vult manere ejuſmodi conjugia in infidelitate contracta, & non diſſolvi. Ergò gradus affinitatis inter vitricum & privignam, inter privignum & novercam, relictam fratris, aut ſororem uxoris, non dirimit naturali jure. Imò & eos, qui ignorantiâ legum Eccleſiaſticarum ea Matrimonia contraxerunt, idem Concilium ſtatim decernit non ſeparandos. Non viderunt iſta noſtri Theologi, ſicut neque ea, quæ adduxi pro Matrimonio fratrum : undè non mirum, ſi ex antiquæ doctrinæ ignoratione in varia placita diſtrahantur. Hæc ille.

Nos præced. Sect. Concluſ. 2. non ſolùm vidimus iſta & alia, quæ adduxit Pontius pro Matrimonio fratrum, ſed etiam diſpeximus, ſeu penitiùs introſpeximus, & quomodo intelligi poſſint, aut debeant, diximus.

80. *Reſp. Ioan. Pontij ad D. Concil. & ſimilia.* Vidit & iſta Ioan. Pontius in ſuo Curſu Theologico diſp. 49. n. 76. ubi ad D. Concil. Aurelianenſe 3. & alia ſimilia, Reſpondet: fuiſſe Concilia Provincialia ; & quàmvis (inquit) non declaraverint Matrimonia facta fuiſſe irrita ; indè non ſequitur, quin reverà irrita fuerint, licèt Concilia illa permiſerint illa in bona fide contrahentium, quod non eſt idem, ac judicare quòd fuerint valida ; multa enim illicita & invalida quandoque permitti expedit.

Opponit Concil. Arvernenſe, Sed & Concilium Arvernenſe celebratum ſub Vigilio Papa anno ſequente poſt illud Concilium Aurelianenſe ait, eos, qui contrahunt in tali gradu, v. g. privignum & novercam, non ſolùm auctoritatem legis Divinæ, ſed etiam jura naturæ auſu ſacrilego perrumpere.

81. *Et dictum S. Albini.* Et hinc S. Albinus Andegavenſis Epiſcopus, qui Concilio illi Aurelianenſi interfuit, cùm, quos excommunicaverat ob talia Matrimonia, abſolvere deberet ex decreto iſtius Concilij, alloquens idem Concilium : *Etſi*, inquit, *ad imperium veſtrum ego ſignare compellor, dum vos cauſam Dei recuſatis defendere, ipſe potens eſt vindicare*, ut habetur apud Surium in ejus vita I. Martij. Hæc Ioan. Pontius poſt Yſambertum diſp. in 3. part. D. Tho. to. 3. de Sacramento Matr. diſp. 9. a. 12. n. 5. & 6.

Yſambertus.

Surius.

Binius.

Ego apud Surium non invenio illa verba, quàmvis & Binius to. 2. Concil. in notis ad D. Concil. Aurelian. ea producat ex actis Albini apud Surium. Ad ſummum probant illum S. Epiſcopum in hac fuiſſe ſententia, alijs Epiſcopis nobiſcum ſentientibus.

Igitur Theologi noſtri viderunt iſtud Concilium, & maturè expenderunt. Sed enim, quærit aliquis, Baſil. Pontius maturè expenderit communem ſententiam Theologorum, quæ negat ignorantiam, tam juris, quàm facti, excuſare ab irritatione actûs, dummodò irritatio non ſit pœnalis ?

82. *Ignorantia non excuſat ab irritatione, quæ non eſt pœnalis.* Docet ipſe lib. 5. cap. 6. n. 18. Decretum Trid. irritans Matrimonium clandeſtinum ligare ignorantes ; cùm, inquit, reddatur inhabilis perſona, quod nullâ ignorantiâ ſupleri poteſt, ut conſtat in materia Sacramentorum, & alijs contractibus. Quàmvis enim à pœna liberet ignorantia, non tamen reddit actum validum, ut probat textus in cap. 1. de Conceſſ. præb. in 6. ibi. *Sive ignoranter, ſive non, non valebat.* Non enim per ignorantiam ponitur, quod abſtulit inhabilitas. Sic Baſil.

Unde puto ego, ſi hodie contraheretur Matrimonium cum affine in gradu ab Eccleſia prohibito & irritato, cum ignorantia facti aut juris etiam invincibili, taliter conjunctos ſeparandos eſſe, tamquam invalidè conjunctos, ſuppoſito, quòd priùs fuiſſent baptizati, quidquid videatur dicere decretum Concil. Aurel.

Rogas : qui ſint gradus affinitatis, ab Eccleſia prohibiti & irritati ? Reſponſio erit.

CONCLUSIO III.

Affinitas dirimit Matrimonium jure Eccleſiaſtico uſque ad quartum gradum ex copula licita, ad ſecundum tantùm ex illicita.

83. *Hodie ſolùm unum genus affinitatis dirimit, ex c. 8. de Conſang.* ANtiquis triplex erat affinitatis genus ; Matrimonij contractum ſubſequentem irritans ; hodie autem ſolùm primum vim habet, ut liquidò conſtat ex cap. *Non debet*, 8. de Conſanguin. ibi : *Cùm ergò prohibitiones de conjugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de ſobole ſuſtepta ex ſecundis nuptijs cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum : cùm ceſſante prohibitione, ceſſet effectus ; conſtitutiones ſuper hoc editas ſacri approbatione Concilij revocantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero liberè copulentur.* Ita Innoc. 3. in Concil. Generali Later. c. 50.

84. *Triplex eſt genus affinitatis.* Ubi Gloſſ. verb. *In ſecundo & tertio*, ſic ait : *Vt melius intelligas hanc litteram, videas quid ſit primum genus affinitatis, quid ſecundum & tertium genus. Primum, ſecundum & tertium invenire debes per hanc regulam : Perſona addita perſonæ per carnis copulam mutat genus, ſed non gradum : genus, dico, attinentiæ ; v. g. Ego & frater meus ſumus conſanguinei in primo gradu conſanguinitatis, frater meus duxit uxorem ; illa eſt perſona addita perſonæ per carnis copulam ; illa mutat genus attinentiæ, id eſt, alio genere attinentiæ attinet mihi, quàm frater meus ; quia ille eſt mihi conſanguineus, & illa eſt mihi affinis, ſed non mutat gradum, quia ſicut frater eſt mihi conſanguineus in primo gradu, ſic & illa, mediante fratre meo, eſt mihi affinis in primo gradu primæ affinitatis.*

Primum genus. *Ergò ſi vis habere primum genus affinitatis, adde per carnis copulam alicui de tua conſanguinitate aliquam perſonam, & illa perſona eſt affinis omnibus conſanguineis viri ſui in primo*

genere affinitatis. Et hoc genus tantùm hodie prohibitionem habet: undè mortuo viro illius mulieris, putà fratre tuo, illa non potest habere aliquem de consanguinitate viri sui: ergò patet, quòd omnes consanguinei & consanguineæ uxoris meæ sunt mihi affines in primo genere affinitatis.

85. *Secundum genus.* *Si vis habere secundum genus affinitatis, adde personam per carnis copulam primo generi hoc modo. Vxor fratris mei est mihi in primo genere affinitatis: mortuo fratre meo, adde illi alium virum, & ille erit mihi affinis in secundo genere affinitatis, & ille secundum antiqua jura, mortuâ illâ, non poterat accipere aliquam de consanguinitate prioris mariti, usque ad quartum gradum. Et de isto secundo genere habes 35. q. 3.* De propinquis, *sed hodie non prohibetur, ut hic dicitur.*

Tertium genus. *Si vis habere tertium genus, adde personam personæ per carnis copulam secundo generi, & sic habes tertium genus: v. g. Sejus fuit maritus relictæ fratris tui, mortuâ illâ relictâ, maritus ejus, qui est tibi in secundo genere, accipit aliam, illa est tibi in tertio genere, & illa olim mortuo viro suo, non poterat copulari alicui de consanguinitate tua, cùm illa esset tibi & consanguineis fratris tui in tertio genere, usque ad secundum gradum. De hoc genere habes 35. q. 3.* Porrò,

86. *Primum genus contrahitur tantùm ex una parte, sc. 2. & 3.* *Et primum genus contrahitur tantùm ex una parte; secundum & tertium genus quandoque ex una parte, ut in prædictis exemplis, quandoque ex utraque parte, ut in uxoribus duorum fratrum, quæ sunt inter se in secundo genere ex utraque parte appositâ, altero fratre mortuo, si illa copulatur alteri, ille erit in tertio genere uxori alterius fratris.*

Quare sic vocentur. *Primum genus dicitur: quia primò emanat de consanguinitate, vel quia unâ personâ mediante contrahitur. Secundum dicitur, quia secundo loco emanat post primum, vel quia duabus personis mediantibus. Tertium, quia in tertio loco, vel quia tribus personis mediantibus emanat. Sic intellige quod hic dicitur.* Hucusque Glossa. Quam totam volui exscribere, quia notabilis est, & rem, de qua agitur, optimè explicat.

87. *Hodie affinitas non transit in alterum. ex D. Bonav.* Itaque hodie affinitas non transit in alterum. *Dicendum* (inquit Doct. Seraphicus sup. q. 2.) *quòd secundum veritatem, & secundum tempus præsens, affinitas non generat affinitatem, ut qui est affinis affini, vel qui est junctus carnaliter cum aliqua, per hoc efficiatur affinis affinibus suis, imò solùm consanguineis; nec surgit affinitas ex consanguinitate & affinitate, sed solùm ex consanguinitate & carnis commixtione.*

Nulla est affinitas inter consanguineos mariti & uxoris. Quare hodie (inquit Sanchez sup. disp. 67. n. 2.) consanguinei uxoris efficiuntur affines mariti, & econtrà; at inter consanguineos mariti & consanguineos uxoris nulla prorsùs est affinitas, nec inter affines oritur aliud vinculum cum quacumque alia persona. Unde filia uxoris ex alio Matrimonio habita, aut ex fornicatione cum altero, potest nubere filio aut fratri viri, & duæ sorores possunt nubere duobus fratribus.

88. *Habetur c. 5. de Consang.* Habetur expressè cap. *Quod super his*, 5. de Consang. ibi. *Super eo igitur, quòd pater & filias cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum duabus sororibus contrahunt Matrimonia, taliter tibi duximus respondendum; quòd licèt omnes consanguinei viri sint affines uxori, & omnes consanguinei uxoris sint viri affines: inter consanguineos tamen uxoris & viri, ex eorumdum scilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorsùs affinitas est contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.*

Rationem dat Glossa verb. *Impediri*, dicens: *Affinitas enim contracta inter consanguineos viri, & uxorem ipsius, non transit ad consanguineos uxoris, nec è converso; undè possunt legitimè copulari.* *Ratio.*

89. *Alij casus in quibus hodie affinitas non oritur.* Item potest quis legitimè copulari uxori relictæ à propriæ uxoris fratre. Item diversis temporibus potest quis plures fœminas uxores sibi accipere, quæ cum pluribus fratribus Matrimonium contraxerant. Ut Ioanna & Maria nupsêre duobus fratribus, potest Petrus Ioannam viduam effectam ducere, & eâ mortuâ Mariam. Quòd nulla hodie ex ea affinitate conjunctio pullulet. Sic alijs citatis, docet Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 7. n. 6. contrà Ioan. Andr. & Innoc. qui in his casibus videntur prohibitionem Matrimonij adhuc admittere, sed sinè sufficienti fundamento. Covar.

90. *Hodie restricta est affinitas ad 4. gradum.* His præmissis, venio ad Conclusionem nostram, & dico: quàmvis jure antiquo interdictum foret ac irritum Matrimonium, cum alterutrius conjugis consanguineis, sicut cum prorijs, usque ad septimum gradum, & ita usque ad illum extenderetur affinitas: ut constat ex cap. *Nullum*, & cap. *Æqualiter*, quæ sunt ex Iulio Pontifice, 35. q. 3. At restricta est hodie ad quartum gradum per d. cap. *Non debet*, de Consang. ibi: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.*

91. *Rationes hujus impedimenti.* Porrò rationes hujus prohibitionis seu impedimenti, sunt eædem, quas Sect. præced. attulimus de prohibitione graduum eorumdè consanguinitatis, ut docet S. Bonav. sup. q. 3. in corp. hisce verbis: *Dicendum, quòd affinitas impedit Matrimonium, sicut habetur extra de Consang. & hoc intelligendum est de affinitate, quæ præcedit Matrimonij contractionem, non de ea quæ supervenit. Si enim præcedat, impedit contrahendum, & dirimit jam contractum; quia facit personam illegitimam, secundum eumdem modum & per easdem rationes, per quem modum & per quas rationes facit consanguinitas. Si autem sequatur Matrimonium, non potest ipsum dissolvere, cùm sit vinculum insolubile.* S. Bonav.

Affinitas ex copula illicita extenditur ad eumdem gradum ex jure antiquo. Notat autem Sanchez sup. n. 3. Quàmvis nec in antiquiore jure, dum extendebatur ad septimum gradum, nec in noviori restringente ad quartum, mentio fiat de affinitate ex copula illicita, sed de orta ex conjugali; nec jus inveniatur explicans in illa gradum: at, inquit, cùm ex jure Canonico constet ex copula illicita oriri affinitatem, sicut ex licitâ cap. *Distretionem*, de Eo qui cogn. consang.; jure optimo universi Doctores, consuetudine sic explicante,

metiuntur gradum affinitatis ex copula illicita, juxtà gradum ortæ ex licita, & utramque ad eumdum gradum extendunt, attento jure antiquo.

92. *Per Trid. reſtricta eſt ad 2. gradum.* Et ita ſupponit fuiſſe Trident. Seſſ. 24. de Matr. cap. 4. dum affinitatem ortam ex fornicatione reſtringit ad ſecundum gradum, dicens: *Præterea ſancta Synodus eiſdem & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſteà factum dirimit* (cap. *Quædam*, cum multis ſeq. 32. q. 7. & toto tit. de Eo qui cognovit. conſang.) *ad eos tantùm, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſteà contractum non dirimere.*

Cùmque Concilium non diſtinguat inter gradus lineæ rectæ & tranſverſæ, neque nos diſtinguamus, ſed de utriſque intelligamus. Proindè qui fornicariè aliquam cognovit, nequit contrahere vel cum matre ejus, vel avia, vel ſorore, vel filia ſororis, cum alijs conſanguineis poterit contrahere non ſolùm validè, ſed etiã licitè.

93. *In ulterioribus gradibus etiam licitum eſt contrahere, ex Bulla Pij 5.* Patet ex quadam declaratione Pij. V. quæ incipit: *Ad Romanum Pontificem* (& habetur apud Cherubinum ſub bullâ 14.) ubi §. 1. ſic ait Pontifex: *Sanè poſtquam ex eo, quòd Tridentina Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, per quod non ſolùm Matrimonium contrahi prohibetur, ſed etiam poſteà factum dirimitur, ad eos tantùm reſtrinxit, qui primo & ſecundo gradu conjunguntur, in ulterioribus verò gradibus ſtatuit, Matrimonium poſteà factum non dirimi, à pluribus Chriſti fidelibus, ut accepimus, eſt dubitatum, an licèt in ulterioribus gradibus hujuſmodi Matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen juxtà antiquos Canones contrahi prohibeatur.*

Ratio ergò dubitandi erat, quòd antiqui Canones non ſolùm dirimebant tale Matrimonium, ſed etiam prohibebant ſeu impediebant. Concilium autem ſolùm videtur auferre ſeu reſtringere irritationem, dum ait: *Statuit, hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſtea contractum non dirimere.* Et à jure veteri non ſit recedendum, niſi quatenùs à jure novo corrigitur, l. *Præcipimus*, C. de Appellat. *Ratio dubitandi.*

Nihilominùs, quia totum pendet à voluntate Concilij ſeu Eccleſiæ, Pius V. ſup. §. 2. eam declaravit verbis ſequentibus: *Et ut propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac Matrimonij libertati, quantùm cum Deo poſſumus, conſulere volentes, Declaramus & Apoſtolicâ auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quo minùs in ulterioribus gradibus hujuſmodi liberè & licitè Matrimonium contrahi poſſit.* 94. *Declaratio Pontificis.*

Quod decretum (inquit Sanchez ſup. n. 4.) meritò utitur verbo: *Declaramus*, quaſi non ſit novum jus, ſed declaratio Decreti Tridentini, quaſi reverà ipſum voluerit auferre prorsùs prædictum impedimentum, licèt verbis limitatis videatur uti.

Et ratio eſt: quia omne impedimentum dirimens ex eo ſolùm habet impedire, quòd dirimat (cùm impedimentum dirimens ſit eminenter impediens) & proindè cùm tollitur impedimentum, quatenùs eſt dirimens, tollitur etiam quatenùs impedit. Quare nec affinitas ex fornicatione dirimit aut impedit ſponſalia ſubſequentia, aut præcedentia ultrà ſecundum gradum. Quia eâdem ſolâ ratione, quâ impedit Matrimonium, impedit ſponſalia: ſi ergò illud non impedit ultrà ſecundum gradum, nec etiam impediet hæc. Ita Sanchez, & Alij ab ipſo citati, qui referunt ſic declaraſſe Cardinales. 95. *Probatur ex ratione. Sanchez.*

Inſuper declaravit Pius. V. per præfatum decretum Trident. reſtrictam fuiſſe affinitatem, quæ orta fuerat antè Trid. uſque ad quartum gradum, Bullâ ſup. allegatâ, Declar. 1. ubi §. 1. ſic lego: *Et inſuper cùm in eiſdem decretis ſtatuatur, affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur, in illis ſolummodo attendi debere, qui primo, vel ſecundo affinitatis gradu conjunguntur, ab aliquibus pariter dubitetur, an Matrimonia inter perſonas, quæ antè confirmationem dicti Concilij, tertio, vel ulteriori hujuſmodi affinitatis gradu conjuncti erant, poſt confirmationem dicti Concilij abſque diſpenſatione Apoſtolicâ contracta, & quæ deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant.* Ecce dubium. 96. *An etiam reſtricta fuerit affinitas, orta antè Trid.*

Sequitur ejus declaratio per ſequentia verba, quæ habentur §. 3. *Et ſimiliter Matrimonia, poſt confirmationem Concilij abſque diſpenſatione Apoſtolica ſequuta, & quæ de cætero ſequentur inter perſonas, quæ antè dictam confirmationem, affinitatem (infrà ſecundum gradum ex fornicatione provenientem contraxerant, propter hujuſmodi affinitatem dirimi non debere, ſed valida & efficacia exiſtere declaravit.* *Pius 5. declaravit, quòd ſic.*

Cæterùm cùm verba Trid. propriè ſint intelligenda, niſi aliquid obſtet, & verba exprimant affinitatem ex fornicatione contractam, liquet profectò, affinitatem ortam ex copula matrimoniali non eſſe hìc reſtrictam; ſed hodie dirimere Matrimonium uſque ad quartum gradum, ex d. cap. *Non debet.* Enimverò fortius eſt vinculum affinitatis ex copula conjugali, ſed & publicum; at verò affinitas ex fornicatione ſæpè occultè contrahitur, & cauſat, quàmvis per accidens, potiùs odium, quàm amicitiam; cùm tamen affinitas ex copula conjugali ſemper cauſet amicitiam inter affines. Ergò ex reſtrictione unius non benè infertur reſtrictio alterius; quia rationes jam enumeratæ, propter quas una eſt reſtricta, non militant in altera. Et ita tamquam rem certiſſimam docent Omnes, inquit Sanchez ſup. n. 5. 97. *Affinitas ex copula matrimoniali non eſt reſtricta per Trid.*

Sed dicet aliquis: ſi verba Tridentini propriè ſint intelligenda: ergò nomine fornicationis hìc accipienda venit ſola fornicatio ſimplex, ut diſtinguitur contrà adulterium, ſtuprum, inceſtum, &c. Nam, ut ait Gratianus 35. q. 1. cap. 2. Aliud eſt fornicatio, aliud ſtuprum, aliud adulterium, aliud inceſtus, aliud raptus. Ergò affinitas, quæ oritur ex ſtupro, adulterio, &c. non erit hìc reſtricta ad ſecundum gradum; maximè cùm hoc decretum ſit correctorium juris antiqui, & propterea potiùs reſtringendum, quàm extendendum. 98. *Quid intelligatur hìc per fornicationem.*

Videtur, quòd omnis illicitus concubitus.

Verùm enimverò mens Trident. videtur fuisse, ut fornicatio acciperetur genericè, prout omnem illicitum concubitum complectitur (quod, inquit Sanchez sup. n. 6. in sacris Literis valdè frequens est, ut Tobiæ 4. *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione.* Et ad Ephes. 5. ad Coloss. 3. Actor. 15.) quia in omni copula illicita procedit ratio movens Trid. ad prædictam restrictionem; nempè ex ea non oriri tam arctum vinculum amicitiæ, & persæpè potiùs oriri odium, quàm amicitiam, ac communiter ignorari, ut proindè multa damna pullularent ex eo impedimento, nisi restringeretur.

99. *Est sententia Sanchez, & placet Auctori.*

Atque hæc sententia nobis placet post Sanchiū suprà & Alios, quos citat, estq; communis; quæ utique magis firma esset, si Concilium dixisset: *Ex omni fornicatione*, sicuti Tobiæ 4. dicitur: *Ab omni fornicatione*; quia in omni alia copula illicita, ex qua nata est sequi generatio, semper invenitur fornicatio, id est, copula cum non sua, cui superadditur alia malitia, scilicet injustitiæ, sacrilegij, &c. per quam talis copula constituitur in certa specie luxuriæ, distinctâ à simplici fornicatione. Sed hæc malitia superaddita impertinens est ad affinitatē, quæ oritur ex copula, & ideò ejus non debuit fieri expressa mentio.

100. *Objectio solvitur.*

Nec obstat, quod sup. dicebatur: hoc decretum esse correctorium, adeoque strictè interpretandum: quippè ex altera parte reducit Matrimonium ad statum naturalem; ac proinde inquantùm Matrimonio favorabile, latè intelligendum est.

Adulterium, stuprum &c. sunt propriè fornicatio.

Et aliundè adulterium, stuprum, &c. sunt propriè fornicatio, quàmvis non sola, ut jam dictum est; sicuti homo est propriè animal, & brutum est propriè animal, sed distinctæ speciei, propter distinctam specie differentiam, rationalitatem scilicet & irrationalitatem, per quam animal contrahitur ad certam speciem. Simili ergò modo, non planè eodem, fornicatio se habet comparatione factâ ad stuprum, adulterium, &c. & ideò quod dicitur de fornicatione, dictum censeri debet de stupro, adulterio &c. in quibus tota ratio fornicationis invenitur. Sicuti quod dicitur de animali in genere, v. g. animal est sensitivum, etiam intelligitur dictum de homine & bruto, in quibus tota ratio animalis reperitur.

101. *An sit simplex fornicatio, si quis copuletur affini extrà gradus prohibitos.*

Sed cùm hæc satis constent, dubitatur equidem, an sit incestus, an verò simplex tantùm fornicatio, si quis copuletur consanguineæ intrà tertium gradum ejus, cum qua priùs idemmet fornicatus fuerat, id est, affini ex fornicatione, in tertio vel ulterioribus gradibus: & idem quæri potest de accessu ad affinem ex copula conjugali in quinto & ulterioribus gradibus. Cùm enim in eis gradibus ablata sit prohibitio Matrimonij, ita ut non solùm valeat, sed etiam liceat Matrimonium, videtur etiam ablata tota malitia irreverentiæ, quæ antè oriebatur ex sola illa prohibitione. Ita tamquam certum docet Sanchez sup. n. 8.

Pars affirmans probatur ex Sanchez.

Ducor, inquit, quia nullibi reperitur specialis prohibitio accessus ad affines, sed tantùm est incestus ac specialiter prohibitus, eò quòd inter illos interdicitur Matrimonium ob reverentiam affinibus debitam, quæ etiam ratio invenitur in copula illicita; & ideò tota prohibitio copulæ promanat à Matrimonij prohibitione, estque illi accessoria. Ergò cessante Matrimonij prohibitione, cessat tamquam accessoria prohibitio copulæ specifica, ac proindè accessus ille non erit incestus, sed simplex fornicatio. Hæc ille.

Sed enim, dicet aliquis: hoc est quod quæritur, utrùm prohibitio copulæ promanet à prohibitione Matrimonij, eique sit accessoria, an verò econtrà; nam ideò videtur prohiberi Matrimonium, quia ipsum de se ordinatur ad copulam, quæ est contrà reverentiam debitam affinibus, adeoque principaliter videtur esse prohibita copula. Cur ergò fieri nequeat, ut liceat Matrimonium, & per consequens copula conjugalis, & non liceant copula fornicaria, & illi actus turpes, cùm totum motivum prohibitionis in eis reperiatur, scilicet reverentia debita affinibus? 102. *Objectio.*

Respondeo: non satis clarè video, quin Ecclesia ita potuisset facere, nempè specialiter prohibere omnem copulam inter affines, & auferre prohibitionem circà copulam conjugalem, manente prohibitâ fornicatione. Sed quod potuit facere, unde constat fecisse? *Responsio.*

Ex Trid. inquis, Sess. 24. cap. 4. ubi non prorsùs abstulit affinitatem ex fornicatione consurgentem; sed eam restrinxit ad secundum gradum, inquantùm obstabat Matrimonio contrahendo, propter justissimas causas, ne scilicet sæpiùs ex ignorantia invalidè contraheretur Matrimonium, quod in casu proposito non habet locum. At limitata causa limitatum producit effectum. Maximè, cùm id decretum sit correctorium. 103. *Impugnatur.*

Et sanè, etsi expediat Matrimonij impedimenta restringi; sic enim reducitur Matrimonium ad suum pristinum statum: at non licet ampliare licentiam admittendi delicta: quæ utique ampliaretur, si jam ultrà secundum gradum illius affinitatis non esset incestus punibilis.

Respondet Sanchez sup. cùm pendeat, eum accessum esse incestum, ex prohibitione Matrimonij, eo ipso quò hæc cessat, cessat quoque incestûs ratio: undè non dicenda est illa limitata causa respectu effectûs impediendi Matrimonij, ita ut excludat tolli simul rationem incestûs; quia hic effectus pendet in fieri & conservari à priori. Nec obstat: si quispiam ob suam malitiam inde peccandi liberiùs ansam sumat: quia id non intendit Ecclesia, Sic ille. 104. *Solutio Sanchez.*

Audio reponentem: hoc quæritur, an pendeat hic effectus in fieri & conservari à priori. Et ex quo probatur, quod pendeat, cùm Ecclesia posset prohibere eum independenter à priori. *Replica.*

Respondetur, quia non constat, eum sic prohibuisse, vel ostendatur, ubi specialiter prohibuerit omnem accessum ad affines. Imò non prohibuisse probatur: quia jure communi impediebatur Matrimonium usque ad septimum consanguinitatis & affinitatis gradum, & posteà restricta est consanguinitas & affinitas ad quartum gradum; d. cap. *Non debet*; & universi fatentur, jam accessum ultrà quartum gradum ad 105. *Probatur Ecclesiam non prohibuisse omnem accessum ad affines, ex Sanchez.*

ad conſanguineos & affines non eſſe inceſtum: cùm tamen textus d. cap. *Non debet.* nihil dicat de inceſtu; ſed tantùm non prohiberi deinceps Matrimonium ultrà quartum gradum ibi: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat.* Ergò ut acceſſus ad affines ex copula fornicaria non ſit inceſtus ultrà ſecundum gradum, ſatis eſt, ut ultrà eum ſit jam ſublata ea affinitas ad effectũ impediendi Matrimonium. Ita Sanchez ſup.

106. *Objectio ex c. 7. & 8 35. q. 2. & 3.* Sed contrà: affinibus non ſolùm prohibetur Matrimonium, ſed quæcumque copula, cap. 7. 35. q. 2. & 3. *Nullum in utroque ſexu permittimus ex propinquitate ſui ſanguinis, vel uxoris, uſque ad ſeptimum generis gradum, uxorem ducere, vel inceſti maculâ copulari.* Et cap. 8. eâd. inceſtuoſus dicitur: *Qui ex propriâ conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem.* Ergò affinibus æquè principaliter prohibetur copula fornicaria ac Matrimonium. Ergò ex ablatione prohibitionis Matrimonij, non ſequitur ablatio prohibitionis copulæ fornicariæ.

Propter quam Pet. Ledeſ. cenſet oppoſitum probabile. Et ideò, teſte Sanchio ſup. n. 7. hanc partem cenſet probabilem Petrus de Ledeſma de Matr. q. 55. a. 3. dub. 5. & ipſemet in ſum. Sacram. ubi de Sacramento Pœnit. c. 19. fol. 630. verſ. *Haſe de advertir*, tantùm appellat valdè probabilem contrariam ſententiam, quaſi hanc quoque probabilem reputet. Et Azebedo lib. 2. recopil. tit 20. lib. 7. n. 42. in fine, quæſtione hac utrimque diſputatâ, anceps manet, ac cogitandum relinquit.

Azebedo.

107. *Auctor manet dubius.* Et ego anceps maneo, ac cogitandum relinquo, quid reſponderi poſſit ad ultimam inſtantiam. Et cùm intellexero reſponſionem, dubium deponam. Interim ſi verum eſt, quod affirmat communiſſima ſententia, Eccleſiâ non contradicente, ſed potiùs approbante, aut certè diſſimulante, acceſſum ultrà quartum gradum ad conſanguineos & affines ex copula conjugali, non ampliùs eſſe inceſtum; dico ſine hæſitatione, acceſſum ultrà ſecundum gradum ad affines ex copula fornicaria, ampliùs non eſſe inceſtum; quia nullam reperio diſparitatem. Et totum pendet à mente Eccleſiæ, quæ, ut homines magis averterentur à fornicatione cum affinibus, potuit unam prohibitionem relinquere, ſive unum prohibere, & non aliud.

Eccleſia videtur favere priori ſententiæ. Cùm autem ſciat communiter doceri, ablatâ prohibitione Matrimonij, etiam ablatam eſſe prohibitionem fornicationis, & non contradicat, cùm facilè poſſet contradicere, ſignum magnum eſt, eam conſentire in ſublationem utriuſque prohibitionis, ſive non prohibuiſſe fornicationem, niſi dependenter ſeu acceſſoriè ad prohibitionem Matrimonij. Et ratio aliqua poteſt eſſe, quia eadem irreverentia invenitur in copula conjugali, & fornicariâ; ſi ergò illam in caſu propoſito ampliùs noluit eſſe prohibitam, neque hanc videtur voluiſſe prohibere.

108. *An ſit inceſtus, ſi affines poſt obtentam diſpenſationem ad Matrimonium facto diſpenſati ſint per ordinarium, cui Pontifex (utì fieri ſolet) commiſit, ut, ſi preces veritate nitantur, diſpenſet, ſi, inquam fornicentur, eum acceſſum non eſſe inceſtuoſum. Tum (inquit Sanchez ſup. n. 9.) propter doctrinam, quam tradunt Cajetanus ſum. verb. *Inceſtus*, initio, & ibi Armilla initio, Vega ſecundo to. ſum. c. 5. caſ. 1. initio, ubi dicunt, inceſtum eſſe, quando inter conſanguineos & affines fit commixtio abſque diſpenſatione Matrimoniali. Quæ cùm hìc adſit, manifeſtè non erit inceſtus. Tum etiam, quia n. præced. probavi, jure communi tantùm tolli alios conſanguinitatis & affinitatis gradus, ad effectum non impediendi Matrimonium, & non poſſe eſſe inceſtum, ablatâ Matrimonij prohibitione. Quæ æquè tollitur quoad hos per ſpecialem diſpenſationem, ſicut quoad omnes per legem generalem. Ita Sanchez.

fines poſt obtentam diſpenſationem ad Matr. fornicentur. Negat Sanchez.

Puto ego, quòd Cajetanus fortè nunquam cogitaverit de hoc caſu; ſed dixit inceſtum eſſe, quando fit commixtio abſque diſpenſatione matrimoniali, id eſt, extrà legitimum conjugium, quod præſupponit talem diſpenſationem. Et ſimiliter intelligi poſſent Armilla & Vega, ſcilicet nihil aliud velle, quàm commixtionem inter affines non eſſe peccatum mortale, quando fit inter affines legitimè conjunctos ex diſpenſatione Papæ. Quidquid ſit de mente horum Auctorum, ſi verum eſt, ablatâ prohibitione Matrimonij, non poſſe eſſe inceſtum, perindè videtur, ſive generaliter per legem, ſive ſpecialitet per diſpenſationem auferatur.

An etiam Cajet. Armilla & Vega.

Cæterùm benè notandum, quod ait Cajet. ſup. ſicut ad inceſtûs crimen ſpectat, etiam ſinè opere conſenſus in conſanguineam ſeu affinem; ita ad inceſtûs ſpeciem ſpectant impudicitiæ, & carnales commixtiones impuberum perſonarum, ſi conſanguinitate aut affinitate ſunt junctæ: quoniam & ſunt hujuſmodi actus ut via ad conſummatum inceſtum, & multò propinquiùs quàm cogitationes ad inceſtum ordinantur, quantùm in ſe eſt, conſummandum, licet ex impotentia ætatis non conſummetur. Hæc ille.

109. *An immunditiæ inter perſonas affines impuberes ſint inceſtus, ex Cajet.*

Quæro autem ego, utrùm ex dictis hactenùs de hoc impedimento rectè inferatur; infidelem poſt Baptiſmum invalidè contrahere cum ſorore uxoris, aut concubinæ? Reſolutio hujus quæſtionis erit

CONCLUSIO IV.

Infidelis poſt Baptiſmum invalidè contrahit cum ſorore uxoris, aut concubinæ.

110. *Ex copula fornicaria oritur vinculum naturale.* HÆc Concluſio rectè infertur ex dictis Concluſ. 1. ubi cum Regio probabiliter ſuſtinui, non ſolùm affinitatem ortam ex copula conjugali, ſed etiam provenientem ex copula fornicaria, eſſe vinculum naturale, contrà Sanchium qui negat affinitatem ex copula fornicaria eſſe vinculum naturale, ſecùs ex copula conjugali. Undè hic Auctor, quàmvis admittat

primam partem Concluſ. ſcilicet infidelem poſt Baptiſmum invalidè contrahere cum ſorore uxoris, pro viribus tamen defendit, valere Matrimonium cum ſorore concubinæ.

Conſanguinitas in omnibus gradibus eſt quid naturale.

Ut autem incipiamus ab eo, quod minorem habet difficultatem, id eſt, à prima parte Concl. præmitto, conſanguinitatem non ſolùm in primo gradu, ſed etiam in ulterioribus tam lineæ rectæ, quàm tranſverſalis, eſſe quid naturale, quia natura ipſa, ſeclusâ omni lege Eccleſiæ, dictat, ex communicatione ejuſdem ſanguinis, ſeu propagatione carnis, oriri quamdam conjunctionem, & amicitiam naturalem, quam inveniri etiam apud infideles nemo dubitat. Quare nequeunt hi valido Matrimonio conjungi poſt Baptiſmum, cum conſanguineis intrà quartum gradum. Quia poſt Baptiſmum manent conſanguinei, & per Baptiſmum ſubjiciuntur legi Eccleſiæ, irritanti Matrimonium intrà quartum conſanguinitatis gradum. Hoc certum eſt.

Invenitur inter infideles.

111. *An etiam affinitas.*

Dubitatur autem de affinitate, etiam eâ, quæ oritur ex copula conjugali; dubitatur, inquam, an inveniatur inter infideles, ita ut ſi quis cum uxore conſummaſſet Matrimonium tempore infidelitatis, non poſſet poſt Baptiſmum ejus ſororem ducere.

Negat Henriquez.

Negat Henriquez. lib. 12. de Matr. c. 3. n. 4. Redditque eam rationem; quia affinitas ex copula conjugali, quàmvis habeat fundamentum in re; at non irritat Matrimonium cum ſorore, & alijs conſanguineis conjugis, jure naturæ, ſed ſolo Eccleſiaſtico; infidelis autem non erat ſubditus legi Eccleſiaſticæ, quando libero contractu factus fuit affinis.

112. *Affirmat Sanchez. & probat.*

At procul dubio (inquit Sanchez ſup. diſp. 65, n. 4.) dicendum eſt, affinitatem ex copula conjugali ortam, non eſſe inventum Eccleſiæ, ſed quid naturale, inſtar conſanguinitatis. Ducor; quia ob id conſanguinitas eſt quid naturale, quia naturalis cujuſdam amicitiæ, & conjunctionis fundamentum eſt. Quod idem invenitur in affinitate ortâ ex copula conjugali: teſte enim Ariſtotele 8. Ethic. c. 12, Duplex eſt naturalis amicitiæ cauſa; altera, quæ per carnis propagationem deſcendit: altera verò, quæ per carnis unitatem & conjunctionem ad eamdem generationem, qualis in copula conjugali reperitur.

Ariſt.

Confirmatur.

Confirmatur: quia conjuges eſſe unam carnem, eſt de jure naturæ: & ita Adamus, ſolo naturæ inſtinctu ductus, dixit Gen. 2. *Et erunt duo in carne una*, & ſi reverà eſſent una caro, neceſſariò conſanguinei unius eſſent conſanguinei alterius; cùm tamen ſint quodam modo una caro, quodam modo etiam jure naturæ conſanguinei unius, pertinent ad alterum, nimirum per affinitatem.

113. *Alia probatio.*

Deindè; quia experientia ipſa docet, apud quantumvis barbaras nationes conciliari naturalem quamdam amicitiam ex Matrimonio inter conſanguineos conjugum, ac ipſos conjuges: ob idque ſunt nomina impoſita, ad ſignificandam hanc affinitatis conjunctionem, ut ſocer, ſocrus, privignus, nurus, gener, noverca. Eſt ergò vinculum affinitatis quid naturale. Hactenùs Sanchez.

An hæ probationes convincant intentum.

Nunquid convincit intentum? Ariſtoteles loco citato non meminit, ſaltem expreſsè, affinitatis, ſed conſanguinitatis & amicitiæ naturalis inter virum & uxorem; an autem ex ea rectè inferatur amicitia naturalis inter virum & conſanguineos uxoris, & inter uxorem & conſanguineos viri, quis æquus arbiter erit? Eſt quidem amicitia inter virum & uxorem fundamentum, ut ſuprà dicebat Henriquez, id eſt, ſufficiens fundamentum, quare Eccleſia, & jus civile conſtituerint impedimentum affinitatis; ſed an, ſeclusâ hâc conſtitutione, foret inter eos affinitas, iſtud eſt, de quo hìc quæritur, & quod videtur negaſſe Henriquez.

Ariſt.

Henriquez.

114. *Affinitas eſt amicitia quodammodo naturalis.*

Atque proculdubiò; ut etiam fatetur Sanchez, non eſt affinitas amicitia ſimpliciter naturalis, ſed quodammodò; quia vir & uxor non ſunt ſimpliciter una caro, ſed quodammodò, id eſt, ſunt principium ejuſdem carnis; quod non pendet ab inſtitutione Eccleſiæ, ſed à Deo inſtitutum eſt, & ab Adamo pronuntiatum, Gen. 2. *Et erunt duo in carne una*, ac verificatur etiam in infidelibus; ut proindè etiam inter infideles conjuges vinculum naturalis amicitiæ ex commixtione carnali, imò & ex ſolo contractu Matrimonij proveniat; ſed hoc vinculum non eſt affinitas; nam vir & uxor non ſunt ſibi affines; ſed, ut ſuprà dictum eſt, ſunt ſtipes, ſeu origo affinitatis, quæ conſiſtit inter virum & conſanguineos uxoris, & vice versâ, inter uxorem & conſanguineos viri.

An copula conjugalis ſit naturale principium affinitatis.

Quæritur autem hìc; an contractus Matrimonij, aut potiùs copula conjugalis, ſit naturale principium affinitatis, ità ut ſi Eccleſia, aut jus civile, nihil determinaſſet circà hoc, equidem conſanguinei uxoris, verè forent affines viri, & conſanguinei viri, affines uxoris.

115. *Diſtincta ſunt affinitas & impedimentum affinitatis.*

Equidem communis ſententia id affirmat, à qua non licet recedere propter Henriquez ſup. qui videtur confundere affinitatem cum impedimento affinitatis, quæ tamen oppidò diſtincta ſunt, ſicut diſtincta ſunt conſanguinitas & impedimentum conſanguinitatis. Undè ſimul ſtat, affinitatem eſſe vinculum naturale, adeoque oriri inter infideles, tametſi non dirimat eorum Matrimonium, antè Baptiſmum contractum; quia quod affinitas dirimat, ſaltem in ſecundo, & ulterioribus gradibus, provenit ex ſolo jure Eccleſiæ, ut ex dictis conſtat, cui infideles non ſubjiciuntur pro tempore infidelitatis.

Quare argumentum Henriquez nihil aliud probat, quam eos tempore infidelitatis poſſe validè contrahere, quod libenter omnes admittunt. Sed de quo hic diſputatur, eſt; an poſt ſuſceptum Baptiſmum poſſint validè contrahere, quandoquidem poſt Baptiſmum ſubjiciantur legibus Eccleſiæ, & ante Baptiſmum contraxerint veram affinitatem, quam Eccleſia vult eſſe impedimentum dirimens.

116. *Infideles affines poſt*

Et reverà non poſſe validè contrahere poſt Baptiſmum, videtur manifeſtè deciſum ab Innoc. III. cap. fin. de Divortijs, ibi: *Ne tales ſibi*

bi

Baptiſmum nequeunt contrahere, ex c. fin. de Divort.

bi de cætero, poſtquam ad fidem venerint, copulent prohibentes. Loquitur Pontifex de ijs, qui tempore infidelitatis contraxerunt Matrimonium cum relictis fratrum, quæ ſunt affines in primo gradu lineæ tranſverſalis, & concedit, ut Matrimonijs ſic contractis utantur; prohibet autem, ne poſt Baptiſmum contrahant quia nimirum contractus foret invalidus, ut conſtat ex dictis.

Probatur ex Sanchez.

Atque rursùm probatur ex Sanchio ſup. n. 5. Quia cùm talis affinitas ſit vinculum quoddam naturale, oritur tempore infidelitatis: naturalia enim ſunt eadem apud omnes, ſive fideles, ſive infideles, nec per Baptiſmum tolluntur. Cum ergò poſt Baptiſmum maneant illi affines, & ſubdantur legibus Eccleſiæ, irritantis Matrimonium intrà quartum affinitatis gradum, non poterunt tunc validè contrahere. Quamvis validum eſſet Matrimonium, ſi tempore infidelitatis contraxiſſent. Quia affinitas illa non dirimit jure naturali Matrimonium, ſed ſolo Eccleſiaſtico, à quo illi exempti ſunt.

117. *Prima pars Concluſ. eſt communis.*

Igitur prima pars Concluſ. ſatis certa eſt, eo ſemper ſalvo, ut affinitas ex copula conjugali orta, ſit quidpiam naturale inſtar conſanguinitatis. Et ſiquidem affinitas orta ex copula fornicaria foret & ipſa quid naturale, inſtar conſanguinitatis, ſecunda quoque pars Concluſ. ſcilicet infidelem poſt Baptiſmum invalidè contrahere cum ſorore concubinæ, æquè certa foret; at quia incertum eſt, an ſit quid naturale, pluribus aſſerentibus eſſe Eccleſiæ inventum; ideò etiam incerta eſt ſecunda pars Concluſ. & negatur à Sanchio ſup. n. 11. Quia, inquit, cùm ea affinitas non ſit vinculum naturale, & ſubinde non contrahatur tempore infidelitatis; nil eſt, quod poſt Baptiſmum impediat Matrimonium inter illum infidelem & conſanguineam mulieris, antè Baptiſmum fornicariè cognitæ. Ita Sanchez.

Secundam partem negat Sanchez.

118. *Fundamentum negandi rejicitur.*

Nos Concluſ. 1. probavimus, etiam ex copula fornicaria contrahi vinculum naturale affinitatis, cùm etiam in ea reperiatur carnis unitas, & conjunctio ad eamdem generationem, non minùs, quàm in copula conjugali, quæ unitas carnis eſt cauſa naturalis amicitiæ. Videantur ibi dicta.

Multiplex reſponſio Navarri ad l. 4. Cod. de Nupt.

Nota autem, quòd ad l. 4. Cod. de Nuptiis: *Liberti concubinas parentum ſuorum, uxores ducere non poſſunt*, quam eò loci adduximus pro hac ſententia, variè reſpondeat Navarr. lib. 4. Conſil. in 1. edit. tit. de Sponſal. conſil. 7. n. 6. & 7. in 2. edit. tit. de Conſang. conſil. 12. n. 5. volens oſtendere, ipſam non concludere intentum.

119. *Prima.*

Primò ergò ait: Non habet, inter filium, & concubinam patris, non poſſe conſiſtere Matrimonium, ratione affinitatis; ſed ratione prohibitionis, quâ propter honeſtatem lex Romana id prohibuit, ſicut & inter alios multos, ut videre eſt per totum titulum ff. de Ritu nuptiarum, in quem intellectum inclinat Gloſſa in §. *Ad fines*, l. *Non facilè*, ff. de Gradibus, ſi ſatis perpendatur.

An ei ſa-

Ecce Gloſſa, ſatis eam perpendite. Verb. *Per nuptias*, ſic inquit, *Licitas, ut inf. câd. l. §.* Sciendum: *ſed ſecundùm Canones, etiam per fornicationem, & ſecundùm Azor. etiam ſecundùm leges, quoad prohibitionem nuptiarum contrahitur affinitas ſine nuptijs, ut ſup. de Ritu nupt. l.* & nihil.

veat Gloſſ. d. c. Non facilè.

Contrahitur, inquit, affinitas ſinè nuptijs; quoad prohibitionem nuptiarum. Planè ergò ratione prohibitionis, & non ratione affinitatis nequit Matrimonium conſiſtere. Nego Conſequentiam; nam prohibitio facta eſt ratione affinitatis, ſcilicet propter honeſtatem ſeu reverentiam, quæ debetur affinibus.

Videamus quid dicat Gloſſ. in d. l. *Liberti.* 120. In primis ſummarium ejus ita ſonat: *Per concubinatum, & illicitum coitum contrahitur affinitas: unde ejus adſines prohibentur Matrimonio copulari. Baldus.*

Magis favet Gloſſ. d. l. Liberti.

Prohibentur, inquam, propter contractam adfinitatem, teſte Gloſſ. ibi verb: *Non poſſunt: Propter*, inquit, *adſinitatem.* Et proſequitur dicens: *Sed certè contrà, non videtur adſinitas, cùm dicatur adſinitas, regularitas perſonarum ex nuptijs conjunctarum, omni carens parentelâ: at hæc non provenit ex nuptijs; ſed certè ſic impeditur Matrimonium propter illicitam conjunctionem, ſicut per adſinitatem, & ſic eſt hic illicita conjunctio, ut ff. eod. l.* Semper. *Sed & hic poteſt dici adſinitas, ut 35. q. 3. c. De inceſtis.*

Hæc Gloſſa magis favet Navarro; quia licet admittat adfinitatem, non tamen ex lege civili ſeu Romana, ſed ex jure Eccleſiaſtico, quam adfinitatem Navarrus non negat.

Interim reſponderi poſſet: hanc Gloſſam non negare omnem adfinitatem, ſed eam tantùm, de qua loquitur l. *Non facilè*, ff. de Gradibus, quæ habeat omnes effectus civiles veræ adfinitatis, ut ſucceſſionem & ſimiles, utì diximus Concluſ. 1. in explicatione d. l. *Non facilè.* Atque hæc de prima reſponſione Navarri.

121. *Reſp. ad eam.*

Secunda reſponſio Navar. ad d. l. 4.

Reſpondet ſecundò: Apud Romanos non erat illicitus concubinatus, ut habet expreſsè textus in l. *In concubinatu*, ff. de Concub. & conſequenter ibi non intervenit coitus, lege Romanâ illicitus; & ita ad ſummum ſolùm probare poſſet, ex concubinatu induci affinitatem, qui non contingit in caſu propoſito; ſed quidam coitus illicitus vagus, qui nullo jure Romano Ethnico, nec veteris teſtamenti, probatur impedire Matrimonium.

122. *Expenditur.*

Hæc reſponſio melior eſt; nihilominùs non plenè ſatisfacit; neque enim prohibetur Matrimonium cum concubina patris, quia concubinatus non eſt lege Romanâ prohibitus: ſed quia ducentes concubinas patrum, minùs religioſam & probabilem rem facere videntur, eò quòd ex copula oriatur affinitas, ſive reverentia quædam debita concubinæ, idcircò quòd ſit facta una caro cum patre. Quæ certè ratio locum obtinet, etiam in coitu vago, & ſecundùm leges Romanas illicito.

123. *Tertia reſponſio Navar. rejicitur.*

Fateor, per d. l. *Liberti*, ſeu, *Liberi*, non ſatis probatur, fuiſſe prohibitum Matrimonium filij cum alijs mulieribus, quas vagò concubitu eorum

rum parentes cognoverant, aut etiam nullos cognatos posse conjungi Matrimonio cum concubinis suorum cognatorum (quæ est tertia responsio Navarri) sed quid tum? Nam ad nostrum propositum sufficit, ut inter eos oriatur adfinitas, sive impediat Matrimonium, sive non; quippè admittimus, adfinitatem jure naturæ non impedire Matrimonium; cum quo tamen stat, quòd ex copula illicita, seu non conjugali, oriatur vera adfinitas, quæ sit naturale vinculum amicitiæ, etsi sinè lege superaddita non impediat Matrimonium. Et ad hoc solùm probandum adducta fuit d. lex *Liberti*, in qua, propter adfinitatem ortam naturaliter ex copula, prohibetur Matrimonium filij cum concubina patris.

Igitur ex hypothesi, quòd ex copula fornicaria naturaliter proveniat aliqua affinitas, tam certum erit non valere Matrimonium infidelis, jam conversi, cum sorore concubinæ, atque non valere cum sorore uxoris.

124. *Probatur Matr. cum sorore concubinæ non valere.* Quinimò sunt Nonnulli, qui licèt negent, affinitatem ex copula fornicaria esse quid naturale; equidem affirmant, non valere Matrimonium cum sorore concubinæ. Et probant: quia licet hæc affinitas non sit naturalis: at ille post Baptismum subditur legibus Ecclesiæ, irritantibus Matrimonium in eo affinitatis gradu.

Confirmatur. Et confirmatur: quia sicut potest infidelis inire Matrimonium cum consanguinea in secundo, & ulterioribus gradibus: at post Baptismum nequit, impediente lege Ecclesiasticâ, cui jam subjacet: ita potest tempore infidelitatis validè contrahere cum facta sibi affini per fornicationem; at factus fidelis nequibit.

Alia probatur. Tandem: quia crimen tempore infidelitatis admissum, nempè machinatio in mortem viri uxoris fidelis, ipsâ insidiante, non impedit Mamonium eo infidelitatis tempore; at impedit post Baptismum, ut habetur c. 1. de Convers. infidelium. Ergò idem dicendum est de impedimento affinitatis. Hæc illi.

125. *Impugnatur ex Sanchez.* Quæ nobis non probantur, uti nec Sanchio sup. n. 11. Unde ad ultimum respondet: Ecclesia in eo casu non impedivit directè infidelem, sed mulierem fidelem, in quam jurisdictionem habebat, ne illi infideli post Baptismum nubat. Quod idem poterat statuere in nostro casu, at id non statuit. Sic ille.

Et meritò id non statuit: quia in priori casu mulier fidelis graviter peccaverat, insidiando vitæ viri sui, & ideò in pœnam delicti admissi, justè inhabilitatur ad contrahendum Matrimonium cum infideli post ejus conversionem, imò etiam tempore infidelitatis. Puto enim, quòd, si Pontifex per possibile, vel impossibile, dispensaret tali casu in impedimento disparis cultûs, Matrimonium equidem non valeret, propter impedimentum criminis. At verò in nostro casu, valeret fortè Matrimonium, tempore infidelitatis contractum, nisi obstaret impedimentum disparis cultûs. Quippè soror concubinæ nil deliquit, propter quod Ecclesia eam redderet inhabilem, & concubinarium non potuit reddere inhabilem, quia non erat ipsi subjectus.

Ad primum argumentum respondetur: nil esse, quod pòst Baptismum impediat Matrimonium inter illum infidelem, & consanguineam mulieris, antè Baptismum fornicariè cognitæ. Nisi dicas, affinitatem, quæ infidelitatis tempore orta non est, suboriri post Baptismum. An autem id possit dici, infrà videbimus. 126. *Solutio prioris arg.*

Ad confirmationem dicitur: consanguinitas est quid naturale, & proindè orta est tempore infidelitatis, & cùm maneat post Baptismum, impediet tunc. At affinitas ex fornicatione non est tunc orta. Ita Sanchez. *Resp. ad confirmationem, ex Sanchez.*

Sed oppositum videntur supponere Adversarij in sua confirmatione, cùm dicunt. *Ita potest tempore infidelitatis validè contrahere cum facta sibi affini per fornicationem.*

Planè sic dicunt; sed sibi ipsis videntur contradicere; quia supponunt, affinitatem istam non esse quid naturale; quomodo ergò tempore infidelitatis orta? Præsertim, si etiam soror concubinæ sit infidelis. Nam si fidelis, major potest esse difficultas, de qua statim. Priùs examinemus, an possit oriri tempore infidelitatis, tametsi non sit aliquid naturale.

Et videtur quòd sic: quia sicut lex Ecclesiastica induxit affinitatem ex copula fornicaria; sic indidem inducere eam potuit jus civile. Et fortè jure Romano Ethnico inducta fuit, ut patet ex antè dictis. 127. *An adfinitas possit oriri tempore infidelitatis.*

Nam inventam fuisse per Ecclesiam, non aliundè probatur, quàm ex Decretis, in quibus Matrimonium inter filium, & concubinam patris prohibetur. Sed etiam reperitur lex Romana, per quam ejusmodi Matrimonium prohibetur, ut superiùs ostendimus; ergò &c. Vel si dixeris, legem illam Romanam supposuisse affinitatem naturaliter exortam; ego etiam dicam, Decreta Ecclesiastica id ipsum supposuisse.

Jam sic: ponamus infideles aliquos subjectos isti legi Romanæ, nonne antè Baptismum veri eruat affines? Perveniant ad Baptismum; putas, quòd valeret eorum Matrimonium? Noli putare: quippè licet lex Romana ampliùs eos non obliget quoad istud punctum; nunc equidem per Baptismum subjiciuntur legibus Ecclesiasticis, quæ hujusmodi Matrimonium dirimunt. Igitur fieri posset, ut tempore infidelitatis aliqui contraherent affinitatem, estò affinitas non foret quid naturale. 128. *Ostenditur modus, quo id fieri possit.*

Ex hypothesi autem, quòd lege civili non sit inducta affinitas, & quòd nihil sit naturale, sequitur, eam non fuisse contractam tempore infidelitatis, saltem quando utraque pars fuit infidelis; adeoque, post Baptismum susceptum posse validè contrahere, quia reverà non sunt affines. Quia, ut benè notat Navar. sup. n. 7. affinitas nascitur ex copula, & non ex Baptismo, & ita si ex copula præcedente Baptismum non fuit nata affinitas, non potest nasci per Baptismum sequentem. Jam autem, ut ait Navar. ibidem n. 6. Non enti non potest inesse qualitas, l. Si *servum*, §. 1. ff. de Action. empt. ergò ei, quæ non est affinitas, non potest adjici *Quomodo id fieri nequeat.*

qualitas

qualitas impediens Matrimonium.

122. *Quos Navar. hic oppugnet.* Oppugnat autem Navar. eos, qui dicunt, quòd licet ex coitu illicito non oriatur affinitas, impediens jure naturali, nec Divino, nec Romano Ethnico, tamen ille coitus illicitus producit poſt Baptiſmum affinitatem impedientem, & dirimentem Matrimonium. Qui verò illi ſint, qui hoc dicunt, non loquitur.

Sanchez citat Veracruz, & Vegam. Sanchez ſup. n. 10. duos tantùm adducit; Veracruz 1. part. Speculi art. 50. Concluſ. 3. & 4. & Vegam 2. to. Sum. c. 34. caſ. 124. ubi quærit hic Auctor; an ſi infidelis cognoverit aliquam infidelem, poſteà converſus ad fidem, poſſit validè contrahere cum ejus conſanguinea in ſecundo gradu? Et reſpondet, quòd non. Quòd autem loquatur de copula fornicaria, patet ex eo, quòd adducat Trident. Seſſ. 24. cap. 4. ubi reſtringit affinitatem ex copula fornicaria ad ſecundum gradum.

123. *An rectè.* Porrò utrùm doceat, ex copula fornicaria non oriri affinitatem impedientem jure naturali, nec Divino, nec Romano, mihi non conſtat. Atque ut doceret, adhuc non efficaciter eum impugnat Navar. dummodò admittat, oriri jure naturali, aut Divino vel Romano Ethnico, veram affinitatem. Falsò namque dicitur, quòd omnis vera affinitas impediat Matrimonium, ut patet in affinitate ex copula conjugali ultrà quartum gradum, quæ, etiam ſecundùm Sanchez, eſt vera affinitas, licet de facto ampliùs non impediat Matrimonium; & conſimiliter datur vera conſanguinitas, quæ communi calculo non impedit Matrimonium.

Quidquid ſit de mente iſtorum Auctorum; niſi ea fuerit, quæ jam eſt explicata, ſcilicet, quòd antè Baptiſmum nulla fuerit exorta affinitas, & poſt Baptiſmum priùs oriatur ſinè nova copula, immeritò oppugnatur à Navarro, Sanchio, & aliis Doctoribus. An autem talis fuerit, relinquo alijs ulteriùs examinandum.

124. *Quid ſi una pars tantùm fuerit infidelis.* Sanchez. Ego hìc examino, cur ſuperiùs dictum ſit: *Saltem quando utraque pars* (id eſt, concubinarius, & ſoror concubinæ) *fuit infidelis.* Reſpondetur: quia ſi concubinarius fuit fidelis, contraxit, ſecundùm Sanchium ſup. n. 12. affinitatem cum ſorore infideli, ita ut eam jam converſam validè nequeat ducere, attentâ conſuetudine Eccleſiæ, quæ habet, fidelem fornicantem cum fœmina fideli, contrahere affinitatem cum ſorore, quæ poſt multum temporis ſpatium naſcitur ex parentibus iſtius fœminæ, quæ non poteſt contrahi ſtatim ac ſoror illa in lucem editur, ſed cùm baptizatur, & ſi diu non baptizetur, non orietur antè Baptiſmum: quia ſoror illa non ſubjacet legibus Eccleſiæ, donec baptizetur.

125. *Exiſtimat Sanchez fidelem contrahere affinitatem.* Et ideò exiſtimo (inquit Sanchez) quando alter ex fornicantibus eſt fidelis, eum contrahere per illam copulam affinitatem cum conſanguineis alterius fidelibus ſtatim, cum infidelibus autem quandocumque baptizati fuerint, & ideò inter fidelem illum cum eis non poſſe conſiſtere Matrimonium. Quia fidelis ille tempore copulæ ſubjacebat legi Eccleſiæ, ſtatuenti, ex ea copula oriri affinitatem cum conſanguineis alterius, quandocumque nati fuerint & baptizati, ut ipſius Eccleſiæ conſuetudo legem illam explicat, ut probat exemplum adductum. Quod nec lex Eccleſiaſtica, nec conſuetudo habent in contrahenda cognatione ſpirituali, quando tempore Baptiſmi collati alterum extremum incapax erat. Et cùm hæc affinitas ſit ex mero Eccleſiæ ſtatuto, non eſt menſuranda inſtar aliarum relationum, quæ ex rei natura conſurgunt, ſed ut Eccleſia ſtatuit.

Secùs infideli. At infidelis, cum qua fidelis eſt fornicatus, nec tunc, nec poſt Baptiſmum contrahet affinitatem cum conſanguineis fidelis: quia tempore quo erat contrahenda, non ſubjacebat legibus Eccleſiæ: & nullibi ſtatutum extat, ut poſt Baptiſmum convaleſcat. Abſque dubio autem fidelis, habens rem cum infideli habente ſororem fidelem, contrahit affinitatem cum ſorore fideli: quia tunc utrumque extremum ſubjacet legibus Eccleſiæ. Hæc ille.

126. *Corollarium ex Sanchio.* Ex quibus n. 13. infert: fidelem cognoſcentem carnaliter infidelem, ſi illa infidelis, poſteà facta fidelis, concipiat ex alio filiam & baptizetur, contrahere affinitatem cum illa filia, & idem, ſi adhuc mater permanens in infidelitate pareret illam filiam, & poſteà filia baptizaretur. Quia ſatis eſt ad affinitatem contrahendam, alterum ex fornicantibus, qui illam contracturus eſt, fidelem eſſe, & conſanguineum alterius, cum quo contrahenda eſt, vel tunc eſſe fidelem, vel poſt effici. Ita Sanchez.

Oppugnatur. Dicet aliquis: ergò etiam ſatis eſt ad contrahendam affinitatem, conſanguineum, qui eam contracturus eſt, eſſe fidelem, & fornicantes, cum quibus contrahenda eſt, vel tunc eſſe fideles, vel poſt effici. Quæ enim ratio diſparitatis? An fortè, quia in hoc caſu poſt Baptiſmum convaleſceret affinitas, quòd nullibi ſtatutum exſtat? Sed etiam in priori caſu ſimili modo convaleſcit; nam conſanguineus eo tempore, quo contrahenda erat affinitas, non ſubjacebat legibus Eccleſiæ, atque adeò non poterat eam contrahere, & tamen poſt Baptiſmum eſt affinis.

Planè, inquis; ſed hoc ideò, quia anteà à fideli fornicante contracta erat affinitas cum conſanguineo, qui tunc eſſet fidelis vel poſt efficeretur.

127. *Inſtatur.* Contrà, idem dicam in ſecundo caſu, ſcilicet conſanguineum fidelem affinitatem contraxiſſe cum fornicante, qui tunc eſſet fidelis, vel pòſt efficeretur: neque enim affinitas magis afficit fornicantè, quàm conſanguineum, ſed æqualiter utrumque reſpicit. Quæ ergò ratio diſparitatis?

Reſponſio. Voluntas, inquis, Eccleſiæ, quæ unum ſtatuit, & non aliud, & voluit oriri affinitatem in fornicante fideli, eſtò conſanguineus eſſet infidelis, & non in conſanguineo fideli, quando fornicans eſſet infidelis, ut patet in exemplo ſuper allato.

Rejicitur. Reſpondetur: exemplum illud ſolùm probare, ita fieri in uno caſu. Cumque ſit eadem ratio, vel aſſignetur diverſa, idem videtur ſentiendum eſſe in alio caſu, niſi oppoſita voluntas Eccleſiæ obſtet.

128. *Objectio.* Dices: cum affinitas ſit aliqua relatio, requirit utrumque extremum eſſe capax, niſi aliud ab Eccleſia ordinetur; ac proindè debet conſtare

stare de voluntate Ecclesiæ sic ordinantis; patet autem voluntas Ecclesiæ in uno casu, & non in alio.

Solvitur. Contrà: voluntas Ecclesiæ foret irrationabilis, nisi in utroque casu idem vellet; ergò ex voluntate in uno casu, rectè colligitur eadem voluntas in alio casu, vel assignetur aliqua ratio, quæ movere potuit Ecclesiam hìc, & non ibi.

129. *Solutio impugnatur.* Assigno rationem; quòd fornicans, per actionem illicitam sit causa affinitatis; consanguineus autem merus terminus affinitatis. Cui illa non satisfacit, quærat meliorem; vel dicat nobiscum, affinitatem ex copula fornicaria esse quid naturale, atque adeò oriri etiam inter infideles, quàmvis Matrimonium non dirimat, nisi pòst Baptismum, eo modo, quo dirimit consanguinitas, contracta tempore infidelitatis.

Sed nunquid etiam publica honestas, quæ oritur ex Matrimonio rato, eodem modo dirimit? Responsio patebit ex dicendis Sectione sequenti.

SECTIO VII

DE IMPEDIMENTO PUBLICÆ HONESTATIS.

1. *Quid sit publica honestas, ex D. Tho.*



Ominatur hoc impedimentum in jure, *Iustitia publicæ honestatis*; sed expeditiùs apud Doctores dicitur, *Publica honestas*, & interdum etiam simpliciter, *Honestas*. Estque, secundùm D. Tho. 4. dist. 41. q. un. a. 1. quæstiuncula 4. in corpore, *Propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione, propter ejus honestatem.*

Est potiùs descriptio, quàm quidditativa ratio. ex Perez. Quæ potiùs est descriptio, ut notat Perez hìc disp. 32. sect. 1. n. 1. quàm quidditativa & adæquata ratio. Nam in primis non est adæquata; quia solùm convenit publicæ honestati, ortæ ex sponsalibus, cùm tamen illa æquè consurgat ex Matrimonio rato.

Prætereà exprimit causam efficientem, quæ est Ecclesiæ institutio, ad denotandum, hoc impedimentum solo jure Ecclesiastico introductum esse.

Denique ponitur, propter honestatem ejus, ad exprimendam causam, ob quam Ecclesia hoc statuit impedimentum. Quia nimirum æquum & consonum honestati Ecclesiæ est, ut propter inchoationem Matrimonij, quæ in sponsalibus reperitur, consanguineis alterius sponsi prohibeatur Matrimonium cum altero. Hæc ille.

2. *Quæ sit ratio ejus quidditativa, juxtà eumdem Auct.* Inquiris: quæ ergò ratio quidditativa & adæquata? Respondet Perezius: Aptiùs publica honestas in communi, prout abstrahit ab ea, quæ ex sponsalibus de futuro consurgit & ab ea, quæ ex Matrimonio rato oritur, sic definienda est. Propinquitas ex verbis sponsorum proveniens. Dicitur: *Propinquitas*, seu, quod idem est, conjunctio; quo denotatur convenientia, quam habet cum affinitate. Dicitur: *Ex sponsorum verbis proveniens*, ut explicetur propria ejus ratio, quâ differt ab affinitate. Hæc enim sinè conjunctione, seu copula carnali consurgere non potest, illa verò solis verbis perficitur. Ita Mart. Perez.

3. *An revera talis sit.* Verùm enimverò neque hæc definitio videtur esse adæquata, si prior non sit adæquata; nam accipiendo verba in stricta significatione, solùm convenit honestati ortæ ex sponsalibus; quippè ly *Sponsus* propriissimè loquendo, & in communiori ac rigorosiori usu, accipitur pro sponso de futuro, sicut ly *Sponsalia*, pro sponsalibus de futuro, ut ipse Perez ibidem fatetur, dicens:

Respondeo; etiam nuptos per verba de præsenti, sinè ulla Matrimonij consummatione, dici in jure sponsos. Quàmplurimi enim sunt textus, qui in eo sensu usurpant sponsalium & sponsorum nomen, tametsi in usu communiori ac rigorosiori, nomen sponsalium soleat sumi, non pro Matrimonio rato, sed pro ipsa promissione mutua viri & fœminæ de contrahendo invicem Matrimonio, & sponsi soleant dici ipsi promissi. Hæc ille.

4. *Non videtur esse magis adæquata, quàm prior.* Si ergò descriptio Doct. Angel. ideò est inadæquata, quia utitur nomine sponsalium, etiam definitio Perezij erit inadæquata, quia utitur nomine sponsorum. Erit autem adæquata, si dicatur: est propinquitas quædam seu conjunctio proveniens ex Matrimonio rato non consummato, vel ex sponsalibus celebratis per verba de futuro.

Duplex est hic honestas. Duplex igitur est honestas; una, quæ oritur ex Matrimonio rato nondum consummato; altera, quæ provenit ex sponsalibus de futuro: De quibus sigillatim hìc tractandum est; quia licèt in aliquibus conveniant, in alijs tamen differunt, ut patebit ex dicendis in dicursu hujus Sectionis. Incipiamus à principaliori, pro qua Dico primò:

CON-

CONCLUSIO I.

Publica honeſtas, orta ex Matrimonio rato, dirimit, jure dumtaxat Eccleſiaſtico, inter conjugem unum, & conſanguineos alterius legitimos, & illegitimos, in quatuor gradibus.

5. *Impedimentum, quod oritur ex Matr. rato, eſt honeſtas.*

IMpedimentum, quod oritur ex Matrimonio rato, non eſſe affinitatem, ſed publicam honeſtatem, Sect. præced. Concluſ. 1. contrà aliquos oppoſitum ſentientes, ſatis evidenter probavimus, maximè ex Bulla quadam ſeu motu proprio Pij V. quem ibi de verbo ad verbum retulimus & expendimus.

Ita declarârunt Card.

Tantùm hìc addo declarationem quamdam Cardinalium, qui cum interrogati eſſent, an ex Matrimonio, contracto per verba de præſenti non conſummato, oriatur affinitas, vel impedimentum publicæ honeſtatis? *Congregatio reſpondit, non eſſe impedimentum affinitatis, ſed impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis, & fortius & majus vinculum, quàm impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis ex ſponſalibus de futuro.* Quod autem ſit fortius & majus, patebit ex ſequentibus.

6. *An ex Matr. rato tantùm oriatur naturale vinculum amicitiæ, ex Sanchez.*

In primis putant Aliqui apud Sanchez ſup. diſp. 65. n. 6. (quos ipſe ſequitur) ex Matrimonio rato oriri quoddam amicitiæ naturale vinculum eâ ratione, quâ iſtud oritur ex copula conjugali. Quia per id Matrimonium tradunt ſibi conjuges mutuam poteſtatem ad prolis generationem.

Ex quo deducitur; aliud eſſe, ſecundùm hos Auctores, publicam honeſtatem ex Matrimonio rato; aliud autem impedimentum publicæ honeſtatis, ſicut diſtincta ſunt conſanguinitas vel affinitas, ſaltem ex copula conjugali, & impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis; nam inter infideles reperitur ſæpè conſanguinitas vel affinitas, eſtò non impedimentum conſanguinitatis vel affinitatis.

Honeſtas illa durat poſt Baptiſmum.

Ac propterea hæc publica honeſtas durabit poſt Baptiſmum, quo tempore, cùm jam infideles ſubſint legibus Eccleſiæ, irritantibus Matrimonium intrà quartum gradum ſponſæ de præſenti, etiam nondum cognitæ, ut habet Concluſio, non poterunt validè contrahere.

7. *Dummodò Matr. infidelium fuerit validum ex eod.*

Hoc autem intelligo (inquit Sanchez ſup.) quando Matrimonium illud, tempore infidelitatis initum, fuit validum. Si enim fuiſſet irritum, eò quòd contrà jus naturale, ut quia alter eorum erat legitimè cum altero conjuge copulatus, vel in gradu lege naturæ irritanti, contractum eſt, vel contrà leges eorum irritantes, exiſtimo nullum inde vinculum naturale oriri, ſed ſolo jure Eccleſiaſtico, cui illi non ſubduntur. Quia non verè tradunt ſibi poteſtatem corporum ad generationem per illud Matrimonium irritum.

Deindè: quia ratio naturalis dictat, id quod nihil eſt, nullum poſſe producere effectum. Undè ſucceſſit Reg. juris: *Non præſtat*, de Reg. juris in 6. quæ rationi naturali innitens, decidit, non præſtare impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. Si ergò ex eo Matrimonio irrito tempore infidelitatis, nullum eſt ortum vinculum naturale, quando poſteà baptizatur infidelis, nullo impedimento adſtringitur, quin poſſit jungi Matrimonio cum quacumque conſanguinea prioris uxoris putativæ.

8. *An idem dicendum de honeſtate, quæ oritur ex ſponſalibus, negat Sanchez.*

Sed nunquid idem ſentiendum de honeſtate, quæ oritur ex ſponſalibus de futuro? Audi Sanchium ſup. n. 7. Ex ſponſalibus, tempore infidelitatis initis, nullum vinculum naturale oritur cum conſanguineis alterius ſponſi de futuro. Quia nulla ratio id ſuadet. Undè poſt Baptiſmum poteſt infidelis ille ducere conſanguineam in primo gradu illius prioris ſponſæ. Quia impedimentum dirimens, quod ſolo jure Eccleſiaſtico inductum eſt, non potuit oriri tempore infidelitatis, nec orta eſt aliqua tunc naturalis conjunctio, quæ maneat poſt Baptiſmum, & tunc impediat Matrimonium. Hæc ille.

9. *Coninck putat probabilius, neque ex Matr. inter infideles oriri vinculum. Probatio.*

Igitur ſecundùm Sanchium, & Aliquos alios, quos citat, ex Matrimonio non conſummato, valido tamen, naſcitur inter Gentiles quædam propinquitas inter utriuſque conſanguineos, quæ non quidem antè, ſed pòſt Baptiſmum eorum dirimit Matrimonium inter ſponſam, & conſanguineos ſponſi, ac contrà, ut ſup. dictum eſt de affinitate: quod non eſt omninò improbabile (inquit Coninck diſp. 32. n. 59.) eorum tamen rationes in rigore nihil aliud probant, quàm talia Matrimonia conciliare quamdam amicitiam inter tales, quod etiam verum eſt de ſponſalibus, imò de quavis familiaritate. Quare cum Henriquez lib. 12. c. 3. n. 4. credo contrarium probabilius.

Confirmatio.

Et confirmatur: quia cùm tam auctores Gentiles, quàm leges civiles (ut patet ex toto tit. ff. de Gradibus & affinibus, præſertim l. 4.) enumerent omnes propinquitates, quæ inter diverſas perſonas, ſive naturaliter, ſive per legum conſtitutionem provenire poſſunt, & ſolùm meminerint cognationis tam naturalis, quàm legalis, & affinitatis; alicujus tamen alterius propinquitatis, quæ ex ſolo Matrimonio nondum conſummato naſcatur, nullus vel levem mentionem fecit, quod ſignum eſt, eos hanc non agnoſcere. Ita Coninck.

10. *Quid poſſet ad eam reſponderi.*

Reſponderi poſſet: d. l. 4. ſub affinitate etiam hanc propinquitatem agnoviſſe. Quippè non meminit expreſsè conſummationis Matrimonij, ſed tantùm ſimpliciter nuptiarum; & nomina quæ ibi imponuntur, ad ſignificandam affinitatis conjunctionem, ut ſocer, ſocrus &c. etiam ijs appropriantur, qui propinqui ſunt ex Matrimonio tantùm rato: ſecùs qui ſolùm ex ſponſalibus de futuro. Undè etiam propinquitas ex Matrimonio rato, aliquando vocatur in jure Canonico affinitas, ut vidimus Sect. præced. Concluſ. 1. Nuſpiam autem tali nomine vocatur propinquitas, orta ex ſponſalibus de futuro.

Nullus etiam docet, hanc propinquitatem esse affinitatem, non obstante, quòd Multi doceant, propinquitatem ex Matrimonio rato esse veram affinitatem.

11. *Resp. ad probationem*

Fateor, sponsalia de futuro conciliare quamdam amicitiam inter tales, id est, inter sponsos; utì & quælibet familiaritas inter familiares; sed nego conciliare quamdam amicitiam inter tales, id est, inter sponsum & consanguineos sponsæ, inter familiares & consanguineos eorum, de qua amicitia hìc quæritur, & quæ oritur ex Matrimonio rato.

Fortius est vinculum, quod oritur ex Matr. rato.

Atque ut etiam ex sponsalibus de futuro oriretur naturale aliquod vinculum amicitiæ; equidem fortius & majus est vinculum, quod oritur ex Matrimonio rato, ut quotidiana docet experientia; & ratio est manifesta; quia per ipsum datur jus proximum ad prolis generationem, ex qua oritur vera affinitas.

Prætereà, fortius & majus est; quia impedit Matrimonium ex constitutione Ecclesiæ in pluribus gradibus, scilicet in quatuor, ubi hodie publica honestas ex sponsalibus de futuro solùm impedit in primo gradu, ut infrà suo loco videbimus.

12. *Dirimit solo jure Ecclesiastico.*

Impræsentiarùm probandum erit, publicam honestatem ex Matrimonio rato dirimere Matrimonium usque ad quartum gradum. Non quæro hìc, quo jure dirimat; quia si affinitas non dirimit jure naturæ, ne quidem in primo gradu lineæ rectæ, ut Sect. præced. docuimus, minùs eo jure id faciet publica honestas, quæ minus vinculum est. Suppono itaque solo jure Ecclesiastico dirimere.

Sanchez putat, vix reperiri jus scriptum.

Sed ubi scripto? Existimat Sanchez sup. disp. 70. n. 1. vix reperiri textum. Quare, inquit, dicendum est, colligi deducto argumento à fortiori. Si enim ex sponsalibus consurgit publica honestas, impediens Matrimonium cum consanguineis sponsæ illius de futuro: à fortiori consurget ex Matrimonio rato, quod fortius vinculum est, & majorem conjunctionem importat. Hæc ille.

13. *Pontius adducit c. 15. 27. q. 2.*

At verò Basil. Pontius lib. 7. c. 35. n. 2. Est, inquit, hoc impedimentum publicæ honestatis, ortum ex Matrimonio nondum consummato, antiquissimum in Ecclesia, quàmvis non multæ de eo leges extiterint. Ego primam de eo scripto traditam reperio Iulij I. Pontificis, & habetur 27. q. 2. cap. 15. *Si quis desponsaverit uxorem, vel subarrhaverit, & sive præveniente die mortis, sive irruentibus quibusdam alijs causis (putà frigiditate, vel ex maleficio,* inquit Glossa ibi.) *minimè eam cognoverit; neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguinitate ejus, eamdem sibi tollat in uxorem, ullo unquam tempore.*

Item c. 12. eâd.

Idem statuit Greg. I. cap. 12. eâd. *Sicut nulli Christiano licet de sua consanguinitate, vel quam cognatus suus habuit, in Matrimonium assumere, ita & de consanguinitate uxoris suæ,* sive jam uxor esset, id est, carnaliter cognita, sive uxor fieri deberet per carnalem copulam post Matrimonium jam contractum.

14. Unde idem Pontifex c. 14. eâd. *Si quis uxorem desponsaverit, vel eam subarrhaverit, quamquam postmodum, præveniente die mortis ejus, nequiverit eam ducere in uxorem (id est,* secundùm Glossam ibi, *carnaliter cognoscere) tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio. Quod si inventum fuerit factum, separetur omninò.* *Item c. 14. eâd.*

Ubi Glossa in expositione casûs: *Hoc cap. & sequens per se patent, & possunt intelligi de sponsa de præsenti, vel de sponsa de futuro; & secundùm hoc erit ibi publicæ honestatis justitia.*

Et verb. *Desponsaverit*, sic ait: *Videtur ergò, quòd alterum istorum per se sufficiat ad hoc, quòd sit Matrimonium: & ita per arrhas probantur sponsalia. Sed dicendum,* Vel, *id est, etiam subarrhaverit præcedente desponsatione: Vel dic, quòd alterum sufficit: quia & si subarrhat, licet non consentiat, præsumitur pro sponsalibus & Matrimonio, donec probetur contrarium, arg. 27. dist.* Quod interrogasti, & 30. q. 5. Nostrates, & o, Fœminæ. *Nec refert, an verbo vel facto declaret quis voluntatem suam, 43. dist. c. 1. Fit autem hæc subarrhatio per immissionem annuli, licèt non consentiat semper, quia est signum amoris.*

Sed quid ad hæc Sanchez? Glossa dicit: tex- *Resp. Sanchez.*
tum posse intelligi in sponsa de præsenti, & in sponsa de futuro. Et ita ex eo textu nihil certum concludi potest. Sic ille.

Prorsùs dicit; sed quo fundamento? Unde probat quod dicit? Contrarium dicit Pontius sup. cap. 36. n. 2. & probat: quia Pontifices conjungunt illa duo: *Desponsaverit*, & *subarrhaverit*. Adde: nomine *Desponsationis* potiùs Matrimonium intelligi de præsenti, quàm sponsalia de futuro; & sponsa de futuro non solet subarrhari, sed sponsa de præsenti; nam subarrhatio est immissio annuli, secundùm Glossam sup. allegatam; hæc autem non fit nisi post Matrimonium de præsenti, ut constat ex cap. *Nostrates*, 30. q. 5. ibi: *Sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa, fœdera quoque (id* est, Matrimonia) *consensu eorum, qui hæc contrahuut, & eorum in quorum potestate sunt, celebrantur, & postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit* &c. 15. *Contrà arguitur & ostenditur ex Pont. d. text. non posse intelligi de sponsa de futuro.* C. 3. 30. q. 5.

Idem patet ex Rit. Rom. Tit. de Sacram. Matr. ubi statuitur, ut postquam Sacerdos, intellecto mutuo consensu de præsenti, dixit: *Ego conjungo vos* &c. eos aspergat aquâ benedictâ, & mox benedicat annulum, quem sponsus acceptum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistræ manûs sponsæ. *Rit. Rom.*

Igitur ex dictis textibus Iulij & Greg. aliquid certum concludi potest; scilicet ex Matrimonio rato oriri impedimentum publicæ honestatis. Quippè certum est, dictos textus posse intelligi in sponsa de præsenti; vel dicat Glossa, aut Sanchez, quæ sit ratio dubitandi. Incertum autem est, an possint intelligi in sponsa de futuro, ut mox ostendimus ex Pontio. Et iterùm ostendo; quia dicit Iulius: *Minimè eam cognoverit*, id est, Matrimonium consummaverit: consummatio porrò supponit Matrimonium ratum. 16. *Ex dd. juribus potest aliquid certò concludi.*

Hinc Martinus Perez de Matr. disp. 33. sect. 1. n. 6. Ego, inquit, existimo hoc impe- 17. *Consensit*

Mart. Perez.

impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex Matrimonio rato non conſummato, antiquiſſimum eſſe in Eccleſia, & de illo aliquas extare leges : proponam certiorem. Talis mihi videtur, quæ habetur cap. *Si quis deſponſaverit ſibi*, 11. 27. q. 2. ubi hæc verba proponuntur : *Si quis deſponſaverit ſibi aliquam, & præveniente mortis articulo eam cognoſcere non potuerit, frater ejus non poteſt eam ducere in uxorem.*

Ubi optimè Gloſſa duo notat. Primum, hoc cap. intelligi de ſponſa de præſenti : aliter non faceret ad propoſitum ; quia ſponſa de futuro non eſt uxor, quam poſſet cognoſcere. Secundum, ait : Et hoc caſu eſt impedimentum publicæ honeſtatis juſtitiæ, non affinitatis ; quia ita non eſt, niſi interveniat carnalis copula. Hæc ille.

18. *Alius textus ex Concil. Tribur.*

Sed & alium textum adducit Pontius ſup. ex Concilio Triburienſi, & habetur eâd. q. c. 31. *Quidam deſponſavit uxorem, & dotavit eam, & cum ea coire non potuit : quam clanculò frater ejus corrupit, & gravidam reddidit. Decretum eſt, ut quamvis nupta eſſe non potuerit legitimo viro, deſponſatam tamen fratri, frater habere non poſſit : ſed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam ſuſtineant, licita verò conjugia eis non negantur.*

Ubi Gloſſa verb. *Dotavit*, inquit : *Id eſt, donationem propter nuptias dedit. Nam ſecundum leges mulier dat dotem, & vir donationem, extrà de Donat. inter virum & uxorem*, Nuper. Ergò loquitur Concilium de Matrimonio rato ; nam ſponſa de futuro non ſolet dotari.

19. *Gloſſa dubitat, an debeat intelligi in ſponſa de futuro.*

Nota tamen, quod ibidem ait Gloſſa verb. *Sed mœchus* : *Si fuit ſponſa de præſenti, quod magis videtur ex eo, quod dicit, non potuit ei commiſceri, quia ad id ſponſus jam devenerat, ut tentaret, ſed non potuit, aliquo impedimento impeditus. Vel ſi fuit ſponſa de futuro, cum qua non committitur mœchia, id eſt, adulterium*, dic, mœchus & mœcha, *fornicarius & fornicaria ; quia fornicatio mœchia dicitur, arg.* 32. q. 4. Meretrices : *& hoc eſt quod ſequitur : fornicationis* &c.

Sed immeritò.

Ubi propter ly *Fornicationis*, videtur dubitare, an textus hic debeat intelligi in ſponſa de futuro. Sed immeritò. Nam *omnis mœchia etiam fornicatio dicitur in Scripturis*, teſte D. Aug. ſuper exodum q. 71. & refertur d. cap. *Meretrices. Sed utrùm* (proſequitur S. Doctor.) *etiam omnis fornicatio mœchia dici poſſit in eiſdem Scripturis, non mihi interim occurrit locutionis exemplum.* Ergò attento toto contextu verborum, ly, *Mœchus & mœcha*, propriè intelligenda veniunt de adultero & adultera, ſaltem in foro externo ; non autem de ſimplici fornicario & fornicaria.

20. *Affert præterea Pontius cap. 4. de Sponſal.*

Præterea ad idem propoſitum adfert Pontius ſup. cap. *Ad audientiam*, de Sponſalibus, ubi Alexander III. declarat, ex Matrimonio rato ortam fuiſſe publicam honeſtatem. Hæc ſunt verba textus : *Ad audientiam noſtri Apoſtolatûs pervenit, quòd cum H. Papienſis civis filiam ſuam cuidam filiorum L. dare vellet uxorem : juravit, quòd ſi ille eam habere citra ſu aliquo interveniente non poſſet, alteri filio, quem de alia uxore genuerat, eamdem Matrimonio copularet. Contractis autem à filio priore ſponſalibus, quidam conſanguinitatem inter eos eſſe, juramentis interpoſitis, firmaverunt. Ideoq; præfatus H. eamdem dare alteri filio nititur, ut juravit : ſed quoniam ſcriptum eſt, quòd ſponſam fratris frater habere non poteſt : Mandamus, quatenùs eum ſuum implere propoſitum non permittas.*

Intelligit illud in ſponſa de præſenti.

Hunc textum aliqui intelligunt in ſponſa de futuro, propter hæc verba : *Contractis autem à filio priore ſponſalibus.* Sed intelligi debere in ſponſa de præſenti, docet Pontius ſup. cap. 36. n. 3. dicens : Cùm aliquando etiam ſponſaliorum nomine deſponſatio de præſenti antè conſummationem intelligatur, licèt minùs propriè, ut conſtat ex litteris Pij V. ſup. adductis, quàmvis ſatis frequenter, ut docet & probat Covar. 4. decret. 1. p. c. 1. n. 6. & 7. aſſero in hoc Canone non ſponſalia de futuro, ſed de præſenti intelligi.

21. *Probatio ex ratione Pontificis.*

Ad idque inducor, cùm adverto rationem, quâ Pontifex Alex. probat, non poſſe Matrimonium contrahi cum ejus ſorore : *Quoniam*, inquit, *ſcriptum eſt, quòd ſponſam fratris frater habere non poteſt.* Hæc autem ſententia nullibi de ſponſalibus de futuro dicta legitur, ſed de præſenti. Quare de illis etiam agebat Pontifex, aliàs extrà rem omninò rationem addidiſſet.

Narratur ſpecies facti.

Quare in eo textu ea facti ſpecies erat : Quidam homo, cùm vellet alteri ſuam filiam uxorem dare, juravit, ſe ita eam illi daturum in uxorem, ut ſi Matrimonium aliquâ ratione non ſubſiſteret, duceret aliam filiam, ex alia etiam uxore ſuſceptam : deſponſatur de præſenti, & antè conſummationem detegitur eſſe impedimentum cognationis. Separantur, vult nubere alteri ſorori ex patre ; reſpondet Pontifex, non licere ; quia habuerat ſororem ſponſam, atque ideò eſſe illicitum juramentum. Hactenùs Baſilius.

22. *Sed perperàm.*

Sed perperàm, quantùm ad ſpeciem facti, ut patet ex verbis d. cap. ſup. allegatis. Quod autem attinet ad rationem Pontificis, nuſpiam eam dictam fuiſſe de ſponſalibus de futuro, probatur ; quia ſi uſpiam, vel id foret Levit. 20. vel Matth. 14. Non primo loco ; quia ibi vocatur uxor, v. 21. *Qui duxerit uxorem fratris ſui, rem facit illicitam.* Et conſimiliter Matth. 14. v. 3. *Herodes enim tenuit Ioannem, & alligavit eum & poſuit in carcerem, propter Herodiadem uxorem fratris ſui : dicebat enim illi Ioannes : Non licet tibi habere eam.*

Oſtenditur ratio Pontif. nuſpiam dicta de ſponſal. de futuro.

Atque hoc exemplum adducit Gloſſ. ibi verb. *Sponſam fratris*, dicens : 26. diſt. cap. *Vna tantùm*, §. *Ioannes*, ſequentis tenoris : *Ioannes etiam Baptiſta dum Herodem ab inceſtu prohiberet, dicens : Non licet tibi habere uxorem fratris tui, evidenter oſtendit, inter infideles conjugia eſſe.* Evidens autem eſt, Herodiadem non fuiſſe ſponſam de futuro, ſed ſponſam de præſenti carnaliter cognitam. Allegat etiam Gloſſ. cap. *Si quis deſponſaverit*, 27. q. 2. ſed ſuprà oſtendimus, illud quoque intelligi debere in ſponſa de præſenti.

23. *Alij textus, quos Pontius explicat in sponsa de præsenti: Alij autem in sponsa de futuro.*

Sunt & alij plures textus, quos Sanchez & alij intelligunt in sponsa de futuro; Pontius autem in sponsa de præsenti, ut cap. *Litteras*, 4. de Desponsat. impuberum. cap. *Accesit*, 5. eod. quæ sunt Alex. III. & cap. *Duo*, 12. eod. quod est Clem. III. Supponit autem Pontius sup. n. 3. etiam tempore Alex. III. sive sponsalia, sive Matrimonium antè septennium nulla fuisse, nisi malitia suppleret ætatem: post septennium verò, tam sponsalia quàm Matrimonium valuisse; debuisse tamen ab impubere confirmari, cùm ad nubilem ætatem perveniisset, cap. *Continebatur*, 6. & cap. *Attestationes*, 10. de Desponsat. impub. scilicet à puella, cùm ad 12. annum perveniisset. Quare (inquit ille) si eo tempore, vel proximo nubili ætati, non consentiret, fiebat divortium & separatio Matrimonij.

Jure autem recentiori Innoc. III. cap. fin de Desp. impub. statutum noviter est, ut Matrimonia inter impuberes contracta, scilicet antè 12. annum puellæ, viri autem 14. rationem quidem Matrimonij non haberent, etiamsi verbis de præsenti enunciarentur, & subarrhatio præcederet, sed tantùm sponsaliorum de futuro. Quod idem posteà decrevit Bonif. 8. c. un. de Desponsat. impub. in 6. §. 2.

24. *Tempore Alex. 3 Matr ante nubilem ætatem erant Matrimonia.*

Itaque antè Innoc. III. tempore scilicet Alex. III. & aliorum, qui post Alexandrum antè Innocentium Ecclesiam gubernârunt, Matrimonia antè nubilem ætatem non sponsalia, sed Matrimonia erant, dependentia tamen à confirmatione impuberis, cùm ad nubiles annos perveniisset.

Expenditur c. 5. de Desponsat. impub.

Ex his fit, in eo cap. (*Accesit*, de Desponsat. impub.) non de sponsalibus de futuro sermonem esse, sed de Matrimonio. Et meritò decernit Pontifex, si antè septennium desponsata puella fuerat, non oriri impedimentum; quia antè septennium neque sponsalia, neque Matrimonia valebant eo tempore, ex defectu consensûs: at si post septennium, oriri impedimentum; quia Matrimonium illud verè valebat, confirmandum consensu impuberis posteà, nec eo tempore usque ad Innoc. sponsaliorum rationem habuit. Nullum autem est verbum in eo cap. quod ostendat de sponsalibus de futuro sermonem esse. Hucusque Pontius.

25. *Tenor verborum.*

Hæc sunt autem verba d. cap. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs, si tibi constiterit, quòd puella non esset septennis, quando G. desponsata fuit, & postea in eum non consenserit, & quod idem G. ab hujusmodi desponsatione per te fuerit absolutus, Matrimonium inter eumdem G. & matrem puellæ celebratum, præcipias inviolabiliter observari, & eorum prolem denunties esse legitimam; quia desponsationes & Matrimonia antè septem annos fieri non possunt, si consensus posteà non accedat. Sanè si præfata puella ante desponsationem septimum annum compleverat, licet prædictus vir à desponsatione ipsius puellæ ipso jure fuerit absolutus, cùm ea in eum consentire noluerit* (scilicet adveniente ætate) *inhonestum tamen videtur, ut matrem ejus habeat, cujus filia fuit sibi desponsata.* Ita Alex. III.

26. Longior sim quàm oportet, si describsero hic omnes textus statuentes vel declarantes impedimentum publicæ honestatis, quos Aliqui intelligunt in sponsa de futuro, Alij in sponsa de præsenti. Quod ad praxim attinet, parùm refert, sive dicamus cum Pontio, publicam honestatem, ortam ex Matrimonio rato, jure esse expressam; sive cum Sanchio, solùm colligi argumento deducto à fortiori. *Parùm refert ad praxim, quæ sententia vera sit, Pontij, an Sanchez.*

Si enim, inquit hic, ex sponsalibus consurgit publica honestas impediens Matrimonium cum consanguineis sponsæ illius de futuro, à fortiori consurget ex Matrimonio rato, quod fortius vinculum est, & majorem conjunctionem importat.

27. *An restricta sit honestas per Trid. ad Matr. validum.*

Planè sic est. Sed mirari aliquis posset, Pontifices voluisse exprimere, quod minus est, tacito eo, quod majus est; & id quod majus est, fecisse accessorium ejus, quod minus est; atque Concilium Tridentinum restrinxisse principale, relicto accessorio in suo pristino vigore. Quàmvis enim aliqui putaverint eo ipso, quòd Trident. restrinxit impedimentum publicæ honestatis ad sponsalia valida, & ad primum gradum, etiam restrinxisse ad Matrimonium validum, & ad primum gradum. *Accessorium* enim *naturam sequi congruit principalis*, Reg. 42. de Reg. juris in 6. equidem oppositum certissimum est ex declaratione Pij V. editâ anno 1568. *Ad Romanum spectat*, habetur apud Cherubinum Bullâ 62. Vide eam Sect. præced. Conclus. 1.

Patet quòd non ex Bulla Pij 5.

Tantùm hic subdo posteriora verba §. 2. *Motu proprio Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus & definimus, Decretum Concilij hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio, sic, ut præfertur, contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri, antè prædictum Decretum Concilij, introductum erat.* Igitur de hac re non licet ampliùs dubitare.

28. *Hoc impedimentum in nullo gradu dirimit jure naturæ. Probatur ex Sanchez.*

Utì etiam nemo dubitat, hoc impedimentum esse solo jure Ecclesiastico introductum, nec in aliquo gradu lineæ transversæ vel rectæ dirimere jure naturæ. Tum, inquit Sanchez sup. n. 2. quia in affinitate verâ, ortâ ex Matrimonio consummato, id defendimus. Et quàmvis in eo eventu sit probabile in primo gradu lineæ rectæ dirimi jure naturæ Matrimonium: at in hoc non invenio tantam probabilitatem. Quia verè antè Matrimonium consummatum non oritur affinitas, nec tantum vinculum; & solùm colligitur impedimentum à fortiori, ex prohibitione jure Ecclesiastico factâ in sponsalibus. Tum etiam, quia nulla ratio oppositum suadet. Hæc ille.

Et ideò validè infideles ducunt sororem, vel matrem prioris sponsæ de præsenti antè consummationem defunctæ, nisi speciales leges sint apud illos, ea Matrimonia cassantes. Quia ipsi non subduntur legibus Ecclesiæ, à qua hoc impedimentum robur habet.

29. *Dirimit ex jure Ecclesiæ usque ad*

De cætero, quoniam hoc impedimentum, ut patet ex verbis Pij V. mox relatis, adhuc durat in omnibus illis gradibus, quibus de jure veteri intro-

4. *gradum tantùm.* introductum erat, liquet profectò, quod hodiè dirimat in quatuor gradibus. Quia jure veteri in ijs introductum erat.

An illud jus ſit c. debet, de Conſang. Rogas; quod illud jus vetus? Reſpondeo: cap. *Debet*, de Conſanguinitate, in quo, ut alibi vidimus, reſtringitur ad quartum gradum impedimentum conſanguinitatis & affinitatis, quod priùs extendebatur ad ſeptimum gradum, vel quouſque parentela cognoſceretur. Ergò etiam impedimentum publicæ honeſtatis.

30. *Arguitur quòd non:* Negatur, inquis, Conſequentia: cùm enim hic Canon ſit correctorius juris antiqui, verba propriè accipienda ſunt: planè autem & apertè loquitur de affinitate & conſanguinitate. Atque adeò publica honeſtas ex Matrimonio rato, adhuc dirimet uſque ad ſeptimum gradum, vel quouſque parentela cognoſcitur; ſicut ante D. Canonem dirimebat. Nam leges ſup. allegatæ, ſtatuentes ſeu declarantes hoc impedimentum, indiſtinctè loquuntur de conſanguineis, & dicunt, ſponſam à nullo de conſanguinitate poſſe in uxorem duci: v. g. cap. 8. de Sponſal. *Sponſam alterius (maximè ſi eſt nubili ætati proxima) nullus conſanguineorum aliquo modo ſibi poteſt Matrimonio copulare.*

Reſp. Pontij. Reſpondet Pontius ſuprà c. 35. n. 4. de rigore juris hoc impedimentum extendi etiam ultrà quartum gradum, ſicut antiquo jure cautum erat. Sed nihilominùs aſſerendum, ex paritate rationis, conſuetudine populi Chriſtiani id probante, quam diximus inducere poſſe impedimenta, & abrogare, receptum eſſe, ut tantùm ad quartum gradum uſque impediat, & non deinceps. Ita Baſilius.

31. *Reſtrictio colligitur ex ipſis verbis legis.* Dico ego: etiam ex ipſis verbis legis colligi hanc reſtrictionem; quippè lex dicit, ſponſam de præſenti vel futuro, à nullo de conſanguinitate ſeu conſanguineis ſponſi, poſſe in uxorem duci: jam autem reſtrictâ conſanguinitate ad quartum gradum, in ulterioribus non eſt conſanguinitas ampliùs, ſeu non ſunt ampliùs conſanguinei in ordine ad Matrimonium; ergò inter ipſos & ſponſam non prohibetur Matrimonium.

Aliquis affinis ſponſi poteſt ducere ſponſã ejus, ſecùs conſanguineus illegitimus. Et quoniam leges non loquuntur de affinibus, patet, quòd aliquis ipſorum poſſit ducere ſponſam alterius. Sicut conjuges non arcentur à Matrimonio cũ affinibus alterius conjugis. Quia autem generaliter loquuntur de conſanguineis, neque diſtinguunt inter legitimos, & illegitimos, etiam illegitimi nequeunt ſponſam alterius in uxorem accipere. Sicuti conjuges arcentur à Matrimonio contrahendo cum conſanguineis illegitimis alterius conjugis. Quamquam enim illegitimi quoad aliquos juris effectus non reputentur ac filij; tamen ſunt veri naturales conſanguinei; ac proindè eadem naturalis honeſtas, quæ ſola hic inſpicitur, verſatur in abſtinendo à Matrimonio cum ipſis.

32. *Occurritur cuidam objectioni contrà Concluſ.* Neque obſtat Concluſioni: quod d. cap. *Ad audientiam*, de Sponſal. ex quo probavimus hoc impedimentum, ſolùm loquatur de primo gradu, ſcilicet de ſponſa fratris: quia ibi nil decidit Pontifex de gradu, in quo ſponſalia de præſenti vel futuro producunt hoc impedimentum; ſed ad caſum ſpecialem, in quo ducta erat vel ducenda ſponſa fratris, de quo conſultus fuit, reſpondet. Quare non poteſt inde efficax argumentum ſumi, ut in ſolo primo gradu hoc impedimentum intelligatur.

Maneat itaque debere intelligi in quatuor gradibus; idque non ſolùm quando Matrimonium fuit validum, ſed etiam quando fuit irritum aliundè, quàm ex defectu conſenſûs, ut ediſſero Concluſ. ſequenti.

CONCLUSIO II.

Ex Matrimonio irrito quacumqûe ex cauſa, modò non ſit ex defectu conſenſûs, oritur hoc impedimentum.

33. *Probatur Concluſ. ex c. un. de Sponſal. in 6. Sanchez.* HÆc Concluſio eſt communis, quam docet Sanchez ſup. diſp. 70. n. 5. Quia, inquit, quàmvis non reperiatur textus expreſſus id decidens: at id definitum erat cap. un. de Sponſal. in 6. ſequentis tenoris: *Ex ſponſalibus puris & certis, etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut aliâ quâvis ratione ſint nulla, dummodò non ſint nulla ex defectu conſenſûs, oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.* Ita Bonif. VIII.

Argumento deducto à fortiori. Atque hìc agi de ſponſalibus propriè dictis, ſeu de futuro, etiam Pontius admittit. Nihilominùs Sanchez ex eo probat Concluſ. noſtram, argumento deducto à fortiori; quia ſi ſponſalia irrita aliundè, quàm ex defectu conſenſûs, impediunt; potiori jure Matrimonium irritum; cùm, ſicut ſup. dictum eſt, Matrimonium ſit fortius vinculum, & majorem conjunctionem importet, atque adeò magìs inhoneſtum ſit, ſponſam de præſenti contrahere Matrimonium cum conſanguineis ſponſi, quàm ſponſam ſolùm de futuro. Et ſic hæc inhoneſtas non abſtergitur per hoc, quod ſponſalia ſint irrita, neque per hoc, quod Matrimonium ſit irritum.

Quinimò aliqui textus ſup. allegati à Pontio, ſi loquantur de Matrimonio rato, ut ipſe vult, loquuntur de Matrimonio irrito ob frigiditatem, aut ſimilem cauſam, ut patet ex ibi dictis.

34. *Objicitur Reg. 52. de Reg. juris in 6.* Solùm obſtare videtur Reg. 52. de Reg. juris in 6. *Non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum.* Ergò Matrimonium ex quacumque cauſa irritum, non præſtat impedimentum Matrimonio contrahendo.

Solutio ex Caniſio. Reſpondet Caniſius in D. Reg. tametſi hujuſmodi ſponſalia ipſo jure nulla ſint, non tamen effectu carent, quoad opinionem vulgi, fortè exiſtimantis, ea valida eſſe: ut meritò & in his ſponſalibus, publicæ honeſtatis tuendæ & conſervandæ cauſâ receptum fuerit, ea non minùs impedimento eſſe juſtis nuptijs, quàm ſi legitimè contracta eſſent. Hæc ille. Eadem autem

autem est ratio Matrimonij irriti, ut patet.

35. *Limitatio aliqua Conclus. ex Em. Sa.* Et fortasse ideò Em. Sa verb. *Matrimonium*, ubi de impedimentis dirimentibus, n. 12. ait: Si Matrimonium irritum sit occultum, aut manifestum sit, fuisse irritum, non oriri impedimentum; quia scilicet tunc caret effectu, etiam quoad opinionem vulgi, cùm vulgus vel ignoret Matrimonium contractum, aut certè existimet id esse irritum.

Non placet Sanchio. Sed hoc temperamentum Sa non placet Sanchio sup. dicenti: Ejus fundamentum me latet, cum cap. un. de Sponsalibus in 6. dicidens, ex sponsalibus nullis oriri hoc impedimentum, sola sponsalia exceperit, quibus deest consensus, & simul decideret, ex sponsalibus irritis ratione Religionis, consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, consurgere hoc impedimentum. Quæ impedimenta manifestè reddunt Matrimonium nullum. Ita Sanchez.

36. *Fundamentum limitationis.* Miror ego tam doctum virum latuisse fundamentum ejus temperamenti, quod procul dubio fuit: quia hujusmodi impedimentum est institutum ob publicam honestatem, & ad vitandum scandalum, ut ipse Sanchez docet disp. 68. n. 14. de quo statim latiùs; jam autem quando Matrimonium irritum est occultum, aut manifestum est fuisse irritum, cessat scandalum & inhonestas; ergò ex mente Ecclesiæ tunc non oritur illud impedimentum.

Eo utitur Sanchez in simili casu. Herculè hoc argumento seu fundamento docet Sanchez loco citato n. 16. si sponsalia irrita ob defectum consensûs interni, vel ratione alterius impedimenti omninò occulti, sint adeò clandestina, ut probari nequeant, non oriri id impedimentum, cùm tunc ratio publicæ honestatis ac scandali desit. Ergò ex eodem fundamento Sa potuit inferre, si Matrimonium invalidum ratione alicujus impedimenti, omninò occulti, sit adeò clandestinum, ut probari nequeat, non oriri id impedimentum.

37. *Ex eodem resolvit alium casum.* Ex eodem fundamento docet Sanchez ibidem n. 17. ortam fuisse publicam honestatem, dum impedimentum illud erat occultum, & sponsalia publica: non tamen omninò firmiter & irrevocabiliter, sed dependenter ab illius impedimenti improbabilitate, & ignorantia externa: unde quoties, sive veris, sive falsis testibus, id impedimentum probatum fuerit, et iam constiterit, cessabit publica honestas orta.

Quippè illa sponsalia verè erant irrita coram Deo, & proindè non erant ex se sufficientia ad inducendam publicam honestatem: inducebant autem illam ex eo solùm, quòd erant præsumpta in foro Ecclesiæ; & subinde inhonestum esset consanguineam illius sponsæ ducere. Cessante ergò improbabilitate & præsumptione, cessabit impedimentum publicæ honestatis. Ita Sanchez.

38. *Applicatur limitationi sup. propositæ.* Dicam ego vel alius; estò adhuc Matrimonium invalidum aliundè quàm ex defectu consensûs, inducat publicam honestatem; quia, ut sup. ostendimus ex Declaratione Pij V. non est restrictum hoc impedimentum ad Matrimonium validum; equidem non inducit, nisi quando in foro Ecclesiæ præsumitur validum; ac proinde inhonestum esset, consanguineam illius conjugis ducere; cessante ergò eâ præsumptione, cessabit impedimentum publicæ honestatis. Cessat autem præsumptio, quando manifestum est Matrimonium fuisse irritum. Hæc pro sententia Em. Sa. quam tamen non ideò approbamus, ut patebit ex dicendis de Matrimonio irrito ex defectu consensûs.

Quando Matr. sit irritum præcisè defectu consensûs. Enimverò controversia est inter Doctores Catholicos, quando Matrimonium censeatur irritum præcisè defectu consensûs; quando autem ratione alterius impedimenti. Quod benè notandum est, & ab omnibus sciendum, quoniam Matrimonium irritum ex defectu consensûs non inducit publicam honestatem, secùs irritum ratione alterius impedimenti; ut expressis verbis statuitur in d. c. unico de Sponsalibus in 6. quod integrum permansit quantùm ad Matrimonium, quàmvis correctum sit quoad sponsalia de futuro, ut infra videbimus.

39. *Non est sic irritum, quando obstat Religio &c. dummodò consentiat quantùm in se est.* Itaque in cap. citato satis apertè significatur, non esse Matrimonium invalidum defectu consensûs, quando obstat Religio, consanguinitas, affinitas, frigiditas, ibi: *Etiamsi consanguinitatis, affinitatis frigiditatis, Religionis, aut quâvis aliâ ratione sint nulla.* Dummodò in foro externo, & in conscientia contrahens, quantùm est in se elicuerit verum consensum, ita ut si fortè impedimentum, quod putatur subesse, non subesset, Matrimonium foret validum.

40. *An talis consensus requirat ignorantiam impedimenti.* Sed nunquid, ut talis consensus habeatur, requiritur ignorantia impedimenti? Aliqui affirmant. Quia, inquiunt, quando scienter contraherent, ille consensus contrà jus habitus, pro non consensu habetur, arg. ex l. *Non dubium*, C. de Legibus.

Sed ex hac lege ad summum sequitur, invalidè contrahere, qui contrahunt lege prohibente; non defectu proprij consensûs naturalis, sed propter voluntatem Legislatoris, prohibentis contrahere: *Nullum*, inquit, *pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.*

Ad summum itaque hìc deficit consensus civilis. Quamquam, secundùm communiorem sententiam, nec ille semper deficiat, ut alijs locis diximus; quia illa verba intelligi commodè possunt de irritabilitate actûs per judicem.

41. *Communis sententia negat.* Igitur propter hanc legem non est recedendum à communi sententia, quæ negat ignorantiam esse necessariam; & dicit, perinde esse, sive contrahentes sciant, sive ignorent impedimentum, v. g. consanguinitatis; quia d. c. un. indistinctè loquitur, & nulla suppetit evidens ratio distinguendi.

Impugnatur. Imò, inquis, ratio est: quia impossibilis cogniti non est absoluta & efficax voluntas; hìc autem cognoscitur impossibilitas Matrimonij; ergò non potest adesse consensus.

Solvitur ex Aversa. Respondet Aversa q. 17. sect. 5. §. *Hinc ulteriùs*: Potest adesse, & regulariter aderit consensus, saltem conditionatus, ita ut si reverà

non

non ſubſiſteret invaliditas; ſed per errorem putata eſſet, intendat contrahens inire validum Matrimonium, nec deficeret ex parte conſenſûs. Hâc ergò viâ dici debet, in eo caſu actum non eſſe invalidum ex defectu conſenſûs, ſed ex alio vero impedimento: atque adeò inde adhuc oriri vinculum publicæ honeſtatis. Quod ſi caſus talis eſſet, ut cum notitia invaliditatis prorsùs non adeſſet ſufficiens conſenſus, tunc admittendum erit, non oriri hoc impedimentum. Ita præfatus Auctor.

42. *An cum notitia impedimenti adſit fortior conſenſus.*

An autem, ut vult Sanchez ſup. diſp. 68. n. 7. fortior adſit conſenſûs, quando contrahentes norunt impedimentum, quàm dum illud ignorant, valdè dubito. Dicit quidem lex 12. ff. de Iuriſdict. *Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quàm error, qui imperitiam detegit?* ſed loquitur de errore perſonæ, ut patet ex principio: *Si per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum eſt.* Hìc autem non agitur de errore perſonæ, ſed de ignorantia alterius impedimenti, v. g. conſanguinitatis, quæ licèt excludat conſenſum in ipſam conſanguinitatem, quæ eſt objectum ejus, non tamen in perſonam, quæ eſt objectum conſenſûs Matrimonialis.

Videtur quòd fortior ſit conſenſus cum ignorantia.

Quare puto, ſalvo meliori, fortiùs quempiam conſentire in perſonam, quam ignorat conſanguineam, quàm ſi eam ſub tali qualitate agnoſceret. Quippè dubitant Multi, an poſſit ſtare validus conſenſus matrimonialis, cum falſa opinione conſanguinitatis, ut ſuo loco vidimus. At verò nemo dubitat, poſſe eum ſtare cum ignorantia conſanguinitatis.

43. *Vt ex Matr. invalido oriatur honeſtas, non requiritur ſcientia invaliditatis.* Averſa.

Utut ſit de hoc, ut oriatur publica honeſtas ex Matrimonio invalido, nullatenùs requiritur ſcientia invaliditatis; quia tenor Canonis nullatenùs talem limitationem patitur, inquit Averſa ſup. §. *Ex adverſo.*

Probatio à ſimili, ex Sanchez.

Et probat à ſimili Sanchez ſup. n. 7. quia ſicut affinitas non pendet ex ſcientia, ſed ex copula ſcienter vel ignoranter habita naſcitur; ita de hoc impedimento aſſerendum eſt. Nimirum ex Matrimonio ſcienter ſive ignoranter invalidè contracto, aliundè quàm ex defectu conſenſûs, naſcitur publica honeſtas.

Neque requiritur ſcientia impedimenti.

Naſcitur, inquam, etiam, dum contrahentes ignorant, ex hujuſmodi Matrimonio naſci impedimentum publicæ honeſtatis: quippè naſcitur ex lege Eccleſiæ, ſufficienter promulgatâ; jam autem ignorantia alicujus particularis ſubditi non excuſat ob irritatione legis, quando non eſt pœnalis, ſed merè moralis, ut contingit in caſu præſenti, cum ex nullo verbo d. cap. un. colligi poſſit impedimentum hoc inductum eſſe in odium ſeu pœnam peccati, commiſſi ab invalidè contrahentibus.

44. *Qua cauſa hujus impedimenti, ex Sanchez.*

Rogas; quæ ergò cauſa hujus deciſionis? Reſpondet Sanchez ſup. n. 5. ut fraudibus obviaretur, atque propelleretur iniquitas eorum, qui contrà juris impedimenta contrahere ſponſalia nituntur: arcebuntur enim ſcientes indè publicam honeſtatem oriri, quæ ſubſequens Matrimonium dirimit. Hæc ille.

Non ergò in pœnam peccati commiſſi, ſed in cautelam peccati committendi. Veluti Concilium Tridentinum irritavit Matrimonium clandeſtinum, non in pœnam peccati, quod committitur clandeſtinè contrahendo, ſed in cautelam peccati committendi; id eſt, ut homines arcerentur à tali contractu; & ideò ab illa irritatione non excuſat ignorantia, ut ſuo loco oſtendimus; quia non eſt irritatio pœnalis, ſed moralis: ergò ſimiliter in caſu præſenti.

45. *Reſolutio finalis.*

Sit igitur reſolutio finalis: ſi conſanguineus, frigidus, affinis, ſacris initiatus, Religioſus, aut alio impedimentò ſimili laborans, ſcienter vel ignoranter contrahat cum aliqua Matrimonium, quàmvis id prorſus irritum ſit, nihilominùs impediet propriòs conſanguineos uſque ad quartum gradum, ne poſſint validè eam fœminam ducere, propter impedimentum illud publicæ honeſtatis, ex illo Matrimonio irrito conſurgens: conſurgens, inquam, non attentâ ſolâ ratione naturali; hæc enim dictat ex nihilo nihil produci, & juxtà eam loquitur Reg. 52. ſup. ex adverſo adducta: *Non præſtat* &c. ſed ex mero beneplacito Eccleſiæ, in textibus ſuprà allegatis ſufficienter expreſſo.

Sanchez excuſat D. Tho. dum dixit, ex ſponſalibus initis non oriri impedimentum.

Quare (inquit Sanchez ſup. n. 5.) D. Thomas 4. diſt. 41. q. un. a. 1. quæſtiun. 4. ad 3. dum dixit, ex ſponſalibus irritis non oriri hoc impedimentum, excuſandus eſt, eò quòd textum non vidit, decidentem contrarium: atque ſolâ ratione naturali ductus verum dixit: hæc enim dictat, ex nihilo nihil produci. Hæc ille.

46. *An ſponſalia à Monacho inita dirimant? Negat Cald.*

Hinc etiam non eſt audiendus Calderinus d. cap. *Ad audientiam*, de Sponſal. ubi negat ſponſalia à Monacho inita, hoc impedimentum producere: quia ſunt irrita defectu conſenſûs, eò quòd hic nec velle, nec nolle habeat, cap. 27. de Elect. in 6. *Si religioſus (cujus arbitrium non ex ſua, cum velle vel nolle non habeat, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cujus imperio ſe ſubjecit, voluntate dependet) electioni* &c.

Affirmat Sanchez.

At audiendus non eſt (inquit Sanchez ſup. n. 6.) quia habet conſenſum naturalem, qui ſatis eſt, ne illa ſponſalia dicantur irrita defectu conſenſûs. Dum enim textus d. cap. un. decidit ex ſponſalibus nullis defectu conſenſûs, non oriri hoc impedimentum, intellexit defectu conſenſûs naturalis, qualis eſt in furioſo, & infante. Et ita expreſsè is textus decidit, ex ſponſalibus irritis ratione Religionis, produci hoc impedimentum; ubi neſcio, quid nomine Religionis intelligi valeat, niſi votum ſolemne profeſſionis. Ita Sanchez cum Alijs, quos citat.

Et ante ipſum Gloſſ.

Hanc ſententiam ſequitur Gloſſa d. cap. un. verb. *Diſſolvendum*, inquiens: *Bene ergò dicebant* Hug. Jo. & hic ſequaces: qui dicebant, Monachum, Sacerdotem, frigidum, & ſimiles perſonas contrahendo cum aliqua, impedire omnes conſanguineos contrahere cum eadem.

47. *Objectio.*

Sed dicet aliquis: Gloſſ. ibi verb. *Aliâ quâvis*, videtur diſtinguere votum ſolemne

à Religione, nam ait: *Et multæ aliæ causæ* (scilicet, præter Religionem, consanguinitatem, &c.) *reperiuntur, putà votum solemne, cognatio spiritualis & legalis, & reliqua impedimenta.*

Solvitur. Respondeo: per votum solemne intelligit Ordinem sacrum, qui etiam dicitur votum solemne cap. un. de Voto in 6. ibi: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem,* &c.

48. *Quod Matr. sit irritum præcisè ex defectu consensûs.* Si autem à me quæritur: quod ergò Matrimonium sit irritum defectu consensûs, ita ut ex eo non oriatur publica honestas. Respondeo primò: contractum ab infante vel furioso. Ita Gloss. sup. verb. *Consensus*, dicens: *Putà, contracta ab infante vel furioso.* Loquitur de sponsalibus; sed eadem est ratio Matrimonij, ut patet.

Matr. furiosi per c. 24. de Sponsal. Probat autem ex cap. *Dilectus*, 24. extrà de Sponsal. ibi: *Cùm autem eadem mulier cum ipso viro, qui continuo furore laborat, morari non posit, & propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus.* Intellige eo tempore, quo laborabat furore. Nam si habuisset lucida intervalla, liquido constat ex alibi dictis, eo tempore legitimum potuisse intervenire consensum.

49. *Item infantium, ex c. 4. de Despons. impub.* Porrò de infantibus, id est, minoribus septennio, omnia jura clamant, eorum sponsalia & Matrimonia esse irrita defectu consensûs; adeoque ex ijs non oriri publicam honestatem. Gloss. sup. citata c. 4. & 5. de Desponsat. impub. in quibus Alex. III. id statuit.

Do verba cap. 4. *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod si præfatus vir matrem puellæ, antequam septimum annum complesset, in uxorem accepit, Matrimonium non dissolvas, cùm desponsationes hujusmodi nullæ sint, quæ in cunabulis fiunt. Verùm si post quam puella septimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cùm sponsalia ex tunc placere consueverint, inter eos sententiam divortij non differas promulgare: nec ipsum filiam seu matrem habere permittas.*

50. *Expenditur d. cap.* Utique propter publicam honestatem, ortam ex sponsalibus validis cum filia respectu matris, & affinitatem, ortam ex copula cum matre respectu filiæ. Nam de tali casu loquitur Pontifex, ut exponit Glossa ibi, dicens: *Quidam cum esset ætatis legitimæ ad Matrimonium contrahendum, desponsavit quamdam puellam in cunabulis; posteà cognovit matrem, & eam in uxorem accepit.* Et verb. *Filiam*, sic ait: *Quam habere non potest propter affinitatem supervenientem*, 35. q. 3. Nec eam quam. *Nec matrem propter publicæ honestatis justitiam.*

C. un. de Sponsal. in 6. Alioquì, si matrem non cognovisset, filiam posset & deberet ducere, arg. cap. un. de Sponsal. in 6. ibi: *Quare ille, qui sponsalia purè ac determinatè cum aliqua muliere contraxit, & postmodum cum secunda, prioris consanguineâ, idem fecit, ex priorum sponsalium vigore* (*quibus per publicæ honestatis justitiam ex secundis sponsalibus subsecutam minimè derogatur*) *ad Matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus.*

Ubi Gloss. verb. *Idem fecit*, inquit. *Adverte, si cum prima contraxerit de futuro & posteà cum secunda consanguinea in prohibito gradu eodem modo contraxit, & secundam cognovit, nec primam habere poterit propter affinitatem supervenientem, quæ solvit sponsalia de futuro, ut sup. de Eo, qui cognovit.* Veniens, 1. & c. Ex litteris, *Secundam habere non poterit: quia publicæ honestatis justitia illum contractum impedit & dirimit.*

51. *Affinitas superveniens solvit sponsalia de futuro.*

Et verb. *Derogatur*, sic ait: *Nota, quòd licèt superveniens affinitas dissolvat sponsalia de futuro: superveniens tamen justitia publicæ honestatis, ipsa non dissolvit, & meritò: secunda enim sponsalia tolluntur per publicæ honestatis justitiam, ex primis inductam: non ergò ex secundis potest esse honestas, quæ tollat primam.*

52. *Infantium sponsalia & Matr. esse irrita defectu consensûs, probatur ex c. 5. de Despons. impub.* Cæterùm, quod Alex. 3. d. cap. 4. statuit, idem observari mandat cap. 5. hisce verbis: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs si tibi constiterit, quòd puella non esset septennis, quando G. desponsata fuit, & posteà in eum non consenserit, & quod idem G. ab hujusmodi desponsatione per te fuerit absolutus, Matrimonium inter eumdum G. & matrem puellæ celebratum præcipias inviolabiliter observari, & eorum prolem denunties esse legitimam; quia desponsationes & Matrimonia antè septem annos fieri non possunt, si consensus posteà non accedat.* Ergò desponsationes, & Matrimonia antè septimum annum, sunt nulla defectu consensûs.

Idem de sponsalibus habetur c. un. de Despons. impub. in 6. Quod apertissimis verbis expressit Bonif. VIII. cap. un. de Desponsat. impub. in 6. *Si* (inquit ille) *infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor, sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo, vel facto ipsorum, liquidò appareat, eosdem in eadem voluntate, factos majores septennio, perdurare: sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescere; & ideò cùm sint nulla ratione defectûs consensûs, publicæ honestatis justitiam non inducunt.* Quid illustriùs dici poterat?

53. *An etiam de Matrimonio.* Sed nunquid eadem ratio Matrimonij impuberum? Consule prædictum textum, & dicet tibi: *Idem quòque si pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de præsenti: sponsalia enim illa, quæ juris interpretatione tantùm fuerunt sponsalia de futuro* (*licèt verba consensum exprimentia de præsenti haberent, & Matrimonium contrahere intenderent contrahentes*) *per adventum pubertatis in Matrimonium non transeunt de præsenti: nec Matrimonium* (*quod ut Matrimonium ætate non tenuit prohibente*) *per lapsum dicti temporis convaluit, nisi per carnis copulam subsecutam, vel aliquem modum alium, contrahentes eosdem, cum ejusdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter: per dictum tamen contractum, qui valuit, ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis justitia est inducta.*

Igitur

Probatur quòd sic.

Igitur Matrimonium impuberum, vel unius puberis, & alterius impuberis, irritum est defectu debitæ ætatis ; atque adeò defectu consensûs omninò liberi seu sufficienter deliberati ad onus indissolubile Matrimonij assumendum. Hæc quippè est una ratio, propter quam Ecclesia irritavit Matrimonium impuberum, ut suo loco vidimus ; & ideò hic requiritur renovatio consensûs, seu signum perseverantiæ in consensu, antè pubertatem præstito. Signum ergò est, prius Matrimonium fuisse irritum ex defectu legitimi consensûs, alioquì adveniente ætate, foret sinè novo consensu validum, cujus oppositum hìc decidit Pontifex.

54. *Tale Matr. non inducit publicam honestatem.*

Itaque tale Matrimonium non inducit publicam honestatem, quæ provenire solet ex Matrimonio rato ; quia est irritum in ratione Matrimonij, ex defectu consensûs : in quantùm tamen interpretatione juris habet rationem sponsalium, eatenùs inducit publicam honestatem, ut hìc dicitur. Unde si ob aliud impedimentum, v. g. consanguinitatem, id Matrimonium sit irritum, hodie non inducet publicam honestatem, quia & in ratione sponsalium fuit invalidum : Trid. autem, ut suo loco dicemus, noluit ex sponsalibus irritis oriri hoc impedimentum.

Primum ergò, irrita sunt sponsalia, tam de præsenti, quàm de futuro, ex defectu consensûs in puero, seu infante & furioso. Secundò, sponsalia de præsenti, secùs de futuro, irrita sunt ex defectu consensûs in impuberibus. Tertiò, deficit consensus, quando Matrimonium est irritum ratione metûs cadentis in virum constantem, qui tollit liberum consensum.

55. *Probatur Matr. coactum esse irritum defectu consensûs.*

Ita Gloss. Clem. un. de Consang. verb. *Matrimonialiter*, dicens : *Per hanc literam, & per literam inf. eod.* Matrimonia contrahentes, *videtur, quòd coactus ad contrahendum, non incurret hanc pœnam. Et si de absoluta coactione loquimur, hoc est certum, Quod metûs causa*, Sacris. *Sed si de conditionali, licèt tali, qui debuerit cadere in constantem virum, videtur ligari per eam Decretalem : sed cùm non sit Matrimonium deficiente consensu, ita quòd non inducat publicam honestatem, de Sponsal. cap. un. lib. 6. de æquitate videtur talis non ligari.*

Item Matr. ex errore personæ.

Idem dicendum de Matrimonio, irrito ratione erroris personæ ; nempè quòd sit nullum defectu consensûs ; *Quid enim tam contrarium consensui est, quam error*, inquit lex 15. ff. de Iurisd. Ac proindè ex tali Matrimonio non oritur hoc impedimentum.

56. *Quid si sit invalidum præcisè ex defectu consensûs interni.*

Sed nunquid oritur ex Matrimonio valido de jure, eò quòd nullum juris impedimentum intercedat, at solùm irrito defectu consensûs interni ? Et idem quæri potest de sponsalibus ? Gloss. cap. un. de Sponsal. in 6. verb. *Consensus*, specificans, quæ sponsalia sint irrita defectu consensûs, ait : *Putà, contracta ab infante vel furioso.* Addit: *Vel per jocum, ubi jocus est patens.* V. g. si contrahentes dicant se non feriò, sed joco tantùm id facere, sinè vero animo contrahendi, aut si factis ostendant, ut in Comœdia aut Tragœdia.

Cùm enim tunc manifestum sit, quòd agitur non valere, nulla inhonestas, aut scandalum provenire potest ex Matrimonio postmodùm contracto cum consanguineis sponsi, aut sponsæ ; & aliundè actus irritus est ex defectu consensûs ; ergò tunc non oritur hoc impedimentum.

57. *Si defectus sit merè internus, putat Sanchez oriri impedimentum.*

Sin autem jocus non sit patens, sed omnes adstantes judicent, prudenter contrahentes verè interiùs intendere, quod exteriùs faciunt, existimat Sanchez sup. disp. 68. n. 14. ex talibus sponsalibus, etiam post Trident. oriri hoc impedimentum. Et idem docet de tali Matrimonio disp. 70. n. 11.

Prima probatio.

Probat d. n. 14. primò : quia hujusmodi impedimentum est institutum ob publicam honestatem, & ad vitandum scandalum. At quando sponsalia in exterioribus sunt omninò valida, & solus consensus internus ad eorum valorem desideratur, tantum scandalum esset, & tanta inhonestas, ac si vero animo contracta fuissent : cùm defectus ille interni consensûs universos lateat. Ergò ex ratione, quâ Ecclesia inducta est ad hoc impedimentum statuendum, expresâ in ipsomet jure, cap. *Iuvenis*, de Sponsal. manifestè constat, mentem ejus fuisse, ut defectus consensûs, ob quem sunt irrita, sit externus, ne inducat hoc impedimentum.

58. *Probatur 2.*

Probat secundò : quia Tridentinum non omninò corrigit textum cap. un. de Sponsal. in 6. quoad hoc, sed tantùm quoad sponsalia habentia consensum, & aliâ ratione irrita. Hæc enim juxtà illud cap. un. inducebant hoc impedimentum : at juxtà Trid. non inducunt. At quoad sponsalia irrita defectu consensûs, illæsum manet d. cap. un. Quia nec juxtà illud, nec juxtà Trid. inducunt hoc impedimentum. At non obstante eâ decisione, Multi & non pœnitendi DD. dicunt, id cap. un. intelligi, quando defectus consensûs est externus, qualis est in furioso, infante, & joco apparenti ac manifesto præbente consensum. Hæc ille.

Atque hinc infert n. 15. & 16. idem dicendum esse, quoties sponsalia essent nulla ex defectu alio quocumque occulto, ut ex voto Castitatis, vel Religionis, vel non nubendi interno, nisi essent adeò clandestina, ut probari nequeant.

59. *Coninck docet hanc sententiam repugnare verbis juris.*

Sed in hac sententia (inquit Coninck disp. 32. n. 66.) multa mihi apparent difficilia. Primò ; quia repugnat apertis verbis ipsius juris. Nam cap. un. citatum generatim dicit, sponsalia irrita ob defectum consensûs, nullum inducere impedimentum. Idemque generatim definit Trid. de sponsalibus quâvis ratione irritis : quorum verba illa sententia valdè restringit, idque sinè ullâ necessitate.

Rejicit primam probationem.

Nam in ratione pro ea allatâ, sumitur falsum : nam ex dictis Matrimonijs nullum fuisset ortum scandalum, si Ecclesia hoc impedimentum non statuisset. Sicut jam non oritur scandalum ex eo, quòd quis ducat sponsæ cognatam : nec cap. *Iuvenis* citato quidquam simile dicitur ; sed solùm, cùm juvenem non potuisse ducere consobrinam ejus, quàcum priùs con-

traxerat

traxerat sponsalia : idque ob honestatem Ecclesiæ, sive ob impedimentum honestatis, ab Ecclesia inductum. Quare illud argumentum ad summum probat, tales nuptias illicitè contrahi in locis, ubi priora sponsalia sunt nota, & eorum nullitas incognita, propter scandalum, quod posset inde nasci.

60. *Corollaria, quæ sequuntur ex doctrina Sanchij. Primum.*

Secundò ; quia ex illa sententia, ejusque corollarijs, sequeretur Primò ; etsi talia sponsalia possent probari per duos testes, quamdiu tamen hi haberent rem secretam, nullum futurum impedimentum : quia sponsalia adhuc essent verè occulta, nec ullum scandalum oriretur ex Matrimonio posteà contracto cum sponsæ sorore.

Secundum.

Secundò : si sponsalia essent publica, & nullitas occulta, etsi probabilis per duos testes, fore impedimentum, quamdiu hi illam nullitatem nollent testari.

Tertium.

Item ; tam in his casibus, quàm quando tam sponsalia, quàm eorum nullitas essent solùm duobus testibus nota, fore in testium potestate, prout vellent, inducere tale impedimentum, publicando sponsalia, & posteà hoc iterùm tollere publicando eorum nullitatem. Et eodem modo utrumque esset in potestate sponsorum, qui per conductos falsos testes, possent modò unum, modò alterum probare : atque ita, prout vellent, nuptijs posteà contrahendis impedimentum inducere, idemque tollere.

61. *Quartum.*

Item ; easdem personas in uno loco, ubi priora cum alterius sorore sponsalia essent publica, esse inhabiles ad contrahendum inter se Matrimonium, & in alijs locis, ubi essent ignota, fore habiles ; quia cessaret scandalum. Quæ omnia videntur mihi valdè difficilia.

Quintum.

Imò sequeretur ulteriùs ; sponsalia etiam valida, modò essent omninò occulta, ita ut nullâ ratione possent probari, præsertim sponsâ jam defunctâ, nullum inducere impedimentum inter sponsam ac illius sororem : quia cum ratio legis inducentis hoc impedimentum, secundùm illam sententiam, sit tollere scandalum, quod ex tali Matrimonio posset nasci, lex non comprehenderet dictum casum, cùm in eo nullum possit esse scandalum, atque ita ipsius ratio ad eum non extendatur.

62. *Credit Coninck cum Navar. decisionem Trid. esse generalem.*

Quare cum Navar. Sum. c. 22. n. 57. credo decisionem Concilij Trid. generatim intelligendam de omnibus sponsalibus, quâcumque ratione irritis. Quamdiu tamen ipsa publica sunt, & nullitas occulta, Ecclesia præsumet esse valida, ac inducere impedimentum, nec Matrimonium sponsi cum sorore sponsæ permittet. Ita Coninck de sponsalibus proprijssimè dictis, id est, de futuro.

Et quoniam Navarrum citat ; placet ejus verba describere, quæ lego sup. n. 58. Sequitur 3. quòd illud Paludani 4. dist. 27. q. 1. a. 5. commendatum à nobis hic in Manuali Hispano, scilicet ex sponsalibus & Matrimonijs, invalidè & clandestinè contractis, non nasci hoc impedimentum, quoad forum conscientiæ, non sit adeò commendandum ; quoniam hodie, etiam ex publicè contractis, si sint invalida, non nascitur, sed quoad Matrimonium sic. Et etiam quoad sponsalia, quæ Concil. præcesserunt, quoniam hodie etiam ex publicè contractis, si sunt invalida, non nascitur, quamvis quoad ea, quæ præcesserunt Concilium, prodesse possit. Hæc ille.

63. *Quid sentiat Auctor de hac controversia. Prima assertio.*

Rogas : quid ego sentiam de hac controversia ? Dico primo nuspiam in jure, sive Civili, sive Canonico, invenitur, impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex sponsalibus de futuro validis, aut valido Matrimonio rato, inductum fuisse ad evitandum scandalum. Nam si inductum non fuisset, nullum prorsùs fuisset scandalum, si quispiam Matrimonio sibi copulasset sororem sponsæ, sive de præsenti, sive de futuro.

Quæ fuerit ratio hujus impedimenti.

Quæ ergò fuit ratio motiva hujus impedimenti ? Respondeo : decentia & honestas, quæ relucet in eo, quòd sponsus abstineat à Matrimonio cum consanguineis suæ sponsæ, & sponsa abstineat à Matrimonio cum consanguineis sui sponsi. Fundamentum porrò hujus decentiæ ac honestatis, est vinculum naturale amicitiæ, quod oritur ex Matrimonio rato inter conjuges ; aut certè initium talis amicitiæ, quod oritur ex sponsalibus de futuro.

64. *Secunda assertio.*

Dico secundo : sed neque publica honestas, quæ oritur ex sponsalibus invalidis, aut Matrimonio invalido, reperitur in jure inducta ad evitandum scandalum, quod nullum esset, ut sup. dictum est, si non foret inducta. Quæ ergò ratio hujus impedimenti ? Respondeo ex Sanchez sup. disp. 68. n. 5. ut fraudibus obviaretur, atque propelleretur iniquitas eorum, qui contrà juris impedimenta contrahere sponsalia nituntur : arcebuntur enim, scientes indè publicam honestatem oriri, quæ subsequens Matrimonium dirimit. Ita Sanchez. Et quamvis ibi solùm loquatur de sponsalibus de futuro ; tamen manifestum est, idem dici debere de Matrimonio. Hinc non consurget hoc impedimentum, si Matrimonium sit irritum defectu solius interni consensûs, estò publicè constet de Matrimonio contracto secundùm leges. Et consurget hoc impedimentum, si Matrimonium sit irritum aliundè, quàm ex defectu consensûs, estò Matrimonium sit omninò occultum, aut publicè constet ejus invaliditas.

Alia ratio hujus impedimenti, ex Sanchez.

Ratio patet ex dictis : quia verba legis sunt generalia, & ratio legis non deficit in his casibus ; ergò &c. Enimverò iniquitas est, etiam in occulto invalidè contrahere, à qua iniquitate arcebuntur, scientes indè publicam honestatem oriri.

65. *Objectio.*

Sed, dicet aliquis : etiam iniquitas est, contrahere invalidè ex defectu consensûs merè interni ; ergò etiam ex tali Matrimonio oritur hoc impedimentum.

Solvitur.

Respondeo negando Consequentiam ; quia sola ratio legis non obligat, ubi verba legis oppositum statuunt, sicut in casu præsenti. Deinde ; etiam iniquitas est, contrahere invalidè ex defectu consensûs interni, exteriùs sufficienter manifestati, v. g. cum furioso, si non ex parte furiosi,

furioſi, ſaltem ex parte ejus, qui ſciens cum eo invalidè contrahit ; & tamen, ſecundùm Omnes, ex tali Matrimonio non oritur hoc impedimentum.

66. *Quæ ratio, quare ex ſponſalibus invalidis defectu conſenſûs non oriatur impedimentum.*

Quæ ergò, inquis, ratio movit Eccleſiam, ut ſtatuerit impedimentum oriri ex Matrimonio aut ſponſalibus aliundè invalidis, ſecùs invalidis ex defectu conſenſûs ? Nam ſicut defectus conſenſûs poteſt eſſe externus (imò, ſecundùm Sanchium, debet eſſe externus) & poteſt eſſe merè internus ; ſic quoque conſanguinitas v. g. poteſt eſſe publica, poteſt etiam eſſe occulta ; & ſicut vulgus poteſt exiſtimare, ſponſalia ficta eſſe vera ſponſalia, quàmvis à parte rei falſa ſint ; ſic itidem poteſt exiſtimare ſponſalia inter conſanguineos eſſe valida, quàmvis à parte rei ſint invalida. Cur ergò potiùs ex his quàm ex illis oritur publica honeſtas ?

67. *Reſp. Aliquorum, quia irrita jure naturæ.*

Reſpondet aliquis : quia ſponſalia, quibus deficit conſenſûs, jure naturali irrita ſunt, cum alia ſponſalia, quibus non deficit conſenſus, plerumque ſolùm ſint irrita jure poſitivo.

Antonius.

Aut ſponſalia, inquit Antonius, in cap. *Ad audientiam*, de Sponſal. ſunt nulla, non ex defectu naturali conſenſûs vel fundamenti, ſed propter aliquod extrinſecum accidens, & de jure poſitivo tantùm, cum in ſui ſubſtantia ſint perfecta, & iſto caſu licèt quoad effectum juris ſint nulla, tamen, quia ſecundùm jus naturale, & qualitatem facti, reſultat opinio in animis hominum exiſtimantium iſtos eſſe ſponſos, prout erant apparentes ; ideò ex iſtis ſponſalibus naſcitur publica honeſtas, quæ impedit Matrimonium contrahendum cum conſanguineo, ut hìc.

Peckius.

Aut ſponſalia ſunt nulla ex defectu conſenſûs, ſic quòd nulla hominum opinio indè reſultet, quæ faciat publicam honeſtatem, & ex talibus non naſcitur impedimentum, cap. *Literas*, de Sponſal. Hæc ille apud Peckium in ſuo Comment. ad Reg. 52. de Reg. juris in 6. n. 5.

68. *Videtur eſſe ſententia Caniſij. Impugnatur.*

Quæ videtur eſſe ſententia Caniſij ſup. & impugnatur ; quia ſponſalia poſſunt eſſe irrita jure naturali aliundè quàm ex defectu conſenſûs ; & fieri poteſt, ut ex ſponſalibus, jure poſitivo tantùm irritis, non reſultet opinio in animis hominum, exiſtimantium iſtos eſſe ſponſos ; ſi v. g. ſint occulta, aut impedimenta conſanguinitatis, affinitatis, &c. publica à principio contractûs. Sed & fieri poteſt, ut ex ſponſalibus jure naturali irritis propter defectum conſenſûs, opinio in animis hominum reſultet, exiſtimantium iſtos eſſe ſponſos, v. g. ſi defectus ille ſit merè internus, aut externus occultus.

69. *Rejitur doctrina quædam Sanchez.*

Planè, inquis, ſic eſt ; & ideò Sanchez docet, tali caſu oriri impedimentum.

Reſpondeo ; ſed ſinè ſolido fundamento contrà tenorem verborum, & mentem Eccleſiæ, quæ noluit hoc impedimentum eſſe inſtabile & dependens ab opinione hominum ; ſed voluit, ut ſtabiliter reſultaret ex ipſo facto hominum invalidè contrahentium, ratione conſanguinitatis aut ſimilis impedimenti, & ut nunquam reſultaret ex ipſo facto hominum invalidè contrahentium ex defectu conſenſûs. Quare autem ſic voluerit, penes ipſam eſt, ego conſiliarius ejus non fui. Et ideò ab alijs, qui conſiliarij ejus fuerunt, rationem expectabo.

70. *Ex ſponſalibus quâcumque ratione invalidis hodie non oritur impedimentum, ex Trid.*

Interim Eccleſia jam mutavit hanc voluntatem, quantùm ad ſponſalia de futuro ; nam *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quâcumque ratione valida non erunt, S. Synodus* (Trident. Seſſ. 24. cap. 3.) *prorſus tollit.* Declaravit autem Pius V. ut ſup. audivimus, per ſponſalia hìc Concilium intelligere ſponſalia de futuro ; non autem Matrimonium ratum.

Porrò nulla fuiſſet ratio dubitandi, atque adeò declarandi, ſi verum foret, quod ait Præpoſitus hìc q. 7. dub. 14. n. 119. Difficultas, inquit, eſt an hoc impedimentum oriatur ex contractu matrimoniali à parte rei invalido ex alio capite, quàm ex defectu conſenſûs. Varij aſſerunt, quos citat, & ſequitur Sanchez diſp. 70. n. 5.

Sententia Præpoſiti. ex Matr. ſic invalido non oriri impedimentum.

Reſpondeo : non videri oriri : quia talis contractus non eſt verè ſponſalitius : ergò in eo non inducitur impedimentum ſponſalitij contractus : cùm ergò nihil jure diſponatur de tali contractu, non eſt, quod dicamus, ex eo oriri impedimentum publicæ honeſtatis. Hæc ille.

71. *Reprobatur.*

Quæ ſi vera ſunt, quod non puto, nulla ſanè fuit ratio dubitandi, an Trid. extendi deberet ad Matrimonium ratum, ut clarum eſt. Signum ergò eſt, tempore illius declarationis communem fuiſſe ſententiam, ſicut adhuc hodie communis eſt, ex Matrimonio irrito aliundè, quàm ex defectu conſenſûs, oriri hoc impedimentum. Enimverò neque Præpoſitus aliquem Auctorem citat pro ſua ſententia, neque Sanchez. Et ideò ſolus Præpoſitus non eſt audiendus ; quia loquitur ſinè ſufficienti fundamento, ut patet ex ſup. dictis.

Itaque Eccleſia adhuc vult, ut attentâ ſolâ naturâ contractûs, & non opinione hominum, ex Matrimonio irrito aliundè, quàm ex defectu conſenſûs, oriatur publica honeſtas. Si autem à me quæritur ; an tale ſit Matrimonium clandeſtinum, ubi Trid. obligat ?

72. *Ex Matr. clandeſtino invalido oritur hoc impedimentum.*

Reſpondeo citiùs affirmative ; ac proinde dico, ex Matrimonio clandeſtino invalido oriri hoc impedimentum, contrà Sanchium ſup. diſp. 70. n. 13. ubi oppoſitum probat : Quia id Matrimonium claudicat ex parte formæ, non enim habet formam & figuram Matrimonij, quæ poſt Trident. eſt conſenſus præſtitus coram Parocho & teſtibus.

Oppoſitum docent Sanchez & dicaſt.

Hanc ſententiam, tamquam probabiliorem, amplectitur Dicaſtillo hìc diſp. 7. n. 419. propter rationem dictam. Imò, inquit, tunc etiam deficit conſenſus ; quia non quicumque conſenſus eſt conſenſus matrimonialis ; ſed conſenſus, cui non deficiat valor ex parte cauſæ efficientis, & formæ ; talis autem defectus efficientis cauſæ, & formæ reperitur in Matrimonio clandeſtino, ubi conſenſus cenſetur nullus, propterea quòd cauſa ſit inhabilis ad conſentiendum, non ſervatâ tali formâ, ex Trid.

Sess. 24. cap. 1. ibi: *Ad sic contrahendum eos Sancta Synodus omninò inhabiles reddit.*

73. *Hic putat tale Matr. esse nullum defectu consensûs.* Quapropter consensus nullus ex defectu consentientis, habilis ad consentiendum, non censetur esse consensus: atque adeò tale Matrimonium erit nullum ex defectu consensûs. Quid, quæso, est aliud deficere consensum, quàm nullum ibi esse consensum? Cùm ergò in genere moris, de quo agimus (quidquid sit physicè) nullus sit consensus: non video, quomodo possit negari, ibi esse defectum consensûs requisiti, qui solus est consensus ejus, qui habilis est, & potens consentire. Hactenùs Dicastillo.

74. *Oppugnatur.* Sed quæro ego: Consanguineus, affinis, Monachus, habiles sunt & potentes consentire? Cur ergò eorum Matrimonium non valet? Quia, inquis, deficit materia, id est, legitima corpora contrahentium: in casu autem proposito deficit consensus, si non physicus, saltem moralis.

Ast, amabo, quis est ille consensus moralis? Consensus, inquis, matrimonialis, sive consensus, cui non deficit valor ex parte causæ efficientis & formæ.

An igitur consensus inter consanguineos matrimonialis? Imò nequidem sponsalitius; cùm tamen valdè probabile sit, consensum clandestinum esse validum in ratione sponsalium. Vide dicta Disp. præced. Sect. 1. Concluſ. 15. Unde qui hoc docent, communiter affirmant, ex Matrimonio clandestino oriri publicam honestatem, quæ alioquin oritur ex sponsalibus validis.

75. *Priorem sententiam docet Aversa.* Quinimò ex eo oriri hoc impedimentum, eâ quòque ratione, quâ oritur ex Matrimonio irrito ob consanguinitatem, docet Aversa q. 17. sect. 5. vers. *Addit Sanchez*, ibi: Verùm non solùm is contractus valet saltem per modum sponsalium, atque adeò ex eo orietur impedimentum tamquam ex sponsalibus validis. Sed etiam videtur inducere impedimentum per modum Matrimonij invalidi, quia in illo non deficit consensus plusquam in alijs casibus invaliditatis; & in jure solùm excipitur, quando deficit consensus. Quare sicut ex Matrimonio nulliter contracto à Monacho, à conjugato, & similibus, adhuc oritur tale impedimentum: pariter videtur oriri ex Matrimonio clandestino nulliter contracto.

Pro ea refertur Declar. Card. Et pro hac parte refertur Declaratio S. Congregationis, quæ habetur apud Farinacium ad sess. 24. cap. 3. Concilij Trident. sub hâc formâ verborum: *Præsuppositâ Declaratione per Constitutionem Pij V. super hoc Decreto, censuit Congregatio oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsenti, etiam nulliter contractis, omissâ formâ Decreti Concil. Trid. cap. 1. hujus Sessionis.*

76. *Eamdem sequitur Perez, & probat.* Eamdem sententiam sequitur Mart. Perez hìc Disp. 32. sect. 3. n. 3. & probat. Quia Matrimonium clandestinum non est nullum absolutè ex defectu consensûs; ille verò solùm potest dici non esse legitimus, quia est inter personas inhabiles ex lege & statuto Concil Tridentini, ob defectum solemnitatis præsentiæ Parochi & testium. Unde non est nullum Matrimonium ex defectu consensûs, sed ex defectu legitimitatis. Sicut ob eamdem rationem oritur tale impedimentum ex Matrimonio nullo ex defectu ætatis, quia non est nullum ex defectu consensûs; sicut est Matrimonium factum ex metu, aut ex errore personæ, aut in furia, in quo deficit omninò consensus plenè voluntarius ac liber. Quare Matrimonium clandestinum, in mea sententia, causat impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum; quia causat illud ut Matrimonium. Hæc ille.

77. *An Matr. impuberum sit nullum defectu consensûs?* Verùm enimverò, quòd hìc dicit de Matrimonio nullo ex defectu ætatis, nobis placere non potest. Nam oppositum hâc ipsâ Conclusione docuimus cum Aversa sup. §. *Quædam*, ubi scribit sequentia verba: Quædam tamen limitatio & exceptio habetur ex jure, ut quando invaliditas oritur ex defectu consensûs, tunc talis actus sponsalium, & similiter Matrimonij, non inducat publicæ honestatis impedimentum, ut in furiosis & infantibus.

Ac etiam adnotari solet; quòd si actus fuit invalidus ex errore, aut incertitudine personæ, aut ex gravi metu, similiter non inducat impedimentum; quia est invalidus ex defectu debiti consensûs.

78. *Affirmat Aversa.* Eodemque modo, quandocumque actus non valet ex defectu ætatis de jure requisitæ: quia de jure non habetur pro sufficienti consensus antè præscriptam ætatem adhibitus. Quare nec sponsalia celebrata ante septennium, prout de jure requisitum, inducebant impedimentum, aptum alioquì oriri ex sponsalibus, nisi scilicet post septennium verbo aut facto ea ratificata essent.

Nec Matrimonium, celebratum antè annos pubertatis, prout de jure requisitos, inducebat aut inducit impedimentum, aptum alioquì oriri ex Matrimonio: nisi posteà tempore debito ratificetur, Sed tamen ex hoc Matrimonio, inito antè pubertatem pòst septennium, benè oritur impedimentum publicæ honestatis, aptum oriri ex sponsalibus: quia hoc Matrimonium habet saltem vim sponsalium, & ad hunc effectum non deest illi sufficiens consensus de jure requisitus. Hucusque Aversa.

79. *Vide etiam Pontius.* Idem docet Pontius sup. cap. 35. n. 5. dicens: Ut autem ea publica honestas oriatur ex Matrimonio nondum consummato, saltem requirebatur, ne esset invalidum ex defectu consensûs, ut si metus sufficiens interveniisset, vel error personæ, vel animus internus, in quo postremo est diversa ratio Matrimonij ab alijs contractibus. Si enim eâ ratione nullum esset, nullum etiam oriebatur impedimentum, ut constat ex Alex. III. in Append. Concil. Lateran. part. 6. c. 4. & 10. ubi ideò requirit Matrimonium, celebratum à proximè nubili ætati, quasi si antè illam celebratum fuerit, non contrahatur hoc impedimentum; quia in ea ætate deficit, aut deficere præsumitur consensus ..... At si Matrimonium fuerit nullem ex alio capi-

te

te, ſcilicet ex defectu ſolemnitatis, vel ratione alicujus impedimenti, etiam ex eo oriri impedimentum publicæ honeſtatis, declaravit congregatio Cardinalium. Ita Baſilius.

80. *Probatur in Matr. clandeſtino non deficere conſenſum.*

Et quàmvis de ea Declaratione non conſtet authenticè (quòd ſciam) poſt Urb. VIII. & ideò nulla fides ei ſit adhibenda; equidem videtur conſona juri & rationi, ut patet ex dictis. Et iterùm oſtendo; quia in Matrimonio clandeſtino neque deficit conſenſus; nam antè Trid. fuit Matrimonium validum, quod eſſe non poterat ſinè conſenſu; neque etiam jure præſumitur deficere conſenſus, veluti in Matrimonium impuberum.

Quippè ratio irritandi illud fuit, non defectus conſenſûs, ſed defectus probationis conſenſûs, ſeu inconvenientia, quæ ex illo Matrimonio nata ſunt ſequi. At verò ratio irritandi Matrimonium impuberum, non fuit defectus probationis conſenſûs, ut clarum eſt, quando publicè contrahebatur; ſed defectus ipſius conſenſûs, ſcilicet ſatis deliberati ad tantum negotium peragendum. Quare non valet argumentum Perezij à Matrimonio clandeſtino ad Matrimonium impuberum.

81. *Quid dicendum de Matr. inito per parentes?*

Sed quid, interrogat quiſpiam, ſi Matrimonium initum ſit per parentes, nomine filiorum præſentium, vel abſentium; nonne ex eo oritur hoc impedimentum?

C. un. de Deſponſ. impub. in 6.

Bonif. VIII. cap. un. de Deſponſ. impuberum in 6. §. fin. ſic ait: *Porrò ex ſponſalibus, quæ parentes pro filijs puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filij ſi expreſsè conſenſerint, vel tacitè, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur juſtitia publicæ honeſtatis. Et eſt idem, ſi filij tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes, eadem ſponſalia poſt ſcientes ratificaverunt tacitè vel expreſsè: aliàs ex ſponſalibus contractis à parentibus pro filijs, nec ipſi filij obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia inde ſurgit.*

Utique, quia invalida ſunt defectu conſenſûs. Sicut ſponſalia, ita quòque Matrimonium, ut per ſe patet. Nunquid etiam ſponſalia (& idem quæri poteſt de Matrimonio) incerta, aut conditionata? Reſponſio patebit ex ſequenti Concluſione.

CONCLUSIO III.

Poſt Tridentinum non oritur impedimentum publicæ honeſtatis ex ſponſalibus quâcumque ratione invalidis; valida non excèdunt primum gradum. Sed nec antè Tridentinum oriebatur ex ſponſalibus incertis, aut conditionatis.

82. *Ex ſponſalibus de futuro oritur impedimentum honeſtatis.* Pontius.

ORitur etiam (inquit Pontius ſup. cap. 36. n. 1. publicæ honeſtatis impedimentum ex ſponſalibus de futuro. Hoc autem impedimentum exiſtimo, non eſſe antiquum in Eccleſia, niſi fortè traditione quâdam, & conſuetudine populi Chriſtiani receptum fuerit primis Eccleſiæ ſæculis.

A quo tempore incepe-rit.

Moveor ad hoc primò: quia uſque ad Bonifacium VIII. qui, mille & trecentis ferè annis elapſis à Chriſti ortu, gubernavit Eccleſiam, nullam legi in Concilijs & Pontificibus de eo conſtitutionem.

Deinde me movet, quòd Benedictus, qui, etiamſi Nonus ejus nominis fuerit, præceſſit Alex. III. centùm & quinquaginta annis & ampliùs, in cap. *Lex*, 27. q. 2. planè non agnoſcit hujuſmodi impedimentum, inquit enim: *Quoniam verò ita prorsùs habet res Ioannis iſtius, ut velit ſecundam filiam illi nuptijs copulare, cui primam jam decreverat deſponſare; cenſurâ Apoſtolici Magiſtratûs mandamus, hoc abſque ullius criminis vitio poſſe fieri, ſi utriuſque partis ſederit voluntati. Nam cur prohibeatur, quod prohibendum nunquam Sacra Scriptura declarat? Sed neque mundanæ leges, connumeratis perſonis, quæ inter ſe nuptias non contrahunt, de hujuſmodi aliquid dicunt. Ne ergò abnegetis, quod negandum nullâ ratione docetis.*

Præceſſiſſe autem inter illos ſponſalia, conſtat ex hujus cap. initio ibi: *Simplicibus verbis fuerat deſponſata.* Item ex illis: *Nuda ſponſionis verba.* Nondum ergò Benedicti tempore hoc impedimentum invaluerat: aliàs nequaquam tantâ aſſeveratione diceret, nullam de eo prohibitionem, neque Eccleſiaſticam, neque mundanam extitiſſe.

83. *Probabiliter antè Bonif. 8. nulla ſcripta erat lex.*

Quare prohabile eſt, antè Bonif. VIII. (qui 6. lib. Decretalium edidit) cap. un. de Sponſal. nullam ſcripto legem traditam, quæ ex ſponſalibus de futuro diceret oriri impedimentum publicæ honeſtatis, & ab eo primum de ea re emanaſſe Decretum. An anteà conſuetudine receptum fuerit, non definio; neque enim eſt firmum fundamentum, tantùm aſſero, nullam ſcriptam legem antè Bonifacium. Hucuſque Pontius.

Et ne gratis id dicere videretur, eod. cap. diffusè oſtendit, omnia jura antiqua intelligi poſſe de Matrimonio rato. Vide dicta Concluſ. præcedenti. Parùm ad praxim modernam refert, quid jure antiquo conſtitutum fuerit: ſufficere debet Decretum Bonif. VIII. ut hodie ex ſponſalibus de futuro oriatur hoc impedimentum. Ex ſponſalibus, inquam, puris & certis; *Debent eſſe ſponſalia pura & certa.* ſic enim loquitur d. cap. un. in principio: *Ex ſponſalibus puris & certis, etiamſi conſanguinitatis &c. oritur efficax ad impediendum & dirimendum ſequentia ſponſalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvendum, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.*

84. *Quæ ſint ſponſalia pura.*

Dubitas, quæ ſint ſponſalia pura? Conſule Gloſſam ibi verb. *Puris*, & dicet tibi: *Conditionalia non inducunt publicæ honeſtatis juſtitiam, ut dicitur in fine.* Do verba textûs: *Ille verò, qui ſponſalia cum aliqua muliere ſub conditione contraxit, ſi poſtmodum ante conditionis eventum cum alia prioris conſanguinea per verba contraxerit de præſenti:*

præsenti, cum secunda remanere debebit : cum ex sponsalibus conditionalibus, antè conditionem extantem, sicuti consensum non habentibus & incertis, nulla publicæ honestatis justitia oriatur.

Itaque sponsalia conditionalia, antequam conditio extet, non sunt pura; eâ autem extante, transeunt in absoluta seu pura, & inducunt publicæ honestatis justitiam.

85. *Quæ sint sponsalia certa.* Rogas, quæ hic censeantur sponsalia certa? Respondet Glossa verb. *Certis*, dicens : *Vt si promisit ducere Bertam filiam Titij : incerta sunt, quando promisit ducere unam ex filiabus Titij.*

De his sponsalibus incertis & impuris seu conditionalibus egimus Disp. præced. Sect. 1. Concluf. 7. sequentis tenoris : *Sponsalia facta sub conditione, vel indeterminatè alicui plurium personarum, non priùs efficiunt sponsos, quàm conditio impleatur, aut certa persona eligatur.* Utique defectu consensûs. Quid ergò mirum, si non producant publicam honestatem, quæ requirit sponsalia valida, aut certè invalida aliundè, quàm ex defectu consensûs?

Hinc debet esse conditio verè suspendens consensum, utpotè de futuro, contingens, possibilis ac honesta, quæ tacitè non insit, juxtà ea, quæ latè tradidimus Disp. præced. Sect. 8. ad quam Lectorem remitto.

86. *Quod de sponsalibus, idem dic de Matr.* Nota tantùm hìc : quæ hactenùs diximus de sponsalibus, vera esse etiam in Matrimonio rato, quàmvis de eo d. cap. un. expressè non loquatur. Sufficit quippè, nullum jus oppositum statuere de Matrimonio rato, & communem praxim, ac consuetudinem Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres, ita observare.

Perinde est, sive impletâ conditione requiratur novus consensus, sive non. Verùs quoque est, ut vult Sanchez sup. disp. 70. n. 21. ex tali Matrimonio non oriri aliquod impedimentum, antè impletam conditionem, sive dixeris impletâ conditione, necessarium esse novum consensum, sive id negaveris. Quia nullâ ratione habet vim contractûs alicuius absoluti, sed solùm sponsalium sub conditione initorum, aut Matrimonij conditionalis, de quo diffusè disputavimus loco sup. citato Concluf. 2. & 3. & proindè antè conditionis eventum nullus adest perfectus consensus : non ergò orietur impedimentum. Quippè ob hanc rationem deciditur d. cap. un. non oriri impedimentum ex sponsalibus conditionalibus antè eventum conditionis.

87. *Quid dicendum post eventum conditionis. Sanchez.* Post eventum autem conditionis (inquit Sanchez sup. n. 22.) si teneamus, non perfici Matrimonium absquè novo consensu, sed eum contractum tunc habere vim sponsalium absolutorum; dicendum est, antè novum consensum perficientem Matrimonium, oriri impedimentum publicæ honestatis, scilicet ex sponsalibus absolutis, nimirum usque ad primum gradum. At tenendo, statim evenienti conditione perfici absque novo consensu Matrimonium absolutum, dicendum omnino est, oriri impedimentum usque ad quartum gradum, sicut ex Matrimonio. Hæc ille.

An hæc sponsalia conditionata : Ducam te &c. Sanchez. Sed nunquid hæc sponsalia conditionata : *Ducam te, nisi fornicationem admiseris?* Affirmat Sanchez sup. disp. 69. n. 10. Quia, inquit, non adjicitur ea conditio sponsalibus eo modo, quo tacitè inest. Nam inest tacitè ad eum solum effectum, ut alterutro sponso fornicante, liceat alteri innocenti à sponsalibus resilire, non tamen manent eo ipso dissoluta : at cùm exprimitur conditio, est ad obligandum sponsam, cui adjicitur, ad vitam honestam, quâ fornicante, nil effectum manet. Ita Sanchez.

88. *An sponsalia sub conditione cum Maria, dissolvantur per posteriora absoluta cum ejus sorore.* Rogat aliquis : quid dici debeat, si contractis sponsalibus sub conditione cum Maria, ineantur sponsalia absoluta cum ejus sorore? Nunquid soluta sunt prima sponsalia conditionalia? Respondet Glossa d. cap. un. verbo : *Præsenti : Credo quòd sic : Si enim prima sponsalia inducunt publicæ honestatis justitiam, per justitiam publicæ honestatis, supervenientem ex secundis, non solvuntur, ut inf. prox. respons. Sed si per prima non inducitur justitia, puto quòd per justitiam supervenientem ex secundis bene solvuntur prima.*

Affirmatur, attento jure antiquo : Iam autem in casu proposito per prima sponsalia, utpotè conditionalia, non inducitur justitia; ergò per justitiam, supervenientem ex secundis sponsalibus absolutis, benè solvuntur prima; licet enim secunda invalida sint, utpotè contrà priorem promissionem, quæ obligabat promittentem, ut expectaret eventum conditionis; equidem aliundè, quàm ex defectu consensûs; adeoque attento dicto cap. un. inducebant justitiam respectu prioris sponsæ sub conditione.

Unde quod dicitur in eodem textu, per posteriora sponsalia non derogari prioribus, intelligendum venit de prioribus, quæ sunt vera sponsalia : at conditionalia non sunt vera sponsalia, pendente conditione, eò quòd deficiat consensus, ut Glossa ibidem expressis verbis explicat, illicò subjungens : *Licet in veritate prima* (quæ erant conditionalia) *sponsalia dicenda non sint, ex quo consensus defecerat, ut hic.*

89. *Secùs jure novo Trid.* Dixi autem consultò : *Attento d. cap. un.* quia jure novo Trid. in casu proposito secunda sponsalia, licet absoluta, nullam inducerent justitiam, utpotè aliquâ ratione, jam statim explicatâ, invalida.

Hoc jure restringitur honestas. ex sponsal. ad 1. gradum. Ait autem Trid. Sess. 24. cap. 3. *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quâcumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsùs tollit.* Sequitur : *Vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedant.* Rationem subdit : *Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Quare attento hoc jure, sponsus de futuro solùm prohibetur contrahere cum matre, filia, & sorore sponsæ suæ, ubi sponsalia valida fuerint. Ubi autem invalida, estò solùm defectu interni consensûs, etiam cum his omnibus potest contrahere.

90. *An solus defectus interni consensûs reddat sponsalia irrita. Negat Pont.* Sed nunquid solus defectus interni consensûs reddit sponsalia irrita? Affirmativam partem secutus fui Disp. præced. Sect. 1. Concluf. 5. ubi dixi, sponsalia ficta ad nihil obligare, nisi fuerint damnificantia. Quia autem Pontius oppositum docet, ut loco citato videre poteris; hinc conse-

& ideò affirmat ea tantùm impedimentum.

consequenter lib. 7. c. 36. n. 10. ait: Quod si, cùm celebrantur sponsalia, deesset animus se obligandi, ego existimo, etiam ex istis sponsalibus induci justitiam publicæ honestatis; quia, ut dixi sup. lib. 2. contractus omnes, excepto Matrimonio, signis tantùm externis, etiam sinè interno animo, validè celebrantur. Quàmvis ex oppositio fundamento non pauci aliter sentiant. Hæc ille.

Et statim subjungit: Ex quo intelliges, diversam esse rationem, quando consensus deest, vel quando est aliquod impedimentum occultum, ratione cujus sunt invalida sponsalia; priora enim illa ex defectu consensûs interni non sunt invalida, quod non consideravit Tho. Sanchez lib. 7. disp. 68. n. 13. & sequenti.

Sanchez.

Planè non consideravit, nec debuit considerare; cùm esset in oppositia sententia, scilicet solum defectum consensûs interni reddere invalida sponsalia. Hoc autem supposito, disputat ibi, an ex ipsis oriatur publica honestas, & resolvit, quòd sic, ut sup. audivimus; idemque asserit de Matrimonio rato, benè, an malè, Concluſ. præced. disputavimus.

91. *Dicastillo distinguit hic inter sponsalia & Matr.*

At verò Dicast. quia sequitur sententiam Pontij, distinguit inter sponsalia & Matrimonium sup. n. 422. dicens: Utrùm (Matrimonium) inducat impedimentum, quando merè defuit consensus internus, non videtur ita facilè. Affirmat Sanchez disp. 60. n. 11. consequenter, suo judicio, ad ea, quæ dixerat disp. 68. n. 14. in simili de sponsalibus. Et quidem si in sponsalibus non induceret, meritò diceremus, consequens esse, ut non induceret in Matrimonio.

Nam in sponsalibus, juxtà probabiliſſimam, imò probabiliorem opinionem, sufficit consensus debitus, exteriùs sufficienter expressus, etiamsi desit verus. In Matrimonio verò non sufficit consensus debitus, nisi adsit consensus verus. Unde deficiente consensu interno, potest in ea doctrina censeri validus sponsalitius contractus; adeoque inducere impedimentum publicæ honestatis; non verò Matrimonium. Cùmque ex alio capite probatum sit, Matrimonium invalidum ex defectu consensûs, non inducere hoc impedimentum; consequens est, ut non inducat, quando est nullum ex defectu interni consensûs veri, qui solus potest constituere contractum, & non tantùm debitus consensus. Ita Dicastillo.

92. *Aversa docet ea sponsalia non impedire.*

Porrò Aversa, quia nobiscum tenet, etiam sponsalia esse irrita, ex defectu solius consensûs interni; nobiscum quòque docet, ex hujusmodi sponsalibus non oriri impedimentum publicæ honestatis, sup. §. *Si autem defectus*, ibi: Absolutè putandum est, ex solo defectu interni consensûs, quàmvis occulto, fieri, ut ex contractu taliter invalido, verè, & in conscientia non oriatur impedimentum publicæ honestatis, licèt in foro externo aliter judicabitur.

Et in fine d. §. sic ait: Quicumque ergò defectus debiti consensûs reddens contractum Matrimonij aut sponsaliorum invalidum, facit, ne ex illo oriatur impedimentum publicæ honestatis.

93. *Cap. un.*

Itaque d. cap. un. de Sponsalibus correctum est per Trident. sup. allegatum, quantùm ad duo. Alterum est, quoad sponsalia, quâcumque ratione irrita, ex quibus statuitur nullum prorsùs oriri impedimentum. Alterum verò quoad gradum, ad quem extenditur hoc impedimentum: Decidit enim ad primum solùm gradum consanguinitatis extendi, sive in linea transversa, sive in recta; quippè Concilium loquitur indistinctè, & non est ratio distinguendi.

de sponsal. correctum est per Trid. quantùm ad duo.

Nec hæc restrictio, inducta per Tridentinum, intelligenda est solo de impedimento publicæ honestatis, post id Decretum incurrendo ex sponsalibus: quàmvis Navar. Sum. Latina cap. 22. n. 58. in fine, id clarè significet. Sed similiter restricta censetur publica honestas, orta ex sponsalibus antè Trid. initis. Unde qui antè Trid. contraxerat sponsalia irrita cùm aliqua persona, & subinde non poterat copulari Matrimonio cum ejus consanguineis, potest modò perindè, ac si sponsalia illa non contraxisset: & si fuerunt sponsalia valida, ac ideò tunc impeditum erat Matrimonium usque ad quartum gradum, jam nunc tantùm impediunt usque ad primum. Ita Sanchez sup. n. 11.

Intelligitur de sponsalibus, etiam ante Trid. initis.

Sanchez.

94. *Probatio.*

Probat: quia in restrictione impedimenti affinitatis & cognationis spiritualis, eodem prorsùs tenore loquitur Tridentinum sess. 24. de Matrimonio c. 2. & 4., quo c. 3. restringens hoc impedimentum publicæ honestatis: At Pius V. rogatus de duobus illis impedimentis, in duplici motu proprio declaravit, ut sup. vidimus, intelligi non tantùm in futurum, sed etiam in præteritum. Ergò eodem modo intelligendum est de hoc impedimento. Hæc ille.

Aliquando valet arg. à paritate rationis.

Et verò tametsi non semper valeat argumentum à paritate rationis in rebus positivis; equidem valet accedente communi sensu Ecclesiæ. Porrò fuisse hunc communem sensum tempore Pij V. signum maximum est, quòd tunc nemo dubitaverit de hoc impedimento; nam si quispiam dubitasset, suum dubium Pontifici proposuisset, sicut propositum fuit dubium de alijs impedimentis.

95. *Alius casus, in quo sponsalia producunt hoc impedimentum, ex Sanchez.*

Sed etiam rectè monet Sanchez sup. n. 12. quando impedimentum dirimens Matrimonium est tale, ut in ea ætate, in qua contrahuntur sponsalia, explorari per experientiam nequeat, ea non esse irrita; sed esse vera & legitima; ac proindè producere impedimentum publicæ honestatis; ut si puer in tenella ætate reverà frigidus aut maleficiatus sponsalia contrahat. Ratio est; quia impedimentum illud adhuc non erat in actu impediendi: cùm in ea ætate puer frigidus, & non frigidus, quantùm ad generationis actum sit eque impotens. Ita Sanchez cum D. Tho. & Alijs, quos citat. Nec habeo quidpiã, quod meritò opponam.

96. *Publica honestas superveniens non dirimit sponsalia præcedentia.*

Finiam ergò hanc Conclusionem; eo tamen observato, peculiare esse in hoc impedimento publicæ honestatis, ut per posteriora sponsalia (eadem est ratio Matrimonij rati) inita cum quacumque persona consanguinea prioris sponsi vel sponsæ, non oriatur publica honestas dirimens priora sponsalia. Quàmvis affinitas, cognatio legalis, aut spiritualis superveniens, dirimant priorem sponsalium contractum.

Est aperta decisio d. cap. un in principio: *Ex sponsalibus puris & certis, &c. oritur efficax ad impe-*

impediendum & dirimendum sequentia sponsalia vel Matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

Ergò manent priora sponsalia, adeoque obligatio ad contrahendum cum prima sponsa, ut ibidem declaratur his verbis: *Quare ille qui sponsalia purè ac determinatè cum aliqua muliere contraxit, & postmodum cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum sponsaliorum vigore (quibus per publicæ honestatis justitiam, ex secundis sponsalibus subsecutam, minimè derogatur) ad Matrimonium cõtrahendũ cum prima remanet obligatus.*

97. *Divinit respectu aliorum consanguineorum jure antiquo.*

Ubi non negat Pontifex oriri publicam honestatem ex secundis sponsalibus, sed tantùm negat, honestatem ex eis subsecutam derogare prioribus sponsalibus. Unde jure isto oriebatur impedimentum respectu aliorum consanguineorum, exceptâ primâ sponsâ. Quamquam enim forent irrita, aliundè tamen quàm ex defectu consensûs, ut clarum est. Ast verò post Tridentinum nulla omninò ex eis oritur honestas; quippè, ut dictum est, Trident. prorsùs sustulit hoc impedimentum, ubi sponsalia quâcumque ratione irrita sunt.

Aliquando etiam jure novo.

Et quia adhuc perseverat impedimentum ex Matrimonio invalido aliundè, quàm ex defectu consensûs, qui post priora sponsalia contraxisset Matrimonium cum sorore sponsæ, quàmvis posset & deberet contrahere cum ipsa sponsa, non tamen posset contrahere cum alijs consanguineis usque ad quartum gradum; quia respectu ipsorum ortum est impedimentum. Sed & si Matrimonium consummasset, neque cum priori sponsa posset contrahere propter impedimentum affinitatis, ortum ex copula fornicaria, ut sup. adhuc diximus.

Si autem à me quæratur; utrùm hoc impedimentum sit perpetuum, ita ut nec morte alterius conjugis extinguatur? Iam edissero & dico:

CONCLUSIO IV.

Impedimentum publicæ honestatis manet post sponsalia dissoluta morte unius, vel etiam mutuo consensu.

IMpedimentum manere post mortem unius sponsi aut conjugis, fatentur Omnes, & liquidò constat ex juribus sup. allatis pro ejus institutione, quæ non est opus hic repetere, quia non est satan, neque occursus malus. Cur enim minùs publica honestas post mortem maneret, quàm affinitas & cognatio spiritualis?

98. *Publica honestas manet post mortem unius sponsi.*

Ex natura rei non est differentia; sed neque ex jure positivo, quod nuspiam statuit, ut publica honestas cum morte alterius sponsi aut conjugis evanescat. Nam ut Gloss. d. cap. un. verb. *Publicæ honestatis*, dicit: *Publicæ honestatis est, ex quo consanguineus meus vivens vel mortuus consenserit in Bertam, quòd ego illam habere non possum.* Manet igitur publica honestas post mortem.

Nunquid etiam post dissolutionem sponsalium mutuo consensu? Hìc est occursus malus gravissimorum Auctorum, qui testantur oppositum Conclus. nostræ decisum esse à Congregatione Cardinalium. Hi sunt (inquit Gobat tract. 9. casu 15. n. 372.) Ioannes Gallemart in cit. cap. 3. Concil. Trid. Gutierez, Basil. Pontius, Rebellus apud Dia. part. 3. tract. 4. resol. 222. Armandus apud Barbosam de Offic. & potesta. Epis. part. 3. allegat. 51. n. 188. & in cit. cap. Trid. Item Farinacius I. C. Romanus apud Palaum disp. 4. de Sponsal. p. 10. Certè tot testes (inquit Gobat) factæ illius Declarationis, reddent in foro tam interno, quàm externo, tutissimum illum, qui in proposito casu aut duxerit sororem suæ sponsæ, aut conjunxerit. Accedit auctoritas horum novem DD. quos hìc nominavi, itemque Hutardi de Matr. disp. 21. diffic. ult. Tanneri to. 4. d. 8. q. 4. n. 109. & plurium aliorum. Hæc ille.

99. *An etiam post dissolutionem sponsaliũ mutuo consensu? Multi negant propter Declar. Card.*

Gobat.

Qui permotus his testimonijs, & auctoritatibus, interrogatus in contingentia facti, respondit aliquando, Matrimonium cum sorore sponsæ validum fuisse. At posteà, cognitâ oppositâ Declaratione Cardinalium, mutavit sententiam, ut statim videbimus.

Hanc autem oppositam Declarationem hisce verbis refert Fagnanus in cap. *Ad audientiam*, de Sponsal. & Matr. nu. 29. Isabella Ruiza, & Alphonsus Rodriguez Pacens. Diœcesis, sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt; sed cùm antequam se vidissent, aut simul colloquerentur, Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem à promissione & juramento absolverunt; nunc autem Alphonsus, volens Matrimonium contrahere cum Maria sorore germana dictæ Isabellæ, dubitat, an ex sponsalibus cum Isabella contractis, & mutuo consensu dissolutis, ortum sit publicæ honestatis impedimentum. Sac. Congregatio cens. sponsalia, hæc cùm à principio valida fuerint, induxisse impedimentum publicę honestatis, licèt mutuo consensu dissoluta; quia Concilium solùm considerat, quòd à principio valida sint; & quia à principio valida, & deinde dirempta per mortem, id impedimentum induxerunt; ita & dissoluta consensu; & noviss. jubente S. D. N. propositum fuit in sacra Congregatione Concilij, an sponsalibus, ab initio validè contractis, deindè mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis.

100. *Declar. ex fagnano pro nostra Conclus.*

Et pluriès proposito dubio, ac maturè examinato, tandem sub die sexto Iulij 1658. Eminentissimi Patres, in antiqua ejusdem Concilij sententia consistentes, censuerunt, non esse sublatum. Cujus sententia, unà cum rationibus, hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, factâ relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua die 10. ejusdem mensis prædictam Congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari. Hucusque præfatus Auctor, ut refert Gobat sup. n. 358. &. seqq.

Ut proindè (inquit n. 362. censeam, me fore pertinacem, si dubitarem, utrùmne verè sit ejusmodi Declaratio edita à sacrâ Congregatione,

101. *Hanc putat Gobat*

esse verè authenticam.

gregatione, approbataque à sua Sanctitate, & proinde munita conditionibus requisitis ad valorem. Posito autem quòd sit verè authentica, nemo sanus dubitabit, quin sit eâ standum, per se loquendo; ac proindè sublata jam est inter summos DD. lis, utrùm sponsalibus de futuro sublatis mutuo consensu, sublatum quoque sit impedimentum publicæ honestatis,

Priorem non esse authenticam, certum existimat.

Et n. 376. ait: se jam certum esse, illam Declarationem, cujus tot testes omni exceptione majores laudaverat n. 372. non fuisse munitam omnibus conditionibus requisitis ad id, ut obtineret vim legis declaratoriæ. Fuisse, inquit, solùm confictam ab uno aliquo, qui alios induxit in errorem, non credo; sicut nec facilè mihi persuadebis, extitisse planè authenticam; at à S. D. N. Alex. VII. revocatam seu antiquatam; nec enim existimo suppetere exemplum, quo probetur legem merè declaratoriam unius Pontificis, fuisse à posteriore Pontifice correctam, perinde ac si malè interpretatus fuisset jus antiquum. Hæc ille.

102. *An possit moveri scrupulus de Matr. secundùm eam contracto.*

Interrogas: Nonne jam moveri potest prudens scrupulus de valore sui Matrimonij illis, qui secuti judicium tantorum virorum, aliorumque celebrarunt nuptiarum solemnia cum sorore prioris sponsæ?

Negat Gobat.

Respondet præfatus Auctor n. 377. Minimè gentium. Nec enim arbitror, fuisse unquam usitatum, ut vel dirimerentur, vel confirmari mandarentur ea connubia, quæ fuerant sancita ex sensu tot tamque gravium D.D. prudenter nitentium auctoritate ipsiusmet sacræ Congregationis. Si quippè in ulla materia vim obtinet celebratissima lex: *Barbarius*, ff. de Off. Prætor. obtinet equidem in contractibus, & singulariſſimè in matrimoniali, initis ex allegata, prudenterque creditâ allegatione legis, clariſſimè loquentis: ingentia quippè damna devolverentur in capita innocentissima, lites atque inimicitiæ immortales susciterentur, si pronuntiaretur aut crederetur, irritas fuisse tales nuptias; ut nihil dicam de eo, quòd & leges, & Doctores toti sint in tuendo valore Matrimonij bonâ fide contracti. Hactenùs Gobat.

103. *Objectio ex Bulla Vrb. 8.*

Sed dicet aliquis: post Bullam Urb. VIII. nulla erat fides adhibenda hujusmodi Declarationi, utpotè non munitæ omnibus conditionibus ab eo requisitis, nec planè authenticæ, ut ipse Gobat supponit: ergò illi, qui post istam Bullam celebrassent nuptiarum solemnia cum sorore prioris sponsæ, posset moveri prudens scrupulus de valore sui Matrimonij; quia imprudenter nitebatur auctoritati ipsiusmet S. Congretationis: cùm Urb. mandaverit & præceperit, hujusmodi Declarationibus tam impressis & imprimendis, quàm manuscriptis, nullam fidem esse in judicio vel extrà à quoquam adhibendam; sed tantùm illis, quæ in authentica forma solito sigillo & subscriptione Em. Cardinalis Præfecti, & Secretarij ejusdem Congregat. pro tempore existentium munitæ fuerint. Suppono autem quòd præsens Declaratio non sic fuerint munita, alioquì fuisset planè authentica. Igitur ântè Alex. VII. jam per Urb. VIII. satis erat revocata seu antiquata, ut nullus prudenter posset niti auctoritate ipsiusmet S. Congregationis.

Videat Gobat, quid ad hoc respondeat, qui multis annis post Bullam Urbani judicavit, hujusmodi Matrimonium valere, nixus illâ Declaratione. Certè non video, quid respondere possit, nisi se dictam Bullam ignorasse, aut non promulctatam atque receptam fuisse. Adde, vel dictam Declarationem probabiliter fuisse authenticam.

104. *Hodie hujusmodi Matr. dirimeretur.*

Utut sit de hac re, non dubito quin hodie hujusmodi Matrimonium dirimeretur; & meritò propter Declarationem sup. ex Fagnano relatam, &, ut suppono, debitè munitam sigillo & subscriptione ab Urb. requisitis. Fundatur autem in eo, quòd hoc impedimentum pendeat ab Ecclesia, quæ constituit, ut oriretur ex sponsalibus validis; sponsalia autem verè fuerunt valida, tametsi posteà dissolvantur, sive unius consensu, sive mutuo consensu, sive per mortem, aut aliâ quâpiam ratione. Ergò jam inductum erat impedimentum, antequam sponsalia dissolverentur.

Probatio.

Ubi autem in jure statutum est, ut dependeret in suo conservari à voluntate sponsorum, sive ut cessaret, dum sponsalia illa dissolverentur mutuo consensu, potiùs, quàm per mortem? Iura clamant, hoc impedimentum manere post mortem, & simpliciter asserunt, hoc impedimentum oriri ex sponsalibus validis. Et expressè nuspiam excipiunt præsentem casum. Quo ergò fundamento aliqui eum excipiunt?

105. *Contrà eam arguit Gobat.*

Non valet hæc argumentatio (inquit Gobat sup. n. 373.) Impedimentum istud non tollitur morte; ergò nec dissolutione per mutuum consensum. Ideò enim non tollitur morte, quia is, qui antè mortem non revocavit consensum, censetur perseverasse jugiter in animo standi promissis: at constat de contrario, quando mutuo consensu fit dissolutio. Hæc ille.

Aliud arg.

Alij hanc assignant disparitatem; quia sponsalia quæ mutuo consensu dissolvuntur, evanescunt immediatè & ratione sui; & sponsis viventibus unus desinit ad alterum pertinere, & econtrà. At verò quando sponsalia per mortem alterius aut utriusque cessant, mediatè tantùm, & ex defectu subjecti cessant, & ipsis sponsis viventibus semper unus pertinuit ad alterum, & econtrà; ac proindè ex ijs, utpotè perpetuis, & semper validis, oritur impedimentum, non ex alijs.

106. *Resp. Perez.*

Respondet Mart. Perez De Matr. disp. 8. sect. 2. n. 4. sponsalia per mortem etiam evanescunt; imò etiam magis, quia per mortem perpetuò dissolvuntur; at dissoluta per mutuum consensum, iterùm per novum consensum contrahi possunt. Immediatè etiam, & ratione sui per mortem evanescunt; quia immediatè evanescit omnis consensus, & radix illius, nempè vita humana. Unde sicut, sponsis viventibus, unus desinit ad alterum pertinere per mutuum consensum, ita multò magis mortuo alterutro.

Non ergò est peculiaris ratio, nec speciale discrimen. Ita hic Auctor.

Impugnatur. Contrà, dicet aliquis: semper manet illud speciale discrimen, quod dum sponsalia solvuntur per mutuum consensum, aut aliâ ratione, quàm per mortem, viventibus sponsis, unus desinit ad alterum pertinere; atque adeò viventibus sponsis desinit propinquitas, quæ erat contracta per sponsalia inter sponsum & consanguineos sponsæ.

107. *Defenditur.* Respondeo: non magis desinere hanc propinquitatem, quando viventibus sponsis dissolvuntur sponsalia, quàm dum alterutro vel utroque mortuo dissolvuntur. Ergò vel in utroque casu cessat impedimentum, quod ex illa tali qualis propinquitate inductum est per Ecclesiam, vel in neutro cessat.

Confirmatur. Sed neque major indecentia est, quod sponsus contrahat cum consanguineis sponsæ in uno casu, quàm in alio; cur ergò potiùs cesset impedimentum in uno casu, quàm in alio? Quinimò tota hæc indecentia, & propinquitas, & inhonestas inducta videntur per legem Ecclesiæ; ergò ut foret speciale discrimen, adducenda foret specialis lex Ecclesiæ, quæ pro uno casu statuat impedimentum, & non pro alio. Illam hactenùs non vidimus.

Non obstat Trid. Nam quod ait Trid. Sess. 24. c. 3. *Vbi sponsalia quâcumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsùs tollit* hoc impedimentum, commodè intelligi potest: ubi sponsalia à principio valida non erunt; alioquin etiam comprehenderet sponsalia per mortem dissoluta, utpotè non minùs invalida, quàm sponsalia mutuo consensu dissoluta.

108. *Resp. ad Declar. oppositam, ex Perez.* Porrò ad Declarationem oppositam, his verbis, ut volunt Adversarij, expressam: *Si sponsalia solvuntur de consensu, Congregatio censuit esse invalida.* Respondet Perez sup. n. 7. verum esse, quod illa Congregatio declaravit; nempè sponsalia, quæ mutuo consensu dissolvuntur, esse invalida: hinc verò non sequitur impedimentum ortum ex illis cessare: nam cùm ab initio fuerint valida, ex illis ortum ab initio fuit verum publicæ honestatis impedimentum, quod non cessat per mortem, neque per mutuum consensum contrahentium; quia non pendet à voluntate ipsorum, sed ab Ecclesia. Hæc ille.

Iudicium Auctoris. Ego autem dico: si authentica foret d. Declaratio, optimè probaret intentum; non enim potuit esse dubium, an post dissolutionem forent simpliciter invalida (quod nimis clarum erat) sed an forent invalida ad inducendum hoc impedimentum, quod ibi restringitur ad sponsalia valida. Mens ergò Cardinalium fuit declarare, hujusmodi sponsalia ampliùs non impedire. Nota autem: quod in Declarationibus Card. ex ultima recognitione Ioannis Gallemart ad d. cap. Trid. planè opposita Declaratio inveniatur, his verbis expressa: *Si sponsalia solvuntur de consensu, Congregatio censuit esse valida.*

109. *Resolutio finalis.* Cùm ergò impedimentum publicæ honestatis pendeat ab Ecclesia, & constet eam velle, ut sponsalia valida inducant hoc impedimentum; ex nullo autem textu constet, Ecclesiam velle, ut per dissolutionem sponsalium, factam consensu sponsorum, cesset hoc impedimentum, persistimus in Conclusione & iterùm dicimus: Impedimentum hoc, semel legitimè inductum, semper permanere.

An putas, quòd impedimentum publicæ honestatis, inductum per Matrimonium ratum, cesset; dum viventibus conjugibus dissolvitur Matrimonium per ingressum Religionis? Certè tunc viventibus conjugibus unus desinit ad alterum pertinere. Atque hìc sit finis hujus impedimenti.

Ad aliud festinat calamus, quod appellatur criminis; quia ex crimine oritur, & sinè crimine nunquam contrahitur. Erit itaque.

SECTIO VIII.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

1. *Doctrina Scoti de hoc impedimento.* DE hoc impedimento tractat Doct. Subtilis 4. dist. 35. q. unicâ, ubi n. 2. scribit in hæc verba: *Respondeo, tria sunt crimina, quæ conjuncta vel separata, videntur facere difficultatem circa Matrimonium contrahendum: sunt autem crimina illa adulterium, machinatio in mortem conjugis legitimi, fidei datio ipsi adulteræ, vel contractus de facto cum ea, vel promissio cum juramento: quia hæc tria ultima ad propositum pro eodem reputantur. De duobus primis patet extrà de Eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium, cap. ult. De tertio, scilicet promissione cum juramento, an valeat, habetur extrà de His quæ metu vel vi fiunt, cap. Ad aures.* Sic Scotus.

2. *Explicatur.* Consultò autem ac scitè dixit: *Quæ conjuncta vel separata*: nam continuò adtexit: *De his tribus dico, quòd ultimum per se* (id est se solo) *non impedit Matrimonium post mortem viri, sicut habetur extrà de Eo qui duxit in Matr. cap. ult.* Si quis uxore vivente, fide datâ, promisit, aliam se ducturum; vel cum ipsâ de facto contraxit, si nec antè, nec post (legitimâ ejus superstite) cognovit eamdem: quàmvis utrisque ipsorum, pro eo quòd in hoc graviter deliquerint, sit pœna injungenda: non est tamen Matrimonium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum, dirimendum.

Tertium

3. *Tertium cum primo ſimpliciter impedit & dirimit ; ibidem in eod. cap. ſequitur enim* : Cæterùm tollerari non debet, ſi priùs vel poſteà, dum vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet. Et refertur priùs & poſt, ad fidei dationem. Hæc ille.

Concluditur. Quæ ibidem latiùs explicat, & n. 9. concludit, dicens : *Sic igitur patet, quòd iſtorum trium tertium ſolum nunquam impedit, ita quòd dirimat. Primum etiam ſolum nunquam impedit ..... Secundum quandoque impedit, & quandoque non ; ſed ſemper, quando eſt cum tertio, impedit.*

Sed nunquid ſemper, quando eſt cum primo ? Reſpondeo ſup. tit. iſto cap. Significaſti. *Tertium cum primo ſemper impedit, & ratio tota eſt ordinatio Eccleſiæ, quia iſte eſt primus caſus ad hoc tactus, ubi impeditur contractus ex ſtatuto Eccleſiæ præciſè illegitimantis perſonas ad contrahendum. Sed ratio inducens Eccleſiam ad ſic ordinandum, eſt repreſſio adulterij & homicidij, quæ frequenter acciderent, ſi tales perſonæ poſſent legitimè contrahere.*

Ratio hujus impedimenti.

Ecce ſumma ſeu compendium Doctrinæ Scoticæ de hoc impedimento, quæ multâ indiget explicatione, propter quam plures difficultates, circà eam occurrentes. Hinc, inhærendo Scoti veſtigijs, Dico ;

CONCLUSIO I.

Adulterium ſolum nunquam dirimit ; ſed ſemper, quando eſt cum machinatione in mortem conjugis legitimi ; vel promiſſione, aut contractu Matrimonij cum adultera, vivente conjuge.

4. *Dirimat inter ſolos criminoſos.* SUppono tamquam rem certam, impedimentum criminis dirimere inter ſolos criminoſos ſive complices, id eſt, adulteros & occiſores, ut patebit ex juribus in progreſſu citandis, ex quibus hoc impedimentum deducitur ; quoniam non meminerunt, niſi complicum ; & meritò, quia in ipſis ſolis ratio, inducens Eccleſiam ad ſic ordinandum, ſcilicet repreſſio adulterij & homicidij, locum habere dignoſcitur. Et aliundè, cùm ſit impedimentum introductum, ſaltem ſecundariò, in pœnam delicti commiſſi, æquum omninò eſt, ut non alios, quàm delinquentes afficiat.

Quod ſit ſubjectum ejus. Igitur criminis impedimentum non cadit niſi ſuper perſonam delinquentem adversùs Matrimonium, vel per adulterium contrà fidem conjugij, vel per machinationem contrà vitam alterius conjugis. Impedietur enim, ne poſt mortem ſui, vel alterius conjugis, contrahere valeat cum delicti complice, ſcilicet altero adultero vel conſpiratore.

Hoc ſuppoſito, examinemus primam partem Concluſionis, quæ aſſerit, adulterium ſolum nunquam dirimere : ſolum, inquam, id eſt, ſeclusâ tum machinatione in mortem conjugis legitimi, tum promiſſione aut contractu Matrimonij cum adultera, vivente conjuge.

Ita expreſsè deciditur cap. 6. de Eo qui duxit &c. ſequentis tenoris : *Significaſti nobis, quòd cum P. civis Spoletanus, quamdam mulierem duxiſſet legitimè in uxorem, eâ relictâ, cuidam meretrici adhæſit* : Et infrà : *Verùm cum uxor ipſius eſſet viam univerſæ carnis ingreſſa, meretricem, cui adhæſerat, neſponſavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd niſi alter eorum in mortem uxoris fuerit machinatus, vel eâ vivente, ſibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum judices Matrimonium ſupradictum : excommunicato munus abſolutionis (ſi petierit) juxta formam Eccleſiæ impenſurus.* Innoc. III. Epiſc. Spoletano. 5. *Probatur 1. pars Concluſ. ex c. 6. de Eo &c.*

Ubi Gloſſa in expoſitione casûs : *Notâ*, inquit, *quòd licèt quis adulteretur cum aliqua, vivente uxore ſuâ, poteſt illam habere in uxorem poſt mortem uxoris, niſi vivente uxore fidem ei dederit de contrahendo, vel alteruter in mortem mulieris machinaverit.*

Item non obſcurè colligitur ex cap. 5. 31. q. 1. quod deſumptum eſt ex Concilio Triburienſi. *Si quis vivente marito conjugem illius adulteraſſe accuſatur, & eo in proximo defuncto, eamdem ſumpſiſſe digneſcitur, omnimodis publicæ pœnitentiæ ſubjiciatur.* In quibus verbis nulla fit mentio invaliditatis hujuſmodi Matrimonij. 6. *Item ex c. 5. 31. q. 1.*

Sequitur autem : *De quo etiam poſt pœnitentiam præfatam, ſi expedierit, ſervabitur regula : Niſi fortè vir, aut mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur, aut propinquitas aut alia quælibet actio criminalis impediat. Quod ſi probatum fuerit, ſine ulla ſpe conjugij maneant perpetuò cum pœnitentia.*

Ubi Gloſſa verb. *Regula*, inquit : *Contrahendi ſcilicet Matrimonium, ut contrahatur cum illa* (quam adulterio polluerat) *& quod dicit* : Si expedierit, *hoc ideò dicit, ſi timeatur lapſus juvenilis incontinentia.* Igitur ſolum adulterium non dirimit.

Hinc etiam ſcriptum habes in Concilio Eliberitano c. 72. (refertur cap. 7. eâd.) *Si qua fuerit vidua mœchata, & poſtea eumdem habuerit maritum, poſt quinquennij tempus, actâ legitimâ pœnitentiâ, placuit eam ad communionem reconciliari.* 7. *Et cap. 7. eâd.*

Ubi Gloſſa in expoſitione casûs : *Quædam*, inquit, *vivente marito adulterata eſt cum quodam, quem mortuo marito in virum accepit : Dicitur in hoc cap. quòd debet agere pœnitentiam per quinquennium, & poſtea debet ad communionem admitti.* Quod falſum eſſet, ſi Matrimonium initum non valeret : nam propter pœnitentiam deberet ab adultero ſeparari, ut ad communionem admitteretur. Signum ergò eſt, tempore iſtius Concilij Matrimonium illud validum fuiſſe.

Quid ergò, inquis, ad auctoritatem Leonis Papæ, quæ refertur eâd cauſ. & q. c. 1. & ſic ſonat : *Nullus ducat in Matrimonium, quam priùs polluit adulterio ?* 8. *Objectio ex c. 1. & 3. eâd.*

Et in Concilio apud Althæum habito, c. 6. (refertur eâd. c. 3.) dicitur : *Illud verò communi Decreto, ſecundùm canonum inſtituta, definimus & præjudicamus, ut ſi quis cum uxore alterius eo vivente fornicatus fuerit, moriente marito, ſynodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulterius ei conjungatur Matrimonio, quam priùs polluit adulterio.*

Nolumus enim, nec Christianæ Religioni convenit, ut ullus ducat in conjugem, quam priùs polluit per adulterium. Quid clariùs dici poterat pro adulterio solo? Neque enim ulla mentio fit vel machinationis, vel promissionis, aut contractûs.

9. *Solvitur.* Respondeo: nihil clariùs dici poterat, nisi obstarent jura jamjam ex adverso adducta, in quibus præter adulterium requiritur machinatio vel promissio aut contractus; jura autem juribus concordanda sunt; & impedimenta Matrimonij, præsertim pœnalia, potiùs restringenda, quàm extendenda.

Audite Glossam d. cap. 1. verb. *Nullus*: *Hæc*, inquit, *verba latiùs patent, quam eorum sententia: deberet enim potiùs dici è converso, scilicet, quilibet ducat, nisi in tribus casibus tantum exceptis.* Putà quando intercessit machinatio, aut promissio, vel contractus.

10. *Adducitur auctoritas D. Aug. pro Conclus.* Hinc D. Aug. lib. 1. de Nupt. & concupis. cap. 10. (refertur eâd. caus. & q. c. 2.) *Denique*, ait, *mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo præcessit adulterium.*

Hâc auctoritate utitur Sanchez lib. 7. disp. 78. n. 1. ad probandam communem sententiam. Sed aliquibus videtur dubia. Nam in editionibus operum B. Aug. (inquiunt correctores Decreti Gratiani ad d. cap.) ex uno Vaticano codice, unoque item Gratiani exemplari legitur: *Fieri verum connubium non potest.* In duobus verò Vaticanis recentioribus ejusdem libri abest negatio. Sic illi. *Sed Aliquibus videtur dubia.*

Ego autem addo abesse negationem in editione Plantinianâ operum D. Aug. uti etiam in novissima Lovaniensi apud Masium. Interim omitto hanc auctoritatem pro me adducere, & dico, eam, accipiendo negativè, explicandam esse eo modo, quo explicavimus auctoritatem Leonis Papæ.

11. *Alia objectio ex c. 1. de Eo &c.* Sed enim, dicet aliquis; explicatio Leonis non valet. Quippè ita lego extrà de Eo qui duxit &c. cap. 1. quod est Alex. III. *Licet in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat, uxore suâ vivente, vel quæ machinata est in mortem uxoris; quia tamen* &c.

Ergò idem est, quàmvis fides minimè sit data: hoc namque indicare videtur ly *Maximè*: porrò unus ex illis Canonibus, juxtà Gloss. ibi, est d. cap. 1. Leonis Papæ.

Resp. Sanchez ex Abbate. Respondet Sanchez sup. cum Abbate ibi n. 3. dictionem illam: *Maximè*, accipi pro ly *Tantum*, ut sensus sit: Et illam tantùm cui fidem dederat &c.

12. *Alia solutio ex Coninck.* Coninck autem disp. 31. n. 64. dicit: Particula: *Maximè*, sumitur pro, *Inquam*, vel simili, ut determinet priùs dicta, & ostendat Canones, qui (ut patet caus. 31. q. 1.) absolutè dicunt, adulterium impedire Matrimonium, cum hac restrictione esse intelligendos, ut patet ex cap. *Cùm haberet*, 5. de Eo qui duxit &c. Ubi cùm Pontifex dixisset: *Nosti enim, quòd Leo Papa statuit, ut nullus ducat in Matrimonium, quam adulterio polluit*: subjungit: *Et quòd hic plus processum fuit* (quia nimirum adulteri inierant Matrimonium) *quàm si fides præstita dumtaxat fuisset adulteræ.* Ubi clarè innuit, hanc conditionem (scilicet fidem adulteræ esse datam) sub Leonis dicto subintelligi. Aliàs nullus esset sensus. Hæc ille.

Meo judicio, expositiones istæ ly *Maximè*, satis distortæ & impropriæ sunt; sed quid dicam? Ut jura juribus concordentur, etiam ad improprias significationes quandoque recurrimus, jure id permittente, ut alibi dictum fuit. Iam autem non apparet, quomodo jura hìc possint concordari, nisi ly *Maximè*, impropriè dictis modis interpretemur. Nam jura ex adverso adducta tam clarè decidunt, solum adulterium non dirimere, ut nullatenùs verba eorum in sensum oppositum possint detorqueri, tametsi impropriè intelligantur.

13. *Alia probatio 1. part. Conclus. lex c. 7. de Eo &c.* Quid enim illustriùs dici posset, quàm quod legitur apud Innoc. III. cap. 7. de Eo qui duxit? *Licet* (inquit ille) *vivente uxore legitimâ prædictam M. sibi copulare nequiverit in uxorem: quia tamen uxore defunctâ, utpotè à lege ipsius solutus, in eamdem M. de novo potuit matrimonialiter consentire: dummodò non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris. Mandamus, quatenùs, si est ita, eidem G. ut supradictæ M. affectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis.*

Ex quo etiam probatur 2. pars Conclus. Ex quo etiam jure, & alijs sup. allegatis, demonstratur veritas sequentis partis Conclusionis, scilicet adulterium semper dirimere Matrimonium, quando conjungitur ei machinatio vel promissio, aut contractus Matrimonij.

14. *Item ex c. 4. 31. q. 1.* Adde cap. 4. 31. q. 1. *Relatum est auribus sanctorum Sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violasse, & insuper mœchæ, vivente viro, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixisset, duceret uxorem, quod & factum est. Tale ergò connubium prohibemus & anathematizamus.*

Et cap. 3. de Eo qui duxit &c. Item cap. 3. de Eo qui duxit &c. quod est Alex. III. *Super hoc verò, quod quæsivisti, an liceat alicui cum ea contrahere Matrimonium, quam, uxore suâ vivente, sibi de facto Matrimonio copulavit. Taliter respondemus, quòd si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata (sive fidem dederit, sive non) quòd eâ defunctâ hanc esset ducturus: secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò est servanda.*

15. *Hoc impedimentum est inventum Ecclesia, idque ex justissima causa.* Ubi cùm audis: *Secundùm Canones*, cogita & firmissimè teneas, hoc impedimentum non esse juris naturæ, sed merum inventum Ecclesiæ. Nunquid irrationabile? Absit, sed maximè rationabile ex justissimâ causâ; putà, ut Scotus dicebat, ad reprimenda adulteria & homicidia, quæ aliàs frequenter acciderent; cùm tamen nihil atrociùs in conjugio reperiri possit, quàm insidias parare, vel dare ansam parandi, vitæ alterius conjugis: siquidem uterque conjux arctissimo ac summo amicitiæ vinculo devinciri debet.

16. *Rejicitur impugnatio Lutheri &* Hinc patet (inquit Sanchez sup.) stultitia impugnationis Lutheri, & Philippi Melanchtonis, Ecclesiam carpentium, quòd hæc duo impedimenta

Melancht. ex Sanchez.

menta (ſcilicet adulterium cum machinatione, & adulterium cum promiſſione aut contractu Matrimonij) induxerit nullâ juſtâ ratione ducta; quin potiùs contrà exemplum ſanctiſſimi Davidis, qui Bethſabeæ Vriæ uxorem duxit, cùm ejus virum interfici juſſerit. Cæterùm ineptiſſima eſt impugnatio, quia juſtiſſimâ ratione ductam eſſe Eccleſiam probavimus. Nec Davidis exemplum obſtat, non enim tunc erat hoc impedimentum ab Eccleſia ſtatutum. Ita præfatus Auctor.

17. Reſp. Scoti ad exemplum Davidis.

Conſimiliter ad hoc exemplum reſpondet Scotus ſup. n. 10. *Ad primum*, inquit, *patet, quòd lex iſta non fuit ſtatuta pro tempore illo: juſtiùs tamen feciſſet, ſi eam lapidaſſet. Et ſi dicas, non; quia ſeipſum tunc lapidaſſet, quia fuit ſocius in crimine.*

Contrà; quia vel non excuſas eum per hoc: vel oportet te dicere, quòd ſocius in crimine non tenetur ad eamdem pœnam publicam inferendam, ad quam teneretur, ſi non eſſet ſocius. Si autem excuſas eum de non puniendo illam, per hoc quòd remiſit ſibi illam pœnam legis, hoc non habemus ex Scriptura: ſed quia fuit peccatum privatum, & ideò non debuit illud punire pœnâ publicâ.

Homicidium tunc non erat impedimentum.

Et hæc videtur rationabilior reſponſio: & tunc, quòd accepit eam in uxorem, poſt illa gravia peccata adulterij & homicidij, illud ultimum non fuit impedimentum. Scilicet pro iſto tempore; hodie autem foret impedimentum, quia ſic ab Eccleſia ſtatutum fuit, ne ſpe Matrimonij contrahendi, adulteria & homicidia multiplicarentur.

18. Neque hodie ſolum adulterium.

Et quoniam hæc ratio deficit, quando adulterio non conjungitur machinatio, vel promiſſio, aut contractus Matrimonij, ideò tali caſu non incurritur impedimentum; & maximè quia id, ut vidimus, Eccleſia ſatis manifeſtè declaravit. Uti etiam liquidò manifeſtavit, voluntatis ſuæ eſſe, ut hoc impedimentum incurratur, quando adulterio conjungitur machinatio, vel promiſſio, aut contractus Matrimonij.

Sed cùm hæc ſit communis ſententia D.D. equidem in multis diſcrepant circà intellectum dictorum criminum; cùm enim adulterium aliud formale, aliud ſit materiale tantùm; promiſſio alia ficta, alia vera; una conditio nata, altera abſoluta; & ſimiliter machinatio ſubindè ab utroque adultero proveniat, aliquando ab uno tantùm; interdum habeat effectum, & nonnunquam eo careat, & ſimilia plura occurrant; controverſia eſt inter D.D. quid per adulterium intelligatur, quid per machinationem, & quid per promiſſionem. Incipio ab adulterio, & dico ſecundò:

CONCLUSIO II.

Adulterium debet eſſe perfectum, & in utroque formale.

19. Quid hic ſit perfectum.

PEr adulterium perfectum intelligimus copulam, quæ ſufficiat ad conſummandum Matrimonium legitimè contractum; quid autem ad talem copulam requiratur, alibi diximus, & ideò hìc ſupersedeo. Sed quæ probatio communis doctrinæ? Quia textus prædicti adulterinam copulam expoſcunt, quæ delictum conſummatum importat; & maximè in his pœnalibus, & impedimentis Matrimonium dirimentibus, quæ valdè reſtringenda ſunt. Ita Sanchez lib. 7. diſp. 79. n. 2.

Eum adulterium. Probatur id requiri.

Sanchez.

Unde non eſt ſatis conatus ad copulam, ut docet Gloſſ. in cap. fin. de Eo qui duxit &c. verb. *Cognovit eamdem*, dicens: *Sic patet, quòd ſola fides data, vel tantùm de facto contrahere, non impedit Matrimonium uxore defunctâ, niſi ad carnalem copulam ſit proceſſum, & ſic intellige omnia illa jura, quæ dicunt, quòd nullus ducat in Matrimonium, cui dedit fidem de ea ducenda poſt mortem uxoris, vel cum qua contraxit de facto. Et ita eſt argumentum, quòd voluntas ſive factum, niſi fuerit ſubſecutus effectus, non nocet; quia non obfuit conatus, ubi injuria non habuit effectum; ſup. de Sponſal cap. ult. ..... Et idem intellige de eo vel de ea, quæ machinata eſt in mortem alterius, ſcilicet cum effectu, ut* 31. *q.* 1. Si quis vivente; *alias ſolus conatus non impediret, arg. iſtius cap. quia eadem ratio videtur utrobique.* Hactenùs Gloſſa.

20. Solus conatus ad copulam non ſufficit.

Nec video quid efficaciter poſſit objici, ſive ex ratione, ſive ex authoritate juris vel hominis. Quippè cùm jura pœnam aliquam imponunt abſolutè & ſimpliciter pro aliquo crimine, intelligunt de crimine in ſuo eſſe perfecto, ſive attendunt non tantùm affectum, ſed maximè effectum.

21. Occurritur objectioni.

Scio d. Gloſſ. objicere ſibi aliqua jura, quæ attendunt potiùs voluntatem ſeu factum, quàm effectum; v. g. cap. *Nuper*, 4. de Bigamis, ubi declaratur incurriſſe pœnam bigamiæ, qui mortuâ uxore, promotus ad ſacros Ordines cum ſecunda de facto contraxit & cognovit. Sed quid tum? Nam expreſſis verbis hoc ibi ſtatuitur, in fine: *Nos autem in hac quæſtione taliter reſpondemus, quod cùm hujuſmodi Clericis, qui quantùm in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum bigamis non liceat diſpenſari, licèt in veritate bigami non exiſtant, non propter Sacramenti defectum, ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto.*

Ubi Gloſſ. in expoſitione casûs, in fine: *Item voluntas ſinè effectu punitur: quia proceſſit ad effectū*; ſcilicet ad invalidum contractum & copulam.

22. Probatur hæc doctrina.

Abſit autem à nobis negare, jus ita poſſe ſtatuere; ſed dicimus non ſic eſſe intelligendum, quando ſimpliciter punit aliquod crimen, ſicut fit in caſu propoſito, dum ſimpliciter punit crimen adulterij, nullo verbo indicans, ſufficere voluntatem ſeu affectum intentionis cum aliquo opere ſubſecuto, v. g. cum tactibus impudicis. Potuiſſet quidem etiam ſolum conatum ſic punire; ſed non conſtat voluiſſe, quod potuit velle. Impedimentum autem hoc, ſicut dictum fuit, pendet totaliter à voluntate Eccleſiæ.

Haud abnuo, tactus impudicos habere malitiam adulterij, ſeu injuſtos eſſe; ſed affirmo, non vocari propriè & in communi ſermone ſimpliciter adulterium, multò minùs adulteri-

nam

nam copulam. Atque hæc satis de prima parte Conclusionis.

23. *Requiritur adulterium formale in utroque.* Sequitur secunda, quæ ait: *Et in utroque formale.* Id est, requiritur, ut uterque peccet non solùm materiali peccato adulterij, sed etiam formali. Materiale voco, quando habetur copula cum eo, vel ea, quæ à parte rei est alienus, vel aliena, quidquid existiment illi, qui copulantur. Unde si reverà non esset alienus vel aliena, defectu validi Matrimonij, licèt putarentur tales, quia hic defectus erat occultus, non incurritur per talem copulam, etsi ex affectu interno adulterinam; quia revera non est adulterina, sed falsò existimatur esse.

Probatur à simili, non sufficere affectum adulterij. Sicut ergò non excommunicatur, qui percutit hominem putans eum esse Clericum, cùm reverà sit laicus; ita quoque non incurrit impedimentum hoc, qui cognoscit fœminam putans eam esse conjugatam, cùm reverà sit soluta. Quæ enim ratio disparitatis? Sicut enim in uno casu non est vera percussio Clerici, sic itidem in alio casu non est verum adulterium, sed solùm putatitium. Ergo sicut in primo casu non punitur percussio Clerici solùm putatitia; pari ratione in secundo casu non punietur adulterium tantùm putatitium.

24. *Matr. me u Non sufficit invalidè contractum, ex c. 2. de Eo qui duxit &c.* Hinc scriptum est cap. 2. de Eo qui duxit &c. Matrimonium metu contractum, nec posteà tacitè vel expressè ratificatum, eò quòd irritum sit, non obstare valori Matrimonij alterius, initi cum adultera.

Hæc sunt verba textûs. *Significavit nobis O. Andegavensis.* Et infrà. *Mandamus quatenùs si constiterit, quod eidem O. tanta vis illata fuerit, quòd non sponte in primam consenserit, nec post præstitum juramentum ipsam carnaliter cognoverit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam postea* (primâ vivente) *in uxorem accepit* (& cognovit) *revertendi liberam tribuas facultatem. Alioquin* (id est, si prima fuerit legitima uxor) *sibi, ne ad secundam revertatur, sub interminatione anathematis inhibens, des ei licentiam ducendi aliam in uxorem.*

Non est necessarium, ut prius Matr. sit consummatum. Ex quo jure etiam constat: non esse necessarium, ut prius Matrimonium sit copulâ consummatum, dummodò validum fuerit; hic est enim casus d. cap. 2. ut patet ex ejus verbis mox recitatis.

25. *Nec obstat, quòd sit dissolutum per divortium, ex c. 4. eod.* Sufficit quoque, tametsi illud Matrimonium sit per divortium dissolutum quoad habitationem; ut est textus expressus cap. 4. eod. *Ex litterarum tuarum insinuatione accepimus, quòd T. uxorem suam in adulterio deprehensam de tui antecessoris assensu abjecit: quæ postmodum accepit habitum monachalem: sed dictus T. antequam illa discederet, aliam superinduxit, & plures suscepit filios ex eadem.* Et infrà: *Fraternitati tuæ igitur respondemus; quod illos debes ab invicem separare. Idem verò vir, indictâ ei de adulterio pœnitentiâ, aliam ducere poterit in uxorem.* Ita Clemens III.

Ubi Gloss. verb. *Aliam superinduxit*, ait: *In uxorem, quæ fuit conscia, quòd aliam habeat uxorem.*

Quid ergò si non fuisset conscia? Respondet Gloss. ibi: *Non noceret.* Cur ita? Quia non fuisset formale adulterium in utroque; siquidem ipsa formaliter non peccasset, excusata per ignorantiam prioris Matrimonij. Porrò requiritur juxtà communem DD. sententiam, quod uterque formaliter peccaverit.

Hanc sententiam tradit Scotus sup. n. 3. dicens: *hoc autem intelligendum est, quando ambo sunt conscij, quòd actus ille est adulterium; si enim vir tantùm sit conscius, & mulier inscia; puta, quia nescit eum habere aliam; tunc si postea vir contrahat cum illa, ad petitionem viri, non est divortium celebrandum, sicuti habetur tit. eod. c. 1. ibi: Quia tamen præfata mulier erat inscia, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet. Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenùs separandi.* Ita Alex. III. Abbati S. Albani.

26. *Probatur requiri sæpe male adulterium in utroque. Scotus. Cap. 1. de Eo qui duxit.*

Ubi Gloss. verbo. *Inscium*, inquit; *hoc excusavit mulierem ab adulterio, quia ignorans non committit adulterium*, 34. q. 2. In lectum, & ff. de Adult. l. ult. *Alioquin si fuisset conscia, non posset postea cum ea remanere, inf. eod.* Cùm haberet. *Imò plus prodest: quia filij de tali Matrimonio legitimi sunt censendi, propter bonam fidem uxoris, inf. Qui sint legitimi*, Ex tenore, & cap. Cùm inter: *Et tamen non fuit Matrimonium inter eos, etiam post mortem primæ uxoris: licèt enim ista crederet eum liberum, ligatus tamen erat: & in primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare: sicut nec Matrimonium contrahitur cum servo, licèt credatur liber, alias non contractura, etiamsi postea manumitteretur, eo ignorante: quia post manumissionem factam manendo cum eo, approbare semper intelligitur primum consensum, qui erroneus fuit, & non alium, undè Matrimonium non procedit.*

27. *An sufficiat formale adulterium contrà proprium conjugium. Negat Sanchez, ex cap. 1. & c. 7. de Eo qui duxit.*

Sed quid, si & ipsa mulier erat conjugata, & suum conjugium optimè noverat, cùm tunc peccaverit formali peccato adulterij contrà proprium conjugium, quàmvis ignoraret alterius conjugium, censesne, eam impedimentum hoc incurrisse?

Sanchez disp. 79. n. 31. sic ait: Nec sufficeret, si uterque esset conjugatus, & nosset proprium conjugium, si neuter alterius conjugium novit. Et putat id clarè colligi ex d. cap. 1. ubi, ut ex verbis mox relatis patet, sola Matrimonij alterius adulteri ponderatur ignorantia.

Et idem solùm ponderatur cap. 7. eod. tit. *Veniens ad præsentiam nostram G. laicus humili insinuatione monstravit, quòd cùm in civitate Lemovicensi quamdam sibi matrimonialiter copulasset, ab ea recedens, Messanam advenit, ubi M. mulierem inscium, quòd aliam haberet uxorem, sibi solemniter copulavit. Verùm cùm eidem pœnitentia fuisset injuncta, ut ad legitimam rediret uxorem, & ipse propter hoc in suam patriam redijsset, uxorem suam inveniens carus debita persolvisse, ad Messanam rediit civitatem, & supradictæ M. tamquam legitimæ cohabitavit uxori.* Et infrà: *Licet autem &c.* Vide Concluss. præced.

Probatio ex ratione. Rationem aliquam adjungit Sanchez: Quia impedimentum hoc institutum est propter injuriam

riam, irrogatam ab utroque adultero eidem Matrimonio, committendo adverſus illud adulterium, datâ fide futurarum nuptiarum: at in hoc eventu ignorans non infert injuriam eidem Matrimonio, ſed ſoli proprio. Hæc ille.

28. *Objectio.* Sed enim, dicet aliquis; Sanchez conſiliarius Eccleſiæ fuit, quando hoc impedimentum inſtituit? Quis ergo ei indicavit, inſtitutum fuiſſe propter injuriam, irrogatam ab utroque adultero eidem Matrimonio? hoc igitur probandum eſt ex aliquo jure & non ſupponendum.

Prorſus, inquis; ſed nunquid clarè probatur ex d. cap. 1. & 7.? Non puto, niſi clarè probetur, fœminam, de quâ in iſtis textibus ſermo eſt, fuiſſe conjugatam. Quippè ſi non erat conjugata, ut quid ponderaretur vel ſcientia, vel ignorantia proprij Matrimonij? Quia autem in caſu propoſito Pontifici ſolus vir ſupponebatur conjugatus, ideò ſola Matrimonij viri ponderatur ignorantia. Ut ergò hæc doctrina Sanchij clarè colligeretur ex dictis textibus, deberet clarè ex ipſis colligi, fœminam fuiſſe conſciam proprij Matrimonij.

29. *Averſa & Dicaſt ſequuntur Sanchium.* Interim ſententiam Sanchez amplectitur Averſa q. 18. ſect. 3. §. *Debet*, ſed ſine aliquâ probatione. Eamque Dicaſt. diſp. 7. n. 626. vocat probabiliorem, quàmvis oppoſita ſit probabilis: ſunt enim, inquit, hujuſmodi pœnæ reſtringendæ.

Aliqui recentiores docent oppoſitum. Sed reponit quiſpiam, intrà proprietatem verborum; jam autem verba juris non poſtulant niſi adulterium, quale reverà committit fœmina conjugata in caſu propoſito: cur ergò, ſi cæterà adſint, non incurreret hoc impedimentum? Incurrere docent aliqui Recentiores (teſte Dicaſt. ſup. n. 625.) ſed qui illi ſint, non commemorat.

30. *Quid ſentiat Præpoſitus.* Ego apud Præpoſitum de Sacram Matr. q. 7. n. 136. hæc lego: Notandũ 5. ut hoc impedimentum incurratur, quorumdam ſententiâ requiri adulterium utrique notum: ſi enim libera commercium carnale habeat cum conjugato, ignara ſtatûs illius, iſque propriam uxorem occidat, ut alteram poſſit accipere, cum qua commiſit adulterium, cenſent non oriri impedimentũ Matrimonium dirimens; quia textus, agentes de hoc impedimento, videntur ſupponere adulterium utrique notum, & ita ſentit Sa de Impedimentis dirimentibus n. 7. Sanchez. diſp. 78. n. 12.

Putat probabile, ſufficere notum eſſe adulterium machinanti mortem. Verùm probabile eſt, ſufficere, adulteriũ eſſe notum machinanti mortem, & compartem occidi, ut Matrimonium contrahatur cum ea, cum qua copula carnalis eſt habita: quia eo caſu verè invenietur adulterium formale ex parte machinantis, & ſimul occiſio: & quàmvis in ſpecie facti, propoſitâ in cap. videatur interveniſſe utrimque notitia adulterij: Pontifices tamen in ſuis deciſionibus non videntur ad illam attendiſſe; ſed quia adulter ex intentione ducendi in uxorem eam, quam cognovit, propriam uxorem occiderit, vel occidi curaverit, ut ſcilicet ex eo capite fruſtraretur Matrimonio, per quod ad Matrimonium pervenire putabat.

Confirmatur ex c. Veniens, de Eo qui duxit &c. Confirmatur ex cap. *Veniens*, de Eo qui duxit &c. ubi conjugatus, qui copulaverat ſibi Matrimonio aliquam, ignaram prioris Matrimonij, non poteſt uxore mortuâ illam in uxorem habere, ſi machinatus eſt in mortem uxoris propriæ. Et ita tenet Rebellius lib. 3. q. 8. n. 11. Hactenùs Præpoſitus.

Nunquid audiendus? Quando unus ſolus (inquit Coninck diſp. 31. n. 53.) machinatus eſt mortem conjugis, requiritur, ut ignara hujus machinationis cum eo ante conjugis mortem committat formale adulterium, ſive quod ſciat eſſe tale: alioquì ex parte ipſius non committetur adulterium. Cùm autẽ pœna hęc ſit communis utrique contrahenti, exigit ut culpa communis ſit. 31. *Quid ſentiat Coninck.*

Et confirmatur: quia quando ſinè occiſione conjugis eſt adulterium commiſſum, cum fide de contrahendo poſtmodum Matrimonio, debet uterque ſcire, ſe committere adulterium. Si enim alteruter bonâ fide procedat, putans utrumque eſſe ſolutum, in ejus favorem Matrimonium ſubſecutum eſt validum, ut habetur cap. 1. de Eo qui duxit &c. Eſtque in noſtro caſu ſimilis ratio. Ita Em. Sa verb. *Matrimonium*, §. de Imped. Matr. n. 7. & Sanchius lib. 7. diſp. 78. n. 12. Sa. Sanchez.

32. *Proponitur quidam caſus ex Sanchez.* Ubi etiam advertit: ſi Catharina v. g. conjugata, adulteretur cum Petro, ignorans hunc conjugatum, & hic deinde, mortuo marito Catharinæ, occidat eâ inſciâ ſuam uxorem, ut eam ducat, valere Matrimonium. Quia ut adulterium præſtet impedimentum, debet ex utraque parte tendere in injuriam conjugis occiſæ, & hujus eſſe occaſio; quia hoc impedimentum inductum eſt ad ejuſmodi occaſiones tollendas. Adulterium autem Catharinæ, etſi ex ejus parte injurioſum ſit proprio marito, non tamen uxori Petri: nec ipſa ex parte ſua dedit ſciens aliquã occaſionem, ut Petrus occideret ſuam uxorem, cùm neſciret eum hanc habere. Quod ſaltem poſt factum ut probabile admitti poteſt, quàmvis ante factũ tale Matrimonium omninò diſſuaderem: & neſcio, an judex, facti conſcius id admitteret. Uſque adhuc Coninck. *Eum approbat Coninck poſt factum.*

Et meritò; quia incertum eſt, an tale Matrimonium valeat, & fortè judex probabiliùs judicabit, non valere; & ideò ipſum diſſolvet, ex qua diſſolutione, ſeu ſeparatione conjugum, haud levia ſolent ſequi inconvenientia. Ad quæ evitanda, indubiè conſultum eſt, à tali Matrimonio abſtinere.

33. *Expenditur d. c. Veniens.* Quantùm ad d. cap. *Veniens*, ex quo Præpoſitus confirmat ſuam doctrinam, expendamus ejus verba: *Licet autem vivente uxore legitimâ prædictam M. ſibi copulare nequiverit in uxorem: quia uxore defuncta, utpote à lege ipſius ſolutus, in eamdum M. de novo potuit matrimonialiter conſentire: dummodo non præſtiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris* &c.

Ubi Gloſſ. verb. *De novo*, inquit. *Vt ſic teneat Matrimonium, ut ex nunc, ſi illa voluerit in eum conſentire, alias non compelleretur, ſed vir ſup. eod. c. 1.* Et verb. *Fidem adulteræ*, ſic ait: *Hoc ideò dicit, quia & ſi illa hoc ſciviſſet, & quòd haberet aliam uxorem, adultera diceretur: unde non poſſet eſſe cum illo propter fidem datam: & quia etiam plus fuit hìc: quia in uxorem eam duxit ſup. eod.* Cùm haberet: *ſed quia fuit ignorans, adulterium non commiſit.*

34. *Loquitur in ultima sui parte de adultera.* Igitur hic textus in ultima sua parte loquitur de adultera, id est, fœmina conscia prioris Matrimonij, quæ nequit validè contrahere cum adultero, etiam post mortem uxoris, si cà vivente vel præstiterit ipsi fidem, vel machinatus fuerit in mortem uxoris, etiam ipsà inscià, ut patebit ex dicendis infrà suo loco.

Probatio. Probatur autem hic intellectus: quia vocat eam adulteram, qualis non est, secundùm jus, quæ ignara prioris Matrimonij contraxit & contractum consummavit. Deinde: si per adulteram intelligat eam, quæ bonâ fide contraxerat & Matrimonium consummaverat; jam frustrà dicitur: *Dummodò non præstiterit fidem*; quia, ut notat, Gloss. sup. *Plus fuit hic, quia in uxorem eam duxit.* Adeoque in eamdem de novo non potuit matrimonialiter consentire, cujus oppositum ibi decernitur, *dummodò non præstiterit fidem* &c.

35. *Præpositus requirit in aliquo casu, ut utrique notum sit adulterium.* Cæterùm ipse etiam Præpositus sup. n. 137. ut adulterium dirimat inter certas personas, requirit, ut sit notum utrique, seu ut uterque sciat, saltem alterutrum esse conjugatum. Patet, inquit, ex cap. 1. de Eo qui duxit &c., ubi decernitur, eum, qui, vivâ uxore, aliam, hujus rei insciam, sibi copularat, non debere discedere ab illa post mortem prioris, quod intelligendum, si post mortem affectu maritali illi adhæserit. Idem indicatur cap. *Veniens*, citato. Hæc ille.

Sed, meo judicio, inconsequenter ad ea, quæ n. præcedenti docuerat, nisi quispiam ostenderit, ex quo jure, vel ex qua ratione, adulterium cum fide præstita, notum debeat esse utrique potiùs, quàm dum conjungitur machinationi. Illud jus vel illam rationem expectabimus.

36. *Proponitur aliqua quæstio ex Scoto.* Intereà quæro cum Scoto sup. *Quid si persona prius nescia, post quam scit impedimentum* (ligaminis) *petat divortium? Videtur celebrandum ex eod. cap.* (1. de Eo qui duxit &c.) *& hoc argumento à contrario sensu: habetur enim ibi in textu: quòd si mulier divortium non petat, non sunt separandi: ex quo innuitur, quòd si ipsa petat, sunt separandi.*

Sed hic est dubium (prosequitur n. 4.) *quia talis contractus cum muliere inscia vel est Matrimonium, vel non. Si sic, non debet dirimi ad petitionem mulieris: si non, debet fieri divortium ad petitionem viri; quia non possunt simul stare, cùm non sint vir & uxor.* Ita objicit Scotus contrà præcedentem doctrinam.

Resolutio. Respondet autem ibidem: *Non est Matrimonium; quia mulier consentit in eum, tamquam in potentem contrahere; ipse autem ex parte sua non est talis, qualem eum credidit. Et tunc cùm dicitur, quòd non possunt simul stare, concedo, quòd ille non potest eam matrimonialiter tractare, quia ex parte ejus fornicatio est; sed illa potest sibi matrimonialiter copulari, quia ignorantia invincibilis excusat eam.*

37. *Objectio.* Planè dicet aliquis, excusat eam quamdiu manet hæc ignorantia. Sed in casu proposito, quæ priùs erat nescia impedimenti, jam scit impedimentum, adeoque separandi videntur, etsi mulier non petat divortium, cùm nec illa possit sibi matrimonialiter copulari.

Esto (inquit Scotus sup.) *quòd mulier intelligens impedimentum, non petit divortium, non est divortium celebrandum secundùm illud cap. igitur debent simul stare & non in conjugio, quia per te contractus non fuit contractus Matrimonij: igitur aliqui debent simul stare fornicariè secundùm istam sententiam.* Ita arguit Scotus.

Solvitur. Contrahens dolosè juste cogitur ad verum consensum. Et quod putabimus eum respondisse? *Si* (inquit) *mulier sciens impedimentum, consentiat in Matrimonium, vir cogendus est, ut consentiat, in pœnam peccati sui, quia scienter decepit insciam: & ita erit Matrimonium novum ex novo consensu: & ista sententia est valde justa, ut decipiens insciam in hoc, quod est dare potestatem corporis sui, qui tamen non intendit dare, vel non potest, cogatur postea veraciter implere, quod priùs fecit dolosè.*

38. *Alia quæstio.* Rogas Doct. Subtilem: Nunquid virtute primi consensûs non poterant simul stare? Et esto quòd inscia consentiat in quolibet actu conjugaliter, & iste sciens, quòd illa vult esse uxor ejus, consentit de novo in eam, non exprimendo sibi impedimentum, quia fortè ex hoc generaretur odium, nunquid possunt stare?

Resolutio Scoti. Respondet Scotus sup. n. 5. *Primus consensus non fuit matrimonialis; & ideo nullus actus potest esse licitus in virtute illius consensûs. Et tunc ad secundum dico, quòd si impedimentum non exprimatur personæ inscia, ipsa in copula carnali sequente, non consentit novo consensu, sed solùm reddit in virtute primi consensûs, qui nullus fuit: & ideò licèt persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit. Hoc expressè dicit Glossa super illud cap.* In primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare: *sicut probatur de servo, qui creditur liber, cum quo contrahitur, si post manumittitur, uxore ignorante, non contrahitur Matrimonium: quia post manumissionem factam, manendo cum eo, semper intelligitur approbare consensum primum, qui fuit erroneus, & non Matrimonium.* Et ecce prima responsio.

Contrahens ignoranter cum servo, an teneatur, si ipsa conscia servus fiat liber.

39. *Alia responsio.* *Aliter posset dici* (prosequitur n. 6.) *quòd si illa inscia fuit ducta, vivente prima uxore ducentis legitima, vera est sententia ista; & in isto casu loquitur Glossa: quia iste est casus textûs, quòd vir quidam uxorem habens, sibi aliam hujus rei insciam copulavit; sed primâ mortuâ nititur recedere à secunda, & sic accepit secundam vivente prima; & tunc quidem verum est, quòd nullus erat contractus, quia ipse fuit ligatus alteri, licèt ista crederet eum liberum à Matrimonio.*

An requiratur utrumque scire, committi adulterium. *Sed si sola duo, scilicet fidei datio, & adulterium cum inscia conjugata fierent, & post mortem viri ejus, & etiam uxoris alterius, adulter ille duceret istam, quid juris? Videtur ex isto cap. quòd simpliciter est Matrimonium, etiamsi nunquam exprimatur personæ inscia defectus ille, nec ipse post expressionem defectûs de novo consentiat. Et ratio est; quia ex isto cap. colligitur, quòd Ecclesia non simpliciter illegitimavit personas illas, propter illa duo concurrentia; sed secundùm quid, scilicet si persona decepta reclamet. Sed prima sententia videtur certior; quia si post sciat impedimentum & reclamet, fiet divortium ex isto capite: igitur prius non fuit verum Matrimonium.*

40. *An sufficiat fidei datio* Ubi dubius manet Doctor (inquit Scholium præfixum n. 4.) an fidei datio cum adulterio, causent hoc impedimentum si altera pars est

inscia

cum adulterio.

inſcia adulterij, & communis tenet quòd non; ex d. cap. 1. de Eo qui duxit. Ita Scholium.

Siquidem plus eſt contraxiſſe Matrimonium de præſenti, quàm dediſſe fidem tantùm de Matrimonio contrahendo. Si ergò contractus de præſenti cum adulterio non cauſent hoc impedimentum, ſi altera pars eſt inſcia adulterij; neque cauſabit fidei datio cum adulterio, ſi altera pars eſt inſcia adulterij. Et ideò valet Matrimonium, ſecundùm communem ſententiam, quod poſt mortem uxoris adulteri, inter ipſum & partem inſciam celebratur. Nec video rationem aliquam dubitandi.

Unde non puto Scotum de hoc dubitaſſe. De quo ergò? Fortè de datione fidei, & adulterio, cum inſcia conjugata; inſciâ, inquam, non proprij conjugij, ſed alterius. Qui reverà caſus dubitabilis eſt.

41. *Expenduntur aliqua verba Scoti.*

Quod autem ait: *Ex iſto cap. colligitur, quòd Eccleſia non ſimpliciter illegitimavit perſonas illas propter illa duo concurrentia, ſed ſecundum quid, ſcilicet ſi perſona decepta reclamet*, non ſatis capio. Dicitur in iſto cap. quòd *niſi mulier* (decepta) *divortium petat, ad petitionem viri* (deceptoris) *non ſunt aliquatenùs ſeparandi.*

Ubi Gloſſa verb. *Niſi mulier*, ait: *Et ita compellitur vir remanere cum ea, ſi voluerit, propter culpam & dolum ipſius viri, ſed non è converſo.* Non quòd ſint perſonæ illegitimæ propter impedimentum criminis; ſed quia liberum eſt mulieri innocenti conſentire, vel non conſentire novo conſenſu; vir autem nocens cogi poteſt ad novum conſenſum. *Si tamen* (ut notat Gloſſ. ſup. in fine) *contraheret cum alia* (ſcilicet antè novum conſenſum) *teneret Matrimonium, inf. eod.* Veniens.

42. *Si mulier, quæ inſcia contraxit, nolit de novo conſentire, ſunt ſeparandi.*

Igitur ſi mulier nolit de novo conſentire, liquet perfectò eos eſſe ſeparandos; & ita verum eſt, quòd ſint ſeparandi, ſi mulier divortium petat. Sin autem uterque de novo conſentiat, valet quod actum fuerat; eò quòd propter ignorantiam mulieris non fuerit inductum hoc impedimentum; utpotè quæ excuſaverit eam ab adulterio formali.

Hinc ſi mulier, poſtquam ſcivit impedimentum ligaminis, Matrimonium conſummaverit, nequit ampliùs cum viro illo validè contrahere propter impedimentum criminis, ſcilicet formalis adulterij ex parte utriuſque, & contractûs Matrimonij. Quippè in eodem Matrimonio perſeverando, & eo poſt ſcientiam prioris conjugij utendo, cenſetur quaſi contractum Matrimonium poſt ſcientiam, & anſa præbetur machinandi in mortem conjugis. Ita Sanchez ſup. diſp. 79. n. 32.

Quid ſi conſummaverit Matr. poſt habitam ſcientiam. Sanchez.

Hoc tamen intelligo (inquit idem Auctor n. 33.) niſi jam habitâ ſcientiâ reſilierant illi ab eo Matrimonio de facto inito, & poſt caſu adulterium admiſêre.

Porrò ratio hujus limitationis eſt: quia prior ille contractus Matrimonij omninò jam extinctus erat, quando adulterium admiſêre, atque adeò tunc non concurrunt adulterium & contractus de præſenti; quod prorsùs neceſſarium eſt ad hoc impedimentum, ut conſtat ex juribus ſup. allegatis.

Nunquid idem dicendum de fide præſtita? Noli dubitare. Siquidem quoad hoc impedimentum inducendum æquiparantur omninò contractus de præſenti, & fides præſtita, cap. fin. de Eo qui duxit &c. Sicut igitur ſufficit Matrimonium antè ſcientiam, ita & fides.

43. *Æquiparantur hìc Matr. & fides præſtita.*

Prætereà; quia copula poſteà habita, nondum fide diſſolutâ, illi innititur: & non minùs anſa captandæ mortis conjugis præbetur, quàm ſi utrumque poſt ſcientiam contingeret. Nec eſt ſimile de adulterio ſcientiam præcedenti; quòd id ex parte ignorantis verum adulterium minimè ſit. Ita Sanchez ſup. n. 34.

44. *Quando dicatur haberi ſcientia prioris conjugij, ex Sanchez. C. 44. de Sent. excom.*

Rogat quiſpiam: ecquando dicitur haberi ſcientia prioris conjugij? Reſpondet Sanchez ſup. n. 37. quando adeſt certitudo, aut probabilis opinio. Non enim cuilibet levi inſinuationi fides habenda eſt; arg. cap. *Inquiſitioni*, 44. de Sent. excom. ibi: *In ſecundo diſtinguimus, utrùm habeat conſcientiam hujuſmodi ex credulitate levi & temerariâ, an probabili & diſcretâ: & quidem ad ſui paſtoris conſilium (conſcientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ) licitè poteſt non ſolùm reddere, ſed exigere debitum conjugale. Verùm cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcretâ, quamvis non evidenti & manifeſtâ, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: nam in alterutro vel contrà legem conjugij, vel contrà judicium conſcientiæ committit offenſam.* Ita Innoc. III. de conjuge, qui habet conſcientiam impedimenti.

Quæ ſit levis credulitas.

Ubi Gloſſ. verb. *Levi & temerariâ*, interrogat: *Quam dicit levem?* Et reſpondet: *Putà, ſi audivit impedimentum à levibus, & fortè à paucis, quibus credere non tenetur, talem credulitatem vel conſimilem debet removere, quam non evadet, niſi deponat errorem.*

45. *Sufficit probabilis opinio.*

Igitur in caſu noſtro ſufficit probabilis opinio prioris conjugij. Et ideò non excuſat ab hoc impedimento, niſi ignorantia probabilis & juſta; quia ubi talis ignorantia non eſt, æquivalenter eſt probabilis opinio prioris conjugij, ſaltem in ordine ad peccatum, ita ut, qui cum ignorantia craſſa, & ſupina contraheret Matrimonium, & conſummaret, peccaret utique formali adulterio.

An excuſet hìc ignorantia craſſa.

Atque hæc eſt communis ſententia, & ſatis probabilis inquit Sanchez ſup. n. 38. quàmvis ipſe putet contrariam veriorem, nimirum excuſare ignorantiam craſſam & ſupinam. Tum; quia ignorantia hæc eſt facti, quæ excuſare ſolet, juxtà Reg. 13. de Reg. juris in 6. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* Tum etiam; quia adulterium eſt neceſſarium, quod tamen abſque dolo non committi, fatentur Omnes, per legem penult. ff. ad l. Iuliam de Adult. ibi: *Adulterium ſine dolo malo non committitur.* At ubi dolus exigitur, non ſatis eſt lata culpa, juxtà Gloſſam receptam l. *Magna negligentia*, 226. verb. *Dolus*, ff. de Verb. ſignif. Ita Sanchez.

Affirmat Sanchez contrà communem.

46. *Prima ejus probatio rejicitur, & explicatur reg. 13.*

Reſpondeo ad primum cum Henr. Caniſio in D. Regulam: Quòd dicitur ignorantiam facti excuſare, tum demum verum eſt, ubi ignorantia probabilis eſt, non ſupini aut nimiùm ſecuri hominis, l. 3. ff. de Iuris & facti ignor. ibi: *Sed*

juris in 6. Canisius.

Cassius ignorantiam Sabinum ita accipiendam existimasse refert, non deperditi, & nimium securi hominis.

Et l. 6. eod. *Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis, ut nec scrupulosa inquisitio exigenda. Scientia enim hoc modo æstimanda est, ut neque negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neque dilatoria curiositas exigatur.*

Etenim non excusatur is, qui, quod omnes in civitate vel in vicinia sciunt, ipse solus ignoret, l. penult. eod. §. 2. *Sed facti ignorantia ita demum cuiquam non nocet, si non ei summa negligentia objiciatur; quid enim si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat? Et rectè Labeo definit scientiam neque curiosissimi, neque negligentissimi hominis accipiendam, verùm ejus, qui eam rem, diligenter inquirendo, notam habere possit.*

Quid sit scientia ex l. penul. ff. de Iuris & facti ignor.

Vel ejus ignorantiam obtendit, quod publicæ & solemniter denunciatum, aut scripto propositum est; cap. 1. de Postulat. Prælat. ibi: *Nec sit necessarium cùm constitutio solemniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcare: sed id solùm sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publicè promulgatam.*

47. Ex his concludit Canisius sup. Itaque probabilis alieni facti ignorantia esse debet. Concludo & ego: ergò probatio Sanchez, desumpta ex illa Regula juris, nullius est momenti.

Resp. ad 2. probationem Sanchij. ex Coninck.

Ad aliam probationem respondet Coninck disp. 31. n. 61. ubi tenet communem sententiam: non committi adulterium sinè dolo, quando agitur de pœnis, lege Iuliâ infligendis, quæ ut graviſſimæ sunt, ita omninò perfectam culpam requirunt. Hoc autem impedimentum non tam est statutum in pœnam, quàm ut occisio conjugis evitetur. Quare non requirit culpam ita perfectam; præsertim cùm tale adulterium possit esse occasio occidendi conjugem. Hæc ille.

48. Et Dicastillo disp. 7. n. 632. sic loquitur de hac controversia: Ignorantia crassa & supina mihi videtur etiam non excusare, quam multi putant dolo æquiparari, & saltem sufficit ad committendum peccatum adulterij, ob quod hoc impedimentum statuitur: ut ipsemet Sanchez, loquens de ignorantia crassa aut supina lib. 9. de Matr. disp. 32. n. 31. & agens de Censuris & alijs pœnis spiritualibus, expressè concedit, per factum cum ignorantia crassa aut supina incurri pœnam, dummodò lex non restringat illam pœnam ad eos, qui scienter faciunt. Cùm ergò in hoc casu hæc pœna non requirat specialiter scientiam, neque in textu eam imponente reperiatur illa vox: *Scienter*, aut alia æquivalens, non est cur requiramus talem scientiam, quæ excludat etiam crassam ignorantiam aut supinam. Ita Dicastillo.

Dicast. amplectitur communem sententiam.

49. At verò Aversa q. 18. sect. 3. §. *Sed plerique*, Dici, inquit, potest etiam ignorantia vincibilis tollere hunc effectum. Quia cùm lex requirit scientiam aut dolum ad certam pœnam vel effectum, etiam vincibilis ignorantia excusat à tali pœna vel effectu. Sufficiet tamen dubium de vita aut morte prioris conjugis, ut si postea inveniatur fuisse vivus, non possit post veram illius mortem contrahi cum adultero; quia dubium æquiparatur scientiæ. Hæc ille.

Aversa putat, ignorantiam vincibilem excusare.

Verùmenimverò, si dubium æquiparetur scientiæ, jam qui dubitat de peccato commisso, aut voto emisso, habebit scientiam peccati & voti; quod an concederet Aversa, nescio; sanè à plurimis negatur, etiam ab illis, qui docent, peccatum dubium esse confitendum: nam asserunt, confitendum esse non simpliciter, sed tanquam dubium, quod falsum foret, si dubium æquiparetur scientiæ. Nisi per dubium intelligas probabilem opinionem.

An dubium æquiparetur scientiæ.

Prætereà, dicet aliquis; unde constat Aversæ, quòd lex requirat scientiam aut dolum ad hanc pœnam? In quo textu, eam imponente, reperitur illa vox, *Scienter*, aut alia æqualens?

50. *An lex hîc requirat scientiam.*

Respondetur in cap. 1. de Eo qui duxit &c., ibi: *Nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contrà Canones venerat* &c. Item cap. *Cùm haberet*, eod. ibi: *Præsertim cum in dies suos ambo processerint, & tam diu publicè in adulterio & perjurio ex certa scientia perdurantes* &c.

Sed contrà: censen' quòd hoc cap. requirat perseverantiam publicam in adulterio, & perjurio, ut incurratur dictum impedimentum? Scio quòd non censeas. Et tamen hæc perseverantia exprimitur in textu, non minùs quàm scientia. Cur ergò magis sit necessaria scientia, quàm perseverantia seu perduratio in adulterio & perjurio ex certa scientia, ut patet ex ly *Præsertim*?

Arguitur quòd non.

Quod attinet ad cap. 1. in eo non statuitur hoc impedimentum; sed decernit Pontifex, mulierem insciam hoc impedimentum, alibi statutum, non incurrisse. Et virum, qui scienter fuerat adulteratus, posse compelli ad Matrimonium. Unde ad summum inde sequitur, quòd vir, qui fuisset adulteratus ex ignorantia crassa & supina, non posset compelli; sed quòd etiam ad ejus petitionem divortium foret celebrandum.

51. *Expenditur c. 1. de Eo qui duxit.*

Excusat quidem hoc jus mulierem insciam seu nesciam ab hoc impedimento; sed ubi hoc vel aliud jus dicat, mulierem incurrere hoc impedimentum, quæ scienter contraxerit cum impedimento ligaminis, non invenio in terminis istis. Quapropter expectabo istud ab alijs, melius versatis in jure, antequam subscribere velim sententiæ Sanchij, quæ, sicut dixi, opponitur sententiæ communi, non tamen est improbabilis: præsertim eo attento, quòd pœnæ potiùs sint restringendæ, quàm ampliandæ, & in dubio standum sit pro valore Matrimonij.

Sequitur alia difficultas major; an si quis scienter adulteraverit cum promissione vel contractu de præsenti; sed nesciebat impedimentum ex illo adulterio provenire; an, inquam, cum adultera post mortem propriæ uxoris possit validè conjugari?

52. *An hic requiratur scientia impedimenti.*

Ad hanc quæstionem Baucius in Miscellaneis Casuum conscientiæ to. 2. Opusc. 1. q. 176. sic respondet. Hunc casum non inveni apud Sanchez,

Sanchez, qui diffusè agit de Matrimonio, nec apud amicissimum Dianam, qui profitetur peregrinas opiniones D.D. ædere in lucem ad utilitatem Fidelium, & ad tollenda peccata mundi; ac proindè opere pretium existimavi, typis mandare doctrinam Paludani, à mentibus Fidelium abolitam, cùm hic Auctor sit antiquus, & apud Bibliopolas non reperitur.

53. *Baucius pro parte affirmante citat Palud. & Majorem.* At hic Auctor in 4. Sent. dist. 34. q. 1. n. 17. docet & citat Canones, quòd requiritur scientia hujus impedimenti, ad hoc, ut incurratur tale impedimentum: quam scientiam hujus impedimenti Paludanus requirit ex parte utriusque contrahentis, ad hoc ut incurratur supradictum impedimentum, nec sufficit, ut unus contrahentium sciat hujusmodi impedimentum.

Item Fernandez. Fernandez in Medulla Casuum conscientiæ, par. 3. c. 16. sect. 5. in fine citat Paludanum, & Majorem qu. 2. dist. 37. q. 1. a. 4. & dicit esse communiorem opinionem, nempè requiri scientiam hujus impedimenti ad hoc, ut quis incurrat.

Ratio. Ratio potest esse; quia hujusmodi impedimentum, ut sup. dictum, est impositum ab Ecclesia in pœnam delicti: sed pœnas ait Sanchez in Sum. lib. 4. cap. 22. n. 18. non incurri ab ignorante illas invincibiliter, & dicit hanc esse probabiliorem opinionem. Ergò. Hucusque Baucius, ut refert Diana part. 10. tract. 13. Miscel. resol. 51.

54. *Hæc sententia videtur Dianæ valde difficilis.* Sed si hæc opinio (subdit Diana) esset admittenda, plures in contrahendis Matrimonijs non egerent dispensatione Pontificiâ. Unde ego circà supradicta habeo magnam difficultatem: nam impedimenta Matrimonij dirimentia, non solùm imposita sunt ut pœnæ, verùm principaliter tamquam inhabilitates, ut rectè notat Lessius in 3. part. de Sacram. Matri. cap. 7. dub. 1. n. 130. & Alij communiter. Ergò ex hoc capite dicendum, quòd in ipsis non prosit ignorantia, quod non solùm procedit quoad ignorantiam juris, sed etiam quoad ignorantiam facti: unde affinitas ignorata ante Matrimonium dirimit illud, ut docet Joan de la Cruz in direct. de Matr. a. 5. dub. 9. conclus. 2. & Alij communiter.

Ipse oppositam probat. Dicendum est itaque: quòd Matrimonium non tantùm sit Sacramentum, sed etiam civilis contractus, imò ratio civilis contractûs in Matrimonio, est antiquior ratione Sacramenti, ejusque fundamentum; contractus autem, ut sit & censeatur legitimus, subest dispositioni Reipub. ut patet in omnibus alijs contractibus; potestque Respublica varias conditiones exigere, sinè quibus contractus non censeatur, vel sit legitimus: potest, inquam, exigere vel ex parte materiæ, vel ex parte consensûs, vel ex parte utriusque: ergò Ecclesia potest certas conditiones exigere, sinè quibus matrimonialis contractus non sit validus, & proindè potest instituere impedimenta Matrimonium dirimentia. Unde ex his patet, ignorantiam nihil prodesse quoad impedimenta Matrimonij.

55. *Confirmatio ab exemplis.* Confirmantur supradicta alijs exemplis ex lege civili & Canonica, in quibus prohibetur, ne testamenta condantur, nisi sub certo numero testium; nec Professio emittatur, nisi completo integro anno novitiatûs, & post annum 16. Et tamen, si aliquis cum ignorantia invincibili conderet testamentum, aut emitteret Professionem sinè dictis conditionibus, cum ignorantia invincibili, hoc non obstante, testamentum & Professio essent irrita. Sic & in casu nostro, licet aliquis committeret adulterium & homicidium cum ignorantia inculpabili impedimenti criminis, hoc non obstante, Matrimonium esset nullum absque prævia dispensatione; sicut etiam foret, si aliquis, postquam rem habuit cum matre, haberet copulam cum filia, ignorando inculpabiliter impedimentum affinitatis: nam si hoc non obstante, contraheret cum ista, sine prævia dispensatione Matrimonium esset nullum.

56. *Ratio.* Et ratio horum omnium est; quia impedimenta Matrimonij non imponuntur ab Ecclesia tamquam puræ pœnæ, sed tamquam inhabilitates & conditiones annullantes actum subsequendum.

Resp. ad arg. Baucij. Unde patet responsio ad argumentum Baucij; videlicet, quòd suspensio, interdictum, & irregularitas non incurritur cum ignorantia inculpabili. Nam respondeo: istas esse puras pœnas; impedimenta autem Matrimonij esse inhabilitates & conditiones annullantes actum faciendum. Ergò est dispar ratio inter utrumque casum. Ideò supradictæ opinioni amicissimi Baucij, tam præjudiciali sacris Tribunalibus Pœnitentiariæ & Datariæ Romanæ, nolo calculum meum adjungere. Hactenùs Diana.

57. *Irritatio actûs aliquando simul est pœnalis & medicinalis. ex Perezio.* Sed audiatur etiam Perezius de Matr. disp. 39. sect. 5. n. 7. ubi sic ait circà finem: Addo aliquando accidere posse, ut in eadem lege irritatio actûs feratur, & per se propter commune bonum, & simul in pœnam; quia isti duo respectus non repugnant simul conjungi in eodem effectu, vel respectu ejusdem, vel respectu diversorum.

Sic posset dici, impedimenta irritantia Matrimonium, fuisse introducta propter delictum v. g. uxoricidium cum promissione, & adulterium cum aliqua, vivente conjuge, cum promissione futuri Matrimonij; quia tametsi hæc pœnalia dici possint & verè sint; sunt tamen etiam per se expedientia ad commune bonum, ut securitati ac fidelitati conjugum consuletur.

58. *Ita videtur illi, hoc esse.* Unde licet aliâ pœnâ tale delictum condignè puniretur, nihilominùs posset justè irritatio simul persistere sinè duplicatione pœnæ; quia per se exp[illegible], etiamsi non adjiceretur in pœnam. Nam [illegible] irritationem in prædictis casibus auferrentur occasiones perpetrandi similia delicta, & hanc causam fuisse sufficientem ad imponenda talia impedimenta, etiam sinè vindicatione delicti, quis non videat? Ita interrogat hic Auctor.

Approbatur ab Auctore. Et reverà nemo non videt, qui habet oculos apertos ad videndum, uxoricidium & adulterium in prædictis casibus alijs pœnis posse condignè puniri, & fore punienda. Ergò illa inhabilitas ad contrahendum Matrimonium quadantenùs

dantenùs dici posset moralis; saltem non est purè pœnalis, seu pura pœna, sicut est excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, dum ab eis excusat ignorantia inculpabilis.

59. *Disparitas inter hoc impedimentum & excommunicationem.* Prætereà disparitas est: quòd excommunicatio, suspensio, &c. sint pœnæ contemptûs, id est, impositæ ob contemptum clavium, & contumaciam, ut notat Sanchez lib. 9. disp. 32. n. 17. & ideò requiritur in ipsis, secundùm multos D.D. quos citat Sanchez ibi. n. 20. scientia juris prohibentis, & ipsius pœnæ. Quamquam ipse n. 21. probabiliùs putet, hanc scientiam requiri in sola excommunicatione, eò quòd hæc sit ultima ac summa pœna; atque adeò exigat in delinquente summam contumaciam, quæ non invenitur absque speciali ejus notitia. Jam autem nullus docet, impedimentum criminis esse pœnam contemptûs, aut exigere contumaciam. Ergò non valet argumentum ab una pœna ad aliam.

Quando ignorantia non excusat actum à peccato, neque ab irritatione, juxtà Perez. Hinc Perez sup. n. 8. Dico, inquit, tertiò; quando lex humana prohibet actum, addendo irritationem per modum pœnæ, si lex non ignoratur ut prohibens, licet ignoretur ut irritans, actum contrà legem factum esse irritum. Moveor: quia talis ignorantia non excusat peccatum contrà legem; ergò nec excusat pœnam, licet ignoretur, ergò nec excusat irritationem. Patet hæc ultima consequentia; quia irritatio non est talis pœna, quæ requirat specialem contumaciam, sicut excommunicatio. Hæc ille.

60. *Gobat negat sententiam Paludani esse communiorem.* Infero ego: ergò ignorantia impedimenti criminis non excusat invaliditatem Matrimonij. Sed nunquid oppositum docuit Baucius sup. adductus? Gobat in suo Alphabeto tract. 9. cas. 10. n. 202. Credo, inquit, Baucio, affirmanti Paludanum fuisse illius opinionis, pro qua allegatur, sicuti & Majorem; at nego, aut Baucium id docuisse, aut Paludani sententiam esse communiorem. Quomodo enim posset esse communior? cùm & nullus, præter hic nominatos, tangat in specie quæstionem hanc: Utrùm impedimenta Matrimonij, pœnam adjunctam habentia, contrahantur ab ignaris impedimenti; & P. Mart. Perez ac Tannerus, relati cas. 1. n. 67. pronuntient, esse communem & certam doctrinam, quòd ad impedimenta non requiratur scientia, nec excuset ignorantia juris aut facti.

Resp. ad auctoritatem Sanchij pro ea adductam. Auctoritas P. Sanchezij, indicata à Baucio, nihil facit ad rem; quandoquidem loco allegato non agat de pœna superaddita actui, invaliditatem causanti. Unde ipsemet Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 32. ad quem locum se refert ipse cit. cap. 22. lib. 4. Sum. solùm agit de privatione debiti conjugalis, ob incestum commissum cum consanguinea uxoris: at lib. 3. de Matr. disp. 17. n. 10. agens de clandestino Matrimonio, & non negans, inhabilitatem ei annexam esse pœnam; addit tamen, esse pœnam solùm extrinsecam, non autem intrinsecam; & proinde ejus ignorantiam nihil officere vi dirimendi Matrimonij; nec ullo modo dubito, quin ita habeat praxis omnium Tribunalium, præsertim Romani.

61. *An qui juxta eam sententiam contraxissent, relinqui deberent in bona fide.* Quia tamen neque Diana, neque Baucius, ullâ prorsùs notâ afficiunt sententiam Paludani, etsi requirentis scientiam utriusque adulteri; & insuper D.D. quos nominavi cas. 1. n. 67. indefinitè aiunt, aliquos negare incursum inhabilitatis respectu ignorantium, & tamen ne quidem improbabilitatis censurâ afficiunt hanc negationem; idcircò non vererer quandoque illos, qui bonâ fide contraxerunt constricti impedimento criminis, relinquere in bona fide. Hæc ille.

Nec ego vererer in casu, quo nequeat fieri separatio vel absolutè, vel non absque gravissimis incommodis, quæ prævaleant peccatis materialibus, quæ tale Matrimonium consequuntur; idque eâ ratione, quâ in similibus circumstantijs relinquuntur in bona fide, qui contraxerunt cum impedimento consanguinitatis aut alio simili, quàmvis certò constet, Matrimonium esse invalidum.

62. *Si commodè possent, deberent separari.* Alioquin si commodè possent separari, vererer illos relinquere in bona fide; quia, salvo meliori, judico, quòd vix aut ne vix quidem probabile sit hujusmodi Matrimonium valere. Quàmvis enim aliqui generaliter doceant, ignorantiam pœnæ extraordinariæ ab eâ excusare; tamen dum in speciali disputant de impedimento criminis, non aliam requirunt notitiam, quàm ipsius adulterij, sive quòd scienter adulterent.

Patet in Navarro, qui in Sum. lat. c. 22. n. 46. ubi tractat de hoc impedimento, ait: Alterum crimen est, adulterari scienter cum conjuge alterius, & contrahere Matrimonium, vel dare fidem de contrahendo. Et infrà: Dixi, *Scienter*, quia si uterque probabiliter ignorat (scilicet adulterium) possunt Matrimonium contrahere &c. Nullam autem mentionem facit scientiæ seu notitiæ ipsius impedimenti, id est, nullo verbo indicat, quòd scire debeant, ejusmodi adulterium dirimere Matrimonium post contrahendum.

63. *An revera Palud. eam doceat.* Quid ergò, inquis, ad Paludanum & Majorem, quos citat Baucius sup. & Gobat credit fuisse illius opinionis? Respondeo: qui citò credit, levis est corde. Si Gobat proprijs oculis legisset Paludanum, & despexisset Canones, quos citat, non credidisset Baucio, affirmanti Paludanum fuisse illius opinionis.

Ostenditur quòd non ex juribus quæ citat. Hæc sunt verba Paludani: *Item requiritur in his duobus casibus, quòd uterque sciret impedimentum, de Concess. præbend. cap. 1. Nam altero ignorante, non dirimitur, ut extrà de Eo qui duxit* &c. Propositum, *& cap. Veniens, eod. de Sponsal.* Cùm in Apostolica. Jam autem clarum est, d. cap. *Propositum*, quod est primum illius tit. & cap. *Venieus, quod est* 7. jam sæpiùs à nobis citata, solùm requirere, ut uterque sciat adulterium. Patet ex verbis suprà relatis.

Explicatur c. 18. de Sponsal. Nec aliud petitur, aut potiùs colligitur ex cap. *Cùm in Apostolica*, 18. de Sponsal ibi: *Et sic falsitate suggestâ, quamdam aliam, facti nesciam sibi*

ſibi copulare præſumpſit. Ubi Gloſſ. verb. *Neſciam,* inquit: *Et ideò videtur, quòd marito privari non debuit, mortuâ primâ: etiamſi fuiſſet Matrimonium cum prima, inf. de Eo qui duxit &c. cap.* 1. Loquitur ergò de ignorantia ſeu neſcientia, de qua cap. 1. id eſt, de ignorantia adulterij ſeu prioris Matrimonij; non autem de ignorantia impedimenti criminis.

64. *Item 1. de Conceſſ. prab.* Reſtat cap. 1. de Conceſſ. Præbend. quod ſic ſonat: *Qui in vivorum Sacerdotum loco ponuntur, hoc ipſo ſunt ab Eccleſiaſtica communione pellendi, quo ſe paſſi ſunt ſucceſſores vivis Sacerdotibus ad hiberi.*

Sed quid hæc verba ad noſtrum propoſitum? Nihil, niſi intelligantur de iis, qui in vivorum Sacerdotum loco ſcienter ponuntur, ſicut debent intelligi juxtà Summarium cap. *Inſtitutus ſcienter in beneficium viventis, deponendus eſt.*

Undè ignorans excuſatur à depoſitione, ut notat Gloſſ. ibi verb. *Pellendi,* dicens: *Et nihilominùs deponendi, 2. q. 1.* In primis..... *niſi ignorans quis inſtituatur aliquo remoto, quo caſu excuſatur.* Ignorans, inquam, non pœnam depoſitionis; ſed ſe inſtitui in beneficium viventis.

Igitur Canones quos adducit Paludanus, manifeſtè oſtendunt ipſum non fuiſſe illius opinionis; ſed loco citato communem ſententiam docuiſſe, quæ requirit, ut uterque ſciat, ſe committere adulterium.

65. *An Major fuerit in illa ſententia.* Legi etiam Majorem 4. diſt. 37. q. 1. ubi tractat de hoc impedimento; & ne verbum quidem invenio, quod vel à longe redoleat hanc opinionem. Solùm dicit circà principium: *Primus* (caſus eſt) *ſi quis contraxit cum aliquâ, & eam cognoverit, vivente propria uxore legitimâ, ſi ipſa hoc ſciverit* (ſcilicet propriam uxorem legitimam vivere) *vel ei reddat debitum conſentiendo, cùm ſciverit, mortua propria uxore non poteſt illam habere in uxorem.* Quæ non ſolùm eſt communior, ſed etiam communiſſima ſententia.

Undè nemo poteſt, nec verò debet ullâ prorſus notâ afficere ſententiam Paludani, etſi requirentis ſcientiam utriuſque adulteri; non enim requirit ſcientiam impedimenti criminis; ſed impedimenti ligaminis, id eſt, ſcientiam prioris Matrimonij, propter quod poſterius Matrimonium invalidum fuit; atque adeò copula ſubſequens verum & formale adulterium.

66. *An hæc ſententia ſit probabilis.* Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, quòd opinio quæ requirit notitiam impedimenti criminis, id eſt, requirit, ut uterque ſciat, ex tali crimine provenire impedimentum dirimens Matrimonium ſubſequens, liquet, inquam, hanc opinionem vix aut ne vix quidem probabilem eſſe, ſive ſpectes auctoritatem, ſive rationem, aut etiam communem praxim tribunalium.

Hoc impedimentum eſt aliquo modo pœnale. Fateor hoc impedimentum eſſe aliquo modo pœnale; quia non incurritur abſque formali peccato, in quo differt ab alijs impedimentis. Aſt nego, ignorantiam ſolius pœnæ regulariter excuſare ejuſdem pœnæ reatum; & dico cum Suario tract. de Leg, lib. 5. cap. 12. n. 11. Neque in contrarium video rationem alicujus momenti. Præſertim, quando non eſt mera pœna; ſed inhabilitas quædam, & conditio annullans actum faciendum, utì eſt in caſu præſenti.

Unde Navarrus tametſi Sum. Latin. c. 23. n. 47. verſ. *Addo hìc*, doceat, ignorantiam pœnæ non à ſola excommunicatione excuſare, ſed ab alia qualibet pœna, communiter non ſtatuta: equidem dum tractat de impedimento criminis cap. 22. n. 46. & 47. nullam exigit ſcientiam impedimenti criminis, ſed ſolius criminis, ut ſup. oſtendi ex ejus verbis. Signum profectò, quòd ſub alia qualibet pœna, non intellexerit impedimentum criminis. Neque ergò nos intelligamus, ſed firmiter teneamus, ignorantiam hujus impedimenti non excuſare, ſicut nec aliorum, quando adeſt ſufficiens ſcientia criminis, propter quod impedimentum inductum fuit ab Eccleſia.

67. *An Sanchez faveat prædictæ ſententiæ.* Cæterùm quod dicit Gobat ſup. *Sanchez lib. 3. de Matr. diſp. 17. n. 10. agens de clandeſtino Matrimonio, & non negans inhabilitatem ei annexã eſſe pœnam, addit tamen eſſe pœnam ſolùm extrinſecam, non autem intrinſecam; & proindè ejus ignorantiam nihil officere vi dirimendi Matrimonij,* parum facit ad propoſitum noſtrum; quippè inhabilitas annexa Matrimonio clandeſtino, non ſupponit culpam, ut ſuo loco diximus, ſicut ſupponit inhabilitas annexa crimini.

Deindè; Sanchez eò loci dictam inhabilitatem aſſerit eſſe pœnam intrinſecam. Dicendum (inquit) eſt, id Matrimonium (putà clandeſtinum, contractum ab ijs, qui invincibiliter ignorant Decretum Trid.) eſſe invalidum; quia quàmvis lex non afficiat ignorantes quoad pœnam extrinſecam, benè tamen afficit quoad intrinſecam annullationis actûs. Hæc ille. Ut proindè de Gobatio verè dici poſſit: *Quandoq; bonus dormitat Homerus*

68. *Præter adulterium requiritur contractus aut promiſſio Matr. vel Machinatio.* Sed pergamus ad alia. Neque enim ſufficit ſolum adulterium, etiam perfectum & ex parte utriuſque formale; ſed inſuper requiritur, ut patet ex antedictis, promiſſio Matrimonij aut certè contractûs de præſenti, vivente priori conjuge, ſive durante eodem Matrimonio, vel denique machinatio in mortem conjugis.

Sed quæſo te, interrogat quiſpiam, qualis promiſſio requiritur? Nunquid externa, ſeria & abſoluta? Reſpondeo & Dico tertiò:

CONCLUSIO III.

Requiritur promiſſio externa, ſeria & abſoluta.

69. *Sola promiſſio non dirimit, quàmvis promittens graviter peccet.* SOlam promiſſionem non dirimere, ſuppono tamquam certum ex ſupradictis; quàmvis promittens graviter peccet, ut patet ex cap. fin. de Eo qui duxit &c. *Si quis uxore vivente, fide data promiſit, aliam ſe ducturum &c. quàmvis utrique ipſorum, pro eo quòd in hoc graviter deliquerint, ſit pœnitentia injungenda &c.*

Et ratio eſt: quia datur anſa captandæ mortis conjugis. Quare (inquit Sanchez diſp. 79. n. 40.) ſimili culpâ involvetur acceptans ejuſmodi promiſſionem, utpotè qui culpæ alterius conſenſum præbet. Sanchez.

Imò

70. *An ea promissio sit irrita? Affirmat Abbas.* Imò eam promissionem irritam esse, tradunt Abbas eo cap. fin. n. 2. & Alij. Ducunturque; quòd ob eamdem rationem non valeat promissio vacaturi beneficij, cap. 2. de Concess. Præbend. *Nulla Ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent. Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum.*

Ubi Gloss. verb. *Vacent*, ait: *Nota, quòd beneficium, antequam vacet, non potest promitti; quod si fiat, non valet, inf. cap. prox. Et sic obligatio nulla contrahitur ex tali promissione, quia est contrà jus.* Ergò similiter ex promissione Matrimonij carnalis; quia & ipsa est contrà jus, ut patet ex cap. fin. cit.

71. *Consentit Sanchez.* Et quidem (prosequitur Sanchez) hoc constat, quando ex ea promissione consurgit impedimentum dirimens; est enim inter personas inhabiles. At eo non consurgente, posset esse difficultas, cùm referatur promissio ad tempus habile. Sed puto non recedendum à prædicta sententia: quòd jus similibus pactis resistat, ut caveatur ansa captandæ mortis, ut constat ex textibus adductis, & ex l. fin. ff. de Pactis. Hæc ille.

Subdo verba d. leg. *Si reus postquam pactus sit, à se non peti pecuniam (ideoq; cœpit id pactum fidejussori quòque prodesse) pactus sit, ut à se peti liceat: an utilitas prioris pacti sublata sit fidejussori, quæsitum est. Sed verius est, semel acquisitam fidejussori pacti exceptionem, ulteriùs eo invito extorqueri non posse.* Sed quid hæc ad propositum nostrum?

72. *Resp ad jura quæ ab his Auctoribus pro se adducuntur.* Quantùm ad alios textus adductos; fateor, promissionem beneficij vacaturi invalidam esse; nam cap. 3. de Concess. Præben. sic ait Alex. III. *Consultationi tuæ taliter respondemus: quòd cùm in Lateran. Concil. promissiones, factæ de Ecclesijs non vacantibus, sint cassatæ* &c. Sed quid tum? Nunquid etiam in Later. Concilio sunt cassatæ promissiones Matrimonij, factæ vivente priori conjuge? Non invenio illam cassationem. In positivis autem non valet semper argumentum à paritate rationis.

Sed & in cap. fin. de Eo qui duxit &c. solùm declaratur, prædictam promissionem esse grave peccatum, ac pœnitentiâ dignum; ergò (ut ait Perez hìc disp. 34. sect. 5. in fine) esse illicitam ac invalidam, negatur Consequentia; quia multæ promissiones sunt illicitæ, quæ propterea non sunt invalidæ. Potest siquidem res, quæ promittitur, esse bona & possibilis, estò illicitè promittatur. Est autem promissio, deliberata & spontanea fidei obligatio de re quapiam bona & possibili, id est de re quapiam, quæ sinè peccato præstari potest. Porrò in casu proposito, sinè peccato potest contrahi Matrimonium promissum, ut suppono, estò cum peccato promissum sit.

Promissio potest esse illicita, quàmvis valida. Perez.

73. *Resolutio illa Sanchez & Aliorum* Putas, quia puella nobilis contrà voluntatem parentum, & cum familiæ indignatione, promittendo nuptias ignobili & pauperi, peccavit, quòd ideo præcisè promissio non valeat? Noli putare. Ergò non rectè sequitur: in casu nostro promissio est illicita, ergò invalida. Et ideò resolutio ista Sanchez & Aliorum manet mihi dubia; in dubio autem præsumitur pro valore actûs.

manet Auctori dubia.

Cæterùm nemo potest dubitare, quin promissio sit invalida, quando ex ea consurgit impedimentum dirimens, cùm tunc res promissa absque peccato nequeat præstari; imò absolutè impossibilis est, secluså dispensatione, ut planum est.

Quando talis promissio sit invalida.

Ut autem ex ea consurgat impedimentum, requiritur primò, juxtà Conclusionem nostram, ut sit externa. ita Omnes. Quòd merè interna, tamquam alteri prorsùs ignota, non præbeat ansam machinandi mortem conjugi. Imò non est vera promissio inter homines. Quippè homo promittendo ordinatur ad alterum hominem, ut præstet, quod ei gratum est; quemadmodum jubendo ordinatur alius, ut præstet, quod jubenti gratum est, quodque ipse ab alijs fieri velit. Veluti ergò solâ internâ voluntate non potest Superior imperando obligare subditos, ita nec interno actu potest se homo alteri homini obligare.

74. *Probatur non sufficere merè internam ad hoc impedimentum.*

Enimverò etsi obligatio principaliter proveniat ab actu intrinseco; non tamen, nisi modo congruo hominum societati, quæ requirit actus externos, cùm homines actus nostros merè internos nequeant cognoscere; atque adeò non communicent nisi in actionibus exterioribus. Iam autem promissio est fidei obligatio, ut statim dictum fuit, signum utique practicum, dans alteri jus; quod non potest esse, nisi ab illo intelligatur & acceptetur. Hoc supposito.

75. *An sufficiat promissio ficta.* Quæritur & disputatur inter DD. an sufficiat ad hoc impedimentum promissio ficta, id est, signum externum promissivum, sinè vero animo promittendi, seu obligandi se ad rem promissam præstandam.

Affirmat Sanchez & probat, quando fictio non apparet. Affirmat Sanchez sup. n. 10. & Alij plures. Quia textus, inducentes hoc impedimentum, innituntur eâ ratione, ne spe futuri Matrimonij sumatur ansa captandæ mortis conjugis. Quæ æquè militat, ubi promissio est ficta. Cùm alteri contrahenti ea fictio prorsùs ignota sit, ut supponitur. Si enim ex modo promissionis colligeret adulter, cui fit, fictè & joco eam fieri, tunc admittit Sanchez, eam non sufficere, cum non præstet ansam sperandi futuri Matrimonij; ac subinde nec machinandi mortem conjugi: nec similis promissio tamquam ficta & jocosa acceptatur; quod ad hoc desiderari dicemus infrà. Quando autem fictio omninò latet adulterum, eodem modo acceptatur promissio, ac si vera esset. Cur ergò non sufficiat?

Confirmatur. Nonne ex sponsalibus irritis ob solum defectum interni consensûs, oritur impedimentum publicæ honestatis? Et verò præcepta Ecclesiastica nonne cadunt in actus externos, & eosdem punit Ecclesia? Nam de interioribus nihil judicat: sed ille exteriùs promittit; ergò contrahit pœnam, seu impedimentum tali crimini injunctum. Hæc sunt fundamenta hujus senten-

ſententiæ, quæ indubiè probabilis eſt.

76. *Probatur ſententia oppoſita ex jure.* Nihilominùs magìs nobis probatur ſententia oppoſita. Quòd impedimenta Matrimonij, utpotè reſtringentia jus naturale contrahendi Matrimonium, & ipſa potiùs reſtringenda ſint, quàm extendenda, maximè ſi ſint pœnalia; arg. Reg. 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior interpretatio eſt facienda.* & l. 43. ff. de pœnis dicit. *Interpretatione legum, pœnæ, moliendæ ſunt potiùs, quam aſpernandæ.*

Cùm ergò hoc impedimentum ſit pœna, ſaltem ſecundariò, reſtringendum eſt ad propriam ſignificationem verborum; atque adeò per promiſſionem, quam jura requirunt, nequit intelligi promiſſio oretenùs ſolùm facta, cùm hæc non ſit propriè dicta promiſſio, ſicut homo fictus non eſt propriè homo, & Matrimonium fictum non eſt propriè Matrimonium.

77. *Confirmatur.* Atque ut eſſet propria promiſſio; nemo tamen dicere poteſt, quòd ſit perfecta, qualis requiritur in pœnalibus. Sicut ergò hìc per adulterium intelligitur perfectum & plenum, tametſi imperfectum cum promiſſione, poſſet anſam præbere ſufficientem machinationis mortis; ſic indidem intelligitur promiſſio perfecta & plena, tametſi imperfecta ſufficeret ad machinandam mortem conjugis.

Arg. Sanchez ſolvitur. Enimverò ratio legis non eſt lex; & potuit Legiſlator rationabiliter velle unum prohibere, & non aliud, ne ſcilicet nimiùm extenderetur hoc impedimentum. Profectò etiam ſola promiſſio, aut ſolum adulterium poſſet præbere anſam machinandi mortem conjugis, & tamen propterea non dirimunt Matrimonium.

Averſa. Et prætereà (ut notat Averſa q. 18. ſect. 3. §. *Sufficere quoque*, ubi tenet noſtram Concluſ.) in caſu fictæ promiſſionis, præbetur ſolùm occaſio complici decepto: ubi certè non eſt par occaſio & periculum, ac dum ambo ex animo conſentiunt.

78. *Alia confirmatio hujus ſententiæ à ſimili.* Confirmari ſolent jam dicta à ſimili. Nam fictè rebaptizans, atque fictè proferens hæreſim, excuſantur ab irregularitate, contrà rebaptizantes, & ab excommunicatione contrà hæreticos impoſitis; eò quòd pœnæ Eccleſiaſticæ, delictis abſolutè & ſimpliciter impoſitæ intelligantur de delictis perfectis & conſummatis in propria ſpecie. Cùm ergò impedimentum hoc Matrinij ſit pœna aliqua Eccleſiaſtica adulterij, cum promiſſione Matrimonij, accipiendum eſt de perfecta & conſummata promiſſione in ſua ſpecie, qualis non eſt ficta & oretenùs.

Reſp. Sanchez. Reſpondet Sanchez ſup. hoc ſimile non obſtare ſuæ ſententiæ: Quia, inquit, id habet verum, niſi ex illius pœnæ fine conjiciatur oppoſita Eccleſiæ intentio, ut contingit in caſu rebaptizationis; finis enim illius pœnæ eſt in odium hæreticorum rebaptizantium. At fictè rebaptizans, neque id animo hæretico efficit, nec propriè convenit cum hæreticis in ea actione, ut à ſua intentione procedit. Et ſimile contingit in ficto Hæreſis prolatore; cùm nec reverà neget fidem, nec verè hæreticus ſit. At in noſtro caſu ex fine Eccleſiæ inducentis hoc impedimentum colligitur, ejus mentem eſſe, compræhendere hanc fictam promiſſionem. Hæc ille.

79. *Impugnatur à Perez.* Sed contrà objicio (inquit Perez diſp. 33. ſect. 4. n. 3.) ſi id attentè conſideretur, nullam apparere diſparitatem; nam in his omnibus caſibus videtur eſſe ſimilis & æqualis fictio. Et quàmvis Eccleſia attendat ad eum finem, ut indè ſequi nequeat occaſio vel anſa interficiendi uxorem; ſatis tamen exprimit in jure, ejus intentionem eſſe tollere occaſionem illam ex delicto completo perfectæ promiſſionis, ex qua per ſe oriri ſolet tale periculum; eſſet verò per accidens, quòd ex tali promiſſione ficta ſequeretur anſa vel periculum homicidij: ſicuti econtrà, quàmvis ex vera & perfecta promiſſione duorum adulterorum nullum eſſet, nec ſequeretur periculum homicidij alterius conjugis, adhuc inde ex illa promiſſione conſequeretur impedimentum criminis dirimens; quia id per accidens contingeret, & lex vel jus ſtatuit impedire ac prohibere id, quod per ſe & ex vi talis actionis oriri poteſt.

Cùm igitur ex vi fictæ promiſſionis nequeat illud per ſe oriri, quia ficta promiſſio non eſt vera promiſſio; non enim externum verbum, quo faciendum aliquid in alicujus gratiam, ei ipſi dicitur, eſt promiſſio per ſe præcise; ſed ſolùm dependenter à libera intentione promittentis, ſeu fidem ſuam ei, cui dicitur, aſtringendi & obligandi; non ſecùs ac externa verba conjugum, actu contrahentium Matrimonium, non ſunt per ſe præcisè corporum dominij tranſlatio, ſeu traditio actualis; ſed tantum dependenter à liberâ intentione per ea ſe tradendi actu, & faciendi re ipſa, quod verba illa ſignificant; ſequitur ex vi illius fictæ promiſſionis nullum oriri impedimentum criminis. Hucuſque Perezius.

80. *Satisfit 1. arg. Sanchij.* Et ita ſatisfactum eſt primo argumento Sanchij; promiſſionem ſcilicet fictam non per ſe, ſed per accidens, eò quòd fictio occulta ſit, præbere occaſionem ei, cui occulta eſt, machinandi mortem alterius conjugis. At jus non attendit ad id, quod per accidens contingere poteſt ex parte unius adulteri; ſed ad id evitandum, quod per ſe poteſt ex parte utriuſque, ſpe futuri Matrimonij, damnum illud cauſare.

Reſp. ad 2. Ad ſecundum, putà de ſponſalibus irritis ex defectu interni conſenſûs, patet reſponſio ex dictis Sect. præced. ubi Concluſ. 3. diffusè probavimus, ex ipſis nullum conſurgere impedimentum publicæ honeſtatis. Videantur ibi dicta.

81. *Tertium arg. ex Coninck.* Porrò tertium argumentum ſup. adductum, quòd Eccleſia non prohibeat, niſi actum externum, reperi apud Coninck diſp. 31. n. 57. ubi amplectitur ſententiam Sanchez, confirmans eam: quia Eccleſia primo & per ſe ſolum actum externum prohibet & punit, nec curat, ex qua intentione procedat, niſi quando hæc eſt neceſſaria, ut ille perfectè contrarietur ipſi prohibitioni, & fini, ob quem eum prohibet: in præſenti autem caſu externa illa promiſſio ficta eodem modo, ut jam oſtendi, repugnat fini, quem Eccleſia intendit, ac ſi ſeriò fieret,

& consequenter habet in se perfectam rationem delicti in ratione actûs, repugnantis Ecclesiæ prohibitioni: ergo per eum incurritur statuta pœna.

Excipe tamen casum, quo promittens aut omninò credit alterum advertere, se joco promittere, aut intendit promissionem statim revocare, antequam alter possit inde ullam occasionem interficiendi conjugem arripere; idque etiam de facto efficaciter facit, quia tunc illa promissio non repugnat legi, ut per se patet. Ita Coninck.

82. *Solvitur.* Verùm enimverò cœcus sit qui non videat solutionem hujus argumenti. Iam quippè ostendimus, promissionem fictam non perfectè repugnare fini, quem Ecclesia intendit; atque adeò non habere perfectam rationem delicti in ratione actûs, repugnantis Ecclesiæ prohibitioni. Siquidem solùm per accidens dat causam occisionis, idque alteri tantùm adultero, qui scilicet ignorat fictionem.

Quando promissio perfectè repugnet prohibitioni Ecclesiæ. Tunc ergò promissio perfectè contrariatur prohibitioni Ecclesiæ, ejusque fini, quando uterque adulter, per se loquendo, potest inde arripere occasionem machinandi mortem conjugis, eò quòd speret Matrimonium propter obligationem, ortam ex promissione, vel potiùs quæ oriretur ex promissione, nisi obstaret impedimentum criminis. Iam autem ex promissione ficta nulla oritur obligatio, secundùm alibi dicta, etiam secluso impedimento criminis, & omni alio obstaculo.

83. *Quid si promissio ficta revera obliget? Non obstat juxta Dicast.* Imò tametsi aliàs esset valida ad obligandum, ut docet Dicastillo tract. 10. disp. 1. dub. 4. cum Alijs; equidem secundùm hunc Auctorem non obstat nostræ sententiæ, quam amplectitur disp. 7. n. 638. Hoc enim, inquit, tantùm probat, quòd etiam ficta promissio, si aliud non obstaret, posset inducere obligationem; non verò tollit, quin revera deficiat consensus, maximè in eo, qui alioquin putat, esse possibilem promissionem, sine voluntate se obligandi. Hæc ille.

Oppositum videtur supponere Aversa. Sed ut verum fatear, hoc non caret difficultate, & Aversa videtur supponere oppositum, sic enim ait sup. Sufficere quoque promissionem exteriùs prolatam, etiamsi fictè & absque animo interno proferatur, censent non solùm ii, qui volebant absolutè sufficere ad sponsalia; sed etiam ex Alijs, qui id non admittebant, &c. Ergò supponit hic Auctor, Omnes, qui docent sufficere promissionem fictam ad sponsalia, etiam consequenter asserere, eam sufficere ad impedimentum criminis.

Verùm hanc Consequentiam negat Dicastillo, non alio, ut apparet, fundamento, quàm quod deficiat consensus, qui requiritur ut promissio externa sit vera promissio. Utut sit de hac consequentia vel inconsequentia, nos putamus promissionem fictam, per se loquendo, nullam inducere obligationem, ut latiùs probavimus Disp. præced. Sect. 1. Concluf. 5.

84. *Quod promissio requiratur ad hoc impedim.* Et ideo magis consequenter dicimus, eam non sufficere ad hoc impedimentum, ad quod jura prælegata requirunt simpliciter promissionem, aptam de se obligare promittentem nisi hoc impedimentum obstaret; hæc enim de per se nata est dare ansam machinandi mortem, si hoc impedimentum non foret ab Ecclesia inductum. Nunc autem quoniam inductum est, non dat illam occasionem, quia adulteri sciunt, ex tali promissione non oriri obligationem, & Matrimonium subsequens fore nullum. Atque hæc satis de secunda parte Conclusionis.

Probatur quòd debeat esse absoluta. Sequitur tertia, quæ postulat promissionem absolutam, vel ab initio, vel per eventum conditionis vivente conjuge. Et ratio fundamentalis jam est assignata; quia jus postulat simpliciter promissionem, quæ in odiosis & pœnalibus significat promissionem in sua specie perfectam & completam, qualis non est promissio conditionalis ante impletam conditionem. Sicut Matrimonium conditionale, antè impletam conditionem, non est perfectum Matrimonium, ut Omnes debent admittere, & ideò non venit intelligendum in odiosis & pœnalibus nomine Matrimonij simpliciter.

85. *Confirmatur.* Adde: quòd promissio conditionalis (& idem est de Matrimonio conditionato) per se non dat ansam occidendi conjugem; quia eo occiso adhuc dubium est, an ponetur conditio, & æquè natum est fieri, ut non ponatur, quàm ut ponatur, saltem res incerta est, ut suppono; & idcircò antè eventum conditionis adulter nullam certam spem habet futuri conjugij; ac proindè promissarius eâ promissione non tam incitatur, ut antè conditionis eventum necem conjugi machinetur, quàm ut eam eousque differat, ne aliàs gratis se tanto scelere obliget.

Quid si eventus conditionis sit moraliter certus. Sed quid si certam spem haberet, quia in ejus potestate est conditionem suo tempore implere; aut ipse ferè certus est, eam fore implendam? Tunc (inquit Coninck sup. n. 59. ubi tenet nostram Concluf.) habitâ prius facinoris patrandi occasione, facilè in necem conjugis incitaretur. Et ideò excipit hunc casum ab hac doctrina, quem sequitur Perez sup. n. 5. Coninck. Perez.

86. *Videtur quòd hic casus non sit excipiendus.* Nunquid audiendi? Videtur quod non; quippè ratio legis non est lex, sed verba attendenda sunt, & in rigore accipienda. Sicuti ergò, ut statim dictum est, per Matrimonium in pœnalibus intelligitur Matrimonium absolutum; ita & per promissionem, intelligitur promissio absoluta; & per adulterium, intelligitur adulterium perfectum & completum; tametsi adulterium imperfectum, aut promissio vel Matrimonium conditionale, possint per accidens esse causa machinationis.

Siquidem per hoc, quòd impletio conditionis sit in mea potestate, aut ferè certò adimplenda, non transit Matrimonium aut promissio conditionalis in absolutam; sed revera manet conditionalis, quousque à parte rei conditio eveniat; cùm autem evenerit vovente priori conjuge, quoniam jam promissio conditionalis transijt in absolutam, quæ anteà non erat impedimentum, jam impedit & dirimit.

87. *Conditio.* Una tamen conditio (inquit Dicast. sup. n. 644.) excipienda est in hac doctrina, id

quæ debet excipi. ex Dicaſt. putà mors conjugis.

id eſt, illa ipſa, quam intervenire ſupponunt citata jura, quæ inducunt hoc impedimentum, ſcilicet conditio mortis conjugis viventis adhuc, cujus mors tamquam conditio neceſſaria expectanda erat. Unde quòd ſit contractus conditionalis ex eo tantùm capite, non tollit, quin impedimentum conſurgat.

Imò hoc ipſum ordinariè concurrit, ut ſi Maria nupta Franciſco, dicat Petro adulteranti ſecum : *Promitto me tibi nupturam, ſi Franciſcus maritus meus moriatur* ; talis quidem promiſſio in rigore conditionalis eſt, ſed ea conditio eſt, quam jura prædicta ſupponunt vel expreſſam, vel virtute incluſam in tali promiſſione, & eâ ſuppoſitâ, volunt tollere occaſionem machinandi mortem, inducendo hoc impedimentum. Ita Dicaſtillo.

88. *An reddat promiſſionem conditionalem.*

Ego autem dico : talem promiſſionem in rigore non eſſe conditionalem, arg. l. 99. ff. de Condit. & demonſt. *Conditiones extrinſecùs, non ex teſtamento venientes, id eſt, quæ tacitè ineſſe videantur, non faciunt legata conditionalia.* Atqui hæc conditio : *Si maritus meus moriatur*, tacitè ſemper ineſt ; ergò expreſſa eo modo, quo ineſt, non efficit promiſſionem conditionalem, juxtà alibi dicta de Matrimonio contracto ſub conditione intrinſeca, quæ neceſſario ineſt Matrimonio.

Quid ſi adjiciatur certum tempus? dirimit juxtà Averſa.

Quid ergò, inquis, ſi quis vir dicat mulieri : *Promitto te ducere poſt mortem mariti tui, ſi intrà menſem accidat* ? Talis promiſſio (inquit Averſa ſup. §. *Si tamen conditio*) impediet ac dirimet Matrimonium. Quia eſt veluti abſoluta promiſſio contrahendi poſt mortem conjugis. Et ſemper in promiſſione contrahendi de futuro intelligitur hæc conditio : *Si alter conjux præmoriatur.* Et illa limitatio temporis habet ſolùm vim excludendi longinquitatem poſt mortem. Ac certè magis præberet anſam procurandi & accelerandi mortem alterius. Hæc ille.

89. *Iudicium Auctoris.*

Ego autem puto, illam promiſſionem eſſe reverà conditionalem ; quia non exprimitur hæc conditio : *Si alter conjux præmoriatur*, eo modo quo tacitè ineſt, ut nemo non videt. Vel potiùs, quia exprimitur conditio, quæ tacitè non ineſt, ſcilicet: *Si intrà menſem accidat.* Quare ſi mors non accidat intrà menſem, ad nihil tenetur promiſſor : ſecùs ſi ſolùm dixiſſet. *Si alter conjux præmoriatur.* Ergò obligatio illius promiſſionis reverà dependet ab illo tempore, ita ut elapſo menſe planè evaneſcat.

An hoc Matr. ſit conditionale : Contraho tecum &c.

Cenſen' quòd hoc Matrimonium non foret conditionale : *Contraho tecum ſi intrà menſem conſenſeris* ? Quàmvis enim ipſe conſenſus ſit conditio generalis & intrinſeca, non tamen conſenſus intrà menſem ; quia contrahens poteſt conſenſum ſuum limitare ad longius aut brevius tempus. Ergò conſimiliter hìc, quàmvis promiſſio intrinſecè reſpiciat mortem conjugis, minimè tamen menſem, ſeu aliud determinatum tempus, illa proinde determinatio planè ab extrinſeco venit, & ideò videtur eam facere conditionalem.

90. Conſentio, illam excluſionem longinquitatis præbere anſam accelerandi mortem. Sed quid tum ? Jam enim ſup. oſtendimus, non omne illud impedire & dirimere Matrimonium, quod anſam præbet, ſed illud ſolùm, quod ut tale à jure prohibetur, ſive à jure requiritur ad hoc impedimentum, putà promiſſio ſimpliciter, id eſt, abſoluta, qualis non eſt hæc promiſſio, ut mox oſtenſum fuit.

Non omne dirimit, quod præbet anſam occidendi.

Reſolutio finalis.

Itaque dicendum eſt, vel hunc caſum excipiendum fore à generali doctrina, quæ requirit ad hoc impedimentum promiſſionem abſolutam, eò quòd magis incitet ad mortem machinandam ; vel in hoc caſu validum fore Matrimonium, quod contraherent adulteri poſt mortem conjugis, ſive eveniat intrà menſem, ſive poſt menſem præfixum : aut certè cum Sanchio ſup. n. 11. ſufficere quamcumque promiſſionem conditionalem.

91. *Probatur ex Sanchez ſufficere quamcumque promiſſionem conditionalem.*

Quia (inquit hic Auctor) licet promiſſio conditionalis non obliget ad implendam rem promiſſam, antequam conditio extet ; habet tamen effectum ad hoc, ut verè dicatur data fides, & obligationem inducit non reſiliendi ab eâ, donec conditio defecerit, & concipitur ex ea ſpes futuri Matrimonij ; & proindè datur anſa machinationis mortis conjugis, quæ eſt ratio inducendi hujus impedimenti. Deinde : quia non requiritur valor promiſſionis ad hoc impedimentum. Hæc ille pro ſua ſententia, quam tenet Navar. lib. 4. Conſil. tit. de Eo qui duxit. conſil. 2. n. 1.

Reſpondetur.

Sed ad primum arbitror ſatis reſponſum. Ad 2. dico ; omnem quidem promiſſionem, ex qua oritur hoc impedimentum, eſſe invalidam, ſed ſolùm per ordinem ad hoc impedimentum ; an autem poſſit eſſe invalida ex alio cap. id eſt de quo diſputatur inter Doctores, ut infrà videbimus.

92. *Duplex probatio oppoſitæ ſententiæ.*

Neque nos requirimus promiſſionem abſolutam, eò quòd conditionalis non ſit valida ; ſed quòd non ſit ſimpliciter promiſſio, ſive fides data, at ſolùm cum iſto addito : *conditionalis* ; quæ licèt obliget ad expectandum eventum conditionis, non tamen ad rem promiſſam, niſi conditio eveniat ; ita ut, ſi non eveniat, evaneſcat, perindè ac ſi nihil actum fuiſſet, & actus pro non facto habetur. Unde etiam ſponſalia ſub conditione non producunt impedimentum publicæ honeſtatis, antè conditionis eventum, quia non habent perfectum conſenſum.

Reſp. Sanchez ad primam.

Reſpondet Sanchez ſup. deficiente conditione diſſolvitur prorsùs promiſſio & pro non facta habetur, quoad effectûs nondum productos ex ea ; ſecùs quoad jam productos.

Ad ſecundam.

Ad 2. ait : in eo ſpeciali caſu ſic jure diſpoſitum eſt. At in noſtro nihil deciſum reperitur, & in eo militat ratio hujus impedimenti.

93. *Poſterior oppugnatur.*

Sed contrà hoc : quoniam nihil deciſum reperitur, & res tamen dubia eſt, ideò recurrimus pro deciſione ſeu ſolutione dubij ad ſimile jus ; arg. leg. 13. ff. de Legib. *Nam, ut ait Pedius, quotiens lege aliquid unum vel alterum introductum eſt : bona occaſio eſt, cætera, quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione, vel certè juriſ-*

jurisdictione supplere. Si ergò Ecclesia noluit oriri impedimentum publicæ honestatis; quod nullatenùs est pœnale, ex sponsalibus conditionatis, etiam noluit oriri impedimentum criminis, quod est quadantenùs, pœnale ex promissione conditionali, præsertim quando eventus conditionis planè incertus est.

94. *Objectio.* Dices: si Ecclesia id noluisset, etiam expressisset: quia enim sponsalia, per se posita, comprehendunt etiam conditionalia, ideò Ecclesia expressè determinavit ex conditionalibus non oriri publicam honestatem, quæ oriretur alioqui sine illa expressa decisione. Cùm ergò hìc nihil expressè decisum sit, videtur promissio conditionalis comprehendi sub promissione simpliciter.

Solutio. Respondeo: Disparitatem esse; quòd publica honestas non sit impedimentum pœnale & ita magis potuisset dubitari, an ad ipsum requirerentur sponsalia absoluta, & non sufficerent conditionalia. Cùm autem impedimentum criminis sit quodammodò pœnale, & pœna tamquam odiosa sit restringenda, judicavit Ecclesia, non esse necessariam expressam decisionē in nostro casu.

95. Quantùm ad hoc, quod suprà dicebat Sanchez; deficiente conditione non dissolvitur promissio, quoad effectus jam productos. Fateor; sed quæritur, an produxerit impedimentum antè eventum conditionis: hoc ergò probandum manet.

Probatur sententia Sanchez. Probatur, inquis; quia si posità illâ promissione conditionali, & adulterio, penderet hoc impedimentum ex conditionis futura impletione, manifestissimum absurdum sequeretur, nimirum, Matrimonij, absolutè initi valorem pendere ex futuro eventu. Nam si antequam conditio deficiat vel impleatur, decederet conjux adulteræ, & nuberet adultero, qui sub conditione fidem sibi dederat, dicendum esset, id Matrimonium absolutè contractum, pendere ex futuro eventu conditionis, & eâ posteà non impletâ, fuisse validum; impletâ autem, irritum. Ita Sanchez sup.

96. *Rejicitur, ex Aversa.* Respondetur ex Aversa sup. §. *Et sic ad ea*: Quamdiu conditio manet in suspenso, illa promissio per se non præstat ansam procurandi mortem alterius conjugis: quia potest esse, ut non adimpleatur conditio, & tunc frustrà patratum esset tantum scelus. Benè tamen, quando adimpleta est conditio, posset promissio impellere, ad procurandam mortem alterius conjugis, ob securitatem contrahendi novum Matrimonium.

Si verò conditione manente adhuc in suspenso, naturali morte decedat alter conjux, & adulteri ampliùs non curantes de conditionis eventu, & adimplemento statim inter se contrahāt, hoc Matrimonium erit firmum & validum: quia illa promissio non erat completa, nec induxerat impedimentum. Et quantumvis posteà adimpleatur conditio, nihil præjudicabit Matrimonio contracto: siquidem Matrimonium semel validum discindi non potest ex futuro conditionis eventu; sed jam contractum fuit independenter à tali conditione, & à promissione illa conditionata.

Imò etiam si non esset adhuc inter adulteros contractum Matrimoniū, & conditio adimpleatur post mortem alterius conjugis, & tunc velint contrahere, poterunt absque impedimento, sicut quando promissio intervenit post mortem alterius conjugis: quoniam tunc in rigore perficitur promissio, quando adimpletur conditio. Hucusque præfatus Auctor.

97. *Quid si conditio sit impossibilis turpis &c. Resp. Aversa.* Quid ergò, interrogat aliquis, si conditio apposita sit impossibilis aut turpis, vel etiam contraria substantiæ Matrimonij?

Respondet Aversa sup. §. *Si tamen*: Si prorsus non intendat quis promittere, nisi sub earum eventu, reverà non intelligeretur statim perfici, & velut absolvit promissio, in conscientia loquendo: atque adeò nec inducet impedimentum, nisi adimpletâ conditione, in casu quo physicè possit, antè mortem alterius conjugis. Hæc ille.

Resolutio Auctoris. Consultò autem dixit: *In conscientia loquendo*: quia in foro externo conditio impossibilis, aut turpis habetur pro non apposita; adeoque ex tunc promissio habet vim absolutæ, ut videre poteris Disp. præced. Sect. 8. Conclus. 8. & consequenter saltem in foro externo dirimeret Matrimonium subsequens, si reliqua adsint. Imò etiam in foro conscientiæ, nisi promittens contrariam habuerit intentionem; nam aliàs censetur habere intentionem conformem juri communi.

Porrò sicut conditio contraria substantiæ Matrimonij vitiat ac irritat Matrimoniū, ita quoque promissionem. Vide dicta loco statim citato Conclus. 9. Neque hoc negat Sanchez, quàmvis sup. n. 13. existimet, eam promissionem sufficere, quòd hoc impedimentum non pendeat ex promissionis valore. Quare, inquit, nisi talis esset conditio, ut alter adulter eā rejiceret, nec promissionē acceptaret, aut ex modo promittēdi appareret, joco & fictè fidē sub ea conditione dari, censerē ex tali promissione oriri hoc impedimentū: sicut quando est conditio honesta & contingens. Sic Sanchez. Sanchez.

98. *Non oritur impedimentum, si conditio sit contraria substantiæ Matr.* Ego autem dico, sicut non oritur hoc impedimentum antè eventum conditionis, quando hæc honesta est & contingens; sic itidem, imò potiori ratione non oritur, quando est conditio contraria substantiæ Matrimonij; quòd hæc non sit vera promissio, etiā secluso hoc impedimento, utpote nullā pariens obligationē; quare perindè est, ac si nulla foret promissio; sicut nulla ampliùs est promissio, quando deficit conditio honesta & contingens.

Probatur. Patet; quia tantū operatur à principio appositio conditionis contrarię, quantū in progressu defectus conditionis honestę & contingentis; scilicet reddit promissionē irritā, absque ullo respectu ad hoc impedimentū; ita ut, tametsi Ecclesia hoc impedimentū nō induxisset, equidē nullius foret valoris, ut supponit Sanchez, contrà quē hìc agimus.

Subsumo; atqui hoc impedimentum, estò non pendeat ex præsenti valore promissionis, quia supposito impedimento promissio non obligat; equidem dependet ex valore promissionis, qui foret si impedimentum abesset; quia sic, & non aliàs, promissio daret causam machinandi mortem, id est, nisi Ecclesia statuisset illud impedimentum, promissio daret ansam; porrò in casu proposito non daret ansam, tametsi Ecclesia nullum impedimentum statuisset. Et ideò putamus, eam non sufficere,

re, de quo iterùm redibit quæſtio infrà, ubi de contractu Matrimonij cum adulterio.

99. *Conditio de præſenti vel præterito non obſtat impedimento.*

Maneat pro nunc vera ultima pars Concluſionis, quæ requirit promiſſionem abſolutam, id eſt, non conditionalem de futuro. Alioqui conditionalis de præſenti vel præterito, aut de facto obligat, aut nunquam obligabit; adeoque potiùs abſoluta eſt dicenda, quàm conditionalis; & vel ſtatim inducet hoc impedimentum, vel nunquã.

Exemplificatur ex Sanchez.

Exempli gratiâ: ſi quiſpiam copulam habeat cum fœmina, ſpondens ei Matrimonium, ſi uxor ſpondentis, vel vir fœminæ jam obierit, vel ſi eam virginem invenerit; in priori caſu nunquam eſt impedimentum, ſi enim jam conjux obierat, & ſic uterque erat ſolutus, jam promiſſio eſt facta poſt conjugis obitum, & ſubinde non præſtat impedimentum. Si verò nondum obierat, nil promiſſum eſt, cùm promiſſionis tempore defecerit conditio. Nec datur anſa captandæ mortis conjugis, eò quòd, eo poſteà defuncto, vi careat promiſſio. In poſteriori autem caſu, ſi reverà conditio illa extat, quia reverà illa erat virgo, oritur hoc impedimentum: quia interfuêre promiſſio & adulterium. Si verò conditio tunc non extabat, nil promiſſum eſt, ſed vana prorsùs fuit promiſſio, & ſic conditione jam non extante, adfuit adulterium promiſſione deſtitutum. Ita Sanchez ſup. n. 14.

100. *Contrà eum arguit Auctor.*

Sed quæro ego; nunquid etiam promiſſio ſub conditione, contraria ſubſtantiæ Matrimonij, vana eſt? Quippè (teſte Sanchez n. 13.) talis conditio vitiat ac irritat Matrimonium & promiſſionem. Ergò prorsùs vanum eſt illud Matrimonium & vana promiſſio, id eſt, carens effectu, ſicut promiſſio ſub conditione de præſenti, tunc non extante, quæ non eſt vana, niſi quia caret ſuo effectu. Expectabo itaque rationem diſparitatis. Vel ſi utraque promiſſio eſt vana, ſcire cupio, cur potiùs ex una promiſſione oriatur hoc impedimentum, quàm ex alia.

Caſus aliquis particularis, in quo dubitatur de impedimento.

Interea pergam ad alias difficultates. Quid dicendum (inquit Sanchez ſup. n. 15.) de promiſſione hâc conditionali, quando vir abfuit per ſeptem annos, & datur fides Matrimonij adulteræ, ſub ea conditione: *Si probaverit licitum eſſe propter talem abſentiam ad alias nuptias tranſire.* Videtur enim non eſſe impedimentum; quia illa conditio eſt reverà de preterito: cùm perindè ſit ac dicere, ſi licitum eſt, ob talem abſentiam abſque alia mortis conjugis certitudine ad alias nuptias migrare; & cùm conſtet conditionem deficere, non enim id eſt licitum, evaneſcet promiſſio, & ſolum adulterium manebit.

101. *Rodriguez affirmat eſſe imped.*

Em. Rodriguez 1. to. Sum. c. 228. n. 5. dicit, eſſe impedimentum: Quia, inquit, hìc intervenit promiſſio conditionalis, ducendi ipſam, ſi probaret, quòd illud poterat fieri; quia licèt promiſſio conditionalis non habeat effectum obligandi illum, qui promittit antè adimpletionem conditionis; habet tamen effectum, quantùm ad hoc, ut verè dicatur dediſſe fidem, quæ cũ adulterio ſufficit ad dirimẽdũ Matrimoniũ. Hæc ille.

Ratio ejus non placet

Sed ratio iſta non placet Sanchio; eò quòd hæc conditio non ſortiatur naturam veræ conditionis de futuro, ſuſpendentis contractum. Et ideò, inquit, meliùs Navar. ſup. hoc probavit; quod hæc conditio ſit de jure impoſſibilis; non enim id poteſt eſſe licitum, & non ſolæ conditiones naturâ impoſſibiles, ſed etiã jure tales, habentur pro non adjectis, juxtà deciſionẽ cap. fin. de Condit. appoſ. & conſenſus manet abſolutus. Quare idẽ prorsûs dicendũ eſt, quod diximus n. 12. de promiſſione facta ſub conditione impoſſibili. Ita Sanchez.

Sanchio. Approbat probationem Navar.

Rogas: ecquid dixit? Reſpondeo oriri ex ea hoc impedimentum, quia reputatur abſoluta. Niſi ex modo promittendi appareat, eam joco appoſitam, id eſt, animo non ſe obligandi, ſed irridendi. Quod ego verum exiſtimo pro foro externo, ut ſup. notavi. Nam in foro conſcientiæ, ſive animus jocandi appareat, ſive non, dummodò reverà non adſit intentio abſolutè ſe obligandi, non erit abſoluta promiſſio, atque adeò ex ea non orietur impedimentum.

102. *Iudicium Auctoris.*

Sicut etiam, ſi dicat conjugatus adulteræ: *Si non eſſem conjugatas te ducerem*: quòd ea verba promiſſionem minimè importent. Non enim (inquit Sanchez ſup. n. 16.) datur fides aliqua de Matrimonio in poſterum contrahendo, ſed tantùm ſignificatur voluntas imperfecta (quam Theologi velleitatem appellant) Matrimonij contrahendi, niſi obſtaret præſens. Atqui ita, quàmvis tunc temporis uxor diſceſſiſſet, nulla ex vi dictorum verborum obligatio conſurgeret.

Expenditur hæc conditio: Si non eſſem conjugatus &c. Sanchez.

Idem dicendum putat Sanchez ſup. n. 17. de his verbis: *Ducam te, ſi voluero.* Quippè, inquit, nulla prorsùs eſt promiſſio, utpotè quæ ad propriam futuram voluntatem refertur. Secùs eſſet: *Si aliud non viſum mihi fuerit*, vel, *niſi aliud judicavero*, vel, *arbitratus fuero*, vel, *juſtum fuerit.* Quia verba hæc non ad liberam voluntatem referuntur, ſed ad boni viri arbitrium, rationi conſentaneum. Et ita ſi nova mutatio non ſuperveniat, obligat, & eſt promiſſio verè conditionalis: & perindè de illa cenſendum eſt, ac de promiſſione conditionali, niſi ex modo promittendi appareat, & ex alijs circumſtantijs, verba hæc ad liberam voluntatem relata eſſe. Ita Sanchez.

103. *Item: Ducam te &c.*

Et quoniam nos ſuprà negavimus, ex promiſſione conditionali conſurgere hoc impedimentum, contrà Sanchez ſup. n. 11. patet quid de hac promiſſione dicendum ſit ſecundùm nos.

Quæri etiam poteſt de his verbis: *Non ducam aliam niſi te*, vel, *præter te*, vel alijs equivocis, an conſurgat impedimentum. Sed ut benè notat Sanchez ſup. n. 18. reſolutio pendet ex cognitione, an ea conſtituant Matrimonium, quando ſunt de præſenti, vel ſponſalia, quando ſunt de futuro: ſi enim hoc habeant, pullulat hoc impedimentum; ſecùs ſi neutrum claudant. Quia nec eſt Matrimonium nec ejus promiſſio, ex vi talium verborum, ſaltem promiſſio abſoluta.

104. *Aliæ conditiones proponuntur.*

Non gravetur Lector, ſi adhuc unam propoſuero quæſtionem, quę finem imponet huic Concluſioni. Maria Petro ſoluto ſe tradit adulterandam, & Petrus illi dat fidem, quod viro Mariæ mortuo, contrahet cum ea fœmina, quàm Ioannes deſignaverit, & Maria certò credit, quod ipſa ſit à Ioãne deſignãda, nũquid ex tali promiſſione

Quæſtio finalis.

& adulterio pullulabit hoc impedimentum?

105. *Negat Dicast. in eo casu contrahi impedimentum.* Negat Dicastil. sup. n. 645. Neque enim (inquit) tunc datur fides contrahendi cum Maria, cum absque dictæ promissionis fractione, possit Petrus contrahere cum alia fœmina, si aliam Ioannes designet. Quod verum puto, etiamsi tunc Ioannes promittat, aut juret, se designaturum ipsam Mariam; adhuc enim Ioannes potest de facto eam non designare, & talis promissio, comparatione Mariæ, semper est virtualiter conditionata, ducendi scilicet illam: *Si Ioannes designaverit.* Quæ conditio adhuc est pendens; atque adeò philosophandum est in hoc casu, sicut nuper dicebamus de promissione conditionata. Hæc Dicastillo.

Et illicò prosequitur: Difficilius apparet in casu, quo Joannes diceret, subsistente adhuc priori Matrimonio: *Ego ex nunc pro tunc designo Mariam*; in tali enim casu videtur jam adulterium commissum conjungi cum promissione absoluta, antè mortem conjugis: quia promissio erat sub conditione designationis faciendæ à Ioanne, quæ designatio jam videtur esse facta; ergò nihil deficit ad impedimentum.

106. *Estò etiam designatio fieret subsistente priori Matr.* Nihilominùs adhuc puto, non incurri impedimentum; quia designatio non est verè ac propriè & absolutè facta. Nam cùm designatio sit non pro eo tempore, quo Ioannes hìc & nunc verbis designat, sed pro alio tempore, quo datum est illi arbitrium designandi, illa designatio talis qualis, non censetur habere vim designationis, quousque & veniat tempus legitimum designandi, & ipse tunc habeat ratam antiquam designationem, sive in ea perseverans, sive de novo eam confirmans. Unde si suo tempore revocet designationem, ut potest, vel antè tale tempus moriatur, designatio nulla erit; quia ab initio facta non fuit valida, utpotè antè tempus legitimum.

107. *Exceptio.* Excipe: nisi data fuerit illi potestas, quocumque tempore designandi, & designet Mariam antè mortem conjugis; tunc enim promissio transit in absolutam comparatione Mariæ, & conjungitur cum adulterio; atque adeò potest causare impedimentum. Usque adhuc Dicastillo.

Approbatur. Et quidem exceptio hæc nemini potest displicere, neque verò ulli displicet. Verùm principalis doctrina ab omnibus illis potest, & verò debet rejici, qui sustinent ad hoc impedimentum sufficere promissionem conditionalem; nam Dicastillo admittit eam hìc intervenire.

108. *Intervenit promissio conditionalis, etsi uterque bonâ fide procedat.* Et revera intervenit, tametsi utraque pars bonâ fide procederet, eò quòd credebatur fore, ut tertius ille, conveniens adultero Matrimonium consuleret, id est, designaret personam aliam. In quo tamen casu Sanchez sup. n. 4. admittit non esse locum huic impedimento, sed posse illos, defuncto conjuge, Matrimonio copulari. Non enim, inquit, adfuit promissio futuri Matrimonij cum illa.

Quid si malâ? Sin autem malâ fide, vel unus eorum processerit, credens utique Matrimonium cum adultera consulendum, existimat esse locum huic impedimento, nec posse illos defuncto conjuge Matrimonio copulari. Citatque plures Auctores pro hac sententia, quam amplectitur Aversa sup. §. *Dum etiam*, dicens: Dum etiam dicitur, promissio debere esse directa ac determinata ad complicem, id est, de contrahendo cum ipso complice, notari solet, satis esse directionem ac determinationem mediatam seu tacitam, & dolo aut scienter initam. Id est, si unus delinquentium alteri promittat ducere illam personam, quam tertius alius designabit; hâc tamen intentione, vel opinione, quòd hic tertius designabit eamdem personam delinquentem, complicem adulterij. Nam hoc æquivalenter se habet, ac determinare illam personam. Hæc ille. *Aversa.*

109. *Sententia Auctoris.* Ego autem dico (quidquid existiment adulteri) adesse promissionem futuri Matrimonij, etiam cum adultera; non quidem absolutè, sed sub conditione designationis; quæ licèt moraliter certò credatur non eventura, non ideò vana est hujusmodi promissio, etiam comparatione adulteræ, quousque alia fuerit designata, ita ut, si, quod physicè possibile est, ipsa designaretur, statim oriretur absoluta obligatio.

Probatur à simili. Simile; si adulter promitteret Matrimonium adulteræ, sub beneplacito parentum, quàmvis crederet uterque, parentes non consensuros; equidem per hoc non evacuaretur promissio, donec reverà dissentiant. Veluti ergò talis promissio induceret impedimentum, ex hypothesi, quòd promissio conditionalis sufficiat; quid ni similiter promissio indeterminata in nostro casu? Sicut enim una promissio dependet à consensu parentum, ut absolutè obliget; sic altera à determinatione tertij, & in utroque casu proceditur bonâ fide, ut suppono. Vel ergò neutra satis est, vel utraque; non enim video sufficientem rationem disparitatis.

110. *Non oritur impedimentum, estò procedatur malâ fide, contrà Sanchez.* Atque idem assero, quando in utroque casu procederetur malâ fide, sive frandulenter; putà, quia moraliter certò conditio est eventura, & conditionatè contrahitur, ut sic evitetur impedimentum in nostra sententia, quæ requirit promissionem absolutam. Assero, inquam, non oriri hoc impedimentum, quidquid dicat Sanchez sup. in principio. Nec refert, sive adulter fidem dederit adulteræ de contrahendo Matrimonium cum ipsa, sive cum persona, quam tertius quidam ab adultera signatus destinaverit; quando fraudulenter ea fides petitur, ut tertius ille adulteram designet. Quia perindè est, ac si fides adulteræ ipsi daretur. Nec fraus alicui patrocinari debet. Hæc ille.

111. *Solvitur ejus arg.* Respondeo: perindè est, ac si fides adulteræ ipsi daretur conditionaliter, concedo; absolutè nego: quia absolutè fieri potest, ut adultera non designetur. Nec fraus illi patrocinatur, sed potiùs jus ipsum, quod requirit promissionem absolutam; ipsa autem utitur jure suo, nolendo acceptare promissionem absolutam, sed conditionalem tantùm: porrò ut habet Reg. juris 55. ff. de Reg. juris: *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.*

Sed nunquid requiritur acceptatio promissionis,

nis, ut ex ea pullulet hoc impedimentum? Nunquid promissio mutua aut jurata? Respondeo & dico quartò:

CONCLUSIO IV.

Non requiritur promissio mutua, aut jurata. Necessaria est acceptatio. Qui solùm tacet non acceptat.

112. *Definitio promissionis, & ejus distinctio à pollicitatione.*

PRomissio communiter definitur: deliberata & spontanea fidei datio seu obligatio, facta alteri de re quapiam bona & possibili. Et ideò requirit mutuum consensum, promittentis scilicet, & ejus, cui fit promissio. In quo distinguitur à pollicitatione, quæ est solius offerentis promissum, juxtà l. 3. ff. de Pollicitat. in principio: *Pactum est duorum consensus atque conventio, pollicitatio verò offerentis solius promissum.*

Quid sit conventio.

Et verò *Conventionis verbum* (ut habetur l. 1. §. 3. ff. de Pactis) *generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotij transigendique causâ consentiunt, qui inter se agunt: nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur & veniunt: ita & qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. Adeo autem conventionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem, sive re, sive verbis fiat.* Ita Ulpianus lib. 4. ad Edictum.

113. *Promissio habet in se conventionem.*

Cùm ergò promissio sit obligatio, liquet sanè, necessarium esse, ut habeat in se conventionem, id est, plurium in idem placitum consensum. Unde numeratur inter contractus, latiùs accipiendo istud nomen, pro conventione duorum, quæ obligationem saltem in alterutro pariat, diciturque contractus gratuitus.

Acceptatio hic est necessaria.

Ex quo liquidò patet veritas secundæ partis Cõclusionis; scilicet necessariam esse acceptationẽ, ut promissio, vel potiùs, ut promissum unius adulteri inducat impedimentum criminis; quia omnia jura requirunt promissionem; promissio autem, ut jam dictum est, & probatum, exigit consensum plurium, ergò promissum offerentis, & ejus acceptationem.

114. *An sufficiat.*

Sed nunquid sufficit acceptatio? Sunt qui requirunt promissionem mutuam, sive reciprocam, quæ sufficiat ad constituenda sponsalia; si enim alter solus adulter promittat, altero non repromittente, censent non oriri hoc impedimentum. Ita Henriquez lib. 12. de Matr. cap. 14. n. 3. in principio: Si quis (inquit) adulteretur scienter cum conjuge alterius, & præter adulterium formale fiat mutuus contractus per verba de præsenti, aut de futuro (quæ de se sufficerent ad Matrimonium aut mutua sponsalia) sunt inhabiles Matrimonio.

Negat Henriquez.

Et infrà: Item si vir adulteræ, etiam acceptanti, promisit Matrimonium, nec tamen illa repromisit, non irritat Mattimonium; quia unius promissio non sufficit ad sponsalia, quamvis juramentum intercederet. Oppositam sententiam vocat falsam in Gloss. lit. D. dicens: Soto art. 4. col. 3. fin. putat pro hoc impedimento sufficere juramentum unius cum adulterio, quod falsum est nisi adsit mutua promissio. Hæc ille.

Oppositam sententiam vocat falsam. Sotus.

Cui favere videtur Gloss. cap. *Significasti*, de Eo qui duxit, in casus positione ibi: *Respondet Papa, quod nisi alter eorum in mortem defunctæ uxoris suæ fuerit machinatus: vel eâ vivente sibi ad invicem fidem dederunt de Matrimonio contrahendo: Matrimonium legitimum consendum est.* Putat autem Sanchez sup. n. 19. illam positionem casus esse Abbatis ibi n. 1. casum enim illius textûs, in quo impedimentum hoc statuitur, sic in summam redigit: *Si uxore vivente, adulteri sibi ad invicem fidem dederunt.*

Ei favet Gloss. cap. 6. de Eo qui duxit &c.

115. *Expenditur d. cap.*

Sed non refert cujus hæc sit positio, dummodò solidè fundata sit. Herculê verba textûs non præbent solidum fundamentum. Sunt enim hæc, quæ sequuntur: *Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus; quod nisi alter eorum, in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus: vel eâ vivente, sibi fidem dederit de Matrimonio contrahendo, legitimum judices Matrimonium supradictum.* Non dicit Pontifex: *Sibi invicem fidem dederint*, sed in singulari: *Sibi fidem dederit*, scilicet unus alteri, adulter de quo proponebatur casus adulteræ vel è converso.

Vide etiam c. 7. eod. pro sententia opposita. Item cap. fin. eod.

Et consimiliter loquitur idem Pontifex cap. *Veniens*, eod. ibi: *Dummodò non præstiterit fidem adulteræ vel machinatus fuerit in mortem uxoris.* Item Gregor. IX. cap. fin. eod. *Si quis uxore vivente fide datâ promisit aliam se ducturum* &c. Quæ utique verba, propriè ea intelligendo, non aliud requirunt, quàm veram promissionem, seu fidem datam ex parte alterius eorum; sicuti non requirunt, nisi machinationem mortis ex parte alterius eorum, ut Omnes fatentur.

116.

Producat ergo Henriquez, vel alius quispiam jus aliquod, desiderans repromissionem, & libenter fatebimur Conclusionem nostram esse falsam, doctrinam autem Henriquez verissimam. Alioqui persistimus in Conclusione, quæ non indiget aliâ probatione, quàm mox indicatâ, ut putà, quia nuspiam textus, hoc impedimentum statuentes, postulant repromissionem, sed solius fidei datæ cum adulterio meminêre. Posse autem dari promissionem liberalem, seu gratuitam futuri Matrimonij, quæ obliget solùm promittentem, diffusè probavimus Disp. præced. Sect. 1. Conclus. 2. ad quam remitto Lectorem.

Probatur 1. pars Conclus.

Tantùm hic nota ex Sanchio sup. n. 21. promissionem Matrimonij aliquando fieri per modum contractûs oneroti, ac repromissionem expectantis: v.g. dum de Matrimonio contrahendo inter aliquos tractabatur: subindè autem per modum gratuitæ & liberalis promissionis, quando videlicet de Matrimonio contrahendo non erat sermo; sed ob aliquod beneficium acceptum, quasi gratum se exhibens, quis promisit. Et

Notabile aliquod ex Sanchez.

vero

verò in dubio reputatur per modum contractûs juxtà sponsalium naturam.

117. *In dubio non præsumitur hîc promissio respectiva.* At in præsenti eventu (inquit Sanchez sup.) credo in dubio non censeri promissionem respectivam, & per modum contractûs, repromissionem sperantis. Quia cùm alter adulter, vel uterque Matrimonio tunc ligatus sit, non agitur tunc de pacto futuri Matrimonij ineundi, sed ad significandam amoris adulteri magnitudinem, vel in præmium adulterij admissi, seu sub spe admittendi, ea promissio liberaliter fit. Sicut inter turpiter se amantes alia dona conferri solent. Hæc ille.

Cur ergò non sufficiat ea promissio liberalis, quæ nata est per se dare ansam, interficiendi conjugem, saltem ei, cui promissio facta est; imò & promittenti? Quàmvis enim promissarius non obligetur, equidem acceptando promissionem, satis significavit affectum suum, & propositum contrahendi, ut meritò promittens possit futurum Matrimonium sperare.

118. *Objectio.* Dices: impedimentum hoc est in pœnam utriusque contracturi Matrimonium; utrumque enim afficit, impediens valorem Matrimonij cum altero: ac proindè rationi consonat, ut uterque quò eam pœnam incurrat, reus sit delicti illius promissionis, ex qua, simul cum adulterio, consurgit impedimentum hoc, ne ob unius delictum alter puniatur. At cessat delictum in eo, qui auditâ promissione, minimè repromittit.

Solvitur. Respondet Sanchez sup. n. 27. culpam reperiri in altero, eò quòd similem promissionem iniquam acceptet. Vel secundò, non desiderari culpam in utroque, sed satis esse in altero: non enim innocens incurrit directè illud impedimentum, sed indirectè, eò quòd reus illud contrahat, nec possit Matrimonium consistere, nisi inter duos. Sicut machinatio alterius cum adultero sufficit ad impedimentum dirimens inducendum.

119. *Instantia diluitur.* Nec obstat: quòd pœnæ sint restringendæ; ut sup. dictum fuit: quippè hæc restrictio intelligi debet intrà proprietatem verborum. Promissio autem, quo nomine hîc utitur jus pœnale, propriè significat contractum gratuitum sive promissionem ex parte unius, & non nisi cum addito promissionem ex parte utriusque, sive contractum onerosum. Unde sponsalia definiuntur, non simpliciter promissio futuri Matrimonij, sed promissio mutua sive reciproca. Ergò hoc jus pœnale non est restringendum ad promissionem reciprocam, cùm, ut dictum est, jus nuspiam eâ voce utatur, aut nomine sponsalium.

120. *Alia objectio.* Sed contrà: secundùm Vasquezium, & Alios, non datur gratuita promissio Matrimonij; saltem ordinariè est onerosa; ergò hoc ipso quòd jus requirit promissionem futuri Matrimonij etiam postulat repromissionem.

Solutio. Respondetur: in casu præsenti ordinariè esse gratuitam, ut sup. ostensum est ex Sanchio; & ideò de ista meritò jus intelligitur; non quòd onerosa non sufficiat, sed quòd non requiratur; & ideò jus nunquam meminit repromissionis.

Dices: etiam non meminit acceptationis, & tamen hæc necessaria est, ut habet 2. pars Conclus. Prorsùs necessaria est: quia aliàs non erit vera promissio, seu datio fidei, ut sup. ostensum fuit, quæ tamen à jure expressissimè requiritur. 121. *Instantia.*

Enimverò verba cum effectu accipienda sunt, cap. *Relatum*, 4. de Cler. non resid. ibi: *Cùm igitur verba accipienda sint cum effectu* &c. Ergò verba illa cap. fin de Eo qui duxit &c. *Si fide præstitâ promisit adulteræ* &c. cum effectu sunt accipienda. At effectu carent & inania sunt, quando alter non acceptat. Unde & machinatio mortis, effectu carens, non producit hoc impedimentum, ut infrà videbimus. Sufficit tamen machinatio unius. *Diluitur.*

Planè inquis; sed hoc ideò, quia habet omninò eumdem effectum, scilicet mortem conjugis, quem habuisset machinatio utriusque; porrò in casu nostro simplex promissio non habet eumdem effectum, quem habuisset promissio & repromissio, ut manifestum est ex dictis: nam promissio & repromissio habent pro effectu duplicem obligationem, scilicet utriusque adulteri, cùm simplex tantùm obliget unum. Ergò non valet argumentum à machinatione unius, ad promissionem unius. 122. *Contrà arguitur.*

Respondeo negando Consequentiam. Fateor hanc esse disparitatem, sed argumentum à simili non requirit omnimodam paritatem. In eo autem consistit paritas, quòd sicut machinatio unius habet totum suum effectum, quem potest & debet habere; sic etiam promissio unius habet totum suum effectum, quem potest & debet habere. Neque enim hæc promissio alium potest obligare propter promittentem. Atque hæc paritas sufficit, ut argumentum istud valeat, nisi ex jure ostendatur, quòd requiratur obligatio ex parte utriusque. Hoc autem cùm ostendi non possit, manet vera nostra Conclusio. *Solvitur arg.*

Quid ergò, inquis, si alter eorum promittens Matrimonium intendat contractum onerosum? Nonne tunc saltem requiritur repromissio? Omninò. Et quid mirum? Talis namque promissio non obligat, nisi sequatur repromissio, defectu scilicet intentionis promittentis, qui non intendit se obligare, nisi alter vicissim se obliget. Hinc acceptans hujusmodi promissionem, censetur virtute repromittere. 123. *Quid si promittens Matr. intendat contractum onerosum? Tunc requiritur repromissio.*

Sicut si quis dicat, quando tractatur de Matrimonio contrahendo: *Accipio te in meam*, & fœmina respondeat: *Placet*, est Matrimonium. Ergò si verba sint de futuro: *Accipiam te in meam*, vel: *Promitto, quòd accipiam te in meam*; si fœmina acceptet promissionem dicendo: *Placet*, consetur repromittere, & erunt sponsalia. *Probatur à simili, ex Sanchez, & Perezio.*

Alias irrisoria esset acceptatio ac rem seriam in nugas transferret. Ut si quis promittat equum, certo pretio dato, tradendum, acceptans promissionem, censetur pretium repromittere, ne alioquin sit irrisoria acceptatio, acceptare scilicet illum

illum equum gratis tradendum. Hoc exemplo utitur Sanchez ſup. n. 26. & poſt ipſum & ex ipſo Perezius ſup. Sect. 5. n. 6.

124. *Probatio diſplicet Dicaſt.* At diſplicet Dicaſtilloni ſup. n. 640. ibi: Non acquieſco, quia doctrina vel non eſt vera, vel non ad rem. Si enim ſermo ſit de acceptatione ipſius promiſſionis, quâ unus alteri promittit, & alter acceptat promiſſionem, hæc acceptatio non eſt contractus, nec complet contractum propriè, id eſt, mutuum ex utraque parte, quod enim hic acceptatur non eſt objectum, quod eſſentialiter requirat mutuam ſeu reciprocam obligationem (qualis eſſet res promiſſa per talem promiſſionem, ſcilicet Matrimonium celebrandum) ſed acceptatur promiſſio ipſa, cujus acceptatio non involvit ex parte acceptantis repromiſſionem; quia acceptatio tantùm habet pro objecto propriè loquendo alterius promiſſionem, & conſequenter obligationem alterius ad ipſum; quod non eſt acceptare per modum contrahentis, ſed per modum admittentis alterius liberalem promiſſionem.

125. *Retorquet exemplum equi.* Sicut in exemplo illo equi; ſi Petrus velit ſe Ioanni obligare ad vendendum eidem equum, & Ioannes acceptet, illa acceptatio formaliter & præcisè non eſt per modum contractûs, nec ea acceptatio formaliter eſt contrahere; imò nec formaliter acceptat contractum, ſed promiſſionē contractûs, dum Petro dicenti: *Ego me obligo ad vendendum tibi equum pro centum aureis*, reſpondet Ioannes: *Accepto tuam obligationem*, aut, *verbum quod mihi dediſti*; non enim acceptat equum pro pretio, nec ſe obligat, aut ſuſcipit in ſe, quòd velit dare tale pretium pro tali equo; ſed ſignificat ſibi placere, quòd Petrus obligaverit ſe ipſi Ioanni, & hanc illius obligationem admittit.

Sic ergò in noſtro caſu acceptans alterius obligationem, ſignificat ſolùm ſibi placere, quod alter maneat ipſi obligatus ad dandum jus in corpus mutuum per Matrimonium; non verò ſe obligat ex parte ſua, ad tantumdem præſtandum. Si verò ſermo ſit de acceptatione, quâ acceptat alterius promiſſionem, ut propriè mutuam & ſponſalitiam, id eſt, ut correlativam & reciprocam, vera eſt doctrina, & per ſe nota, ſed non ad rem; de hac enim non eſt præſens dubium, nec poteſt eſſe controverſia, quòd ſit acceptatio ſimul involvens mutuam promiſſionem. Hactenùs Dicaſtillo.

126. *Acceptatio contractûs ſponſalitij eſt virtualis repromiſſio.* Ut ut ſit de illo exemplo, benè, an malè à ſuis Auctoribus adducatur; certum eſt, acceptationem conſenſûs, ſeu contractûs verè ſponſalitij, eſſe virtualem repromiſſionem; quoniam propriè dicta ſponſalia important promiſſionem & repromiſſionem; adeoque conſenſus ille oneroſus, ſeu contractus verè ſponſalitius involvit hanc conditionem: *Si repromiſeris*, ut ſenſus ſit: promitto tibi, ſive obligo me, ad tradendum corpus meum pro corpore tuo, ſi tu viciſſim te obliges, ad tradendum corpus tuum pro corpore meo. Quis autem non videt acceptantem hujuſmodi conſenſum ſeu obligationem, viciſſim ſe ipſum obligare ſeu repromittere?

127. Sicuti ſi dicat quis: *Vendo tibi equum pro tanto pretio*, & alter venditionem acceptet, cenſetur ſe obligaſſe ad pretium ſolvendum; ſub hac enim conditione, & non aliter voluit ſe venditor obligare. Venditio quippè eſt pactio mercis pro pretio, & emptio pactio pretij pro merce, Igitur eſt contractus reciprocus, & requirit repromiſſionem ſeu mutuum conſenſum. In quo diſtinguitur à liberali promiſſione v.g. promiſſione vendendi, quæ acceptari poteſt ſine repromiſſione emendi. *Probatur à ſimili.*

Sic ergò in noſtro caſu, aliud eſt contractus ſponſalitius, qui requirit reciprocum conſenſum in ipſum Matrimonium, ut ſuo loco declaratum fuit; aliud autem liberalis promiſſio Matrimonij futuri, quæ ſolùm petit conſenſum in ipſam promiſſionem, id eſt, acceptationem promiſſionis. Et talis promiſſio ordinariè hìc intervenit, ut ſup. diximus.

Veluti dum quis ad obtinendam copulam cum perſona ſoluta, promittit ei Matrimonium; quàmvis enim ipſa acceptet promiſſionem, nullus tamen judicat eam eſſe obligatam vi illius acceptationis per modum ſponſalium, ad contrahendum poſteà cum illo Matrimonium; ſed ipſe qui promiſit obligatur, non vi ſponſalium, ſed ſimplici promiſſione ad illam ducendam, ſi voluerit duci. *Aliud ſimile.*

Si autem à me quæratur: an taciturnitas in caſu noſtro ſit acceptatio promiſſionis. Reſponſio negativa eſt ultima pars Concluſionis, quidquid contradicat Coninck ſup. n. 58. exiſtimans, oppoſitum Concluſ. fortè eſſe probabiliùs. Benè dicit: *Fortè*; quia res planè incerta eſt, ut patebit ex argumentis pro & contrà. 128. *Taciturnitas hic non eſt acceptatio, contrà Coninck.*

Et fortè noſtra opinio probabilior eſt propter hanc rationem: Quia (inquit Sanchez ſup. n. 25. ubi eam docet) ea promiſſio, etiam liberaliter facta, eſt nociva acceptanti, cùm per eam incurrat delictum, & impedimentum dirimens. Quare licèt in alijs eventibus, in quibus id damnum non ſequitur, taciturnitas ſit ſufficiens acceptatio promiſſionis liberaliter factæ, ſecùs in hoc, propter rationem dictam. Hæc ille. *Probatur ex Sanchez.*

At verò Coninck: Cùm, inquit, adulteri ſe mutuò ament, cenſentur expetere mutuum Matrimonium; ideoque unus alteri hoc promittit, tamquam favorabile: in favorabilibus autem *Qui tacet conſentire videtur*, Reg. 43. de Reg. juris in 6. 129. *Arg. Coninck pro ſua opinione.*

Nec refert; quòd acceptatio ſit ijs damnoſa, eò quòd impediat Matrimonium; quia tales hoc aut neſciunt, aut non apprehendunt, aliàs non promitterent Matrimonium. Ita Coninck.

Reſpondet Sanchez ſup. hanc ignorantiam, utpotè quæ juris eſt, non præſumi, Reg. 13. de Reg. juris in 6. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* At proindè, cùm illa taciturnitas ſit ex ſola juris præſumptione conſenſûs, non reputabitur in hoc caſu, niſi aliud conſenſûs ſignum ſit. Hæc ille. *Reſp. Sanchez.*

Sed non acquieſcit Coninck; dicens; nihil referre, quid jura præſumant: quia illa tacitur- 130. *Impugnatur à Coninck.*

taciturnitas non debet judicibus esse signum consensûs, sed ipsi promittenti, qui hìc & nunc suam promissionem judicat favorabilem. Quare si alter eam promissionem verè interiùs acceptet valdè probabile est, ejus taciturnitatem esse signum consensûs: præsertim in fœminis, quæ sunt magìs pudibundæ, nec ita audent suum in talia consensum facilè exteriùs prodere. Et hoc satìs certum credo, quando illam promissionem paulò pòst subsequitur adulterium; quia pars tunc illâ promissione videtur omninò moveri, ut in hoc consentiat. Hactenùs Coninck.

131. *Dicast. reprobat rationem Coninck.*

Utraque opinio suos habet propugnatores & rationes probabiles, ita ut difficilè sit judicare, quæ sit probabilior. Dicastilloni sup. n. 636. nec sententia Conink placet, nec ratio: Quia, inquit, amare possunt se ad venerem, licèt non ad Matrimonium, ut sæpè contingit, quando duo fornicantur; maximè, quando aliæ rationes occurrunt, ut Matrimonium non placeat. Quid si sciat aliquis illorum, hoc ipsum esse impedimentum? Ita interrogat hic Auctor.

Certè non videtur, quomodo possit ei Matrimonium placere, quod acceptando fit ipsi moraliter impossibile. Unde si placeat, potiùs repellet promissionem, contentus quòd sciat inclinationem promittentis.

132. *Aversa eam retorquet in oppositum.*

Audi Aversam, rationem Coninck in oppositum retorquentem. Sup. §. *Quia demum* (ubi sequitur sententiam Sanchez) in fine sic ait: Quia inter eos adulteros, cæco amore raptos, atque adeò potiùs abundantes in expressione mutui amoris, dum alter invitatus ad futurum Matrimonium, tacet, se demonstrat recusantem, non acceptantem. Hæc ille.

Nec arbitror ego, fœminas, quas non pudet adulterari, non audere suum consensum in talia facilè exteriùs prodere.

Deindè: non negat Sanchez, taciturnitatem posse interdum esse signum consensûs; sed asserit solùm, non reputare consensum, nisi aliud consensûs signum sit: quando autem adulterium statim subsequitur promissionem, aut aliundè constat, mulierem nimis esse pudibundam; tunc non sola taciturnitas est signum; sed etiam adulterium, & nimius pudor.

133. *Explicatur Reg. juris: Qui tacet &c. ex Canisio.*

Quod attinet Reg. juris: *Qui tacet* &c. Hæc (inquit Canisius ibi) si nudè inspiciatur, defendi non potest: igitur ad certas species coarctanda est. Etenim multis casibus accidit, ut sciens & tacens non censeatur consentire. Quorum ea ratio est: quòd nemo in dubio præsumatur, taciturnitate suâ se obligare velle, vel aliter sibi obesse.

Itaque ut huic regulæ locus sit, necesse est in tacente, & conjecturam aliquam concurrere, quæ consensum suadeat: veluti est inter conjunctos: item cum de tacentis utilitate agitur, vel de favore Rei, qui absens constituit procuratorem, datis ad eum litteris. Nam hic sciens prudensque litteras recipiens, neque protestans, censetur tacitè in se suscipere defensionem Rei absentis. Quibus casibus tacens pro consentiente habetur. Ita Canisius.

Sed in his casibus non invenitur præsens casus, quo agitur de damno & non de utilitate tacentis; ergò eo tacens non habetur pro consentiente, sive sciat damnum ex consensu obventurum, sive id ignoret; etiam dum promittens putat, se rem favorabilem præstare; quia reverà favorabilis non est, & ab ipsius putare non pendet consensus alterius, qui si verè interiùs consentiret, & judicaret sibi rem favorabilem, cur eum consensum exteriùs non proderet? 134. *Non rectè applicatur nostro casui.*

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit, inquit Reg. 45. de Reg. juris in 6. Cùm ergò obscurum sit, quid tacens in hoc casu intendat, inspiciamus, quod est verisimilius, ac plerumque fieri consuevit. Quid illud? Verisimilius est, ac fieri consuevit, ut qui reverà intùs consentit, non taceat; sed signo magìs expresso suum consensum internum prodat. Igitur taciturnitas potiùs censeri debet repulsa promissionis, quàm acceptatio, ut sup. benè dixit Aversa. *Alia Reg. juris pro nostra sententia.*

Sed nunquid requiritur promissio jurata? Nunquid sufficit simplex promissio? Non sufficere, videtur persuaderi ex cap. 1. de Eo qui duxit &c. ibi: *Cui fidem dederat,* & cap. *Significasti,* eod ibi: *Sibi fidem dederit,* & cap. fin. eod. ibi: *Si quis uxore vivente fide datâ promisit.* 135. *Non sufficere hic simplicem promissionem, probatur ex diversis juribus.*

Ecce hi omnes textus manifestè petunt fidei dationem, & d. cap. fin. non contentum est solâ promissione, sed addidit: *Fide datâ promisit;* quod verbum superfluum esset, solâ promissione simplici sufficienti: cùm tamen verba Decreti Pontificij aliquid debeant operari, cap. *Si Papa,* 10. de Privil. in 6. ibi: *Cùm verba aliquid operari debeant.* Et l. 3. in princip. ibi: *Nec frustrà adjicitur: Conditione delatâ* ff. de Iurejur. Quod adeò verum est (inquit Sanchez lib. 3. disp. 26. n. 6.) ut non solum verbum & quælibet dictio non debeat esse sinè effectu aliquid operandi, sed etiam quælibet syllaba; ut benè docet Glossa cap. *Solitæ* verb. *Tanquam,* de Majoritate, & obed. & Alij. Ita Sanchez. Sanchez.

Sed, pace ejus, Glossa in libro quo ego utor, hoc non docet. Accipe ejus verba: *Et est hìc argumentum, quòd nulla dictio debet vacare in rescripto, alioqui frustra membranas occupat.* Ubi Sanchius legerit: *Syllaba,* nescio. Quid alij Auctores doceant, quos citat, non potui legere defectu librorum. Parum refert quàmvis hoc doceant. Saltem docet Glossa, quod nulla dictio possit esse superflua, quod sufficit ad intentum; quia hic esset aliqua dictio superflua, si ultrà promissionem non requireretur fides data, id est, juramentum. 136. *Nulla dictio in rescripto Papæ debet vacare.*

Enimverò Concilium antiquissimum Triburiense, unde desumptum est cap. *Relatum,* 31. q. 1. ubi hoc impedimentum decernitur, juramentum apposuit, ibi: *Et insuper mœchæ,* *Fidei datio & juramentum videntur in jure esse idem.*

mœcha, vivente viro, juramentum dedisse, ut &c. Ubi Gloss. verv. *Vivente*, ait: *Et ita ei vivente viro fidem dedit.* Unde pro eodem usurpare videtur, fidem dare, & jurare. Et quod hic Concil. Tribur. dixit, *Iuramentum dedisse*, videntur explicuisse Alex. III. Innoc. III. Gregor IX. textibus sup. allegatis ex tit. de Eo qui duxit, utentes hoc verbo, *Fidem dedit.*

137. *Probatur ex c. 3. de iis quæ vi.* Præterea: cap. *Ad aures*, 3. de iis quæ vi, juramentum & fides pro eodem usurpantur, ibi: *Nisi forte juramento, vel fide interpositâ sit confirmata.* Ubi Gloss. in positione casus in fine: *Nota*, inquit, *quòd renuntiatio ad terrorem laicorum non tenet: tamen si juramentum interveniisset vel fides data fuisset, cùm tale juramentum sine periculo animæ violari non possit, non debet præfici ex illa electione. Item juramentum & fides æquiparantur.*

Occurritur objectioni. Si dixeris ly *Vel*, significat distinctionem. Respondetur: ea sola differentia ibi constituitur, quòd juramentum appelletur, quando re sacrâ tactâ præstatur, fides verò interposita, quando per Deum vel fidem propriam, absque sacræ rei contactu juratur.

138. *Secundùm Panor. juramentum & fidei interpositio sunt diversa.* Verùm hæc distinctio non omnibus placet. Loquatur Panormitanus. d. cap. Tertiò, inquit, nota, quod juramentum & fidei interpositio diversa sunt. Sed quæro de differentia inter hæc. Solut. Dicit Innocentius, quòd juramentum est, cùm fit super libris, reliquijs, vel alia re sacra. Fidei præstatio est, cùm quis promittit aliquid per Deum vel fidem, & nil aliud hìc dicit Innoc.

Innoc. Rejicit distinctionem Innoc. Sed in contrarium facit cap. *Etsi Christus.* de Iurejur. ubi patet, quòd potest intervenire juramentum absque tactura alicujus rei sacræ vel alicujus scripturæ: nam ad esse juramenti non requiritur necessariò tactura alicujus rei, ut probatur ibi: Et ob hoc Do. Card. hic voluit dare aliam diffirentiam dicens, quod tunc est juramentum, cùm exprimitur verbum: *Iuro.* Si autem non exprimitur & promittitur aliquid per Deum, seu per fidem, tunc dicitur fidei præstatio; si autem non interponitur Deus vel fides, tunc dicitur simplex promissio.

139. *Vit etiam Do. Card.* Hæc differentia mihi ex toto non placet, & textus videtur in oppositum in cap. *Ego N.* & in d. cap. *Et si Christus*, de Iurejur. ubi patet, quod dicendo: *Sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Evangelia*, est juramentum; & tamen non exprimitur verbum: *Iuro.* Item habes multa exempla in d. cap. *Etsi Christus*, in quibus sine expressione hujus verbi: *Iuro*, inducitur juramentum. Et ideò dicerem, quòd juramentum & fidei præstatio habent se ut genus & species; quia omnis fidei præstatio est juramentum, sed non è converso: ubicumque enim adjicitur vinculum religionis simplici assertioni, potest dici juramentum. Hucusque Abbas.

In quo ipse ea distinguat.

140. *Omnis fidei præstatio est juramentum.* Quidquid sit de hac distinctione sufficit ad propositum, quod in jure æquiparentur fides præstita & juramentum quantumvis aliqua sit differentia; sive, satis est, quod omnis fidei præstatio sit juramentum. Unde Gloss. cap. *Constitutus*, 4. de Transact. verb. *Fide præstitâ*, inquit, *id est juramento.*

Et Gloss. fin. cap. 2. de Fide juss. verb. *Religionem fidei & juramenti*, ait: *Idem est venire contrà fidem promissam, sicut contrà juramentum ..... quia inter simplicem loquelam, & juramentum, non facit Deus differentiam, 22. q. 5. Iuramenti*, ibi: *Dominus inter juramentum, & loquelam nostram, nullum vult esse distantiam; quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum vult esse mendacium.*

Ubi Gloss. verb. *Distantiam*, scitè dixit: *Quantùm ad hoc, tùm mortaliter peccat, qui simpliciter dicit falsum; sicut qui sub juramento dicit falsum, magis tamen peccat pejerando, quàm mentiendo.*

Alioqui, si nulla foret distantia inter juramentum, & simplicem loquelam, cur non sufficeret simplex promissio ad impedimentum criminis? Nam jurata sufficit secundùm Omnes.

141. *Sanchez docet, non esse hìc necessarium juramentum.* Cæterùm etiam non juratam, imò simplicem omninò promissionem, nullâ fide interpositâ, hoc impedimentum inducere, nonobstantibus juribus ex adverso adductis docet Sanchez sup. n. 29. & alij complures, quos citat.

Probat 1. Et probatur primò: quia (secundùm Abbatem cap. 1. de Sponsa duorum, n. 2.) omnis pactio quantumcumque simpliciter potest appellari fides. Unde veniens contrà promissionem dicitur venire contrà fidem, per eum præstitam, & sic capitur in l. 1. ff. de Constit. pecun. in principio: *Hoc edicto prætor favet naturali æquitati qui constituta ex consensu facta custodit: quoniam grave est, fidem fallere.*

142. *Fidem fallit, qui non custodit promissum.* Ubi Gloss. in positione casus: *Dicitur quòd hoc edictum æquitatem habet: quia naturalis æquitas suadet, ut ea, quæ quis promittit ex proprio consensu, ea adimpleat, quia grave est &c.* ergò fidem fallit, qui non custodit ea, quæ quis promisit ex proprio consensu.

Ergò fides hìc accipitur pro qualibet promissione ex proprio consensu. Utì etiam l. 1. ff. de Pactis in principio: *Hujus edicti æquitas naturalis est. Quid est tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare?*

Qualiter promissio possit appellari fides, ex Abbate. Et potest promissio (prosequitur Abbas sup.) appellari fides adinstar religionis fidei: quia sicut ibi credimus, quòd non videmus, ità in promissione credo te facturum, quod promisisti, licèt non videam. Unde dicitur fides, quia fiet, vel à firmitate. Ita Panormitanus. Constat ergò ex d. juribus simplicem promissionem posse appellari fidem, & subindè sic appellari.

143. *Secunda probatio sententiæ Sanchez.* Veriùs etiam est (eritque secunda probatio) fidei propriæ interpositionem, non esse juramentum. Dico: *Propriæ*; quia secùs dicendum de interpositione fidei Divinæ. Appositè Covar. cap. *Quamvis pactum*, part. 1. §. 2. n. 2. alias 4. Fides, inquit, juxtà duplicem sensum hâc in parte conventionibus accedere poterit. Aut etenim assumitur pro fide humana, quam etiam Gentiles, Turci, ac Saraceni servare tenentur jure naturali gentium: item pro fide nobilitatis, quæ eam significat fidem quam nobiles præ cæteris,

Alia est fides humana, quæ non

Inducit juramentum. juxtà Covar.

teris, in humanis conventionibus præstare solent & debent. Et profectò in his casibus promissio vel assertio facta sub mentione fidei, per fidem, inquam, non inducit juramentum : nec vim aut religionem ejus habet quoad perjurium, nec quoad alios juris effectus.

Cujus conclusionis ea est irrefragabilis ratio ; quod juramenti propria natura verè exigat id per Deum vel rem sacram præstari. Idcircò quoties fides humana expressim conventionibus accesserit, nihil ibidem sacrum in testimonium adducitur eaque ex causa nullum ad est pactis eisdem juramentum. Sic equidem procedit, & intelligenda est ea sententia, quæ dictat, fidei interessionem conventionibus accedentem, non efficere juramentum, nec ejus vim aut religionem habere.

144. *Alia divina, quæ inducit.*

Quandoque verò fides in pactis & conventionibus intervenit in eo sensu, quo pro virtute Theologica assumitur : & tunc juramentum, ejusque veros effectus inducit. Quia ut res sacra in testimonium adducitur ; atque ideò juramentum propriè dicetur, si quis per fidem Christiani aut per fidem Christi aliquid asseveraverit, aut servare promiserit. Ita Covar.

An jura sup. adducta possint intelligi de fide humana.

Sed nunquid, quæro ego, quando jura superiùs adducta, videntur in casu nostro requirere fidem præstitam, intelligenda sunt de fide Divina ? Quidni possint intelligi de fide propria sive humana ? An fortè, quia in cap. *Relatum*, exprimitur juramentum ? Ibi narratur species facti, in quo intervenerat verum juramentum, in alijs autem juribus ad summum, præter promissionem, requiritur fides præstita, quæ propriè accipi potest pro fide humana. Ergò tametsi concederem, hanc fidem fore necessariam, adhuc subsisteret mea Conclusio, quæ tantùm negat, promissionem juratam esse necessariam.

145. *Non videtur sufficere simplex promissio secundùm Scotum.*

Et sanè Doctor subtilis 4. dist. 35. q. un. n. 8. in fine, inclinat in eam sententiam, quæ docet, simplicem promissionem non sufficere : sic enim ait : *Ex eod. cap.* Cùm apud, *De Sponsal.* *potest concludi, quòd simplex promissio non æquivalet alicui illorum trium enumeratorum in tertio membro : nec igitur nuda sponsalia.*

Sed quomodò, inquis, Scotus hoc concludit ex d. cap. Respondeo : ex illis verbis : *Ad quod taliter respondemus, quòd cùm prohibitorium sit edictum, de Matrimonio non contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur* &c. ille qui simpliciter promisit, non prohibetur ; ergò per consequentiam admitti debet.

Quid sit promissio simplex. & quid vestita, ex Hiq.

Hiquæus in suo comment. n. 15. sic scribit : Promissio simplex intelligitur, quando quis non interponit propriam fidem, dicendo : *Per fidem meam* ; dicitur vestita & vallata seu confirmata, ut distinguitur à promissione simplici, quando interponitur fides. Fides jurata dicitur, quando interventu rei sacræ, & facto juramento confirmatur promissio.

146. *Probatur ex eod. esse necessariam promissio.*

Dicit ergò Doctor, requiri promissionem vallatam aut vestitam, ad incurrendum impedimentum ; quia Canones, ex quibus est impedimentum, cùm sint pœnales, strictissimè intelligendi sunt, & secundùm verborum proprietatem ; neque extendenda est in odiosis eorum sententia. Sed fides interposita non æquivalet simplici promissioni in jure sicut neque promissioni juratæ. Ergò in his Canonibus, qui requirunt fidei dationem, aut juramentum, non venit intelligenda. Ita Hiquæus. Et probat subsumptum, ex Canonibus à nobis sup. pro illa sententia allegatis. *nem vestitam.*

Ad primam autem probationem pro opposita sententia Sanchij, respondet : promissionem in pactis non dici fidem, nisi lato modo, non autem stricto modo. *Resp. ad rationes Sanchij.*

Ad secundam rationem, dicit : quòd contrarium constat ex Canonibus, Glossis, & Iurisperitis citatis ; & quidquid sit de alijs, hic, inquit, dicendum est, sumi pro juramento, hoc est, ut inducit differentem obligationem à nuda promissione ; quia Canon antiquus, qui utitur nomine juramenti, non est immutatus ; & alij Canones substituunt appellationem fidei datæ juxtà antiquas constitutiones : nam cap. *Cùm haberet*, de Eo qui duxit &c. primò utitur appellatione fidei præstitæ, & secundò appellatione juramenti : *Hìc*, inquit, *plus processum fuit, quam si fides præstita dumtaxat fuisset adulteræ.* Et infrà : *Quod*, inquit, *connubium, ubi etiam nulla intercesit Religio juramenti* &c. Hæc ille.

147. *An cap. 5. de Eo qui duxit &c. concidat juramentum cum fide præstita.*

Verùm enimverò, si hic Auctor verba illa penitiùs introspexisset, sciviset utique, juramentum hìc nullatenùs coincidere cum fide præstita. Quippè loquitur Pontifex de fide præstita ducendi adulteram, post mortem legitimæ uxoris : nunquid etiam de juramento eam ducendi ? Minimè. De quo ergò ? Consule Gloss. verb. *Iuramenti*, & dicet tibi : *Iuramentum istud, quod fecit iste, ut ei ulteriùs non adhæreret, non sufficit, quòd eam habere non posit : quia idem esset, si eam abjuraßet, cùm aliud subsit impedimentum, ut patet per hanc litteram, unde supple, Maximè.* Loquitur igitur de juramento ulteriùs non adherendi adulteræ.

Ecce verba textûs : *Nosti enim, quòd Leo Papa statuit, ut nullus ducat in Matrimonium, quam adulterio polluit : & quòd hìc plus processum fuit, quam si fides præstita dumtaxat fuisset adulteræ, ut, defunctâ legitimâ, eam duceret in uxorem, cum eâdem etiam prima vivente, quasi matrimonialiter mœchæ mœchus adhærere præsumpsit, & Sacramentum suum* (id est, juramentum, quo abjuraverat adulteram, ut patet ex principio cap.) *temerè violavit : quod utique connubium (ubi etiam nulla intercesit religio juramenti) tam Gregor. Papa quam Tribur. Synodus detestatur.*

Id est, ut Gloss. ait in positione casus : *Etsi etiam juramentum non interveniisset* (scilicet ulteriùs non adhærendi adulteræ) *tam Gregor. quam Tribur. Synodus tale connubium detestatur.*

148. *Ostenditur quòd non.*

Addo initium cap. ut res fiat clarissima : *Cùm haberet uxorem legitimam A. nomine, I. lator præsentium cum M. adulterium perpetravit. Cumq, super hoc fuisset in jus vocatus, abjuravit adulteram, & postmodùm juramento contempto, vivente legitimâ,*

cùm

cum ea Matrimonium contrahere, & ipſi diu cohabitare præſumpſit. Quis jam non videt, ſi tamen habeat oculos apertos ad videndum, fidem præſtitam in hoc cap. non appellari juramentum ? Igitur argumentum, quod Hiquæus ſup. ex eo deſumpſit, nullîus eſt momenti ; nec impugnat, minùs expugnat ſecundam probationem Sanchij.

149. *Sententia Sanchez probatur 3.* Tertia autem probatio eſt ; quia qualitercumque promittatur Matrimonium, militat eadem ratio, quâ Eccleſia ducta, hoc impedimentum indixit, nimirum periculum interficiendi conjugis, ſpe ineundi Matrimonij.

Reſp. ad contraria. Nec obſtant, inquit, in contrarium adducta : quòd Pontifices non innitantur fideidationi ; ſed quia inter adulteros ſolent verba multiplicari, fideſque interponi, ac jusjurandum, ideò ſic propoſuerunt hoc impedimentum.

150. *Oppugnatur ab Hiqueo.* Reſpondetur (inquit Hiquæus ſup. n. 18.) fidem interpoſitam aut juramentum habere diverſum effectum ; unde multi contractus nulli ex ſola promiſſione non tenent, quàmvis ſi addatur juramentum, obligent jurantem ad factum, donec relaxetur. Unde ſicut in his eſt majus vinculum, ita etiam magis ex natura ſua ſollicitant ad machinationem mortis innocentis conjugis, ad quam ſimplex promiſſio ita ſollicitat.

Ex alia parte, jura comprehendunt illud, quod frequenter accidit & magis ſollicitat proximè ad effectum machinandi mortem, & continuandi adulterium, & ſic comprehendunt fidem datam, ſive juramentum, & non ſimplicem promiſſionem, ex qua non reſultat major penè efficacia ad machinationem, quàm ex ſpe Matrimonij futuri, nullâ interpoſitâ promiſſione, quam tamen non comprehendunt jura, licèt ſit aut eſſe poſſit hìc & nunc cauſa machinationis ; quia & ipſum adulterium magis ſollicitat ad effectum machinationis, quàm ſimplex promiſſio, & tamen non inducit ſe ſolo impedimentum. Iura ergò intendunt illud, quod ſtrictiorem obligationem ex natura ſua inducit, & proximam, quæ induci poſſet, niſi eſſet impedimentum obſtans, & ideò ſtrictè loquuntur. Hæc ille.

151. *Negat ſimplicem promiſſionem comprehendi ratione Canonum.* Negat ergò hic Auctor, ſimplicem promiſſionem inducere effectum machinationis, aut ad eam extendi rationem Canonum, quæ nec in re æquivalens eſt fidei datæ, aut juramento, quantùm ad firmitatem, neque comprehenditur ratione Canonum ; quia non eſt cauſa proxima machinationis, ſed omninò remota.

Unde, inquit, ſi quæ dicat, non interveniente pacto aut promiſſione de futuro : *Per fidem meam*, aut, *Iuro &c. quòd te ducerem, niſi jam eſſem alteri ligata*, non inducit impedimentum, interveniente etiam adulterio, quàmvis alter ſimilia verba & juramentum reciprocè addat. Cæterùm hoc magis, ex natura actûs, ſollicitat ad machinationem, quàm ſimplex promiſſio de futuro.

152. *Quid comprehendatur, ex eod.* Non omnia ergò, ex quibus poteſt eſſe periculum ſollicitationis, prohibentur his Canonibus ; ſed illud quod proximè, & quaſi ordinatiè ad majorem confirmationem pacti intervenit ; quia ſimplex promiſſio, cùm non inducat obligationem ullam quaſi contractus in opinione adulterorum, & habeatur magis pro lenocinio, quàm pro contractu obligante ; ideò addunt firmitatem juramenti & fidei datæ, quo magis ſibi obligentur. Ita Hiquæus.

Et actutùm ſubdit : Qui voluerit tenere oppoſitum hujus, dicat Doctorem eſſe problematicum, & facilis erit reſponſio ex dictis.

153. *Scotus in hac q. eſt problematicus.* Porrò Doctorem eſſe problematicum, colligitur ex his ejus verbis : *Poteſt concludi* ; quæ non ſunt omninò aſſertiva apud Scotum ; ut patet ex alijs pluribus locis. Atque ut eſſent aſſertiva, equidem non requirunt juramentum ; ſed ad ſummum dationem propriæ fidei, quæ non eſt juramentum, ut patet ex antedictis.

Reſp. ad argumenta Hiquei. Facilis autem eſt reſponſio ; ut putà, jura intendere illud, quod obligationem ex natura ſua inducit, niſi eſſet impedimentum obſtans ; & ſtrictè quidem loqui, ſed tamen propriè ; & ideò non omne, quod ſollicitat ad machinationem, etiam magis, quàm ſimplex promiſſio, inducere hoc impedimentum ; ſed illud ſolùm, quod eſt vera & propriè dicta promiſſio, id eſt, obligatio ſeu datio fidei ſuæ de Matrimonio contrahendo.

154. *Quare jura utantur nomine dationis fidei.* Et hinc jura utuntur nomine *dationis fidei*, ut ſcilicet oſtendant, ſe requirere veram promiſſionem, & non ſufficere propoſitum, ſeu velleitatem quamdam, ducendi adulteram, quod propoſitum aliquando ſignificatur voce *promiſſionis* ; ſic frequenter dicitur inter homines : *Ego promitto me facturum, quidquid jusſeris*, ut affectum ſuum & animi promptitudinem ad alteri placendum, teſtentur ; non autem, ut ſe illis obligent.

Ut ergò jura ſignificarent, talem promiſſionem non ſufficere, requirunt dationem fidei ; & cap. fin. de Eo qui duxit : *Si quis* (inquit Gregor IX) *uxore vivente, fide datâ promiſit*, ne ſi omiſiſſet ly *Fide datâ*, aliquis cogitaſſet, ſufficere animi promptitudinem, quæ ſubindè, ut mox dixi, per ly *Promitto*, exprimitur. Quare ly *Fide datâ*, non eſt ſuperfluum, eſtò ſimplex promiſſio ſufficeret.

155. *Iuramentum hic non obligat, ubi promiſſio non obligaret.* Quod verò ait Hiquæus, juramentum habere diverſum effectum, & ſubindè obligare, ubi ſimplex promiſſio non obligaret, fateor : ſed dico, in caſu præſenti non obligare, ubi non obligaret ipſa promiſſio ; quàmvis firmiùs obligaret, & per conſequens magis ſollicitaret ad machinationem mortis. Sed undè conſtat, quòd jura comprehendant illud ſolum, quod magis ſollicitat, & quod ſtrictiorem obligationem ex natura ſua inducit, & proximam quæ induci poſſet ? An quia hoc impedimentum pœnale eſt, & ideò reſtringendum ?

Eo fundamento nos uſi ſumus Concluſ. præced. & probavimus, non ſufficere promiſſionem conditionatam ; quòd hæc non ſit ſimpliciter promiſſio, ſed tantùm cum addito, conditionata.

At verò promissio non jurata est simpliciter promissio, sinè aliquo addito, atque simpliciter obligatio, seu præstatio fidei. Iam autem neque lex, neque privilegium, ultrà naturalem & civilem proprietatem verborum (nisi ad absurdum evitandum) ampliari debet aut restringi: inter eam tamen odia restringi, & favores convenit ampliari.

156. *Potestas dispensandi in juramento non extenditur ad legem.*

Hinc potestas delegata dispensandi in lege, quàmvis extendatur ad legem juratam, quia juramentum est accessorium legis juratæ; non tamen è converso, potestas dispensandi in juramento, ad legem ejusdem materiæ; quia lex non est accessorium juramenti, atque adeò non tollitur, sublato juramento; neque sub ulla propria significatione vocis juramenti, comprehenditur, cùm sint vicula diversæ omninò speciei; per juramentum quippè homo obligatur Deo, ne eum constituat testem falsi; per legem autem obligatur immediatè homini, ad faciendum, quod lex præcipit, quæ sunt planè diversæ obligationes; una enim est immediatè obligatio juris naturalis; altera verò juris humani.

Ergò consimiliter in casu nostro, promissio seu præstatio fidei non debet restringi ad juramentum seu promissionem juratam, cùm sint obligationes diversæ omninò speciei; una quidem obligatio fidelitatis, vel etiam justitiæ; altera autem Religionis.

157. *Sanchez allegat pro se consuetudinem.*

Cæterùm Sanchez sup. sic ait: Etsi ex rigore verborum textuum videatur non sufficiens simplex & unda promissio, ad hoc impedimentum inducendum: at attentâ illorum ratione, videtur sufficiens: eo vel maximè, quod sic explicuerit consuetudo, & communis ferè omnium Doctorum sententia. Hæc ille.

Sequitur Aversa.

Quem sequitur Aversa sup. §. *Promissionem hanc*, dicens: Communiter & rectè Doctores fatentur, id non requiri (scilicet promissionem juratam) sed sufficere simplicem promissionem. Siquidem nec ad Matrimonium ipsum, nec ad sponsalia requiritur aliud, quàm simplex expressio consensûs, aut promissionis.

Et verba sacrorum Canonum non plus demonstrant; nomine enim *Fidei* intelligitur ipsa promissio: & dum in aliquo casu narratur intercessisse juramentum, non per hoc dicitur, requiri in omni casu. Sed idem erit dicere *Promitto, Spondeo*, ac, *do tibi fidem*, sive, *promitto sub fide mea*. Imò notant aliqui, nec etiam esse necessarium dicere *Promitto*, sed sufficere, etiamsi quis dicat: *Accipiam, ducam te in conjugem*, aliove modo æquivalenti: Ita dictus Auctor.

158. *An ad promissionem hìc requirantur verba propriè dicta.*

Sed neque verba propriè dicta sunt necessaria; sufficit si interna promissio exteriùs proferatur scripto, nutibus, aut alijs signis; sicut & circà modum contrahendi Matrimonium, ac sponsalia suis locis notavimus.

Potest fieri per alium.

Perindè etiam est, sive per se, sive per procuratorem promittat vel accepter promissionem futuri Matrimonij; arg. Reg. 72. de Reg. juris in 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*; & Reg. 68. eod. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*. Imò sufficit, si factum suo nomine, posteà ratificet. Nam ut habet Reg. 10. eod. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.*

An sufficiat invalida.

Nunquid etiam sufficit promissio invalida aliundè, quàm ex impedimento criminis; aut Matrimonium aliundè invalidum, quàm ex impedimento ligaminis? v. g. adulter & adultera sunt consanguinei in gradu prohibito, promittunt sibi invicem Matrimonium contrahendum, aut de præsenti contrahunt Matrimonium. Putas, quòd incurrerint impedimentum criminis?

159. *Sanchez putat sufficere Matr. clandestinum.*

Sanchez sup. n. 8. existimat, sufficere Matrimonium clandestinum, quàmvis sit prorsùs irritum, ac vi etiam sponsalium destitutum. Non enim, inquit, ponderatur valor Matrimonij, aut sponsalium, quo impedimentum hoc consurgat: immò Matrimonium illud semper est irritum, impediente altero conjugio, tunc durante: nec promissio illa valet. Hæc ille.

Oppositum tenet Dicast.

Nihilominùs (inquit Dicastillo sup. n. 635.) non videtur mihi improbabile oppositum. Nam quòd adulterium cum Matrimonio, inter adulteros inito, dirimat Matrimonium, pœna est, atque adeò restringenda; maximè cùm in jure, ad hoc impedimentum inducendum, tantùm fiat mentio Matrimonij, quod ad suum valorem non habet alium defectum, quàm quòd alter conjux vivat.

Prætereà: solum Matrimonium, quod aliàs non vivente conjuge valeret, censetur, ordinariè loquendo, præbere occasionem occidendi conjugem, atque hoc inconveniens est, quod Ecclesia per tale impedimentum vitare contendit. Ita Dicastillo.

160. *Iudicium Auctoris.*

Ego dico: Ecclesia illam promissionem, & illud Matrimonium voluit prohibere, & constituere impedimentum dirimens, quæ vel quod poterat dare spem vel præsentis Matrimonij continuandi, vel futuri de novo contrahendi post mortem conjugis, si tale impedimentum non induxisset; quia illud solùm censetur præbere occasionem conjugem occidendi. Ut quid enim occideretur conjux, si post occisionem non valet Matrimonium initum, aut ineundum? Nunquid ideò hoc impedimentum inductum est, ut non sit spes Matrimonij, etiam conjuge occiso, & sic evitetur occisio?

161. *Doctrina Coninck de Matr. clandestino.*

Quantùm ad Matrimonium clandestinum, Multi putant illud habere vim sponsalium, seu promissionis futuri Matrimonij, & ideò scitè dixit Coninck sup. n. 65. Demum Nota sufficere, ut adulter ineat cum adultera Matrimonium clandestinum. Nec enim requiritur, ut validum ineat, cùm id fieri non possit: præsertim cùm dixerimus disp. 21. tale Matrimonium habere vim sponsalium. Hæc ille.

Scitè, inquam, dixit: *Præsertim* &c. Alioqui si tale Matrimonium non haberet vim sponsalium, magis dubitari posset, an sufficeret, ut patet ex Dicast. sup. Interim aliqua differentia est inter impedimentum clandestineitatis, & consanguinitatis, aliaque similia, quòd primum facilè possit tolli ab ipsis contrahentibus; posterioris

rioris autem ſublatio, pendeat ex voluntate aliorum; & ſic major ſpes eſt futuri Matrimonij in uno caſu, quàm in alio; & per conſequens major occaſio occidendi conjugem, ſeu machinandi ejus mortem; de qua utique machinatione ſequitur hìc agendum, & Dico quintò:

CONCLUSIO V.

Machinatio utriusque in mortem conjugis, ex intentione poſteà ſic contrahendi, effectu ſecuto, dirimit Matrimonium. Sufficit intentio interna.

162. *Probatur prior pars Concluſ. ex c. 1. de Conver. infid.*

Reſcriptum eſt à ſummo Pontifice Cæleſtino III. cap. 1. de Converſ. infidel. *Laudabilem*: Et infrà: *Interrogaſti de Sarracenis, qui dum in captivitate eſſent, quarumdam Chriſtianarum viros, earum inſidijs & machinationibus occiderunt, utrùm, quia poſtea per ipſas ad fidem Chriſtianam converſi ſunt, eas de jure poſſint accipere in uxores: vel ſi duxerint, conjugium teneat eorumdem. Hìc Tribuenſis Concilij regula contenti ſumus, aſſerentis, quòd ſi in mortem ipſorum malitiosè fuerint machinatæ, licèt earum ſtudio ad fidem acceſſerint, tamen nec eis adhærere debent, nec ſunt ſi adhæſerint, etiam tolerandi, cùm tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit.*

Eam docet Scotus.

Quem utique textum expendens Doct. Subtilis 4. diſt. 35. q. un. n. 7. eique ſubſcribens: ait: *Tertiò dico, quòd ſive primum* (adulterium) *concurrat cum ſecundo* (machinatione mortis) *ſive tertio* (promiſſione aut contractu Matrimonij) *& impedit, & dirimit, ſicut patet extrà de Converſ. infidel.* Laudabilem: *imò ſolùm ſecundum videtur impedire ex illo cap. Et loquitur ibi de Sarracenis, qui dum eſſent in captivitate, quarumdam Chriſtianarum viros, ſuis inſidijs & machinationibus occiderunt, & ſententiat Eccleſia, quòd ſi poſt per ipſas ad fidem Chriſtianam acceſſerint, & cùm eis adhæſerint, ſupple, in Matrimonio, non ſunt tolerandi, cùm tale damnum tali lucro Eccleſia compenſare non velit.*

163. *An ſufficiat ſola machinatio.*

Hìc non tangitur de adulterio Sarraceni cum Chriſtiana, nec de fidei datione, ſed tantùm de machinatione in mortem legitimi viri, & adhuc conſcia uxore: Nec Gloſſa addit ibi ad caſum iſtum fidei dationem, vel adulterium, ſed iſta machinatio debet intelligi cum effectu, ut ſimul ſit affectus & effectus, ſicut Gloſſa ſuper illa, verbo, Procuraverunt.

In quibus verbis explicitè docet noſtram Concluſionem exceptâ illâ particulâ. *Ex intentione poſteà ſimul contrahendi*, de qua infrà latiùs agemus. Nunc expendamus alias partes Concluſionis.

164. *Perindè eſt ſive vir. ſive mulier occidatur, ſive à muliere, ſive à viro.*

Dicitur in primis: *Machinatio utriuſque*, id eſt, viri ac mulieris, qui intendunt ſimul contrahere Matrimonium. Additur: *In mortem conjugis*, viri aut mulieris. Perindè quippè eſt ad hoc impedimentum, ſive vir occidatur ſive mulier, perindè eſt vir uxorem occidat, aut uxor virum; nam de utrâque occiſione jura loquuntur.

De occiſione uxoris nullus dubitat, & patet ex textibus ſuprà non ſemel relatis. Negant aliqui ſufficere occaſionem viri, eò quòd non ſit tam frequens, quòd uxor occidat proprium virum, quàm quod vir occidat propriam uxorem, propter quam rationem docet Sanchez lib. 7. diſp. 16. n. 6. uxoricidium eſſe impedimentum impediens Matrimonium, ſecùs viricidium.

165. *Probatur ex jure.* Sanchez.

Nihilominùs idem Auctor eod. lib. diſp. 78. n. 8. oppoſitum tenet de impedimento criminis dirimente; tum propter d. cap. *Laudabilem*, ubi ſermo eſt de uxoribus, quæ, medijs Sarracenis, proprios viros occiderant; tum etiam propter cap. 5. *Si quis vivente*, 31. q. 1. ibi: *Niſi fortè vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur.*

Ubi Gloſſ. in poſitione caſûs: *Quidam uxorem alterius eo vivente cognovit, viro poſteà defuncto, duxit eam in uxorem. Dicitur hìc, ut pœnitentiam agat, & retineat, niſi ille vel illa, illum occidiſſe notetur* &c. Ergò ſufficit, uxorem occidiſſe proprium virum. Ergò, ut ſup. dixi, nihil refert ad hoc impedimentum dirimens incurrendum, ſive vir uxorem, ſive uxor virum perimat, gratiâ migrandi ad alterum Matrimonium, jure ſic ſtatuente.

166. *An requiratur ut occidens ſit infidelis.*

Sed nunquid requiritur, ut occidens ſit Sarracenus aut alius infidelis; nam de illo ſolo loquitur d. cap. *Laudabilem*, & quàmvis alij textus etiam de fidelibus loquantur; equidem non de ſola machinatione, de qua hìc tractamus.

Negat Abbas.

Abbas, hìc n. 4. ait: Tertiò nota, quod dixi in Summario, ut non reſtringat diſpoſitionem hujus cap. ad Sarracenos: nam eadem eſt ratio, & fortior inter fideles; quia cùm iſtud impedimentum proveniat ex delicto atroci, majus eſt delictum inter fideles, quàm ſi infidelis occidat infidelem: ſed dubitatur magìs de Sarracenis ſeu infidelibus, propter lucrum indè proveniens, cùm eſſent reverſi poſtmodum ad fidem. Sed nihilominùs etiam in eis diſponitur contrarium. Hæc ille.

Quinimò multum negotij (inquit Sanchez ſup. n. 3.) faceſſit Doctoribus dictum cap. 1. in explicando, qualiter potuerit Eccleſia infidelibus hoc impedimentum indicere in pœnam delicti, tempore infidelitatis admiſſi: & qualiter ea pœna non extinguatur per Baptiſmum, qui omninò præterita delicta abolet.

167. *Quomodo Eccleſia potuerit hoc impedimentum indicere infidelibus.*

Primò dicunt, id impedimentum commune eſſe infideli & fideli, mortem conjugis machinantibus, quare etſi ceſſet per Baptiſmum ex parte infidelis, manet ex parte fidelis. Secundò dicunt: deleri per Baptiſmum peccata, ac ipſorum pœnas, non tamen impedimenta.

Verùm neutra ſolutio difficultatem exhaurit: non enim explicat qualiter Eccleſia pœnam hanc infidelibus à ſua juriſdictione exemptis, ſtatuere potuerit; & ſupponit illis ſtatutam eſſe, & ſolùm declarat, qualiter per Baptiſmum extincta non ſit.

Et

Resp. Sanchez.

Et ideò respondeo : infideli eam pœnam indictam non esse, nec indici potuisse ab Ecclesia, sed soli fideli, ut perpetuò nequeat cum illo infideli, quantumcumque ad fidem converso, Matrimonium contrahere. Sicut hodie ex Ecclesiæ præscripto irritum est Matrimonium fidelis cum infideli, non ob impedimentum infidelis ; sed quòd fideles eo impedimento Ecclesiastico afficiatur. Ita Sanchez. Et sanè hæc ratio (inquit Aversa q. 18. sect. 5. §. *Sed quâ*) prorsùs sufficiens & opportunum est, ad id sustinendum.

Consentit Aversa.

168. *Quid si uterque sit infid. his temporc machinationis.*

Quid ergò, inquis, si duo infideles ipso infidelitatis tempore perficiant crimen machinationis adversùs alterutrius conjugem, & post hoc nondum contracto inter se Matrimonio veniant ad fidem, & baptizentur, num dici poterit, eos adstringi hoc impedimento, ita ut contrahere non valeant ? Partem negantem existimat probabiliorem esse Pontius lib. 7. c. 45. n. 6. cùm, inquit, hoc non impediat ex natura rei, sed tantùm ex lege Ecclesiastica, infideles autem non tenentur legibus Ecclesiæ.

Posse contrahere post Baptismum, docet Pontius.

Negat Aversa.

Oppositum tamquam probabile amplectitur Aversa sup. §. *Quintò demum*. Et hoc, inquit, indicabant illi Auctores, qui circà Canonem illum, declarantem hoc impedimentum inter infidelem & fidelem, rationem reddebant, etiam quoad ipsos infideles, ut subdantur ordinationibus Ecclesiæ pro eo tempore, quo veniunt ad fidem, & per Baptismum non exolvantur impedimentis & inhabilitatibus, sicut culpis & pœnis. Facit quoque exemplum affinitatis, ac publicæ honestatis, supponendo impedire, etiam infideles postquam ad fidem venerint.

169. *Occurritur objectioni.*

Et quamvis eo Canone sermo solùm sit de crimine inter Infidelem & fidelem : non per hoc excluditur crimen patratum inter ambos infideles venientes ad fidem. Quinimò Pontifex ibi non tam loquitur quasi novum jus condens, quàm potiùs ut declarans, quod jam anteà jussum esse supponit. Respondet enim servandam esse regulam Concilij Triburiensis, quæ est illa relata cap. *Si quis vivente*, 31. q. 1. ubi absque discrimine & exceptione ponebatur id impedimentum ex crimine machinationis.

Interrogatus autem fuit Pontifex ; an fortè in eo casu, quo vir Sarracenus, opera & studio mulieris Christianæ, convertebatur ad fidem, posset cum illa contrahere, quasi per hoc, purgatus machinationis crimine, ac deleto impedimento, & adhuc declarat non posse : Cùm, inquit, *tale dammum tali lucro Ecclesia compensare non velit.*

170. *Ecclesia potuit sic statuere.*

Probatur.

At sinè dubio poterat Ecclesia sic statuere, ut ex crimine patrato inter ipsos infideles, tempore infidelitatis, resultaret tale impedimentum & inhabilitas post eorum conversionem ad fidem, ut inter se contrahere non valerent. Quia licèt non possit eos punire ob præterita delicta : tamen potest requirere certas conditiones in personis Matrimonium contracturis. Et sicut requisivit, ne personæ essent tali vel tali vinculo conjunctæ ; ita requirere potuit, ne essent tali vel tali crimine implicatæ. Hactenùs Aversa.

171. *Contrà arguit Auctor.*

Dico ego : Ecclesiam multa potuisse facere, quæ non fecit ; atque adeò probandum superesse, Ecclesiam requisivisse, ne personæ contrahentes essent tali vel tali crimine implicatæ. Atque ut requisivisset, per Baptismum, ut sup. ait Aversa, infideles exolvuntur culpis & pœnis ; ergò etiam illis impedimentis, quæ sunt pœnæ pro delictis inflictæ ; quia, ut concedit Aversa, Ecclesia non potest eos punire ob præterita delicta, sed impedimentum machinationis est pœna, saltem secundariò, pro delicto imposita ; ergò non oritur ex machinatione inter duos infideles, venientes ad fidem ; sic enim Ecclesia puniret delictum præteritum infidelium, quod non subest ejus jurisdictioni.

172. *Disparitas inter affinitatem & hoc impedimentum.*

Ex quo patet magna disparitas inter hoc impedimentum, & affinitatem ac publicam honestatem, quæ nullatenùs sunt pœnæ, unde Ecclesia propter ea impediens infideles postquam ad fidem venerint, non punit ob præterita delicta, sicut faceret in nostro casu. Nili dixeris non habere tunc rationem pœnæ.

Quod autem ait Aversa : *Pontifex ibi non tam loquitur quasi novum jus condens, quam potiùs ut declarans, quod jam antea jussum esse supponit.* Hoc, inquam, non placet ; quippè alibi nusquam in jure statuitur machinatio utriusque sinè adulterio impedimentum dirimens, vel assignetur tale jus.

173. *An ex Concil. Tribur. benè probetur non sufficere solam machinationem.*

Sanè Concil. Triburiense, quod Pontifex hic allegat, expresè loquitur de adulterio, & machinatione unius : *Si quis vivente marito, conjugem illius adulterasse accusatur.* &c. Et infrà: *Nisi fortè vir vel mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur, aut propinquitas* &c. Hinc aliqui ex hoc Concilio probant, solam machinationem, etiam utriusque, non sufficere sinè adulterio.

Negat Hostiensis.

Sed hic est (inquit Hostiensis tit. de Eo qui duxit &c. circà finem) baculus arundineus. Nec enim in Decretali : *Laudabilem*, allegantur verba Concilij, cùm nihil dicat Concil. de malitia vel machinatione ; sed in Decretali, *Laudabilem*, allegatur mens, & interpretatur seu glossatur, qualiter intelligi debeant verba in Concilio posita, ibi : *Nisi fortè vir* &c. quasi diceret Papa : Mens Concilij, quod ponit hæc duo impedimenta, scilicet homicidium & propinquitatem, sub disjunctione, videtur innuere, quòd sicut propinquitas impedit & dirimit, sic & tale homicidium, scilicet ii maritus interficiat uxorem.

Quod intelligas verum esse, quando malitiosè machinatur hac intentione, ut aliam ducat. Unde nec in consultatione Decret. *Laudabilem*, notatur adulterium ; sed prava intentio cum opere subsecuto. Et ideò dixit : *Qui dum in captivitate essent, quarumdam Christianarum viros insidijs & machinationibus occiderunt.*

174. *Probatio ex §. 2. cap. Laudabilem.*

Hoc etiam apparet in §. 2. nam ubi non potest dici, quòd adulterium commissum fuerit, & dicit in responsione : *Quòd cùm tales non procuraverint virorum interitum* &c. *Et taliter copulati* &c. Ergò à contrario sensu si procuraverint

mortem,

mortem, & non taliter, ſcilicet bonâ fide, ſed malâ copulati ſunt, nec poſſunt copulari, nec copulati in ſimul remanere. Hucuſque Hoſtienſis.

Verba d. §. 2. Subdo verba omnia d. §. 2. *Ad hoc Saraceni quidam in bello ſunt Chriſtianos interfeciſſe notati, & Chriſtiani ſimiliter Saracenos: poſteà verò Saraceni ad fidem converſi, uxores eorum, quos in belli certamine occiderunt, ſibi matrimonialiter copularunt: & idipſum Chriſtiani de Saracenis mulieribus, converſis ad fidem, feciſſe noſcuntur: quæ poſtquam de priorum virorum morte comperierint veritatem, divortium inſtanter expoſcunt. In his igitur reſpondemus, quòd cùm tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, Matrimonium inter hujuſmodi perſonas licitè poteſt contrahi, & taliter copulati divortium nequeunt poſtulare.*

175. *Explicatur.* In quibus verbis nulla fit mentio, ut patet, adulterij; & Matrimonium bonâ fide initum, validum cenſet Pontifex, eò quòd non fuerit machinatio ex parte utriuſque. Ergò ſi fuiſſet machinatio ex parte utriuſque, invalidum fuiſſet Matrimonium, etiam ſecluſo omni adulterio, ut cum communi ſententia docet Scotus ſup. ibi: *Imò ſolum ſecundum videtur impedire* &c.

Machinatio debet intelligi cum effectu. Præclarè addidit in fine: *Sed iſta machinatio debet intelligi cum effectu, ut ſimul ſit affectus & effectus, ſicut Gloſſa ſuper illo verbo*: Procuraverunt. Ubi ſic ait: *Ex eo quod hic dicit, & 31. q. 1.* Si quis vivente, *inf. de Eo qui duxit c. ult. ad hoc ut Matrimonium impediatur, duo exiguntur, ſcilicet affectus cum opere ſubſecuto.*

176. *Probatur ex diverſis Gloſſ.* Et Gloſſ. cap. *Super hoc*, de Eo qui duxit, verb. *Machinata*, inquit: 31. *q.* 1. Si quis vivente. *& ſup. eod. c.* 1. *& intellige cum effectu, ut dixit cap.* Si quis vivente, *quod dicit*, Machinata; *quia verba cum effectu ſunt accipienda, ſup. de Cler. non reſid.* Relatum ..... *Quidam dicunt, quòd ſufficit conatus ſinè effectu: & ſufficit, quod ita ſcriptum eſt, ff. Qui & a quibus*, Proſpexit, & 6. *q.* 3. Scriptum. *Quod non eſt verum, inf. eod. cap. ult.*

Ubi Gloſſ. verbo: Cognovit eamdem, ait, *Et ita eſt argumentum, quòd voluntas ſive factum, niſi fuerit ſubſecutus effectus, non nocet; quia non obfuit conatus, ubi injuria non habuit effectum, ſup. de Sponſal. cap. ult. ..... Et idem intellige de eo, vel ea, quæ machinata eſt in mortem alterius, ſcilicet cum effectu, ut* 31. *q.* 1. Si quis vivente. *Alias ſolus conatus non impediret, arg. iſtius cap. quia eadem ratio videtur utrobique.*

177. *Confirmatur à ſimili.* Scilicet in adulterio, quod, ut ſup. vidimus, debet eſſe perfectum cum effuſione ſeminis intrà vas, & in machinatione, quam hîc dicimus debere eſſe perfectam, ſive cum effectu mortis ſubſecuto. Quia eadem ratio eſt; putà, quoniam non incurritur pœna, niſi propter delictum perfectum & conſummatum. Vide Concluſ. 2. hujus Sect. ubi de perfecto adulterio.

Jura alia. Et hinc jura, jam non ſemel citata, tametſi ſubinde utantur verbo *Machinationis*, ut tamen oſtenderent, eam accipiendam eſſe cum effectu, utuntur ſæpiùs verbo, *Mortis*, ſeu, *occiſionis*, 31. q. 1. cap. Si quis vivente, ibi: *Niſi fortè vir aut mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidiſſe notetur.* Ubi Gloſſ. verb. *Occidiſſe*; *Et nota* (inquit) *quod dicit*, occidiſſe, *unde niſi machinatus fuerit cum effectu, non impeditur: putà, ſi voluerit dare venenum, non dederit.* *quando utuntur nomine Occiſionis.*

Quare tametſi ſufficiat ad hoc impedimentum, ut communiter tenetur, conſilium aut mandatum de conjuge occidendo, ut ſatis colligitur ex d. cap. 1. de Converſ. infid. & alijs juribus; hoc tamen intelligendum eſt, ut notat Sanchez ſup. n. 7. quando id mandatum vel conſilium, cooperata ſunt aliquid ad mortem: ſi enim nullius effectûs ad illam fuerunt, eò quòd interficiens erat jam omninò ad eam inferendam determinatus, nec conſilio animoſior factus eſt: vel fuit conſilium aut mandatum ita revocatum, ut nullum prorsùs effectum habuerit, ita ut excuſet à reſtitutione & irregularitate, mandantem vel conſulentem, juxtà ea, quæ DD. in tractatibus de Reſtitutione, & Irregularitate tradunt de mandante vel conſulente, non erit locus huic impedimento: cùm petat effectum mortis ſubſequi ex actione conjugis vel adulteri. Hæc ille. Et ſic patet, quare in Concluſione dicatur: *Effectu ſecuto.* 178. *Sufficit mandato ad mortem cooperari.* Sanchez.

Reſtat illa particula explicanda: *Ex intentione poſteà ſimul contrahendi.* Quæ profectò aliquibus diſplicet, eò quòd in jure minimè reperiatur. Ecce verba Cajet. Sum. verb. Matr. cap. 1. Impedimento 5. Et ſcitò, quòd Multi & fortè Omnes exponunt hos duos caſus, limitando cum una conditione: ſcilicet ſi dictum homicidium fiat ea intentione, ut ſit, ſeu fiat Matrimonium inter prædictos: ita quòd, ſi non propter hanc intentionem conjux occidens per ſe, vel alium occidat ſuum conjugem, non incurrat impedimentum dirimens Matrimonium. 179. *An requiratur intentio contrahendi. Negat Cajet.*

Sed quùm hoc ſpectet ad jus poſitivum, & jura non inveniantur apponere dictam conditionem (ut patet dicta capitula intuenti) nec aliquis alius Canon allegetur, hanc limitationem apponens, neſcio quâ ſecuritate limitatio hæc aſſeri poſſit. Ita præfatus Auctor.

Et Alij plures, apud Sanchez ſup. n. 13. tenent hanc ſententiam. Nunquid etiam Scotus? Affirmat Sanchez. Sed ubi? 4. diſt. 35. q. un. col. ante penult. in edit. quâ ego utor n. 8. ubi ſic ſcribit: *Sed quid, ſi non conſciâ uxore iſte ſolus occidat maritum, nunquid poteſt ducere iſtam?* 180. *An Scotus doceat hanc ſententiam? Affirmat Sanchez.*

Reſpondeo; cap. 1. §. 2. *ſi fiat ſinè intentione ducendi eam, putà, ſi in bello juſto occidit eum, non ad hoc, ut ducat illam, non habetur expreſsè, quin poſſit eam poſteà ducere, dum tamen mulier non ſit conſcia; quia in caſu juſti belli dicit cap. illud, quòd cùm tales, ſupple mulieres, non procuraverint virorum interitum defunctorum, Matrimonium inter hujuſmodi perſonas, ſcilicet inter-*

interfectorem, & uxorem interfecti, licitè potest contrahi. Et probatur per locum à simili, vel à minori; quia si vir non consentit in mortem legitimi viri, sed uxor eum occidit, potest post ab alio hujus criminis inscio duci; 33. q. 2. Interfectores.

Hoc etiam confirmatur per illud extrà de Sponsal. Cùm apud: *Cùm prohibitorium sit edictum de Matrimonio contrahendo, quicumque non prohibetur, per consequens admittitur.*

281. *An verè? Ostenditur quòd sic.* Ergò, juxtà Scotum, non requiritur, ut interfectio conjugis procedat ex intentione ineundi alterius Matrimonij. Quomodò hoc sequitur ex illis verbis? Quia, inquis, dicit, defectum intentionis excusare, dummodò mulier non sit conscia: ergò si foret conscia, prout contingit in casu Conclus. (loquitur enim de machinatione utriusque) defectus intentionis non excusaret ab hoc impedimento.

Pro opposito arguitur, ex Hiquæo. Respondeo: est argumentum à contrario sensu, quod sæpiùs fallit. Et verò quòd potiùs requiratur intentio, dum unus occidit, quàm dum ambo conscij sunt, undè constat? Sanè oppositum videtur insinuare Scotus ibi n. 7. in fine dicens: *Sed ista Machinatio* (ex parte utriusque) *debet intelligi cum effectu, ut simul sit affectus & effectus.* Quæ verba sic explicat Hiquæus in suo Comment. ad illum locum n. 12. Dicit Doctor, illam machinationem debere intelligi cum effectu, ut simul sit affectus & effectus, ex Glossa, id est, intentio & homicidium ex fine ineundi Matrimonij inter partes, quia si homicidium fiat alio fine, aut casu, non inducit impedimentum. Hæc ille.

182. *Scotus immeritò citatur pro sententia Cajet.* Puto tamen ego, per affectum ibi intelligi posse internam voluntatem occidendi, vel etiam externum conatum, præscindendo ab intentione contrahendi. Quidquid sit de hoc, immeritò citatur Scotus pro sententia Cajetani, quæ generaliter negat, necessariam esse intentionem Matrimonij.

Vbi jus requirat intentionem. Rogas: ubi jus requirit hanc intentionem? Respondet Sanchez sup. (ubi docet nostram Conclusionem) Etsi non reperiatur expressa in textu; colligitur tamen ex ejus verbis, cap. *Si quis vivente*, 31. q. 1. ibi: *Occidisse notetur.* Verbum enim: *Notetur*, denotat malitiosam procurationem mortis conjugis, ac notâ infamiâque dignam, qualis est quando eò dirigitur, aut Matrimonium cum adulteranti ineatur.

Colligitur juxtà Sanchez exc. 5. 31. q. 1.

183. *Alia probatio, ex eod. Auctore.* Probat etiam suam sententiam ex fine hujus impedimenti, qui fuit, ne conjux conjugem vitâ orbaret, ut eo Matrimonio soluto ad aliud migraret cum persona, quam deamat. Quæ ratio nunquam habet locum, quoties conjugis interfectio non eò tendit, ut aliud Matrimonium cum ea persona ineatur. Atque proindè jura, inducentia hoc impedimentum, minimè ad hunc casum extenduntur. Hæc ille.

Hæc est sententia D. Thomæ. Appositè Doct. Angel. 4. dist. 37. q. 2. a. 2. in corp. *Dicendum, quòd uxoricidium ex statuto Ecclesiæ Matrimonium impedit; sed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum; quando scilicet vir propter adulterium, aut propter odium occidit uxorem, tamen si timetur de incontinentia ejus, potest cum eo dispensari per Ecclesiam, ut licitè Matrimonium contrahat. Quandoque etiam dirimit contractum, ut quando aliquis interficit uxorem suam, ut ducat eam, cum qua mœchatur; tunc enim efficitur illegitima persona simpliciter, ad contrahendum cum illa, ita quòd si de facto contraxerit Matrimonium cum illa, dirimitur.*

184. *Consonat Doct. Seraph.* Idem docet D. Bonav. 4. dist. 37. a. 2. q. 3. in corp. *Dicendum, quod occidere uxorem potest quis tripliciter; aut persequendo culpam, aut persequendo naturam, aut persequendo Matrimonium. Persequendo culpam, ut cum in fornicationis crimine deprehendit, & adeò detestatur, quòd in ultionem criminis mortem infligit. Persequendo naturam, ut si mulier propter defectum aliquem, quem habet in se, non habet gratiam viri: unde vir eam exosam habens & gravem, propter istam detestationem, & odij intensionem, furore accensò ipsam perimit. Persequendo Matrimonium, ut quando mœchatur cum aliqua, quam vult ducere in uxorem, & non potest nisi uxore mortuâ, & ideò ipsam interficit. Primum est grave peccatum propter excessum. Secundum est gravius. Tertium est gravissimum.*

In quolibet horum prohibetur à Matrimonio contrahendo; sed magis in secundo, & maximè in tertio, & in quolibet horum casuum dispensatur ab Ecclesia, & maximè in juvenibus: sed in primo de facili, in secundo difficiliùs, in tertio quodammodo sic, & quodammodo non. Respectu ergò illius personæ, cum qua mœchabatur, & propter quam habendam in Matrimonio, occidit conjugem, nunquam cum eo dispensabitur: imò si junctus fuerit, simpliciter separatur; sed respectu aliarum propter periculum dispensatur. Unde quamvis crimen non faciat omninò illegitimum respectu omnium, propter periculum fornicationis; facit tamen simpliciter illegitimum respectu alicujus personæ determinatæ, scilicet homicidium junctum cum adulterio, vel adulterium cum fidei datione, vel datio fidei cum uxoricidio. Ita Doctor Seraphicus de hoc impedimento.

Loquitur de machinatione utriusque cum adulterio.

185. *Eadem videtur ratio de machinatione utriusque.* Ubi nullam facit mentionem de machinatione utriusque, secluso adulterio, aut fidei datione. Interim si verum est, quòd requiratur intentio Matrimonij, dum unus machinatur mortem, quid ni etiam quando uterque? Non video sufficientem rationem disparitatis.

Quòd autem requiratur, dum alter tantùm machinatur, docet Gloss. d. cap. *Si quis vivente*, verb. *Occidisse*, dicens: *Hoc ipso* (id est, illâ intentione) *ut conjungerentur: aliud si casu, quia fortè inimici sunt, vel ex alia causa; tunc poterit ducere uxorem ejus, extrà de Convers. infidel.* Laudabilem §. Ad hoc. *Vbi etiam arguitur, quòd si antè Baptismum machinatus*

chinatus ſit, poſt Baptiſmum cum uxore defuncti non contrahat, & ita hujuſmodi peccata non deleantur in Baptiſmo; ſcilicet quoad inhabilitates, eis ab Eccleſia annexas.

186. *Homicidium fortuitum non ſufficit, ex Hoſt.*

Et verò homicidium fortuitum non ſufficere, docet etiam Hoſtienſis Sum. tit. de Eo qui duxit ad finem, ibi. Quid ergò, ſi adulterium & homicidium fortuitum ſinè machinatione concurrant? Non puto quòd Matrimonium ſit dirimendum, ſi de caſu fortuito conſtet, quidquid dicant verba Concilij: *Si quis vivente*, ibi: *Occidiſſe notaretur*, quia mens illius verbi: *Notarctur*, innuit procurationem ſeu machinationem. Et ſic volunt omnes Decret. quòd intelligatur, quæ in hoc caſu nunquam loquuntur de homicidio ſine machinatione. Unde expone verbum poſitum in Decret. *Laudabilem*: *Aſſerentis*, ſubaudi, non ſecundùm verba, ſed ſecundùm mentem, cui ſtandum eſt, ex quo de ipſa conſtat, ut inf. de Verb. ſignif. *Intelligentia*. Ita Hoſtienſis.

Explicatur Scotus.

Quantùm ad Scotum ſup. ſic fortè poſſet exponi, ut per illa verba: *Dum tamen mulier non ſit conſcia*, nolit excludere intentionem contrahendi Matrimonium, quaſi illa non ſit neceſſaria, ut impedimentum incurratur; ſed ut velit ſignificare, quòd ſufficiat mulierem tali intentione procurare mortem, quàmvis vir exequatur aliâ intentione; quod docet Sanchez ſup. n.

Sanchez.

14. Quia inquit, tunc concurrit mortis machinatio, & cum effectu, ac animo contrahendi, & nullibi decernitur utriuſque intentionem deſiderari. Sic ille. Sed neque ex fine legis hoc colligitur, ut patet.

187. *Prima illatio ex jam dictis.*

Cæterùm ex jam dictis deducitur primò: non eſſe impedimentum dirimens, ſi conjugatus dicat adulteræ. *Niſi Matrimonio ligatus eſſem, te ducerem*: & poſt uxorem occidat, non ductus fine Matrimonij cum adultera contrahendi. Quia ea verba non continent futuri Matrimonij promiſſionem, ut diximus Concluſ. præced. nec machinatio illa abſque fine Matrimonij impedimentum dirimens præſtat, ut dictum fuit hàc Concluſ.

Secunda.

Infertur ſecundò, nec eſſe impedimento huic locum, ſi conjux, & cum ipſo adulterans, interficiant communi conſilio alterum conjugem, non ut Matrimonio inter ſe copulentur, ſed ut liberiùs libidini vacent, vel ne ob adulterium ab ipſo conjuge interfecto occidantur, vel ob alium finem. Quia illi machinationi deeſt finis Matri-

Sanchez.

monij ineundi. Ita Sanchez ſup. n 16. cum Alijs quos citat.

188. *Tertius caſus, in quo non incurritur hoc impedimentum, ex Sanchez.*

Sed quid ſi vir mortem uxoris machinetur animo ducendi adulteram, nec mors ſequatur, at poſtmodum adultera uxorem illam caſu enecet, nec communi conſilio, nec animo nubendi conjugi ſuperſtiti; ſed alio fine ducta.

Reſpondet Sanchez ſup. n. 17. non eſſe hoc impedimentum. Quippè machinatio viri in uxoris mortem, quæ fine ineundi Matrimonij veſtiebatur, caruit effectu, in quo eventu nullum præſtat impedimentum. Et occiſio illius uxoris, facta ab adultera, quæ impedire futurum Matrimonium debebat, caruit fine Matrimonij contrahendi cum conjuge ſuperſtite.

189. *Quid ſi occidens habuerit animum ducendi fœminam incertam.*

Interrogas rurſum: quid ſentiendum ſit, quando vir uxorem perimit, animo ducendi fœminam incertam, aut unam ex pluribus? Reſpondent Aliqui, quos citat Sanchez ſup. n. 18. non eſſe impedimentum dirimens, quando animus fuit ducendi non certam & determinatam fœminam, ſed incertam; ſecùs ſi animus eſſet ducendi hanc vel alteram, aut unam ex pluribus, dummodò omnes illæ ſint expreſsè intentæ; tunc enim eſſet impedimentum dirimens cum quavis earum.

Sententia Sanchez.

Hæc reſponſio placet Sanchio cum hac limitatione; nempè quando cum omnibus illis expreſsè intentis præceſſit adulterium. Quòd aliàs, cùm ſolus vir machinatus ſit in mortem uxoris, non erit impedimentum. Quare ſi interfecerit uxorem, animo ducendi fœminam indeterminatam, poterit poſteà ducere quamcumque, etiam eam, cum qua, uxore ſuperſtite, adulteratus eſt. Quia intentio Matrimonij determinati, ad hoc impedimentum incurrendum petita, defuit: ſimiliter poterit adulteram illam ducere, quando animum habuit aliquam aliam determinatâ, vel unam ex pluribus determinatis ducendi, præter adulteram: imò & tunc poterit quamvis ex illis ducere. Quoniam cum omnibus alijs non fuit adulterium, requiſitum ad hoc impedimentum: & cum adultera non fuit animus contrahendi, qui ſimul cum adulterio deſideratur. At ſi in mente ſua expreſſerit adulteram, ſive ſolam, ſive inter alias, reſpectu ſolius adulteræ erit impedimentum dirimens. Quia reſpectu illius reperitur adulterium cum animo contrahendi Matrimonij cum illa. Hactenùs Sanchez.

190. *Placet Dicaſt. pro praxi.*

Quæ utique doctrina abſolutè placet Dicaſtilloni ſup. n. 616. & ſervanda, inquit ille, videtur in praxi occurrenti; quàmvis ſpeculativè loquendo, ſi præcisè ratione agamus, non videatur improbabile, quòd quàmvis quis habuerit intentionem ducendi hanc vel illam, ſeu unam ex pluribus determinatis, etiam expreſsè cogitatis & intentis; & etiamſi præceſſerit adulterium cum illis, adhuc non incurratur impedimentum; tum, quia deficit expreſſa & determinata intentio Matrimonij cum aliqua illarum; eſt enim intentio illa vaga, & ſub disjunctione; tum, quia finis, quem intendit Eccleſia in tali impedimento inducendo, non videtur habere locum in tali caſu; finis enim Eccleſiæ fuit imponendo tale impedimentum, ne quis ex deſiderio ineundi Matrimonium, moveretur ad machinandam mortem proprij vel alterius conjugis. Quod non ita frequenter contingere ſolet moraliter loquendo reſpectu perſonarum indeterminatarum, etiam quando una vagè ex pluribus perſonis intenditur.

Speculativè non eſt improbabilis oppoſita ſecundùm ipſum.

191. *Argumentum pro ea.*

Et quidem, ſi ſemel concedatur, ut concedunt Sanchez & Alij, non eſſe impedimentum machinari mortem, quando fuit animus ducendi non certam & determinatam fœminam, ſed vagè & indeterminatè aliquam incertam; atque adeò in tali

tali casu posse ducere etiam illam, quâcum fuit commissum adulterium, solùm ex eo, quòd intentio non fuit ad illam determinata; eâdem ratione videtur dicendum, etiamsi sit intentio ad unam ex pluribus certi cujusdam & determinati numeri; nam hic casus solùm à præcedenti differt in expressione, non in determinatione; utrobique enim intentio est indeterminata & vaga, quàmvis in uno casu non exprimatur; at in neutro intenditur determinatè hæc, aut determinatè illa, sed hæc vel illa; ergò si intentionem esse vagam sufficit, secundùm hos Auctores, ad non inducendum impedimentum, utrobique non inducetur, quia utrobique intentio vaga est. Ita Dicastillo.

192. *Expenditur ab Auctore.*

Tu autem Lector nota: licèt utrobique intentio sit vaga & indeterminata; una tamen magis, quàm alia; & Auctores negant in uno casu esse impedimentum, non præcisè propter indeterminationem; sed etiam propter non expressionem, idque, quia dum nulla omninò persona exprimitur, non videtur dari occasio, nisi valdè remota, occidendi propriam conjugem; secùs quando plures exprimuntur. Tunc ergò erit impedimentum, si reliqua adsint; putà, si omnes illæ expressæ, simul machinatæ fuerint mortem, aut certè cum omnibus illis præcesserit adulterium. Siquidem, ut patebit ex Concluſ. sequenti, Machinatio unius non dirimit, secluso adulterio.

193. *Virùm sufficiat intentio interna? Negat Pontius.*

Impræsentiarùm restat adhuc una difficultas circà intentionem, utrùm sufficiat interna. Affirmat ultima pars Concluſ. contrà Pontium lib. 7. cap. 45. n. 4. ubi requirit tres conditiones, ut homicidium alterius conjugis sine adulterio dirimat Matrimonium. Prima: ut uterque cooperetur ad necem, sive per se, sive per alium: quare non satis est, si alter sit causa mortis, vel tantùm ratam habeat.

Probatio.

Secunda conditio est, intentio contrahendi: si enim in ultionem, vel aliquâ aliâ causâ faciunt, non oritur impedimentum. Imò, quantùm ego judico, etiam non oritur impedimentum, si intentio non significetur exterius. Itaque si omninò in animo retineant, nec sibi significent, non oritur impedimentum; quapropter occultum omninò & mentale delictum non subjacet Ecclesiæ judicio, neque punitioni. Verum est, patrato homicidio ab utroque, difficilis esse probationis.

Tertia denique, ut occisio sequatur ex illorum opere. Etenim si culpâ medici, aut ipsius percussi negligentiâ, sequatur mors, nullum consurgit impedimentum. Ita Basilius.

194. *Concinit Perez, & probat, ex Vasq. mentale delictum non puniri ab Ecclesia.*

Quem sequitur Perez disp. 33. sect. 1. n. 7. & probat mentale delictum non subjacere punitioni Ecclesiæ hâc ratione (desumptâ ex Vasquio to. 2. in 1. 2. disp. 160. c. 2. n. 8.) Lex est imperium superioris, inferiores ad sui observationem obligans; unde jure naturali oportet inferiorem ad voluntatem superioris conformari, absurdum enim est, ei refragari & resistere, sicut honestum obtemperare. At conformatio hæc inferioris ad superiorem, in eo solùm attendi debet, quod prium hominum est, id autem est exterior operatio secundùm rationem; nam spiritualis conformatio Angelorum & spirituum potiùs videtur, quàm hominum; vel hominum etiam, eâ tamen ratione, quâ cum angelis communicant.

195. *Lex humana non præcipit actus omninò interiores, saltem directè.*

Lex igitur humana, humanam postulans obedientiam, eam solùm exposcit in operibus exterioribus, quæ propria hominum sunt, nec communia cum angelis; ac proindè actus omninò interiores nec prohibere, nec præcipere potest; quia in illis conformatio obedientiæ humanæ non exigitur.

Ex quo (prosequitur idem Auctor n. 8.) rectè infert idem Vasquez c. 3. non solùm non prohiberi lege humanâ actus interiores primariè, hoc est, secundùm se; sed etiam nec secundariè ratione operis externi, quando hujus non sunt per se causa, sed ex accidenti ei conjunguntur. Tunc enim de illis, nisi aliquo opere exteriori manifestati fuerint, vel aliquo modo indicati, humana potestas, etiam Ecclesiastica, judicare non potest, nec ad illos cogere, nec in eis debet attendi conformatio inferiorum ad superiores, non secùs ac si non essent conjuncti actibus exterioribus: quia etiamsi conjuncti, si tamen nullo modo exteriùs indicati sint, eodem modo comparantur cum judicio Ecclesiæ, ac si soli essent, & per se. Hæc ille.

196. *Quando præcipiat indirectè. Probatur non requiri physicam connexionem, neque ex natura rei.*

Mea autem sententia est, tunc actum internum validè præcipi, aut prohiberi lege humanâ, quando ob eum actus externus specialiter prodest vel obest bono communi; licèt aliàs per se non habeant physicam connexionem. Probatur primò: quia non repugnat Legislatori esse concessam talem potestatem; & præterea congruum est, de facto censeri concessam: igitur ita existimare debemus.

Antecedens probatur quoad priorem partem de possibili; tum, quia si omninò ex natura rei implicaret, non posset sanè humana potestas præcipere, ut actus exterior fiat voluntariè, quod est contrà omnes DD. Sequela patet; quia quòd fiat voluntariè, est conditio interna, nec per se potest satis exteriùs discerni. Quare non repugnat ex natura rei, ut lex humana præcipiat actum internum moraliter conjunctum cum externo, quàmvis non habeat physicam connexionem.

197. *Neque ex voluntate Dei aut Reip. civilis.*

Tum etiam; quia non implicat, quod Deus hanc potestatem concesserit Ecclesiæ, ut patet. Cùm etiam illi concesserit jurisdictionem fori conscientiæ, quod merè internum est. Nec implicat quod civilis Respublica hanc potestatem concesserit suo Principi; quia potuit se illi subjicere, prout voluit. Sicut enim privatus potest se alteri privato obligare ad actum internum, v. g. ad mentalem orationem, ad intentionem celebrandi &c. & subditus potest se Prælato obligare ad obedientiam internam; ita potuit Respublica civilis submittere se principi quoad actus internos, saltem moraliter connexos cum actibus externis, prout hi specialiter conducunt ad bonum commune.

Posterior Antecedentis pars, suppositâ priori,

est

est satis clara; quia talis potestas multum potest facere ad bonum commune, ut infrà declarabitur: ergò si potuit concedi, congruum est existimare, esse de facto concessam; congruum namque est, quod Legislator habeat adæquatam potestatem in suo ordine, requisitam pro boni communis defensione.

198. *Secunda probatio ab exemplis. Primum.* Secundò probatur varijs exemplis, in quibus videtur Ecclesia de facto uti hâc potestate, & admodum utiliter pro bono communi. Nam in Clement. 1. de Statu Monachorum, excommunicationis pœna statuitur in Monachum Benedictinum, qui sinè licentia Superioris confert se ad curiam Regiam, intentione accusandi Superiorem, quæ intentio est occulta & interna, possent enim alio fine ad curiam pergere.

Secundum ex Clement. 1. de Hæret. Deinde in Clement. *Multorum*, de Hæreticis, excommunicantur Inquisitores Hæreticorum, qui *odij, gratiæ vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra justitiam & conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super hujusmodi pravitate.* Ubi similiter ille malus affectus est internus, nec satis manifestatur per omissionem procedendi; quia posset talis omissio per negligentiam provenire.

199. *Occurritur objectioni.* Nec refert, quòd dicatur: *Obtentu*, hoc enim idem est, quòd: *Affectione*; ut patet ex §. *Propter quod*, eâd Clement. ibi: *Omni carnali amore, odio vel timore, ac cujuslibet commodi temporalis affectione semotis.* Ubi Gloss. verb. *Amore*, inquit: *Quatuor modos exprimit, quibus perverti solet humanum judicium*, 11. q. 3. Quatuor. *De Re juditatâ*, Cum æterni, *lib. 6. Et isti quatuor modi possunt his versibus comprehendi:*

Quatuor ista: Metus, Odium, Dilectio, Census,
Sepè solent hominum rectos pervertere sensus.

Quid in D. Clem. significet ly obtentu. Igitur *Odij, gratiæ vel amoris* &c. *obtentu*, idem hìc est, quod odio, gratiâ, vel amore; non autem prætextu odij &c. ut vult Vasquez sup. & ex ipso Perez, qui prætextus, inquiunt, est quando aliquo signo talis animus indicatur.

Nulla hic mentio prætextûs, qui est (secundùm Sousam ad Bullam Cœnæ d. 100. conc. 3.) velamen, quo moveri se quis ad aliquid agendum simulat, ut alibi in hoc Opere diximus. Et putas, quòd hæc Clement. requirat simulationem odij, gratiæ &c. & non potiùs verum affectum? Noli putare.

200. *Resp. Vasquez ad 1. exemplum.* Ad primum exemplum respondet Vasquez sup. c. 5. n. 22. & 23. Monachum non esse excommunicatum, nisi exteriori opere aliquo talem animum indicet. Fortè etiam (inquit) tempore illius Clementinæ, propter nimiam & frequentem fratrum consuetudinem eundi in curiam Regis hoc animo, illud opus per se solum erat sufficiens indicium talis animi, & ita posset absque alio signo sententia excommunicationis ab eis incurri: nunc autem cessante tali præsumptione, opus est, ut alio signo indicetur, alioqui pœna illa non habebit locum. Hæc ille.

Oppugnatur. Respondeo: unum fortè solvitur per aliud; atque adeò fortè tempore istius Clementinæ, illud opus per se solùm non erat sufficiens indicium talis animi. Et nulla fit mentio alterius signi externi, quo talis animus indicetur, ac proindè pœna illa habebit locum, dummodò reverà ponatur actus externus prohibitus cum tali animo. Atque hæc satis de duobus istis exemplis. Pergamus ad alia.

201. *Tertium exemplum.* Potest præcipere Ecclesia (sicut etiam potest Superior respectu subditi) ut tali die Sacerdotes omnes legant Missam pro certa Ecclesiæ intentione; nec tamen intentio Sacerdotis satis patet exteriùs. Ad hæc præcipit Ecclesia in cap. *Omnis utriusque sexûs*, de Pœnit. & remiss. ut fideles semel in anno confiteantur peccata sua. Inquiro, vèl præcipit Ecclesia solùm, ut exteriùs simuletur confessio, quod ridiculum videtur: vel præcipit, ut omnia peccata etiam occulta, cum debita animi compunctione & proposito, adeoque ritè confiteantur, & jam potest indirectè præcipere actum internum. *Quartum exc. 12. de Pœnit. & remiss.*

Solvitur objectio. Nec refert: quòd præceptum Confessionis sit divinum, adeoque ex hac parte debeat esse Confessio integra; Ecclesia autem solùm determinaverit tempus annuum: nam etiamsi Deus non præcepisset, sed liberum reliquisset hoc Sacramentum, sicut reliquit alia quædam Sacramenta, potuisset Ecclesia illius usum præcipere, suppositâ ejus institutione; tunc autem non satisfieret præcepto Ecclesiæ per Confessionem exteriùs simulatam; quis enim hoc dicat?

202. *Quintum exemplum exc. 9. de Celeb. Miss.* Denique exemplum est in cap. *Dolentes*, de Celebrat. Miss. ubi ex Concilio Lateranensi sub Innoc III. præcipitur, ut divinum officium celebretur studiosè pariter & devotè: quod etsi DD. aliqui exponant de externa corporis honestâ compositione, videtur sanè incongrua expositio; tum, quia Ecclesia præcipit officium Horarum, tamquam orationem; oratio autem intentionem orandi & attentionem postulat, ut alibi ostendimus; tum etiam, quia si Ecclesia solùm præciperet cultum Dei externum; quid nisi pharisaicum cultum præciperet?

203. *Objectio.* Dices: hoc ipso, quòd Ecclesia præcipit cultum externum, naturalem legem veritatis aut Religionis præcipere, ut conjungatur cultus internus, ne committatur mendacium facti, aut ne Deus irreverenter colatur; & hoc sufficere, ut actus ab Ecclesia præceptus re ipsâ debeat fieri religiosè, quàmvis hoc non requirat præcisè, inquantùm ab Ecclesia præcipitur.

Solvitur. Sed contrà: nullum erit mendacium facti, nec cultus simulatus; quippè si Ecclesia solùm præcipiat, ut illud externum opus exhibeatur, nemo poterit justè ex eo decipi, existimando quòd qui illud facit, internam habeat devotionem. Siquidem si hæc non debet esse annexa ex præcepto Ecclesiæ, ex nullo alio fundamento debet esse annexa.

Quod probatur; quia neque ex natura rei; potest enim quis legere verba Horarum aut cantitare, ut ea memoriæ mandet, vel spiritualis recreationis gratiâ: nec etiam ex præcepto aliquo divino; quippè divina lex non præcipit, ut Deus in die septies laudetur; immò nec ullo

modo præcipit per se, ut Ecclesiastici orent; licèt enim aliquæ personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesia stipendium accipiant, pro quo teneantur jure divino naturali justitiæ, Ecclesiæ aliquod obsequium rependere; non tamen præcisè per officium orandi; sed possunt satisfacere per curam animarum, Sacramenta Fidelibus administrando, serviendo in Sacrificij administratione, verbi divini prædicatione & similibus.

204. Igitur Ecclesiasticæ personæ non tenentur ex jure divino, per se loquendo, plus orare, quàm alij Christiani, tametsi de congruo obligentur; & ideò Ecclesia hoc illis justè præceperit. Itaque attentio in Horis ex solo debetur Ecclesiæ præcepto. Unde simul refutata manet evasio aliorum, qui propter jus divinum eo modo, quo diximus, requirunt attentionem in Horis: quia dicunt legem divinam præcepisse Ecclesiasticis orare; Ecclesiam verò determinasse tempus & modum; quæ doctrina non subsistit.

Alia evasio præcluditur.

Ecclesia utiliter præcipit aliquos actus internos.

Satis ergò probatum videtur, Ecclesiam de facto præcipere aliquos actus internos, ratione actuum exteriorum, cum quibus non sunt necessariò physicè conjuncti. Quòd autem hoc faciat, etiam utiliter ad bonum commune Ecclesiæ, facilè patet inspicienti exempla adducta; nam si quidam actus interni permitterentur impunè fieri, id præstaret occasionem liberiùs exercendi actus externos, cum hujusmodi interna fraude, vel alio malo animo. Similiter quòd fideles non fictè colant Deum, pertinet ad communem honestatem & sanctitatem Ecclesiæ, ad impetranda Ecclesiæ à Deo varia beneficia, ejusque iram à populo Christiano propulsandam.

205. Ex quibus etiam patet, civilem potestatem posse disponere indirectè de actibus internis, intrà sphæram suæ activitatis contentis; scilicet potest vetare, ne hoc vel illud fiat exteriùs dolo, inimicitiâ, favore &c. item ne contractus exerceantur cum fictione & fraude, quia nisi hujusmodi affectus puniantur, quibus proximus potest lædi, oriri poterat perturbatio publicæ tranquillitatis.

Idem posset facere Resp. civilis.

Objectio. Si dixeris: Ecclesia non potest præcipere, cujus transgressionem non potest punire; non potest autem punire affectus, quos diximus, cùm eos non cognoscat.

206. Respondent Aliqui: illos actus internos, de quibus procedit hæc sententia, esse tales, ut frequentiùs possint ex circumstantijs colligi; quòd si aliquando non possint, hoc esse per accidens in morali consideratione, quæ attendit id, quod ut plurimum contingit. Nam sic etiam actus externi occulti non possunt cognosci, & tamen nemo dubitat, quin possint humanâ lege puniri; quia frequentiùs produnt se ita, ut possint cognosci.

Solutio Aliquorum.

Additio. Adde: quòd humanæ legis potestas debet magis colligi ex usu approbato, quàm præcisè ex naturali ratione; nam ex natura rei non implicat, legem humanam, etiam directè versari circà actus internos, ut facilè potest colligi ex dictis. Usus autem obtinuit, ut quàmvis lex humana de his actibus non disponat directè; disponat tamen eo modo, quo diximus indirectè, prout exemplis satis probatum est.

Quid ergò, inquis, ad rationem Vasquez sup. ex adverso adductam? Respondeo: ad summum probare, Ecclesiam, aut Rempublicam civilem non posse præcipere aut prohibere actum merè internum, id est, qui nullatenùs conjungitur actui exteriori, neque physicè, neque moraliter: Patet: quia exterior operatio secundùm rationem, id est, secundùm hanc aut illam intentionem, est propria hominum, & non Angelorum. 207. *Resp. ad rationem Vasquez.*

Planè, reponit quispiam; sed hominum eâ ratione, quâ cum angelis communicant, id est, quatenùs rationabiles sunt.

Esto, quid tum? Nunquid lex datur hominibus eâ ratione, quâ conveniunt cum brutis animalibus? Lex regula est actuum humanorum. Actus autem humanus essentialiter involvit actum internum, seu intentionem; cur ergò Legislator humanus non possit præcipere aut prohibere actum externum, ut substat tali vel tali intentioni? Sic enim non præcipit aut prohibet talem vel talem intentionem; sed actum externum, ut conjungitur ei. 208. *Lex est regula actuum humanorum.*

Sed quorsum hæc omnia? Ut ostendamus, probabile esse, si non probabiliùs, incurrere impedimentum criminis, qui machinatur mortem, intentione contrahendi Matrimonij, nullo alio signo exterius indicatâ.

Quia (inquit Dicastillo sup. n. 611. ubi tenet nostram Conclus.) cùm absolutè possit Ecclesia imponere pœnam tali peccato externo, etiamsi sinè illo animo fieret, potiùs restringit effectum suæ potestatis puniendi, quàm extendat; quia non punit (quàmvis posset) nisi quando concurrit talis conditio internæ intentionis ex parte operantis, ut in exemplo excommunicationis, impositæ Inquisitoribus, quando ex amore vel odio, vel spe lucri omittunt procedere vel procedunt contrà justitiam. 209. *Probatur hic sufficere intentionem internam ex Dicast.*

Sic ergò in nostro casu, cùm posset Ecclesia hanc pœnam impedimenti Matrimonij extendere id quoscumque machinantes mortem conjugis, potuit non extendere nisi ad illos, qui mortem machinarentur ex ea intentione, etiamsi alioqui intentio illa exteriùs non manifestetur.

Unde responderi potest ad fundamentum Basilij (cessantque plura, quæ in confirmationem suæ sententiæ adferunt ex Vasquio) Ecclesiam non punire eam intentionem internam, quæ non manifestatur, sed punire actum machinationis in mortem conjugis; non tamen semper, sed quando conjungitur cum ea intentione ineundi Matrimonium modo prædicto. 210. *Resp. ad fundamentum Basilij.*

Quæ doctrina præcipuè locum habet in eo genere pœnæ, quæ non requirit executionem particularem ex parte judicis inflicturi, sed quæ ipso facto incurritur, qualis est censura, & hæc pœna, de qua nunc agimus. Hucusque Dicastillo.

Et sanè intentio, etiam merè interna, tamen nata est inducere ad occisionem, quàm intentio externa; 211. *Convenit*

bono communi, ut interna intentio sufficiat.

externa; inducere, inquam, eum qui intendit Matrimonium contrahere; ergò planè conveniebat bono communi, ut sola interna intentio sufficeret ad hoc impedimentum, ut sic homines cohiberentur à suo scelere, id est, homicidio, quod aliàs perpetrarent, si interna intentio non sufficeret. Quando autem nullatenùs intendunt conjugium, sed ex alio fine moventur ad occisionem conjugis, nequeunt ab ea coërceri, estò foret impedimentum dirimens.

Quando præsumatur intentio in foro externo.

Benè autem monet Sanchez sup. n. 19. præsumi intentionem in foro externo, quando quispiam conjugem perimit, & cum alio conjuge, cum quo adulterium præcesserat, inire Matrimonium vult: vel conjux superstes, qui conjugem perimit, vult cum adulteranti Matrimonio copulari: & ita reputari in foro externo impedimentum dirimens, quàmvis tale non sit in foro conscientiæ, quando ea intentio verè non adfuit. Quare nisi ex magnis conjecturis probaretur opposita intentio, non est concessurus judex Ecclesiasticus, qui fori externi præsumptione stare debet, dum oppositum non probatur, licentiam talis Matrimonij ineundi. Hæc ille.

212. *Judicium Auctoris.*

Et ego consequenter dico: præsumi intentionem in foro externo, quando duo machinantur mortem conjugis absque prævio adulterio, & inter se volunt contrahere Matrimonium, quàmvis fortè dum machinantur mortem, non habuerint in conscientia talem intentionem. Quæ enim ratio disparitatis? Pari quippè passu ambulant in hoc impedimento, machinatio utriusque sinè adulterio, & machinatio unius cum adulterio, ut patet ex hactenùs dictis, & ampliùs patebit ex his, quæ jamjam ediffero. Itaque Dico sexto.

CONCLUSIO VI.

Sola machinatio ex parte unius non dirimit; secùs conjuncta adulterio. Perinde est adulterium præcedat, an sequatur: durante tamen eodem Matrimonio.

213. *Pro opposito 1. part. Conclus. citat Sanchez Hostiensem.*

PRo opposito 1. partis hujus Conclus. Sanchez lib. 7. disp. 78. n. 9. citat Hostiensem Sum. tit. de Eo qui duxit, ubi postquam dixerat, solam fidei dationem, vel solum Matrimonium contractum, sinè carnis copula, primâ vivente, non sufficere ad hoc impedimentum, subjungit: Et idem intellexit Goffred. de machinatione; scilicet, quòd sola machinatio sinè adulterio, non dirimat Matrimonium; quàmvis enim cap. fin. inf. eod. de hoc nihil exprimat; tamen exprimitur inf. eod. c. 1. & cap. *Significasti*, & c. *Veniens*, & 31. q. 1. *Si quis vivente*. Cùm enim hæc jura & omnia alia, de hac materia loquentia, tractent de adulterijs, credendum est, quòd Dominus Papa hoc consideraverit; & ideò voluerit, quòd quantùm ad Matrimonium prohibendum, & dirimendum, adulterium præcederet omnem causam, scilicet fidei dationem, machinationem, & contractum de facto, vel etiam sequeretur, legitimâ tamen uxore superstite, ut inf. eod. cap. fin.

214. *Reprobatur opinio Hugonis.*

Et sic sublata est opinio Hugonis, qui scripsit, unum ex tribus prædictis sufficere sinè adulterio, & reddit rationem: quia sicut pactum vel promissio de hæreditate vel præbenda non vacante reprobatur, ut notatur sup. de Concess. præben. sic & de muliere non vacante, sed ab alio possessa, & de viro non vacante, sed ab alia possesso. Secundùm Goffred. fortè hæc opinio posset salvari, si quæratur de Matrimonio contrahendo.

Sola machinatio per se sufficit juxtà Hostiensem.

Quòd si quæratur de Matrimonio dirimendo, fateor, quòd sola fidei datio per se, vel solus contractus de facto habitus, per se non sufficit, ut notatur sup. sola autem machinatio per se sufficere videtur; sicut notatur sup. eod. vers. *Sin autem secunda*; & probatur expressìm inf. de Divort. c. 1.

215. *Respondet ad jura in contrarium.*

Nec obstant jura à Goffr. inducta. Nec enim invenies aliquod jus, quod dicat, quòd hæc duo requirantur, scilicet machinatio & adulterium; sed verum est, quòd pro majori parte loquitur de adulterijs. Certè idem faciunt jura antiqua, loquentia de alijs duobus impedimentis. Cùm ergò Papa, qui nec opinionem Hugonis præsumitur ignorasse, super duobus casibus tantùm jus novum promulgaverit, videtur in tertio opinionem Hugonis approbasse.

Probat ex ratione.

Et pro hac via multæ rationes faciunt: cùm enim interfectori uxoris inhibeatur generaliter contrahere, licet contractum teneat; satis æquum est, quòd non solùm contrahat cum illa, cujus obtentu ipsam interfecit; sed & si contraxerit, non teneat Matrimonium; quia frustrà legis auxilium invocat, qui committit in legem, inf. de Usur. *Quia frustrà*: & absurdum est, illi à juribus de Matrimonijs tractantibus subveniri, per quem constat eisdem scandalum ac injuriam generari, sup. Ne Cler. vel Monach. c. 2.

216. *Confirmatà simili.*

Bonum est ergò, ut puniatur in quo deliquit, ne unquam habeat illam, quam ita nequiter concupivit: ut sup. de Transl. Episc. *Quanto*, §. *Cæterùm*. Nam & video, quòd licèt Ecclesia defendat homicidam, ad ipsam confugientem casu fortuito, tamen si ex deliberatione committat quis homicidium in Ecclesia vel cœmiterio, ut ab Ecclesia defendatur, non defenditur, ut sup. de Immun. Eccles. c. fin.

Sic & dico, quòd, si quis maritum alicujus mulieris casu fortuito interficiat, Matrimonium non impeditur, sup. de Convers. infidel. *Laudabilem*, §. unico. Sed si hâc intentione hoc faciat, ut uxorem habeat, nullatenus toleratur. Nec de adulterio commisso loquitur aliquid Decret. præmissa sup. de Convers. infid. *Laudabilem*. Hucusque Hostiensis.

217. *An nobis sit oppositus.*

Sed nunquid opponitur nostræ Conclusioni? Videri potest, quòd non, nam d. cap. *Laudabilem*, loquitur de machinatione ex parte utriusque, ut Conclus. præced. expendimus. Et si nihil aliud velit Hostiensis, quàm illam machinationem

tionem sufficere sinè adulterio, planè nobiscum convenit; ac proinde si Goffred. oppositum doceat, ab eo recedimus. Sed hæc non est præsens quæstio, quæ loquitur de machinatione ex parte alterius tantùm, quam si Goffred. negaverit sufficere sinè adulterio, ei subscribimus & recedimus ab Hostiensi, si oppositum docuerit, quod ei Sanchez attribuit.

218. *Resp. ad 1. arg. Hostiensis. C. 1. de Divort.* Et ad primum ejus argumentum, desumptum ex cap. 1. de Divort. liquidò constat responsio ex ipso textu: *Si qua mulier in mortem mariti sui cum alijs consiliata est, & ipse aliquem illorum, se defendendo, occiderit: potest ipse post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere: ipsa autem insidiatrix pœnitentia absque spe conjugij stet subjecta.* Quæ verba intelligi debent de impedimento criminis, prohibente tantùm (quod hodie sublatum est, ut patet ex alibi dictis) non autem de impedimento dirimente, de quo hìc tractamus.

Hinc Gloss. verb. *Insidiatrix*, inquit: *Licèt ista mulier non fuerit consecuta effectum, nihilominùs punitur quoad legem conjugij, & est argumentum, quod conatus sinè effectu punitur..... tamen si contraheret, teneret.* Ergò hìc non agitur de Matrimonio dirimendo, ad quod requiritur conatus cum effectu, ut ostensum fuit Conclus. præced. sed de Matrimonio licitè contrahendo. Igitur hæc probatio nullius momenti.

219. *Resp. ad 2. arg.* Ad secundum argumentum dico: jura, quæ loquuntur de machinatione alterius tantùm, non solùm pro majori parte, sed omnia loquuntur de adulterijs; uti & jura omnia, quæ loquuntur de fidei datione, & contractu de præsenti; si ergò hæc requirant ista duo, scilicet dationem fidei aut contractum de præsenti, & adulterium; etiam illa requirunt ista duo, scilicet machinationem & adulterium, vel inducat Hostiensis aliquod jus, quod aliter loquatur de datione fidei aut contractu de præsenti, quàm de machinatione solius alterius.

Solvitur 3. arg. Tertium argumentum ad summum probat; Ecclesiam machinationem solius alterius absque adulterio potuisse constituere impedimentum dirimens: constituisse autem ex nullo jure constat, & ideò non est asserendum.

220. *Rejicitur confirmatio à simili.* Quod autem nolit defendere homicidam, qui spe defensionis, in ipsa Ecclesia homicidium commisit, expressè statuitur d. cap. fin. Et præterea, oppidò diversa sunt, Ecclesiam defendere homicidam; & non punire homicidam; in nostro casu Ecclesia non defendit homicidam, qui propriam occidit uxorem, ut cum alia contrahat; sed non punit eum, inhabilitando ad subsequens Matrimonium, quod potuisset facere, si voluisset. Neque subvenitur illi à juribus de Matrimonijs tractantibus, quasi hæc concedant ei potestatem validè contrahendi; sed non punitur per subtractionem hujusmodi potestatis, quæ ipsi jure naturali competit; quâ proinde non est spoliandus, sinè expresso jure, quale hìc non invenitur.

Probatio nostræ Conclus. Atque hæc sit probatio nostræ Conclusionis; quòd ubi solius alterius machinatio intervenit, textus omnes de adulterio admixto loquuntur; & cùm hæc res sit pœnalis, ac Matrimonium jure naturali permissum cassans, extendi minimè debeat, sed valdè restringi.

Sed enim, dicet aliquis: ratio hujus impedimenti est, ne ob Matrimonij spem detur ansa conjugis interficiendi; ergò rationi consonat, ex sola conjugis interfectione absque adulterio impedimentum hoc consurgere; saltem quando intervenit datio fidei, vel contractus de præsenti, uti docere videtur S. Bonav. Conclus. præced. relatus, in fine, ibi: *Vel datio fidei cum uxoricidio*: quod & Alij affirmant apud Sanchez sup. n. 11. 221. *Objectio.*

Respondeo: rationi id consonat, sed non verbis legis: porrò propter similitudinem, imò identitatem rationis, non debet extendi lex pœnalis ultrà significationem verborum, nisi ad evitandum absurdum; oportet ergò adducere aliquem textum, qui sola fidei datione cum machinatione alterius contentus sit. Cùm autem talis textus non appareat, displicet Sanchio sup. illa limitatio. Permanet ergò, quod machinatio alterius non sit impedimentum dirimens, nisi conjungatur adulterio, estò etiam interveniisset fidei datio, aut contractus de præsenti. 222. *Diluitur.*

Interveniente verò adulterio, constat ex juribus hâc Sectione non semel productis, non solùm impedire Matrimonium contrahendum, sed etiam dirimere contractum, ut Omnes omninò admittunt. Nec video, quid possit contrà hanc veritatem objici. Et ideò transeo ad sequentem partem Conclus. quæ ait: *Perinde est, adulterium præcedat, an sequatur.*

Siquidem jura nil aliud exigunt, quàm adulterium cum interfectione conjugis: ergò satis est adulterium subsequens machinationem alterius, dum tamen antè mortem conjugis contingat adulterium. Ut si vir venenum propinet uxori, ut fœminam quamdam ducat, uxore interfectâ, cum qua nondum adulteratus est; ac cum ea adulteratur, nondum uxore defunctâ. Quia verificatur intercedere adulterium cum interfectione conjugis: secùs si defunctâ uxore, copula accidisset, quòd ea non sit adulterium, & sic deficeret adulterium. Ita Sanchez sup. n. 10. 223. *Sufficit adulterium subsequens machinationem, ex Sanchez.*

Consonat Pontius lib. 7. cap. 45. n. 5. ubi pro secunda conditione, requisitâ ad hoc impedimentum, statuit, ut adulterium præcedat occisionem. Non ait, machinationem, sed occisionem, id est, mortem ipsam in re, & non solùm in sua causa. Siquidem pro ratione sui asserti, subdit: Nam jus homicidium vult esse impedimentum tantùm, cùm utroque conveniente fit: commissum enim ab uno tantùm, non gignit ejusmodi impedimentum, nisi unà cum adulterio sit. Ergò & Pontius solùm requirit, ut occisio unà sit cum adulterio, quod verificatur in casu Sanchij, estò machinatio præcesserit adulterium. *Consonat Pontius.*

Et verò cur adulterium potiùs deberet præcedere machinationem, quam fidei dationem, aut contractum Matrimonij? Porrò satis esse, quòd sequatur fidei dationem, aut contractum de 224. *Satis est, quòd adulterium sequatur fidei*

dationem, ex c. fin. de Eo qui duxit.

de facto, expreſsè deciſum habemus cap. fin. de Eo qui duxit: *Si quis uxore vivente* (inquit Gregor IX) *fide datâ promiſit, aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi nec antè, nec poſt (legitimâ ejus ſuperſtite) cognovit eamdem* &c. Et infrà: *Cæterùm tolerari non debet, ſi priùs vel poſtea, dum vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet.* Ubi Scotus 4. diſt. 35. q. un. n. 3. *Et refertur* priùs & poſt, *ad fidei dationem.*

Ergò ſufficit ad hoc impedimentum, ſive fidei dationem, ſive Matrimonium de facto initum præcedat, ſive ſequatur adulterium, à conjuge illo admiſſum. Quippè in utroque caſu præbetur anſa captandæ mortis conjugis. Ita docent univerſi, inquit Sanchez ſup. diſp. 79. n. 3.

225. *Objicitur.* Sed contrà, dicet aliquis: dum machinatio præcedit adulterium, non præbetur anſa captandæ mortis conjugis; jam quippè mors illata eſt, ſaltem in ſua cauſa. Ergò non eſt paritas.

Solvitur. Reſpondetur: ſi valeret Matrimonium poſt machinationem illam, & adulterium ſubſecutum, daretur anſa machinandi & adulterandi; quæ utique ratio ſufficit, ut jure merito Eccleſia tali caſu voluerit inducere impedimentum; cumque verba legis non poſtulent præcedentiam adulterij, neque nos eam debemus poſtulare.

226. *Ordinariè adulterium præcedit.* Interim ordinariè adulterium præcedit, non tantùm mortem, ſed etiam machinationem; & ideò cap. *Super eo*, 3. de Eo qui duxit, dicitur: *Quòd ſi adultera eſt in mortem uxoris aliquid machinata.* Et cap. 6. eod. etiam loquitur de adulteris, quando dicit: *Quòd niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus.*

Fortè, inquam, ſic loquuntur hæc jura; quia ordinariè adulterium præcedit machinationem. Quamquam etiam verificari poſſent in caſu, quo machinatio præceſſiſſet; nam tunc etiam verum eſt dicere: *Adultera eſt in mortem uxoris machinata*, id eſt, ea, quæ jam adultera eſt, machinata fuit in mortem uxoris, non poſtquam adultera fuit, ſed antequam eſſet.

227. *An ſit neceſſarium ut fides data & adulterium intercedant, durante eodem Matr. Aliqui negant apud Sanchez.* Sufficit itaque, ut concurrant interfectio conjugis, & adulterium: *Durante tamen*, (ut habet ultima pars Concluſ.) *eodem Matrimonio.* Quod etiam requirunt Aliqui, ut per adulterium, & dationem fidei, vel contractum Matrimonij, hoc impedimentum inducatur.

Teſtis ſit Sanchius ſup. diſp. 79. n. 6. Non conſtat, inquit, inter DD. an neceſſarium ſit, ut fides data, & adulterium, durante eodem conjugio, intercedant: an potiùs ſufficiat in diverſis nuptijs. Quidam enim credunt ſufficere in diverſis nuptijs: unde cenſent, impedimentum hoc dirimens incurri; ſi conjugatus fidem Matrimonij, ineundi poſt uxoris obitum, Mariæ dederit, non exiſtente inter illos adulterio: & mortuâ uxore aliud Matrimonium conjugatus ille inierit, quo durante adulterium cum ipſamet Maria admiſit, non revocatâ fide Matrimonij. Quia verificatur adulterium & promiſſionem ſuperſtite conjuge evenire, quod ſolùm petitur cap. fin. de Eo qui duxit. Atque ita docent ibi Ioan. Andreas n. 3. Antonius n. 5. Anchar. n. 3. Henricus n. 4. & eſt probabile.

228. *Ipſe putat oppoſitum verius. Et probat.* At multò verius eſt, exigi, ut durante eodem conjugio, intercedant: atque ita in prædicto caſu nullum oriri impedimentum. Quòd per poſterius Matrimonium recedatur à fide data: ac proindè adſit adulterium. Denique quia ideò hoc impedimentum inductum eſt, quòd ex ea promiſſione concipiatur ſpes futuri Matrimonij, ac ex ea ſpe, machinationis mortis mariti, aut uxoris anſa præbeatur. At ea ſpes extinguitur, inito poſterieri Matrimonio. Hæc ille.

Conſequenter utique ad ſuam ſententiam, quam lib. 1. diſp. 49. n. 3. putat probabiliorem, ſcilicet per Matrimonium poſterius extingui omninò priora ſponſalia; ac proindè ſoluto Matrimonio, nullam ſupereſſe obligationem illa perficiendi, tametſi pars innocens eam perfectionem exigeret.

Sed quia ego oppoſitam ſententiam veriorem exiſtimavi, ſcilicet poſterius Matrimonium non diſſolvere ſponſalia ex parte utriuſque, ut videre poteris Diſp. præced. Sect. 2. Concluſ. 7. hinc nolo uti his probationibus. Qua ergò? Attendite.

229. *Alia probatio ex eod.* Sanchez ſup. diſp. 79. poſtquam adduxerat plures Auctores pro ſua opinione, de qua hic principaliter tractamus, ſubdit: Non explicant hi Auctores, quid è contrà dicendum ſit, quando durante priori conjugio, adulterium cum illa Maria admiſſum eſt, abſque Matrimonij fide, & durante poſteriori, data eſt fides abſque adulterio. Nec ratio extinctionis prioris fidei, datæ per poſterius Matrimonium, cui innituntur, militat in hoc caſu: cùm fides in poſteriori Matrimonio data ſit, nec poſſit dici, prius adulterium admiſſum extingui.

Verùm exiſtimo, nec in hoc eventu locum eſſe huic impedimento. Quia textus rectè inſpecti, eodem conjuge vivente, petunt adulterium & promiſſionem, ut eidem Matrimonio injuria irrogetur, præſtitâ anſâ conjugis ejuſdem interficiendi. Et ita cap. fin. de Eo qui duxit, dicitur: *dum vixerit uxor ipſius*, & cap. 1. eod. *Et illam maximè* cui fidem dederat uxore ſua vivente. Ubi de eodem conjugio, cui per adulterium, & fidem datam injuria infertur, manifeſtè videtur eſſe ſermo. Ita Sanchez.

230. *Approbatur ab Auctore.* Hâc ergò ratione dico, neceſſarium eſſe, ut fides data & adulterium intercedant, durante eodem Matrimonio. Cumque in d. tit. de Eo qui duxit, æquiparentur, quoad inducendum hoc impedimentum, fides data, & machinatio mortis ex parte alterius, conſequenter aſſero, neceſſarium eſſe, ut machinatio & adulterium intercedant, durante eodem Matrimonio, jure poſitivo ſic diſponente.

Unde ſi conjugatus commiſit adulterium cum Maria, & poſt obitum ſuæ uxoris duxit aliam, præter Mariam, quam occidit, ut cum Maria contraheret, non renovato adulterio ſub poſteriori Matrimonio, validè poterit cum Maria contrahere; quia machinatio & adulterium non intervenerunt durante eodem Matrimonio, quod tamen textus, ut dictum eſt, videntur requirere.

231. Cæterùm ſi à me quæritur, an oporteat adulterium

Adulterium hic debet esse perfectum & formaliter ex parte utriusque.

rium esse perfectum & formaliter tale ex parte utriusque? Item, an sufficiat ratihabitio machinationis.

Respondeo citiùs ad primam quæstionem, affirmativè; innixus eisdem fundamentis, quibus sup. Conclus. 2. sustinui, adulterium, quod concurrit cum datione fidei, perfectum debere esse, & formaliter tale ex parte utriusque (non enim video ullam disparitatem, sive ex ratione, sive ex jure positivo.

Oppositum docet Pontius.

Sed neque Pontius rationem, aut jus aliquod adducit pro opposito, quod ipse docet sup. ibi: Nec verò in isto casu requiritur, ut uterque sciat, in eo casu intervenire adulterium; satis est, si notum sit occisori, licèt oppositum sentiat Navarrus in Sum. cap. 22. n. 46. Hæc ille.

232. *Sed gratis.*

Nunquid gratis? Quare minùs hoc requiritur in uno casu, quàm in alio? Neque Auctorem, qui secum sentiat, adducit Basilius, neque rationem, aut jus pro hac diversitate. Et ideò non video ejus probabilitatem. Dum jura requirunt adulterium (inquit Aversa q. 18. sect. 4. §. *Octavo*) intelligunt formaliter tale ex parte utriusque, cujusmodi non est, nisi sit alteri etiam parti notum.

Aversa arguit ipsum inconsequentia.

Nec satis cohæret, quod Pontius volebat, oportere notificatam fuisse concubinæ intentionem viri, machinantis mortem suæ uxori, ad finem ducendi ipsam concubinam; & quod modo ait, non oportere illi notum esse adulterium suum cum eo viro, sive conjugium ejus viri cum uxore tunc vivente, sed propediem occidendâ. Ita Aversa.

Quidquid sit de hoc, non video, sicut dixi, ullam rationem, neque ullum jus quod sufficienter distinguat inter illos casus; & ideò hæc distinctio non est asserenda.

233. *Non sufficit ratihabitio machinationis, ex Sanchez.*

Ad secundam quæstionem respondet Sanchius sup. dis. 78. n. 6. minimè sufficere eam ratihabitionem. Quia (inquit ille) ratihabitio ex sola fictione juris trahitur retrò, & mandato æquiparatur: at ut fictio locum habeat, exigitur, duo extrema esse habilia ad illum actum exercendum. Ut quidam nomine infantis hominem occidit, infans, major factus, ratam occisionem habet, nequit ratihabitio illa retrotrahi; quia infans nequibat tunc mandare.

Similiter concesso termino ad aliquid agendum, amicus nomine alterius fecit transacto termino, non proderit ratihabitio alterius: Quia post terminum non poterat verè efficere, ac proindè nec fictè l. penult. ff. Ratam rem &c. in principio: *Bonorum possessionem, ab alio adgnitam, ratam haberi oportere eo tempore, quo adhuc in ea causa sit, ut peti possit. Itaque post centesimum diem rata haberi non potest.* Ad rem ergò, petunt textus ad hoc impedimentum machinationem ad conjugi necem inferendam: & cum, eâ illatâ, intervenire machinatio nequeat, ratihabitio illa non potest retrotrahi. Hæc ille.

234. *Idem sentit Panorm.*

Quæ desumpsit ex Panormitano cap. 1. de Conversione infidelium in fine, ubi sic legitur: Hostiensis distinguit, utrùm nomine mulieris fuerit maritus interfectus, vel ne, ut primo casu sufficiat ratihabitio, secundo non; arg. in cap. *Cùm quis*, de Sent. excom. lib. 6. Host.

Ioan. And. dicit, hanc distinctionem non procedere; cùm hìc requiratur machinatio, & nihil aliud dicit; vult dicere, quòd ubi in actu requiritur machinatio scienter, non sufficit ratihabitio, cùm non possit machinatio intervenire post factum. Ioan. And.

235. *Fictio juris non procedit, nisi extrema sint habilia.*

Sed dic clariùs, ponendo veram rationem decisionis Glossæ: ratihabitio retrotrahitur ex fictione juris; sed ad hoc ut fictio procedat, requiritur ut duo extrema sint habilia ad illum actum perpetrandum, scilicet tempus, quo actus fuit gestus, & tempus ratihabitionis; si enim alterum istorum deficit, non procedit ratihabitio; quia fictio non causatur super impossibili.

Exemplum.

Exemplum: quidam interficit nomine infantis hominem, demum infans, major factus, habet ratum, certè hæc ratihabitio non trahitur retrò; quia impossibile erat illum infantem tunc temporis mandare delictum; ergò non potest trahi retrò, cùm non debeat plus posse fictio, quàm veritas, & istud appellatur extremum ad quod.

Aliud.

Pone exemplum in extremo, à quo fit contractus: habebam terminum ad certum quid agendum; amicus meus nomine meo agit, illud ego post terminum habui ratum: nunquid hoc sufficit? Certè dicendum, quòd non; quia cùm post terminum non potuissem verè facere; ergò nec fictè. Pro hoc est pulcher textus in l. *Bonorum*, ff. Ratam rem &c. Ad propositum ergò, cum post mortem mariti non possit uxor machinari in ipsius mortem, ergò deficit hic extremum à quo, & sic non procedit ratihabitio; quia quando deficit alterum extremorum, non habet locum ratihabitio. Hactenùs Panormitanus.

236. *Objicitur c. 23 de Sent. excom. in 6.*

Sed non respondet ad argumentum Hostiensis, desumptum ex cap. 23. de Sent. excom. in 6. sequentis tenoris: *Cùm quis absque tuo mandato manus injicit in Clericum tuo nomine violentas: si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à Canone incurris. Cùm ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Si verò injectio eadem tuo nomine non fuit facta: tunc licet pecces ratam habendo eamdem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius vinculo innodaris: Cùm quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.* Ita Bonifac. VIII.

Interrogo nunc: aliquis meo nomine manus violentas injecit in Clericum, cum occidendo; si ego hoc ratum habuero, censen' me incurrisse excommunicationem, latam à Canone? Censeo, inquis, nam verba d. textus sunt nimis clara.

Sed contrà; post mortem Clerici non possum ego ipsum occidere; sicut post mortem mariti uxor non potest machinari in ipsius mortem; ergò si in uno casu deficit extremum à quo, & sic non procedit ratihabitio, etiam in alio, vel assignetur disparitas.

Si

237. *Occurritur ſolutioni.* Si dixeris : ratihabitio non eſt cauſa occiſionis mariti, ſed occiſionem ſupponit : nec poteſt facere, ut ſit, aut præceſſerit machinatio mortis, quam jura requirunt.

Reſpondetur : neque ratihabitio eſt cauſa occiſionis Clerici, ſed occiſionem ſupponit : nec poteſt facere, ut ſit, aut præceſſerit violenta injectio manûs in Clericum, quam jura requirunt.

238. *Alia ſolutio.* Dices rursùm : ratihabitio ex fictione juris retrotrahitur, & mandato comparatur in ijs, quæ ſolùm pendent à voluntate ratum habentis, vel in ijs, quæ jure diſponente pro mandato reputantur ; quod in præſenti non contingit. Adde ; quòd etſi comparetur mandato, non ſit tamen verè mandatum in odioſis.

Rejicitur. Reſpondetur : ſufficit, quòd comparetur mandato, ut patet in ratihabitione occiſionis Clerici, quæ non magis eſt verè mandatum, quàm ratihabitio occiſionis mariti. Quæ enim ratio diſparitatis ? Utrumque enim pœnale eſt ; ac proindè ex ea parte odioſum. Ergò illa ratihabitio in utroque caſu eſt verè mandatum, vel in neutro ; & per conſequens, vel in utroque habet effectum veri mandati, vel in neutro.

Et ſanè non video, quare magis occiſio Clerici, ſolùm pendeat à voluntate ratihabentis, quàm occiſio mariti. Quare ſola differentia eſt, quòd jus expreſsè in uno caſu ratihabitionem reputet pro mandato, ut patet ex d. cap. 23. nullum autem jus reperiatur, quod ratihabitionem occiſionis mariti reputet pro mandato.

239. *Expenditur Reg. 10. juris in 6.* Sed undè conſtat, quòd Reg. 10. de Reg. juris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*, ſolùm intelligi debeat in ijs, quæ jure expreſsè diſponente pro mandato reputantur ? Hoc ergò probandum manet, non ſupponi debet tamquam indubitatum.

Herculè cùm ſit regula generalis, dicam ego eâdem facilitate, eam intelligendam eſſe in omni caſu, qui expreſsè per aliquod jus non excipitur. Nullum autem ſcio jus, quod excipiat noſtrum caſum. Vide Gloſſ. in D. Reg. verb. *Ratihabitionem*, ubi allegat plures caſus, in quibus per jus expreſsè diſponitur contrarium : non meminit autem noſtri caſûs.

240. *Item l. 152. ff. de Diverſ. reg. juris.* Nec ſolum jus Canonicum loquitur generaliter, ſed etiam jus civile, ff. de Diverſ. reg. juris, l. 152. aliàs 194. *In maleficio ratihabitio mandato comparatur*, ſcilicet quoad effectum, ut notat Gloſſ. ſup. ibi : *Nec comparatur mandato quoad ſpeciem actionis, quia datur actio negotiorum geſtorum &c. comparatur autem quoad effectum : & ideò non dixi, quòd ratihabitio ſit mandatum, ſed quòd mandato comparatur.*

Hæc dicta ſint veritatis inquirendæ gratiâ, & ut manifeſtum fiat, argumentum Hoſtienſis non eſſe levis momenti ; & per conſequens, diſtinctionem ejus non eſſe improbabilem, hoc eſt, non eſſe improbabile, ratihabitionem in caſu noſtro ſufficere ad impedimentum, dummodò occiſio mariti facta ſit nomine mulieris.

241. *Quid ſit ratum aliquid habere.* Alioquì, ut habet Reg. 9. de Reg. juris in 6. *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Ratum namque habere dicimur, cùm approbamus quod noſtro nomine geſtum eſt, arg. l. 12. ff. Ratam rem §. 1. *Rem haberi ratam, hoc eſt, comprobare, adgnoſcereque, quod actum eſt à falſo procuratore.* Procurator autem non agit nomine ſuo, ſed alterius, ut clarum eſt.

Sententia Sanchez & Panorm. eſt communis. Interim oppoſita ſententia (quæ dicit, ratihabitionem hìc non ſufficere, eſt communis Doct. cum Gloſſ. cap. 1. de Converſ. infid. verb. *Procuraverint*, in fine : *Quid ergò ſi ratum habuerunt eos interfectos eſſe ? Idem videtur : quia in maleficys ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*, ff. de Vi & vi ar. l. 1. §. Sed & ſi cùm quis. *Contrà credo ; arg. inf. de Sponſal.* Cùm apud : *cum edictum de Matrimonio contrahendo ſit prohibitorium, ut ibi Ber.*

Et Gloſſ. cap. *Si quis vivente*, 31. q. 1. verb. *Occidiſſe*, in fine ait : *Sed nec impeditur, qui mortem viri ratam habet, dum tamen non præcipit, licèt aliàs in maleficijs retrotrahatur ratihabitio, ff. de Vi & vi ar. l. 3. §.* Cum procurator, 27. q. 1. *c.* 1.

242. *Scotus videtur ei ſubſcribere.* Hinc Scotus 4. diſt. 35. q. un. n. 8. *Sed eſto* (inquit) *mulier primo ignara, poſt audita viri interfectione, ratum habet, nunquid impedit ? Videtur quòd ſit, quia in maleficijs ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. Oppoſitum tamen tenet Gloſſa cap. prædicto* : Laudabilem, *in fine, propter illud cap. nunc adductum.* Cùm apud.

Ubi videtur approbare ſententiam Gloſſæ, cùm ultimo loco eam adducat, nec improbet : quàmvis etiam non aliter probet, quàm per d. cap. *Cùm apud*, 23. de Sponſal. ubi Pontifex Innoc. III. interrogatus, an ſurdus & mutus alicui poſſint matrimonialiter copulari, reſpondet, poſſe : *Quod cum prohibitorium ſit edictum de Matrimonio contrahendo, ut quicumque non prohibetur, per conſequens admittatur.*

243. *Quicumque non prohibetur, poteſt contrahere Matr.* Ubi Gloſſ. in poſitione caſûs : *Reſpondet*, inquit, *Papa, edictum de Matrimonio contrahendo prohibitorium eſt, quod eſt dicere, quicumque non prohibetur per jura, per conſequentiam contrahere poteſt.*

Et verb. *Prohibitorium*, ait : *Vt* 30. *q.* 4. Qui ſpiritualem. *Vnde omnes admittuntur, qui non expreſsè prohibentur, ff. de Procur.* Mutus, §. 1. *Cùm quæretur, an alicui procuratorem habere liceat, inſpiciendum erit, an non prohibeatur procuratorem dare ; quia hoc edictum prohibitorium eſt.*

Dum ergò quæritur, an alicui liceat contrahere Matrimonium, inſpiciendum eſt, an hoc ei expreſsè prohibeatur. Si non, admitti debet. Iam autem non expreſsè prohibetur contrahere, qui ſolùm ratam habuit occiſionem conjugis ; ergò debet admitti.

Itaque tametſi hæc Reg. *Ratihabitationem retrotrahi* &c. generaliter vera foret, etiam in iis, quæ in jure non exprimuntur ; equidem in hac materia patitur exceptionem ; quia, ut dictum eſt, edictum de Matrimonio contrahendo eſt prohibitorium, & ideò omnes admitti debent, qui non expreſsè prohibentur.

244. *Quare poſſionem* Ex quo patet, quare potiùs incurrat hoc impedimentum, qui mandavit aut conſuluit occi-

tiùs incurrat impedimentum. qui mariti occisionem, quam is, qui eam ratam habet.

sionem, quàm qui eam tantùm ratam habuit. Patet, inquam, disparitas ex parte juris, disponentis expresè in uno casu, & non in alio. Nam cap. 1. de Convers. infidel. uxor fidelis non interfecerat virum proprijs manibus, sed infidelis illum occiderat, machinatione & insidijs uxoris; sic enim dicitur in principio cap. *Interrogasti de Saracenis, qui dum in captivitate essent, quadrundam Christianarum viros, earum insidijs & machinatione occiderunt* &c. Et alia jura solùm ponderant machinationem mortis, quæ non petit proprijs manibus mortem inferri, sed qualicumque cooperatione.

245. *Quid si vir occidat uxorem deprehensam in adulterio? Incurritur impedimentum juxtà Avers. & Rebel.*

Sed quid, si vir inferat mortem, per se, vel per alium, uxori deprehensæ in flagranti crimine adulterij cum alio viro? Respondent Aliqui, non incurri ab eo hoc impedimentum: eo quòd leges non puniant hoc homicidium, aut imputent tamquam crimen.

Sed dici debet (inquit Aversa sup. §. *Addunt Rebell.*) incurri, dummodò adsint aliæ conditiones requisitæ, videlicet ut vir ad finem ducendi concubinam, sive conspirante aliâ fœminâ, quam intendit ducere, sic occidat uxorem. Nam quamvis leges civiles non puniant tale factum: verè tamen est crimen, & leges Canonicæ id execrantur, nec sacri Canones hoc excipiunt in constituendo hoc impedimento. Ita hic Auctor, & nos cum illo.

246. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat: quòd fortè principalis intentio fuerit vindicandi delictum adulterij; nam jura non exprimunt, intentionem contrahendi debere esse primariam. Quid si dubitent de intentione contrahendi? Videtur, quòd non possint contrahere. Tum, quia moraliter constare debet, non subesse impedimentum, aliàs exponunt se periculo fornicationis. Tum, quòd in dubio præsumat forum externum eam adfuisse, ut sup. diximus ex Sanchio: atqui in foro interno statur præsumptioni fori externi, quando non constat de oppositâ veritate.

In dubio de intentione non licet contrahere. Et quare.

247. *Objicitur Reg. juris 65. in 6.*

Sed contrà videtur facere Reg. 65. *In pari delicto vel causâ potior est conditio possidentis*; jam autem dubitans de intentione, possidet suam libertatem, habetque pro se jus naturale contrahendi Matrimonium, quo in dubio non videtur spoliandus. Sicut ergò qui dubitat de reservatione peccati sui, stante dubio non tenetur illud confiteri Superiori, ut suo loco diximus, quia reservatio odiosa est; pari ratione, qui dubitat de hoc impedimento, quod pœnale est, & restrictivum juris naturalis, atque adèo odiosum, non videtur debere abstinere à Matrimonio? Porrò qui dubitat de intentione sua, dubitat de impedimento, si intentio ad hoc necessaria sit, ut ex supradictis suppono esse.

Neque sic contrahens magis se exponit periculo fornicationis, quam ille, qui contraheret cum dubio adulterio, aut promissione dubiâ Matrimonij: putas autem, quòd hic peccaret? In dubio potior est conditio possidentis. Et non videtur Ecclesia velle inducere hoc impedimentum, nisi sit adulterium perfectum, & ex parte utriusque formaliter. Cum ergò in casu nostro non certò constet de culpa commissa, videtur Ecclesia tali casu non voluisse inducere hoc impedimentum. *Resp. ad 1. rationem.*

Quantùm ad præsumptionem fori externi, fortè in hoc casu deficeret, cùm intentio ulciscendæ injuriæ planè sufficiens appareat ad hujusmodi occisionem; ita ut etiamsi non habuisset aliam intentionem, non sumpsisset ultionem mitiori modo. Quare etiam jus civile non punit tale delictum. 248. *Satisfit 2. arg.*

Hinc doctrina Sanchez suprà, scilicet, forum externum præsumere intentionem contrahendi, intelligi posset in casu communiter occurrenti, quando quispiam conjugem perimit, nullâ aliâ datâ causâ, aut certè non extraordinariâ causâ, sicuti hìc est. Unde ut sup. vidimus, etiam aliqui excusant sic occidentem, estò certò constaret de intentione contrahendi, excusant, inquam, ab hoc impedimento. Quantò magis excusarent eum, quando intentio dubia foret.

Quid ergo, inquis, in casu, quo jus externum præsumeret consensum, juxtà doctrinam Sanchij sup. Respondeo: tali casu non manere intentionem dubiam; jam enim dubitans habet rationem sufficientem firmiter judicandi, se habuisse intentionem contrahendi, atque adeò impedimentum incurrisse. Constat ergò tali casu non posse contrahere. 249. *Quid si jus externum præsumeret intentionem?*

Et hactenùs quidem de adulterio & machinatione in mortem conjugis, quæ jure antiquo prohibent Matrimonium contrahendum, & dirimunt post contractum, ut liquidò demonstravimus. Nunc agendum est de alio prætereà crimine, quod dicitur raptûs, estque impedimentum dirimens jure novo Concilij Trid. ut patebit ex dicendis Sectione sequenti.

SE-

SECTIO IX.

DE

IMPEDIMENTO RAPTUS.

1. *Decr. Tridentini de raptoribus.*

PLacet auspicari hanc Sectionem à verbis Concilij Tridentini Sess. 24. de refor. Matr. c. 6. *Decernit S. Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quòd si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi, consilium, auxilium & favorem prabentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Hæc Tridem.

Quæ ut meliùs intelligantur, necessariò præmitti debet, quid raptus sit, & quæ pœnæ jure Civili aut Canonico antiquo statutæ fuerint, per raptores incurrendæ. Erit igitur.

CONCLUSIO I.

Raptus, violenta traductio honestæ mulieris de uno loco ad alium, causâ explendæ libidinis, olim subjectus erat pœnis mortis, & amissionis bonorum. Item excommunicationis.

2. *Ad raptum requiritur violentia.*

QUòd ad raptum requiratur violentia seu vis, patet ex l. 3. ff. de Incendio, ruinâ &c. §. sequentis tenoris: *Aliud esse autem rapi, aliud amoveri, palam est: siquidem amoveri aliquid etiam sinè vi possit: rapi autem sinè vi non potest.*

Et Institut. de Publicis judicijs, §. 9. ita lego: *Sin autem per vim raptus virginis vel vidua, vel sanctimonialis vel alterius fuerit perpetratus; tunc & raptores, & ii, qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur, secundùm nostra constitutionis definitionem, ex quâ hoc apertius possibile est scire.*

3. *Constitutio civilis de Raptoribus.*

Rogas, quæ sit illa constitutio? Respondeo: l. unica Cod. de Raptu virginum &c. quæ sic incipit: *Raptores virginum honestarum vel ingenuarum, sive jam desponsatæ fuerint, sive non, vel quarumlibet viduarum fœminarum, licèt libertinæ, vel serva alienæ sint, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos decernimus: & maximè, si Deo fuerint virgines, vel vidua dedicatæ, quod non solum ad injuriam hominum, sed etiam ad ipsius omnipotentis Dei irreverentiam committitur: maximè cum virginitas, vel castitas corrupta, restitui non possit. Et meritò mortis damnantur supplicio, cum nec ab homicidij crimine hujusmodi raptores sint vacui.*

Ne igitur sine vindicta talis crescat insania, sancimus per hanc generalem constitutionem, ut hi qui hujusmodi crimen commiserint, & qui eis auxilium invasionis tempore præbuerint, ubi inventi fuerint in ipsa rapina, & adhuc flagranti crimine comprehensi, & à parentibus virginum vel ingenuarum, vel viduarum, vel quarumlibet fœminarum, aut earum consanguineis, aut à tutoribus vel curatoribus, vel patronis, vel dominis convicti, interficiantur.

Quæ multò magis contrà eos obtinere sancimus, qui nuptas mulieres ausi sunt rapere; quia duplici tenentur crimine, tam adulterij scilicet, quàm rapinæ, & oportet acerbiùs adulterij crimen ex hac adjectione puniri. Quibus connumeramus etiam eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit.

4. *Eâ statuitur pœna mortis, si fœminæ fuerint honestæ. Secùs in meretrice.*

Ecce prima pœna, jure Civili statuta raptoribus, scilicet mortis; si tamen fœminæ, quæ rapiuntur fuerint honestæ, ut notat Gloss. ibi verb. *Virginum honestarum*, dicens: *Secus est in meretrice, ut sup. ad Legem Iuliam de adulteriis, l.* Quæ adulterium: *& determinat hac dictio,* Honestarum, *etiam sequentia.* Ita ut in quocumque casu, & in quacumque muliere intelligatur, dummodò sit honesta. Hinc l. 40. ff. de Furtis, dicitur: *Verum est, si meretricem alienam ancillam rapuerit quis, non esse furtum.*

Prima limitatio.

Quod temperandum est primò (inquit Sanchez lib. 7. disp. 12. n. 23.) nisi vitæ anteactæ pœnitentiâ ducta meretrix illa, vitam honestam agere cœpisset: ita ut non sufficiat pœnitentia illa absque honestæ vitæ inceptione.

Secunda.

Secundò: nisi meretrix illa esset conjugata. Quia tunc marito irrogaret injuriam raptor illius meretricis, ac subindè jure optimo raptoris pœnis obnoxius esset. Quod intellige nisi maritus esset leno. Tunc enim etiam respectu ipsius cessaret injuria. Ita Sanchez cum Alijs, quos citat. Sanchez.

5. *Hæc impugnatur.*

Verùm enimverò cùm pœna mortis sit gravissima, & hæc dictio: *Honestarum*, secundùm Glossam sup. determinet etiam sequentia; ac proindè etiam mulieres nuptas, non video, quare non possit probabiliter dici, non esse raptum, de quo ibi agitur, quàmvis meretrix nupta sit, & maritus ejus non sit leno, sed vir honestus. Quip-

pe leges pœnales non sunt extendendæ ultrà proprietatem verborum, sed potiùs intrà eam restringendæ.

Quæ dicatur hic meretrix.

An verò dicatur meretrix, seu inhonesta mulier, quæ semel sui corporis copiam fecit, ita ut non sit locus pœnis raptûs? Consulendi sunt (inquit Sanchez sup.) Decianus tract. criminali lib. 8. c. 7. n. 12. & Vela de pœnis delictorum c. 29. corollar. 4. Consulere illos non potui defectu librorum. Interim dico, sicut dixi alibi, agens de causâ exhæredationis filiæ meretricis, non vocari meretricem, quæ semel tantùm aut bis copiam sui corporis facit, idque furtim.

6. *Quid si rapta fuerit ancilla.*

Sed quid, si mulier rapta non fuerit ingenua; sed ancilla vel libertina? Consulenda d. lex un. quæ ait: *Et si quidem ancillæ vel libertinæ sunt, quæ rapinam passæ sunt, raptores tantummodò supradictâ pœnâ* (mortis) *plectentur: substantijs eorum nullam diminutionem passuris. Sin autem in ingenuam personam tale facinus perpetretur, etiam omnes res mobiles, seu etiam immobiles, & se moventes, tam raptorum, quam eorum sodalium, comitum vel sequentium, qui eis auxilium præbuerint, ad dominium raptarum mulierum liberarum transferantur, providentiâ judicum, & curâ parentum earum, vel maritorum, vel tutorum seu curatorum.*

Secunda pœna, amissio bonorum, si fuerit ingenua.

Et si non nuptæ mulieres alij cuilibet, præter raptorem, legitimè conjungentur, in dotem mulierum liberarum easdem res, vel quantas ex his voluerint procedere, sive maritum nolentes accipere, in sua pudicitia manere voluerint, pleno dominio eis sancimus applicari, nemine judice, vel aliâ quâcumque causâ hoc audente contemnere. Atque hæc est secunda pœna eorum, qui rapiunt fœminas honestas & ingenuas, scilicet amissio omnium bonorum.

7. *Tertia Pœna prohibitio Matr. inter raptam & raptorem.*

Sequitur tertia, his verbis ibidem expressa: *Nec sit facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere, sed cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent Matrimonio: quoniam nullo modo, nulloq; tempore datur à nostra Serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in nostra Republica Matrimonia student sibi conjungere. Oportet etenim, ut quicumque uxorem ducere voluerit, sive ingenuam, sive libertinam, secundùm nostras leges & antiquâ consuetudinem, parentes, vel alios, quos decet, petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium.* Igitur jure civili si non invalidum, saltem illicitum erat conjugium inter raptorem & raptam, estò ipsa ampliùs non foret in potestate raptoris.

8. *Eadem statuitur jure Canonico.*

Sed & reperiuntur Canones idem statuentes; putà can. 10. Synodi Regiaticinæ sub. Leone IV. *Quæ verò vel viduæ, vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque ipsarum, & parentum voluntate rapiuntur, nihilominùs vel parentibus, vel propinquis restituantur, & alijs, si voluerint, nubant, nam ipsorum, à quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenùs esse possunt.* Idem statuit Concil. Cabilonense, ut refertur cap. *de Puellis*, 36. q. 2. ibi: *Vt, juxtà Canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vendicare nullatenùs possint.*

Prætereà, cap. fin. eâd. q. ex Concilio Aquisgranensi dicitur: *Placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenùs habeant uxores.* Et Concil: Meldense cap. 66. in fine ait: *Raptores sinè spe conjugij perpetuò maneant.*

Verùm (inquit Pontius lib. 7. cap. 69. n. 4.) ea quæ his Canonibus statuta sunt, privatæ quædam leges fuerunt ab his, apud quos celebrabantur Concilia, servatæ, cùm penès ipsos ea potestas tunc esset constituendi impedimenta.

9. *Qualiter raptus olim fuerit impedimentum, ex Pontio.*

Putat hic Auctor ibidem n. 3. à primis Ecclesiæ temporibus, usque ad Trid. raptum non aliâ ratione fuisse impedimentum Ecclesiasticum, nisi quatenùs vel quamdiu consensus raptæ derat. Cùmque consensus jure naturali ad Matrimonium requiratur, exindè efficitur, non aliâ ratione diremisse Matrimonium, nisi quia vis illata, ac consensus coactus dirimit Matrimonium: atque adeò jure naturali dirempta Matrimonia per raptum: si enim puella etiam in potestate raptoris consistens, & quandocumque, consentiret, tenebat Matrimonium. Hæc ille.

10. *Dictum jus civile tempore Innoc. 3. fuit correctum.*

Quæ non libet ulteriùs examinare; quia tametsi à principio Ecclesiæ raptus fuisset impedimentum, sive prohibens, sive etiam dirimens, constat saltem tempore Innocentij III. hoc impedimentum sublatum fuisse, & correctum jus civile, sup. adductum: nam Episcopo Saronen. rescribit in hæc verba (& habentur cap. fin de Raptoribus) *Accedens ad Apostolicam Sedem.* Et infrà: *Rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod antè displicuit, tandem incipiat complacere: dummodò ad contrahendum legitimæ sint personæ.* c. fin. de Raptoribus.

Ubi Gloss. verb. *Cum raptore*, inquit: *Secundùm antiquos Canones, & secundùm leges non poterat raptor contrahere cum rapta*, 36. q. 2. De puellis, & c. Si autem, & cap. Placuit, & *Cod de Raptu virginum. l. un. §. Sin autem. Hodie secùs, ut hic, & 36. q. 2.* Denique, & cap. Tria. *Bern.*

Quoad prohibitionem Matr. cum raptore.

Itaque d. l. unicam Cod. de Raptu virginum, de qua hìc agimus, quoad hoc punctum correxit jus Canonicum. Nunquid etiam in eo, quod dicit: *Quibus connumeramus etiam eum, qui saltem sponsam suam per vim rapere ausus fuerit?* Namque, secundùm jus Canonicum, ibi solùm raptus admittitur, ubi nil ante de nuptijs actum fuit.

c. penul de Rapt.

Constat ex cap. penult. de Raptoribus, ibi: *Respondemus, quod cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nil antè de nuptijs agitur: iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & seriùs ipsam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.*

11. *An etiam quoad raptum propriæ sponsæ? Affirmat Sanchez.*

Per quod (inquit Sanchez sup. disp. 12. n. 15.) corrigitur l. unica ad medium principij Cod. de Rapt. virg. ibi: *Quibus connumeramus* &c. Quam l. regia 3. tit. 20. p. 7. explicat de raptu sponsæ de futuro, ut benè advertit Greg. Lopez verb. *sue esposa.* At corrigitur per dictum cap. penult. quod raptum puniri non permittit, factum pro ineundo Matrimonio, quando præcessêre sponsalia de futuro. Et loqui eum textum,

tum, etiam quando ſola hæc ſponſalia præceſſere, conſtat, quòd dicat: *Vbi nil ante de nuptijs agitur*: quando etenim ſponſalia præcedunt, jam verum eſt, aliquid de nuptijs actum eſſe.

Eſtque ſententia Abbatis.

Atque ita docet Abbas ibi n. 1. dicens: Nota primò, quòd raptus propriè dicitur committi, ubi mulier rapitur causâ libidinis exercendæ; ſecùs ubi causâ Matrimonij contrahendi; & hoc, ubi priùs præceſſit tractatus de Matrimonio; & in hoc multùm iſte textus eſt notabilis, & multùm judicio meo iſte textus deviat à l. unica Cod. de Raptu virg. nam ibi raptus dicitur committi, etiam cum ſponſa de futuro, & hic textus apertè innuit oppoſitum. Hæc ille.

12. *Quid requiratur, ut ſit locus pœnis raptûs juxtà d. c. penul.* Sanchez. Boſſius.

Aliqui volunt (inquit Sanchez ſup.) ut non ſit locus pœnis raptûs, juxtà deciſionem d. cap. penult. deſiderari tres conditiones. Prima, ut puella abductioni conſenſerit: ſecunda, ut præceſſerint ſponſaliæ: tertia, ut Matrimonium ſubſecutum ſit.

Sed benè Boſſius Practica. tit. de Raptu mulieris n. 17. & Decianus tract. criminali lib. 8. cap. 13. n. 47. cum Alijs quos referunt, ſolas duas priores conditiones neceſſarias eſſe affirmant. Quòd textus cap. penult. ſolas eas exegerit, & dum de Matrimonio ſubſecuto mentionem fecit, id fuit ad eum finem, ut revocetur conjux à monaſterio, quod poſt Matrimonij conſummationem ingredi nequit.

Corneus.

Id tamen cum Corneo conſil. 80. n. 7. & 8. volum. 2. aſſerendum eſt, nempè non ſufficere, actum eſſe de nuptijs contrahendis, ſi non ſit jam præſtituſ conſenſus de Matrimonio incundo, ac is tractatus concluſus. Verba enim illa d. c. penult. *Vbi nil ante de nuptijs agitur*, ſunt cum effectu accipienda: quòd ex tunc jam habeat aliquale jus raptor in raptam: nullum enim habet, dum ſponſalia non ſunt communi placito inita. Hucuſque Sanchez.

13. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis: ſi hæc omnia vera ſint, cùm jura juribus ſint concordanda, quantùm poſſibile eſt, nec facilè correctio alicujus juris admittenda, ubi non eſt neceſſitas; quare admittimus, d. l. unicam correctam fuiſſe à d. cap. penult. cùm facilè concordari poſſint? In primis dicendo, d. l. unicam per raptum ſponſæ ſuæ intellexiſſe abductionem puellæ non conſentientis; ut videtur indicare illa particula: *Per vim*, ſcilicet illatam ipſi ſponſæ.

Quomodo poſſit intelligi d. l. unica.

Vel ſi hæc concordia non placet (quia §. 2. conſtituitur: *Vt huic pœnæ omnes ſubjaceant ſive volentibus, ſive nolentibus virginibus, ſive alijs mulieribus tale facinus fuerit perpetratum*) intelligendo d. l. unicam de raptu propriæ ſponſæ, causâ libidinis exercendæ, & non Matrimonij contrahendi.

Nam de tali raptu virginum, aliarumque mulierum loquitur d. lex, ut patet ex illis verbis: *Peſſima criminum peccantes*; & iſtis: *Maximè cùm virginitas & caſtitas corrupta reſtitui non poſſit.* At verò d. cap. penultimum apertè loquitur de abductione puellæ ſeu ſponſæ conſentientis, causâ Matrimonij contrahendi, quod etiam contractum fuerat, antequam eam cognoverat atque ita dicta jura non erunt contraria, ſed ſolummodò diverſa.

14. *Expenditur Gloſſ. d. cap. penul. ex Abbate.*

Abbas ſup. n. 4. expendens, quod ait Gloſſ. d. cap. penult. verb. *Dicatur admitti* in fine: *Raptus non eſt, ubi puella conſentit*: ſic inquit: Loquitur nimis generaliter. Unde intelligo Gloſſam, ut procedat, quando de nuptijs habitus fuit prævius aliquis tractatus, ita quòd fuit rapta pro Matrimonio contrahendo, & ita loquitur iſte textus. Si autem nullus præceſſiſſet contractus de nuptijs, quantumcumque puella conſenſerit raptui, ſi violentia infertur parentibus, raptus committitur, ut in cap. *De Raptoribus*, 36. q. 1.

Et idem videtur, ubi parentes ignorabant, vel fortè non erant ſuperſtites: nam mulier non poteſt exponere ſe raptui, ſicut alia delicta committere non poteſt, nec membra ſua exponere, ut l. *Liber homo*, ff. ad legem Aquil. Cap. *Significavit*, de Corp. vitiatis. Item puella ſemper præſumitur extorta & decepta; unde ille conſenſus videtur extortus.

15. *Concluſio Abbatis.*

Conclude ergò: quòd ubi tractatus de nuptijs non præceſſit, raptus ſemper dicitur committi, ſive puella conſenſerit, ſive non, ut apertè vult textus in d. l. unicâ, & vide Gloſſam in Regula: *Scienti*, de Reg. juris lib 6. Sed ubi præceſſit tractatus, & pro Matrimonio contrahendo fuit abducta, tunc de jure Canonico non committitur raptus; quia Matrimonium debet eſſe liberum, & puella non poterat liberè contrahere in domo parentum, eis renitentibus.

Quid conſideraverit jus Canonicum, & quid jus Civile.

Unde jus Canonicum conſideravit libertatem Matrimonij; jus verò civile conſideravit delictum raptoris, & deceptionem mulierum: unde habuerunt diverſos reſpectus, & ſic potiùs jura ſunt diverſa, quàm contraria. Sed in Matrimonio, & in acceſſorijs, ſtamus juri Canonico, ut in cap. penult. & ult. de Secund. nupt.

Unde hodie multùm dubitari poteſt, nunquid procedat jus civile, dum aufert bona delata raptæ, quia contraxit Matrimonium cum raptore; & Gloſſ. not. in d. c. *Cùm ſecundùm leges*, de Hæred. lib. 6. tenet quòd ſic. Sed poteſt multùm dubitari, utrùm illa Gloſſa ſit vera: quià licèt jus civile tollat lucrum, quod alias contulerat mulieri; tamen interdicitur Matrimonium, & tollitur libera facultas contrahendi cum raptore: unde videtur, quòd hodie de jure Cononico non procedat illa diſpoſitio. Hactenùs Abbas.

16. *Dicta jura videntur potiùs eſſe diverſa, quàm contraria.*

Quæ ſic ad propoſitum noſtrum applicare poſſumus. Quando d. l. unica raptum ſponſæ connumerat raptibus virginum, & aliarum mulierum, conſideravit delictum raptoris. At verò jus Canonicum conſideravit libertatem Matrimonij. Unde habuerunt diverſos reſpectus, & ſic potiùs jura ſunt diverſa, quàm contraria.

Non eſt raptus ubi puella volens abducitur, ex Sanchez.

Cæterùm quod ſup. docere videtur Abbas, raptum eſſe, quando puella etiam ſub nullius poteſtate conſtituta, volens abducitur, non placet Sanchio ſup. diſp. 12. n. 6. Quòd rapere importet cum vi vel impetu auferre, ut in principio hujus Concluſ. ex jure oſtendimus. Præterea: quia *Scienti & conſentienti non fit injuria*, neque

neque dolus, Reg. 27. de Reg. juris in 6. & l. 145. ff. eod. *Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiant.*

17. *Occurritur objectioni.* Nec obstat: quod sup. adductum est ex d. l. un. *Vt hujc pœnæ omnes subjaceant sive volentibus, sive nolentibus virginibus* &c. quia procedit ex præsumptione quadam: præsumit quippè vim inferri mulieri importunis ac dolosis persuasionibus, ut patet ex verbis subsequentibus: *Si enim ipsi raptores metu vel atrocitate pœnæ ab hujusmodi facinore se temperaverint, nulli mulieri, sive volenti, sive nolenti peccandi locus relinquetur: quia hoc ipsum velle mulierum ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi etenim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle, in tantum dedecus se se prodere.*

Hinc Gloss. in d. l. *Nemo*, verb. *Scienti*, inquit: *Item contra Cod. de Rapt. virg. l. unicâ, ubi si capio virginem, etiam volentem, teneor. Sed hoc ideo; quia id voluit persuasione dolosâ, quod plus est, quam violenta, ff. de Servo corrupto l. 1. §. Persuadere autem est plus quam compelli, atque cogi sibi parere.*

18. *Resp. Sanchez ad rationem Abbatis.* Porrò ad rationem Abbatis, respondet Sanchez sup. n. 6. Quàmvis mulier non sit sui corporis domina, ita ut licitè possit raptui exponere: est tamen ad eum sensum domina, ut possit connivere absque ullo injustitiæ crimine in altero; atque ita ipsâ consentiente cessàbit raptus, qui violentiam justitiæ contrariam postulat. Hæc ille.

Quia autem hæc violentia, justitiæ contraria, reperitur, quando mulier importunis ac dolosis persuasionibus circumventa abducitur, hinc taliter eam abducens incurrit pœnas statutas raptoribus d. l. unicâ de Raptu virg. Patet ex verbis suprà allegatis.

Quid si parentes consentiant, ipsa autem dissentiat. Similiter incurrit pœnas, qui fœminam dissentientem abduceret; quàmvis parentes ejus consentirent. Quia parentes non habent dominium corporis puellæ, nec facultatem illud ei usui exponendi, absque injustitiæ labe ob injuriam puellæ irrogatam. Imò & ipsi parentes consentientes puniuntur d. l. unicâ §. 2. in fine: *Parentibus (quorum maximè vindictæ intererat) si patientiam præbuerint, ac dolorem remiserint, de portatione plectendis.*

19. *An sufficiat sola contradictio patris, ex Sanchez.* An autem sufficiat sola contradictio patris, dubium est. Sanchez sup. n. 12. in fine ait: longè minus delictum tunc est, quàm si fœmina quoque dissentiret, cùm sit respectu solius patris raptus: eò vel maximè, quòd in his injurijs voluntas fœminæ, cui directè injuria violentiæ infertur, spectanda sit. Non ergò pœna ordinaria raptûs, sed alia arbitrio judicis imponenda est. Hæc ille. Quàmvis Aliqui velint ordinariam pœnam esse imponendam.

Est peccatum specie distinctum. Certum est, quòd sit peccatum specie distinctum à simplici fornicatione, & proindè speciali explicandum in confessione. Quia (inquit Sanchez sup. n. 35.) quàmvis fœmina, etiam virgo, injuriam non inferat patri, consentiens suæ defloratione, nec ipsam volentem deflorans; at extractio fœminæ consentientis à domo parentum, vel tutorum, sub quorum custodia est, manifestam injuriam illis extractioni renitentibus infert; atque proindè est nova culpa, justitiæ adversa.

Sufficit ergò ad verum raptum, quòd violentia inferatur vel ipsi fœminæ quæ rapitur, vel ejus parentibus seu tutoribus, sub quorum custodia est; quàmvis fortè requiratur violentia, saltem dolosâ persuasione fœminæ illata, ad pœnas d. l. un. incurrendas. 20. *Quia sufficiat ad verum raptum.*

Sed quid si fœmina abductioni conniveat, & postea renitens cognita sit? Quid si abductioni dissentiat, & postmodùm copulæ annuat? Respondeo: in primo casu non esse raptum, quia non fuit violenta abductio; sed fore copulam vi extortam, quæ præter malitiam fornicationis, procul dubio habet annexam malitiam injustitiæ; &, ut notat Sanchez sup. n. 20. in Regno Castellæ plectetur vi cognoscens pœnâ capitis, & amissionis bonorum instar veri raptoris. *Si fœmina prius consentiat, postea copulæ dissentiat, non est raptus.*

In secundo autem casu est verus raptus. Quòd initium spectandum sit in maleficijs; arg. l. *Divum*, 14. ff. ad Legem Corneliam de Sicarijs, ibi: *In maleficijs voluntas spectatur, non exitus.* Porrò hic in initio violentia interfuit. 21. *Si vitæ versâ, est verus raptus.*

Credo tamen (inquit Sanchez sup. n. 7.) si verè probaretur consensus fœminæ in sua plena libertate positæ, liberandum fore raptorem à pœna ordinaria raptûs: quòd is consummatus minimè sit; petit enim ad sui consummationem & violentam abductionem, & violentam copulam: saltem ex parte voluntatis raptoris, qui fecit quod potuit. Hæc ille. Sanchez.

Enimverò d. l. un. considerat copulam, dum ait: *Cùm virginitas, vel castitas corrupta, restitui non possit.* Unde pœnæ ibi constitutæ eò videntur tendere, ut copula vitetur. Quare DD. communiter teste Sanchio sup. n. 18. sic distinguunt, ut si raptor à copula se abstinuerit, pœnitentiâ ductus, & nolens habere, quàmvis potuerit, non sit ordinarijs raptûs pœnis obnoxius, sed extraordinariæ: secùs si copula subsecuta non fuerit, quòd ad eam pervenire non potuit. Quod tamen aliqui limitant, nisi rapta sit Monialis: raptor quippè pœnam ordinariam subibit, quâcumque ex causa copula non sit subsecuta. Atque hanc distinctionem cum sua limitatione approbat Sanchez ibi. 22. *An d. l. unic. ea requirat copulam.* Sanchez.

Sed quo fundamento? Sanè d. l. un. eodem modo loquitur de Monialibus & alijs virginibus, ac fœminis: vel ergò hæc lex requirit copulam, vel non. Si non, quo jure eximuntur illi à pœnis, qui pœnitentiâ ducti abstinuerunt à copula, cum delictum, quod ibi punitur, in sua specie fuerit perfectum & completum? Sin autem copulam requirat, quo jure subjiciuntur pœnis illi, qui à copula abstinuerunt. 23. *An sit distinguendum inter Monialis & alias fœminas.*

Nonne in pœnalibus delictum oportet esse perfectum & completum? Id non semel affirmavimus Sect. præcedenti, ubi de impedimento criminis. Et siquidem ibi oporteat crimen esse perfectum & completum adulterij & machinatio-

chinationis, ut oriatur impedimentum; cur hìc non debeat eſſe raptus perfectus & completus, ut raptor ſubjiciatur pœnis ordinarijs? Hæc maturè expendantur.

24. *Notabile aliquod ex d. l. unica.*

Et prætereà, quod legitur in d. l. un. §. 3. *Sed etſi quis inter hæc miniſteria ſervilis conditionis fuerit comprehenſus* (aliàs, *deprehenſus*) *citrà diſcretionem eum concremari jubemus, cum hoc etiam Conſtantinianâ lege rectè fuerit proſpectum, omnibus legis Iuliæ capitulis, quæ de raptu virginum vel viduarum ſive Sanctimonialium, ſive antiquis legum libris, ſive in ſacris conſtitutionibus poſita ſunt, de cætero abolitis, ut hæc tantummodò lex in hoc capite pro omnibus ſufficiat, quam de Sanctimonialibus etiam virginibus & viduis locum habere ſancimus.* Ubi derogatur alijs legibus, de materia rapinæ loquentibus.

An ſufficiat ſolus conatus ad rapiendum? Negat Sanchez.

Denique notandum eſt, quod docet Sanchez ſup. n. 19. conatum ad rapiendum, eo non ſubſecuto, quia rapiens non potuit, ut ſi invadat mulieris domum, hominibus armatis comitatus ad eam rapiendam, nec eam inveniat, & ideò ceſſet raptus; hunc, inquam, conatum ſolà pœnâ extraordinariâ eſſe puniendum; quidquid Alij in oppoſitum clament, eò quòd in atrocioribus delictis, conatus pro facto reputetur.

25. *An debeat diſtingui inter Monialem & aliam fœminam.*

Neque Sanchez hìc diſtinguit inter Monialem, & aliam fœminam. Sed cur minùs hìc debeat diſtingui, quàm ibi? Sanè ſcriptum eſt l. 5. Cod. de Epiſc. & Cler. *Si quis, non dicam rapere, ſed attentare tantùm, jungendi causâ Matrimonij, ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœnâ feriatur.*

Opinio Covar.

Covar. Clement. *Si furioſus*, de Homicid. part. 2. initiò n. 8. ait: Raptor (Monialis) pœnâ mortis puniendus eſt, & denique ordinariâ, ſi verè rapuerit libidinis causâ, & ex monaſterio abduxerit, tametſi eam non ſtupraverit, cùm id potuiſſet agere. Hoc enim crimen graviſſimum eſt, & majus, quàm ſimplex virginis raptus: cum in eo non tantùm ipſe raptus Monialium, ſed & conatus ſit omninò puniendus, d. l. *Si quis, non dicam rapere.* Licet exiſtimem, conatum ad rapiendam Monialem, ſi rapta non fuerit, nec abducta è monaſterio, graviſſimè puniendum fore: non tamen pœnâ ordinariâ. Hæc ille.

Expenditur.

Sed ſi hic conatus graviſſimè puniendus eſt, quare non pœnâ ordinariâ? An quia gravius delictum eſt raptus, quàm conatus tantùm? Nunquid etiam gravius delictum eſt rapere & ſtuprare, quàm ſolùm rapere, & non ſtuprare, cùm tamen poſſem, ſi vellem? Et tamen hoc ſecundùm Covar. punitur pœnâ ordinariâ, cur non etiam illud? Expectabo à Doctioribus reſponſionem.

26. *An ſufficiant importunæ preces ad violentam traductionem. Pars affirmans probatur ex jure.*

Pergam interim ad alia, & quæram: an ſufficiant importunæ preces ad violentam traductionem? Pars affirmativa ſuadetur ex l. 3. ff. de Homine lib. exhib. §. 5. *Si quis volentem retineat, non videtur dolo malo retinere: Sed quid ſi volentem quidem retineat, non tamen ſine calliditate circumventum, vel ſeductum, vel ſollicitatum; neque bonâ vel probabili ratione hoc facit? Rectè dicetur, dolo malo retinere.* Et l. 1. §. *Perſuadere*, ff. de Servo corrupt. dicitur: *Perſuadere autem plus eſt, quàm compelli atque cogi ſibi parere.*

Reſpondeo: quando dolo malo perſuadetur, ut patet ex verbis ſequentibus: *Sed perſuadere τὸ μέσον ἐστὶ* (id eſt, ex medijs, ſcilicet verbis, eſt) *nam & bonum conſilium quis dando, poteſt perſuadere & malum. Et ideò Prætor adjecit: Dolo malo, quo eum deteriorem faceret.*

27. *Quis ſit dolus malus.*

Rogas quis ſit dolus malus? Leg. 1. ff. de Dolo malo, Labeo *definit dolum malum eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.*

In jure æquiparantur dolus & metus:

Porrò in jure æquiparantur dolus & metus l. 5. ff. de Inutil. ſtipul. *Dolo vel metu adhibito, actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatio ſit: per doli mali tamen, vel metûs exceptionem, ſubmoveri petitio debet.*

28. *Æquiparantur etiam vis & dolus.*

Æquiparantur etiam vis & dolus, cap. *Cùm contingat*, 28, de Iurejurando. ibi: *Ejuſmodi juramenta ſinè vi & dolo ſponte præſtita.* Sed & vis ac metus æquiparantur, ut conſtat ex toto titulo de ijs quæ vi metûſque causâ fiunt, & ff. Quod metûs causâ.

Sufficiunt preces, quæ æquivalent vi, juxtà Sanchez.

Quidni ergò puella, quæ dolo malo abducitur, uti & gravi metu, rectè dicatur violenter abducta? Et per conſequens, quæ precibus adeò importunis, ut gravi metu aut violentiæ æquivaleant? Sanchez ſup. diſp. 12. n. 10. aſſerit, illas preces ſufficere; ſecùs ſi non æquivaleant.

29. *Etiam doloſæ perſuaſiones ad pœnas d. l. unica, ex eod.*

Prætereà n. 11. docet, ad pœnas, d. l. un. raptoribus ſtatutas, incurrendas, ſatìs eſſe, ſi doloſis perſuaſionibus, aut quibuſcumque fraudibus circumventa mulier abducatur. Ergò doloſæ perſuaſiones, & quæcumque fraudes æquivalent, ſecundùm ipſum, violentiæ. Siquidem n. 4. ad raptum, pœnis juris ſubjectum, requirit 1. ut adſit violentia.

At verò n. 33. ait: non eſſe propriè raptum, quando fœmina abſque vi aliqua fraudibus, vel ignorans cognoſcitur, ut ſi quis fraudibus copulam extorqueat, vel rem habeat cum fœmina dormiente, aut putanti eſſe virum ſuum. Quia licet fraus & ignorantia illa, voluntarium auferant; at vim minimè inferunt, quæ ad verum raptum neceſſaria prorsùs eſt. Sicut non eſt rapina, rem à domino ignorante aut dolis circumvento auferre.

Secùs ad pœnas Trid.

Item diſp. 13. loquens de pœnis raptûs, conſtitutis à Concilio Trid. n. 11. tenet, ſi ſolis importunis precibus, aut pretio conducta fœmina extrahatur, non eſſe locum his pœnis; quòd non ſit verè raptus. Secùs ſi tales eſſent eæ preces, ut violentiæ æquiparentur.

Et n. 12. inquit: Si dolis circumventa virgo extrahatur, non eſſe locum his pœnis. Quòd non ſit propriè raptus, cùm ibi nulla inveniatur violentia, ut dixi diſp. præced. n. 33. Nec obſtat: ibi n. 11. traditum eſſe hoc ſufficere, ut locus ſit pœnis l. un. Cod. de Raptu virg. quia ea lex id explicat. Ita Sanchez.

30. *Expenditur hæc doctrina Sanchez.*

Sed non habeo ſatisfactionem. Nam ut vidiſtis, eâd diſp. n. 3. ait: ad raptum, pœnis juris ſubjectum, deſiderari violentiam; ergò dum virgo dolis

dolis circumventa extrahitur, vel adest violentia, vel talis extractio non est subjecta pœnis juris antiqui, & per consequens pœnis d. l. un.

Explicat quidem d. lex, talem extractionem esse subjectam pœnis, sed quid tum? Certè ubi id explicat, vocat talem extractionem rapinam, & extrahentes raptores: atque adeò judicat, talem extractionem continere violentiam, sinè qua non est rapina. Hæc sunt verba legis: *Si enim ipsi raptores metu vel atrocitate pœnæ, ab hujusmodi facinore se temperaverint, nulli mulieri sive volenti, sive nolenti, peccandi locus relinquetur: quia hoc ipsum velle mulierum, ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur* &c.

31. *Quædam expositio d. l. unica.*

Hinc Aliqui apud Sanchez sup. disp. 12. n. 9. dicunt, eam l. un. considerare violentiam parentibus, non conniventibus raptui, illatam; atque illorum intuitu appellare raptum, quando puella consentit.

Rejicitur à Sanchio.

Sed hæc expositio non placet Sanchio ibi: Quia, inquit, textus ille expresè non expendit parentum contradictionem, sed voluntatem fœminæ, non omninò liberam, ut clarè constat ex ratione ibi subjuncta: *Nisi etenim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere.*

32. *Illatio Auctoris contrà Sanchez. Resp. ejus.*

Infero ego; ergò dolus opponitur libertati Matrimonij, sicut & violentia: ergò dolosè abducens fœminam, incurrit pœnas Triden. Respondet Sanchez sup. disp. 13. n. 12. Non omnem dolum id efficere; sed eum solum, qui versatur circà personæ aut conditionis errorem: & quàmvis hujusmodi sit dolus, ac proindè auferat libertatem & valorem Matrimonij: at non infert vim, quæ ad propriam rationem raptûs ijs pœnis obnoxij necessaria prorsùs est. Hæc ille.

Videtur petitio principij.

Sed videtur petere principium; quæritur enim, an inferat vim, & inferre, videtur probari ex d. l. un. quæ loquitur de raptoribus, & derogat alijs legibus de materia rapinæ loquentibus, ut patet ex fine ibi: *Omnibus legis Iuliæ* &c. Vide sup.

Probandum ergò manet Sanchio, nullum dolum inferre vim, sive æquiparari posse violentiæ: Alioquì, sicut preces importunæ, quando æquiparantur violentiæ, sufficiunt ad verum raptum, ut ipse Sanchez fatetur, eâdem planè ratione sufficiet dolus, qui æquiparatur violentiæ.

33. *Aliquem dolum aquiparari violentiæ, docet Bonac.*

Aliquem verò æquiparari, docet Bonacina hìc q. 4. p. 18. n. 5. ubi sic ait: Quando nulla vis infertur in abducenda fœmina, sed fœmina ipsa sponte, aut etiam precibus discedit cum amatore, nescientibus parentibus, non est propriè raptus, sed propriè est fuga voluntaria; nulli enim vis infertur. Secùs dicendum est, quando parentes sciunt & renuunt; vis enim infertur parentibus, aut quando discedit precibus adeò importunis, ut æquiparentur violentiæ. Idem dic de dolo, quoties talis est, ut æquiparetur violentiæ, ut bene tradit Gutierez de Matr. cap. 86. n. 5. Ita Bonacina.

Quando autem æquiparetur, non explicant ibi dicti Auctores. Quando preces æquiparentur, nos diximus Disp. præced. Sect. 7. Conclus. 5. Dicamus autem dolum æquiparari in casu d. l. un. Cod. de Rapt. virginum, quando scilicet odiosis artibus fœmina circumvenitur, & ab insidijs nequissimi hominis inducitur, ut de uno loco ad alium transeat.

34. *Quis sit ille dolus, ex Sanchez.*

Audite Sanchium sup. disp. 12. n. 9. Intelligenda, inquit, est (d. l. un.) ut procedat ex præsumptione quadam; præsumit quippè vim inferri illi importunis ac dolosis suasionibus.

Infero ego; ergò secundùm Sanchium importunæ ac dolosæ suasiones, de quibus in d. l., æquiparantur violentiæ. Hinc Hostiensis Sum. tit. de Rapt. in principio, quærens quis sit raptor: Respondet: qui res alienas mobiles, vel se moventes, dolo malo alicui aufert, vel etiam mulieres. Sed hæc satis de violentia.

Hostiensis.

Sequitur in Conclusione. *Traductio de uno loco ad alium*: sive locus, in quo persona morabatur esset domus parentum, sive alius quicumque. Nec requiritur, ut re ipsâ perducatur ad alium certum & destinatum locum; sed satìs est, in quocumque alio loco detineatur. Quòd jam sit vera de loco ad locum abductio, & animo abducendi facta, ut suppono. Nam si solùm fiat gratiâ commodioris usûs & coitûs, v.g. si puella de una camera in aliam extrahatur; aut de via publica rapiatur, & seorsùm abducatur; vel in agro reperta, ad locum per aliquot tantùm passus distantem traducatur; aut denique de via in campum evehatur, tales, dico, abductiones non sufficerent ad verum raptum, qui pœnis subjaceat; quia non fiunt vero animo abducendi; sed tantùm commodiùs coëundi. Ita docet Sanchez cum Alijs, quos citat sup. disp. 12. n. 21.

35. *Quis censeatur traductio de uno loco ad alium.*

Sanchez.

Quòd autem requiratur abductio de loco ad locum, nec sufficiat, quòd fœmina violenter opprimatur in loco, in quo reperitur; colligitur, quia hæc oppressio in jure nuspiam appellatur raptus, sed stuprum per vim illatum; l. *Mariti lenocinium*, 29. ff. Ad legem Iuliam de adult. §. 9. *Eum autem, qui per vim stuprum intulit vel mari, vel fœminæ* &c.

36. *Non sufficit quod mulier in loco, ubi est, vi opprimatur.*

Constat etiam ex cap. *Lex illa*, quod est Gelasij Papæ, 36. q. 1. *Lex illa præteritorum Principum, ibi raptum dixit commissum esse, ubi puella, de cujus ante nuptijs nihil actum fuerat, videatur abducta.*

Ubi Gratianus: *Cùm ergò hæc illicito coitu sit corrupta, cumq; ita sit abducta, id est, à domo patris ducta, quòd de ejus nuptijs nihil antè actum fuerit, raptam appellari negari non potest.* Et infrà ait: *Raptus admittitur, cum puella violenter à domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur: sive puellæ solummodò, sive parentibus tantùm, sive utrisque vis illata constiterit, hic* (scilicet raptor talis vel raptus) *morte mulctatur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, privilegio Ecclesiæ mortis impunitatem promeretur.*

37. *Quando admittatur raptus, ex Gratiano.*

Et ita communiter sentiunt DD. quos affert Sanchez sup. n. 20. scilicet ad raptum desiderari traductionem de loco ad locum, exceptis duobus, Rebuff. l. *Marcellus*, 9. verb. *Rapere*, ff. de

Communis sententia requirit abductionem contrà Re-

Verb.

buff. & Canier.

Verb. ſignif. & Cantera quæſt. crimin. quæſt. tangentibus punitionem delicti, c. 4. n. 20. qui id negant. Quo fundamento neſcio, quia eos non potui legere; neque Sanchez ullum fundamentum eorum producit. Tantùm ait, eis minimè eſſe credendum; arbitror, quia contrà torrentem Doctorum, ſine evidenti ratione. Quæ enim eſſet illa? Maneat ergò certò vera communis ſententia, ſcilicet neceſſariam eſſe traductionem de loco ad locum.

38. *An requiratur animus explendi libidinem.*

Additur in Concluſione: *Causâ explendæ libidinis*; quia de illo ſolùm raptu loquitur d. l. unica C. de Raptu virg, ut ſuprà ſatis expendimus. Quamquam alioqui ad incurrendas pœnas Concilij Trid ſufficiat, imò fortè requiratur, ut infrà videbimus, intentio contrahendi Matrimonium.

Cæterùm quod ad pœnas attinet in Concluſ. expreſſas, ſcilicet mortis, & amiſſionis bonorum, non habeo, quod jam dictis addam, niſi §. 2. d. l. unicæ ſequentis tenoris: *Pœnas autem quas prædiximus, id eſt, mortis, & bonorum amiſſionis, non tantùm adverſus raptores, ſed etiam contrà eos, qui hos comitati in ipſa invaſione & rapina fuerint, conſtituimus; cæteros autem omnes, qui conſilij & miniſtri hujuſmodi criminis reperti & convicti fuerint, vel qui eos ſuſceperint, vel quicumq; opem eis tulerint, ſive maſculi, ſive fœminæ ſint, cujuſcumque conditionis vel gradûs vel dignitatis, pœnæ tantummodò capitali ſubjicimus.*

39. *Pœna excom. inſligitur raptoribus c. 1. 36. q. 2.*

Verba ſunt clara, & ideò non immoror eorum expoſitioni; ſed tranſeo ad pœnam excommunicationis, de qua legitur in Concilio Chalcedonenſi c. 27. (& refertur 36. q. 2. c. 1.) *Eos qui rapiunt mulieres ſub nomine ſimul habitandi (tamen illud non proponunt facere,* inquit Gloſſ. ibi verb. *Simul) aut cooperantes, aut conniventes raptoribus, decrevit S. Synodus, ut ſiquidem Clerici ſint, decidant proprio gradu; ſi verò laici, anathematizentur.*

Et cád. c. 5.

Et eâd. causâ ac q. c. 5. ex Gregor Papa II. in Synodo Romana generaliter dicitur, nullâ factâ diſtinctione inter Clericum & laicum: *Si quis virginem vel viduam, niſi deſponſaverit, rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, cum ſibi faventibus anathema ſit.*

40. *Quidam putant, eam eſſe latæ ſententiæ.*

Quam eſſe excommunicationem latam, affirmant quidam apud Sanchez ſup. diſp. 12. n. 2. quod ſuadent verba illa: *Anathema ſit,* quæ ſunt præſentis temporis, atque adeò canonem latæ ſententiæ important: veluti hæc verba: *Excommunicatus ſit.*

Sanchez docet, eſſe ferendam.

Aſt verius eſt, ut notat Sanchez ſup. non eſſe latam, ſed ferendam ſententiam. Quòd: *Anathema ſit,* ſententiam ferendam importet, nullâ adcitâ particulâ ad latam trahenti, ut teſtatur Baldus cap. *At ſi Clerici,* n. 20. de Iudicijs. Et clarè Gloſſa c. 2. de Foro competenti, ubi in fine, cùm textus ille dicat: *Tamdiu ſit ſequeſtratus, quouſq; reatum ſuum cognoſcens emendet*: verb. *Sequeſtratus,* explicat: *Per ſententiam; ſimile* 30. *diſt. quaſi per totam.*

Quod maximè verum in præſenti caſu, in quo ex primo textu conſtat, non inferri ipſo jure excommunicationem, ſed exigi ſententiam: dicitur enim ibi: *Anathematizentur,* quod verbum, cùm ſit futuri temporis, importat excommunicationem ferendam, ſecundùm communem DD. ſententiam.

Igitur ad minus res incerta eſt: dicit autem Reg. juris 30. de Reg. juris in 6. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* Ubi Caniſius: Non diſſentit Reg. juris Civilis 9. ff. eod. *Semper in obſcuris quod minimum eſt ſequimur.* Obſcura hìc dicuntur, quorum ſententia incerta eſt, quæque nunc in hanc, nunc in aliam partem protrahi poſſunt. Ne igitur res propter obſcuritatem pereat, benignè receptum eſt, ut ſaltem id, quod in ſententia minimum eſt, hoc eſt, minùs nocet reo, ſequamur. Hæc ille.

41. *Eum ſequitur Auctor. Caniſius.*

Cum ergò impræſentiarùm unus textus ferendam, alius latam ſententiam videatur importare, rectè ſequimur, quod minimum eſt, & quod minùs nocet reo, id eſt, rectè dicimus, hanc excommunicationem non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ tantùm; ut pote quæ minùs reo noceat, ut clarum eſt.

Si autem à me quæratur; an quæ raptoris, eadem ſit ratio raptricis, id eſt, an eiſdem pœnis, de quibus nunc egimus, ſubdatur fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam? Reſpondeo cito:

CONCLUSIO II.

Mulier rapiens virum non ſubditur pœnis, olim raptoribus mulierum conſtitutis.

42. *Raptus viri per mulierem habet malitiam ſpecie diſtinctam ab illicito coitu.*

SUppono tamquam indubitatum, ad ſpeciem raptûs, neceſſariò confitendam, nil referre ſive vir rapiat fœminam, ſive fœmina virum: Cùm enim uterque raptus violentiam injuſtè illatam claudat, uterque malitiam ſpecificam ab illicito coitu habet.

Iſidorus.

Dico: *Ab illicito coitu*; quia juxtà Iſidorum lib. 5. Etymol. cap. 26. (& refertur 36. q. 1. c. 1.) *Raptus quoque illicitus coitus, à corrumpendo eſt dictus; unde qui raptu potitur, ſtupro fruitur.* Et ideò raptus communiter numeratur inter ſpecies luxuriæ: quàmvis poſſe dari raptus, qui non eſſet ſpecies luxuriæ, quando videlicet vir, vel mulier violenter abduceretur ad alium finem, v. g. ad eos occidendos. De tali raptu non agunt jura Concluſ. præced. adducta.

43. *An ſubjaceat eiſdem pœnis.*

De quo ergò? De raptu, qui eſt ſpecies luxuriæ, utique ordinato ad explendam libidinem. Cùmque ad eam ſpeciem indifferens ſit, ut ſtatim dixi, ſive vir rapiat mulierem, ſive mulier virum, videtur quòd eiſdem pœnis raptor & raptrix debeant eſſe obnoxij. Quod non pauci docent apud Sanchez ſup. diſp. 12. n. 24. eſtque valde probabile, ut patebit ex dicendis; quamquam oppoſitum, quod eſt Concluſio noſtra, verius appareat Sanchio ſup. n. 25.

Negat Sanchez, & pro-

Ducor, inquit, primùm, quòd ſolius viri rapientis meminerit l. unica Cod. de Raptu virg.

nec fœmininum sub masculino claudatur, maximè in odiosis & pœnalibus, l. 1. ff. de Ventre in possess. mitt. §. 3. *Quare etsi ita exhæredatio facta sit*: Si mihi filius unus nascetur, exhæres esto: *quia filia nasci potest, vel plures filij, vel filius & filia, venter in possessionem mittetur.* Ubi Gloss. verb. *Filia*, inquit. *Non ergò masculinum concipit fœminium propter odium.*

44. *Secunda probatio* Secundùm: quòd leges non adaptentur iis, quæ rarissimè contingunt, sed ea sola, quæ frequenter accidunt, spectent ac comprehendant, l. 5. ff. de Legibus, *Nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter, & facile, quam quæ perraro eveniunt.* At rarissimum, & vix auditum est, ut fœmina virum rapiat.

Tertia. Tertiùm: quia d. l. unica §. *Et si quidem*, vers. *Pœnas autem*, ubi pœnas statuit adversùs opem ferentes raptui, volens utrumque sexum, id efficientem, comprehendi, id expressit, ibi: *Sive masculi, sive fœminæ.* Et ad finem vers. *Sed & si quis*, jubens hos auxiliantes, si servi sint, concremari, neutrius sexûs rationem esse habendam decrevit, ibi: *Citrà sexûs discretionem*: quòd opem ferre lenocinando, utrique sexui & commune & frequens sit. Si igitur quando utrumque sexum comprehendere voluit, bis expressit, non obscurum indicium est, noluisse eam comprehendi sexum fœmineum, dum raptoribus eadem lex pœnas indicens, solius viri rapientis meminit.

45. *Probatur 4* Quartùm: quia ob eamdem rationem Multi sentiunt, viricidium non esse impedimentum Matrimonij, quòd jura solius uxoris occisionis meminerint; & illud delictum sit rarum, hoc autem frequens.

Quintò. Quintùm: quia cùm major honestas desideretur in fœmina, l. *Si furiosi*, C. de Nuptijs, atrocius delictum est raptus fœminæ perpetratus à viro, quàm si fœmina virum rapiat. Multò enim gravior injuria irrogatur honestati fœminæ raptæ, quàm viri rapti. Quippè nec masculus raptus, nec ejus parentes ac consanguinei, eam injuriam & infamiam patiuntur, ac quando fœmina rapta est. Quamobrem cum pœna delicto commensurari debeat, 24. q. 1 cap. *Non afferamus*, 21. in fine: *Quis jam dubitaverit, hoc esse scleratiùs commissum, quod est graviùs vindicatum?* Par non est, pœnâ raptori fœminarum inflictâ, plecti mulierem viri raptricem.

46. *Sexta probatio.* Sextùm: quia tunc verba, gratiâ frequentioris usûs posita in lege, extenduntur ad alios casus non ita usitatos, quando in utrisque eadem ratio invenitur. At in raptu viri à fœmina commisso, non invenitur eadem ratio.

Probatur ultimò. Tandem: quia frequentia major delicti, & major inclinatio ad illud admittendum, sunt in causa, ut pro minori delicto gravior pœna imponatur, ut tradit optimè Gloss. cap. *Admonere*, 8. 33. q. 2. verbo: *Existimes*, ibi: *Alij dicunt, quòd magis peccat, qui matrem interficit, quàm qui uxorem; sed quia homines proniores sunt ad interficiendum uxores, ideò ob hoc magis puniuntur, ut sic retrahantur à tali facinore. Vnde non valet hæc argumentatio: graviùs puniuntur; ergo graviùs peccant. Et est simile in fornicatione notoria: licet enim multa crimina sint graviora: tamen quia facilius & fœdiùs delinquitur in hoc crimine, quam in alijs, ideò durior pœna in eo statuitur*, arg. 32. dist. §. Verum.

Rogas: qui sint isti alij, qui hoc dicunt? Ecce primus occurrit Doct. Seraphicus 4. dist. 37. a. 2. q. 2. in corp. *Dicendum: quod absque dubio gravius peccatum est in genere loquendo, occidere matrem* (quàm uxorem) *tum ratione personæ, cui debetur major reverentia; tum ratione minoris pronitatis: pronior est enim homo iracundus ad verberandum uxorem, quam matrem; maximè quando propter aliquam causam displicet, mirabile odium & tædium generatur: & ideo pronior est ad occidendum uxorem, quam matrem. Ad occidendum autem matrem nullius natura inclinatur, nisi sit per iniquitatem conversa in crudelitatem super bestias. Et quoniam homo pronior est ad uxoricidium, hinc est, quòd quamvis minus sit peccatum, tamen major pœna imponitur, ut per incussionem timoris pronitas restringatur.* Simili modo loquitur Doct. Angel. ibi. q. 2. a. 2. ad 2. 47. *Gravius est occidere matrem, quàm uxorem, ex D. Bonav. licèt minùs puniatur.*

Cùm igitur rapi virum à fœmina rarissimum sit, ac modica sit in fœmina pronitas, ad id perpetrandum, non est verisimile, ac rationi consonum, pœnam raptûs, perpetrati per virum, extendi ad raptum per fœminam admissum.

Hæ sunt rationes, propter quas Sanchez putat, suam sententiam esse veriorem. Equidem non omninò convincere, videtur satìs colligi ex argumentis Adversariorum, quorum primum est: quòd quàmvis l. un Cod. de Raptu virg. loquatur de viro rapiente fœminam, & similiter lex regia 3. tit. 20. pag. 7. & illi raptui utraque lex pœnam decernat: at cum militet eadem ratio in fœmina, virum rapiente, ad eum eventum extendenda est. 48. *Primum arg. Adversariorum.*

Respondet Sanchez sup. n. 26. non subesse eamdem ratione in utroque casu: quod probat, ut sup. vidimus, quòd raptûs mulieris est atrocius delictum. Quare? Quia desideratur major honestas in fœmina. Sed unde hoc probat? Ex lege: *Si furiosi*, Cod de Nuptijs. Et quid dicit illa lex? *Solutio Sanchez.*

Accipe summarium ejus, quia totum textum exscribere foret nimis longum. *Filiæ vel filij furiosi vel mente capti, sine consensu patris Matrimonium contrahere possunt: & dotem & donationem ante nuptias cum auctoritate curatori constituere: & gratis debet procedere, ne afflicto detur afflictio*: Ergò major honestas desideratur in fœmina, vide an id rectè ex eo deduci possit. 49. *Expendatur ab Auctore.*

Neque in textu aliud reperies magis ad propositum, meo parvo judicio. Nam si aliquid, foret ejus principium: *Si furiosi parentis liberi, in cujus potestate constituti sunt*, nuptias *possint contrahere, apud veteres agitabatur; & quidem filiam furiosi marito posse copulari, omnes penè juris antiqui conditores admiserunt: sufficere enim putaverunt, si pater non contradicat. In filio autem familias dubitabatur* &c. l. 25. Cod. de Nupt.

Istud autem dubium in sequentibus tollitur, ibi: *His itaque dubitatis, tales ambiguitates decidentes sancimus hìc repleri, quod D. Marci constitutioni deesse videtur, ut non solùm dementis, sed etiam furiosi liberi cujuscumque sexûs*

possint

poßint legitimas contrahere nuptias. Quid hoc ad rem noſtram ?

Probatur majorem honeſtatem requiri in fœmina.

Interim majorem honeſtatem deſiderari in fœmina, probari videtur, quòd fornicatio ſponſæ præcedens tribuat jus ſponſo à ſponſalibus reſiliendi ; non autem fornicatio ſponſi præcedens tribuat jus ſponſæ à ſponſalibus reſiliendi, ut docuimus Diſp. præced. Sect. 2. Concluſ. 8. Ergò major fit injuria honeſtati fœminæ raptæ & corruptæ, quàm viro rapto & corrupto.

50. *Secundum arg. Adverſariorum.*

Sed eſto, dicent Adverſarij ; ſit major injuria raptus fœminæ ; equidem raptus viri eſt ſufficiens injuria pro tali pœna; neque conſtat propter illum exceſſum hanc pœnam fuiſſe conſtitutam : quia dum eæ leges de viro raptore loquuntur, verba gratiâ frequentioris uſûs poſita ſunt : quòd frequentiùs id contingat, quàm oppoſitum. Verba autẽ gratiâ frequentioris uſûs poſita in lege, eam reſtringere minimè ſolent, quin ad caſum minùs frequentem extendantur.

Teſtis eſt ipſe Sanchez lib. 6. diſp. 19. n. 10. ibi : Verba poſita in lege, gratiâ frequentioris uſûs, nec eam limitant, nec in juribus diſpoſitionem mutant : ſed quia aliud rarum, poſitum verò in lege eſt frequens, ideo hoc explicatur, illo tacito; ut docet optimè Gloſſa Clem. 1. de Reſcriptis verb. *Præſidentes*, ibi : *Et licet de Religioſis loquatur : idem tamen de ſæcularibus, qui ſimili modo præſſent ; ſed quia id rarum, hoc frequentatum, ideò de Religioſis loquitur.*

Ergò, dicent Adverſarij, licet l. un. loquatur de raptoribus, idem tamen de raptricibus, quæ ſimili modo peccant ; ſed quia id rarum, hoc frequentatum, ideò de raptoribus loquitur.

51. *Quid Sanchez reſpondeat.*

Atque hoc eſt ſecundum argumentum Adverſæ partis, ad quod utique Sanchez nihil aliud reſpondet, quàm, non gratiâ frequentioris uſûs factam fuiſſe mentionem de fœminarum raptu: ſed quòd alter caſus ſit rariſſimus, & ita leges illum non ſpectent ; deinde eſtò id eſſet verum, non ſubeſſet eadem ratio ; ac proindè verba, gratiâ frequentioris uſûs ibi poſita, non extenduntur ad alium caſum. Hæc ille.

Reſponſio oppugnatur

Sed contrà, dicet aliquis : patet ex d. Gloſſ. leges aliquando ſpectare, quod rarum eſt, quàmvis de hoc ſolo non conſtituantur, juxtà l. 4. ff. de LL. *Ex his quæ forte uno aliquo caſu accidere poſſunt, jura non conſtituuntur.*

Deinde : unde conſtat hìc non ſubeſſe eamdem rationem ? Nam quod ſupra dictum eſt, in uno caſu eſſe majorem injuriam, ut verum foret, quid tum ? Unde probatur illum exceſſum fuiſſe rationem legis? *Peßima criminum peccantes*, inquit d. l. unica. Et rurſùm : *Cum virginitas & caſtitas corrupta reſtitui non poßit.* Et hæ rationes cenſes quòd locum non habeant in raptu viri à fœmina ?

Nonne raptus mulieris jam deſponſatæ, ſive de præſenti, ſive de futuro ; itemque raptus virginis Deo dicatæ, atrociora ſunt delicta, quàm raptus mulieris non deſponſatæ, aut Deo non dicatæ ? Et tamen æquali pœnâ in d. l. puniuntur. Quæro etiam : frequens eſt raptus virginis Deo dicatæ ? Conſtat ſatis rarum eſſe, & tamen punitur d. l. unicâ. Hæc de ſecundo argumento Adverſariorum.

52. *Tertium arg. Adverſariorum.*

Sequitur tertium : textus interdicentes inceſtuoſo debitum petere, ac aliud Matrimonium inire, de ſolo viro loquuntur : at ad uxorem quoque ejuſdem criminis ream extenditur. Ergò idẽm dicendum erit de pœnis viri raptoris, extendi nimirum ad fœminam raptricem.

Solutio ex Sanchez.

Reſpondet Sanchez lib 7. diſp. 12. n. 26. ſubeſſe prorsùs eamdem rationem affinitatis, contractæ cum altero conjuge in utroque caſu, & utrumque ſatis frequentem eſſe.

53. *Quartum arg.*

Quartò argumentantur Adverſarij : textus ſtatuunt uxoricidium eſſe Matrimonij ineundi impedimentum : & tamen multi, & non pœnitendi Auctores extendunt ad viricidium.

Reſp. Sanchez.

Reſpondet Sanchez : contrariam ſententiam eſſe veriorem. Unde, ut ſup. vidimus, ipſe eam pro ſe adducit, & ex ipſa probat ſuam in præſenti caſu opinionem. Satis reverà difficile eſt judicare, quæ ſit verior ſententia, ſive attendas auctoritatem, ſive rationem.

54. *Quintò argumentantur.*

Venio ad quintum argumentum, quod deſumitur ex ipſa l. unica, in qua, ut ſup. audivimus, dum ſermo eſt de operam ferentibus raptori, æquè comprehenduntur fœminæ ac maſculi. Si ergò fœmina opem ferens raptori comprehenditur ſub illis pœnis ; ergò à fortiori fœmina ipſa raptrix.

Confirmatur à ſimili.

Enimverò quia cap. 2. de Apoſtatis, Acolytho, qui miniſterium exhibet Sacerdoti rebaptizanti, imponitur irregularitas, communiter DD. aſſerunt, etiam Sacerdotem rebaptizantem eſſe irregularem. Quòd ea irregularitas ſit propter nefandum miniſterium, quod multò magis convenit rebaptizanti, quàm miniſtranti : & quòd ea cooperatio non ſit in rebus & actionibus diſtinctis, ſed in eadem actione.

Quod in præſẽti caſu prorsùs invenitur. Quippè pejùs delinquit fœmina ipſa rapiens, quàm ſi rapienti opem præſtet : ac cooperatio illa & auxilium non ſunt in actionibus diſtinctis, ſed in eadem. Si ergò fœmina auxilium raptui præſtans incurrit pœnas raptûs, ut expreſsè decernit d. l. un., à fortiori incurret ipſa fœmina raptrix.

55. *Solutio Sanchez.*

Reſpondet Sanchez : eum locum potiùs favere ſuæ ſententiæ. Nam ibi imponitur pœna ſive maſculis, ſive fœminis, auxiliantibus viro, qui mulierem rapit. Nec inde infertur, fœminæ quoque raptrici imponi. Quia raptûs ſubjacens pœnis, & auxilium hoc verſantur circà eamdem actionem ; ſicuti rebaptizatio Sacerdotis, & miniſterium Acolythi : ac proindè optimè inferretur ; auxilians viro, ut fœminam rapiat, incurrit pœnas : ergò & ipſe vir rapiens, juxtà id cap. 2. de Apoſtatis. At auxilium obnoxium illis pœnis eſt, ſi fœmina virum adjuvet, quò aliam fœminam rapiat ; ac proindè ex pœna, adjuncta auxilianti circà diverſam actionem, non infertur principalem, exercentem actionem diverſam, nempè fœminam viri raptricem ſubdi illis pœnis. Hæc ille.

56. *Vltimum.*

Denique argumentantur Adverſarij : quando verba poſſunt adaptari mulieribus, ſicut maſcu-

arg. Adversariorum. lis, & materia potest convenire utrique sexui, masculinum comprehendit fœmininum, etiam in pœnalibus &. odiosis, juxtà doctrinam Bartoli, communiter receptam, l. Iura, in fine ff. de LL. Atque ita Clement. 1. de Regularibus statuitur, ut Religiosi Mendicantes ex Pontificis licentia transeuntes ad non Mendicantes, vocem & locum in Capitulo minimè habeant: & tamen Glossa ibi affirmat, extendi masculinum ad fœmininum; ac proinde comprehendi quoque Moniales transeuntes.

An masculinum extendatur ad fœmininum. Hæc sunt verba Glossæ: *Dico, hanc constitutionem locum habere etiam in faminis Ordinum Mendicantium, si transeant ad non Mendicantes. Facit, quòd not. de Electione,* Generali, *in principio lib.* 6. Ibi autem Verb. *Universos,* sic lego: *Et universas: nam appellatione,* Si quis, *&* Si qua *continetur. ff. de Verb. signif. l.* 1. *ff. de Pactis:* Tres fratres, *& de Constit. pecu. l.* 1. §. 1.

57. *Argum. quòd non.* *Arg. contra: quia si pater exhæredat filium nasciturum, si nascitur filia, non erit exhæredata, ff. de Vent. in poss. mitt. l.* 1. §. Sed & si incertum, *Communiter dici solet, quod in favorabilibus masculinum concipit fœmininum, in odiosis non; sic solvitur ff. de Verb. signif. l.* 1.

Alij dicunt; quod si masculinum verbum proferatur ab homine, & est odiosum, non comprehendit fœminam: & sic intelligitur prædictus §. Sed & si incertum: *Sed si a lege, sive sit odiosum sive non fœmina continetur, ff. de Iurisd. om. jud.* Si quis id. *Od. ffredus dicebat, quòd si etiam a lege proferatur verbum odiosum, non comprehendit fœminam, nisi id lege caveatur.*

Videtur quòd sic, quando profertur à Canone. *Dic secundùm Gar. quòd verbum masculinum, prolatum à Canone, comprehendit fœminas, quod probatur* 16. *q.* 4. Si quis suadente, *conjuncto cum cap. de Sent. excom.* Mulieres, *quod est verum, nisi eadem vel aliâ constitutione excipiatur fœmina, inf. eod.* Indemnitatibus §. *Sed cùm eas.*

58. *Quid ad hoc arg. respondeat Sanchez.* Sed quid adhoc argumentum Sanchez? Respondet id esse verum, quando subest eadem ratio, ut in exempio ibi relato contingit. Ratio enim illius decisionis (ut ex præfatione illius textûs constat) est, ut professores cujusvis Ordinis in sua vocatione persistant, ac quietiorem in Ordine, ad quem transeunt, vitam agant: quæ æquè in Monialibus habet locum; at in nostro casu non militat eadem ratio. Ita Sanchez.

Verùm enimverò difficulter ostenditur diversa ratio in nostro casu, ut patet ex antedictis; nam ratio videtur esse, ut impediantur corruptiones virginitatis & castitatis, ad quas ordinantur raptus, quæ etiam in nostro casu inveniuntur.

Raptrix quæmvis varior, possit puniri. Fateri debent Adversarij, non esse adeò frequentes raptrices, quàm raptores; sed etiam machinatio uxoris in mortem viri sui non adeò frequens est, ac viri in mortem uxoris suæ, & tamen utraque, si reliqua adsint, est impedimentum dirimens Matrimonium.

Si dixeris; id reperitur jure expressum. Verum dicis; sed inde saltem constat, quòd ea, quæ non ita frequenter contingunt, per leges possint prohiberi. Ergò etiam raptrix, quàmvis rara sit, per leges potuit puniri. An autem puniatur d. l. un. hactenùs disputavimus.

Et inclinor magis in sententiam Sanchij, quàm in Conclusione proposui propter Reg. juris 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Intellige (inquit Canisius ibi) quando obscurum est, quæ pœna delinquenti infligenda sit, durior an levior; cùm *Semper in dubijs benigniora præferenda sint* l. 56. ff. eod. 59. *Auctor magis inclinat in sententiam Sanchij propter Reg. juris 49. in 6.*

Igitur ubi obscurum est, quâ pœnâ reus affici debeat, in mitiorem pœnam declinamus: cùm *Interpretatione legum pœnæ molliendæ sint potiùs, quam exasperandæ,* l. 43., ff. de Pœnis; & *Rapiendæ occasio sit, quæ præbet benignius responsum* l. 168. ff. de Reg. juris. Unde si in illis verbis legis ambiguitas insit, quæ & in leviorem, & in sæviorem sensum rapi possit, leviorem magis interpretationem sequemur, cum hoc humaniùs sit. Ita Canisius. Canisius.

Cùm igitur expensis rationibus utriusque partis præsentis controversiæ, dubium & incertum maneat, id est, non omninò certò constet, an masculinum accipiat fœmininum, & res, de qua agitur, pœnalis sit, præfero benigniora, & judico, raptricem non esse subjectam pœnæ ordinariæ, sed extraordinariæ pro arbitrio judicis. Idque non solùm quod attinet ad pœnas d. l. un. sed etiam considerando pœnas, inflictas raptoribus per Concilium Trident. de quibus in sequentibus erit sermo, & potissimum de inhabilitate ad contrahendum Matrimonium, tamquam propria huic loco.

CONCLUSIO III.

Raptus solius Fœminæ, causâ ineundi Matrimonium, jure novo Tridentini dirimit cum ipsa Matrimonium, quamdiu est in potestate raptoris.

NEmo prudenter dubitare potest, quin raptus jure novo Tridentini Sess. 24. de Refor. Matr. c. 6. dirimat Matrimoninm inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, ut patet ex apertissimis verbis Concilij, in principio Sectionis relatis. Sed & alias pœnas statuit tam raptori, quàm omnibus, illi consilium, auxilium & favorem præbentibus. 60. *Raptus jure novo Concil. Trid est impedimentum dirimens.*

In primis excommunicationem latæ sententiæ, ibi: *Sint ipso jure excommunicati.* Ipso, inquam, jure, id est, antè sententiam, sive condemnatoriam, sive declarationem criminis. Ita enim communis usus & sensus hanc particulam interpretatur in materia Censurarum. 61. *Eodem jure statuitur excommunicatio latæ sententiæ.*

Cujus ratio esse potuit; vel quia hæ pœnæ sunt spirituales & medicinales; & ideò animam statim oigare censentur, & cum hac veneratione & timore semper susceptæ sunt; vel quia per Censuras separatur quis à communibus bonis

Eccle-

Suarez. Ecclesiæ tamquam indignus ; & ideò statim obligatur in conscientia, ut se separet & abstineat. Pertinet enim ad Pastorem Ecclesiæ, separare indignos & illis præcipere, ut se separent, quod præceptum in ipsâ Censurâ includitur. Ita Suarez de. LL. lib. 5. c. 8. n. 1.

62. *An sit reservata.* Rogas : an d. excommunicatio sit reservata ? Tridentinum minimè reservat eam ; ergò nec nos reservemus, sed dicamus, quod Innoc. III. cap. *Nuper*, 29. de Sent. excom. dixit de eo, qui communicat cum excommunicato extrà crimen : *Quàmvis enim tunc non judicis, sed juris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus : quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* Quia ergò in casu nostro Concil. Trid. absolutionem excommunicationis sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.

Præterea statuitur perpetua infamia &c. Præterea voluit Trid. ut tam raptor, quàm omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint *perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces ; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.* Circà quas pœnas disputatur inter DD. an postulent sententiam judicis.

63. *An sint latæ sententiæ.* Bonac. Bonacina hìc q. 4. punct. 18. n. 9. loquens de infamia & incapacitate, respondet negativè, non distinguens inter sententiam declaratoriam criminis, & condemnatoriam ad pœnam. Et probat : nam ista pœna non requirit aliquam actionem ad sui executionem.

Negat Sanchez. Porrò Sanchez lib. 7. disp. 13. n. 1. sic ait : Perpetua infamia sententiam judicis postulat. Et idem dicendum est de ea pœna decidendi à pròprio gradu. Atque ita Henriquez disp. 12. de Matr. c. 14. n. 4. explicans id decretum, ait, de proprio gradu eos deijciendos esse, ac deponendos, manifestè significans, non depositos esse, donec ministerium judicis deponentis accedat.

Henriquez.

64. De pœna autem incapacitatis dignitatum, posset ambigi ; quòd sit pœna privativa : propter illa, quæ allegabo lib. 9. disp. 30. n. 1. Cæterùm ea regula de pœnis privativis, non est certa, ut dicam ibi n. 2. Atque ideò meritò inhabilitatem indigere judicis sententiâ, ob ejus pœnæ maximam acerbitatem, docent Navar. in extravag. Greg. XIII. de Datis pro justitia & gratia, Notab. 31. n. 44. Molina to. 1. de Iustitia, tract. 2. disp. 96. §. *Quod attinet ad pœnam.*

Citat pro se Navar. & Mol.

Quod maximè verum est : quia ea dignitatum incapacitas sequitur infamiam, ac proindè immediatè post infamiam posita est in eo Trid. Decreto : infamia autem minimè incurritur ante judicis sententiam. Hactenùs Sanchez.

65. *Verba Navar.* Et quia fundat se in doctrina Navarri, apponam verba ipsius. Sic itaque scribit loco citato : Secundò : quò licèt dubitari possit, tamen probabiliter dici potest, alijs prædictis quatuor extraordinarijs pœnis (putà privationi à beneficio Ecclesiastico & sæculari perpetuo vel temporali ; privationi simili ab officijs ; incursioni infamiæ ; ac inhabilitati ad prædicta beneficia & officia) non esse locum in prædicto foro (conscientiæ ante sententiam) attento, quòd adeò magnæ sunt, & quòd, ut sup. dictum est, magis sunt additæ ad terrendum, in exemplum, quo multis grassantibus opus erat, juxtà l. *Capitalium* §. *Famosos*, ff. de Pœnis, quam pro qualitate culpæ : & quòd difficillimum est, quòd quis contrà semetipsum tam grandes pœnas exæquatur : & quòd privationes, de quibus hìc, expressè extenduntur ad beneficia & officia sæcularia, quoad quæ certò puto, non esse locum eis in foro conscientiæ & quòd (ut latiùs demonstro in Clement. cap. *Fraternitas*, 12. q. 2.) frequentior (cui & ipse adhærere soleo) habet indistinctè, nullas pœnas ipso jure incursas, obligare in foro conscientiæ delinquentem, ad eas contrà se exequendas : nisi auctor legis expressè vel tacitè id jubeat.

Quod rarissimè faciendum est, propter ibi adducta, præsertim propter cap. *Erit autem lex*, 24. dist. declaratum per S. Tho. 1. 2. q. 95. a. 3. quatenùs habet, legem debere esse possibilem moraliter servatu, qualis vix esset lex statuens, ut quis magnas pœnas contrà se exequeretur. Hucusque Navar.

66. *An sit excipienda incapacitas dignitatum.* Verùm cùm incapacitas dignitatum sit pœna privativa, quæ non requirit executionem delinquentis contrà se, sicut benè requirit pœna privationis omnis beneficij, tam Ecclesiastici, quàm quàm sæcularis, posset aliquis dicere : non valere hìc argumentum ab una pœna ad aliam.

Videtur quòd non, ex Molina. Quod scitè animadvertit Molina sup. ubi postquam docuit sententiam Navarri, subjungit. Duo observa. Primum est pœnam illam inhabilitatis ad beneficia & officia obtinenda, quoniam & acerba admodum, & permixtim apposita cum alijs, quæ vìm non habent ante latam sententiam, excipiendam esse per Epykejam ab illa regula, quam ex Covarruvia paulò ante retulimus. Hæc ille,

Covar. Rogas : quæ est ista regula ? Quando lege aliquâ efficitur aliquis incapax rei alicujus, sive in pœnam, sive quâvis aliâ causâ, vim illud habet, etiam in foro conscientiæ, nullâque expectatâ sententiâ.

Cùm ergò in casu nostro incapacitas dignitatum acerba admodum pœna sit, & permixtim apposita, cum alijs, quæ vim non habent ante latam sententiam, excipienda videtur per Epykejam ab illa regula Covarruviæ.

67. Objectio. Sed dicet aliquis : unde constat infamiam & dejectionem de proprio gradu minimè incurri ante sententiam, quando ipso jure imponuntur ; uti fit in nostro casu ? Neque enim hæc particula, quæ immediatè præponitur excommunicationi, hanc solam affiecit ; sed & alias pœnas, subsequentes in eadem quasi propositione, seu periodo. Nam quæ ratio disparitatis ?

Solvitur. Respondeo : particulam illam non semper excludere omnem sententiam ; sed aliquando excludere omnem, ut in Censuris ; subindè tantùm sententiam condemnatoriam, non autem declaratoriam criminis ; ut in infamia & similibus pœnis ; nisi obstet contrarius usus, aut subjecta materia aliud postulet. Quidquid ergò sit de sententia condemnatoria ad prædictas pœnas, saltem

saltem videtur requiri sententia declaratoria criminis.

68. *Raptor non debet dotare raptam antè sententiam ex vi Trid.*

Dico: *Ad prædictas pœnas*, id est, perpetuam infamiam &c. Nam ut raptor teneatur dotare raptam, juxtà Trid. sup. in fine: *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare*, manifestè requiritur sententia condemnatoria, ut clarè constat ex illis verbis: *Arbitrio judicis*, attentâ scilicet qualitate raptoris & raptæ. Quia cùm sit pœna injuriæ illatæ, & illa sit major aut minor, attentâ utriusque personæ conditione, meritò ea spectanda est ad id arbitrium.

Dico: hoc esse pœnam, & exigi judicis sententiam, quatenùs scilicet imponitur per id decretum, & dos arbitrio judicis taxanda venit. Sanchez. Nam (inquit Sanchez lib. 7. disp. 13. n. 1.) si ex raptu pullularet raptæ damnum: id in foro conscientiæ, nullâ judicis expectatâ sententiâ, instar aliorum damnorum, quæ injustè inferuntur, resarciendum esse dubitat nemo. Hæc ille.

69. *An dum raptor ducit raptam, cessat infamia & incapacitas? Affirmat Henriquez, & probat.*

Dubitant autem multi; an dum raptor ducit raptam, cessat infamia & incapacitas dignitatum. Et quidem cessare, docet Henriquez lib. 12. de Matr. c. 14. n. 4. in fine, dicens: Raptor & omnis, qui consilium, auxilium & favorem huic crimini præbet, fit ipso jure excommunicatus, ac nisi eam duxerit, fit perpetuò infamis: si ducat, non ita fit: aliàs enim rapta cogeretur nubere infami, quod esset in ipsius gravamen, contrà favorem, quem Concil. intendit dare Matrimonio. Fit insuper raptor, nisi eam ducat, omnium dignitatum incapax. Hæc ille. Ergò si ducat, non fit incapax, secundùm ipsum; sicut antè dixerat: si ducat, non ita fit, id est, non fit infamis.

Idem docent Manuel & Vega.

Idem sustinet Manuel 1. to. Sum. c. 232. n. 6. de pœna infamiæ. Utì etiam Vega 2. to. Sum. c. 34. casu 157. in fin. Atque in simili casu videtur idem tenere Covar. 4. Decret. 2. part. c. 7. §. 4. n. 11. alias 16. ibi: Imò forsan dici posset, d. l. unicam C. de Raptu virg. in sponso, etiam de futuro, non debere ita strictè servari propter præcedentem tractatum & promissionem Matrimonij contrahendi. Nam ex illa prævia conjugalis consensûs promissione, temperandus est illius legis rigor, consideratis cæteris ipsius actûs contingentis circumstantijs. Ita præfatus Auctor.

Confirmatur ex Trid.

Adde quod Trid. de dote exprimat: *Sive eam duxerit, sive non duxerit.* Ergò de alijs pœnis id non est intelligendum, juxtà commune dictum: *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Alioquì cur Trid. hoc ipsum non expressisset de alijs pœnis?

70. *Oppositum docet Sanchez, & probat ex verbis Trid.*

Sed omninò tenendum est (inquit Sanchez sup.) minimè ab ijs pœnis eximi, si raptam ducat. Quòd id apertis verbis ibi decernat Tridentinum: ubi enim dixit posse duci raptam, si ad pristinam libertatem restituta consenserit, & tunc concessit, ut eam habeat raptor in uxorem: subdit hæc: *Et nihilominùs raptor ipse, ac omnes illi consilium* &c.

Ubi ponderanda est dictio: *Nihilominùs*, quæ, *Non minus*, significat, l. fin. ff. de In integr. restit. ibi: *Nihilominùs in integrum contrà Remp. restituuntur*, & l. 59. ff. de Verb. sign. ibi: *Eaq; nihilominùs statio est concluſa atque munita.* Atque ita clarè decidit Trid. non obstante Matrimonio raptoris cum rapta, eum subdi excommunicationis, infamiæ, & inhabilitatis pœnis.

71. *Satisfit arg. Henriquez.*

Neque hoc est compellere raptam, ut infami nubat. Nemo enim eam cogit, sed in sua potestate situm est, id Matrimonium, aliudve eligere.

Nec id Matrimonij favori adversatur. Quoniam non ea pœna imponitur ob contractum Matrimonij, sed ob raptûs delictum; solùmque decernitur, non eximi raptorem ab ea pœna, quàmvis raptam ducat. Imò maximus est Matrimonij favor, quòd tanti ejus Tridentinum libertatem faciat, ut illi contravenientes, raptu admisso ad eum effectum Matrimonij ineundi, subdat gravissimis pœnis, non obstante Matrimonio, postmodum liberè subsecuto.

An Covar. faveat sententia Henriquez.

Nec doctrina Covarruviæ allata favet contrariæ sententiæ; nam in eo eventu raptus est multò minus delictum, ac proindè temperanda est pœna; at in nostro casu jam raptus omninò admissus erat, ac integrè consummatum delictum: ac proinde raptor eas incurrerat pœnas. Futurus autem eventus non eximit à pœnis jam incursis, nisi ex ipso jure colligatur: quod tantum abest, ut ex eo decreto colligatur, quin potiùs expressè contrarium decernat. Hactenùs Sanchez.

72. *Quid respondendum ad ult. arg. ex Trid.*

Qui non respondet ad ultimum argumentum adversæ partis desumptum ex ipsis verbis Tridentini; fortè, quia non vidit illud, quamquam apud Henriquez sup. in Comment. lit. T. satis clarè insinuetur. Quid ergò respondendum? Concilium, dicet aliquis, in hac pœna id expressit majoris claritatis gratiâ, ne fortè quis diceret, Matrimonium fore sufficientem satisfactionem pro illata injuria per raptum.

Et verò, quod expressit in hac pœna, quæ ultima est, quid ni & in alijs intelligi debeat, juxtà illud Nicol. III. cap. *Exÿt*, 3. de Verb. signif. in 6. *Et utriusque juris argumenta nos doceant, ea quæ in principio, ad medium, & ad finem, illa verò quæ in medio, ad finem atque principium: & ea quæ in fine, ad utrumque, vel eorum alterum sæpe referri?* Cùm ergò pœna finalis, id est, dotandi raptam, imponenda sit, sive raptor eam duxerit, sive non; cur cessare debeat pœna infamiæ, postquam raptor eam duxerit?

Resolutio Perez & Hurtado.

Quia, inquis, pœna dotandi est in favorem Matrimonij, infamia autem potiùs in odium seu onus. Placet mihi (inquit Perez hic disp. 38. sect. 3. in fine) quod notat Hurtado disp. 23. ad finem diffic. 3. prædictas pœnas non esse à judice imponendas, si raptor validè raptam ducat, exceptâ pœnâ dotandi eam. Quod certè credendum est ex pia Tridentini mente in favorem Matrimonij: nam durum esset, raptam nubere viro perpetuò infami. Hæc ille.

73. *Quod ma-*

Equidem favorem esse maximum Matrimonij, quòd eo contracto inter raptorem & raptam non

ueret infamia, non videtur magnus favor. Mair.

non ceſſet infamia, haud ſatis clarè video. Non cogitur quidem abſolutè rapta ducere raptorem; ſed tamen ſæpè eſt moralis neceſſitas; quòd alioquì rapta difficulter aliud Matrimonium inveniet. Pium ergò eſt, ut contracto Matrimonio ceſſet infamia, & conſequenter incapacitas dignitatum.

Explicatur by Nihilominùs.

Nec obſtat dictio: *Nihilominùs*; per eam namque Concilium hoc ſolùm voluit ſignificare, quòd, etſi raptor poſſit validè contrahere ſervatis ſervandis, & quàmvis fuiſſet illius intentionis, dum raptum admiſit, nihilominùs ipſo jure foret excommunicatus ac perpetuò infamis, omniumque dignitatum incapax, donec & uſque Matrimonium validè contraheret cum rapta.

74. *Objectio ſolvitur.*

Sed enim, dicet aliquis; quomodo ergò perpetuò infamis? Reſpondetur, de per ſe; nam per accidens eſt, quòd rapta, in loco tuto conſtituta, velit cum raptore contrahere.

Iudicium Auctoris.

Quid dicam de hac controverſia? Voluntas Eccleſiæ inquiritur, per quam dictæ pœnæ raptoribus conſtitutæ ſunt; &, ut patet ex dictis, incertum eſt propter diverſas ſententias DD. quid Eccleſia voluerit. Sit ergò pro reſolutione finali Reg. 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Item, Reg. 30. eod. *In obſcuris minimum eſt ſequendum.* De quibus Regulis alibi latiùs tractavimus: & ideò impræſentiarùm ſuperſedeo.

Molina.

Saltem (ut rectè notat Molina to. 4. de Iuſt. diſp. 105. n. 22.) celebraſſe poſteà legitimum Matrimonium cum rapta, cauſa eſt non levis, ut Princeps ab eo auferat infamiam, illum quoad illam in priſtinum ſtatum reſtituendo, capacemque efficiendo omnium dignitatum. Ita Molina.

75. *An raptor ſit irregularis.*

Dico autem, raptorem non eſſe irregularem, niſi inquantùm infamis eſt; quippè irregularitas in Trid. non exprimitur, ut patet, ſed tantùm infamia, quæ eſt cauſa irregularitatis; donec ergò raptor infamiam incurrat, quod non fit ante ſententiam judicis, ſaltem declaratoriam criminis, non erit irregularis, & ceſſante infamiâ ceſſabit irregularitas, juxtà illud: *Ceſſante cauſâ ceſſat effectus.*

Parochus aſſiſtens Matr. invalido raptoris non incurrit pœnas Concilij.

Inſuper aſſero, Parochum aſſiſtentem Matrimonio raptoris cum rapta, nondum ad priſtinam libertatem extrà raptoris poteſtatem reſtitutâ, non incurrere d. pœnas Concilij. Quòd tantùm imponantur adverſus fautores raptûs: at Parochus aſſiſtens poſteà Matrimonio, non favet raptui, utpotè qui jam omninò admiſſus eſt. At utique incurreret, ſi ante raptum promitteret illi eam aſſiſtentiam, quâ animoſior factus eſt raptor ad raptum exequendum. Tunc enim raptûs verè fautor eſſet. Ita Sanchez ſup. in fine.

Sanchez.

76. *Occurritur objectioni.*

Nec obſtat; quòd raptor continuò peccet, raptam non conſtituendo in loco tuto & libero: quippè illa continuatio non punitur; ſed prima abductio: quod inde patet, quia tametſi incontinenti eam reſtitueret, non propterea evaderet pœnas; & ſi fœminam violenter retineret in aliquo loco, ad quem eam non abduxit, non incurreret pœnas, quàmvis eamdem faceret injuriam, quam facit raptor, raptam non reſtituendo in tuto loco.

Violenta retentio non punitur.

Igitur abductio violenta punitur, non retentio violenta. Atque adeò Parochus aſſiſtens Matrimonio, & idem eſt de teſtibus, eſtò fautores forent violentæ retentionis, putà, quia raptam reſtitueret, ſi ipſi nollèt Matrimonio aſſiſtere; haud equidè violentæ abductionis pœnas incurrerent, quæ ipſis inſcijs peracta & completa fuit. Et hactenùs quidem de pœnis, quæ non ſunt propriæ huic loco, & ideò breviùs de illis tractavimus.

77. *Raptus ſolo jure Trid. dirimit.*

Reſtat inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, quæ potiſſimum eſt hujus loci, & ideò diffuſiorem exigit tractatum. Sicut autem dixi in principio Concluſionis, nemo prudenter dubitat, quin raptus ſit impedimentum dirimens novo jure Concilij Trident. Addo hìc: plerique fatentur, quòd eo dumtaxat jure dirimat; & idcircò non dirimit in locis, in quibus hoc Concilium non obligat; ſed ibi, juxtà cap. fin. de Rapt. cujus anteà meminimus, *Rapta puella legitimè contrahet cum raptore, ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere.*

Nam quamdiu durat violentia, & fœmina violenter inducitur ad conſenſum, liquet profectò nullum eſſe Matrimonium eodem jure, quo irritatur Matrimonium vi aut gravi metu injuſtè extortum; ut proindè tali caſu raptus non ſit impedimentum diſtinctum ab ipſa vi ſeu gravi metu. Et ſub hac conſideratione hìc non agitur de raptu, ſed Diſp. præced. Sect. 7. de eo ſatis diffusè tractavimus.

78. *Iure antiquo, ceſſante violentia, poteſt rapta nubere raptori.*

Sin autem poſtquam fœmina rapta & abducta eſt, ceſſet violentia, nullaque vis aut metus ei inferatur, tametſi adhuc maneat ſub poteſtate raptoris, poteſt jure antiquo d. cap. fin. legitimè contrahere. Quidquid in oppoſitum ſentiant Martinus de Magiſtris, & alij quidam apud Sanchez ſup. diſp. 12. n. 42.

Arg. Contrà ex Mart. de Mag. Solvitur ex Sanchez.

Ducitur autem Martinus: quoniam raptor eſt ipſo jure excommunicatus: Matrimonium autem tempore excommunicationis initum eſt invalidum. Sed (inquit Sanchez) id fundamentum prorsùs corruit. Tum, quòd raptor jure antiquo, non ſit excommunicatus, ſed tantùm excommunicandus, ut ſup. oſtendimus: tum etiam, quòd Matrimonium, tempore excommunicationis contractum, validum ſit; eò quòd nullus reperiatur textus invalidans; vel aſſignetur ille, & credimus Martino de Mag. Alioquì ſinè claro textu non eſt ſtatuendum impedimentum dirimens.

Aliud arg. contrà.

Alij ducuntur; quòd dictio, *Poſtmodum*, quæ ponitur in cap. fin præcitato, importet longum temporis intervallum, ut ex illo purgatus metus videatur. Deinde, quòd dictio illa, *Tandem*, quæ ibidem reperitur, videatur importare quamdam longiſſimam examinationem.

79. *Probatur prior ſententia ex Sanchez.*

Cæterùm (inquit Sanchez ſup.) quàmvis hæc fundamenta ſint apparentia: mihi certiſſimum eſt, id non deſiderari; ſed ſatis eſſe, ut Matrimonium valeat, attento eo Capite fin. ſi

rapta adhuc sub raptoris potestate existens, verè liberè consentiat. Et hoc est, quod d. cap. fin. intendit, dum petit consensum postmodum adesse, id est, si jam dissensio cessârit. Si enim voluisset id Matrimonium esse nullum, dum rapta est sub raptoris potestate, id utique expressis verbis declarasset, ut fecit Trid. Sess. 24. de Matr. c. 6. Nec credendum est verbis tam ambiguis & obscuris voluisse irritare Matrimonium quod est res tanti momenti. Hæc ille.

Confirmatur. Addo ego: si d. c. fin. irritasset id Matrimonium, nulla fuisset necessitas, id rursum irritandi per Concil. Trident. novo edito decreto: non enim loquitur de hac invaliditatè, tamquam de re antiquitùs constituta; sed eam tamquam rem novam statuit, dicens: *Decernit S. Synodus* &c. utique reformans in hoc Matrimonium. Nam sessio illa intitulatur: *De reformatione Matrimonij.*

80. *Objectio.* Dices: irritatio illa non erat satis clarè expressa in d. cap. fin. & ideò Trid. voluit eam clariùs hìc exprimere. Respondeo: *In obscuris minimum est sequendum*, Reg. 30. de Reg. juris in 6. Ergò d. cap. fin. non debet intelligi de impedimento dirimente; alioqui in re obscura, non quod minimum, sed quod maximum est, sequeremur. *Diluitur.*

An rapta, manens in potestate raptoris, possit liberè consentire. Decianus. Neque id obscurè significat Decianus tract. criminali lib. 8. c. 13. n. 48. (teste Sanchez sup.) dicit enim, valere Matrimonium, attento d. cap. fin., modò appareat clarè de libera mulieris voluntate. Quod (inquit) non videtur apparere posse clarè, dum est in potestate raptoris.

Quod ego intelligo, non ut omninò impossibile sit, mulierem, existentem in potestate raptoris, liberè revera consentire; sed quod ut plurimùm non sit liber consensus; saltem non appareat esse liber. Et ideò prudenter fecit Tridentinum, id Matrimonium irritando, etiam dum consensus liber est: quia scilicet, quamdiu manet sub potestate, non constat satis Ecclesiæ de ista libertate, & per consequens de valore Matrimonij; quocircà ne maneret valor hujusmodi Matrimonij dubius, & pateret aditus multis litibus, & alijs inconvenientiis, absolutè hujusmodi Matrimonium irritavit.

81. *An sit invalidum Mat. inter raptricem & raptum? Affirmat Aversa & Alij.* De qua utique irritatione jamjam tractabo, & quæro primò; an sit irritum Matrimonium, quod contrahitur inter raptricem & raptum, quamdiu raptus est in potestate raptricis. Affirmat Aversa hìc q. 12. sect 3. §. *At affirmandum*, cum Henriquez lib. 12. de Matr. c. 14. n. 4. Gutierrez de Matr. c. 88. n. 6. Emanuel Sum. to. 1. c. 232. n. 4. Vega to. 2. c. 34. casu 157. notab. 5. Et ut probabile admittit Sanchez sup. disp. 13. n. 16.

Probatio. Suadetur (inquit Aversa) quia in hac materia ob diversitatem nominum generis masculini & feminini, leges commoditatis gratiâ proferunt ex una parte nomen masculinum, & ex altera femininum, ut in hoc casu, *raptorem & raptam.* Non quia suam jussionem velint juxtà sonum materialem ipsorum nominum restringere; sed potiùs volentes ob identitatem rationis, pariter commutatis nominibus intelligi, ut in hoc casu, etiam inter raptricem & raptum. Eadem enim prorsùs ratio est; nempè ob libertatem Matrimonij, quæ prorsùs eodem modo requiritur in viro ac in fœmina.

Et quàmvis faciliùs ac frequentiùs contingat, ut vir fœminam rapiat: tamen hoc non facit, ut eximatur à lege fœmina rapiens virum: sed solùm efficit, ut Concilium sub ijs nominibus, *raptoris & raptæ*, loqueretur. Ac etiam legem correctoriam pœnalem, ubi eadem omninò ratio militat, debere extendi, fatetur Sanchez eâ disp. 13. n. 17. 82. *Confirmatur.*

Sic in alijs pleriſque casibus, ubi sacri Canones sub certis nominibus de viro & fœmina in hac materia loquuntur, solent eodem pacto intelligi è converso de fœmina & viro, ac specialiter in statuendis impedimentis. Utpotè dum loquuntur de viro occidente uxorem, de viro contrahente cum moniali, pariter intelliguntur de fœmina occidente maritum, de fœmina contrahente cum monacho, aliaque plura hujusmodi exempla occurrunt. Quare similiter quod lex statuit de raptore & rapta, eodem pacto debet intelligi de raptrice & rapto, si talis casus contingat. Hucusque Aversa.

His tamen non obstantibus Conclusio nostra docet, raptum solius fœminæ esse impedimentum dirimens; adeoque virum raptum à fœmina validè posse cum ipsa contrahere, etiam dum adhuc existit in potestate raptricis. Ita docet Sanchez sup. n. 16. & omnes, qui cum ipso asserunt, raptricem non incurrere pœnas juris Civilis & Canonici antiqui, cùm non appareat sufficiens ratio disparitatis. 83. *Oppositam sententiam docet Sanchez.*

Eamque esse communiorem DD. sententiam, ait Herinx hìc disp. 6. n. 80. Nam (inquit) Tridentinum expressè loquitur in casu, quo mulier est rapta, dicens: *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit.* Nec intentio Concilij videtur se extendere ad fœminam, quæ vix unquam solet raptum committere. Solent porrò jura obviare casibus, natis occurrere. Unde nec ea, quæ statuit Trid. contrà impedientes libertatem fœminarum circà Professionem religiosam, extenduntur à Doctoribus ad impedientes libertatem virorum; quàmvis horum quoque libertas interdum, sed rariùs tollatur. Deindè, versamur in odiosis; quæ sunt restringenda. *Eam esse communiorem ait Herinx. Probatur ex eod.*

Quod verò objicitur, per raptum alienæ sponsæ, intelligi pariter raptum alieni sponsi, dum agitur de impedimentis merè prohibentibus, gratis & falsò assumitur. Neque etiam in jure à pari ratione, aut simili exemplo ducitur bonum argumentum. Hæc ille. Brevibus complectens verbis, diffusiùs dicta Concluſ. præced. ad quæ remitto Lectorem. Nam argumenta, quæ probant, raptrices non incurrere pœnas juris antiqui, idem probant de pœnis juris novi seu Concilij Tridentini. 84. *Objectio solvitur.*

Sola differentia esse videtur, quòd principale intentum Tridentini sit, salvare libertatem Matrimonij; porrò jus antiquum principaliter consideravit expletionem libidinis.

Iam

Alia objectio. Iam autem, ut benè notavit Averſa ſuprà, libertas Matrimonij prorsùs eodem modo requiritur in viro ac in fœmina. Unde metus gravis injuſtè incuſſus, ſive à viro mulieri, quod frequentiùs natum eſt fieri, ſive à muliere viro, quod rarum eſt, dirimit æqualiter Matrimonium; quia æqualiter opponitur libertati Matrimonij. Ergò ſimiliter in præſenti caſu raptus dirimet tam viri, quàm mulieris.

85. *Soluitio, & diſparitas inter metum & raptum.* Reſpondetur: diſparitatem eſſe; quòd metus ſit impedimentum juris naturalis ſeu divini; raptus autem juris Eccleſiaſtici, idque pœnalis, & correctorij, in quo non licet argumentari à pari ratione, niſi ad evitandum abſurdum; jam autem abſurdum non eſt, raptum dirimere inter raptorem & raptam, eſtò non dirimat inter raptricem & raptum, etiam datâ paritate rationis; quia ratio legis non eſt lex, neque cogit Legiſlatorem ad ferendam legem, cùm antè Trident. raptus non dirimeret, niſi inquantùm erat conjunctus metui gravi, qui æqualiter, ut dictum eſt, dirimit inter raptorem & raptam, & inter raptricem & raptum, de quo caſu hìc non agimus; ſed de illo, in quo jure antiquo d. c. fin. de Rapt. Matrimonium valeret inter raptorem & raptam, raptricem & raptum. Igitur Trident. rationabiliter voluit corrigere d. cap. fin. in caſu, qui frequenter occurrit; ſecùs in caſu rariſſimo. Hæc, credo, ſufficient ad ſalvandam veritatem 1. partis Concluſionis, ſcilicet: *Raptus ſolius fœminæ.*

86. *An res vertatur in entia Matr. Aliqui negant.* Sequitur: *Causâ ineundi Matrimonium*; ſecùs explendi tantùm libidinem. Hæc eſt altera difficultas, quam tractat Sanchez ſup. diſp. 13. n. 3. & 4. Equidem Aliqui affirmant, Tridentinum de omni raptu, ſive causâ ineundi Matrimonij, ſive causâ ſolius libidinis explendæ factus ſit, fore intelligendum. Et eſt ſatis probabile, inquit Sanchez in fine n. 3.

Affirmat Sanchez, & probat 1. ex verbis Trid. Verùm (proſequitur n. 4.) mihi probabilius eſt, in eo Decreto ſolos fœminarum raptores, causâ contrahendi cum eis Matrimonium, comprehendi. Ducor; quòd ex principio illius cap. 6. id colligatur: nam ſtatim incipit verba facere de Matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam: ac proindè indicium eſt, de illo ſolo raptu agere, qui causâ Matrimonij admittitur.

87. *Secunda probatio.* Deinde: quòd id Decretum, ſub rubrica de Reformatione Matrimonij ponatur: ad quam eſtò conferat, ut rapta plenam libertatem adepta ſit, ut raptori nubat: at imponere raptoribus, non causâ Matrimonij, ſed libidinis explendæ tam arcebas pœnas, eſt prorsùs extrà rem, cùm raptor nullatenùs Matrimonium, nec ejus libertatem offenderit.

Confirmatur. Et confirmatur: quia quando causâ Matrimonij raptus eſt admiſſus, delictum fuit contrà Matrimonij libertatem, & ab initio in eo interfuit coactio; ac proindè, ut plenior ſit libertas, petit id Decretum, priùs raptam in priſtinam libertatem, ac in loco à raptore ſeparato reſtitui: ac raptorem, tamquam iniquum libertatis Matrimonij violatorem, cui libertati totis viribus Tridentinum ac Canones antiqui conſulere intendunt, punit pœnis acerbis, in eo Decreto contentis.

88. *Probatur 3.* Tandem: quòd ubi textus eſt dubius, rubrica probat, qualiter ſit intelligendus; textus enim in dubio intelligendus eſt, ut conveniat rubricæ, ſub qua conſtituitur. Sic DD. multi limitant cap. 1. de Clerico non ordin. miniſtr. generaliter decidens, non ordinatum exercentem actum Ordinis eſſe irregularem, ut intelligatur, quando exercens eſt Clericus, eò quòd collocetur ſub rubrica de Clerico non ordinato miniſtrante. Nec alia poteſt reddi ratio.

Additio. Adde: hunc textum Concilij eſſe reſtringendum, quòd corrigat cap. fin. de Rapt. permittens Matrimonium inter raptorem & raptam. Hucuſque Sanchez pro ſua & noſtra opinione, quæ tamen non caret difficultate, ut patebit ex argumentis Adverſariorum, quibus debet ſatisfieri.

89. *Primum arg. adverſæ partis.* Primum eſt: quòd Tridentinum innovare voluerit pœnas, per antiquos Canones raptoribus decretas, quæ raptorem causâ libidinis comprehendebant.

Reſp. Sanchez. Reſpondet Sanchez ſup. n. 18. id non intendere Trid. ſed ſolùm pœnas imponere offendentibus libertatem Matrimonij per raptum.

Impugnatur. Contrà: Quâcumque intentione rapiatur fœmina, dum poteſtati raptoris ſubeſt, non minùs impeditur plena libertas, cùm metus & vis non plenè ceſsârint: atque adeò ſatis reformatur Matrimonium, dum quod antèà validum erat, jam invalidum declaratur. Ex quo corruere videtur argumentum Sanchij, deſumptum ex rubrica de Reformatione Matrimonij.

90. *Oſtenditur, quòd imponere tam acerbas pœnas, non ſit extrà rem.* Quod autem addit Sanchez, *Imponere raptoribus, non causâ Matrimonij, ſed libidinis explendæ, tam acerbas pœnas, eſt prorsùs extrà rem*; ad hoc, inquam, reſponderi poſſet; imponere raptoribus, non causâ Matrimonij, ſed libidinis explendæ, pœnam mortis, & amiſſionis omnium bonorum, cum prohibitione, & fortè irritatione Matrimonij, atque excommunicatione ferendæ ſententiæ, non eſt prorsùs extrà rem; cum partim jure civili, partim jure Canonico id factum fuerit; ergò etiam pœnæ Concilij Trid. non ſunt prorsùs extrà rem.

Eſtò enim raptor non offenderit Matrimonium aut ejus libertatem rapiendo; offendit tamen retinendo raptam in ſua poteſtate, dum tractatur de Matrimonio contrahendo. Imò etiam rapiendo offendit; quia eſt in cauſa, cur rapta nequeat poſtmodum commodas nuptias conſequi. Hæc merentur diſpici.

91. *Defenditur reſponſio Sanchez.* Interim reſpondeo: veluti metus injuſtè incuſſus, non ob finem Matrimonij, ſed ob aliam cauſam, v. g. explendæ libidinis, non adeò offendit Matrimonium, ut illud dirimat, ſecundùm Multorum ſententiam; quòd tunc non ſit coactio ad Matrimonium, ſed potiùs libera & ſpontanea ejus electio, ad malum aliundè intentatum evadendum; ſic itidem, dum puella rapitur ad libidinem explendam, & contrahit Matrimonium, non cogitur ad id; ſed potiùs ſpon-

tè & liberè eligit, ad evadendam violentam stuprationem; ac proinde tali casu non offenditur per illum raptum libertas Matrimonij, magis, quàm si absque raptu vellet libidinem suam explere, & ipsa eligeret Matrimonium ad illam libidinem evadendam. Cui non placet hæc responsio, quærat meliorem.

92. *Secundum arg. Adversariorum.* Argumentantur præterea Adversarij: Textus, generalior rubricâ, non debet per illam restringi, ut est Glossa notabilis Authent. de Incestis & nefar. nuptijs collat. 2. ubi licet rubrica solùm sit de nuptijs incestis & nefarijs; quia tamen textus generaliter loquitur de nuptijs illicitis, comprehendit omnes nuptias illicitas, etiamsi non sint incestæ vel nefariæ.

Audite Glossam verb. *Illicitas*: *Hoc* (inquit) *generale nomen est, quocumque modo sint nuptiæ contra legem: licèt non sint contrariæ naturæ, sed juri. Nefariæ verò inter ascendentes & descendentes: Incestæ autem inter collaterales & affines: ut Instit. de Nuptijs.* §. Ergò, *& ff. de Rit. nupt. l.* Quin etiam. *Licèt lex quandoque promiscuè utatur.*

Et secundùm hoc reprobo hìc opinionem Mar. qui dicit titulum istum habere locum tantùm, quando erant nefariæ vel incestæ. Sed hæc littera dicit plus, scilicet quocumque modo illicitas.

93. *Textus generalis non semper restringitur per rubricam particularem.* *Nec obstat rubrica hujus tituli, quam pro se inducit; nam plerumque generalior est textus, quàm rubrica, ut sup.* Ut Eccl. Rom. *&c. Nam de alijs ibi loquitur. Et è contra rubrica generalior est textu: ut patet Cod. de Rel. & sumpt. fun. Nam licet in rubrica dicat de luctu: in textu tamen non dicit: unde non est bona sua argumentatio, licèt noster fuerit concivis, scilicet Florentinus. Pro nobis autem hæc est littera, scilicet:* Illicitas: *ut Instit. de Nuptijs* §. Si adversùs. *Quocumque igitur modo Matrimonium illicitum est, quod est quatuordecim modis, ut diximus Instit. eod.* §. Sunt & aliæ, *semper locum habet hic titulus.*

Illatio. Cùm ergò Decretum Concilij Tridentini loquatur generaliter de raptore, ibi: *Decernit S. Synodus inter raptorem & raptam,* & posteà in toto illo cap. nunquam restringat, necessariò dicendum erit, de omni raptore intelligi; nec restringi debet ad raptorem, causâ solius Matrimonij incundi, quòd sub rubrica de reformatione Matrimonij constituatur. Ita Adversarij.

94. *Resp. Sanchez.* Respondet Sanchez sup. n. 18. eam doctrinam Glossæ intelligendam esse, ubi est aliquod verbum expressum in textu, ex quo colligatur, illum esse generaliorem rubricâ, ut contingit in illa Authent. Ibi enim dicitur cap. 1. in principio: *Sancimus igitur de cætero, si quis illicitas & contrarias naturæ (quas lex incestas, & nefandas, & damnatas vocat) contraxerit nuptias.*

Quare ne particula illa, *Illicitas*, superflua sit, ac ut dictio, *Et*, conjungat diversa (ut facere solet) oportuit intelligere non solùm de incestis contra naturam nuptijs, de quibus est rubrica, sed de omnibus illicitis. At in Tridentini Decreto non invenitur verbum cogens id ultrà rubricam extendere.

Adde etiam: eam Glossæ doctrinam non esse certam: ipsa enim ibi refert Doctorem antiquum, limitantem eum textum ad solas nuptias in rubrica comprehensas. Hæc ille.

Sed contrà, inquis; invenitur verbum: *Raptor*, quod propriè significat etiam eum, qui rapit, causâ explendæ libidinis, ut patet ex jure civili, & Canonico antiquo. 95. *Impugnatur.*

Planè invenitur istud verbum; sed non cogit id ultrà rubricam extendere, sed, attentâ intentione & tractatione Tridentini, commodissimè restringitur ad raptorem, causâ ineundi Matrimonium. *Defenditur.*

Inquiris, quæ sit illa intentio & tractatio? Lege Herinx sup. n. 79. ubi hæc scribit. Trid. vult obsistere, ne quis audeat attentare medium, per quod cernit suo se fine frustrandum. 96. *Quæ fuerit intentio Trid. ex Herinx, & Lessio.*

Idem ait Lessius de Iustit. & jure lib. 4. c. 3. n. 70. (ubi sequitur sententiam Sanchez) dicens: Congruum erat, ut ille raptus esset Matrimonij impedimentum, qui propter Matrimonium attentatur; nimirum ut nemo audeat attentare, per quod se suo fine videt frustrandum; quæ ratio non habet locum in raptu, causâ libidinis facto. Accedit: quod rariùs ex tali raptu sequatur Matrimonium; nam plerumque raptam, ubi libidinem expleverint, repellunt.

Confirmatur: quia verba sunt intelligenda juxtà præsentem materiam; alioquì dicendum erit, etiam ex raptu, serviendi causâ facto, impedimentum nasci. Hæc ille.

Sed contrà ultimum; abductio viri aut fœminæ causâ serviendi, non est propriè raptus; sed proprio nomine vocatur plagium; porrò lex pœnalis, & correctoria juris antiqui, nullatenùs debet extendi ultrà proprietatem verborum; at verò raptus causâ libidinis, propriè est raptus, ut Omnes fatentur. 97. *Arg. contrà.*

Prætereà jus civile in pœnam raptûs prohibuit, & fortè irritavit Matrimonium inter raptorem & raptam, ut colligitur ex Authentica de Raptis mulieribus, aliàs de Muliere raptum passa, §. unico, ibi: *Qui enim tale stare Matrimonium* (inter raptorem & raptam) *etsi rapta voluerit, prohibuimus.* Stare enim idem est, quod semel initum consistere, ac vires habere tamquam validum. *Aliud.*

Et certè Tridentinum non alijs verbis illud irritat, quàm similibus, dicendo: *Nullum posse consistere Matrimonium.* Utì etiam irritatur Matrimonium inter adoptantem & adoptatam, cap. un. de Cognat. leg. ibi: *Inter me & ipsam nuptiæ consistere non possunt.*

Imò etiam jure Canonico antiquo, 36. q. 2. communiter DD. dicunt, tale Matrimonium, scilicet inter raptorem & raptam, fuisse invalidum, quàmvis verba Canonum id non satis explicent. Et tamen intentio istorum jurium non fuit, ut nemo auderet attentare, per quod se suo fine videret frustrandum; quippè loquuntur etiam de raptu, causâ libidinis facto, in quo illa ratio non habet locum. Ex quo ergò probatur, quod fuerit illa intentio Tridentini? 98. *Confirmatur.*

Et

An rarò ex raptu causâ libidinis sequatur Matr.

Et verò ex jure civili & antiquo Canonico videtur colligi, non ita rarum esse, ut vult. Lessius, quòd ex raptu causâ libidinis sequatur Matrimonium; cùm leges (ut sup. probavimus ex jure) soleant constitui in ijs, quæ frequenter accidunt. Hæc maturè considerentur, & statim apparebit, verum esse, quod Sanchez sup. n. 3. in fine dixit, sententiam Adversariorum esse valdè probabilem.

99. *Auctor amplectitur sententiam Sanchez, & quare.*

Ego amplexus fui sententiam Sanchez, quia; ut jam non semel dixi: *In obscuris minimum est sequendum, &: In pœnis benignior interpretatio est facienda.* Adde: correctionem jurium evitandam esse quantùm commodè fieri potest, l. *Præcipimus*, Cod. de Appel. §. fin. *Quidquid autem hâc lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum, constitutionumq; regulis omnes relictum intelligant.* Quod adeò verum est (inquit Sanchez lib. 1. disp. n. 6.) ut gratiâ vitandæ juris correctionis à propria verborum significatione recedendum sit.

Cùm ergò in hoc Decreto Trident. specialiter non sit expressus raptus causâ libidinis, & de rapta causâ ineundi Matrimonij id Decretum commodè intelligi possit, ne d. cap. fin. de Rapt. corrigatur plusquam necesse est, dicimus, raptum causâ libidinis non esse impedimentum dirimens; sed inter raptorem & raptam Matrimonium posse consistere vi d. Constitutionis Innoc. III. si prior dissensio transeat postmodum in consensum.

100. *Pro ea adducitur Delar. Card. à Præpositio.*

Idque videtur declarasse Congregatio (inquit Præpositus hìc q. 7. n. 141. ubi sequitur Sanchium, dicens: raptores ob aliam causam, quàm ut in uxores ducant, non comprehendi à Concilio propter identitatem, vel majoritatem rationis; nec constitutio pœnalis extenditur in tali casu.

Oppositam refert Em. Sa.

Sed oppositam declarationem adducit Ema. Sa. verb. *Matrimonium* n. 9. dicens: Inter raptorem & raptam, etiam aliâ causâ, quàm ut uxor ducatur, quamdiu est in potestate raptoris non potest fieri validum Matrimonium, ex Concil. Trid. & Congreg. Concilij.

Neutra est authentica.

Sed nec una, nec altera Declaratio est authentica quòd sciam; & ideò non est eis fides adhibenda; sed independenter ab illis res dijudicanda, utique in favorem Rei, quousque Ecclesia mentem suam apertiùs declaraverit.

101. *Objectio.*

Dices: satis declaravit mentem suam, ubi punit raptorem, & fautores, si Clerici fuerint, eâ pœnâ, ut à proprio gradu decidant; ergò supponit raptorem aliquando fore Clericum, qui tamen non potest rapere causâ ineundi Matrimonij, cùm illud contrahere possibile non sit.

Solvitur ex Sanchez.

Respondet Sanchez lib. 7. disp. 13. n. 18. in fine: fautores, quos ea pœna comprehendit, posse esse in sacris constitutos, & raptorem in minoribus, atque ita verificari esse Clericum. Adde: posse esse in sacris, & rapere causâ ineundi Matrimonij de facto, licèt non de jure, & subesse tunc illis pœnis. Hæc ille.

Sed dicet aliquis: unde constat, quòd subesset tunc illis pœnis? Nam hoc Aliqui videntur negare. Scio: sed nunquid audiendi? Patebit ex dicendis sequenti Conclusione, quæ erit de qualitatibus fœminæ, huic Decreto Trid. subjectæ.

CONCLUSIO IV.

Decretum Trident. comprehendit raptum cujuscumque fœminæ, sive virginis, sive corruptæ, sive meretricis & inhonestæ, conjugatæ, & cujusvis statûs, etiam sponsæ de futuro. Debet vis inferri ipsi fœminæ.

102. *Raptus propria sponsæ punitur à Trid.*

INcipiamus à propria sponsa, quæ per vim rapitur causâ ineundi Matrimonij, ad quod se obligavit, idque dum est in mora, & sinè justa causa renuit fidem datam servare. Dico: tali casu Matrimonium inter raptorem & raptam non posse consistere, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, estò etiam liberè jam consentiret.

Probatio.

Ratio est; quia ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus sinè sufficienti ratione. Iam autem Trident. generaliter loquitur de raptore & rapta; neque ulla est ratio sufficiens, excipiendi sponsum, raptorem sponsæ de futuro. Quàmvis enim ipsa debeat Matrimonium contrahere vi sponsalium; equidem neque jus Civile, neque Canonicum concedit sponso violentam coactionem, quidquid sit de judice, de quo alibi egimus. Quidni ergò sponsus, vi abducens sponsam suam à domo parentum ad propriam domum, verus debeat censeri raptor, & ut offendens per illam abductionem libertatem Matrimonij, subjectus præsenti Decreto Concilij Tridentini?

103. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat: quòd existens jam in domo sponsi, liberè in eum consentiat. Quippè Tridentinum petit ad majorem libertatem, ut sit extrà potestatem raptoris, ibi: *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit.* Quid sit autem in potestate raptoris manere, indicat sequentibus verbis: *Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.*

Ergò aliquid plus requiritur, quàm liber consensus; scilicet separatio à raptore, & constitutio in loco tuto & libero. Quam profectò separationem non postulabat Innoc. III. in d. cap. fin. de Rapt. & ideò quoad hoc à Trid corrigitur.

104. *Probatur eod. arg. Trid. comprehendere omnem mulierem.*

Atque eodem argumento probatur, Tridentinum comprehendere raptum mulieris sive virginis, sive corruptæ, seu etiam meretricis & inhonestæ; quia omnis ille offendit libertatem Matrimonij, ut patet; neque mulier corrupta, & meretrix minùs liberæ debent esse in contrahendo Matrimonio, quàm virgo & honesta, cùm æquale onus sibi ipsis imponant. Ergò non

apparet ulla ratio intelligendi Trid. de uno potius raptu, quàm de alio.

An etiam mulierem conjugatam.

Sed quid si mulier sit conjugata, vel est aliud impedimentum dirimens inter eos, sive sit ex parte raptoris, sive ex parte raptæ? Conclusio nostra ait: etiam raptum hujusmodi mulieris in eo Decreto Concilij comprehendi, si reverà fiat causâ Matrimonij ineundi de facto, licèt non de jure.

105. *Probatur ex Sanchez, quòd sit.*

Probat Sanchius sup. n. 14. Quia Trident. non petit iniri inter eos Matrimonium, nec id spectat; sed sive ineatur, sive non, suis pœnis eos afficit. Quod constat ex illis verbis, quæ post proximè relata adjungit: *Et nihilominùs raptor ipse* &c. Quasi dicat: non minùs incurrat pœnas raptor ducens, quàm si non ducat. Ac proindè delictum, hic punitum, ipsâ violentâ abductione ad ineundum Matrimonium consummatur.

Trid. non supponit, eos esse habiles ad contrahendum.

Nec spectat Trid. sint habiles, nec ne ad illud contrahendum. Siquidem illud contrahi, aut non contrahi, non confert ad pœnas. Nec supponit fore semper illos habiles ad Matrimonium; sed quando illud iniri permittit, id est, ex parte impedimenti raptûs, quod non impedire ait, si velit fœmina, loco tuto ac plenæ libertati reddita. Secùs, si ex alia parte impedimentum adsit: id enim Trident. minimè aufert.

106. *Contrarium videtur sentire Manuel.*

Et hoc est verum, inquit Sanchez, quàm vis Manuel. 1. to. Sum. c. 231. n. 1. videatur oppositum sentire: explicans enim hoc decretum, ait, si quis non rapiat sponsam alienam, sed viduam, vel solutam, statuere Trident. ut raptor incurrat pœnas.

Colligitur ex verbis Trid.

Atque hæc opinio videtur colligi ex iis verbis Trident. *Quòd si rapta à raptore separata* &c. *eam raptor in uxorem habeat.* Ergò supponit Trid. raptorem & raptam tales esse, ut, secluso raptu, inter eos possit verum Matrimonium consistere.

Confirmatur à simili.

Et confirmatur à simili in impedimento criminis, quod non incurritur secundùm Aliquos, quando adulteri aliundè, quàm ex impedimento ligaminis, invalidè contraherent, eò quòd tali casu non detur occasio occidendi conjugem. Ergò similiter in præsenti casu, si Matrimonium inter raptorem & raptam aliundè est invalidum, quàm ex impedimento raptûs, nulla datur occasio rapiendi, cum per raptum nequeat finis obtineri, tametsi raptus non foret impedimentum dirimens.

107. *Resp. ad arg.*

Respondetur ad argumentum: Concilium non supponere tales esse, sed fieri posse, ut tales sint, & siquidem tales sint, permittit eos contrahere.

Quid dicendum ad simile.

Sed quid ad simile? Illud non premit Sanchium, qui oppositum docet, ut sup. vidimus. Sed premit nos, qui cum Dicastillone id docuimus. Ideò disparitatem do: quòd impedimentum criminis spectet Matrimonium inter criminosos: at verò impedimentum raptûs libertatem Matrimonij.

Id est, impedimentum criminis constitutum fuit ab Ecclesia, ut homines arcerentur ab adulterijs & occisionibus conjugum, quæ frequenter contingerent, si adulteri aut machinatores possent validè contrahere; quæ ratio cessat, quando aliundè impediuntur contrahere. At verò impedimentum raptûs inductum fuit, ad conservandam plenam libertatem Matrimonij, quæ ratio non cessat, tametsi aliundè impediantur contrahere; quia contractus, quem intendunt, reverà non est plenè liber.

108. *Resolutio finalis.*

Quæ cùm ita sint, liquet profectò, omnium fœminarum cujuscumque statûs eamdem esse rationem, id est raptum sponsæ de futuro, mulieris honestæ, meretricis, virginis, corruptæ, conjugatæ, solutæ, eisdem pœnis Concilij Trid. subjectum esse. Nisi quòd Aliqui putent, raptum propriæ sponsæ, eâ consentiente, invitis tamen parentibus, non subesse his pœnis; secùs raptus alterius mulieris. Nos autem generaliter dicimus, raptum mulieris volentis non comprehendi hoc Decreto; estque ultima pars Conclusionis: *Debet vis inferri ipsi fœminæ.*

109. *Abducens propriam sponsam consentientem, non est raptor secundùm jus Canonicum.*

Equidem quòd raptus propriæ sponsæ non comprehendatur, patet ex cap. penult. de Raptoribus, ibi: *Respondemus, quòd cùm ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptijs agitur, iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsaverit, quàm cognoverit, licet parentes reclamarent, à quibus eam dicitur rapuisse.*

Ergò secundùm jus Canonicum, abducens propriam sponsam, raptor dici non debet; atque adeò non incurrit pœnas jure Canonico pro veris raptoribus institutas, quidquid sit de pœnis juris civilis, de quibus antea egimus. Ita communiter DD.

An sit eadem ratio aliarum mulierum? Affirmat Sanchez.

Quantùm ad alias mulieres, quæ volentes abducuntur invitis parentibus, Multi, quos citat Sanchez sup. n. 13. existimant, tunc incurri has pœnas; quòd sit verè raptus, ut diximus Concluf. 1. Verùm (inquit Sanchez loco citato) in contraria sum sententia. Quòd hoc Decretum libertati Matrimonij favere intendat, cavereque, ne fœmina renitens cogatur illud inire. At ad eam libertatem nihil confert parentum voluntas; sed sola fœminæ, quæ in hoc eventu reperitur abductioni connivens.

110. *Occurritur objectioni.*

Nec juvat; si dicas, voluntatem parentum desiderari ad honestatem Matrimonij: Nam Tridentinum in eo Decreto non honestatem, sed solam ejus libertatem spectat. Quod vel inde clarè constat, quòd ad valorem Matrimonij, inter eumdem raptorem, ac violenter raptam, solùm petat, raptam ad pristinam libertatem restitui, ac in loco tuto reponi. Hæc ille.

Veluti ergò alia Matrimonia contrà voluntatem parentum inita, valent, estò sint inhonesta: quidni similiter in casu præsenti? Quia, inquis, in hoc casu est verus raptus. Respondeo: secundùm jus civile transeat; secundùm jus Canonicum, nego.

111. *Quare hic sit potiùs raptus secundùm jus*

Quæ ratio disparitatis? Quia jus civile non tam consideravit libertatem Matrimonij, quàm expletionem libidinis, & injuriam illatam, sive raptæ, sive parentibus ejus; jam autem vera fit injuria parentibus, vel alijs, sub quorum custo-

dia

civile, quàm Canonicum.

dia eſt mulier, quæ abducitur; & libido explentur cum illa, licèt volente.

At verò jus Canonicum ſolam conſideravit libertatem Matrimonij, quæ nullatenùs offenditur, quando fœmina volens abducitur, tametſi contrà voluntatem parentum. Imò contraria voluntas parentum potiùs offendit libertatem Matrimonij, ut patet conſideranti. Ergò jus Canonicum ad eam non debuit attendere, ſed ad ſolam voluntatem mulieris, quæ contrahit Matrimonium.

112. *Non excuſat à pœnis Trid. quòd parentes conſentiant.*

Et hinc eſt verus raptus, ſubjectus pœnis Concilij Tridentini, quando mulier abducitur contrà propriam voluntatem, tametſi parentes conſentiant, quia tunc offenditur libertas Matrimonij; & fit etiam vera injuria raptæ, quòd parentes non habeant jus in corpus filiæ, ſive ad actum libidinoſum ſeu fornicarium, ſive ad actum conjugalem.

Igitur ex motivo utriuſque juris colligitur hìc diverſitas; quamquam in aliquibus hæc jura conveniant; ſcilicèt, quòd utrumque petat abductionem & violentiam, ac ſpectet initium actûs. Hinc pono ſequentia corollaria. Primum:

Excuſatur, qui dolo aut precibus abduxit, niſi æquivaleant violentiæ.

Non comprehenditur Decreto Concilij Tridentini, qui dolo abducit, aut importunis precibus, niſi æquivaleant violentiæ. Secundum: Si voluntariè diſcedat mulier, non cenſetur rapta, tametſi poſteà mutet ſuam voluntatem.

Probatur.

Ratio primi eſt; quia ad omnem verum raptum requiritur violentia; ergò qui dolo aut precibus abducit, niſi hæc æquivaleant violentiæ, non eſt verus raptor. Porrò Concilium loquitur, non de omni eo, quod poteſt impedire libertatem Matrimonij; ſed de vero raptu, quo impeditur talis libertas.

113. *Quæ preces æquivaleant.*

Igitur non omnes preces, quæ poſſent impedire libertatem Matrimonij, ſufficiunt; ſed tales dumtaxat, quæ conſtituunt verum raptum, id eſt, quæ æquivalent violentiæ. Æquivalent autem, ſi æquivaleant gravi metui, ita ut propter eas, etiam ſecluſo hoc Decreto Concilij, Matrimonium foret irritum. Quando autem hoc ſit, diximus Diſp. præced. Sect. 7. Concluſ. 5. Videantur ibi dicta.

Sanchez.

Cùm raptus (inquit Sanchez ſup. diſp. 12. n. 10.) vim deſideret, non ſufficiunt quæcumque preces importunæ; non etenim omnes eæ vim inferunt; ſed quando aliæ circumſtantiæ cum illis concurrunt, ut maximus reverentiæ timor, ita ut perſonæ, ſic inſtanti, non audeat puella contradicere. Hæc ille.

114. *Non ſufficiunt hæ blanditiæ aut munera data vel promiſſa.* Navar.

Quod ſi ſolæ preces importunæ non ſufficiant ad violentiam inferendam, neque ſufficient blanditiæ, aut etiam munera data ſeu promiſſa; quidquid de his dicat Navar. lib. 5. Conſil. tit de Rapt. 2. edit. conſ. 1. n. 2. ubi ſic ait: Nota, quòd raptus non admittitur ſine violentia; quia verbum, *rapere*, ſonat violentiam, ut ſentit l. *Si eximendi*, ff. Ne quis eum, qui in jus vocat. Ubi Angelus id expreſsè notat, quem refert & ſequitur Joannes ab Anania, Dicens: eum qui vult probare raptum, debere ita articulare, ut violentiam factam concludat: quàmvis videatur ſufficere perſuaſio exeundi à domo patris, ipsâ volente per munera data ſeu promiſſa, ex mente Angeli, quatenùs ait: eum, qui allexit uxorem alterius ad adulterandum muneribus vel promiſſis, dici poſſe adulteratum fuiſſe illam invitam. Hæc ille. Quæ repetit conſil. 3. n. 1. neque improbat.

Nobis autem non probantur; niſi quis velit admittere, eum, qui allexit puellam muneribus vel promiſſis ad contractum Matrimonij, dici poſſe cum invita contraxiſſe; adeoque invalidè. Quod non puto Navarrum unquam admiſiſſe. Igitur præter munera data ſeu promiſſa, ampliùs quid requiritur, ut abductio mulieris cenſeatur violenta; & per conſequens verus raptus, quem Trid. conſtituit impedimentum dirimens.

115. *Sicut neque ad pœnas juris civilis,*

Sicut aliquid plus requiritur ad eum raptum, quem jus civile punire voluit pœnâ mortis, & amiſſione omnium bonorum, ſcilicet ut odioſis artibus mulier fuerit circumventa juxta l. un. Cod. de Rapt. virg. ibi. Niſi etenim eam ſollicitaverit, niſi odioſis artibus circumvenerit &c. Vide dicta Concluſ. 1. Ergò idem ad minùs requiritur ad raptum, quem puniri voluit Concil. Trident. pœnis jam anteà explicatis.

Et ſicut in his ſpectatur initium actûs, ita & in illis.

Et verò ſicut ad pœnas juris civilis requiritur, ut mulier invita ſeu nolens diſcedat, aut potiùs abducatur; nec ſufficit ſi poſtquam voluntariè diſceſſerit, vi opprimatur, ut ibi oſtendimus; ſic itidem ad pœnas Concilij Trid. requiritur, ut mulier invita ſeu nolens abducatur, nec ſufficit, ut poſtquam voluntariè diſceſſerat, exiſtens jam ſub poteſtate viri, mutet ſuam voluntatem, & diſplicere incipiat, quod anteà placuerat. Atque adeò ſi rurſum placere incipiat, quod anteà diſplicuit, validè poterit contrahere Matrimonium, niſi aliquid aliud obſtet; quia reverà non fuit rapta.

Sin autem mulier invita abducta fuerit, tametſi poſteà ſub poteſtate viri exiſtens complacere incipiat, quod anteà diſplicebat; equidem Matrimonium non valebit, donec & uſque evaſerit poteſtatem viri, & raptor pœnis Trid. manet ſubjectus, ut patet ex dictis.

116. *Quid ſit manere in poteſtate raptoris.*

Spectandum quippè eſt initium actûs, & non exitûs. Et Trid. apertè dicit, non poſſe conſiſtere Mattimonium inter raptorem & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit. Quid autem ſit manere in poteſtate raptoris, explicat ſequentibus verbis: *Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto ac libero conſtituta* &c.

Ergò manet in poteſtate raptoris, tametſi jam liberè conſentiat in Matrimonium, dummodò non ſit ſeparata à raptore, & in loco tuto & libero conſtituta, id eſt, in tali loco, ut nihil periculi (inquit Præpoſitus hic q. 7. n. 146. in fine) ampliùs à raptore, ejus famulis vel aſſeclis, illi immineat. Unde ſi puella ad ſuos rediens, in via conſenſum præſtet in Matrimonium, non ſubſiſtet, ſi immineat ei aliquod à raptore periculum. Sic ille. Unde putat realem ſeparationem non ſufficere. Præpoſitus.

Sed nunquid requiritur? Quid ſi manens 117.

conjun-

An debeat rapta reali ter esse separata à raptore.

conjuncta, nihil ominò periculi ipsi immineat? Ad hoc dubium non respondet Præpositus. Posset autem aliquis dicere utrumque requiri, & separationem realem, & constitutionem in loco tuto. Ratio: voluntas Ecclesiæ, quæ illa duo tamquam distincta posuit, & potuit utrumque requirere ad majorem libertatem; maximè cùm, quamdiu non est realiter separata, moraliter semper immineat aliquod periculum.

An debeat subesse periculum gravis mali.

Neque oportet, ut sit periculum alicujus gravis mali; sic enim non esset hoc impedimentum distinctum ab impedimento gravis metûs, cùm tamen tamquam distinctum à DD. statuatur, & quasi Omnes supponant, posse raptam, manentem in potestate raptoris, liberè consentire sufficienter ad validum contractum; arg. cap. fin. de Rapt. Quem utique consensum ratione criminis perpetrati, & ne ullus attentet raptum, Matrimonij ineundi causâ, cùm per illum Matrimonium invalidetur, Concilium reddit pro tempore inefficacem.

118. *Sufficit raptus per alium.*

Si autem à me queritur: an ad pœnas Tridentini sufficiat raptus per alium, v.g. per mandatarium. Respondeo citiùs, affirmativè, veluti dixi de pœnis juris civilis Concluſ. 1. Hic enim est verus raptor, quando mandatum, aut etiam consilium fuerunt vera causa, ita ut obligent ad restitutionem.

Quid si quis rapiat, ut rapta Matr. ineat cum tertio.

Iuvabit audire Sanchium sup. disp. 13. n. 6. Secundò infertur, si quis proprio motu, nimirum non petente, qui Matrimonium initurus est, fœminam rapiat, non ut secum, sed ut cum alio Matrimonium contrahat, eum raptorem non subdi pœnis hujus Decreti Trid. ac valere Matrimonium cum illo tertio initum, si fœmina reverà liberè consentiat, quàmvis nondum extrà raptoris potestatem sit.

Constat; quia prima pœna illius Decreti est, ut inter raptorem & raptam non possit consistere Matrimonium, quamdiu rapta sub raptoris potestate fuerit; ac proindè supponit, raptum eò destinatum esse, ut raptor raptam ducat; non ergò locus erit iis pœnis, quando fit gratiâ ineundi Matrimonij cum alio.

119. *Quid si id fiat ad instantiam illius tertij.*

Si autem ad instantiam inituri Matrimonium rapuit, tunc Matrimonium cum illo erit invalidum; nisi priùs in loco tuto fœmina constituatur, & incurret ille, qui inflavit, ut raptus efficeretur, cæteras pœnas, tamquam verus raptor, per interpositam personam, ad effectum Matrimonij. Is verò, qui raptum exercuit, tamquam auxilium raptui ferens, ad finem ineundi Matrimonij, incurret excommunicationem & cæteras auxiliantium pœnas: at cum ipso potest fœmina validè contrahere, priusquam in loco tuto reponatur. Quòd auxilium ferentes non plectantur in illo Decreto eâ pœnâ, ut Matrimonium cum ipsis consistere nequeat, donec fœmina sit ad locum tutum restituta. Hactenùs Sanchez.

Quid si tantùm sciat id fieri, & delectetur. Præpositus.

Sed quæro ego: quid si ille, in cujus gratiam puella rapitur, ab alijs prænosceret eorum machinationem, & de ea delectaretur? Respondet Præpositus sup. n. 143. Si nihil aliud faciat, seu si nullum incursum in opus externum præbeat, non potest dici raptor, vel incurrere pœnas raptoris.

Aſt interrogo rursùm: quid si non solùm delectaretur interiùs; sed etiam exteriùs approbaret & ratum haberet, quod nomine suo gestum fuerit? Vide quæ in simili diximus Sect. præced. Concluſ. 6. de ratihabitione occisionis conjugis. Meo quippè judicio est eadem ratio negandi impedimentum vel affirmandi. 120. *Quid si ratum haberet?*

Hoc certum sit: nullatenùs necessarium esse ad hoc impedimentum, ut quis proprijs manibus rapiat mulierem. Nam (ut notat Præpositus sup. n. 144.) scopus Tridentini fuit potissimum, potentes per talem legem & irritationem coërcere, qui minimè fuissent coërciti, si tum solùm Matrimonium invalidè cum rapta contraherent, quando ipsi proprijs manibus fœminam abriperent; cùm nobiles rarissimè per se abripiant, sed id per suos soleant exequi. Hæc ille. *Non est necesse ut quis proprijs manibus rapiat, Præpositus.*

Denique: nihil referre, sive sequatur copula, sive non sequatur, ad pœnas hujus Decreti incurrendas, indè satis constat; quòd non puniatur raptus causâ libidinis, ut sup. dictum fuit, sed causâ ineundi Matrimonij; ad quem finem copula nil confert, nisi quòd, eâ habitâ, faciliùs rapta, in loco tuto constituta, raptorem in virum habere consentiet. Sed non est verisimile, Concilium ad hoc attendisse, cùm non prohibeat hujusmodi Matrimonium; sed solummodò irritet Matrimonium, quod raptor intendit contrahere durante raptu. 121. *Non requiritur copula.*

Quid ergò, inquis, si raptor non intendat contrahere durante raptu; aut si intenderit, sed in itinere, antequam rapta sit perducta ad locum destinatum, resipiscat, & liberam eam dimittat.

Respondeo: dimissio illa non liberat ab alijs pœnis; quòd delictum hoc raptûs in ipsa abductione consummetur, & tunc perfectè irrogetur libertati Matrimonij injuria: nec Concilium spectet, ut raptor in aliquo loco jam raptam constituerit, vel eam duxerit; sed tantùm ut rapuerit causâ Matrimonij, illamque sub suam potestatem reposuerit; sicuti reverà posuit, quando adhuc est in itinere, & nondum ad locum destinatum pervenit. Ita Sanchez sup. n. 10. 122. *Quid si dimittatur rapta, antequam sit perducta ad locum destinatum.* Sanchez.

Ad primam quæstionem non respondet, quia eam sibi non proposuit. Dico ego, salvo meliori, hujusmodi raptorem, quàmvis gravissimè peccet, etiam quodammodò contrà libertatem Matrimonij, haud equidem subjici prædictis pœnis, si verum est, quòd requiratur intentio Matrimonij, & non sufficiat actus externus rapiendi ob aliam quamcumque causam. Quippè cùm Matrimonium illud honestum sit, & quodammodò debitum, si nimirum alio modo injuriam illatam non posset reparare; illa quoque intentio honesta erit, & quodammodò debita. *Quid si non intendat contrahere durante raptu.*

Si ergò non subjicitur dd. pœnis raptus ex intentione libidinis, quæ utique intentio mala est; cur putas raptus ex intentione Matrimonij, cessante raptu ineundi, quæ utique bona est, tantis pœnis erit obnoxius? Expectabo à Doctoribus

ribus reſponſionem ad hanc interrogationem.

123. *An ſufficiat intentio merè interna.*

Interim, quia hìc ſit rursùm mentio de intentione contrahendi, quæro: utrùm ſufficiat intentio merè interna; an verò neceſsùm ſit, ut exteriùs illa intentio ſignificetur? Equidem qui docent, non ſufficere intentionem contrahendi merè internam, ad inducendum impedimentum criminis, facilè concedent, etiam non ſufficere eam, ad inducendum impedimentum raptûs; quæ enim ratio diſparitatis?

Ego autem, quia Sect. præced. Concluſ. 5. docui, ſufficere intentionem internam in impemento criminis, conſequenter aſſero, & eam hìc ſufficere. Puto autem, quòd forum externum illam præſumeret, quandocumque conſtaret, raptorem raptæ Matrimonium obtuliſſe.

Reſtat una difficultas: an ſicut prædictum Tridentini Decretum irritat Matrimonium inter raptorem & raptam, quamdiu in ejus poteſtate manſerit, ita quoque irritet ſponſalia, tunc inita? Reſponſio erit.

CONCLUSIO V.

Decretum Tridentini non irritat ſponſalia, inita inter raptorem & raptam, durante adhuc raptu.

124. *An raptus dirimat ſponſalia? Navar. cum Alijs Affirmat.*

OPpoſitum hujus Concluſionis docet Navarrus lib. 4. Conſil. in 1. edit. tit. de Conſanguin. conſil. 3. n. 6. & ſequentibus, in poſteriori lib. 5. tit. de Rapt. conſil. ult. quem ſequuntur Manuel to. 1. Sum. 1. edit. c. 231. n. 3. Vega 2. tom. Sum. c. 34. caſ. 157. notab. 3. & Sanchez lib. 7. diſp. 13. n. 17.

Probatur 1. ex l. 16. ff. de Sponſal.

Pro hac ſententia (quòd ſcilicet etiam ſponſalia ſint nulla) facere videtur primò: caſus in l. *Oratio*, 16. ff. de Sponſal. quatenùs probat, prohibito Matrimonio, etiam prohiberi ſponſalia. Hæc ſunt verba d. leg. *Oratio Imperatorum Antonini & Commodi, quæ quaſdam nuptias in perſonam Senatorum inhibuit, de ſponſalibus nihil locuta eſt. Rectè tamen dicitur, etiam ſponſalia in his caſibus ipſo jure nullius eſſe momenti, ut ſuppleatur, quod orationi deeſt.*

125. *An benè.*

Hæc lex (juxtà Navar. ſup. n. 2.) quatenùs probat, Matrimonio prohibito, prohiberi ſponſalia, & prohibito uno, prohiberi præambulum ad illud, non habet locum, niſi quando eadem ratio militat in Matrimonio & ſponſalibus, & in prohibito, & præambulo ejus.

Prætereà (teſte Navar. ibidem) prædicta lex non habet locum, niſi quando Matrimonium perpetuò prohibetur, ſive quando impedimentum eſt perpetuum, & non quando impeditur ad tempus, ſive quando impedimentum eſt temporale.

Ex quo ſequitur (ut bene advertit Navar. ſup. n. 3.) quòd per d. l. *Oratio*, non poteſt concludi, ſponſalia, de quibus quæritur, eſſe nulla. Quippè Concil. permittit contractionem Matrimonij, poſteàquam rapta exierit domo raptoris, & fuerit aſſecuta plenam libertatem contrahendi, vel renuendi, & ita inducit impedimentum temporale & non perpetuum.

Quâ eâdem ratione defenditur, quod Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. Matr. c. 1. annullans Matrimonium contractum in abſentia Parochi, non annullat ſponſalia; quia Matrimonium non prohibetur perpetuò inter aliquos, eò quòd prohibeatur fieri in abſentia Parochi, cùm fieri poſſit in ejus præſentia. Ita præfatus Auctor.

126. *Navar. ex ea probat ſuam ſententiam.*

Qui tamen ex ea lege probat ſuam ſententiam n. 4. dicens: Ratio limitandi (jus antiquum) videtur fuiſſe, quòd conſenſus raptæ, præſtitus in domo raptoris, vel extrà eam, donec aſſequatur plenam libertatem, non eſt ſatìs liber ad contrahendum Matrimonium, quod plenam libertatem requirit, quæ ratio ita militat in ſponſalibus, ac in Matrimonia: quia ſponſalia etiam requirunt plenam libertatem, ſecundùm Omnes.

Ex hoc ſequitur, quòd licèt l. *Oratio*, quatenùs habet, Matrimonio prohibito propter impedimentum perpetuum, videri ſponſalia prohibita, non concludat, ut dictum eſt, per prohibitionem Concilij temporariam videri prohibita ſponſalia: tamen quatenùs probat, prohibito uno, videri prohibitum præambulum, in quo eſt eadem ratio, concludit, prohibito Matrimonio inter raptorem & raptam, donec rapta fuerit in domo raptoris, & donec aſſequatur plenam libertatem, cenſeri prohibita ſponſalia, donec maneret intrà domum, vel extrà, & non aſſequatur plenam libertatem; quia ut dictum eſt, defectus liberi conſenſûs ita impedit ſponſalia ac Matrimonium. Hæc ille.

127. *Oppoſitam ſententiam docet Auctor.*

Prorsùs dictum eſt; ſed non eſt probatum. Et quoniam ego Diſp. præced. Sect. 7. Concluſ. 11. ſuſtinui cum alijs multis Auctoribus, ſponſalia gravi metu extorta, non eſſe nulla ipſo jure, quàmvis Matrimonium nullum ſit; & per conſequens, ſponſalia ad ſui valorem non requirere omnem eam libertatem, quam requirit Matrimonium; hinc conſequenter doceo, non valere hìc argumentum à Matrimonio ad ſponſalia, eò quòd non ſit eadem ratio. Videantur dicta loco citato.

Probatur à Perezio ex Reg. 28. juris in 6.

Mecum autem ſentit Perez hìc diſp. 38. ſect. 4. n. 8. Moveor (inquit ille) quia lex Trident. irritans Matrimonium ratione raptûs, cùm ſit pœnalis, & jus commune corrigens, de ſolo Matrimonio intelligenda eſt, nec debet extendi ad ſponſalia; Reg. *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentia ſunt trahenda*, 28. De Reg. juris in 6. ſed tamquam caſus omiſſus relinquendus eſt diſpoſitioni juris communis; præſertim ubi non militat eadem prorsùs ratio prohibendi: nam Matrimonij contractus, cùm ſit perpetuus ac indiſſolubilis, in favorem ejus plenæ libertatis ſtatutum eſt illud Tridentini Decretum: at ſponſalitius contractus multis de cauſis diſſolvi poteſt, & ideò ſufficit illi plena libertas ex parte contrahentium. Quare id firmatur

eisdem ferè rationibus, quibus ostendimus in Trident. sess. 24. c. 1. dum irritatur Matrimonium clandestinum, non irritari, sed adhuc valere sponsalia clandestina.

128. *Confirmatur ex Clem. 1. de Conjug.* Firmo hoc idem: nam pœna apposita contrahentibus Matrimonium, non afficit contrahentes sola sponsalia. Patet manifesto exemplo Clement. 1. de Consanguin. ubi excommunicantur ducentes consanguineam, & tamen ea censura non ligat sola sponsalia contrahentes; quia in odiosis nomine Matrimonij non veniunt sponsalia. Igitur idem dicendum est ad præsentem difficultatem. Hucusque Perezius.

Expenditur probatio. Expendamus singula, & videamus, quid Adversarij ad ea respondeant, aut respondere possent. Canisius ad D. Reg. *Quæ a jure* &c. sic ait: Ea exorbitare dicuntur, quæ ab orbita, id est, à via communi deflectunt; qualia sunt, dispensationes, privilegia, statuta juri communi contraria, quæ in consequentiam, hoc est, ad alias personas, sive casus, non sunt producenda, sed suis terminis constringenda. Cùm enim jus commune favorabile sit, utpotè ab omnibus ob publicam utilitatem receptum; certè quæ juri communi refragantur, tamquam odiosa restringenda sunt, & quantùm fieri potest interpretatione revocanda ad commune. Sic ille. Cùm ergò de jure communi cap. fin. de Rapt. sponsalia imò & Matrimonium valeant inter raptorem & raptam, si rapta consentiat, quæ anteà dissentiebat; Trident. quod est contrarium d. cap. & expressè solùm Matrimonium irritat, non est producendum ad sponsalia.

Canisius.

129. *Quid ad eam respondeat Navar.* Respondet Navar. sup. n. 6. Ius limitans aliquid, extenditur ex similitudine rationis ad casum similem, ut efficaciter & singulariter probatur per cap. *Cùm dilecta*, de Confir. util. vel inutil. Et in proposito nostro non solùm invenitur ratio similis, sed etiam eadem, ut sup. probatum est; & ex identitate rationis, non solùm jura exorbitantia, & limitatoria, sed etiam pœnalia extenduntur juxtà Glossam singularem cap. 1. verb. *Italiæ*, de Temp. ordinat. in 6. Ita Navar.

Verba Glossæ quam citat. Subdo verba Glossæ: *Quid è converso si Episcopus ultramontanus ordinet Italicum? Non videtur hæc Decretalis locum habere; quia pœnalis est & sic restringenda: & sic proprium non excedit casum, sup. eod. lib. de Elect.* Statutum. *De Pœnit. dist.* 1. Pœnæ. *In contrarium videtur, cùm per omnia sit eadem ratio: utrobique ergò idem jus: nec videtur ista ampliatio vel extensio secundùm ea, quæ vides sup. eod. de Elect.* Si postquam; *ubi constitutio illa:* Cupientes, *licet pœnalis, locum habere declaratur in provisionibus & appellationibus & confirmationibus, de quibus ibi cautum non erat. Ad hoc ff. de Verb. oblig.* A Titio. *Vbi enim est eadem ratio, & penitùs omnimoda similitudo, non propriè dicimus extendere, ff. ad Leg. Iuliam de Adult. l.* Si postulaverit; *tunc enim pœnæ dicuntur extendi, quando ad casum non omninò similem extenduntur, & sic intelliguntur contraria.*

Subsumo ego: sed casus noster non est omninò similis; ergò malè Decret. Trid. ad eum extenditur. Dicit Navar. se probasse, non solùm similem, sed eamdem omninò rationem in eo inveniri; dicit quidem: ast nunquid verè? Aliam probationem non reperio, quàm, sponsalia etiam plenam requirunt libertatem secundùm Omnes. 130. *Deducuntur ad oppositum.*

Respondeo: ut sint ipso jure valida, nego: ut non sint dissolubilia, concedo. At verò Matrimonium requirit, secundùm Omnes, plenam libertatem, ut ipso jure sit validum. Et quid mirum, cùm Matrimonium semel validum, non sit dissolubile; sponsalia autem valida, ex varijs causis dissolubilia? ut bene advertit Perez sup. Ergò perperàm ait Navar. in nostro casu non solùm similem, sed etiam eamdem omninò rationem inveniri. *Non est hîc eadem omninò ratio in Matr. & sponsalibus.*

Et verò Sanchez eâdem omninò probatione utitur, dicens: Tridentinum irritavit pro eo tempore Matrimonium, consulens plenè libertati, ad id requisitæ, quæ non omninò plena est, dum rapta manet in raptoris potestate. Quæ ratio in sponsalibus militat, ad quæ jura quoque plenam libertatem postulant. Hæc ille. 131. *Sanchez hîc eod. arg. nititur, quo Navar.*

Sed audiamus eum loquentem lib. 4. disp. 19. ubi quærit: an sponsalia, metu gravi inita, sint ipso jure irrita, sicut Matrimonium. Et ratio (inquit) dubitandi ea est potissima; quia textus irritantes expressè loquuntur de Matrimonio; & quàmvis sponsalia sint præparatoria ad Matrimonium, & ob id videatur posse dici, dispositum in Matrimonio censeri dispositum in sponsalibus, l. *Oratio*, ff. de sponsal. Verùm id verum non habet, eò quòd est distincta ratio in his, ideò enim Matrimonium metu initum irritavit Ecclesia; quia si semel est validum, ampliùs rescindi non potest; sed sponsalia semel valida possunt dissolvi, & de facto multis ex causis dissolvuntur: ergò non in hoc sequentur naturam Matrimonij, ut eo ob metum irrito, censeantur etiam sponsalia ob metum irrita. Maximè, quia per hoc induceretur multorum jurium correctio, disponentium, contractus metu initos irritandos esse, non irritos ipso jure. *Duplex ratio dubitandi, an sponsalia coacta sint irrita. Prima.*

Secundò: quia hâc ratione, quamvis Trid. irritârit Matrimonia clandestina, non censetur subinde irritasse sponsalia clandestina; est enim diversa ratio. Cùm ergò nullus detur textus irritans sponsalia clandestina, dicendum est, ea valida esse ipso jure. Sic ille. 132. *Secunda.*

Ecce duo potissima argumenta, quibus videtur probari, sponsalia metu gravi inita non esse ipso jure irrita. Et quàmvis Sanchez oppositum doceat, non tamen ex eo, quòd sit eadem ratio in Matrimonio & sponsalibus: nam ad dd. duo argumenta n. 7. sic respondet: Non censentur irrita sponsalia metu coacta, ex eo quòd irritatur Matrimonium, ut probant duo priora argumenta. Hæc ille. Ergò satis apertè admittit, non esse eamdem rationem Matrimonij, & sponsalium in hoc casu.

Infero

Illatio Auctoris.

Infero ego; ergò neque in noſtro caſu: Nam in utroque caſu irritatur Matrimonium propter defectum plenæ libertatis. Cur ergò magis in uno caſu ſit eadem ratio Matrimonij, & ſponſalium, quàm in alio? Fateor me id neſcire, & cupio doceri ab alijs.

133. *Expenditur exemplum, ſup. ex Perezio adductum.*

Quantùm ad exemplum, quod Perezius ſup. adfert in confirmationem ſuæ & noſtræ ſententiæ, non eſt id adeò manifeſtum, ut ipſe fortè putavit. Patet ex Gloſſa ibi, verb. *Contrahere*, ubi ſic interrogat: *Quid ſi non contraxit Matrimonium, ſed ſponſalia* tantùm? *Arg. quòd ligetur ff. de Sponſal.* Oratio, *ubi prohibitio nuptiarum includit ſponſalia. Ad idem de Eo qui duxit in Matr. cap.* Cum haberet, *ubi æquiparantur ſponſalia & Matrimonium.*

Non puto ligari, cùm conſtitutio ſit pœnalis, & verba hoc non importent: quod verum puto, niſi conſummaverit per copulam carnalem: quia tunc ligatur, quaſi tunc contraxiſſe videatur de Sponſal. Veniens, &c. Is qui.

Contrarium non obſtat; quia licèt fatear, quòd ubi prohibetur Matrimonium, prohibeantur ſponſalia, non ſequitur, quòd contrahenti ſponſalia ſit eadem pœna, quæ contrahenti Matrimonium: benè facit de Elect. Perpetuò, lib. 6. *In decretali*: Cum haberet, *ſponſalia cum adulterio inducunt impedimentum Matrimonij, ſicut inducunt publicam honeſtatem, de Sponſal. c. un. in 6.* Hactenus Gloſſa.

134. *Non eſt omninò certum.*

Ergò exemplum iſtud Clement. non eſt adeò manifeſtum, quin patiatur contradictionem. Sed quid mirum? cùm nihil ferè hodie ſit in rebus moralibus tam clarum & manifeſtum, cui ab aliquibus non contradicatur. Saltem D. Gloſſa approbat noſtrum exemplum.

Diſparitas hic inter impedimentum criminis & raptûs.

Et quod adducitur in contrarium de impedimento criminis, quod æquè incurritur per ſponſalia, ac per Matrimonium, nullam habet difficultatem, nam jura expreſsè loquuntur tam de Matrimonio, quàm de ſponſalibus. At verò Trident. nullatenùs meminit ſponſalium, ſed ſolius Matrimonij inter raptorem & raptam: nec aliud jus poſterius reperitur, quod ipſum Decretum Trid. ad ſponſalia extendat.

135.

Ergò nec nos extendamus propter ſolam paritatem rationis; quia reverà paritas non eſt; & quàmvis eſſet, haud equidem propterea (quidquid dicat Gloſſa ſup. cap. 1. de Temp. Ordinat. in 6.) deberet extendi, niſi abſurdum foret & irrationabile, unum prohibere propter illam rationem, & non aliud.

An ſit irrationabile irritare Matr. in hoc caſu, & non ſponſalia.

Atqui, ſubſumit quiſpiam, irrationabile eſt, prohibere Matrimonium inter raptorem & raptam, ob defectum plenæ libertatis, & non prohibere ſponſalia; ergò &c. Probatur Subſumptum: quia ratione ſponſalium teneretur poſteà rapta Matrimonium contrahere; ergò Eccleſia, ſolùm irritando Matrimonium, parùm providiſſet libertati ejus. Ac proindè, niſi d. Decretum extendatur ad ſponſalia, ſequitur contrarium intentioni Legiſlatoris, aut ſaltem non habetur ejus intentum. Iam autem dicit Reg. ultima de Reg. juris in 6. *Certum eſt quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.*

136. *Explicatur ultima Reg. juris in 6. ex Caniſio.*

Ubi Caniſius: Addendum, inquit, hìc eſt ex Conſtitutione Impp. Theodoſij & Valentini, quâ hæc eadem regula continetur: *Nec pœnas legibus inſertas evitabit, qui ſe contrà juris ſententiam ſæva prærogativa verborum fraudulenter excuſat*; l. *Non dubium*, Cod. de LL. Ut hinc intelligamus, non minùs eum pœnâ legis dignum eſſe, qui, ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit.

Ratio ex eo pendet, quod reſpondit I. C. l. 17. ff. de LL. *Scire leges, non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem.* Ita ut rectè poſt Accurſium dixerit Bartol. ad l. *Contra*, 29. ff. eod. Quòd quis poſſit offendere verba legis, dummodò mentem legis non offendat; ubi ſcilicet mens legis certa eſt, per l. *Adigere*, 6. §. *Quamvis*, ff. de jure Patronatûs. At in obſcuro magis adhærendum eſt verbis legis, arg. l. 69. ff. de Legat. 3. *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifeſtum eſt, aliud ſenſiſſe teſtatorem.* Hucuſque Caniſius.

137. *An explicatio nobis contrarietur.*

Nunquid contrà nos? Non puto. Nam ſubſumo ego: atqui obſcurum eſt, an Trid. in præfato Decreto, per Matrimonium intellexerit etiam ſponſalia: ſive mens legis obſcura eſt & incerta, ut patet ex dictis; ergò adhærendum eſt verbis legis.

Fateor abſurdum eſſe & irrationabile, ut Matrimonium prohibeatur, & irritetur inter raptorem & raptam, durante raptu; ſecùs autem ſponſalia, ſi per ea intelligas promiſſionem futuri Matrimonij tempore raptûs; cùm enim illud Matrimonium ſit illicitum, utpotè invalidum, promiſſio illa procul dubiò non valet; quoniam promiſſio rei illicitæ, quæ nullatenùs poteſt obligare, ut patet. Sed hoc non dicit noſtra Concluſio.

138. *Sponſalia inita tempore raptûs poſſunt diſſolvi raptu ceſſante.*

Quid ergò? Sponſalia eſſe valida, ſi referantur ad tempus habile, id eſt, ad illud tempus, quo rapta erit extrà poteſtatem raptoris, pro quo tempore Matrimonium eſt validum & licitum. Neque inde præjudicatur libertati Matrimonij, ſicut non præjudicatur ei per ſponſalia metu gravi extorta, quæ, ceſſante metu, poſſunt diſſolvi ad libitum metum paſſi. Et ſic in caſu præſenti, raptu ceſſante, poſſent ſponſalia pro libitu raptæ diſſolvi, propter injuriam priùs illatam.

139. *Declar. Card. pro invaliditate ſponſalium, ex Molina.*

Quid ergò, inquis ad Declarationem Cardinalium, quam refert Molina tom. 4. diſp. 105. n. 22. in fine? Eâ de re (inquit hic Auctor) interrogata Congregatio Romæ deputatorum ad reſpondendum dubijs, circà definitiones Concilij Trid. obortis, num valida eſſent ſponſalia eo tempore celebrata, invalida ea eſſe reſpondit. Sic ille.

Non conſtat eſſe authenticam.

Sed nunquid conſtat hanc Declarationem eſſe authenticam? Ubi ſubſcriptio Card. Præfecti, & Secretarij Congregationis? Nuſpiam eam reperio. Sed neque habetur inter Declarationes, ex ultima recognitione Ioannis Gallemart impreſſas cum ipſo Concilio Antuerpiæ apud Joan. Meurſium a. 1644. Aſt aliam ibi reperio, quæ dicit: *Raptores ob aliam cauſam,*

quam ut in uxores ducant, non comprehendi à Concilio propter identitatem vel majoritatem rationis: nec constitutio pœnalis extenditur tali casu. Si tali casu non extenditur propter identitatem rationis: quare hoc casu deberet extendi?

140. Atque ut d. Declaratio apud Molinam foret authentica, intelligerem eam de sponsalibus, seu promissione Matrimonij contrahendi tempore raptûs, quæ procul dubio invalida est, ut ante dixi. Igitur propter eam non est recedendum à Conclusione, quæ finem imponet huic Sectioni. Sequitur autem.

Quomodo ea possit intelligi.

SECTIO X.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ.

1. *Cognitio hujus impedimenti est summè necessaria.*

Disputatio de hoc impedimento apprimè necessaria est, quòd frequenter in tribunalibus Ecclesiasticis accidat, & in Confessionibus occurrat: facillimumque sit circà illud aberrare; tum ob nimiam ejus difficultatem; tum etiam, quia satis obscurè disputatum invenitur. Et ideò quâ claritate potuero, illud enodabo. Ita Sanchez lib. 7. disp. 92. n. 1. Et nos cum illo; salvâ tamen semper honestate, id est, omissis illis, quæ vix honestè dici possunt, & non sunt omninò necessaria ad ferendum rectum judicium, sive in foro externo, sive in sede confessionali.

Sanchez.

Ac principio quidem, priusquam accingimur ad examinandas particulares difficultates, occurrit quæstio generalis: Quid in hac re sit impotentia? Respondetur.

CONCLUSIO I.

Impotentia hìc, est inhabilitas perficiendi viâ ordinariâ copulam carnalem, aptam ad humanam generationem.

2. *Quid sit hìc potentia.*

EX hac Conclusione festinè cognoscitur, quid in hac re sit potentia, scilicet habilitas perficiendi viâ ordinariâ copulam carnalem, aptam ad humanam generationem. Equidem non esse necessarium, ut copula aut generatio sequatur, nemo dubitat, qui novit essentiam Matrimonij, novit, inquam, dari Matrimonium ratum non consummatum; probeque scit quamplurima esse Matrimonia consummata, quæ carent prole, defectu fœcunditatis seu propter sterilitatem.

Quòd autem dicta habilitas requiratur, probatur ex definitione Matrimonij, à nobis proposita Disp. præced. Sect. 3. Conclus. 1. sequentis tenoris: ***Contractus Matrimonij est consensus reciprocus maris & fœminæ, signo externo expressus, quo jus perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem.*** Porrò usus conjugalis non est solus coitus sive penetratio vasis muliebris, aut sola seminatio extrà vas; sed penetratio cum effusione veri seminis intrà vas ordinarium. Nam aliàs non est nata (per se loquendo) sequi generatio prolis.

3. *Qui nequeant seminare intrà vas.*

Rogat aliquis: qui sint isti, qui non possint seminare intrà vas? In primis, qui nullum verum semen habent, quales sunt, communi judicio Doctorum, Eunuchi, qui carent utroque teste. Prætereà; qui licet habeant verum semen, & possint seminare, tamen vel non possunt vas penetrare naturali virtute, aut si possint, semen ob nimium calorem statim ejaculatur ante vasis penetrationem.

An habilitas consummandi Matr. sit hìc potentia.

Contrà: non requiritur penetratio vasis ad consummationem Matrimonij, sed sufficit commixtio sanguinis seu receptio seminis, sive ope dæmonis, sive per attractionem matricis, aut aliâ viâ, ut docuimus cum Sanchio & alijs, contrà Pontium, Disp. præced. Sect. 3. Conclus. 10. item præsenti Disp, Sect. 6. Conclus. 1. Ergò omnis vir, qui potest seminare, aut saltem habet verum semen, debet hìc dici potens, & similiter omnis fœmina, quæ aliquâ viâ potest semen virile recipere. Siquidem potentia hic non videtur esse aliud quàm habilitas consummandi Matrimonium.

4. *Non sufficit quòd semen transferri possit per dæmonem.*

Respondetur; potentiam hìc esse habilitatem consummandi Matrimonium de per se, seu viâ ordinariâ, id est, medio à natura communiter instituto, quod est penetratio vasis cum effusione seminis intrà illud.

Et quidem quod attinet opem dæmonis, qui semen decisum à viro potest transferre in uterum fœminæ, certum est apud Omnes, id non sufficere ad validandum Matrimonium, quod aliàs foret invalidum defectu potentiæ; sicut non sufficit, ut infrà latiùs dicetur, quòd ope dæmonis maleficium tolli possit, quo aliquis impeditur à copula.

An sufficiat quòd per attractionem matricis, aut aliquam artem recipiatur.

Quantum ad attractionem matricis, aut aliquam artem, quâ posset semen recipi sine penetratione; nec istud satis esse, putat Sanchez lib. 7. disp. 99. n. 37. ubi in fine sic lego: Quid si reverà fœmina ita arcta sit, aut vir ita debilis aut calidus, ut non possit cum fœmina hac coire, ut semen intrà vas emittat; sed foras fundat (in quo casu, quando hoc judicatur perpetuum, & immedicabile impedimentum, diximus

diximus diſp. 92. n. 7. & ſequentibus Matrimonium eſſe nullum) mihi perſuadeo, adhuc eſſe verè irritum, ac proindè non conſummari, licèt arte aliquâ, abſque viri penetratione ſit receptum ſemen intrà vas, aut per matricis attractionem.

5. *Probatur quòd non ex Sanchez.* Probatur; quia valor Matrimonij non pendere poteſt ex caſu raro & fortuito. Deinde: quia verificatur, virum illum eſſe impotentem ad ſeminandum intrà vas. Et aliàs nunquam hæc impotentia poſſet dirimere Matrimonium, contrà DD. ibi allegatos. Quippè ſemper poteſt ſemen illud, ſaltem vaſe aliquo vitreo receptum, intrà vas fœmineum immitti. Hæc ille.

Eum ſequitur Perez. Quem ſequitur Perezius diſp. 37. ſect. 2. n. 6. ubi ſic ſcribit: Dico quartò: quàmvis ſit potentia ad ſeminandum extrà vas, imò in ore vaſis, ſi tamen ſit impotentia perpetua ad penetrationem vaſis, & ad ſeminandum intrà vas, prædictam impotentiam dirimere Matrimonium. In hoc etiam conveniunt DD.

6. *Probatio.* Probatur; tum, quia hæc ſeminatio per ſe non ſufficit, ut per eam conjuges fiant una caro, id eſt, principium unius carnis, etiamſi fortè & per accidens aliquando ſufficiat, ſi fortè aliquando virtute naturali matricis intromittitur pars aliqua ſeminis, ſufficiens ad generationem. Tum etiam, quia potentia ad ſic ſeminandum, eſt impotentia moralis ad ſeminandum; quia talis ſeminatio nequit fieri abſque peccato. Ita hic Auctor. Cui per omnia conſonat Dicaſtillo diſp. 7. n. 443.

Idem ſentit Dicaſt.

Quid doceat Præpoſitus. Placet etiam hìc tranſcribere, quæ de præſenti controverſia ſcribit Præpoſitus de Matr. q. 7. n. 177. Contrà id (inquit) quod diximus ad valorem Matrimonij requiri, ut vir poſſit penetrare vas naturale fœminæ, poteſt objici; quòd Matrimonium illud debeat judicari validum, quod poteſt conſummari; poteſt autem conſummari ſinè penetratione vaſis naturalis, ut tenent varij, & dicitur experientiâ conſtare, nimirum matrice fœminæ ſuâ virtute naturali attrahente ſemen virile.

7. *Requirit conſummationem viâ naturali.* Reſpondeo, negando Majorem univerſaliter veram, & dico id ſolùm verum eſſe, quando conſummatio fit medio à natura inſtituto, quod eſt actus conjugalis, per penetrationem vaſis naturalis ipſius fœminæ: non verò quod fit caſu fortuito & omninò raro.

Confirmatio. Confirmatur: ſi ſemen non immittatur in vas fœminæ ab ipſo viro, ſaltem coagente virtuti attractivæ matricis, debet fieri mediâ pollutione ipſius viri, quæ ut minimùm eſt peccatum materiale, & quidem ex parte ipſius modi agendi; nemo autem poteſt tradere dominium ſui corporis ad actum, qui ex ſe, & modo operandi, non poteſt exerceri abſque peccato.

Concluſio. Dicendum ergò eſt; licèt vir poſſit ſeminare, ſi tamen id non poſſit facere immediatè in vaſe naturali fœmineo, eum non poſſe validè Matrimonium contrahere; ut ſi ſit ſectus, attritus &c. vel non poſſe contrahere cum aliqua, ſi ejus vas penetrare non poſſit, nec ea ad ejus congreſſum poſſit aptari arte humanâ, ſinè vitæ vel gravioris morbi periculo, quàmvis illa poſſit ſemen extrà emiſſum intrà matricem attrahere. Hactenùs præfatus Auctor.

Atque hæc ſententia etiam nobis magìs placet, tametſi oppoſitum doceat Averſa q. 13. ſect. 2. §. *Primo*, in fine: Quod ſi (inquit) è contrà fieri poſſet, ut vir abſque penetratione vaſis ſemen intrà illud funderet: hæc eſſet vera copula ſufficiens ad validandum & conſummandum Matrimonium. Hæc ille. 8. *Oppoſitum docet Averſa.*

Quem ſequitur Herinx hìc diſp. 6. n. 83. ibi: Intrà quod (vas muliebre) ſi poſſit vir ſemen immittere, abſque ejuſdem penetratione (quod rarum eſt; etſi noverim interdum contigiſſe, etiam ſubſecutâ generatione prolium) ſufficit ad validandum & conſummandum Matrimonium, utì manifeſtum apparet Raphaeli Averſa q. 17. ſect. 1. in fine, & ſect. 2. quàmvis hoc videatur negare Præpoſitus q. 7. dub. 20. in fine, non rectè ſupponens, tali caſu iſtam immiſſionem non fieri ab ipſo viro, ſeu vi conatûs ejuſdem, ſaltem coagente virtute attractivâ matricis. Ita hic Auctor. *Sequitur Herinx.*

Cui probandum reſtat, illam immiſſionem fieri conatu viri, & non per meram virtutem attractivam matricis. Quantùm ad Averſam: primo loco citato apparet ei manifeſtum, per talem immiſſionem conſummari Matrimonium, quod Præpoſitus non negat, neque Sanchez; ſed uterque docet, non valere hanc conſequentiam: ergò apparet manifeſtum, per talem immiſſionem planè fortuitam & caſualem validari Matrimonium, quod alioquin eſſet invalidum propter impotentiam viri. 9. *Expenditur hæc ſententia.*

Et vellem ſcire ab his Auctoribus; an vir, ſciens ſe impotentem penetrare vas muliebre, poſſet ſemen perfundere, & conari ad immiſſionem, per attractionem mulieris perficiendam, planè fortuitò & caſualiter.

Scio ſufficere ad validandum Matrimonium, quòd vir poſſit fundere intrà vas partem tantùm ſeminis, quæ tamen ſufficiat ad generandam prolem; ſed etiam non dubito, quin talis poſſit, ſinè aliquo peccato, ita ſeminare; quia quòd aliqua pars ſeminis deperdatur, planè per accidens eſt ad illam actionem, & contrà intentionem ſeminantis. At verò in noſtro caſu, planè per accidens eſt, quòd aliquid ſeminis recipiatur, & per ſe, quòd totum deperdatur. 10. *Sufficit quod vir fundat partem ſeminis intrà vas.*

Cupio etiam doceri à prædictis Auctoribus antequam eorum opinioni ſubſcribo; an ergò omnis, qui poteſt ſeminare, ſit & debeat haberi potens perficere actum conjugalem, & per conſequens habilis ad contrahendum Matrimonium, niſi aliquid aliud obſtet. Expectabo reſponſionem.

Intereà pergam ad Eunuchos, quos Aliqui negant eſſe hìc impotentes; etſi etiam careant utroque teſte; nam ſi uno tantùm, nemini dubium eſt (inquit Sanchez ſup. diſp. 92. n. 14.) eos aptos eſſe ad Matrimonium. Quòd verum 11. *An Eunuchi ſint hìc impotentes?*

Probatur ex Sanchez aliquos esse potentes.

semen, idoneumque generationi emittant. Testiculus enim ille potest ministerium generationi necessarium exercere, spiritus ad illam requisitos retinens, & tamquam follis membra commovens. Sicut alter solus oculus videndi actum perfectè exercet. Imò cùm virtus unita sit fortior seipsâ dispersâ, & in illum unum testiculum omnes spiritus generationi necessarij coëant, qui in utrumque confluere deberent, solent ij ad generationem potentiores esse.

12. *Item ex l. 39. ff. de Iure dotium.*

Idem probatur ex l. *Si serva*, 39. §. 2. ff. de Iure dotium : *Si spadoni mulier nupserit : distinguendum arbitror, castratus fuerit, nec ne : ut in castrato dicas dotem non esse ; in eo, qui castratus non est, quia est Matrimonium, & dos & dotis actio est.*

Ubi Glossa verb. *Qui castratus*, inquit : *Id est castè natus. Sed spado dicitur hic, qui generare potest : quia unum saltem de testiculis habet. Alioquin contra in ff. de Lib. & postu. l.* Sed est quæsitum, §. *Spadonem*. Ecce doctrina communis.

Probatur omnes esse potentes.

Sequitur, de quo est quæstio hic ; *Quidam tamen dicunt in spadone Matrimonium esse, etiamsi generare non possit, quia vitium est accidentale, non materiale, ut in castrato.*

Sed perperàm.

Sed hæc ratio nulla est ; quia, ut manifestè patet ex jure Canonico, tit. de Frigidis & maleficiatis, non est Matrimonium in iis, qui non possunt generare ex maleficio, quod est vitium accidentale, & non naturale.

13. *Alia probatio.*

Aliter ergò probatur hæc doctrina ; quia talis satisfacere valet concupiscentiæ mulieris, & ita obtinetur finis Matrimonij secundarius : nec primarius, nimirum generatio prolis, ad ejus valorem desideratur, ut in senibus & alijs sterilibus constat.

Solutio Sanchez.

Respondet Sanchez sup. n. 17. talem non satisfacere fœminæ per veram copulam suâpte naturâ aptam ad generationem. Nec finis Matrimonij est remedium concupiscentiæ habitum per copulam quamcumque ; sed per copulam aptam ad generationem. Et quàmvis senes destituti sint semine, sufficienti ad generationem ; at verum semen, ejusdemque rationis cum semine fœcundo emittunt, ac per accidens non generant. Ita Sanchez. Et idem dicendum de alijs sterilibus.

14. *Sterilitas non obstat valori Matr.*

Alioquì si requireretur fœcunditas, plurima Matrimonia forent invalida, & pleraque antè conceptionem prolis perplexitate plena ; cùm tamen nunquam Ecclesia judicaverit, aliquod tale Matrimonium invalidum : imò passim admittat senes, quorum tamen semen constat ordinariè esse sterile.

Probatur exemplo & ratione.

Et verò quis dubitet, inter parentes S. Ioan. Baptistæ fuisse verum Matrimonium ? Et tamen Elisabeth erat sterilis, Luc. 2. Ratio porrò est ; quia etsi id Matrimonium frustretur fine primario, qui est prolis generatio : consequitur tamen finem secundarium, nempè satisfacere concupiscentiæ verâ copulâ habitâ, & intentio hujus finis sufficit, ut medium, quod est Matrimonium, efficaciter intendatur.

15. *Objicitur c. 1. de Frig.*

Si dixeris : oppositum videtur decisum in cap. 1. de Frigid. & Malefic. ibi : *Si autem statim in ipsâ novitate post mensem aut duos, ad Episcopum aut ejus Missum proclamaverit, dicens*, Volo esse mater, volo filios procreare, & ideò maritum accepi : sed vir, quem accepi, frigidæ naturæ est, & non potest illa facere, propter quæ illum accepi : *si probari potest per rectum judicium, separari potestis ; & illa, si vult, nubat in Domino.* Sed etiam vir, cujus mulier est sterilis, potest proclamare : *Volo esse pater, volo filios procreare.*

Respondetur : sensum eorum verborum esse: Volo cognosci à viro. Ita Doct. Angel. 4. dist. 34. in Expositione textûs ibi : *Ponitur hic procreatio filiorum pro carnali copula, quam mulieres verecundantur expetere.* *Explicatur d. cap. ex D. Tho.*

Eodemque modo exponit hunc textum Doct. Seraph. ibidem n. 2. ubi ad illa verba : *Volo esse mater* &c. sic ait : *Videtur malè dicere : quia propter sterilitatem uxoris, non potest vir allegare contrà uxorem, quòd velit esse pater : ergò nec propter frigiditatem viri mulier, quòd velit esse mater. Item Matrimonium stat sinè bono prolis : ergò propter hoc, quòd velit esse mater, non debet dividi.* 16. *Consonat D. Bonav.*

Responsio : dicendum, quòd sancti curialiter loquuntur, secundùm quod ipsæ mulieres sunt verecundæ : mulier ergò non potest separari à viro, propter defectum potentiæ generandi, sed potentiæ coëundi ; & in illa circumlocutione intelligitur, quod carnaliter vult cognosci à viro. Et ita patet, quòd non est simile de causalitate, sicut benè est simile de arctitudine. Si enim adeò arcta est, quòd cognosci non potest, vir potest allegare & dicere, quòd velit esse pater, id est, nolit continere, si potest coire.

Igitur ex d. cap. 1. nullatenùs probatur, sterilitatem esse hìc impotentiam. Utì nec ex cap. *Solet*, 6. 32. q. 2. quod est D. Aug. lib. de Bono conjugali c. 5. Nam apertè loquitur, quando contractui matrimoniali adjicitur conditio, ut proles vitetur ; tunc enim irritum est Matrimonium, quia hæc conditio repugnat substantiæ Matrimonij, cap. fin. de Condit. appos. 17. *Dictum cap. nihil probat. Vti nec c. 6. 32. q. 2.*

Hæc sunt verba D. Aug. *Solet quæri, cùm masculus & fœmina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitûs causâ copulantur eâ fide mediâ, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero hæc faciat, utrùm nuptiæ sint vocandæ. Et potest quidem fortassè non absurdè hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit : & prolis generationem, quàmvis non eâ causâ conjuncti sint, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere aliquàndo malo agant, ne nascantur.* *Verba d. cap. 6. ex D. Aug.*

Non sunt igitur audiendi, qui vel senium, vel sterilitatem existimant esse hìc impotentiam. Licèt quippè senes & steriles non sint potentes in actu secundo, haud equidem impotentes in actu primo ; id est, habent veram potentiam generandi, quàmvis nunquam exeat in actum, putà in ipsam generationem prolis : alioqui sæpè exit in copulam perfectam cum vero semine ; & ideò potentia illa non est frustrà. 18. *Steriles non sunt impotentes in actu primo.*

Quod si statuas senem adeò exhaustum, ut omninò impotens sit ad copulam habendam, nec judicio medicorum juvari arte aliquâ possit ; dico

dico cum communiori sententia, hanc esse veram impotentiam, de qua hìc tractatur, dirimens scilicet Matrimonium subsequens. Quòd nihil referat, sive ex natura, sive ex accidenti impotentia proveniat, dummodò arte humanâ nequeat curari, ut infrà latiùs dicetur.

19. *Senex omninò impotens non contrahit Matr. ex Scoto.*

Hinc Scotus 4. dist. 34. q. un. n. 7. *Si senex* (inquit) *esset omninò impotens, dicerem, quòd non contraheret Matrimonium; licèt aliqua posset consentire in eum ad cohabitandum sicut frater & soror; & ita fortè multæ magis desponsant divitias, quàm personas.*

Verùm Ecclesia communiter non præsumit talem impotentiam in senibus, & ideò regulariter eos admittit ad celebrationem Matrimonij. Secùs Eunuchos, de quibus sup. incepimus dicere, eò quòd præsumat, eos esse omninò impotentes ad perficiendam copulam cum vero semine.

Quod addo: quia non rarò inveniuntur, qui possint copulari sinè tamen infusione veri seminis, sed solùm alicujus humoris, seu aquosæ materiæ per se insufficientis ad generationem.

20. *An Eunuchus orbatus duobus testiculis, qui posset generare.*

Sin autem per possibile vel impossibile quispiam reperiretur, orbatus duobus testiculis, qui posset vas penetrare, cum infusione veri seminis; jure naturæ foret capax Matrimonij, quidquid sit de jure positivo, quo Aliqui putant, etiam hunc fore incapacem.

Videtur quòd sic, ex Bulla Sixti V.

Sed quod istud jus positivum? Bulla utique Sixti V. 59. apud Cherubinum, quæ sic incipit: *Cùm frequenter in istis Regionibus Eunuchi quidam & Spadones, qui utroque teste carent, & ideò certum ac manifestum est, eos verum semen emittere non posse, quia impurâ carnis tentigine atque immundis complexibus cum mulieribns se commiscent, & humorem forsan quemdam, similem semini, licèt ad generationem, & ad Matrimonij causam minimè aptum, effundunt, Matrimonia cum mulieribus, præsertim hunc ipsum eorum defectum scientibus, contrahere præsumant, idq; sibi licere pertinaciter contendant, & super hoc diversæ lites & controversiæ ad tuum & Ecclesiastic. forum deducantur, requisivit a nobis fraternitas tua, quid de hujusmodi connubijs sit statuendum.* Ecce dubium exortum super validitate conjugiorum, quæ contrahunt Eunuchi, & ratio dubitandi.

21. *Declar. Pontificis, quoad conjugia contrahenda.*

Sequitur Declaratio Pontificis, quòd ea nulla sint in futurum, his verbis concepta: *Nos igitur attendentes, quòd secundùm Canonicas sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt & impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur, quodq; prædicti Eunuchi aut Spadones, quas tamquam uxores habere non possunt, easdem habere ut sorores nolunt; quia experientia docet, tam ipsos, dum se potentes ad coëundum jactitant, quam mulieres, quæ eis nubunt, ut non castè vivant, sed ut carnaliter invicem conjungantur, pravâ & libidinosâ intentione, sub prætextu & in figura Matrimonij, turpes hujusmodi commixtiones affectare, quæ cum peccati & scandali occasionem præbeant, & in animarum damnationem tendant, sunt ab Ecclesia Dei prorsùs exterminandæ. Et insuper considerantes, quòd ex Spadonum hujusmodi & Eunuchorum conjugijs, nulla utilitas provenit, sed potiùs tentationum illecebræ & incentiva libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ per præsentes committimus & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoscumque Eunuchos & Spadones, utroque teste carentes, cum quibusvis mulieribus, defectum prædictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosq; ad Matrimonia, quomodocumque contrahenda, inhabiles auctoritate nostrâ declares, & tam locorum Ordinarijs, ne hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quàm eos etiam, qui sic de facto Matrimonium contraxerint, separari cures, & Matrimonia ipsa, sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Ita Pontifex de Matrimonijs imposterùm contrahendis.

22. *Declar. quoad conjugia contracta.*

Sequitur Declaratio quoad conjugia jam contracta: *Eos etiam qui sic jam contraxerunt, si appareat illos, non ut castè simul vivant, contraxisse, sed actibus carnalibus & libidinosis operam dare, simulve in uno & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire convincantur, omninò similiter separari cures.*

Quid Sanchez hìc sentiat.

Quare hodie (inquit Sanchez sup. n. 17.) dubitari nequit, hos Eunuchos esse incapaces veri Matrimonij, quàmvis fœmina ejus defectus conscia velit jure suo cedere. Quippè jam id in hoc etiam eventu decisum est in eo Motu proprio.

Henriquez.

Non tamen approbo (prosequitur n. 18.) quod tradit Henriquez lib. 12. de Matr. c. 8. n. 1. in Comment. lit. R. nempè, si daretur aliquis Eunuchus verum semen emittens, eum non esse jure naturæ inhabilem ad Matrimonium, sed Motu proprio Sixti V. esse Matrimonij incapacem.

23. *Sixtus V. nihil ibi novi statuit, juxtà ipsum.*

Sed hoc non approbo, quod Sixtus V. in eo Motu proprio nil novum statuerit, sed solùm jus antiquum & naturale declarârit, ut constat ex illis verbis: *Auctoritate nostrâ declares.* Item: quia non sola Matrimonia imposterùm contrahenda irritavit, sed etiam jam contracta: quod Pontificem efficere non posse, constat, si valida fuerant. Quare mens Pontificis fuit, declarare, attento omni jure, Matrimonium Eunuchorum esse irritum, ac eos semper fuisse Matrimonij incapaces, utpotè qui verum semen emittere non possunt.

At admissâ hypothesi impossibili, ut daretur quispiam rarus Eunuchus, veri seminis emittendi compos, is non excluderetur jure antiquo à Matrimonio; ac subinde nec eo Motu proprio, qui nil denuò statuit, sed solùm jus antiquum declarat. Ita Sanchez.

Approbatur Declar. Sixti V.

Interim jure optimo Sixtus V. in universum Matrimonia Eunuchorum, utroque testiculo carentium, irrita esse declaravit: quia supposuit, juxtà commune judicium Medicorum, impossibile esse, ut emittant verum semen, quidquid in oppositum dicat Aristoteles lib. 1. de Gener. anim. c. 4. comprobans experientiâ Tauri, qui, recens castratus cum vacca coëns, illam prægnantem reddidit. Sed & serpentes & pisces sinè testibus generant.

Respon-

24. *Resp. Sanchez ad quamdam auctoritatem Arist.* Respondet Sanchez sup. n. 17. Doctrinam Aristotelis non esse in hoc amplectendam: nam, inquit, ex doctrina Galeni & saniori, constat, testiculos esse necessarios ad generationem; non absolutè, cùm animalia imperfecta his careant & tamen generent; sed in animalibus perfectis.

Item ad exemplum Tauri. Nec obstat: taurum illum recens castratum generasse; id enim contigit ex semine ante castrationem recentem deciso. Vel potiùs (ut ait Aversa q. 13. sect. 2. §. *Et hinc patet*) ex alio tauro vacca concepit. Serpentes autem & pisces ex natura sua testibus carent, sed aliâ membrorum structurâ suum semen perficiunt.

Aversa.

25. *Objectio ex Gen. 37.* Objicitur etiam ex Scriptura sacra Gen. cap. 37. ubi Putiphar dicitur Eunuchus Pharaonis, v. 36. *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Putiphari, Eunucho Pharaonis.* Idem dicitur v. 1. cap. 39. Et tamen ibidem dicitur habuisse uxorem, v. 9. *Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es.* Et cap. 41. supponitur habuisse filiam, quæ desponsata fuit Ioseph. v. 45. *Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare.*

Solvitur ex Aversa. Respondet Aversa sup. Expositores aliqui notant, Putipharem dictum fuisse Eunuchum non in hoc sensu, sed tamquam ministrum & servum Pharaonis. Sicut etiam cap. 40. pincerna & pistor Regis dicuntur Eunuchi, v. 1. *His ita gestis accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Ægypti, & pistor, Domino suo.*

26. *Secunda solutio.* Vel dici potest; Putipharem fuisse post generationem filiæ castratum: si non ob fabulam Hebræorum, quam refert Glossa, tamen ob aliam causam naturalis morbi.

Solvitur 3. Vel rursùs dici potest; non esse eumdem Putipharem, cujus filia desponsata fuit Iosepho: nam hic dicitur fuisse sacerdos Heliopoleos, nec fit ulla relatio ad illum Putipharem Eunuchum, qui fuerat dominus Iosephi, qui potiùs dicebatur magister militum & princeps exercitus. Imò etiam in nomine est aliqua diversitas: quia in Hebraico nomine secundi Putipharis apponitur in fine littera AIN, pro qua in nomine Latino posita est littera E. Et quàmvis ille primus dicatur habuisse uxorem, non dicitur habuisse prolem.

Et mirum non est, si inter Gentiles & Barbaros ex errore Eunuchi sumerent uxores: siquidem inter fideles ipsos talis error irrepserat, & correctus fuit à Sixto Pontifice. Hucusque præfatus Auctor.

27. *Quid hic sit potentia.* Sit ergò resolutio finalis: potentia hîc, est habilitas ad perficiendam copulam modo ordinario cum verò semine; perindè autem est, perficiatur, an non, sequatur generatio prolis, aut propter sterilitatem vel aliam causam impediatur. Unde Ecclesia solet admittere ad contractum Matrimonij infirmum, de cujus sanitate corporali jam medici desperârunt, jamque morti proximus est, adeò ut nulla supersit spes copulæ, multò minùs generationis prolis.

Mulier quæ non potest parere nisi cum propria morte, est potens, ex Sanchez. Consimiliter, mulier potens censetur, tametsi parere non possit, absque manifesto periculo mortis, imò cum certa morte propria aut prolis. Ita docet Sanchez n. 28. & 29. existimans probabilius, Matrimonium hujusmodi fœminæ fore validum.

Ducor, inquit; quòd Matrimonij contractus essentialiter consistat in mutua obligatione ad copulam perfectam, suâpte naturâ aptam ad prolis generationem: nec refert, si accidentaliter nequeat sequi proles, ut in sterilibus constat. At hîc reperitur obligatio & traditio potestatis corporum ad copulam perfectam.

28. *Objectio.* Sed enim, dicet aliquis; hoc est quod quæritur, an hîc reperiatur obligatio, cùm copula tali fœminæ sit illicita; nulla autem reperiatur obligatio ad peccatum. Nec est simile de eo, qui habet votum castitatis; quia hic saltem potest reddere sinè peccato; imò tenetur, nisi velit intrare Religionem.

Diluitur eâd. Respondet Sanchez sup. n. 30. estò illicitus esset tunc actus conjugalis, non inde sequi Matrimonium fore irritum. Quia ut Matrimonium valeat, satis est, actum conjugalem ex se esse licitum; quàmvis ex aliquo accidenti reddatur illicitus. Adde: temporaliter fore illicitum: nempè tempore juventutis, in quo subest concipiendi spes.

29. *Alia arg. Sanchij pro sua opinione.* Atque hoc est secundum argumentum Sanchij sup. n. 28. Quia, inquit, illa periculosi partûs circumstantia non est perpetua. Senectutis enim tempore, quando jam mulier sterilis erit, cessabit. At impotentia, quæ non est perpetua, sed temporalis, minimè dirimit Matrimonium.

Additio. Adde (inquit n. 30.) illud periculum esse remotum: non enim sequitur ex ipso actu conjugali, in cujus obligatione essentia Matrimonij consistit: nec id periculum subeundum est, ut actus conjugalis sit possibilis, in quo casu decidit cap. *Fraternitatis*, de Frigid. & malefic. esse impotentiam perpetuam dirimentem Matrimonium: sed sequitur id periculum ex partu, qui incertus est, ac posterior, quàm Matrimonij essentia. Quàmvis enim Matrimonem sit propter prolem; at de essentia ejus non est obligatio ad prolem, sed ad actum conjugalem: unde quamdiu hic possibilis est, nullo vitæ periculo præmisso, ut conjuges apti reddantur ad illum, valet Matrimonium. Ita Sanchez.

30. *Opposita sententia an sit probabilis.* Quàmvis sententiam oppositam dicat n. 28. satis probabilem, citans pro ea non paucos Auctores. Sed, ut verum fatear, attentis rationibus, quæ jam solutæ sunt, non video magnam probabilitatem, neque puto, quòd in foro Ecclesiæ tale Matrimonium dirimeretur.

31. *Quid si mulier non possit seminare.* Et idem est, quando fœmina semen receptum nequit retinere, & ideò nunquam generat.

Sed quid, si ipsa non seminet, imò nec possit seminare? Respondeo: si semen ejus est necessarium ad generationem, hanc esse veram impotentiam, de qua hîc loquimur; secùs si non est necessarium, ut communior fert opinio.

His ità disputatis & resolutis de potentia & impotentia in genere, dividamus impotentiam in perpetuam & temporalem; in naturalem & casua-

casualem; denique in absolutam & respectivam; & dispiciamus, quæ ex illis prohibeat Matrimonium contrahendum, & dirimat jam contractum. Erit itaque

CONCLUSIO II.

Impotentia perpetua, sive ex vitio naturæ, sive ex maleficio, absoluta cum quovis, respectiva cum illo, quicum intercedit, dirimit Matrimonium ex jure naturæ.

32. *Quid sit impotentia perpetua juxtà Scotum.*

EXordiar hanc Conclus. quæ communis est, cum verbis Doct. Subtilis 4. dist. 34. q. un. n. 1. *In generali omnis impotentia simpliciter & perpetua, cui scilicet subveniri non potest per naturam vel artem, si præcedat Matrimonium, simpliciter impedit contrahendum, & dirimit jam contractum.*

Itaque impotentia perpetua est, juxtà Scotum & alios DD. communiter, quæ auferri, seu cui subveniri non potest per naturam vel artem, id est, absque miraculo, ope dæmonis, vel corporali periculo. Temporalis autem, quæ potest removeri præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo.

Sumitur ex c. 6. de frig.

Ita loquitur Innoc. III. cap. *Fraternitatis, 6.* de Frigid. & malefic. ibi: *Nos tamen perspicaciter attendentes, quòd impedimentum illud* (impotentia) *non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri* &c. Ergò à contrario sensu, si non potuisset removeri præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo, jam fuisset impedimentum perpetuum.

33. *Quid hic textus intelligat per opus humanum, ex Sanchez.*

Dubitas, quid d. textus intelligat per opus humanum, aut de quo periculo loquatur? Respondet Sanchez sup. disp. 93. n. 9. opus humanum licitum: cùm id solum dicamur posse, quod licitè possumus, ut alibi non semel dictum fuit. Alioquin maleficium non censeretur perpetuum ac sufficiens ad dirimendum conjugium, quando solo alio maleficio auferri posset, quod est contrà d. Tho. 4. dist. 34. a. 3. ad. 3. *Maleficium* (inquit) *est ita perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, quamvis Deus posset remedium præstare, dæmonem cogendo, vel etiam dæmone desistendo. Non enim oportet semper, ut id, quod per maleficium factum est, posit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confitentur: & tamen si posset per maleficium remedium adhiberi, nihilominùs perpetuum reputatur; quia nullo modo debet aliquis dæmonis auxilium per maleficia invocare.*

Quod maleficium sit perpetuum, ex d. Tho.

34. *Et D. Bonav.*

Consimiliter loquitur Doct. Seraph. eâd. dist. q. 2. ad 2. *Dicendum, quòd omne tale maleficium dissolvi potest per Deum: dissolvi etiam potest per diabolum: sed non omne dissolvi potest per maleficum vel humanum consilium; quia malefici, sicut per confessionem eorum scitur, aliqua maleficia sciunt facere, quæ ipsi ad pœnitentiam conversi non possunt destruere: nec homines sciunt consilium adhibere, propter hoc quòd industria diabolica super excellit humanam: & Deus propter meritum peccati præteriti, frequenter non exaudit: & diabolus ad hoc non debet invocari, nec ejus patrocinium implorari: hinc est, quod tale maleficium dicitur esse perpetuum*; & per consequens impotentia, quæ ex maleficio provenit, quando non potest tolli nisi per novum maleficium, quod intrinsecè malum est. Igitur per opus humanum intellige in d. textu opus licitum.

35. *Quid in d. textu intelligatur per periculum.*

Per periculum porrò corporale noli intelligere quodlibet, sed grave; ut ibi notat Glossa verb. *Corporali periculo*, dicens: *Vbi verò grave periculum timeretur, non est Matrimonium: sed ubi levi periculo potest removeri, debet illud pati*; *inf. eod. cap.* § Per hæc, *à contrario sensu.*

Accipe verba d. §. *Per hæc autem quæstionem illam noveris esse solutam, quâ quæritur; utrùm ea, quæ adeò arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solùmmodo levis, sed fortè tam gravis, ut ex ea periculum mortis timeatur.*

An periculum mortis, ex Sanchez.

Ex quibus verbis probabiliùs videtur Sanchio sup. n. 18. nomine corporalis periculi in hoc textu intelligi periculum mortis. Quod moraliter subest, quoties gravis morbus timetur, secundùm eumdem Auctorem.

36. *An gravis ac perpetuus morbus, ex Perezio.*

Aut certè, quoties gravis ac perpetuus morbus est inevitabilis, ut videtur sentire Perez hic disp. 37. sect. 1. n. 3. ibi: Nomine periculi corporalis seu mortis non intelligitur mors ipsa, sed solùm illius periculum. Et ratio est; quia tametsi, id quod absque morte auferri potest, non sit physicè perpetuum; si tamen non possit absque periculo mortis, est moraliter perpetuum: nam periculum mortis moraliter æquivalet morti. Non verò intelligitur periculum gravis morbi, adhuc perpetui; quia periculum gravis morbi, quamvis perpetui, non æquivalet morti physicæ. Quod autem auferri nequit absque gravi & perpetuo morbo, censetur perpetuum; quia iste æquivalet moraliter morti physicæ, non minùs, imò magis, quàm periculum mortis; quia ad vitandum talem morbum, potest rationaliter appeti periculum mortis, imò etiam & ipsa mors. Hæc ille.

37. *Non requiritur ipsa mors. Sanchez.*

Cùm autem periculum mortis, & ipsa mors valdè diversa sint, & sæpiùs adsit periculum mortis, quòd mors equidem reipsâ non sequatur, non sunt audiendi illi DD. qui apud Sanchez sup. n. 16. requirunt ipsam mortem; ita ut, si mulier patiens incisionem cum periculo vitæ, mortem evadat, validum fuerit prius Matrimonium, & id instaurandum, quàmvis prior vir, aut fœmina illa ad aliud transierint. Quòd non fuerit impotentia illa perpetua, cùm experientia detegat, potuisse absque morte reparari.

Probatio.

Sed ut dixi, non sunt audiendi, cùm nullibi lex requirat mortem, ut sit impotentia perpetua; ergò neque nos requiramus. Quo enim fundamento? Non video. Maximè cùm finè

peccato non possit mulier se exponere periculo mortis, multò minùs certæ morti. Iam autem, ut antè dictum fuit, per artem seu opus humanum, intelligitur opus licitum.

38. *Quia in d. textu significet ly* Divinum miraculum.

Si autem à me quæras: quid in d. textu significet ly *Divinum miraculum*. Respondeo citiùs: id quod fit modo omninò extraordinario & insueto divinâ virtute. Unde maleficium, quod aufertur per orationes, exorcismos, aut alia pia opera, non dicitur ablatum per miraculum. Sicut neque morbus desperatus, cui subvenitur per Sacramentũ Extremę unctionis. Quippè hęc fiunt modo consueto, estò virtute supernaturali. Et propter eamdem rationem, remissio peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ, aut Baptismi, non dicitur miraculosa.

Quare excludat miraculum & periculum mortis.

Sed cur putabimus, d. textum excludere voluisse miraculum, & periculum mortis? Miraculum quidem; nam aliàs nulla impotentia foret perpetua, cùm quælibet auferri possit per miraculum; neque conveniens erat, ut valor Matrimonij dependeret ab isto extraordinario & insueto actu, cujus nulla habetur certitudo. Periculum autem mortis excluſit, quia ipsum, ut sup. dictum fuit, moraliter est mors, sive æquivalet morti physicæ. Sicut ergò ex ipsa reali morte oritur impotentia perpetua; sic itidem ex ejus periculo, jure ita declarante, ut sicut non potest stare Matrimonium altero vel utroque physicè mortuo, ita neque altero vel utroque solùm potente cum periculo mortis; quippè antequam potens sit, jam moraliter fuit mortuus.

39. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat: quòd infirmus usque ad mortem validè contrahat, ut, juxtà dicta Concluſ. præced. constat ex praxi & usu Ecclesiæ; siquidem in hoc casu periculum mortis non est medium necessarium, ut sit potens ad copulam; sed potiùs econtrariò est impedimentum copulæ: at in alio casu subeundum est istud periculum, ut corpus possit esse aptum copulæ, quod alioquin per se est ineptum; cum in nostro casu corpus per se sit aptum, & solùm ineptum ex morbo, qui etiam sinè miraculo, videlicet per Sacramentum Extremæ unctionis potest curari.

Instantia solvitur.

Si dixeris: talis infirmus nec finem primarium, neque secundarium Matrimonij potest intendere. Respondetur: non intendit pro tempore mortis, sed pro tempore valetudinis; nam ex naturali & propria virtute potest generare, quàmvis ejus exercitium sit ad tempus suspensum. Unde non refert suum Matrimonium in tempus mortis; hoc enim implicat; cùm per mortem Matrimonium dissolvatur; sed ad tempus præcedens mortem, tametsi prævideat, quòd per mortem Matrimonium jam contractum brevi pòst sit dissolvendum.

40. *Alia objectio Adversariorum.* L. 51. de Usufructu &c.

Hinc solvitur objectio Adversariorum; putà, quòd actus incipere nequeat, ubi finiri debeat; arg. leg. *Titio cùm morietur*, ff de Usufructu, ibi: *Titio cùm morietur, inutiliter ususfructus legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo à persona discedere incipit.* Cujus ratio est; quòd idem momentum nequeat esse causa libertatis, & obligationis. Quippè contrarios effectus produceret, quod cum ipsa rei materia pugnat.

Hæc, inquam objectio facilè solvitur ex jam dictis. Aliud quippè est (inquit Sanchez sup. disp. 105. n. 3.) conferre Matrimonium in tempus mortis, id est, ut à tempore mortis valere incipiat, & aliud id inire mortis tempore. Prius enim fieri nequit; utpote quod est contrà vinculi conjugalis naturam, morte ipsâ dissolvendi. Et hoc est quod deciditur in l. *Titio cùm morietur*, in eo argumento allatâ. At posteriùs fieri optimè potest, cùm contrahatur tempore habili, ac pro tempore habili. Nec idem tunc producit diversos ac contrarios effectus: sed consensus efficit Matrimonium valere, quod posteà mors dirimit. Hæc ille. *Diluitur.* Sanchez.

41. *Objicitur.*

Objiciunt prætereà Adversarij: infirmus de quo in casu proposito, jam est moraliter mortuus; ergò nequit contrahere Matrimonium; sicut ille non potest contrahere, qui nequit reddi aptus copulæ, nisi cum periculo propriæ mortis, eò quòd sit jam moraliter mortuus.

Solutio.

Respondetur: mortem moralem non sufficere ad dissolvendum Matrimonium contractum, ut patet, dum infirmitas lethalis subsequitur; sed requiritur mors realis, ut Omnes fatentur: ergò neque sufficiens est, ut impediat contrahendum, illudque dirimat.

42. *Oppugnatur.*

Negatur, reponit quispiam, Consequentia; nam plura inveniuntur, quæ si præcedant Matrimonium, impediunt illud & dirimunt, tametsi jam validè contractum non dissolvant, dum superveniunt, ut patet ex antedictis, & clarum est in præsenti materia: nam impotentia perpetua antecedens dirimit, ut statim latiùs dicetur, tametsi subsequens minimè dissolvat Matrimonium priùs contractum, ut suo loco constabit.

Sed perperam.

Fateor: sed nunquid paritas in nostro casu? Absit: nam in nostro casu non est impotentia, antecedens contractum; quia talis infirmus, ut dictum est, ex se habilis est ad copulam, & solum exercitium suspenditur per infirmitatem; atque adeò hic solùm invenitur mors moralis, quæ in nullo jure declaratur Matrimonium subsequens dirimere; at verò ex jure colligitur, eam efficere, ut impotentia sit perpetua, quæ aliàs foret temporalis, & per consequens, ut dirimat Matrimonium, quod aliàs non dirimeret.

43. *Probatur impotentiam perpetuam dirimere, ex Scoto. Primò.*

Sed unde probatur, interrogat aliquis, quòd impotentia perpetua jam descripta dirimat Matrimonium subsequens? *Ad hoc* (inquit Scotus sup.) *est triplex ratio ex natura istius contractus. Prima, quia iste contractus est datio potestatis corporum ad talem actum, si petatur; sed iste non habet potestatem ad talem actum; ergo nil tale potest dare, & ita nec contrahere.*

Secundò.

Prætereà: in contractu isto obligat se ad actum istum, si petatur: sed hujusmodi actus est sibi impossibilis, etiamsi petatur; ergò obligat se ad impossi-

impoßibile : obligatio autem ad impoßibile eſt nulla ex lege divina : ergò lex divina non approbat talem obligationem; ergò nulla eſt.

44. Tertio. *Præterea : alia perſona intendit commutare poteſtatem ſui corporis pro poteſtate corporis alterius : ergò credit alium è converſo poſſe commutare ; ſed non poteſt ; ergò hic eſt error pertinens ad aliquid, quod eſt per ſe requiſitum ad contractum : talis autem error facit contractum nullum.*

Ecce triplex ratio Doct. Subtilis, deſumpta ex naturâ Matrimonij : tertia quidem inadæquata complectens ſolum Matrimonium, quod cum ignorantia impotentiæ contrahitur. Prima & ſecunda generales ſunt, & probant primò impotentiam etiam cognitam dirimere Matrimonium ; cognitio quippè iſta non facit actum poſſibilem, qui aliàs impoſſibilis eſſet, ut ad oculum patet. Sed de hoc plura infrà.

45. Probatur, hoc impedimentum eſſe juris naturalis, Sanchez. Secundò probant ; hoc impedimentum non eſſe ſolius jurisEcclesiaſtici,ut aliqui exiſtimant apud Sanchez ſup. diſp. 98 n. 1. ſed juris naturalis, ut ipſe docet n. 2. vocans eam ſententiam veriſſimam.

Patet ; quia jure naturæ nemo poteſt dare, quod non habet ; arg. cap. *Quod autem*, 5. de Iure patron. in fine : *Quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de jure donare.* Et l. 15. Cod. de Legat. in principio : *Si univerſæ facultates, quas pater veſter reliquit, debito fiſcali aut privato abſumuntur : nihil ex his, quæ teſtamento ejus adſcripta ſunt, valere poteſt.* Quia videlicet nihil habet.

Prætereà : jure naturæ *impoßibilium nulla obligatio eſt*, Reg. 185. ff. de Diverſ. reg. juris. Et Reg. 6. de Reg. juris in 6. ait : *Nemo poteſt ad impoßibile obligari.*

46. Quare nemo poſſit obligari ad impoſſibile, ex Canſio. Ratio eſt (inquit Caniſius ibi) quòd omnis obligatio aut in dando, aut in faciendo conſiſtat, l. 2. ff. de Verb. oblig. in principio : *Stipulationum quædam in dando, quædam in faciendo conſiſtunt.* Sed quod non eſt, aut eſſe ſive fieri non poteſt, fruſtrà petitur : non igitur ejus obligatio ulla oriri poteſt. Quæ ratio eadem militat, etiamſi ignoraverint contrahentes, ſe rem impoſſibilem in obligationem deduxiſſe : non enim opinione noſtrâ rei natura vel immutatur, vel nova conſtituitur. Hæc ille.

Unde quod ait Scotus ſup. in ſecunda ratione : *Oligatio autem ad impoßibile eſt nulla ex lege divina* ; intelligit de lege divina naturali.

47. Primum arg. adverſariæ partis. Neque hoc negant Adverſarij ; ſed contendunt, obligationem ad copulam, ſaltem cum vero ſemine, imò ad copulam quamcumque, non eſſe de eſſentia Matrimonij. Patet, inquiunt, ex ejus definitionibus, in quibus non fit mentio copulæ, ſed mutuæ ac individuæ ſocietatis.

Secundum. Prætereà : adſtrictus voto ſimplici Religionis, validè init Matrimonium, cùm tamen nunquam obligari poſſit ad reddendum debitum, imò peccet reddendo. Quòd ſi dicas, diſcrimen eſſe ; quòd ligatus voto ſit tantùm moraliter impotens ; frigidus verò naturaliter. Solutio eſt nullius momenti ; quia in hac re æquiparatur potentia naturalis & moralis. Et ideò mulier arcta reſpectu alicujus, quàmvis naturaliter per copulam cum alio poſſit illi aptari, quia tamen non poteſt moraliter, id eſt, abſque peccato, dicitur inepta & impotens ad illi nubendum.

Præcluditur evaſio.

Denique : cap. 2. de Frigid. & malefic. ſcriptum eſt : *Sicut puer, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus conjugio : ſic qui impotentes ſunt, minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.* At Matrimonium impuberum ſolo jure Eccleſiaſtico eſt irritum : ergò &c. 48. Tertium arg. ex c. 2. de Frig.

Et confirmatur ; quia ſicut ſe habet ad Matrimonium impotentia temporalis, tempore quo durat, reſpectu illius temporis : ita impotentia perpetua reſpectu univerſi temporis. Cùm illa ita impediat traditionem poteſtatis ad copulam pro eo tempore, ſicut hæc pro univerſo. At illa nullatenùs dirimit Matrimonium jure naturæ. Ita argumentantur Adverſarij. Confirmatur.

Sed propterea non eſt deſerenda communis & veriſſima ſententia. Nam ad ultimum reſpondetur cum Sanchio ſup. n. 8. non in omnibus æquiparari iſta duo, ſed quoad effectum dirimendi Matrimonij, quod ſufficit ad veritatem illius reſcripti Alex. III. Etenim ſæpiùs ſimilitudo claudicat. 49. Reſp. ad ultimum arg. ex Sanchio.

Ad confirmationem dic : planè diverſam eſſe rationem impotentiæ temporalis & perpetuæ, de qua inferiùs pleniùs diſſeremus ; pro nunc ſufficiat, contractum Matrimonij ſeu eſſentiam ejus non reſpicere certum tempus, ſed univerſum tempus ; & ideò ſufficit, quòd aliquo tempore futurus ſit potens, qui jam impotens eſt, idque requiritur ; quippè hoc ſufficit & requiritur, ut quis poſſit dare poteſtatem corporis ſui ad actum conjugalem. Ad confirmationem.

Hinc patet reſponſio ad ſecundum ; quippè adſtrictus voto ſimplici Religionis potens eſt copulari, etiam abſque ullo peccato ; ſi nimirum à voto ſuo liberetur : ergò poteſt dare jus ad illam copulam. 50. Reſp. ad 2. arg.

Atque ut ſinè peccato non poſſet copulari, vel petendo, vel reddendo debitum ; equidem eſt verus dominus corporis ſui, & uſûs ejus ; ergò poteſt validè poteſtatem illius alteri tradere. Quando autem mulier iſta eſt arcta reſpectu alicujus, ut non poſſit reddi apta ad copulam, niſi per peccatum, non habet phyſicam poteſtatem uſûs corporis ſui, antecedenter ad peccatum ; & ideò non poteſt eam validè tradere ; ſecùs quando jam per peccatum apta fuiſſet reddita. Iam autem conſtat, votum quodcumque non tollere phyſicam poteſtatem uſûs corporis.

Reſtat primum argumentum, de cujus materia multa nimis duximus Diſp. præced. Sect. 3. Concl. 1. & 9. Dico hìc breviter : illam individuam vitæ ſocietatem, quæ ſola in aliquibus definitionibus exprimitur, non reperiri ſen eſſe ſinè ordine aliquo ad copulam conjugalem, quæ eſt prima ſocietas, ad quam à Deo Matrimonium eſt inſtitutum, dicente Adamo Gen. 2. v. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit uxori ſuæ : & erunt duo in carne una.* 51. Diſſolvitur 1. arg.

Quæ utique poſtrema verba proprijſſimè ſignificant

gnificant copulam conjugalem, per quam conjuges fiunt principium unius carnis. Ergò individua vitæ societas principaliter respicit actum conjugalem, seu generationem prolis, & consequenter alia obsequia, quæ necessaria sunt ad convenientem educationem prolis.

52. *Ostenditur ex D. Aug. Matr. institutum esse propter copulam.* Appositè & eleganter S. Augustt. lib. 9. de Gen. ad litt. c. 3. *Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos* &c.

Et cap. 4. ac 5. *Aut si ad hoc adjutorium gignendi filios, non est facta mulier viro, ad quod ergò adjutorium facta est? Si quia simul operarentur terram, nondum erat labor, ut adjumento indigeret, & si opus esset, melius adjutorium masculus fieret. Hoc & de solatio dici potest, si solitudinis fortasse tædebat. Quantò enim congruentiùs ad convivendum & colloquendum duo amici pariter, quàm vir & mulier habitarent* &c. Vide Concluss. 9. sup. allegatam, ubi totus locus refertur.

Tantùm hìc adjungam Concluss. Aug. *Quapropter non invenio, ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahatur.*

53. *In quo consistat essentia Matr.* Infero ego: ergò essentia Matrimonij, à Deo instituta, consistit in perpetua obligatione, & traditione potestatis corporis ad copulam conjugalem. Cumque res naturaliter absque sua essentia consistere nequeat, repugnat naturæ Matrimonij id validum esse, existenti perpetuâ impotentiâ: ac proindè, attento ipso naturæ jure, irritum erit, etiam inter infideles, qui huic juri subjiciuntur.

Sequitur etiam, perinde esse, ut habet altera pars Concluss. sive hæc impotentia proveniat ex vitio naturæ, sive ex maleficio; absoluta sit, vel respectiva, dummodo reverà sit perpetua. Quare hoc addam, patebit ex dicendis.

54. *Duplex est impotentia, ex Scoto.* Incipio: Duplicem esse impotentiam, docet Scotus sup. n. 4. dicens: *De secundo, duplex est impotentia in genere, naturalis & casualis. Naturalis in viro est frigiditas, vel mutilatio partis necessariæ; in muliere arctatio. Casualis est per maleficium. Impossibilitas prima satis patet. Secunda sit per malignos spiritus, qui habentes pactiones cum hominibus servant promissa: non quia veraces, sed ut alij eis adhæreant (quia si nulla pacta servarent, nulli eis servirent) & ut illi, quibus servant promissa, eos colant, nam ex superbia sua præcipuè appetunt honores divinos.*

Quare Deus permittat dæmoni impedire actum conjugalem. *Deus etiam permittit eos exercere potestatem suam ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, in quos possent, si non essent impediti: & hoc vel propter peccata eorum, vel propter aliquam aliam causam occultam: & hoc modo maga habens pactum cum dæmone, procurat ab eo, ut istum impediat à tali actu cum tali muliere, quamdiu tale maleficium perseverat, putà acus curvata, vel aliqua hujusmodi.* Hucusque Doct. Subtilis.

55. *Quomodo dæmon id ohent facere.* Neque aliquis negat hanc duplicem impotentiam. Quibus autem modis dæmones soleant tam viros quàm mulieres reddere impotentes, videre poteris apud Sanchez sup. disp. 94. Utì etiam, ex quibus signis possit dignosci, an impotentia sit naturalis, an potiùs ex maleficio consurgat.

Qualiter cognoscatur differentia naturalis impotentiæ & casualis, ex Scoto. Scotus sup. n. 6. quærit: *Sed qualiter cognoscetur differentia istius, & illius impedimenti?* Respondet: *Difficile est videre, nisi per inspectionem corporis, si deficiat aliqua dispositio necessaria, requisita in parte illa ad istum actum: vel per judicium medicorum, quantùm ad frigiditatem, si aliqua signa manifestè ostendant, ipsum esse talis complexionis. Si verò nec sic, nec sic, & tamen simpliciter impeditur; præsumendum est quòd sit maleficium.*

56. *Utraque est impedimentum dirimens, si fuerit perpetua, ex eod.* Quòd autem utraque impotentia, si fuerit perpetua, dirimat Matrimonium, tradit ibidem Doct. Subtilis n. 6. hisce verbis: *De istis duobus impedimentis ad propositum dico, quòd in aliquo sint similia, & in aliquo dissimilia. Similia, quia impediunt contrahendum, & dirimunt jam contractum, respectu illius personæ, respectu cujus sunt ista impedimenta: quod pro tanto additur; quia non tantùm casuale, sed etiam naturale impedimentum potest esse respectu unius personæ, & non respectu alterius, maximè de naturali in muliere.*

De naturali probatur ex c. 1. de Frig. Et verò impotentiam naturalem perpetuam dirimere, nemo ambigit; si non jure naturæ, de quo suprà disputavimus, saltem jure Ecclesiastico; cap. 1. de Frig. & malefic. in fine: *Sed vir, quem accepi, frigidæ naturæ est, nec potest illa facere, propter quæ illum accepi: si probari potest per rectum judicium, separari potestis: & illa si vult nubat in Domino.*

57. *Item ex c. 3. eod.* Item cap. 3. eod. in fine: *Respondemus igitur, quòd si vitium illud mulier à natura contraxit, nec opere medicorum poterit adjuvari: viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.*

Ex quo textu Aliqui inferunt à contrario sensu: ergò si vitium illud mulier non contraxit à natura, sed per maleficium, vir non poterit aliam accipere. Sed respondetur, argumentum à contrario sensu ductum, nullius esse momenti, ubi contrarium est in jure decisum.

58. *Idem probatur de impotentia casuali, ex c. 2. eod.* Planè, inquis; sed contrarium de impotentia casuali, seu per maleficium inducta, ubi in jure decisum est? Sanè nullus textus sub tit. de Frigid. & malefic. loquitur de maleficio, sed omnes de frigiditate vel arctitudine.

Respondetur: nullus textus loquitur expresè sive in particulari de maleficio; sed aliquis loquitur in generali de omni impotentia, & talis textus est cap. 2. ibi: *Sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.*

Ubi Gloss. verb. *Impotentes*, ait: *Hâc ratione videtur, quòd senes, qui à naturali calore defecerunt, contrahere non possunt: sed contrarium est verum, Cod. de nuptijs*, Sancimus 27. *q.* 1. Nuptiarum: *quia in senibus dicitur esse legis obsequium & humanitatis solatium, ut ibi, &* 31. *q.* 1. Aperiant, *& cap.* Quod si dormierit. *Sed hic non loquitur de tali impotentia, sed de eo, qui sectus*

est

eſt, & qui perpetuò impotens eſt: ſed ſenes aliquando aliquo beneficio moventur.

Et putas; quòd dæmon non poſſet quempiam ſecare, & ita reddere perpetuo impotentem? deindè Gloſſa loquitur de eo qui ſectus eſt, & de omni qui perpetuò impotens eſt.

59. *Item ex cap. fin. eod.* Alius textus, qui generaliter loquitur, eſt cap. fin. eod. tit. quod ſic incipit: *Literæ veſtræ nobis exhibitæ continebant, quòd cum cauſa Matrimonij, quæ inter M. mulierem, & A. ejus virum vertitur, vobis fuiſſet ab I. Papa prædeceſſore noſtro commiſſa, dicta M. propoſuit, quòd cum octo annis elapſis, dicto A. fuiſſet matrimonialiter copulata, & diu cohabitaſſet eidem, adhuc integra permanebat: eò quòd prædictus vir ejus non habebat potentiam coëundi: quare petebat divortium,* Ubi generaliter allegatur impotentia coëundi, nec in reliqua parte textûs ſpecificatur aliqua impotentia.

60. *Expenditur à Gloſſa.* Hinc Gloſſa verb. *Literæ*, inquit: *Legitur tribus modis. Primo, quòd loquatur in maleficiato, & ſecundùm hunc intellectum ſummatur ſic. Si vir maleficiatus nunquam potuit cognoſcere uxorem, cui per triennium cohabitavit, ipſis cum ſeptima propinquorum manu hoc jurantibus, Matrimonium ſeparatur, hoc dicit. Secundo modo legitur ſic; quòd non loquatur in maleficiato, ſed in frigido, ut tenuit Innocentius, cujus lectura communiter non recipitur: ſed tamen in ſe vera eſt, & dicendum, ut habuiſti in cap.* Laudabilem, *ſup. eod. Tertio modo legitur inhærendo verbis literæ generaliter, cùm uxor dicit, virum non habere potentiam ſecum coëundi, nec exprimit ex qua cauſa. Et ſic facit ad tertiam partem Rubricæ.* Scilicet, impotentia coëundi. Nam Rubrica eſt: *De Frigidis & Maleficiatis & impotentia coëundi.*

Probatur etiam ex Rubrica d. tit. Et ſanè, niſi duo textus jam allegati loquantur in maleficiato, nihil in toto titulo facit ad ſecundam partem Rubricæ, & ſic fruſtrà ponitur: *Et Maleficiatis*, quod non eſt credibile. Meritò ergò lectura Innocentij communiter non recipitur.

61. *Oſtenditur quòd d. textus non loquatur de ſola impotentia naturali.* Quòd tamen in ſe vera ſit, ut ait Gloſſa, unde probatur? An fortè ex cap. *Laudabilem*? Hoc eſt Cæleſtini III. iſtud autem Honorij III. Hoc in terminis loquitur de naturaliter frigidis, ibi: *Requiſiviſti, quantum tempus indulgendum ſit naturaliter frigidis* &c. iſtud generaliter loquitur de impotentia coëundi; neque refert ſe ad cap. *Laudabilem*; ergò gratis dicit Gloſſa: *Dicendum, ut habuiſti in cap. Laudabilem.* Et lectura Innocentij in ſe non eſt vera, utpotè non conſonans litteræ.

Sanchez. Tum (inquit Sanchez ſup. n. 8.) quòd vir ille, Matrimonij ſeparationem in eo textu petens, allegavit ſe ad omnes fœminas potentem eſſe, præterquam ad uxorem: quod frigiditati repugnat. Tum etiam; quia injunctum eſt utrique, ut pœnitentiam de peccatis ageret; at per pœnitentiam non tolluntur impedimenta naturalia. Ita Sanchez.

Subdo verba textûs: *Prædictus verò A. fatebatur, quòd illam nunquam cognoverat, tamen ſe habere potentiam cognoſcendi alias aſſerebat.* Et infrà: *Injunxiſtis eiſdem, ut agerent pœnitentiam de commiſſis, & ſic fortè placeret Deo, qui Matrimonij fuit inſtitutor & auctor, ut opus Matrimonij conſummarent.*

Ubi Gloſſ. verb. *Cognoſcendi alias*, ait: *Et ita allegabat iſte maleficium, quantùm ad iſtam, & non quantùm ad alias, & non frigiditatem: quia ſi quis eſt frigidus quoad unam, quoad omnes eſt frigidus, cùm impedimentum à natura procedat, arg. ſup. eod.* Ex litteris. *Secùs in maleficiato, ut dictum eſt ſup. cap. proximo. Vnde poſtquam conſtiterit de maleficiato, poſt triennium debent ſeparari, & ad alia vota tranſire*; 33. q. 1. Si per ſortiarias..

62. *Frigiditas eſt impedimentum univerſale.*

Ubi ſic lego: *Si per ſortiarias atque maleficas, occulto, ſed nunquam injuſto Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non ſequitur, hortandi ſunt, quibus iſta eveniunt, ut corde contrito, & ſpiritu humili Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis ſuis puram Confeſſionem faciant, & profuſis lacrymis & largioribus eleemoſynis & orationibus atque jejunijs, Domino ſatisfaciant, & per exorciſmos, & cætera Eccleſiaſtica medicinæ munia* (aliàs, *munimina*) *miniſtri Eccleſiæ, tales, quantùm Dominus annuerit, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus ſanavit, ſanare procurent. Quòd ſi fortè ſanari non potuerint, ſeparari valebunt: ſed poſtquam alias nuptias expetierint, illis in carnè viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamſi poſſibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Ita Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus. Qui textus (inquit Sanchez ſup.) uſu Eccleſiæ quoad hoc tamquam textus receptus eſt.

Quid faciendum maleficiatis.

De hac impotentia per maleficium Doct. Seraphicus 4. diſt. 35. a. 2. q. 2. in corp. ſequentia ſcribit: *Dicendum, quòd Aliqui dixerunt, quòd maleficium nihil erat in mundo; nec alicujus vis, niſi in ſola æſtimatione hominum, qui multos naturales defectus attribuunt maleficijs dæmonum, propter defectum fidei. Sed iſta poſitio derogat juri, & derogat opinioni vulgi, & quod majus eſt, experimento; & ideò iſtud non habet ſtabilitatem.*

63. *De impotentia per maleficium doctrina D. Bonav.*

Datur maleficium in mundo.

Fuerunt & Alij, qui dixerunt, quòd maleficium non impedit coitum, niſi ad tempus; ſed tamen nullum eſt perpetuum; quia quodlibet diſſolvi poteſt vel per diabolum, vel per maleficium, vel per Divinum auxilium: & dixerunt illud capitulum primo poſitum (Si per ſortiarias) *abrogatum.*

Sed certè adhuc iſtud eſt contrà experimentum, & contrà jus novum: quia Decretalis Honorij (Literæ veſtræ, de Frigid. & maleſic.) *præcipit in talibus fieri divortium: cùm experimento probatum ſit, multos habitaſſe ſimul per longum tempus, & adhibuiſſe operam magnam, & quæſiſſe multa remedia, & nihil omninò valuiſſe; & ideò per experientiam convincit Eccleſia, tale maleficium aliquando eſſe perpetuum. Rursùs; quia multi ſunt, qui remedium invenerunt,* convincit

64. *Idque perpetuum.*

Non ſemper eſt perpetuum.

convincit non semper esse perpetuum. Et ideò hoc maleficium aliquando impedit, aliquando non.

Quando præsumatur temporale.

Ideò secundùm communem DD. opinionem distinguendum est; quòd impotentia coëundi accidentalis, quæ venit per maleficium, aut est temporalis, aut perpetua. Si temporalis, non impedit. Tunc autem præsumitur esse temporalis, quando intra spatium trium annorum cohabitantes, & quam possunt operam dantes, sive per Ecclesiastica Sacramenta, sivè per alia remedia salvari possunt. Hucusque S. Bonaventura.

65. *Probatur ex Sanchez, posse esse perpetuum. Primò.*

Igitur non sunt audiendi, qui putant nullum maleficium esse perpetuum. Nam (inquit Sanchez sup.) si dæmon semel vel sæpiùs potest impedire copulam, permittente Deo, cur non semper? Cùm per voluntatem operetur. Deindè, quia falsum est, semper posse tolli à suo Authore. Neminem enim latet, plura posse dæmonem destruere, quàm reparare.

Secundò.

Preterea: quia quidam modus maleficij est membrum præscindendo: at membrum semel amputatum, restituere nequit dæmon; sicut nec vitam ademptam potest reparare. Adde; posse contingere, jam maleficij auctorem obijsse, & sic maleficium erit perpetuum. Sic ille.

Additio.

66. *Impugnatur additio.*

Sed hæc consequentia non videtur bona, quia potest contingere, ut sciatur maleficium, tametsi auctor obierit. Habitâ autem illâ scientiâ, potest tolli maleficium, & sic maleficium non erit perpetuum.

Quando sit perpetuum, ex Aversa.

Unde Aversa q. 13. sect. 2. §. *Alio tandem modo*, sic ait: Sed potest esse, ut maleficium peractum fuerit in signo aliquo transeunte, aut in cibo vel potu assumpto, vel signum permanens projectum fuerit in flumen aut in mare, ita ut capi non possit, vel mortuus fuerit opifex maleficij, nec sciatur, ubi illud reposuerit. Sic, inquam, non potest maleficium removeri, & impedimentum est perpetuum dirimens Matrimonium. Hæc ille.

67. *Quod sit remedium contrà maleficium, ex Scoto.*

Audite Scotum sup. n. 4. *Quod igitur est remedium contra id impedimentum per dæmonem? Respondeo: si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, benè fit. Si tamen Deus illas non exaudiat, tunc si sciretur maleficium, & destrueretur, dæmon non fatigaret eum ampliùs, quia ex pacto non abstinet, nisi dum durat aliquod signum.*

Licet tollere maleficium ex eod.

Et ex hoc patet, quòd frustatica est illa quæstio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum? Non enim solùm licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc est aliqua infidelitas; quia destruens non acquiescit operibus malignis: sed credit dæmonem posse, & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi, imponet finem tali vexationi.

68. Delrio.

Nihilominùs copiosè aliqui de hac quæstione disputant, ut videre poteris apud Delrium lib. 6. disquisitionum magicarum, cap. 2. sect. 1. q. 3. ubi hic Auctor multis exemplis, ex varijs Auctoribus petitis, & communi praxi virorum piorum sic sanantium, & rationibus varijs, quas nimis longum esset hìc transcribere, probat sententiam Scoti, quam sequitur Sanchez sup. disp. 96. n. 3.

Quia (inquit) dubitari nequit, finem intentum licitum esse, nimirum sanitatis recuperationem. Quare tota malitia refundi debet in medium, ei fini assequendo adhibitum. Sed id medium culpâ vacare ex eo constat, quòd auferendo signum intentione prædictâ, nec pactum, nec amicitia cum dæmone confirmentur, nec illi honos exhibeatur: imò potiùs illa solvantur, ac dæmone contempto, ab ejus amicitia recedatur, ob idque signum fœderis separatur aut comburitur. *Probatur ex Sanchez.*

Quòd si dicas: esse malum credere, eo signo ablato maleficium cessaturum; id à veritate alienum est. Quia id credere nullo jure interdicitur, nec est aliqua infidelitas, credere dæmonem destituturum à damno (ut optimè explicuit Scotus 4. dist. 34. q. un. vers. *Et ex hoc patet*) quia destruens non acquiescit operibus malignis, sed credit dæmonem posse & velle vexare manente signo, & eo destructo, impositurum finem vexationi. Nec est vanum, cùm conjecturis rectæ rationis innitatur. Valde enim verisimile est fore, ut dæmon, qui pacto ligatus erat ad nocendum, soluto pacto, ejusque signo ablato, cesset. Hæc est prima ratio Sanchez, desumpta ex Scoto sup. 69. *Occurritur objectioni.*

Secunda erit: quia si magus in foro interno vel externo fatetur se damnum intulisse, eò quod signum aliquod alicubi collocarit: quis dubitet, utrumque judicem compulsurum, ut signum amoveat, ut maleficiatus ad pristinam restituatur sanitatem? Non ergò peccabit maleficus auferens. *Secunda probatio.*

Tertiò: quia in damno inferendo per signi appositionem, dæmon cooperatus est vexans. At in restituenda sanitate per signi ablationem, nulla actio dæmonis, ejusque auxilium intervenit, sed mera privatio, hoc est, non agere vexando: atque adeò non expectatur, ut dæmon aliquid faciat, sed desinat facere: at expectare effectum dæmonis privativum, culpâ vacat. Sicut fas est expectare dæmonis fugam ab energumeno, vel cessationem tentationis, & similia. Quòd effectus ille non expectetur vi alicujus pacti conventi cum dæmone: sed potiùs solutione pacti, & amicitiæ cum illo, 70. *Tertia.*

Tandem; quia hoc non est opus malefici, ut maleficus est, sed hominis, scientis impedimentum boni proximi sui. Nulla enim hìc dæmonis invocatio adest, ejusque auxilium, sed sola signi destructio, quo durante statuerat dæmon damnum maleficiati conservare. Hucusque Sanchez pro sententia Scoti. *Probatur 4.*

Quam ante ipsum docuit Henricus Gandavensis Quodl. 5. q. 33. ibi: Licèt pernicioſum sit, operibus superstitiosis communicare, aut facere talia, qualia faciunt superstitiosi, communicando operibus dæmonum; Catholicum tamen est, destruere superstitiosum opus dæmonis, & in hoc ei contrariari, & sic dico, quòd licitum est, maleficium deponere simpliciter, quemadmodum licitum est Idolothytum in cloacam projicere: & etiam ut curetur infirmus maleficiatus: non credendo, quòd virtute illius maleficij, 71. *Estque doctrina Henrici Gand.*

ficii, morbus ille contingat (hoc enim infidelitatis esset) sed credendo contrarium, &, quòd solùm fiat solâ dæmonum actione, ex divina permissione, qui non consueverunt secundùm pactionem suam maleficiatum vexare, nisi stante illo maleficio. Hæc ille.

Item Cajetani. Idem tenet Cajetanus tam in Summa verb. *Matrimonium*, quàm in opusculo, quod hac de re conscripsit. Plures Auctores reperies apud Sanchez sup. ut proindè negari non possit hanc sententiam, tam ex auctoritate, quàm ratione valdè probabilem esse, & in praxi tutam.

72. *Oppositum docet Ioan. Hesselius.* Contraria nihilominùs magis placet Ioan. Hesselio in suo Catechismo lib. 5. cap. 207. quod sic incipit: Instituitur hoc cap. quæstio, an non liceat saltem rogare eum, qui posuit maleficia, hoc est, signa, ad quæ, tamquam ad sua Sacramenta, diabolus nocet vel operatur; an non liceat, inquam, eum rogare, ut ejusmodi signa tollat? Vel an maleficio tinctus, non possit eum rogare, ut monstret ei ista signa, per quæ maleficio affectus est, ut ipsemet possit ea destruere? Vel an si saga confiteatur, & pœniteat, rogetque Confessarium, an liceat ei auferre maleficia, quæ posuit, ut ijs ablatis diabolus non ampliùs noceat; an ille Confessarius possit dicere, ut ea auferat? Intellige semper, absque novo maleficio. Exempli gratiâ, si dicat venefica: Ego ibi posui tria ova: dixitque mihi diabolus, quòd donec ibi fuerint, occidet equos, & pecora istius hominis; possùmne illa tollere, ut diabolus desinat pecori illius hominis esse infestus? Quæritur etiam, utrùm Confessarius possit hoc casu dicere, tolle ista signa, ut videlicet diabolus non ampliùs noceat.

73. *Eſtque sententia Pet. Ioan. Provincialis.* Ad hanc quæstionem, relatâ sententiâ affirmativâ Scoti & aliorum, respondet præfatus Auctor: Magis mihi placet sententia cujusdam Petri Ioannis Provincialis, omninò contrarium definientis, cujus doctrina videtur mihi magis accedere ad veteres Scholasticos, Ecclesiasticos DD. & denique Scripturas. Is dicit: Etiamsi videatur signum, nocumentum, ut ita dicam, inferens; non licere tamen illud amovere, ad eum finem ut à maleficio libereretur maleficiatus. Novo autem maleficio illud amovere, non esse licitum, dubium non est.

Idem Petrus Ioannis Provincialis pulchrè hæc explicat. Quæritur (inquit) an sortilegum maleficium liceat destruere hâc intentione, ne maleficiato ampliùs noceat? Et videtur quòd sic; quia & opus, & intentio talis sunt bona.

74. *Probatur, ex eod.* Contrà (inquit) quicumque in sua actione observat artem, & intentionem diaboli, & maleficij ab ipso instituti, est eo ipso maleficus, & serviens diabolo, sed hoc fit in casu proposito; quia talis non destruit maleficium, nisi quia credit & timet, quòd quamdiu sic stat, habeat efficaciam nocendi, seu quòd diabolus, illo stante, noceat; & quia cum hoc credit, quòd ex destructione diabolus nocere cessabit; quia maleficium sub tali forma instituit, quòd quando destrueretur, ipse à nocendo cessaret; ergò destruere illud, ut ipse diabolus cesset voluntariè, & quasi ex sua propria institutione, quia obligatur cessare, quando destruetur, est pars formæ institutionis maleficij: & hâc intentione facere est sequi legem, & intentionem diaboli. Et sic absque præjudicio melioris sententiæ mihi videtur, quamvis quidam (Scotus) aliter scripserit.

Si tamen absque omni tali intentione, ex solo odio totius artis & intentionis diabolicæ, dico tam constructivè, quàm destructivè, & tam nocitivè, quàm cessativè, aliquis maleficium destruat, tum benè facit. Hactenùs ille Provincialis.

Approbatur ab Hesselio. Atque hæc sententia videtur mihi verissima; quia talis dat diabolo quodammodò potestatem vivificandi & mortificandi: alioquin casu hujusmodi signa destruere, ut ipse benè dicit, nihil est. Usque adhuc Hesselius.

75. *Assertio Auctoris.* Ego autem dico: casu hujusmodi signa destruere multùm est, intelligendo, quòd per talem destructionem tollitur maleficium, æquè ac per destructionem ex intentione. Sed & neutra destructio dat diabolo potestatem mortificandi seu nocendi; nam Deus non permittit ipsum nocere (sine qua permissione nihil potest) nisi dependenter à mala voluntate malefici, sive à signo posito. Hoc cognoscimus experientiâ, quàmvis nusquam in Scriptura à Deo præscriptum sit.

Quando ergò quis tollit signum maleficum, quod diabolus per suos ministros posuit, non facit hoc, quia diabolus pactus est, quòd, quando hoc signum tolleretur, non sit ampliùs nocituras; sed ut diabolum faciat impotentem, non physicè, sed moraliter; quia constat experientiâ, Deum non permittere, ut ampliùs noceat.

76. *Hic nihil expectatur ex pacto diaboli.* Unde hìc nihil expectatur ex benignitate & pacto diaboli, quod solùm fuit de nocumento inferendo, signo posito; sed potiùs ex benignitate & bonitate Divina, quæ noluit dare potestatem diabolo nocendi, nisi dependenter à signo, per maleficium posito.

Arg. Hesselij non subsistit. Patet ergò non subsistere, quod sup. cap. 208. asserit Hesselius: Hoc (putà, destruere signum) est virtute dicere diabolo: *Tu promisisti per tuos ministros, sagas, divinos, &c. quod ablato hoc signo non amplius sis nocitus; ergò tolle jam nocumentum.* Hoc certè est colere dæmonem, ideoque benè dicit Petrus Ioannes Provincialis, quòd hoc sit Dei honorem diabolo offerre.

Sic etiam dicit S. Thomas in genere hâc de re loquens 2. 2. q. 96. a. 1. & 2. Tradit ibi fundamenta hujus superstitionis: *In hujusmodi*, inquit, *homo non utitur re illâ, ut re, sed ut signo.* Et Albertus in 2. dist. 7. *Est Dei contumelia, & à fide apostasia &c. expectare aliquid à dæmone.* Ita Hesselius.

77. *Quid doceat S. Tho.* Sed hæc non sunt genuina verba horum DD. Quæ ergò? S. Tom. q. citatâ a. 1. in corp. sic ait: *Ars notoria est & illicita & ineffuax. Illicita quidem est; quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundùm se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum*

borum, & alijs hujusmodi. Et ideò hujusmodi ars non utitur his, ut causis, sed ut signis; non autem ut signis divinitùs institutis, sicut sunt sacramentalia signa. Vnde relinquitur, quòd sint supervacua signa, & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata.

Et a. 2. in corp. *Vnde* (inquit) *si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est, quòd nec adhibentur ad hos effectus causandos tamquam causæ, sed solum quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita.*

78. *Expenditur ejus doctrina.* Planè pertinent. Sed quid tum? Nonne, qui destruit rem, quâ utitur maleficus tamquam signo, utitur illâ re tamquam signo? Ex dictis patet, quòd non; sed destruit illam rem, v. g. ova posita, tamquam signum nocumenti, quatenùs tales res sunt, ad quarum destructionem cessat nocumentum, non ex pacto inito cum diabolo, quod solùm respicit nocumentum, ut suppono; sed ex voluntate Dei, quæ non permittit diabolum diutiùs nocere.

Loquitur de ipsis maleficis. Loquitur ergò Doctor Angelicus de ipsis maleficis, qui ex pacto cum diabolo, ponunt hujusmodi res, quæ ex se non habent virtutem causandi, ut diabolus causet talem vel talem positivum effectum, tamquam particulare aliquod beneficium. Porrò in casu nostro, non expectatur à dæmone effectus aliquis positivus, sed ad summum privativus; non quasi ille beneficium aliquod conferat desistendo, sed quia remoto signo, quo ad vexandum ex pacto ligabatur, speretur fore ut desistat. Ita Sanchez sup. n. 6.

79. *Non intervenit hic aliqua invocatio dæmonis, ex Sanchez.* Unde (inquit idem) non intervenit hic aliqua dæmonis invocatio, nec petitur, ut stet promissis, imò dissolvitur pactum; nec speratur salus à positiva dæmonis actione, sed à privatione actionis. Et quàmvis ea ablatio signi non habeat ex natura sua, mederi maleficio; sed supposito pacto cum dæmone; si enim nullum esset pactum, nec noceret, nec sanaret: at sanat, supposito pacto, non quasi dæmon cooperetur, vel quasi pactum cum ipso initum confirmetur; sed per ipsius dissolutionem. Igitur S. Thomas non favet sententiæ Hesselij.

An Albertus magnus faveat Hesselio. Sed neque Albertus magnus, qui dist. cit. a. 12. ita scribit: *Dicendum, quòd in talibus est apostasia verbi, oris, vel operis. Si enim per invocationes, conjurationes, sacrificia, suffumigationes, & adorationes fiunt, tunc apertè pactum initur cum dæmone, & tunc est apostasia oris ibi. Si autem non fit nisi opere simplici, tunc est apostasia operis: quia illud opus expectatur à dæmone, & expectare aliquid à dæmone, vel velle aliquid percipere per ipsum, semper est fidei contumelia, & ideò apostasia.* Hæc ille.

80. *Loquitur de illis, qui ponunt signa.* Qui similiter loquitur, non de ijs, qui destruunt signa, & expectant aliquem effectum privativum; sed de his, qui ponunt signa, expectantes effectum aliquem positivum à dæmone, tamquam particulare beneficium, quod indubiè fidei contumelia est, & ideò apostasia.

Adducit Adducit præterea Hesselius pro sua sententia auctoritatem D. Aug. dicens: Iam videamus quid generaliter de hac re dicat Aug. lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 23. *Illud Apostoli* (inquit) Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum, *de omnibus imaginarijs signis sentiendum est, ad remediorum, aliarumq; observationum curam pertinentibus, quæ non sunt divinitùs ad dilectionem Dei & proximi tamquam publicè constituta, sed per privatas appetitiones rerum temporalium, corda dissipant miserorum.* *Hessel. pro se D. Aug.*

Et lib. 21. de civit. Dei, cap. 6. dicit: *dæmones etiam ritibus coli*; amotio autem signi est ad minimùm ritus. Et lib. 83. qq. q. 79. dicit, *dæmonem aliquando fugari a dæmone vel a mago; sed cum id facere, ut magis noceat.* Et ista sunt miracula magorum & dæmonum, dumque cedit & cessat homini nocere ad amotionem signi, hoc facit, ut majus malum inferat. Hactenus Hesselius.

Hæc sunt propria verba 1. loc. cit. *Omnes artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitùs sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano; non quòd idolum sit aliquid, ut ait Apostolus 1. Corint. 10. sed quia quæ immolant, dæmonijs immolant, & non Deo: Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Quod autem de idolis & de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginarijs signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam, ejusq; partes tamquam Deum colendas trahunt: vel ad remediorum, aliarumq; observationum curam pertinent, quæ non sunt divinitùs ad dilectionem Dei & proximi, tamquam publicè constituta, sed per privatas appetitiones rerum temporalium, corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis, societas dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo, nisi reditum nostrum claudere atque observare conantur.* Ita Divus Augustin. 81. *Referuntur propria verba D. Aug.*

Cujus doctrina nobis summoperè placet: sed negamus ex ea confectaneum esse, quòd destructio signorum, intentione recuperandi sanitatem, corda dissipet miserorum, sicuti positio signorum intentione nocendi. Ratio disparitatis: quia in destructione non est societas dæmonum, sed dissipatio potiùs societatis inter magum & dæmonem; secùs in positione, quæ fit vi pacti, priùs initi cum dæmone. Unde perindè est sive magus destruat signum, sive alius quiscumque, & seu casu fiat, seu ex intentione; cùm tamen positio nullum habeat effectum, nisi fiat ab ipso mago intentione nocendi vel consequendi talem effectum seu beneficium à dæmone. 82. *Placet Auctoris ejus doctrina.* *Disparitas inter positionem signi, & destructionem.*

Ita notat Wiggers de Iust. & Iure tract. 8. cap. 6. dub. 21. n. 137. & seq. ubi lego sequentia verba: Cæterùm hac in re probatur mihi maximè doctrina, quam indicat à Victoria Relect. de Magia non longè à finè; scilicet quòd quemadmodùm dæmon divinâ virtute ordinariè cohibetur, ut pro sua voluntate & libidine non possit hominibus sive in corpore sive in 83. *Multa permittuntur dæmoni in hominem. Wiggers. Victoria.*

in bonis fortunæ nocere, prout ſatis conſtat ex hiſtoria S. Iob; attamen multa ei in homines permittantur; & quidem quaſi ordinariâ lege, quando hominum malitia, qui ſe illi devoverunt, cooperatur; quòd ſic quoque, ceſſante hâc cooperatione, rursùs à Deo prohibeatur aut coarceatur, ut ulteriùs mala & nocumenta inferre non poſſit.

84. *Dæmon ordinariè plura poteſt per maleficos, quàm per ſe.*

Hinc quamvis naturales dæmonis vires ſpectando, poſſit multò plura & majora mala hominibus inferre, quàm per magos aut ſagas inferre ſoleat; nihilominùs tamen, ſi attendatur divina promiſſio, à qua totaliter eſt dependens, dicendum erit, quòd ordinariè plura poſſit per maleficos, quàm per ſe ſolum; ut communiter quoque DD. tradunt. Mirum eſt (inquit à Victoria loco citato) & myſterium, quod cùm dæmones per ſe nocere non permittantur, tamen non à Deo impediuntur nocere per homines, ut per magos, larvas &c.

Quod tamen non ita mirum videri debet, ſi res benè perpendatur: nam grave nimis foret humanæ conditioni, quòd dæmon naturaliter potentiſſimus, & ex odio contrà humanum genus, avidiſſimus ad nocendum, ſineretur pro libidine ſua infeſtare & divexare hominem: æquior autem eſt pugna, & non ita impar certamen, ſi permittatur ſolùm nocere, inquantùm inducere poteſt hominem ut homini noceat, ſeu nocumento diaboli, quantùm in ſe eſt, cooperetur.

85. *Ex hoc ſolvitur arg. Adverſarium.*

Huic autem fundamento inſiſtendo, reſpondere licebit ad probationem Antecedentis (putà, effectus in caſu noſtro non expectatur ab aliqua cauſa naturali, neque ab humana voluntate, neque per miraculum à Deo) quòd, qui maleficij ſigna tollit, aut deſtruit, expectet effectum & ceſſationem mali ab ipſo Deo; non per miraculum propriè, ſed quaſi per ordinarium ejus agendi modum, qui ordinariè non permittit dæmonem inferre ejuſmodi nocumenta hominibus, niſi malitia humana ſuo modo concurrente & cooperante.

Quod adeò verum eſſe videtur, ut aliquando ex viro docto, qui ſæpiùs examini ſagarum interfuit, audierim, quòd una confeſſa fuerit, non ſufficere ad nocendum, quòd hominem tangant, aut ſigna ponant, niſi id faciant animo & intentione nocendi: quodque aliquando juſſu dæmonis tetigiſſet unum, quem ille volebat inficiſci, ſed quia ex quadam commiſeratione non haberet voluntatem inficiendi, quòd non fuerit ſecutum maleficium, aut nocumentum, quare & pœnas à dæmone luebat. Hucuſque præfatus Auctor.

86. *Deus ordinariè ſublatis ſignis non permittit ulterius nocumentum.*

A quo ſi quæras, quare dixerit: *Ordinariè Deum non permittere ſublatis ſignis ulterius nocumentum*? Reſpondet: quia ſuam promiſſionem non abſolutè adſtrinxit ſignis; ſed ſicuti aliquando dæmonis poteſtatem coërcet etiam poſitis ſignis, quando hoc ita illi placuerit; ſic & aliquando nocere forſitan permittit, ſi ita illi placuerit etiam ſignis ſublatis; quia tamen ordinariè Deus non permittit, hinc dum ſigna removemus aut deſtruimus, meritò poſſumus effectum ceſſationis malorum à Deo expectare.

87. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis; ſi res iſta ſic ſe habet; ergò non ſunt ſigna diaboli, ſed Dei. Ita argumentatur Sylvius 2.2. q.96. a.4. Concluſ. 3. §. 3. in fine.

Solvitur.

Reſpondetur: negando conſequentiam; quippè à Deo non ſunt illa inſtituta ad nocendum; ſed à diabolo; neque Deus nocet ad poſitionem talis ſigni, ſed diabolus; ex permiſſione tamen Dei, ſinè qua nihil poteſt dæmon. Num propterea adſcribendum Deo vel nocumentum, vel ſignum nocumenti? Abſit. Signum ex inſtituto, quale hìc eſt, inſtitutori conſtat eſſe adſcribendum.

Igitur ut pergamus ad alia loca D. Aug. dico iterùm; in hac ſublatione ſignorum, nullam eſſe ſocietatem cum dæmone, nec implicitam, nec explicitam; adeoque de ea non loqui D. Aug. d. loco.

88. *Expenditur alius locus D. Aug.*

Secundus locus erat ex lib. 21. de Civit. cap. 6. ubi invenio ſequentia verba: *Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit delectabilibus pro ſua diverſitate diverſis, non ut animalia cibis, ſed ut ſpiritus ſignis, quæ cujuſque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Vt autem illiciantur ab hominibus, priùs eos ipſi aſtutiſſimâ calliditate ſeducunt, vel inſpirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitijs apparendo, eorumq; paucos diſcipulos ſuos faciunt, plurimorumq; doctores. Neque enim potuit, niſi primùm ipſis docentibus, diſci, quid quiſque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur, undè magicæ artes, earumq; artifices extiteruut.* Ita S. Doctor.

Quæro autem ego; deſtructio ſigni non potuit diſci, niſi ipſis docentibus? Ipſa ratio naturalis dictat, deſtructo ſigno deſtrui pactum, quod illi ſigno alligatum eſt; & per conſequens ceſſare nocumentum, quod vi illius pacti infertur, inquantùm ex vi illius illatum fuit. Non igitur loquitur hìc D. Aug. de illa deſtructione, niſi fieret ex ſpeciali pacto cum dæmone, quo abſolutè obligaretur ceſſare ſigno deſtructo.

89. *Evaſio præcludituꝛ.*

Si dixeris: magi & ſagæ faciunt hujuſmodi pactum. Reſpondeo non ſatis conſtat, hoc ſemper facere. Atque ut factum eſſet, quamvis tunc (ut notat Wiggers ſup. n. 140.) non poſſet cum hac intentione, quaſi vellet uti pacto iſto, & in vim illius conſtringere aut permovere dæmonem ad ceſſandum: hoc enim eſſet uti ejus ope & commercio, per modum quaſi familiaris, & humanæ converſationis, quod omninò illicitum eſt: nihilominùs tamen ſimpliciter loquendo poſſet tollere aut deſtruere ſigna, non reſpiciendo, ſed deſpiciendo pactum dæmonis, quo non poteſt illi præjudicare, quò minùs licitè faciat, quod aliàs ſibi licitum eſt. Ita docet Suarez lib. 2. de Superſtitione cap. 17. n. 15. & 17. ita tamen ut ceſſationem

Wiggers.

Suarez.

mali non expectet ex gratia aut voluntate dæmonis, ratione illius pacti; sed simpliciter ex destructione operis illius, sive ab ipso Deo, qui destructo opere humanæ malitiæ, non soleat ulteriùs permittere, quòd dæmon noceat.

90. *Confirmatur.* Confirmatur; quia & ipse maleficus, si fieret pœnitens, posset imò & teneretur signa tollere aut destruere; sed non eo fine, ut dæmon ex pacto suo cessaret; sed ut à dæmonis societate & ope recedat, ipsque se renuntiare declaret; & simul, ut nocumentum desinat, sive ideò, quia signis sublatis, & societate ac pacto cum ipso rescissis, dæmon soleat à nocendo supersedere, sive potiùs, quia ulteriùs nocere non permittitur. Ita hic Auctor.

Amotio signi non est ritus. Itaque non negamus, dæmones etiam ritibus coli: sed dicimus, amotionem signi non esse hujusmodi ritum; utpotè, quæ non ad dæmonem honorandum exhibetur, sed in ejus despectionem. Atque hæc de secundo loco D. Aug.

91. *Triumphus S. Aug.* Venio ad tertium desumptum ex lib. 83. qq. q. 79. ubi sic ait S. Doctor: *In magicis impetrationibus ad illecebram deceptionis, ut sibi subjugent eos, quibus talia concedunt, præstant effectum precibus & ministerijs eorum, privato illo jure largientes, quod sibi licet largiri honorantibus se, sibiq; servientibus, & quædam secum in Sacramentis suis pacta servantibus.*

Et infrà: *Quod autem Dominus dicit:* Non potest satanas satanam expellere; *ne fortè quispiam utens nominibus aliquarum infirmarum potestatum, cùm dæmonium excluserit, falsam putet esse illam Domini sententiam: ad hoc intelligat dictum, quia hoc modo satanas, etiamsi corpori aut corporis sensibus parcit, ideo parcit, ut ipsius hominis voluntati per impietatis errorem triumpho majore dominetur.*

92. *Non valet Hesselio.* Sed nunquid, quæro ego, error impietatis est, credere, quòd Deus ad amotionem signi ordinariè non permittat dæmonem homini nocere? Ipsa quotidiana experientia hoc testatur. Error autem impietatis est credere, tale vel tale signum habere vim expellendi dæmonem; cùm hæc vis non oriatur nisi ex voluntate dæmonis, & pacto inito cum eo, qui hujusmodi signa ponit. De hoc igitur loquitur D. Aug. non de eo, qui in despectum diaboli, absque pacto explicito vel implicito destruit signum.

Ratio Hesselij pro sua sententia. Ex dictis patet responsio ad rationem, quam Hesselius sup. affert pro sua sententia, dicens: Si esset licitum amovere signum; ergò poterimus rogare diabolum, ut monstret nobis signum, vel maleficum, ut non ponat, & proinde licitum erit consulere magos, & similis farinæ homines, ut indicent nobis, quis abstulerit res nostras & similia: atqui hoc est contrà legem Dei Levit. 20. v. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contrà eam, & interficiam illam de medio populi sui.*

93. *Rejicitur.* Ad hæc, inquam, facilis & obvia est responsio; in primis, rogare diabolum, ut monstret nobis signum, intrinsecè malum esse, ita ut nullo fine possit licitè fieri. Fatentur autem Omnes, etiam Hesselius, licitum esse amovere signa in detestationem diaboli. Sic enim scribit hic Auctor in fine d. cap. 208. Dicendum, sanctum quidem esse, destruere opera satanæ, si non struatur hoc ipso novum aliquod eidem opus. At verò ille, qui tollit signum, ut à maleficio liberetur maleficiatus, init cum satana novam societatem. Malum ergò opus ex ordinatione diaboli destruere, pessimum est, licèt per se bonum sit destruere illa signa, non aliâ intentione, quàm in detestationem diaboli, & operum ejus, & ex odio intentionis ejus. Hæc ille.

Aft interrogo ego unum verbum: ubi & quando diabolus ordinavit destructionem operis magici? Atque ut ordinasset non destructionem, sed cessationem nocumenti, concomitanter ad destructionem; jam antè dictum est, in vim talis ordinationis seu pacti nihil posse fieri.

94. *Argumur contrà Hesselium.* Et verò, qui destruit causâ liberationis à malo, nonne hoc facit ex odio intentionis diaboli & operum ejus? Nam intentio & opus ejus est nocere. Profectò tam facile est destruere in detestationem diaboli, quàm ex intentione consequendi sanitatem. Consulo ergò omnibus, qui destruere volunt, ut id faciant in detestationem diaboli, & jam secundùm omnes DD. liberi erunt à peccato, atque eumdem effectum consequentur.

Non valet arg. à destructione signi ad rogationem diaboli. Porro rogare diabolum, ut monstret nobis signum, nullâ intentione potest reddi licitum; cùm sit signum aliquod fœderis & amicitiæ, expressa utique cum ipso communicatio, causâ accipiendi beneficium, non à Deo, sicut in casu nostro, sed ab ipso diabolo. Igitur non valet argumentum à destructione signi ad rogationem diaboli.

95. *An valeat ad rogationem maleficij.* Numquid valet à destructione ad rogationem malefici, ut non ponat signum? Indubiè hæc rogatio potest esse licita, imò quandoque præcepta, quando scilicet eo medio potest impediri peccatum maleficij, quod committit maleficus ponendo signa. Sicut ergò licet destruere in detestationem diaboli; ita etiam rogare in detestationem peccati, sive ad impediendum peccatum.

Arg. quòd illa rogatio sit illicita, ex Hesselio. Sed quid si roget, quia timet infici à maleficio? Qui vadit rogatum maleficum (inquit Hesselius sup.) ut maleficus est, non ut est homo; quia timet eum, inquantùm est potens per diabolum, honorat maleficum ut talis est; & per consequens etiam honorat diabolum. Sic nos honoramus Virginem Mariam, inquantùm potens est per filium, ut proinde per eam honoremus etiam Christum ejus filium. Hæc ille.

96. *Non valet.* Interrogo ego: qui tollit signa magica invito maleficio, & ejus magistro diabolo, ne amplius, Deo sic volente, noceant, honorat maleficum ut talis est? Imò detestatur maleficum, quà talis est, id est, inquantùm nocet per diabolum; & per consequens etiam detestatur diabolum.

Hinc

Obiicitur auctoritas D. Cypr.

Hinc nihil contrà nos, quod Hesselius sup. adducit ex Cypriano in Orat. Dominicam, ad illud: *Ne inferas nos in tentationem: Qua in parte ostenditur*, inquit, *nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit: ut omnis timor noster & devotio, atque observatio in Deum convertatur, cùm in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur &c. Datur autem potestas adversùs nos malo secundùm nostra peccata.*

Ex his patet (inquit Hesselius) quòd rogare, & timere maleficos, signa sunt infidelitatis: omnis enim timor debetur Deo. Nec lex quidem naturæ permittit, ut cum illo inchoatam societatem ineamus, cum quo amicitiam habere non possumus. Hæc ille.

97. Expenditur ab Auctore.

Inquiro ego: qui videret hominem venientem cum armis, ut se inermem occidat, nonne timendo & fugiendo, iniret cum eo inchoatam societatem? Quid si arma sumeret, animo propulsandi injuriam, timore mortis inferendæ, nisi se defendat? Quid si aliquis iniisset pactum cum hoste, quòd dato signo domum vel urbem incenderet, qui tale pactum sciret, putans, quòd absque ullius cum hoste societatis vel pacti notâ nequeat signum illud amovere, eò quòd timeat aliàs malum ab hoste inferendum?

Credo, quòd si Hesselius vidisset venientem diabolum aut ejus discipulum, seu magum aut sagam, ad eum inficiendum; credo, inquam, quòd absque ulla nota infidelitatis sive societatis cum diabolo, timore infectionis fugam arripuisset, aut alio modo se defendisset. Cur enim minùs liceat timere diabolum, aut ministrum ejus, quàm quemlibet malum hominem, insidiantem vitæ meæ, aut sanitati corporis? Nunquid hic aliquid potest, nisi Deus ante permiserit? Num quia timeo ipsum, ideò habeo cum eo inchoatam societatem?

98. Ostenditur non concludere.

Scimus Deum permittere, ut diabolus noceat per malos homines, & experientiâ didicimus, non permittere ordinariè, dum cessat malitia hominum: cur non possum timere permissionem divinam, & rogare Deum ne permittat; aut destruere signum, quo destructo, scio, quod Deus non soleat nocumentum permittere? Hoc enim potiùs est timere Deum, qui potest permittere nocumentum, & non permittere, quàm diabolum aut maleficum, quâ maleficus est.

Et sanè dum rogo maleficum, ut non ponat signa, non rogo eum ut maleficus est; quia per se potens est non ponere, & solùm rogo, quod naturaliter absque opera diaboli potest facere, imò tenetur facere.

99. Solvitur arg. Hess. desumptum ex Levit. 20.

Si inferas: ergò licitum erit consulere, magum, ut indicet nobis, quis abstulerit res nostras. Negatur Consequentia: quippè id indicare non potest, nisi operâ dæmonis, sive ut magus est, adeoque peto maleficium, quod intrinsecè malum est, & contrà legem Dei Levit. cap. 20. Igitur argumentum, quod sup. petit Hesselius ex hoc loco Scripturæ, nullius est momenti.

Refertur quædam historia ex vita S. Hilarionis.

Nec quempiam movere debet historia, quam S. Hieronymus narrat in vita S. Hilarionis, de quodam adolescente, qui amabat vehementer quamdam virginem, cujus copiam sibi fieri multùm desiderabat. Audivit magum, à quo consilium accepit, ut aliquid sub limine domûs, quam inhabitabat puella, poneret, quo facto, puella, insano hujus adolescentis amore correpta ducitur ad S. Hilarionem.

D. Hier.

Addit Hieronymus: *Noluit Sanctus* (putà, Hilarion) *antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa jubere perquirere: ne aut solitis incantationibus dæmon recessisse videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem: assereus fallaces esse dæmones, & ad simulandum callidos, & magis redditâ sanitate increpuit virginem, cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset.*

100. An faveat Hesselio.

Ibi (inquit Hesselius) tollere signum est solitis incantationibus uti: per quod indicat Hieronymus, dæmonem tunc discedere virtute incantationis, & ex pacto, quando discedit ad ablationem signi. Hæc ille.

Ostenditur quòd non.

Respondetur communiter: D. Hilarion noluit dæmonem expellere per sublationem signorum ad ipsius dæmonis petitionem (dicebat quippè: *Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor, non exeo nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit*, ablatis scilicet maleficij signis) non quòd id per se illicitum foret, aut quia hoc esset incantationibus dæmonem pellere: sed ex alijs causis; tum scilicet, ut divina virtus, quam peculiariter contrà dæmones habebat sibi assistentem, clariùs eluceret, & Deus à præsentibus & adstantibus, nam publicè res peragebatur, magìs laudaretur: tum quoque, ne scandalum forsitan apud eos oriretur, ut patet ex illis verbis: *Ne aut solitis incantationibus recessisse videretur* &c.

101. Quare noluerit S. Hilarion, ut signa tollerentur.

Non dicit, quòd recessisset, sed: *Recessisse videretur*, scilicet adstantibus: qui potuissent utique offendi, quòd vir tantæ existimationis videretur nimiùm credulus sermonibus dæmonis & patris mendaciorum; aut in eam induci opinionem, quòd per incantationes dæmon recessisset, si adolescentem, ad petitionem dæmonis, curasset signa, quæ sub limine collocaverat, auferre, & non dæmon in Dei nomine & virtute, per virum sanctum fuisset ejectus invitùs.

Wiggers.

Voluit itaque pro majori Dei gloria & præsentium ædificatione S. Hilarion altiori modo liberare virginem: unde non sequitur, alium modum esse per se illicitum. Ita Wiggers sup. n. 133.

102. Duplex modus tollendi maleficium, ex Scoto.

Et ideò Scotus sup. pro quo defendendo hæc latiùs deduximus, utrumque modum expressit dicens: *Quod igitur est remedium contra istud impedimentum per dæmonem? Respondeo: si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, benè fit.* Ecce primus & altior modus. Sequitur imperfectior & inferior. *Si tamen Deus illas non exaudiat, tunc si sciretur maleficium & destrueretur, dæmon non fatigaret illum amplius* &c.

Si neutro modo possit tolli impotentia, erit perpetua.

Quid ergò (interrogat quispiam) si Deus illas non exaudiat, nec sciatur maleficium? Responsio in promptu est: impotentia erit perpetua, non obstante, quòd per miraculum à Deo possit

possit tolli, vel ope dæmonis, ut patet ex antedictis. Secùs si posset tolli per Ecclesiæ exorcismos, ut constat ex cap. fin. 33. q. 1. sup. relato. Quippè, ut dictum fuit, maleficium per exorcismos tolli, non censetur miraculum. Ita fatentur Omnes.

103. *Quædam differentia inter frigiditatem & maleficium, ex Pet. de Ledes.*

Non tamen capio differentiam (inquit Sanchez lib. 7. disp. 94. n. 10.) quam constituit Pet. de Ledesma de Matr. q. 58. a. 2. paulò post principium, inter frigiditatem & maleficium, quòd illa, si tollatur per miraculum, non efficiat valere Matrimonium priùs initum: at si maleficium tollatur orationibus, jejunijs, exorcismis, valebit Matrimonium contractum antequam illud auferretur, quòd ablatum sit per remedia naturalia contrà dæmonis incursus.

Impugnatur à Sanchio.

Sed non intelligo hoc discrimen: nam idem dicam de quocumque impedimento, quod naturaliter amoveri potest: si enim orationibus & jejunijs sanitas impetretur à Deo, non modo miraculosè, sed naturali, validum erit Matrimonium, initum antequam id impedimentum cessaret: & si his obtineretur à Deo cessatio miraculosa maleficij, quod solo miraculo auferri poterat, non erit validum Matrimonium anteà contractum. Quia oratio, jejunium & alia hujusmodi opera, non tantùm ad tollendum maleficium instituta sunt: sed etiam ad impetrandam cujuscumque morbi sanitatem: nec consecutio illius, his medijs appositis, censetur miraculosa. Hucusque Sanchez.

104. *Quomodo illud discrimen intelligendum.*

Dico ego: discrimen illud sic intelligendum esse, ut frigiditas, tamquam impedimentum naturale, non soleat curari per orationes, jejunia & similia opera naturaliter, utì nec carentia testiculorum, sed solum miraculosè, modo scilicet omninò extraordinario & insueto Divinâ virtute; quàmvis per orationes, jejunia, & similia opera, Deus moveri possit, ad hujusmodi miraculum perpetrandum. At verò maleficium modo ordinario & consueto absque miraculo per exorcismos, ab Ecclesia ad id institutos, tollitur. Et ideò unum impedimentum est perpetuum, & aliud non.

105. *An maleficium sit perpetuum, quod à solo suo auctore auferri potest modo licito. Affirmat Abbas.*

Si autem quæritur; an maleficium sit perpetuum, quod à solo ejus auctore modo licito auferri potest. Abbas cap. *Fraternitatis*, de Frig. n. 15. affirmat, dicens: Tertiò solvit Glossa & benè, quòd ex quo vir & uxor cohabitaverunt per triennium, nec potuerunt Matrimonium consummare, præsumitur impedimentum perpetuum: nam ut dicit Gof. sæpè ista impedimenta sunt perpetua.

Unde quando mortuus est ille, qui fecit, vel maleficium est perditum, vel si fuit datum in potu vel cibo. Item cùm ipse auctor solus possit tollere, non videtur possibilis revocatio sive remotio, cùm dependeat ex facto unius, ut l. *Apud Iulianum*, ff. de Legatis 1. *Sed & ea prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonij redacta, sub procuratore patrimonij sunt, si legentur, nec æstimatio eorum debet præstari, quoniam commercium eorum, nisi jussu Principis non sit, cùm distrahi non soleant.*

l. 39. ff. Legat. 1.

Ex qua lege colligunt Abbas, & alij Iurisconsulti cum ipso, id quod pendet ex voluntate unius, habendum fore pro impossibili. Cùm ergò in casu proposito dissolutio maleficij, & per consequens potentia coëundi, pendeat à sola voluntate malefici, hæc potentia habenda erit pro impossibili, adeoque impotentia perpetua.

At nullatenùs (inquit Sanchez sup. n. 11.) hanc doctrinam approbo; sed censeo esse tunc maleficium temporale, nec per illud dirimi Matrimonium. Ducor: quia jam verificatur, posse absque divino miraculo, per opus humanum licitum id impedimentum auferri: in quo eventu reputatur impedimentum temporale, nec dirimit Matrimonium. Deinde: quia lib. 5. disp. 5. n. 12. latè probavi, pendens à voluntate Principis, largè & impropriè dici impossibile, & potiùs appellari difficile: nedum pendens à cujusdam privati voluntate. Hæc ille. 106. *Negat Sanchez, & probat.*

Oppositum sentire videtur Aversa q. 13. sect. 2. §. *Alio tandem modo*, dicens: Verùm si opifex maleficij ignotus sit, atque adeò non possint maleficiati procurare, ut illud tollat, quàmvis ipse tollere posset, erit censendum impedimentum inamovibile & perpetuum ipsis maleficiatis, ac proindè dirimens Matrimonium. 107. *Abbatis videtur consentire Aversa.*

Rursùs, si notus sit opifex maleficij, qui tamen quantumvis rogatus, aut apud judicem terroribus, ac tormentis vexatus, nolit illud destruere, videtur quoque censendum perpetuum, ac dirimere Matrimonium: quia per humanam diligentiam ab ipsis maleficiatis superari non potest.

Ex quo demum potest inferri; quòd etiamsi ipse magus consentiat destruere, ac re ipsâ destruat signum maleficij, & ita impedimentum auferat; tamen non convalescat Matrimonium, nisi repetito consensu ratificetur à contrahentibus. Sicut & quando impotentia aufertur per miraculum. Quia ad validitatem prioris contractûs nihil facit, quid posteà sequatur; sed attendi debet qualitas impedimenti, quod tunc erat. Quod quidem impedimentum maleficij idem tunc erat, sive magus posteà illud velit, sive nolit auferre. Et sic ab initio non censetur amovibile ab ipsis maleficiatis, quod per solam voluntatem ejusdem malefici poterat auferri. 108. *Quid si ipse magus destruat signum? Non convalescit Matr. juxtà Aversam.*

Et in hoc sensu verificatur, quod illi Auctores dicebant, tamquam impossibile haberi illud factum, quod ex sola cujusdam alterius voluntate pendet: impossibile scilicet respectu aliorum, qui sanè non possunt alterius voluntatem adstringere. Hucusque Aversa

Ego autem dico vobis; illam impossibilitatem nullatenùs efficere impotentiam perpetuam, nisi velitis admittere, omnes esse perpetuò impotentes, & per consequens invalidè contrahere Matrimonium, qui sinè miraculo per artem humanam, seu ope medicorum possunt fieri potentes, si medicus quantumcumque rogatus, aut per judicem terroribus ac tormentis vexatus, nolit medicinam, sibi soli cognitam, applicare; quia per humanam diligentiam ab ipsis 109. *Iudicium Auctoris.*

ipſis contrahentibus non poteſt illa impotentia ſuparari.

Ex quo demùm poſſet inferri: quòd etiamſi ipſe medicus conſentiat medicinam applicare, ac re ipsâ applicet, & ita impotentiam auferat, tamen non convaleſcat Matrimonium, niſi repetito conſenſu ratificetur à contrahentibus.

110. *Sufficit ad impotentiam temporalem, quòd poſſit auferri. ex c. 6. de Frig.* Hoc autem nemo hactenùs docuit, nec verò docere poteſt; quia manifeſtè repugnat Iuri Canonico, Cap. *Fraternitatis, 6.* de Frigid. & malef. ibi: *Nos tamen perſpicaciter attendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo potuit removeri.* Ita Innoc. III. non ait: Remotum fuerit, ſed: *Potuit removeri.*

Et cap. 3. eod. Et Alex. III. cap. 3. eod. inquit: *Reſpondemus igitur, quòd ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem*: Ergò ſi poterat adjuvari, non poterat viro tribui libera facultas aliam accipiendi; quippè Matrimonium ab initio fuiſſet validum. Quia, ut ſup. benè dixit Averſa, ad validitatem prioris contractûs, nihil facit quid poſteà ſequatur; ſed attendi debet qualitas impedimenti, quod tunc erat. Quando autem contrahebatur Matrimonium, per medicum poterat impedimentum auferri, ſive poſteà medicus velit auferre, ſive non.

111. *Explicatur doctrina Averſa.* Niſi ergò hic Auctor per impotentiam ex maleficio, intelligat eam, quæ non poteſt auferri à mago, niſi per aliud maleficium, ut fortè intelligit; quia comparat eam impotentiæ, quæ aufertur per miraculum; doctrina ipſius nequit ſubſiſtere. Nam impotentia ex maleficio, quæ poteſt auferri à mago ſinè novo peccato, debet comparari impotentiæ, quæ poteſt auferri à medico per opus humanum: Hæc autem non eſt perpetua, nec dirimit Matrimonium, tametſi medicus eam nolit auferre.

Certè ſi eſſet impoſſibile, quod pendet ex voluntate cujuſdam privati: hæc conditio, *Si pater conſenſerit*, adjecta Matrimonio foret impoſſibilis, quod nemo hactenùs docuit, & ex ſe apparet abſurdum. Imò non eſſe impoſſibile, quod pendet à ſolius Principis poteſtate, docui cum alijs Diſp. præced. Sect. 8. Concluſ. 6. videantur ibi dicta.

112. *Objectio.* Sed enim, dicet aliquis: ex hac doctrina noſtra videtur conſectaneum, impotentiam, quæ oritur ex ſigno poſito, quo ſublato redit potentia, nunquam eſſe perpetuam; adeoque nunquam dirimere Matrimonium; quia ſemper verum eſt dicere, per opus humanum licitum abſque miraculo poterat auferri illa impotentia.

Solvitur. Reſpondeo Conced. totum; ſi poterat auferri, vel in ipſo contractu, vel poſt. Equidem ſola illa impotentia dirimit, quæ impedit tranſlationem corporis ad uſum conjugalem. Proindè, quòd potuerit auferri antè contractum, nihil operatur, ſi dum transfertur corpus, jam ampliùs nequeat auferri.

113. *Inſtantia.* Reponis: ſemper poſt contractum poteſt auferri, ſaltem ordinariè; nec poteſt facilè ſciri oppoſitum; maximè quando ipſo tempore contractûs ponitur ſignum, ſicut ſæpè fit.

Diluitur. Reſpondeo: indè tantùm ſequitur, quòd ordinariè nequeat ſciri, an impotentia ex maleficio ſit perpetua, an ſolùm temporalis. Et hinc Eccleſia concedit experientiam conjugalem per triennium continuum, à tempore celebrati conjugij, quo elapſo, ſi conjuges non potuerint perficere Matrimonium, præſumitur maleficium perpetuum, quidquid ſit à parte rei, de quo plura infrà proprio loco.

114. *Alia objectio.* Impræſentiarùm tantùm addo unam objectionem. Cùm (inquiunt Adverſarij) in dæmonis poteſtate ſit, efficere impedimentum temporale ex maleficio proveniens, eſſe perpetuum: & econtrà perpetuum eſſe temporale, tollendo obſtaculum; poſſet utique ex Matrimonio, non Matrimonium, & ex non Matrimonio, Matrimonium conſtituere.

Quomodò dæmon poſſit de Matr. non Matr. facere, ex Sanchez. Reſpondet Sanchez ſup. n. 14. fateor, poſſe dæmonem de Matrimonio, non Matrimonium facere, non ad hunc ſenſum, ut Matrimonium ſemel validum, poſſit irritare. Non enim irritatur per quamcumque impotentiam ſupervenientem, ſed poteſt ad hunc ſenſum: quia poteſt perſonas habiles ad Matrimonium reddere ineptas, tollendo maleficijs potentiam coëundi.

Et de non Matr. conſtituere Matr. Et conſequenter negat Sanchez, poſſe dæmonem de non Matrimonio, Matrimonium conſtituere ad hunc ſenſum, ut ſi ſemel non valuerit Matrimonium ratione maleficij perpetui, poſſit dæmon efficere, ut valeat auferendo maleficium. Si enim maleficium reverà erat perpetuum, quòd modo licito auferri nequeat: quàmvis arte dæmonis ſit factum temporale, aut ſublatum, non valebit prius illud Matrimonium. At in hoc ſenſu fateor id: nempè quia poteſt dæmon efficere tollendo maleficium, ut perſona, quæ illo impedita non erat habilis ad Matrimonium ineundum, reddatur habilis illo ſublato. Ita præfatus Auctor. Nec habeo quod addam.

Pergam itaque ad aliam partem Concluſ. ſcilicet: *Abſoluta cum quovis, reſpectiva cum illo, quicum intercedit.* Suppono autem, quòd impotentia tam naturalis, quàm caſualis poſſit eſſe reſpectiva (quidquid aliqui dubitent, ut ſtatim videbimus) dicente Scoto ſup. n. 5. *De iſtis duobus impedimentis ad propoſitum dico, quòd in aliquo ſunt ſimilia, & in aliquo diſſimilia. Similia quia impediunt contrahendum, & dirimunt jam contractum reſpectu illius perſonæ, reſpectu cujus ſunt iſta impedimenta. Quod pro tanto additur; quia non tantùm caſuale, ſed etiam naturale impedimentum, poteſt eſſe reſpectu unius perſonæ, & non reſpectu alterius, maximè de naturali in muliere.* Ecce Concluſ. noſtra, in terminis à Scoto aſſerta.

115. *Impotentia poteſt eſſe reſpectiva ex Scoto.*

Proſequitur verò; oſtendens, in quo hæc impedimenta ſint diſſimilia: *Sed poſt divortium eſt duplex differentia; una, quòd habenti impedimentum caſuale licet contrahere, & ſi poſt contractum carnaliter copuletur ſecundæ, non debet reddi priori: quia maleficiatus reſpectu unius, non propter hoc eſt maleficiatus reſpectu omnium: ſic enim eſt*

116. *In quo differant impotentia naturalis & caſualis, ex eod.*

maleficiatus, sicut ministri diaboli procurant eum per maleficium diaboli: sicut aliqua maga vult istum perpetuò impediri respectu istius, non tamen respectu alterius; puta si nollet, quòd istam duceret, sed se vel aliam.

Alter autem, scilicet habens impedimentum naturale perpetuum, & hoc respectu cujuslibet, debet manere sine spe conjugij, & tutum esset sibi intrare Religionem; quia si post contrahat de facto, & carnaliter copuletur, cogetur redire ad priorem: quia apparet, sententiam divortij processisse ex errore, & ita nullum fuisse coram Deo, & Matrimonium primum verum fuisse: quia impedimentum, quod putabatur perpetuum, non erat. Hactenùs Doct. Subtilis.

117. *Omnes admittunt impotentiam respectivam ex maleficio. Probatur dirimere ex c. fin. 33. q. 1. Sanchez.*

Equidem impotentiam respectivam ex maleficio Omnes dari admittunt, & fatentur eam dirimere Matrimonium respectu solius personæ, ergà quam est. Idemque fateri debent de impotentia naturali, si detur. Constat (inquit Sanchez sup. disp. 93. n. 3.) quia c. fin. 33. q. 1. conceditur impotenti ob maleficium, ut dissoluto priori Matrimonio, ad aliud transeat: atque proindè prius Matrimonium ob impotentiam illam respectivam accidentalem irritum fuit. Si ergò impotentia non naturalis, sed ex accidenti extrinseco maleficij consurgens, dirimit Matrimonium respectu illius personæ solius, ad quam est: à fortiori dirimet impotentia naturalis respectiva, si ea daretur. Hæc ille.

Ego non video fortiorem rationem pro hac, quàm pro illa impotentia. Sed par videtur esse ratio; scilicet, quòd alijs personis possit dare potestatem sui corporis ad actum conjugalem, qui cum ipsis possibilis est, & cum hac sola impossibilis.

118. *Referuntur verba d. cap.*

Quantùm ad jus positivum, jam pro impotentia ex maleficio assignatum est cap. fin. 33. q. 1. ubi sic lego: *Quòd si fortè sanari non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* Quia supponitur, fuisse impotentiam perpetuam respectu unius, & non respectu alterius.

An pro impotentia naturali inveniatur simile jus? Adducit Sanchez c. 6. de Frig.

Nunquid etiam hujusmodi jus poterimus invenire pro impotentia naturali? Producit Sanchez sup. n. 5. cap. *Fraternitatis*, 6. de Frig. ubi (inquit) separato Matrimonio, quòd vir mulierem arctam cognoscere non posset, atque illâ alij nubente, qui ipsam corrupit, non deciditur absolutè prius Matrimonium instaurandum esse, sed quando posterior vir similis est priori; indè conjecturâ sumptâ, sicut potuit posterior, ita potuisse priorem: atque ita non fuisse impotentiam respectivam perpetuam, ibi: *Cùm pateat ex post facto, quòd ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur.*

Supponit ergò textus, non restaurandum esse, si prior vir debilior erat, atque ita posteriori dissimilis, atque adeò esse impotentiam naturalem respectivam perpetuam, quæ dirimat Matrimonium respectu certæ personæ.

119. *Expenditur finis D. textûs.*

Idem constat ex eodem textu in fine, ubi Pontifex ait, ex præmissis in eo textu, decidi quæstionem hanc: *An mulier, quæ viro, cui nupsit, adeò arcta est, ut ab eo defloreri nequeat, & alij nubens reddita, & apta priori, per posterioris concubitum sit reddenda priori?* Ubi Glossa verb. *Debeat*, ait: Pontificem sentire, non reddendam, quando priori viro non poterat reddi apta per artem medicinæ, absque vitæ periculo. Ergò jam conceditur impotentia respectiva perpetua dirimens. Hucusque Sanchez.

Verba Pontificis.

Pono verba Pontificis: *Similiter (Resume,* inquit Glossa hìc, *per hæc noveris, quæstionem illam esse solutam, quâ quæritur utrùm) illa, quæ viro, cui nupserat, adeò arcta est, ut nunquam ab eo valeat defloreri, si ab ea sit per judicium Ecclesiæ separata, & nubat alteri, cui arcta non sit, & per frequentem usum secundi, reddatur etiam apta primo: utrùm ad eum redire debeat, cum quo priùs fœdus inierat conjugale. De talibus autem non est facile judicandum: cùm finale judicium pendeat ex futuro.*

120. *Explicantur per Glossam.*

Ubi Gloss. verb. *Debeat*, inquit: *Quasi dicat: non debet. Intellige tamen secundùm distinctionem præmissam, an sit grave periculum, si reddatur apta vel non. Vin.*

Et verb. *Non est facile*, ait: *Quia nescitur, an sit apta viro primo: Et hoc aliquo jure perpendi non potest, sed potiùs per experientiam facti.*

Item verb. *Ex futuro*, lego sequentia: *Nec intellige, quod Matrimonium retrotrahatur; sed hoc ideò dicit, quia in dubio est, an sit Matrimonium cum primo: nec intelligas, quòd tunc primò incipiat esse Matrimonium cum primo, cùm incipiat esse aptæ sibi, sed tunc primum declaratur fuisse Matrimonium.*

121. *Expenditur Glossa.*

Ubi Gloss. videtur supponere, si reverà facta fuerit sibi apta per frequentem usum secundi, primum Matrimonium fuisse verum, & per consequens debere redire ad primum virum. Sed quia nescitur, an sit apta, & per consequens dubium est, an primum Matrimonium fuerit verum: nec constare potest de aptitudine, nisi per experientiam facti, quæ illicita est post triennium, utpotè exponens eos periculo extraordinariæ pollutionis, ideò dicit Pontifex, non debere eam redire ad priorem virum, scilicet donec certò constet de aptitudine.

Ita videtur, quòd posset intelligi finis d. textûs, nisi obstaret, quòd in casu proposito non possit auferri impotentia nisi per peccatum; nam si primum Matrimonium valeat, eò quòd per secundum virum possit fieri apta; jam copula cum secundo verum adulterium est, adeoque sinè peccato non potest fieri apta, & per consequens est impotentia perpetua respectiva. Sed de hoc puncto infrà iterùm redibit quæstio.

Tantùm hìc subscribo, quod ibidem ait Glossa verb. *Simili*: *Sic 33. q. 1. Requisivisti, & innuitur hoc ex eo, quod in fine hujus cap. dicitur: quòd si prior vir non posset eam cognoscere sinè gravi periculo, quòd non sit reddenda primo viro, licèt ex post facto per consuetudinem secundi viri reddita*

dita ſit apta priori : quod benè poteſt concedi : quia non fuit Matrimonium inter eos, ut dixerunt Vinc. Io. & Tanc. Ubi quod dicit : *Sinè gravi periculo*, intellige, antequam per conſuetudinem ſecundi viri reddita ſit apta priori.

122. *Adverſarij per d. cap. probant ſuam ſententiam. Sed perperàm, ut oſtenditur ex Sanchez.*

Interim ex D. textu : *Fraternitatis*, Adverſarij probant ſuam ſententiam, cauſantes, ſimilitudinem ibi accipi debere de ſola ſimilitudine in natura humana, id eſt, in eo, quòd uterque ſit vir, nec frigiditate, nec maleficio affectus.

Sed faciliùs aliquid dicitur, quàm probetur. Unde Sanchez ſup. n. 12. inquit : Quæ verba (*Cujus ſimili commiſcetur*) non poſſunt accipi de ſola ſimilitudine in humana natura, id enim manifeſtum erat : ſed de ſimilitudine inſtrumenti generationis ac ætatis roboriſque. Hæc namque præſumptionem generant, ut ſicut cognoſci potuit à poſteriori, cognoſci quòque à priori potuerit.

Et confirmatur : quia quàmvis ab uno cognita, præſumatur ab omnibus cognoſcibilis, & arcta uni, omnibus arcta : at hæc præſumptio non eſt juris & de jure, ſed juris tantùm ; ac proindè recipit probationem in contrarium, ob utriuſque viri diſſimilitudinem. Hæc ille, citans plures pro ſe Auctores. Notat tamen n. 13. diſſimilitudinem illam debere eſſe notabilem, ut hæc præſumptio elidatur.

123. *Adducunt etiam cap. Requiſti viſti, 33. q. 1.*

Producunt etiam Adverſarij D. textum : *Requiſtiſti*, ſequentis tenoris. *Requiſtiſti de his, qui ob cauſam frigidæ naturæ, dicunt ſe non poſſe invicem, operam carni dantes, commiſceri. Iſte verò ſi non poteſt eâ uti pro uxore, habeat eam quaſi ſororem. Quòd ſi retinaculum conjugale voluerint reſcindere, maneant utrique innupti. Nam ſi huic non potuit concordare naturaliter, quomodo alteri conveniet ?*

Sed non concludit.

Reſponſio patet ex illis verbis : *Ob cauſam frigidæ naturæ*, id eſt, ob naturalem frigiditatem, ut explicat Gloſſa ibi verb. *Naturaliter*, dicens : *Id eſt, naturali frigiditate impediente. Et eſt arg. quòd frigiditas eſt perpetuum impedimentum ; licèt quidam dicant, quod nullum impedimentum eſt perpetuum. Nullus enim eſt ita frigidus (ut dicunt) quin ope medicorum ei poſſit ſubveniri : quod non credo, cùm frigiditas, quæ eſt naturalis proprietas, per accidentia non immutetur.*

124. *Duplex eſt frigiditas, ex D. Bonav.*

Ad hoc propoſitum Doct. Seraphicus 4. diſt. 34. a. 2. q. 1. n. 22. *Frigiditas* (inquit) *duplex eſt. Quædam accidentaliter, quædam complexionaliter & per naturam. Illa quæ eſt in homine accidentaliter, poteſt ut plurimùm expelli, pro eo quòd eſt à prava complexione. Sed frigiditas, quæ eſt ex complexione, & naturaliter ineſt, ſicut in his qui ſunt inſenſibiles per naturam, vel per malam diſpoſitionem membri alicujus, ad hoc ordinati, ut arctitudo in muliere, ſi tanta eſt, ut nullum remedium adhiberi poſſit ſecundùm judicium bonarum matronarum, hæc eſt quæ impedit, & hæc eſt inſeparabilis & perpetua, & de hac non valet ratio. Quod enim dicitur, contrarium expelli per contrarium, verum eſt, ut dicit Philoſophus, niſi alterum inſit per naturam.*

Dictus textus loquitur de frigiditate naturali

Igitur D. textus loquitur de frigiditate naturali ; ſecùs de membri debilitate, exceſſu aut groſſitie, ob quam vir non eſt aptus alicui fœminæ ; tunc enim fieri poteſt, ut alijs aptus ſit. Ita Sanchez ſup. n. 6. *te naturali, ex Sanchez.*

125. *Objectio ex D. Bonav.*

Sed contrà, dicet aliquis : S. Bonav. ſup. loquitur eodem modo de frigiditate & arctitudine. Et q. 2. n. 29. ait : *Ad illud quod ultimò objicitur, quòd æqualiter ſe habet vis illa (generandi) ad omnes, dicendum breviter, quòd verum eſt ; & ſi impediretur naturali impedimento, æqualiter impediretur quantùm ad omnes : ſed quia dæmoniaco miniſterio impeditur, qui aſſiſtit & ſe objicit. ſecundùm petitionem ſortilegæ mulieris, impetrante hoc merito infidelitatis, ſicut fides impetrat, ut Deus aſſiſtat ad facienda miracula ; ſic cum ſortiaria reſpectu perſonæ determinatæ facit ſortilegium ; quia diabolus in illo actu præſtò eſt, & non in alijs : & tunc vel propriâ virtute, vel per herbam, vel lapidem, vel naturam occultam, vim impedit, ne in actum exeat, non reſpectu alterius mulieris, quia ad hoc invitatus non fuit, aut quia Deus non permittit : occultum enim Dei judicium hic latet, ſicut patet in uxore Tobiæ,*

Ubi Doct. Seraphicus expreſsè diſtinguit inter impotentiam naturalem & caſualem ſeu ex maleficio ; & hanc dicit eſſe reſpectivam, illam autem abſolutam. Unde ab Adverſarijs citatur pro ſua ſententia.

126. *Explicatur doctrina S. Bonav.*

Reſpondeo : ipſum loqui ex præſumptione juris, de qua ſup. contrà quam tamen, ut dictum eſt, admittitur probatio : & dici poſſet, in caſu noſtro non eſſe arctitudinem naturalem fœminæ ; hæc quippè æqualiter reſpicit omnes, ſicut & frigiditas. Quid ergò ? Potiùs eſt arctitudo aliqua accidentalis, proveniens ex parte viri, qui propter diſpoſitionem naturalem corporis, aut defectum roboris, impeditur à penetratione vaſis clauſi, ſecùs reſerati, vel à penetratione vaſis hujus mulieris, & non alterius. Igitur D. textus : *Requiſtiſti*, non concludit, niſi quòd frigiditas ſit impedimentum abſolutum, quod Sanchez non negat.

127. *Arg. Adverſariorum ex c. 5. de Frig.*

Et conſimiliter nihil aliud evincit cap. *Laudabilem*, 5. de Frigid. ubi decernitur, virum ſeparatum à muliere, quòd triennio cohabitationis jurârit, ſe non potuiſſe cum ea conſummare, cogendum eſſe ad eam redire, & tanquam perjurij reum puniendum, ſi fœminam aliam cognoſcat. At (inquiunt Adverſarij) erronea eſſet deciſio, ſi eſſet poſſibilis impotentia reſpectiva dirimens.

Sed non evincit intentum.

Reſpondetur : etiam eum textum procedere, quando allegata fuit frigiditas naturalis viri, ut patet ex principio, ibi : *Requiſtiſti, quantum tempus indulgendum ſit naturaliter frigidis, ad experientiam copulæ nuptialis.* & infrà : *Nos verò in præſenti conſultatione ſentimus, ut à tempore celebrati conjugij, ſi frigiditas priùs probari non poſſit* &c. Nam ſi poſſit probari, conſtat non eſſe impotentiam reſpectivam, cùm frigidus ſit prorsùs impotens.

128. *Ultimum arg. Adverſariorum.*

Tandem argumentantur Adverſarij : cenſetur impotentia temporalis, nec dirimens Matrimonium, quando per artem abſque vitæ periculo poteſt illi ſubveniri : at hujuſmodi eſt hæc impotentia,

potentia, quando quis invenitur potens ad corruptam, & non ad virginem.

Solvitur à Sanchio.

Respondet Sanchez sup. n. 6. ei impotentiæ non posse semper subveniri. Et rationem disparitatis dat n. 12. quòd apertio facta membro virili est connaturalis vasi fœmineo: atque ab eo appetitur: at ligno vel ferro est contrà naturam ac omninò violenta: & ideò nil mirum, si ex hac periculum corporis timeatur, quod ex illa non imminet. Ita hic Auctor. An autem mulier teneatur tali casu pati incisionem vel fractionem clausstri per instrumenta medicorum, si ex hac periculum corporis non timeatur, inferiùs suo loco disputabimus.

Impræsentiarùm quæritur: an impotentia perpetua, viro & mulieri cognita, dirimat Matrimonium, quod contrahunt non ad carnales actus exercendos, sed ut tamquam frater & soror simul habitent. Pro responsione ponitur

CONCLUSIO III.

Contractus perpetuò impotentium sine ordine ad copulam, sed tantùm ad cohabitandum tamquam frater & soror, non est verum Matrimonium.

129. *Oppositum Conclus. docet Pontius.*

BAsil. Pontius oppositum, scilicet, contractum impotentium, ad castè vivendum, esse verum ac validum Matrimonium, mordicùs defendit, tantâ, utique contentione, ut Herculi clavam è manibus extorquere velle videatur; sed operam ludit, ut patebit in progressu.

Matr. impotentium in ordine ad copulam jure naturæ est irritum.

Hic itaque Auctor lib. 7. cap. 60. (debet esse 55.) sic incipit scribere: Duobus modis contingere potest, ut Matrimonium contrahatur inter impotentes, quos dicemus. Primum cum pacto implicito vel virtuali de futura copula: deindè cum voluntate & conditione castè vivendi. Si priori modo celebretur Matrimonium, non dubito nullum esse jure naturæ, id quod à Sixto V. videtur definitum.

130. *Probatur.*

Ratio videtur esse manifesta: quia in ejusmodi contractu apertè adhibetur conditio contrà substantiam Matrimonij; quia seminatio impotentis, de quo est sermo, vel omninò est nulla, vel non est intra vas: ex quo fit, necessariò seminationem impotentis illicitam esse, & contrà finem Matrimonij, est enim effusio vacua & inanis, & quæ minimè ad generationem ordinari potest. Obligatio igitur ejusmodi effusionis seminis, in contractu apposita, omninò reddet nullum jure naturæ, juxtà certissimam doctrinam, propter quam, auctoritate Sixti dissoluta omnia, quæ præcesserant, Eunuchorum Matrimonia. Dubitamus ergò de secundo modo contrahendi conjugium; an scilicet valeat Matrimonium impotentis, cognitâ etiam impotentiâ, dummodò ad castè vivendum celebretur, & sine ordine ad copulam. Ita Basil.

131. Posteà n. 2. & sequentibus usque ad finem d. cap. refert nostram Conclus. cum suis probationibus: cap. verò 56. n. 1. sic ait: Fateor tamen mihi semper visum esse probabiliùs, Matrimonium potentis cum impotente ad castè vivendum, etiam cognitâ impotentiâ, validè celebrari. Sententiam hanc tenent ex antiquis & recentioribus non pauci. Vide eos apud Sanchez sup. disp. 97. n. 1.

Celebratum ad castè vivendum putat Pontius validum.

Et primo quidem loco invenies Magist. 4. dist. 34. c. 1. quem ferè oblitus fuerat citare Pontius, dicens sup. Sed (quod fugiebat memoriam) in hac etiam sententia videtur fuisse Magister in 4. dist. 34. in principio: agens enim de personis illegitimis ad Matrimonium, inquit, frigiditatem, hoc est, impotentiam, & conditionem, reddere nec omninò legitimos, nec omninò illegitimos. Potest ergò ex Magistri sententiâ, cum frigido stare validum Matrimonium, videlicet si alter sciat & ad castè vivendum contrahatur: nam si esset in ordine ad copulam, planè nullum esset; sed ad eo modo contrahendum essent omninò illegitimi. Hæc ille.

Pro eâdem opinione citatur Magister.

132. *Verba Mag.*

Do verba Magistri. *Mediæ verò sunt nec plenè legitimæ, nec omninò illegitimæ, per frigiditatem, per conditionem: Si enim tales junguntur ignoranter, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus dividi.*

Expenditur ab Hiquæo.

Dividit personas (inquit Hiquæus in suo Comment. ad illam dist. n. 34.) in plenè legitimas, & plenè illegitimas, & medias, quæ nec in uno, nec in altero extremo sunt, & loquitur de iis, quæ ignoranter conjunguntur, & inter quos est invalidum Matrimonium; quia separari possunt, & mulier transire ad secundas nuptias, ut patet ex verbis Greg. quæ citat. Quòd ergò quibusdam accedentibus conditionibus commanere posse dicit, intelligit non de commanentia, sicuti mariti & uxoris, sed sicut fratris & sororis in communione obsequij & bonorum. Hæc ille.

Loquitur de iis, qui ignoranter contrahunt modo ordinario.

Loquitur ergò Magister de ijs, qui ignoranter contrahunt, non ad castè vivendum, sed modo ordinario, id est, ad exercendos actus carnales; at verò Pontius de iis, qui scienter contrahunt ad castè vivendum.

133. *D. Tho. videtur Mag. interpretari in sensu Pontij.*

Interim D. Tho. eâd. dist. in sensu Pontij videtur Mag. interpretari, dum q. 1. a. 2. ad 4. (quod erat: *Si scit mulier, virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est Matrimonium; ergò frigiditas, quantùm est de se, Matrimonium non impedit*) dum, inquam, ad hoc argumentum respondet; *In quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quòd ille, qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad ejus solutionem: tamen impotens potest esse tripliciter. Vno modo, quia non potest solvere de jure, & sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum, sive sciat ille, cum quo facit talis contractum, hanc impotentiam, sive non. Alio modo, quia non sit solvendo de facto, & tamen si sciat ille, cum quo contrahit hanc impotentiam & nihilominùs contrahit, ostenditur quòd alium finem ex contractu quærit, & ideò contractus stat: si autem*

Aliquis potest esse tripliciter impotens.

tem neſcit, tunc contractus nullus eſt; & ideò frigiditas, quæ cauſat talem impotentiam, ut homo non poſſit de facto ſolvere debitum, & conditio ſervitutis, per quam homo non poteſt de facto liberè reddere, impediunt Matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc, quòd alius non poteſt reddere debitum: impedimentum autem, per quod aliquis non poteſt de jure reddere debitum, ut conſanguinitas, annullat contractum Matrimonium, ſive ſciat alter, ſive non, & propter hoc Mag. ponit, quòd hæc duo faciunt perſonas non omninò illegitimas. Hactenùs D. Thomas. Quo (inquit Pontius ſup.) quid clariùs & apertiùs?

134. *Potentia ad copulam juxtà D. Tho. eſt de eſſentia Matr.*

Interrogo & ego unum verbum: quid clariùs & apertiùs, quàm juxtà D. Tho. ibidem ad primum, potentiam ad copulam eſſe de eſſentia Matrimonij? *Quamvis*, inquit, *actus carnalis copulæ non ſit de eſſentia Matrimonij, tamen potentia ad hoc eſt de eſſentia ejus; quia per Matrimonium datur utrique conjugum poteſtas in corpore alterius, reſpectu carnalis copulæ.* Quomodo ergò verum Matrimonium, quod mulier ſciens contrahit cum frigido? An fortè vera res poſſit eſſe ſinè ſua eſſentia.

135. *Loquitur de Matr. in ordine ad copulam.*

Dices: D. Tho. loquitur ibi de Matrimonio, quod contrahitur cum ordine ad copulam. Planè: nam in corp. ſic ait: *Dicendum, quòd in Matrimonio eſt contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale ſolvendum: unde ſicut in alijs contractibus non eſt conveniens obligatio, ſi aliquis ſe obliget ad hoc, quod non poteſt dare vel facere, ita non eſt conveniens Matrimonio contractus, ſi fiat ab aliquo, qui debitum carnale ſolvere non poſſit, & hoc impedimentum vocatur impotentia coëundi in generali.*

Planè itaque loquitur D. Tho. de Matrimonio, quod contrahitur cum ordine ad copulam. Et quid mirum, cùm iſtud ſolùm ſit verum Matrimonium? Ubi, quæſo, loquitur D. Tho. de Matrimonio, quod contrahitur ad caſtè vivendum, ſine conſenſu ſaltem implicito ad copulam?

136. *Alius locus D. Tho.*

Tertiâ, inquis, parte q. 29. a. 2. in corp. *Matrimonium ſive conjugium dicitur verum ex hoc, quòd ſuam perfectionem attingit. Duplex autem eſt rei perfectio, prima & ſecunda. Prima quidem rei perfectio conſiſtit in forma, ex qua ſpeciem ſortitur: ſecunda verò perfectio conſiſtit in operatione rei, per quam res aliqualiter ſuum finem attingit. Forma autem Matrimonij conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur. Finis autem Matrimonij eſt proles generanda & educanda. Ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem: ad ſecundum per alia opera viri & uxoris, quibus ſibi invicem obſequuntur ad prolem nutriendam.*

Sic igitur dicendum eſt, quòd quantùm ad primam perfectionem omninò verum fuit Matrimonium Virginis Matris Dei & Ioſeph: quia uterque conſenſit in copulam conjugalem: non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione: Si Deo placeret.

137. Ecce (inquit Baſil. ſup. n. 2.) manifeſtè diſtinguit D. Tho. conſenſum in copulam conjugalem, quo nomine tantùm intellexit, ut conſtat ex primis verbis, conjunctionem animorum indiviſibilem, & conſenſum in copulam carnalem; & ſolo illo conſenſu in conjugalem copulam, docet eſſe validum Matrimonium. Ergò ex D. Tho. ſententia, verum Matrimonium eſſe poteſt ſecluſo ordine & conſenſu ad carnalem copulam, dummodò ſit conſenſus in copulam conjugalem, quâ ſcilicet conjunguntur in eamdem vitæ munerumque ſocietatem; atque adeò validè contrahi poteſt conjugium potentis cum impotenti ad caſtè vitam tranſigendam. Hactenùs Pontius. *An faveat Pontio.*

Sed profectò hic Auctor limis oculis, ne dicam oculis clauſis, legit Doct. Ang. Aperi oculos Ponti, & lege hæc verba, atque intellige: *Vterque conſenſit in copulam conjugalem; non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione: Si Deo placeret.* 138. *Oſtenditur quòd non.*

Nunquid hìc D. Tho. ſecludit quemvis ordinem & conſenſum ad copulam carnalem? Quis, niſi cæcus, non videt ordinem conditionalem? Et quare putas addidit ly *Expreſsè*, niſi quia ſentiebat in omni vero Matrimonio conjuges implicitè conſentire in copulam carnalem, id eſt, dare ſibi mutuo jus radicale ad copulam carnalem? An fortè juxtà Pontium, impotentes, qui contrahunt ad caſtè vivendum, invicem dant jus radicale ad copulam carnalem, aut conſentiunt in eam ſub conditione: *Si Deo placeret*?

Præterea: quis unquam audivit, finem intrinſecum Matrimonij eſſe caſtam vitam? *Finis* (inquit D. Tho. ſup.) *eſt proles generanda & educanda.* Atque adeò non omnis conjunctio indiviſibilis animorum eſt verum Matrimonium, ſed, ut ait Doct. Angel. *Per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur*, id eſt, non niſi alteri conjugi poteſt commiſceri, & ei tenetur commiſceri, niſi aliquid aliud obſtet, tenetur, inquam, per ſe loquendo ex natura ipſius contractûs. 139. *Caſta vita non eſt finis Matr.*

Nunquid talis conjunctio animorum inter impotentes, qui, tametſi velint, nequeunt copulari carnaliter? Audite D. Tho. eodem loco in fine corp. *Vnde D. Aug. dicit in lib. de Nupt. & concupiſ. c. 11. in fine: Omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis parentibus Chriſti, proles, fides, & Sacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum Ieſum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium, ſolus ibi nuptialis concubitus non fuit.*

Sed nunquid hic de eſſentia Matrimonij? Minimè: ſed requiritur ad conſummationem ejus, quæ ſolùm eſt perfectio aliqua ſecundaria Matrimonij, per quam obtinetur finis ejus, qui eſt proles generanda, non autem caſta vita. Itaque nec hic locus D. Tho. convincit intentum Pontij, ſed magis favet noſtræ Concluſioni, unde pro ea ab Aliquibus adducitur. Hoc pervium eſt, malè duci argumentum à Matrimonio B. Virginis cum Ioſepho, ad Matrimonium impotentium, ut patet ex dictis. 140. *Copula non eſt de eſſentia Matr.*

Objectio ex D. Tho. solvitur.

Si dixeris: D. Tho. priori loco æquiparat impotentiam servituti: at constat servitutem cognitam non dirimere Matrimonium. Respondeo: comparationem non esse accipiendam quoad omnia; quippè certum est, servitutem cognitam non dirimere Matrimonium, etiam quod contrahitur ad actus carnales exercendos; secùs impotentiam, ut ipse Pontius fatetur. In quo ergò comparatur?

141. *In quo D. Tho impotentiam comparet servituti.*

Respondeo: in eo quòd sicut ignorantia servitutis dirimit Matrimonium, ita etiam impotentia ignorata, & sicut cum cognitione servitutis stat verus contractus Matrimonij, per quem traditur potestas corporis ad actus conjugales; ita cum impotentia cognita stet verus contractus, non Matrimonij (quia secundùm D. Tho. potentia coëundi est de essentia Matrimonij) sed cujusdam amicabilis societatis, in ordine ad cohabitationem, & alia obsequia præstanda; atque etiam in communicatione bonorum temporalium.

Occurritur instantiæ.

Nec refert, quòd D. Tho. non meminerit cohabitationis; nam sufficit, quòd meminerit essentiæ Matrimonij, quam constat non reperiri in contractu, qui stat cum impotentia cognita; adeoque, nisi velis admittere, Matrimonium stare juxtà D. Tho. sinè sua essentia, intellige ipsum de cohabitatione & alijs obsequijs. Aut certè ostende nobis locum in D. Tho. ubi dividat Matrimonium cum Pontio; & contractum sinè ullo ordine ad copulam explicito vel implicito, absoluto vel conditionali, vocat verum Matrimonium.

142. *Nostram sententiam docet Scotus,*

Atque ut Magister, & Doct. Angel. idem docuissent quod Pontius, quid tum? Pro nostra Conclus. stat Doct. Seraphicus, & Doct. Subtilis: hic quidem 4. dist. 34. q. un. n. 6. ibi: *Ad secundum: si senex esset omnino impotens, dicerem, quòd non contraheret Matrimonium, licet aliqua posset consentire in eum ad cohabitandum sicut frater & soror.*

Item D. Bonav.

Ille autem eâd. dist. art. 2. q. 1. n. 18. & 19. *Dicendum* (inquit) *quòd impotentia coëundi naturalis, aut est temporalis aut perpetua. Si temporalis, non impedit. Si perpetua, tunc impedit contrahendum & dirimit contractum. Et si alter conjugum petat separationem, separandi sunt: si autem velint mutuò cohabitare, possunt, ut qui non potest mulierem habere ut uxorem, habeat ut sororem.*

143. *Ejus fundamentum.*

Et infrà: *Ad illud ergò quod objicitur, quòd verum Matrimonium est sine carnali copulâ. Dicendum, quòd verum est, sed non est sinè ordinabilitate ad carnalem copulam: quia, sicut dictum fuit, necesse est consentire in mutuam corporum potestatem: hic autem consensus nullus est, nec talis obligatio in eo, qui non habet posse exercendi actum illum, & ideò argumentum non valet; quia potentia coëundi quantum ad legitimitatem personæ contrahentis est de essentia, non sic actus.*

Fundamentum Pontij.

Et ecce principale fundamentum nostræ Conclusionis, quod audacter negat Pontius sup. cap. 53. ubi hâc unicâ ratione probat suam sententiam, dicens: Id quod ad essentiam contractûs Matrimonij requiritur, tantùm est, quòd sit mutua conjunctio animorum in naturalem vitæ societatem, cum diversitate sexûs. Sed totum hoc in Matrimonio hujusmodi impotentium, celebrato ad castè vivendum, reperitur. Igitur illud est verum, legitimum, perfectumque Matrimonium. Tota difficultas est in majori propositione probanda, quam & probare & explicare conabor diversimodè.

144. *Probatur Matr. posse esse sine ullo ordine ad copulam.*

In primis: ex generali ratione contractûs, in quo est traditio dominij, non repugnat Matrimonium esse sinè ullo prorsùs ordine ad copulam, ex illo generali principio, passimque recepto: ubi dominium distinguitur ab usu, potest esse contractus circà materiam dominij, sinè ordine ullo ad usum, & etiamsi aliàs deficiat usus: tam enim usus, quàm dominium, potest esse unumquodque separatim integra materia contractûs.

Corollarium.

Ex quo fit, corpus generationi aptum non esse necessariam materiam hujus contractûs. Si enim aptum corpus necessaria materia, proculdubiò propter liberorum procreationem esset. Quorsùm enim isto finè secluso requireretur? Hic autem non est necessarius finis. Eo ergò sublato, & Matrimonio propter alium finem celebrato, quid indigemus apto ad generandum corpore? Itaque concomitabitur tantùm contractum aptitudo hæc, si fortè fuerit in contrahente, non verò erit necessaria. Ita Pontius probat suam sententiam à priori.

Verùm enimverò frustrà laborat, nisi ostendat, à Deo fuisse institutum contractum indissolubilem inter virum & fœminam, quoad solam animorum conjunctionem in naturalem vitæ societatem, secluso omni omninò ordine ad copulam, etiam radicali. Quod cùm non faciat, nec possit facere, vel ex Scriptura, vel ex SS. Patribus, aut Oecumenicis Concilijs, manet verissima nostra sententia, quæ tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus convincitur.

145. *Nostra sententia probatur ex Script. Gen. 2.*

Ex Scriptura quidem Gen. 2. (ubi Matrimonium fuit institutum) per illa verba: *Et erunt duo in carne una*, v. 25. quæ licèt diversas patiantur explicationes; verissima tamen & apertissima explicatio est, per ea Adamum intellexisse copulam carnalem; nam unionem animorum satis demonstraverat per verba præcedentia: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Alioqui, ubi Deus instituit Matrimonium in ordine ad copulam, si non ibi, & si non per verba ista? Nonne D. Aug. l. 9. de Gen. ad litt. c. 3. ait: *Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos?* Vide quæ de hac re diximus Disp. præced. Sect. 8. Conclus. 9. ubi varia loca D. Aug. quæ Pontius pro se affert, diluciùs ostendimus nullatenùs ei favere, sed solùm excludere ab essentia Matrimonij ipsam actualem procreationem filiorum. D. Aug.

Si quæras cum Pontio sup. cap. 59. n. 3. Unde tenet: de Matrimonio contracto ad procreandos liberos, dixit Deus: *Erunt duo* 146. *Confirmatur.*

in

in carne una: ergò hæc est ratio omnis Matrimonij, aut non potest nisi ad procreandos liberos celebrari?

Respondeo: ex eo tenet, quòd alia institutio Matrimonij nusquam in Scriptura legatur: ratio autem Matrimonij à Deo instituta est. Non quòd contrahentes debeant intendere procreationem filiorum; sed quòd Matrimonium det potestatem filios procreandi.

147. *Dominium corporis hic non potest separari à potestate radicali utendi.* Non negamus, dominium alicujus rei posse separari ab usu; sed dicimus, dominium corporis, quod ex se necessariò datur per Matrimonium, non posse separari à potestate, seu jure, saltem radicali, utendi corpore; cùm nihil aliud sit, quàm potestas utendi; licèt hæc potestas, non per contractum Matrimonij, sed per alium adjunctum, vel etiam per votum, aut legem, pro perpetuo possit impediri ab actuali usu.

An id neget Pontius. Neque hoc negat Pontius, cùm ibidem dicat: Adde, requiri ad Matrimonium eam translationem dominij, quæ ex se sit radix juris ad copulam, licèt impedimentum adsit. Quòd autem loquatur de Matrimonio etiam impotentium, patet ex verbis subsequentibus: Si enim, inquit, duobus ita contrahentibus auferretur impotentia & miscerentur, non essent adulteri nec fornicatores, sed contrà votum agerent, vel contrà propositum prius.

148. *Declaratur quòd non.* Hinc idem Auctor lib. 1. cap. 17. n. 7. in fine. In Matrimonio, inquit, cùm sit contractus quidam, in quo datur & accipitur corpus pro corpore, duo illa inveniuntur; nempè & translatio dominij corporum unius in alterum, quæ suâpte naturâ refertur ad usum, & consuetudinem conjugalem secundùm carnem, tamquam facultas seu jus utendi corpore conjugis secundùm carnem, & usus ipse conjugalis sive copula. Atque hæc translatio dominij sive radicalis facultas ad utendum Matrimonio, ita ut si utatur, non accedat ad alienum corpus, nec fornicatio nec injustitia sit, est in quo consistit essentia Matrimonij. Hæc ille.

Subsumo ego: atqui in Matrimonio impotentium non fit talis translatio, sive translatio dominij ad utendum Matrimonio, cùm usus sit impossibilis, ergò &c.

149. *Rejicitur quædam doctrina Pontij.* Dicere autem cum Pontio sup. lib. 7. Si duobus ita contrahentibus auferretur impotentia & miscerentur, non essent adulteri vel fornicatores, est petere principium; unde id probandum est, non supponendum.

Contrarium porrò probatur; scilicet, quòd essent fornicatores; quia uterentur corpore non suo. Quod ostendo: quia non fuit datum corpus potens, sed perpetuò impotens; ergò nec acceptum corpus potens, sed perpetuò impotens; atque adeò corpus, quod jam per miraculum, vel per artem dæmonis, aut cum periculo vitæ factum est potens, est corpus non suum, quia istud nunquam accepit.

150. *Replica.* Immò, reponit quispiam, dedit & accepit: quia dedit & accepit corpus, quod poterat fieri aptum per miraculum &c.

Solvitur. Respondetur & quæritur: censeine quod equus aliquis possit vendi ad usum, quem solùm per miraculum potest habere? Ergò nec corpus dari & accipi ad usum, quem tantùm per miraculum potest habere, eò quòd non sit moralis seu humana potentia, quæ tamen sola cadit sub contractum humanum; quod enim homo non habet, nec per hominem licitè potest habere, quomodo potest se obligare ad illud dandum?

151. *Instantia.* Video sic posse responderi; sed manet tamen adhuc unus scrupulus. Si emissem equum v. g. mortuum ad certum aliquem usum, ad quem erat utilis, si per miraculum revivisceret, equus foret meus cum omni usu, quem vivus potest habere. Ergò similiter in casu nostro sufficere videtur, ut post miraculosam potentiam utar eo corpore, quod anteà datum fuerat & acceptum ad alios usus, ad quos erat pro tunc aptum.

152. *Diluitur.* Negatur Consequentia. Ratio disparitatis: quòd illa fuerit vera emptio, adeoque per eam, accedente traditione, dominium equi verè translatum sit. At verò in casu nostro, dominium corporis non fuit verè translatum; sed tantùm inducta obligatio ad mutua obsequia; sicuti quando aliquis vendit se in servum, aut locat operas suas pro pretio, conductor, aut emptor, non habet dominium corporis, sed tantùm habet jus, ut præstentur ei obsequia solita, ad quæ poterant se vendens & locans obligare.

Unde si contingeret per miraculum eos jam posse præstare aliquod obsequium, quod anteà non poterant, dico ad illud vel dominum vel conductorem nullùm omninò habere jus; quia non censetur se servus vel locans voluisse ad id obligare; imò etsi voluissent, non poterant se obligare, cùm ad impossibile non detur obligatio.

153. *Illatio.* Ergò consimiliter in nostro casu, cùm, saltem absolutè & perfectè, non sit translatum dominium corporis ad omnem usum, quem habent alia corpora; quia aliquis usus impossibilis est; hinc ex vi talis contractûs, impotentes illi solùm habent jus ad illa obsequia, quæ mutuò solent & possunt præstari; nullum autem, nequidem radicale, ad actum Matrimonij, qui censetur absolutè impossibilis.

Veluti, si duo potentes contraherent ad mutuam tantùm societatem, absque ullo ordine ad copulam, nequidem radicali; putas, quòd possent commisceri absque peccato fornicationis? Non magis, quàm dominus & ancilla, quæ præstare tenetur obsequia sua domino, non tamen dare usum corporis.

154. *An Matr. ad castè vivendum sit possibile inter potentes. ex Dicast.* Dubitat autem Dicastillo hic disp. 7. n. 452. an tale Matrimonium inter potentes sit possibile; quia (inquit) ubi est capacitas ad plenum & perfectum Matrimonium contrahendum, etiam in ordine ad generationem, non potest separari jus illud ad individuam vitæ consuetudinem, à jure, saltem radicali, in copulam; atque hoc sufficit, ut talis accessus, si fiat, non sit fornicatio. Hæc ille.

Si ita, copula inter eos foret fornicatio. Interim, si supponamus hanc separationem fore possibilem, concedit idem Auctor n. seq. illam copulam esse simplicem fornicationem;

quia accessius erit ad non suam in ordine ad copulam; neque hoc fore absurdum in tali genere Matrimonij, si esset.

155. *Et copula cum alio non esset adulterium.* Et consimiliter, non esse absurdum, quòd alius accedens ad illam conjugem, non peccaret peccato adulterij; quia non accederet ad illam, tamquam ad uxorem illius viri. Item: quòd tale genus Matrimonij non foret naturâ suâ perpetuum, imò nec Sacramentum. Solùm enim, inquit, absurda essent comparatione alterius Matrimonij communis & ordinarij, ordinati ad generationem, in quo transfertur corporis dominium in ordine ad usum conjugalem. Ita Dicastillo.

Oppositum docet Pontius. At verò Pontius sup. n. 9. Verius (inquit) mihi videtur, etiam in eo casu (loquitur de Matrimonio impotentis cum potente ad castè vivendum) adulterium committere fœminam, quæ sui corporis alteri copiam fecerit, parumque refert, quòd vir non contraxit in ordine ad copulam. Hujusmodi namque fides debetur ex ipsa natura conjugij, quòd dominium habet vir corporis fœminæ, & econtrà, quo dominio impeditur fœmina, ne in alienos usus conveniat; est enim, ut diximus, id dominium radix juris ad copulam ex se.

156. *Probatio.* Itaque in conjugij contractu meditanda sunt quasi duo jura viri in corpus fœminæ, uno ad utendum illo in actibus maritalibus, alterum ne alius eo utatur: utrumque jus obtinet vir, qui consueto modo contrahit. Impotens verò, qui ad castè vivendum Matrimonium celebrat, non habet primum jus, licèt habeat ejus radicem; habet tamen secundum, eo ipso quòd vir est, & habet ejus corporis potestatem, ne alijs serviat; quâ etiam potestate illius vota irritare potest, & alia quæ jurisdictionem olent, & illa tenetur obsequi.

Additio. Adde etiam; ipso Matrimonij vinculo proprium fieri honorem cujusque conjugis: tenetur ergò fœmina honori viri consulere, contrà quem facit, dum sui corporis usum alijs præbet, quamvis contraxerit ad castè vivendum.

157. *Adducitur auctoritas D. Aug.* Unde optimè dixit Aug. lib. de Bono conjug. c. 3. *Si ergo servatur fides honoris, & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus & propè cadaverinis utriusque membris* &c. quibus verbis insinuavit, etiam in hoc impotentium castissimo Matrimonio, fidem honoris servandam, & locum sibi vendicare. Ita Basil.

Sed perperam. Quid miramur? Nam loquitur Aug. de impotentia consequente Matrimonium jam contractum in ordine ad copulam, ut ostendimus Disp. præced. loco sup. citato: hìc autem agimus de impotentia antecedente Matrimonium.

158. *Resp. ad additionem.* Præterea: filia se ipsam prostituens, facit contrà honorem parentum, & totius familiæ, & tamen ejus fornicatio non est propterea adulterium. Et sic patet responsio ad additionem.

Quid dicendum ad principale. Ad principale dico: ut verum sit, necessariò supponere jus radicale, seu dominium corporis, quod nos negamus transferri per contractum impotentium; secus per contractum potentium, quàmvis postea fiant impotentes.

Sed contrà arguit Pontius sup. cap. 53. (debet esse 57.) n. 2. estque ratio à posteriori suæ sententiæ: Commune est omni Sacramento, non consistere, si desit Materia ad illud necessaria, nec Baptismum sinè aqua, Eucharistiam sinè pane & vino, Pœnitentiam sinè peccatis & dolore, Unctionem sinè oleo, & sic in reliquis validè celebratis. Nec ergò Matrimonij Sacramentum consistit sinè vera & necessaria materia, atque adeò sinè corpore apto ad generationem, si illud est materia, quam necessariò postulat. Sed omnium sententiâ certum est, superveniente impotentiâ perpetuâ, non dissolvi Matrimonium. Ergò non est necessaria materia ad Matrimonium corpus aptum ad generationem. Hæc ille. 159. *Probatio sententiæ Pontij à posteriori.*

Quæro ego; quis unquam dixit, Sacramentum Matrimonij consistere superveniente impotentiâ perpetuâ? Etenim Sacramentum Matrimonij transit cum signo externo, quo exprimitur consensus internus, sicut transeunt cæteri contractus. Quæ ergò est sententia Omnium? Vinculum Matrimonij non dissolvi. Sed nunquid vinculum Matrimonij Sacramentum? Omnium sententiâ certum est, quòd non; sed est effectus Sacramenti Matrimonij. Sicut ergò Sacramentum Baptismi non potest consistere sinè aqua; consistit autem ejus effectus, scilicet gratia & caracter; sic itidem non potest consistere Sacramentum Matrimonij sinè corpore apto generationi; potest autem consistere effectus Matrimonij, id est, vinculum, seu obligatio Matrimonij. 160. *Rejicitur.*

Et verò nunquid Eucharistia in facto esse consistit sinè pane & vino, quàmvis non possit fieri sinè pane & vino? Cur ergò indidem stare non potest, ut corpus aptum generationi sit materia necessaria Matrimonij in fieri, sive contractûs Matrimonij; secùs autem Matrimonij in facto esse, seu obligationis matrimonialis?

Dices cum Pontio sup. si contingat mutatio sexûs, quâ naturaliter fœmina mutatur in virum (quod fieri posse non dubito, cùm id evenerit apud Complutenses eo tempore, quo ibi commorabar, nunc que mihi persuasi verum esse, quod apud Plinium & alios antiquiores legi de fœminis in virum naturaliter conversis) si ergò hujusmodi mutatio contingat, Matrimonium dissolvitur; non aliâ ratione, nisi quia diversitas sexûs est necessaria hujus contractûs materia. Si corpus aptum est ita requisitum, ut nisi sit, nulla possit valida intervenire traditio, tolle corpus aptum, cessabit & dissolvetur contractus, sicut si sexum mutes, extingues vinculum conjugij. Hæc ille. 161. *Objectio ex Pontio.*

Et continuo attexit: Viderunt hanc difficultatem nonnulli ex recentioribus, & rationem disparitatis assignare conati sunt, sed frustrà. Quidam dicunt per impotentiam superveniéntem non dirimi Matrimonium, quia naturâ suâ indissolubile est. Sed non satis attendunt, quid respondeant. Non enim ideò dissolubile erit Matrimo- 162. *Solutio Aliquorum reprobatur.*

trimonium, si dissolvatur materiâ necessariâ deficiente. Sicut neque ex eo, quòd mutato sexu dissolvatur, indè fit, dissolubile conjugium esse. Si immutatâ materiâ, aut accidentaliter tantùm variatâ, separari possent, variabile esset Matrimonij vinculum: attamen quòd verâ substantiali & necessariâ materiâ extinctâ, cesset contractus, qui illam exigit, non convincit Matrimonium solubilis esse naturæ.

Alia solutio impugnatur

Eodem modo refelluntur hi, qui in eo disparem rationem constituunt; quòd quando supervenit impotentia conjugio, jam alter conjux possessionem habet. Quid refert possidere, si materia necessaria extinguitur? Ita interrogat Pontius.

163. *Defenditur.*

Respondeo: multùm refert possidere, quando materia, quæ extinguitur, vel non est essentialis, vel tantùm est pars materiæ, ut patet ex contractu emptionis & venditionis, v. g. equi ad certum usum: si quippe omninò inhabilis est ad illum usum, contractus non constat; unde per eum non transfertur dominium equi; sin autem habilis est, contractus constat, & tranfertur dominium; nec amittitur, tametsi posteà fiat omninò inhabilis: quia scilicet non extinguitur tota materia, quæ erat substantia equi habilis; nam manet substantia, quam possidet, & ideò non privatur ejus dominio, nisi ipsa intereat.

Consimiliter ergò in casu nostro, cùm per impotentiam supervenientem non destruatur totalis materia, quæ erat corpus fœmineum vel virile aptum generationi, sed tantùm pars ejus, scilicet aptitudo corporis, multùm refert possidere. Nam ut dicit Reg. juris 37. de Reg. juris in 6. *Vtile non debet per inutile vitiari.*

164. *Confirmatur.*

Quamvis ergò deficiente aptitudine corporis, deficiat possessio aptitudinis, quæ ampliùs non est; non tamen propterea desinit ipsum corpus quoad mutua alia obsequia, & animorum societatem, & ideò possessio istius corporis quoad hæc inconcussa permanet, & ideò non dissolvitur Matrimonium, quod contrahitur non solùm ad usum carnalem, sed etiam ad societatem animorum & alia mutua obsequia; alioquì utile per inutile vitiaretur.

Illatio.

Sufficit igitur ad permanentiam vinculi matrimonialis semel contracti, quòd permaneat ipsa substantia corporis virilis vel fœminei; quamdiu enim hæc permanet, non deficit totalis materia necessaria Matrimonij, & ideò possessio partis materiæ, quæ permanet, nequid deficere. Vides Ponti, quid referat possidere?

165. *Per mutationem sexûs destruitur totalis materia Matr.*

Iam autem dum mutatur sexus, deficit totalis materia necessaria ad Matrimonium, quæ erat corpus virile vel fœmineum aptum generationi: quid ergò mirum, quòd dissolvatur vinculum Matrimonij, seu obligatio matrimonialis; sicuti per mortem naturalem alterius conjugis dissolvitur. Quàmvis enim adhuc maneat eadem substantia corporis physicè loquendo, in morali tamen æstimatione planè diversa est; ita ut hæc mutatio censeri debeat substantialis; secùs mutatio corporis apti, in corpus ineptum generationi, cùm hæc aptitudo & ineptitudo in morali æstimatione potiùs sint aliqua accidentia, quæ abesse possunt & inesse sinè subjecti corruptione.

166. *Cur hæc potiùs dissolvat Matr. quàm impotentia superveniens.*

Et sanè, si impotentia superveniens dissolveret Matrimonium, jam in potestate cujusque esset, Matrimonium suum dissolvere; & sic magis foret vinculum dissolubile, quàm indissolubile, quòd non habet locum in mutatione sexûs, quæ neutiquam dependet à voluntate hominis, & rarissimè contingit, cùm tamen possit frequenter impotentia supervenire: atque adeò planè inconveniens fuisset, si per impotentiam supervenientem Matrimonium dissolveretur; nullum autem, quòd per mutationem sexûs dissolvatur.

Aptitudo corporis an sit materia substantialis.

Dixi consultò: aptitudinem & ineptitudinem potiùs esse accidentia, ut sciat Lector, non errare illos, qui putant aptitudinem non esse materiam substantialem seu essentialem contractûs Matrimonij, nequidem in fieri; sed tantùm conditionem aliquam, necessariò prærequisitam in corpore viri & fœminæ, ut sit materia legitima; veluti absentia affinitatis, veluti præsentia Parochi & testium, quæ licet necessaria sint ad Matrimonium in fieri, secùs tamen ad Matrimonium in facto esse.

167. *Negant Alii.*

Sed hæc doctrina non placet Pontio sup. ubi n. 4. refert eam hisce verbis: Sed audiamus acutiores alios. Dicunt disparem esse rationem; quia ad transferendum dominium corporis à principio contractûs, necesse est materiam hujus contractûs aptam esse; corpus autem generationi ineptum, hoc est, copulæ conjugali, per quam conjuges possunt fieri una caro, non est apta materia contractûs. Quòd verò semel translato dominio, materiæ aptæ superveniat aliqua conditio, quæ si antecederet, redderet materiam inhabilem contractûs, non reddit materiam simpliciter ineptam vinculo orto ex priori contractu. Id quod in alijs impedimentis facilè constat. Et notum est exemplum in affinitate primi gradûs.

Eos oppugnat Pontius.

Sed certè isti difficultatem vel non satis attenderunt, vel dissimularunt, vel sibi ipsis repugnant. Nam si corpus aptum conjugali copulæ in ordine ad generationem, est necessaria materia & naturalis & substantialis Matrimonij, eâ sublatâ, tollatur contractus necesse est, sicut de sexu dicebamus. Quòd enim mutetur corpus de apto in non aptum, non est accidentalis aliqua variatio in materia contractûs; sed substantialis variatio ex ipsorum sententia, quæ exigit corpus aptum tamquam veram naturalem & necessariam materiam.

168. *Assignat disparitatem inter affinitatem, & ineptitudinem corporis.*

Ex quo jam colligitur, non esse ad rem, quod de impedimentis adducitur Nam impedimenta affinitatis, etiam primi gradûs, non efficiunt materiam substantialiter, sed accidentariè ineptam contractui, & ex mera juris positivi dispositione. Cùm ergò jure tantùm positivo constet affinitatis impedimentum, non est mirum, si præcedens affinitas impediat ex dispositione juris; subsequens verò non dissolvat. Neque enim potestas est in Ecclesia, dissolvendi verum & legitimum,

gitimum, consummatum, & ab initio validum Matrimonium; sed tantùm declarandi nullum fuisse, si reverà à principio infirmum fuit. Est tamen potestas apponendi impedimenta, quæ ita impediant, ut contractus non sortiatur effectum. At verò si corpus aptum generationi, est materia necessaria substantialiter ad contractum Matrimonij, ut opposita docet sententia, sicuti mutato sexu dissolvitur, dissolvetur etiam, superveniente impotentiâ perpetuâ, ex defectu quidem necessariæ materiæ. Hucusque Basilius.

169. *Impugnatur Pontius.* A quo peto: corpus aptum estne materia essentialis & substantialis necessariò requisita ad valorem Matrimonij, ordinario modo initi, cum ordine implicito vel explicito ad copulam? Si affirmet: infero ego: ergò dissolvitur per impotentiam supervenientem, sicut per mutationem sexûs. Sin autem neget, sibi ipsi videtur contradicere: nam, ut sup. audivimus, tale Matrimonium jure naturæ nullum est, si corpus reverà non est aptum. Ex quo, nisi ex defectu materiæ necessariæ & essentialis? Vel si ex alio defectu; quis ille? An fortè defectu alicujus conditionis extrinsecæ & accidentalis? Sed quæ illa conditio, nisi aptitudo corporis?

Solutio difficultatis. Igitur argumentum Pontij æquè premit ipsum, ac nos. Et apparet commodus evadendi difficultatem, dicendo, sola corpora diversi sexûs esse substantialem & essentialem materiam; aptitudinem autem conditionem aliquam extrinsecam seu accidentalem, ex institutione divina, seu natura talis contractûs à Deo institutâ, necessariò requisitâ ad ejus valorem in fieri, secùs in facto esse; sicut ex jure Ecclesiæ requiritur absentia affinitatis & similium impedimentorum.

170. *Objicitur in simili.* Et veluti ex jure divino, in probabili sententia, vinum conglaciatum nequit primò consecrari, si tamen jam consecratum conglacietur, consecratio manet. Itemque, juxtà probabilem sententiam, si tam parva materia sit, ut non possit naturaliter sentiri, non potest ex jure divino eadem consecrari; si tamen post consecrationem separaretur, ita ut alioqui substantia panis in ea conservaretur, si ibi fuisset, maneret consecratio.

Alia solutio. Vel si mavis vocare aptitudinem materiam essentialem & substantialem; dicito, deficiente aptitudine, etiam deficere obligationem matrimonialem quoad actum reddendi debitum. Ita solvit hanc difficultatem Dicastillo sup. n. 469. postquam n. 468. diffusè probavit, non posse dari jus, nequidem radicale, ad rem impossibilem.

171. *Non datur jus radicale ad copulam impossibilem, ex Dicast.* Accipite ejus verba: Propter hucusque dicta non possum non explicare aliter id, quod dicitur, quando Auctores affirmant, superveniente impotentiâ post Matrimonium jam ratum, aut (si velis) etiam consummatum, manere adhuc vinculum & jus radicale, atque adeò non dissolvi Matrimonium. Nam si intelligas jus copulandi se copulâ matrimoniali, non videtur hoc posse manere, sive jus intelligas proximum, sive radicale; cùm enim omninò destructa sit physica potentia, quam necessariò requirit tale jus morale, nulla radix talis juris, aut jus radicale potest manere.

In quo apparet discrimen nostri casûs, & aliorum, qui solent assignari, in quibus manet jus radicale, v. g. in Professione religiosa, legitimè factâ post consummatum Matrimonium, aut in mutuo pacto nunquam se copulandi; in iis enim, & similibus casibus potest manere simul cum potentia physica radicale jus, & impeditum proximum jus, & obligatio: sed abolitâ penitùs potentiâ physicâ, quæ est fundamentum essentiale juris, etiam radicalis, ad usum talis potentiæ, non assequor, quâ ratione possit intelligi jus radicale manere ad omninò impossibile.

172. *Manet vinculum conjugale, superveniente impotentiâ, quoad alia.* Quando ergò dicitur, adhuc manere jus & vinculum, solùm debet intelligi quoad alia. Primò, quòd adhuc maneant conjuges sibi mutuo devincti, ad servandam fidem conjugalem, non admittendi alium ad aliqua turpia & inhonesta, quæ si fiant, sint contrà jus alterius conjugis, & contrà fidem sibi mutuò datam; & quòd non solùm conjux factus impotens sit propter impotentiam incapax conjugij, sed ille & alter, adhuc fortè potens, non possint utroque vivente citrà injuriam alieno quâcumque ratione carnaliter adjungi; quòd debeant se mutuò amare, fovere, cohabitare, juvare, & cætera præstare, quæ alioquì debuissent, si potentia maneret in utroque, solâ seclusâ obligatione & jure ad copulam factam impossibilem.

Qualiter plus requiratur ad Matr. in fieri, quàm in facto esse. Hâc ratione intelligo verum esse id, quod dicitur, tale vinculum coujugale, ut primò incipiat requirere plus, quàm ut posteà conservetur; nempè vinculum ad ea omnia, ita ut non possit etiam conjux, qui adhuc est potens, alteri se tradere, & alterum deserere, & quòd ad id maneat jus in utroque: hoc (inquam) & reliqua dicta (excepto solo jure ad copulam, quod est impossibile) posse manere, deficiente tali jure & potentiâ copulandi se, quàmvis non potuisset incipere, nisi in principio, quando fuit contractus, adesset potentia generandi, ut completè contractus fieret: semel autem facto contractu, etiamsi posteà desit potentia ad copulam, & jus ad illam, utpotè impossibilem, cæterà quæ possunt manere sine potentia ad copulam, adhuc manent. Hactenùs Dicastillo.

173. *Quare uxor maneat Matr. quoad alia quando mutatur sexus. Resp. Dicast.* Rogas: quare etiam cæterà, præter jus ad copulam, non maneant, dum mutatur fœmina in virum? Respondet n. 470. Mutatio fœminæ in masculum, etiam alia officia, munia & obsequia reddit impossibilia; quia obsequia & officia, quæ debebat vir, tantùm sunt propria viri ergà fœminam, non viri ergà virum, qualis jam est alter. Item obsequia, quæ debebat, qui erat fœmina, tantùm sunt obsequia propria fœminæ ergà virum; non viri ergà virum; cùm autem facta sit vir, non possunt esse obsequia & munia fœminæ, qualis jam non est, quæ priùs fuerat fœmina.

Cessant ergò tunc, non solùm jus ad copulam, sed ad cæterà omnia; quia tunc non solùm ob-

objectum juris ad copulam, est objectum impossibile ; sed etiam objectum juris in viro ad obsequia sibi exhibenda à fœmina, & objectum juris in fœmina ad obsequia sibi exhibenda à viro (quæ sunt mutua officia) est objectum impossibile. In quo apparet magna disparitas, quando sola potentia copulæ cessat. Hæc ille.

174. *Examinatur.* Interrogo ego unum verbum : ecquæ sunt ista mutua officia, præter copulam ? Audivimus ea sup. ex eod. Auctore : putà, quòd debeant sibi mutuo servare fidem conjugalem, non admittendi alium ad aliqua turpia & inhonesta ; quòd debeant se mutuò amare, fovere, cohabitare, juvare &c. Sed, amabo, fœmina facta vir, censen' quòd possit amare & fovere alterum virum, eique cohabitare ? Planè, inquis, censeo, sed non ut fœmina. Quis ambigat, cùm ampliùs non sit fœmina ?

Resolutio Auctoris. Dic ergò, ideò per mutationem sexûs cessare totam obligationem, quia ampliùs non est vir & fœmina ; non autem quia cessant cætera officia. Iam autem Matrimonium ex institutione divina essentialiter & substantialiter requirit diversitatem sexûs, non solùm in fieri, sed etiam in facto esse ; ut constat ex sensu totius Ecclesiæ, quæ à principio intellexit Matrimonium sic institutum fuisse à Deo, ut per mutationem sexûs supervenientem dissolveretur, secùs per superveniente impotentiam ; estò potentia requiratur, ut valide possit Matrimonium contrahi. Igitur, salvo meliori, optima disparitas est voluntas divina, quæ nobis innotescit per Ecclesiam.

175. *An Ecclesia approbet Matr. contractum ab impotente, c. 4. de Frig.* Contrà, inquis ; Ecclesia approbat Matrimonium ab initio contractum ab impotente, tanquam validum ; in primis c. 4. de Frigid. & malefic. sequentis tenoris : *Consultationi tuæ, quâ nos consuluisti, utrùm fœminæ clausæ, impotentes commisceri maribus, Matrimonium posùmt contrahere, & si contraxerint, an debeat rescindi, taliter respondemus, quòd licèt incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat Matrimonium : Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas tamquam uxores habere non posùnt, habeant ut sorores.* Ita Lucius III.

Expenditur à Pontio pro parte affirmante. Primò. In quo testimonio (inquit Pontius sup. cap. 58. n. 1.) primùm expendendum est, agi de contractu valido Matrimonij, non de cohabitatione aliqua sinè contractu, quod planum est ex specie facti, quæ proposita fuit Pontifici, indicantque etiam illa verba : *Et si contraxerant, an debeat rescindi*, quæ verba contractum sonant.

176. *Secundò.* Deinde : considerandum est, agi de eo, qui contrahit cum fœmina, ita clausâ, ut adiri non possit, cognitâ eâ impotentiâ, & non de Matrimonio potentis cum impotente, ignoratâ impotentiâ, ut quidam objicienti mihi respondebat. Quod tamen falsum esse, vel ex eo constat, quòd initio suæ responsionis inquit Pontifex : *Licèt incredibile videatur, quòd quis cum talibus contrahat Matrimonium.* Atqui credibile esset, multos contrahentes reperiri, si sermo esset de impotentia ignorata. Id certè evenire facilè posset. Quòd autem impotentiâ cognitâ quis contrahat, mirum est, cùm omnes ferè contrahentes, patris vel matris dulcissimam appellationem ardenter appetant. Loquitur itaque de impotentia cognita in contractu, de quo dubitare non licet, nisi cæco.

Putat hìc Auctor. Pontificem loqui de impotentia cognita.

177. *Quid taliter contrahentes facere debeant.* Quid ergò fieri debèt, cùm quis contrahit cum alio, cognitâ impotentiâ, poteruntne inire conjugia ad vacandum rei uxoriæ ? Minimè sanè. Sed quas ut uxores habere non possunt (inquit Pontifex) habeant ut sorores ; hoc est, castè vivant, atque ita se habeant, quòd ad oscula, tactus, amplexusque pertinet, ac si cum sorore viverent. Decernit ergò Pontifex, eorum conjugia validè celebrata, dummodò castè vivere velint. Hactenùs sunt verba Basilij.

An D. textus loquatur de Matr. contracto ad castè vivendum. Quæro ego : Quid si nolint castè vivere, censen' eorum conjugia validè celebrata ? Et verò ex quo verbo colligis, Pontificem ibi locutum fuisse de Matrimonio, quod contrahitur ad castè vivendum ? Immò contrarium apparet ex illis verbis : *Incredibile videtur* &c. Quare incredibile, nisi quia contrahunt ad copulam habendam, quam sciunt esse impossibilem ? Quid si mulier ignoret suam arctitudinem, vir autem sciat ? Quid si mulier noverit, vir autem ignoret ? Putas eorum conjugia validè celebrata ? Existimas, requiri scientiam utriusque ?

178. *Videtur quòd non.* Audi Gloss. verb. *Incredibile* : ubi dat rationem hujus incredibilitatis hisce verbis : *Quia conditionem corporis sui sciens, non contraheret de levi.* Ergò sufficit, quòd sola mulier, vel solus vir noverit suam impotentiam, ut credamus, non voluisse contrahere Matrimonium, quod per se contrahitur in ordine ad copulam ; de quo Matrimonio ibi loquitur Pontifex.

Quod ergò in fine dicitur : *Romana tamen Ecclesia* &c. sic intellige, ut quamvis Matrimonium priùs contractum fuerit invalidum ; equidem permittat eos cohabitare tamquam frater, & soror, secluso periculo incontinentiæ.

179. *Ostenditur prius Matr. non fuisse validum.* Et sanè, si fuisset Matrimonium priùs contractum validum, Ecclesia deberet præcipere, ut quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores. Quòd autem non præcipiat, docet Glossa ibi verb. *Iudicare*, dicens : *Ergò & nos sic judicare debemus, sup. de Re judic.* In causis. *Quod verum est, ubi ipsa sic præcipit judicandum, arg. 11. q. 3.* Nolite, *alias non permittitur aliter fieri, 11. dist.* Quis nesciat. *Sed hic non præcepit ejus consuetudinem esse servandam, sed potiùs consilium est.* Igitur possunt separari, utpote quorum Matrimonium fuerit invalidum.

Unde per illa verba : *Et si contraxerint, debeat rescindi*, non significatur verus & validus contractus Matrimonij ; sed solummodò in externa apparentia, qui rescinditur seu declaratur invalidus, dum putati conjuges separantur.

180. *Probatur ex c. 5. eod. tit.* Colligitur manifestè ex cap. 5. eod. tit. ubi Cælestinus III. rescribit in hæc verba : *Requisivisti, quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis.* Et infrà : *Nos autem in præsenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati conjugij, si frigiditas priùs probari non potsit, cohabitent per triennium : quo elapso, si*

nec

nec tunc cohabitare voluerint, & juxtà Decretum Gregorij, mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non posit, accipiat alium: si autem ille aliam acceperit separentur. Quòd si ambo consentiant simul esse, vir eum, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem.

In quo agitur de Matr. à parte rei invalido.

Num & in hoc textu per ly; *Celebrati conjugij*, intelligit Pontifex validum à parte rei Matrimonium? Quomodo ergo mulier posset accipere alium virum? Et si prius Matrimonium validum fuerat à parte rei, quid opus erat novo consensu amborum, ut simul cohabitarent tamquam frater & soror?

181. *Probatur ex Glossa.*

Audite Gloss. ibi verb. *Quòd si ambo: Vel* (inquit) *solummodo mulier. Ille enim, qui scienter contraxit, non videtur, quòd posit contradicere. Vel dicas & verius, quòd necesse est, quòd ambo consentiant; sufficit, quod ita scriptum est, etsi perquam durum est: quia cùm nullum sit Matrimonium, non tenetur alteri.*

Igitur cùm audis in jure fieri mentionem contractûs Matrimonij, aut celebrati conjugij, non semper subeat cogitatio veri ac validi Matrimonij; quippè sæpiùs significat Matrimonium attentatum, quàmvis invalidum.

182. *Objectio.*

Dices: saltem Pontifex ibi decernit, valere Matrimonium, si fiat ad castè vivendum instar fratris & sororis.

Solvitur.

Respondeo: Pontifex ibi ad summum decernit, impotentes de novo posse consentire in cohabitationem & mutua obsequia. Nuspiam autem vocat hunc consensum, seu contractum, indissolubile vinculum Matrimonij.

Vidit hanc responsionem Pontius sup. n. 3. dicens: Sed existimabit quidam ex his, qui se peritos existimant, his & similibus capitulis solùm decerni, ut quantùm ad cohabitationem & communicationem officiorum domûs, possint se in totam vitam confœderare & obligare, ut fœmina serviat viro, & vir alat fœminam, quæ quidem confœderatio, non Matrimonium, sed societas quædam civilis est.

183. *Impugnat Pontius solutionem.*

Sed profectò isti non tam ratione convincendi sunt, quàm latinè docendi; nam si vel verborum constructionem tenerent, satis hæc sua suppressissent. Quæritur à Lucio Pontifice, quid fieri debeat de Matrimonio impotentium, cognitâ impotentiâ, celebrato, & an, si jam contractum est, rescindi debeat. Dicant isti, nomine contractûs Matrimonij, vel rescissionis contractûs, quid intelligant? An separationem tantùm habitationis, & hujus quam vocant confœderationem, vel rescissionem vinculi conjugij. Si primum dicant, errant plenè. Si secundum, non ergò de hac civili societate agit Pontifex, sed de vero Matrimonij vinculo.

Quid multa in re tam aperta expugnanda? Respondet Pontifex: *Etsi incredibile videtur, quod quis cum talibus contrahat Matrimonium, tamen in similibus* &c. De contractu ergò Matrimonij loquitur, non de cohabitatione & societate civili; & judicium Ecclesiæ illud esse dicit, ut qui sic contraxerunt, castè vivant. Hæc ille; errare putans alios, ipse omnibus planetis errabundior, ut patet ex sup. dictis, & iterùm ostendo.

Dicat nobis Pontius, quid Pontifex intelligat per ly: *Contrahat Matrimonium*, quando dicit hoc videri incredibile. An contractum in ordine ad copulam, vel ad castè vivendum. Si primum dicat, plenè errat, ex hypothesi, quòd loquatur de valido contractu; nam, etiam secundùm ipsum, talis contractus est omninò nullus ex jure naturæ. Si secundum, etiam hoc dicendo, plenè errat; quia non videtur incredibile, quòd taliter contrahant, cùm Ecclesia Romana consueverit judicare, eos sic contraxisse.

184. *Rejicitur ejus impugnatio.*

Loquitur ergò de Matrimonio attentato à parte rei invalido, & ideò non erat opus rescissione; imò si fuisset validum Matrimonium, non poterat rescindi, cùm naturâ suâ sit indissolubile. Quare dum quæritur à Pontifice, an talis contractus debeat rescindi, non potest intelligi id de rescissione propriè dicta contractûs Matrimonij, id est, dissolutione vinculi matrimonialis, cùm istud non possit ordinariè dissolvi; sed de rescissione latè dicta, seu separatione conjugum quoad habitationem, & alia mutua officia.

Si fuisset validum Matr. non potuisset rescindi.

Unde ubi communiter legitur in D. textu: *An debeat rescindi*, scilicet Matrimonium attentatum, alia lectio habet: *An debeant rescindi*, id est, an debeant conjuges putatitij separari ab invicem, eoque facto declarari, Matrimonium fuisse invalidum. Quod Ecclesia non consuevit facere, si ambo de novo consentiant simul habitare tanquam frater & soror.

Hæc est germana expositio d. textûs, quam Pontius non vidit, quia non habebat oculos apertos ad videndum, sed clausos contrariâ opinione. Ferè enim ita natura comparatum est, ut animus, opinione quâdam præoccupatus, hoc, quem legit textum, sentire putet, vel etiam velit, quod ipse jam antè verum esse judicavit, ne alioqui se Pontificis testimonio damnatum esse fateatur. Ex quo fit, ut quidquid eò alludat, obtorto collo in suæ opinionis suffragium rapiat, quidquid abludat, vix eâ quâ decet attentione & patientiâ ponderet, excutiat, cum alijs conferat; sed velut obscurius dictum prætereat.

185. *Quare Pontius non viderit hanc expositionem D. textûs.*

Quod ut clariùs appareat in Pontio, attende quid sup. adhuc dicat. Prætereà, inquit, ut cingam eos undiquè tales: quid voluit Cælestinus, cùm dixit: *In præsenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati conjugij, si frigiditas probari non posit, cohabitent per triennium.* Quid illud est: *Cohabitare per triennium* Certè manere cum vinculo Matrimonij.

186. *Pergit Pontius probare suam expositionem.*

Cùm ergò statim addit: *Quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint*, cohabitandi verbum significat, etiam perseverare adstrictos conjugij nexu. Quòd si cohabitare voluerint, id est, sic adstricti manere, castè vivant, juxtà Decretum Gregorij primi. Quem, quia citat Pontifex, testem adhibeamus etiam, ut & ipsi obruantur multò magis, & nostra sententia corroboretur amplius.

Gregorius ergò cap. *Requisivisti*, 33. q. 1. quod

187.

inducit cap. Requiſiviſti. 33. q. 1.

quod ex epiſtola ejus, ad Epiſcopum Ravennatenſem ſcriptâ deſumptum eſt, ita reſpondet: *Requiſiviſti de his, qui ob cauſam frigidæ naturæ dicunt, ſe non poſſe invicem, operam carni dantes, commiſceri: iſte verò ſi non poteſt eâ uti pro uxore, habeat ut ſororem. Quòd ſi retinaculum conjugale voluerint reſcindere, maneant utrique innupti* &c. Quid clariùs? Si impotens non vult eam, cui uxorius eſſe non poteſt, quaſi ſororem habere, retinaculum conjugale reſcindatur. Si ergò haberet quaſi ſororem, permaneret retinaculum conjugale. Non enim manet tantùm civilis ſocietas, ſed verum Matrimonij vinculum, ſinè ullo ordine ad copulam, ad caſtè tantùm vivendum. Ita Pontius.

Non convincit intentum.

Qui, niſi obcæcatus fuiſſet contrariâ opinione, vidiſſet utique primò, Greg. requiſitum fuiſſe de his, qui contraxerant in ordine ad copulam, cum ignorantia frigidæ naturæ; alioquì non dediſſent operam carni, volentes & non potentes commiſceri. Iam autem, etiam teſte Pontio, Matrimonium ſic contractum, eſt omninò nullum jure naturæ.

188. *Evaſio præcluditur.*

Si dixeris: eſt omninò nullum in ordine ad copulam, non autem in ordine ad civilem ſocietatem. Contrà: in eod. cap. conceditur mulieri, quæ dicit: *Volo eſſe mater & filios procreare*, tranſitur ad alias nuptias, ibi: *Tunc videtur, mulierem ſecundas nuptias contrahere poſſe.* Per quas indubiè ſolvitur ſocietas illa civilis cum priori viro. Ergò ex illo contractu priore nullum exurgit vinculum matrimoniale, quod, ſecundùm Omnes, eſt indiſſolubile mutuo conſenſu, juxtà illud Chriſti Matth. 19. *Quod ergò Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Quis jam non videt, niſi cæcus, Greg. per *Retinaculum conjugale*, non intellexiſſe verum & validum Matrimonium? Nam ait: *Quòd ſi retinaculum conjugale voluerint reſcindere, maneant innupti.* Quid ergò intellexit? Matrimonium, quod ex opinione contrahentium fuerat validum, à parte rei tamen nullum.

189. *Quid ſit cohabitare per triennium.*

Unde *Cohabitare per triennium* in dicto textu Cæleſtini, non eſt manere cum vero vinculo Matrimonij, ſed ſimpliciter cohabitare cum dubio conjugij; quia dubium erat, an vere eſſent impotentes. Quo dubio ſublato, vel per copulam, habitam intrà triennium pro parte affirmativa, vel pro parte negativa per non habitam copulam, permittit Eccleſia, ut ineant alium contractum ſocietatis civilis, quem nuſpiam vocat verum nexum conjugij, nec ullo verbo ſignificat, illum eſſe indiſſolubilem mutuo conſenſu. Non eſt ergò, quòd Pontius ſollicitus ſit, ut nos doceat latinè, ſed convincendi ſumus ratione. Sed quæ illa?

Probatio Pontij ex ratione.

Audite ipſum ſup. Gravis injuria Pontifici irrogaretur, ſi ejus Decretum eſſet, ut cohabitarent ſimul, ſublato vinculo Matrimonij. Tam magno periculo Sanctiſſimi Patres permitterent habitare ſimul virum & fœminam, qui tam anxiè, etiam ſorores ipſas, ut Auguſtinus, quò magis alieni eſſent à ſuſpicione, pellebant domo?

Occurrit objectioni.

At, inquis, idem ſequitur inconveniens, ſi cohabitent ſimul nupti, prohibiti vacare rei uxoriæ; ſed non vides teneri jam illos vinculo indiſſolubili conjugij? Iudicârunt enim Patres, Matrimonium ad caſtè vivendum eſſe validum, atque ita illis volentibus caſtè vivere, non diſſolvi Eccleſiæ auctoritate. Hæc ille.

190. *Impugnatur probatio.*

Sed, amabo, quia vinculum indiſſolubile Matrimonij, ideò minus periculum incontinentiæ? Ubi autem foret periculum incontinentiæ, putas, quia Eccleſia permitteret eos cohabitare? Sanè ſi periculum proximum eſt, ipſa ratio naturalis dicat, eos eſſe ſeparandos. Supponit autem Eccleſia, non eſſe tale periculum; & periculum remotum, ſi quod eſt, excuſari ratione inconvenientium, quæ poſſent oriri, ſi illi, qui putabantur veri conjuges, ſepararentur quoad habitationem. Eo ſemper ſalvo, ut ambo de novo conſentiant, ſimul caſtè vivere.

Quem utique conſenſum nuſpiam Patres vocant verum & indiſſolubile Matrimonium; ſed magis oppoſitum, dum volunt eos cohabitare inſtar fratris & ſororis: conſtat autem habitationem fratris cum ſorore, tametſi interceſſiſſet contractus cohabitandi, mutuo conſenſu eſſe diſſolubilem.

191. *Eccleſia permittit habitationem fratris cum ſorore.*

Et nunquid Eccleſia permittit habitationem fratris cum ſorore, etiam ſinè prævio contractu caſtè vivendi? Non eſt dubium. Cur ergò non poſſet permittere, ut ſimul cohabitarent vir & fœmina, ſublato vinculo Matrimonij, cum prævio contractu civili caſtè vivendi? Aliud nihil ſignificat phraſis illa Pontificum: *Quas ut uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores.*

Quid ſignificent illa verba: Quas ut uxores &c. Explicatio Pontij.

Verùm hæc ſignificatio ſummoperè diſplicet Pontio ſup. n. 8. qui ſic incipit: Sed fefellit multos phraſis illa Pontificum: *Quas ut uxores* &c. Quâ exiſtimârunt ſignificari, Matrimonia reſcindi, tantùmque relinqui conjunctionem aliquam & cohabitationem civilem. Cæterùm ignorantiâ antiquitatis lapſi ſunt: hâc enim formulâ tantùm ſignificatur, conjuges illos non daturos operam illis actibus, quos licitos efficit maritale conſortium inter eos, qui obeundo muneri potentes ſunt, ſed caſtè victuros, ac ſi cum ſorore verſarentur, manente tamen vinculo conjugij.

192.

Id in primis ſatìs liquidò conſtat ex verbis Gregor. cùm dicat: *Si nolit eam habere quaſi ſororem, retinaculum conjugij reſcindendum eſt.* Ergò ut ſororem habere, non eſt, ſublato Matrimonij vinculo, in eadem domo ſimul habitare, ſed caſtè vivere; aliàs non eſſet reſcindendum ullum retinaculum conjugij. Hæc ille.

Confirmatur ſex teſtimonijs.

Quæ ibidem confirmat ſex teſtibus ſeu teſtimonijs, omni exceptione majoribus, in quibus vera uxor vocatur nomine ſororis, eo quòd ampliùs non poſſet vacare cum viro ſuo actibus carnalibus.

193. *Non concludunt intentum.*

Reſpondetur breviter: in omnibus illis teſtimonijs agitur de his, qui vero Matrimonio, etiam in ordine ad copulam, priùs fuerant indiſſo-

indissolubiliter conjuncti; tamen quia vel propriâ voluntate abstinebant à carnalibus, vel ex præcepto debebant abstinere, quæ anteà vocabatur uxor, jam vocatur soror.

Porrò in casu nostro constat, quòd prius Matrimonium fuerat invalidum, cùm ex voluntate contrahentium posset dissolvi. Atque adeò per illam locutionem: *Quas ut uxores habere non possunt, habeant ut sorores*, nullatenùs in dd. textibus significatur, verum inter ipsos consistere Matrimonium, sed potiùs oppositum. Sicuti neque in testimonijs à Pontio productis, nisi aliundè constaret de Matrimonio priùs legitimè contracto.

194. *Reprobatur explicatio Pontij.*

Igitur hìc nulla ignorantia antiquitatis, ut perperàm sup. dicebat Pontius: & retinaculum conjugij rescindendum est, si nolit eam habere ut sororem, id est, separandi sunt ab invicem, per quam separationem rescinditur retinaculum conjugale, id est, ostenditur prius conjugium fuisse invalidum & nullum à parte rei, & coram Deo, quàmvis ab hominibus verum & validum existimaretur.

Fundamentum nostræ Conclus.

Et ecce doctrinam Pontij, cardinibus suis luxatam, ac Conclusionem nostram fundatam super insignem magnamque rationem, putà voluntatem Dei, qui nuspiam instituit Matrimonium ad castè vivendum, sed ad procreandam prolem; ad quam utique procreationem contrahentes in casu proposito sunt perpetuò inhabiles; atque adeò inhabiles ad celebrandum verum conjugium à Deo institutum, de quo Conc. Trident. sess. 24. in principio sic loquitur: *Matrimonij perpetuum, indissolubilemq; nexum, primus humani generis parens, divini Spiritûs instinctu pronuntiavit, cùm dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo* &c.

195. *Dicast. putat, hic potiùs esse quæstionem de voce, quàm de re.*

Cæterùm Dicastillo sup. existimat, dissidium utriusque sententiæ potiùs esse in voce, quàm in re: nam (inquit) prima sententia, quæ pro virili contendit, ejusmodi Matrimonium valere, suppositâ impotentiâ perpetuâ, solùm videtur contendere & probare, posse esse quemdam contractum societatis ad mutuam vitæ consuetudinem, & individua officia, sibi mutuò præstanda, quòd secunda sententia non negat, nec nos illam secuti negamus; non concedimus tamen, illud esse appellandum Matrimonium, nec reverà tale est, quàmvis in aliquo referat similitudinem.

Exsistetur Bulla Sixti V.

Et hoc tantùm probant ratio & textus allati pro prima sententia: Nam in illis textibus, & in Bulla Sixti V. solùm habetur, quòd possint simul degere tamquam fratres, & quòd vir habeat fœminam non ut uxorem, sed ut sororem. Et quàmvis supponat Sixtus V. hoc posse fieri, & videatur supponere, ab impotentibus contrahi Matrimonium, solùm intelligendus est quoad attentationem, non quoad veritatem.

Imò etiamsi ibi permittat, eos qui jam conjuncti erant, non separari, si vellent castè vivere; & licet etiam non impediret, de novo conjungi contractu quodam Societatis, ad vitæ, & munerum mutuam communicationem & Societatem in diverso sexu; adhuc etiam ibi excepit Eunuchos, qui jam prædicto Motu proprio non permittuntur conjungi; & qui ante eum contraxerant, permissi fuerunt non separari, exceptis iis, qui convicti fuissent simul dormiisse.

196. *Quia Dicastil. sentiat de re.*

Itaque in radice respondemus oppositæ sententiæ; quòd quàmvis Matrimonium ordinetur ad vitæ & munerum societatem, nihilominùs, quia primariò & per se ordinatur ad prolis generationem, ideò ab impotentibus coïre, utpotè per se ineptis ad eum finem, non possit validè celebrari. Hucusque Dicastillo, conformiter ad ea, quæ hactenùs diximus.

Eum oppugnat Pontius.

Sed contrà arguitur ex Pontio lib. 1. c. 18. n. 18. Vinculum mutuæ societatis fundamentum est, ut possit esse vinculum vel obligatio ad carnalem copulam, per consensum scilicet contrahentium explicitum vel implicitum. Hæc enim causalis vera est: Quia in potestate sua conjugem habet, propriaque facta est priori vinculo; ideò uti potest ejus corpore ad liberorum procreationem. Tota ergò Matrimonij contractûs ratio in illa priori obligatione reperitur, cùm in ea à quolibet alio contractu distinguatur, & possit illa separari à secunda ex natura objectorum, neque sint necessariò connexæ. Sed ex illa duæ obligationes resultant & nascuntur quasi proprietates, ad finem conjugalem pertinentes; una impedibiliter fluit, & est obligatio negativa, de non cognoscenda aliena; in qua sola potest salvari bonum fidei in Sacramento Matrimonij, ut fuit in B. Virg. per hoc, quod nullo modo committatur adulterium: altera est obligatio positiva reddendi debitum, si ab altero conjuge exigatur, quæ tamen fluit impedibiliter, cùm mutuâ conventione separari possit hujusmodi obligatio. Hucusque sunt verba Basilij.

197. *Sed frustra.*

Qui si nihil aliud velit, quàm proximam obligationem reddendi debitum posse separari, jungimus dexteram: negamus interim, vinculum societatis esse fundamentum vinculi, seu obligationis ad copulam carnalem; atque adeò illam societatem esse finem primarium Matrimonij, quod Pontius ibi contendit n. 17. dicens: Præcipuus finis Matrimonij est, ut adversùs pericula & infortunia societatis vitæ utriusque sexûs, obsequijs, præsidio, atque solatijs juvetur. Hæc ille.

Præcipuus finis Matr. est procreatio prolis ex D. Aug.

Sed ita non loquitur D. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 4. ac 5. *Si* (inquit) *ad hoc adjutorium gignendi filios non est facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta est? Si quia simul operarentur terram, nondum erat labor, ut adjumento indigeret; & si opus esset, melius adjutorium masculus fieret: hoc & de solatio dici potest. si solitudinis fortasse tædebat. Quantò enim congruentiùs ad convivendum, & colloquendũ, duo amici pariter, quam vir & mulier habitarent? Quòd si oportebat alium jubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent: nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maximè si posterior ex priore crearetur, sicut fœmina creata est. An aliquis dixerit, de costa hominis Deum fœminam tantùm, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio, ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causâ subtrahatur.*

Ergò

198. *Obligatio radicalis ad copulam est fundamentum mutuæ societatis.*

Ergò secundùm D. Aug. præcipuus finis Matrimonij est liberorum procreatio. Ac proindè hæc causalis falsa est: Quia in potestate sua conjugem habet, propriaque facta est priori vinculo, ideò uti potest ejus corpore ad procreationem liberorum: falsa, inquam, est, si per prius vinculum intelligas vinculum mutuæ societatis, excluso jure, etiam radicali, ad copulam; vera autem hæc causalis: Quia in potestate sua conjugem habet, propriaque facta est posteriori vinculo, id est, quia dominium habet indissolubile conjugis ad prolis procreationem & educationem, ideò uti potest ejus corpore ad mutua obsequia, quia hæc ordinata sunt ad debitam prolis procreationem & educationem. Quapropter vinculum vel obligatio, saltem radicalis ad carnalem copulam, est fundamentum, ut possit esse vinculum indissolubile mutuæ societatis.

Resp. Hiquæi ad arg. Pontij.

Latiùs hæc deducit Hiquæus in suo Comm. 4. dist. 34. q. un. n. 49. ubi ad d. argumentum Pontij respondet, in eo committi æquivocationem: vel enim (inquit) intelligit vinculum societatis, ipsum vinculum indissolubile, quod inducitur ex contractu, & inseparabile, quod ab alijs & Aug. dicitur bonum Sacramenti; vel intelligit vinculum societatis, obligationem mutui obsequij, quæ incurritur ex vinculo matrimoniali.

199. *Quomodo vinculum societatis sit fundamentum obligationis ad copulam, & quomodo non.*

Si primum intendit, concedo, sic vinculum societatis esse fundamentum obligationis ad copulam. Sed sic dicimus nos ordinari illud vinculum ad copulam, & prolem, ut ad finem, ad quem est primò institutus contractus: & causalis eodem sensu intellecta admittitur, & sic nihil urget.

Si intelligat ipsa mutua obsequia, & obligationem ad illa, negatur hanc esse fundamentum prioris; sed econtrà, sicut ipse contractus ordinatur ad procreationem ut ad finem, sic etiam omnis ejus obligatio connaturalis ad eumdem finem refertur. Et hæc causalis est vera: Ideò ordinata est societas maritalis in differentia sexûs &c. ut sequeretur procreatio prolis, arguendo à causa finali: ordo enim effectûs ad causam finalem est immediatus, & non mediante alio; quia circumstantia finis est prima inter reliquas; neque alioquin erat necessaria individua hæc & singularis societas, nisi propter finem illum intentum; magis enim ordinabilis erat inter fratrem & sororem, inter ipsos fratres & parentes, quàm inter virum & alienam uxorem, nisi ad bonum prolis & propagationem esset instituta. Usque adhuc præfatus Auctor. Vide plura apud ipsum de præsenti controversia.

Nobis hæc dicta sufficient pro veritate nostræ Conclusionis, quæ negat perpetuò impotentes posse contrahere verum ac validum Matrimonium; quàmvis alioquì impotentia perpetua superveniens contractui, semel legitimè celebrato, eum non dissolvat, ut jamjam edissero.

CONCLUSIO IV.

Impotentia subsequens nullo casu dirimit Matrimonium etiam ratum tantùm.

200. *Impotentia superveniens non dirimit Matr. consummatum.*

IMpotentiam subsequentem non dirimere Matrimonium consummatum, nemo inficiatur; ut satìs patet ex dictis Disp. præced. Sect. finali, quæ est de indissolubilitate Matrimonij, ubi Concluſ. 3. diffusè probavimus, in lege nova non solvi Matrimonium fidelium consummatum, nisi per mortem. Impotentia porrò superveniens non est mors.

Objectio ex Dicast. quòd impotentia sit mors.

Quinimò, reponit quispiam, est mors, non quidem totius hominis, sed potentiæ generativæ, quæ æqualiter extincta est, ac si totus homo conjux esset extinctus. Atqui constat, mortuo & extincto toto homine, jus matrimoniale extingui, & alterum conjugem manere liberum: ergò mortuo partiali homine, id est, mortuâ eâ parte hominis, in qua residebat objectum essentiale juris matrimonialis, extingui debebit tale jus in altero; atque adeò alter conjux potens manebit liber; quia nec alter tenetur ipsi ampliùs, nec ille alteri debitum reddere, cùm hoc sit omninò impossibile; extincto quidem objecto juris in eo, qui adhuc manet potens; extincto etiam subjecto juris ex parte impotentis; quia neque hic habet subjectum capax juris utendi altero potente, nec alter potest habere jus utendi impotente, seu ad usum, qui non est copula matrimonialis. Ita arguit Dicast. hìc disp. 7. n. 468.

201. *Declaratur exemplo.*

Et prosequitur dicens: Res tota mihi videtur manifesto exemplo declarari. Ponamus duos sive ex pacto, sive ex lege habere jus & obligationem alterum alterius statis temporibus mutuò oculos aspiciendi. Hoc jus & obligatio non solùm extinguitur utriusque vel alterutrius morte; sed etiam, quando saltem alterutri illorum eruti essent oculi; adeò, ut sicut alterutro mortuo, superstes alter maneret liber à mutuo aspectu (quia jam esset impossibilis mutuus) ita alterutro orbato oculis, maneret is, qui potest adhuc videre, liber à mutuo oculorum aspectu, quia jam est impossibilis mutuus. In non cæco quidem, quia non habet objectum, scilicet oculos alterius; in cæco verò, quia non habet capax subjectum & potentiam talis aspectûs, scilicet oculos proprios, & non potest jus manere sinè objecto juris, & sinè subjecto juris.

202. *Applicatur ad propositum.*

Sic ergò in nostro casu, licèt conjuges illi habuerint jus, & obligationem copulandi se mutuò ad generationem, tale jus cessabit, non solùm utriusque vel alterutrius morte; sed etiam alterutrius organo amputato, quod non minùs est essentiale instrumentum ad copulam, quàm oculi instrumentum ad visionem: unde sicut in illo casu esset impossibile mutuum jus se mutuò aspiciendi, quia in uno deficeret objectum juris, & in altero subjectum capax talis juris; ita &

in nostro casu erit impossibile jus se copulandi, quia in uno deficit objectum juris, nempè correlativum instrumentum ad copulam ; in altero verò subjectum potens talem copulam exercere, atque adeò subjectum capax talis juris. Hactenùs Dicastillo.

Cur Matr. non dissolvatur per mortem potentiæ generativæ.

Cur ergò non dissolvitur Matrimonium consummatum, per mortem instrumenti generationis, seu potentiæ generativæ, æquè ac per mortem totius hominis, aut mutationem sexûs ? An fortè quia per miraculum potest reviviscere potentia generativa ? Etiam totus homo potest reviviscere, & mulier mutata in virum, rursùs potest mutari in fœminam ; & tamen manet Matrimonium dissolutum, etsi ea per miraculum contingerent ; ergò similiter in nostro casu, in quo æqualiter sublatum est jus radicale in copulam, & non solùm jus proximum, ut jam ostensum est ; ne alioquì cogamur dicere, etiam impotentes posse acquirere jus illud radicale, ac proindè ex natura rei validè contrahere Matrimonium.

203. *Reviviscente potentiâ generativâ, revivisc it jus copulæ.*

Solutio hujus difficultatis patet ex dictis Concluſ. præced. quæ non judico hìc repetenda. Tantùm addo : si per miraculum, aut etiam per dæmonem revivisceret potentia generativa, iterùm sine novo consensu revivisceret jus pristinum & pristina obligatio se mutuò copulandi ad generationem : secùs si totus homo revivisceret, aut iterata fieret mutatio in priorem sexum.

Ratio disparitatis : quòd per mortem solius potentiæ generativæ non dissolvatur Matrimonium ; sed maneat firmum & validum, quoad omnia obsequia possibilia ; secùs per mortem totius hominis, aut mutationem sexûs, Deo ita volente, & suam voluntatem demonstrante, per communem sensum totius Ecclesiæ. Jam autem inter obsequia, quæ mutuò præstant conjuges, præcipuum est copula, quæ ab alijs præstari nequit. Neque solùm obligant se ad præstanda obsequia pro hoc aut illo die, hoc vel illo anno ; sed pro toto tempore vitæ suæ.

204. *Probatur.*

Licèt ergò in casu nostro jus radicale ad copulam, tamquam omninò impossibilem, extinctum fuerit, sive potiùs sopitum pro tempore impotentiæ ; equidem reviviscet, reviviscente potentiâ, cùm jam rursùm habeatur objectum, & subjectum illius juris. Sicuti in exemplo posito, si duo sive ex pacto, sive ex lege haberent jus & obligationem aspiciendi mutuos oculos pro toto tempore vitæ suæ, tametsi uni illorum vel utrique eruti essent oculi, adeoque pro tempore, quo forent eruti, manerent liberi ab obligatione ; equidem si oculi per miraculum restituerentur, non video, quare prior obligatio non foret restituta, cùm jam habeat objectum & subjectum debitum. Atque hæc de Matrimonio consummato.

205. *An impotentia superveniens dissolvat Matr. tantùm ratum.*

Venio ad Matrimonium tantùm ratum, de quo aliqui dubitant, an non dissolvatur per impotentiam supervenientem. Scotus 4. dist. 34. q. un. n. 3. scribit sequentia : *Si talis impotentia* (loquitur de perpetua) *sequitur Matrimonium consummatum, non dirimit, quia jam potestas est tradita verè, & ille, cui fuit tradita, missus fuit in possessionem : ergò non potest revocari per aliquod impedimentum superveniens. Si autem tale impedimentum veniat inter Matrimonium ratum & consummatum, dubium est, an dirimat,* 33. q. 1. *Primum cap. videtur dicere partem affirmativam :* Conjugium confirmatur officio : *& sequitur post :* Antequam confirmetur, impossibilitas officij solvit vinculum. *Contrarium videtur ; quia jam data est potestas, & si impedimentum usûs accidat, non propter hoc rescindi potest datio prior, licèt difficile esset judicare, si non præcederet ratum, an præcederet consummatum, nisi fortè esset ablatio alicujus partis necessariæ ad actum illum tempore illo interveniens.* Ita Doct. Subtilis. *Negat Scotus.*

Sed nota ; illa verba, quæ citantur pro parte affirmativa, non esse alicujus Pontificis aut Concilij Oecumenici, vel S. Patris. Cujus ergò ? Gratiani in Summa d. quæst. ad finem. Unde ipse pro hac parte citatur à Sanchio lib. 7. disp. 102. n. 2. cum Alijs perpaucis. 206. *Affirmat Gratianus & pauci Alij.* Sanchez.

Ducuntur autem primò ex cap. 18. 32. q. 7. sequentis tenoris : *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correptâ non voluerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis : bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret ; sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis : non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, non detestabilis culpa excludit.* Ita Greg. III. Bonif. Episc. Epist. 4. *Probant id ex c. 18. 32. q. 7.*

Alius textus, qui videtur favere huic sententiæ, est cap. 3. de Frigid. & malefic. quod sic sonat : *Ex litteris tuis accepimus, quòd quidam sexdecim annorum, quamdam annorum tredecim duxit uxorem : qui cùm debitum reddere non posset, mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omninò viro sit facta inutilis, & instrumentum ejus impeditum, ita quòd vir ei commiscere non potest. Respondemus igitur, quòd si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Ita Alex. III. 207. *Et c. 3. de Frig.*

Quòd autem ambo hi textus loquantur de impotentia superveniente Matrimonio jam contracto, planum est & apertum ex verbis mox recitatis. An etiam de Matrimonio rato tantùm, non ita constat de priori textu ; de posteriori autem non est dubitandum.

Utut sit, propter dictos textus non est recedendum à Concluſ. quam Sanchez sup. n. 3. vocat verissimam, & expressè habetur cap. 25. 33. q. 7. *Hi, qui Matrimonium sani contraxerunt, & uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab Adversarijs exacantur, aut membris truncantur, aut à Barbaris exacti fuerint.* Ita Nicol. ad Carolum Moguntinensem Episcopum. 208. *Sententia negativa est verissima juxta Sanchez & habetur c. 25. 33. q. 7.*

Item 32. q. 5. cap. 15. refertur ex Aug. de Sermo. Domini in monte lib. 1. c. 32. *Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam,* *Item c. 15. 32. q. 5.*

dam, vel ſi quid aliud, ſive morbis & doloribus, languoribuſq; confectam, & quidquid (exceptâ fornicatione) cogitari poteſt vehementer horribile, pro fide & ſocietate ſuſtineat. Ergò intelligit etiam impotentiam, cùm ita univerſaliter loquatur.

Sed & univerſaliter loquuntur hi textus de Matrimonio, non diſtinguentes inter conſummatum, & ratum tantùm. Igitur nec nos debemus diſtinguere ſinè evidenti ratione. Quæ autem iſta?

209. *Probatur opinio affirmans ex ratione. Primò.* Quia (inquiunt Adverſarij) non minus requiritur ad conſervationem rei, quàm ad ejus eſſentiam: at Matrimonium conſiſtere nequit, ſi à principio adſit perpetua coëundi impotentia: nec ergò conſervari poterit, ſi illo inito ſuperveniat.

Secundò. Prætereà: quia obligatio ad reddendum debitum, ſemper comitatur Matrimonium tanquam illius paſſio. Ceſſante ergò hâc obligatione ob impotentiam ſupervenientem, caſſabitur Matrimonij eſſentia, utpotè quæ abſque propriâ paſſione ſubſiſtere non valet. Sic illi.

Vtraque ratio æqualiter militat in Matr. conſummato. Verumenimverò hæc duplex ratio æqualiter militat in Matrimonio conſummato & rato tantùm: & tamen Gratianus ſup. admittit, & omnes unanimiter fatentur, Matrimonium conſummatum non diſſolvi per impotentiam ſupervenientem. Ipſi ergò viderint, quid reſpondeant ad has rationes. Noſtra reſponſio patet ex dictis præcedenti Concluſione, ad quam remitto Lectorem.

210. *Explicatur d. cap. 18. per Gloſſ.* Reſtat ſolùm, ut ſatisfaciamus textibus, ſup. ex adverſo adductis. Quantùm ad primum, Gloſſ. ibi verb. *Nubat*, variè eum explicat. Do ipſiſſima ejus verba: *Hoc*, inquit, *Anglicis conceſſum eſt, ut dicit Greg. quia novi erant in fide, ut inf. eâd. §. Quàmvis. Sed malè; quia iſte non fuit Greg. Magnus, nec ſcribit Auguſtino Anglorum Epiſcopo, cui illa conceſſio facta eſt, 35. q. 1.* Quædam lex. *Vel intellige, quòd loquitur de ſponſa, & ſecundùm hoc illud eſt conſilium:* Non enim opem ſubtrahat. *Vel intellige de dote ei reſtituenda, extrà de Donat. inter virum & uxorem, c. 1. & 2. Vel loquitur de arctâ, & illud erit conſilium:* Non enim opem &c.

Sed contrà hoc objicitur extrà de Frigid. & malef. Conſultationi; *nam ibi dicit, quòd non invenitur aliquis Canon de arctâ. Sed certè benè invenitur, ſed non expreſsè. Vel intellige de juvene, qui continere non poteſt, cui permittitur contrahere cum una permiſsiva comparatione, ne ad plures accedat: ſimile inf. proxi. q. 2.* Si quid. *Vel dic, hoc abrogatum eſſe, ut dicit Hugo.*

Auctor intelligit per infirmitatem arctitudinem. Ecce multiplex interpretatio D. textûs; nobis probatur illa, quæ per infirmitatem intelligit arctitudinem antecedentem, propter quam prius Matrimonium fuerat invalidum.

211. *Solvitur objectio.* Nec obſtant illa verba: *Non tamen ſubſidij opem* &c. quia, ut ait Gloſſ. vel ſunt conſilij, vel intelligenda ſunt de dote reſtituenda, juxtà cap. 1. de Donat. inter virum & mul. *Mulieres cùm pro aliqua licita cauſa a proprijs viris fuerint ſeparatæ, totam dotem præcipimus ſibi reddi.*

Ubi Gloſſ. verb. Licitâ, inquit: *Putà conſanguinitatis, vel aliâ legitimâ, & ignoranter contraxit, tunc reſtitui debet, quidquid alter ab altero habuit, ſup. de Conjug. ſerv.* Propoſuit: *quia nullum fuit Matrimonium: alias ſi ſcienter contraxiſſent, perdere debent quidquid alter alteri dederit, & fiſco applicatur, niſi errore aut minori ætate excuſentur.*

212. *De impotentia antecedente intelligitur D. textus.* Commodè ergò intelligi poteſt d. cap. *Quod propoſuiſti*, de impotentia antecedente. Imò debet, niſi velis dicere, etiam Matrimonium conſummatum diſſolvi per impotentiam ſubſequentem. Neque enim verba textûs diſtinguunt, ſed univerſaliter loquuntur de muliere, quæ, infirmitate correpta, non valet debitum viro reddere; hæc autem infirmitas ſupervenire poteſt tam Matrimonio rato, quàm conſummato.

Vìdetiam d. c. 3. de Frig. Conſimiliter de impotentia antecedente intelligi poteſt, & verò debet poſterior textus, ſup. allegatus, putà cap. *Ex litteris*, de Frig. & malefic. cum Gloſſa ibi verb. *Contraxit*, quod ſic explicat: *Id eſt, contraxiſſe apparuit, vel in veritate contraxit, ex eo, quòd contrà naturam vim ei forſan intulit, quia arcta fuit: unde nullo modo potuit ſibi commiſceri; unde magis inhabilis reddita fuit, & ſic non fuit Matrimonium* (propter arctitudinem, quæ præceſſerat contractum) *infrà eod.* Fraternitatis. *Si enim non loqueretur de impedimento, præcedente Matrimonium, ſtare non poſſet, quod dicitur in fine 32. q. 1.* Dixit, *& q. 5.* Si uxorem, *& ſup. de Conjug. leproſ. c. 1. & 2.*

213. *An impotentia concomitans contractum cenſeri debeat antecedens.* Igitur dicti textus non convincunt intentum Adverſariorum. Sed neque rationes ab eis allatæ; atque adeò perſiſtendum eſt in Concluſione tamquam veriſſimâ & communiter receptâ. Solùm quæri poſſet; an impotentia quæ concomitatur contractum Matrimonij, cenſeri debeat ſubſequens, an verò antecedens; id eſt, an dirimat contractum, quem concomitatur, vel relinquat eum firmum ac validum.

Hanc quæſtionem non reperio deciſam in aliquo Auctore, cùm tamen ſæpiùs ſoleat contingere talis impotentia; id eſt, ſæpè malefici, dum actu contrahitur Matrimonium, ponunt ſignum aliquod magicum, per quod reddantur conjuges impotentes ad reddendum debitum. Quæritur ergò, an hæc impotentia concomitans ſit antecedens, vel conſequens; an dirimat, vel non dirimat Matrimonium.

214. *Affirmat Auctor & probat.* Mihi videtur, ſalvo meliori, dirimere, ſi cætera adſint. Ratio mea eſt: quòd talis impotentia impediat tranſlationem dominij corporis apti ad generationem; nam, ut ſupponitur, eo ipſo momento, quo corpus tranſfertur, aut transferri deberet, corpus eſt ineptum; ergò per talem contractum non tranſfertur corpus aptum, ſed ineptum. Iam autem ratio, quare impotentia antecedens impediat Matrimonium & ipſum dirimat, eſt, quòd impediat tranſlationem corporis apti ad generationem.

215. *Objectio.* Dices: peccatum commiſſum in ipſo Baptiſmo Multi annumerant peccatis, commiſſis poſt

Baptismum, in ordine ad absolutionem sacramentalem. Ergò similiter impotentia concomitans Matrimonium censeri potiùs debet subsequens Matrimonium, quàm antecedens, in ordine ad dirimendum vel non dirimendum Matrimonium.

Solutio. Respondeo: disparitatem petendam esse ex subjecta materia. Sacramenti Pœnitentiæ materia sunt peccata hominis baptizati, sive commissa ab homine baptizato, ut suo loco ostendimus ex Trident. sess. 14. c. 5. Porrò peccata commissa in ipso Baptismo, sunt peccata hominis baptizati. At verò materia contractûs Matrimonij, sunt corpora apta ad generationem, qualia non sunt corpora, quæ in ipso contractu fiunt inepta: non enim corpora sunt materia contractûs, nisi eo instanti, quo contrahitur; jam autem in casu nostro eo instanti sunt inepta: ut proindè sit contractus impotentium, sicut peccatum, quod committitur in Baptismo, est peccatum hominis baptizati.

216. *Sententia Doct. Seraphici de impotentia naturali.* Finio hanc Conclus. cum verbis Doct. Seraphici 4. dist. 34. a. 2. q. 1. ubi tractat de impotentia naturali, & n. 21. sic ait: *Ad illud quod objicitur, quòd est vinculum insollubile: dicendum, quòd istud verum est, postquam contractum est legitimè; & ex tunc, si superveniat illegitimitas hæc, non solvit Matrimonium; sed si prævenit, impedit contractionem: & adeò impedit, quòd, etsi videatur Matrimonium contrahi secundùm faciem hominum, tamen secundùm veritatem non contrahitur; & ideò dicitur dirimere jam contractum, non quòd illud vinculum infringat, sed tantum est impedimentum, quòd, etsi de facto consummetur in facie hominum, nullam tamen soliditatem habeat.*

217. *Itemque de impotentia accidentali.* Similiter loquitur de impotentia accidentali, quæ est per maleficium, ibidem q. 2. n. 23. *Impotentia* (inquit) *perpetua aut præcedit legitimam contractionem Matrimonij, aut sequitur. Si præcedit, facit personam illegitimam, ita quod impedit contrahendum, & dirimit jam contractum. Si sequitur, non impedit. Sicut etiam de sectis dicitur caus.* 32. q. 7. Cum autem non distinguat D. Bonav. inter Matrimonium ratum, & consummatum, meritò à Sanchez sup. n. 3. citatur pro nostra Conclusione.

Sed quid, interrogat aliquis, si dubium sit, an impotentia præcesserit Matrimonium, an subsecuta fuerit? Respondetur:

CONCLUSIO V.

In dubio, an impotentia præcesserit, si est naturalis, præsumitur præcessisse. Si est accidentalis, præsumi potest subsecutam fuisse.

218. *Aliqui docent, in dubio præsumendum semper impotentiam præcess. esse.* COmplures apud Sanchez sup. disp. 103. n. 1. sinè aliqua distinctione docent, in dubio, an impotentia præcesserit Matrimonium, & proindè illud sit irritum; sustinent, inquam, præsumi eam præcessisse, ac Matrimonium esse dissolvendum tamquam irritum.

Probant 1. ex c. fin. de Frig. Ducuntur primò, per cap. fin. de Frig. & malef. ubi nec allegatio, nec probatio facta est super prioritate temporis; sed probato maleficio, ac præsumpto perpetuo per triennij experientiam, separatum est Matrimonium, quasi jus statim præsumat maleficium præcessisse. Nam aliàs id probandum erat, ut Matrimonium ratione illius dissolveretur.

219. *Sed minùs solidè, ex Sanchez.* Respondet Sanchez sup. n. 11. eum textum nil probare; quia non petitum est à Pontifice, an præsumatur maleficium præcessisse, nec de hoc quæstio instituta est, ut id allegaretur aut probaretur. Sed tantùm quæsitum est, quando præsumatur maleficium perpetuum, ut sic Matrimonium subsequens dirimat, & respondet Pontifex, quando triennio cohabitationis transacto non cessat. Nec aliqua mentio est facta de maleficij antecessione, sed ea supponitur, quia circà illam non versabatur dubium. Hæc ille.

Impugnatur Sanchez. Sed quare (reponunt Adversarij) non versabatur circà illam dubium, nisi quia jus præsumit, impotentiam ex maleficio semper præcedere Matrimonium, nisi contrarium probetur?

220. *Quo fundamento jus præsumat impotentiam præcessisse.* Rogas: quo fundamento hoc præsumat? Nam opposita præsumptio est in favorem Matrimonij: in dubio autem favendum est valori Matrimonij; arg. cap. *Licet ex quadam*, 47. de Testibus & attest. in fine: *Tolerabilius est enim, aliquos contrà statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitimè contrà statuta Domini separare.*

Respondent: hoc procedere, quando Matrimonium potest consequi suum finem, teste Abbate cap. *Fraternitatis*, de Frig. & malef. n. 16. ubi ait: Sed est dubium, utrùm præsumatur (maleficium) præcessisse Matrimonium, an secutum fuisse. Doctores licèt hìc dubitent, videntur tamen magìs inclinare in sententiam, ut præsumatur præcessisse, & sic expediantur isti, & non maneant impediti.

221. *Quando sit in dubio sententiandum pro Matr. ex Abbate.* Neque obstat cap. *Licet ex quadam*, in fine sup. de Testibus, ubi dicitur, quòd in dubio est pro Matrimonio sententiandum; illud enim procedit, ubi Matrimonium potest habere suum effectum, scilicet evitationem fornicationis, vel bonum prolis, quod hìc non est propter impotentiam coëundi. Et nota mirabilem limitationem ad illud cap. ut nunquam præsumatur pro Matrimonio in dubio, quando non potest habere suum effectum.

Et hanc opinionem sequitur Do. Ant. in cap. proximum. Sed ego allego Glossam in contrarium, 33. q. 1. in Summa, quæ dicit, quòd impedimentum præsumitur subsecutum favore Matrimonij. Primum dictum plus mihi placet, ex quo nunquam potuit cognoscere illam mulierem: nam ex futuro præsumitur circà præteritum, ut notat Gloss. in cap. *Scribam*, sup. de Præsumpt. Hactenùs Panormitanus.

222. *Aliud arg. pro hac sententia.* Addam adhuc unum argumentum pro hac sententia. Quia (inquiunt Adversarij) judicando impotentiam præcessisse, favetur proli & continentiæ. Sic enim conjux potens non manebit

nebit eo Matrimonio ligatus, ac integrum illi erit ad alias nuptias tranſire, quo prolem ſuſcipiat, atque incontinentiæ periculum vitet.

Confirmatur. Et confirmatur : quia præſumptio in alicujus favorem inducta, locum non habet, quoties in ejus damnum redundaret. Sicut in dubio quiſpiam præſumitur bonus : at ſi ex præſumptione bonitatis actûs redundaret damnum illum agenti, ceſſat præſumptio. Ne quod favore alicujus inductum eſt, in ejus odium retorqueatur, contrà Reg. 61. de Reg. juris in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* Cùm ergò favor hic Matrimonij, ut in dubio pro ejus valore præſumatur, inductus ſit favore prolis, ceſſare debet, quoties in prolis damnum is Matrimonij valor cedit, ut contingit, quoties de anteceſſione impotentiæ dubitatur.

223. *Oppoſita ſententia adhæret Sanchez tamquam probabiliori.* Hæ ſunt rationes, propter quas, accedente auctoritate multorum, putat Sanchez ſup. n. 5. hanc ſententiam eſſe valde probabilem. Quàmvis ipſe adhæreat ſententiæ oppoſitæ tamquam probabiliori ; nempè impotentiam accidentalem, qualis eſt maleficij, aut ſi virilia abciſſa ſint, non præſumi præceſſiſſe : atque ita in hoc dubio validum eſſe Matrimonium, quæ eſt ſecunda pars noſtræ Concluſionis.

In dubio impotentia naturalis præſumitur præceſſiſſe. Equidem quod ad primam attinet, docet eam Sanchez ſup. n. 4. Quando (inquit) impotentia eſt naturalis, in dubio præſumitur eam præceſſiſſe, & ſic Matrimonium eſſe nullum. Ducor : quòd naturalia ſint perpetua : & qualitatem, quæ à natura eſt, ſemper ineſſe præſumatur. Sic ille.

224. *Probatur ex ratione.* Poteſt etiam probari rationibus jam adductis pro priori ſententia, & auctoritate DD. qui eam docent, quamquam explicitè de impotentia naturali non loquantur, eò quòd vix dubium eſſe poſſit, an præceſſerit, an ſubſecuta fuerit, ut notat Averſa q. 13. ſect. 4. §. *Iuxtà hanc ſententiam*, dicens : Conſiderandum eſt, hanc dubitationem de impotentia præcedente, vel ſubſequente contractum, apud ambos conjuges ſpecialiter contingere poſſe ex maleficio ; quia alioquì ex frigiditate viri, aut arctatione mulieris, & ſimilibus caſibus liquidò conſtabit, præceſſiſſe Matrimonium. Ita hic Auctor.

Idem docet Averſa de impotentia accidentali. Et actutùm adjungit ſuum ſentimentum de impotentia accidentali his verbis : De maleficio ergò, quando occurrit, præſumendum ac cenſendum erit, præceſſiſſe contractum, niſi, inquam, aliundè oppoſitum conſtet.

225. *Probatio.* Suadetur : quia quandocumque conjuges in conatu copulæ experiuntur ſe impotentes ex maleficio, ſcire non poſſunt ex certa evidentia, num antè vel poſt contractum interceſſerit maleficium : quare niſi accedat præſumptio de anteceſſione, nunquam aut vix ex hoc capite dirimeretur Matrimonium. Sed tamen conſtat in judicio, & uſu Eccleſiæ, quando probatur impotentia ex maleficio, diſſolvi Matrimonium : nec requiri, ut probetur etiam anteceſſio maleficij.

Ex alio capite poteſt oriri lis inter conjuges, ſi vir in congreſſu conjugali appareat exectus, ut dicat ſe exectum fuiſſe, poſtquam per verba de præſenti contraxerat Matrimonium. Et in hoc caſu eidem viro videtur incumbere onus id probandi : quia moraliter loquendo, ſi id factum ſit tali tempore poſt contractum, poteſt de facili probari, & ipſe, qui hoc paſſus eſt, debebit probare. Et alioquì, niſi probet, præſumetur ac reputabitur, jam ex anteà tali defectu laboraſſe, atque adeò contractum Matrimonij non valere. Hactenùs Averſa contrà Sanchium, & 2. partem noſtræ Concluſionis.

226. *Oppoſitum probatur ex Sanchio.* Ducitur autem Sanchez ; quòd eſtò id Matrimonium omni favore peculiari deſtitutum ſit, præſumptio juris eſt pro ea parte, ut impotentia illa non præceſſerit Matrimonium, ſed ſecuta ſit. Cùm enim natura ipſa hominem illum potentem produxerit, aſſerenti, eum aliquando impotentem fuiſſe, incumbit onus probandi ; utpotè cui aduerſatur præſumptio, à natura ipſa deſcendens. Cùm ergò hanc impotentiam accidentalem non probetur fuiſſe antè Matrimonium, non præſumetur eo antecedenti tempore fuiſſe ; ſed præſumptio militabit pro qualitate naturali, quæ eſt potentia coëundi.

Non eſt opus hic confugere ad favorem Matr. Quare non eſt opus confugere ad Matrimonij favorem, ut præſumendum ſit eam impotentiam ſubſecutam : id enim neceſſarium foret, ubi ipſa juris præſumptio non convinceret impotentiam ſubſecutam eſſe. Cùm autem id convincat præſumptio, quæ à natura ipſa proficiſcitur, in hoc eventu, ceſſante omni favore Matrimonij, præſumendum eſt impotentiam ſubſecutam, & illud validum eſſe. Ita Sanchius.

227. *Objectioni occurritur.* Sed enim dicet aliquis : unde conſtat, quòd id convincat præſumptio, quæ à natura ipſa proficiſcitur ? Reſpondeo ; quia natura ipſa hominem potentem ſolet producere : niſi ergò probetur clarè contrarium, præſumitur ſic produxiſſe.

Probatio à ſimili. In ſimili : quando dubitatur, an quiſpiam contraxerit Matrimonium furioſus exiſtens, ſi non conſtet, eum anteà furore correptum fuiſſe, non præſumitur furioſus ; ſed ſanæ mentis contraxiſſe, adeoque Matrimonium valere. Ratio eſt clara ; quia natura ipſa homines ſanæ mentis producit ; quare aſſerenti, aliquem inſanum eſſe, adverſatur præſumptio, quæ à natura ipſa deſcendit. Ita Covarr. 4. Decret. 2. part. c. 1. n. 5. Ergò conſimiliter in noſtro caſu, aſſerenti aliquem impotentem fuiſſe antè Matrimonium, adverſatur præſumptio, quæ à natura ipſa deſcendit, & ideò ei incumbit probatio.

228. *Aliud arg. Sanchez ex c. 47. de Teſtib.* Ducitur prætereà Sanchez : quòd cap. *Licèt ex quadam*, de Teſtibus & atteſt. in fine, unde DD. deducunt, in dubio pro Matrimonij valore præſumi, non innituntur peculiari Matrimonij favore, ſed ratione ipsâ, ex principijs naturalibus deductâ, ut conſtat ex ratione in eo textu ſubjunctâ, ibi : *Tollerabilius eſt enim, aliquos contrà ſtatuta hominum dimittere copulatos, quàm conjunctos legitimè contrà ſtatuta Domini ſeparare.* At in hoc eventu eadem ratio militat : nam in dubio, nec habitâ ſufficientis impotentiæ probatione,

batione, quæ Matrimonium antecederet, dirimeretur illud contrà legem divinam, ex dubijs hominum testimonijs.

Objicitur. Sed dices : hunc textum minimè favere, quòd loquatur, quando impedimentum est ex solo jure humano, ut constat ex illis verbis : *Contrà statuta hominum dimittere copulatos.* At impedimentum impotentiæ dirimit jure naturali ac divino.

229. *Solvitur.* Sed dic : dum textus ait : *Contrà statuta hominum*, non esse sensum, id est contrà statuta Pontificum, sed sensus est, id est contrà hominum testimonia, firmitate necessariâ destituta, ad concludendum Matrimonium jam contractum esse irritum ; ac proindè non certam, sed dubiam fidem faciunt.

Confirmatur solutio. Et constat hæc expositio ; tum, quia etiamsi impedimentum sit jure humano dirimens, manerent utique conjuges illi contrà statutum juris divini ac naturalis copulati : quippè esset illorum concubitus fornicarius : tum etiam, quia id constat ex antecedentibus in eo textu, quæ omnia versabantur circà testimoniorum proferendorum circumstantias, ut fidem facerent ad Matrimonium dissolvendum. Et ita concluſit Pontifex, quando hæc testimonia non iis circumstantijs vestita sunt, ut fidem certam faciant, tolerabiliùs esse, contrà ea testimonia dimittere aliquos copulatos, quàm contrà statuta Dei separare legitimè conjunctos. Vsque adhuc Sanchez.

230. *Impugnatur solutio. Primò.* Verùm contrà hanc expositionem facit primò : quòd textus solùm loquatur, quando dubitatio circà valorem Matrimonij oritur ob aliquem gradum consanguinitatis vel affinitatis : sic enim incipit : *Licet ex quadam necessitate, præter communem formam, olim fuerit iustitutum, in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valere testimonium de auditu* &c.

Abbas. Hinc Abbas hìc : Nota ibi : *Gradibus computandis* ; quia testimonium de auditu admittitur solùm, cùm agitur de consanguinitate vel affinitate probanda : secùs ergò si agitur de alijs impedimentis, licèt causa sit matrimonialis, quod tenet hìc Io. And. & satis probatur in textu ; nam specialitas fuit inducta propter impossibilitatem probandi per testimonium de visu, quod cessat in alijs impedimentis ; putà, si proponeretur, quòd sunt compatres, vel quid simile. Hæc ille.

231. *Secundò.* Præterea : quid cogit, ut æquivocè accipiamus ly *Statuta*, in eadem periodo, nunc intelligendo testimonia, nunc autem leges? Nam certum est per statuta Domini, non posse intelligi testimonia, sed necessariò accipiendam esse legem divinam : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* ? Agitur quidem in textu de testibus & testimonijs hominum ; sed etiam agitur de impedimento, quod dirimit ex jure humano ; & quàmvis concubitus foret fornicarius, veluti si non essent nequidem exteriùs copulati ; equidem copulatio externa non est contrà statutum seu legem divinam & naturalem.

Abbas in d. Audite Abbatem sup. Nota ibi, *Statuta hominum* &c. quia statuta Papæ & Concilij dicuntur esse hominum, & non Dei. Et notabis hoc perpetuò, quòd licet Deus videatur promulgare jura per ora Principum, 8. dist. *Quo jure*, & Spiritus sanctus præsumitur loqui per os eorum, qui sunt in Concilio generali, 50. dist. *Si ille.* Et Christus dixit in Evangelio Luc. 4. *Qui vos recipit, me recipit, qui vos contemnit, me contemnit* : tamen jus divinum magis stringit, quàm jus humanum, prout hìc, & in cap. *Litteras*, de Restit. spoliat. Ita Panormitanus. Intelligens utique per statuta hominum in d. textu statuta sive leges Pontificum, quæ constituerunt impedimenta graduum. *l. 47. per statuta hominum intelligit leges Papæ.*

Atque hic intellectus nobis magis probatur ; neque obstat doctrinæ Sanchij, ut patet ex jam dictis ; neque alius intellectus necessarius est pro ejus veritate ; quippè, etiam hoc textu seclusò, qui ad summum probat, in favorabilibus judicandum esse pro valore Matrimonij, ex natura rei præsumitur potentia coëundi, ubi non clarè probatur impotentia ; & in d. textu non agitur de quibuscumque impedimentis ; sed tantùm de impedimento graduum, quod est juris Ecclesiastici, & de dissolutione Matrimonij, quod potest suum consequi finem, nimirum bonum prolis, aut fornicationis vitationem. Hìc autem tractamus de Matrimonio, de quo dubitatur, an jure naturæ sit validum, & quod non potest suum consequi finem, nimirum bonum prolis, aut vitationem fornicationis. 232. *Hic intellectus approbatur ab Auctore.*

Quidquid ergò sit de illo textu, propter primum argumentum Sanchij potest præsumi, ut habet ultima pars Conclusionis, impotentiam accidentalem subsecutam fuisse Matrimonium, nisi constet de oppositio. Tunc autem satìs constat de oppositio, secundùm Sanchez sup. n. 6. quando breve tempus à Matrimonio contracto usque ad ejus consummationis intentationem transijsset (ut communiter accidit) Tunc enim non præsumitur tam brevi tempore impotentiam illam accidisse ; sed potiùs præsumendum est, eam priorem Matrimonio fuisse. 233. *Quando constet impotentiam præcessisse.*

Ex jam dictis satìs colligitur, quid sit resolvendum, quando, factâ sufficienti indagine, dubitatur, an impotentia sit naturalis, an potiùs accidentalis. Cùm enim potentia ad copulam sit homini naturalis, ut dictum est, ubi de impotentia naturali minimè constat, non utique ea præsumenda est ; sed potiùs, si quæ impotentia est, ex accidenti aliquo profectam fuisse. *In dubio censenda est impotentia accidentalis.*

Atque eâdem ratione resolvitur dubium, quod versatur, non circà anteceſſionem impotentiæ ; sed circà ipsam impotentiam, quando, inquam, dubitatur, an vera impotentia sit, & an Matrimonium consummatum sit, nec ne ; si adhibitâ sufficienti diligentiâ, id dubium vinci nequit, censeo cum Sanchio sup. n. 8. præsumendum fore pro Matrimonij valore, nec illud semel initum posse dissolvi. 234. *In dubio de vera impotentia, & de consummatione Matr. præsumitur valor.*

Ducor ; (inquit Sanchez) quia cùm quilibet naturaliter præsumatur potens, asserenti veram impotentiam, ubi ea dubia est, incumbit onus eam probandi, & dum ea non fuerit certò probata; *Probatur à Sanchio.*

bata, præſumitur pro naturali potentia; ac ſubinde pro Matrimonij valore. Deinde: quòd in hoc dubio poſſeſſio ſtet pro Matrimonio: cùm id contractũ eſſe cõſtet, & ſolùm dubitetur de ejus impedimento, quod nunquam præſumitur. Hęc ille.

235. *Impugnatur.* Quinimò, reponis, præſumitur aliquando impedimentum, ut patet in caſu ſup. poſito, quando in dubio præſumitur impotentia antecedens, quæ ſola eſt impedimentum.

Sed fruſtra. Reſpondet Sanchez ſup. quando conſtat de impotentia; Matrimonium omni favore deſtitutum eſt. At hìc non conſtat de impotentia; ſed ea dubia eſt, & præſumptio ſtat pro potentia. Unde non eſt, cur Matrimonium id favore privari debeat, ut in dubio pro illo judicetur.

Replica ſolvitur. Replicas: etiam in caſu ſuprà poſito Matrimonium eſt in poſſeſſione: in pari autem delicto vel cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Reſpondeo: non eſſe parem cauſam, quia præſumptio ibi ſtat pro impotentia; hìc autem pro potentia.

236. *Alia probatio Sanchij ex c. 1. de Frig.* Probat præterea Sanchez ſuam & noſtram ſententiam: quia viro aſſerenti propriam potentiam, ne diſſolvatur Matrimonium, fides habenda eſt, contrà fœminam eam negantem; arg. cap. 1. de Frig. ibi: *Illa autem, ſi prior poſt annum aut dimidium, ad Epiſcopum aut ejus miſſum proclamaverit, dicens, quòd non cognoviſſes eam; tu autem contrarium affirmas, tibi credendum eſt, eo quòd caput es mulieris.* Et, ut ait Innoc. ibi n. 3. in fine · quòd quilibet præſumatur potens, & quia ſtat pro Matrimonio, quod favorabile eſt.

Unde etiam DD. aſſerunt, fœminæ fatenti viri potentiam, & ab eo ſe cognitam, ne dirimatur Matrimonium, potiùs credendum eſſe, quàm viro neganti; quia ſtat pro Matrimonio, quod favorabile eſt. Et d. cap. 1. requiritur probatio, ut fiat ſeparatio, ibi: *Si probari poteſt per rectum judicium, ſeparari poteſtis.*

237. *Non eſt ſtandum confeſſioni conjugum contrà Matr.* Ubi Gloſſ. verb. *Probari*, inquit: *Hoc ideò dicit, quia non eſt ſtandum eorum confeßioni contra Matrimonium: & ſi uterque confiteatur, non videtur credendum, ne in fraudem hoc diceretur, niſi quod aſſerunt probaverint.* Quamdiu autem manet res dubia, non dicitur probata. Atque adeò quamdiu impotentia manet dubia, conjuges non poſſunt ſeparari, eò quòd favore Matrimonij præſumatur potentia unicuique connaturalis, donec probetur impotentia per rectum judicium.

238. *An dubius de ſua impotentia poſſit tranſire ad Matr. Negat Sanchez.* Sed nunquid, qui dubitat de ſua impotentia, licitè tranſit ad Matrimonium, & Matrimonio contracto poteſt petere & reddere debitum?

Reſpondeo cũ Sanchez ſup. n. 10. illicitè tranſit; quia exponit ſe periculo irritandi Matrimonij. Interim Matrimonio contracto poteſt petere & reddere debitum; quia ejus Matrimonij valor eſt neceſſariò diſcutiendus; niſi ergò alio modo diſcuti poſſit, & conſtare de impotentia, concedenda eſt copula, ſeu attentatio copulæ, ne alioquì ſuſpenſa maneat Eccleſia, nec poſſit judicare, an id Matrimonium confirmandum ſit, an verò diſſolvendum. Et hoc ſolum probat cap. *Laudabilem*, de Frig. ubi, in dubio de frigiditate, conceditur experientia copulæ conjugalis per trienniũ, ſcilicet Matrimonio jam contracto: non autem permittitur, ut cum tali dubio Matrimonium contrahatur.

Contractio Matr. poteſt uti, etiam petendo.

Sic etiam cap. *Dominus*, 2. de Secundis nuptijs, interdicitur tranſitus ad ſecundas nuptias, quando non conſtat, ſed adhuc dubium eſt, an prior conjux obierit; eſtò, ſi tranſitus illicitè factus fuerit, concedatur redditio debiti, ibi: *Si verò aliquis vel aliqua id hactenùs non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti.* Ubi Gloſſ. verb. *Non deneget*, ait: *Et ita propter dubium præſumitur pro Matrimonio.*

239. *Objicitur c. 2. de Secund. nupt.* Planè, inquis; ſed omittitur particula, quæ ſequitur in d. textu: *Quod à ſe tamẽ noverit nullatenùs exigendum.* Ubi Gloſſ. verb. *Nullatenùs exigendum: Hoc eſt* (inquit) *propter conſcientiam dubiam ex probabili cauſa.* Ergò perperàm ſup. dictum fuit, quòd in caſu propoſito poſſit etiam peti debitum.

Solvitur. Reſpondeo: non eſſe ſimiles caſus; quia in uno caſu copula non eſt neceſſaria ad diſcuſſionem valoris Matrimonij, ſecùs in alio; & ideò in uno licet copula, eſtò malâ fide ab utrâque parte initum ſit Matrimonium, ſecùs in alio; ſed ibi tantùm licet petere debitum ei parti, quæ bonâ fide contraxit, propter juſtam poſſeſſionem, quâ non debet in dubio ſpoliari.

240. *Alia objectio.* Dices: fieri poteſt, ut in caſu noſtro alter contraxerit bonâ fide, ignorans dubiam impotentiã; tunc ad diſcutiendum valorem Matrimonij ſatis erit, quòd hæc pars poſſit petere, & alia, quæ malâ fide contraxit, teneatur reddere.

Reſponſio. Reſpondeo: etiam fieri poteſt, ut pars, quæ bonâ fide contraxit, nolit petere debitum, quid tunc remedij, ſi altera pars non poſſit petere?

241. *Caſus particularis circa hanc materiam.* His ita conſtitutis, haud difficilis erit reſponſio ad caſum ſequentem, nuper mihi propoſitum. Caja uxor depoſuit oretenùs, qualiter Titius maritus ejus, à tempore contracti, & à quinque menſibus continuati Matrimonij, ei debitum conjugale octo vicibus reddere, ſed ſemper in vanum conatus ſit, nec etiamnum reddere poſſit; & cùm ſe totaliter deceptam, & amplexu maritali prorsùs privatam videat, dubitetque de Matrimonij valore, hinc petijt à Iudice competenti, ut illud negotium benè diſcutiatur, & ſibi deſuper jus & juſtitia adminiſtretur.

Ad quod maritus, fateri ſe liberè, quòd ſtante Matrimonio uxorem ſuam aliquot etiam, ſed fruſtrà adhibitis conatibus, carnaliter non cognoverit, credereque ſe facilè, ei totaliter non eſſe ſatisfactum; cauſam verò hujus mali inde ſe derivare; Poſteaquam in ipſo limine Matrimonij uxori ſuæ matrimonialiter cohabitare voluerit, ipſius S. V. membrum virile in præputio, fortaſsè ex nimiùm adhibitâ vehementiâ ita ſe violaſſe, ut tunc nihil agens uſque ad præſens nihil agere poſſit, ſic tamen, quandoquidem in virga ſua & ſolidam magnitudinem, & erectionem, & ſeminis emiſſionem, & impetus ſatis vehementes experiatur, ut de ſe ſtatuere non poſſit, impotentem ſe eſſe, petens uxorem ſuam ad patientiam remitti, & confidens impedimentum iſtiuſmodi per medicamenta, quibus utitur, poſſe tolli.

Sed contradicente uxore, utpotè quæ longio- 242.

242. *Status quæstionis.* ris moræ impatiens petijt, ut maritus ejus, modo & viâ, quibus potest fieri expeditioribus, se ad consummandum Matrimonium habilem reddat, res ad juratos Physicum & Chirurgos, utpotè peritos in arte, remissa est, qui inspectione habitâ responderunt: Viri quæstionis membrum in primo coitu se læsisse nodum contrahendo, qui impediat quò minùs cum uxore congredi possit, hoc annexo, istiusmodi impedimentum sinè periculo vitæ ab eo tolli non posse.

Maritus de medela deliberans resolvit se, malle se ab amplexibus muliebribus abstinere, quàm cum vitæ periculo se habilem reddere, asseverans constanter, quòd bona fide contraxerit, liber prorsùs ab hujusmodi & alijs affectibus, congressum conjugalem impedientibus, petens decerni, quatenùs ab uxore sua, malè contenta, separatim à thoro & mensa vivere possit. Ecce status quæstionis.

243. *Sententia Iudicis pro validitate Matr.* Quo diligenter discusso, Iudex sententiam tulit, pronuntians inter Cajam & ejus maritum Titium esse Matrimonium ratum, quàmvis non consummatum. Rectè quidem; quia uxor in hac re dubia & difficili, scilicet impotentia antecedente seu dirimente Matrimonium, intentionem suam probare non potuit, id est, quòd maritus ejus malâ fide contraxerit, impedimento hoc, quod pro nunc à præstatione debiti removet, tempore contracti Matrimonij jam affectus; generalis autem præsumptio est, ut patet ex dictis, quâ quis præsumitur potens, donec probetur contrarium. Accedebat peritorum in arte attestatio, qui responderunt credere se, eum hunc affectum in primo coitu contraxisse, & viri quæstionis sub juramento pro sua habilitate facta depositio.

244. *Petitur dispensatio Romæ in Matr. rato.* Sed hìc nondum finis. Etenim Caja, ob juventutis annos, multis tentationibus & periculis obnoxia, misit prædictam relationem casûs, cum sententia desuper pronuntiata Romam, ut ibi proponeretur Congregationi Cardinalium, pro impetranda dispensatione Pontificia in Matrimonio rato; indeque spes bona facta ejus impetrandæ, desiderari solùm adhuc consensum viri, & authenticum testimonium Medicorum de ejus incurabilitate, manu & sigillo judicis munitum, nemine interim cogitante de curatione viri quæstionis, utpotè à Medicis pro incurabili declarati; cujus consensus dum exploratur, ille quidem etiamnum dispensationi concedendæ annuens, se tamen quoad suum impedimentum extrinsecum curatum, & omninò ad Matrimonium habilitatum asserit; inspectione oculari Medicorum denuò habitâ, reque sic compertâ, impedimentum extrinsecum esse sublatum, oratæ dispensationis status tantisper suspensus est, jussique sunt redire ad novam cohabitationem, & probam ad consummationem. Ad quam spatio trium septimanarum vir quæstionis tertium conatum sed irritum adhibuit, & clam, uxore non cognitâ, abijt.

245. *An in hoc casu liceat* Dubitatur nunc; an Caja non possit transire ad alias nuptias, etiam seclusâ dispensatione Pontificiâ. Pro parte affirmativâ facit: quòd impedimentum extrinsecum sublatum sit, remanente nihilominùs impotentiâ ad coitum: cur ergò non posset probabiliter præsumi naturalis, atque adeò antecedens, & dirimens Matrimonium subsequens? *transitus ad alias nuptias, seclusâ dispensatione.*

Oppositum suadet, quod in casu narratur de viro quæstionis, nimirum in virga sua & solidam magnitudinem, & erectionem, & seminis emissionem, & impetus satìs vehementes expertum fuisse, ut de se statuere non posset, se esse impotentem, scilicet naturaliter. Erat autem peritus in arte. Potuit ergò esse impotentia ex maleficio, adeoque accidentalis, quæ, secundùm Sanchium, præsumitur subsequens, nisi constet de oppositio. Quamdiu ergò manet res dubia, nequit Caja, secundùm illam sententiam, ad secundas nuptias transire.

246. *Licet secundùm aliquam sententiam.* Sed quia alij DD. communiter, etiam hanc impotentiam in dubio consent antecedentem; hinc, secundùm ipsos, Caja posset ad secundas nuptias transire: eo semper salvo, ut constet esse impotentiam perpetuam, adhibitâ triennali experientiâ copulæ conjugalis, ab Ecclesia in dubio concessâ, non solùm maleficiatis, sed etiam frigidis, & servatis ab Ecclesia præscriptis, de quibus statim latiùs.

Consulerem itaque Cajæ, ut antequam transeat ad secundas nuptias, dispensationem Pontificiam petat; quam eò facilius obtinebit, quòd sit dubium de valore Matrimonij; & Titius clam discedens, insalutatâ Cája, videatur cedere jure suo, quod fortè haberet ad triennalem experientiam, de qua instituitur.

CONCLUSIO VI.

In dubio, an sit impotentia perpetua, permittitur experientia conjugalis per triennium continuum à tempore celebrati conjugij.

247. *Iudex in hac causa debet adhibere omnem cautelam possibilem. ex Sanchez.* OPtimè notat Sanchez lib. 7. disp. 107. n. 1. semper Iudicem eo spectare debere, ut potiùs probationes impotentiæ superfluas, quàm in aliquo diminutas exigat: & ut omnem cautelam, quæ potest adhiberi, per omnes probationis modos adhibeat. Quòd quæstio de Matrimonij dissolutione sit de re gravissima, & in qua de maximo periculo animæ agitur, vel dissolvendo Matrimonium validum, vel approbando irritum. Hæc ille.

Et sanè Ecclesiam semper fuisse sollicitam de hoc negotio, ne videlicet Matrimonium semel contractum illegitimè dissolveretur, patet ex innumeris Canonibus. Tantùm hìc exscribam eos, qui concernunt impotentiam, de qua impræsentiarùm tractamus, ex quibus Conclusio nostra plusquam meridiana erit.

248. *Probatur Conclus. ex c. 5. de Frig.* Principem locum habeat cap. *Laudabilem*, 5. de Frigid. *Requisivisti* (inquit Cælestinus III.) *quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis. Nos verò in præsenti consultatione sentimus, ut à tempore celebrati conjugij, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent*

habitent per triennium : quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint, & juxtà Decretum Gregorij, mulier per juſtum judicium de viri probare potuerit, quod cum ea coire non poſſit, accipiat alium..... Si autem, quod nunquam invicem cognoverint, ambo fatentur, cum ſeptima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ (ſi propinqui defuerint) tactis ſacroſanctis Evangelijs, uterque jurejurando dicat, quòd nunquam per carnis copulam una caro effecti fuiſſent, & tunc videtur, quòd mulier valeat ad ſecundas nuptias convolare. Vides Lector, quàm multa requirat Eccleſia, ut valeat mulier (eadem eſt ratio de viro, quando impedimentum ſe tenet ex parte mulieris tantùm) ad ſecundas nuptias convolare.

249. *Explicatur d. cap. per Gloſſam.* Ut autem meliùs ea intelligas, conſule Gloſſam ibi. In primis verb. *Celebrati*, ſic ait : *Et à tempore cohabitationis : nec ſufficit cohabitare, niſi dent operam carnali operi*, 33. q. 1. *Requiſiviſti de his, qui ob cauſam frigidæ naturæ dicunt, ſe non poſſe invicem, operam carni dantes, commiſceri.* Alioquì ſi non dent operam carni, quomodo in veritate dicent, ſe non poſſe commiſceri, eſtò quòd à tempore conjugij celebrati per triennium cohabitaverint ?

Igitur neque conjugium celebratum, neque cohabitatio etiam per centum annos, quidquam facit ad probandam impotentiam coëundi ; ſed conjugium celebratum requiritur, ut poſſint cohabitare, & operam carni dare ; opera autem data, ſi nequeat habere ſuum effectum, probat impotentiam, ad quam probandam conceditur triennium.

250. *Requiritur cohabitatio cum conatu copulæ.* Itaque ratio ſeu finis D. conſtitutionis, ſatis clarè oſtendit, per tempus celebrati conjugij, intelligendum eſſe cohabitationis, cum conatu copulæ ſeu conſummationis Matrimonij. Expreſſit autem Pontifex conjugium ; quia ordinariè ſtatim poſt celebratum conjugium, ſolent conjuges operam dare carni. Si tamen contrarium contingeret (nam antè bimeſtre non tenentur reddere debitum) non currit triennium, ſecundùm communem ſententiam, niſi à die intentatæ copulæ.

A qua die currat triennium. Aliqui putant in maleficio requiri præſcriptum judicis, ex c. fin. de Frig. Sed nunquid præcisè ab illa die currit ? An potiùs à termino per judicem præſcripto, peracta à conjugibus criminum pœnitentia ? Sic Quibuſdam placet in maleficij impedimento. Quia cùm hoc impedimentum ſæpiùs ex conjugum peccato proficiſcatur, nil prodeſt tempus, pœnitentiam culpæ præcedens.

Item : quia cap. fin. de Frigid. ubi ſermo eſt de impedimento maleficij ſecundùm communem ſententiam, ut alibi oſtendimus, ponderatur ad ſeparandum Matrimonium, peractam eſſe à conjugibus pœnitentiam, atque terminum conſtitutum à judice, ibi : *Injunxiſtis eiſdem, ut agerent pœnitentiam de commiſſis, & ſic fortè placeret Deo, qui Matrimonij fuit inſtitutor & auctor, ut opus Matrimonij conſummarent : qui poſt plures terminos ad veſtram reverſi præſentiam, conſonâ voce dixerunt, quòd non poterant carnaliter commiſceri.* Hæc illi pro ſua ſententia.

251. *Non ſunt audiendi.* Nunquid audiendi ? Non puto : etenim per eumdem textum oppoſitum oſtenditur ex principio ejus, & fine. Nam in principio ſic legitur : *Litteræ veſtræ nobis exhibitæ continebant, quòd cum cauſa Matrimonij, quæ inter M. mulierem, & A. ejus virum vertitur, vobis fuiſſet ab I. Papa prædeceſſore noſtro commiſſa, dicta M. propoſuit, quòd cùm octo annis elapſis dicto A. fuiſſet matrimonialiter copulata, & diu cohabitaſſet eidem* (cum effectu, id eſt, attentatâ copulâ) *adhuc integra permanebat : eò quòd prædictus vir ejus non habebat potentiam coëundi.*

Colligitur à Sanchio ex eod. textu fin. Ergò antè præceptum judicis, & nondum lite motâ, jam cohabitaverant octo annis ; nam præcepti judicis tantùm in medio capitis fit mentio : & tamen decidit Pontifex in fine : *Quocircà mandamus, quatenùs ſi ita eſt, & conſtiterit vobis, præfatum virum & mulierem, infrà prædictos octo annos, per continuum triennium in ſimul habitaſſe* (cum effectu) *ipſis cum ſeptima propinquorum manu firmantibus juramento, ſe commiſceri carnaliter nequiviſſe, proferatis divortij ſententiam inter illos.* Igitur non deſideratur, triennium illud per Iudicem aſſignari. Ita argumentatur Sanchez pro hac ſententia diſp. 110. n. 5.

252. *Evaſio.* Sed enim, dicet aliquis : non contendo triennium illud debere aſſignari à Iudice, ſed præter triennium à jure aſſignatum, quod computari poteſt à tempore attentatæ copulæ, inſuper à judice aſſignandum fore certum tempus pœnitentiæ, quo expleto, ſi Deo non placeat, quòd Matrimonium conſummet, ſeparentur. Quod videtur ſignificare Pontifex illis verbis d. textûs, *Quocircà mandamus, quatenùs ſi ita* (id eſt, ſi poſt peractam pœnitentiam nequeant carnaliter commiſceri) *& conſtiterit vobis, præfatum virum & mulierem infrà prædictos octo annos per continuum triennium in ſimul habitaſſe* &c.

Præcluditur. Reſpondetur : nec antè triennium, nec pòſt neceſſariam eſſe pœnitentiam ; ſed neque tempore triennij. Fieri quippè poteſt, ut maleficium non ſit ortum ex peccato maleficiati ; ſed ob aliam cauſam à Deo permiſſum. Unde nec in d. textu, nec in aliquo alio ſtatuitur quidpiam de imponenda pœnitentia ; ſed in d. textu narratur factum, laudabile quidem, ut major certitudo haberetur de perpetuitate impotentiæ ex maleficio, quæ valde incerta eſt ; cùm ſæpè placeat Deo, reſtituere potentiam ad preces, jejunia, confeſſiones, aliaſque pœnitentias maleficiatorum, coërcendo dæmonem ab ulteriori nocumento.

253. *Quid probetur, ex d. textu.* Hoc ergò factum probat ſolummodò, quòd judex, non obſtante triennio, exacto juxtà præſcriptum Canonum, poſſit tempus iſtud prorogare, concedendo maleficiatis amplius tempus ad faciendam pœnitentiam, ſi fortè Deo placeat, ut opus Matrimonij conſummetur. Igitur non invenitur in jure cautum, quòd per triennium debeant in ſimul commorari ad præceptum judicis.

Reſp. Hoſtienſis. Reſpondet Hoſtienſis in Sum. de Frig. §. *Qualiter & quando*, verſ. *Sed ſi vir* (ubi tenet primam ſententiam) Tamen quoad mentem videtur hoc ſatis cautum per hoc, quòd debent confiteri peccata ; ergò innuitur, quòd tempus

quo simul fuerunt antè confessionem, non debeat computari. Hoc etiam satis innuitur inf. eod. *Laudabilem*, in principio, ibi : *Indulgendum sit*, subaudi, à Iudice.

254. *Occurrit objectioni.* Nec obstat, sed concordat inf. eod *Litteræ*; quia licèt ibi post octo annos videatur petitio facta fuisse : tamen intelligi potest. quòd causa fuit anteà diutiùs ventilata, & ad præceptum judicis pœnitentiam egerunt, & simul cohabitaverunt, sicut manifestè innuitur in 1. responso ad finem, ibi *Quòd post plures terminos*, subaudi : à Iudice datos. Et innuit, quòd si post triennium contineant, sententia divortij fertur, & sic intelligе §. *Quocirca* : ergò ad præceptum judicis debent simul morari hoc modo.

Modus quo debeant simul morari. Confitebuntur ambo peccata sua, quia aliquando infirmitates ex peccato proveniunt, ut inf. de Pœnit. *Cùm infirmitas*; & injungetur eis, recepto Sacramento, ut simul cohabitent, & bonâ fide det uterque operam cum omni diligentia, ad debitum carnale hinc inde reddendum, vir in perficiendo, mulier in patiendo, ita quòd neuter aliquam fraudem adhibeat, neque per ipsum stet, quò minùs carnalis copula subsequatur. Et si sic per continuum triennium cohabitaverint, & in capite triennij veniant iterùm ad Episcopum dicentes, & jurantes, quòd, sicut promiserant, fecerunt, nec potuerunt effici una caro; tunc recepto illorum juramento, & propinquorum, sicut notatur sup. vers. *Si divortium*, & sequentibus, Matrimonium dirimetur, & dabitur utrique licentia contrahendi.

255. *Rejicit Hostiensem Gotfredi tamquam minùs tutam.* Verùm dici potest, quòd si simul cohabitaverunt per octo annos, vel circà, & sinè præcepto judicis, & non reperiatur, quòd vir aliquam cognoverit, tempus arbitrarium erit; quia præsumitur vir frigidus, ut inf. eod. cap. fin. Sic intellexit Gotfredus. Sed semper tutius est, quòd à tempore præcepti judicis debeat triennium computari, ut patet ex præmissis.

Si dicas : periculum est, ex quo tanto tempore simul steterunt. Respondeo : imputet sibi, quòd tam diu tacuit. Hucusque Hostiensis, contrà Gotfredum, ut statim audivimus, qui docet nostram sententiam.

256. *Auctor existimat eam probabiliorem & tutam.* Quam utique existimo probabiliorem, & tutam esse in praxi. Si quidem triennium conceditur ad rectum judicium de impotentia, ad quod impertinens videtur præceptum judicis, nisi expresè in jure cautum sit, sed sola attentatio copulæ frustranea, seu sinè effectu, per tantum tempus, illa est quæ probat impotentiam esse perpetuam; maximè si eodem tempore conjuges, *corde contrito* (ut loquitur cap. 4. 33. q. 1.) *& spiritu humiliato, Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis & largioribus eleemosynis, & orationibus atque jejunijs Domino satisfaciant, & per exorcismos ac cætera Ecclesiastica medicinæ munia, ministri Ecclesiæ, tales, quantùm Dominus annuerit, qui Abimelech ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent.*

Sed nunquid hæc omnia præcipi debent à Iudice, alioquì non habitura effectum ? *Hortandi sunt* (inquit d. textus) *quibus ista eveniunt, ut corde contrito* &c. ergò non sunt præcepti, sed consilij tantùm, ut sic meliùs exploretur perpetuitas impotentiæ. Ubi autem cautum sit in jure, quòd debeant confiteri, ut sup. ait Hostiensis, & maximè ex præcepto Iudicis, nusquam reperio.

257. *An Iudex debeat malefeciatis imponere pœnitentiam.* Supponitur quidem in d. cap. fin. Iudicem imposuisse pœnitentiam; sed qualem, non dicitur; neque illo verbo indicatur, debuisse illam imponere, antequam posset proferre sententiam divortij. Neque innuitur, quòd fuerit triennalis; sed per continuum triennium intelligitur ibi, ut manifestum est, triennium quod præcessit pœnitentiam, de qua ibi fit mentio : nam dicitur : *Infrà prædictos octo annos*, qui, ut sole meridiano clarius est, præcesserunt pœnitentiam.

Quod autem adjungit Hostiensis : *Causa fuit antea diutiùs ventilata*, mera conjectura est, nullo innixa fundamento. Non solent homines talem causam sæpiùs ventilare, nec proni sunt & faciles ad statim ventilandam præ verecundia : unde per se absque judice potuerunt velle experiri suam potentiam, adhibitis pœnitentijs, & alijs remedijs, de quibus sup. donec ipsis satis constaret de sua impotentia.

258. *Resp. ad arg. Hostiensis ex c. 5. de Frig.* Ad aliud argumentum Hostiensis, desumptum ex illis verbis d. cap. *Laudabilem* : *Indulgendum sit*, dico : esse verba interrogationis. Respondet autem Pontifex non sic : Indulgendum est à Iudice triennium; sed, *A tempore celebrati conjugij..... cohabitent per triennium*: ubi ipse Pontifex omnibus indulget cohabitationem per triennium; ergò frustrà recurritur pro triennio ad Iudicem inferiorem, nisi fortè triennium, indultum per Pontificem, jam expiraverit, & aliud postuletur pro majori notitia perpetuitatis impotentiæ. Quod an Iudex possit dare, quando certò constat, per triennium cohabitasse, alia est quæstio, quam relinquo alijs solvendam. Hoc assero, etiam pro foro externo sufficere triennium, inconsulto Iudice, expletum, non solùm in impedimento naturali, sed etiam ex maleficio.

Sanè si hoc argumentum Hostiensis valeret, probaret utique, etiam in impedimento naturali tempus indulgendum esse à Iudice : nam de tali impedimento loquitur d. cap. *Laudabilem*. Hoc autem non videtur consonum huic decisioni Pontificis, quæ petit triennium à tempore celebrati conjugij; siquidem sæpiùs longum tempus à tempore celebrati conjugij, & attentatæ copulæ, transactum fuit, ut sup. dixi, priusquam quæstio de impotentia apud Iudicem agitetur.

259. *Quid si impotentia perpetua evidenter constet? Nullum tempus indulgendum est.* Sed quid, si nulla sit quæstio de impotentia seu de perpetuitate impotentiæ, sed certò & evidenter constet, v. g. si virilia sint abscissa ? Respondetur : statim posse, & verò debere Matrimonium dissolvi seu separari; quia certò & evidenter constat esse invalidum. Unde in d. cap. *Laudabilem* : *Sentimus* (inquit Pontifex) *ut à tempore celebrati conjugij, si frigiditas priùs probari non potuit, cohabitent per triennium.*

Ubi Gloss. verb. *Frigiditas*, inquit : *Quod hic dicitur de frigido, idem intelligo & de maleficiato, ut usque ad triennium expectet; maximè quia magis sperandum*

sperandum est, quod impedimentum removeri possit, quod non processit à naturalibus. Et sic notant DD. communiter de perpetuitate impotentiæ ex maleficio evidenter certò constare non posse, & ideò desiderari triennium experientiæ, ut declaretur irritum Matrimonium.

260. *An aliquando ultrà triennium Iudex debeat aliud tempus assignare.* Imò videtur ultrà triennium, si expletum sit absque præcepto Iudicis, tempus arbitrarium ab eo assignandum esse, ut agant pœnitentiam, juxtà cap. fin. de Frig. sup. allegatum. Quàmvis enim, ut dictum est, ibi Pontifex narret, quod factum fuerat ab Episcopo, cum tamen id non reprehendat, imò ad justam Matrimonij dissolutionem ponderet, videtur id approbare. Ita Sanchez sup. disp. 107. n. 10.

Ego dico: aliud est approbare & ponderare, aliud præcipere. Unde puto ex illo textu non satis colligi rigorosum præceptum; sed tantùm bonum consilium pro majori certitudine.

261. *Casus, in quo evidenter constet impotentia perpetua ex maleficio, ex Sanchez.* Hoc verè dicit Sanchez sup. n. 9. quando per maleficium amputata essent omninò virilia: tunc apertum est, nullo modo, præter Dei miraculum, ea restitui posse; ac proinde clarè constabit, eam impotentiam esse perpetuam, adeoque non erit expectandum triennium, ut notat Glossa sup. verb. *Priùs probari*, dicens: *Argumentum, quòd si priùs probari possit impedimentum, non expectabunt per triennium, inf. eod. c. prox. Si verò manifestè non constet, tuni cohabitent simul per triennium continuum, in quo debent dare operam carnali operi: ut hic, & arg. inf. eod. t. ult.*

Quando itaque priùs probari potest frigiditas, aut aliud quodlibet impedimentum impotentiæ, ita ut omninò clarè & evidenter constet de ejus perpetuitate, sive in viro, sive in fœmina, nullâ morâ interpositâ, dissolvendū est Matrimonium. Quia tali casu contrà jus naturæ foret, copulam permittere, frustraque expectaretur eventus triennij, cujus nullus induceretur effectus.

262. *An tunc sit necessarium aliquod juramentum.* Nec tunc juramentum septimæ manûs proinquorum desideratur. Imò nec juramentum conjugum est necessarium, cùm ad oculum pateat impotentia. Hæc autem juramenta tantùm requiruntur, quando aliter non potest probari impotentia, ut patet ex d. cap. *Laudabilem*, in cujus fine ea præscribuntur hisce verbis: *Si autem, quòd nunquam se invicem cognoverunt, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Evangelys, uterque jurejurando dicat, quòd nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quòd mulier possit ad secundas nuptias convolare.*

Ubi Glossa verb. *Uterque jurejurando*, ait: *Uterque vir & mulier jurare debent, quòd fide bonâ dederunt operam copulæ carnali per triennium, nec una caro effici potuerunt: propinqui jurabunt, quòd credunt eos verum juravisse.*

263. *Solùm requiruntur juramenta, ubi postulatur triennium.* Igitur solùm requiruntur hæc juramenta, ubi postulatur triennalis experientia; atqui illa non est necessaria, quando aliter impotentia potest probari omninò evidenter & certò, ut patet ex eod. textu, & statim ex ratione probatum fuit: ergò nec tunc necessaria sunt hæc juramenta.

Consimiliter cap. fin. eod. ubi etiam in fine fit mentio dictorum juramentorum, præmittitur triennalis experientia: *Quocircà mandamus, quatenùs, si ita est, & constiterit vobis, præfatum virum & mulierem, infrà prædictos octo annos per continuum triennium in simul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commiscuisse carnaliter nequivisse, proferatis divortij sententiam inter illos.* *Probatur ex c. fin. de Frig.*

Ubi Glossa verb. *Septimâ manu*, interrogat: *Sed quare requiruntur juramenta propinquorum* (septem viri, & septem mulieres) *cùm sufficere debeat juramentum viri & mulieris, cum juramento illarum, quæ illam virginem asseverant, ut sup. de Probat.* Proposuisti, *& cap.* Causam Matrimonij. *Vel etiam juramenta propinquorum sufficiunt, cùm uterque id confitetur, 33. q. 1.* Requisivisti: *sed hic uterque id confitebatur.* 264. *Quare requirantur juramenta propinquorum, ex Glossa.*

Sed hoc ideò; quia sæpè fallitur, & manus & oculus obstetricum, 27. q. 1. Nec aliqua: *ideò juramenta propinquorum requiruntur: omnis enim cautela, quæ adhiberi potest in talibus est adhibenda propter periculum animæ, & ideò circà majora cautiùs est agendum, arg. 7. q. 2. cap.* Viri..... *Tamen si alterum* (vel juramentum conjugum vel propinquorum) *omitteretur, nihilominùs valeret sententia, ut cap.* Requisivisti, *& cap.* Proposuisti, *& cap.* Causam Matrimonij.

Equidem cap. *Proposuisti*, creditur juramento puellæ, & testimonio septem mulierum, quæ per aspectum corporis eam esse virginem asseverant, contrà virum contrarium asserentem, nullâ factâ mentione juramenti propinquorum. 265. *Etiamsi omitterentur, equidem sententia valeret.*

Cap. autem: *Causam Matrimonij*, præter obstetrices, vult Pontifex, ut deputentur adhuc matronæ honestæ, providæ, & prudentes ad inquirendum de puellæ virginitate. Porrò de juramento propinquorū jus istud non meminit. Quia nimirum per illam inspectionem Matronarū, impotentia certò evidenter constat. Unde Glossa cap. *Fraternitatis*, de Frigidis, verb. *Matronas: talibus credendū est, si honestæ sint & peritæ in arte illa..... & in hoc casu non requiritur juramentum propinquorū.*

Sed quid dicam de cap. *Requisivisti*? Glossa sup. ex eo probat, sufficere juramentum propinquorū, quando uterque confitetur. Hæc sunt verba textûs. *Quod si mulier causatur & dicit*: Volo esse mater, & filios procreare, *& uterque eorum* (scilicet vir & mulier) *septimâ manu propinquorum, tactis sacro sanctis Reliquijs, jurejurando dicat, ut nunquàm per commistionem carnis conjuncti una caro effecti fuissent, tunc videtur mulierem secundas nuptias contrahere posse.* Quomodo apertiùs posset requirere juramentum viri & mulieris? 266. *An benè probetur ex cap. Requisivisti, non requiri juramentum conjugum.*

Unde Glossa ibidem, verb. *Hi qui jurauerunt*, inquit: *Id est, vir & uxor, non consanguinei testes, qui secum juraverunt.* Quidquid sit de hoc, constat satis, non requiri ullum juramentum, quando signa, probantia impotentiam perpetuam, sunt certa & evidentia.

Sed quid, si non sint certa, sed solùm verisimiliter evidentia, aut præsumptivè probantia? Respondet Sanchez sup. disp. 107. n. 4. Non desideratur triennium experientiæ: at exigi- 267. *Quid si signa impotentiæ non sint certa, sed*

tantùm verisimilia? Requiritur juramentum secundùm Sanchez.

exigitur juramentum conjugum, asserentium, se non posse coïre, & septimæ manûs propinquorum, jurantium se credere, eos verum fateri. Quia cum impedimentum ferè evidenter constet, non est opus triennium expectare, quod in casu dubij solùm conceditur: cùm autem non omninò evidenter constet, amplior probatio petitur, quàm ubi prorsùs evidens est: & ideò petitur id juramentum conjugum, ac septimæ manûs. Hæc ille.

Oppositum docent Perez & Hurtadus.

At verò Perez disp. 37. sect. 11. n. 6. secutus Hurtadum disp. 12. diff. 11. n. 38. docet, in tali casu neque juramenta ullo jure requiri, non positivo (inquit) quia ista tantùm requiruntur in casu dubio; neque jure naturali, quia cùm in casu dicto perpetuitas sit moraliter & humano modo certa, frustrà requiritur major probatio. Ita Perezius. Quem sequitur Dicastillo disp. 7. n. 57.

268. *Pontius sequitur Sanchium.*

Pontius autem lib. 7. cap. 66. n. 2. in fine amplectitur sententiam Sanchij dicens: Quod si impedimenta sunt tantùm verosimiliter concludentia impotentiam, tunc requiretur juramentum conjugum, cum septima manu propinquorum: neque tunc requiritur cohabitatio triennalis. At si dubia sint, adhibenda est forma juris in d. cap. *Laudabilem*, quæ est solemnitas probatoria, & ideò omninò servanda. Hæc ille.

Quærit Auctor, in quo textu requiratur juramentum.

Omninò servanda est. Sed quæro ego: in quo textu præscribitur juramentum, quando impedimenta non sunt dubia, sed verosimiliter concludentia? Non in d. cap. *Laudabilem*; quia agit de casu dubio, ut patet ex dictis, & Pontius videtur concedere.

269. *An in c. 1. de Frig.*

An fortè in cap. 1. eodem titulo? Sed ibi non requiritur, nisi probatio per verum seu rectum judicium. Et verò nunquid rectum judicium, quod nititur signis verosimiliter concludentibus? Glossa d. cap. *Laudabilem*, in quo præter triennium, requiritur probatio per justum judicium, ibi: *Et juxtà Decretum Gregorij mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non posit.* Ibi, inquam, Glossa verb. *Iustum judicium*, quod illud sit, explicat, dicens: *Id est, per testes, vel aspectum corporis.* Quæ signa non sunt certò evidentia; nam testes possunt falsum deponere, & aspectus corporis potest falli.

Planè, inquis; & ideò præter illa requiritur d. cap. *Laudabilem*, experientia triennalis. Imò & juramentum conjugum & propinquorum. At verò in c. 1. solùm exigitur probatio per rectum judicium, & ita apparet aliquibus, dictos textus non cohærere, sed sibi invicem contrariari, & respondent, d. cap. 1. minimè habere vim textûs, quòd non sit desumptum ex aliquo Pontifice, aut Concilio generali, sed ex Burchardo lib. 19. Decret. c. 5. Vel si habeat vim textûs, correctum esse per d. cap. *Laudabilem*.

Aliqui putant d. cap. non habere vim textûs.

270. *Sed malè secundùm Sanchez.*

At dicendum est (inquit Sanchez sup. disp. 108. n. 2.) id cap. 1. habere vim textûs, nec de hoc esse dubitandum, cùm Greg. IX. Decretalium compilator, inter Pontificia Decreta id collocârit. Et quia correctio jurium evitanda est, quantùm commodè fieri potest, dispiciamus, an hi textus conciliari queant.

An quando uterque conjux fatetur impotentiam sit opus triennio.

Notat Sanchez sup. n. 3. duplicem hìc distinguendum esse casum. Prior est, quando uterque conjux confitetur impotentiam. Posterior, quando alter fatetur, altero negante. Quibusdam placet, in priori casu non esse opus triennali experientiâ; sed tempus quoddam arbitrarium sufficere, ut unius mensis, aut trium, aut anni, & juramentum, ut Matrimonium dissolvatur.

271. *Quidam negant per c. 1. de Frig.*

Ducuntur per cap. 1. de Frigid. quod incipit: *Accepisti mulierem, & per aliquod tempus habuisti per mensem, aut per tres, aut per annum, & nunc primùm dixisti, te esse frigidæ naturæ, ita ut non potuisses coïre cum illa, nec cum aliqua alia: si illa, quæ uxor tua esse debuit, eadem affirmat, quæ tu dicis, & probari potest per verum judicium, ita esse, ut dicitis, separari poteritis: eâ tamen ratione, ut si tu pòst aliam acceperis, reus perjurij dijudiceris, & iterùm post peractam pœnitentiam, priora connubia reparare debebis.* In quibus verbis, nulla fit mentio triennij. Ergò in tali casu non est opus triennio experientiæ.

Et c. 5. ad.

Idem colligunt ex cap. *Laudabilem*, ubi in posteriori parte, in qua tractatur hic casus, solùm requiritur juramentum conjugum & propinquorum: *Si autem, quòd nunquam se invicem cognoverint, ambo fateantur, cum septima manu propinquorum* &c. *tunc videtur, quòd mulier valeat ad secundas nuptias convolare.*

272. *Occurritur objectioni ex Glossa.*

Si dixeris: in priori parte exigitur triennium. Planè, inquiunt; sed in ea non tractatur hic casus, scilicet, quando ambo fatentur impotentiam; sed alter casus, quando unus fatetur, altero negante, ut notat Glossa ibi verb. *Laudabilem*, dicens: *Dividitur in duas partes. Prima loquitur, quando unus conjugum dicit Matrimonium consummatum, & alter diffitetur. Secunda ibi*: Si autem, *quando uterque fatetur Matrimonium consummatum.*

Expenditur doctrina Glossæ.

Sed quæro ego, ubi incipit illa prima pars? Tacet id Glossa; dici autem potest, incipere non ab illis verbis: *Requisivisti quantum tempus*: sed ab hisce: *Quo elapso* &c. Ita placet Sanchio Sanchez. sup. n. 5.

Tota, inquit, ejus textûs decisio eò pertinet, ut Pontifex declaret, quantum temporis spatium indulgendum sit conjugibus, ad veritatem frigiditatis dubiæ comperiendam, ut constat ex quæstione Pontifici proposita initio textûs, ibi: *Quantum tempus indulgendum sit* &c.

273. *Dictum c. 5. loquitur absolutè & generaliter.*

Cui consultationi absolutè respondet Pontifex his verbis: *Nos verò* &c. Quæ propositio cùm indefinita sit, ac doctrinam contineat, & à lege sit probata, æquipollet universali, juxtà doctrinam Glossæ, cap. *Vt circa*, verb. *Aliorum*, de Elect. in 6. communiter ab omnibus receptæ: eò vel maximè, quòd ab hac regula solùm casum, quo frigiditas probari non posset, excipiat textus d. cap. *Laudabilem*, non explicans, quem probationis modum.

Et Glossa ibi verb. *Priùs*, & communiter DD. intelligunt, quando ante triennium non potest manifestè probari: & posteà Pontifex, quasi

quaſi ſatisfaciens tacitæ quæſtioni, quæ poterat ulteriùs proponi: num illa triennij experientia ſat ſit ad diſſolvendum Matrimonium, & nulla alia probatio deſideretur, vel qualis, deſcendit ad caſus ſpeciales, & in hoc duplicem caſum diſtinguit.

274. *Diviſio caſuum in d. textu non cadit ſuper triennium. Probatur.* Prior eſt, quando alter negat, altero fatente impedimentum: & tunc juſtum judicium deſiderari ait. Poſterior, quando uterque fatetur, & tunc juramentum conjugum, & ſeptimæ manûs propinquorum exigi decidit. Quare diviſio caſuum non cadit ſuper triennium expectandum: ſed illud abſolutè & indefinitè deciſum eſt, ſemper expectandum, ubi priùs impotentia conſtare non poteſt. Cadit ergò diviſio ſuper aliud probationis genus, quale futurum ſit ultrà triennium.

Confirmatur. Et confirmatur: quia textus, poſitâ generali regulâ, de triennio expectando, quando deſcendit ad decidendum, an aliud probationis genus neceſſarium ſit, ac vult prædictos duos caſus diſtinguere, ſic incipit: *Quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint.* Quare in deciſione duplicis caſûs, quem ſtatim diſtinguit, procedit illo ſuppoſito præmiſſo, nimirum, quo triennio elapſo. Uſque adhuc ſunt verba Sanchez.

275. *Concordatur d. c. 5. cum d. cap. 1.* Sed quomodo, inquit aliquis, hæc concordant cum dicto cap. 1.? Reſpondetur: quia in cap. 1. agitur de caſu, in quo frigiditas priùs poterat probari ex ſignis evidentibus aut quaſi evidentibus, ita ut non maneat prudens dubitatio de oppoſito, ut patet ex his verbis: *Et probari poteſt per verum judicium ita eſſe, ut dicitis.*

276. *Objectio.* Contrà, reponit quiſpiam: hoc videtur repugnare poſteriori parti d. textûs, quæ ſic habet: *Illa autem ſi prior poſt annum aut dimidium ad Epiſcopum aut ejus miſſum proclamaverit dicens, quòd non cognoviſſes eam, tu autem contrarium affirmas, tibi credendum eſt, eò quòd caput es mulieris: quia ſi proclamare voluit, cur tam diu tacuit? Citò enim & in parvo tempore ſcire potuit, ſi ſecum coire potuiſſes. Si autem ſtatim in ipſa novitate, poſt menſem, aut duos, ad Epiſcopum, aut ejus miſſum proclamaverit dicens: Volo eſſe mater, volo filios procreare, & ideò maritum accepi: ſed vir quem accepi, frigidæ naturæ eſt, & non poteſt illa facere, propter quæ illum accepi: ſi probari poſſit per rectum judicium, ſeparari poteſtis, & illa ſi vult, nubat in Domino.*

Expenduntur verba d. cap. 1. ex Sanchio. Ubi, ut vides, dum mulier fatetur impedimentum, & vir negat, nec illa Matrimonij initio proclamavit, minimè audienda eſt proclamans adversùs Matrimonium; ſed ejus petitio rejicienda eſt, ac fides habenda viro, fatenti ſe Matrimonium conſummaſſe. Ratio eſt: quòd concurrant tunc duæ præſumptiones contrà mulierem; prior, eò quòd tardè proclamaverit, poſterior, quòd vir, qui eſt caput ejus, aſſerat ſe eam cognoviſſe. Ita Sanchez ſup. diſp. 109. n. 2.

277. *Temperatur doctrina Sanchij.* Quam tamen doctrinam temperat n. 5. niſi uxor per certa ſigna oſtendere viri impotentiam velit; tunc enim cujuſvis temporis lapſu minimè obſtante, audienda eſt. Quia cùm textus innitatur malitiæ, præſumptæ ex diuturna uxoris taciturnitate, præſumptio hæc per aliam fortiorem elidetur. Imò ſatis eſt ad hoc, quàmvis ſigna non ſint omninò evidentia & neceſſariò concludentia, ſi ſint veriſimiliter evidentia. Nam ea tantæ efficaciæ ſunt, ut, nullâ expectatâ morâ, ſed adhibito ſolo juramento matronarum, conjugum, ac ſeptimæ manûs propinquorum, efficiant declarari Matrimonium irritum. Hæc ille.

Impugnatur. Sed contrà: ergò nulla eſt diverſitas inter mulierem, ſtatim in ipſa novitate reclamantem, & mulierem reclamantem poſt annum. Quippè nec illa debet ſeparari, niſi per rectum judicium probare poterit impotentiam viri.

Defenditur à Sanchio. Reſpondet Sanchez ſup. n. 16. Hoc rectum judicium eſt, quando apparent ſigna dubia frigiditatis viri, quæ præſumptivè concludunt, & uxor reperitur virgo, acceditque juramentum ſeptimæ manûs propinquorum ejus.

278. *Illatio Auctoris.* Infero ego: ergò quando uterque confitetur impotentiam, etiam ſufficient ſigna dubia, abſque triennali experientia. Probo Conſequentiam; quia in 1. parte d. cap. 1. quando uterque affirmat impotentiam, ſolùm requiritur probatio per verum judicium, ut patet ibi: *Et probari poteſt per verum judicium.* Et tamen Sanchez, ut ſup. audivimus, requirit triennium, quando ſigna ſunt dubia, ex cap. *Laudabilem.*

Idemque docet Pontius ſup. n. 4. & vocat hanc ſententiam communiorem & inter Theologos, & juris interpretes. Et quidem, inquit, quòd uterque conjux fateatur impotentiam, non ſolùm aufert triennalis experimenti neceſſitatem, quin potiùs inducit: nam facilè timeri poteſt, ne inter ipſos conjuges ſit colluſio, vellentque à Matrimonio recedere: unde majori curâ inſiſtere debet Iudex probationibus, illaſque diligentiùs conquirere, quantò illi magis appetunt diſſolutionem Matrimonij. Cùm enim alter eorum renuit, adhibebit etiam ille curam, ut pro ſe probationes idoneas afferat, & adverſarij infringat. At ſi concordes extiterint conjuges, ac ſeparari velint, cautiùs procedat Iudex, ne ab illis decipiatur.

279. *Explicatur d. cap. 5. cum Pontio.* Et præterea id etiam conſtat; quia in d. c. *Laudabilem*, primùm universè deciditur, in probationibus dubijs triennij tempus expectandum. At poſteà diſtinguuntur duo caſus, ut decernat Pontifex, an ultrà triennij probationem requiratur alia; & in caſu, quo uterque fatetur impotentiam, requirit juramentum conjugum & propinquorum, quod intelligendum ultrà triennalem experientiam, ut conſtabit legenti. Quòd enim uterque conjux fateatur impotentiam, non eſt ſufficiens ad rectum judicium probatio, tum ob rationem dictam, tum etiam, quia ipſi conjuges, qui impotentiam fatentur, ignorare poſſunt, an ſit naturalis, vel perpetua; an ex maleficio vel ex alia cauſa proveniat.

Cùm ergò nullum aliud fundamentum ſit, ad excludendam triennij experientiam, quàm ſufficiens probatio impotentiæ, & non ſit hujuſmodi, confeſſio utriuſque conjugis, deficientibus ſignis veroſimiliter evidentibus, quæ manifeſtam

festam faciant impotentiam, nulla prorsùs ratio est, propter quam dicamus, in d. c. *Laudabilem*, decisionem de triennij experimento locum non habere in secundo casu illius capitis. Hucusque Pontius, Consonans utique Sanchio in explicatione d. c. *Laudabilem*.

280. *Quid sentiat Basil. quando signa sunt evidentia.* Consentit etiam, si adsint signa evidentia, aut verosimiliter evidentia, fœminam audiendam, quocumque tempore reclamaverit, etiam ante triennium. Si autem signa sint tantùm verosimilia, & taciturnitas fuerit à principio, expectandum (inquit n. 7.) est triennium, sive mulier dicat, se incognitam, & vir affirmet, sive fœmina affirmet, & vir neget; & antè triennij lapsum nullius juramento deferendum.

Id mihi quidem videtur certum, si res ista consideretur attentè. Nam cùm signa non sunt certa, nulla probatio major esse potest, quàm experientia triennij. Unde usus & cohabitatio triennalis ob nullius ex conjugibus testimonium deserenda vel omittenda est. Planum enim, non ita facilè de viri impotentia, an absoluta, an respectiva sit, posse ferri judicium. Ita Basilius.

281. *Resp. ejus ad c. 1. de Frig.* Quid ergò ad cap. 1. de Frigid.? Respondet n. 11. textum illum non loqui de causis evidenter probantibus impotentiam. Id quod manifestè (inquit) deducitur: nam cùm adsunt ea signa, sive ab initio proclamet, sive non, auditur: neque enim tunc licet ullo pacto cohabitatio. Loquitur ergò textus in eo casu, quando signa sunt verosimilia tantùm, vultque ut, si proclamaverit mulier, sive virgo, sive corrupta, intrà duos menses à die intentatæ copulæ computandos, etiamsi vir renuat, & aliàs sint sufficientes probationes ad rectum judicium, separentur non expectato triennio. Nam etiam in d. cap. *Laudabilem*, decernitur, ut si anteà probari, aut deprehendi impotentia possit, non expectetur triennium, quod in defectum aliarum probationum decernitur à jure. Quare ex hac parte non repugnant hi Canones. Ita Pontius.

Ostenditur repugnantia inter dictos Canones ex una parte. Imò certè repugnant; nam secundùm te, quando signa non sunt evidentia, sed solùm verosimilia, nulla probatio major potest esse, quàm experientia triennij: jam autem secundùm te, d. cap. 1. loquitur in casu, quando signa sunt verosimilia tantùm: ergò in tali casu requiritur experientia triennij, quod tu negas.

282. *Evasio praditur.* Si dixeris: suppono adesse probationes sufficientes ad rectum judicium. Contrà: vel illæ probationes faciunt rem certam, vel non. Si primum, sive mulier proclamaverit ab initio, sive non, audienda est. Quæ enim distinctio inter illas probationes, & signa certa? Si secundum elegeris, id est, solùm efficiant rem verosimilem, jam requiritur experientia triennij.

Et verò quando d. cap. *Laudabilem*, decernit, non esse expectandum triennium, si priùs probari possit impotentia, censen' intelligere probationem tantùm verisimilem, & non certam ac evidentem? Scio, quòd non censeas, ergò loquitur in casu, quo adsunt signa certa. At verò secundum te, d. cap. 1. loquitur de casu, quo solùm adsunt signa verosimilia & incerta, & tali casu putat non esse expectandum triennium, cùm oppositum doceat d. cap. *Laudabilem*. Vides Ponti, quomodo ex hac parte repugnent hi Canones, & tu tibi ipsi?

283. *Consideratur altera pars, & ostenditur cohærere, ex Pontio.* Consideremus etiam aliam partem. At si fœmina (inquit Pontius) non proclamet, nisi post annum, aut dimidium, &. vir affirmet, se esse potentem, & illam cognovisse, sive ea corrupta, sive virgo ad ejus potestatem devenerit, sive etiam se virginem ostentare velit, non est audienda.

Quid ergò tunc fieri debet? Id sanè non explicatur in d. cap. 1. At explicatum est in d. cap. *Laudabilem*, ut decernatur scilicet experientiæ triennium, muliere negante, & viro asserente, ut inde sufficiens desumatur probatio. Præsumit enim jus in d. c. 1. malitiam uxoris, quæ eo tempore tacuit; atque ideò meritò ab eo tempore decernendum à Iudice experimenti triennij tempus. Nisi fortasse posteà eam, utroque consentiente, & sufficientibus alijs adhibitis probationibus, juxtà dicta, separationem postulent; tunc enim non erit necessarium triennium expectare, sed standum decisioni in cap. *Laudabilem*, quod de eo casu agit.

In pœnam utique taciturnitatis, potior habetur ratio juramenti viri, & ab eo tempore decernitur triennium, sicut constitutum posteà per cap. *Laudabilem*. Vide quàm inter se omnia cohæreant. Ita Basilius.

284. *Auctor non satis videt istam cohærentiam.* Ego istam cohærentiam non satis video. Quippe d. c. *Laudabilem*, tantùm excipit casum, in quo ex evidentibus & certis signis potest probari impotentia. At verò secundùm Pontium cap. 1. excipit etiam casum, in quo ex signis verosimilibus tantùm, potest probari impotentia. Benè dixit Pontius sup. n. 8. in fine: In hoc DD. tot distinctiones, & limitationes adhibent, ut rem potiùs obscurent, quàm explicent.

285. *Quid sentiri in hac controversia Doct. Seraph.* Interim subjicio, quæ de hoc puncto Doct. Seraph. scripta reliquit 4. dist. 34. in exposit. lit. n. 5. *Dico, quòd ad hoc, ut divortium fiat, uterque debet jurare, quòd nunquam carnaliter convenerint, nec convenire potuerint, & quòd operam dederint, & unusquisque, quòd per se non steterit, & propinqui debent jurare, quòd ita credunt, & tunc ex quo simul cohabitaverunt per tempus sufficiens, dividi possunt. Si autem alter eorum, utpotè mulier, dicat, quòd non sit cognita, & vir dicat, quòd sic, standum est viro; quia vir est caput mulieris; quia etiam loquitur pro causa matrimoniali, quæ est maximè favorabilis. Si autem mulier velit offerre, & replicare, ipsum esse mentitum, per ostensionem claustrorum, standum est probationi mulieris. Si vero vir petat divisionem & dicat, se non cognovisse, & mulier dicat se fuisse cognitam, quàmvis vir sit caput mulieris, tamen non est standum juramento viri, pro eo quòd ipse contrà Matrimonium agit, & multi relinquant uxores suas. Vnde si aliæ probationes non sunt, non est standum pro eo, sed pro Matrimonio.* Hæc ille.

Et cân. dist. q. 1. in corp. fin. sic ait: *Qualiter* *Qualiter*

Cognoſcatur perpetuitas impotentiæ, pertinet ad Medicos, ex D. Bonav.

ter cognoſcatur ejus (impotentiam intelligit) perpetuitas, & quæ ſit diligentia adhibenda, hoc eſt inferioris ſcientiæ determinare, ut Iuriſtarum, aut Medicorum. Hos ergò conſule, qui plura deſideras, & invenies in hoc negotio, ut ſup. dixi ex Pontio, DD. tot diſtinctiones & limitationes adhibere, ut rem potiùs obſcurent, quàm explicent; ut omittam, pro majori parte concernere forum externum.

286. *In foro conſcientiæ requiritur moralis certitudo. Quæ illa.*

In conſcientia ſeu foro interno cave diſſolvere Matrimonium, & ad alias nuptias convolare, niſi moraliter certus ſis de impotentia perpetua, id eſt, ita certus, ex quocumque ſigno aut medio illa certitudo proveniat, ut non ſit verè probabile dubium, te aliquando, vel fluxu temporis, vel per remedia humana abſque periculo vitæ poſſe effici aptum copulæ conjugali. Alioqui, in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, ſcilicet Matrimonij de cujus celebratione conſtat in foro externo.

Impotentia antè perfectam pubertatem non eſt cenſenda perpetua.

Dixi conſultò: *Vel fluxu temporis*, ſcilicet poſt adeptam perfectam pubertatem, quæ fœminis decimo quarto ætatis anno contingit, viris autem decimo octavo, ut alibi oſtendetur. Itaque impotentia, quæ antè illam ætatem non rarò reperitur, nullatenùs cenſenda eſt perpetua, niſi alia ſigna concurrant; quia provenit non ex frigiditate, ſed potiùs ex fragilitate ætatis.

287. *Ab ea pubertate incipit triennium ſecundum Sanchez, & non antè. Probat.*

Hinc Sanchio ſup. diſp. 110. n. 10. valdè arridet opinio, quæ docet, triennium, de quo hactenùs egimus, incipere à plena pubertate, & non antè eam. Quia ſcilicet uſque ad eam ætatem præſumitur impotentia, ſi quæ eſt, procedere ex fragilitate ætatis, quæ præſumptio, adeptâ plenâ pubertate, ceſſat: & tunc, inquit, incipit eſſe dubium, an proveniat ex alia cauſa, ut ex frigiditate; & ſubinde, an ſit perpetua, & Matrimonium contractum dirimat: an potiùs proveniat ex accidente temporali, nec Matrimonium diſſolvat. Ergò ex tunc numerari debet triennium jure præſcriptum ad experiendum, an impedimentum ſit perpetuum.

Confirmatur.

Et confirmatur: nam ſi vir 30. annorum ducat uxorem, nec ſit aptus ad copulam, conceditur ſibi triennium experientiæ, cap. *Laudabilem*, de Frigid. cur ergò non conceditur ei, qui quatuordecim annorum duxit, ut poſt decimum octavum annum, quo pubes eſt, habeat idem triennium: quandoquidem uſque tunc non agebatur de dubio, an ille eſſet frigidus: ſed defectus potentiæ meritò debili ætati tribui poterat. Hæc ille.

288. *Oppoſitum docet Perez cum Hurtado.*

Sed non placent Matr. Perez diſp. 37. ſect. 11. n. 11. ubi cum Hurtado diſp. 12. diffic. 11. n. 41. tenet oppoſitum. Ratio (inquit) eſt: quia in jure triennium eodem modo, abſque diſtinctione aliqua horum aut illorum, ſupponitur ſufficere pro experientia. Neque verò ea ætas adeò debilis eſt, ut non ſit apta ad coëundum. Sic Perezius.

Reſp. ad rationem ex

Reſpondeo: eam ætatem in aliquibus adeò debilem eſſe, ut non ſit apta ad coëundum, non propter alium defectum, quam ætatis, ſeu plenæ pubertatis, Ad rationem reſpondet Dicaſtillo diſp. 7. n. 582. (ubi ſequitur Sanchium) jus requirere talem experientiam, quæ tollat dubium de temporali defectu, proveniente ex imbecillitate ætatis; non tollitur autem hoc dubium, niſi experimentum capiatur à tempore, quo jam imbecillitas ob defectum ætatis non habet locum; habet autem locum in ijs, qui nondum venerunt ad perfectam pubertatem. Ita præfatus Auctor.

Dicaſt. qui ſequitur Sanchium.

Qui n. ſequenti obſervat, quæ dicta ſunt de triennali experientiâ, in dubio perpetuitatis impotentiæ requiſitâ pro foro exteriori, habere etiam locum, quàmvis pro perpetuitate impotentiæ ſit probabilis ratio ſeu opinio, dummodò etiam pro non perpetuitate probabilis ratio ſeu opinio ſit: nam in tanta contingentia phyſica non perpetuitatis impotentiæ, quanta in eo caſu apparet, æquitas ipſa poſtulat, ut per experientiam requiratur viritas, neque antè inquiſitionem declaretur Matrimonium à Iudice nullum. Hæc ille.

289. *Requiritur in foro externo triennium, quoties probabilis eſt non perpetuitas, ex eod.*

Addo ego; neque in foro interno ſeu conſcientiæ Matrimonium eſſe diſſolvendum, ut ſup. adhuc inſinuavi, niſi probabilitas perpetuitatis longè excedat probabilitatem imperpetuitatis; ità ut vincat poſſeſſionem Matrimonij, & quaſi elidat ejus probabilitatem. Hinc licèt certò conſtaret de impotentia ex maleficio, adhuc concedendum eſt triennium; quia cum ſit accidentalis, non ſatis conſtat, an ſit perpetua: & præſumitur fore, ut decurſu temporis, mediis adhibitis, removeri poſſit.

Additio Auctoris.

Si autem à me quæritur; an illud triennium debeat eſſe continuum. Reſpondeo citò, affirmativè, juxtà illud cap. fin. de Frigid. *Si ita eſt, & conſtiterit vobis prædictum virum & mulierem, infrà prædictos 8 annos per continuum triennium in ſimul habitaſſe.*

290. *Triennium iſtud debet eſſe continuum, ex c. fin. de Frig.*

Ubi Gloſſ. verb. *Continuum triennium*, ait: *Qui enim ſeparantur propter frigiditatem naturalem, per triennium continuum debent cohabitare ſimul, & dare operam carnali operi*, ſup. eod. Laudabilem. *Et in Authent. de Nuptijs*, §. Per occaſionem, *coll.* 4. *Idem tempus dico dandum maleficiato, & multò fortiùs, cùm ſit accidentale illud impedimentum.*

Subdo verba D. Authenticæ: *Per occaſionem quoque neceſſariam, & non irrationabilem, diſtrahitur Matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coïre mulieri, & agere, quæ à natura viris data ſunt: ſi biennium quidem, ſecundùm de hoc à nobis pridem ſcriptam legem, tranſcurrat ex nuptiarum tempore*, Et infrà: *Hanc itaque legem corrigimus brevi quâdam adjectione: non enim biennium numerari ex ipſo tempore copulationis, ſed triennium volumus. Edocti namque ſumus ex ijs, quæ antè hàc provenerunt, quoſdam ampliùs quàm biennium temporis non valentes, poſtea potentes oſtenſos miniſtrare filiorum procreationi.*

Authent. de Nupt.

Verum eſt, hanc Authenticam non meminiſſe expreſsè continuitatis. Sed quid tum? Sufficit, quòd lege Canonicâ requiratur. Atque in dubio (ut docet Gutierrez lib. 1. qq. Canon. cap. 12. n. 24. cum Alijs, quos citat) tempus requiſitum à lege, niſi aliud exprimatur, debet eſſe continuum.

291. *In dubio tempus à lege requiſitum debet eſſe continuum. ex Gutier.*

continuum. Patetque in anno Novitiatûs, & tempore requisito ex jure ad præscribendum. Cùm ergò hìc non aliud exprimatur, & dubitetur, sequitur tempus debere esse continuum.

Quâ continuitate.

Sed quâ, inquis, continuitate? An fortè Physicâ seu Metaphysicâ, ita ut si cohabitatio aliquo tempore fuerit intermissa, v. g. per medium annum, aut integrum, tempore præcedenti non computato iterùm incipere debeat triennij tempus? Ita Aliqui autumant; quoniam talis continuitas requiritur in anno Novitiatûs, & tempore præscriptionis.

292. *Non requiritur physica, ex Sanchez.*

Cæterùm (inquit Sanchez sup. disp. 111. n. 2.) absque dubio dicendum est, non desiderari tempus id esse continuum (scilicet jam dictâ continuitate Physicâ) quòd verba in Decretis, civili modo & possibili, ac juxtà indigentiam subjectæ materiæ expendenda sunt; arg. l. 9. ff. de Servitutibus. *Si cui simpliciùs via per fundum cujuspiam cedatur, vel relinquatur, in infinito (videlicet per quamlibet ejus partem) ire agere licebit, civiliter modo: nam quædam in sermone tacitè excipiuntur: non enim per villam ipsam, nec per medias vineas ire agere sinendus est, cùm id æquè commodè per alteram partem facere possit.*

Probatur ex l. 9. ff. de Servit.

Et ideò aqua quotidiana appellatur, l. 1. §. 3. ff. de Aqua quotidiana: *Quæ duci assiduè solet vel æstivo tempore vel hiberno, etiamsi aliquando ducta non est.* Et meliùs cap. fin. de Verb. signif. in 6. deciditur, dici aliquem commensalem, & domesticum continuè alicujus, licèt aliquando pro illius negotijs gerendis absit.

293. *Confirmatur ex cap. fin. de Verb. signif. in 6.*

Accipe verba d. cap. *Verùm quia dubitas, qui Clericorum tuorum appellatione debeant contineri: Brevi respondemus oraculo, quòd illos in his & similibus casibus tuos volumus intelligi Clericos, qui per te non quæsiti propterea, vel recepti, sinè fraude & fictione qualibet, veri tui Clerici familiares existunt & in tuis expensis continuè domestici commensales: etiamsi quos ex illis aliquando pro tuis gerendis negotijs abesse contingat.*

Ubi Glossa verb. *Continuè*, inquit: *Civili modo intelligendum est verbum, ff. de Servit.* Si cui, *de Consecr, dist. 5.* Nunquam, *sicut & servitus dicitur continua, & aqua quotidiana ..... & fluvius dicitur continuus, qui quandoque exarescit; ff. de Flum.*

Et ead Glossa verb. *Pro tuis*, sic ait: *Et si ægrotaret, servire intelligitur, ff. de Statulib.* Cùm hæres, §. Stichus. *Nec sumo ita amarè verbum, quin etiam pro suis propriis interdum possit abesse.*

294. *Ly Continuum, civili modo accipiendum est.*

Ergò similiter in casu nostro verbum: *Continuum triennium*, civili modo intelligendum est, neque ita amarè sumendum, ut conjuges continuo triennio debeant habitare simul, & vacare copulæ, ita ut nequeant aliquando abesse, aut non vacare copulæ; quia hoc moraliter impossibile est. Tum, quia sæpè morbus intermittit tempus illud: tum etiam, quia impedirentur peregrinationes, & alia negotia, quibus virum vacare, societas ac gubernatio domestica cogit.

Probatur.

Sanchez. Non ergò (inquit Sanchez sup.) exigitur id tempus mathematicè continuum, sed satis est civili modo, nempè ut toto triennio vacârint copulæ conjuges debitis horis & locis. Atque hæc sententia nobis placet.

295. *Confirmatur 1.*

Et confirmatur ex cap. *Nunquam*, 33. de Consecr. dist. 5. sup. à Glossa adducto, in quo D. Hieronymus ad Rusticum Monachum scribit hæc verba: *Nunquam de manu tua, & oculis tuis, recedat liber: dicatur Psalterium ad verbum: oratio sinè intermissione.*

Et tamen id morali modo ac possibili accipitur, ut docet ibi Glossa verb. *Nunquam*, explicans illud & dicens: *Scilicet horis constitutis.*

Secundò.

Confirmatur secundò, ex fine illius triennij, qui est, ut conjuges experiantur, num cursu temporis ea impotentia possit auferri, & uxor cognosci; ac proindè, an sit perpetua ac Matrimonium dirimens. Ad id autem experiendum satis est (inquit Sanchez sup.) quàmvis nulla sit in eo triennio continuitas, modò id compleatur, imò quò magis continuò vacatur copulæ, eò debilior redditur vir. Sic ille.

296. *Requiritur integritas triennij, ex l. fin. de Frig.*

Quare putat, ne quidem moralem continuitatem esse necessariam; sed sufficere integritatem triennij, ut sensus sit d. cap. fin. de Frigid. *Si constiterit infrà prædictos octo annos* per integrum triennium in simul habitasse.

Et verò hanc integritatem requiri, ita ut tempus interpolatum supplendum sit, videtur satis probari ex d. cap. fin. cùm alioqui ly *Continuum*, superfluum foret, quod non est admittendum.

Colligitur etiam ex l. 1. ff. de Itinere &c.

Prætereà colligitur ex l. 1. ff. de Itinere actuque privato, §. 2. sequentis tenoris: *Hoc interdicto Prætor non inquirit, utrùm habuit jure servitutem impositam, an non: sed hoc tantùm, an itinere actuq; hoc anno usus sit ..... Sive igitur habuit jus viæ, sive non habuit, in ea conditione est, ut ad tuitionem Prætoris pertineat, si modo anno usus est, vel modico tempore, id est, non minùs, quàm triginta diebus. Neque ad præsens tempus refertur usus: quia plerumque itineribus, vel viâ non semper utimur, nisi cùm usus exegerit, ita anni temporis spatio concluserit usum.*

297. *Tempus interpolatum debet suppleri. Sanchez.*

Hìc deciditur, servitutem viæ possideri, si triginta diebus intrà unius anni spatium, illius viæ usus habitus sit, & licèt non continuentur illi triginta dies, si tamen completi sint illius anni spatio. Similiter ergò (inquit Sanchez sup. n. 5.) dum textus d. cap. fin. petit triennij cohabitationem, intrà eos annos octo habitam, licèt ea non desideretur tempore triennij continuo habita; necessarium tamen erit, ut tempus interpolatum, alio subsequenti suppleatur, donec triennium perfectè completum sit.

Finis dicti triennij.

Quippè id triennium destinatur ad experiendum, utrùm impotentia tolli possit per frequentem usum; atque adeò non videtur satisfactum juri, cohabitando semestri cujuslibet anni illo triennio, & amplius uno die, ut Aliqui perperàm existimant apud Sanchez sup. n. 4. Quia ea cohabitatio non est verè triennalis,

nec

nec in ea præsumitur triennij experientia, quam jus intendit, nec modica pars anni dicitur, cui unica dies deficit, ut sit dimidia.

298. *Objectio.* Si dixeris: d. l. 1. solùm petit usum viæ tringinta diebus intrà unius anni spatium; ergò etiam in casu nostro sufficiet usus, seu attentatio copulæ, tringinta diebus intrà unius anni spatium. *Solvitur.* Respondeo: neg. Consequentiam. Nam de usu viæ habemus expressum textum; & materia subjecta in nostro casu plus postulat, ut ostendimus.

Diversitas inter hoc triennium & annum Novitiatûs. Ex qua etiam materia colligitur diversitas inter hoc triennium, & annum Novitiatûs; quippè hic annus conceditur, ut novitius probet & probetur; quod meliùs fit, dum annus est continuus, & non interpolatus. Quamquam etiam Aliqui existiment, continuationem non esse de substantia Novitiatûs; sed tantùm integritatem.

299. *An continuatio sit de substantia Novitiatûs. Aliqui negant.* Appositè Gloss. in Reg. 31. de Reg. juris in 6. verb. *Eum qui certus*, ibi: *Et est hæc regula* (putà, *Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet*) *in argumentum ad quæstionem, quâ quæritur; an is, qui ingressus Religionem in fine anni exivit, si iterùm eamdem Religionem ingrediatur, an debeat habere annum, & satis videtur, quod non, per hanc regulam, nisi conditio personæ vel Religionis mutata esset.*

Suarez. Sed hæc regula parùm profectò (inquit Suarez to. 3. de Relig. lib. 5. c. 15. n. 2.) probat. Respondetur: multùm probare; quia annus Novitiatûs requiritur, ut Religio certioretur de conditione personæ, & ut novitius certioretur de conditione Religionis, & Religio certa est de conditione personæ; ergò non oportet eos ampliùs certiorari per novum annum.

300. *Datur præscriptio, quæ non requirit tempus continuum.* Ut ut sit de hoc, diversitas colligitur ex subjecta materia, ut dictum est. Idemque dicendum de continuatione temporis requisiti per jus ad præscribendum, ut patet ex materia de Præscriptione, ad quam remitto Lectorem, qui ibi inveniet præscriptionem aliquam, quæ & ipsa non requirit continuationem temporis, quàmvis ad plerasque necessaria sit, materiâ & ratione legis sic exigente.

Conclusio ex Sanchez. Itaque, ut revertamur ad casum nostrum, triennalis experientia copulæ debet esse continua, id est, integra, ita ut interpolatum tempus sit supplendum, quando arbitrio prudentis est notabile, ita ut moraliter loquendo non censeatur plena triennij experientia. Quare sufficit cohabitare triennio, sumpto morali modo, ut communiter solent cohabitare conjuges. Ita Sanchez, sup. n. 6.

301. *Res hæc remittitur ad judicis arbitrium, ex Aversa.* Hinc benè Aversa q. 13. sect. 5. §. *Sed ea*, hanc rem remittit ad judicis arbitrium. Qui (inquit) prudenter dispiciet, quandonam sufficiens experientia censeatur, quâ constanter appareat veram & insuperabilem esse impotentiam inter conjuges. Ad quam interdum conferre plus potest aliqua interpolatio, quàm indeficiens continuatio. Et præsertim attendi debet, ut eo tempore conjuges vacaverint ad exercendam copulam, quantùm in ipsis est, eâ ratione, quâ vacare solent alij conjugati: sic enim explorare debent suam potentiam, vel impotentiam; ut tam in eorum conscientia, quàm in foro Ecclesiæ, fieri possit judicium de valore, vel nullitate Matrimonij. Hæc ille.

Sed quid (interrogat quispiam) si post debitam experientiam ac diligentiam, latamque sententiam de nullitate Matrimonij, ob impotentiam existimatam perpetuam ac insuperabilem, appareat conjuges separatos esse potentes? Respondeo:

CONCLUSIO VII.

Factâ separatione conjugum judicio Ecclesiæ, deprehenso postmodum errore, siquidem una pars sit solemniter professa, non restituitur; secùs si contraxit cum alia, vel solùm susceipit Ordines Sacros.

302. *Quadrupliciter potest Matr. dissolvi ratione impotentiæ.* Quadrupliciter (ut notat Sanchez lib. 7. disp. 99. in principio) potest Matrimonium ratione impotentiæ dissolvi. Primò, ratione frigiditatis viri, ad quam reducitur omnis impotentia ejus absoluta naturalis, undecumque proveniat. Secundò, ratione arctitudinis fœminæ; quia nempè ita arcta est, ut à nemine cognosci valeat, vel saltem ab illo, cui nupserat. Tertiò, ratione maleficij alterutrius conjugis. Quartò, in genere, ratione impotentiæ, non allegatâ ejus causâ. Hoc prænotato.

Conclusio procedit in singulis modis. Dico: Conclusionem nostram procedere quocumque ex his modis Matrimonium fuerit dissolutum, sive conjuges fuerint separati; videlicet eos rursùm esse conjuges, seu prius Matrimonium esse restaurandum, si postmodum respectu invicem reperiantur potentes, qui antea judicati fuerant impotentes.

303. *Exemplum primi, ex c. 1. de Frig.* Exemplum primi modi habemus in cap. 1. de Frigid. *Accepisti mulierem, & per aliquod tempus habuisti ..... & nunc primùm dixisti, te esse frigida naturæ ..... separari potestis, eâ tamen ratione, ut si tu post aliam acceperis, reus perjurij dijudiceris, & iterùm post peractam pœnitentiam, priora connubia reparare debebis.*

Explicatur per Glossam. Ubi Gloss. verb. *Reparare*, inquit: *Nota, quòd sententia contra Matrimonium lata, non transit in rem judicatam, cùm appareat ex post facto, Ecclesiam fuisse deceptam. Sic sup. de Re judicata*, Lator, & *cap.* Consanguinei, & *inf. eod.* Fraternitatis. *Quare priora etiam Matrimonia restaurantur, etiam muliere contradicente, si fraudis fuerit conscia ..... Si verò conscia fraudis non fuerit, poterit repellere eum, si voluerit, prætextu adulterij*; arg. 32. q. 1. De Benedicto, & q. 6. Nihil. *Sed non credo, quòd hoc obstet; quin Matrimonia priora debeant restaurari, inf. eod.* Laudabilem.

In quo utique textu similiter agitur de frigiditate, & in fine dicitur: *Verùm si ille* (frigidus) *aliam duxerit, tunc hi qui juraverant, rei perjurij*

teneantur, & peractâ pœnitentiâ cogantur ad connubia priora redire. Ubi Gloss. verb. *Redire*, inquit: *Cùm propter frigiditatem separantur.* Quippè frigiditas est impedimentum generale & absolutum.

304. *Exemplum 2. modi ex c. Fraternitatis. eod.*

Sed quid, si propter arctitudinem mulieris? Consule cap. *Fraternitatis*, eod. & audies Pontificem Innoc. III. dicentem: *Nos tamen perspicaciter attendentes, quòd impedimentum illud* (arctitudinis) *non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri; sententiam divortij per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam, cùm pateat ex post facto, quòd ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur; & ideò inter ipsam & primum virum dicimus Matrimonium extitisse: quare inter eam & præfatum G. Matrimonium non esse censemus, eosq; præcipimus ab invicem separari. Et si prædicta mulier ad Religionem transivit (sicut asserit promisisse) primus vir, qui non cognovit eamdem, cum ea remaneat, cum qua postmodum Ecclesia auctoritate contraxit: alioquin, eâ dimissâ, debet ad illam redire, cum qua primùm contraxit.* Et ecce exemplum secundi modi, quando scilicet separatio facta fuit ratione arctitudinis mulieris.

305. *Ratio utriusque exempli.*

Ratio autem utriusque exempli est manifesta: quippè Ecclesia non separat conjuges propter impotentiam, nisi quòd judicet eam perpetuam, & consequenter Matrimonium invalidum. Quando ergò postmodum constat, non fuisse impotentiam perpetuam, quæ probabiliter talis existimabatur, atque adeò Matrimonium validum extitisse; quidni restituendi sint, tametsi altera pars, vel utraque aliud Matrimonium inijsset? Siquidem hoc invalidũ fuit jure naturæ, propter impedimentum ligaminis, de quo infrà. Sicut quando prior cõjux putatur probabiliter mortuus, & ideò à conjuge superstite novũ contrahitur Matrimonium, nemo dubitat, quin hoc sit invalidum, & restitui debeat priori conjugi, si posteà comperiatur, eum vivere. Enimverò Ecclesia per suam sententiã, quàmvis prudenter latam, non potest Matrimonium semel validum reddere invalidum.

306. *Notabile circa prædicta jura.*

Cæterùm circà prædicta jura advertendum est, posterius Matrimoniũ se solo non esse sufficiens indicium deceptionis Ecclesiæ in priore sententia, dissolvente Matrimoniũ ratione frigiditatis. Nam id contrahere non arguit contrahentem esse potentem, sed ad summum putare se esse potentem.

Ducere aliam idem hic est, quòd Matr. consummare cum alia.

Præterea: quia est præsumptio pro sententia, qua vir ille frigidus declaratus est, & ob id prius Matrimonium dissolutum. Quare dum textus relati ponderant posterius Matrimonium à frigido contractum, ut restauretur prius, intelligendi sunt si constet posterius esse consummatum; atque adeò accipere aut ducere aliam, idem est, quòd Matrimonium cum alia consummare. Ex qua utique consummatione constat clarè, virum illum non fuisse impotentem, etiam respectu primæ uxoris, cùm frigiditas sit impedimentum absolutum, & non respectivum tantùm, sicut potest esse arctitudo respectu hujus, & non illius. Ut proinde ex eo præcisè, quòd mulier arcta duxerit alium, & cum eo Matrimonium consummaverit, efficaciter argui nequeat, Ecclesiam erraſſe dissolvendo prius Matrimonium; quia potuit esse arcta respectu prioris viri, & non posterioris, quia non sit similis. Unde expressè additur in d. cap. *Fraternitatis*: *Cujus simili commiscetur.*

307. *In secundo exemplo considerandum, an 2. vir sit similis primo.*

Non ergò statim restituenda est mulier priori viro in hoc casu, sed diligenter considerandum, an secundus vir sit similis priori; atque adeò, an non fuerit impotentia respectiva tantùm, & non absoluta. Quæ consideratio non habet locum, quando vir judicatus fuit ab Ecclesia frigidus, eò quòd, sicut dixi, frigiditas sit impedimentum absolutum. Hinc quandocumque constat, talem virum habuisse veram copulam sive fornicariam, sive putatam conjugalem, manifestum signum est, Ecclesiam erraſſe, seu deceptam fuisse.

308. *Quid si conjuges finxerint se impotentes.*

Etsi quidem ipsi conjuges finxerunt se impotentes, suâque fraude ac dolo deceperunt Ecclesiam: utique (ait Aversa q. 13. sect. 5. §. *Octavò demùm*) tam in conscientia, quàm in foro externo debet restaurari illud Matrimonium, & deleri, ac declarari nullum, si fortè aliud Matrimonium inijssent.

Quid si bonâ fide processerint.

Si autem ipsimet conjuges bonâ fide procedentes, & non potentes habere copulam, putarunt suam impotentiam esse perpetuam ac insuperabilem; sed posteà inveniuntur esse potentes; quia fortè temporis lapsu, aut modo aliquo ordinario acquisierunt potentiam, non per hoc restaurandum esse illud Matrimonium; sed manere nullum & irritum, censent Aliqui, & defendit Pontius lib. 7. c. 65. n. 6. non solùm in casu maleficij, in quo videtur textus expressus in cap. fin. 33. q. 1. sed etiam in casu alicujus defectûs naturalis, in quo ita ait sæpè Hispaniam judicasse. Ita Aversa.

309. *Quod sit maleficium perpetuum, ex Pontio.*

Loquatur Pontius pro se. Quòd (inquit loco cit.) ad maleficium attinet, si perpetuum illud sit, planum est, dirimere Matrimonium. Dicitur autem maleficium perpetuum, quod non nisi per aliud maleficium naturaliter tolli potest, aut non nisi per miraculum; quo nomine non intelligimus exorcismos & orationes Ecclesiæ; quod enim illis tollitur, temporale est. Nec etiam perpetuum est, quod ab ipso tantùm malefico dissolvi potest, citrà peccatum tamen, cùm jam naturali virtute tolli possit. At si maleficium temporale sit, planum est non dirimere. Unde si Ecclesiæ judicio separetur, & post sententiam Ecclesiæ habilem se inveniat ad illam cognoscendam, manifestum est, instaurandum primum Matrimonium, sicut de his, qui falsò frigidi judicati fuerunt, dicebamus sup.

Quòd si post triennij experientiam legitimam, fusas ad Deum preces, exorcismos & alia Ecclesiæ medicamenta adhibita, adhuc se experitur maleficio impeditum, & separatur; si alteri nupserit, cum illaque consummaverit conjugium, si separatus est, tamquam maleficio impeditus perpetuo & absoluto quoad omnes, reddendus erit primæ: cui si adhuc fuerit inhabilis, censendum est maleficium esse respectivum, perpetuum tamen comparatione illius.

310. *Separatus ob*

Si tamen separatus est, tamquam maleficio tantùm respectivo ligatus, etiamsi posteà se habilem

maleficium respectivum restitui non debet juxtà ipsum, etsi posteà inveniatur potens.

bilem experiatur ad primam, illi restitui non debet; sed manere cum secunda, etiamsi reverà sciat, cessasse, aut dissolutum maleficium cum prima, juxtà textum in cap. fin. 33. q. 1. Adeò enim aperta est ejus decisio, ut non parùm mirer, alios oppositum docuisse, nisi eludamus auctoritatem Hincmari Archiepiscopi Rhemensis, cujus est Canon ille, ac dicamus, illum sic quidem, at falsò existimasse.

311. *Probatur ratione, & exemplo.*

Sed reverà prudenter judicavit: Nam ex quo per triennium experti se invicem sunt; jam ab eo tempore Ecclesia censet, nullum fuisse conjugium; quia perpetuum judicat impedimentum. Exemplum aptissimum, idque irrefragabile est, quando aliquo cohabitante per triennium cum virgine, & non potente copulari, separatur ab illa; cùm enim vix vigesimum annum attingeret, & diversa sit hominum complexio ac temperamentum, non valuit virginem agnoscere: at posteà crescente vel aucto calore nativo, jam magis robusto vegetoque corpore, aliam virginem ejusdem etiam compositionis agnoscit, quam ducit. Valere hoc secundum conjugium sæpè judicavit Hispania, nec instauravit primum.

Sicut ergò in hoc eventu, auctoritate Ecclesiæ separatis conjugibus, tenet secundum; ita etiam cum post legitimam experientiam separati sunt ob maleficium. Cujus quidem facillimam rationem reddent, qui dicunt, Deum Ecclesiæ reliquisse potestatem, dissolvendi Matrimonium ratum nondum consummatum, quam communicari potuisse dubium non est: communicatam autem fuisse, non est certum. Hucusque Basilius.

312. *Satisfit arg. Pontij.*

Sed nunquid audiendus? Neutiquam, sive in casu naturalis impedimenti, sive in casu maleficij. Quod ne gratis dicere videar, conabor satisfacere argumentis à Pontio adductis. Et sanè in casu naturalis defectûs jus clarissimum est, sive spectes frigiditatem viri, sive arctitudinem mulieris, ut patet ex dictis. Nec aliter (inquit Aversa sup. §. *Dicendum tamen*, ubi nobiscum id docet) in hujusmodi causa judicari debet. Nec ulla universali lege Ecclesiæ statutum est, aut particularibus judicibus permissum, ut tale Matrimonium ratum dissolvatur. Quinimò potiùs statutum est, ut post dissolutionem, ex publico errore factam, debeat restaurari. Hæc ille.

313. *Resp. ad exemplum.*

Unde, dico ego, si Hispania in exemplo Pontij ita sæpè judicaverit, cujus fides sit penes ipsum, dico, inquam, sæpiùs perperàm judicasse; quia sinè solido fundamento, sive ex jure, sive ex ratione petito, imò contrà jus. Cur enim potiùs illo casu Matrimonium maneat dissolutum, quàm dum judicatur homo frigidus, aut mulier arcta? Vellem audire rationem disparitatis. Certè à Pontio non adducitur, qui tamen nobiscum docet, quando ex errore homo judicatus fuit frigidus, Matrimonium esse reparandum.

Hoc igitur exemplum neque aptissimum est, ad probandum intentum, neque irrefragabile; sed potiùs ineptissimum & maximè refragabile; imò falsum, si propter solum naturalem defectum nativi caloris fuerit facta separatio. Unde non credam Hispaniam unquam judicasse, Matrimonium secundum fuisse validum, & primum noluisse instaurare, nisi videro sententias desuper emanatas.

Quantùm ad casum maleficij, hic majorem habet difficultatem, propter d. cap. fin. 33. q. 1. in quo de maleficiatis sic ait Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus: *Quòd si fortè sanari non potuerint, separari valebunt: sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt.* 314. *Refertur c. fin. 33. q. 1.*

Propter quem textum Aversa sup. §. *In casu autem maleficij*, docet cum Pontio, tale Matrimonium, ritè anteà dissolutum, non esse restaurandum. Et addit: Aliqui ex adverso dicunt, hunc textum non esse recipiendum, cùm non sit sumptus ex aliquo Pontifice, vel Concilio, sed ex Hincmaro Archiepis. Rhemensi: aut esse revocatum per alios Canones. Sed certè cum insertus sit in corpore Iuris, habet auctoritatem Canonici, nec repugnat cum alijs Canonibus, qui non de casu maleficij loquuntur. *Propter quod Aversa sequitur Pontium.*

Ideò Alij conantur sic exponere, ut indicat Gloss. & approbat Sanchez sup. n. 16. sensum esse, quòd etiamsi illi, qui ob maleficium separati sunt, inveniantur habere potentiam concumbendi, non quidem inter se, sed cum alijs personis, non debeant inter se denuò conjungi. Sed cùm textus dicat: *Reddita fuerit possibilitas*, manifestè loquitur de potentia, quæ per maleficium ablata fuerat, & posteà restituitur. Cùm dicat: *Possibilitas concumbendi eis reddita*, manifestè intelligit de potentia inter ipsos maleficiatos. Hæc ille. 315. *Exponitur d. cap.* *Expositio rea probatur.*

Respondetur: sic est, si attendamus nudum sonum verborum. Verùmenimverò mens Auctoris Canonis præferenda est cortici verborum; non est autem verisimile Archiepiscopum Rhemensem voluisse statuere legem universalem, per quam dissolveretur Matrimonium ratum in tali casu: cùm nullus Pontificum id hactenùs fecerit; immò potiùs oppositum aliqui statuerint in simili casu, scilicet in casu arctitudinis & frigiditatis. Quæ enim ratio disparitatis? Illa assignanda est; non enim est credibile, quòd D. Archiepiscopus aliquid statuerit, primus maximè (nam antè illum nihil simile invenitur) nisi solidâ innixus ratione. Quæ autem solida ratio, potiùs in uno casu hoc statuendi, quàm in alio? *Defenditur.*

Ratione (inquit Aversa immediatè post sup. citata) etiam hæc pars suadetur: quia maleficium, secluso modo, quo auferri potest per ordinaria remedia Ecclesiæ, de reliquo haberi debet tanquam impedimentum perpetuum. Quare si per hæc remedia, ad triennium adhita, removeri non potuit, jam absolutè habetur uti perpetuum; atque adeò dirimens Matrimonium. Unde etiamsi posteà per voluntatem ejusdem maleficiati destruatur, non convalidat Matrimonium: sicut neque quando tollitur per miraculum. Aut fortè, si maleficium ita peractum erat, ut duraret usque dum illi conjuges, 316. *Ratio Aversæ.*

ſoluto eo Matrimonio, aliud cum alijs perſonis inirent & conſummarent, adhuc erat perpetuum, inquantùm non poterat deſtrui modo compatibili cum priori Matrimonio. Hactenùs Averſa.

317. *Non poteſt juvare Pontium.* Sed in primis, hæc ratio non poteſt juvare Pontium, qui docet nobiſcum, maleficium eſſe temporale, quod per ſolum maleficium, abſque tamen peccato, poteſt auferri, ut ſup. audivimus. Unde ſi poſt triennij experientiam, adhibitis precibus & exorciſmis, jejunijs &c. per voluntatem malefici, vel alterius hominis deſtrueretur maleficium, ſinè tamen peccato; non quidem convalidaretur prius Matrimonium, quaſi à principio fuiſſet invalidum; ſed ipſo facto oſtenderetur, fuiſſe à principio validum, veluti dum deſtruitur per exorciſmos Eccleſiæ infrà triennium.

318. *Triennium nihil facit ad veram perpetuitatem.* Igitur triennium nihil facit ad veram perpetuitatem impotentiæ, ſed ſolùm ad præſumptionem ejus in foro externo, quæ præſumptio ceſſat, ſi poſt triennium impedimentum auferatur viâ naturali, abſque peccato, & oſtenditur, Eccleſiam fuiſſe deceptam.

Pone aliquem virum, de cujus frigiditate dubitatur, an ſit perpetua, ſeu an ſit vera frigiditas, ſimiliter mulierem, de cujus arctitudine diſputatur, adhibuiſſe per triennium remedia omnia, quæ videbantur neceſſaria ad impedimentum removendum, poſt ſententiam latam divortij continuare eadem remedia, & per ea fieri potentem ad copulam, cenſen' prius Matrimonium non eſſe reſtaurandum? Non cenſeo, inquis.

219. *Reſpondetur ad rationem Averſæ.* Cur ergò cenſes, non eſſe reſtaurandum Matrimonium prius, ſi impotentia ex maleficio poſt triennium per ſolitos exorciſmos Eccleſiæ auferatur: Nam in utroque caſu Eccleſia judicavit impotentiam fore perpetuam; & ideò declaravit, prius Matrimonium fuiſſe nullum. Proinde quod Averſa ſup. dicit de impedimento ex maleficio, *Si per hæc remedia, ad triennium adhibita, removeri non potuit, jam abſolutè habetur uti perpetuum, atque adeò dirimens Matrimonium*, conſimili veritate dici poteſt & verò debet de impedimento naturali. Cur ergò potiùs in uno caſu reſtaurandum Matrimonium, quàm in alio?

320. *Oppugnatur ſententia Averſæ Primò.* An fortè; quia in uno Eccleſia diſſolvit Matrimonium ratum, & non in alio, ut ſup. indicare videtur Pontius? Herculè incertum eſt, ut benè idem Auctor notat, an Deus Eccleſiæ hanc poteſtatem conceſſerit. Atque ut conceſſiſſet, quare potiùs uteretur Eccleſiâ hâc poteſtate in ſpecie maleficij, quàm in caſu frigiditatis, aut alterius impedimenti naturalis? Quippè eadem inconvenientia ſequi poſſunt ex reſtauratione utriuſque Matrimonij.

Secundò. Præterea: quid opus erat diſſolvere prius Matrimonium ratum, cùm nunquam fuerit ratum? Nam impotentia fuit perpetua à parte rei ab initio Matrimonij: ergò ab initio Matrimonium fuit invalidum. Atque adeò fruſtrà adducitur poteſtas Eccleſiæ, diſſolvendi Matrimonium ratum.

321. Si dixeris: ab initio non erat impotentia perpetua, & ideò validum Matrimonium. Infero ego: ergò impotentia, ſuperveniens Matrimonio rato, hoc ipſum diſſolvit, quod non puto Averſam aut Pontium conceſſurum. *Evaſio præcluditur.*

Quid ergò, inquis, ad Archiepiſcopum Rhemenſem? Reſpondeo, intelligendum eſſe de potentia concumbendi cum alijs. Ita Gloſſ. ibi verb. *Concumbendi*, explicans: *Cum alijs, non cum prioribus; tunc enim non eſſet perpetuum maleficium.* *Quomodo intelligendus Archiep. Rhemenſis.*

Fateor, dicitur: *Reddita poßibilitas*: quando autem maleficiatus ſolùm poteſt cum alijs concumbere, nulla ei verè redditur potentia, eo quòd ad concumbendum cum fœminis alijs, nunquam fuerat ablata. Fateor, inquam, ſed dico cum Sanchio ſup. n. 26. in fine, eam particulam: *Reddita*, non ſumi propriè, quaſi importet potentiam ſemel ablatam, reſtitutam fuiſſe: ſed ſenſus eſt, cognitâ per experientiam potentiâ concumbendi cum alijs, non inſtaurandum eſt prius Matrimonium: quia maleficium non impedit regulariter reſpectu omnium. Ita Sanchez. *Sanchez expenit, ly Reddita.*

Si reponas: verba Canonum ſunt propriè intelligenda. Reſpondeo: niſi aliquid obſtet: hìc autem obſtant alij Canones. Et quàmvis non loquantur expreſsè de caſu maleficij; equidem ad illum extendi debere, ipſa ratio naturalis, cui innituntur, poſtulat; putà, quia prius Matrimonium fuit validum; quòd quàmvis Eccleſia poſſet in aliquo caſu invalidare, ex cauſa talis impotentiæ; tamen conſtituiſſe generalem legem invalidantem, ex nullo jure ſatis conſtat. 322. *Objectio ſolvitur.*

Licèt namque prædictus Canon Hincmari inſertus ſit in corpore juris, ac proinde habeat auctoritatem Canonis: non tamen majorem, quàm mereatur ipſius Auctor. Porrò D. Archiepiſcopus non potuit condere legem univerſalem; imò nequidem in caſu particulari diſſolvere Matrimonium ratum; nam ſi alicui id competat, is ſolus Pontifex eſt.

Nec dici poteſt, hunc Canonem quoad hoc eſſe receptum à Pontifice, ſeu univerſali Eccleſia; quia à pleriſque ei contradicitur, & Pontifices ſatis contradixerunt, ſtatuendo alios Canones, qui requirunt reſtaurationem in alijs caſibus ſimilibus, in quibus eadem prorsùs ratio diſpenſandi militat. Eo ſemper ſalvo, ut maleficium fuerit generale & abſolutum, quod rarum eſt, nam ordinariè tantùm eſt reſpectivum; & ideò ex eo quòd poſteà maleficiatus cum alia muliere conſummet Matrimonium, non ſtatim licèt Matrimonium prius reſtaurare; ſecùs dum frigidus aliam cognoſcit; quoniam frigiditas eſt impedimentum generale & abſolutum. 323. *Occurritur alteri objectioni.*

Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, Concluſionem noſtram veram eſſe, etiam in tertio modo ſup. allegato, putà, dum conjuges ſeparantur ratione maleficij, ſi enim ex poſt facto inveniatur, Eccleſiam erraſſe, invicem reſtituendi ſunt, non obſtante d. Can. Hincmari. *Concluſio vera eſt etiam in 3. modo.*

Atque hæc videtur eſſe ſententia Doct. Seraphici 4. diſt. 34. in expoſitione litteræ n. 7. ubi 324. *Sententia*

D. Bonav. de hac re.

ubi ad illa verba D. Canonis : *Prioribus quos reliquerant* &c. ſic ſcribit : *Videtur malè dicere, quia ſi copuletur alijs & coëunt invicem, tunc apertum eſt, quòd ſolutum eſt maleficium ; ergò videtur, quòd non fuerit perpetuum, ergo* &c.

Reſponſio : Dicendum ; quòd cùm dicitur, quòd non poſſunt reconciliari, hoc intelligitur, quando præſumitur maleficium illud fuiſſe perſonale ; & tunc valet utercunque conjungi alij, quia non habet ille illegitimitatem, niſi reſpectu hujus, & ideo cùm alij conjungatur, verè conjungitur, & ideò non poteſt redire ad primam. Si autem maleficium illud fuiſſet ita univerſaliter, ut nullam poſſet cognoſcere mulierem, tunc ſi rediret potentia cognoſcendi, & vellent redire, poſſent & deberent ſe invicem reconciliare.

Si tunc deberent ſe invicem reconciliare ; quando Eccleſia judicavit maleficium fuiſſe univerſale, quid ni etiam, dum judicavit eſſe perſonale, ſuppoſito quòd jam priorem perſonam poſſit cognoſcere ? Expectabo rationem diſparitatis.

325. *Exemplum quarti modi, ex Gloſſ. c. 2. 33. q. 1.*

Interim procedam ad quartum modum, quando ſeparati fuerunt conjuges ratione impotentiæ in genere, non allegatâ ejus cauſâ, de quo ita ſcribit Gloſſ. cap. *Requiſiviſti*, 2. 33. q. 1. verb. *Acceperit* : *Pone*, inquit, *quòd mulier dixit, eum impotentem ad reddendum debitum, non proponendo cauſam impotentiæ coëundi, & hoc probavit, & lata eſt ſententia, nunquid, ſi contraxit, reſtituentur poſtea priora connubia ? Non ; quia totum jus ſuum videtur in judicium deduxiſſe. Vnde idem eſſet, ac ſi per frigiditatem, & maleficium ſepararentur.*

Probatur ſubſiſtere.

Subſumo ego : atqui ſi per frigiditatem, & maleficium ſepararentur, detecto poſtmodum errore, priora connubia reſtituenda ſunt, ut patet ex dictis ; ergò etiam in hoc caſu. Non quidem ſtatim atque ſecundum Matrimonium fuit conſummatum, ſed factâ per Iudicem inquiſitione cauſæ impotentiæ viri, ob quam diſſolutum fuit prius Matrimonium, ut inde diſcernat, utrùm ex ijs Matrimonijs valeat.

Nam diverſimodè judicium feret, ſi fuit frigiditas, aut impotentia ſolum reſpectiva, aut maleficium, juxtà hactenus dicta ; videlicet, ſi fuit frigiditas, primum Matrimonium ſtatim reſtaurandum erit ; ſi verò arctitudo, aut maleficium, cùm hæc impedimenta poſſint eſſe tantùm reſpectiva, conſiderandum reſpectu quarum perſonarum, & juxtà eam conſiderationem vel reſtaurandum, vel non reſtaurandum foret prius Matrimonium. Reſtaurandum utique, ſi probetur potens reſpectu prioris conjugis ; non reſtaurandum, ſi tantummodò potens reperiatur reſpectu aliarum mulierum.

326. *Secundum Matr. quod initi judicatus Frigidus, eſt diſſolvendum.*

De cætero certum eſt, & à nemine dubitatur, Matrimonium ſecundum initum ab eo, qui fuerat judicatus frigidus, neceſſariò fore diſſolvendum ; quia, quidquid ſit de frigiditate, fuit invalidum. Nam vel reverà eſt frigidus, & obſtat valori Matrimonij frigiditas. Vel ſi reverà erat potens, jam primum Matrimonium fuerat validum, adeoque ſecundum irritum, propter impedimentum ligaminis.

Imò tametſi prior conjux objiſſet, adhuc ſtatim ſeparandus eſt à poſteriori Matrimonio, donec ſe potentem probet & Eccleſiam fuiſſe deceptam. Quippe cum per ſententiam declaratus ſit frigidus, ſtat præſumptio ineptitudinis ad Matrimonium contrà illum.

327. *Quid ſi mulier à frigido ſeparata alteri nupſerit.*

Sed quid, ſi fœmina à frigido ſeparata alteri nupſerit ? Reſpondet Sanchez ſup. n. 9. nullam eſſe illi intendendam litem, de valore poſterioris ſui Matrimonij, ſed pacificè in eo relinquendam, donec legitimè probatum ſit, frigidum conſummaſſe poſterius Matrimonium, aut fornicatum fuiſſe. Quòd, dum non probetur contrarium, in pacifica ſui Matrimonij poſſeſſione ſit, favente ſibi Eccleſiæ ſententiâ.

Hinc, teſte eodem Auctore n. 10. non ſolùm poteſt reddere, ſed etiam petere debitum. De redditione non eſt dubium, eò quòd poſterior vir ſit in poſſeſſione. De petitione autem poteſt eſſe difficultas. Quòd quàmvis mulier bonâ fide nupſerit, juſtum ſuperveniat dubium valoris Matrimonij.

328. *Poteſi petere debitum ſecundum Sanchez.*

At exiſtimo (inquit Sanchez) non interdici ſibi petitionem debiti. Quoniam non habet juſtam rationem dubitandi de ſui Matrimonij valore : cùm in illius favorem habeat Eccleſiæ ſententiam ; contrà illud autem, ſolum viri factum, tranſeuntis ad ſecundas nuptias, quo profitetur ſe non eſſe frigidum. At propter conjugis aſſertionem non præſtatur ſufficiens dubitandi anſa, ut teneatur alter conjux, bonâ fide poſſidens, dubitare, ac proindè abſtinere à petitione debiti. Eò vel maximè, quòd in priori judicio, ſe frigidum jure jurando teſtatus eſt, accedente juramento ſeptimæ manûs propinquorum, & triennalis cohabitationis experientiâ : quæ præponderant contrariæ aſſertioni conjugis, facto ipſo denotatæ. Hæc ille.

329. *Vt nequeat petere, requiritur plena probatio conſummationis 2. Matr.*

Igitur ut mulieri in caſu propoſito interdicatur petitio & redditio debiti, ſimiliter viro, cum quo contraxit bonâ fide poſterius Matrimonium, oportet, ut habeatur plena probatio conſummationis Matrimonij poſteriùs contracti à frigido, & hoc ſufficit ; cùm enim ſententia Matrimonij non tranſeat in rem judicatam, per eam non inducitur præſumptio juris & de jure, contrà quam nulla probatio admittatur.

Quæ illa probatio.

Sed quæ iſthæc, interrogat quiſpiam, probatio, quæ utique debeat admitti ? Reſpondetur : ex poſteriori Matrimonio, inito à frigido, jam non levis præſumptio diſſolutionis prioris Matrimonij, ex odio prioris conjugis, inducitur & mendacij, dum ſe frigidum proteſtatus eſt. Si enim frigidus eſſet, cùm jam experientiâ norit, ſemel diſſolutum eſſe Matrimonium, non ita facilè ad aliud auderet tranſire.

330. *An ſatis ſit, quòd frigidus contraxerit aliud Matr.*

Et quàmvis præſumptio hæc non concludat, priorem frigiditatis aſſertionem falſam fuiſſe, & hunc non eſſe frigidum : at, alijs indicijs adjuta, concludet, ut ſic inſtauretur prius Matrimonium, & per conſequens impediatur redditio, & petitio debiti in poſteriori ; v. g. ſi accedat confeſſio utriuſque conjugis de copula habita, & cùm ipſa eſſet virgo, ut præſumitur, reperiatur per aſpectum corrupta : vel ſi conceperit,

ac

ac in membro viri nullus defectus, frigiditatem denotans, patet.

Quomodo copulæ carnalis probetur, ex Sanchez.

Et copula fornicaria probabitur diversis fœminis, cum quibus is frigidus fornicatus est, id testantibus: cùm sint testes oculati, & quàmvis sint singulares, & de propria turpitudine deponant, sufficiunt in re, tam difficilis probationis, & in qua non possunt dari contestes ipsius copulæ; nec testes oculati possunt esse personæ aliæ, nisi cum quibus ea turpitudo admissa est. Ita Sanchez sup. n. 13.

331. *An mulier possit nubere, non expectatâ tali probatione. Negat idem Auctor.*

Rogat aliquis: an si mulier illa nondum nupta sit, possit nubere non expectatâ hujusmodi probatione copulæ? Respondeo cum Sanchez sup. n. 11. & 12. non posse, sive in foro externo, sive in foro conscientiæ. De foro externo patet; quia judicis tunc est discutere, an prius Matrimonium instaurandum sit. Extante ergò dubio hoc, liteque pendente, nequit Iudex licentiam nubendi concedere, eò vel maximè, quòd ad impediendum Matrimonium multò minor probatio desideretur, quàm ad initum dissolvendum. Quòd si de facto nupserit, ortâ jam lite, separanda est, donec lis decidatur; cum jam possessio sibi non faveat, utpotè quæ ob litem pendentem perturbata est.

Etiam in foro conscientiæ.

Quòd etiam in foro conscientiæ nequeat nubere, probatur: quia periculo exponit posteriorem virum, ut illusus maneat, si posteà prius Matrimonium instauretur, & gravis sibi lis intentetur circà posterioris Matrimonij valorem: nec possit sibi consulere, ad aliud transeundo, donec omninò terminetur lis, aut prius Matrimonium instaurandum sit.

Quòd si de facto nubat, siquidem vir bonâ fide processerit, poterit sic debitum petere, suffragante sibi possessione, & ipsa tenebitur reddere. Nunquid etiam poterit petere? Minimè; quippè dubiâ fide contraxit, ut suppono, & ideò non suffragatur ei possessio. Quod si uterque malâ fide contraxerit, neuter poterit petere aut reddere, juxtà alibi latiùs tractanda.

332. *Q. si mulier restituta nequeat adhuc cognosci.*

Cæterùm pone prius Matrimonium fuisse reparatum, & mulierem priori viro restitutam, si adhuc nequeat ab eo cognosci, concedenda est experientia triennalis, quâ expletâ, & perseverante impotentiâ copulæ, prior sententia divortij confirmabitur, & rursùm conjuges separabuntur, tamquam perpetuò impotentes, utique impotentiâ respectivâ, si reverà vir aliam cognoverit, aut certè absolutâ, si aliam cognovisse mentitus fuerit.

333. *Quid si vir aliam cognoscat.*

Sed quid, si posteà aliam reverà cognoscat, nunquid rursùm primum Matrimonium foret reparandum, & concedendum triennium?

Attendite Gloss. cap, *Fraternitatis*, de Frigidis, verb. *Fornicario modo*, in fine: *Sed quid, si post primum coïtum cum secundo, prior petit eam? Dico quòd est ei reddenda, & si non invenerit eam aptam, est restituenda secundo: & sic etiam post secundum vel tertium coïtum secundi, & sic in infinitum, ut dixit Ioan. Tan. Dixit quòd usque ad tertiam vicem tantùm, & non ultrà debet restitui primo: imò remanere debet cum secundo: quoniam duæ tantùm sententiæ post primam sunt ferendæ; quia tertiò appellare non licet*, 2. q. 6. Si quis in quacumque, & *sup. de Apell.* Sua nobis. *Ber.*

Sed dicendum est (inquit Sanchez sup. n. 34.) semel tantùm restituendam priori viro, & cum eo remansuram triennio, & si eo tempore cognoscatur, firmum manere prius Matrimonium: si autem eo triennio cognosci nequeat ab illo, præsumi saltem eum virum maleficiatum respectu illius, ac impotentem ad illam; ac proindè in perpetuum declarandum esse irritum prius illud Matrimonium, ac reddendam posteriori viro, cui nupserat, fœminam illam. Quia cap. *Laudabilem*, de Frig. triennium datur ad experiendam impotentiam, & eo elapso judicatur perpetua. Cùm ergò in hoc eventu consurgat ex post facto dubium impotentiæ, sufficiet triennium experientiæ, ut victo dubio veritas pateat. Hæc ille. 334. *Semel tantùm est restituenda viro, juxtà Sanchez.*

Planè, reponet quispiam, sufficiet ad vincendum dubium, quod pro tunc erat: secùs ad vincendum dubium, postmodum ex novâ causâ superveniens; sed tunc novum triennium erit necessarium. Nec obstat: quòd triennio elapso judicetur perpetua; quia illa sententia non transit in rem judicatam, ut docet Sanchez lib. 7. disp. 100. n. 1. hisce verbis: Præmittendum est, id in Matrimonio speciale esse, ut sententia in conjugali causâ lata, quâcumque circumspectione præmissâ, sive bis ab ea provocatum fuerit, confirmataque sit, sive lapsus terminus ad appellandum sit, nunquam transeat in rem judicatam; ac proindè non ita efficacem authoritatem sortiatur, quin retractanda sit, quoties compertum fuerit, eam errore quodam latam fuisse. 335. *Oppugnatur hæc sententia.* *Sententia in causa Matrimoniali non transit in rem judicatam.*

Et ratio est: quia (inquit ibidem) sententia illa transiens in rem judicatam, foveret peccatum, separando veros conjuges, vel uniendo eos, qui tales esse nequeunt. At nullum vinculum, quantumcumque multiplicatum, potest firmare actum, ex quo peccatum consurgit. Hæc ille. *Ratio.*

Quæ an cohæreant cum eo, quod sup. ait: fœminam tantùm semel restituendam priori viro, tu cogita. Quid si, postquam semel restituta fuit, & iterùm separata, primus vir cognoscat eam; putas, quia ampliùs non deberet ei restitui? Sanchez ut sup. audivimus, docet cum sententia communi, separatos ob maleficium perpetuum, debere reconciliari, si postmodum deprehendatur potentia concumbendi, maleficio soluto per vires naturales, quod judicatum fuerat perpetuum. 336. *Arg. contrà sententiam Sanchez.*

Ergò in casu nostro, quòd impotentia post primam restitutionem fuerit judicata perpetua, non officit, quin si nova causa dubitandi emerserit, de novo debeat restitui primum Matrimonium, ne alioquì foveatur peccatum, relinquendo separatos, qui deberent esse conjuncti, & conjunctos, quos oportet esse separatos.

Rogas: an quoties instauratio prioris Matrimonij facienda est, sit differenda, donec uterque conjux pœnitentiam agat de perjurio commisso, dum in separatione impotentiam jurarunt? 337. *An instauratio sit differenda post pœnitentiam conjugum.*

Id

Id ſuadetur ex jure c. 5. de Frig.

Id ſuadet textus cap. *Laudabilem*, in fine: *Verùm ſi ille aliam duxerit* (& cognoverit) *tunc hi, qui juraverant, rei perjurij teneantur, & peractâ pœnitentiâ, cogantur ad connubia priora redire.*

Et cap. 2. 33. q. 1.

Quod idé prçcipitur cap. *Requiſiviſti*, 33. q. 1. in fine: *Quòd ſi & ille aliam copulam acceperit: tunc hi qui juraverint, perjurij crimine rei teneantur, & pœnitentiâ peractâ, priora cogantur recipere connubia.*

Ubi Gloſſ. verb. *Perjurij*, inquit: *Et ita uterque fuit in culpa, alias quod in fine dicitur, iniquum eſſet.* Quippè iniquè imponitur pœnitentia, ubi non præceſſit culpa. Fieri autem poteſt, ut uterque bonâ fide juraverit, quo caſu Matrimonium reſtaurandum erit, nullâ etiam impoſitâ pœnâ, ſed jus videtur præſumere culpam, & ideò generaliter mandat, ſaltem imponere pœnitentiam.

338. *Sufficit pœnitentiam fuiſſe impoſitam.*

Atque hoc ſufficere credit Sanchez ſup. diſp. 99. n. 30. Eâ enim (inquit, mens textûs videtur, ut Iudex declarans prius Matrimonium validum fuiſſe, ac inſtaurandum, injungat ſimul perjurij pœnitentiam conjugibus. Nec videtur mens textûs, ut inſtauratio illa Matrimonij prioris differatur cum animarum utriuſque conjugis jactura, eò quòd illi non inceperint implere pœnitentiam: aut, quòd gravem judicaverint, ab ea appellârint. Ita Sanchez.

Et quàmvis nullum pro ſe citet Auctorem, & unum tantùm, ſcilicet Turrecrem. eo cap. *Requiſiviſti*, qui dicat, ſatis eſſe, ſi incepta pœnitentia ſit: equidem talis mens dictorum textuum videtur conſona rationi, quæ dictat conjuges non facilè eſſe ſeparandos, propter periculum incontinentiæ; hic autem nulla eſt neceſſitas relinquendi eos ſeparatos, cùm pœnitentiam impoſitam æquè poſſint adimplere conjuncti, quàm ſeparati, ut ſupponò.

339. *An ad reſtitutio facienda ſit poſt alterius ſolemnem Profeſſionem.*

Si autem à me quæritur; an dicta reſtitutio facienda ſit, etiam dum alter conjux eſt jam ſolemniter profeſſus? Reſpondeo negativè, juxtà illud noſtræ Concluſionis: *Siquidem una pars ſit ſolemniter profeſſa, non reſtituitur.*

Negat Concluſ. per c. 6. de Frig.

Ita expreſsè deciditur cap. *Fraternitatis*, de Frig. ibi, *Et ſi prædicta mulier* (quæ fuerat judicata impotens, ratione arctitudinis) *ad Religionem tranſivit* (*ſicut aſſerit promiſiſſe*) *primus vir, qui non cognovit eamdem, cum ea remaneat, cum qua poſtmodum Eccleſiæ auctoritate contraxit: aliòqui* (*id eſt, ſi non tranſivit cum effectu*, inquit Gloſſ. d. verbo) *eâ dimiſſâ, debet ad illam redire, cum qua primò contraxit.*

340. *Probatio ex ratione.*

Ratio eſt manifeſta: quia per Profeſſionem ſolemnem ſolvitur Matrimonium ratum, ut patet ex alibi dictis. Iam autem ſupponitur in caſu, Matrimonium non fuiſſe conſummatum. Hinc ſi mulier illa arcta ſemen viri receperet ſinè penetratione quâcumque arte, & antè profeſſionem vir eſſe potens eam cognoſcere, reſtituenda foret ad petitionem viri, cum, ut ſuo loco diximus, per talem receptionem ſeminis, verè Matrimonium conſummetur, & jam conſtet, impotentiam fuiſſe temporalem, adeoque Matrimonium ab initio validum.

Intellige niſi anteà fuiſſet Matr. conſummatum.

341. Sed pone; quòd non fiat potens, niſi poſt Profeſſionem. Dico, nihilominùs reſtituendam; quia ante profeſſionem fuit Matrimonium validum, & conſummatum, quod non diſſolvitur Profeſſione. Quòd fuerit validum, patet; quia non fuit impotentia perpetua, cùm de facto ſine miraculo, arte aliquâ humanâ & abſque peccato, ut ſupponò, ablata ſit. Quòd autem uno anno priùs aut ſeriùs auferatur, non facit, ut ſit vel non ſit temporalis; item quòd ante vel poſt Profeſſionem.

Eſtò fieret potens poſt Profeſſionem.

Quid ſi maneat impotens.

Quid ergò, inquis, ſi ſemen fuerit receptum ſine penetratione, & nihilominùs perſeveret impotentia penetrandi: nunquid in tali eventu Matrimonium cenſebitur validum & conſummatum? Nam vel illa copula eſt ſufficiens, ut fiant una caro, vel non: ſi eſt ſufficiens, ergò in utroque caſu fient una caro; ſi non eſt ſufficiens, in neutro fient una caro; atque adeò in neutro conſummabitur Matrimonium. Unde quàmvis ſuperveniat potentia, quæ credebatur non ſuperventura, non cenſebitur Matrimonium conſummatum per illud genus copulæ, quod non ſit per coïtum, ſed per intromiſſionem ſeminis arte vel attractione. Ita ſibi objicit Dicaſtillo diſp. 7. n. 587.

342. *Reſp. Dicaſt.*

Reſpondet autem n. ſequenti, in utroque quidem caſu factos fuiſſe unam carnem; ſed in uno caſu Matrimonium non valere, atque adeò non ſufficere illud genus copulæ, ut cenſeatur conſummatum Matrimonium, quod fuerat nullum; in alio vero caſu fuerat validum, atque adeò per illud genus copulæ potuit conſummari. Hæc ille.

Probatur à ſimili.

Veluti per copulam fornicariam fiunt fornicantes una caro, & ſufficeret indubiè ad conſummationem Matrimonij, ſi reverà eſſent validè conjugati; tamen non ſufficit ad conſummationem Matrimonij, quod poſtmodum inter eos contrahitur; quia non poteſt conſummari, quod non eſt. Ita & impræſentiarum.

343. *Probabile eſt, in caſu propoſito mulierem non eſſe reſtituendam.*

Interim unus caſus haud rarò contingit; alter autem rariſſimè. Et dato, quòd contingeret, cùm probabile ſit, per eam intromiſſionem ſeminis, ſine penetratione, Matrimonium non conſummari, etiam probabile erit, mulierem non eſſe reſtituendam, eſtò vir fieret potens penetrare ante Profeſſionem: quippè ante conſummationem Matrimonij liberum eſt, de per ſe loquendo, conjugibus profiteri Religionem, & per Profeſſionem Matrimonium ratum diſſolvere.

Quâ Profeſſione factâ, indubiè libetum eſt parti, quæ remanſit in ſæculo, & potens eſt, contrahere validè novum Matrimonium. Caveat autem ante Profeſſionem contrahere, quia contractus proculdubiò foret nullus, cùm, ut ſupponitur, primum Matrimonium fuerit validum, & nondum legitimè diſſolutum ſit.

344. *Per Ordines ſacros non diſſolvitur Matr. ratum, per Extrav. Antiquæ, de Voto.*

Ex quo luculenter patet veritas poſtremæ partis Concluſ. *Secùs ſi ſolùm ſuſcepit Ordines ſacros.* Siquidem per talem ſuſceptionem non ſolvitur Matrimonium ratum, ut ſuo loco vidimus, & habetur expreſſis verbis in Extravag. *Antiquæ*, de Voto, ubi Pontifex Ioan. XXII. declarat, *quòd licèt votum ſolemnizatum per ſacri ſuſceptionem Ordinis,*

nis, quantùm ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundùm statuta Canonum sit efficax reputandum: ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure divino, nec per sacros reperiamus Canones hoc statutum, invalidum est censendum. Quid evidentius potest desiderari?

Probatur ultima pars Conclus.

Eo autem supposito, evidens etiam est, virum jàm potentem, qui suscepit Ordines sacros, postquam ab Ecclesia judicatus fuerat perpetuò impotens; evidens, inquam, est, detecto errore ad petitionem mulieris esse restituendum, cum jàm constet Matrimonium à principio fuisse validum, nec dissolutum sit per susceptionem Ordinis sacri.

345. *Restitutus tenetur reddere debitum, nisi mulier fuerit fornicata, ex cap. 6. de Frig.*

Restitutus autem tenetur reddere debitum; excipe si detecto & cognito errore, mulier fuerit fornicata; quia tunc propter adulterium licitè repelleretur, ut Omnes fatentur, & habetur expressum cap. *Fraternitatis*, de Frig. ibi: *Alioquin, eâ dimissâ, debet ad illam redire, cum qua primò contraxit, nisi se voto mulier illa constrinxerit ad continentiam observandam, ut intelligatur per hoc, cum præfato G. fornicata fuisse: vel nisi se fornicario modo alij viro miscuerit, ut primus vir, prætextu fornicationis, ejus velit consortium declinare.*

Ubi Gloss. verb. *Se voto*, ait: *Solemni scilicet, & tunc debet compelli votum servare, & per hoc intelligitur fornicata cum secundo, cùm ipsa contrahere non potuit post votum solemne.*

Et verb. *Fornicario modo*, rationem dat: *Quia si legitimè contraxisset cum altero, illud ei objici non posset, nec prætextu talis fornicationis posset repelli à viro, arg. inf. de Divort.* Gaudemus.

346. *Arg. Gloss. contrà.*

Imò videtur, quòd nullam fornicationem ei objicere posset: nullam enim injuriam fecit, nec intendebat facere viro, quia fornicata fuit tamquam soluta, 15. q. 1. Illud, *ff. Locati*, Si ignorans quis. *Nam adulterium non committitur sinè dolo, 34. q. 2.* In lectum, *ff. de Adult. l. penult. Item si aliqui sunt separati per sententiam Ecclesiæ, & post alter eorum fornicetur, minorem injuriam committit, & minùs peccat, 32. q. 7.* Quemadmodum.

Aliud.

Præterea: per primam fornicationem non fuit apta viro suo; sed fortè nec per multas alias; ergò illam solam potest opponere, cùm reddita fuerit apta primo viro, quæ postea secuta est, quia tunc primum læditur jus Matrimonij; arg. sup. de Donat. Apostolicæ.

347. *Solutio.*

Potest dici; quòd sicut ex futuro eventu apparet retrò fuisse Matrimonium, ut dicitur in fine, sic ex futuro eventu apparet retrò fuisse factam injuriam priori viro, ff. de Cad. & postli. revert. In libello §. 1. Hactenùs Glossa.

Docet Gloss. mulierem non posse repelli ob copulam conjugalem, ex c. 8. de Divort.

Quæ utique docet, ut audivimus, Primò, mulierem in casu d. cap. non posse repelli propter copulam conjugalem, habitam cum viro, cui legitimè nupserat post dissolutionem prioris Matrimonij. Quod probat ex cap. *Gaudemus*, 8. de Divortijs, in fine: *Quàmvis quoque secundùm Evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, mœchatur, non tamen dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ, pro eo, quòd nupsit alij post repudium.*

348. *Ratio.*

Ratio: Quia (inquit Gloss. verb. *Poterit objicere*) *intelligitur legitimè contraxisse, quæ auctoritate legis contraxit.* Utique quia lex vinculum Matrimonij per repudium dissolvebat, adeoque fœmina illa à culpa adulterij excusabatur.

Conclusio.

Ergò similiter in casu d. cap. *Fraternitatis*, quod Gloss. adducit in probationem, dicens: *Arg. sup. de Frigid. & malef. Fraternitatis*, circà finem, ubi post verba sup. recitata statim subditur: *Nam si tantùm simplici verbo promisit, se continentiam servaturam, & postea in conspectu Ecclesiæ nupsit memorato G. quamdiu articulus iste dubitabilis erat, præsumi non debet, quòd fornicaretur cum illo, sed amodo non debet cum illo aliquatenùs remanere.*

349. *Non placet Sanchio, & quare.*

Verùm hæc doctrina non placet Sanchio sup. disp. 101. Quòd (ut ait n. 12.) textus eo cap. *Fraternitatis*, de fœmina omninò arcta loquatur, ut constat ex matronarum declaratione, ibi propositâ, ibi: *Quæ tandem in fide sua tibi asseruêre constanter, quòd eadem nunquam poterat esse mater, aut conjux, tanquam cui naturale deerat instrumentum.*

Si ergò arcta omninò erat, non video, cur non dicendum sit, ratione illius copulæ conjugalis posse virum divortium petere. Sicut n. 8. probavi, frigidum, consummantem aliud Matrimonium, justam divortij causam præbere; cùm in utroque casu eadem prorsùs militet ratio. Quippè tam inepta est illa ad Matrimonium, quàm hic; & neuter justam transeundi ad alias nuptias causam habere potuit, eo quòd impotentia absoluta ac perpetua, coram Ecclesia legitimè probata, utrique obstet, & confessio propria, quâ se impotentes fassi sunt.

350. *Quid ipse teneat.*

Quare existimo, mulierem ratione omnimodæ arctitudinis à viro separatam posse à viro repelli quoad cohabitationem, ratione copulæ habitæ cum posteriori, cui nupsit, sicut n. 8. de viro frigido diximus. Hæc ille.

Vir frigidus potest repelli propter copulam cum posteriori conjuge, ex eod. Probatio.

Sed dicet aliquis: ex quo probatur, quòd vir frigidus possit repelli propter copulam, habitam cum posteriori conjuge? Respondet Sanchez sup. n. 8. quòd ea copula adulterina sit, ut n. 3. probavi de fornicatione impotentis.

Rogas: quæ illa probatio? Quod conjux ille impotens, eo ipso quòd copulam attentavit, quasi potentiam suam experiri volens, necessariò consensum præstitit Matrimonij injuriæ, quæ ex illius copulæ consummatione consurgere poterat. Ex illa enim verificabatur prioris Matrimonij valor, ac subinde adulterij injuria. Ita Sachez.

Qui proinde non agnoscit differentiam quoad divortium celebrandum inter copulam fornicariam, & conjugalem ejus, qui omninò impotens ab Ecclesia judicatus est, sive ob frigiditatem, sive arctitudinem, aut maleficium, & ideò ab uxore separatus, contrà d. Glossam, quæ expressè distinguit inter unam, & aliam copulam.

351. *Improbatur ratio Glossæ ex eod.*

Cujus etiam ratio improbatur à Sanchio sup. quòd licèt ex futuro eventu retrotrahatur declaratio valoris prioris Matrimonij: æquitas enim id poscit: at æquitate destituta est retrotractio inducendi delicti adulterij ad divortium. At omnis fictio super æquitate fundatur.

Adde: veritatè Matrimonij pendere ex potentiæ

verita-

veritate : veritatem autem adulterij ex Matrimonij existimatione. At futurus copulæ eventus potest declarare veram fuisse potentiam ad copulam, ac proinde præcedens Matrimonium legitimum fuisse : nequit tamen declarare, conjugem istum existimasse, Ecclesiam deceptam esse, judicando Matrimonium irritum, ipsumque putasse esse validum, ut vel sic fornicans sit adulterij requisiti ac divortij reus. Ita præfatus Auctor.

352. *Quædam verba d. cap. 6. exponuntur. Primò.* A quo si petas : quomodo ergò intelligenda sint d. verba cap. *Fraternitatis. Nam si tantùm* &c. ubi clarè textus constituere videtur id discrimen inter copulam fornicariam, & conjugalem hujus fœminæ, ut ratione illius liceat divortium, secùs ratione hujus ? Quidam (inquit) sic exponunt, ut priusquam illa decretalis ederetur in lucem, non liceret divortium ratione illius copulæ conjugalis. Quòd fœmina illa arcta justè potuerit ignorare, Matrimonium prius legitimè dissolutum posse restaurari : cùm res illa nondum per Ecclesiam esset decisa ; ac proindè justâ excusante ignorantiâ, delicto tribuenda non erat copula conjugalis. At hodie licitum est divortium ratione illius. Non enim potest excusari, postquam hæc Decretalis promulgata est. Et ita explicant : *Amodo*, id est, post illam Decretalem editam.

Alia explicatio. Alij explicant : *Amodò*, id est, post primum coitum : atque ita sentiunt primum coitum conjugalem huic fœminæ objici minimè posse ad divortium : secùs de sequentibus. Quia etiam hodie licitè fœmina hæc ad secundas nuptias transit, cùm præsumere possit, se alteri viro aptam fore ; ac proindè primus coitus culpæ tribui nequit. At habito primo coitu, debet cognoscere, prius Matrimonium valuisse, ac sententiam ex falsa arctitudinis præsumptione latam. Quare posteà cum illo viro concumbens, tamquam adulterij rea, justam divortij causam præbet.

353. *Neutram expositionem capere potest Sanchez. Quomodo ipse intelligat.* Cæterùm (inquit Sanchez sup. n. 12.) fateor me neutram expositionem capere posse. Quòd textus eo cap. *Fraternitatis.* de fœmina omninò arcta loquatur. Sed ea verba sic intelligo. Textus hâc distinctione utitur. Aut mulier arcta, à priori viro separata, ac posteriori nupta, emiserat post separationem à priori votum castitatis solemne, & tunc neutrum Matrimonium est firmum. Non prius ; quia, tamquam non verè consummatum, est Professione supervenientè dissolutum. Non posterius ; eò quòd contrà votum solemne præcedens castitatis est initum. Aut solo simplici castitatis voto se ligârat, & tunc, si constat eam cum aliquo fornicatam, potest prior vir, ratione fornicationis, eam repellere : si autem de copula non constat, sed de solo Matrimonio posteriùs inito, quamdiu hic articulus copulæ cum posteriori viro est sub dubio, non præsumitur ex solo Matrimonio copula, ut sic restauretur prius Matrimonium : obstat enim arctitudo absoluta ipsius fœminæ, legitimè probata in priori judicio, ac sententiâ confirmata : *Sed amodò non debet cum illo aliquatenùs remanere.* Id est, absque alia indagine vel mora (id enim importat : *Amodò*, id est, *Desde luego*) est separanda à posteriori Matrimonio ea fœmina : quia statim constat, id esse irritum. Nam si non est arcta, valet prius Matrimonium, & sic non posterius : si verò sit arcta, neutrum. Hactenùs Sanchez.

354. *Favet ei Glossa.* Atque huic expositioni vocis : *Amodò*, favet Gloss. ibi : verb. *Amodò*, dicens : *Scilicet veritate revelatâ, quòd fuerat uxor primi.* Quæ & nobis magis placet.

Differentia aliqua inter frigiditatem & arctitudinem. Interim nota differentiam, quæ est inter frigiditatem & arctitudinem ; quòd hæc possit esse respectiva, illa verò semper sit absoluta ; quando autem Matrimonium ob solam impotentiam respectivam separatum est, dicendum, neutrum posse objicere alteri fornicationem, aut alterius Matrimonij consummationem, ad divortium celebrandum, quando posteà, detecto errore prioris sententiæ, instauratur prius Matrimonium.

De copula conjugali constat : quia justo titulo ad aliud Matrimonium transijt ; cùm in eo eventu utrique facultas aliud ineundi concedatur. De copula autem fornicaria similiter probatur ; quòd uterque justâ ratione se solutum existimârit, ac proindè fornicans minimè fuerit reus formalis adulterij : nec ex ea copula veritas prioris Matrimonij constabat : cùm neuter declaratus sit omninò impotens, sed respectu illius.

355. *An conjux potens separatus ab impotente, si alteri copuletur, possit posteà repelli.* Idemque dicendum de conjuge potente, si nondum certior factus de falsitate impotentiæ alterius conjugis, per sententiam à se separati, si, inquam, consummet aliud Matrimonium, aut etiam fornicetur, scilicet non posse illum repelli ratione hujus fornicationis à conjuge existimato impotente, quando posteà, detectâ impotentiæ falsitate, instauratur prius Matrimonium, quàmvis impotens sit innocens ; quia nimirum absque copula falsitas impotentiæ per incisionem, aut alia remedia, deprehensa est.

356. *Probatur quòd non.* Ducor : quòd ea copula ratione fuerit formale adulterium, cùm justè se solutum existimaret. Porrò ad divortium, ut suo loco latiùs dicetur, ubi redibit eadem quæstio, requiritur adulterium formale.

Et quia adulterium non potest esse sinè dolo ; hinc Aliqui docent ; quòd si in casu proposito, impotens dolo caruerit, bonâ fide existimans licitum sibi contrahere aliud Matrimonium, illudque consummare, propter illam consummationem nequeat repelli. Ignorat autem Sanchez sup. n. 10. qualiter vir frigidus dolo carere valeat : cùm ratione frigiditatis perpetuæ Matrimonium dissolutum sit, isque sententiâ declaratus sit, Matrimonio imposterùm ineundo, ineptus.

357. *Quid si mulier fraudulenter fassa sit frigiditatem viri.* Sed quid, si mulier conscia fraudis fuerit, quia scilicet fraudulenter fassa est cum viro ejus frigiditatem ? Hæc est alia quæstio : ad quam Gloss. cap. 1. de Frigidis, verbo : *Reparare*, inquit : *Priora Matrimonia restaurantur, etiam muliere contradicente, si fraudis fuerit conscia, ff. de Adult.* Si uxor, §. Iudex. & §. ult. ut dixit Ala.

Si verò conscia fraudis non fuerit, poterit repellere eum, si voluerit, prætextu adulterij.

Verùm hoc non caret difficultate. Quia confessio illa uxoris fraudulenta, solùm operata est, ut vir ab ea separaretur. At injusta conjugis expulsio non obstat, quin expellenti liceat divortium, ratione adulterij, ab expulso admissi, celebrare.

358. *Non potest eum repellere ob copulam cum alia subsecutam. Sanchez.*

At hoc non obstante, minimè recedendum est à communi, ac verissima hac sententia. Dispar enim (inquit Sanchez sup. n. 9.) est ratio: quia cum in hac expulsione non consenserit expellens dissolutioni vinculi Matrimonij, nequaquam censetur injuriam adulterij, posteà admissi, condonare; & ideò potest illam objicere ad divortium celebrandum. At conjux dolosè fatens impotentiam conjugis, ut dissolvatur Matrimonij vinculum, cum dissolutioni conniveat, censetur temnere ac remittere quodcumque adulterium posteà admissum, atque illud reputare, quasi à personâ Matrimonij vinculo solutâ perpetratum; ac proindè jure caret illud objiciendi. Sicuti eo careret concedens conjugi licentiam adulterandi. Ita Sanchez. Et meritò, ut proprio loco videbimus.

359. *Sacris initiatus restitutus uxori tenetur reddere debitum.*

Non potest petere, juxtà Sanchium.

Impræsentiarùm reverto ad quæstionem principalem, quæ erat de initiato Sacris, an restitutus priori conjugi, teneatur reddere debitum conjugi, rationabiliter illud postulanti? Ad quam utique responsio affirmativa valet, nisi habeat justam causam divortij, quæcumque illa sit.

Rogas: an etiam possit petere debitum? Negat Sanchez sup. disp. 99. n. 40. & lib. 10. disp. 9. n. 9. sic ait: Quando innocens (per sententiam divortij separatus) mutârat statum factus professus in Religione approbata, cognitâ falsitate est restituendus similiter alteri conjugi, cui debitum reddere tenetur, sed non potest ab eo exigere. Quia votum illud castitatis, in Professione emissum, obligavit illum, inquantùm ille se obligare potuit absque alterius conjugis præjudicio: ut in simili dicitur cap. *Placet*, de Conversi. conjug. de conjuge, qui existimans alterum defunctum, est professus.

360. *Est sententia D. Tho. Professum restitutum non posse petere.*

Idem dicendum de Sacris initiato. ex D. Bonav.

Atque ita docet D. Tho. 4. dist. 35. q. un. a. 5. ad 3. in fine: *In tali casu etiamsi votum Professionis emisisset, restitueretur viro, & teneretur debitum reddere; sed non liceret ei exigere.*

Atque idem dicendum est, si vir erat jam sacro Ordine initiatus. Quia eadem est ratio. D. Bonavent. eâd dist. in expos. lit. n. 5. *Quæritur, si sententia divortij lata est per errorem, & post vir promotus est ad Sacerdotium, si error Ecclesiæ & deceptio pateat, utrùm reddendus sit uxori, si ipsa non vult continere? Et quòd sic, videtur; quia mulier habebat jus suum, & salvo jure mulieris, non poterat continentiam vovere contra voluntatem uxoris. Responsio: Dicendum, quòd inducenda est ad continentiam: quia si manifesta deceptio in latione prioris sententiæ apparet, & ipsa non vult continere, debet vir suus ei reddi. Verumtamen ille non poterit petere debitum, quoniam, quantùm in se fuit, continentiam vovit.*

361. Alios complures Doctores citat ibidem Sanchez pro hac sententia, ita ut non solùm tutior, quod evidens est, sed propter auctoritatem eorum omninò consulenda sit, nisi aliud obstet. Verùm (inquit Dicastillo disp. 7. n. 590.) si ratione agamus, mihi videtur valdè difficilis, etiam in principijs ab eodem Sanchez, &, quod caput est, ab omnibus ferè receptis, & propter aliqua, quæ videntur inde sequi.

Hæc sententia consulenda est.

Ex ratione videtur Dicast. difficilis.

In primis docet Sanchez lib. 7. disp. 34. n. 1. & ab alijs communiter recipitur, dictam Professionem minimè habere vim solemnis Professionis; arg. cap. *Quidam*, 3. & cap. *Placet*, 12. de Conversi. conjugatorum. Nam eo cap. *Quidam*, de viro professo, uxore contradicente, ac ad ejus instantiam revocato, sic dicitur. *Respondemus, quod votum non tenuit, unde ratione voti ad Monasterium non tenetur redire: ulteriùs verò non poterit uxorem accipere: promisit enim se non exigere debitum, quòd in ejus potestate erat: & ideò quoad hoc votum tenuit: non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris potestate. Unde Apostolus:* Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.

Ostendit ex his, quæ alibi docet Sanchez. Primò talem Professionem non esse solemnem per c. 3. de Conversi. conjug.

Et cap. *Placet*, de muliere, quæ virum defunctum credens, professa est, ac posteà à viro revocata, sic dicitur: *Respondemus: quòd licèt votum ejus usquequaq; non tenuerit, eatenùs tamen fuit obligatorium, quatenùs se poterat obligare: promisit enim intrando Monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius. Redire verò ad sæculum non erat in ejus potestate, sed in potestate mariti; & ideò quantùm ad ipsam tenuit votum. Consultiùs itaque dicimus, & congruentiùs ad salutem, ut ad Monasterium redeat, ubi, bonâ ductâ intentione, Professionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si verò ad hoc induci non poterit, ipsam invitam credimus non cogendam.* 262. *Item c. 12. eod.*

In quibus utique textibus ferè expresè decidit, illam professionem non valere; alioqui foret obligatio permanendi in Monasterio, & altero defuncto ad illud redeundi, cujus oppositum ibi expresè statuitur. Et ratio est; quòd conjux dominium corporis sui minimè habeat, ut illud in Religionis dominium transferre valeat. 363. *Probatio ea ratione.*

Secundò (inquit Sanchez sup. n. 2.) constat, votum illud castitatis, in ea Professione emissum, habere vim voti saltem simplicis, & obligare conjugem, inquantùm se obligare potuit: nimirum, ut in eo Matrimonio abstineat se à debiti exactione, & eo per mortem soluto, ab alio Matrimonio ineundo, & ab alijs, quæ castitati promissæ adversantur. Quòd votum illud conjugem adstrinxerit, quatenùs se obligare potuit: at potuit se ad hæc obligare, cùm ea non cedant in præsentis Matrimonij præjudicium. Ita hic Auctor. *Secundò, Professionem illam habere vim voti simplicis castitatis.*

Aft statim n. 3. subjungit: sunt tamen hæc intelligenda, nisi conjux ille emitteret votum castitatis in ea professione, dependenter ab illa, & ex fine immediato permanendi in Religione. Tunc enim in virtute talis intentionis, ad nil voluit obligari, cassatâ Professione illâ. 364. *Limitatio.*

Quare

Quare ut Profeſſionem irritam faciens maneat voto ſimplici ligatus, deſideratur intentio obligandi ſe independenter à Profeſſionis valore.

Ius præſumit intentionem ſe ita obligandi, à ſimili.

Atque eam intentionem præſumit jus, ubi de contraria non conſtat, ut patet ex cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, de Converſ. conjug. Sicut dum impuberes, Matrimonio inepti, illud ineunt, præſumit jus c. un. de Deſponſat. impub. in 6. voluiſſe ſe adſtringere, quatenùs potuerunt; ac proindè illud valere ut ſponſalia, præſumit, quæ in eorum poteſtate erant contrahere, & in dubio intentionis credo ſtandum eſſe hâc juris præſumptione. Hucuſque Sanchez.

365. *Oſtenditur diſſimilitudo. Prima.*

Diſcutiamus ſingula. Quantùm ad hoc ſimile, profectò multùm diſſimile eſt. Etenim ſponſalia ſunt via ad Matrimonium, & in conſenſu de præſenti clauditur virtualiter conſenſus de futuro; cùm enim Matrimonium ſit vinculum perpetuum, ut deinceps conjuges unum ſint, eo ipſo, quòd aliqui conſentiunt in Matrimonium, volunt tunc, & pro tempore futuro jungi; ut proindè hæc verba: *Ego accipio te in meam*, claudant hæc: *Accipio te in futurum.* Quid ergò mirum, ſi jus præſumat iſtud Matrimonium valere ut ſponſalia, niſi conſtet de expreſſa voluntate contraria? Nam ſponſalia ſunt: *Accipiam te*, & nulla eſt ratio præſumendi, per ſe loquendo, quòd is, qui aliquam de præſenti accipit in ſuam, nolit eam accipere de futuro.

366. *Votum ſimplex non eſt via ad ſolemnem Profeſſionem.*

At verò in caſu noſtro, votum ſimplex non eſt via ad ſolemnem Profeſſionem, cùm ei non ſoleat præmitti, ſicuti ſponſalia ſolent præcedere Matrimonium. Et ideò ſæpiſſimè emittitur ſinè ullo ordine aut reſpectu ad votum ſolemne; cùm tamen ſponſalia non ſoleant celebrari ſinè ordine aut reſpectu ad Matrimonium de præſenti, utpotè quæ non ſunt aliud, quàm promiſſio futuri Matrimonij.

Secunda, ex Dicaſt.

Et prætereà, ut notat Dicaſtillo ſup. ſunt multæ rationes, quæ moveant potiùs ad præſumendum, quòd in caſu noſtro conjugatus noluerit ſe obligare ad caſtitatem, niſi dependenter à valore Profeſſionis. Atque in primis, majus eſt periculum, cui expoſitus eſt cohabitans cum conjuge in eadem domo, & etiam lecto, & menſa, ita ut ex parte ſua nec debitum petere, nec aliquid ad id ordinatum poſſit præſtare.

367. *Votum caſtitatis conjugati poteſt eſſe illicitum propter periculum, Perez.*

Unde (inquit hic Auctor) graves viri prudenteſque Theologi, ordinariè loquendo, putant, votum caſtitatis conjugati, præſertim ſi conjuges non ſint ſenes, nec alieni à venere, non expedire, imò poſſe eſſe illicitum, ut notavit Perez diſp. 51. ſect. 6. n. 15. dicens: Tametſi hoc votum, ſi conſideretur ſecundùm ſe, licitè & validè emitti queat; poſſe tamen non eſſe licitum, attentis circumſtantijs periculi ventis, & oneris graviſſimi alterius conjugis, ut ſi conjuges ſint juvenes & in eodem accubent lecto. Sic ille.

Quod ſatis commune eſt.

Tale verò periculum (proſequitur Dicaſtillo) ſatis commune eſt, & media ad ſervandam caſtitatem in Religione ſunt meliora, tutiora, & faciliora. Profectò ſatis præſtiterit, ſi cum divina gratia puritatem ſervet ſeparatus à conſortio & contubernio correlativi ſexûs ob rei difficultatem. Quid quæſo erit, ſi penes ſe ad individuam vitæ ſocietatem conjugem habeat, quam nec aſpicere poſſit carnali illo aſpectu, qui eſſe alioquin inter illos ſolet.

368. *Et propter quod ſolet Papa diſpenſare.*

Unde in litteris, quibus ſedes Apoſtolica ſolet concedere diſpenſationem in voto caſtitatis alicujus fœminæ, inter alias cauſas ſolet eſſe, quòd quando votum caſtitatis emiſit, putabat, fore, ut monialis fieret, nec jam ſuppetant media, ut poſſit eſſe monialis; adeoque difficilè credat, ut ſperet, ſe ſervaturam votum in ſæculo manendo. Nempè difficiliùs multò eſt, in ſæculo eſſe caſtam, quàm incluſam in Monaſterio.

In viris quòque ſuo modo id ipſum cernere licèt, cùm in multis periculis verſetur, etiam Religioſus in ſæculo, à quibus procul eſt in Religione. Non ergò (niſi aliundè conſtet aliud) cenſeri debet voluiſſe manens etiam in ſæculo ſe obligare, manſurus (ut putabat) in Religione ſinè his periculis. Uſque adhuc Dicaſtillo.

369. *Tertia differentia.*

Herculè non dubito, quin ex centum fortè non unus inveniretur, qui interrogatus poſt invalidam Profeſſionem, reſponderet: *Volui me obligare voto ſimplici caſtitatis.* Et ex centum impuberibus, qui Matrimonium celebraſſent, ſi interrogarentur, fortè nec unus reperiretur, qui non diceret: *Volui me obligare eo modo quo poteram*, ſcilicet ad contrahendum in futuro, ſi non poteram contrahere de præſenti. Igitur meritò Eccleſia præſumit hanc voluntatem impuberis; non video autem, quo fundamento generaliter poſſit præſumi illa voluntas conjugati.

objectio ſolvitur.

Textus, reponit quiſpiam, ſup. allegati ſunt plani, à quibus non licet diſcedere. Reſponde-tur: in caſibus, ibi expreſſis, non ſolùm fuit votum ſolemne, ſed etiam ſimplex caſtitatis ſuperadditum. Siquidem in cap. *Quidam*, dicitur: *Promiſit enim, ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat.* Nempè (inquit Dicaſt.) fieri potuit, ut cùm invitùs revocaretur ad ſæculum, fervore quodam ac devotione ductus, tunc quando cogebatur exire, & ſimul eſſe cum uxore, promitteret, ſe ſaltem velle ſervare, quod poterat; ſcilicet, debitum non exacturum, & de hoc tandem meritò ſubjungere potuit, & ſubjunxit Pontifex: *Quod in ejus poteſtate erat, & quoad hoc votum tenuit.*

Expenditur d. c. Quidam.

370. *Item d. cap. Placet.*

Simile quid (proſequitur idem Auctor) ſuſpicari licèt de caſu cap. *Placet*, ubi fœmina, putans maritum mortuum, intravit Monaſterium; & cùm etiam, repetente marito, revocaretur invita, vel etiam in ipſo ingreſſu aliqui, vel aliquæ moniales adhuc dixiſſent, quid ſi maritus ſuperſtes ſit? Illa præſenti fervore promiſiſſet, ſe nolle ampliùs uti marito, ideò Pontifex etiam potuit dicere: *Promiſit enim intrando Monaſterium, ſe non exacturam carnis debitum, quod erat in poteſtate ipſius.*

Et quidem, niſi pro caſu, quo maritus ſuperſtes eſſet, & compareret, eamque revocaret, non

erat materia promissionis, non exigere carnis debitum. Quod enim debitum poterat exigere, quæ tunc fiebat religiosa, & maritum credebat mortuum? Quis poterat illi jam ampliùs debere debitum carnis, ut illa id non exigere promitteret? Signum ergò est, quòd id promisit, casu quo maritus non esset mortuus. Unde non mirum, quòd Pontifex censeret illam obligatam, etiam pro casu, quo maritus adhuc viveret, atque adeò Professio non valeret. Ita Dicastillo.

371. *Arg. Dicast. contrà communem sententiam.* Qui ibidem sic argumentatur contrà communem sententiam. Non minùs essentiale est statui Religioso paupertas & obedientia, quàm castitas: ergò sicut ex professione illa invalida resultat votum simplex castitatis servandæ, inquantùm potest sine præjudicio alterius conjugis; ita resultare deberet similis obligatio paupertatis ex voto simplici (idem dic de obedientiâ) & sicut, postquam liber est à vita conjugali per mortem conjugis, tenetur plenè totam materiam castitatis servare ex vi illius Professionis, ita ut, quàmvis non valeat ut votum solemne, propter aliquem acceptationis defectum, valeat eo modo, quo valere potest, nempe ut simplex; eodem modo dicendum sit de duobus votis paupertatis & obedientiæ, ad quæ servanda, soluto Matrimonio, plenè teneantur. Sic ille.

372. *Respond. Suarij, & disparitas hic inter votum castitatis & paupertatis &c.* Respondet Suarez to. 3. de Relig. lib. 7. cap. 2. n. 13. jus nihil tale de illis explicavit, & non oportet extendere præsumptionem rigorosam. Deinde; non habet locum in eis eadem ratio; quia illa vota rarò fieri solent extrà statum religiosum, & specialiter videntur aliquo modo repugnare cum statu Matrimonij & obligationibus ejus, & ideò sic profitens non præsumitur, voluisse se ad talia vota obligare, Professione nullâ existente. Hæc ille.

Aliud discrimen. Addo aliam disparitatem; quòd in primis obedientia respiciat hominem, cui debeat quis obedire: cùm ergò non teneatur obedire Superiori Religionis, quia obedientia ipsi invalidè fuit promissa; jam de novo deberet vovere obedientiam, ut obligaretur alicui obedire; at verò castitas solùm respicit Deum tali casu, & solùm respectu illius obligat. Quantùm ad paupertatem, illa nequit servari extrà Religionem communi & ordinario modo, castitas autem à multis observatur.

373. Si dixeris: invalidè ordinatus non tenetur simplici castitatis voto: ergò nec invalidè professus.

Differentia inter invalidè ordinatum, & invalidè professum, ex Sanchez, & Barb. Sanchez lib. 7. disp. 27. n. 13. ex Barbosa Rubr. ff. Soluto Matr. 2. p. n. 100. hanc tradit disparitatis rationem. Quia cùm castitas sit essentialiter annexa statui religioso, non verò Ordini sacro; sed ex statuto Ecclesiæ tamquam accessoria statui, & tacitè in ejus susceptione promissa: hinc est, ut profitens in Religione, emittat per se & principaliter votum castitatis: quàmvis ergò non valeat, ut solemne, propter aliquem acceptationis defectum, valebit eo modo quo valere potest, nempè ut simplex: at susciplens Ordinem sacrum, non emittit per se & principaliter votum castitatis, sed accessoriè, & in consequentiam statûs, ob Ecclesiæ constitutionem. Quando igitur principale non valuit, id quod venit in consequentiam, nullum effectum producere potest; l. 178. ff. de Reg. juris: *Cùm principalis causa non consistat, plerumque nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.* Ita Sanchez.

374. *Illatio Auctoris.* Infero ego: Ergò cum principalis causa consistit, ea, quæ sequuntur, locum habent. Atqui in casu nostro Ordinatio fuit valida: ergò ordinatus quàmvis teneatur reddere debitum, equidem nequit id exigere; quia professio non valuit.

Hæc dicta sint disputationis ergò, non resolutionis. Quæ igitur resolutio? Hæc & alia, quæ omitto (inquit Dicast. sup.) dixerim, ut ostendam non esse tam clarum, aut certum, ut putatur, quòd maneat prædicta obligatio non exigendi debitum, & servandi plenè castitatem, soluto post mortem conjugis Matrimonio. Nec desunt, qui sentiant, liberum esse talem conjugem ab obligatione non petendi. Quia tamen gravitas & multitudo Doctorum est pro opposita sententia, quos refert Sanchez lib. 10. disp. 9. n. 9. non ausim, præsertim in praxi, affirmare ab ijs recedendum. Quàmvis (ut hoc obiter notem) non Omnes satis clarè loquantur, & Abulensis, quem ibi refert, nihil de hoc dicat, ut legenti constabit. Ita hic Auctor.

Aliqui censent conjugatum in casu proposito esse liberum ab obligatione castitatis.

375. *Isti sunt Richardus & Astensis juxtà Dicast.* Interrogas: quinam sentiant, liberum esse talem conjugem? Respondet Richardus & Astensis, qui ultimo loco referunt eam sententiam, & nullo signo videntur ostendere, sibi non placere. Do ipsa verba Richardi, quæ lego 4. dist. 34. & 3. q. 2. ad 3.

Referuntur verba Richardi. Ad tertium Dicendum; quòd major est falsa, quia separatio fuit facta per errorem, inquantùm æstimabatur maleficium perpetuum, quod perpetuum non erat: unde post contractum Matrimonium semper manserunt, secundùm judicium Dei, veri conjuges: unde vir suscipiendo Ordinem sacrum, uxori præjudicare non potuit: suscipiendo tamen non peccavit: quia per ignorantiam invincibilem seu probabilem fuit excusatus.

376. *Sententia communis.* Sed utrùm suscipiendo illum Ordinem sacrum, sibi præjudicaverit, quoad hoc, ut sibi non liceat ab uxore debitum exigere, dubium est. Videtur enim Aliquibus, quòd sibi exigere non liceat, quantumvis reddere teneatur: quia votum, quod sacro Ordini est annexum, tenuit, quantùm ad illud, quod erat in potestate viri, quàmvis non quoad illud, quod erat in potestate mulieris: in potestate autem viri est exigere, sed quantùm ad reddendum corpus viri erat in mulieris potestate. Ecce sententia communis cum suo fundamento. Sequitur apud eumdem Auctorem,

Sententia pro qua Rich. citatur. Alij dicunt: quòd ille suscipiendo Ordinem sacrum, nec mulieri, nec sibi præjudicat quoad hoc, quin liceat sibi petenti reddere debitum, & exigere; quia ignorantia invincibilis, seu probabilis, eum ab utroque præjudicio excusavit: nisi

niſi enim exiſtimaſſet ſolutum fuiſſe vinculum Matrimonij inter ipſum & mulierem, ſacrum Ordinem non ſuſcepiſſet. Unde nec ad votum continentiæ ſe obligare intendebat, niſi cum conditione implicita, ſcilicet ſi eſſet totaliter, & ſecundùm veritatem, ab illo conjugio liberatus. Hæc ille. Et conſimiliter loquitur Aſtenſis (citans Richardum) 2. part. Sum. lib. 8. tit. 29. a. un. q. 7.

377. *Iuditium Auctoris.* Equidem, ut dicam, quod ſentio, talis vel habuit intentionem abſolutam ſuſcipiendi ſacrum Ordinem, vel tantùm conditionatam, ſi eſſet totaliter à conjugio liberatus. Si hoc, cùm tali caſu Ordinatio fuerit invalida, nil mirum, ſi nullam contraxerit obligationem ſervandi caſtitatem, quæ non annectitur, niſi ordinationi validæ, ut ſup. dictum eſt. Sin autem habuerit intentionem abſolutam, atque adeò validè fuerit ordinatus, eſtò ex vi voti non teneretur, non video, quare non teneatur ex præcepto Eccleſiæ ad ſervandam integram caſtitatem, ſoluto Matrimonio per mortem conjugis.

Porrò quòd durante Matrimonio nequeat petere debitum, res non eſt omninò certa; & poſſet quis ſuſpicari, ſi votum non obliget, quia conditio implicita non ſubſiſtit, neque Eccleſiam velle obligare, propter notabilem difficultatem, tum ex parte ordinati, tum ex parte conjugis; & ſive petendo, ſive reddendo copuletur ordinatus ſuæ uxori, æquè repugnat fini, ab Eccleſia intento, qui eſt, munditia caſtitatis, planè conveniens ſtatui Eccleſiaſtico.

178. *Objectio.* Sed dicet aliquis: ordinatus ante Matrimonij conſummationem poteſt intrare Religionem, & ſic perfectè obſervare caſtitatem.

Solutio ex Richardo. Ad hoc poteſt dici, ſecundùm Aliquos (inquit Richardus ſup.) quòd ille tenetur Religionem intrare, & ad hoc debet per judicem compelli, non ad Matrimonij conſummationem; quia ex quo ſibi patet via, per quam poteſt licitè ſervare votum continentiæ, quod annexum eſt Ordini ſacro, tenetur illam eligere: quilibet enim vovens tenetur facere illud, quod poteſt, ad hoc, ut votum ſervet, quod fecit.

379. *Alia ſolutio ex eod.* Alijs autem videtur, quòd ſi ille ſuſcipiendo Ordinem ſacrum, credebat per hoc Matrimonium inter ipſum & mulierem poſſe ſolvi, eò quòd erat ignarus juris, non tenetur Religionem intrare; ſed debet compelli ad Matrimonij conſummationem, niſi mulier velit continere: cùm enim longè fortiùs ſit votum profeſſionis in Religione & arctius, quàm votum continentiæ tantùm, durum videtur dicere, quòd ad hoc teneretur, cùm ad hoc nunquam intenderit ſe obligare, nec explicitè nec implicitè: illi tamen non licebit debitum ab uxore exigere, quia non exigere eſt in ſua poteſtate. Hucuſque Richardus.

Declaratur mens Richardi. Ubi ſatìs oſtendit, quidquid dicat Dicaſt. ſup. (qui non videtur ad hæc verba: *Illi tamen non licebit* &c. attendiſſe) ſatis, inquam, per hæc verba oſtendit, ſibi non placere ſententiam, quæ liberat talem ab obligatione non exigendi debitum. Et hactenùs quidem de impotentia perpetua.

Sequitur controverſia de impotentia temporali, & prima quidem: an & quo jure dirimat Matrimonium. Pro ea inſtituitur

CONCLUSIO VIII.

Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium jure naturæ. Dirimit jure Eccleſiaſtico, donec maſculus annum 14., & puella 12. impleat.

380. *Quæ ſit impotentia temporalis.* IMpotentia, quæ ceſſat tempore, aut præter Divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo poteſt removeri, meritò appellatur temporalis, & diſtinguitur contrà impotentiam perpetuam, quæ nec tempore ceſſat, nec præter Divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo poteſt removeri. Hanc diximus, & Concluſ. 2. diffusè probavimus dirimere Matrimonium, non tantùm jure Eccleſiaſtico, ſed etiam jure naturæ. Illam in præſenti Concluſ. aſſero, non dirimere Matrimonium jure naturæ; ſed nec jure Eccleſiaſtico, niſi in caſu, quo impuber attentat contrahere.

381. *Probatur, quòd jure naturæ non dirimat Matr.* Quòd in nullo caſu dirimat jure naturæ (ſuppono conjuges abſolutè conſentire, & non ſub hac conditione: *Si jam potentes ſint*) probatur: quia non repugnat ex natura rei, transferre dominium corporis, pro nunc impediti, ſi ſperatur pro tempore futuro fore aptum uſui illi, ad quem tranſlatio illa dominij per ſe ordinatur. Sive, ut Alij dicunt: poteſt dari in præſenti jus ad actum conjugalem poſteà perficiendum. Sicuti qui in præſenti non eſt ſolvendo, ſi tamen ſit ſpes fore in futurum, validè emit merces; & proindè obligat ſe ad ſolvendum pretium.

Confirmatur. Imò de facto hoc contingit in quolibet Matrimonio; non enim quis accipit jus utendi corpore pro ſtatim, ita ut ſtatim poſſit exigere debitum, & alter teneatur reddere; ſed dumtaxat poſt bimeſtre, ut patet ex alibi dictis. Quid ſi ergò bimeſtri elapſo fiat potens, qui jam impotens eſt, quæ poteſt aſſignari ratio naturalis, quare tale Matrimonium non valeat? Cur putas, impotentiam phyſicam pro tantillo tempore potiùs impedire validam tranſlationem dominij corporis, quàm impotentiam moralem?

382. *Objectio.* Quia, inquis, impotentia moralis, etiam perpetua, non invalidat; quantò minùs temporalis? Sed impotentia perpetua phyſica dirimit: ergò etiam temporalis, ſcilicet pro tempore, quo durat. Quæ enim diſparitas?

Solvitur. Reſpondetur: Matrimonium contrahitur non ſolùm pro tempore, pro quo durat impotentia phyſica, ſed pro perpetuo; atque adeò etiam pro tempore, quo ablata erit impotentia.

383. *Inſtantia.* Planè, reponit quiſpiam, & ideò valet pro hoc tempore, & non pro alio, quo impotens eſt.

Diluitur. Reſpondeo: valere pro omni tempore. Quia talis

talis pro omni tempore absolutè potens est, id est, habet potentiam, licèt pro aliquo tempore sit impedita, ita ut nequeat exire in actum, defectu ætatis, vel propter aliud obstaculum, quod aliquando auferretur, aut certè auferri potest absque miraculo & peccato per artem humanam, quod sufficit, ut ex nunc detur dominium corporis ad talem actum, qui reverà possibilis est.

384. *Alia confirmatio.* Enimverò si hæc impotentia dirimeret Matrimonium jure naturæ, quomodo Ecclesia permitteret Matrimonium contrahi ab infirmo, etiam morti proximo, qui non speratur supervicturus post contractum? Permittit autem, & per illud, secundùm communem sententiam, proles antèà suscepta redditur legitima; arg. cap. 6. Qui filij sint legitimi, in principio: *Tanta est vis Matrimonij, ut qui antea sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur.* Ubi Pontifex Alex. III. loquitur generaliter de omni Matrimonio vero & valido: ergò gratis excipitur, quod contrahitur ab infirmo, cùm ab Ecclesia tamquam verum & validum permittatur, & approbetur.

385. *Impugnatur.* Negatur, inquis, Consequentia; nam L. *Nuper*, 11. Cod. de Natur. liber. &c. decidtur, Matrimonium habere vim legitimandæ prolis, quando spe sobolis initur, ibi: *Sufficiat etenim talem affectionem habuisse, ut post liberorum editionem & dotalia efficiant instrumenta, & spem tollendæ sobolis habeant.*

Defenditur à Sanchio. Respondet Sanchez lib. 7. disp. 105. n. 5. cum Alijs, quos citat: dici id Matrimonium spe prolis initum, quod ineatur ad suscipiendam prolem legitimam ratione Matrimonij, quæ ex illegitimo concubitu concepta fuerat. Atque ideò proles illa, cum ea nova qualitate, est effectus ex hoc Matrimonio consurgens, & quasi nova proles dicitur. Hæc ille.

386. *Instatur.* Sed contrà facit: quòd dicta lex distinguat expressè inter liberos antèà susceptos, & post Matrimonium suscipiendos: sequitur namque: *Licèt enim hoc, quod speratum est, ad effectum non pervenerit, nihil anterioribus liberis fortuitus casus derogare concedatur.* Ergò non loquitur de spe prolis antèà natæ, per Matrimonium legitimandæ; ipsa enim nunquam frustratur suo effectu, ut clarum est; sed de spe prolis post Matrimonium concipiendæ, quæ subinde frustratur suo effectu, seu re speratâ.

Resolutio Auctoris. Dico ergo: d. Legem non obstare nostræ & communi doctrinæ: quia illa spes non desideratur, attento jure Canonico, uti nec constitutio dotis, quam etiam eadem lex videtur requirere. Iam autem in causâ Matrimoniali sequimur jus Canonicum, ut alibi non semel dictum fuit.

387. *An legitimatio prolis, antè Matr. natæ, excludat substitutum.* Major difficultas est, an ea legitimatio vim habeat excludendi substituti: v. g. parens prolis, sic legitimatæ, institutus est in certa hæreditate, eâ tamen lege, ut si absque prole legitima discesserit, succedat Titius. Dubitatur ergò, an verificetur, eam conditionem deficere, existente prole per id Matrimonium legitimatâ; ac proindè ea succedat, excluso Titio substituto.

Negant Alij. Negant aliqui per leg. 59. ff. Soluto Matrim. sequentis tenoris: *Filiæ meæ emancipatæ & ægræ vir in hoc repudium misit: ut mortuâ eâ, dotem potiùs hæredibus ejus, quàm mihi redderet. Sabinus dicebat, utile mihi ejus dotis recuperandæ judicium dandum esse. Gajus idem.* *qui per l. 59. ff. Solut. Matr.*

Ratio autem est: quia ille actus, urpotè celebratus in mortis articulo, præsumitur in ejus fraudem gestus. Ergò similiter in casu nostro vehemens præsumptio est initi Matrimonij animo doloso, excludendi substituti. *Probatur ex ratione.*

388. *Oppositum docet Sanchez.* At (inquit Sanchez sup. n. 8.) communissima, atque multò verior sententia habet, nullâ aliâ fraudis suspicione concurrenti, prolem sic legitimatam succedere, excluso substituto. Quòd non sit verum, fraudem præsumi ex eo solùm, quòd in articulo mortis Matrimonium initum sit ab habente substitutum.

Explicatur d. l. 59. Tunc enim in dubio posset fraus præsumi, quando actus, in articulo mortis peractus, non esset morienti utilis, atque alteri noxius esset. Et sic intelligitur l. *Filiæ meæ*, ff. Soluto Matr. cui opposita sententia innititur. At quando morienti, & filijs ejus, utilis est, ut in præsenti contingit, cessat fraudis præsumptio. Potiùs enim præsumitur, patrem præcipuè liberis consuluisse, quamvis ex consequenti substitutus defraudetur. Attendendum autem est, quod principaliter fit.

389. *Oppugnatur explicatio.* Sed contrà facit; quòd etiam in casu d. l. *Filiæ meæ*, actus in articulo mortis factus utilis esset morienti, & filijs ejus, eaque utilitas foret principale intentum. Ecce casus d. l. *Dedi Titio dotem pro filia mea emancipatâ, & stipulatus fui, ut si ea decederet in Matrimonio, ad me dos reverteretur. Vnde cùm fuerim in unum casum tantùm stipulatus, in alium debet habere mulier, vel hæres ejus, scilicet si fiat divortium, sup. eod.* Si cum Dotem, *in principio: Maritus cùm videret eam ægram, in fraudem meam fecit divortium cum ea, ut sic ipsa in Matrimonio non decederet, sicq; dos remaneret liberis, quos ex ea habuit hæredibus ejus.* Ita Gloss. Cur ergò potiùs hoc divortium fraudulentum, quàm Matrimonium in nostro casu?

390. *Defenditur.* Respondetur: contrahens Matrimonium erat in mortis articulo, in quo minor debet esse suspicio fraudis, cùm agatur de damno salutis æternæ irreparabili, cujus immemor non præsumitur morti proximus, arg. l. ult. Cod. Ad legem Iuliam repetundarum, ibi: *Et licèt neminem Divini timoris contemnendo jusjurandum arbitramur immemorem, ut saluti propriæ ullum commodum anteponat* &c. At verò in casu d. leg. *Filiæ meæ*, maritus faciens divortium non erat in articulo mortis; & ideò major poterat esse suspicio fraudis.

391. *An justificat Matr. fraudulentum? Affirmat Sanchez. Probatio.* Atque ut etiam Matrimonium foret fraudulentum, id est, factum animo defraudandi substituti, nihilominùs Sanchez sup. n. 10. existimat probabilius, prolem sic legitimatam succedere patri, excluso substituto.

Ducor (inquit) quòd non verè dicatur substitutum fraudare; quia jure suo utitur, actumque, mero jure permissum, facit. Non enim injuriam irrogat utens jure suo, l. 151. ff. de Reg.

Reg. juris : *Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere jus non habet.*

392. *Confirmatur.* Et quàmvis debitor legatum, quod ipſo jure relictum eſt, & ſibi acquiſitum, repudiet, ut creditoribus fraudi ſit, id non conſideratur, nec fraudi eis fuiſſe judicandus eſt, eò quòd jure ſuo utatur : l. 6. ff. Quæ in fraudem cred. §. 2. *Proindè & qui repudiavit hæreditatem, vel legitimam vel teſtamentariam, non eſt in ea cauſa, ut huic edicto locum faciat, noluit enim adquirere, non ſuum proprium patrimonium deminuit.*

Plura argumenta ad idem propoſitum ibidem congerit Sanchius. Sufficere debet, quòd, non obſtante fraude patris, filius per id Matrimonium verè reddatur legitimus. Verè ergò facit deficere conditionem : *Si ſinè liberis legitimis moriatur* ; ac proindè ſubſtitutum excludet.

393. *Mala intentio patris non debet nocere filio.* Nec mala patris ineuntis Matrimonium intentio debet filio nocere : cùm ipſe nil à patre conſequatur ; ſed ex beneficio inſtituentis patrem, hæreditatem illam obtinet, qui noluit prolem legitimam hæreditate privari, propter malam intentionem patris. Alioquì ſi ſanitatis tempore contraxiſſet eâ intentione, ſimiliter proles privaretur hæreditate, quod nemo hactenùs dixit.

Intentio non facit ut actus aliquis ſit cauſa damni. Enimverò dum actus à parte rei non eſt contrà juſtitiam, nec reſtituendi obligationem inducit, nil refert, bono, an malo animo fiat ad reſtituendi obligationem producendam. Quippè obligatio reſtituendi oritur ex eo, quòd quiſpiam ſit efficax, & vera damni cauſa : at mala intentio non efficit, ut actus ſit damni cauſa, nec efficaciam ipſi addit, quoties actus, ſeclusâ intentione, non eſt cauſa illius damni. Cùm enim intentio maneat in intendentis voluntate, nil poteſt operari in alio. Si ergò hoc Matrimonium, in articulo mortis initum, aut tempore ſanitatis, abſque prava nocendi ſubſtituto intentione, non eſt contrà juſtitiam, nec cauſa damni, ac proindè non obligat ad reſtituendam ſubſtituto hæreditatem : nec ratione malæ intentionis, quâ iniretur, ad id obligabit.

394. *Objicitur auctoritas Scoti.* Audio dicentem : hæc doctrina non conſonat Doct. Subtili 4. diſt. 15. q. 2. n. 40. ubi ſic ſcribit : *Ad ultimum* (quod eſt de eo, qui procurando ſibi beneficium Eccleſiaſticum, impedit alterum ab ejus conſecutione) *dico ſimiliter, quòd iſte tenetur reſtituere beneficium, non totum, quia multùm intereſt inter habere & propè eſſe : ſed aliquam portionem correſpondentem alicui parti valoris beneficij : & hoc ſi directè abſtulit ſibi beneficium, intentione damnificandi eum. Si autem indirectè, ſcilicet procurando ſibi ipſi, & cum hoc etiam damnificare alium intendebat, tenetur ut dixi. Sed ſi tantummodò propriæ utilitati intendebat providere, & ſic procurat ſibi, & ex conſequenti alius præter intentionem illius damnificatur : iſte ad nihil tenetur illi ; quia licèt unicuique ſibi ipſi providere, alio neglecto.*

395. *Confirmatur per l. 1. §. de Aqua pluv. arc.* *Confirmatur hoc per illud l. 1. §. Idem ajunt, ff. de Aqua pluvia arcenda. Si fracido venas in fundo meo, per quas derivabatur aqua de puteum alterius, intentione nocendi ſibi, tenetur ad reſtitutionem damni : ſed ſi hoc facio ſinè fraude, intendens conſulere utilitati propriæ, ut quia mihi eſt utile facere murum, qui non poteſt convenienter fundari ſinè præciſione illarum venarum : non damnifico alium, quia jus habeo faciendi utilitatem meam in fundo meo. Et ff. de Reg. juris* : Nemo damnum facit, niſi qui illud facit, quod facere jus non habet : *iſte autem habet jus procurandi ſibi beneficium, ſervatis circumſtantijs juſtis & honeſtis.* Ergò ex mente Scoti ſola intentio nocendi poteſt producere obligationem reſtituendi.

Explicatio Scoti. Reſpondetur : negando Conſequentiam. Vult (inquit Scholaſtes ibi) per directè intendere damnum alterius, eſſe fraude illum impedire à beneficio ſinè alio fine : indirectè verò, quando primo intendis tuum commodum, ſed cùm hoc alterum fraude impedire : & juxtà hanc explicationem ceſſant, quæ alij objiciunt contrà Doctorem.

396. *Explicatio probatur 1.* Patet, ſic Doctorem ſentire ; quia dicit : Si primariò intendis commodum, & ex conſequenti alius damnetur, quòd ad nihil teneris : ſed hìc indirectè intendis damnum : ergò fraus eſt, quæ obligat, & non talis intentio.

Secundò. Secundò : lex, quam affert Scotus, tantùm dat actionem de dolo (ut oſtendit Molina diſp. 704. & 709. contrà Navarrum c. 17. n. 71.) contrà præcidentem venas in ſuo fundo, quo impedit alterius bonum : ergò loquitur Scotus in caſu doli.

Tertiò. Tertiò : quæſt. ſeq. fin. ait, retrahentem aliquem à Religione ſinè fraude, non teneri ad reſtitutionem. Hactenùs Scholiaſtes.

397. *Referuntur verba d. l. 1.* Hæc ſunt verba d. l. 1. §. 11. *Idem aiunt, aquam pluviam in ſuo (agro) retinère, vel ſuperfluentem ex vicini in ſuum derivare, dum opus in alieno non fiat, omnibus jus eſſe : prodeſſe enim ſibi unuſquiſque, dum alij non nocet, non prohibetur, nec quemquam hoc nomine teneri.*

Et §. 12. ita lego : *Denique Marcellus ſcribit, eum eo, qui in ſuo fodiens vicini fontem avertit, nihil poſſe agi, nec de dolo actionem. Et ſanè non debet habere, ſi non animo vicino nocendi, ſed ſuum agrum meliorem faciendi, id fecit.* Ergò ſi animo vicino nocendi id fecerit, habebit actionem de dolo.

398. *Reſponſ. Sanchez poſſe d. leg. ſolum dari actionem in foro externo.* Reſpondet Sanchez ſup. n. 11. illam legem non ob malum animum id decreviſſe. Nam nec ſufficiens is erat, nec judici cognitus eſſe poterat. Quare id decrevit ob actionem externam injurioſam : nam quando fit ob nullum finem utilem & neceſſarium, lex præſumit doloſè & iniquè fieri, atque ideò dat actionem de dolo.

Etenim ſi venas reſcindat, ob cauſam ſibi utilem, liquet, id jure facere, ac nulli injuriam eum irrogare, utpotè, qui jus ſibi conſulendi habet. At ſi nullâ neceſſitate adducatur ad illud faciendum, perſpicuum omninò eſt, non poſſe illum id jure facere : quin potiùs alterum abſque ulla cauſa, & non utens jure ſuo lædit : & ideò malus animus præſumitur, & datur contrà illum actio de dolo. Attendit ergò Ulpianus non animum lædendi dumtaxat, ſed etiam attendit actionem externam doloſè ac ſinè jure intentam. Hæc Sanchez.

399. *An teneatur ante sententiam ad restitutionem.* Non dubito ego, quin per d. legem detur contrà illum actio in foro externo, & quin justè posset condemnari ad damnum illatum resarciendum; quòd autem antè sententiam teneatur, unde constat?

Profectò non ex eo præcisè, quòd fecerit malâ intentione; nam mala intentio, quàmvis repugnet charitati, non tamen semper justitiæ. Pone, eum habuisse justam causam fodiendi in agro suo, & rescindendi venas, interim facit hoc ex malo animo, ut proximo malè sit, quis dixerit eum obligari ad restitutionem? Peccavit quidem contrà Charitatem, at actio externa non fuit injuriosa.

Et sic in nostro casu infirmus semper habet justam causam contrahendi Matrimonium, scilicet ut proles suas legitimet, & ideò contrahendo non facit substituto injuriam; quàmvis posset peccare contrà charitatem, si id faceret ex odio, sive ut substituto malè sit.

400. *Respondetur ad exemplum Scoti.* Quantùm ad exemplum Scoti sup. si impedio consecutionem beneficij, sinè vi aut fraudæ, medijs utique licitis, quàmvis peccem contrà charitatem, si id facio ex malo animo; haud equidem contrà justitiam, quia alter non habet jus, nisi ut non impediatur medijs illicitis, vi scilicet aut dolo; & ideò non teneor ad restitutionem. Igitur neque d. lex. 1. & aliæ similiter loquentes, neque Scotus opponitur nostræ doctrinæ.

401. *Expenditur d. l.* Filiæ meæ. Sanchez. Sed nec d. lex *Filiæ meæ*, de qua sup. egimus, quæ, ut notat Sanchez sup. non soli defraudandi animo innititur; sed tacitæ patris voluntati, sub ea conditione dotantis filiam. Mens enim patris præsumpta fuit in solo mortis casu sibi prospicere; nec præsumitur ipsum favere voluisse divortio in ipsius fraudem celebrato.

Quod non obscurè significat Glossa ibi, verb. *Redderet*, subjiciens illius decisionis rationem his verbis: *Cùm in casu mortis tantùm sibi prospexerit pater, scilicet si decederet in Matrimonio.* Quod in nostro casu deficit: nam testator instituens parentem, atque alium substituens, si deficeret proles legitima, noluit substituto contrà prolem legitimam favere; imò illi prætulit prolem legitimam, atque adeò fraus & mala patris intentio proli nocere non debet. Ita Sanchez.

402. *Aliud arg. Adversariorum.* Et hinc etiam non valet, quod dicunt Adversarij: Professio in articulo mortis, facta in fraudem substituti, non excludit eum; ergò neque Matrimonium; valet enim argumentum à Matrimonio spirituali ad carnale.

Non concludit intentum, ex Sanchez. Respondetur: nisi aliquid obstet. Et si quæras, quid hic obstet; Respondet Sanchez sup. Professio Monachi efficit, ut deficiat conditio, *Si absque liberis ille decesserit*, magis ex juris potestate, volentis Monasterium haberi loco filij favore Professionis, quam ex testatoris voluntate, & ex vi verborum: unde malâ fide suscepta, ad excludendum substitutum, non operabitur eum effectum. Conditio enim, quæ à lege præsumitur circà liberos, intelligitur de justè susceptis. At proles, per Matrimonium legitimata, excludit substitutum ex ipsamet testatoris voluntate: unde non mirum, si prava intentio patris non redundet in damnum ipsius prolis, quæ non à patre, sed ab ipso priore testatore vocata est ad eam hæreditatem. Hæc ille, ex Ioan. Garcia de Nobilitate gloss. 19. n. 69.

Interim fatemur, jura sæpissimè disponere tam in generali, quàm in casibus particularibus, locum fraudibus minimè dandum esse; sed decisio in casu particulari, non semper ad alios casus est trahenda. Et decisiones generales intelligendæ sunt de fraudibus injustis; secùs quando justæ sunt, ac proindè omni injuriâ vacant. Quippè eæ non merentur verarum fraudum nomen, cùm re suâ neminem privent: sed jure suo quisque utatur, quàmvis in charitatis legem delinquat ob malam intentionem. Atque hæc satis de quæstione incidentali. 403. *Non est dandus locus fraudibus.*

Redeo ad principalem, & dico iterùm, impotentiam temporalem non dirimere Matrimonium jure naturæ. Addo: verum id esse, licèt ab altero contrahente talis impotentia ignoretur, quidquid in oppositum aliqui asserant apud Sanchez sup. disp. 92. n. 3. æquiparantes impotentiam hanc servituti, quæ ignorata dirimit, secùs cognita. *Impotentia temporalis etiam ignorata non dirimit jure naturæ.*

Sed quid mirum, si servitus ignorata dirimat Matrimonium? cùm jus Ecclesiasticum id expresè statuat, aut declaret, ut suo loco vidimus. Nunquid etiam statuit, aut declaravit uspiam, impotentiam temporalem ignoratam dirimere? Nuspiam gentium quid simile reperitur; imò contrarium non obscurè significavit Pontifex Innoc. III. Dum generaliter, nullâ factâ mentione scientiæ aut ignorantiæ, decernit cap. *Fraternitatis*, de Frig. impotentiam temporalem non dirimere Matrimonium, Alioqui ea decisio valde deficiens foret, si in hac re, ad mores valde necessariâ, & ubi de gravissimo animarum periculo tractabatur, hoc tacito, disponeret, Matrimonium semel dissolutum ratione impotentiæ existimatæ perpetuæ restaurandum esse, comperto impotentiam esse temporalem. 404. *Probatur ex cap. 6. de Frigidis.*

An fortè in casu d. cap. conjuges cognoverint suam impotentiam, antequam Matrimonium contraherent? Non est verisimile neque credibile. Sic enim incipit d. cap. *Fraternitatis tuæ litteras recepimus, continentes quod O. mulier cuidam viro matrimonialiter nupsit: cum quo per multos annos morata, non potuit carnaliter ab ipso cognosci*, propter scilicet suam arctitudinem, quæ usque ad copulæ attentationem communiter latet, etiam ipsam mulierem; unde nec de ea solet fieri inquisitio ante contractum Matrimonij.

Igitur impotentia temporalis etiam ignorata non dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico; sed potiùs jus Ecclesiasticum statuit, Matrimonium cum tali ignorantia contractum valere. Declaravit autem, vel etiam statuit, servitutem ignoratam dirimere: ergò non valet hic argumentum à servitute ad impotentiam. 405. *Non valet hic arg. à servitute ad impotentiam.*

Quinimò, reponit quispiam; quippè servitus ignorata dirimit, non tantùm jure Ecclesiastico, *Impugnatur.*

sed

sed etiam jure naturæ ; utpotè impediens libe-
rum usum Matrimonij, quem non minùs, imò
magis videtur impedire impotentia temporalis.
Unde est ignorantia qualitatis, suâpte naturâ ad
contractûs finem, qui est copula, petitæ ; hæc
autem ipsum contractum vitiat.

406. *Aliquorum responsio.* Ab hac difficultate facilè se expediunt, qui docent servitutem ignoratam non dirimere jure naturæ, sed solo Ecclesiastico ; & consequenter asserunt, libertatem non esse qualitatem, suâpte naturâ ad finem Matrimonij requisitam, atque adeò ignorantiam servitutis non vitiare ex natura rei contractum. Hi etenim negant perpetuam potentiam esse qualitatem, suâpte naturâ ad finem Matrimonij requisitam ; & consequenter affirmant, ignorantiam impotentiæ temporalis non vitiare contractum ; solùm enim petitur, ne sit impotentia perpetua.

407. *Quid si servitus temporalis diriment jure naturæ.* Sed quid, si servitus, etiam solùm temporalis, v. g. ad duos, vel tres annos, jure naturæ dirimeret Matrimonium ; numquid similiter impotentia ad duos vel tres annos ? Ut verum fatear ; si sola copula spectetur, non video disparitatem ; imò hæc magis impeditur per impotentiam, quàm per servitutem. Sin autem cohabitatio & mutua obsequia considerentur, indubiè hæc ampliùs impediuntur per servitutem, quàm per impotentiam ; & ideò fortè Ecclesia statuit errorem servitutis impedimentum dirimens, secùs impotentiam temporalem.

Equidem non sequitur, etiam impotentiam similem dirimere. Prætereà : disparitas est : quòd servilis conditio redundet in infamiam alterius conjugis ; secùs impotentia. Et quod præcipuum est, cùm secundùm Canones error servitutis dirimat Matrimonium, conjuges, qui censentur velle contrahere juxtà voluntatem Ecclesiæ, non censentur tali casu consentire, qui tamen consensus est maximè substantialis Matrimonio.

408. *Declaratur 1.* Porrò in nostro casu, cùm secundùm Canones impotentia temporalis non sit impedimentum dirimens, conjuges, qui censentur velle contrahere juxtà voluntatem Ecclesiæ, censentur consentire, etiam pro hoc casu, nisi in contractu eum exceperint, dicendo v.g. *Accipio te in meum vel in meam, si ex nunc potens sis copulari.* Sed talis exceptio non præsumitur in communi & ordinario modo contrahendi ; neque conveniens est, cùm frequenter fieri possit, ut propter infirmitatem aut similem causam, aliquis pro nunc sit impotens, quàmvis per se potens sit in actu primo, & brevi futurus potens, etiam in actu secundo.

Secundò. Omitto ; quòd aliquando, ut sup. adhuc dixi, etiam ipsum impotentem lateat sua impotentia ; & ideò non debuit ad eam alligari consensus matrimonialis. At verò servitus nota est, saltem ipsi servo, qui posset, si vellet, eam alteri parti indicare ; undè meritò Ecclesia potuit velle, ut consensus matrimonialis ei alligaretur. Quibus hæ disparitates non satisfaciunt, quærant meliorem, & cùm invenerint, renuntient nobis, & rem gratam præstiterint.

409. *An peccet,* Intereà quæro, an saltem non sit reus alicujus culpæ, qui præscius suæ impotentiæ temporalis contraxit Matrimonium cum potente ? Richardus 4. dist. 34. a. 2. q. 2. de muliere arcta hæc scribit : Respondeo : quòd aut illa arctatio talis est, quòd sibi potest subveniri, vel per consortium viri, vel per naturam, vel per artem chirurgiæ, sine periculo, & tunc Matrimonium non impedit, quàmvis malè faciat mulier contrahendò, quamdiu est in tali statu. Hæc ille. *qui contrahit cum impotentia temporali ? Affirmat Richardus.*

Quem sequitur Astensis. Quem sequitur Astensis 2. part. Sum. lib. 8. tit. 26. a. un. q. 1. & Alij, quos citat Sanchez sup. n. 5. dicens : Idque limitant Richardus & Astensis, nisi magna necessitas vel utilitas id suadeat.

Richardus sup. q. 1. de frigiditate ita loquitur : Si est temporalis, cui potest adhiberi remedium per naturam, vel per artem, non dirimit Matrimonium, si contrahatur : tamen malè facit homo contrahendo, quamdiu est in illo statu, nisi magna necessitas vel utilitas hoc requirat. An autem sit culpa gravis seu mortalis, non explicant hi Auctores.

410. *Arg. contrà, ex Sanchez.* Verùm (inquit Sanchez sup.) in contrarium urget, nullam videri culpam, si gravi morbo laborans Matrimonium ineat, quàmvis tunc reddere debitum nequeat. Quia lex Matrimonij obligat ad reddendum debitum instar præceptorum affirmativorum ; nimirum semper, non tamen pro semper, sed salvâ incolumitate personæ, & temporibus commodis. At hic potest obligari ad reddendum tempore, quo fuerit potens. Deinde : quòd impotens ad tempus ad solvendum debitum pecuniarium, nullius culpæ reus est, si se ad solvendum obliget tempore, quo certus est se solvendo fore.

Ipse existimat, per se nullam esse culpam. Et ideò existimo, nullam esse culpam ex natura rei, at posset esse ex ratione deceptionis conjugis potentis, quando diu duratura esset impotentia, & non ei detegeretur. Quia esset deceptio in qualitate valde necessaria, exponeretúrque alter incontinentiæ periculo : nec ipsi posset imputari non inquisivisse circà hoc, sicut imputatur, quando de alijs viri partibus non curat certior fieri. Quia aliæ possunt diligentiâ præmissâ sciri ; nec tenetur quispiam proprios defectus detegere : at defectus ille potentiæ est occultus, & de eo nunquam inquiri solet. Hæc Sanchez.

411. *Potest esse culpa ratione deceptionis.* Quæ si vera sunt, etiam vera erit sententia Richardi & Astensis, quæ solùm docet, hominem, sic contrahentem, malè facere, sive hæc malitia oriatur ex natura rei, aut potiùs ex ratione deceptionis, quæ ut plurimùm concomitatur tale Matrimonium, cùm contrahentes supponant mutuam potentiam, etiam pro tempore, quo contrahunt ; aut certè pro illo, quo obligat redditio debiti, adeò, ut si scirent impotentiam, nollent contrahere.

Et quàmvis illa habitualis nolitio, non destruat consensum substantialem ; equidem est signum manifestum deceptionis, quæ non potest non esse mala, cùm quilibet habeat jus, ne ab altero decipiatur. Veluti si quis emeret equum ad certum usum, excusaresne venditorem à peccato, si equus ineptus foret ad talem usum

pro nunc, futurus tamen utilis post multos annos?

412. *Declaratur.* Sic impræsentiarùm, contrahitur Matrimonium ad usum conjugalem, & ex una parte datur corpus ex nunc aptum, excusaresne à peccato alteram partem, quæ tradit corpus pro nunc ineptum, post multos autem annos futurum aptum? Non dubito, quin meritò conjux potens conquereretur se deceptum, si defectus potentiæ talis est, de quo nunquam solet inquiri; sin autem soleat inquiri, & ipse sibi confisus non inquisivit, jam non ab altero, sed à se ipso deceptus fuit & ideò nequit justè conqueri.

Quare gravi morbo laborans licitè contrahat, non autem frigidus. Cùm ergò soleat inquiri corporalis sanitas, nulla videtur esse culpa, si gravi morbo laborans Matrimonium ineat, quàmvis tunc reddere debitũ nequeat. De frigiditate verò & arctitudine non solet inquiri, & ideò aperienda sunt, quando sciuntur. De his autem defectibus loquuntur Richardus & Astensis.

413. *Probatur sententia Richardi à simili.* Prætereà quæro: si quis emeret rem quampiam, nec esset solvendo pretium, nisi post aliquot annos, censen' quia non peccaret? Æstimas fortè, quòd venditor non haberet justam causam conquerendi? Cur ergò non haberet justam causam conquerendi, qui dedit corpus suum potens ex nunc ad usum conjugalem, & accepit corpus pro nunc impotens, futurum potens solùm post aliquot annos?

Non vides inæqualitatem hìc inter datum & acceptum, non in qualitate aliqua merè accidentali, ut sunt divitiæ; sed in ipsa quasi materia contractûs, quæ sunt corpora contrahentium apta ad generationem? Cur ergò talis contractus ex natura rei non sit illicitus? Vide quid dixeris. Certum est tutiùs fore, vel à contractu desistere, donec impotentia cessaverit, aut eam alteri parti indicare, & sic cùm sciente & volente contrahere.

414. *Quid si temporalis impotentia post contractum fiat perpetua. Ratio dubitandi de valore, ex Dicast.* Sed quid, dicet aliquis, si hæc impotentia temporalis post contractum fiat perpetua, antequam tempus, quo debeat cessare, advenerit? Nunquid Matrimonium valuit, & validum perserverat?

Ratio dubitandi est (inquit Dicastillo disp. 7. n. 439.) quia non videtur assignabile tempus, quo talis contrahens fuerit capax contrahendi, & transferendi dominium. Nam tempore, quo impotentia illa censebatur, & erat ex se temporalis, non potuit tradere jus ad usum pro illo tempore; tempore verò sequenti jam inducta est causa perpetuæ impotentiæ, ut supponimus: ergò nunquam fuit, nec futura erat apta materia contractûs Matrimonij: ergò vel à principio non fuit Matrimonium, vel solùm contractus ille fuit conditionatus, expectans conditionis eventum.

415. *Eliditur, ex quo.* Ecce ratio dubitandi, propter quam hæc res videtur Dicastilloni sup. n. 440. aliquantulùm difficilis. Interim n. 441. respondet, negando non esse assignabile tempus, quo talis contrahens fuerit capax contrahendi; & ad probationem dicit, falsum esse, quòd toto tempore, quo impotentia censebatur, & erat ex se temporalis, non potuerit tradere jus corporis; quàmvis enim non tradiderit jus ad usum pro illo tempore, potuit tradere jus ad usum pro alio tempore, quo, quantùm est ex se, natura habitura erat potentiam coëundi, quàmvis ex accidenti illam posteà non habuerit. Ita prædictus Auctor.

416. *Docet hic Auctor, tale Matr. valere, per c. 9. de Desponſ. impub.* Et ideò docet, hujusmodi Matrimonium à principio valere, eoque valore supposito, per superveniens impedimentum non dirimi. Eadem est nostra opinio. Equidem per superveniens impedimentum non dirimi, sup. longè latèque probavimus. Porrò ab initio valere, probat Dicastillo sup. n. 440. ex cap. *De illis*, 9. de Desponſ. impub. ubi deciditur, Matrimonium impuberum valere, si adsit potentia coëundi cum minoti ætate; ergò (inquit hic Auctor) ubi adest ætas idonea, non debet attendi potentia tunc actu existens, ut docet Sanchez lib. 7. disp. 104. n. 15.

Sanchez. Fateor, docet id Sanchez; sed nunquid audiendus? Herculè nonnulli opposìtum inferunt ex isto jure, scilicet: Ergò qui generare nequit, quàmvis ætate sit pubes, dicitur impubes ad Matrimonium, atque ad illud ineptus. Sed de hoc infrà suo loco. Ad præsentem doctrinam sufficit, quòd Matrimonium jure naturæ valeat, ubi non ad est ætas idonea, neque potentia coëundi.

Planè, inquis; sed hoc est quod quæritur; an tale Matrimonium sit ab initio validum & absolutum; an verò tantùm conditionale, seu an ejus valor pendeat ex eventu futuro potentiæ coëundi.

417. *Probatio ex ratione.* Scio, quòd hoc quæratur. Sed unde probatur, quòd ab initio non sit validum & absolutum, eo salvo, ut vel exteriùs vel interiùs non sit addita dicta conditio? Jam sup. probavimus, posse dari absolutum dominium corporis ad usum aliquando futurum; quidni ergò id censeatur dare, qui cum temporali impotentia, sive defectu ætatis, sive ex alio impedimento extrinseco, contrahit, non additâ aliquâ conditione?

Satis ergò censetur, quòd impotentia, quę nunc adest, non sit perpetua, quin natura hujus individui talis ex se sit, ut seclusis extrinsecis accidentibus, contingentibusque casibus, habitura sit talem potentiam, ut ex nunc possit absolutum & validum contractum celebrare; & illa censetur materia capax hujus contractûs, quià ex se & ex sua constitutione naturali, quam hìc & nunc habet, nata est habere talem potentiam, etiamsi ex accidenti posteà non habeat.

Dicastillo. Alioquì etiam sequeretur, non valere Matrimonium in hoc casu, aut non valuisse, si fortè ante adventum potentiæ ille moriatur. Ita argumentatur Dicastillo sup.

418. *Quid posset ei responderi ab Adversarijs.* Sed credo ego, quòd Adversarij illam Consequentiam facilè concederent; & omninò concedenda est, si reverà tale Matrimonium fuerit tantùm conditionale, dependens ex eventu futuræ potentiæ coëundi: ast hæc dependentia nullo jure, aut sufficienti ratione probatur, & ideò non est asserenda; sed firmiter tenendum, quòd Matrimonium, initum cum impotentia temporali, sive defectu ætatis in impuberibus, sive ex alio quocumque capite, quòd, inquam, jure naturali ab initio sit validum & absolutum.

Dicq

Impotentia temporalis in impubere dirimit jure Ecclesiastico.

Dico consultò : *Iure naturali* ; quia, ut habet sequens pars Conclusionis : Impotentia temporalis dirimit jure Ecclesiastico Matrimonium impuberis. Sed quis impuber ? *Puberes à pube sunt vocati, id est, à pudentia corporis nuncupati : quia hæc loca primò lanuginem ducunt. Quidam tamen ex annis pubertatem exist imant, id est, eum esse puberem, qui quatuordecim annos implevit, quamvis tardissimè pubescat. Certum autem est, eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest.* Ita ex Isidoro refertur c. 3. de Desponsi. impub.

Quis impuber.

C. 3. de Desponsi. impub.

419. *Explicatur à Gloss. d. cap. 3.*

Ubi Glossa verb. *Pudentia*, explicat eam dicens : *Id est pudore, quem patiebantur inspicientes & inspecti in partibus sive membris pudendis.*

Et verb. *Ostendit, & generare*, infert : *Ergò pubertas ex vigore naturali, non ex annorum numero comprobatur : quod verum est quoad Matrimonium contrahendum, ut dixi inf. eod.* De illis, 2. *& cap. ult. ubi malitia supplet ætatem. Ex quibus etiam probatur, quòd Matrimonium consideratur ex pubertate tantùm, & non ex annorum numero : quoad tutelam vel curam ætas annorum tantùm consideratur : Instit. Quibus modis fin. tut. in principio : sed quoad Matrimonium bene inspicitur mulier, & etiam vir, an sint apti ad Matrimonium.*

420. *Hanc Gloss. perperàm videtur intellexisse Sanchius.*

Hanc Glossam perperàm intellexisse videtur Sanchius sup. disp. 104. ubi n. 1. sic ait: Constat, ætatem requisitam ad Matrimonium validè ineundum, esse pubertatem, nempè annum 12. in fœmina, in viro autem annum 14. Quæ ætas ita à Canonibus definitur ; quòd tunc præsumantur habiles ad copulam, & ad consensum conjugalem : ut constat ex cap. *Puberes*, de Desponsi. impub. ubi hoc notat Glossa fin. ab omnibus recepta. Et quia in hac ætate advenit pubertas. Hæc ille.

Fateor ego, in hac ætate communiter advenire pubertatem : sed quòd hæc ætas ita à Canonibus definiatur, quòd tunc præsumantur habiles ad copulam, & ad consensum conjugalem, non video quomodo constet ex cap. *Puberes*, aut ubi Gloss. finalis id notet.

421. *Ostenditur ex Summario cap.*

Summarium d. cap. sic sonat : *Puberes sunt quoad Matrimonium, qui ex habitu corporis concipere & generare possunt.* Et Gloss. expos it. casûs in fine, inquit : *Nota, quòd in Matrimonio contrahendo non debet considerari tempus ; sed utrùm sit talis, qui generare vel concipere posit, tam in masculo, quàm in fœmina.* Si in Matrimonio non debet considerari tempus : ergò videtur, quòd, secundùm Glossam, ex tempore non debeat præsumi habilitas ad Matrimonium. Saltem quòd debeat præsumi, nec ibi, nec alibi notat Gloss.

Et ex ipsa Glossa.

Audite ipsam ibidem verb. *Tardissimè : Quid si iste qui jam complevit 14. annos, talis appareat ; quòd nullo modo posit generare, & contrahat, numquid tenet Matrimonium ? Dicunt quidam, quòd tenet Matrimonium ; contrarium credo ; quia nec est pubes, ut inf. dicitur, nec in eo reperiuntur tria bona Matrimonij, quæ sunt fides, proles, & Sacramentum, 27. q. 2.* Omne. Itaque *Iste non est talis, qui posit habere prolem.* Sed de hac difficultate infrà latiùs agetur.

Quod hìc attinet, legitima ætas in fœmina est annus 12. in viro annus 14. De fœmina colligitur ex cap. *Continebatur*, 6. de Desponsi. impub. ibi : *Si autem fuerit ætati* (nubili) *proxima, ut in undecimo vel circà duodecimum annum*, &c. De viro constat ex cap. *Attestationes*, 10. eod. ibi : *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si mulier per idoneos testes probare nequiverit, quòd post decimum quartum annum ætatis suæ, vel circà finem decimi quarti anni, prædictus juvenis consensisset in eam, ab ipso juramento recepto, quòd postquam ad legitimam ætatem pervenit, ipsam habere non consensit uxorem : ab impetitione mulieris eum potes & debes absolvere : & ad alia vota utrique dare licentiam transeundi.*

422. *Legitima ætas in fœmina est annus 12. in viro 14. ex cap. 6. de Desponsi. impub. & cap. 10. eod.*

Ubi, ut vides, Matrimonium initum antè legitimam ætatem declaratur irritum, seu potiùs ab Ecclesia irritatur. Ùti etiam cap. seq. eod. ibi: *Cùm autem dictus puer nondum ad decimum quartum annum pervenerit, nec ad eamdem carnaliter accessum habuerit : Discretioni tuæ taliter respondemus, quòd si puella commonita, ut donec compleat idem puer annum decimum quartum expectet, non duxerit expectandum, ei secundùm ea, quæ proposita sunt, accipiendi alium virum liberam tribuas facultatem.*

423. *Item cap. 11.*

Accedat cap. fin. eod. ibi : *Respondemus : quòd si puella nubilis non erat ætatis, cùm sæpè fatus vir desponsavit eamdem, & ætatem in ea prudentia non supplebat, proculdubiò inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt, quamvis ab ipso viro eadem fuerit subarrhata.*

Et cap. fin. eod.

Ubi Gloss. verb. *Nubilis*, inquit: *Nota, nubilis ætas in viro est decimus quartus annus, in fœmina duodecimus. Et ita si non fuit talis, nō fuit Matrimoniū inter eos, sed spōsalia tātùm, nisi malitia suppleret ætatē.*

Tandem cap. un. de Desponsi. impub. in 6. Bonif. VIII. ait : *Idem quòque si pubes & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de præsenti : sponsalia enim illa, quæ juris interpretatione tantùm fuerunt sponsalia de futuro (licet verba consensum exprimentia de præsenti haberent ; & Matrimonium contrahere intenderent contrahentes) per adventum pubertatis in Matrimonium non transeunt de præsenti : nec Matrimonium (quod ut Matrimonium ætate non tenuit prohibente) per lapsum dicti temporis convaluescit* &c. Proinde de invaliditate hujusmodi Matrimonij non est relictus dubitandi locus, quàmvis disputari possit de jure, ex quo ea oritur.

424. *Matrimonium impuberum est irritum, ex c. unico de Desponsi. impub. in 6.*

Quibusdam videtur, quòd ex jure naturæ. Primò ; quia cùm nemo ad impossibile obligare valeat, lex naturæ postulat ad valorem traditionis, ut se tradens potestatem se tradèdi habeat. At puer antè pubertatem caret potentiâ ad copulam ; jure ergò naturæ est incapax, ut tradat potestatem sui corporis ad copulam conjugalem, in qua traditione essentia Matrimonij consistit. Sic illi.

Probatur quòd etiam jure naturæ.

Sed huic argumento satis, ut arbitror, superiùs fuit satisfactum ; unde pertranseo, & aliud propono, quod Adversarij desumunt ex cap. *Quod sedem*, 2. de Frig. ubi Alex. III. Ambian. Epis. rescribit in hæc verba : *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio : sic qui*

425. *Alia probatio ex c. 2. de Frig.*

impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda Matrimonia reputantur.

Hic exigitur ad valorem Matrimonij, potentia coëundi. Et videtur loqui textus de requisito jure naturali. Nam inde colligunt Auctores, impotentiam coëundi esse impedimentum jure naturæ dirimens Matrimonium.

426. *Loquitur d. cap. de impotentia perpetua.* Respondetur, & textum & Auctores loqui de impotentia perpetua. Audi Gloss. verb. *Impotentes*: *Hâc ratione videtur, quòd senes, qui a naturali calore defecerunt, contrahere non possunt: sed contrarium est verum, Cod. de Nuptijs*, Sancimus; 27. q. 1. Nuptiarum: *quia in senibus dicitur esse legis obsequium, & humanitatis solatium, ut ibi, &* 31. q. 1. Aperiant, *& cap.* Quod si dormierit. *Sed hic non loquitur de tali impotentia; sed de eo, qui sectus est, & qui perpetuò impotens est: sed senes aliquando aliquo beneficio moventur.*

Objectio solvitur. Contrà, inquis; puer non est perpetuò impotens: ergò non valet ea æquiparatio. Respondetur: æquiparatio non debet semper esse in omnibus: hic autem est æquiparatio in impedimento dirimente; quàmvis sit dispar ratio in ejus qualitate, quòd unum sit juris naturalis, alterum juris dumtaxat Ecclesiastici.

427. *Tertium arg. Adversariorum ex c. 2. de Desponſ. impub.* Tertiò argumentantur Adversarij ex cap. 2. de Desponſ. impub. sequentis tenoris: *Vbi non est Consensus*: & infrà: *Districtiùs inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter, ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam, non pervenerit, conjungantur.* Ubi textus præmittit illa verba: *Vbi non est consensus*, quasi sentiens antè pubertatem deficere consensum, ad Matrimonium sufficientem, & ideò esse irritum. At quando defectu consensûs irritatur, est jure naturæ irritum.

Resp. Navarri. Respondet Navar. lib. 4. Consil. in 2. edit. tit. de Desponſ. impub. Consil. 5. n. 3. quòd Greg. IX. non posuit clausulam illam integram: *Vbi non est consensus, non est conjugium*; sed solùm posuit initium: scilicet: *Vbi non est consensus &c.* ad opportunitatem allegandi, ut sæpissimè fecit in compilatione libri Decretalium: & quòd omisit residuum, ad denotandum, quòd id non erat verum in omnibus impuberibus, sed solùm in infantibus, & alijs, qui non sunt doli & consilij capaces.

428. *Confirmatur.* Ad quod facit; quòd licèt Antonius Augustinus non ponat in initio cap. illam clausulam, ponit tamen posteà in sua nota, desumptam ex Nicolao, quem Gratianus citat 30. q. 2. c. 1. Ex quo patet quòd Greg. IX. noluit, ut illa integrè reponeretur in suo libro Decretalium. Hæc ille.

Et n. 4. benè notat; quòd Nicol. Papa relatus à Gratiano sup. ex illa clausula integra: *Vbi non est consensus, non est conjugium*, solùm infert quòd pueri in cunabulis existentes non possunt contrahere Matrimonium; nec contractum pro eis à parentibus eorum valere, & ita mens ejus fuit, dicere, quòd consensus infantilis non sufficit, quod Omnes fatentur. Ita Navar.

Pueri in cunabulis existentes, non possunt contrahere Matr. Hæc sunt verba Nicolai, à Grat. sup. relati: *Vbi non est consensus utriusque, non est conjugium. Ergò qui pueris dant puellas in cunabulis & è converso, nihil faciunt, nisi uterque puerorum, postquàm venerint ad annos discretionis, consentiat, etiamsi pater & mater hoc voluerint & fecerint.*

Ultimò objiciunt Adversarij, quod habet Navar. sup. in fine consilij: *Refertur Greg. XIII. die 13. April. 1580. respondisse, Sedem Apostolicam ob hoc non esse interpellandam; cùm, si desit discretio, vel potentia consummandi Matrimonium, Sedes Apostolica nihil posit. Quòd si neutrum deesse cognoverit, Ordinarius poterit (si causæ, quæ narrantur, sint veræ) suo jure dictum licentiam concedere.* Posset autem Pontifex dispensare cum impuberibus, quibus deest potentia consummandi Matrimonium, si hoc impedimentum foret juris tantùm Ecclesiastici. 429. *Vltimum arg. pro jure naturæ ex Navar.*

Respondet Sanchez sup. n. 13. in fine: Sensum esse, non facilè solere dispensare. Alioquin Sedem Apostolicam aliquando dispensasse cum impuberibus, refert Navar. sup. in principio consilij dicens: Beatissime Pater, interrogatus heri à S. V. an viderim dispensationem antè hàc à Sacrosancta Sede Apostolica datam aliquibus impuberibus, ad contrahendum Matrimonium, respondi, me non vidisse: sed posteà sub noctem didici, quòd felic. record. Pius V. cujus acta S. V. præter ferè omnium successorum morem, raro & mirabili exemplo libenter solet imitari in iis, quæ jure sustineri possunt, & in alijs ad viam juris redigere, dispensavit per suum Legatum & Commissarium Rosanum in Hispania in quodam simili casu illius nationis. Hæc Navar. *Solvitur à Sanchio.* *Sedes Apostolica aliquando dispensavit in hoc impedimento.*

Sed & jus commune suffragatur huic dispensationi, non solùm à Pontifice, verùm etiam ab Episcopo dandæ, ut Multi putant. Rogas: quod sit illud jus? Respondeo: cap. 2. de Desponſ. impub. ubi verbis sup. allegatis, in quibus prohibetur Matrimonium impuberis, continuò subditur: *Nisi fortè, aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente, utpotè pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* 430. *Suffragatur jus commune, cap. 2. de Desponſ. impub.*

Et ne quis dicat (inquit Navar. sup. consil. 4. n. 10.) cap. istud loqui de sponsalibus tantùm, consideret Glossam, & antè illam Innocentium intelligere illum textum de conjunctione tam Matrimonij, quàm sponsalium, & quod Panormitanus ibi probat irrefragabilibus argumentis, potiùs intelligendum esse de Matrimonio, quàm de sponsalibus. Sic ille. *Navar.* *Innoc.* *Panormit.*

Gloss. ita exponit casum d. cap. *Dicitur hic, quòd aliqui, quorum uterque vel alter ad legitimam ætatem ad Matrimonium non pervenerit, conjungi non debent, nisi fortè aliquâ justâ causâ intervenient, ut putà pro bono pacis: cujus contrarium fuit causa hujus prohibitionis: putà, contrahebant aliqui in minori ætate, cùm ad ætatem legitimam pervenicbant, displicebat alteri, & sic non contrahebant, propter quod scandalum & odium inter parentes oriebatur.* 431. *Expositio d. cap. per Gloss.*

Ubi manifestè loquitur de sponsalibus: nam primò dicit: *Contrahebant*, scilicet sponsalia, & posteà ait: *Non contrahebant*, scilicet Matrimonium. Ergò intelligit hunc textum de prohibitione sponsalium, nisi justâ causâ interveniente. *Intelligit istud de prohibitione sponsaliorum.*

Sed

432. *Sed non tantùm; verùm etiam de Matr.*

Sed nunquid de ſponſalibus tantùm? Minimè. Nam verb. *Canonibus*, aſſignat ætatem legitimam tam ad Matrimonium, quàm ad ſponſalia, dicens: *Ætas ad Matrimonium contrahendum, tam ſecundùm leges, quàm ſecundùm Canones, eſt 12. annorum in fœmina, ff. de Rit. nupt.* Minorem, *& inf. eod.* Continebatur. *In viro* 14. *annorum, inf. eod.* Atteſtationes. *Quantùm ad ſponſalia ætas 7. ann.* Ad quid aſſignaret ætatem legitimam ad Matrimonium, ſi putaſſet in eo cap. de ſolis ſponſalibus agi?

Hinc verb. *Conjungantur*, ait: *Matrimonialiter; quia conſentire non poſſunt, inf. de Frigid.* Quod Sedem. *Vel intellige, quantùm ad ſponſalia, & ideò prohibentur, quia ſæpè mutant poſteà voluntatem; unde propterea oritur diſcordia inter ipſos, & divertentes conſanguineis copulantur, quod eſſe non poteſt.* Igitur ſecundùm Gloſſam intelligitur ille textus de conjunctione tam Matrimonij, quàm ſponſalium.

433. *Hit intellectus non placet Panor. Probat debere intelligi de ſole Matr.*

Verùm hic intellectus, quàmvis communis, non placet Panormitano hìc: Primò, inquit, quia textus dicit: *Non conjungantur*: ſed per ſponſalia non fit conjunctio, ſed promiſſio conjunctionis futuræ, facit 30. q. 5. *Noſtrates.* Item; ſuppoſito, quòd hoc verbum poſſit aptari ad ſponſalia, ex alio cap. non procedit communis intellectus, quoniam textus iſte prohibet, antequam uterque perveniat ad ætatem Canonibus determinatam; ſed poſt ſeptennium, reſpectu ſponſaliorum, pervenerunt ad legitimam ætatem: ergò licitè contrahunt ſponſalia. Unde intelligo iſtum textum ſtrictè, quando impuberes ambo vel alter contrahunt Matrimonium, & volunt intendere copulæ carnali: talis enim conjunctio non eſt permittenda per Eccleſiam, ne poſtmodum dubitetur de validitate Matrimonij. Ita Panormitanus.

434. *Poteſt intelligi de Matr.*

Utut ſit de ſponſalibus, conſtat, d. textum intelligi poſſe de Matrimonio. Quo intellectu ſuppoſito, videtur ex eo conſectaneum, ſaltem Pontificem poſſe diſpenſare in Matrimonio impuberum: etenim poſt prohibitionem ſequitur: *Niſi fortè* &c. *pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Ubi Gloſſ. verb. *Pacis*, ait: *Nota pro bono pacis admittendum, quod alias prohiberetur. 3. q. 6.* Hoc quippè. *Vnde verſus:*

Pax ut ſervetur, moderamen juris habetur.

Non dicit Gloſſ. permittendum, ſed: *Admittendum*, quò ſignificet, præfatum cap. intelligendum eſſe de tolerantia approbativa. Verbum, *Tolerare* (inquit Navar. ſup. conſil. 5. n. 5.) eſt generale, & ſignificat, ferre, pati, & ſuſtinere, ſecundùm omnes latinè callentes, & ita eſt genus ad patientiam & ſufferentiam bonorum & malorum, juxtà illud Terentij: *Vnà tecum bona, malaq; tolerabimus.*

Quid ſignificet ly Tolerare. Navar. Terent.

435. *Duplex eſt tolerantia.*

Unde duplex eſt tolerantia; altera, per quam actus approbatur tamquam bonus: altera per quam actus non approbatur, ſed relinquitur impunitus, juxtà Gloſſam celebrem & receptam in cap. *Denique*, diſt. 14.

Exemplum prioris.

De priore approbativa loquitur cap. *Si quando*, de Reſcriptis, quatenùs habet, Papam patienter ſuſtinere, ut ab ejus mandato rationabiliter ſupplicetur. Et in l. *Quæſitum*, ff. de Hæred. inſtit. ſententia bona appellatur tolerabiliſſima. Et in cap. *Tolerabilius*, 32. q. 5. patientia malorum pœnæ, per quam vitatur conſenſus in peccato, dicitur tolerabilis & toleranda; & tamen actus ille toleratus eſt optimus.

Exemplum poſterioris.

De poſteriori, quâ non approbatur actus, ſed tantùm relinquitur impunitus, loquitur præfatum cap. *Denique*, & cap. *Cum jam dudum*, de Præbendis. Hæc ille.

436. *De tolerantia approbativa intelligit Navar. d. c. 2.*

A quo ſi petas, de qua approbatione d. cap. 2. de Deſponſ. impub. ſit intelligendum, confeſtim reſpondet, de tolerantia priore approbativa. Tum (inquit) quia in dubio verba in meliorem partem ſunt intelligenda. Tum; quia ſancta Sedes Apoſtolica approbavit Matrimonia contracta inter impuberes in caſu cap. *Continebatur*, de Deſponſ. impub. & cap. fin. de Eo qui cognovit &c. ſecutâ copulâ carnali, non tamquam contracta per copulam carnalem, quia illa non facit Matrimonium, ſed à tempore, quo illa fuerunt contracta per verba de præſenti, per quæ Matrimonium contrahitur. Hæc ille.

Non favet ei cap. Continebatur, de Deſp. impub.

Sed tu Lector nota, in caſu cap. *Continebatur*, Sedem Apoſtolicam non approbaſſe Matrimonia contracta inter quoſlibet impuberes, ſed tantùm inter illos, qui erant proximi ætati, & in quibus malitia ſupplebat ætatem; etenim hæc ſunt verba textûs: *Si autem fuerit ætati proxima, ut in undecimo, vel circa duodecimum annum, & cum ſuo aſſenſu deſponſata, & cognita, ab eodem viro ſeparari non debet: præſertim cùm parentes ejus, ipſam fuiſſe ætatis legitimæ faterentur.*

437. *Neque cap. fin. de Eo qui cognovit &c.*

Conſimiliter in d. cap. fin. agitur de impuberibus, in quibus malitia ſupplebat ætatem, ut patet ex ejus principio: *Iordanæ mulieris petitio continebat, quòd I. laicus cum ipſa, quæ nondum decimum ætatis ſuæ annum compleverat, per verba de futuro contraxit: & ea infra ejuſdem anni ſpatium carnaliter cognita* &c.

Ubi Gloſſ. in expoſitione casûs: *Nota*, inquit, *quod malitia ſupplet ætatem.* Et verbo: *Carnaliter cognita*, ait: *Et ſic ſtatim fuit Matrimonium, malitiâ ſupplente ætatem.* Statim, inquam, tamquam contractum per copulam carnalem: quia illa, poſt contractum per verba de futuro, facit Matrimonium præſumptum cap. *Is qui*, de Sponſal. & alibi.

438. *Arguitur Navar. de errore.*

Unde patet error Navarri ſup. dum ait: d. cap. fin. Pontificem approbaſſe Matrimonium impuberum, ſecutâ copulâ carnali, non tamquam contractum per copulam carnalem, ſed à tempore, quo illud fuit contractum per verba de præſenti: quippè in d. cap. tantùm fit mentio verborum de futuro.

Cæterùm hæc non eſt quæſtio noſtra; an ſupplente malitiâ ætatem, Pontifex poſſit diſpenſare in Matrimonio impuberum; clarum enim eſt, ut ſtatim videbimus, quòd per jus commune tale Matrimonium valeat, dummodò pubertati ſint proximi; ſed an Pontifex poſſit diſpenſare, malitiâ non ſupplente ætatem, ſive exiſtente impotentiâ ad Matrimonium pro nunc conſum-

Pontifex poteſt diſpenſare in Matr. impuberum.

consummandum. Et ex hypothesi, quòd impotentia temporalis sit impedimentum dumtaxat Ecclesiasticum, responsio affirmativa est pervia; modò impuberes rationis capaces sint; sicut potest in quolibet alio jure humano dispensare. Sed neque d. cap. 2. de Despons. impub. ullam facit mentionem malitiæ supplentis ætatem, & ideò eam non requirimus, ut pro bono pacis possit tolerari Matrimonium impuberum,

439. *An etiam Episcopus.*

Sed à quo, inquis; poterit tolerari? Nunquid etiam ab Episcopo? Ita Aliqui videntur sentire. Quia quoties in aliquo textu permittitur dispensatio, nec explicatur, cui, intelligitur concessa Episcopo; nisi textus ipsis Episcopis imponeret legem.

Pars affirmans probatur ex Sanchez.

Hæc est communissima sententia, quam docet Sanchez lib. 8. disp. 5. n. 1. & breviter probatur; quia cùm verba debeant aliquid operari, cap. *Si Papa*, de Privil. in 6. nec dubium sit, posse Pontificem in eo Decreto dispensare, aut, si ab ipso dispensetur, nullam contrahi culpam, aut pœnam à contravenient incurri; censentur ea verba intelligi, ut permittant Episcopo dispensare, vel, nisi ab Episcopo dispensetur, ne frustranea sit. Præsertim cùm potestas dispensandi sit favorabilis, adeoque latè interpretanda.

Cùm ergò d. cap. 2. de Despons. impub. videatur concedi dispensatio ob urgentissimam necessitatem boni pacis, poterit Episcopus tunc dispensare. Et quàmvis (inquit Sanchez lib. 7. disp. 104. n. 12.) difficultate hoc non careat, censeo satis probabile esse, in eo casu urgentissimæ necessitatis posse Episcopum.

440. *Judicium Auctoris.*

Interrogas: quid ego sentiam? Dico: si d. cap. 2. loquitur in casu, quo malitia supplet ætatem, sicut videntur Aliqui velle, non probat Pontificem posse dispensare, multò minùs Episcopum, in casu, quo malitia non supplet ætatem, de quo hìc tractamus, tr. sup. adhuc insinuavi. Sin autem de hoc casu loquatur, quod ego puto, & statim probabo, asserò, non solùm Pontificem, sed etiam Episcopum posse dispensare. Ducor ratione superius allatâ.

An d. cap. 2. loquatur in casu quo malitia supplet ætatem.

Quòd autem de hoc casu loquatur, probo; quia dum malitia supplet ætatem, nullo jure illicitum est contrahere, vel assignetur tale jus.

Si dixeris: præfatum cap. 2. Contrà: impuberes in quibus malitia prævenit ætatem, jam pervenerunt ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam; nam malitia supplet defectum ætatis. Jam autem d. cap. loquitur de illis, qui non pervenerunt ad eam ætatem.

441. *Videtur quòd non.*

Urges: textus loquitur de certo numero annorum. Respondeo: quid tum? Hoc ideò factum fuit; quia communiter malitia non supplet ætatem; unde ea ante hunc numerum annorum non præsumitur; atque adeo asserenti incumbit probatio, & nisi de ea moraliter certò constet, peccat sic contrahendo, seclusâ dispensatione; quia lex prohibens est in possessione, ac proindè in dubio seu pari causâ obligat. Quando autem certò constat de malitia, præsumptio legis cedere debet veritati, sicut in valido, sic etiam in Matrimonio licito; cùm ergò sit Matrimonium validum, estò numerus annorum non sit completus, ut statim videbimus, quid ni etiam sit licitum? Expectabo à Doctioribus responsionem. Interea subscribo:

CONCLUSIO IX.

Ad valorem Matrimonij probabiliter sufficit, diem ultimum ætatis esse inceptum. Quin & malitia supplet ætatem.

442. *Requiritur ad Matr. ætas completa ex l. 6. de desp. impub.*

ÆTatem, legibus & Canonibus determinatam, ad validè contrahendũ Matrimonium, ut puta 12. annorum in fœmina, in viro autẽ 14. annorum, ut patet ex præced. Conclus. hanc, inquam, ætatem debere esse completam, satis colligitur ex juribus, superiùs allegatis, cap. *Continebatur*, de Desp. impub. ibi: *Si autem fuerit ætati proxima..... & cognita ab eodem viro* &c. Ad quid hęc cognitio ponderatur, si sufficiat ætas proxima? Igitur exigitur, per se loquendo, ætas completa.

Item cap. 10.

Idemque non obscurè significatur cap, *Attestationes*, eod. ibi: *Quòd si mulier per idoneos testes probare nequiverit, quòd post decimum quartum annum ætatis suæ, vel circa finem decimi quarti anni prædictus juvenis consensisset in eam*

Accedat cap. *Ex litteris*, eod. ibi: *Cùm autem dictus puer nondum ad decimum quartum annum pervenerit, nec ad eamdẽ carnaliter accessum habuerit, discretioni tuæ taliter respondemus, quòd si puella commonita, ut, donec compleat idem puer annum decimum quartũ, expectet* &c. Quid evidentiùs dici poterat?

Et 11. eod.

Hinc cap. fin. eod. proposito casu de puella, quæ dicebatur habuisse circiter 12. annos dum desponsaretur viro, deciditur Matrimonium non valuisse, nisi malitia suppleret ætatem, ibi: *Respondemus, quòd si puella nubilis non erat ætatis, cum sæpè fatus vir desponsavit eamdem, & ætatem in ea prudentia non supplebat, procul dubio inter eos non Matrimonium, sed sponsalia contracta fuerunt.*

443. *Probatur ætatem ex cap. fin. eod.*

Ubi Gloss. verb. *Circiter*, ait: *Ad modicam quantitatem refertur hæc dictio*: Circiter, *& consimiles*. Sentit ergò textus, non valere Matrimonium fœminæ, cui modicum tempus ad duodecimum annum completum deficit, nisi malitia ætatem suppleat. Et ita (inquit Sanchez lib. 7. disp. 104. n. 1.) fatentur universi Doctores in textibus allegatis.

Sanchez.

Numquid etiam omnes fatentur, sufficere ultimum diem esse inceptum? Attendite Basil. Pontium lib. 7. cap. 65. n. 1. In dubio, inquit, an præfinitum tempus completum sit, inhabiles judicabit Ecclesia, etiamsi exigua temporis distantia sit. Neque enim hic locum habet illa regula: *Quod parum distat.* Sicut neque in alijs, in quibus jus præfinitum tempus exigit, ut in anno probationis Religiosi, & in ætate ad Ordines: si enim vel unus dies aut hora desideretur, vitiat factum: cùm enim jus præfiniat tempus, exigatque illud esse completum, nisi malitia suppleat, non est locus paucorum dierum supplemento. Quòd si illa suppleat, parùm re-

444. *An sufficiat ultimum diem esse inceptum.*

fert, an duo vel tres dies, aut etiam plures deſint.

447. *Negat Pontius.* Imò exiſtimo, nec ſatis eſſe, ut completa ætas cenſeatur, ultimum diem inceptũ eſſe, quando malitia non ſupplet ætatem, ut de anno probationis dicendum eſt.

Occurrit objectioni. Neque obſtat: quòd jure civili alia ſit diſpoſitio in teſtamentis. Quod enim à jure civili ad Canonicum in hac re argumentum deſumi poteſt? Aut à teſtamentis ad Matrimonia, ubi eſt expreſſa deciſio Pontificum? Hucuſque præfatus Auctor.

448. *Oppoſitum docet Sanchez, exemplo teſtamenti.* Noſtram Concluſionem docet Sanchez ſup. n. 2. cum Alijs, quos citat. Quòd ita favore teſtamenti decernatur l. *Qua ætate*, 5. (aliàs: A qua ætate) ff. Qui teſt. facere poſſunt &c. (aliàs: de Teſtamentis) At Matrimonij favor non minor eſt. Atque idem ex multis probavi in ætate ad ſponſalia requiſitâ lib. 1. diſp. 16. n. 2. Sic ille.

Et quia nos cum illo Diſp. præced. Sect. 1. Concluſ. 8. id ipſum ex multis probavimus; hinc impræſentiarùm idem ſentimus in ætate, ad Matrimonium requiſitâ. Quidquid Pontius diſtinguat inter ſponſalia & Matrimonium, ſed ſinè ſolido fundamento, ut loco citato videre poteris: nam omnia hìc repetere, non judicavi operæ pretium, cùm argumenta Pontij leviſſima ſint, & ibi clarè ſoluta.

449. *Declar. Card. pro complemento anni probationis.* Tantùm hic addo duas Declarationes Card. pro complemento anni probationis, quas invenio apud Bonagratia Sum. verb. *Profeſſio regularis*, n. 423. Sacra Congregatio (inquit ille) 1627. 5. Iunij declaravit, *nullam eſſe profeſſionem, ſi ſit emiſſa in anno biſſextili, non expectato lapſu illius diei, qui tum de novo additur.* Et 1617. 21. Jan. *Emiſſam, non completo anni curriculo, etiam per duas horas tantùm, non valere.*

Nulla talis extat pro complemento ætatis Matrimonialis. Nunquid aliqua talis Declaratio extat de completione ætatis, requiſitæ ad Matrimonium aut ſponſalia? Ergò non valet hìc argumentum ab anno probationis, ad ætatem Matrimonialem. Ut omittam etiam aliquos inveniri, qui Profeſſionem in ſuprema die 16. anni emitti poſſe, emiſſamque ſubſiſtere reſolvant. Et conſequenter aſſerunt, annum probationis non eſſe computandum ab uno puncto & inſtanti, ad idem punctum & inſtans; quia, inquiunt, eſſet aſſertio nimis rigoroſa. Aliqui etiam exiſtimant, ad Profeſſionem in Religione emittendam anno biſſextili, ſatis eſſe ad probationẽ, compleviſſe dies 365.

450. *Licet hic argumentari à jure civili ad Canonicum.* Et verò cur non liceat hìc argumentari à jure civili ad Canonicum? Nonne ſcriptum eſt cap. 1. de Novi oper. nuntiat. *Sicut leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum conſtitutionibus adjuvantur?* Cùm ergò jus Canonicum nuſpiam decernat, quid per completionem ætatis Matrimonialis aut ſponſalitiæ intelligi debeat, cur hic intellectus nequeat deſumi ex jure civili? Sic enim ſacri Canones Principũ conſtitutionibus adjuvantur.

Occurritur objectioni. Nec obſtat: quod in ſpecie de Matrimonio aut ſponſalibus jus civile id non diſponat, ſed tantùm in teſtamentis, atque adeò ſit argumentum à ſimili, quod non valet in poſitivis. Nam reſpondetur; hìc non deſumitur argumentum à ſimili; ſed ex d. l. *Quâ ætate*, quæ diſponit in teſtamentis, colligitur, quid ſimilia jura intelligant per complementum temporis, ſeu per tempus completum, quando aliundè ſe non explicant; ſed manet dubium, quæ fuerit voluntas Legiſlatoris; an ſcilicet intellexerit complementum morale, vel potiùs completum mathematicùm aut metaphyſicum.

451. *Reſolutio finalis.* Cùm ergò jus Canonicum non ſatis explicet, quid in Matrimonio aut ſponſalibus intelligat Legiſlator per ſeptennium, aut 12. & 14. annum completum; hinc, quoniam Matrimonij favor non minor eſt, quàm teſtamenti, benè dicimus, per complementum temporis in ætate Matrimoniali, idem complementum intelligi, quod in ætate requiſitâ ad teſtamentum. Intelligi, inquam, complementum non quidem morale, quaſi poſſent deeſſe aliquot dies vel menſes, ſed mathematicum ſeu methaphyſicum, ſaltem quoad numerũ dierum, ita ut ultimus dies debeat eſſe inceptus.

452. *An ſufficiat morale complementum.* Hæc eſt communior & verior ſententia; quàmvis non deſint qui doceant, ſufficere morale complementum, id eſt, eam ætatem, quàmvis tres dies ex ea deficiant. Sic Hoſtienſis cap. *Puberes*, n. 5. de Deſponſ. impub. Et Mart Ledeſma apud Sanchez ſup. n. 3. dicit, ſatis eſſe, quàmvis decem dies deſint. Hoſtien. Mart. Ledeſ. Sanchez.

Sed non ſunt audiendi. Alioquì relinquitur complementum ætatis uniuſcujuſque judicio; & ſic nihil firmi aut certi erit circà eam; cùm tamen propterea ætas determinata ſit à jure, ut certâ & firmâ regulam haberemus, quâ in dubio diſcretio & potentia gẽnerandi poſſent probari. Tametſi enim ante dictam ætatem ea poſſint ineſſe, id tamen non præſumitur; adeoque, ut anteà adhuc notavi, aſſerenti incumbit probatio. Econtrà verò, impletâ eâ ætate, præſumitur diſcretio & potentia; ac proindè in negantem eam tranſfertur onus probandi.

453. *Ætas Matrimonialis conſiſtit quaſi in indiviſibili.* Planè ergò conveniens fuit, ut ea ætas conſiſteret quaſi in indiviſibili; ſic tamen, ut præſumptio, quæ ex ea ſumitur, ſit juris tantùm, contrà quam contraria probatio admittitur.

Objectio. Atque hinc (inquit Sanchez ſup. n. 4.) deducitur ſolutio cujuſdam objectionis. Poſſet enim quiſquam dicere, inutilem eſſe hanc doctrinam, nullique uſui deſervire: cùm n. ſequenti dicturi ſimus, malitiam, id eſt, generandi potentiam ante ætatem completam advenientem ſupplere ætatem, ac efficere, ut Matrimonium tunc initum valeat.

454. *Solvitur.* At non eſt inutilis, ſed valdè deſervit; quòd jus in ea ætate completa præſumat potentiam generandi, neceſſariam ad Matrimonij valorem; atque ita Matrimonium eſſe validum. Id tamen minimè præſumet ante eam ætatem completam; quare tunc, non conſtante malitiâ ætatem ſupplente, diſſolvetur Matrimonium, & alleganti hanc malitiam incumbet onus probandi, ut proximè diximus. Hæc ille.

Pontius. Cæterùm Baſil. Pontius, quàmvis à Sanchio diſſentiat, ut audivimus, in complemento ætatis à jure requiſitæ ad Matrimonium; equidem conſentit in complemento ætatis, à

jure requisitæ ad sponsalia, ut suo loco vidimus. Eumque sequitur Mart. Perez, qui disp. 5. de Matr. sect. 5. agens de hac ætate, scilicet requisitâ ad sponsalia, sic loquitur n. 6.

455. *Perez sequitur Sanchium quantùm ad ætatem sponsalitiam.* Dico 2. sufficere, si ultima septennij dies non sit completa, sed incepta, & hoc favore Matrimonij. Ita Sanchez lib. 1. disp. 16. n. 2. Basilius lib. 12. c. 5. n. 3. & alij. Ratio est; quia non minùs favorabile est Matrimonium, quàm testamentum: sed ad testamentum, ultima dies incepta censetur pro completa, ut statuitur l. *Quâ ætate*, ff. de Testam. ergò.

Secùs matrimonialem. At verò de ætate requisita ad Matrimonium, disp 37. sect. 12. n. 4. postquam reprobavit complementum morale, addit: Imò existimo, nec satis esse, ut completa ætas censeatur, ultimum diem inceptum esse, quando malitia non supplet ætatem, ut de anno probationis, & ætate ad Ordines dicendum est: tametsi huic contrarium asserat Sanchez, allegans, quòd ita favore testamenti decernatur, l. *Quâ ætate*, ff. Qui Testam. facere possunt &c. At Matrimonij favor non minor est.

Hoc certè non probo: quia quousque ultimus dies sit completus, non est dicta ætas mathematicè completa, neque in indivisibili consistens. Et quàmvis jure civili sit alia dispositio in testamentis, nihil refert: quia à jure civili ad Canonicum in hac re argumentum desumi non potest; neque à testamentis ad Matrimonia, absque expressa decisione Pontificum; qualis non est in præsenti casu. Ita Perezius.

456. *Impugnatur à Dicastil.* Quod (inquit Dicast. disp. 1. n. 282.) quâ ratione congruat cum iis, quæ dixerat disp. 6. sect. 6. n. 6. & 11. (debet esse disp. 5. sect. 5.) non video; quia in uno loco agnoscit vim argumenti à simili de testamento; in alio verò negat, & omnia dicit agens de favore Matrimonij. Hæc ille.

Quæ ratio disparitatis Et ego scire desidero; cur minùs in hac ætate, quàm in ea, quæ requiritur ad sponsalia, possit desumi argumentum à jure civili ad Canonicum; & magis liceat argumentari, à testamentis ad sponsalia, quàm ad Matrimonium, absque expressa decisione Pontificum. Neque Perez, neque Pontius locis citatis rationem disparitatis adducunt.

457. *Prima.* Incidit mihi, fortè eam esse, quòd Matrimonium sit Sacramentum, atque adeò res sacra, de qua solum jus Canonicum habeat disponere; secùs sponsalia, quæ sunt contractus merè civilis, & ideò recipiant dispositionem juris civilis.

Secunda. Prætereà: quòd eodem modo requiratur ætas septem annorum ad sponsalia, sicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum ad condendum testamentum, ut indicat Perez sup. disp. 5. sect. 5. n. 11. dicens: Ad sententiam Hurtado (quæ requirit, ut nequidem unum instans desideretur) jam est ostensum, cur sufficiat ultimus dies septennij inceptus: quia eodem modo requiritur ætas septem annorum ad sponsalia; sicut requiritur in maribus ætas quatuordecim annorum, ad condendum testamentum. Hæc ille.

Sed enim undè constat, quòd non etiam eodem modo requiratur ætas 14. aut 12. annorum ad Matrimonium? Imò hic major uniformitas est, seu identitas, quàm ibi: nam sicut ad testamentum condendum in maribus requiritur annus 14. in fœminis autem sufficit annus 12. sic itidem ad contrahendum Matrimonium in maribus annus 14. in fœminis autem 12. cùm tamen ad contrahenda sponsalia, tam in maribus, quàm in fœminis sufficiat septennium. Ergò magis licèt argumentari à testamentis ad Matrimonium, quàm ad sponsalia. *Posterior rejicitur.*

Nec obstat: quòd Matrimonium sit res sacra: nam etiam Professio religiosa est res sacra, pertinens ad solum jus Canonicum, & tamen ipse Perezius sup. à jure simili, in hac re argumentum desumit: nam sic ait: Ad rationem illam (de Professione religiosa) disparitatem assigno: nam ideò ut Professio valida sit, petit decimum sextum ætatis annum completum, juxtà Trid. sess. 25. de Regul. c. 15. & annum illum de momento ad momentum complendum esse; quia id Trident. decrevit in favorem minoris ætatis, utì in simili de ætate minori disponitur expressè l. 3. §. *Minorem* ff. de Minoribus. 458. *Prior oppugnatur.*

Imò & ipsius Religionis censeo esse favorem: quia cùm sit status perfectissimus, favor ipsius est, quòd assumatur ætas, in qua plenior est deliberatio. Quod non ita contingit in sponsalibus, in quibus non assignatur tempus favore minoris ætatis, sed Matrimonij, & status iste est longè inferior. Ita Perez.

Si ipse absque expressa decisione Pontificum (vel assignet eam) à contractu Minoris, potest argumentum desumere, ad Professionem religiosam; cur mihi non liceat, absque expressa decisione Pontificum, argumentari à testamentis, ad Matrimonia? Responsionem expectabo. 459. *Arguitur contrà Perez.*

Interea dicò cum Dicastillone sup. n. 283. Mihi videtur eodem modo philosophandum esse de ætate ad Matrimonium, atque de ætate ad sponsalia, propter easdem omninò rationes & fundamenta: atque adeò sufficere arithmeticè compleri dies prædictorum annorum, scilicet in fœmina ultimam diem anni duodecimi, & in viro decimiquarti, & in hoc admitto axioma: *Quod parùm distat, nihil distare videtur*; ad hoc autem sufficit ultima dies incepta: tamen, ut verum fatear, ego non consulerem, ut tunc fieret. Nam in re tam gravi, in qua agitur de valore, non est ita operandum, atque si tantùm ageretur de actu licito, alioquin valido. Cùm enim Multi dicant probabiliter, non valere; poterit alter conjux, secutus eam opinionem, relire; ac multæ turbationes & scandala sequi possent. 460. *Auctor tenet cum Dicast. eamdem esse rationem utriusque ætatis.*

Adde: quòd, quando de valore agitur, quia jus inhabilem aliquem reddidit ad aliquem actum, strictiùs debet conditio, à jure requisita, impleri, quàm si tantùm prohiberet actum ne fieret; quia tunc vi opinionis probabilis licitè fieret, & certò actus esset validus. Ut interim omittam difficultatem generalem in *Addatur.*

materia

materia Sacramentorum, non admittendi materiam dubiam, ſi poteſt haberi certa. In caſu tamen neceſſitatis, ut quando eſt periculum mortis unius conjugis, & eſſet periculum famæ alterius, tunc fieri poteſt, ſequendo probabilem ſententiam. Hucuſque Dicaſtillo.

461. *Malitiam hic ſupplere ætatem, probatur ex c. 9. de Deſp. impub.*

Perſiſto itaque in Concuſ. & iterùm Dico: *Ad valorem Matrimonij probabiliter ſufficit, diem ultimum ætatis eſſe inceptum.* Sequitur autem *Quin & malitia ſupplet ætatem.* Ita decernitur cap. *De illis*, 9. de Deſponſ. impub. ibi, *Reſpondemus; quòd ſi ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulâ carnali conjungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi unus in alium viſus fuerit conſenſiſſe: cùm in eis ætatem ſuppleviſſe malitia videatur.*

Probatur ratione.

Et ratio eſt: quia ideò jus eam ætatem præſcribit, quòd præſumat tunc pueros, & non anteà, tum judicio ſufficienti, tum potentiâ generandi præditos eſſe. Quando ergò anteà hæc adeſſe conſtat, cedet præſumptio veritati.

462. *Quid hìc ſignificetur per malitiam.*

Quid ergò in d. textu intelligitur per malitiam? Reſpondetur: non ſolùm potentia coëundi, ſed etiam diſcretio ad intelligendum contractum Matrimonij, & ejus obligationem. Ita Gloſſ. ibi in expoſitione caſûs; *Nota*, inquit, *quòd malitia ſupplet ætatem in Matrimonio, quod intelligo ſapientiam, diſcretionem, doli capacitatem.*

Et verb. *Malitia*, ait: *Alibi appellatur prudentia, inf. eod. cap. ult.* ibi: *Reſpondemus: quòd ſi puella nubilis non erat ætatis, cùm ſæpè ſatus vir deſponſavit eamdem, & ætatem in ea prudentia non ſupplebat* &c.

463. *Occurritur objectioni.*

Quando ergò Gloſſ. ibid. verb. *Copulâ carnali conjungi*, ait: *Hoc ſolùm conſideratur, ut poſſint conjugali vinculo ſociari*, non intendit excludere ſapientiam, diſcretionem, & doli capacitatem, ſic enim ſibiipſi contradiceret in eodem textu, ſed tantùm numerum annorum.

Unde ſequitur: *Et non numerus annorum, ſup. eod. Puberes*, ibi: *Quidam tamen ex annis pubertatem exiſtimant* &c. *Certum tamen eſt, eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare jam poteſt*, malitiâ ſcilicet ſupplente ætatem. Itaque Gloſſa excludit numerum annorum; quia anteà poteſt eſſe diſcretio ſufficiens, & potentia generandi; atque adeò capacitas ad contrahendum validè Matrimonium.

Antè completam ætatem poteſt eſſe diſcretio & potentia generandi.

Interim, quia ordinariè diſcretio non adeſt, niſi dum puer eſt proximus ætati; hinc cap. *Continebatur*, 6. de Deſp. impub. non ſolùm ponderatur copula, ſed etiam ætas proxima pubertati, ibi: *Si autem fuerit ætati proxima, ut in undecimo vel circà duodecimum annum, & cum ſuo aſſenſu* (ut ſupponitur, ſatis jam deliberato) *deſponſata, & cognita ab eodem viro* &c.

464. *Non ſufficit ſola potentia.*

Itaque non ſufficit potentia generandi, etiam poſt ſeptennium (minùs ante) cum ſolo uſu rationis, qui ſolet eſſe in tam tenera ætate; quippè non eſt diſcretio ſufficiens ad perpetuum conſensûs conjugalis vinculum, eſtò ſufficiat ad ſponſalia, quæ ob plures cauſas poſſunt diſſolvi, & diſſolvuntur adveniente pubertate, etiam ſolo puberis conſenſu.

An ſufficiat ſola diſcretio, etiam poſt nubiles annos? Negant Aliqui.

Sed nunquid ſufficit ſola diſcretio, ſinè potentia generandi? Nequaquam, ut patet ex juribus allegatis, in quibus ponderatur hæc potentia; adeò, ſecundùm Aliquos, ut, eâ deficiente, non valeret Matrimonium etiam poſt nubilem ætatem. Ita Gloſſ. cap. *Puberes*, verb. *Tardiſſimè*, ubi interrogat: *Quid ſi iſte, qui jam complevit 14. annos, talis appareat, quòd nullo modo poſſit generare, & contrahat, nunquid tenet Matrimonium? Dicunt Quidam, quòd tenet Matrimonium; contrarium credo.* Et cap. *Continebatur*, verb. *Proxima*, in fine: *Intellige nihilominùs, quod malitia ſuppleat ætatem, aliàs non eſſet Matrimonium, etiam poſt duodecimum annum.*

465. *Et fortè id verius eſt, juxtà Abbatem.*

Atque hanc ſententiam Abbas cap. *Puberes*, dicit, fortè eſſe veriorem. Nota benè (inquit) iſtam Gloſſam; vult enim, quòd habilis ætate, impotens tamen ad coëundum validè, non contrahit Matrimonium. Refert alios tenuiſſe contrarium, & hanc contrariam opinionem ſequuntur hìc communiter Doctores, reprobando Gloſſam. Ex quo enim habet ætatem legitimam ad Matrimonium, nec apparet de impedimento perpetuo, tenet Matrimonium. Hoc probatur inf. de Frig. *Laudabilem*; nam ſi maritus non poteſt cognoſcere mulierem, non diſſolvitur illicò Matrimonium; ſed debent dare operam per triennium, ut ſic experiantur, utrùm impedimentum ſit perpetuum: aliàs ſequeretur, quòd impotens ad coëundum propter infirmitatem, non poſſet contrahere Matrimonium.

Oppoſita ſententia eſt communis.

466. *Quæ ſit plena pubertas.*

Unde in caſu noſtro debet iſte adoleſcens expectare uſque ad plenam pubertatem, ſcilicet 18. annorum: nam illa eſt plena pubertas, l. *Mela ait*, ff. de Aliment. vel cibar. legat. Et ſi adveniente ætate non poteſt generare, & mulier inſtaret pro diſſolutione, tunc poterit fieri diſſolutio; quia præſumitur impedimentum eſſe perpetuum.

Et hæc opinio DD. æquior; ſed opinio Gloſſæ fortè eſt verior; reſtringendo eam ad minorem, prout loquitur. Nam ætas ad Matrimonium conſideratur ex eo, quòd communiter accidere ſolet, ſcilicet ex quo clarum eſt, quòd non poteſt generare: ergo non eſt pubes reſpectu Matrimonij. Poteſt ergò iſte aſſimilari impuberi, & pro hoc facit hic textus in verſic. ultimo. Hactenùs Panormitanus.

467. *Sanchez putat communem ſententiam eſſe probabiliorem ex c. 2. de Deſp. impub.*

At verò Sanchez communem ſententiam putat eſſe probabiliorem; ſic enim ſcribit ſup. n. 15. Secunda ſententia (cui tamquam probabiliori adhæreo, quàmvis prima ſit probabilis) ait, id Matrimonium valere. Quòd textus cap. *De illis*, 2. de Deſponſ. impub. ponderet ad valorem Matrimonij potentiam coëundi cum minori ætate. Ergò ubi adeſt ætas idonea, non debet attendi potentia. Hæc ille.

Objectio ex eod. cap.

Verùm ex eod. cap. Adverſarij ſuam concludunt opinionem, dicentes: Decernitur ibi, impuberes, potentes generare, validè Matrimonium inire: ergò à contrario ſenſu, qui generare nequit, quàmvis ætate ſit pubes, dicetur impubes ad Matrimonium, atque ad illud ineptus.

468. *Solutio Sanchij.* Respondet Sanchez sup. Non est eadem ratio : nam quando potentia in puero ætatem prævenit, opus fuit illi consulere, concesso Matrimonio, ut incontinentiæ periculum caveret. At quando adest sola ætas, ea ad Matrimonij valorem satis est. Nec curant Canones ad Decretum variandum de raro pueri casu, cui in ea ætate nondum adest potentia ; sed solùm attendunt, ut in ea ætate Matrimonium firmum sit, communiter tunc advenire potentiam. Ea enim legis natura est, ut sola communiter accidentia spectet, l. *Nam ad ea*, ff. de Legib. Hæc ille.

Additio. Addo : nullatenùs convenient fuisse, ut valor Matrimonij post legitimam ætatem dependeret à potentia coëundi ; licet enim communiter eo tempore adveniat, aliquando tamen fallit ; & tunc cum scandalo & alijs incommodis hujusmodi Matrimonia deberent rescindi. Et aliundè sola impotentia perpetua est impedimentum dirimens jure naturæ, ut sup. probatum fuit. Ut ergò laborans impotentiâ temporali, qualis est in hoc casu, impediatur contrahere, quod alioquì ex natura rei ipsi competit, requiritur jus magis expressum, quàm sit d. cap. *De illis*, ex quo solùm à contrario sensu, qui sæpiùs fallit, hæc invaliditas deducitur.

469. *Probatur sententia communis.* Et verò, si post legitimam ætatem foret quis impotens, vel propter infirmitatem, vel aliud impedimentum temporale tantùm, censen' Matrimonium contractum fore invalidum ? Nonne, ut sup. vidimus, Ecclesia judicat, valere Matrimonium initum cum muliere arcta, dummodò arctitudo illa non sit perpetua ? Quid ergò rationabiliter eam moveret, ut in casu nostro vellet Matrimonium invalidare ? Expectaret, arbitror, perfectam pubertatem, & post eam adhuc experimentum triennij concederet, antequam Matrimonium hujusmodi dissolveret.

Conclusio. Concludamus igitur : sufficere legitimam ætatem, per se loquendo ; secùs potentiam coëundi, ante legitimam ætatem, nisi sit conjuncta discretioni & sapientiæ ; & ideò ponderatur à jure ætas pubertati proxima, in qua solet illa discretio advenire.

470. *Quæ ætas censeatur proxima pubertati. Prima opinio Gloss.* *Sed quando* (interrogat Gloss. d. cap. *Continebatur*, verb. *Proxima*) *dicitur ætati proxima ?* Et respondet : *Potest dici, quòd cùm distat a pubertate per sex menses vel minùs, inf. eod. Attestationes*, ibi : *Quòd post decimum quartum annum ætatis suæ, vel circa finem dicimi quarti anni.* Ubi Gloss. verb. *Circa finem*, inquit : *Fortè per sex menses, ff. de Excusat. l. Non tantùm*, ibi : *Sed etiam ætas pupillorum consideranda est. Nam si priorum pupillorum ætas propè pubertatem sit, ita, ut tantummodò semestre tempus reliquum fuerit*, &c.

Secunda Aliorum, ex §. fin. Inst. Quibus ex causis &c. Alij dicunt ; quòd masculus dicitur proximus pubertati, cùm est in decimo anno cum dimidio, fœmina cum in nono cum dimidio ; arg. §. fin. Instit. Quibus ex causis manumittere non licet, ibi : *Sed cùm libertas inæstimabilis res sit, & propter hoc ante 20. ætatis annum, antiquitas libertatem servo dare prohibebat : ideò nos mediam quodammodò viam eligentes, non aliter minori 20. annis, libertatem in testamento dare servo suo concedimus, nisi decimum septimum annum impleverit, & decimum octavum attigerit.*

Et est ratio (inquit Abbas d. cap. *Continebatur*, n. 9.) quòd post pueritiam, quæ contingit in 7. anno, restant septem anni usque ad pubertatem in masculo : unde ex quo excedit medietatem hujus temporis, videtur magis proximus pubertati, quàm infantiæ : & idem in fœmina, quæ pubescit in 12. anno. Hæc ille. 471. *Ratio ejus ex Abbate.*

Sanchez sup. n. 40. veriorem existimat sententiam, quæ relinquit arbitrio judicis ; quòd jure præscriptum non sit. *Opinio Sanchez.*

Sed contrà, inquis ; d. cap. *Continebatur*, præscribitur undecimus annus, ibi : *Si autem fuerit* (puella) *ætati proxima, ut in undecimo vel circà duodecimum annum.* Nonne hìc dicitur, puellam in anno undecimo esse proximam pubertati ? 472. *Impugnatur.*

Prorsùs, respondeo. Sed nunquid hoc est præscribere talem annum, ita, ut ante eum non possit puella esse proxima pubertati ? Adducatur jus aliquod, dicens, puellam non esse proximam pubertati nisi in anno undecimo, vel circà duodecimum, & ab eo termino recedendi non dabimus Judici potestatem. Sed cùm tale jus nusquam reperiatur, meritò relinquitur ejus arbitrio, quà ætate, ante annum undecimum, dicatur puella impubes, proxima pubertati. *Defenditur.*

Dico consultò : *Ante annum undecimum* ; quia jus citatum satis apertè præscribit, puellam undecimo anno dici pubertati proximam. Et consimiliter sentio de anno 13. respectu pueri. Quæ enim ratio disparitatis ? 473. *Sufficit annus undecimus in puella & 13. in puero.*

Benè autem notat Sanchez sup. n. 42. Judicem volentem decernere, proximum esse pubertati puerum, qui decimum annum cum dimidio non excessit, aut fœminam minorem nono cum dimidio, id non facturum, nisi cautissimè, ac rarò, maximisque conjecturis persuasum. Quòd præsumptio, ex modicæ ætatis naturâ deducta, valde repugnet. At post eam ætatem, non ita urgentes conjecturæ desiderantur ; sed sufficiet aliqua mediocria signa perpendere. Si verò semestre tantùm ad pubertatem desit, audaciùs & levioribus argumentis est judicandus puer pubertati proximus. Ita præfatus Auctor cum Alijs, quos citat.

Et ego dico : non solum audaciùs & levioribus argumentis est judicandus, sed absolutè debet judicari ; arg. cap. *Continebatur*, ubi puella dicitur proxima pubertati in anno undecimo. Sed aliud est, judicare puerum pubertati proximum, aliud aptum Matrimonio : etenim præter ætatem proximam pubertati, requiritur coëundi potentia, ut malitia suppleat ætatem : atque adeò ut valeat Matrimonium. Fieri autem potest, ut puer proximus pubertati, habens requisitam discretionem & sapientiam, careat tamen potentiâ coëundi ; & similiter, ut habeat potentiam coëundi, non tamen discretionem, 474. *Aliud est judicare puerum pubertati proximum, aliud aptum Matr.*

quàm-

quàmvis ordinariè se mutuò concomitentur.

Quid requiratur, ut Iudex hic rectè fungatur suo munere.

Ut ergo Iudex rectè fungatur munere suo, id est, ut rectè arbitretur malitiam in puero vel puella supplere ætatem, id est, eos esse aptos ad contrahendum Matrimonium antè legitimam ætatem, spectabit, præter numerum annorum, personæ conditionem, actûsque qualitatem, membrorumque dispositionem, ac bonam valetudinem; insuper qualitatem regionis, in qua impubes natus est. Quædam enim regiones calidiores pueros, quàm aliæ, procreant.

475. *Frequenter potentia coëundi evenit antè prædictas ætates, ex Navarro.*

Atque (ut benè notat Navar. lib. 4. Consil. in 2. edit. tit. de Desponsat. impub. consil. 4. n. 13.) licèt coëundi potentia non soleat evenire ut plurimùm antè prædictas ætates, tamen frequenter evenit antè illas; illis maximè, qui nati in murice & auro, & nutriti, ut ille ait, inter superbas opes, & delicias, vires majores, majusque robur corporeum sibi quærunt.

Exempla aliqua.

Unde Gregorius in lib. 4. Dialog. relatus à Gloss. in summa 2. q. 1, refert, quemdam puerum novem annorum nutricem suam fecisse pregnantem: & D. Hiero. narrat in Epist. ad Vitalem Presbyterum, se audisse, quemdam puerum decem annorum gravidam fecisse suam nutricem: Salomonemque in decimo anno genuisse Roboam, & Achaz in anno undecimo Ezechiam: & sunt viri magni fide digni, qui asserunt, quamdam puellam decem annorum, antè paucos annos peperisse in regno Neapolitano. Hæc ille.

476. *Signum potentiæ coëundi est ipsa copula.*

Signum profectò indubitatum potentiæ coëundi est ipsa copula (siquidem benè argumentamur ab actu ad potentiam) quàmvis, secundùm Multos, non sit necessaria, ut colligunt ex cap. *De illis*, 2. de Desponsat. impub. ubi tantùm ponderatur ætas proxima pubertati, & potentia copulandi, ibi: *Si ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copulâ carnali conjungi.*

An etiam nisus ad copulam? Sic videtur ex c. 10. de Desp. impub.

Sed quod signum hujus potentiæ, inquis, quando non constat de ipsa copula? An fortè sufficit nisus ad copulam? Sic quippè videtur ex cap. *Attestationes*, eod. ibi: *Et licet nisus fuisset (sicut uterque confessus est) ipsam corrumpere, mulier tamen credit se virginem evasisse.*

477. *Objectio solvitur.*

Contrà: ibi, non obstante nisu isto, Matrimonium judicatur invalidum. Respondetur: non defectu potentiæ, sed ætatis proximæ pubertati; quia juvenis nondum duodecimũ annũ attigerat.

Instantia.

Contrà: secundùm Aliquos, ut sup. vidimus, proximus pubertati dici debet, qui annum 10. & dimidium peregerit. Deinde: si potens erat, quare eam non corrupit? Hinc videtur potiùs colligi ex isto nisu, non secuto effectu, impotentia. Nisi fortè fuerit effusum semen. Nam putat Sanchez sup. n. 35. puerum, aptum ad seminis effusionem, præsumi quòque ad Matrimonium aptum. Quia, inquit, seminis effusio esse nequit, nisi in apto ad generandum.

Sufficit, juxtà Sanchez, effusio seminis.

Oppugnatur.

Sed contrà facit: quòd potentia requisita ad validum Matrimonium, non sit sola potentia ad seminandum, ut ipse Sanchez alio loco fatetur; sed ad seminandum intrà vas. Unde multis apud Sanchez sup. n. 24. placet, nullatenùs probari posse potentiam generandi, nisi per actualem copulam.

478. *Sententia Hostiensis, necessariam esse copulam.*

Quod dixi (inquit Hostiensis Sum. tit. de Desponsat. impub.) impuberem Matrimonium contrahere non posse, intelligas, nisi sit proximus pubertati, ita ut malitia seu viri potentia ætatem suppleat: & hoc nescitur, nisi per evidentiam, & ita quantùm ad hoc, de quo hìc quæritur, nulla, nisi cognita fuerit, videtur proxima pubertati,

Resp. ejus ad d. c. 10.

Et post pauca objicit d. cap. *Attestationes.* Respondet autem: Dic, quòd illud, quod ibi dicit: *Circa finem 14. anni*, eodem modo intelligendum est, scilicet si mulier vellet allegare & probare, quòd sponsus eam carnaliter cognovisset: quia cùm conatus fuisset eam cognoscere, si inveniretur corrupta, præsumeretur à viro cognita: & ideò mulier dubitativè dixit, se credere, quòd virgo evasisset. Hæc ille.

Expenditur

Verùm in d. cap. nulla fit mentio probationis copulæ; sed probationis consensûs post annum 14. vel circà finem. Et verò quì fieri posset, ut mulier vellet probare copulam, quæ credebat se virginem evasisse?

479. *Quid sentiat Panormitanus.*

Quærit aliquis, quid de hac re sentiat Panormitanus? Disceptatio (inquit) non modica est inter DD. quomodo deprehendatur ista potentia coëundi, quæ habet supplere defectum ætatis. Quidam enim, ut Tancre., requirunt, quòd verè inter eos copula intercesserit, quod etiam sequitur Hostiensis exponendo textum: *Quòd potuerint conjungi*, id est, quòd de facto se conjunxerunt.

Sed Goffr. Innoc. Abb. & Ioan. And. tenent oppositum, dicentes, satis esse, quòd potuerunt conjungi. Quid enim si juvenis minor alias mulieres cognovit, vel si fœmina minor, ab alijs fuerit cognita? Certè nemò negabit Matrimonium consistere inter istos, ex quo apparet, eos potentes ad copulam. Et pro hac sententia habes Gloss. cap. un. eod. tit. in 6.

480. *Sufficere alia signa aptitudinis ad copulam.*

Sed de hoc non videtur mihi magnum dubium, ex quo clarè constat de potentia coëundi: sed dubium est, quando non constat clarè, sed tantùm per signa, puta ex aspectu corporis, vel ex alijs signis intrinsecis, mulier vel masculus videtur aptus ad copulam; & sensit Innoc. hæc signa sufficere, quod mihi satis placet; arg. cap. seq. ubi nisus ad copulam, cum consensu adhibito, propè ætatem legitimam, sufficit ad Matrimonium; pro quo facit ista litera, dum dicit: *Quòd potuerunt*, & sic solùm requirit potentiam, & videtur eam requirere ex signis, dum dicit: *Si fuerint ita proximi ætati.* Hactenùs Panormitanus cap. *De illis*, de Desponsat. impub.

Innoc.

At verò d. cap. *Attestationes*, docet, solum nisum non declarare potentiam coëundi, ibi: *Nota primò, quòd solus nisus ad copulam non declarat potentiam coëundi.*

481. *Solus nisus non declarat potentiam.*

Infero egò: ergò solus nisus, cum consensu, antè legitimam ætatem non sufficit; quia præter consensum requiritur potentia coëundi, quam solus nisus non declarat.

Rursùm idem Auctor post pauca sic scribit: Ille conatus non facit sponsalia transire in Matrimonium, sed alium effectum hìc induxit; nam induxit præsumptionem, quòd circà finem 14. anni iste erat potens ad generandum, ex quo ante illam ætatem fuit nisus ad copulam; & ideò Papa mandat hìc inquiri, utrùm ille juvenis consenserit circà finem 14. anni. Nam cessante præsumptione causatâ ex nisu copulæ, non sufficisset consensus præstitus circa finem 14. anni; quia ubi non constat de potentia coëundi, expectatur pubertas ex annorum numero. Sic ille.

482. *Difficile est judicare de potentia seclusâ copulâ.*

Hæc maturè expendantur, & continuò apparebit, quàm difficilè sit, rectè judicare, quod malitia suppleat ætatem, nisi impuberes invicem, aut saltem alijs fuerint copulati. Et hinc cap. *Continebatur*, de Desponsat. impub. non solùm ponderatur potentia coëundi, sed ipsa copula, ibi: *Et cognita ab eodem viro.*

Enimverò alia signa, sive emissio seminis in viro, sive menstruum in fœmina & similia, dubia sunt ad minùs; & ideò consulerem Judici, ut non facilè propter ea sola permitteret Matrimonium, de cujus valore agitur, qui postmodum probabiliter posset negari, cum dissolutione Matrimonij, quam multa incommoda sequuntur.

483. *Pontius existimat alia signa sufficere, ut copula cum alia.*

Interim communior sententia habet, etiam alia signa, præter copulam, sufficere, quam sequitur Pontius sup. n. 4. ubi quærit, quâ ratione potentia copulæ in impubere probari debeat, & respondet: Licèt nonnulli sentiant, nullam ejus probationem esse, nisi copulam cum ea, quam ducit; dicendum tamen, probari etiam posse per copulam cum alia; frequenter enim, nisi aliud constet, præsumitur habilis ad alias.

Item conatus ad copulam.

Item ex conatu ad copulam præsumitur potentia, cap. *Attestationes*, de Desponsat. impub. Item ex signis etiam corporis probari potest, cap. *De illis*, 2. ubi judicatur propinquitas pubertati, & coëundi potentia. Signa ergò ejus sunt. Ea tamen arbitrio Judicis cum medicorum consilio relinquenda, qui loquentur inspectâ ætate, qualitate, corporis educatione, soli ac cœli naturâ, seminis etiam effusione, si aliquando id continget, & alijs. Idem proportione quâdam de fœminis judicandum, ut ex apertione sigilli, menstruis & alijs.

484. *An sufficiat juramentum impuberis de copula.*

Non autem satis videtur juramentum impuberis, quo juret se copulatum vel uxori, vel alteri, nisi reperiatur corrupta, probeturque traditam esse virginem: in eo enim casu, quàmvis fraus esse possit, credetur tamen juramento.

Addendum autem; discretionem, quæ necessaria etiam est ad malitiam, ut dixi, non posse præsumi ex copula, neque ex conatu ad illam, quæ si desit, non satis est potentia coëundi ad valorem conjugij, sed alijs signis investiganda est. Hactenùs Basilius.

485. *Quid si vir juret se habuisse copulam cum impubere?*

Sed quæro ego: vir jurat se habuisse copulam cum impubere, nunquid standum tali juramento, ac Matrimonium judicandum? Videtur quòd sic: per cap. *Continebatur*, de Desponsat. impub. ibi: *Consultationi tuæ taliter respondemus; quòd cùm in Decretis habeatur expressum: quòd si vir dixerit, quòd uxorem suam cognoverit, & mulier negaverit, viri standum est veritati: præfato viro, qui dicit se mulierem ipsam cognovisse, fides est adhibenda, si id firmaverit juramento.* Cap. 6. de Desp. impub.

Sententia Panormitani, aliquando sufficere.

Ad quem textum Panormitanus: Mihi, inquit, satis patet conclusio sequens: quòd aut puella est minor septennio, & tunc, quantumcumque fuerit cognita, non dicatur Matrimonium consistere; quia non videtur habere consensum aptum ad discernendum, quid sit Matrimonium, nisi multùm esset doli capax & discreta. Si vero est major septennio, ita quòd non sit proxima pubertati, non statur simpliciter verbo viri, dicentis, se cognovisse illam puellam. Nam possibile est, quòd puella sit deflorata, non tamen sequitur, quòd sit apta ad concipiendum tunc; ideò deberent mulieres expertæ assumi ad videndum, an puella sit viri potens. Si autem puella esset proxima pubertati, tunc esset standum verbo viri, & ex cognitione, etiam præsumptâ, debet præsumi, quòd sit viri potens, ut optimè probatur hìc in vers. *Si autem.* Ita Abbas.

At verius est (inquit Sanchez sup. n. 33.) 486. *Oppugnatur à Sanchio.*
non sat esse id juramentum. Quia cap. *Continebatur*, vers. *Si autem*, diversificari debet à præcedentibus in facto, & in jure, ob particulam illam adversativam: *Autem*, juxtà ea, quæ notantur l. *Sed etsi lege*, ff. de Petit. hæred. & ideò debet intelligi, dum ibi dicitur, puellam pubertati proximam, à viro cognitam, non esse à viro separandam, quando ea copula sufficienter probatur. Quando autem paulò ante ibi dicitur, standum juramento viri in hac copula, intelligitur, quando fœmina pubes est. Quod inde etiam constat; quia Pontifex allegat in Decretis haberi, standum juramento viri, asserentis se cognovisse uxorem: ubi Glossa verb. *In Decretis*, refert cap. *Si quis acceperit uxorem*, 33. q. 1. in quo textu non est sermo, quando fœmina impubes est. Hæc ille.

Respondetur: est sermo de uxore; an autem 487. *Defenditur.*
de sola pubere, vel etiam de impubere, ibi non dicitur. Atque ut de sola pubere sermo esset, quid tum? Pontifex allegat illud Decretum, ut probet, etiam dum mulier impubes est, standum fore juramento viri, eò quòd non videat rationem sufficientem disparitatis.

Et sanè in d. cap. *Continebatur*, non esse ser- *Confirmatur.*
monem de fœmina, quando pubes est, ostenditur ex ipsis verbis textûs: *Continebatur in literis tuis, quòd cùm quædam puella infrà nubiles annos cuidam in uxorem tradita fuerit, & ab ipso traducta, hæc ad nubiles annos perveniens, alij nubendi licentiam postulavit, asserens se in eumdem nullatenùs consensisse. At verò vir dicebat, se eam cognovisse.* Putas, quòd post pubertatem?

Audi Glossam exponentem casum: Iuvenis ille in contrarium allegavit, quòd, etsi fortè cùm desponsavit eam, nondum annum 12. attigisset, ita erat ætati proxima, quòd eam carnaliter cognovit. Quis dubitet, an ante annos pubertatis?

Dices: ante pubertatem præsumitur puella 488. *Objectio.*
impo-

impotens ; post pubertatem autem potens, & sic videtur esse major ratio, standi verbo viri, quando mulier est pubes.

Solvitur. Fateor ; & ideò hìc non standum simplici verbo viri, sed compellitur jurare : dicto autem cap. *Si quis acceperit uxorem*, nulla sit mentio juramenti.

Hinc Gloss. d. cap. *Continebatur*, verb. *Juramento*, interrogans : *Sed quare compellitur iste jurare ?* Respondet: *Ideò compellitur jurare, ne hoc diceret in fraudem, & in præjudicium mulieris, nec credere tenetur ei mulier sinè juramento, præcipuè in causa Matrimonij, propter periculum animæ. Lau. dixit, quòd hoc ideò, quia fundata videbatur intentio mulieris, quia traducta fuerat mulier minor : unde ad tollendam præsumptionem illam, debet jurare ; secùs esset, si mulier nihil omninò probasset.*

489. *Alia objectio.* Quid ergò, inquis, ad particulam adversativam ; *Autem* ? Nam juxtà hanc explicationem videtur, quòd vers. *Consultationi*, ponit idem, quod in vers. *Si autem.* Nam in utroque dicitur, quòd ante annos legitimos puella fuit cognita. Ita contrà hunc textum objicit Panormitanus sup. & subdit duplicem solutionem.

Prima solutio, ex Innoc. Innocentius, inquit, intelligit primum versum, quando puella pervenerat ad annos legitimos tempore traductionis : vers. *Si autem*, intelligit, quando erat adhuc impotens respectu ætatis.

490. *Secunda, ex Hostiensi.* Hostiensis dicit, quòd in primo versu quærebatur, an deberet credi assertioni mariti : in vers. *Si autem*, quærebatur an esset Matrimonium, ex quo puella erat in undecimo vel circà 12. annum. Ita Panormit.

Et sic patet, quomodo illi versus diversificentur, tametsi uterque ponat puellam impuberem ; ut proindè, propter illam particulam adversativam : *Autem*, non sit recedendum à sententia Panormitani, sup. relatâ, quæ indubiè probabilis est, & fortè non minùs vera, quàm sententia Sanchez.

491. *Quid si adsit malitia ante septennium ?* Hoc addo pro fine hujus Concluſ. quòd malitia, id est, discretio & potentia coëundi, suppleret ætatem seu sufficeret ad Matrimonium, non tantùm post septennium, sed etiam ante, si viâ ordinariâ, vel per miraculum adesset ; secùs si viâ ordinariâ, vel per miraculum, longè ante septennium adesset malitia, id est, usus rationis, suppleret ætatem requisitam ad sponsalia.

Putat Auctor Matr. fore validum. Scio, jura superiùs allegata meminisse ætatis proximæ pubertati ; sed hoc ideò, quia supponunt, ante illam ætatem communiter deesse discretionem, imò & potentiam coëundi ; interim si adessent, in primis ex natura rei validum foret Matrimonium ; & non est verisimile, quòd jus Ecclesiasticum casum illum rarissimum voluerit comprehendere, juxtà l. 5. ff. de Legib. *Nam ad ea potiùs debet aptari jus, quæ & frequenter & facilè, quàm quæ perraro eveniunt.*

492. *Lex fundata in præsumptione, non obligat, casu* Maximè cùm sit communis sententia, leges, quæ in præsumptione verè fundantur, non obligare eo particulari casu, quo veritas non subest, quàmvis præsumptio sit juris & de jure. Et ratio est ; quia tali casu cessat materia legis, sive deficit conditio, sub qua obligatio imponitur : v. g. in Matrimonio, si lex præcipiat permanere cum muliere, cognitâ post sponsalia, & contingat non fuisse cognitam affectu maritali, cessat in conscientia obligatio talis legis ; quia reverà cessat materia ejus : nam intentio illius legis est præcipere accessum ad suam conjugem, & illa non est conjux. *quo veritas non subsit.*

Ita ergo est in nostro casu : prohibet jus & irritat Matrimonium, contractum ante legitimam ætatem, si malitia eam non suppleat, id est, prohibet Matrimonium cum impotente vel indiscreto ex defectu ætatis ; pone, quòd uterque contrahens potens sit & discretus, jam cessat materia legis, & deficit conditio, sub qua obligatio non contrahendi imponitur, & contractus irritatur. Et hactenùs de impotentia temporali, quæ oritur defectu ætatis. 493. *Conclusio.*

Sed quid de ea, quæ provenit ex arctitudine, vel alio defectu corporis ? Vnam tantùm propono quæstionem : quid si mulier nupsit conscia suæ arctitudinis, per artem auferibilis ? Responsio erit

CONCLUSIO X.

Si mulier nupsit, conscia suæ arctitudinis, omne remedium, secluso mortis periculo, debet perferre.

494. *Virginitas distinguitur ab arctitudine.* SUpponò, quòd in fœminis virginitas sit distincta ab arctitudine, & quòd multæ sint virgines, quæ tamen non sunt arctæ ; sed quarum claustrum virginale à quolibet viro proportionato & satis forti naturaliter potest reserari ; estò id nequeat fieri à viro improportionato & nimis debili. Porrò ut sint arctæ exigitur, quòd nequidem à viro proportionato, & satis forti nequeant cognosci, propter extraordinariam arctitudinem, seu dispositionem claustri, ita ut defectus copulæ se teneat ex parte mulieris, & non ex parte viri. Hoc supposito.

Disputatur primò ; an quando mulier est arcta, teneatur se reddere aptam, quando id potest fieri per artem humanam, sinè periculo mortis. Conclusio affirmat, quando contraxit conscia suæ arctitudinis.

495. *Probatur Conclus.* Probatur : quia Matrimonium validum fuit : nam impotentia temporalis, præterquam ex defectu ætatis, non dirimit, ut patet ex supradictis. Hæc autem impotentia est solùm temporalis, cùm per remedium humanum absque periculo mortis possit tolli. Ergò illud remedium debet mulier tali casu perferre ; quia vir jus habet, ut reddat se aptam, ne in perpetuum fraudetur jure suo, & mulier sibiipsi debet imputare, quòd subeat grave incommodum ; servit enim se arctam, & ideò debuit à nuptijs abstinere, aut certè viro suam arctitudinem indicare, nisi vellet hujusmodi incommodum sustinere.

Ad

496. *Confirmatur ex c. 3. de Frig.* Ad hoc facit textus in cap. *Ex literis*, 3. de Frigidis in fine : *Respondemus igitur, quòd si vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari : viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.*

Ubi Gloss. verb. *Medicorum*, ait : *Inf. eod.* Fraternitatis, *& ita non fuit Matrimonium. Et intellige quod dicit :* Non poterit adjuvari ope medicorum *sinè periculo corporali : alias non deberent separari ; imò modicam violentiam debet sustinere, ut arg. inf. eod. Fraternitatis.*

497. *Quam violentiam debeat hic mulier pati.* Rogas, quæ sit hæc modica violentia ? Consule d. cap. *Fraternitatis*, & dicet tibi : *Nos tamen perspicaciter attendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri.*

Ubi Gloss. verb. *Corporali periculo*, ait : *Vbi verò grave periculum timeretur, non est Matrimonium : sed ubi levi periculo potest removeri, debet illud pati, inf. eod. cap.* §. Per hæc, *à contrario sensu.*

Do verba integra d. §. *Per hæc autem quæstionem illam noveris esse solutam, quâ quæritur, utrùm ea, quæ adeò arcta est, ut nulli possit carnaliter commisceri, nisi per incisionem, aut alio sibi modo violentia inferatur, non solummodò levis, sed fortè tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad Matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi.*

498. *Omnem, ex qua mortis periculum non timetur.* Igitur omnis violentia levis est, ex qua mortis periculum non timetur : gravis autem ex qua mortis periculum timetur. Hanc non tenetur mulier pati, tametsi conscia contraxisset ; quippè Matrimonium fuit invalidum, quoniam ipsa erat inidonea ad contrahendum, ut notat Gloss. sup. verb. *Debeat*, dicens : *Quasi dicat : non debet idonea perhiberi* : quia censetur impotentia perpetua.

Porrò dum abest periculum mortis, impotentia solùm est temporalis, atque adeò Matrimonium validum, ut sup. dixi ; & ideò tenetur se reddere aptam, estò etiam inscia suæ arctitudinis contraxisset, saltem quando potest sinè gravi suo incommodo ; gravi, inquam, respectivè ad incommodum, quod vir alioquin patitur, si toto tempore vitæ sinè suo crimine debeat cœlebs vivere, expositus mille periculis incontinentiæ.

499. *Occurritur objectioni.* Nec valet hìc dicere : vir sibi ipsi debet imputare, quòd privetur jure suo, quoniam minùs providus fuit in tanto negotio : non valet, inquam ; quia talis impotentia non solet inquiri, & quæsita non poterat deprehendi ; cum & ipsa mulier eam ignoraret, ut supponitur.

Scio debitum conjugale non obligare cum gravi incommodo, & ex multis alijs causis liberari conjugem à reddendo debito, ut suis locis videbimus, sed quid inde ? Quippè, dicet aliquis : omne ferè incommodum, extrà periculum vitæ, leve est respectu incommodi, quod vir patitur, si nunquam possit uxori suæ copulari, cùm alioquin habeat jus ad copulam, eique minimè cesserit, invincibiliter ignorans hanc impotentiam. Si enim scivit, sibi debet imputare, quòd nequeat copulari, & censetur cessisse jure suo. Sicut mulier, conscia suæ arctitudinis, censetur cessisse jure suo, quod aliàs habebat ad evitanda incommoda, quæ jam debet sustinere, ut seipsam reddat aptam.

Interim, dum mulier bonâ fide contraxit, ignorans invincibiliter impedimentum, non video, quare non teneatur aliquod incommodum subire, quàmvis fortè non tam grave, quàm si malâ fide contraxisset. 500. *Mulier, quæ bonâ fide contraxit, tenetur aliquod incommodum subire.*

Igitur dum defectus potentiæ tantùm ex parte mulieris se tenet propter extraordinariam arctitudinem, putant plerique, eam pati debere incisionem, si non sit inductiva mortis vel infirmitatis gravis & periculosæ ; sed facili modo effici possit, putà cauterio vel apertione sigilli. Sin autem defectus proveniat ex parte viri ; quia improportionatus, vel nimiùm debilis, muliere ex se aptâ, ita ut solùm obstet clausstrum virginitatis : ego (inquit Pontius lib. 7. cap. 62. n. 2.) quidquid dicant DD. nostri, quantumvis graves & omni æstimatione digni, medium istud (quo virginitatis clausstra reserantur) omninò respuendum assero. Hæc ille. *Si defectus oriatur ex parte viri, non tenetur pati incisionem claustri, juxtà Pontium.*

Et prosequitur : Itaque si quò minùs aliqua fœmina viro suo congrediatur, tantùm obstat virginitas, quàm trium annorum congressu atque conatu non violavit, sed adhuc permanet integra, etiamsi illa integritas medio aliquo facili, hoc est, quod in vitæ periculum non adducat, putà medicamento, vel cauterio, vel aperiendo sigillum, tolli possit, & reddi mulier habilis, ut commisceatur viro, tale impedimentum censendum est perpetuum, & Matrimonium declarandum nullum ; nec fœmina tenetur hujusmodi remedium pati, sed per me à conjugij onere libera esto, & alteri nubat, qui clausstra naturali, & non ascititiâ clave reserare possit. 501. *Et censetur impotentia perpetua.*

Sentit nobiscum Durandus 4. dist. 34. q. 2. Palud. eâd. dist. & q. Supplementum Gabrielis eâd. dist. q. 1. à. 2. & Mag. meus Luysius Legionensis, de hac re consultus, ita respondit Salmanticæ April. 3. anno 1570. in causa matrimoniali Illustrissimorum D. Francisci de Fonseca, & D. Ioannæ de Azevedo. *Citat pro se Dur. Palud. Suppl. Gabr. & Luysium Legion.*

Ratio, quæ me movet, hæc est. Illud est impedimentum perpetuum, quod tolli non potest, nisi medio aliquo miraculoso, vel cum vitæ periculo, vel quod jus & æquitas iniquum judicant. Sed medium hoc deflorandi fœminam artificio aliquo, secluso viri congressu, ejusmodi est, quod nec ratio, nec natura, nec jura permittant. Igitur adhiberi non debet ; sed perpetuum censendum impedimentum, si quis non naturaliter, sed artificiosè fœminam valeat violare. 502. *Probat ex ratione.*

Si Minorem probavero, ad exitum perducta res est. Eam ergò multis medijs ostendo. Primùm ; quia fœminam aliquam esse virginem, integram, intemeratam, illibatam, non est vitium, neque defectus aliquis naturalis ; quinimò magni res pretij apud honestas fœminas ; atque adeò non tale est, quod aliquo medicamento indigeat, velut ægritudo aliqua vel morbus, neque 503. *Virginitas non est defectus naturalis.*

que cui, ſecundùm jus & æquitatem, aliqua debeat adhiberi medicina.

Si ergò, quòd ſi fœmina virgo ſit, tantùm obeſt, quò minùs à viro, cui nupſit, agnoſcatur, & mater fiat, non debet, ut amittatur virgineus ille flos, remedium aliquod adhiberi. Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus: morbi medelam exigunt, non ſanitas: quòd confractum eſt, ligamine & conſolidatione eget, non quod integrum; quod deficit à debito & naturali ſtatu, in priſtinam reſtituas oportet; at quod ſanum, integrum, vegetum, & in ſuo ſtatu ſecundùm naturam eſt, quid reparatione, medicamentis, obſtetricante manu opus habet?

504. *Virginem artificio corrumpi, horret natura.* Deinde: fœminam virginem artificio corrumpi, ut poſſit viro concumbere, horret natura, honeſtaſque non patitur; ac proindè fieri nequaquam debet. Natura namque virgineum hunc florem fœmineo inſeruit corpori, ut ergà maritos argumentum eſſet benè & honeſtè anteactæ vitæ, pignus ſervandæ impoſterùm fidei, ac veluti pretioſiſſimum munus, quod viris primâ nocte congreſsûs offerrent, ac virgineo illo ſanguine, velut Elephantos purpura, in ſui amorem raperent &c.

Res ergò videtur non ferenda, & ab omni ratione aliena, & contrà id, quod exigit rectè inſtituta natura, fœminam honeſtam cogere, ut à ſe abalienet, antequam viro ſuo copuletur, id quo gratior ipſa viro eſſe poſſet, virgineum florem, præcipuam in Matrimonium dotem, honeſtatis argumentum, indubiæ fidei certiſſimum pignus, pacis ac mutui amoris aſſiduum nutrimentum.

505. *Tertium arg. Pontij.* Tertiò argumentatur Pontius: commune eſt cuique contractui, obligationem inducere, juxtà ſolemnitatem, formam, & conditiones, quibus celebratur: ac proinde, cùm Matrimonium contractus quidam ſit, in quo vir & uxor ſe mutuò tradunt in uſum Matrimonij, ea conditio ſubintelligitur, quàmvis non exprimatur, ſi ad eum uſum apti fuerint. Manifeſtum autem eſt non ſubintelligi, ut apti ſunt ad uſum tertij; ſed invicem alter alterius comparatione habilis; uxor, quæ ſe tradit viro, ut ab illo cognoſcatur; non verò à medico, igne, vel auro, vel obſtetricis manu. Quì enim ſe illa traderet, ut virginitatem artificio amitteret, & id, quod inſigne ejus ornamentum eſt, in detrimentum verteretur?

506. *Vltimò argumentatur.* Ultimum argumentum Pontij ſic ſonat: Denique, quod maximè apud me vim habet, ſi artificio aliquo referari virginitatis clauſtra, aptum ac ſinè inconvenienti, & æquitati conſonum medium eſſet, cur nunquam Eccleſia præcepit, definivit, conſuluit, aut permiſit fieri ad componendas multas lites, quibus plena ſunt ſudicum Eccleſiaſticorum tribunalia? Tantùm trium annorum cohabitatio decreta eſt; quia fieri poteſt, ut quæ primo congreſſui reſiſtit janua, aſſiduè conanti atque pulſanti pateat. Et cùm evenire facilè poſſit, ut quæ poſt triennium intacta ſurgit è thoro, apta eſſet illius viri congreſſu, modò artificio aliquo latior aliquantulum fieret illa rimula, nunquam id judicavit, conſuluit vel inſtituit. Signum ergò eſt, medium hoc ut illicitum & iniquum, contrà fas & honeſtatem neglectum, non admiſſum ab Eccleſia.

507. *Confirmatio.* Demus, ſemel id ſuſtinuiſſe fœminam, & adhuc membra viri jacere ſemimortua, languida, & ob pravam ſtructuram inepta, quid deinde faciat fœmina, ferro vel artificio violata? Quo confugiet? Quoniam ſi divortium poſtulaverit, ſuam cauſam muniet? Iuſtitiam oſtendet, ſi jam inveniatur flos ille veluti ſucciſus aratro? Quàmvis enim ferro execta ſit; attamen cauſam illius non admittet Eccleſia; ſed præſumet à viro, ſi ille artificium interveniſſe neget, uſu & cohabitatione corruptam. Ne ergò viri doctiſſimi fœminæ graviſſimum onus imponant, illamque cogant, ut patiatur ſe non naturâ ſed arte violari. Hæc mea in hac re ſententia eſt. Uſque adhuc Baſilius.

508. *Oppoſita ſententia eſt D. Tho.* Contrà D. Tho. 4. diſt. 34. q. un. a. 2. ad 5. ibi: *Si non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & poſſit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo inſtrumento poſſet clauſtra pudoris frangere, & ei conjungi, nec eſſet hoc contra Matrimonium; quia non fieret ad delectationem, ſed ad medicamentū.*

Reſp. Pontij. Thom. Sanchez (inquit Pontius ſup. n. 3. lib. 7. diſp. 93.) ſentit, eam inciſionem licere, ac fœminam eam pati debere. Sequitur in eo D. Tho. (non abnuo) compluresque Scholaſticos alios, qui ſpeculando magis locuti ſunt, quàm peculiarem aliquem caſum pertractando, qui ſi ad eorum manus deveniſſet, & hìc & nunc, quæ res circumſtant, conſideraſſent attentiùs, in aliam ſententiam declinaſſent. Hæc ille.

Exploditur. Ego autem dico; ſi Pontius attentiùs conſideraſſet jura, jam non ſemel allegata, ex quibus cognoſcitur, quam Eccleſia vocet impotentiam temporalem, & ſi ad ejus manus particularis caſus deveniſſet, in quo mulier libenter ſubiiſſet talem fractionem clauſtri, ut ſic poſſet in contracto Matrimonio perſiſtere, fortè in ſententiam D. Thomæ & aliorum declinaſſet.

509. *Probatur ſententia D. Tho. ex c. 6. de Frig.* Igitur hæc ſententia probatur, meo judicio, maximè ex cap. *Fraternitatis*, de Frigid. ubi, ut alibi vidimus, vocatur impedimentum temporale, quod, præter divinum miraculum, per opus humanum, abſque corporali periculo potuit removeri. Sed in caſu noſtro impotentia coëundi poteſt tolli, præter divinum miraculum, per opus humanum, abſque corporali periculo; ergò eſt impotentia temporalis.

Reſp. Adverſariorum. Negatur, inquis, Subſumptum: nam, ut Pontius ſup. dicit in prima ſua probatione, clauſtri fractio extrà copulam eſt res iniqua.

Rejicitur. Sed quæſo te, contrà quam legem, quando ſit in Matrimonio in ordine ad coëundum? Hanc legem deſidero ſcire. Fateor, virginitas non eſt vitium aut morbus, ut propterea indigeat medicamento; attamen in caſu particulari eſt obſtaculum copulæ; & ideò poteſt removeri ab illo, qui jus habet ad copulam.

Planè reponis; ſed hoc eſt quod quæritur, an in tali caſu vir habeat jus, id eſt, an Matrimonium fuerit validum.

510. *Negat Sanchez impotentiam in casu proposito esse perpetuam.*

Quæritur prorsus; & unde probatur, quòd non fuerit validum? An quia impotentia perpetua? Hoc negat Sanchez; quia potest tolli per opus humanum sine peccato, supposito valido Matrimonio. Quod Omnes illi concedere debent, qui docent, illam fractionem esse licitam, quando mulier est arcta.

Unde quàmvis Pontius solùm loquatur de casu, in quo defectus se tenet ex parte viri; equidem allegatur pro sententia, quæ generaliter docet, illam incisionem esse illicitam. Quippè illa incisio æquè repugnat honestati in uno casu, quàm in alio; & virginitas æqualis pretij res est, atque honestatis argumentum in utroque. Ergò si licet fractio, imò debita est, quando est defectus ex parte mulieris; etiam licebit, quando defectus tenet se ex parte viri; sin autem non liceat in uno casu, nec in alio.

511. *Artificiosa apertio clausuri est licita, etiam in virgine, juxtà Dicast.*

Interim aliqui distinctionem inveniunt, inter quos Dicastillo disp. 7. dub. 48. ubi n. 503. supponit primò (quidquid reclamet Basilius) cum communi DD. sententia, artificiosam apertionem clausuri licitam esse, non solùm in fœmina corrupta, sed etiam in virgine; neque enim (inquit) turpe censetur, juvare naturam ad actum honestum, qualis est conjugalis. Quare si ex alia parte non repugnet; impotentia, quæ sic tolli potest absque peccato, & periculo corporali, non censetur perpetua, nec dirimere Matrimonium, nec ejusmodi medium horret natura, ut ille putat. Hæc Dicastillo.

Et n. seq. loquens de casu, in quo obstaculum se tenet ex parte fœminæ, ait: conveniunt ferè DD. contrà Basilium, teneri fœminam id pati, si possit fieri absque gravi incommodo, aut absque gravi infirmitate, gravique dolore; nam ad id ipsa Matrimonialis obligatio videtur posse obligare.

512. *Docet, non teneri id pati fœminam, quando est defectus ex parte viri.*

Denique n. 510. docet, fœminam non teneri id pati, quando est defectus ex parte viri. Ratio est (inquit) quia, ut casus supponit, ex parte fœminæ nullum est impedimentum particulare, neque obstaculum, præter commune virginitatis, atque adeò, quantùm est ex se, apta est ad reddendum viro debitum, totumque obstaculum est ex parte viri. Quapropter illi soli incumbit, & non fœminæ, uti remedio, quo defectus ipsius possit suppleri. Quòd si non possit, sibi imputet vir, quòd cum tali defectu voluerit uxorem ducere; nam fœminæ satis erit, offerre solutionem debiti modo ordinario; maximè cum natura quodammodò horreat, & insitus pudor difficilè patiatur, fœminam, præcipuè virginem, artificio aut instrumento violenter corrumpi, incidi aut aperiri. Hactenùs Dicastillo cum Pontio, & Alijs, quos citat.

Ecce hìc quodammodò horret natura, & insitus pudor difficilè patitur incisionem, cùm tamen superiùs dixerit: *Nec ejusmodi medium horret natura, ut ille* (scilicet Pontius) *putat*. Et certum mihi est, Basilium expresè non fuisse locutum, nisi de hoc ultimo casu, ut patet ex genuinis ejus verbis, sup. recitatis.

513. *An virgo*

Egò credo, quòd non minor horror sit in uno casu, quàm in alio, cùm utrobique sit violenta apertio. Et quæro, an virgo possit sinè peccato illam apertionem permittere, & medicus facere in casu, quo est defectus ex parte viri, cum quo virgo libenter contraheret & consummaret. Similiter in casu extraordinariæ arctitudinis, antequam Matrimonium sit contractum. *tali casu posset sinè peccato permittere talem incisionem.*

Si negaveris; quomodo ergò non censetur turpe, juvare naturam ad actum honestum? Non enim fit, nisi in ordine ad actum conjugalem, & fieri potest, ut sinè maximo incommodo non possit virgo ab hujusmodi Matrimonio abstinere. Quare non poterit tali casu velle sustinere ablationem virginitatis, sive apertionem clausuri per medicinas extrà Matrimonium? Non quidem juvatur natura ad actum conjugalem absolutè; quia cum alio posset eum actum perficere absque violenta apertione; sed respectivè tamen ad eum, cum quo vult contrahere. *Arguitur quòd sic.*

Prorsùs, inquis, juvatur natura; sed viri, & non fœminæ. Ast, amabo, quare fœmina non potest licitè velle tali modo adjuvare naturam viri, ut ipsa possit potiri Matrimonio, sibi maximè utili & necessario? An ille flos virgineus tanti pretij est, ut ad conservationem totius non possit virgo velle pati ejus detrimentum? Ad quid serviet ei flos virgineus, si cum eo nequeat Matrimonium contrahere, & absque eo possit commodas nuptias obtinere? Credo, quòd à multis non tantùm æstimetur, ut propter eum commodas nuptias abjicerent, si possent sinè peccato ejus detrimentum facere. 514. *Opponitur, sed perperàm.*

Et verò nonne ideò minùs grata erit viro? Imò gratior, cùm propter eum, seu ad ejus naturam adjuvandam, id permiserit fieri, eo sciente & volente. Nec minus argumentum erit honestatis, indubiæ fidei certissimum pignus, pacis & mutui amoris assiduum nutrimentum, virginitas eousque servata, & hâc occasione amissa: imò majus; cùm virgo ex amore sponsi sui sustinuerit illud incommodum. Atque ex his patet responsio ad 1. & 2. argumentum Pontij. *Non ideò minùs grata erit viro.*

Ad tertium dico; nimiùm probare, & ideò nihil. Nam inde sequeretur, quòd Matrimonium cum impubere foret invalidum jure naturæ; quia corpus impuberis non est aptum pro tunc ad usum conjugij. Quare conditio subintellecta hæc est: *Si ad eum usum fuerint apti, aut, præter divinum miraculum, per artem humanam, absque corporali periculo, fieri possint apti*; quæ conditio hìc reperitur, nisi ostendatur, talem apertionem ad eum finem esse peccaminosam. 515. *Resp. ad 3. arg. Pontij.*

Sed quid ad ultimum argumentum respondebimus? Quòd in jure Canonico (inquit Dicast. sup. n. 514. in fine) non reperiatur usus talis incisionis, id potest fieri; quia non fuit propositus Pontificibus talis casus; & alijs vijs potuerunt decidi casus illis propositi; & ejusmodi medium non est eligendum, nisi tentatis alijs facilioribus; præsertim, si ex alijs capitibus constet, tale medium non necessariò debere, aut posse tentari. Hæc ille. *Quare in jure non reperiatur usus talis incisionis, ex Dicast.*

Non debet autem tentari, nisi moraliter certum sit, facto clausuro, virum fore potentem, 516. *Non debet*

tentari inciſio, niſi per eam moraliter certò vir fiat potens.

tentem, v. g. ſi conſtet ſæpiùs habuiſſe copulam cum corrupta. Rationem habes in ultimo argumento Pontij: quia aliàs talis virgo exponitur multis incommodis.

Sanchez.

Et ita docet cum Alijs Sanchez ſup. n. 35. dicens: Cautiſſimè judex procedere debet, antequam ad hoc medium perveniatur, & priùs conſiderare debet, an vir ſit frigiditate aut maleficio affectus. Et quando conſtiterit neutro eum vitio laborare, & ex viri inſpectione nullus in membro virili defectus declararetur, conſtabit eum eſſe potentem ad alias, & ſolam hujus fœminæ arctitudinem aut virginitatem obſtare. Poteſt etiam probari, eum eſſe potentem ad corruptas, ſi ipſe juret, ſe eas cognoviſſe, & ipſæ ſimiliter ſe ab eo cognitas. Ita Sanchez.

517. *Probatur in eo caſu eſſe debitam, ex Sanchez.*

Porrò dum conſtat eum fore potentem ad corruptam, exiſtimat Sanchez ſup. n. 34. etiam dum ſola virginitas obeſt, teneri virginem pati violentam apertionem, quando poteſt ſinè magno ſuo incommodo. Quia, inquit, cùm verum ſit Matrimonium, jus ſui corporis tranſtulit in virum.

Nec obſtat, ex parte viri hunc defectum conſurgere: quia cùm vir culpâ vacet, & naturali illi imbecillitati mederi nequeat, quærendum eſt remedium ex parte fœminæ, ut ipſi viro aptetur.

Confirmatur.

Et Confirmatur: ſi enim vir non poſſet moveri ad uxorem cognoſcendam, niſi certo ſitu, aut pulchra ornatáve pretioſis veſtibus ſit, quis dubitabit teneri fœminam eo ſitu uti, ac pretioſis indui veſtibus, fuciſque faciem decorare, ad viri imbecillitatem adjuvandum? Cùm tamen impedimentum non oriatur ex parte fœminæ.

518. *Impugnatur.*

Dices: ex his non ſequi fœminæ detrimentum: at maximum ſequitur ex apertione clauſtri: quòd fortè decepti ſint medici, & poſteà non poterit vir eam cognoſcere, & diſſolvetur Matrimonium, ac illa innupta manebit: quia alij non credent à viro incognitam.

Defenditur.

Reſpondeo: Dato ex hac parte illam deobligari, haberi jam intentum; nempè, non oriri deobligationem hanc ex eo, quòd impedimentum non ſe teneat ex parte fœminæ (quod intendit ſententia contraria) ſed orietur ex damno ſubſecuto.

Sed etiam hinc non oriri, inde perſuadetur: quòd cùm id Matrimonium cenſeatur validum, jus nullum habet fœmina ad virginitatem tuendam: quare hoc non eſt reputandum damnum: eò vel maximè, quòd ſi poſteà diſſolvatur Matrimonium, durante viri impotentiâ, notoria erit per ſententiam Eccleſiæ, præcipientis inciſionem, & declarantis virum impotentem, innocentia fœminæ.

519. *Alia probatio Sanchez.*

Deinde: quia inciſioni illi, & medicaminibus ſuſceptis, præponderant jus ad uſum Matrimonij, periculum incontinentiæ maximum, ac pollutionum utriuſque conjugis, cùm perpetuò cohabitare debeant tamquam veri conjuges.

Vltimum arg.

Tandem: quia hæc obligatio naſcitur ex eo, quòd quicumque tenetur ad aliquod obſequium, tenetur ſubinde ad requiſita ad illius exhibitionem. Quare hæc obligatio non naſcitur ex impedimento, præſtito per mulierem; ſed ex jure Matrimonij, cui aliter ſatisfieri nequit. Hucuſque Sanchez probavit ſuam ſententiam.

Sed nunquid ſolidè? Solidiſſimè, ſi, ut ſupponit, Matrimonium ſit validum, & incommodum apertionis non ſit tantum, ut excuſet à reddendo debito. At ſuppoſitum iſtud negatur à Pontio, qui pro viribus contendit, tale Matrimonium eſſe irritum, quo dato, argumenta omnia Sanchez corruunt, ut planum eſt.

§ 20. *Reſp. Pontij ad 1. probationem Sanchez. & confirmationem.*

Hinc Baſilius ſup. n. 6. Ad primum, inquit, dicimus, fœminam per contractum Matrimonij jus ſuum tradere viro apto, non inepto; atque in non aptum nullum transferri jus. Adde: etiam in eo medio magna incommoda reperiri, quæ jam dixi. Confirmatio frivola eſt. Quid enim mutationi ſitûs ac veſtium cum virginis inciſione, & viri impotentia comparatione virginis?

Ad 2. arg.

Ad ſecundum; ſi vir eſt ineptus ſimpliciter ad virginem, nullum conſurgeret jus Matrimonij, quod præponderet inciſioni. Nam virgo non ſe tradit ex natura contractûs, illo modo celebrati, niſi habili, & corpore de ſe apto, & quaſi emit corpus etiam aptum ad illam in eo ſtatu, quo ſe illi tradit. Concupiſcentiæ verò nullum eſt periculum; diſſolvitur enim Matrimonium, ut in ea cauſa, quam dixi, præjudicatum eſt.

§ 21. *Ad ultimum.*

Tertium & poſtremum eodem pede claudicat; ſupponit enim teneri corpus virginis, de ſe aptum ad obſequium viri, ad virginem prorſus inepti, quod nos negamus; iſte verò Auctor nullâ ratione ſufficienti confirmat. Sic Pontius.

Fœmina poteſt inciſionem pati, juxtà Pontium uno loco.

Sed attende, quod ſequitur: Poterit quidem fœmina, ſi voluerit, inciſionem pati; obligari autem ad illam non poteſt. Si autem jam inciſa, adhuc à viro cognoſci non poſſit, non tenebitur vir illam alere; ſuſtinuit enim ſuâ ſponte, ac ſe objecit illi periculo; atque adeò nullam injuriam intulit. Sicuti qui ſinè ulla vi agnoſcit virginem, etiamſi Matrimonium amittat, nec æquè benè nubere poſſit, ad nullam reſtitutionem tenetur, qui violavit. At ſi contrà ejus voluntatem incideretur, & poſteà adhuc inepta eſſet illi viro, non liberarem virum ab onere dotis ſufficientis conſtituendæ, ut æquè benè alteri nubere poſſet. Hæc ille.

Alio loco ait, eam eſſe illicitam.

Ubi, ut vides, concedit fœminæ, ſi voluerit, inciſionem pati; cùm tamen n. præced. ſcribat hæc verba: Qui ergò impotens eſt ad virginem agnoſcendam, cùm reverà illi ſit ineptus, niſi incidatur; & aliàs ea inciſio turpis ſit & illicita, ut probavimus, nullum jus habet ad ejus uſum.

§ 22. *Impugnatur hæc doctrina Pontij.*

Sed enim, ſi ea inciſio turpis ſit & illicita, quâ ratione fœmina poterit, ſi voluerit, eam pati? An fortè poterit velle rem turpem & illicitam? Si autem licita eſt & poſſit eam pati, eſtò non teneatur, putas, quòd propterea impotentia ſit perpetua, & per conſequens Matrimonium invalidum? Quid ſi mulier arcta poſſet abſolutè aptari, tamen ad hoc non teneretur, propter nimis grave incommodum, quod alio-

quin subeundum foret, dices propterea, illud Matrimonium esse invalidum ? Profectò in principijs Pontij hoc deberet admitti. Nam vir dedit corpus suum aptum, & recepit corpus ineptum pro tunc, quod nunquam fiet aptum, quàmvis alioqui fieri posset.

523. *Evasio præcluditur.* Dices : semper manet ista disparitas ; quòd in unò casu vitium seu impotentia se teneat ex parte mulieris, in alio ex parte viri tantùm. Sed quid inde ? Valor Matrimonij non respicit, ex cujus parte se teneat impedimentum ; sed solùm considerat ipsum impedimentum, an præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo possit removeri, ut jura loquuntur. Quàmvis ergò tunc mulier per se non indigeat medicamento, utpotè quæ nullo morbo laboret ; at per accidens eo indiget, ratione Matrimonij initi, cujus valor pendet ex cognitione perpetuitatis impotentiæ, sive potiùs ex ipsa perpetuitate, quæ nequit sciri, nisi sciatur, an medicamine, utrique conjugi adhibito, auferri nequeat.

524. *Alia evasio.* Consentio, reponit quispiam ; quando uterque conjux indiget medicamine ; at in casu proposito solus vir indiget ; ergò illi soli medicamen est adhibendum. Et ideò jura præallegata loquuntur de muliere extraordinariè arcta, quæ vitium illud à natura contraxerat.

Non subsistit. Respondetur : d. cap. *Fraternitatis*, loquitur de muliere, quæ curaverat claustrum virginale reserari vel artificio, vel concubitu viri, vel alio modo, ibi : *Quamvis igitur semiplenè nobis expresseris ..... qualiter illas seras fecerit reserari, utrùm videlicet artificio medici, an concubitu viri, seu alio quolibet modo* &c. Si concubitu viri ; ergò defectus seu impotentia respectu prioris viri, non provenerat ex parte mulieris, sed ex parte viri ; & tamen Pontifex decernit, prius Matrimonium fuisse validum, eò quòd non fuerat impedimentum perpetuum.

525. *Probatur ex c. 6. de Frig.* Herculè ex eodem jure habemus, quòd mulier possit esse arcta respectu unius, & non alterius, in fine : *Similiter illa, quæ viro, cui nupserat, adeò arcta est, ut nunquam ab eo valeat defloravi, si ab eo sit per judicium Ecclesiæ separata, & nubat alteri, cui arcta non sit, & per frequentem usum secundi reddatur etiam apta primo, utrùm ad eum redire debeat, cum quo prius fœdus inierat conjugale. De talibus autem non est facilè judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro.*

Et Glossa ibi. Ubi Gloss. verb. *Ex futuro*, inquit : *Nec intellige, quòd Matrimonium retrotrahatur ; sed hoc ideò dicit, quia in dubio est, an sit Matrimonium cum primo : nec intelligas, quòd tunc primò incipiat esse Matrimonium cum primo, cùm incipiat esse apta sibi, sed tunc prius declaratur fuisse Matrimonium.* Ergò consistit Matrimonium inter virum & virginem, quam nisi corruptam nequit cognoscere. Nec jus meminit hìc extraordinariæ arctitudinis, quippè per solam copulam cum alio claustrum fuerat reseratum, & sic apta reddita priori viro, qui propter suam imbecillitatem vel alium defectum non poterat illud reserare.

526. Omnibus itaque perlectis & perscrutatis, hæc est mea resolutio : Dum moraliter certò constat, virum esse potentem ad corruptam, licita est incisio virginis, & debita, quando absque gravi incommodo fieri potest ; quia Matrimonium fuit validum ; quoniam impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo poterat removeri. *Resolutio Auctoris.*

Atque adeò non video, quare tali casu ipse vir, propriâ auctoritate, etiam virgine invitâ & renitente, non posset proprijs manibus, aut instrumento alio, claustrum aperire ; quippè utitur jure suo, quod habet ad copulam, quam aliâ viâ nequit obtinere, eo semper salvo, ut id fiat sine notabili virginis damno. Et non dubium, quin hæc libentiùs passura sit dictam apertionem à viro proprio, quàm ab aliquo tertio. *An vir propriis manibus possit claustrum reserare.*

Nihilominus Sanchez sup. n. 29. existimat, id non licere viro propriâ auctoritate efficere : & si probabilis timor sit, fore, ut id intentet, separandam mulierem, ac in loco tuto constituendam, donec lis decidatur, aut plena securitas detur. Sic ille. 527. *Negat Sanchez id posse facere propriâ auctoritate.*

Et putat oppositum non docere D. Tho. superiùs allegatum, eò quòd addiderit illam particulam : *Medicinaliter*, quasi dicat, juxtà medicorum præscriptum.

Quid ergò, si ipse vir sit medicus, & optimè norit præscriptum incisionis ; censen' advocandum alium medicum, qui incidat ? Scio quòd non censeas, vel ostende ubi jus hoc præscribat. Sanè D. Tho. sup. loquitur de ipso viro, cujus est mulier, & ait, eum posse tali casu medicinaliter aliquo instrumento claustra pudoris frangere, ut patet ex verbis ejus sup. relatis.

Quod ergò docet Sanchez, sic intelligendum arbitror, ut vir propriâ auctoritate, antequam constet, talem apertionem esse necessariam, aut fieri posse sinè gravi damno fœminæ, nequeat id efficere, ignorans modum convenientem, & ita exponens mulierem multis & gravissimis incommodis. Unde supponit, litem impotentiæ nondum decisam, ut patet ex ejus verbis, sup. relatis ; ac proindè non constare de impotentia, & de modo acquirendi potentiam ; quo ergò jure vir attentaret tale remedium periculosum ? Non capio. 528. *Quomodo id sit intelligendum.*

Atque hic fuisset finis hujus Sectionis, nisi quispiam me interrogasset : nunquid Hermaphroditus potest Matrimonium inire ? Respondeo breviter :

CONCLUSIO XI.

Hermaphroditus secundùm sexum alterutrum, in quo capax est, licitè contrahit.

529. *Quis dicatur Hermaphroditus.* COntingit aliquam personam inveniri duplicis seu mixti sexûs, scilicet masculini & fœmini simul, & dicitur Hermaphroditus.

tus. Intendit contrahere Matrimonium, quid facto opus ? In primis diſpiciendum erit, quis ſexus in eo prævaleat.

530. *Cujus ſit judicare, uter ſexus prævaleat, ex Sanchez.*

Sed quis hoc diſpiciet ? Dic (inquit Sanchez lib. 7. diſp. 106.) matronarum peritarum, vel medicorum eſſe hujus rei judicium, ut benè dicit Albericus l. *Quæritur*, 10. ff. de Stat. homin. n. 5. Atque id ex genitalium inſpectione judicandum eſſe, tradit Turrecr. cap. *Si teſtes*, 4. q. 2. & 3. §. *Hermaphroditus*, n. 3. Si autem dubitetur, uter ſexus prædominetur, ſtandum eſt ipſius Hermaphroditi dicto, juxtà communem ſententiam : cùm nullus valeat id ita ſentire, ac ipſemet : vel judicio medicorum ſtandum eſt : quod in idem recidit : eò quòd medici judicare debent, juxtà ea quæ ipſemet de ſe aſſeruerit. Hæc ille.

Quòd ſi, omnibus conſideratis, res in æquilibrio maneat, nec judicari poſſit, uter ſexus prævaleat, cenſendum eſt ſexum eſſe æqualem : quòd æquæ rationes ſint pro utroque ſexu. Ita Sanchez ſup. n. 9.

Secundò expendendum erit, utrùm juxtà utrumque ſexum habeat potentiam ad perfectam copulam, ſeu copulam aptam ad generationem. Quod optimè cognoſcitur ex ipſa copula aliquando habitâ, quàmvis ea non ſit neceſſaria, ſed etiam alia ſigna, de quibus ſup. egimus, ſufficere poſſint.

431. *Si prævaleat ſexus fœminæ, comparabitur fœmina ex l. 10. ff. de Statu homin.*

Tertiò notandum quod ſcribit Ulpianus lib. 1. ad Sabinum, & refertur l. 10. ff. de Statu homin. *Quæritur Hermaphroditum cui comparamus: & magis puto, ejus ſexûs æſtimandum, qui in eo prævalet.* Ubi Gloſſ. in expoſit. casûs. *Pro intellectu hujus legis ſciendum eſt, quis ſit Hermaphroditus. Nam Hermaphroditus eſt, qui partim habet membra viri, partim habet membra mulieris : unde quæritur in hac lege, cui comparemus eum ? Et dicit, quòd ei, in cujus ſexu plus prævalet : nam ſi plus prævalet in ſexu fœminæ, comparabimus fœminæ.* Et ſimpliciter fœminam appellabimus. Sin autem plus prævalet in ſexu viri, comparabimus viro, & ſimpliciter virum appellabimus. His prænotatis.

Probatio Concluſionis.

Concluſio noſtra probatur : quia nec jure naturæ, nec jure poſitivo tale Matrimonium invenitur prohibitum. Et quidem Omnes conſentiunt, quando contrahitur in ſexu prævalenti ; imò & in ſexu æquali, communi calculo, conceditur licentia alterutrum eligendi, & ſecundùm eum contrahendi, ita ut ſi prævaleat fœmineus, aut hic eligatur, poſſit nubere viro: ſin autem prævaleat virilis, aut hic eligatur, poſſit nubere fœminæ.

532. *Omnes admittunt, quòd poſſit contrahere in ſexu prævalenti.*

De ſexu prævalenti Gloſſ. cap. *Si teſtes*, 4. q. 2. & 3. verb. *Hermaphroditus*, ſic ait: *Quæſitum fuit utrùm Hermaphroditus, id eſt, qui habet ſexum maris & fœminæ, poſſit eſſe teſtis in teſtamento ? Et reſpondetur, quòd ſi magis appetat ea, quæ viri ſunt, poteſt, alias non.*

Et verb. *Teſtimonium*, inquit : *Scilicet in teſtamento, ubi mulier non poteſt eſſe teſtis ſecundùm legem, ut inſtit. de Teſtam. §.* Teſtes. *In judicio autem eſſe non poteſt, 15. q. 3.* De crimine. *Sed quid ſi in omnibus eſt parilitas ? Item, nunquid talis poteſt ordinari ? Item, an contrahet cum viro, an cum muliere : & ſi priùs cum viro contraxit, an poſſit eo mortuo cum muliere contrahere ? Io. Sed certè in omnibus his reſpici debet ſexus, qui magis incaleſcit ;* Iuxtà illud l. 15. ff. de Teſtibus : *Hermaphroditus, an ad teſtamentum adhiberi poſſit, qualitas ſexûs incaleſcentis oſtendit.*

533. *Quid ſi ſit æqualitas ? Poteſt eligere, ſed debet in electo permanere.*

Procul dubio quando unus ſexus magis incaleſcit, in omnibus his conveniens eſt, ut ipſe reſpiciatur. Sed quid ſi in omnibus eſt parilitas, & uterque ſexus æqualiter incaleſcat ? Ad hoc non reſpondet Gloſſa : nos autem dicimus, poſſe contrahere cum viro, vel cum muliere, ne toto tempore vitæ ſuæ debeat manere cælebs, cum infinitis periculis incontinentiæ. Debet autem (inquit Sanchez ſup. n. 1.) juramento ſe adſtringere, fore ut impoſterùm minimè altero ſexu, præter ſemel electum, utatur.

An debeat jurare. Affirmant Sanchez & Hoſtienſis.

Audite Hoſtienſem Sum tit. de Teſtibus §. *Quis poſſit eſſe teſtis*, n. 2. ibi : Quid ſi utriuſque membri officio uti poteſt? Reſpondeo: eligat..... & juret, quòd de cætero alio non utetur : quia nec fungi debet duplici officio, maximè tam diverſo ; arg. 16. q. 1. *Presbyteros.* arg. inf. de Cler. conjug. *Diverſis.* ff. de Pactis, *Si plures.* Sic ille.

534. *Iura quæ allegant, non meminerunt juramenti. Primum.*

Verùm enimverò in his textibus nulla fit mentio juramenti. Accipe verba prioris: *Presbyteros, Diaconos, cæteroſq; cujuſlibet Ordinis clericos, qui Eccleſijs quoquomodo militant, Abbates per monaſteria eſſe non permittas ; ſed aut admiſsâ clericatûs militiâ, monaſticis non provehantur Ordinibus ; aut ſi in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatûs nullatenùs permittantur habere militiam. Satis enim incongruum eſt, ſi cùm unum ex his præſui magnitudine diligenter quis non poteſt explere, ad utrumque judicetur idoneus.*

Secundum.

Textus ſecundus ſic ſonat : *Diverſis fallacijs :* Et infrà : *Accepimus autem, quòd quidam Clerici tuæ diœceſis, qui Matrimonium contraxerunt, Eccleſiaſtica beneficia detinere contendunt &c. Mandamus, quatenùs hujuſmodi Clericos beneficijs Eccleſiaſticis, quæ in tua Diœceſi ſunt adepti, prives, appellatione remotâ &c.*

535. *Tertium.*

Porro d. lex. *Si plures*, ſic ait ad noſtrum propoſitum : *Difficile eſt, ut unus homo duorum vicem ſuſtineat : nam nec is, qui plures actiones habet adverſus eum, qui unam actionem habet, plurium perſonarum loco accipitur.*

Quomodò autem hi textus probent intentum, ſcilicet neceſſarium fore juramentum, non utendi altero ſexu, ut verùm fatear, non video. Expectabo lumen à Doctioribus, ut poſſim videre, quod ipſi vident.

536. *Quid ſi mortuo conjuge contrahat in alio ſexu ? Valet, juxtà Dicaſt.*

Intereà dico cum Dicaſtillone diſp. 7. n. 551. Si poſt initum Matrimonium in uno ſexu, mortuo conjuge, ineat Matrimonium in alio, validè contrahet, ſi alioquin jus poſitivum non obſtet, de quo mihi non conſtat. Ratio eſt ; quia juxtà eum habet etiam potentiam ad perfectam copulam, ut ſupponimus. In quo omnes Auctores, quos viderim, conveniunt ; imò, ut aliqui Recentiores volunt, non ſolùm

validè, sed etiam fortè licitè id fiet, nisi coram competente judice juraverit, aut ab eo mandatum acceperit, aut lege Canonicâ vel civili prohibeatur uti altero sexu, præter semel electum. Hæc ille.

537. *Sanchez putat, eum mortaliter peccare.*

Sanchez sup. n. 8. ait: culpæ mortalis reum esse Hermaphroditum, in quo uterque sexus par est, si semel electo sexu, & juxtà illum Matrimonio inito, viduus effectus juxtà alterum sexum Matrimonio copuletur: ut si priùs instar viri duxerit fœminam, posteriùs autem instar fœminæ nupserit viro, vel contrà. Tum; quia si sexûs electionem juravit, reus est perjurij. Tum etiam; quia estò non jurârit, delictum admittit, & in re quidem gravissima. Quare ijs nuptijs, tamquam interdictis, Parochum debere negare suam præsentiam, docet Majolus lib. 3. de Irregul. cap. 25. n. 16. Majolus.

Existimo autem fore validum id Matrimonium. Quia jure naturæ non irritatur: cùm Hermaphroditus ille æquè vir & fœmina sit; nec ejus electio id, quod natura sibi indidit, auferre valuit, sed solum licitum usum. Ius etiam Pontificium non inuenitur, quod id Matrimonium irritum reddat. Sic Sanchez.

538. *An solidè.*

Quæro ego: sed quo jure electio auferre valuit licitum usum ejus, quod natura sibi indidit? An positivo? Afferatur. Fortassis naturali? Indecens valde esset (inquit Sanchez sup.) ut modò uno, modò altero sexu uteretur. Sed cur hoc? Forsitan mortuo priori conjuge, cui nupsit instar viri, nequit aliam invenire; potest autem habere alium, cui nubat instar fœminæ, & periculum maximum incontinentiæ est, & gravissima imminent damna temporalia, nisi ei nubat; censen' quia illicitè nuberet?

Secluso juramento, & præcepto positivo, ad summum videtur levis aliqua inconstantia.

Et demus, nullum esse periculum incontinentiæ, neque imminere damna temporalia, cùm revera sit vir & fœmina, quæ, amabo, tam gravis indecentia, quòd priùs utatur uno sexu, & pòst alio? Ad summum, meo judicio, foret levis aliqua inconstantia, quòd cùm semel elegerit hunc sexum, sinè justa ratione modò velit uti altero; nisi, sicut dictum est, juramentum, quod non probatur necessarium, vel aliquod præceptum positivum, majorem inducant malitiam.

539. *An duo Hermaphroditi possint validè contrahere ad usum utriusque sexûs.*

Et hæc doctrina videtur mihi (inquit Dicastil. sup. n. 552.) efficaciter colligi, præcisè spectato jure naturæ, secluſis omnibus alijs prohibitionibus, seu scandalis extrinsecis, si duo Hermaphroditi inter se Matrimonio copulentur, quorum utervis æquè sit vir ac fœmina, & æquè capax copulæ in utroque sexu, posse saltem validè Matrimonium inire ad utriusque sexûs usum, si præcisè spectemus matrimonialem copulam, ordinatam ad generationem.

Negat Dicast.

Nihilominùs absolutè puto, jure naturæ fore tantùm validum, quando alter eorum contrahit ut vir, & alter ut fœmina. Ratio est; quia Matrimonium, quale institutum est ab Auctore naturæ, ita est maris & fœminæ conjunctio & societas, ut tamen alter alteri subsit; nempè fœmina viro, juxtà illud Domini Dei ad Evam: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Hoc autem non potest habere locum, si uterque gerat vices viri, vicesque fœminæ, cùm neuter alteri subesset, nec posset esse caput alterius. Hactenùs Dicastillo.

Idem docet Perezius disp. 37. Sect. 15. n. 2. dicens: In hac re desideranda essent judicia DD. qui eam intactam relinquunt. Mihi certè videtur dicendum, tale Matrimonium illicitum esse, & invalidum jure naturæ. Nam sic illo modo contrahere, videtur manifestè repugnare ab intrinseco naturæ rationali; quia continet intrinsecam, & maximam indecentiam usus ille promiscuus utriusque sexûs, quam ipsa natura rationalis summè abhorret ac detestatur: ergò ob eam tale Matrimonium est jure naturæ invalidum. Hæc ille. 540. *Eum sequitur Perezius.*

Sed (inquit Dicastillo sup.) non facilè posset probare, ideò non licere, quia natura abhorret & detestatur promiscuum illum congressum; & hoc continere indecentiam, quando uterque sexus concurrit, & utriusque finis non frustratur (putà, si uni sexui vacarent per unum annum, & per alium alteri; vel non frequenter, sed rarò, vel quoties alter prægnans esset, vel id suspicarentur, non vacaret nisi sexui fœmineo) ideò nos recurrimus ad institutionem Auctoris naturæ, instituentis Matrimonium more prædicto, ut alter sit caput, & alter conjux subsit, non ex electione & pacto ipsorum (alioquin ex pacto possent convenire communiter conjuges, ut uxor esset superior, & vir pareret) sed ex natura & institutione Creatoris id habetur. Hæc ille. 541. *Dicast. rejicit ejus probationem.* *Probatio Dicast.*

Sed nunquid fieri potest, ut qui hoc anno superior est, sequenti anno sit subditus? Procul dubio. Ergò consimiliter fieri posset in casu proposito, ut Hermaphroditus, qui hoc anno utitur sexu fœmineo, sit subditus alteri, qui utitur sexu virili; sequenti autem anno, dum utitur sexu virili, sit superior ejus, qui jam utitur sexu fœmineo. 542. *Impugnatur.*

Pone, quòd Deus singulis annis mutet sexum, quid vetat, ut ille, qui hoc anno superior est in Matrimonio, sequenti anno subsit? Si dixeris: hìc duo erunt formaliter Matrimonia, ibi autem solùm unum. Quid inde? Erunt ibi duo Matrimonia æquivalenter seu virtute.

Planè, reponis; & ideò tale Matrimonium non valet, quia se invicem destruerent: uterque etenim non tantùm successivè, sed etiam simul esset superior & subditus, ex eodem fundamento, scilicet ex uno eodemque formali contractu. 543. *Defenditur.*

Quid mirum, inquis, cùm sit æquivalenter duplex; sicuti singuli conjuges sunt æquivalenter duplex persona? Hæc dicta sunt inquisitionis ergò, non resolutionis, quam alijs relinquimus. Puto ego, quòd Ecclesia tale Matrimonium nullatenùs admitteret: & casus est metaphysicus, quòd duo Hermaphroditi, in utroque sexu potentes, vellent simul contrahere Matrimonium, non electo certo sexu. *Ecclesia tale Matr. non admitteret.*

Casus magis obvius posset esse, in quo Hermaphroditus vellet contrahere secundùm sexum minùs 544. *An valeat*

Matr. in sexu minùs valente.

minùs valentem, tamen potentem ad copulam perfectam. Nam si impotens est, constat Matrimonium non valere, propter impedimentum impotentiæ, ut patet ex dictis. Sin autem potens sit, adhuc dubitant aliqui de valore ejusmodi contractûs, & Sanchez sup. n. 5. existimat fore irritum. Quia, inquit, inter personas ejusdem sexûs irritum est: prævalente enim fœmineo, reputatur fœmina, & tamen fœminam ducit, ac si vir esset: & si prævaleat virilis, reputatur vir, & tamen instar fœminæ nubit viro. Ita præfatus Auctor.

Negat Sanchez.

545. Oppositum docet Pontius lib. 7. cap. 65. n. 8. ubi de Matrimonio Hermaphroditi sic discurrit: Si æqualis est sexus, valet ejus conjugium, in quovis sexu; priùs tamen eligat sexum, juramenti cautione præstitâ, non alterius sexûs aliquem futurum usum: nec anteà illum copulabit Parochus, quàm id Ecclesiasticus judex decreverit.

Affirmat Pontius.

Quòd si viduus factus, utatur alio sexu, & nubat ut fœmina, qui priùs nupsit ut vir; peccat quidem, at conjugium valet; cùm sit corpus aptum. & nullum sit jus Ecclesiasticum, quo reddatur inhabilis.

546. Si verò in eo prævaleat alter sexus, potest nubere juxtà illum, qui fortior est. At si juxtà eum, qui imbecillior, ut ejus sexûs usus naturalis esse non possit, planum est jure naturali esse irritum Matrimonium; perinde enim est, ac si duo ejusdem sexûs conjungerentur. Quòd si secùs sit, possitque cum alio sexu, licèt valentiori, esse naturalis usus imbecillioris sexûs; non video (inquit ille) cur non teneret Matrimonium, quandoquidem jure naturali potens est, & nullo jure Canonico redditur nullum.

Probatio ejus.

Placet Perezio, Dicast. & Alijs. Resp. ad fundamentum Sanchez.

Neque nos videmus, neque Perez sup. sect. 3. n. 4. neque Dicastillo sup. n. 555. alijque Recentiores. Ad fundamentum autem Sanchez respondeo: non debere attendi vocem, sed ad rem ipsam: nam quàmvis vocetur simpliciter vir à sexu prævalente, ut sup. notavi, tamen à parte rei etiam alius sexus adest, ac secundùm illum contrahit; atque ad usum Matrimonij parùm refert, quòd vocetur vir vel fœmina, dummodò possit officium viri aut fœminæ explere, ut in præsenti supponitur posse.

547. Nec obstat l. 10. ff. de Statu. homin. sup. allegata, in qua dicitur ejus sexûs existimandum Hermaphroditum, qui in eo prævalet: quia, ut notat Dicastillo sup. illa legis comparatio est tantùm inter utrumque sexum in eadem persona existentem; hoc autem non tollit, quin ejusdem personæ sexus fœmineus sit verè fœmineus, quàmvis prævaleat virilis, & econtrà. Itaque comparatione alterius personæ, cum qua copulatur, potest gerere vicem oppositi correlativi sexûs, quem verè habet, copulæ capacem, etiamsi sexus fortè alius prævaleat, & ob id nomen viri à sexu virili sortiatur. Hæc ille.

Non obstat l. 10. de Stat. homin.

Proinde in eo eventu esset Matrimonium inter duos diversi sexûs; quàmvis enim magis censeatur fœmina, quàm vir, quando prævalet sexus fœmineus, & simpliciter appelletur fœmina; equidem à parte rei est sufficiens vir in ordine ad usum Matrimonij, qui solus hìc spectari debet.

548. Sed quid si contraxerit secundùm sexum prævalentem tantùm, nunquid debet persistere in usu solius illius sexûs? Respondeo (inquit Perezius sup. n. 7.) teneri sub peccato mortali: nam verè fornicaretur, imò & adulteraretur, etiam cum proprio conjuge, si v. g. esset alius Hermaphroditus, si uteretur distincto alio sexu ab electo, & in virtute cujus contraxit.

Quid si contraxerit secundùm sexum prævalentem tantùm? Non potest uti alio, ut Perez. Probatur.

Ratio est: tum, quia non tradidit conjugi suum corpus secundùm eum sexum, sed solùm secundùm alium. Tum, quia injuriam faceret proprio Matrimonio, à se inito; cui juri renuntiare neuter potest: sicut nec potest maritus renuntiare juri, quod habet, ne conjux ejus copuletur cum alio; quia repugnat juri naturali Matrimonij, & Sacramenti, à se initi. Ita Perezius. Et placet.

549. Cæterùm audio clamantem: Hermaphroditus est incapax Ordinationis sacræ, nisi sexus virilis prævaleat: Similiter Professionis religiosæ, nisi juxtà sexum prævalentem. Et ratio primi est: quia aliàs non est simpliciter vir; ac proindè quàmvis ex ea parte, quâ vir est, posset videri capax Ordinis; at quia est incapax ex ea parte, quâ est fœmina, absolutè incapax appellari debet. Similiter si profiteatur in virorum Monasterio, non tenet Professio; quia æquè est fœmina ac vir. Si autem in Monialium monasterio, non tenet; quia æquè est vir ac fœmina.

Objicitur invaliditas Ordinationis & Professionis nisi in sexu prævalente.

At eadem ratio militat in Matrimonio. Nam si tamquam fœmina viro nubat, obstabit valori ejus Matrimonij, eum esse æquè virum. Si autem tamquam vir fœminam ducat, obstabit, eum esse æquè fœminam. Ergò quâ ratione ob hanc sexûs paritatem est incapax Ordinis & Professionis, erit quòque Matrimonij incapax: cùm idem prorsùs absurdum sequatur.

Respondet Sanchez sup. n. 10. disparem valde esse rationem. Quòd cùm maximè deceat, fœminam ad Ordines promoveri, jure optimo credendum est, ita id Sacramentum à Christo Domino institutum esse, ut illius incapax sit, sexum fœmineum æquè ac virilem participans: cùm æquè vir ac fœmina sit.

550. *Assignatur disparitas ex Sanchio.*

Et similiter cùm indecentissimum sit, atque ad luxuriam valde excitans, si, quæ verè fœmina est, profiteretur in virorum monasterio, vel qui verè vir, apud Moniales: & is Hermaphroditus utriusque sexûs verè sit, meritò censendum est, Ecclesiam, irritantem Professionem apud personas diversi sexûs, irritasse quòque ejus personæ Professionem, quæ utriusque sexûs verè & æquè particeps est.

At Matrimonij natura, & decentia, contenta sunt solâ vacandi copulæ conjugali potestate: quare cùm id detur in hujusmodi Hermaphrodito, non est cur nequeat validè juxtà alterutrum sexum Matrimonio copulari. Hucusque sunt verba Sanchij.

Infero ego: ergò, secundùm ipsum, tenet 551.

Matri-

Illatio Autoris. Matrimonium, initum juxtà sexum minùs valentem, dommodò reverà potens sit ad perfectam copulam ; imò licet jure naturæ. Probatur Consequentia : quia Matrimonij natura & decentia, contenta sunt solà vacandi copulæ conjugalis potestate, quæ hic reperitur, ut supponitur. Et tamen communiter citatur Sanchez, & nos sup. eum citavimus pro sententia, quæ docet tale Matrimonium esse irritum. Igitur Sanchez vel inconsequenter loquitur, vel per sexum prævalentem, intelligit eum, quo solo Hermaphroditus uti potest ad generationem ; per sexum autem æqualem, dum utroque uti potest.

552. *Quomodò intelligat hanc prævalentiam & æqualitatem sexûs Aversa.* Ita intelligit hanc prævalentiam, & æqualitatem sexûs Aversa q. 13. sect. 2. §. *Quintò.* ubi loquens de Hermaphrodito, inquit : Communis regula est, posse conjugari juxtà eum sexum, in quo prævalet, non juxtà alterum imbecilliorem, ex l. *Quæritur*, ff. de Stat. homin. Si verò in utroque sexu est æqualis, posse eligere, quem voluerit, & juxtà eum conjugari ; præstito tamen anteà juramento coram judice Ecclesiastico, quòd si viduus posteà remanebit, non conjugabitur juxtà alterum sexum. Sed tamen si contraveniat, valeat quòque alterum Matrimonium, quàmvis cum reatu perjurij.

Hoc autem ita intelligendum videtur, ut si uno tantùm sexu uti valeat, & copulam habere, juxtà eum tantùm conjugari possit, & non juxtà alterum, in quo est impotens. Si verò utroque uti & copulam habere queat, possit ad libitum juxtà unum vel alterum conjugari. Ex jure autem naturæ non posset validè simul juxtà utrumque. Et ex jure positivo nec etiam successivè licitè, quàmvis posset validè. Nec tamen is, qui in utroque esset æqualis, id est, potens utroque uti, posset validè Ordines clericales suscipere, aut in Ordine regulari nec virorum, nec mulierum profiteri. Hæc ille.

In utroque est æqualis, qui potest utroque uti.

Si is in utroque est æqualis, qui potens est utroque uti ; ergò is in utroque non est æqualis, qui uno solo potest uti, sed in eo prævalet ille sexus, quo potest uti.

553. *In quo prævalentiam explicat idem Auctor tract. de Ordine q. 3. sect. 4. ibi :* De Hermaphroditis etiam, habentibus scilicet utrumque sexum, notant DD. si in ijs prævaleat sexus masculinus, haberi sicut viros, esseque capaces Ordinum : quàmvis sint irregulares, atque adeò dispensatione indigeant, nec licitè ordinentur ; si autem prævaleat sexus fœmineus, haberi sicut alias fœminas, & esse incapaces. Ut enim docuit Aristoteles lib. 4. de Gener. animalium. c. 4. Unus sexus in iis prævalet, & alter est inutilis : & ita ad unum vel alterum reducuntur.

valet sexus masculinus, potest validè ordinari, sed non licitè.

Aristoteles.

Quòd si contingat, quempiam esse in utroque æqualem, censetur etiam incapax Ordinum ; quia non magis est vir, quàm fœmina, cùm oporteat esse simpliciter virum. Videtur autem in utroque esse æqualis, si posset quidem utroque uti, quàmvis alioqui magis in unum vel alterum pendeat. Hactenùs Aversa.

554. *Etiam invalidè, qui in utroque est æqualis.*

Et sanè juxtà hanc explicationem, verissimè docuit Sanchez, Matrimonium esse irritum jure naturæ, quod contrahitur in sexu minùs valenti, ut patet ex dictis. An autem ipse sic intellexerit, relinquo judicio aliorum. Dicastillo & Perez existimant, etiam inter utrumque sexum utilem seu potentem, unum alteri prævalere posse, & nihilominùs Matrimonium in sexu minùs valenti esse validum.

Sed cur etiam similiter Ordinatio aut Professio non valeat ? Respondetur : quia illam Christus noluit valere ; hanc autem irritavit Ecclesia, propter rationes sup. ex Sanchio allegatas. Constat autem Ecclesiam admittere Matrimonium tamquam validum, quod contrahitur in sexu æquali.

555. *Cur minùs Ordinatio valeat, quàm Matr.*

Atque ex his sit impositus finis huic Conclusioni & Sectioni, in qua plura occurrissent dicenda & dixissem, nisi timuissem offendere castas aures. Commune quidem dictum est : *Omnia munda mundis* ; attamen qui mundi sunt, sæpè renuunt audire immunda, ne fortè & ipsi fiant immundi. Qui plura de hoc impedimento desiderat, adeat Sanchium & inveniet. Ego progrediar ad impedimentum disparis cultûs, pro quo instituitur.

SECTIO XI.

DE

IMPEDIMENTO DISPARIS CULTUS.

1. *An sit sententia Richardi, infideles non posse contrahere Matr.* Scotus.



Doctor Subtilis 4. dist. 39. q. unicâ : *Vtrùm disparitas cultûs impediat Matrimonium ?* postquam n. 1. pro & contrà disputavit, n. 2. sic ait : *Hìc sunt duo videnda. Primùm, quomodo infideles possunt contrahere, vel habere conjugium, & quomodo fidelis cum infideli. De primo dicitur, quòd non.*

Rogas : quis hoc dicat ? Sententiam Richardi, dicentis, inter infideles non posse esse Matrimonium &c. rejicit Doctor, inquit Scholiastes ibi.

Sed reverà id non dicit Richardus, ut poteris colligere ex ejus verbis, quæ subjicio. Dico (inquit ille 4. dist. 39. a. 1. q. 2.) quòd inter infideles non potest esse Matrimonium ratum : quia, ut ostensum est in arguendo, tale Matri-

Videtur quòd non.

monium

monium ſeparabile eſt per alterius converſionem ad fidem, altero in infidelitate remanente: ſed inter eos poteſt eſſe Matrimonium legitimum; quia nec lege naturæ, nec lege divinâ prohibentur matrimonialiter copulari, nec per aliquam conſtitutionem Eccleſiæ: quia ſecundùm Apoſtolum 1. Cor 5. Eccleſia non judicat de his, qui foris ſunt.

2. Et ad q. 3. Utrùm Matrimonium, contractum inter infideles, excuſet eorum carnalem concubitum? Reſpondet: Quòd bona Matrimonij, ſecundùm quod ſunt in Matrimonio, excuſant conjugum carnalem concubitum, & quia in Matrimonio fidelium ſunt completè: ideò ſecundùm quod ſunt in intentione conjugum, carnaliter concumbentium, ita completè excuſant illum actum, quòd etiam ipſum reddant meritorium: in Matrimonio infidelium ſunt incompletè; quia ibi non eſt bonum Sacramenti, niſi ſecundum quid; etſi ſit ibi fides ad hominem, non refertur ordinatè in Deum: quàmvis etiam ſit ibi prolis ſuſceptio; non tamen eſt ejus educatio ad cultum divinum: & ideò prædicta bona ſecundùm quod ſunt in Matrimonio infidelium, ipſorum carnalem concubitum non poſſunt reddere meritorium, ipſum tamen excuſant à peccato. Ita Richardus.

Bona Matr. ſunt completè in Matr. fidelium, incompletè in Matr. infidelium.

Quid doceat Richardus.

Et quomodo poſſent excuſare, ſi inter infideles non foret Matrimonium? Igitur Richardus non dixit, inter infideles non poſſe eſſe Matrimonium; ſed cum ſententia verè Catholica docuit, Matrimonium infidelium non eſſe omninò indiſſolubile; ſed ſeparabile per alterius converſionem ad fidem. Quod qualiter intelligendum ſit, alibi latiùs diximus. Secundò, copulam carnalem inter eos non eſſe meritoriam vitæ æternæ, defectu ordinatæ relationis in Deum, in quo nihil reprehenſibile eſt.

3. *Immeritò citatur pro illa ſententia.*

Immeritò ergò citatur Richardus, quaſi docuiſſet, inter infideles non poſſe eſſe Matrimonium, ſcilicet in ratione contractûs naturalis, & Sacramenti latè dicti. Enimverò ſcriptum eſt cap. *Quanto*, 7. de Divort. *Nam etſi Matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum.* Et cap. 8. eod. *Super quo taliter reſpondemus: quòd cum Sacramentum conjugij apud fideles & infideles exiſtat, quemadmodum oſtendit Apoſtolus, dicens: Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc conſentit habitare cum eo, non illam dimittat.* Sit igitur,

deles non poſſint contrahere, vel habere conjugium.

Prima pars in oppoſitum.

Prima eſt: quia ibi non poteſt eſſe bonum fidei ex parte infidelis: quia non eſt fidelis Deo, igitur nec proximo.

Reſp. Scoti.

Reſpondet Scotus ſup. *Fides, id eſt, fidelitas, ſervari poteſt ſine fide, quâ creditur in Deum: & hanc ſervant infideles fidelibus in contractibus, & è converſo: & habetur per Auguſt. in Epiſt. ad Publicolam: non enim ſequitur, non vult ſervare fidem iſtam ad Deum, à qua dicuntur Chriſtiani fideles: ergò non vult ſervare fidem, id eſt, fidelitatem proximo: tum; quia non ſequitur, non vult ſervare perfectius: igitur nec minùs perfectum: tum etiam; quia non poteſt attingere per rationem naturalem ad obſervantiam hujus fidei, ſicut illius.*

Fides in Matr. non eſt fides ad Deum, ſed ad conjugem.

Jam autem fides, ſeu bonum fidei, quod requiritur ex natura contractûs Matrimonij, non eſt fides ad Deum, ſed fidelitas ad proximum; ſcilicet in reddendo debitum conjugi, & non cognoſcendo alterum, quæ poteſt reperiri inter infideles, ut clarum eſt; neque id negat Richardus; ſed ſolùm vult, hanc fidem non eſſe meritoriam vitæ æternæ, ſinè vera fide in Deum: Quia juxtà Apoſtolum, ſinè fide impoſſibile eſt placere Deo. Atque hæc de prima ratione.

Secunda ratio. 5.

Secunda exprimitur apud Scotum hiſce verbis: Quia ex parte ejus non eſt bonum prolis, quia, quantùm in ipſo eſt, educaret prolem in ritu ſuo, & ita non religiosè.

Reſp. Scoti.

Reſpondet ipſe ſup. n. 3. *Vult educare prolem, quantùm poteſt per rationem naturalem noſcere, ipſam eſſe educandam: igitur non potes plus habere, niſi quòd non eſt ibi perfectum bonum prolis, ſcilicet ut educetur ad cultum Dei: nec mirum, quia educator non novit, ipſam ſic eſſe educandam.*

Sed nunquid Richardus ſup. plus vult habere? Nequaquam, ut patet ex ejus verbis; ſolùm enim negat in tali Matrimonio bonum perfectum ſeu completum prolis, quod quidem requiritur ad benè eſſe Matrimonij, & ad actum conjugalem meritorium; non tamen ad eſſe ſimpliciter: nam (ut notat Hiquæus in ſuo Comment. ad d. locum Scoti n. 5.) bonum prolis ſecundùm naturam eſt illud, quod intrinſecum eſt contractui: unde conditio huic repugnans, nempè propagationi, repugnat etiam contractui: bonum autem educationis, eſt finis extrinſecus contractûs, & obligat in debito tantùm: ſive enim in eventu ſequatur bona vel mala educatio, aut contemptus ejus, ut ſi proles exponatur, non tollit vinculum Matrimonij, licèt ſit peccatum; debitum enim præcepti tranſgreſſum non annullat contractum, quia non eſt contrà ſubſtantiam ejus illa tranſgreſſio: neque ipſum præceptum obligat ignorantem ſimpliciter & invincibiliter; obligat enim ſecundùm naturam & modum cognitionis ſeu regulæ. Hæc ille.

6. *Quod ſit bonum prolis intrinſecum Matr. ex Hiquæo.*

Quare cap. fin. De Condit. appoſit. inter conditiones contrà ſubſtantiam Matrimonij non numeratur: *ſi malè educaveris prolem*, 7. *Mala educatio non*

CONCLUSIO I.

Infideles poſſunt contrahere & habere verum conjugium.

4. *Probatur Concluſ. ex c. 7. & 8. de Divort.*

PAtet ſufficienter ex Textibus jamjam allegatis, qui ſunt Innoc. III. Pontificis: ut proinde de hac veritate non ſit relictus ambigendi locus; nec ſcio quempiam Catholicum ambigere. Interim placet audire rationes, propter quas, apud Scotum ſup. dicitur, quod infi-

est conditio contrà substantiam Matr.

sed: *Si generationem prolis evites.* Alioquin nec inter hæreticos posset esse Matrimonium, qui etsi sciant prolem educandam esse ad verum cultum Dei, tamen moraliter certò non educabunt. Igitur nec secunda ratio quempiam movere debet.

Tertia ratio.

Sed neque tertia, quæ talis est: Quia ibi non est bonum Sacramenti; quia infidelis, ex quo non habet primum Sacramentum, non est capax aliorum, ut probatur extrà de Presbyt. non baptiz. cap. 1.

8. *Non concludit, ex Scoto.*

Respondet Scotus sup. *Omnibus contractibus Matrimonij, præcedentibus legem Evangelicam, non fuit annexum Sacramentum propriè dictum; nec fuisset annexum contractui in statu innocentiæ, si semper in illo mansisset, sicut dictum est sup. dist. 26. nec tamen tunc defecisset aliquid de perfectione, pertinente ad contractum Matrimonij.*

Intelligitur de perfectione intrinseca, sive intrinsecè & essentialiter pertinente ad contractum Matrimonij, ut est in officium naturæ & remedium concupiscentiæ. Alioquì certum est, quòd defecisset aliqua perfectio extrinseca, seu pertinens ad contractum Matrimonij, ut est causa efficax gratiæ ex opere operato.

9. *Antè legem Evangelicam defuit aliqua perfectio extrinseca. Matr.*

Imò & antè legem Evangelicam defuit aliqua perfectio, quæ in statu innocentiæ non defuisset, scilicet omnimoda indissolubilitas: nam contractum antè legem Evangelicam poterat in aliquo casu dissolvi, scilicet dum altera pars convertebatur ad veram Christi fidem, alterâ nolente cohabitare, quod Doct. Subtilis non potest, nec verò intendit negare.

Atque has perfectiones extrinsecas, & non aliam intrinsecam Richardus sup. voluit negare Matrimonio infidelium, ut patet ex verbis ejus sup. relatis ex q. 2. & ijs, quæ immediatè subdit, putà: Quàmvis autem illud Matrimonium non sit Sacramentum, cùm sit separabile: quia nullum Sacramentum antè Baptismum suscipi potest: tamen est in officium naturæ, & quoddam fœdus societatis humanæ. Sic ille. Quare existimo Richardum & Scotum optimè in hac re consentire, ut plenius ostendam ex ipso Scoto.

10. *Quarta difficultas.*

Hic enim sup. duo alia subtiliter excogitavit dubia, quæ, ut dicit, faciunt difficultatem. *Unum* (inquit) *quomodo infidelis potest dare corpus suum alteri, cùm non faciat hoc innitens approbationi legis divinæ, quia illam ignorat, & sinè illa non potest simpliciter dare, vel saltem non potest licitè dare, nisi in virtute approbationis Domini superioris.* Ecce prima difficultas.

Solutio Scoti.

Ad quam *Potest dici* (inquit Scotus sup. n. 4.) *quòd Deus post lapsum generaliter licentiavit omnes ad talem commutationem, non tantùm propter primum finem, scilicet propter officium; sed etiam propter secundum, scilicet in remedium; & tunc utentes commutatione istâ, licèt nesciant se licentiatos, quia ignorant legem Dei, non tamen peccant. Sicut in alijs licentijs, licèt quis nesciat se licentiatum, dum tamen non sciat illud, quod agit, esse illicitum, non peccat. Probabile enim est, quòd à principio, ex virtute illius licentiæ divinæ, vel præcepti, inolevit usus contrahendi Matrimonium etiam apud infideles: quia à Patribus suis secundùm quamdam consuetudinem derivatam hoc acceperunt.*

Et licèt primi infideles nollent sequi Patres in fide, quæ est ad Deum; tamen in isto imitati sunt eos: nec mirum; quia hoc est de lege naturæ secundario, ut dictum est sup. & ideò valdè consonum mentibus singulorum.

Unde Philosophi Gentiles Matrimonium referebant in leges societatis humanæ ac propagationis, inclinationemque naturæ.

Utentes ergò hoc contractu (inquit Hiquæus sup. n. 7.) licèt nescirent legem Dei in particulari, non peccabant; sicut in alijs contractibus, qui lege firmantur Superioris, modò contrahentes sint habiles, & servent in re ipsâ ea, quæ spectant ad substantiam contractûs, à lege firmati, licèt ipsam legem nesciant, contractus erit validus; quia lex intendit servari solemnitates, & formam præscriptam, non verò scientiam sui, quæ præsumitur in singulis, supposità promulgatione sufficienti; non peccant, inquam, contrahentes observatis requisitis, modò existiment licitum esse contractum. Sic ille.

11. *Infideles contrahendo Matr. non peccabant, ex Hiquæo.*

Esto etiam (prosequitur Scotus sup.) *quod nullo modo licitè transtulissent* (dominium corporum suorum) *transtulerunt tamen, ex quo Dominus superior omnibus concessit transferre, non tantùm fidelibus, sed etiam infidelibus. Igitur ex parte Domini superioris erat fortè translatio illa licita: & ad minùs aliqua, & ex parte contrahentium, firma & justa, licèt non completa: tamen non injusta, si servabant conditiones, quas servandas indicabat ratio naturalis.*

12. *Esto peccassent, tamen validè contraxissent, ex Scoto.*

Hæc littera (inquit Hiquæus sup. n. 8.) est aliquantulum obscura: nam si nullo modo licita, quomodo potest esse licita ex parte Domini superioris ipsa translatio, aut justa & firma ex parte contrahentium?

Hiquæus.

Sed facilis est ejus sensus: nam superiùs dixit, infideles habuisse notitiam contractûs veri & legitimi per traditionem, & licèt non sciebant legem Dei, ex qua contractus ille firmabatur, & institutus fuit; tamen sciebant contractum valere ex usu & traditione, quod sufficiebat, quando reliqua servabantur ad valorem necessaria; ac proinde habuerunt regulam, ex qua judicarent positivè, contractum fuisse licitum.

Explicatur mens Scoti.

Hìc autem quando dicit; etiamsi nescirent contractum esse ullo modo licitum, intelligit; etiamsi non haberent regulam extrinsecam cognitam, per quam scirent approbari contractum, eo tamen ipso, quo judicabant non esse illicitum, licèt non scirent ullo modo esse licitum, id est, lege aliquâ superiori approbatum, licitè contrahebant, supposità potestate factâ à Deo contrahendi, quam ipsi non cognoscebant ex hypothesi ignorantiæ (quam tamen non admittit Doctor, sed hæc dicit ad confirmationem superioris responsionis à loco à majori ad minus) licèt etiam non cognoscerent

13. *Quomodo licitè contraxerint.*

esse

eſſe illicitum aut prohibitum, tenebat tranſlatio in virtute legis ſuperioris, & ſic fuit rata, & ſubjecta legi Dei. Hucuſque Hiquæus.

14. *Quare dicat Scotus: Et ad minùs aliqua &c.*

Porrò addit Scotus: *Et ad minùs aliqua, & ex parte contrahentium firma & juſta, licèt non completa; tamen non injuſta* &c. Quia ſup. diſt. 33. q. 3. n. 5. dixerat: *Completa juſtitia non eſt in iſta commutatione, vel contractu matrimoniali, niſi ex ratificatione divina, licèt antè in ea inveniatur illud, quod ſufficit ad juſtitiam ex parte commutationis & commutantium.*

Alioquì, ſicut cæteri contractus ex conſenſu partium diſſolvuntur, tametſi aliàs ex forma ſua & voluntate contrahentium ſint perpetui, niſi lex ſuperior aliud diſpoſuerit; ita & contractus Matrimonij diſſolvi poſſet, niſi lex Dei aliud diſpoſuiſſet. Hæc autem lex, ut afficit contractum, ſupplet ignorantiam contrahentium, & valet contractus etiàm ex vi ejus, dummodò reverà ſerventur omnia, quæ præſcripſerit.

15. *Inter Gentiles plurima Matrim. fiunt irrita, ex Hiquæo.*

Unde (inquit Hiquæus ſup. n. 9.) ſi contraherent ad tempus tantùm Matrimonium, aut ſi mulier contraheret cum pluribus ſimul ex ignorantia legis, non validat contractum, licèt contrahentes in tali ignorantia, ſi dari poſſet, invincibili non peccarent. Hinc adducit Doct. illam exceptionem, quâ dicit aliqua fuiſſe valida, nempè illa Matrimonia, quæ ſervabant in re ipsâ omnia præſcripta à lege divina: dubium enim non eſt, inter Gentiles plurima Matrimonia fieri irrita, quia fiunt contrà illam legem. Hæc ille.

16. *Quare Scotus dicat, fortè aliqua Matr. eſſe valida, ex eod.*

Et n. 10. quærit: cur non dicat Doctor hæc Matrimonia, ſervatis reliquis, eſſe abſolutè valida, ſed fortè eſſe valida?

Reſpondet autem: rectè eum dubitare, non quòd Matrimonia, ſervatis omnibus requiſitis, non ſint valida: ſed dubitat, an Matrimonia talia, cum omni ignorantia legis divinæ in ſeipſa, aut per traditionem aliquam, facta, poſſint ſervare omnia requiſita ad ſubſtantiam contractûs, & debitum conſenſum, cum omni ignorantia regulæ, per quam ille conſenſus deberet regulari, & ex qua deberet concipi in ſpecie. Hinc dicit; fortè aliqua fore valida; conſenſus enim ut teneat, debet eſſe liber, & ſecundùm aliquam regulam, quæ dictat omnia per ſe requiſita ad ipſum contractum; aliàs non erit conſenſus idoneus, inducens obligationem in ſpecie.

17. *An, ſuppoſitâ ignorantiâ legis divinæ, contractus Matr. infidelium eſſet ſolubilis? Opinio Hiquæi.*

Unde ſuppoſitâ ignorantiâ legis divinæ, quæ dat formam & ſtabilitatem contractui, regulatur tantùm contractus per lumen naturale, & regulas communes juſtitiæ commutativæ, & tenebit tantùm juxtà naturam præſentis conſenſûs, cui ſi ſubſit dolus aut deceptio notabilis, etiam in qualitate, aut ſi retractetur ex communi partium conſenſu, erit nullus ex communibus regulis juſtitiæ: quia ſortitur legem & inſolubilitatem ex natura conſenſûs, ut regulati per tales regulas, ſuſpenſo conſenſu ex intentione contrahentis ad eas conditiones, quæ etſi jure divino non vitient contractum; tamen ut refertur ad intentionem contrahentis, non conſentientis aliter, quàm ſervatâ illâ conditione, non tenebit. Sic ille.

Si objicias: legem divinam excludere ejuſmodi conditiones: & ideò iis oppoſitis non vitiari contractum. 18. *Impugnatur.*

Reſpondet n. 11. legem divinam excludere ejuſmodi conditiones aliquas: exigere tamen conſenſum abſolutum in ipſum contractum: unde dum conſenſus inhæret conditioni, nequit dici abſolutus, ſed conditionatus, & ſuſpenditur, donec conditio purificetur, quâ ſubtractâ, ex natura conſenſus fit nullus. Poſſunt etiam Matrimonia iniri ex tali ignorantia cum conditionibus, irritantibus jure ipſo divino contractum, ut ſi ſint contrà ſubſtantiam, aut finem ejus, vel inter perſonas jure divino inhabiles ad contractum, ut inter impotentes & ejuſmodi. Illa ergò exceptio Doctoris excludit ejuſmodi contractus, qui ex defectu conſenſûs neceſſarij inter infideles eſſe poſſunt ob ignorantiam, vel quia apponere poſſunt conditiones contrà ſubſtantiam contractûs, vel quia ipſi ſunt inhabiles ad contractum jure divino. Hucuſque Hiquæus. *Defenditur.*

Ego non dubito, quin infideles poſſint invalidè contrahere, utì & fideles; ſed puto, valere contractum cum ignorantia indiſſolubilitatis, aut deceptione notabili in ſola qualitate, v.g. in pulchritudine, niſi ad hanc, aut ad diſſolubilitatem contrahens expreſsè limitaſſet ſuam intentionem, adeò, ut nollet aliter contrahere, prout patet ex alibi à me dictis. Et hæc ſatis de prima difficultate Scoti. 19. *Judicium Auctoris.*

Venio ad ſecundam, quam hiſce verbis ſup. n. 3. proponit: *Secundum eſt; quia cùm Matrimonium eſſentialiter includat indiſſolubilitatem, quomodo infidelis contrahit Matrimonium, cùm illud ſit diſſolubile, ſi poſteà alter conjugum convertatur ad fidem, ſinè altero: poteſt enim tunc diſcedere: & iſtam rationem ponit Magiſter in litera, dicens: Matrimonium illud non eſſe ratum, licèt legitimum.* *Ultima difficultas ex Scoto.*

Reſpondet Doct. ſup. n. 4. *Rata erant, niſi ſuperveniret aliquod fortius vinculum, cum quo non poſſet ſtare iſtud: cujuſmodi eſt obligatio nova ad Deum per fidei ſuſceptionem, quando alter conjux nollet commorari abſque impedimento illius fidei, ad quam magis tenetur, quàm ad vinculum conjugale. Eſt igitur ratum ſtantibus eiſdem conditionibus extremorum; ſed non eſt ratum pro tunc, pro quanto fortius vinculum ſuperveniret, cui obſervantia illius vinculi repugnaret.* 20. *Solutio ex eod. qualiter Matrimonia infidelium ſint rata.*

Sed de hac difficultate, ſeu diſſolubilitate Matrimonij infidelium, quando unus convertitur ad fidem, altero nolente cohabitare, diffusè tractavimus præced. Parte hujus Operis Sect. 12. Concluſ. 4. Videantur ibi dicta.

Solùm hic noto; Richardum ſup. non diſſentire à Scoto, tametſi neget, Matrimonia infidelium fuiſſe rata, quod Scotus affirmat, ut audivimus. Etenim ly *Rata*, diverſimodè ab eis intelligitur; à Richardo quidem eo modo, quo cap. *Quanto*, de Divort. dicuntur Matrimonia fidelium eſſe rata, id eſt, indiſſolubilia, durante vita conjugum: *Quia* (inquit Textus) *Sacramentum fidei* (id eſt, Baptiſmus) *quod ſemel eſt* 21. *Richardus non diſſentit à Scoto hic.*

admissum, numquam amittitur; sed ratum efficit conjugij Sacramentum, ut ipsum in conjugibus eo durante perduret.

Atque hoc modo fuisse, aut esse rata Matrimonia infidelium, negat Richardus, & meritò. At verò Scotus affirmat fuisse rata, id est, insolubilia, servatis servandis, & perseverando in illo statu, id est, ut loquitur, nisi superveniret fortius vinculum ad Deum per susceptionem fidei. Et sic patet, quomodo illi Doctores optimè, ut sup. dixi, inter se conveniant in hoc puncto, putà: *Infideles possunt contrahere, & habere verum conjugium.*

Nunquid etiam infidelis & fidelis? Resolutio erit.

CONCLUSIO II.

Matrimonium baptizati cum non baptizato irritum est solo jure Ecclesiastico.

22. *Potest esse Matr. inter fidelem & infidelem. Probat Scotus ex Apost. 1. Cor. 7.*

DE *secundo articulo* (inquit Scotus sup. n. 5.) *aliud est, esse inter aliquos Matrimonium, vel contrahi simpliciter & absolutè: & aliud, licitè & honestè. Posse autem esse Matrimonium inter fidelem & infidelem primo modo, necesse est dicere, & etiam secundo. Probatur utrumque per illud Apostoli*: Vir fidelis non dimittat uxorem infidelem, quæ consentit habitare cum eo. *Si enim non esset Matrimonium, suaderet fornicationem; si autem non esset hoc licitum & honestum, Apostolus non consuleret. Sic igitur patet, qualiter potest esse Matrimonium inter fidelem, & infidelem; & rationes adductæ ad primum articulum possent adduci contra istud: sed patet prius earum solutio.* Hoc supposito tamquam indubitato,

An possit etiam contrahi.

Quærit Scotus suprà: *Nunquid igitur potest contrahi?* Hæc est præsens controversia, & quàmvis Omnes supponant, non posse; equidem disputant, quo jurè tale Matrimonium sit invalidum, putà, Matrimonium fidelis cum infideli, id est, baptizati cum non baptizato.

23. *Affirmat Scotus. quantùm est ex jure divino; secùs de jure Ecclesiæ.*

Doct. Subtilis ad propositam à se quæstionem, Respondet; *Quòd sic, quantùm est ex jure divino: quia ex illo non magis habetur, quòd contractus sit nullus, quam quòd obligatio ex contractu priori sit nulla: quia non posito novo impedimento, qui potest esse alterius, potest se dare alteri. Sed de jure positivo Ecclesiæ simpliciter non potest: quia Ecclesia illegitimavit fidelem non simpliciter, sed respectu infidelis, sicut patet in auctoritate adducta ad oppositum, 28. q. 1.*

24. *Refertur duplex jus Ecclesiæ, ex 28. q. 1.*

Auctoritas ibi adducta, est sequentis tenoris: *Ut non nisi ejusdem religionis & fidei maneant copulata conjugia.* Item: *Cave, non nisi baptizata sumatur in conjugium; quia Baptismus est primum Sacramentum.*

Primum expenditur.

Priora verba habentur cap. 9. quod desumptum est ex D. Aug. lib. 1. de Adulter. conjugijs c. 18. & sequentibus. Aft non sunt verba D. Aug. sed Pollentij, cum quo ibi disputat Aug. de illis verbis Apostoli 1. Cor. 7. *Cæteris autem ego dico, non Dominus* &c. disputat, inquam, an fidelis conversus debeat recedere ab infideli, & resolvit; quòd licèt possit, equidem non expediat, quando pacificè vult cohabitare.

Audi Glossam ibi verb. *Tu verò*: *Hic incipit tertia pars, in qua ponitur expositio Pollentij, & ratio suæ expositionis. Dicebat enim*: Dico, *id est, præcipio, &*, Non Dominus *dicit, id est, præcipit. Nam si Dominus præciperet, ut fidelis non dimitteret infidelem, esset sibi contrarius: quia in veteri Testamento conjugia fidelium & infidelium prohibuit, dicens*: Non accipies &c. 25. *Ostenditur, verba non esse D. Aug. per Gloss. ibi.*

Sed opponit Aug. Ergò secundùm hoc Apostolus est contrarius veteri Testamento, & Domino magistro suo. Sed huic oppositioni respondit Pollentius, dicens; quòd in alio casu loquitur prohibitio Domini in veteri Testamento, & in alio Apostoli præceptum. Illa enim loquitur in Matrimonijs contrahendis: istud autem de jam contractis. Prohibet etiam Dominus, ne diversæ Religionis conjugia jam contracta dissolvantur, & sic Apostolus non est contrarius Domino.

Sed replicat Aug. dicens, sibi placere, quod dicit, Apostolum non esse contrarium Domino, nec veteri Testamento: & ita concludit, quòd illa non est bona ratio, quare Dominus non præcipit: quia esset contrarius ei, quod dixerat in veteri Testamento: quod falsum est, cùm ibi intelligatur de conjungendis, hìc verò de jam conjunctis. Et ita si aliud præcepisset ibi, & aliud hìc, non esset sibi contrarius: & quia non est bona ratio, nec aliam vales invenire, patet, quòd tua expositio nullius est momenti, & sic in Pollentium victoriosè concludit. Hactenùs Glossa.

Ex qua liquido constat, verba præallegata Pollentij: *Vt non nisi* &c. nullatenùs concludere intentum Scoti. Sed si aliquid probarent, esset itritatio, vel prohibitio juris divini; sic enim ait Pollentius: *Hoc est ergò Domini præceptum, tam in veteri, quàm in novo Testamento, ut non nisi unius religionis* &c. 26. *Et ideò non concludunt intentum Scoti.*

Quod attinet ad alium textum: *Cave* &c. hæc sunt verba propria: *Cave Christiane, Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere. Cave, inquam, Gentilem aut Iudæam, atque alienigenam, hoc est, hæreticam, & omnem alienam à fide tua, uxorem accersas tibi. Prima conjugij fides, castitatis gratia est.* Et infrà: *Si Christiana sit, non est satis: nisi ambo initiati sitis Sacramento Baptismatis.* Ita Ambros. in lib. de Patriarchis lib. 1. de Abraham c. 9. *Referuntur propria verba 2. textus.*

Quæ verba, solitariè spectata, de sola prohibitione commodè possunt intelligi. Et quid ni debeant, cùm meminerint hæreticorum, inter quos tamen & Christianos valet Matrimonium, ut infrà videbimus? 27. *Possunt commodè intelligi de sola prohibitione.*

Nisi aliquis dixerit, per hæreticos intellexisse Ambr. non baptizatos, qui profitentur Religionem Catholicam, & adhuc non totam ejus fidem tenent. *Pone* (inquit Gloss. ibi verb. *Alienam*) *quòd aliquis hæreticus nunquam fuit baptizatus, voluit baptizari, sed non habuit aquam; constat ei omnia peccata dimissa esse, etiam originale, nunquid potest contrahere Matrimonium cum Christiana? Dicit Hugo, quòd non; quia janua omnium Sacramen-*

cramentorum est Baptismus. Ubi vocat hæreticum, qui nunquam fuit baptizatus.

28. *Non est verisimile D. Ambr. ôi voluisse statuere præceptum universale.*

Utut sit de hoc (quod infrà latiùs examinabimus) non est verisimile, Amb. ibi voluisse statuere novum aliquod & universale præceptum, cum non foret Episcopus universalis, sed particularis Ecclesiæ Mediolanensis. Et nullum est verbum, quod significat irritationem, & non possit explicari de nuda prohibitione, sive divinâ, sive humanâ.

Eodem modo possunt exponi cap. 16. eâd.

Uti etiam verba cap. 16. eâd. desumpta ex Concil. Agathensi c. 67. & Laodic. c. 31. *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & Catholicos.* Ut omittam Concilium hoc non fuisse Generale.

Item cap. 17.

Sicut nec Concilium Urbanense, ex quo eâd. cap. 17. refertur: *Si quis judaicæ pravitati conjugali societate conjungitur, sive Christiana Judæo, sive Judæa Christiano mulier carnali consortio misceatur, quicumque eorum tantum nefas admisisse cognoscitur, à Christiano cœtu atque convivio, & à communione Ecclesiæ penitùs segregetur.* Ubi in speciali prohibetur conjugium inter Judæum & Christianam, aut saltem ostenditur prohibitum.

29. *Similiter exponuntur alij Canones, inter quos,*

Alij plures extant Canones, in quibus similiter significatur, vel generaliter cum omni infideli illicitum esse contrahere, aut certè specialiter cum Iudæis, & insuper conjuncti separari jubentur. Tantùm subscribam Canones Generalis Concil. Nicæni.

Can. 53. Concil. Gener. Nicæni.

Ecce Can. 53. *Ut Christiani uxorem ducant ex quacumque generatione, modò ad fidem veniant; sed non debent Christiani dare filias suas nuptui infidelibus, ne ad errorem maritorum pervertantur, & fiant vel Judæa vel Gentiles propter infirmitatem, & qui non paruerit, a Synodo excommunicatur.*

30. *An etiam 67.*

Can. 67. sic sonat: *Quicumque duas mulieres in Matrimonium acceperit, ipse cum secunda excommunicetur; & quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa quoque à communione fidelium separetur, quæ si pœnitentiam maleficij egerit, & eum virum, quem habere non poterat, id est, infidelem dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur is, qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetq; ipsa infidelem relinquere. Erit autem pœnitentia ejus, qui ad fidem revertitur, & ejus, qui virum infidelem reliquit, ferre cilicium, dormire super cinerem, constituendumq; est eisdem de jejunio, & de bonis operibus, prout conveniat, & postea licebit cum fidelibus conversari, & communionem sacram accipere, & qui contradixerit, à Synodo excommunicatur.*

Hic videtur significare irritationem.

Ubi notandum in primis; aggravare pœnam contrà eos, qui contrahunt cum infidelibus, suprà pœnam, quam præscribit ducenti secundam uxorem, vivente priore, in quo casu Matrimonium communi sententiâ est nullum.

Prætereà; notanda illa verba: *Et cùm virum, quem habere non poterat, dimiserit:* quæ videntur sonare Matrimonij nullitatem.

31. Nec verò quis dicat; posse intelligi de separatione tori, ut de Matrimonijs, per Religiosos contractis, dicit Pontius lib. 7. cap. 19. n. 2. Hoc, inquam, in præsenti (scribit idem Auctor eod. lib. cap. 47. n. 6.) nullius momenti est: tum; quia ideò eo loco Canones aliquos sic interpretamur; quia ex multis alijs Canonibus, testimonijsque Patrum, valere Matrimonium Religiosorum demonstravimus. At in præsenti nullus est Canon, quo id convincatur. Tum etiam; quia, ut ex se constat, in eo casu erat strictum vinculum religionis, quo Deo & Prælatis tenebantur adstricti: & ideò non mirum, si in pœnam delicti separari juberentur, non dissoluto vinculo, quod in præsenti casu minimè reperitur. Non ergò est, cur tantùm de separatione quoad torum interpretemur. *Occurritur objectioni ex Pontio.*

32. *Ostenditur hanc legem sic fuisse intellectam. Primò.*

Et quidem ita intellectam esse hanc legem Ecclesiasticam, indicant duo vel tria. Primum est lex illa civilis Imperatorum, quæ connubium cum Iudæo ut adulterium puniri jubet, haud dubiè non eâ ratione punitura, si validum esset: *Neque Christianam mulierem in Matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudææ Christianus in conjugium societur. Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterij vicem commissi hujus crimen obtinebit, libertate in accusando publicis quòque vocibus relaxatâ.* lib. 5. C. Theodosiano ad l. Juliam de Adulterijs.

33. *Secundò.*

Alterum est; Canon Trullanus, qui planè docet, irrita hæreticorum conjugia, idque tamquam sæculo suo receptum, non noviter statutum: *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæreticâ, nec orthodoxam cum viro hæretico copulari; quòd si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.* can. 72. Quod à fortiori, de Matrimonio cum infideli, videtur esse receptum eo tempore, non ex alia lege superioris sæculi, quàm Nicænis Canonibus.

Tertiò.

Tertium est; Concil. Tolet. 4. cap. 62. quod jubet, ut *Iudæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis illius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christianæ efficiantur. Quòd si admoniti noluerint, separentur.* Refertur 28. q. 1. cap. 10. Hucusque Pontius.

34. *Occurrit Pontius cuidam objectioni.*

Et statim occurrit objectioni cuidam, dicens: Neque obstat: sanctissimam Monicam Matrimonio junctam homini infideli: tum; quia sicut aliquorum fidelium cum infidelibus conjugia excusat inspiratio divina; ita etiam alia excusat juris naturalis probabilis ignorantia, ut licitè fiant, & juris positivi, ut fiant validè. At Nicænos Canones ignotos fuisse Africanis, constat ex Concil. Carthag. 6. expressissimè, ubi à Cælestino petuntur sinceri Nicæni Canones; tantùm enim unus suprà viginti illis noti fuerant. Interfuit autem illi Concilio Augustinus jam Episcopus, ut constat ex eod. n. 8.

Tum etiam; quia cum eo tempore, in omnibus ferè, in quibus nunc dispensat Sedes Apostolica, dispensarent Episcopi, facilè ab illis dispensatum fuit, ut nuberent. Nam Hiero. lib. 1. contrà Jovinianum & Aug. lib. de Fide & operibus c. 19. suo tempore dicunt, fuisse frequen-

tissima ejusmodi connubia, & quàmvis sæpè reprehenderentur, tolerata tamen. Ita præfatus Auctor.

35. *Verùsputat, à multis sæculis irrita fuisse dicta Matr. lege Ecclesiæ rectè intellectâ.*

Quare n. 5. verùs existimat, Ecclesiasticâ lege, ejusque rectâ intelligentiâ, per manus derivatâ, esse à multis sæculis irrita conjugia fidelis cum infideli. At verò Sanchez sup. n. 8. sic loquitur: Fatendum quidem est, nullum esse textum, quo hæc irritatio inducatur, & ita eam non haberi ex lege aliqua Ecclesiastica scripta; sed ex receptissimo Ecclesiæ usu, vim legis obtinente, & ex Apostolorum traditione.

An Sanchez ab eo discrepet.

Ego puto, dictos Auctores non discrepare, sed optimè convenire: nam Pontius præter legem scriptam postulat rectam ejus intelligentiam, per manus derivatam: hæc autem intelligentia, quid aliud est, quàm receptissimus usus Ecclesiæ & Apostolorum traditio? Certum est, quòd multis legibus scriptis tale Matrimonium prohibeatur, & quòd nullâ lege scriptâ in terminis irritetur; adde: quòd multa prohibeantur, quæ non irritantur, juxtà illud cap. 16. de Regular. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.*

36. *Quid requiratur, ut lex prohibens etiam irritet.*

Ut autem lex actum, quem prohibet, etiam irritare censeatur, necesse est, ut contineat clausulas expresè irritantes; vel eo sensu fit usu recepta; vel concedat potestatem actûs conditionatè; vel denique prohibeat actum ratione effectûs permanentis. Igitur lex Ecclesiæ, quæ prohibet Matrimonium fidelis cum infideli, censetur istud etiam irritare, non quòd contineat clausulas expresè irritantes; sed quoniam eo sensu usu recepta sit.

37. *Quæ sit ratio hujus constitutionis, ex Scoto.*

Rogas: quæ ratio hujus constitutionis? *Hoc autem,* (inquit Scotus sup.) *Ecclesia rationabiliter ordinavit; quia hoc non potest congruè & honestè fieri: & ad hoc valent aliquæ rationes adductæ ad primum articulum: non enim est honestum, fidelem contrahere cum aliquo, ubi deficiat bonum prolis completum, quod est educatio ad cultum veri Dei; nec honestum est, fidelem contrahere, cui contractui non sit annexum Sacramentum fidei Christianæ, & etiam ubi non sit bonum Sacramenti, id est, indissolubilitas: quia conjugium Christianorum natum est habere hæc bona.* Scilicet perfecta & completa. Quæ tamen perfectio seu completio non requiritur ad essentiam rei; sed tantùm ad benè esse, ut superiùs notavi. Et hinc Matrimonium infidelium non est jure naturæ irritum, ut ostendi Conclus. præced. neque Matrimonium fidelis cum infideli; quia bona illa, saltem imperfectè, in eo reperiuntur.

38. *Consonat doct. Seraph.*

Appositè Doct. Seraphicus 4. dist. 39. a. 1. q. 2. in corp. *Dicendum, quòd Matrimonium est institutum in officium, & in remedium, & in Sacramentum, & ista tria complètè habet, secundùm quod est apud fideles. Apud infideles verò habet ista secundùm rationem semiplenam. Nam est in officium; quia est procreatio prolis legitimæ, sed non ad cultum Dei; apud fideles autem ad cultum Dei. Est in remedium; quia excusat coïtum à culpa mortali: Et rursus datur ibi gratia, remittens concupiscentiam ratione benedictionis adjunctæ. Apud infideles, maritali affectu uxores cognoscentes, est excusatio à culpa, sed non datur gratia, apud fideles utrumq; est. Item est etiam in Sacramentum apud fideles, quia signat unionem Dei & animæ, sive unionem divinæ naturæ & humanæ, non tantùm aptitudine, sed actu. Apud infideles verò aptitudine tantùm; & propterea ratio Sacramenti maximè consistit in ratificatione vinculi; apud infideles autem vinculum non habet ratificationem perfectam.* Ita D. Bonaventura

Postquam q. 1. docuisset sententiam Scoti, ut patet ex his, quæ subjicio: *Dicendum, quòd in veteri lege distinguendum erat inter infideles, quia quædam mulieres erant infideles, & erant de terra Chanaam, quam Dominus promiserat filijs Israël, propter illius gentis obstinationem in infidelitate, mandaveratq; eas occidendas: & de talibus prohibitum erat. Vnde si quis de populo Israël cum talibus contraheret, cùm esset contrà Domini præceptum* (irritans) *non erat Matrimonium. Quædam erant infideles de alijs nationibus, & de talibus non erat prohibitum, sed permissum & concessum, ubi non timebatur lapsus in idololatriam; sicut in Ioseph & Moyse,* quorum primus contraxit cum muliere Ægyptiacâ, secundus cum Æthiopissa, nec reprehenduntur. 39. *In veteri lege, secundùm eumdem, distinguebatur inter mulieres infideles.*

Ratio autem, quare prohibuit gentes illas, & non alias, fuit duplex: Vna; quia judicaverat omnes reos mortis. Alia; quia obstinatæ erant in malo. In novo Testamento alio modo est; quia infidelis est dupliciter. Aut; quia caret fide, aut, quia fidei Sacramento. Si quia fide tantùm, sic talis disparitas, ubi nota est, impedit Matrimonium; sed non dirimit jam contractum: ut si Catholicus contrahat cum hæretica baptizata. Si autem sit infidelis, quia caret fidei Sacramento, utputà Baptismo: quia Sacramentorum Ecclesiasticorum & fidelium janua & fundamentum est Baptismus, fidelis, qui contrahere habet secundùm Sacramenta Ecclesiæ, si cum tali contrahat, nihil facit, etiamsi sit fidelis, dum tamen non habet Baptismum. Vnde dirimit jam contractum. 40. *Ratio distinctionis.*

Cultûs verò disparitas præstabat impedimentum in lege veteri, non simpliciter, sed ubi metuebatur periculum, & divinum aderat judicium, & super hoc additum erat mandatum: sic & in nova impedit non simpliciter, sive de se, sed ob vitationem periculi, & diversitatem Sacramenti. Baptismi, & inhibitionem Ecclesiastici statuti. Igitur sinè hac inhibitione non foret impedimentum dirimens juxtà D. Bonavent. *Cultûs disparitas non dirimit, juxtà D. Bonav. seclusâ præcepto Ecclesiæ.*

Estque communior sententia, quæ optimè probatur à sufficienti enumeratione: utputà, disparitas cultûs non dirimit jure naturali divino, neque divino positivo; ergò solo jure Ecclesiastico. Prima pars antecedentis patet ex jam dictis: quia conjunctio fidelis cum infideli non adversatur omninò fini Matrimonij, sive primario, sive secundario, adeò ut etiam proles possit educari in cultû Christiano, & ex parte fidelis copula Matrimonialis possit esse meritoria, imò etiam ex parte infidelis, si habeat veram fidem sinè Baptismo. 41. *Probatur, quòd non dirimat jure naturæ.*

Enimverò in lege naturæ, Iacob contraxit Matrimonium cum filiabus Laban Ethnici, Gen.

29.

29. Ioseph cum filia Putipharis, Gen. 41. Moyses cum filia Iethro, Exod. 2. Item tale fuit Matrimonium Esther cum Assuero, Esther 2. Salomonis cum filia Pharaonis, Reg. 3. cap. 3. Et in lege gratiæ ea Matrimonia frequentissima fuisse, suprà diximus. Signum profectò, non fuisse irrita jure divino naturali,

42. *Sed neque divino positivo.*

Sed neque Divinum positivum uspiam in Scriptura reperitur, quod generaliter irritet hujusmodi Matrimonia. Tametsi verissimum sit, ea, per se loquendo, seu ut plurimùm, jure divino naturali esse vetita; tum propter periculum perversionis conjugis fidelis, & malæ educationis prolis; tum propter discordiam, natam oriri inter religione dispares, si mutuò cohabitent.

In veteri lege Deus prohibuit Matr. cum quibusdam Gentilibus.

Hinc Deut. 7. in principio Deus interdixit Matrimonium Hebræorum cum Gentilibus Hethæis, Gergezæis, Amorrhæis, Chananæis, Pherezæis, Hevæis & Iebuzæis, dicens: *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et ut scires, non fuisse præceptum judiciale tantùm, sed partim morale, rationem subjungit: *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat dijs alienis.*

Quæ eadem ratio ejusdem præcepti redditur 3. Regum. c. 11. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas &c. De gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israël:* Non ingredietmini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: *certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.*

43. *Contrà eam prohibitionem peccavit Salomon, ex Scoto.*

Quod fortè æterno suo malo expertus est Salomon, de quo Scotus sup. n. 8. *Ad illud* (inquit) *de Salomone, concedo, quòd ipse, sicut pessimus, & ingratissimus homo Deo suo, non solùm in hoc peccavit, quia alienigenas duxit contrà legem, etiam de gentibus specialiter prohibitis; sed etiam in multitudine mulierum: siquidem habuit secundùm unam litteram* (aliàs, translationem) *700. uxores quasi reginas, & 300. concubinas, cùm tamen diceret lex specialiter de Rege, Deuter.* 17. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus.

Quod fortè specialiter dixit Moyses, propter malitiam istius prævisam, ut si non compesceretur, saltem confunderetur, ne alij etiam eum imitarentur. Et quod pejus est, copulatus est eis amore ardentissimo intantùm, ut faceret eis idola & templa ad colendum Deos suos. Vnde non sine causa subjunxit Moyses sup. Quæ alliciant animum ejus. *Et hæc omnia aggravat singularis ingratitudo sapientiæ eminentis, sibi subitò à Deo concessæ, ita ut ista auctoritas* (inquantùm videtur probare, disparitatem cultûs non impedire) *non requirat responsionem, sed solam detestationem.* Ita Doc. Subt.

44. *Ostenditur prohibitio Matr. fidelis cum infideli, ex Apost. 2. Corr. 6.*

Appositè dixit Ecclesiasticus, 3. v. 27. *Qui amat periculum, in illo peribit:* Si Salomon vir tantâ sanctitate & sapientiâ prædituspe rijt in illo periculo, quis aliorum hominum tutus erit à lapsu? Quis est hic, & laudabimus eum? Et ideò benè Apostolus 2. Cor. 6. v. 14. monet fideles, dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

Quem utique locum D. Hier. lib. 1. ad Jovinianum, & alibi, intelligit de conjugio fidelis cum infideli. Quòd si de omni commercio cum infidelibus vitando, cum Theophylacto & communiter expositoribus eum locum interpretemur, à fortiori contractus Matrimonij interdictus censebitur, in quo est summa conjunctio & familiaritas. D. Hier.

Sed contrà, inquis: hoc videtur repugnare eidem Apostolo 1. Cor. 7. v. 12. & sequenti. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* 45. *Objectio ex Apost. 1. Cor. 7.*

Quem locum expendens Scotus sup. n. 6. *Si quæris,* inquit, *quare Apostolus suadet, Matrimonium inter infideles contractum, esse servandum post conversionem alterius: si enim propter aliquem bonum finem honestè servatur: igitur propter eumdem posset honestè contrahi.*

Respondeo: causa Apostoli patet ibi: Salvabitur, *inquit,* vir infidelis per mulierem fidelem. *Igitur servare Matrimonium prius contractum, est occasio convertendi conjugem infidelem; cessante autem evidenter causâ illâ, non debent insimul commanere: utputa si non consentit habitare cum converso; vel non sine injuria Creatoris, blasphemando scilicet vel sollicitando conversum ad infidelitatem: vitanda est enim tam singularis familiaritas cum quocumque contrariæ sectæ, nisi propter majus bonum.* *Solvitur ex Scoto.*

Ad propositum autem, contrahere de novo cum infideli, non est occasio probabilis ad expectandum tantum bonum, scilicet conversionem ejus: quia multùm amans conjugium, multa & magna faceret, ut illud attingeret, quæ non esset facturus ipso adepto: & ideò, si iste non vult converti in primo, ut posit habere conjugium cum Christiana, non est probabile, quòd ista postea lucretur eum; sed magis è converso, quia ille videtur abducere istam: & ideò cessat ratio tantæ familiaritatis ad infidelem, & manet ratio fugiendi illam familiaritatem: & ideò *idem Apostolus, qui consuluit manere conversum cum non conversa, dissuasit contrahere fidelem cum infideli.* 46. *Contrahere cum infideli, non est probabilis occasio conversionis ejus, ex eod.*

Propter scilicet multa inconvenientia, quæ ex tali Matrimonio nata sunt sequi, ut mala educatio prolis, cohabitatio non pacifica, periculum perversionis, impedimentum exercitij veræ religionis, & similia. Quæ omnia solùm probant, tale matrimonium esse illicitum. Nam absolutè, ut sup. diximus, & finis primarius, scilicet generatio prolis, & finis secundarius, nempè remedium concupiscentiæ, haberi possunt.

Nequaquam, reponit quispiam; quippè fidelis non tenetur reddere debitum. 47. *An fidelis teneatur reddere debitum infideli.*

Respondeo: proximè non tenetur, si alter nolit converti, aut pacificè cohabitare; alioqui remotè semper obligatur, quamdiu non contrahit aliud Matrimonium, spectando solum jus divinum.

Contrà; Esdræ 1. cap. 10. Esdras, convocatis universis filijs transmigrationis, præcepit repudiari uxores alienigenas, quod & factum est, 48. *Objectio ex 1. Esdræ c. 10.*

vers. 10. *Et surrexit Esdras Sacerdos & dixit ad eos: vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel. Et nunc date confessionem Domino Deo Patrum vestrorum, & facite placitum ejus & separamini à populis terræ & ab uxoribus alienigenis. Et respondit universa multitudo, dixitq; voce magnâ: Iuxtà verbum tuum ad nos, sic fiat.* Ergò in lege veteri hujusmodi Matrimonia erant invalida, si non ex natura rei, saltem ex præcepto divino superraddito. Ergò & nunc irrita sunt.

Solvitur ex Sanchez. Respondet Sanchez lib. 7. disp. 71. n. 7. Id præceptum, quatenùs irritans prædicta Matrimonia, judiciale fuisse; ac proindè morte Christi expirasse, vel ex eo manifestum est, quòd cum solis infidelibus, incolis terræ Chanaan, conjugia interdicta sint. Quare cum 1. Esdræ cap. 9. numerantur Ægyptij inter eos infideles, sermo est de Ægyptijs, ejusdem terræ Chanaan incolis, ut notavit Cajetanus. Hæc ille. Rationes autem, quare potiùs Matrimonia cum eis infidelibus, quàm alijs, Deus irritaverit, habes sup. apud D. Bonav.

49. *Aliqua Matr. in veteri lege cum infidelibus fuerunt licita.* Certum est, Esther nupsisse Assuero post d. legem, cujus tamen Matrimonium à nullo reprehenditur, multò minùs irritum fuisse judicatur. Salomon quòque, cùm adhuc placeret Domino, nupsit filiæ Pharaonis, quæ non erat incola terræ Chanaan; & proindè licitum fuerat juxtà ac validum tale Matrimonium. Ergò tunc non erat lex aliqua divina, generaliter illegitimans fidelem respectu infidelis. Utì nec in lege naturæ, ut sup. ostendimus exemplo Ioseph & Moysis.

Occurritur objectioni, & Scoto. *Si arguas* (inquit Scotus sup. n. 7.) *saltem illa ratio naturalis tunc fuit, qua nunc est ratio illegitimandi. Respondeo: in illis casibus, de quibus nunc arguitur* (intelligit Matrimonium Ioseph & Moysis) *fortè erat probabile, quòd fidelis lucraretur infidelem, vel erat necessitas fugiendi majus inconveniens, cum certa confidentia de adjutorio divino, quòd fidelis non subverteretur per infidelem, & ita liceret hodie, nisi esset illegitimatio Ecclesiæ superradita. Vnde non oportet ordinationem Ecclesiæ fundari super naturalem rationem necessariam, sed sufficit, quòd super probabilem.* Id est, super periculum perversionis utplurimùm concomitans, quàmvis hìc & nunc in raro casu posset abesse.

50. *Resp. Scoti ad exemplum Esther.* Ad exemplum Esther respondet Scotus sup. *Non fuit prohibitum tempore legis Mosaicæ conjugium cum alienigenis, nisi cum illis Chananæis: illos enim voluit Dominus ex toto extirpari, ideò Esther non illicitè nupsit Assuero.*

Interim negare non possumus, quin si voluisset Deus, potuisset olim prohibere & irritare Matrimonium cum omnibus alienigenis, propter rationem naturalem, quæ nunc est ratio juris Ecclesiastici, sed non constat nobis voluisse; & ideò tunc permansit illæsum jus quodammodò naturale cum alijs, exceptis Chananæis, contrahendi.

51. *Probatur, hodie Matr. fidelis cum infideli esse irritum jure divino.* Estò, reponit quispiam; quòd tunc noluit facere, videtur hodie feciisse, elevando contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti; nequit autem esse Sacramentum fideli, contrahenti cum infideli, eò quòd hic sit Sacramenti incapax. Ergò in lege nova tale Matrimonium jure divino non solùm est prohibitum, sed etiam irritum.

Est sententia Vasquez. Ita docet Vasquez de Matr. Sacram. disp. 2. cap. 4. n. 19. & sequentibus, dicens: Perpetuò in Ecclesia Catholica post Christi adventum id observatum est, ut inter baptizatos, etiamsi alter tantùm, aut uterque hæreticus esset, legitimum & ratum esset Matrimonium; tum etiam inter infideles non baptizatos esset verum & legitimum; inter fidelem nondum baptizatum & infidelem similiter legitimum & verum esset; at inter baptizatum fidelem, aut hæreticum seu apostatam, & nondum baptizatum infidelem, aut etiam fidelem, & catechumenum, verum non esset Matrimonium, idque non Ecclesiasticâ constitutione aliquâ, sed divino jure, ut infrà videbimus.

52. *Fundamentum, quia hodie est Sacramentum.* Hujus discriminis nulla alia reddi potest ratio, nisi quòd post adventum Christi Matrimonium est Sacramentum propriè, & hoc verè recipi nequit, nisi à baptizatis: ut autem sit Sacramentum, oportet, ut uterque conjux baptizatus sit; alioquin, cùm utriusque consensus & verba seu nutus, & corpora pro materia illius, quatenùs Sacramentum est, esse debeant, si alter baptizatus non sit, verum non poterit esse Sacramentum. Ne autem hæc irreverentia fieret ex parte alterius huic contractui in nova lege, ut maneret in ratione sola contractûs legitimi, & non esset verum Sacramentum in baptizato, cùm tamen ratione Baptismi in eo esse deberet, divino jure effectum est, ut hujusmodi contractus Matrimonij, etiam in ratione contractûs, nullus maneret, neque legitimus esset: contrà verò, quia inter hæreticos baptizatos, & inter baptizatos, quorum alter hæreticus est, verum potest esse Sacramentum, manet etiam legitimus contractus, neque ullâ ratione irritus fit.

53. *Quare potius valeat Matr. utrique infideli.* Præterea: cùm in non baptizatis non sit ulla obligatio ex parte alicujus, efficiendi Matrimonium Sacramentum; sed tantùm legitimè contrahendi, si velint, & ita ex parte nullius fiat Matrimonio irreverentia, etiamsi non fiat Sacramentum, quia neuter illius secundùm rationem Sacramenti capax est, liberum illis manet, ut, si velint, contrahant Matrimonium, & illud verum atque legitimum sit; neque video quæ alia ratio prædicti discriminis assignari possit: ex hac igitur traditione rectè colligitur veritas Catholica, quam Ecclesia definivit (scilicet, Matrimonium in nova lege esse verum & propriè dictum Sacramentum) Scio sanè aliquos Scholasticos cum Soto existimasse, illud Matrimonium baptizati, cum non baptizata, irritum esse jure tantùm Ecclesiastico; alibi tamen ego planè ostendam, non jure Ecclesiastico, sed divino, quod ad nos perpetuâ traditione derivatum est, hoc ita fuisse statutum. Hucusque Vasquez.

Verùmenimverò diu quæsitum istud alibi, non potui uspiam reperire; credo, quòd manserit in calamo, impedito utique morte Auctoris,

ris, de quo lego ſequentia verba : *Plura dum parat (quæ rerum humanarum eſt conditio) rapitur ad plures.* Puto autem ego, quòd etiamſi non fuiſſet raptus, haud planè oſtendiſſet, non jure Eccleſiaſtico, ſed divino hoc ita fuiſſe ſtatutum.

54. *Hoc impedimentum habemus per traditionem Apoſtolicam*

Non inficior perpetuam traditionem, ut patet ex antedictis ; ſed dico, traditionem eſſe Apoſtolicam, ſeu derivatam ab Apoſtolis ; non autem divinam, ſeu derivatam à Chriſto immediatè. Veluti jejunium quadrageſimale, perpetuâ traditione ab Apoſtolis derivatum, ſervat univerſalis Eccleſia ; non autem tamquam immediatè à Chriſto inſtitutum. Et alias plures traditiones Apoſtolicas habet Eccleſia, quæ tamen non probant ſufficienter jus divinum. Ergò etiam impræſentiarùm, quamquam hoc impedimentum Matrimonij habeat Eccleſia ex perpetua traditione à temporibus Apoſtolorum, non inde rectè infertur ; ergò ex jure divino.

55. *Probatur ex Sanchez, non eſſe juris divini.*

In lege nova nullum jus divinum poſitivum eſt, præterquam fidei & Sacramentorum, quod eſt commune Theologorum axioma. Cùm ergò (inquit Sanchez ſup. n. 7.) præceptum hoc non pertineat ad fidem, aut Sacramenta ſuſcipienda ; ſed ad contractum naturalem, à Chriſto elevatum ad rationem Sacramenti, ritè celebrandum, ſi divinum naturale non eſt, nec divinum poſitivum erit.

Confirmatur.

Et confirmatur : quia Chriſtus in Matrimonio nihil immutavit, quod ad jus naturæ pertineret ; ſed tantùm id, quod contractus quidam naturalis erat, elevavit ad eſſe Sacramenti. Ita Sanchez.

56. *Impugnatur.*

Sed enim, dicet aliquis : non videtur ſatisfacere difficultati. Nam Adverſarij dicent, hoc præceptum pertinere ad Sacramenta ſuſcipienda: ſiquidem ad ſuſcipiendum Sacramentum Matrimonij, prærequiritur Baptiſmus, ſecundùm communiorem ſententiam : ergò qui vult, ut ſuſcipiatur Sacramentum Matrimonij, etiam præcipit, ut fidelis non contrahat cum infideli ; nam ſic contrahendo non ſuſciperet Sacramentum Matrimonij. Atqui Chriſtus voluit, ut fideles ſuſciperent Sacramentum Matrimonij, ſic ut aliàs non valeret ; ergò Chriſtus irritavit Matrimonium inter fidelem ſeu baptizatum, & infidelem, id eſt, non baptizatum.

57. *Ex inſtitutione Chriſti, juxtà Sanchez, Sacramentum eſt inſeparabile à contractu Matr.*

Subſumptum probatur ex Sanchio lib. 2. diſp. 10. n. 6. ubi inter cætera ait : Ex Chriſti inſtitutione inſeparabile eſt à contractu Matrimonij eſſe Sacramenti ; unde intentio non efficiendi Sacramentum, repugnat intentioni legitimæ faciendi Matrimonium, ut eſt contractus : ſicut econtrà, qui intenderet facere Sacramentum Matrimonij, non autem contractum, nihil efficeret : quia ex Chriſti inſtitutione hæc duo ſunt inſeparabiliter conjuncta & ita mutuò ſe ponunt ac deſtruunt. Sic ille.

Illatio.

Infero : ergò fidelis invalidè contrahit cum infideli ; quippè qui habeat intentionem non conficiendi Satramentum, cùm ſciat, juxtà ſententiam Sanchij, ſe non poſſe conficere Sacramentum : nam hic Auctor loco cit. diſp. 8. n. 2. docet, Matrimonium, contractum ex Pontificia diſpenſatione inter fidelem & catechumenam, ex parte neutrius eſſe Sacramentum : quia, inquit, Matrimonium in utroque conjuge eſt unum numero Sacramentum, ſicut eſt unum numero Matrimonium : ergò ſi in uno non eſt Sacramentum, nec erit in altero.

58. *Auctor in hoc non conſentit Sanchio.*

Oppoſitum ego tenui Diſp. præced. Sect. 4. Concluſ. 5. ſequentis tenoris : Matrimonium poteſt in uno contrahentium eſſe Sacramentum, & non in alio. Videantur ibi dicta. Quare hæc difficultas nos non premit ; ſicut videtur premere Sanchium, quàmvis reverà nec eum expugnet, ut patebit ex his, quæ ſubſcribo ex Averſa hìc q. 18. ſect. 1. §. *Quæ enim afferebantur.*

Reſp. ad objectionem ex Averſa.

Quæ, inquit, afferebantur ex novo teſtamento (utputà : *Mulier cui vult, nubat in Domino*, 1. Cor. 7. Et : *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, quæ Aliqui intelligunt de Matrimonio contrahendo cum fideli, & non contrahendo cum infideli) ab Alijs aliter exponuntur. Nempè, ut mulier nubat in Domino, id eſt, debito ordine & intentione. Ut fideles non ducant jugum cum infidelibus, id eſt, non communicent in operibus infidelitatis.

59. *Poteſt valere Matr. in ratione contractûs, & non Sacramenti.*

Ex inſtitutione Sacramenti non ſequitur, irritum eſſe Matrimonium, niſi contrahatur inter duos fideles, qui ambo ſunt Sacramentorum capaces : quia poteſt adhuc valere Matrimonium in ratione contractûs, quàmvis non valeat in ratione Sacramenti ; ſicut adhuc valet inter infideles. Controverſum autem eſt ; num in tali conjunctione Matrimonium eſſet Sacramentum ex parte fidelis. Et vel dicetur, non eſſe in tali caſu Sacramentum, ſed merum civilem contractum, poſſeque hæc duo, etiam in perſona fideli, ſeparari, ut in alijs quòque caſibus aliqui DD. admittunt. Atque ideò Chriſtum non ita inſtituiſſe, ut non poſſet eſſe Matrimonium apud fideles, quod non eſſet Sacramentum. Vel dicetur, ut nos admiſimus, poſſe idem Matrimonium eſſe Sacramentum ex parte unius contrahentis, ſcilicet fidelis, & non alterius ſcilicet infidelis.

60. *Conjux fidelis tenetur per ſe cohabitare infideli.*

Ex ratione demùm Matrimonij, verè conjuges per ſe obligantur cohabitare, & reddere debitum. Et ſic obligaretur etiam conjux fidelis cum infideli, niſi tamen timeat perverſionis periculum : ſive niſi offendatur ab illo per contumelias Creatoris : ſive niſi deſperet de converſione illius ; quia tunc per accidens ſolveretur ab ea obligatione, ſicuti ſolvi poteſt ex alio etiam capite, utpotè ex illius adulterio. Hactenùs Averſa.

Defenditur Sanchez.

Reſponderet itaque Sanchez ad propoſitam difficultatem ; ſuam doctrinam intelligendam eſſe de Matrimonio fidelis cum fideli, ubi utraque pars eſt capax Sacramenti, quod Chriſtus voluit ſeu inſtituit, ut non ſolum illicitè, ſed & invalidè contraheretur in ſola ratione contractûs, juxtà ipſum & Alios plures ; ſecundùm me autem cum Alijs multis, prohibuit quidem Matrimonium, quòd aliter fieret ; non tamen ſatis conſtat, irritaſſe. Sed hic non eſt præſens caſus.

sus. Quis ergò ? Quando fidelis contrahit cum infideli, ubi vel neuter est capax Sacramenti, ut vult Sanchez, vel solus fidelis.

61. *Oppugnatur doctrina Vasquez.* Oportet ergò, ut Vasquez planè ostendat, Christum ita instituisse hoc Sacramentum, seu elevasse contractum Matrimonij ad dignitatem Sacramenti, ut nullo casu fidelis validè nubat in ratione contractûs, & non Sacramenti. Quando id ostenderit, tunc expugnaverit Sanchium. Sed hoc opus, hic labor est ; nam in primis, ipse Vasquez in 3. part. D. Tho. disp. 138. n. 63. docet, duos fideles posse Matrimonium contrahere, validum quidem in ratione contractûs, secùs ut est Sacramentum, defectu intentionis conficiendi Sacramentum.

Secundum istum, duo fideles possunt contractum separare à Sacramento. Hæc sunt ejus verba : Si quis solùm vellet contrahere, nec confusè saltem intentionem haberet faciendi id, quod facit Ecclesia ; nempè faciendi Matrimonium, tamquam quid sacrum & religiosum ; fieret quidem contractus Matrimonij, non tamen Sacramentum, quod gratiam conferret. Ita Vasquezius. Quomodo autem hæc doctrina cohæreat præcedenti, de qua hìc disputamus, relinquo judicio aliorum. Ego non video, quare potiùs duo fideles possint separare contractum à Sacramento validè ex jure divino, quàm fidelis & infidelis.

62. Quàmvis ergò concederemus, talem fidelem illicitè contrahere ; quia facit irreverentiam contractui, separando hunc à ratione Sacramenti, quam haberet, si contraheret cum fideli ; adhuc non sequitur, tale Matrimonium esse irritum jure divino positivo ; quia multa fieri prohibentur, quæ tamen si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem. Omitto, fieri posse, ut fidelis nequeat alias commodas nuptias invenire ; cur tali casu non posset licitè contrahere, etsi, saltem infidelis, nequeat suscipere Sacramentum ? Præsertim, si spes affulgeat conversionis seu Baptismi, nec Matrimonium commodè possit differri.

Fidelis aliquo casu etiam licitè posset contrahere cum infideli.

Quid si nulla sit spes conversionis conjugis infidelis ? Sed quid, si nulla sit spes conversionis ; imò nec pacificæ cohabitationis ? Cùm enim (inquit Aversa sup. §. *Magis tamen*) Matrimonium sit ex natura rei indissolubile, & nihilominùs Christus concesserit, ut in tali casu possit dissolvi, eo ipso statuisse videtur, ut qui jam est fidelis, non possit validè contrahere cum infideli ; alioquin ex tunc contraheret Matrimonium dissolubile contrà rationem ipsius Matrimonij. Ita arguit præfatus Auctor.

63. *Resp. Aversæ, Prima.* Respondet autem : Ad hoc vel dici debet ; non repugnare contrahi Matrimonium, hoc modo dissolubile : sicut fateri oportet ; infideles inter se ita contrahere Matrimonium, quòd sit dissolubile per conversionem alterius eorum ad fidem. Vel dici poterit ; tunc quidem, quando res est in tali statu, ut fidelis posset dissolvere Matrimonium, non posse ex jure divino Christi cum illo contrahere ; sed de reliquo posse. Quare dum infidelis non consentit cohabitare absque contumelia Creatoris, tunc fidelem non posse cum illo contrahere ; quo casu Matrimonium anteà contractum dissolvere posset. Aut etiam dicendo posse dissolvi Matrimonium ob solam obstinationem conjugis infidelis, nec etiam cum illo posse contrahi : sed saltem posse cum eo, qui vel suscepta fide petit Baptismum, vel paratus est suscipere, aut speratur suscepturus fidem : quo casu non potest dissolvi Matrimonium anteà cum illo contractum. Quòd si post talem statum hic retrocedat, & in infidelitate obstinetur, benè posse dissolvi Matrimonium. Hæc ille. *Secunda.* *Tertia.*

Mihi magìs placet prima responsio. Estò namque tali casu Matrimonium sit dissolubile ; equidem non nisi per accidens, adeò ut, si statim ab inito Matrimonio, infidelis, mutatâ mente in melius, vellet pacificè cohabitare, aut etiam suscipere Baptismum, Matrimonium foret indissolubile. Igitur tale Matrimonium ex natura rei est indissolubile ; id est, non aliter dissolubile, quàm ex voluntate Dei, qui indissolubilitatem instituit. 64. *Auctori magis placet prima responsio.*

Suppositio ergò (prosequitur sup. Aversa) quòd ex natura rei & jure divino possit validè fidelis cum infideli contrahere, fatentur plerique ex iisdem Auctoribus, non posse licitè ; sed talem contractum per se esse mortale peccatum. Quia id saltem convinci videtur fundamentis sup. pro invaliditate allatis. *An talis contractus sit peccatum mortale*

Verùm ex alia parte, ea ipsa, quæ pro validitate adducta sunt, ostendunt, etiam licitè posse contrahi. Quare admittendum est, stando in solo jure naturæ & divino, nec esse per se illicitum talem contractum, quando non est invalidus ; sed benè per accidens ab extrinseco, ob periculum perversionis in conjuge fideli, scandali in alijs fidelibus, perversæ educationis in prole, aliorumque malorum effectuum, plerumque contingeret esse grave peccatum. Sicut etiam inveniuntur hæc pericula in Matrimonio inter Catholicos & Hæreticos : quod tamen non est per se illicitum jure naturali & divino ; sed tantùm ratione horum periculorum, & Ecclesiasticâ prohibitione. Sic ille. 65. *Negat Aversa, jure divino per se esse illicitum.*

Ex qua doctrina haud difficile erit solvere hanc quæstionem : An inter Indos novi orbis, recèns ad fidem conversos, non solùm valeat, sed etiam liceat Matrimonium fidelis cum infideli. Respondetur quippè ; non esse per se illicitum jure naturali vel divino, sed tantùm ratione horum periculorum, aut certè prohibitione & irritatione Ecclesiasticâ, ubi contrariâ consuetudine non est abrogata, & aliquando fuit recepta. *Apud Indos novo est per se illicitum matr. fidelis cum infideli.*

Placet audire Dicastillonem hìc disp. 7. n. 699. ubi tractat de hac controversia, & inter cætera ait : Quoad nullitatem Matrimonij, videtur posse dici, quòd sicut lex separationis fidelis ab infideli non jure scripto, sed consuetudine introducta est ; & tamen illa consuetudo probabiliter non censetur habere locum nunc in his Regionibus, in quibus nunc primò 66. *An illi obligentur lege Ecclesiæ irritante. Probatur quòd non. ex Dicast.*

fides

fides nascitur & propagatur: ita similiter hæc lex, inhabilitans fidelem ad contrahendum cum infideli, solâ consuetudine introducta, non censeatur habere locum in iis Regionibus, in quibus nunc primò nascitur fides, & in hoc philosophandum sit, sicut in principio nascentis Ecclesiæ.

Accedit; quòd ex uno capite esset difficile paucos recenter conversos coarctare ad contrahendum inter se connubia; præsertim, cùm sæpè nobiles & paris conditionis quoad sæculum, pauci soleant primò converti, quos adigere ad contrahendum cum inferioris notæ personis, esset magna occasio tentationis in fide susceptâ, multumque retraheret à suscipienda: ex alio verò capite non parùm juvaret ad promovendam rem Christianam, quod ubi pericula perversionis non timeantur, per hujusmodi connubia incipiant alij infideles ad fidem allici. Hactenùs Dicastillo.

67. *Confirmatur ex Sanchio.* Confirmatur ex Sanchio Disp. 72. n. 5. ubi à prohibitione generali, quâ cavetur Matrimonium personæ fidelis cum hæretica, excipit ea loca, in quibus hæretici non denuntiati, nec notorij Clericorum percussores, cum Catholicis permisti convivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia; in iis enim ex consuetudine receptâ & toleratâ licent conjugia Catholicæ personæ cum hæretica, dummodò Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo, in fide permanere. Quia ea conjugia ineuntur instar aliorum contractuum civilium, ob amicitiæ leges, & ad communem pacem, & Reipub. tranquillitatem tuendam. Hæc ille.

68. *Illatio Dicast.* Ergò (infert Dicast. sup. n. 700.) eâdem ratione, & propter easdem causas, intelligi potest, quòd in Iaponia & Indijs Orientalibus & Occidentalibus, ubi baptizati cum non baptizatis permisti convivunt, ex simili alia tacita concessione, vel consuetudine recepta & tolerata, fideles conjuges cum infidelibus, non solùm in inito conjugio permanere, sed de novo etiam inire validè possint & licitè. Unde existimo, standum esse consuetudini earum Regionum notæ & toleratæ, si quæ sit ita faciendi; semper tamen, quantùm fieri potest, id evitandum esse. Sic ille.

69. *Hæc lex non cessat, etsi fidelis non sit pervertendus, ex Sanchez.* Idem ego existimo; quàmvis censeam cum Sanchez disp. 71. n. 9. obligare hanc legem, etiam in illo casu, in quo moraliter certum est, fidelem non fore pervertendum; sequidem timor perversionis non est causa adæquata.

Probatio ex ratione. Atque, ut esset, falsò dicitur, tunc cessare, quando hìc & nunc constat fidelem non fore pervertendum. Quippè hæc lex non fundatur in præsumptione facti, seu perversionis futuræ; sed in præsumptione moralis periculi, quæ non est aliud, quàm generalis quidam timor ac opinio futuræ perversionis, secundùm id, quod frequentiùs accidit; unde semper inest periculum morale, quòd ita fit, sicut præsumitur: & sic potiùs fundatur hæc lex in certâ scientiâ periculi, quàm in præsumptione, & ideò non debet cessare, nisi accedat dispensatio; aut circumstantiæ ita mutentur, quòd jam plerumque perversio non accidat; aut peccatum foret, in hoc particulari casu non contrahere cum infideli; vel certè nimis difficile, ut lex humana ad id posset obligare, v. g. si moriendum foret, aut contrahendum cum infideli.

70. *Item ab inconvenienti.* Alioquì, si semper cessaret hæc lex, quando fidelis confidit, se non pervertendum, careret utplurimùm suo effectu; cùm facilè de nobis magna præsumamus, & sæpiùs falsâ imaginatione delusi, securitatem à peccato homines sibi fingant, ubi tamen ex eventu constat, præsentissimum fuisse periculum. Patet in exemplo Salomonis, qui indubiè sibi finxit talem securitatem, & tamen cor ejus depravatum fuit. Igitur justus timor, qui semper subest, sufficiens ratio est, generaliter prohibendi tale Matrimonium, etiam pro eo casu, quo alioquì, spectato solo jure naturæ, foret licitum.

Probatio à simili. Simile exemplum habemus in lectione librorum hæreticorum, quæ prohibetur omnibus etiam doctis & firmis in fide. Item in prohibitione & irritatione Matrimonij clandestini, quæ obligat in casu particulari, quo constat cessare illa inconvenientia, propter quæ facta est. Siquidem id expedit bono communi; quia licet ex aliquo particulari Matrimonio, sic contracto, magnum bonum commune, & nullum damnum sequeretur; equidem maximum damnum timendum foret, si in tali casu id liceret; quippè facilè sibi homines eum fingerent, & sic multa Matrimonia manerent dubia & litigiosa. Alibi plura de hac re diximus, quæ possunt videri, & huic nostro casui applicari.

71. *Per infidelem hic intelligitur etiam Catechumenus. per cap. 15. 28. q. 1.* Illud quasi pro coronide ad calcem hujus Conclusionis addiderim, per infidelem intelligi debere etiam catechumenum, qui jam paratus est baptizari, tenens veram fidem, & in gratia constitutus. Quæ est communis doctrina, & colligitur ex cap. *Cave*, sup. citato, 28. q. 1. ibi: *Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento Baptismatis.* Ubi Gloss. verb. *Si Christiana*, explicat: *Id est, catechizata.*

Itemque fictè baptizatus. Unde neque fictè baptizatus, utpotè, qui coram Deo verum Baptisma non suscepit, potest validè fideli nubere. Sed neque hæreticus aut apostata infideli. Quòd illi tamquam verè baptizati, ut suppono, subdantur legibus Ecclesiæ, Matrimonium hoc irritantibus, seu ipsos illegitimantibus; nisi dixeris, hæreticos & apostatas non obligari impedimentis Matrimonij, solo jure Ecclesiastico constitutis, de quo infrà latiùs tractabimus.

72. *Occurritur objectioni.* Nec obstat; quòd infidelis, seu persona non baptizata, minimè subdatur legibus Ecclesiæ, Cùm enim Matrimonium postulet duos contrahentes habiles, eo ipso quòd Ecclesia reddit inhabilem fidelem seu baptizatum, ut cum infideli contrahat, corruit omninò Matrimonium, quod claudicare nequit.

Alia objectio ex Concil. Chalced. Objicitur præterea contrà communem doctrinam decretum Concilij Chalcedonensis cap. 14. aliàs. 13. ibi: *Qui verò adhuc baptizati non sunt, omninò non posse eos in hæretica Ecclesia baptizari,*

tizari, nec in Matrimonio jungi hæretico, Iudæo vel pagano, nisi fortè spoponderit, se venire ad orthodoxam fidem, dum conjungitur personæ orthodoxæ. Ergò fidelis potest contrahere cum infideli, spondente se fidem recepturum.

Solutio Sanchez. ex Soto.

Respondet Sanchez sup. n. 2. ex Soto 4. dist. 39. q. un. a. 2. vers. *Hinc sit*: Intelligitur de sponsalibus de futuro sub eâ conditione cum infideli initis: *Si ad finem convertatur.* Quæ valida sunt, tamquam promissio de re bona, scilicet Matrimonio contrahendo cum fideli seu baptizato.

73. *Alia expositio d. Concily.*

Quid si ego dixero, etiam intelligi posse d. Canonem de Matrimonio de præsenti, non quidem absolutè, & pro hoc tempore, quando illicitum est & invalidum, sed sub conditione futuri Baptismi, pro tempore, quo erit validum & licitum? Nam ut docui Disp. præced Sect. 8. Concluf. 1. *Consensus matrimonialis recipit diem & conditionem.* Et Concluf. 6. *Matrimonium inter inhabiles Si Pontifex dispensaverit, valet cognitâ dispensatione.* Ergò valet Matrimonium initum cum infideli, si Pontifex dispensaverit, uti potest dispensare, si tantùm est impedimentum Ecclesiasticum, ut jam probavimus esse. Quid ni similiter valeat sub conditione Baptismi, cognitâ ejus susceptione? Non habeo rationem dubitandi.

Si autem à me quæratur: an quæ fidelis cum infideli, eadem sit dispositio juris circà Matrimonium personæ orthodoxæ cum hæretica? Respondeo citiùs, negativè. Nam

CONCLUSIO III.

Valet Matrimonium personæ fidelis cum hæretica.

74. *Quæ hic dicatur persona hæretica.*

PErsona hæretica hìc dicitur, quæ post susceptum Baptismum errat circà aliquos vel omnes articulos veræ fidei. Porrò Matrimonium fidelis cum hujusmodi persona esse irritum, exprimit Can. 72. Sextæ Synodi Generalis, in Trullo celebratæ, qui sic incipit: *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæreticâ conjungi, nec verò orthodoxam cum viro hæretico copulari, sed & si quid ejusmodi ab ullo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium conjugium dissolvi.* Hic est Achilles Adversariorum, quo expugnato facilis erit solutio aliorum argumentorum.

Quomodo intelligendus Can. 72. in Trullo. Prima expositio Sanchez.

Aliqui ergò respondent: d. Canonem, & alios omnes, quos Trullanos appellant, eò quòd apud Trullum palatium Regium editi sunt, auctoritate Concilij destitutos esse, utpotè quod jam erat dissolutum, nullumque Romanum Pontificem eos approbasse; sed apertè improbasse Sergium Pontificem illius temporis. Ita Sanchez lib. 7. disp. 72. n. 2. & 7. & disp. 28. n. 7.

75. *Non placet Pontio.*

Sed hæc responsio non placet Pontio in sua Appendice de Matr. Catholici cum hæretico, cap. 1. ubi. n. 4. sic ait: Non dubito, Canones illos in dubium vocatos, eò quòd neque à legitima Synodo editi fuerint, & nonnulli ex eis quædam contineant Romanæ Ecclesiæ invisa, ut quæ de cœlibatu Clericorum, & de jejunio Sabbathi statuuntur.

Et n. 7. scribit in hæc verba: Cæterùm, quàmvis, ut dixi, non dubitem, Canones illos sextæ Synodi Latinis incognitos multo tempore extitisse, & nonnullos ex eis Romanæ Ecclesiæ prorsùs adversos; tamen neque etiam dubito, his, quæ moribus Ecclesiæ Romanæ adversari videbantur, exceptis, alios omnes ab Ecclesia approbatos, & apud Græcorum Ecclesias vim legis obtinuisse, & diu servatos.

76. *Probat ipse, Canones Trullanos pleroisque fuisse receptos ab Ecclesia.*

Primùm, probatos reliquos ab Ecclesia fuisse, convincit testimonium Anastasij Bibliothecarij in præfatione in septimam Synodum ad Ioannem VIII. ubi sic scribit: *Ergò regulas, quas Græci in sexta Synodo perhibent editas, ita in hac septima Synodo principalis sedes admittit, ut nullatenùs ex illis illæ recipiantur, quæ prioribus Canonibus vel Decretis Sanctorum Sedis hujus Pontificum aut certè bonis moribus inveniuntur adversæ.*

Cùmque lex ista de Matrimonijs hæreticorum irritandis, non fuerit adversa, nec bonis moribus, nec his, quæ prioribus Canonibus Sedis Apostolicæ constituta fuerunt; cùm nullus extet antiquior Canon, qui validas aut invalidas eas nuptias decernat; rectè sequitur, eum etiam cum alijs, qui non adversantur Decretis Romanorum Pontificum, fuisse receptum.

77. *Confirmat.*

Accedit etiam: quòd Adrianus primus inter alios Canones, quibus se tuetur, advocat in auxilium Canonem hujus sextæ Synodi, & Sixtus V. Canonem de fœminarum aborsu ex ista sexta Synodo disertis verbis mutuatus est.

Ostendit illos Can. pro legibus habitos apud Græcos.

Apud Græcos autem eos Canones pro legibus habitos, ostendit passim Photij Nomocanon; frequentissimè enim ex his Canonibus leges depromit. Idem etiam ostendit Balsamonis ad eos Canones Commentarius, ubi sæpè etiam dicit, quando usu vel contrarijs legibus abrogati sint. Quòd si apud Græcos vim legis obtinuisse constat ex dictis, efficitur etiam, Catholicorum Matrimonia cum hæreticis apud illos irrita fuisse. Alia ergò illi Canoni sextæ Synodi solutio quærenda est. Hucusque Basilius.

78. *Prima responsio ad d. Can 72. ex Pontio.*

Et quam putatis eum invenisse? Duo (inquid n. 8.) sese mihi offerunt, quibus nos ab isto nodo extricare possimus. Primum est, id quod dicebam lib. 7. cap. 47. concedi posse, Catholicorum Matrimonia cum hæreticis, primis sæculis fuisse irrita, quod postea, vel contrariâ consuetudine, vel contrarijs legibus mutatum est, & valere permissa.

Probatur.

Id quod in primis, mihi suadebat, quòd videam in Conciliorum antiquorum Canonibus, quibus Catholici cum disparis cultûs conjuge copulari prohibentur, simul conjungi Matrimonium Catholici cum infideli, & hæretico. Cùmque Matrimonia cum infidelibus, paganis & Judæis irrita fuerint, videtur effici, idem primis sæculis judicasse Ecclesiam, de

de Matrimonijs hæreticorum, & id expreſſum fuiſſe in d. Can. 72. Sextæ Synodi.

Confirmatur. Id etiam ſæpè ſoleo repetere (cùm olim poteſtas conſtituendi impedimenta penes Epiſcopos eſſet & Concilia, ſive nationalia, ſive provincialia) multa fuiſſe impedimenta dirimentia apud aliquas Eccleſias, quæ in alijs minimè ſervabantur. Hæc eſt prima ſolutio.

79. *Secunda ſolutio, nomine Hæretici, intelligi infidelem, ex Covarruvia.* Franc. Torrenſis. Sequitur ſecunda: Nomine hæretici (inquit n. 9.) in eo Can. 72. non intelligitur is, qui propriè hæreticus eſt, id eſt, qui à fide Catholica defecit, ſed is qui infidelis eſt, nondum ſuſcepto Baptiſmo, & nuptias, cum eo contractas, irritas decernit. Sic Canonem iſtum interpretatus eſt Covar. in 2. edit. to. 1. de Matr part. 2. cap. 6. §. 11. n. 5. ibi: Illud admonemus, Franciſcum Torrenſem libro uno in publicum edito de Canonibus ſextæ Synodi conatum fuiſſe probare, plures Canones, qui ſextæ Synodi eſſe feruntur, minimè ab ea editos fuiſſe, ſed falsò illi ſuppoſitos.

Sed & hoc non eſt ita facilè admittendum, præſertim quoad Canonem, de quo diſputamus. Nam & Can. 14. Synod. Chalcedon. & Laodicenæ Can. 10. & 31. atque Carthagin. c. 21. prohiberi videtur Matrimonium inter Chriſtianum & hæreticam, quàmvis non ſic præcisè, & in univerſum, ut in d. c. 72. quo irritum eſſe decernitur.

80. *Poſt Theod. Balſamon.* Quo tamen in loco Theodorus Balſamon, & idem in Nono Canone Photij tit. 12. c. 13. eumdum Canonem tum in exemplo, tum in interpretatione, ita intelligit, ut ſub hæretici nomine, infidelem fuerit interpretatus, juxtà D. Pauli ſententiam 1. ad Cor. 7. quâ & idem Canon expreſſim utitur. Atque ita poſtquam Theodori interpretationes veterum Canonum ipſe legi, communem ſententiam (quæ eſt Concluſ. noſtra) veram eſſe, ac defendi poſſe & debere exiſtimo. Ita Covar.

81. *Referuntur poſtrema verba d. Can. 72.* Subdo verba poſtrema d. Can. 72. *Si autem aliqui, qui adhuc ſunt infideles, & in orthodoxorum gregem nondum relati ſunt, ſunt inter ſe legitimo Matrimonio conjuncti, deinde ..... alter eorum convertatur ad fidem, altero in infidelitate manente, ſi fideli placeat cum infideli cohabitare, ne a ſe invicem ſeparentur. Ex Divini enim Pauli ſententia: Sanctificatus eſt vir infidelis &c.*

Ex ipſis arguitur contrà hanc ſolutionem. Verùm enimverò ex his poſtremis verbis Adverſarij rejiciunt dictam ſolutionem Pontij, dicentes: Nec poteſt dici, hæreticum pro infideli uſurpari: quia valdè impropria eſſet locutio: & quia in principio illius Canonis ſermo habetur de hæretici cum Catholica Matrimonio, in fine autem, de conjugio fidelis cum infideli. Sic illi.

82. *Defenditur ſolutio.* Reſpondetur: etiam in principio ſermo habetur de Matrimonio fidelis cum infideli, ſed contrahendo; in fine autem de Matrimonio jam contracto nondiſſolvendo. Porrò hæreticum pro infideli uſurpari, ita ut non ſolùm ſignificet eum, qui jam ſuſceptoBaptiſmo in aliquot, vel in multis articulis ab Eccleſiæ doctrina diſceſſit; ſed & eum, qui nunquam Baptiſmi myſterium ſuſcepit, veluti Iudæum & Gentilem, prout uſurpat Balſamon, teſte Covar. ſup. in d. Can. 14. Chalcedonenſi; fateor, inquam, quòd hæc uſurpatio ſit impropria locutio; imò, meo judicio, nequit ſic uſurpari in d. Can. 14. quandoquidem expreſsè diſtinguat hæreticum à Iudæo & Pagano, ut patet ex verbis ſup. relatis: utut ſit de d. Can. 72. in quo non fit hæc diſtinctio.

83. *Ratio impropriè hìc interpretandi nomen Hæretici, ex Balſamone.* Porrò ratio impropriè interpretandi, ſeu uſurpandi hæreticum pro omni infideli in hoc Canone, colligi poterit ex verbis Balſamonis ſup. ad Nomocanonem Photij, quæ ſubjicio: *Lege etiam 72. Canonem Synodi in Trullo & ſcies, quòd fidelis cum muliere infideli non jungitur Matrimonio, etiamſi nonnulli, decepti à ſine ipſius Canonis, qui docet de infidelibus, qui crediderunt poſt Matrimonium, aliud audacter dixerunt. Ego autem, qui ſcio eſſe orthodoxos Iberos, & noſtra omnia ſuſcepiſſe, & videmus illos Agarenis ſuas filias nuptui tradere, miror & neſcio, quomodo a ſuis Sacerdotibus, qui legunt & ſciunt decreta Canonum, hæc non prohibentur. Hæc ergò corrigi cupio potentiſſimi & ſanctiſſimi noſtri Imperatoris auxilio.* Hæc Balſamon.

84. *Declaratur magis ex Pontio.* Decipiuntur ergò (inquit Pontius ſup.) qui poſtremam partem Canonis de infidelibus, primam verò de hæreticis intelligunt: convincitque eſſe falſum hic Balſamonis Commentarius, qui planè docet, nonnullos, deceptos poſtremâ parte Canonis, exiſtimaſſe, fidelis cum infideli valere conjugium; cùm tamen in prima parte Canonis decreviſſet, irritas eſſe nuptias. Et quidem ſi ea priora verba Canonis non intelligantur de infidelibus, non eſt in eo canone aliquid, unde colligi potuerit, fideles cum infidelibus non eſſe jungendos, aut eas nuptias non conſiſtere; quod tamen affirmat Balſamon in eo Canone contineri. Sic Baſilius.

Ratio igitur impropriæ uſurpationis eſt; ne alioquì illo Canone non intelligatur irritum Matrimonium contrahendum à fideli cum infideli.

Quid poſſet reſponderi. Sed reſponderi poſſet: nullam fuiſſe neceſſitatem irritandi iſtud Matrimonium; cùm ex Canonibus aliorum Conciliorum, atque communi praxi Eccleſiæ, ſatis conſtaret irritas; eſtò apud Iberos contrarium aliqui practicarent.

85. *Hæreſis in latiori ſignificatione non ſupponit Baptiſma.* Utut ſit de hac interpretatione Balſamonis, quæ procul dubio impropria eſt. Nota mecum, benigne Lector, hæreſim in latiori ſignificatione, ſive in foro Dei, nihil aliud eſſe, quàm errorem pertinacem circà articulum fidei in homine, qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur; credens utique Chriſtum in carne veniſſe, mortuum, & reſurrexiſſe &c. eſtò non ſit baptizatus: neque enim requiritur realis ſuſceptio Baptiſmi, ut quis coram Deo ſit Chriſtianus, diſtinctus à Iudæo & Pagano, ut patet ex cap. *Cave*, ſup. allegato ibi: *Si Chriſtiana ſit, non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſitis Sacramento Baptiſmatis.* Ergò poteſt quis eſſe Chriſtianus, juxtà D. Ambr. tametſi non ſit initiatus Sacramento Baptiſmatis.

86. Rogas: in quo ergò diſtinguitur à Iudæo &

In quo talis hæreticus distinguatur à Iudæo & Pagano.

Pagano ? Respondeo : in eo, quòd Iudæus non profiteatur Christum veniſſe, ſed adhuc venturum eſſe : Paganus autem neque veniſſe, neque venturum eſſe. Hæc latiùs, Deo dante, examinabimus proprio loco.

In foro Eccleſiæ hæreſis eſt error hominis baptizati.

Interim in foro Eccleſiæ (quæ non judicat de his, qui foris ſunt) ubi agitur de pœnis hæreticorum, hæreſis ſignificat errorem pertinacem in homine baptizato ; atque adeò hæreticus uſurpatur pro homine baptizato, qui pertinaciter errat circà aliquem articulum fidei Chriſtianæ ſeu Catholicæ, quam tamen profitetur. Hoc ſuppoſito.

87. *Objicitur contrà Concluſ. c. 16. 28. q. 1.*

Diſpiciamus alia argumenta Adverſariorum, quæ leviora ſunt. Cap. (inquiunt) *Non oportet*, 28. q. 1. quod eſt ex Concil. Agathenſi c. 67. interdicitur Matrimonium Catholici cum hæretica. Et cap. *Cave*, 28. q. 1. æquè interdicitur, ac Matrimonium fidelis cum infideli, & ob eaſdem rationes ; nimirùm, ne fides Catholici, ex conſortio infidelis, aut hæretici periclitetur, & ne proles in eo errore educetur. Si ergò hoc eſt irritum, etiam illud.

Occurritur ſolutioni.

Nec dici poteſt ; hæreticum ibi uſurpari pro eo tantùm, qui non eſt baptizatus ; ſic quippè ex dictis Canonibus minimè poſſet probari, Matrimonium cum hæretico, baptizato fore illicitum, contrà communem ſenſum DD.

88. *Alia ſolutio.*

Reſpondetur : ex d. juribus, nudè ſpectatis, juxtà præciſam ſignificationem verborum, nullatenùs probatur, Matrimonium fidelis cum infideli fore irritum ; ſed tantùm prohibitum, ut ſup. diximus. Ex quo ergò probatur hæc irritatio ? Quòd eo ſenſu, ſcilicet irritante, ſint ea verba recepta, quantùm ad fidelem & infidelem ; jam autem contrarius ſenſus, ſcilicet prohibens & non irritans Matrimonium fidelis cum hæretica, eſt communis DD. & in praxi uſitatus.

Concluſ. noſtra eſt ſententia D. Tho.

Unus erit pro mille, Doct. Angelicus 4. diſt. 39. q. un. a. 1. ad. 5. *Dicendum, quòd Matrimonium Sacramentum eſt, & ideò quantùm pertinet ad neceſſitatem Sacramenti, requirit paritatem, quantùm ad Sacramentum fidei ſcilicet Baptiſmum, magis quàm quantùm ad interiorem fidem : unde etiam hoc impedimentum non dicitur diſparitas fidei, ſed diſparitas cultûs, qui reſpicit exterius ſervitium : & propter hoc, ſi aliquis fidelis cum hæretica baptizata Matrimonium contrahit, verum eſt Matrimonium, quàmvis peccet contrahendo, ſi ſciat eam hæreticam : ſicut peccaret, ſi cum excommunicata contraheret, non tamen propter hoc Matrimonium dirimeretur ; & è contrario, ſi aliquis catechumenus, habens rectam fidem, ſed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non eſſet verum Matrimonium.*

89. *Et uſitatiſſima in hodierna praxi.*

Eſtque hæc doctrina in hodierna praxi uſitatiſſima : nunquam enim tales conjuges permittuntur aliud Matrimonium contrahere, quod tamen deberet permitti, ſi prius Matrimonium fuiſſet irritum ; imò nec jubentur ſeparari, quod tamen neceſſarium foret, ne viverent in continuo concubinatu.

Hinc Bonif. VIII. cap. 13. de Hæret. in 6. *Decrevit* (inquit) *felicis recordationis Innoc. Papa IV. quòd propter hæreſim maritorum, uxorum Catholicarum dotes non debeant confiſcari. Quod intelligendum fore cenſemus, niſi fortè mulieres ipſæ cum viris Matrimonia contraxiſſent, quos hæreticos tunc cenſebant.* Ubi in pœnam delicti mulier privatur ſuâ dote, ſed nulla fit mentio ſeparationis. C. 13. de Hæret. in 6.

Patet etiam ex præallegatis verbis D. Tho. non militare utrobique eaſdem rationes : quia unum Matrimonium poteſt eſſe Sacramentum in utroque conjuge ; aliud autem non. Noluit autem Eccleſia, ut Matrimonium valeret, niſi uterque conjux poſſet ſuſcipere Sacramentum, eſtò ex malitia ſuâ aliquando non reciperent. Rationes ergò ſup. allegatæ, quæ etiam hìc militant, non probant impedimentum dirimens, ſed ſolùm prohibens ; ſicut ibi, ſic etiam hìc. 90. *Diſparitas inter Mat. infidelium, & Hæreticorum.*

Proinde principalis ratio, ob quam Eccleſia Matrimonium fidelis cum infideli irritaverit, videtur fuiſſe ; quòd Matrimonium hodie ſit Sacramentum propriè dictum. Cumque Matrimonium fidelis cum hæretica ſit verum & propriè dictum Sacramentum, liquet profectò, hoc Matrimonium illâ lege irritante nunquam fuiſſe comprehenſum. Ergò non valet hìc argumentum à paritate rationis : quia reverà paritas non eſt. 91. *Principalis ratio, ob quam Eccleſia irritavit Matr. fidelis cum infideli.*

Atque ut eſſet, adhuc non valeret, niſi oſtenderetur, Eccleſiam irrationabiliter irritaſſe unum Matrimonium & non alterum. Sanè rationabiliter feciſſe, perſuadet nimia frequentia Matrimonij inter Catholicum & hæreticam, maximè in partibus, ubi promixtim vivunt, & ſæpiùs ita hæreſis occultatur, ut difficulter ſciri poſſit. Et ſic manet ſatis ſuperque ſolutum ſecundum argumentum Adverſariorum.

Tertiò adducunt pro ſe legem : *Non dubium*, Cod. de LL. ibi : *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente. Quod ad omnes etiam legum interpretationes tam veteres, quàm novellas trahi generaliter imperamus, ut Legiſlatori, quod fieri non vult, tantùm prohibuiſſe ſufficiat, cæteraq; quaſi expreſſa ex legis liceat voluntate colligere : hoc eſt, ut ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, licèt Legiſlator fieri prohibuerit tantùm, nec ſpecialiter dixerit inutile eſſe debere, quod factum eſt.* Iam autem conſtat, quòd Matrimonium Catholici cum hæretica lege fieri prohibeatur, ut videbimus Concluſ. ſequenti : ergò ſi fuerit factum, pro infecto ſeu irrito habendum eſt. 92. *Tertia objectio Adverſariorum ex l. 5. Cod. de LL.*

Confirmatur ex cap. 2. 35. q. 6. in principio : *Videtur nobis, quòd ſecunda, quam contra prohibitionem Eccleſiæ duxit, non ſit uxor, etiamſi primam non habeat deſponſatam. Nam quod contrà interdictum & ordinem Eccleſiæ factum eſt, tamquam inordinatum, ratum non haberi tam divinæ, quàm humanæ legis proclamat auctoritas.* Ita Cæleſtinus Eccleſiæ Florentinæ. 93. *Confirmatur ex c. 2. 35. q. 6.*

Ubi videtur approbare d. legem : *Non dubium.* Nam Cæleſtinus primus ſecutus eſt Theodoſium, hujus legis conditorem ; electus enim eſt

anno

anno 10. Imperij Theodosij, & lex lata est à Theodosio & Valentiano simul, qui ad Imperium adscitus est anno Christi 425. & Cælestini 2. ut notat Pontius lib. 5. cap. 3. n. 10.

94. *Certum est ex jure Canonico, quòd multa fieri prohibeantur, quæ tamen non irritantur.*

Quidquid sit de mente d. legis seu Legislatoris ejus, certum est ex jure Canonico, quòd multa fieri prohibeantur, quæ tamen, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Vide quæ diximus de impedimentis Matrimonij prohibentibus, & non dirimentibus. Et nota mecum, d. cap. *Videtur nobis*, olim fuisse extrà de Matr. contract. contrà interdictum Ecclesiæ c. 1. Ita Gloss. ibi verb. *Videtur*. Hodie autem non reperirur.

Quid ita? Existimo: quia dicere videtur, Matrimonium, contractum contrà interdictum Ecclesiæ, fore irritum; cùm tamen in tit. illo expressè contrarium decernatur, cap. 1. in fine: *Ad tertium reverti permittas*, cum quo scilicet Matrimonium fuerat contractum contrà interdictum Ecclesiæ. Et cap. 2. in fine: *Licèt enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerit: non est tamen conveniens, ut ob id solùm, Sacramentum conjugij dissolvatur: alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contrà prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.*

95. *Illatio.*

Ergò consimiliter, licèt contrà prohibitionem Ecclesiæ Catholicus cum hæretica nupserit, non est tamen conveniens, ut ob id solum, Sacramentum conjugij dissolvatur: alia tamen pœnitentia debebit eis imponi, quia contrà prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.

Resp. Pontij ad d. cap. 2.

Cæterùm ad d. cap. *Videtur nobis*, respondet Pontius sup. lib. 7. c. 47. n. 12. Mihi videtur legem Ecclesiasticam interpretandam circà subjectam materiam. Itaque in eo casu, de quo loquebatur Pontifex, scilicet ejus, qui secundam uxorem duxerat, primâ vivente, & desponsatâ, quam tamen consanguineam esse sciebat, rectè & verè docuit Pontifex, nullum esse conjugium; quia contrà ordinationem Ecclesiæ, non qualemcumque, sed eam scilicet, quæ nullum reddidit ejusmodi connubium, contraxerunt. Sic ille.

96. *Impugnatur à Lugone.*

Hæc tamen responsio (inquit Card. Lugo de Virtute fidei divinæ disp. 22. sect. 2. n. 15.) licèt quoad partem vera sit, non est tamen vera, quatenùs supponit, secundum Matrimonium factum fuisse vivente primâ uxore; nam in eo casu non præcesserat Matrimonium, sed promissio Matrimonij cum juramento, seu sponsalia; quare secundum Matrimonium non fuit ex eo capite invalidum, sed solùm propter impedimentum consanguinitatis cum secunda uxore, quod ex ipso contextu constat, primò: quia si præcessisset aliud Matrimonium, & uxor esset superstes, secundum non solùm esset contrà legem Ecclesiæ, sed etiam contrà divinam: ibi autem solùm dicitur, esse contrà legem Ecclesiæ, & ideò non est ratum; *quia quod contrà interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, tamquam inordinatum ratum non habetur.* Ita legit Eminent.

Defenditur.

Verùm in textu habetur: *Ratum non haberi, tam divina quàm humana legis proclamat auctoritas.* Aveo autem scire, quæ sit illa lex divina, quæ in eo casu proclamat, secundum Matrimonium irritum, si non præcessisset aliud Matrimonium, & uxor esset superstes. Sanè præcessisse, statim ostendam ex ipso textu.

97. *Secunda expugnatio Lugonis.*

Secundò (prosequitur Lugo sup.) quia ibidem, relictâ secundâ, jubetur vir primam recipere, non quia ejus uxor jam esset; sed quia ei fidem cum juramento dederat, prole ex ea susceptâ: *Cogendus est*, inquit, *eam recipere* (non dixit, ad eam redire, sed *recipere* in conjugem) *quam juravit & desponsavit, & ex ea prolem genuit: ut juramenti religio non vilipendatur, & fides ad invicem promissa servetur, & proles in cultu Dei nutriatur & educetur, & alij exindè occasionem pejerandi, & alias decipiendi, assumere non valeant.*

98. *Retorquetur.*

Sed, pace Eminent: ex his ipsis verbis oppositum ego colligo, scilicet primam fuisse ejus uxorem. Siquidem juxtà cap. *Is qui*, 30. de Sponsalibus, sponsalia de futuro transeunt in Matrimonium per carnalem copulam subsecutam, de quo alibi latiùs egimus: non est autem verisimile, quod hìc generatio prolis præcesserit sponsalia jurata; nam communiter solet subsequi; ideò enim promittunt Matrimonium & jurant, ut eâ viâ copulam obtineant; ergò in eo casu præcesserat Matrimonium, saltem præsumptum, atque adeò prima erat uxor, saltem præsumpta.

Recipitur in conjugem, quæ antea talis fuit, ex c. 8. de Divort.

Nec obstat: quòd non dixerit: ad eam redire, sed *recipere* in conjugem. Siquidem & illa, quæ reverà uxor est, recipitur in conjugem, ut manifestè patet ex cap. *Gaudemus*, 8. de Divortijs, circà finem ibi: *Quòd si conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur.* Igitur neque hæc impugnatio Lugonis expugnat responsionem Pontij.

99. *Tertia impugnatio Card.*

Addit Card. tertiam impugnationem, dicens: Tertiò denique id constat; quia si superstes esset prima uxor, non opus fuisset devenire ad probandam consanguinitatem cum secunda uxore, ad declarandum irritum secundum Matrimonium. Constat autem intentum illius Decretalis fuisse, declarare modum, quo probanda erat ad eum finem consanguinitas, & an parentes & cognati admittendi essent, ut testes ad eam probationem: & ad hunc finem inferitur illa Epistola in libro Decretalium sub titulo: Qui Matrimonium accusare possunt. Statuit ergò Pontifex, eo casu secundum Matrimonium non valere, quia contractum fuit contrà legem Ecclesiæ de impedimento irritanti consanguinitatis, ad quam consanguinitatem probandam, admittendi sunt parentes & cognati. Hæc ille.

100. *Non est efficax.*

Sed neque hæc impugnatio efficax est. Etenim unde constat, intentum istius Decretalis fuisse, declarare modum, quo probanda erat consanguinitas ad eum finem? Declarat quidem modum, sed quòd ad eum finem, scilicet ad invalidandum secundum Matrimonium, ibi non dicitur. Potuit Pontifex, & voluit ibi decernere

cernere generaliter modum, quo posset probari consanguinitas, estò in eo casu talis probatio non foret necessaria, nisi ad melius esse; quia primum Matrimonium non fuerat solemniter celebratum; sed, ut sup. dixi, tantùm erat Matrimonium præsumptum.

Ostenditur ex Binio.

Hinc apud Binium Tom. 1. Concil. huic Decretali præponitur hic titulus: *Quæstionis de binis uxoribus, uni ductis, quarum prima non fuerat solemniter desponsata, expeditio.* Et ita intelligitur, quod dicitur in principio Decreti: *Etiamsi primam non haberet desponsatam*, scilicet solemniter, id est, tametsi primum Matrimonium non fuerit verum, sed tantùm præsumptum.

101. *Approbatur responsio Pontij.*

Manet itaque responsio Pontij vera, non tantùm quoad partem, verùm etiam quatenùs supponit, secundum Matrimonium factum fuisse vivente primâ uxore: estò id non sit necessarium pro solutione difficultatis; nam sufficit, ut Matrimonium secundum in eo casu non fuerit irritum, propter legem tantùm prohibentem, utpotè factum cum impedimento irritante, aut ligaminis, aut certè consanguinitatis. Quapropter ex hoc Decreto Cælestini nullatenùs probatur, Matrimonium hæretici cum Catholica esse irritum, eò quòd fiat contrà prohibitionem Ecclesiæ.

102. *Explicatur Reg. 64. in 6. ex Canis.*

Neque officit Reg. 64. de Reg. juris in 6. *Quæ contrà jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Quippè, ut benè notat Canisius hic, nonnullis casibus ab hac regula disceditur: veluti in Matrimonio contracto post simplex continentiæ votum: vel contrà interdictum Ecclesiæ, vel cum neophyta, id est, cum ea, quam quis ante Baptismum in fidei Christianæ articulis instituit: Item in Ordinatione Clericorum & consecratione Ecclesiæ, ab alieno Episcopo facta: item in sententia Judicis, duriùs, vel sub conditione lata. Hæc & si quæ alia sint, licèt prohibente jure fiant, non tamen pro infectis habentur; eo quòd jus expressè illa sustineat ex certis causis, non perseverando intrà limites prohibitionis. Sic ille.

Subsumo ego: atqui jus expressè sustinet Matrimonium Catholicæ mulieris cum hæretico, arg. c. 13. de Hæret. in 6. ut sup. vidimus: ergò ab hac regula hìc disceditur.

103. *Expositio leg. Non dubium, ex Fontio.*

Et consimiliter à d. l. *Non dubium*, quæ varias habet interpretationes, ut videre poteris apud Pontium lib. 5. cap. 3. ubi quinque reprobatis, ipse n. 11. scribit in hæc verba: Dico ergò in primis, ut constat ex integra, quæ est in Novellis Theodosij C. Theodos. tit. 4. legem illam latam esse contrà Curiales quosdam, qui cùm prohibiti essent ad rerum alienarum procurationem accedere, conducebant vel fidejubebant, contrà legis mentem fraudulenter agentes.

Loquitur in casu particulari de quibusdam Curialibus.

De illis ergò determinatè loquens, non de alijs, vult irritum esse pactum, conventionemve, etiamsi solum prohibuerit, & id extendendum esse ad veteres & Novellas constitutiones, scilicet de eo loquentes, ut Imperatori, quod fieri non vult, scilicet in eo casu, solùm prohibuisse sufficiat. Itaque juxtà hanc interpretationem, non ita latè patere existivaverim hujus legis dispositionem, sicut Bartolus, & vulgus interpretum existimat, sed solùm ad speciem facti, de quo loquebatur, restrinxerim. Hæc ille.

Sed quoniam Ecclesiasticæ leges cap. *Imperiali*, 25. q. 5. Cap. *Vides*, dist. 10. & d. cap. *Videtur nobis*, prædictæ legis *Non dubium*, dispositione utuntur in alijs casibus, & latiùs intelligunt; hinc Pontius duas alias interpretationes addit. 104.

Prima (inquit) est; in d. l. *Non dubium*, non decerni, factum contra legem esse irritum ipso jure; sed ut irritetur à Iudice in judicio ope exceptionis, & ideò indigere Iudicis sententiâ. Cui interpretationi favent illa verba: *Pro infectis etiam habeantur*, &: *Nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum*: Id est, declarari & judicari debere per hominem. Unde d. cap. *Vides*, dicit Joannes Papa: *Quod contrà leges accipitur, per leges dissolvi meretur.* Scilicet, quando dissolubile est: jam autem Matrimonium semel validum, nequit per sententiam hominis dissolvi; quia indissolubile est. *Alie due interpretationes d. leg. Prima.*

Secunda interpretatio est (inquit Basilius sup. n. 13.) prædictam legem intelligendam esse cuni ea generali regula, ita ut in terris Imperio subjectis, ubi ea lex viget, quidquid simpliciter prohibetur, nullum etiam sit. Addendum tamen; nisi actus talis sit, ut vel irritari non possit, aut ex lege vel consuetudine constet, eum actum irritare noluisse Legislatorem. Ita Pontius cum Alijs, quos citat. 105. *Secunda.*

Subsumo ego: atqui constat, saltem ex consuetudine, Legislatorem noluisse irritare Matrimonium hæretici cum Catholica, cùm nuspiam Gentium dissolvatur quoad vinculum: ergò d. lex *Non dubium*, non adversatur nostræ Conclusioni.

Requiritur autem ad validitatem hujus Matrimonij (inquit Aversa hìc q. 18. sect. 2.) ut tam hæreticus, quàm Catholicus habeat, saltem in genere, aut virtualiter, intentionem ineundi contractum firmum & indissolubilem: siquidem id requiritur, etiam cùm contrahunt Catholici inter se, & hæretici, imò & quicumque infideles inter se. Quòd si quis intenderet contrahere solùm ad tempus, sive contrahere vinculum dissolubile, & non aliter; sic planè non valeret Matrimonium, ex eo nempè capite, quòd apponit clausulam & conditionem contrariam substantiæ Matrimonij, ut suo loco vidimus. 106. *Quid requiratur ad valorem Matr. hæretici cum Catholica, ex Aversa. Primò.*

Item requiritur, ut aliquo modo in genere, aut virtualiter, habeat intentionem faciendi & suscipiendi Sacramentum, saltem sub generalitate faciendi, quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, sive faciendi validum Matrimonium, quocumque modo fiat; quia hoc sufficit ad faciendum etiam Sacramentum. Quòd si quis penitùs excluderet rationem Sacramenti, ita ut potiùs nolit facere contractum, quàm consentiat facere Sacramentum; tunc putamus nec facere Sacramentum, nec contractum, quàmvis Aliqui velint, posse sic per intentionem separari rationem Sacramenti à ratione contractûs. Hactenùs Aversa. *Secundò*

Alij.

107. *Oppoſitum ſecundi requiſiti docet Auctor.*

Aliqui, inquam, quorum unus ego ſum ; & ideò contrà Averſam ſuſtineo, validum eſſe Matrimonium hæretici cum Catholica, imò & Catholicorum inter ſe, tametſi penitùs excluderent rationem Sacramenti ; validum, dico, in ratione contractûs ; ac proinde indiſſolubile per hominem.

Quæ ſit radix indiſſolubilitatis Matr.

Neque enim ratio Sacramenti propriè dicti eſt radix indiſſolubilitatis, ut alibi oſtendimus ; ſed voluntas Dei, qui contractum Matrimonij inſtituit in primis parentibus ante peccatum, ſeparatum à ratione Sacramenti propriè dicti, quam Chriſtus ei annexuit in lege nova. Dubitas autem, an in primis parentibus fuerit ille contractus indiſſolubilis ? Audi Chriſtum Matth. 19. v. 8. *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic.* Neque hodie eſt ſic.

108. *Contractus Matr. merè civilis eſt indiſſolubilis.*

Tametſi ergò tali caſu contractus ſit merè civilis, non ideò per hominem diſſolubilis : quia & de ipſo verè dicitur : *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, ſicut verè dictum fuit de conjugio primorum parentum, tametſi foret contractus tantùm naturalis ſeu civilis ; idque, quia formam ſuam immediatè acceperit à Deo, & non ab hominibus. *Non legiſtis* (inquit Chriſtus ſup. apud Matth. v. 4. & ſequentibus) *quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos ? & dixit ; Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una Itaq; jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergò Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

109. *Objectio.*

Si dixeris : hæretici nolunt contrahere indiſſolubiliter ; putant enim ſuum Matrimonium diſſolubile, cùm paſſim videant apud ſuos diſſolvi per poteſtatem civilem.

Solvitur.

Reſpondeo : error eſt manifeſtus, ut patet ex alibi dictis, & ſi quidem ſpeculativus tantùm, ita, ut ſi hæreticus ſciret, Matrimonium ſuum eſſe indiſſolubile, vellet equidem contrahere, valet quod factum fuerit ; ſin autem nollet, planè non valet, ut ſup. dicebat Averſa, defectu legitimi conſenſûs. Siquidem non conſentit legitimè in aliquem contractum, qui renuit ſervare formam ejus eſſentialem, qualis hìc eſt indiſſolubilitas. Qui ergò non vult indiſſolubiliter obligari, convincitur profectò, non velle legitimè contrahere.

Hinc Greg. IX. cap. fin. de Condit : appoſ. Si conditiones contrà ſubſtantiam conjugij inſerantur, putà, ſi alter dicat alteri : *Contraho tecum..... donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem ..... Matrimonialis contractus, quantumcumq; ſit favorabilis, caret effectu.*

110. *Inſtantia.*

Infert aliquis : ergò apud hæreticos, qui docent Matrimonium eſſe diſſolubile, ſive propter adulterium, ſive propter moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam à conjuge, contractus non valet.

Diluitur.

Reſpondeo N. C. quia utplurimùm tantùm eſt error ſpeculativus. Hinc niſi conſtet de expreſſa intentione aliter non contrahendi, valet contractus, & eſt indiſſolubilis, niſi velis omnes, qui contrahunt cum tali errore, reverà coram Deo eſſe concubinarios, quod nemo eſt hactenùs auſus dicere. Et non dubito, quin ſi interrogarentur, an vellent vivere in perpetuo concubinatu magis, quàm indiſſolubiliter contrahere, pleriq; reſponderent, ſe malle indiſſolubiliter contrahere. Quod ſufficit, ut error ille non ſit practicus, ſed merè ſpeculativus. Igitur ex eo præcisè capite, quod hæreticus nolit conficere Sacramentum, aut etiam indiſſolubiliter contrahere, judicari non poteſt, Matrimonium inter hæreticum & Catholicam eſſe invalidum.

Præcisè ex hoc quòd Hæreticus nolit conficere Sacramentum. Matr. non eſt invalidum.

Sed quid, ſi ſubſint impedimenta aliqua, jure Eccleſiaſtico tantùm dirimentia ? Omninò eſt invalidum etiam inter duos hæreticos, niſi legitimâ conſuetudine abrogata fuerint apud eos. De qua difficultate infrà latiùs agam. Priùs videamus ; an Matrimonium inter hæreticum & Catholicam, vel inter Catholicum & hæreticam, aliquo caſu poſſit eſſe licitum. Siquidem de per ſe illicitum eſſe, tam jure naturali, quàm poſitivo Eccleſiaſtico, nemo dubitat, & oſtendo ſequenti Concluſ. quæ talis eſt :

CONCLUSIO IV.

Matrimonium Catholici cum hæretica, etiam non denuntiatâ, illicitum eſt jure Eccleſiaſtico (ubi viget) niſi ipſa promittat converſionem. Sed & plerumque prohibetur jure naturali.

1111. *Matr. hæretici cum Catholica jure naturali eſt illicitum.*

POſterior pars, ſcilicet præceptum juris naturalis, patet ex dictis Concluſ. 2. ubi de prohibitione Matrimonij fidelis cum infideli ; nam eædem aut ſaltem ſimiles rationes hìc militant, utputà, periculum perverſionis Catholici, mala educatio prolis, diſcordiæ & ſimilia, propter quæ lumen naturale dictat, tale Matrimonium eſſe evitandum, niſi hæc omnia ceſſent.

Etiam jure Eccleſiæ, ex Can. 16. Elibet.

Quod attinet ad jus poſitivum, præter eos Canones, qui ſuperiùs adducti ſunt, extat Can. 16. Concil. Elibertini ſequentis tenoris : *Hæreticis qui errant ab Eccleſia Catholica, nec ipſis Catholicas dandas puellas, ſed neque Iudæis, neque hæreticis* (id eſt, Gentilibus) *dari placuit, eò quòd nulla poſſit eſſe ſocietas fidelis cum infideli. Si contrà interdictum fecerint parentes, abſtinere per quinquennium placet.*

1112. *Et can. 10. Laod.*

Et can. 10. Concil. Laodic. ſcriptum eſt : *Eos, qui ad Eccleſiam pertinent, indifferenter filios proprios hæreticorum nuptijs minimè ſociare debere.*

Item can. 12. Carthag.

Idem ſtatuitur in Carthag. 3. can. 12. *Item placuit, ut filij vel filiæ Epiſcoporum, vel quorumlibet Clericorum, Gentibus, vel hæreticis, aut ſchiſmaticis, Matrimonio non jungatur.*

Et 14. Chalced.

Adde Can. 14. Concil. Chalced. act. 15. *Quoniam in quibuſdam provincijs conceſſum eſt Lectoribus & Pſaltis uxores ducere, ſtatuit S. Synodus, non licere cuiquam ex his accipere ſectæ alterius uxorem. Qui verò ex hujuſmodi conjugio jam filios ſuſceperunt ; ſiquidem præventi ſunt, ut ex ſe genitis,*

geniti apud Hæreticos baptizarentur, offerre eos Ecclesiæ Catholicæ communioni conveniret: non baptizatos autem non posse ulteriùs apud hæreticos baptizari. Sed neque copulari debet nuptura hæretico, aut Iudæo vel Pagano, nisi fortè promittat ad Orthodoxam fidem se per personæ Orthodoxæ copulam transferre.

113. *Occurritur objectioni.*

Si dixeris: in hoc Canone, uti in duobus præcedentibus, tantùm prohibetur Matrimonium filijs & filiabus Clericorum. Respondeo, id factum fuisse, ut notat Pontius lib. 7. cap. 46. n. 4. quia hoc generaliter in Africa prohiberi non poterat, propter multitudinem Infidelium, Gentilium & Hæreticorum.

Interim alij Canones generaliter loquuntur, ut manifestum est. Et ideò nullus dubitat, quin hodie Matrimonia Catholicorum cum hæreticis sint illicita, etiam jure positivo, non solùm quo per excommunicationem prohibetur omnis communicatio cum hæreticis, qualis indubiè est contractus Matrimonij; sed quo specialiter cavetur hic contractus etiam in casu, quo alioquin, propter Extrav. *Ad evitandum*, licèt communicare cum excommunicatis toleratis, seu non vitandis. Ex quo patet, quare in Concluſ. addatur hæc particula: *Etiam non denuntiata.*

114. *An hoc jus Ecclesiæ in aliquibus locis sit consuetudine abrogatum.*

Et verò, quoniam lex humana consuetudine potest aboleri, interposui hanc parenthesim: *Vbi est in vigore.* Quia, ut placet Sanchio lib. 7. disp. 72. n. 5. in aliquibus locis videtur ampliùs non vigere, propter oppositam consuetudinem. Fatentur omnes (inquit ille n. 4.) Matrimonium Catholicę personę cum hęretica vel Apostata esse peccatum: imò multi explicant esse mortale: & id quidem est verissimum. Quia contravenitur justissimo Ecclesię præcepto, interdicentis ea Matrimonia, propter periculum fidei imminens conjugi Catholico ac proli, ut patet ex Concil. Generali Chalcedonēsi, Elibertino, Laodiceno, Carthag. & Agathensi. Quæ, dempto primo, quàmvis provincialia sint, at sunt approbata à Pontificibus.

115. *Affirmat Sanchez. ut in Germania &c.*

Hinc tamen (inquit idem Auctor n. 5.) excipi debent loca, in quibus Hæretici non denuntiati, nec notorij Clericorum percussores, cum Catholicis permisti convivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia: in ijs enim ex consuetudine recepta & tolerata, licent conjugia Catholicæ personæ cum hæretica, dummodò Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo, in fide permanere. Quia ea conjugia ineuntur instar aliorum contractuum civilium, ob amicitiæ leges, & ad communem pacem & Reipublicæ tranquillitatem tuendam. Hæc ille.

Item docet Azorius.

Et antè ipsum Azorius lib. 8. Instit. moral. cap. 11. q. 5. ubi in fine lego hæc verba: Ubi fuerit id consuetudine præsertim scitâ & toleratâ à Romano Pontifice receptum, tutâ conscientiâ fieri potest: nam consuetudo moribus utentium recepta vim habet contrà leges & Canones. Sic Azorius.

116. *Et approbat Gobat, quàmvis non sciat ullam urbem, in qua Papa talia connubia approbaverit.*

Cui quidem doctrinæ (inquit Gobat in suo Alphab. trac. 9. n. 219.) & ego subscribo; sed nego, sciri à me ullam urbem, in qua Pontifex ullus expresse vel implicitè approbârit talia conjugia. A se quoque ignorari, satis indicat Tannerus to. 4. disp. 8. q. 4. n. 89. Tannerus.

Scio quidem dissimulari ab Illustrissimis Ordinarijs Constantiensibus; sed hæc dissimulatio non reddit tutos in conscientia Catholicos, sequentes doctrinam Sanchezij & Azorij, quibus non fuerunt perspecti mores Germanorum; tum, quia Constitutiones Synodales manent nihilominùs in suo vigore; tum, quia nec ego, nec alij, quos interrogavi, sciunt nominare ullum locum nostræ Diœcesis, in quo hæretici copulantes sibi Catholicas mulieres, non addant vel explicitè (quod ferè fit semper) vel implicitè hanc conditionem, ut scilicet mater se non immisceat filiorum educationi in rebus Religionem concernentibus: dicere autem, quòd nostri Illustrissimi Domini Ordinarij approbent etiam tacitè hanc conditionem, est eos damnare apertæ impietatis.

117. *Quid requiratur, secundùm ipsum, ut sint licita.*

Ergò non sunt licita talia conjugia, nisi, sepositis omnibus extrinsecis malis, adsit insuper gravis causa, videlicet spes sopiendi graves dissidia, convertèndi conjugem ad fidem, & ut addit Lessius in Auctario seu consil. moral. verb. *Hæreticorum cum Catholicis conversatio*, cas. 23. si puella nequeat inter Catholicos reperire conjugem paris conditionis. Porrò quia Germani DD. Tannerus & Laymannus, itemque Marchantius Belga, rectissimè testantur, oriri communiter majora mala, quàm bona; idcircò reor, esse rarum casum, quo sint à parte rei, & in individuo, licita hæc connubia.

Unde moneo, ex doctrina ejusdem Tanneri n. 93. Dominos Pastores, ut, quoad possunt, se opponant talibus conjugijs, nec assistant, nisi susceptis ex justa causa, & sinè morali periculo perversionis; nunquā autem, planè nunquā illis, quibus sponsi pascisuntur de parte liberorū educāda Calvinisticè, Lutheranè &c. Hucusque Gobatius.

118. *Ei subscribit Auctor.*

Cui lubens subscribo, donec quispiam clarè demonstraverit, consuetudinem in dictis terris fore rationabilem, & legitimè præscriptam. Et verò consuetudo rationabilis non est, quæ pugnat cum lege naturali aut Divina. Iam autem Matrimonium hæretici cum Catholica in plerisque casibus pugnat cum lege fidei, propter periculum perversionis; lege pietatis, propter periculum malæ educationis prolium; & lege charitatis, ob periculum discordiarum, & scandalum aliorum fidelium. Unde autem constat, quòd in dictis provincijs passim cessent illa pericula, sic ut contrahentes sinè alia justa causa nequidem venialiter peccent contrà dictas leges?

119. *Pactum de educanda parte liberorum hæreticè, est impium.*

Sanè pactum de parte liberorum hæreticè educanda, impium esse, & irritum, omnes consentiunt. Sanchez sup. n. 6. sic ait: Pacta, quæ in conjugijs quandoque ineuntur, ut quidam ex liberis nascituris fidei, alij autem hæresi adhæreant, sunt prorsùs impia & irrita. Quòd sint contrà jus Ecclesiasticum præscribens, ut soboles sequatur conditionem partis fidelis, cap. 2. de Converſ. infidelium in fine: *Respondemus: patri (qui fuerat conversus) eumdem puerum assignandū.* Sanchez. C. 2. de Converſ. infid.

Et 28. q. 1. cap. 10. ibi: *Filij autem, qui ex talibus* (Iudæo & muliere Christianā) *nati existunt, fidem* C. 10. 28. q. 1.

dem atque conditionem matris sequantur. Similiter & hi, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Christianam sequantur Religionem, non judaicam superstitionem.

Pugnat etiam cum jure Divino, quo attento, incumbit parentibus cura educandi liberos in fide, ijsque moribus, ut remedia saluti necessaria adipiscantur.

120. *Non est illicitum excipere partem filiorum ab educatione hæretica, ex Tannero.*

Observat tamen (inquit Gobat sup. n. 222.) sapienter & singulariter Tannerus sup. n. 91. non repugnante, ut reor, Lessio, in casu quo Matrimonium Catholicæ cum hæretico licitum est, multumque momenti habiturum sit, ad publicum bonum promovendum; nec tamen via aut ratio suppetit, quâ à marito impetret liberam facultatem, universam prolem ad Catholicæ Religionis cultum educandi, non videri illicitum adjicere cautionem aut exceptionem, ut saltem aliqua pars filiorum, nihil impediente marito, ad Catholicam Religionem informetur, nil interim quoad cæteros liberos præjudicando juri Catholicæ matris, que tenetur pro viribus filios omnes in eadem Religione instituere. Ita Tannerus.

Probatio.

Et ratio est: quia in illis circumstantijs, mater solùm habet se permissivè ad malam educationem, quam commodè non potest impedire; secùs quando positivè se obligat, ad partem filiorum hæreticè educandam, seu præjudicat per pactum juri suo, quod alioquì habet, ad Catholicè educandam.

121. *Circumstantiæ, in quibus est licitum contrahere Catholico cum hæretica, ex Lessio.*

Appositè Lessius sup. ad quæstionem: utrùm in locis, ubi hæresis dominatur, licitum sit personæ Catholicæ contrahere Matrimonium cum hæretica? Respondeo (inquit) id ibi non videri illicitum, concurrentibus his circumstantijs. Primò, ut nullum sit periculum perversionis, & Catholica persona permittatur liberè vivere juxtà suam Religionem. Secundò, ut permmittatur ipsi educare proles Catholicè. Tertiò, ut Catholico non sit facilè invenire parem & commodum conjugem inter Catholicos. Quartò, ut hæreticus non sit denuntiatus, ac notorius percussor Clerici. Quintò, ut ibi passim sit consuetudo ita contrahendi, ita ut nullum sit scandalum. Ratio est, quia tribus prioribus circumstantijs concurrentibus cessat jus Divinum: & consuetudo tollit jus humanum, quo id erat prohibitum. Accedit: quòd summus Pontifex sciat, & permittat in multis regnis ita fieri, ubi hæretici & Catholici promixti vivunt. Hæc ille.

122. *Notat Auctor, rarò eas occurrere.*

Sed quæ sunt ista regna, in quibus Pontifex permittit ita fieri, non tantùm dissimulando minus malum, ad evitanda majora; sed etiam approbando? Et quæ sunt ista regna, in quibus est consuetudo rationabilis passim ita contrahendi? Vix invenies regnum, ubi hæretici & Catholici promixti vivunt, in quo passim occurrant tres priores circumstantiæ. Et ideò pleraque Matrimonia illicita sunt jure divino naturali, atque adeò jure positivo. Quippè consuetudo nequit tollere jus divinum, ut apud omnes in confesso est. Sed neque tollit jus Ecclesiasticum, ubi manet jus Divinum; tali namque casu consuetudo est irrationabilis, quia contrà jus Divinum.

123. *Aliquando tale Matr. potest esse licitum.*

Cæterùm inficiari nolo, nec verò possum, in aliquo casu Matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica posse esse licitum, non solùm jure Divino; sed etiam Ecclesiastico. Iure quidem Divino, quando, ut sup. ex Lessio audivimus, tres priores circumstantiæ occurrunt, & nullum alijs datur scandalum, qui ignorantes occursum harum circumstantiarum inducuntur eo exemplo ad similiter contrahendum: ubi tamen non est talis occursus, atque adeò ibi peccatur contrà jus Divinum sic contrahendo.

124. *Probatio ab exemplis.*

Ad hanc doctrinam stabiliendam multa adferuntur exempla Sacræ Scripturæ Iacobi, Salomonis, Esther, & aliorum, qui contraxerunt cum infidelibus; & tamen Deo placuerunt, nec propterea reprehenduntur, de quibus satis egimus Conclus. 2. ut non sit opus hìc ea repetere.

Supersunt etiam post Christum plura exempla sanctissimorum virorum & fœminarum, cum infidelibus in infidelitate manentibus, conjugium incuntium. Cæcilia enim atque Lucia sanctissimæ fœminæ viris paganis ex voluntate parentum nupsere, qui tamen ad veram Religionem earum precibus posteà sunt conversi. Saturus Arianam fœminam duxìt uxorem, ut testis est Victor Uticensis lib. 1. Histor. Monica Patritio Ethnico nupsit, ut testis est August. lib. 9. Confess. c. 9. Ita Pontius in sua Append. c. 3. n. 12. ubi plura similia exempla adducit.

125. *Probatur testimonijs Patrum. In primis S. Hier. ex Pontio.*

Et n. 13. probat hanc sententiam nonnullis testimonijs Patrum. Nam in primis, inquit, Hieronymus lib. 1. contrà Iovinianum hæc Matrimonia Catholicorum cum Infidelibus suo tempore frequentia fuisse scribit in hæc verba: *At nunc pleræque, contemnentes Apostoli jussionem, junguntur Gentilibus, & templa Christi prostituunt Idolis, neq; intelligunt ejus corporis partem esse, cujus & ossa sunt.* Reprehendit quidem id Hier. in sequentibus; mirum tamen, ea frequentia conjugia, si peccaminosa fuissent, tolerasse aut dissimulasse Ecclesiarum Pastores: sed sustinuêre, quia nequaquam eò tempore, & in illis circumstantijs illicita credebant. Hæc ille.

Sed non efficaciter.

Ego autem dico: sustinuêre; quia commodè non poterant impedire. Si enim licita credebant, quare Hiero. ea reprehendit, & dicit, taliter contrahentes contemnere jussionem Apostoli, & templa Christi prostituere Idolis? An forte hoc licitum est?

126. *Deinde D. Aug.*

Deinde adducit auctoritatem D. Aug. ex lib. de Fide & operibus cap. 13. (debet esse c. 19.) ibi: *Sed quoniam malorum Christianorum mores, qui fuerant antea etiam pessimi, habuisse non videntur hoc malum, ut alienas uxores ducerent viri, & alienis viris fœminæ nuberent: inde fortassis apud quasdam Ecclesias negligentia ista subrepsit, ut in catechismis competentium nec quærerentur nec repercutirentur hæc vitia. Atque inde factum est, ut inciperent & defendi, quæ tamen in baptizatis rara sunt adhuc, si ea nos negligendo non defensa faciamus.*

mus. Talem quippè in quibusdam negligentiam, in alijs imperitiam, in alijs ignorantiam, probabiliter Dominus somni nomine significasse intelligitur, ubi ait: Cùm autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania.

Hinc autem existimandum est, nunc ea primùm apparuisse in moribus, quamvis malorum Christianorum, quoniam Beatus Cyprianus in Epistola de Lapsis, cùm deplorando & arguendo multa commemoraret, quibus meritò dicit, indignationem Dei fuisse commotam, ut intolerabili persecutione Ecclesiam suam sineret flagellari, hæc ibi omninò non nominat: cùm etiam illud non taceat, & ad eosdem mores malos pertinere confirmet, jungere cum infidelibus vincula Matrimonij, nihil aliud esse asserens, quàm prostituere Gentibus membra Christi: quæ nostris temporibus jam non putantur esse peccata: quoniam revera in novo Testamento nihil inde præceptum est, & ideò aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est. Hæc Aug.

127. *Hoc testimonio putat Pontius nihil esse clarius.* Subjungit Pontius: Quid clarius? Licere Aug. tempore ea conjugia fidelium cum infidelibus, planè affirmat, ita quidem; quia ob frequentiam & pericula & scandala cessabant; sicut & nunc in his provincijs, in quibus Catholici cum hæreticis unam Rempublicam constituunt, cessare dicunt multi. Hæc ille.

Sed nunquid etiam probant multi? Non sufficit dicere, sed probatum oportuit, quod dicitur. Attendite quid aliquando publicè in Hallis Lovanienſibus dictaverit Eximius Dominus ab Angelis: Quòd si (inquit) contrà incommoda & pericula, quæ ex tali Matrimonio hæretici cum Catholica oriri possunt, sufficienter sit provisum, ita ut cesset prohibitio legis naturæ; tunc ex minori causa, ut commoditate humani convictûs, licitè dispensabitur: imò in locis ubi Catholici hæreticis permixti vivunt, non est opus dispensatione ex tolerata consuetudine.

128. *Quando satis sit provisum incommodis & periculis, quæ solent ex tali Matr. provenire.* Ut autem censeatur satis provisum, non requiritur evidens certitudo boni successûs; sed sufficit prudens æstimatio moraliter adherens securitatem, ut si persona hæretica ostendat propinqua signa conversionis, si interponantur pacta juramento firmata, quòd parti Catholicæ non erit molesta in Religione, illique permittet educationem prolium, quæ pacta poterunt firmari adjectione pœnæ, ut restitutione dotis: item si talis sit pars hæretica, ut nullo modo videri vellet violasse fidem datam: item si (ut in multis contingit) parùm curent de Religione, studentes tantùm paci, convictui & œconomiæ. Sic ille.

An per solam frequentiam. Et credam ego, per solam frequentiam sufficienter provisum esse? Quid si frequenter contrahant cum pacto implicito vel explicito, ut mater se non immiscat filiorum educationi in rebus Religionem concernentibus, ut sup. testatur Gobatius? Censen' per istam frequentiam satis provisum esse? Scio, quòd non censeas.

Et verò existimas, frequenter iniri Matrimonia inter hæreticum & Catholicam, cum illa provisione, quam Doctor ille expostulat? Credo, quòd sit rara avis in terris nostris. Et dum ita providetur, nùm ideò cessat scandalum, quod datur ijs, qui ignorant illam provisionem, & sinè ea contrahunt?

Quod attinet ad D. Aug. quæro: an planè affirmet, suo tempore licitum fuisse, dimittere uxorem in adulterio deprehensam, & aliam ducere? Et tamen eodem modo loquitur de hoc Matrimonio, sicut de Matrimonio fidelis cum infideli. Nam verbis sup. allegatis continuò attexit: *Sicut etiam illud ambiguum est, utrùm Herodes mortui duxerit, an vivi fratris uxorem: & ideò non ita claret, quid Ioannes ei non licere dicebat. De concubina quòque, si professa fuerit, nullum se alium cognituram, etiamsi ab illo cui subdita est, dimittatur: meritò dubitatur, utrùm ad percipiendum Baptismum non debeat admitti. Quisquis etiam uxorem in adulterio deprehensam dimiserit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui, excepta causâ adulterij, dimittunt & ducunt. Et in ipsis Divinis sententijs ita obscurum est, utrùm & iste, cui quidem sinè dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur si alteram duxerit, ut quantùm existimo venialiter ibi quisque fallatur. Quamobrem quæ manifesta sunt impudicitiæ crimina, omninò à Baptismo prohibenda sunt, nisi mutatione voluntatis & pœnitentiâ corrigantur: quæ autem dubia, omninò conandum est, ne fiant tales conjunctiones. Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* 129. *Expenditur auctoritas D. Aug.*

Dubitat Aug. sive affirmat dubium fuisse, an liceret dimissâ adulterâ aliam ducere, non planè affirmat licuisse. Et consimiliter non planè affirmat licuisse conjugia fidelium cum infidelibus; sed aut licuisse, aut velut dubia derelicta fuisse: eo quòd in novo Testamento nihil inde præceptum esset. Unde non negat præceptum naturale; sed tantùm divinum positivum superadditum in nova lege. 130. *Aug. dubitat, non affirmat, certò licuisse talia Matr.*

Et sanè istis Matrimonijs tempore Aug. semper provisum fuisse contrà perversionem conjugis fidelis, & malam educationem prolium, aliaque incommoda, quis audeat dicere? Atque sinè tali provisione non licuisse, puto D. Aug. firmiter credidisse. An autem possit ita provideri, est alia quæstio. Supposito quòd possit, & quòd de facto provisum sit, non videmus, quâ lege in novo Testamento à Christo immediatè prohibeatur. Sed revertamur ad Pontium.

Denique (inquit n. 14.) sunt pro hac sententia Patres Africani. Nam cùm generaliter in Africa prohiberi non possent ista conjugia, propter multitudinem Infidelium, Gentilium, & Hæreticorum, ne Matrimonia cessarent, prohibita ea conjugia fuerunt saltem filijs Episcoporum & Clericorum. Vide sup. Canones prohibentes, 22. Carthag. 3. & 14. Chalced. 131. *Adducit etiam Pontius pro sua sententia PP. Africanos.*

Ergò (inquit Basilius) Concilij Carthag. lege alijs hominibus & fœminis, præter filios Episcoporum & Clericorum, licebat inire Matrimonia cum Infidelibus, Hæreticis & Paganis: & Concilij Chalced. lege alij, præter Clero deputatos, Matrimonia cum hæreticis inire poterant, quàmvis in 2. parte *Qui solis filijs Clericorum, & ipsis Clericis prohibuerunt istha Matr.*

Canonis

Canonis fœminis, ut fragilioribus, prohibeantur iſta Matrimonia. Quibus ſatis apertè datur intelligi, alios homines, præter Clero deputatos, poſſe alterius ſectæ fœminas Matrimonio ſibi copulare.

Nam in materia de Legibus eſt ea doctrina communiter recepta, quæ docet, extenſionem fieri legis, ultrà quam verba ſonant, non ſolùm ex alia parte legis aut ex conſequentibus; ſed etiam à contrarijs, ut cùm lex nominatim quid in aliqua re ſtatuit, intelligatur in re contraria contrarium velle, etſi non expreſſerit. Hinc enim in l. 22. ff. de LL. definitum eſt: *Cùm lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat.*

132. *Arg. à contrario ſenſu.* Cùm ergò lex Carthag. Concilij tantùm de filijs Clericorum diſponat, & conſtitutio Chalcedonenſis tantùm de Clero deputatis, contrarium in his, qui vel filij Clericorum non ſunt, vel non deputati Clero, diſpoſuiſſe cenſetur. Et cùm eadem Conſtitutio Chalcedonenſis de filiabus tantùm diſponat, ne nubant hæretico, vel Iudæo, vel Pagano, aliter in viris diſpoſitum exiſtimandum eſt, ex eadem conſideratione. Hactenùs Pontius.

Rejicitur. Sed nunquid audiendus? Neutiquam, reponit quiſpiam; nam in materia de Legibus eſt ea doctrina communiter recepta, quæ docet, neque legem, neque privilegium, ultrà naturalem & civilem proprietatem verborum, niſi ad abſurdum evitandum, ampliari debere, aut reſtringi; & argumentum à contrario ſenſu ſæpè ſæpiùs non concludere. Hinc in l. 7. ff. de LL. definitum eſt: *Leges & conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotijs, non ad facta præterita revocari, niſi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotijs cautum ſit.*

133. *Oſtenditur. hic non Concludere.* Ergò tametſi dd. Concilia ſolùm deſponant de Clericis, & filijs Clericorum, non rectè concluditur, contrarium in alijs per dd. Canones fuiſſe diſpoſitum. Cùm enim pleraque hujuſmodi Matrimonia in alijs ſint peccaminoſa, quia jure naturæ prohibita, niſi ſatis provideatur periculis, & incommodis, quæ ex ipſis oriri ſolent; non eſt veroſimile, Patres iſtorum Conciliorum voluiſſe poſitivè concedere licentiam alijs ſic contrahendi; ſic enim dediſſent occaſionem alijs peccandi; ſed diſſimularunt, propter majus malum evitandum; quia conſiderabant, quòd equidem multitudo plebis legem Eccleſiaſticam non obſervaret; atque adeò potiùs in deſtructionem, quàm in ædificationem id alijs prohiberetur.

Video ſic poſſe reſponderi: interim facilè crediderim, ex his, quæ hactenùs dicta ſunt, non obſcurè colligi, Matrimonium Catholici cum hæretico, Iudæo aut Pagano non eſſe ita intrinſecè malum, ut nullâ circumſtantiâ reddi poſſit licitum, non ſolùm jure naturæ, ſed etiam jure Eccleſiaſtico.

134. *In aliquo caſu licèt tale Matr. etiam jure Eccleſiæ, dum ſcilicet* Siquidem ipſa Decreta ſuperiùs adducta, quæ prohibent tale Matrimonium, excipiunt caſum, quo Infidelis vel Hæreticus convertitur ad veram & Catholicam fidem, aut certè promittat converſionem. Nicen. cap. 53. ibi: *Modo ad fidem veniant*; Laod. c. 31. *Si tamen ſe profiteantur, Chriſtianos eſſe futuros & Catholicos.* Chalced. c. 14. *Niſi forte promittat ad Orthodoxam fidem ſe per perſonæ Orthodoxæ copulam transferre.* Igitur ſtando in his Decretis non videtur neceſſaria diſpenſatio. *hæreticus promittit converſionem.*

Dico: *Stando* &c. quia conſuetudo potuit obligationem inducere. An autem uſpiam induxerit, quæſtio eſt facti. Videant illi, quorum intereſt, id eſt, qui volunt contrahere. Et ſic patet hæc particula Concluſ. *Niſi ipſa promittat converſionem.*

Neque ei contradicit Pontius, fortè nec Sanchez, quidquid dicat Lugo de Fide diſp. 22. n. 17. Dubitatur (inquit) ſecundò, utrùm hæretico, promittente converſionem, poſſit ſinè diſpenſatione Matrimonium fieri. Negat Sanchez d. diſp. 72. n. 4. in fine, & Pontius in d. Append. c. 8. n. 6. Sic ille. 135. *An id neget Sanchez, aut Pontius. Lugo.*

Pontius loco cit. nihil ſimile habet, & cap. 3. n. 1. nullâ factâ mentione diſpenſationis, ait: Illud apud omnes dubitatione vacat, quòd tunc ſaltem licitè contrahitur, ſi hæreticus convertatur ad fidem, vel converſionem promittat; eam enim cauſam expreſsêre Concilia, quæ ea conjugia prohibuerunt. Ita Baſil. *Oſtenditur quòd Pont. non neget.*

Quantùm ad Sanchez, loco cit. relatâ ſententiâ Em. Sa (qui putat ſufficere certam ſpem converſionis in Sum. verb. *Matrimonium*, ubi de impedimentis dirimentibus n. 8. fin.) continuò ſubdit: Sed non placet; durat enim præceptum, quamdiu non redit ad fidem: & facillimo negotio poſſet inito Matrimonio non converti. Ubi videtur ſolùm reprobare ſpem converſionis, non autem promiſſionem: nam hâc poſitâ, nequit facillimo negotio, qui promiſit, inito Matrimonio non converti. Sic, ſalvo meliori, poſſet Sanchez explicari. 136. *Idem declaratur de Sanchio.*

Cæterùm ſolam ſpem non ſufficere, ibidem docet Eminent. hiſce verbis: Non tamen probo, quòd idem Hurtado ibidem (diſp. 76. §. 229.) hoc intelligit, quoties eſt ſpes certa de converſione conjugis: nam lex ſolùm excipit caſum, quo promittit converſionem: ſi ergò ſpes non ſit ex promiſſione, ſed vel ex bona indole hæretici, vel ex ejus animo non obſtinato, vel alijs capitibus, neceſſaria erit diſpenſatio. Multoque magis neceſſaria erit, quando conjux hæreticus promittit ſolùm Catholico liberam fidei ſui profeſſionem, nullamque ei moleſtiam, vel alijs Catholicis inferre. Hæc ille. *An ſufficiat ſola ſpes converſionis? Negat Lugo.*

Et ſtatìm ſibi objicit ex Hurtado §. 230. ceſſante contrariè fine, & ratione legis, ceſſat ejus obligatio: talis autem eſt caſus, quo eſt ſpes certa converſionis Hæretici: nam finis prohibitionis eſt, ne minuatur numerus Catholicorum, ſi Catholicus ab hæretico conjuge pervertatur: & in hoc caſu minuitur potiùs numerus hæreticorum, reducto per Catholicum conjuge hæretico ad fidem: ergò in hoc caſu ceſſat obligatio legis. 137. *Objectio ex Hurtado.*

Reſpondet Card. non ceſſare contrariè finem legis, primò: quia lex non prohibet nuptias abſolutè; ſed quòd fiant ſinè ſcientia & conſenſu *Solutio Lugonis. Prima.*

sensu Pontificis: nullum autem damnum Religionis sequitur, ex eo quòd petatur consensus & dispensatio Pontificis, saltem quando peti potest.

138. *Secundò.* Secundò: quia licet hìc & nunc fortassè majus sit bonum Religionis ex hoc Matrimonio, quàm ex ejus omissione; non est tamen majus bonum, sed potiùs damnum Religionis, quòd possit id licitè absque dispensatione fieri; quia ex eo quòd non sit necessaria dispensatio, sequitur, quòd unusquisque potest fieri sibi judex in hoc negotio, & contrahere cum hæretico, quando spem habet, quòd convertetur, quam spem facilè sibi concipient & fingent pro suo desiderio: Unde sæpè cum spe solùm apparenti & fallaci contrahent, & cum vero periculo perversionis.

Majus ergò bonum fidei & Religionis est, ut, etiam quando est vera spes conversionis, id fieri non possit sinè consensu summi Pontificis, quàm quòd possit, ex qua licentia sequi possunt in alijs casibus majora mala. Hactenùs Lugo. Erit itaque

CONCLUSIO V.

Iure Ecclesiastico non prohibetur personæ fideli contrahere cum hæretica, si ipsa promittat conversionem. Si solùm sit spes conversionis aliundè concepta, necessaria est dispensatio, cujus sufficiens causa est, quæ, seclusâ lege Ecclesiasticâ, excusat Matrimonium in iis circumstantijs à peccato.

139. *Matr. Catholici cum hæretica in aliquo casu est licitum. Pontius.* BAsilius Pontius sup. in Append. c. 3. n. 2. inquit: Nullum legi hactenùs, qui diceret, ita esse illicitum conjugium hæreticæ cum catholico, ut in nullo casu liceat, quàmvis audiverim non paucos, qui adeò periculum perversionis conjugis & prolis, quod in hoc Matrimonio reperitur, exaggerârunt, ut dicerent, illud periculum evidens esse. Quòd si in his est periculum evidens, nequaquam poterit licere ejusmodi conjugium. Nam cum istis periculis evidentibus subveniri non possit, aliàs evidentia non essent, fit ut Matrimonium, cui ista pericula evidentia conjuncta sunt, numquam liceat.

Et cap. 5. n. 2. ad idem propositum sic ait: Nonnullos audivi asserentes, in nullo alio casu licere, nisi in eo quem Concilia expresserunt, quàmvis neminem legerim ex his, qui typis mandarunt sua scripta, qui in ea opinione sit.

140. *Etiam absque spe conversionis.* Quare vera & communis sententia est, etiam cum conjuge hæretico, non redeunte ad fidem, posse licere nuptias. Cujus communis sententiæ est illud unicum fundamentum: quia etiam conjuge hæretico non converso, cessare potest periculum perversionis conjugis Catholici, propter circumstantias occurrentes, prudenter consideratas. Igitur eo cessante periculo, cessabit etiam naturalis prohibitio, sive cesset, quia convertitur infidelis, sive alio modo aut ratione.

Quia potest evanescere periculum perversionis. Posse autem, non redeunte ad fidem hæretico, periculum perversionis evanescere, docent communiter DD. In primis illi, qui dicunt, nunc in Germania, & Regionibus infectis, licitè contrahi à Catholicis Matrimonia cum hæreticis; quia jam ipso usu convictûs exigente, & attento etiam hominum ingenio & naturâ, qui de rebus Religionis parùm curant, tantùmque politicæ conservationi student, prudenter judicatur, periculum illud cessare. Ita Basilius.

141. Sed aliter loquuntur de Germania Tannerus & Gobatius, ut sup. audivimus. Et præterea, nunquam cessare periculum, probatur in primis ex sacris Litteris, Gen. 24. vers. 2. & 3. *Dixit* (Abraham) *ad servum seniorem domûs suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito.* *Oppositum probatur ex Script. Gen. 24.*

Et Gen. 26. vers. 34. & 35. ita scriptum est: *Esau autem quadragenarius duxit uxores, Iudith filiam Beëri, & Basemath filiam Elon ejusdem loci: quæ ambo offenderant animum Isaac & Rebeccæ.* *Et Gen. 26.*

Adde: quòd Gen. 34. vers. 14. responderunt filij Iacob Sichem, postulanti Dinam in uxorem: *Non possumus facere, quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum & nefarium est inter nos.* *Item Gen. 34.*

142. Omitto alias Scripturas veteris Testamenti, in quibus, ut sup. vidimus, prohibentur à Deo hujusmodi Matrimonia. Nam solùm probant periculum sæpiùs esse connexum, & ideò jure naturali plerumque non licere; non tamen colligitur illud periculum inseparabile esse. Etenim quod dicitur 3. Reg. 11. vers. 2. *Certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum,* prædictio tantùm fuit ejus, quod in eo populo eventurum Deus pro sua infinita scientia cognoscebat. *Explicantur aliæ Scripturæ de eo, quod plerumque fit.*

Alioquì, ut notat Pontius sup. c. 4. n. 11. sequeretur in primis, esse de fide, tale periculum cum eo Matrimonio conjungendum. Item, istud Matrimonium cum infideli, in sua infidelitate manente, nunquam licere nec licuisse. Item, quotquot ea conjugia contraxerunt, vel deinceps contraxerint, & lapsos & lapsuros esse. Quæ omnia sunt contrà communem DD. omnium sensum, & sanctissimorum hominum exemplis, ex sacra & humana historia suprà adductis, refelluntur. *Pontius.*

143. *Quid significent ea verba 3. Reg. 11. Certissimè enim avertent &c. ex Pontio.* Quod ergò dictum est à Deo: *Certissimè enim avertent* &c. non tantùm fuit indicatio periculi; sed etiam eventûs futuri prædictio in eo populo, ad idolorum cultum valde propenso. Ita Pontius.

Eventûs, inquam, futuri, non in quolibet particulari casu; sed ut plurimùm; quod omninò sufficiens erat, ut Deus superadderet judiciale & positivum præceptum, ratione cujus jam non liceret

ceret hujuſmodi Matrimonium, etiamſi periculum perverſionis, inſpectis circumſtantijs, ceſſaret, dummodò fœmina ad Iudæorum Religionem non tranſiret.

Atque in hunc ſenſum accipienda ſunt, quæ adduci ſolent ex Paulo & Patribus: tantùm enim indicant veroſimile periculum, quòd in iſtis conjugijs intervenire ſolet, & ideò condemnant ea, & ut illicita reprobant. Sunt enim frequenter plena periculis: non tamen convincunt, eſſe hujuſmodi pericula inſeparabilia.

144. *Interpretatio Scripturarum ex Gen. adductarum, ex Saliano.* Et eodem modo explicari poſſent Scripturæ ſup. adductæ ex libro Geneſ. quàmvis aliqui aliter eas interpretentur. Salianus to. 1. Annalium anno mundi 2178. n. 7. hæc habet: Adduntur & aliæ rationes, cur Abraham à Chananæorum affinitatibus abhorreret; gravis ſcilicet idolòlatria & perverſi mores. Sed id malum omnium non fuit. Melchiſedech enim & Abimelech veri Dei cultores erant, ut antedictum eſt, & multos habebant ſubditos, non indignos Principibus ſuis. Abhorruerit potiùs à Gente, quæ antiquo Noë maledicto teneretur, & poſt aliqua tempora funditùs eſſet exterminanda. Ideoque non oportebat cum ea Gente ſemen Abrahæ commiſceri atque confundi, ne cum ea ſimùl interiret.

Idem etiam obſervavit Iacob, ut apparet ex Gen. 27. verſ. 46. *Dixitq; Rebecca ad Iſaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi acceperit Iacob uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere.* Sed aliqui filiorum ejus laxiores in ea re fuerunt, ut conſtat ex Gen. 38. verſ. 1. & 2. *Eodem tempore deſcendens Iudas a fratribus ſuis, divertit ad virum Odollamitem nomine Hiram. Viditq; ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue: & acceptâ uxore ingreſſus eſt ad eam.*

145. *Explicantur nuptiæ Eſau cum duabus fœminis, ex eod.* Idem Salianus anno 2238. n. 4. cùm explicat nuptias Eſau cum duabus fœminis Chananæis, quas ex ſententia Joſephi atque Chryſoſtomi, duxit inconſulto patre, inquit: Quæ fidem aliquam accipiunt ex eo, quod ait Moyſes, ambas offendiſſe animum Iſaac & Rebeccæ. Idque ſive ob improbatam cognationem cum alienigenis, ſive propter morum improbitatem, ſive propter Religionis diſſimilitudinem, ex qua Eſau in periculum idololatriæ trahebatur, ut notavit Abul. Cajet.

Ratio offenſæ Iſaaci & Rebeccæ. Prima. Targum Onkelos explicans eam offenſionem, ait: *Et fuerunt rebelles atque immorigeræ verbo Iſaaci & Rebeccæ.* Septuaginta: *Et erant contendentes, ſive contentioſæ adverſus Iſaac & Rebeccam.* Targum Hieroſolymit. *Et fuerunt rebelles & inflato animo colentes idola, nec recipientes doctrinam neque ab Iſaac neque à Rebecca.*

146. *Secunda.* Fortaſsè etiam offendebant; quia duæ erant, cùm Iſaac unicâ ſemper contentus vixiſſet; & quia, ut fit, invicem rixabantur, & Iſaac naturâ mitiſſimus, diligebat pacem, & cedere malebat quàm contendere, ut in cauſa puteorum perſpectum eſt. Quâ improbitate earum bene uſus eſt Dominus, avertens utriuſque animum à contrahendo nuptias cum Jacobo, in quo ſpes ſumma benedicti ſeminis, cum iſtiuſmodi mulieribus & ſimul Iſaaci virtutem & patientiam moleſtijs domeſticis exercens, & meritorum coronas multiplicans. Hæc Salianus.

Expoſitio Marij. At verò Leonardus Marius Gen. 24. Noluit (inquit) Chananæas Abraham, quòd per Matrimonium promiſſas ſibi benedictiones, vellet etiam ad patrueles & cognatos derivare, eos ſic liberaturus de Idololatria, in qua etiam ipſi erant, ut & Auguſtinus docet, & ex Idolis Rachelis ſatìs conſtat, etſi ſimul agnoſcerent Deum verum. Hæc ille.

147. *Quomodo intelligenda reſponſio filiorum Iacob Gen. 34. Primò.* Reſtat reſponſio filiorum Jacob. Gen. 34. ad quam dic, quod ait Scriptura ibidem verſ. 13. *Reſponderunt filij Iacob Sichem & patri ejus in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis. Non poſſumus* &c. ut ſup. non quòd illis non licerent ea conjugia: nam Iacob poſteà Dinam dedit Principi idololatræ; ſed ut circumciſos tertio die occiderent.

Patet ex pòſt facto, quod refertur verſ. 25. & 26. *Et ecce die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis duo filij Iacob Simeon & Levi fratres Dinæ gladijs, ingreſſi ſunt urbem confidenter, interfectiſq; omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necaverunt.*

148. *Secundò.* Prætereà notant aliqui: aliud eſſe Matrimonium inire cum Paganis, & ex eis filiam ſibi copulare, aut illis filiam nuptui tradere, quod nullâ lege poſitivâ Dei tunc prohibitum erat: aliud verò unà cum conjugio ſimul cum Idolorum cultoribus habitare, & cum illis unum populum conſtituere, quod Sichem & Hemor unà cum Matrimonio poſtulabant, verſ. 10. *Et habitate nobiſcum.* Id autem tunc fuit illicitum Hebræis, non ex aliquo divino præcepto expreſsè illis tradito; ſed traditione Majorum, quæ vel inſpiratione divinâ, vel revelatione aliquâ duxerat originem. Etenim coadunatio hominum in unum populum, requirit unitatem legis & Religionis, quæ ſi diverſæ fuerint, malè coaleſcet populus in unum corpus pacificè & quietè vivens.

149. *Talia Matr. plerumque ſunt illicita, vel contrà fidem,* Omnibus itaque Scripturæ & SS. Patrum auctoritatibus perlectis & perſcrutatis, ſit reſolutio finalis: non convincunt inſeparabilitatem peccati ab hujuſmodi Matrimonio, ſed frequentiſſimam connexionem peccati, vel contrà fidem, vel contrà charitatem. Tanta enim communicatio cum hæretico, quæ reddat communicantem de ſua fide ſuſpectum, qualis indubiè eſt hæc communicatio, ſi aliqua, prohibetur ratione fidei, quia eſt contrà externam fidei confeſſionem.

Vel contrà charitatem. Ratione etiam charitatis obligat hoc præceptum, primò, ad vitandum ſcandalum proprium, ne quis in periculo errandi ſe conſtituat. Deindè, ad vitandum ſcandalum proximorum, qui eo exemplo facilè ad familiarem communicationem cum hæreticis incitantur, & in periculo conſtituuntur. Denique, ad vitandum nocumentum ipſiuſmet hæretici, qui & hujuſmodi communicatione fit audacior, & in ſuo errore pertinacior.

Inſuper ubi fides non eſt, difficillimè viget mutuus amor, juxtà illud Ambroſij lib. 1. de Abrah.

Abrah. c. 9. *Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides?*

150. *Videtur etiam periclitari bonum fidei, ex D. Ambr.*

Videtur etiam periclitari in ejusmodi Matrimonijs bonum fidei, cùm conjugis, saltem infidelis, castitas periclitetur; quod etiam expressit loco cit. Ambr. & duplici ratione confirmat. *Prima* (inquit) *conjugij fides castitatis gratia est. Si idola colat, quorum prædicantur adulteria: si Christum negat, qui præceptor & remunerator est pudicitiæ, quomodo potest diligere pudicitiam?* Ecce primam rationem.

Audi secundam: *Accedit aliud insigne castimoniæ, si credas, à Deo tibi, quod sortitus es conjugium, datum. Vnde & Salomon ait:* (Proverb. 19.) *A Deo præparatur viro uxor. Non possunt hoc dispares fide credere, ut ab eo, quem non colunt, putent sibi impartitam gratiam.* Periclitatur rursùm bonum prolis; siquidem jure timeri potest ejus prava educatio. Ita Pontius sup. c. 2. n. 10.

Item bonum prolis.

151. *Ea Matr. solent habere infelices exitus.*

Quis ergò miretur, si ea Matrimonia infelices habeant exitus; cùm plerumque illicitè contrahantur, vel contrà præceptum naturale jam explicatum, vel contrà præceptum positivum, quia absque dispensatione? Quamquam & infelix exitus non sit infallibile signum, Matrimonium fuisse peccaminosum.

Infelix exitus non est signum infallibile peccati exemplo Salomonis.

Probatur exemplo Salomonis, qui, ut sup. diximus, licitè contraxit cum filia Pharaonis, juxtà communem opinionem Interpretum S. Scripturæ. Creditur enim illa à veri Dei cultu postea discessisse, & maritum uxorium in suam insaniam pertraxisse. Vide Pontium sup. c. 4. n. 14.

152. *Aliud exemplum, ex Pontio.*

Sed accipe (inquit n. 15.) exemplum aliud memoriâ dignum, quod in ejusmodi rebus sæpè animum meum consolatur. Expeditionis primæ Ludovici Francorum Regis in Palestinam auctor fuit Bernardus, adhortator & persuasor. Quàm prudenter, quàm sanctè eam expeditionem suaserit, quis dubitet? Infelix fuit belli exitus hominum judicio, metienti omnia juxtà præsentis utilitatis regulas.

Rectè itaque fieri potuit, ut prudens hominum judicium nonnunquam Matrimonia amplexatum sit, ut media ad conservandam pacem Ecclesiæ, vel de novo acquirendam: & Deus, ob aliqua occulta peccata, vel absconditos suæ providentiæ fines, permiserit, ut longè diversum exitum haberent, & hostiles potiùs inimicitias parerent, & multorum ruinam. Quare ex infelici aliquorum conjugiorum exitu, ad impugnandum judicium Matrimonij contracti, vel judicium vel consilium de eo contrahendo, argumentum sumi non potest. Hæc ille.

153. *Quando liceat Matr. Catholici cum hæretico.*

Quæ cùm ita sint, liquet profectò, & plusquàm meridianum est, Matrimonium Catholici cum hæretico, non adeò esse illicitum, ut nunquam liceat. Licet autem non solùm, dum hæreticus convertitur ad fidem Catholicam; tunc quippè non est Matrimonium cum hæretico, sed potiùs cum Catholico; aut dum promittit conversionem, cum verosimili spe promissionis adimplendæ, quem casum ipsa Decreta Ecclesiæ exceperunt: sed etiam quandoque dum sola spes est conversionis, imò nulla spes, sed moralis certitudo perseverantiæ, accedente dispensatione Pontificis, aut alterius habentis potestatem; & quod plus est, cum aliquo etiam periculo perversionis, tali existente causâ, propter quam licet seipsum ei periculo exponere.

Sed, amabo, rogat aliquis; quæ causa justa dispensationis, & quæ circumstantia, in qua licet seipsum periculo exponere?

154. *Supponitur omne periculum posse cessare, ex Pontio.*

Suppono, omne periculum posse cessare tam propriæ perversionis, quàm malæ educationis prolis, etiam permanente conjuge in sua hæresi, ut docet Pontius sup. c. 5. n. 2. dicens: Cùm periculum perversionis cessare possit, etiam conjuge hæretico non converso; vel quia, ut dixi, conjux hæreticus parùm de Religionis diversitate curat, solùm communem victum, pacem & tranquillitatem amans, & rei familiaris sedulam administrationem; vel quia sub eo pacto nuptiæ celebrantur, ut liceat conjugi fideli suam Religionem liberè profiteri, idque securè cavetur, quantùm prudentia humana assequitur; negari non potest, etiam sinè conversione hæretici ad fidem, posse in aliquibus casibus licere conjugium.

Imò expediens esset hæreticis, ne perpetuò à Catholicorum conjugijs arcerentur, in suis comitijs legem ferre, quâ capitali constitutâ pœnâ prohiberent, ne quis hæreticus conjugem fidelem à sua Religione avertere conaretur, & ut proles apud conjugem fidelem esset usque ad pubertatem. Eâ enim sancitâ lege, nulla esset causa, frequenter loquendo, repudiandi ea conjugia. Hæc ille.

155. *Concinjic.*

Itaque licet conjugium Catholici cum hæretico, juxtà Pontium sup. n. 4. vel quando ille convertitur ad fidem, vel est conversionis spes, eamque promisit, vel quando, etiamsi conversionem non promiserit, tamen ex pacto permittitur Catholicus vivere juxtà Religionis Catholicæ ritum unà cum sua familia, & rectè etiam debito tempore prolem educare.

Sufficit patrem debito tempore prolem Catholicè educare. Quod illud eompugnat Averſa.

Istud tempus debitum putat Pontius esse, ut statim audivimus, tempus pubertatis, eò quòd sic parens Catholicus sufficienter ex parte sua prospicit saluti filiorum. Qui si postea à Catholica fide recedant, id eorum inconstantiæ, non parentis Catholicæ negligentiæ adscribetur. Addendum tamen est (inquit Aversa q. 18. sect. 2. §. *Præter hæc*) ut etiam parens Catholicus, pijs consilijs & monitis, quantùm in se est, studeat filios in eadem fide confirmare.

156. *Anrequiratur semper tale pactum? Pontius. Aversa.*

Admittit etiam Pontius, posse Catholicum licitè cum hæretico contrahere, absque ullo tali pacto antecedenti; animo tamen & firmo proposito curandi, quantùm potuerit, ut filij in fide Catholica instruantur, eorumque spiritualis educatio sibi committatur; ac postea seriò efficaciter procurando, ut filij Catholicam fidem suscipiant ac retineant: quia sic videtur etiam suæ obligationi, quoad filiorum curam pro eorum salute, satisfacere. Et potest quidem hoc admitti (inquit Aversa) quando gravis causa vel necessitas impellebat ad contrahendum, non præ-

præmisso alio pacto. Sic ille.

157. *Obligatio parentum debitè educandi proles, ex Lugone.*

Appositè Lugo sup. n. 26. Parentibus (inquit) incumbit obligatio procurandi bonam & religiosam singulorum filiorum educationem; quomodo ergò possunt se pacto obligare, ad eam curam circà aliquos abjiciendam, & non procurandam eorum salutem? Si fieret pactum de non subveniendo filijs, etiam extremè indigentibus, vel de non corrigendis, cùm commodè fieri possit, & alijs similibus, quæ sunt intrinsecè mala, & contrà præcepta naturæ, atque ideò non possunt in pacti obligationem venire: quia nemo potest se obligare ad aliquid, quod de se, & independenter à pacto est intrinsecè malum, quale esset deserere prolem, & non procurare ejus salutem, quando commodè saltem posses. Ita Eminent.

Est juris naturæ.

Et prosequitur n. 27. Habent enim parentes de jure ipsò naturæ strictam obligationem procurandi bonam filiorum educationem, atque adeò non possunt contrahere Matrimonium, nisi cum intentione satisfaciendi huic obligationi: imò tenentur, quâ potuerint securitate, præcavere futuræ proli, ut possit benè educari. Non tamen tenentur abstinere à Matrimonio, eò quòd prævideat, ipsis invitis, prolè esse malè educãdã.

Quid si prævideant prolem ipsis invitis malè educandam?

158. *Non tenentur abstinere à Matr. exemplo uxoris, quæ tenetur reddere debitum.*

Sicut uxor, quæ ex corruptis viri moribus prævidet, filios malè ab ipso educandos, & ad suorum vitiorum consortia trahendos, non ideò debet nec potest abstinere à reddendo debito conjugali; sed debet solùm habere animum procurandi posteà, ut filij benè educentur: & sicut potest reddere idem debitum viro leproso, vel aliter infecto, prævidens, prolem fore eodem morbo inficiendam; sic antecedenter potest contrahere Matrimonium, præviso eo filiorum periculo spirituali, à quo faciliùs poterunt filij seipsos, si voluerint, liberare, quàm à lepra, vel alio corporali morbo.

Item exemplo Græcorum.

Sic Græci Christiani prævident filios suos à Turcis, adhuc parvulos, usurpandos & nutriendos ad militiam, sub secta Mahumetana; non tamen ideò debent à nuptijs, & earum usu abstinere, cùm damnum illud totum prolis sit parentibus involuntarium: deberent tamen illud præcavere aliter, si possent; & debet etiam uxor Catholica paciscì, si potest, ut filij, usque ad pubertatem saltem, sub ejus cura & educatione sint; quòd si posteà à fide defecerint, sibi imputent: neque enim Augustini lapsus in hæresim imputari debuit matri Monicæ, qui eum usque ad pubertatem optimè educaverat.

159. *Sufficit, quòd habeant animum procurandi bonam educationem.*

Denique: si neque mater hoc pacto impetrare potest, sufficit, si habeat animum procurandi ex parte sua bonam prolis educationem, & id posteà exequatur, licèt obtinere non possit; quia, ut notat Pontius sup. c. 7. n. 4. magis tenetur conjux præcavere periculum perversionis propriæ, quàm perversionis filiorum; sicut salus propria multò magis strictè procuranda singulis est, quàm aliena, etiam singulorum filiorum, & aliorum quorumcumque. Hactenùs Card.

Pontius.

Hæc sunt verba Pontij: Quæ omnia (putà incertum esse, an proles suscipienda, an antè usum rationis moritura &c.) ideò à me considerantur, ut ostendam, non tantam diligentiam adhibendam requiri in præcavendo periculo perversionis prolis, ac in præcavendo periculo perversionis Catholici contrahentis. Nam hoc periculum ab initio imminet & certum est: at illud incertum, an futurum sit. Minor ergò cautio adhibenda in eo casu, quàm in isto est: adhibenda tamen aliqua & prudens. Hæc ille.

160. *Quanta hic securitas requiratur implenda promissionis, ex Lugone.*

Quanta autem securitas (inquit Lugo sup. n. 21.) desideretur implendæ promissionis, quando Matrimonium fit sub promissione conversionis, vel promissâ libertate conjugi, & ejus familiæ, vivendi ritu Catholico; & an sufficiat pactum cum juramento, vel desiderentur pignora, obsides, vel aliæ pœnæ, quæ ad executionem conduci possint, tractat idem Pontius c. 5. n. 4. qui videri poterit; est enim res tota hæc moralis, spectans ad prudentiam, cujus judicium ex varijs circumstantijs particularibus omninò pendet. Sic Eminent.

An sit idoneum medium, quòd differatur consummatio Matr. ex Pontio.

Pontius sup. c. 5. n. 5. quærit, an sit idoneum medium ad eam securitatem, quòd contrahatur tantùm Matrimonium ratum, & differatur consummatio, ut interim sumatur experimentum, an implenda promissa sint ab hæreticis, an secùs: & si impleverint, consummetur Matrimonium; si secùs, petatur à Pontifice dissolutio Matrimonij rati nondum consummati. Resolvit autem pro parte negativa; quoniam non omnia, quæ hic solent promitti, possunt impleri antè consummationem.

161. *Probatur pars negativa.*

Quando (inquit) non potest antè consummationem in effectum deduci, quod pacto firmatum est, sed plura & potiora sunt, quæ consummato Matrimonio implenda sunt, nemo prudens medium istud amplecti potest; & loco Matrimonij rati, minus inconveniens medium esset, sponsalia tantùm inire, aut contractus præmittere de ineundis nuptijs, quî juramento firmentur. Tum quia, ex dilatatione consummationis Matrimonij quæ securitas desumi poterit, ut credamus, fidelem conjugem non avertendum per hæreticum, si neque cohabitant, neque in eadem urbe commorantur? Et ut credamus, hæreticum permissurum fideli, ut suo ritu vivat, si toto eo tempore antè consummationem non est in potestate conjugis hæretici? Et ut credamus, conjugem hæreticum facturum copiam conjugi fideli, ut prolem rectè educare valeat, siquidem ea non suscipitur, nisi consummato Matrimonio? Eorum omnium securitatem ex dilatione consummationis desumere velle, nescio, quàm cum ratione & prudentia conveniat. Hæc ille.

Et alia plura adduxit ad idem probandum, quæ omitto brevitatis gratiâ; hoc tantùm addo: fortè nec Pontificem posse dispensare in Matrimonio rato, ut alibi vidimus.

162. *Conclusio Pontij.*

Concludit autem Pontius d. n. 5. hisce verbis: Atque hæc mihi de capienda securitate in communi dicenda visa sunt; cùm tamen tota hæc res humanæ prudentiæ committenda sit,

quæ in singulari causa ex particularibus circumstantijs, ex gentis ingenio & moribus, ex servata in alijs rebus, aut pactis, aut conjugijs fide publicâ, ex necessitate etiam standi promissis, ex potentia, quæ sit penes conjugem Catholicum, aut eius consanguineos, ad efficiendum, ut re ipsâ pactiones impleantur, judicare poterit, an sit verisimile, hæreticum reverà præstiturum, quod promisit. Sic Basil.

An plena securitas sufficiat ad dispensandum.

Sed dicet aliquis : habeo plenam securitatem, nunquid ea sufficit, ut Pontifex dispenset in sua lege, prohibente eiusmodi Matrimonium ? An fortè adhuc requiritur alia causa, ut non solùm validè, sed etiam licitè dispenset ?

163. *Iusta causa dispensandi, bonum commune Pontifis.*

Dico in primis (utor verbis Pontij sup. c. 8. n. 4.) non dubitamus, commune pacis bonum vel aliquorum regnorum concordiam, aut tranquilliorem statum Catholicorum alicujus regni, causam sufficientem præbere dispensationi, etiamsi neque hæreticus petat dispensationem, neque conversionem promittat. Cur enim necessariò requiretur ad dispensationem ea conversionis promissio ? Ad vitandum periculum ? Minimè. Supponimus enim sublatum esse periculum, & solum obstare legem Ecclesiasticam. Ad tollendam autem obligationem ejus legis Ecclesiasticæ, cur non erit causa sufficiens commune bonum, & ea quæ diximus, cùm vel solâ eâ subsistente causâ, non dicetur Pontifex uti suâ dispensatione ad dissipationem, sed ad ædificationem ?

Probatur ex alijs legibus,

Adde : in alijs legibus Ecclesiasticis non minùs strictè obligantibus, neque minoris momenti, dispensare Pontifices ex similibus causis, imò & minùs gravibus ; velut in Matrimonio viri cum duabus sororibus, aut ejusdem fœminæ cum duobus fratribus, & in Matrimonio rato non consummato, & in convictu & communicatione cum ipsis hæreticis etiam diuturnâ. Ergò commune bonum, & ea quæ diximus, justam præbebunt dispensationi causam. Hæc ille. Et Alij communiter.

164. *An talis causa requiratur.*

Sed nunquid talis causa requiritur ? Dico rursùs (auditis Pontium sup. n. 4.) Si tantùm iftis conjugijs obstet lex Ecclesiastica ; quia legis naturalis obligationi sufficienter consultum est & satisfactum ; mihi videtur, vel solam commoditatem convictûs humani præbere justam causam dispensationi, neque majorem requiri. Itaque sicut, ut dispenset Pontifex in aliquo affinitatis, vel consanguinitatis gradu, sufficiens causa est commoditas ipsa conjugij, quòd non possit mulier ita commodè nubere, aut quia ex conversatione & colloquiis cum consanguineo, fama ejus aliquantulùm denigrata est, eamdem etiam causam existimo sufficientem, ut Pontifex dispenset in eo, quòd Catholicus Matrimonio jungatur hæretico. Sic ille.

Pontius putat sufficere commoditatem Matr.

165. *Probat 1.*

Probat primò : quia semel sublato periculo, quod jure naturali obstabat, non est, cur ea non reputetur causa sufficiens ; cum, sublatâ naturali obligatione, Ecclesiastica, quæ remanet, non multùm urgeat, ut ad eam abolendam gravior causa requiratur.

Secunda probatio.

Secundò : quia non minus fundamentum sive causa requiritur ad derogandum legi ex parte, quàm ad dispensandum in ea, comparatione alicujus personæ, ut satis manifestum est, cùm eadem videatur esse ratio. At ut derogetur isti legi Ecclesiasticæ ex parte, sufficit commoditas conjugiorum. Ergò etiam ad dispensandum cum aliquibus.

Minorem probo ex consuetudine recepta apud Germanos & Polonos, & alias Regiones, apud quas sine ulla dispensatione Catholici Matrimonio copulantur hæreticis. Nam quidquid de eo sit, an illi peccent contrà jus naturale ; at non peccant contrà legem Ecclesiasticam jam abrogatam. Ea autem consuetudo ex eo vires capit ad derogandum legi ; quia adesse creditur consensus Pontificis derogantis. Sicut ergò tunc à principio consuetudinis præscriptæ adfuit sinè peccato consensus Pontificis, derogantis legi comparatione illorum hominum, ob communem convictum, & Matrimonij commoditatem, ita etiam nunc absque ullo peccato poterit Pontifex ex eadem causa dispensare, ut Catholicus copuletur Matrimonio cum hæretico. Ego sanè nullam invenio diversitatis rationem. Hæc ille.

166. *Impugnatur primò.*

Sed enim, dicet aliquis : diversitatis ratio est ; quòd consensus Pontificis, derogantis legi, fundetur principaliter in ipsa consuetudine, non verò in sola commoditate Matrimonij ; unde primi actus, per quos consuetudo introducta fuit, indubiè prohibiti erant illâ lege, & per consequens illiciti. Porrò consensus Pontificis, dispensantis in hac lege, fundatur in sola commoditate Matrimonij.

Secundò.

Deinde : quod dicit Pontius : *Quidquid de eo sit, an illi peccent contrà jus naturale, at non peccant contrà legem Ecclesiasticam jam abrogatam* ; nullatenùs placere potest, nisi ostenderit per consuetudinem, contrariam juri naturali, posse abrogari legem Ecclesiasticam, quod nunquam ostendet ; quia consuetudo abrogans legem, debet esse rationabilis, ut Omnes fatentur, & expressè decernitur cap. fin. de Consuet. in fine : *Non tamen est usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Hinc non est credibile, Pontificem consensisse in abrogationem suæ legis in dictis Regionibus, quando contrahitur Matrimonium contrà jus naturale ; id est, cum periculo perversionis ; sed ad summum, dum jure naturali licet.

167. *An sit consuetudo præscripta dispensandi ob commoditatem Matr.*

Cæterùm benè notat Pontius, adfuisse consensum Pontificis à principio consuetudinis præscriptæ ; non autem à principio consuetudinis inceptæ. Sed nunquid consuetudo præscripta, dispensandi ob solum convictum & commoditatem Matrimonij ?

Quinimò videtur consuetudo oppositum docere : nam Pontifices rogati, ut dispensarent, dixerunt, se nec debere, nec posse dispensare, nisi adsit causa aliqua publici boni, Ecclesiæ & Religioni

gionis restauratio & augmentum. Ita refert Pontius sup. Respondet autem, illa verba intelligenda esse de debito honestatis, multa enim licent, sed non omnia expediunt.

168. Sed hæc responsio non satisfacit, secundùm Lugonem sup. n. 32. quia dum Pontifex dicit, se nec debere nec posse, plus aliquid negat, quàm expedire. Vidi enim ego (inquit) Principi, enixè postulanti dispensationem ad quoddam Matrimonium, responsum prudenter Romæ fuisse; *Dubium esse, an Pontifex posset dispensare, certum, non expedire*; ubi apertè condistincta fuerunt illa duo: *Non posse*, & *Non expedire*. Ita Eminent.

Non semper requiritur hic utilitas publica immediata, ex Lugone.

Qui tamen ibidem n. 28. putat, sicut in alijs materijs, sic etiam in hac non semper requiri immediatè utilitatem publicam & communem ad dispensandum; sed sufficere utilitatem privatam immediatam; quàmvis hoc etiam indirectè & consequenter redundet in utilitatem communem. Qualis autem ea causa esse debeat, puto in hac materia regulam generalem tradi posse, quidquid sit de alijs materijs, eam causam ad dispensandum sufficere, quæ, seclusâ lege Ecclesiasticâ, sufficeret, ut in ijs circumstantijs Matrimonium licitè fieri posset.

169. *Sufficit ea causa, quæ seclusâ lege Ecclesiæ redderet Matr. licitum. Probatur 1. ex eâ.*

Probat primò à posteriori per secundum argumentum Pontij, jam satis ventilatum. Et addit: Licèt, stante adhuc lege, requiratur adhuc causa aliqua, ad solvendum unum subditum ab ea lege; quando tamen pericula hujus Matrimonij cessant, semper invenitur causa aliqua positiva, nempè spes conversionis hæretici, vel certè, quòd non contrahat cum hæretico conjuge, & toliatur omnis spes fidei in ejus liberis. Sic Eminent.

Quid ergò si non sit spes conversionis, & jam firmiter proposuerit abstinere ab omni alio contractu? Respondeo: sufficere causam generalem, scilicet cessationem finis legis in casu particulari.

170. *Secunda probatio.*

Secundò (inquit Lugo sup. n. 30.) & à priori probari potest: quia lex Ecclesiastica, prohibens hæc Matrimonia, duplicem potest habere rationem; alteram puniendi hæreticos, prohibito cum illis commercio in nuptijs; alteram vitandi periculi, quod Catholici possent incurrere. Utraque autem hæc ratio cessat, quando Matrimonium illud de se non esset jure naturæ illicitum.

Nam quod attinet ad punitionem hæreticorum, jam id videtur Decreto Concilij Constantiensis justas ob causas abrogatum in favorem Catholicorum, in ordine ad hæreticos non denuntiatos, nolente Ecclesiâ cum tanto Catholicorum dispendio punire hæreticos, prohibendo Catholicos ab eorum convictu. Quando ergò aliunde cessat etiam periculum Catholicorum in casu particulari, vel sunt alia bona præponderantia huic periculo, ob quæ, seclusâ illâ Ecclesiæ prohibitione, æstimaretur licitum illud Matrimonium, nihil restat, ob quod Ecclesia debeat adhuc in hoc casu legis rigorem non relaxare, nec ex hac relaxatione præjudicium aliquod Religionis timeri potest. Sic ille.

171. *Negativa cessatio finis legis est causa sufficiens dispensandi.*

Igitur tametsi cessatio finis legis negativa in casu particulari per se non tollat obligationem; equidem videtur esse sufficiens ratio, ut Superior per dispensationem eam tollat. Voluit enim meritò Ecclesia reservare sibi hoc judicium, an cesset, vel non cesset periculum in hoc casu particulari, & utrùm bona Matrimonij præponderent periculo. Quia nimirum, ut sup. adhuc dixi, ipsi contrahentes nequeunt esse boni & æqui judices in propria causa.

172. *Probatur à simili in lectione librorum hæreticorum.*

Sicuti lectio librorum hæreticorum prohibebetur omnibus, ut sup. dixi, etiam firmis in fide, ob periculum, quod ex ea timetur; cessante autem hoc periculo, vel etiam ob spem majoris boni, manente adhuc aliquo periculo, dispensat sæpè Pontifex & facultatem legendi concedit. Non tamen vult, quòd etiam in iis casibus, in quibus rationabiliter licentia concedi potest, aliquis possit propriâ auctoritate, & sinè aliqua facultate legere, quia multi non essent boni judices: unde idem ferè periculum in genere sequeretur.

Sic in casu nostro, cessante periculo, vel compensato alijs bonis, quæ ex natura rei Matrimonium licitum reddant, potest semper licitè dispensatio concedi: non potest tamen sinè dispensatione fieri: quia ex hac potestate maneret semper periculum, saltem in genere loquendo, quod potuit Ecclesia lege universali præcavere.

173. *Quid si urgeat necessitas & non sit recursus ad Pontificem. Pontius.*

Si tamen necessitas urgeret, ut legeretur liber hæreticus, cujus lectio necessaria est ad bonum fidei, & non est recursus ad sedem Apostolicam, posset ex Epikeia legi: quia ille casus non est lege comprehensus: idem dicendum est de Matrimonio cum hæretico, positis eisdem circumstantijs, & eâdem necessitate, ut docet Pontius sup. cap. 8. n. 5.

In eo (inquit) tantùm casu, etiam non petitâ, neque expectatâ dispensatione, fieri posset (Matrimonium Catholici cum hæretico) quando ratione occurrentium circumstantiarum, per Epikejam judicaretur, eam legem Ecclesiasticam in eo casu non solùm deficere negativè, sed contrariè; & damnosa esset tunc legis observantia. Ad quod judicandum magnâ prudentiâ opus est; cùm & res gravis sit, & aliàs Pontifex, qui dispensationem negaret, superiorem non habeat.

174. *Negante Pontifice dispensationem, pro eo præsumendum est. Suarez.*

Quibus consonat, quod docet Suarez lib. 6. de LL. c. 18. n. 23. ubi hæc habet: At verò si sit Princeps supremus, qui negat dispensationem, quæ judicatur debita, standum est judicio, seu voluntati ejus, nisi nocumentum tam grave immineat, ut non possit lex humana obligare cum tanto discrimine: quia extrà hanc necessitatem lex non relaxata per dispensationem, semper obligat. Itaque secundum hos Auctores, & rei veritatem, negante Pontifice dispensationem, pro eo præsumendum est.

Vi etiam ea concedente, pro justitia dispensationis.

Sicut etiam econtrà (juxtà Pontium ibidem n. 6.) concedente Pontifice dispensationem, pro eius justificatione præsumendum est, quoties verè & fideliter causæ & circumstantiæ ei propositæ sunt. Quia (inquit) non potest hoc in

dubium verti, nisi affirmetur unum è duobus; aut Pontificem rem eam non benè considerasse, neque satis perspectam habuisse, neque attendisse, an in eis circumstantijs propositis cesset subversionis periculum, & an satis cautum sit debitæ prolis educationi; aut errasse dispensando. Quodlibet affirmare, temeritatis est.

Nam si inconvenientia adeò nota sunt, ut manifestum sit, non cessasse periculum juxtà regulas humanæ prudentiæ, magnæ oscitantiæ argueretur Pontifex, si in eis circumstantijs dispensasset; & in ea specie dispensaturum credi non potest. Si verò res tantùm est dubia, & videmus eam dispensationem Pontificis emanasse, magna temeritas est, plus de suo privato judicio præsumere eum, qui adhuc affirmat non licere, quàm de judicio Pontificis.

175. *Communis modus agendi Catholicorum in rebus dubijs.*

Enervat quidem ea consideratio modum, quem Catholici unicum observant, eximendi se à multis scrupulis in rebus dubijs. Satis enim se tutò agere credunt, si consulant Pontificem in re dubia, & obtentâ ab eo dispensatione operentur. Itaque ex nullo alio capite certiùs judicare possumus, sinè scrupulo operari nos posse, quàm si re ad Pontificem verè delatâ & cum illo communicatâ, ipse dispenset. Quare qui dispensatione Pontificiâ jam obtentâ, adhuc tale Matrimonium illicitum judicaret, gravissimis esset pœnis coërcendus, tanquam, qui injurius esset auctoritati Pontificiæ. Hactenùs Basilius.

176. *Aliquando non sufficit militas privata ad dispensandum.* Lugo.

Quid ergò ad responsum Romanum, sup. adductum ex Lugone? Respondere possumus (inquit ipse sup. n. 33.) occurrere non semel casus, in quibus, stante solùm causâ utilitatis privatæ, dispensari licitè non possit; accedente bono publico, possit; v. g. quia constat non cessare periculum perversionis conjugis Catholici, quo casu, etiam seclusâ lege Ecclesiasticâ, non posset licitè contrahi, nisi accederet bonum publicum, sufficiens ad compensandum illud periculum.

Rursùs cùm periculum hoc non consistat in indivisibili, potest quidem magnâ ex parte cessare, sed adhuc remanere aliquid sufficiens ad reddendum illud Matrimonium, de jure naturæ illicitum quidem, non tamen malitiâ mortali, sed veniali. In his ergò & alijs similibus casibus, potest Pontifex meritò dicere, se nec debere, nec posse dispensare, nisi accedat causa boni publici & Religionis, quod compenset periculum illud, & reddat Matrimonium de jure naturæ licitum, & liberum ab omni culpa gravi & levi. Quando verum bonum privatum ad id sufficeret, vel quando periculum reverà cessaret, tunc dicimus, posse etiam Pontificem communiter licitè tollere impedimentum prohibitionis & legis humanæ. Sic Eminent.

177. *Objectio.*

Sed dicet aliquis: ob nullam causam licet se exponere periculo saltem proximo peccati, sicut ob nullam causam licet peccare: quippè exponere se illi periculo, est peccare. Siquidem est velle peccare, velle autem peccare, peccatum est. Ergò ob nullam omninò causam licet se exponere periculo proximo perversionis; atque adeò contrahere Matrimonium cum hæretico.

Solutio.

Respondetur: quidquid sit de periculo proximo, de quo nos alibi egimus, saltem videtur esse licitum, se exponere periculo remoto, seu probabili tantùm, & non moraliter certò. Semper (inquit Pontius sup. c. 6. n. 2.) mihi persuasi, ob eximiam aliquam & urgentem causam posse Catholicum Matrimonio jungi cum hæretico, quàmvis exponat se probabili perversionis periculo: dum tamen contrahit cum firmo proposito non labendi, fidensque de divina misericordia & gratia, fore, ut eripiatur ab eo periculo sinè crimine: siquidem urgente Dei causâ, illud subire periculum non recusat. Sic ille.

Pontius.

178. *Quæ sit justa causa exponendi se periculo perversionis.*

Porrò justam causam putat, augumentum & propagationem Ecclesiæ, vel tranquillum ejus statum, vel libertatem Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe & consiliarijs hæreticis oppressi tenentur.

Atque hanc suam doctrinam probat in primis, exemplo Iudith, quæ sinè dubio cum periculo suæ castitatis, ut aliqui Patres & Expositores observant, accessit ad exercitum Assyriorum, & ad Holofernem ducem exercitûs. Serarius in cap. 13. Iudith. q. 4. An vitæ castitatisque periculum rectè adierit, sic respondet: In castitatis verò periculum sese dare, neque ullus neque ulla debet, nisi vel casto modo castitas minuenda esset, vel graves justæque rationes ostenderent, periculum illud vitari posse; & licèt aliquando difficulter posset, posset tamen; & ejuscemodi essent tempora, ut in solem & pulverem prodeundum foret.

An Iudith rectè adierit castitatis periculum.

Et post pauca: Potuit etiam bonis justisque rationibus animum inducere, ut crederet posse se Dei cum gratia & auxilio, quod tot jam precibus, lacrymis, jejunijs, & saccis implorârat, & porrò adhuc in ipsis etiam hostium castris imploratura erat, pervincere, ne pudicitiæ jacturam ullam faceret. Cùm enim corporis animique illecebras tot & tam præclaras haberet, futurum credebat, ut sua in potestate Holofernem totum teneret, ab militum omnium injuria ipsius acribus præceptis defenderetur, ab ipsomet etiam facilè impetraret, ut vim nullam adhiberet, non nisi precibus & blanditijs ad noctem invitaret: sed antequam nocte ullâ inquinaretur, anteverteret omnia, & illius complexum quoquo tandem modo effugeret: omnium tamen maximè illum occidendo, idque vel in ipso primo cubiculi aditu lethalem in ejus viscera cultrum aliquem adigendo, vel in cubili manibus cum ambabus strangulando vel suffocando, vel denique eo ipso modo, quo negotium tandem perfectum est, somni merique plenum proprijs armis abruendo. Quòd si horum, contrà quàm certissimè speraret, nihil omninò posset, obnoxiam quidem corporis injuriæ futuram, animo tamen castissi-

179. *Declaratur, quòd sic, ex Serario.*

mo

mo ſemper manſuram confidebat. Hactenùs Serarius. Non igitur erat periculum proximum, ſeu moraliter certum, probabile tamen.

180. *Teſtimonium D. Ambr. de Iudith.* Idemque agnoſcit D. Ambr. lib. 3. de Officijs c. 13. ubi hæc habet. *Vtique (quod in illis Pythagoreis duobus mirantur) non expavit mortis periculum, ſed nec pudoris, quod eſt gravius bonis fœminis; non unius ictum carnificis; ſed nec totius exercitus tela trepidavit.* Et infrà: *Honeſtatem ſecuta eſt Iudith, & dum eam ſequitur, utilitatem invenit. Honeſtatis enim fuit prohibere, ne populus Dei ſe profanis dederet, ne ritus patrios & Sacramenta proderet, ne ſacras virgines, viduas graves, pudicas matronas barbaricæ ſubjiceret impuritati, ac obſidionem deditione ſolveret. Honeſtatis fuit ſe malle pro omnibus periclitari, ut omnes eximeret periculo.*

Expenditur Matr. Eſther. Pontius. Aliud quoque (inquit Pontius ſup. n. 4.) præſenti cauſæ accommodatiſſimum exemplum nobis ſuppeditat liber Eſther. Catholica & ſanctiſſima fœmina nupſit Aſſuero Idolorum cultori. Quot illa quantiſque ſe periculis expoſuit! Non manifeſtavit genus, non Religionem, ſuadente Mardochæo, de cujus agebat cuncta conſilio, circumdata erat ethnicis famulabus, aſſiſtebant Eunuchi infideles, actionum Eſtheris ſpectatores.

181. *Quomodo excuſetur Eſther à culpa.* Excuſatur autem Eſther à culpa, quòd de conſilio Mardochæi iſtis ſe periculis expoſuerit, qui divino inſtinctu, & aliquid boni populo Judæorum præſagiens, ejus Matrimonij conſiliator fuit. Unde c. 4. dixit Eſtheri: *Et quis novit, utrùm idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?*

Licet ergò ſe exponere ſalutis ſpiritualis periculo, in Matrimonio fidelis cum infideli & hæretico, ex aliqua magna cauſa, ſicut Eſther ſe expoſuit, nubens Aſſuero Pagano. Hæc ille.

Et verò ſi de divino inſtinctu loquimur, quod agitur non poteſt eſſe malum; nam Deus non poteſt eſſe Auctor mali, & ipſe poteſt hominem, in periculo conſtitutum, facillimè à peccato præſervare. Quid ergò miramur, ſi Eſther licitè contraxerit: & ſi Iudith licitè exiverit ad caſtra Aſſyriorum, nam & ipſa dici poſſet hoc feciſſe ex inſtinctu divino; unde hæc exempla ſunt potiùs admiranda, quàm imitanda.

182. *Poteſt ſubinde quis licitè ſe exponere peccati periculo. Probatur ex Pontio.* Tametſi negare nolim, tales circumſtantias poſſe occurrere, in quibus liceat ſe exponere alicui periculo peccati, ut Pontius ſup. n. 5. probat auctoritate quatuordecim Scholaſticorum Doctorum, & n. 6. teſtimonio D. Baſilij in lib. de Conſtit. monaſt. cap. 4. ubi ait: *Qui urgente aliquâ causâ & neceſsitate ſe periculo objicit, vel permittit ſe eſſe in illo, cùm alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quàm invitùs illud ſubire, & ideò magis providebit Deus, ne in illo pereat.*

Confirmatur. Denique n. 7. confirmat hanc doctrinam ex multis concluſionibus receptis apud DD. quæ fundamentum iſtud neceſſariò ſupponunt. Longior fuero quàm oportet, ſi eas omnes hìc recitaverim & expenderim. Ideò ſuperſedeo & finio cum hiſce ejus verbis: Ex his ergò facilè perſpicitur, offerre ſe periculo peccandi tunc demùm eſſe peccatum, quando ſit ſine urgenti causa, vel neceſſitate ad id obligante & impellente; non verò, ſi talis adſit cauſa.

183. *An ſufficiat gravis cauſa boni temporalis.* Nec verò ſemper neceſſarium eſt, ut ea urgens cauſa ſit ſpiritualis animæ ſalus; ſed ſufficere etiam temporalis boni alicujus gravem cauſam, ut in conjugio Eſtheris cum Aſſuero, Iudith cum Holoferne, clarè cognoſcitur; quàmvis remotè etiam in illis Matrimonijs verſaretur ſpiritualis ſalus & utilitas Iudaicæ gentis, & ejus Religionis conſervatio: in caſu etiam prægnantis fœminæ, cui licitè præbetur medicamentum cum periculo aborſûs; aut ſalutis ægroti, qui accipit medicinam cum periculo pollutionis, apertiùs multò conſpicitur.

An debeat eſſe cauſa involuntaria. Nec verò requiritur ſemper, ut ſit cauſa involuntaria, aut ex neceſſitate proveniens; ſed ſatis eſt, etiamſi ſit cauſa voluntariè quæſita, ſicut in eo intelligimus, qui dubius de potentia Matrimonium contrahit, qui poteſt per triennium experiri ſuam potentiam cum periculo pollutionis; & in conjugio Eſtheris cum Aſſuero; & in confeſſore, qui confeſſiones audit cum periculo pollutionis; & in magiſtro, qui materiæ de caſtitate & vitijs oppoſitis ſtudio vacat cum eodem periculo, quod confitendi & ſtudendi munus voluntariè ſuſcipitur. Ita Pontius paucis immutatis.

184. *Iudicium Averſæ de hac re.* Verùm (inquit Averſa q. 18. ſect. 2. §. *Pontius in Appendice*) in hac re multò major cautela ſervanda eſt, quando urget periculum perverſionis in fide, duraturæ deinceps abſque emendatione, ut ſanè in hoc genere timendum eſt: quia ſic anima exponitur irreparabili perditionis periculo: ita ut nunquam liceat exponere ſe tali damno. At quando periculum inſtaret ſolùm de aliquo lapſu in peccatum mortale, facilè poſteà emendabili; & ex una parte probabile eſſet, hominem lapſurum; ex altera verò eſſet etiam probabile, conſtantem futurum: tunc ex gravi neceſſitate & cauſa admitti poteſt, licitum eſſe, exponere ſe tali periculo.

Et hoc tantùm ſuadetur exemplis adductis. Nam Iudith incurrebat ſolum periculum violandæ tunc caſtitatis: aut fortè ne vi præciſa opprimeretur, abſque ſuo conſenſu & peccato. Eſther violandæ ſolùm Religionis pro tunc in aliquo externo ritu, vel fortè ne gravi metu adigeretur facere aliquid contrà præcepta poſitiva ſuæ legis, atque adeò etiam ſinè peccato, ſeclusò legis odio vel contemptu. In eodem etiam dicto ſenſu locuti ſunt alij Doctores, concedentes, licere interdum ex gravi neceſſitate aliquod mortalis peccati periculum ſubire. Hactenùs præfatus Auctor.

185. *An verum?* Et non adeò malè, quando foret periculum proximum perverſionis, & conſtaret omninò, perverſionem duraturam deinceps abſque emendatione. Sed nunquid ſemper id conſtat?

Quàmvis timendum sit, quòd durabit pro tempore illius conjugij; equidem fieri potest, ut brevi conjugium per mortem hæretici sit dissolvendum, & Catholicus contrahens habeat firmum propositum perseverandi in sua fide, & si contingat deficere, quantocyùs, soluto Matrimonio, hæresim abjurandi.

Requiritur gravior causa exponendi se periculo perversionis, quàm alterius peccati.

Atque ut timeret perversionem, duraturam deinceps absque emendatione, quid tum? Inde solùm sequi videtur, periculum perversionis gravius esse, & ideò fore necessariam graviorem causam se illi exponendi; ut benè notat Lugo sup. n. 22. in fin. dicens: Sicut periculum perversionis non consistit in indivisibili, sed in aliquibus majus, in aliquibus minus est; ita causas sufficientes ad Matrimonium cum eo periculo non consistere in indivisibili, sed in aliquo, in quo periculum gravius est, graviores causas requiri; in alijs verò minores sufficere, in quibus periculum minus est: in omnibus tamen, quantùm fieri poterit, præcavendum esse & curandum, ut media adhibeantur, ut conjugi postea periclitari incipienti opportunè subveniatur. Sic ille. Addo ego, & ut conjux jam perversus ad fidem revertatur.

186. *An major causa requiratur, ut Catholica nubat hæretico, quàm vice versâ.*

Hâc occasione dubitari potest; an major causa exigatur, ut uxor Catholica detur viro hæretico; an verò major, ut uxor hæretica accipiatur à viro Catholico. Pontius sup. cap. 4. n. 16. dicit, valde præ oculis habendum esse, an fideli Principi & Regno, omni ex parte fideli, & puræ & sinceræ fidei detur uxor hæretica & infecta; an verò principi infideli, qui populo hæreticorum imperat, detur uxor fidelis. In primo enim longè major deformitas est, cùm timeri possit à Regina animum Regis abalienante à vera & sincera fide, & ab ejus fœminis & familiâ infectâ, totius regni incolas inficiendos fore.

Resolutio Pontij.

At verò in secundo casu non est tanta deformitas, neque tantum periculi imminere videtur, cùm solius Reginæ animus exponatur periculo, & aliàs possit esse spes maritum ad veram fidem reducendi (ut sæpè contigisse Historiæ narrant) & consequenter ejus subditos. Igitur in primo casu periculum est commune, in secundo autem particulare.

187. *Alia regula ex Concil. Laodic.*

Alia regula (inquit Card. sup. n. 23.) colligi potest ex Concil. Laodiceno can. 31. relato in cap. *Non oportet*, 28. q. 1. his verbis: *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, vel filios, vel filias dare; sed potiùs accipere; si tamen se profiteantur Christianos esse futuros & Catholicos.*

Ubi non constituitur differentia inter filios & filias; sed inter, *Dare*, &, *Accipere*; quæ differentia difficilè intelligitur, cùm semper uxor videatur accipi, & vir videatur accipere; quare si non expedit filium dare uxori hæreticæ, non expediet eam pro filio accipere.

Expenditur.

Possunt tamen hæc verba in alio sensu intelligi; nempè non expedire, quòd Catholici filios vel filias Matrimonij causâ dent hæreticis, ut apud ipsos maneant, propter periculum filij vel filiæ Catholicæ, qui ad hæreticos mittuntur, meliusque esse, si hæretici filios vel filias suas Catholicis dent, ut Matrimonij causâ apud Catholicos maneant: tunc enim fides Catholica illos facilè lucrabitur. Hoc autem videtur partim esse contra regulam à Pontio adductam, qui difficiliùs dicit, accipiendam esse filiam hæretici, & hæreticam à viro Catholico in provincia Catholica, quàm dandam uxorem Catholicam viro hæretico, in provincia hæretica. Ita Eminent.

Ego autem dico: nuspiam Pontium talem regulam adduxisse. Nam loquitur solùm de Matrimonio Regum & Principum, ut patet ex ejus verbis sup. allegatis, de quo ipse Lugo n. 25. scribit sequentia: Aliquando ex circumstantijs poterit esse plus periculi in Matrimonio Catholici cum hæretica, ut in exemplo à Pontio adducto, si Rex Catholicus accersat sibi uxorem hæreticam, à qua ejus subditi Catholici infici poterunt; & ideò difficilis visa fuit petitio dispensationis, ut Sereniſſimus Rex Poloniæ duceret Palatini filiam hæreticam; cùm tamen à Clemente 8. concessa fuisset dispensatio, ut Dux Barensis Catholicus duceret Catharinam Henrici 4. Regis sororem hæreticam, quia ab hac non imminebat periculum infectionis. 188. *Pontius loquitur de Matr. Regum tantùm & Principum.* *Quid de eo sentiat Lugo. Prima pars.*

Econtrà verò, si Catholica detur Principi hæretico, & mittatur è regno Catholico ad provinciam hæreticam, poterit aliquando id faciliùs permitti; quia licèt sit aliquod periculum perversionis uxoris, est periculum particulare, cui præponderare potest spes aliqua conversionis viri & subditorum, vel certè quòd Catholici majorem libertatem habebunt sub umbra Principissæ Catholicæ, quæ cùm sint bona publica & communia, præferenda sunt bono privato: in quo casu loquitur Pontius; cujus doctrina à fortiori majorem haberet locum, si vir Catholicus accerseretur ad regnum hæreticorum, ut duceret Reginam hæreticam, & ibi maneret: nam esset eò major spes reductionis uxoris, & subditorum, quò major est auctoritas & potestas viri Principis, quàm fœminæ ad conciliandas voluntates conjugis & subditorum. 189. *Secunda.*

Vix tamen unquam liceret, vel dispensari deberet, ut vir hæreticus accerseretur ad ducendam Principissam Catholicam in Provincia Catholica, ut ibi dominaretur: esset enim minor spes conversionis viri, & major multò timor & periculum, quòd Princeps hæreticus perverteret uxorem, & subditos paulatim à vera fide transferret ad suam hæresim cum communi damno totius Regni. 190. *Tertia.*

Itaque totum hoc pendet ex circumstantijs, quæ prudenter ponderandæ sunt; & videndum, an sit majus bonum, quod speratur, quàm malum, quod timetur; & an certior sit spes, quàm periculum, vel econtrà. Hucusque Card. *Conclusio Lugonis.*

Hinc, cæteris paribus, existimat ipse sup. n. 24. faciliùs posse dispensari, ut Catholicus accipiat uxorem hæreticam, quàm ut hæreticus accipiat uxorem Catholicam: quia regulariter major 191. *Faciliùs, secundùm eum, potest dispensari, ut*

Catholicus accipiat hæreticam, quàm econverſò.

major ſpes eſſe poteſt, quòd vir trahat uxorem ad ſuam Religionem, quàm econtrà, propter majorem nimirùm auctoritatem, quâ vir pollet, & propter majorem ſubjectionem, quam uxor habet, quæ ſemper eſſe videtur ſub poteſtate viri, & faciliùs privari poterit à viro libertate neceſſariâ ad exercitium propriæ Religionis. Sic ille.

Quomodo intelligendum Concil. Laodic.

Et in hoc ſenſu intelligit d. Can. Laodicenum, in quo differentia conſtituitur inter, *Dare*, &, *Accipere*. Quia (inquit) filiæ communiter dantur, & accipiuntur, non filij: ille enim dat, qui filiam è domo ſua ad domum viri mittit: qui autem filiam hæretici ad ſuam domum accerſit ut uxorem filij ſui, non dicitur filium ſuum dare hæreticis; ſed potiùs filiam hæretici accipere pro ſuo filio. Unde quia regulariter uxor ſequitur virum, & vadit ad domum, & ad patriam viri, non econtrà, ideò regulariter faciliùs erit promittendum Matrimonium hæreticæ cum Catholico, quàm Catholicæ cum hæretico. Ita Eminent.

192. *An ſit illicitum contrahere cum hæreticis propter excommunicationem vel ſtatum peccati mortalis.*

Quidquid ſit de hoc Can. qui loquitur de hæreticis, qui ſe profitentur, id eſt, promittunt Chriſtianos & Catholicos eſſe futuros, quibus abſolutè licet & filias & filios dare: videri poſſet alicui generaliter eſſe illicitum cum hæreticis non converſis, etiam ceſſantibus alijs incommodis, contrahere Matrimonium; tum propter excommunicationem, quâ innodati ſunt, tum quia exiſtunt in ſtatu peccati mortalis.

Ratio pro ſententia affirmativa.

Quippè per excommunicationem majorem privantur ſuſceptione & adminiſtratione Sacramentorum; & ſimiliter per peccatum mortale ſi non adminiſtratione, ſaltem ſuſceptione Sacramentorum: atque adeò contrahens cùm ipſis Matrimonium, videtur peccare, indigno adminiſtrando Sacramentum, & ab indigno id recipiendo; quæ duo planè illicita ſunt in adminiſtratione & ſuſceptione aliorum Sacramentorum, ſaltem quando commodè aliter fieri poteſt.

Quod addo: quia ſcio Euchariſtiam poſſe adminiſtrari peccatori occulto, & me eam poſſe petere, etiam à peccatore publico, quando id ſuadet neceſſitas, vel notabilis utilitas.

De hac difficultate, quæ non prava eſt, diſputavimus ſatis prolixè 1. Part hujus Operis Diſp. 1. Sect. 7. Concluſ. 15. ad quam remitto Lectorem. Dicam hic breviter quod ſentio.

193. *Excommunicatio non obſtat firmitati Matrimonij, ex c. 6. de Eo qui duxit.*

Quantùm ad excommunicationem; in primis hæc non obſtat firmitati Matrimonij, ut expreſsè probat cap. *Significaſti*, 6. De Eo qui duxit &c. ibi: *Legitimum judices Matrimonium ſupradictum, excommunicato manus abſolutionis (ſi petierit) juxta formam Eccleſiæ impenſurus.* Ita Innoc. III. Epiſc. Spolet.

Caſus d. textûs.

Caſus autem propoſitus Pontifici hic erat: *Quidam civis Spoletanus P. nomine, dimiſsâ uxore legitimâ, cuidam meretrici adhæſit, & quia monitus non dimittebat eamdem, fuit excommunicatus: tandem uxor ſua mortua eſt, ipſe vero cum ea Matrimonium contraxit. Quaritur an tale Matrimonium teneat?* Ita Gloſſ.

Et continuò attexit: *Reſpondet Papa, quòd niſi alter eorum in mortem defunctæ uxoris ſuæ fuerit machinatus; vel eâ vivente ſibi ad invicem fidem dederunt de Matrimonio contrahendo; Matrimonium legitimum cenſendum eſt: & ſi ille abſolutionem petierit, abſolvatur.* Ergò non obſtante excommunicatione, legitimum fuerat Matrimonium: unde non jubetur de novo contrahere, ſed abſolvi.

194. *Probatur 2. per Extrav. Ad evitanda.*

Secundò: hodie per Extravag. *Ad evitanda*, excommunicatio, niſi fuerit denuntiata, vel notoria Clerici percuſſio, non prohibet alijs fidelibus communicationem cum excommunicato, tam in adminiſtratione, quàm in receptione Sacramentorum, ita ut ad requiſitionem ipſorum, excommunicatus poſſit eis Sacramenta adminiſtrare, & ipſi poſſint ea requirere, niſi aliquid aliud obſtet, ut infrà adhuc dicam. Iam autem moderni hæretici regulariter non ſunt denuntiati, vel notorij Clericorum percuſſores. Ergò ex hac parte præcisè, id eſt, ex eo quòd ſint excommunicati, non eſt illicitum cum eis contrahere Matrimonium.

195. *Quid ſi forei hæreticus non toleratus.*

Sed pone, aliquem eſſe ſpecialiter denuntiatum, aut notorium Clerici percuſſorem, dico: Matrimonium fore peccatum mortale ex parte utriuſque: hæretici quidem; quia excommunicatio privat receptione Sacramentorum, quæ eſt materia graviſſima: ex parte autem fidelis, qui ſcienter cum eo contrahit: quoniam participat in Sacramento, qui eſt unus ex calibus, in quibus participatio cum excommunicato eſt mortalis; ſecundùm Omnes. Intellige, niſi utilitas vel neceſſitas excuſet.

An lex charitatis obliget ad non contrahendum cum excommunicato.

Sed & peccare mortaliter, qui contrahit cum excommunicato nec denuntiato, nec notorio Clerici percuſſore, docent Nunnulli apud Sanchez lib. 7. diſp. 9. n. 7. non ex ratione & meritis excommunicationis; ſed ex vi legis charitatis de vitando ſcandalo, & generalis obligationis, non cooperandi ad peccatum alterius. Cùm enim Decretum Concilij Conſtantienſis in nullo faveat ipſi excommunicato, ut in fine dicitur, liquet profectò, quòd ipſe peccet. Maximus namque favor eſſet excommunicati, ſi poſſet abſque culpa vacare Sacramentorum miniſterio, quo ratione excommunicationis antè id Decretum privatus erat.

196. *Declaratur, quòd non, ex d. Extrav.*

Reſpondetur: maximus favor eſſet, ſi id poſſet, etiam ab alijs non requiſitus; nos autem dicimus, id poſſe facere tunc, quando ab alijs fidelibus, quos Concilium voluit relevare, fuerit requiſitus; ne alioquì dictum Decretum careat ſuo fine, qui in eo exprimitur, ibi: *Ad evitanda ſcandala & multa pericula, ſubveniendumq; conſcientijs timoratis: ſtatuit etiam, quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione vel receptione* &c. At ſi peccatum eſſet, ſic excommunicatos prævenire, petendo ab ipſis Sacramenta, vel ipſos alloquendo, eadem ſcandala & pericula, ſcrupuliſque timoratorum pullularent: nempè, ſi excommunicatus ille eſt paratus miniſtrare, vel ſi illum induco, vel ſi neceſſitatem requiſitam habeo, vel ſi illum

prævenio

prævenio in colloquijs communibus &c.

Cùm ergò prohibitio, ne excommunicatus ministret Sacramenta, descendat ex ipso jure Ecclesiastico, potuit utique jus Ecclesiasticum hanc prohibitionem restringere ad omnes excommunicatos, qui aut denuntiati, aut notorij Clericorum percussores existunt: ad cæteros autem in eo solo eventu, in quo ipsi suâ sponte se ingerunt. Quare minimè peccabunt, quando à petentibus præventi, ipsis administrant.

197. *Confirmatur, ex dict.* Id autem intendisse facere prædictum Concilij Constant. Decretum, vel ex eo constat, quòd non stet, me non teneri vitare hunc excommunicatum, & ipsum peccare mecum participando. Quare dum dicitur in d. Decreto, non relevari per illud excommunicatum, debet intelligi directè & ex intentione; secùs indirectè & quatenùs est necessarium, ut fideles tutè & plenè possint frui privilegio participandi cum ipso excommunicato. Ita Sanchez sup. n. 8. ubi veriorem existimat hanc sententiam. Sanchez.

Objectio. Nec conferet dicere, prædictum Decretum concessisse administrationem & receptionem Sacramenti: at contrahere Matrimonium cum excommunicato, non est recipere ab ipso Sacramentum, sed participare in administrando & recipiendo simul cum ipso excommunicato Sacramentum, quod illicitum videtur, nec concessum in prædicto Decreto. Aliàs liceret mihi inducere prædictum excommunicatum, ut simul mecum interesset Sacro, aut administraret alijs Eucharistiam.

198. *Solvitur, ex Sanchez.* Sed respondetur (inquit Sanchez sup.) contrahere Matrimonium cum excommunicato, verè esse recipere ab illo Sacramentum, & in receptione cum illo participare: quod in prædicto Decreto indulgetur. Quia uterque contrahens verè ministrat & recipit Matrimonij Sacramentum. Ita Sanchez. Iam autem excommunicatus, qui mecum simul interesset Sacro, nec reciperet, nec ministraret mihi Sacramentum. Similiter & qui alijs adminstraret Eucharistiam.

Excommunicatio præcisè non reddit Matr. illicitum ex parte alterius. Igitur ex hac parte, id est, ex eo præcisè, quòd hæreticus sit excommunicatus, illicitum non est, ut sup. adhuc dixi, cum eo contrahere Matrimonium, nisi foret vitandus; estò etiam ipse præveniret contrahentem, & absolutionem obtinere non posset. Peccat quidem excommunicatus præveniendo; sed hæc malitia, quanta quanta est, ponitur ante contractum, ita ut contrahens nullatenùs in eam influat.

199. *Occurritur objectioni, ex Lugo.* Si dixeris: etiam in ipso contractu peccat. Respondeo, Neg. Quia (ut benè notat Lugo de Sacram. disp. 8. n. 232.) poterit ad minùs ille, qui prævenitur ab excommunicato, ipse denuò petere ab ipso Matrimonium: non enim privatur jure, quod habet ad petendum & inducendum excommunicatum; tunc autem jam excommunicatus poterit licitè contrahere, etiam nondum absolutus, quando absolutionem obtinere non potest, quia in favorem alterius petentis, ipse potest communicare cum eo licitè; ergò etiamsi excommunicatus præveniat, adhuc non excommunicatus poterit acceptare, si fiat de inducto inducens & petens, prout uno verbo fieri potest. Ita Eminent.

200. *Opinio Sanchez.* At verò Sanchez sup. in fine sic ait: præventus ab excommunicato, ut secum ineat Matrimonium, non inducit ad peccatum indignæ susceptionis excommunicati, qui, si vult, potest absolutionem obtinere; sed solùm utitur jure suo, & malitiâ alterius, ut suæ consulat contrahendi necessitati. At si excommunicatus absolutionem obtinere non posset, tunc nullo modo liceret cum illo tunc contrahere; quia non potest excommunicatus licitè facere. Hæc ille.

Ex parte reprobatur. Verùm jam ostendimus, quomodo adhuc licitè posset facere. Et quoniam semper licitè potest facere, quando absolutio possibilis est; propterea, estò nolit eam obtinere, sed velit permanere in sua hæresi, & per consequens velit in statu peccati mortalis Sacramentum Matrimonij suscipere ac ministrare, propterea, inquam, tunc Catholicus minimè censetur cooperari ejus peccato, si consulens suæ utilitati cum eo contrahat. Sicut qui consulens suæ utilitati contraheret cum alio Catholico, existenti in malo statu, minimè censeretur cooperari ejus peccato, quod posset evitare, si vellet. Sic etiam excusamus à peccato, qui recipit nummos ad usuram, ab usurario parato, quando iis indiget: & qui ex urgente causâ exigit juramentum ab eo, quem ex malitia certò novit pejeraturum, aut per falsos Deos juraturum. Vide 1. Part. hujus Operis Disp. 1. Sect. 8. Conclus. 4. 5. & 6. ubi de susceptione Sacramenti à ministro malo & excommunicato.

201. *Conclus. finalis.* Igitur Matrimonium Catholici cum hæretico non est necessariò peccatum, sive ex ratione & meritis excommunicationis, sive ex vi legis charitatis de vitando scandalo, & generalis obligationis non cooperandi ad peccatum alterius, ut satis constat ex hactenùs dictis; ac proindè manet verum, quòd Matrimonium personæ Catholicæ cum heretica non adeò sit illicitum, ut nunquam liceat.

Atque hìc fuisset finis præsentis Sectionis, nisi aliquis à me quæsivisset: an impedimenta Matrimonij, jure Ecclesiastico tantùm introducta, obligent etiam hæreticos, apud quos non sunt in usu. Responsio erit

CONCLUSIO VI.

Lex Ecclesiæ, dirimens Matrimonium, obligat Hæreticos, etiam apud quos ex odio seu contemptu non est in usu.

202. *Qui hìc intelligantur per hæreticos.* PEr hæreticos hìc intelligimus baptizatos, qui pertinaciter errant circà articulum fidei: hi quippè ratione Baptismi pertinent ad Ecclesiam, & ejus legibus subjiciuntur, secundum omnes DD. Catholicos. Nec est ulla ratio, excipiendi leges matrimoniales. Supposito ergò, quod

quòd lex Ecclesiæ,dirimens Matrimonium,apud hæreticos sit sufficienter promulgata,& acceptata,neque per contrariam consuetudinẽ abrogata, nemo dubitat,eam obligare. Sin autem non fuerit sufficienter promulgata, aut certè ex legitima causa non acceptata, vel contrariam consuetudinem abrogata, Omnes fatentur, eam non obligare magis hæreticos, quàm Catholicos.

De quo ergò hìc disputatur? Respondeo: an hæretici,qui ex contemptu & odio Ecclesiæ nolunt acceptare ejus leges, aut observare, hoc ipso sint liberi ab earum obligatione; & per consequens valeant eorum Matrimonia, celebrata juxtà leges naturæ & divinas, contrà legem Ecclesiasticam dirimentem?

103. *Sententia Marchant, hæreticos exemptos esse à legibus Ecclesiæ.*

Petrus Marchantius to. 3. Trib. Sacram. tract. 1. tit. 6. q. 4. Conclus. 4. de hæreticis, qui jam extrà Ecclesiam facti sunt & legibus Ecclesiæ se subduxerunt, hæc scribit: Etsi (inquit) tales Ecclesiæ ratione Baptismatis subjecti sint, & regi per Ecclesiam possint, quamdiu tamen non reguntur, sed schismate & infidelitate separati sunt, censentur illo tempore actu ab Ecclesiæ humanis & positivis legibus liberi, sive in ignorantiam invincibilem suæ obligationis, sive in conscientiæ erroneæ dictamen, sive in dissimulationem Ecclesiæ, illam libertatem quis referat: quo posito, ad jura naturæ & positiva divina ac politica revertantur necesse est, ad tollendam universalem orbis confusionem. Unde & pia mater Ecclesia, etsi illa (Matrimonia hæreticorum) ut Sacramenta non admittat, illa tamen non damnat; sed & conversos ab hæresi, in Matrimonijs suis relinquit, etsi ad Sacramenti rationem interdum pijs suasionibus inducat. Sic ille.

204. *Reprobatur à Lugone.*

Nunquid audiendus? Card. Lugo de Pœnit. disp. 15. sect. 7. n. 147. hanc doctrinam de exemptione à legibus Ecclesiæ, dicit esse absurdissimam. Quærit ibi, an hæretici obligentur præcepto Confessionis annuæ, & partem negativam probat: quia si hæc lex lata esset etiam pro hæreticis, non videretur prudens & rationabilis, cùm certum sit, ipsos eam non observaturos, atque adeò solum deserviret, ad dandam materiam novi peccati in ejus violatione.

Respondet autem Card. hoc argumentum multò magis probaret de alijs legibus Ecclesiasticis, quòd non debeant hæreticos obligare; atque adeò ipsos non peccare contrà legem jejunij, vel abstinentiæ à carnibus, nec incurrere excommunicationem, & Censuras latas pro varijs criminibus. Quæ tamen omnia absurdissima sunt.

205. *Probat hæreticos obligari legibus Ecclesiæ, primò ex ratione.*

Ratio autem est; quia ad hoc, ut lex aliqua universalis sit prudens & justa, non debemus attendere, an sit futura utilis huic personæ vel illi, sed toti communitati; cui si utilis sit, lex est rationabilis, nec debet restringi ad solas illas personas, quæ eam probabiliter observabunt: nam per hoc daretur ansa, ut multi malitiosè se subtraherent à legum obligatione, ponendo se in tali statu, in quo, propter ipsorum perversitatem, non crederentur observaturi legem, & sic non intelligerentur obligari. Hæc ille.

Secundò ex Concil. Trident.

Atque adeò baptizati liberi erunt ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint: cujus oppositum definivit Concil. Trid. sess. 7. de Baptis. can. 8.

Explicatio Concil.

Audio reponentem: planè liberi erunt, sed ex conniventia, & dissimulatione piæ matris Ecclesiæ; Trid. autem loquitur de rigore juris, sive de obligatione in actu primo, aut potestate obligandi.

Rejicitur.

Respondetur: non est pia mater, quæ favet rebellibus suis, quo permaneant in sua rebellione,& alijs dat occasionem rebellandi,& eam pedibus conculcandi.

206. *Privilegia dispensandi cum hæreticis conversis in impedimentis Matr. ex Bona Gratia.*

Et verò, quod signum hujus dissimulationis? Nunquam legistis privilegia, concessa missionarijs Capucinis Provinciæ Helvetiæ? Inter cætera, Bona Gratia in Sum. verb. *Missio*, hæc enumerat: Dispensandi cum conversis ad Fidem Catholicam in 3. aut 4. gradu consanguinitatis & affinitatis, simplici & mixto, quoad præterita Matrimonia, & in prædictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam. Item: dispensandi cum ijsdem super impedimento publicæ honestatis justitiæ, ex sponsalibus proveniente. Item: dispensandi cum ijsdem super impedimento criminis, neutro tamen conjuge machinante. Item: dispensandi cum ijsdem in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum.

Ad quid illæ dispensationes, seu privilegia dispensandi, si Ecclesia non damnat Matrimonia hæreticorum; sed & conversos ab hæresi in Matrimonijs suis relinquit? An fortè solùm data sunt pro Matrimonio personæ hæreticæ cum Catholica,quod secundùm omnes celebrari debet juxtà leges Ecclesiæ? Nullum vestigium talis limitationis reperitur in ipsis: ergò gratis asseritur talis limitatio.

207. *Impedimentum raptûs obligat hæreticos.*

Et non solùm enumerata jam impedimenta obligare hæreticos; sed etiam impedimentum raptûs, colligitur ex hac clausula,quæ subjungitur apud Bona Gratia dictis privilegijs. *Hæ verò matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi de consensu Episcoporum,ubi erunt, & cum clausula, dummodò mulier non fuerit rapta, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris existat.*

Alia opinio March. Matr. hæreticorum esse valida in ratione contractûs, secùs Sacramenti.

Hinc subscribere non possum huic conclusioni Marchantij sup. Matrimonia hæreticorum, quæ juxtà leges naturæ, & divinas positivas, ac civiles contrahuntur, contractus naturales & civiles sunt,ac intrà suam politiam legitima Matrimonia. Sacramenta tamen non sunt.

108. *Non placet Auctori.*

Hæc, inquam, doctrina non placet: quia reverà hujusmodi Matrimonia sub legitimis legibus non sunt contracta. Siquidem, ut supponitur, contrahuntur contrà leges Ecclesiasticas, quæ irritant Matrimonium,non solùm in ratione Sacramenti, sed etiam in ratione con-

tractus civilis; imò, secundùm mea, & aliorum communiter principia, non in ratione Sacramenti, nisi quia in ratione contractûs civilis, in tantùm, ut si maneat contractus civilis validus, Ecclesia non possit facere, quin valeat Sacramentum, nisi aliquid aliud obstet,

Reprobatur ex Concil. Trid.

Etenim *Declarat* Synodus Trid. sess. 21. c. 2. *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

Nota: *Salvâ illorum substantiâ.* Quomodo autem manet salva substantia Sacramenti Matrimonij, si Ecclesia possit facere, ut contractus validus, manens talis, qui anteà à Christo fuerat ad rationem Sacramenti elevatus, ampliùs non sit Sacramentum, quidquid contrahentes intendant? Iam quippè aliqua materia & forma Sacramenti Matrimonij, à Christo instituta, ampliùs non est materia & forma.

209. *Ecclesia non potest mutare materiam aut formam aliorum Sacramentorum.*

Nunquid Ecclesia potest facere, ut panis & vinum non sint materia consecrationis, aut aqua materia Baptismi, aut oleum materia Unctionis, & sic de alijs? Clarum est apud Omnes, quòd non, si panis maneat panis, & sic de alijs. Ergò Ecclesia non potest facere, ut aliquis contractus Matrimonij manens validus in ratione contractûs, quem Christus voluit esse materiam & formam Sacramenti Matrimonij, non fit ampliùs materia & forma Sacramenti. Herculè hæc fuit Summa difficultatis, propter quam in Concilio Trid. tot Patres, quos alibi adduximus, negaverint Ecclesiæ potestatem irritandi Matrimonium clandestinum.

Ecclesia potest irritare Matr. hæreticorum etiam in ratione contractûs.

Dico ergò: Ecclesiam posse irritare Matrimonia hæreticorum, non solùm in ratione Sacramenti, sed etiam contractûs civilis. Addo: non irritasse in ratione Sacramenti, nisi irritaverit in ratione contractûs, atque adeò Matrimonia illa, si valeant in ratione contractûs, etiam valere in ratione Sacramenti, nisi aliquid obstet præter leges Ecclesiæ, quæ, ut vult Marchantius sup. eos non obligant, quod ibidem quæst. 10. repetit hisce verbis:

210. *In Hollandia duplex reperitur Christiana Resp. ex Marchant.*

Advertendum est in Hollandia, quoad spiritualia, duplicem velut reperiri Christianam Rempublicam. Alia est Pseudo-Ecclesia, quæ est hæreticorum & Synagoga Sathanæ, in qua ritus sacri & cæremoniæ transierunt, vel in politicas sanctiones, vel in adulterinos ritus: unde ut Matrimonia non sint clandestina inter eos, vel contrahuntur coram Magistratu, vel coram Ministro. Et cùm hæc Respublica non tantùm sit hæretica, sed etiam schismatica, non agnoscens caput Ecclesiæ & Vicarium Christi, frustrà de legibus Ecclesiæ ab illis servandis disputamus, cùm nec Legislatorem agnoscant, nec legem, & jugum excusserint. Unde sive ex erronea conscientia, sive argumentosa, sive etiam dissimulante, & non urgente Ecclesiâ vera sua præcepta, quia inutiliter illa urgeret, tamquam exleges à lege Ecclesiastica habendi sunt. Sic ille.

Quæ doctrina si vera est (quod difficulter mihi quispiam persuaserit) dico: Matrimonia clandestina hæreticorum esse vera Sacramenta, suppositâ debitâ intentione conficiendi Sacramentum; sicut Catholicorum Matrimonia clandestina forent vera Sacramenta, si Ecclesia suam legem irritantem tolleret, & sicut sunt verum Sacramentum in terris, in quibus illud Decretum non fuit debitè promulgatum. 211. *An Matrimonia clandestina hæreticorum sint Sacramenta.*

An fortè dixeris: hæreticos non posse suscipere Sacramentum Matrimonij, neque ministrare, tametsi servent omnes leges tam divinas, quàm humanas, & velint Sacramentum conficere? Ubi Christus vel Ecclesia requisivit veram fidem internam, ad ministrandum aut suscipiendum verum Sacramentum? Nonne hæreticus validè absolvit in articulo mortis, validè consecrat Eucharistiam, validè baptizat &c.? Censen', hæreticum non posse validè confirmari, ordinari, inungi? Quare ergò non posset validè suscipere & administrare Sacramentum Matrimonij? Credisne, personam Catholicam, quæ contrahit cum hæretica, non suscipere verum Sacramentum Matrimonij, aut non ministrare illud, si nihil aliud obstet præter hæresim? Cur porrò similiter non erit verum Sacramentum inter hæreticos, si nihil aliud obstet præter hæresim? *Hæretici possunt suscipere & ministrare verum Sacramentum.*

Dices: supponit Marchantius, eos non servare leges Ecclesiæ. Sed quid inde? Ecclesia non vult eos obligare suis legibus, ut Marchantius etiam supponit; cur ergò Matrimonium eorum non est Sacramentum, sicut esset, si Ecclesia nullas leges statuisset? 212. *Evasio præcluditur.*

Marchantius sup. probat, non esse Sacramentum: Quia contractus Matrimonij, ut Sacramentum esse possit, legibus Ecclesiasticis firmari debet, & ad Ecclesiam solam pertinet, materiam & formam Sacramenti declarare: si igitur hæretici, quæ ad contractum matrimonialem necessaria esse Ecclesia declaravit, non observent, jam Sacramenti ratio illorum Matrimonijs deesse constat; quia materiam & formam, sive substantiam necessariam, ab Ecclesia declaratam, non servant, & absque debita materia & forma Sacramentum consistere nequit. *Probatur ex March. Matr. hæreticorum non esse Sacramenta.*

Ex his infero I. utroque hæretico, viro & fœminâ Matrimonium contrahentibus, non servatis legibus Ecclesiæ necessariò requisitis, si alteruter ad veram fidem convertatur, sicut liberè potest, in conjugio remanere, omni periculo subversionis, & contumeliæ Dei sublato, si infidelis consentiat habitare cum illo; ita periculo aliquo subversionis permanente, posse Catholicum relinquere conjugem hæreticam, & ad alias nuptias, quantùm est ex lege Evangelica & Apostolica, transire. 213. *Prima illatio, eos ad fidem conversos posse Matr. dissolvere.*

Ratio est: quia Matrimonium illud non fuit Sacra- *Probatio.*

Sacramentum, sed contractus merè naturalis & civilis ; adeoque nec per omnia indissolubile, sicut nec infidelium Matrimonia. Unde sicut infidelis (ut ait Apostolus) *si discedit, discedat* : ita si hæreticus discedit, discedat.

Dixi : *Quantùm est ex lege Evangelica & Apostolica* ; sinè dubio enim in externo foro civiles leges, ob Reipublicæ bonum, hæreditates, successiones prolium &c. contradicerent separationibus illis : loquor autem ego in foro conscientiæ.

214. *Secunda illatio.* Infero II. fideli Matrimonium contrahenti cum hæretica, non servatis conditionibus per Ecclesiam necessariò requisitis, sicut Matrimonium nullum est, sic in foro Ecclesiæ & conscientiæ, omnia, Matrimonium illud subsequentia, pro invalidis & illicitis haberi, ut sunt concubitus, tactus, legitimatio prolium, mutuæ successiones.

Probatur. Ratio est, quia nec in ratione contractûs, nec in ratione Sacramenti Matrimonia illa subsistunt. Dixi : *In foro conscientiæ* ; in foro enim civili nonnunquam tolerantur ; in foro autem Ecclesiæ & conscientiæ meræ fornicationes sunt. Hactenùs præfatus Auctor. Consequenter utique ad sua principia ; sed quia principia non valent, ideò nec prima illatio valet.

215. *Oppugnatur prima illatio.* Quod ne gratis dicere videar : quæro 1. quis instituit Sacramentum Matrimonij ? Nunquid Ecclesia ? Fidei est, à Christo fuisse institutum, atque adeò materiam & formam Sacramenti à Christo fuisse declaratam antecedenter ad leges Ecclesiasticas ; alioquì non fuisset Sacramentum, nisi post leges Ecclesiasticas, quod non puto Marchantium admissurum. Et verò quæ illa materia & forma, nisi contractus naturalis & civilis ? Ergò si Matrimonium hæreticorum est verus contractûs naturalis, servat materiam & formam à Christo declaratam. Cur ergò non sit Sacramentum ?

Defenditur. Quia, inquis, non est firmatum legibus Ecclesiasticis, vel potiùs, quia est infirmatum per leges Ecclesiasticas. Aft quæro ego, ubi Christus dedit Ecclesiæ potestatem infirmandi rationem Sacramenti, relinquendo firmam rationem contractûs ? Hoc probandum est, & non supponendum.

216. *Sed perperam.* Interrogo rursùm : Ecclesia si vellet, posset invalidare Matrimonium hæreticorum in ratione contractûs civilis ? Cur minùs, quàm Matrimonium hæretici cum Catholica ? Si alteruter (inquit Marchantius) Catholicus sit, & non servatis legibus Ecclesiæ contrahat, nec contractus quidem Matrimonialis validus est ; quia fidelis, juxtà Ecclesiæ statuta & leges ad validum contractum requisitas, contrahere debet.

Sed nunquid etiam hæreticus deberet, si Ecclesia absolutè vellet ? Affirmat Marchantius, ut sup. audivimus, quando ait : *Etsi tales Ecclesiæ ratione Baptismatis subjecti sint, & regi per Ecclesiam possint.* Si possint regi & reguntur in contractu matrimoniali quoad rationem Sacramenti, quis revelavit Marchantio, quòd non reguntur etiam quoad rationem contractûs, vel si non reguntur quoad hanc rationem, quòd regantur quoad illum ?

217. *Non est in potestate Ecclesiæ separare rationem Sacramenti à contractu inter fideles.* Nec valet dicere : nullum sequitur inconveniens ex irritatione Sacramenti ; plurima autem sequuntur ex irritatione contractûs civilis. Nam respondetur : eadem inconvenientia sequuntur ex irritatione contractûs inter Catholicum & hæreticam. Et tamen illa ab Omnibus admittitur. Ut taceam, quod jam antè non semel dixi, non esse in potestate Ecclesiæ, separare rationem Sacramenti à contractu inter fideles, id est, baptizatos ; imò, ut Multi putant, nequidem ab ipsis contrahentibus, qui nollent Sacramentum conficere ; quàmvis ego sim in opposita sententia.

Cur potiùs ipsi contrahentes possint id facere. Rogat aliquis : Cur potiùs contrahentes possint facere illam separationem, quàm Ecclesia. Respondeo : quia per hoc contrahentes non mutant substantiam Sacramenti ; nam præter materiam & formam, quam relinquunt intactam, requiritur intentio ministri, faciendi quod facit Ecclesia ; contrahentes autem sunt ministri. At verò Ecclesia nequit id facere, nisi statuendo aliam substantiam Sacramenti ; scilicet, non quemlibet contractum validum, quem Christus instituit seu elevavit ad dignitatem Sacramenti, sed contractum validum, factum secundùm leges Ecclesiæ.

Sicuti si Ecclesia declararet, non quamlibet ablutionem cum aqua naturali & prolatione horum verborum, *Ego te baptizo* &c. esse validum Sacramentum Baptismi ; sed tantùm illam ablutionem, quæ fieret secundùm leges Ecclesiæ : putas, quòd Ecclesia habeat talem potestatem à Christo, & quòd propterea ablutio, facta contrà leges Ecclesiæ, non foret validum Sacramentum ? Erras toto cœlo.

218. *Illatio Auctoris, contraria 1. illationi March.* Ex his infero : utroque hæretico viro & fœminâ Matrimonium contrahentibus, non servatis legibus Ecclesiæ necessariò requisitis, si alteruter ad veram fidem convertatur, nullatenùs posse transire ad alias nuptias ; estò foret periculum subversionis, aut contumeliæ Dei ; eo semper salvo, ut inter eos fuerit validus contractus Matrimonialis ; dato etiam, quòd non fuisset verum Sacramentum ex defectu intentionis contrahentium.

Probatur ex ratione. Ratio mea est : quia nùspiam tale privilegium conceditur hæreticis, sed solis infidelibus, id est, non baptizatis, quando per Baptismum incorporantur Ecclesiæ, & fiunt membra Christi. Sic communiter intelliguntur illa verba Apostoli 1. Cor. 7. v. 15. *Quòd si infidelis discedit, discedat. Nam* (ut ait Innoc. III. cap. *Quanto*, 7. de Divort.) *etsi Matrimonium verum inter infideles* (id est, non baptizatos) *existat, non tamen ratum : inter fideles autem* (id est, ~~non~~ baptizatos) *verum & ratum existit.*

Rationem subdit : non quia est Sacramentum, sed, *Quia Sacramentum fidei* (id est, Baptismus) *quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugij Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante, perduret.* Ubi per,

Conjugij Sacramentum, nequit intelligi propriè dictum Sacramentum ; nam certum est, illud non perdurare, sed transire. Quid ergò ? Vinculum Matrimoniale.

219. *Inter hæreticos vinculum Matrimoniale semper perdurat.* Si ergò inter hæreticos sit verum vinculum Matrimoniale, lucet profectò, quòd eorum Matrimonium non tantùm sit legitimum, sed etiam ratum ; quia Sacramentum fidei, quod semel admiserunt, ut supponitur, numquam amittitur ; ac proinde vinculum Matrimoniale in conjugibus, illo durante, perdurat.

Dico ergò rursum : ex hypothesi, quòd hæretici, qui jugum Ecclesiæ excusserunt, tamquam exleges à lege Ecclesiastica habendi sint, Matrimonium inter eos celebratum contrà eam legem, esse verum & propriè dictum Sacramentum, nisi aliquid aliud obstet. An autem sint exleges, est alia quæstio.

220. *Hæretici non sunt liberi à lege Ecclesiastica.* Ego, cum Alijs communiter, sustineo partem negativam, & constanter assero, etiam hujusmodi hæreticos Ecclesiæ legem, dirimentem Matrimonium, obligare, nisi contrariâ consuetudine fuerit abrogata. Ut autem consuetudo abroget aliquam legem, requiritur ut sit rationabilis & legitimè præscripta, uti sup. probavimus ex cap. fin. de Consuetud.

Illa ergò consuetudo, quæ apud Catholicos abrogaret impedimentum dirimens, etiam eumdem habebit effectum apud hæreticos. Sed quia non observatio legis ex contemptu Legislatoris, apud Catholicos non valet abrogare legem Ecclesiæ ; neque talem effectum habebit apud hæreticos. Et ratio est ; quia est consuetudo irrationabilis, utpotè pugnans cum lege, non solùm Ecclesiasticâ, sed etiam naturali, quæ vetat contemptum legis & Legislatoris.

Non observatio legis ex contemptu non abrogat legem.

221. *Talis communiter est non observatio apud hæreticos.* Ex quo patet, quare in Concluſ. addiderim illam particulam : Etiam apud quos ex odio & contemptu non est in usu. Et quia communiter hæretici ex odio & contemptu Pontificis, seu Romanæ Ecclesiæ, nolunt observare ejus leges, sive Matrimoniales, sive in alia materia, hinc consuetudo ipsorum contraria nequit legem Ecclesiæ abrogare.

Consuetudo (qui titulus si non favet hæreticis, certè nullus alius patrocinabitur) non potest tollere vim legis (inquit Lessius in Auctario ad 1. 2. verb. *Præscriptio*, cas. 1. n. 3.) nisi ex tacito vel expresso consensu Principis, quod maximè habet locum in legibus Ecclesiæ. At qui non præsumitur Ecclesia consentire in illas consuetudines, aut eximere illos à communi lege, cùm sint rebelles Ecclesiæ, neque ullum in hac re favorem aut benignitatem mereantur. Alioquin magnum ex sua contumacia commodum mererentur.

Et ideò non abrogat leges Ecclesiæ, juxtà Lessium.

Et sanè mirum esset, hæreticos esse exemptos à jejunijs, à carnium abstinentia, à cultu festorum, ab impedimentis Matrimonij, jure Ecclesiastico inductis, & similibus, eò quòd ipsi, Ecclesiæ auctoritate contemptâ, aliam consuetudinem servant.

222. *Confirmatur ex usu Ecclesiæ.* Idem confirmat usus Ecclesiæ ; nam simul atque ad fidem redeunt, statim Ecclesiæ consuetudinibus obstringuntur ; & Matrimonia in gradibus prohibitis ab Ecclesia dissolvuntur. Hæc ille.

Omitto responsum Card. missum ad Episcopum Tricharien sem, de quo satis egimus præcedenti Disp. Sect. 9. Concluſ. 5. in quo expresè declaratur, Matrimonium hæreticorum, contractum sinè præsentia Parochi & testium, ubi hæc est possibilis, non valere.

Et responso Card.

Nec dici potest : non valere in ratione Sacramenti ; secùs ut est contractus civilis ; siquidem Trident. non tantùm declaravit Sacramentum irritum, sed decrevit, hujusmodi contractus irritos & nullos esse ; & Omnes admittunt, talem contractum inter Catholicos esse omninò nullum & irritum, etiam in quantùm est contractus naturalis & civilis. Quæsitum ergò fuit ab Episcopo Tricharien si, num eo modo foret invalidum Matrimonium hæreticorum. Dum igitur respondent, non valere, intelligunt eo modo quo non valet Matrimonium Catholicorum. Vide quæ dixi loco sup. cit. ubi magis expenditur d. Declaratio.

223. *Evasio præcluditur.*

Porrò non est ratio ; quare Ecclesia minùs irrita habeat Matrimonia, quæ fiunt contrà alias leges Ecclesiæ dirimentes, dummodò fuerint sufficienter promulgatæ & acceptatæ. Censentur autem sufficienter promulgatæ, quæ continentur in jure communi, quod antè exortam hæresim ubique erat receptum.

Et verò non acceptatio sinè justa causa, non videtur suspendere obligationem legis ; quippè hæc suspensio, quanta quanta est, dependet à voluntate Legislatoris, ut notat Lessius sup. n. 1. Suppono (inquit) Ecclesiam, Concil. Oecumenicum, seu Summum Pontificem, in quo est Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, posse obligare etiam nolentes & non recipientes ; neque scio ullum Doctorem, qui id ausit negare, cùm potestas ipsis non sit data ab hominum collectione, sed immediatè à Christo.

224. *Non acceptatio legis sinè justa causa non suspendit obligationem, ex Lessio.*

Itaque cum DD. dicunt, Ecclesiæ legem non obligare, nisi sit recepta ; supponunt, Ecclesiam non intendere aliter obligare, ne filios suos multis peccatis implicet, & gravia illis incommoda inferat. At hoc in præsenti casu supponi non potest respectu hæreticorum, qui ex contemptu Ecclesiæ legem rejiciunt & recipere nolunt. Quis enim credat, Ecclesiam suâ lege, quam tulit de Matrimonijs clandestinis, non intendere obligare hæreticos, qui in aliqua Parochia sunt Catholicis permixti, si ipsi contumaciter legem rejiciant ? Ita Lessius.

Et quidem (prosequitur) si hæreticorum numerus ibi est minor, Catholicorum major, & à Catholicis Decretum illud recipiatur, non est dubitandum, quin etiam hæretici teneantur. Quia omnes obligantur, quando à majori parte communitatis lex est recepta : tunc enim absolutè recepta censetur. Itaque Matrimonia eorum erunt invalida in eo loco, sive hæreticus cum hæretica, sive cum Catholica

225. *Sufficit quòd major pars communitatis recipiat legem.*

lica contrahat, niſi formam à Concilio præſcriptam ſervent; quia illa forma ibi abſolutè eſt recepta.

Idem ſentio, etiamſi major pars eorum, qui ſunt in illa Parochia, ſit hæreticorum, qui ex contemptu nolunt recipere. Quia nulla eſt ratio, cur Eccleſia utatur illâ benignitate adverſus ſuos rebelles: nimirum, ut nolit eos communi legi adſtringi, ſi eam non receperint. Hactenùs Leſſius.

226. *Matr. hæreticorum prohibita jure divino, & irrita lege Eccleſiæ, ſunt invalida, ex Gobaito. Probatur.*

Apponam hìc, quæ de præſenti puncto lego apud Gobatium in ſuo Alphabeto tract. 9. n. 41. Mihi certum videtur, omnia Matrimonia quæ hæretici celebrant cum impedimento juris divini impediente tantùm, & ſimul cum impedimento juris Eccleſiaſtici dirimente, eſſe invalida coram Deo & Eccleſia.

Ratio eſt: quia hoc ipſo, quòd Deus directè vetet talia Matrimonia, præſumendum eſt, Pontificem nullo prorsùs modo conſentire in illa, cùm ſit Romani Pontificis, omni ratione tueri jura divina, cap. *Eccleſiæ*, 56. de Elect. Ergò nulla conſuetudo efficiet, ut ſubſiſtant hæc conjugia. Hujus generis eſt dumtaxat impedimentum voti ſolemnis caſtitatis, & ſimplicis in Societate Ieſu; nec puto vivere ullum ſincerè Catholicum, qui nuptias Monialis, aut Clerici, in Majoribus conſtituti, non habeat pro inceſtiſſimis.

227. *Ratio quare conſuetudo non poſſit hic prævalere, ex eod.*

Ratio ſingularis, ob quam nulla conſuetudo poſſit robur afferre id genus infamibus laſcivijs, eſt; cum, quia conſuetudo, quæ Canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti, cap. *Ad noſtrum*, de Conſuet. qui Canon, ſi reſtringatur ad conſuetudinem irrationabilem, eſt apud Theologos & Canoniſtas extrà omne dubium. Tum, quia conſuetudo, ex qua diſrumpitur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, irritanda eſt, cap. *Cum inter*, de Conſuet. Quanta autem diſruptio ſequeretur, ſi Papa ſuo quaſi calculo comprobaret nuptias Monialis cum filio Prædicantis? Hæc ille.

Expenditur.

Sed quæro ego: antequam vota ſimplicia in Societate Ieſu dirimerent Matrimonium poſt contractum, putas, quòd Pontifex ſuo calculo approbaverit tale Matrimonium? Cur ergò approbaret, ſi modò per contrariam conſuetudinem talis effectus tolleretur? Cur non poſſent tales circumſtantiæ occurrere, ut Pontifex juſtè illa vota privaret dicto effectu, quem ex ſola ejus voluntate acceperunt? Tunc autem conſuetudo eſt rationabilis, quando non pugnat cum lege naturali aut divinâ, & aliquâ nititur ratione judicio prudentis, tali ſcilicet, propter quam Legiſlator non ſolùm validè, ſed etiam licitè poſſet legem ſuam revocare.

228. *Conſuetudo hæreticorum contrahendi cum Monialibus &c. non eſt rationabilis.*

Aſt nunquid conſuetudo hæreticorum contrahendi cum Monialibus, conſanguineis in 3. aut 4. gradu, aut alio impedimento dirimente jure Eccleſiaſtico, nititur tali ratione? Si (inquit Gobat ſup. n. 43. illi viginti Romani Pontifices, qui à Leone X. uſque ad S. D. N. Clementem IX. ſederunt ſuper Cathedram Petri, coram adeſſent, atque interrogarentur, utrùm unquam tacitè approbaverint conjugia, ab hæreticis inita cum impedimento dirimente, ij mihi videntur reſponſuri, ſe nihil minùs unquam cogitaſſe, etiam implicitè.

229. *Quare non cenſeatur approbata à Pontificibus.*

Et ratio eſt: quia ſi fruſtrà legis auxilium invocat, qui committit in legem, cap. *Bonæ*, 23. de Elect. longè potiori jure præcluditur ſpes omnis favoris aut indulgentiæ Pontificiæ illis, qui omni ratione conantur Pontificem ſpoliare ſuâ poteſtate. Et ſingulariter hoc tempore excuſandi ſunt Pontifices Romani, ſi ſeſe quoad poſſunt opponant ijs, quæ hæretici agunt contrà ſacros Canones, quandoquidem in omnibus Conventibus, ac nominatim Monaſterienſi voluerint æternùm excludi omnem Pontificiam poteſtatem circà articulos conventos, etſi Eccleſiæ Orthodoxæ ſummè noxios. Ita Gobatius.

Igitur conſuetudo hæreticorum non nititur aliquâ ratione, propter quam Pontifex ipſos licitè poſſet ab his impedimentis eximere; & ideò irrationabilis eſt, quæ nullo tempore poteſt præſcribere.

230. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis: hoc eſt quod quæritur, & videtur ratio ſufficiens, quòd orirentur gravia incommoda, ſi Acatholici viderent, ſuos liberos, natos ex talibus connubijs, haberi à nobis pro illegitimis; & ideò non admitti ad dignitates Eccleſiaſticas, ſacroſque Ordines.

Solutio ex Gobat.

Reſpondet Gobat ſup. n. 44. Lutherani & Calviniſtæ parùm curant, utrùm ſui liberi habeantur à Papa pro ſpurijs, an pro legitimis; ſicuti oſtendunt, celebrando ſolemniſſimè tot Matrimonia cum impedimento ligaminis, item cum impedimento voti atque Ordinis.

Equidem eorum filij non poſtulant ſacros Ordines, quando ſunt alieni à noſtra Religione; ergò nihil tunc morantur Pontificis annutum; ſi autem poſtulent jam reducti ad ovile Chriſti, initiabit vel ipſe Pontifex, vel certè diſpenſabit facillimè quoad impedimentum illegitimitatis; imò ſi ſit opus, legitimabit integrè. Idem dic de dignitatibus Eccleſiaſticis, ad quas aſpirant tales Neophyti.

Contendunt quidem Acatholici etiam ad Abbatias, Canonicatus, Epiſcopatus; ſed non expetunt Papalem benedictionem; & prorsùs mihi perſuadeo, Romanos Pontifices tam parùm, etiam tacitè, auctoritatis tribuere illis Matrimonijs carnalibus, ac tribuunt ſpiritualibus. Sic ille.

231. *Alia ſolutio.*

Addo ego: eadem inconvenientia oriri ex Matrimoniis hæreticorum cum Catholicis, quæ tamen ab omnibus habentur invalida. Quæ igitur rationabilis cauſa, propter quam Pontifex licitè poſſet rebelles ſuos facere exleges, & tantùm velle obligare Catholicos?

Nemo eximitur ab obedientia propter inobedientiam.

Enimverò nemo poteſt eximi ab obedientia propter inobedientiam, nec per ſuum abuſum poteſt quis derogare poteſtati Superioris, aut

aut illam aliquo modo minuere; quia hoc intrinsecè includit inobedientiam, nec præsumitur Superior cum aliquo quasi dispensare propter ejus abusum; quia esset irrationabilis voluntas contrà nervum disciplinæ; imò contra vim & efficaciam legis. Et proinde dicendum est, valorem legis pendere quidem ab acceptatione subditorum (non tamquam à causa essentiali, quæ sola est voluntas Superioris promulgata; sed tamquam à conditione, sinè qua Superior non vult obligare) subditorum, inquam, sed morigerorum, dum adest aliqua justa causa non acceptandi; non autem rebellium, qui ex mero odio & contemptu legem rejiciunt.

232. *Populus peccat: non recipiendo legem promulgatam sinè justa causa*

Hinc Alex. VII. die 24. Septemb. 1665. damnavit hanc propositionem ad minùs tamquam scandalosam: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Ergò talis non receptio minimè est signum, Principem nolle obligare; maximè quando apertè contradicit, & clarè ostendit, se velle equidem obligare, ut impræsentiarùm fieri, constat ex dictis.

Quæ cùm ita sint, videntur nobis, & plerisque alijs, omnia Matrimonia Acatholicorum, facta cum impedimento juris etiam Ecclesiastici (de divino & naturali nemo negat) esse irrita.

Estque aperta sententia facultatis Theologicæ Viennensis in Austria, in responso, quod ea dedit ad quæstionem ipsi propositam die 18. Maij an. 1655. ab Excelso Regimine Austriæ his verbis: *An Concil. Trident. etiam Acatholicos Austriacos in causis Matrimonialibus ita obliget, ut si extrà Austriam, sinè proprij Parochi consensu, in Hungaria copulentur, pro veris & legitimis conjugibus taliter copulati non sint habendi.* 233. *Quædam responsio Facult. Theologicæ Viennensis.*

Ad hanc quæstionem (inquit Gobat sup. n. 468.) priusquam responderet illa inclyta Facultas, supposuit & asseruit expressè, Acatholicos degentes in Austria, ubi Decretum Tridentini ubique promulgatum est, omnes obligari illo, ac deinde hanc inter cæteras dedit resolutionem: *Si ejusmodi Acatholici in fraudem Decreti Trid. eo fine, ut sinè proprij Parochi præsentia Matrimonium contrahant, ad illas Hungariæ partes, ubi Decretum non ligat, proficiscantur, eorum Matrimonium ita contractum est irritum.* Ergò ex sensu atque consensu tam præstantium Doctorum, in materia practica, & in ordine ad praxim consultorum, connubia Acatholicorum sinè præsentia proprij veriqúe Parochi, sunt eo modo irrita, quo Catholicorum. Hæc Gobatius. Quæ imponent finem huic Conclusioni & Sectioni.

Restat explicandum impedimentum Ligaminis. De quo instituitur

SECTIO XII.

DE

IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

1. *Quid hìc sit ligamen.*

Ligamen hìc est vinculum prioris Matrimonij, rati sive consummati, quo durante, posterius Matrimonium, ratum sive consummatum, invalidum est. Dico: *Quo durante*; quia dissoluto Matrimonio rato, vel per Professionem solemnem, aut per dispensationem Pontificiam: & similiter dissoluto Matrimonio consummato per mortem aut dispensationem divinam, redit prior libertas validè contrahendi, quæ per præcedens Matrimonium ablata erat: ablata, inquam, jure Divino, sive per primævam Matrimonij institutionem. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Matrimonium cum secunda, vivente primâ uxore, jure Divino est nullum.

2. *Polygamia jure divino est invalida.*

Hic repeti possent ea, quæ de Polygamia diximus Disp. præced. Sect. 5. Conclus. 7. sequentis tenoris: *Nequidem infideli nunc licet cum pluribus simul contrahere. Olim licuit viris.* Ubi diffusiùs & evidentiùs ostendimus, Polygamiam (id est, contractum Matrimonialem unius cum pluribus simul) jure divino non tantùm esse illicitam, sed etiam invalidam. Videantur ibi dicta, quia nimis longum esset ea omnia repetere.

Sufficiat testimonium Christi Matth. 19. v. 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur.* Et Marci 10. v. 11. *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* *Probatur ex Matth. 19. & Marc. 10.*

Consonat Apostolus Rom. 7. v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Cur ita, si vivente viro validè contrahitur cum alio viro? 3. *Item ex Rom. 7.*

Et ratio breviter est: quia nemo potest validè tradere alteri, quod suum non est; jam autem secundùm primam institutionem hujus contractûs, renovatam à Christo in lege novâ, vir accipit potestatem in solidum corporis mulieris, & è converso, juxtà illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergò durante vinculo prioris Matrimonij, posterius Matrimonium invalidum est. *Ratio.*

Quod

4. *Definitio Trid.* Quod probè ſcientes Patres Concilij Trid. ſeſſ. 24. de Matr. Can. 2. definiunt: *Si quis dixerit, licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nullâ lege divinâ eſſe prohibitum, anathema ſit.* Licere, inquam, quoniam poſterius Matrimonium invalidum eſt.

Novi, non omne Matrimonium illicitum eſſe invalidum; ſed dico, in hac materia ideò Matrimonium poſterius eſſe prohibitum, quia invalidum; alioquì non eſſet ratio, illud generaliter prohibendi. Et aliunde ſatìs probatur eſſe invalidum, quàm ex eo præcisè, quod ſit illicitum.

His ita breviter conſtitutis, & remiſſo Lectore ad Diſput. præced. loco ſup. citato, itemque ad Sect. 12. Concl. 1. 2. &. 3. progredior ad alia, quæ hìc ſolent tractari, & quæro primò: Qualiter conſtare debeat de alterius conjugis obitu, ut poſſit ſuperſtes aliud Matrimonium inire. Reſpondetur.

CONCLUSIO II.

Iure Canonico nemo licitè contrahit cum ſecunda, niſi conſtet, ſeu certum nuntium acceperit de morte prioris conjugis. Ut in Matrimonio jam contracto perſiſtat, ſufficit prudens opinio.

5. *Prior pars probatur ex c. 19. de Sponſ.* ROgas, ecquod eſt illud jus Canonicum? Reſpondeo: cap. 19. de Sponſal. ſequentis tenoris: *In præſentia noſtrâ quæſtioniſti, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos causâ captivitatis, vel peregrinationis abſentes, ultrà ſeptennium præſtolatæ fuerint: nec certificari poſſunt de vita vel de morte ipſorum, licet ſuper hoc ſollicitudinem adhibuerint diligentem: & pro juvenili ætate ſeu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari.* Ecce conſultatio.

Sequitur reſponſio: *Conſultationi ergò tuæ taliter reſpondemus, quòd quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare: nec auctoritate Eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Ita Clemens III.

6. *Expoſitio caſûs per Gloſſ.* Ubi Gloſſ. in in expoſitione caſûs in fin. *Item per hanc Decretalem abrogantur leges, quæ dicunt, mulierem per quinquennium tantùm debere expectare virum.* Et verb. *Quantocumque*, ſic ait: *Arg. contrà ff. de Divortiis*, Uxores, *ubi dicitur, quòd per quinquennium debet expectari.*

Hæc ſunt verba legis: *Vxores eorum, qui in hoſtium poteſtate pervenerunt, poſſunt videri nuptarum locum retinere, eo ſolo, quòd alij temerè nubere non poſſunt. Et generaliter definiendum eſt; donec certum eſt, maritum vivere in captivitate conſtitutum, nullam habere licentiam, uxores eorum migrare ad aliud Matrimonium: niſi mallent ipſæ mulieres cauſam repudij præſtare. Sin autem in incerto eſt, an vivens apud hoſtes teneatur, vel morte præventus: tunc ſi quinquennium à tempore captivitatis exceſſerit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias.*

Porrò ad hoc Argumentum contrà, reſpondet Gloſſ. ſup. *Lex illa & conſimiles non tenent per Authent. Cod. de Repud. L. Hodie.* Do verba Authent. *Hodie quantiſcumque annis maritus in expeditione manſerit, mulier ſuſtinere debet, licet neque litteras, neque reſponſum ab eo acceperit. Sed ſi mortuum audierit, non priùs nubat, quàm per ſe vel per alium, eum, ſub quo militabat, adiens interrogaverit, ſi pro veritate mortuus eſt: ut apud geſta deponatur cum jurejurando, ſi mortuus ſit: quo ſubſecuto poſt annum nubat. Si verò præter hæc nupſerit, tam ipſa, quàm qui eam duxerit, veluti adulteri puniantur.* 7. *Reſp. Gloſſ. ad l. 6. ff. de Divort.*

Sed neque tenent per d. cap. *In præſentia*; ut omnibus manifeſtè lucet. Veluti nec per cap. *Dominus*, 2. de Secundis Nupt. in principio: *Sanè ſuper Matrimonijs, quæ quidam ex vobis (nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis reſpondemus, ut nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.* 8. *Probatur etiam Concluſ. per c. 2. de Secund. nupt.*

Si verò aliquis vel aliqua id hactenùs non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen noverit nullatenùs exigendum; quòd ſi poſt hæc de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.

Ecce hìc requiritur ut mors prioris conjugis conſtet; d. autem cap. *In præſentia*, certum nuntium de morte virorum; jam verò ſola abſentia conjugis per quinquennium neque eſt certum nuntium, neque per eam conſtat de morte prioris conjugis. Patet ergò, quòd per hæc jura Canonica ſit circumducta d. lex *Vxores*, & aliæ ſimiles. 9. *Per hæc jura Canonica correctum eſt jus civile.*

Quin & correcta videtur D. Authent. *Hodie*, in quantùm poſtulat, ut mulier per ſe vel per alium adeat ducem belli &c. (quidquid ex adverſo doceat Bartolus & Alij apud Sanchez lib. 2. diſp. 46. n. 2.) quia jura Canonica, quæ ſola circà Matrimonium diſponunt, tantùm poſtulant certitudinem mortis, quæ ſufficienter haberi poteſt, tametſi non ſerventur ſolemnitates, præſcriptæ à d. Authentica.

Si autem à me quæritur, quid in d. cap. *Dominus*, ſignificet verbum: *Conſtet*, ? Reſpondeo cum Gobatio ſup. n. 284. Iſtud verbum habet hanc vim, ut conſtet per inſtrumenta, vel per teſtes, ſive etiam per ſententiam, aliamve claram probationem. Expreſsè Maſcardus de Probat. concluſ. 75. n. 21. præter Alios apud Barboſam in tract. de Dictionibus in Dict. *Conſtat*, dicentes, illud conſtare, quod caret omni dubitatione. 10. *Quid ſignificet ly Conſtet, in d. cap. 2. de Secund. nupt. ex Gobat.*

Interrogas 2. utrùm reſolutio, quam Pontifex dedit de illis captivis, extendenda ſit ad omnes, non modò ſimiles captivos, ſed etiam non captivos? Reſpondet idem Auctor n. ſeq. Licet DD. non faciant diſcrimen inter taliter captivos, *An d. cap. 19. de Sponſal. ſit extendendum ad non captivos.*

tivos, censeo tamen, salvo meliori judicio, fieri posse rationabiliter. Ratio est; quia tales captivi longè rarissimè possunt quid certi comperire; ergò id quod communiter cognoscunt, est incertissimum; ergò non licet iis suâ communi ordinariâque notitiâ stare; consequenter est eis nefas, sinè certitudine aspirare ad alium thorum; at quia alij Christiani, viventes liberè inter Christianos, possunt communissimè habere relationes minùs obnoxias erroribus, ideò non est paritas inter hos, atque illos. Ergò lex naturalis videtur exigere ab hujusmodi captivis certitudinem majorem de obitu conjugis, quàm ab alijs communiter. Hæc ille.

11. *Gobat probat partem negantem.*

Oppugnatur ab Auctore.

Sed non placet ultima Consequentia. Quippè tantùm sequitur, salvo meliori judicio, captivos rarissimè posse contrahere, quia rarissimè certi sunt; frequentiùs autem posse contrahere alios; quia frequentiùs certi sunt. Ergò lex naturalis non exigit majorem certitudinem ab his, quàm ab illis; sed eadem certitudo sufficit, id est, sufficit, quòd mors reverà sit certa, quàmvis rariùs sit talis respectu captivorum. Et fortè nihil aliud voluit Gobat.

12. *Quare non sufficiat absentia quinquenny. Ratio Abbatis.*

Sed quæ ratio, inquis, ob quam Ecclesia nolit esse contenta absentiâ quinquennij? Abbas d. cap. *In præsentia*, n. 4. sic ait: Nota, quòd quàmvis non præsumitur mortuus, licèt, habitâ diligenti inquisitione, ignoretur ubi sit: nam præsumitur quis vivere posse per centum annos, ut in l. fin. Cod. de Sacrosanctis Eccles. In lib. quo ego utor, est l. 23. ubi §. 1. in fine ita lego: *Vnum tantummodò terminum humanæ vitæ imponimus, id est, centum metas annorum.*

Non placet Sanchio.

Sed hæc ratio (inquit Sanchez sup. n. 1.) non est solida; quia verius est, non præsumi vitam hominis eo tempore durare; quia jus non præsumit quæ rarissimè contingunt, per Reg. 45. de Reg. juris in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerũq; fieri consuevit*: est autem vir centenarius rarissima avis in terris.

13. *Expenditur l. fin. Cod. de Sacros. Eccles. ex Covar.*

Quid ergò ad d.l. finalem? Auscultate Covar. 2. Variar. c. 7. n. 6. vers. *Tertiò*: In contrarium (inquit) urget textus in l. *Spadonem*, §. *Quia absolutus*, ff. de Excusat. Tut. ex quo deducitur, non esse satis, semel probatum fuisse, Sempronium vivere, ut hodie præsumatur vivere. Ad idem optimus textus in l. *Hæreditatem*, ff. ad legem Falcidiam. Unde licèt possibile sit, quemquam centum annos vivere, quod in d. l. ultima probatur, non tamen præsumitur, quempiam ad centum annos victurum; cùm & id à communiter accidentibus, & verisimilibus satis abhorreat. Sic ille.

Quæ sit vera ratio, ex Sanchez.

Quæ ergò vera ratio? Respondet Sanchez sup. quia ex longa conjugis absentia non resultat certitudo de ejus obitu; sed tantùm incertitudo & dubium: at quamdiu res est dubia & incerta, melior est conditio prioris Matrimonij possidentis. Item: quia nullum est periculum, abstinendo ab alio Matrimonio; est autem adulterij, contrahendo, si fortè conjux alter superstes sit. Deinde: quia mors non præsumitur, sed est probanda; quilibet enim vivere præsumitur, l. ult. God. de Sacros. Eccles. Ita Sanchez.

14. *Examinatur.*

Nunquid ad annum centesimum & ultrà? Menochius (inquit Sanchez ibidem) ad d. l. fin. respondet, eam legem & similes tantùm probare negativam, scilicet jus non præsumere, vitam ultrà centum annos durare, non autem affirmativam partem, scilicet usque ad centum annos durare. Quomodo ergò, dicet aliquis, ex eadem lege præsumitur, quemlibet vivere? Respondeat Sanchez pro se, ætatem habet.

Pone, quòd juvencula nupserit sexagenario, & postquam illi convixit annos 20. fuerunt ob barbaras excursiones invicem separati, effluxitque spatium 20. annorum, ex quo nequit uxor quidquam intelligere de marito, nunquid licitè nubet alteri? Etenim jus non præsumit vitam ultrà centum annos, qui jam effluxerunt ab anno nativitatis. Quid si non effluxissent post separationem, nisi 10. anni, aut 15? Iam enim, dicet aliquis, mors non præsumitur, sed potiùs vita, adeoque mors probanda est: non videtur autem sufficienter probari ex illa separatione seu absentia.

15. *Resolvitur. Gobat.*

Gobat sup. n. 291. censet, nisi positivè constaret, talem sexagenarium esse seu fuisse complexionis prævalidæ, fas fore juvenculæ transire in circumstantijs hìc expressis ad alium thorum; quia cessaret omnis de ejus vita præsumptio, & circumstantia captivitatis gigneret de morte certitudinem hûc sufficientem.

Putat sufficere verosimilem præsumptionem.

Etenim ut mulier licitè transeat ad secunda vota, non est necessaria (inquit hic Auctor n. 292.) certitudo moralis, sed sufficit verosimilis præsumptio. Ita post S. Antoninum, Silvestrum, Navarrum, Aliosque permultos apud Sanchez lib. 5. (debet esse 2.) disp. 46. n. 5. Tenet ipse Sanchez ibid. n. 2. quidquid dicat n. 6. Tenet quoque Laymanus lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 3. n. 1. atque alij plures, contrà Sotum, Anglem, alioque apud Sanchez cit. n. 6. cum Tannero disp. 8. q. 4. dub. 6. n. 106. Palao de Sponsal. disp. 4. p. 13. §. 1. Sic ille.

16. *Perperàm citat pro hac sententia Sanchium.*

Sed allucinatur, quando ait: tenet ipse Sanchez ibid. n. 2. quippè tantùm docet, d. Authent. *Hodie*, correctam esse per jus Canonicum, ut sup. diximus. Vocat quidem sententiam illam probabilem n. 5. in fine; sed n. 6. amplectitur oppositam tamquam probabiliorem, dicens, eamdem certitudinem requiriri, ut Ecclesia det facultatem contrahendi, & ut possit aliquis propriâ auctoritate: & ita requiri tantùm certitudinem, aut per certum nuntium, aut per testes, ut judicio prudentis non tantùm probabilis, sed certa judicetur mors.

Quid sit certitudo quam Sanchez requirit.

Igitur certitudo moralis (quam requirit Sanchez, cum Alijs à se citatis d. n. 6.) est ea, quæ virum prudentem, attentis circumstantijs occurrentibus, certum redderet. Ita ipse sup. disp. 45. n. 4. post Sylvestrum & Alios. Lessius lib. 2. de Iust. c. 10. n. 39. Id (inquit) moraliter certum censetur, quod prudenter ita creditur, ut contrarium nullo modo videatur probabile. Bonacina de Matr. q. 3. p. 10. n. 12. ait: certitudinem moralem esse tantam

Lessius.

Bonacina.

certi-

certitudinem, quanta judicio prudentis ſufficit ad credendum, priorem conjugem certò mortuum eſſe.

17. *Certitudinem non eſſe neceſſariam probatur ex Gobatio.*

Porrò hanc certitudinem non fore neceſſariam, ut quis auctoritate propriâ tranſeat ad ſecunda vota, exiſtimat Gobat ſup. ut audivimus, poſt Alios multos apud Sanchez ſup. diſp. 46. n. 5. Probatur: tum, quia in moralibus, in quibus plerumque nequit haberi omnimoda certitudo, ſufficit homini, ad inſtituendas prudenter ſuas actiones, probabiliſſima, licèt non omninò certa opinio & præſumptio, ut rectè argumentatur Laymanus loc. cit. n. 2. ſaltem quando nullus alius eſt in poſſeſſione: tum, quia reſolutio cap. *Dominus*, nihil officit huic doctrinæ, ut oſtendi n. 285. Multò minùs cap. *In præſentia*, quod Sanchez n. 6. pro ſe adducit; illa enim clauſula: *Certum nuntium recipiant*, non refertur ad privatas perſonas, ſed ad ſolum judicem, ut patet ex littera, quidquid velit Sanchez. Iudex enim non debet in re tanti momenti exponere ſuam ſententiam periculo morali nullitatis, aut reſciſſionis; tum, quia cap. *Cùm per bellicam*, 34. q. 1. ait Leo Pontifex: *Nec tamen culpabilis judicetur & tamquam alieni juris perverſor, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe exiſtimatur, aſſumpſit.* Hactenùs Gobatius.

18. *Secunda probatio.*

Adde: quod legitur cap. *Quoniam*, 5. §. *Porro*, verſicul. *Si autem*, Ut lite conteſt. *Si autem de carnali conjugio ſit agendum, tamdiu alteruter conjugum expectetur, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur.* Ergò ſufficiunt veriſimiles mortis præſumptiones.

Tertia.

Et tandem: adulterium non admittitur ſinè dolo, l. penul. ff. de Adulterijs, qui abeſt, cum probabilis credulitas mortis viri habetur.

19. *Videtur eſſe ſententia Gloſſ. d. cap.* In præſentia.

Hæc ſunt fundamenta dictæ ſententiæ, quam in terminis videtur tradere Gloſſ. d. cap. *In præſentia*. verb. *Viris*, dicens: *Vbi tamen veriſimiliter præſumitur de morte, ſi mulier nubat, excuſatur, & viro reverſo, niſi ſponte redeat ad virum, ſtatim meritò ſunt notanda de adulterio, ut* 32. q. 2. Cùm per bellicam.

Item d. cap. Quoniam.

Et dicto cap. *Quoniam*, verb. *Præſumatur*, ſic loquitur Gloſſ. *Per famam, quia ſenex erat, vel etiam, quia in acie fuit, nec redyt, præſumitur, quòd his caſibus ſit mortuus, & ſi contrahat, credens ita, excuſatur ab adulterio, etiamſi vivat, propter ignorantiam* 24. q. 2. Cum per bellicam: *quia non committitur adulterium ſinè dolo, ff. de Adult. l. penult. Vel ſi receperat litteras illorum, cum quibus militavit, Cod. de Rep. Authent.* Hodie. *Dic tamen, quòd non debet contrahere, niſi primò ſit certa de morte ipſius, inf. de Secund. Nupt.* Dominus, *inf. de Sponſal.* In præſentia. *Sed ſatis certum eſt illi per ſolas hujuſmodi violentas præſumptiones, poſtquam aliquanto tempore duxerit expectandum, fortè per annum, vel etiam quinque annis, ut in prædicta Authent.* Hodie. Hæc Gloſſa.

20. *An Gloſſa ſit oppoſita Sanchio.*

Sed nunquid oppoſita Sanchio? Nequaquam, ut patet ex his verbis: *Non debet contrahere, niſi primò ſit certa*, arg. ſcilicet cap. *Dominus*, & cap. *In præſentia*, in quibus juribus fundatur ſententia Sanchij. Qui utique ſup. n. 9. ad d. cap. *Quoniam*, & d. cap. *Cùm per bellicam*, reſpondet: eos textus intelligendos eſſe juxtà d. cap. *In præſentia*, ut ea veriſimilis præſumptio & exiſtimatio mortis, ſit per nuntium, vel alias probationes æquivalentes.

An d. cap. Quoniam, ſit correctum. Affirmat Gutierrez.

Aliqui exiſtimant, eos textus eſſe correctos per d. cap. *In præſentia*. Ita Gutierrez Pract. qq. lib. 2. q. 8. n. 4. in fine ibi: Non etiam obeſt textus in d. cap. *Cùm per bellicam*, cum ſimilibus: quoniam illa jura loquuntur de jure antiquo: at hodie habemus expreſſam Decretalem noviorem, requirentem certum nuntium, quod magis veritati accedit, & ſtandum eſt ei etiam in foro ſæculari, cùm ſimus in concernentibus peccatum, juxtà notata in cap. fin. de Præſcript. Præmaximè cùm jure civili idem propè ſtatutum ſit in Authent. *Sed hodie*, Cod. de Præſcript. & in corpore unde ſumitur, cui, dum arctiorem probationem in hoc requirit, non eſt ſtandum, ſed diſpoſitioni juris Canonici ſup. allegati. Sic ille.

21. *Negat Sanchez. & probat.*

Sed hoc non placet (inquit Sanchez ſup.) quia cùm ſit contrà jus naturale, ſecundum inire Matrimonium abſque mortis prioris viri debitâ certitudine, & ita certitudo hæc non pendeat à jure humano; Eccleſia ſtatuens, qualis certitudo deſideretur, non procedit diſponendo, ſed tantùm declarando jus naturale: quare dicendum non eſt olim declaraſſe, minorem certitudinem exigi. Ita Sanchez.

Additio.

Adde: d. cap. *In præſentia*, eſſe Clem. III, & cap. *Dominus*, Lucij III. d. autem cap. *Quoniam* Innoc. III. adeoque poſteriùs; quomodo ergò correctum? Potiùs per ipſum priora viderentur circumducta. Et nota, quòd d. cap. *Quoniam*, agit tantùm de foro externo, ſcilicet de receptione teſtium per judicem, lite non conteſtatâ; negat autem Gobatius, ſufficere veriſimilitudinem mortis, ut auctoritate judicis contrahatur. Et fortè propterea non adduxit pro ſe illud cap.

22. *Omnia d. jura intelligenda ſunt de certitudine morali.*

Utut ſit de correctione iſtorum jurium, videtur nobis melior ſolutio Sanchij, quam deſumpſit ex Hoſtienſi d. c. *Quoniam*, ſuper verb. *Veriſimile*. Debemus ſiquidem jura juribus concordare, quantùm poſſibile eſt, ut non ſemel alibi diximus, & vitare eorum correctionem. Et ideò dicimus, omnia jura jam citata, eſſe intelligenda de certitudine morali, quam ſuprà deſcripſimus.

Hinc Gloſſ. d. c. *In præſentia*, quam priùs vocaverat veriſimilem præſumptionem, verb. *Viris*, ut ſup. vidimus, poſteà verb. *Donec certum nuntium*, appellat certificationem. *Sed pone* (inquit) *quòd fuit aliquis in exercitu Saracenorum, vel etiam in alijs, nec eſt reverſus, nec poteſt certificari mulier de morte per Magiſtrum militum, vel per alium. Tunc mittat ad locum ſi poteſt, vel ad vicina loca, ut inquirat ſi poteſt, alias expectet quamdiu certificata fuerit de morte, ut patet hìc.*

23. *Solvitur objectio ex Gutierrez.*

Nec obſtat, quod prædiximus, adulterium non committi ſinè dolo. Nam reſpondetur (inquit Gutierrez ſup. n. 7.) quòd cùm mulier hoc caſu ſinè certo nuntio contrahat, lege reſiſtente, non præſumitur eſſe in bona fide; arg. l. *Quemadmodum*,

modum, 7. Cod de Agricolis, Censitis & Colonis, in fine : *Male fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contrà legum interdicta mercatur.* Sicque dolus in ea præsumitur, ut in terminis tenet Abbas in d. c. *In præsentia*, n. 6. ad finem.

Hæc sunt verba Abbatis : Dicit hic Do. An. quòd ad hoc ut excusetur mulier à peccato, sufficit, quòd verisimiliter credebat maritũ mortuum. Sed quoad hoc, ut Ecclesia det licentiam contrahendi, requiritur apertior probatio, prout hìc.

24. *Sententia Abbatis de hac quæstione.*

Hoc dictum videtur primâ fronte contrà finem textûs, ubi conjunguntur illa duo, ut uxor non possit contrahere, nec etiam Ecclesia dare licentiam, nisi certum nuntium receperit. Ratio, nam cùm mulier hoc casu contrahat, lege resistente, non præsumitur esse in bona fide l. *Quemadmodum*, Cod. de Agric. & Cens. lib. 11. Et text. in d. Authent. *Hodie*, dixit, quòd si aliter uxor contraxit, de adulterio punitur : ita quòd hodie, cùm habeamus textum apertum, non excusarem mulierem ab adulterio. Quia licèt adulterium non committatur sine dolo, l. penult ff. de Adult. tamen dolus præsumitur, ex quo contraxit, lege prohibente: & sic videtur, quòd uxor est separanda à secundo viro, licèt aliter senserit Innoc. in c. *Dominus*, de Secund. Nupt. Sic Abbas.

Ubi nota, quòd dicat : *Conjunguntur illa duo, ut uxor non possit contrahere, nec etiam Ecclesia dare licentiam*, &c. Quod est contrà Gobatium sup. qui putat, ut vidimus, ex hoc textu non probari, nisi quòd Ecclesia non possit dare licentiam.

25. *Sanchez sequitur Abbatem.*

Et verò quis, putas, est audiendus ? Sanchez sup. n. 6. sequitur Abbatem, probans suam sententiam ex eo cap. *In præsentia*, fin. *Non possunt tales ad aliorum consortium convolare, nec permittas eos auctoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Ecce qualiter conjunguntur ea duo, ut illi nequeant contrahere, & Ecclesia concedere facultatem, donec certum nuntium recipiant. Hæc ille.

Expenditur hæc sententia.

Sed, salvâ ejus pace, & Abbatis veniâ, ecce qualiter non conjunguntur illa duo, sed præmaximè separantur, si consideremus præcedentia verba : *Quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare.* Et quis audeat dubitare de veritate hòrum verborum ? Quippè non aliud significant, quàm dum constat de vita virorum, quantocumque annorum numero absint, non posse mulieres ad aliorum consortium canonicè convolare. Quòd autem non possint, quando mors virorum solùm est probabilis aut verisimilis, & non omninò certa, non video satis clarè exprimi in dictis verbis; estò in verbis sequentibus luculenter Pontifex præcipiat Episcopo Cæsaraugustensi, cui rescribit, ne permittat contractum, donec certum nuntium receperit de morte.

26. *Aliquando licet aliquid in conscientia, quod Ecclesia nequit concedere.*

Equidem subinde aliquid licet in conscientia, & propriâ auctoritate facere, quod nequit Ecclesia auctoritate publicâ concedere, defectu v. g. probationis in foro externo. Sic in præsenti casu, si mulier certò sciat maritum mortuum, potest propriâ auctoritate contrahere; tametsi mors nequidem probabilis foret in foro externo; & ideò Ecclesia nequeat contractum permittere. Ergò similiter potuit Pontifex præcipere, ne Episcopus concedat licentiam in foro externo ad secundum contractum, nisi certa sit mors prioris viri ; tametsi mulier propriâ auctoritate posset aliter contrahere. Quid enim obstat ?

Gutierrez.

Nam quod ait Gutierrez sup. n. 4. circa finem: Illa verba, *Certum nuntium receperit*, utrumque casum textûs comprehendunt, ut ex ipso constat ; & meritò, quoniam respectu peccati atque pœnæ, non minor certitudo requiritur in persona, quàm in Ecclesia. Hoc, inquam, probandum est, contrà Gobatium, negantem dicta verba utrumque casum textûs comprehendere, & asserentem, requiri majorem certitudinem in Ecclesia, propter suam gravem auctoritatem, quæ non debet exponi alicui periculo vilipensionis; sicut exponitur, si Matrimonium contractum, postmodum debeat rescindi.

27. *Sententia Abbatis non est omninò certa.*

Igitur non est certum, d. verba comprehendere utrumque casum, & mihi, salvo meliori judicio, videtur, ea commodè posse explicari, ut solùm referantur ad casum immediatè præcedentem, ut sup. ostendi.

Interim magis placet Auctori.

Nihilominùs non recedo à Conclus. & sententia Sanchij, eò quòd d. cap. *Dominus*, nulla fiat distinctio inter unum & alium casum, sed absolutè & simpliciter Pontifex requirat, ut constet de morte viri. Putat quidem Gobatius, istud cap. non officere suæ sententiæ; sed sup. ostendi, effugium ejus non esse fundatum ; quòd sit eadem certitudo requisita in captivis, & in non captivis, cum hac sola differentia, quòd captivi rariùs habeant certitudinem, quàm non captivi ; unde communiter DD. d. cap. quod tantùm expressè loquitur de captivis, quia de his solis fuerat Pontifex requisitus, extendunt etiam ad non captivos.

28. *Resp. ad 1. probationem Gobatij.*

Cæterùm ad primam probationem Gobatij, Respondeo: in moralibus pro subjecta materia, nunc majorem requiri certitudinem, nunc minorem sufficere. Impræsentiarùm autem requiritur major, propter possessionem prioris Matrimonij; & quia in contrahendo secundo Matrimonio periculum ejus nullitatis, & adulterij imminet, in abstinendo verò nullum ; ergò quamdiù non est omnimoda certitudo mortis viri, abstinendum est, ut peccati periculum vitetur.

Probatur 2. pars Conclus. ex ratione.

Porrò minor certitudo sufficit, ut quis perseveret in Matrimonio secundo, bonâ fide jà contracto, quæ est altera pars Conclusionis. Nam tunc favet ei possessio secundi Matrimonij, & præsumendũ est pro valore contractûs, nisi manifestè constet de contrario. Quare jura superiùs citata pro prima parte Conclusionis, solùm loquuntur de certitudine requisita ad ineundum contractum, ut patet ex eorum verbis, sup. relatis.

29. *Solvitur objectio.*

Ast enim, dicet aliquis, etiam tunc est periculum adulterij. Prorsùs; sed etiam est periculum injustitiæ, si neget debitum petenti ; secùs si non contrahat secundum Matrimonium.

Confirmatio ex c. 2. de

Quod probè sciens Lucius III. d. cap. *Dominus*, sic loquitur : *Si verò aliquis vel aliqua id hactenus*

Secund. nupt.

ctenus non ſervavit (id eſt, contraxit, antequam conſtaret de morte) *& de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen noverit nullatenùs exigendum*

30. Quid ſi de morte prioris viri ſit dubium planè negativum.

Ubi per dubium non excluditur prudens opinio, ſine quâ nequidem poteſt reddere; ſed certitudo de morte viri, quæ in priori parte textûs exigitur ad contrahendum. Enimverò ſi foret dubium planè negativum, ita quòd nequidē probabilis ſit mors prioris viri, profectò neque probabilis erit valor 2. Matrimonij; quo jure ergò, rogat quiſpiam, poſſet talis reddere debitum, & perſiſtere in Matrimonio contracto? Exponit enim ſe manifeſto periculo peccandi, & contrà juſtitiam, & contrà caſtitatem; cùm negando debitum, quin & ſe ipſum ſeparando à ſecunda conjuge, ad ſummum peccaret contrà juſtitiam.

Imò nequidem contrà juſtitiam: ſiquidem ubi nulla eſt probabilis opinio mortis prioris viri, non poteſt alter habere aliquod jus ex Matrimonio in foro externo contracto; tunc enim adhuc prius Matrimonium poſſidet: vel ſi per bonam fidem acceperit poſſeſſionem ſecundum Matrimonium, quia tunc probabiliter ſaltem putabatur mortuus; perdit eam per dubium ſuperveniens, quod tollit, juxtà ſuppoſitum, omnem probabilitatem mortis prioris conjugis; & per conſequens, probabilitatem diſſolutionis prioris Matrimonij.

31. Quid ſi ita dubius contraheret Matr.

Quid ergò, inquis, ſi quis contraheret Matrimonium propriè dubius, ſeu dubius negativè de morte conjugis, nunquid valeret Matrimonium, caſu quo reverà deſijt vivere conjux? Negat quidem (inquit Gobat ſup. n. 286.) apud Barboſam in cit. cap. *Dominus*, Baſilius Pontius de Impedim. Matr. c. 13. §. 5. ſed meritò refutatur ab eodem Barboſa; nam nullum planè jus decernit hanc irritationem. Sic ille.

32. Valeret Matr. ſi reverà conjux vivere deſijt, ex Barboſa, & Gobatio. Colligitur ex d. cap. 2.

Barboſam non potui videre, interim adhæreo ſententiæ ejus, quam, meo judicio, manifeſtè colligo ex cit. cap. *Dominus*, ubi Pontifex apertè ſupponit, Matrimonium contractum abſque certitudine mortis fuiſſe validum, caſu quo reverà deſijt vivere conjux tempore contractûs; nam, ut audivimus, præcipit redditionem debiti, quod nullatenùs potuiſſet facere, ſi tale Matrimonium in omni caſu fuiſſet invalidum, ut clarum eſt; ergò ſuppoſuit Pontifex, quòd in aliquo caſu poſſet eſſe validum, ſcilicet in caſu, quo reverà deſijt vivere.

Cur ergò in eodem caſu non erit validum Matrimonium, quod contrahitur cum dubio negativo? Non video rationem diſparitatis. Putas, quòd non valeret Matrimonium, quod contrahitur cum dubio proptiè dicto circà impedimentum conſanguinitatis, aut aliud ſimile, caſu quo reverà impedimentum non ſubſit? Noli putare.

33. Oppoſitum docet Pontius, ex cap. 19. de Sponſal.

Quid ergò ad Pontium? Lib. 7. cap. 53. n. 5. ſic ait? Ex his colligo 1. Quàmvis reverà obijſſet conjux, ſi fœmina ſolâ famâ permota contraheret Matrimonium, nullum reverà fore, propterea quòd ſine certa notitia de morte prioris conjugis ſancitum fuiſſet. Siquidem per Decretalem Clem. III. inhabilis eſt ad ſecunda fœdera nuptiarum, donec certus nuncius afferatur de morte viri, ita ut contrahentibus prioris conjugis mortui ignorantia probabilis opitulatur. Unde eodem modo, ſi falsò exiſtimans maritum vivere, illa contraheret Matrimonium, etiam eſſet nullum, quantumvis poſitâ conditione, ſi non eſſet ſuperſtes, conſentiret, propter eamdem rationem: inhabilis enim eſt, donec certus afferatur nuntius.

Secundò colligo: neque poſſe contrahi validè cum dubio de morte prioris viri. Nam donec certus ſit nuntius, inhabilis eſt. Unde etiam exiſtimo, deciſionem Lucij III. in c. *Dominus*, de Secund. Nupt. correctam per Clementem III. quatenùs ex eo cap. colligitur, valere Matrimonium, initum cum dubio de morte viri. Hactenùs Baſilius.

34. Averſa utrumque textum conatur concordare.

Reſpondet Averſa hìc q. 14. Sect. 3. §. *Sextò*. Benè poteſt uterque textus concordari. Ex illo enim ſatis eſt dicere, prohiberi ſive declarari illicitum ſecundum conjugium, ante habitum certum nuntium de morte prioris conjugis: non autem reddi irritum, nec perſonam inhabilem, in caſu quo reverà prior conjux inveniebatur prædefunctus, ſicut aliqualiter putabatur vel dubitabatur. Vel ad ſummum reddi ſeu declarari irritum ſecundum conjugium, quando contingit adhuc inveniri vivum priorem conjugem: ſic enim dicitur in textu: *Quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſint ad aliorum conſortium canonicè convolare.*

Quinimo, etiamſi unus conjugum abſolutè putet, alterum vivere, & tamen de novo contrahat cum alio, ſed alter conjux reverà erat mortuus, valere adhuc Matrimonium, dummodò adſit conſenſus & intentio requiſita, ſaltem per modum actûs conditionati, tractavimus ſup. q. 11. ſect. 2. ſicut & de alijs impedimentis dirimentibus, falsò exiſtimatis adeſſe. Hucuſque Averſa.

35. An negligentia expectandi certum nuntium ſit impedimentum dirimens.

Igitur Pontio incumbit probare; quòd negligentia ipſa expectandi certum nuntium, quàmvis ſinè vero ligamine prioris conjugij, ſit impedimentum dirimens & irritans novum Matrimonium. Hoc ſcio, impedimentum dirimens non eſſe aſſerendum, abſque manifeſta ratione, aut jure; quia in dubio ſuſtinetur valor Matrimonij, tamquam contractus favorabilis.

Negat Herinx.

Porro Herinx hìc diſp. 4. n. 37. aſſerit, id omninò ſine fundamento excogitatum contrà communem ſenſum. Nec, inquit, in cap. *In præſentia*, apparet ulla hujuſmodi irritatio; ſed tantùm prohibitio, aut certè irritatio, ut adhuc viventibus viris ſuis, non poſſint ad aliorum conſortium convolare.

36. Idem Auctor meritò reprobat doctrinam quamdam Marchantij.

Similiter (inquit idem Auctor n. 38.) conſtat carere fundamento id, quod noſter Marchant in Reſol. de Sacram. Matr. caſu 1. reſol 6. aſſerit; ſcilicet, verè ſubeſſe in utroque foro impedimentum dirimens ligaminis, quando quis contrahit ſecundas nuptias, poſtquam contraxerat priores, certò invalidas, ratione impedimenti occulti:

culti : quasi verò prius Matrimonium verè nullum, in facie Ecclesiæ celebratum, aliter obsit secundo Matrimonio, quàm quòd Ecclesia, quæ non judicat de occultis, in foro externo staret pro invaliditate illius, quousque ei constet, sive probetur defectus prioris Matrimonij. Alioquì utì hoc indubiè est in foro conscientiæ nullum, sic posterius est in eodem foro validum. Prout indubiè validum foret, si conjugi certò constaret, sed probari Ecclesiæ non posset compartis mors, quâ utique formalissimè solvitur ligamen lexque conjugij. Sic ille.

37. *An requiratur licentia Ordinarij, dum constat de morte prioris viri? Affirmat Palatio ex Concil. Trid.*

Cæterùm si à me quæritur ; an dum mulieri constat de morte sui viri, non possit contrahere nisi ex licentia Ordinarij ? Palatio 4. dist. 27. disp. 3. pag. 602. tenet, quòd hodie ex Concil. Trid. sess. 24. de reformat. Matr. uxor non poterit alteri nubere, nisi ex licentia Ordinarij, cujus interest diligenter rem inquirere & scire, si vivit vir,an non vivit: ideò factâ copiâ ab Ordinario nubendi, etiamsi falleretur Ordinarius, ipsa immunis est à culpa adulterij : quâ tamen submotâ, non est immunis,quia clandestinè nubere alteri non potest. Ita lego apud Gutierrez sup. n. 9.

Sed perperàm, ut ostenditur ex Gutierrez.

Ego autem (subjungit hic Auctor) non video,dictum Decretum loqui in nostro casu: verùm, ut conjicio, voluit illud allegare, dum præscribit formam, ab eo traditam ad Matrimonia contrahenda, publicis denuntiationibus in Ecclesia fiendis &c. ut posteà idem mihi vivâ voce manifestavit : adhuc tamen non probat suam prædictam conclusionem in individuo,nec necessariò ; nempè in casu, de quo agimus, quando mulier certificata per certum nuntium de morte viri absentis, ad secundas convolavit nuptias ; cùm in hac specie minimè loquatur sacrum Concilium in toto illoDecreto de refor. Matr. nec alibi, quod memoria teneam.

38. *Nihil in hoc casu innovatum est per Trid.*

Quare nihil in hoc nostro casu innovatum censeo per d. sacrum Concilium ; sed jus commune esse servandum existimo, sup. relatum : quia quod non mutatur, quare stare prohibetur? ut in l. *Sancimus*, C. de Test. l. *Præcipimus*, C. de Appel. cum similibus. Non enim est inducenda juris communis correctio, nisi ea expressè inveniatur. Præmaximè, cùm etiam in forma, tradita per sanctum Concilium, ad Matrimonia contrahenda, non requiratur licentia Ordinarij : sed quòd Parochus, antequam Matrimonium contrahatur, tribus continuis festivis diebus, ter in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publicè denuntiet, inter quos sit Matrimonium contrahendum : quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesiæ procedat.

Ergò si factis prædictis denuntiationibus, prædictum impedimentum, nempè, quòd mulier illa, quæ modò contrahere vult, fuit priùs alteri nupta, non opponatur ; ipsaque sit certa de morte viri, poterit secundò nubere absque licentia Ordinarij, etiam juxtà d. Concilium. Si

39. *Quomodo intelligenda sententia Palatio, ut sit vera.*

autem ad prædictas monitiones opponatur prædictum impedimentum, tunc procedet jure optimo sententia egregij Magistri (Palatio)non tantùm ex Decreto Concilij, sed etiam jure communi attento : quoniam tunc absque licentia Ordinarij non poterit mulier secundò contrahere, quandoquidem ad ipsum remittenda sit causa, ratione prædicti impedimenti, ut quid faciendum sit in eo casu, discernat : ad quem spectabit rem diligenter inquirere & scire,an prior maritus vivat, nec ne ; quandoquidem ipsius arbitrio relinquitur, quando certo nuntio de morte viri credendum sit, juxtà communem resolutionem DD. de qua sup. ut hoc casu licentiam alteri nubendi, mulieri concedat vel deneget, observando decisionem text. in d. cap. *In præsentia*, de Sponsal.

40. *Factâ licentiâ ab Ordinario, ipso errante, mulier immunis erit à culpa.*

Quo casu etiam rectè procedet, quod idem Magister infert ex sua quarta Conclusione ; nempè, quòd factâ copiâ ab Ordinario nubendi, etiamsi falleretur Ordinarius, ipsa mulier immunis erit à culpa adulterij,& prædictâ licentiâ submotâ non erit immunis, quia clandestinè alteri nubere non potest.

Verùm si mulier ipsa, sufficienter certificata de morte viri, juxtà decisionem text. in d. c. *In præsentia*, alteri nubere velit, serveturque in hoc secundo Matrimonio præfata forma Concilij Trident.nulloque impedimento opposito, Parochus ad celebrationē secundi Matrimonij procedat; non video profectò,quare mulier hæc immunis esse non debeat à culpa adulterij, eò quòd licentia Ordinarij non fuit necessaria, Matrimoniumque est publicum, non verò clandestinum.

41. *Secus si contraxerit non satis informata de morte viri.*

Respectu igitur Concilij mulier non in culpa manebit, quandoquidē observavit ejus formam. Poterit autem eidem culpa imputari,si non sufficienter informata de morte viri,secundas contraxerit nuptias.Verùm si nec in hoc peccavit, immunis profectò erit quòque à culpa adulterij,etiamsi ipsa falleretur, dummodò certificatio arbitrio boni viri sufficiens reputetur ; sicut quando Ordinarius ipse,qui & bonus vir dicitur in jure, ut in l.*Vir bonus*,ff.Iudicatū solvi,fallitur in hoc.

Consulitur petitio licentiæ.

Cautiùs tamen se habebit mulier, si ab Ordinario semper hoc casu petat prædictam licentiam secundò nubendi, factâ certificatione de morte viri, & ab eo pro sufficienti declaratâ,ut sic mulier absque timore contrahat, & ita consulo ut fiat; quàmvis prædictâ licentiâ omissâ,si tamen sufficiens certificatio præcesserit de morte prioris viri, Matrimoniumque secundum ritè & rectè factum sit, non sit hoc casu mulier noxia culpæ adulterij, si fortè decepta fuit in prædicta certificatione, ut quia prior vir suus adhuc vivat, ut prædicebam. Hucusque Gutierrez.

42. *Quæ mulieri, eadem est ratio Parochi.*

Quæ diffusiùs exscribere volui ; quia optimè hanc controversiam explicant, ita ut nihil habeam, quod contradicam, vel superaddam. Nisi quòd sit eadem ratio Parochi, ut sicut mulier in prædictis circumstantijs potest, omissâ prædictâ licentiâ, contrahere, ita & ipse contractui assistere ; non enim video sufficientem rationem disparitatis.

Sed cùm hæc satis constent inter DD. equi-

dem

dem differunt in eo, quòd aliqui contendant, certitudinem moralem haberi re ipsâ in aliquibus casibus, in quibus alij negant, ut patebit ex dicendis Concluſ. ſequenti, quæ talis eſt:

CONCLUSIO III.

Unus teſtis non eſt certus nuntius; neque fama communis, niſi cum alijs adminiculis.

43. *Duo teſtes de viſu faciunt hic certitudinem moralem:*

QUæritur hìc & diſputatur, quid requiratur, ut mors prioris conjugis dicatur moraliter certa, id eſt, ut careat omni juſtâ dubitatione. In primis quando adſunt duo teſtes de viſu, adeſt certitudo moralis. Ita omnes: nam *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, 2. Corrint. 13. v. 1.

Eſtò forent conſanguinei. Gobat. Menochius.

Nec obeſt (inquit Gobat ſup. n. 310.) etſi teſtes ſint conſanguinei; Menochius de Adipiſcend. poſſeſſ. remed. 4. haud tamen, ut reor, admiſſurus uxorem illius, de cujus morte controvertitur: nemo enim in propria cauſa eſt idoneus teſtis, l. *Nullus*, ff. de Teſtibus: *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur. Palam autem eſt, eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet.* Text. in l. 1. §. *In propria cauſa*, ff. Quando appellandum ſit. Communiſſimè autem uxores, quæ coram judice deponunt, maritum eſſe vitâ privatum, id deponunt idcircò, ut fiat ipſis poteſtas quærendi vel admittendi alium thorum: ergò quærunt ſuum emolumentum. Hæc ille.

44. *An conjux admittere-tur.* Averſa.

Et Averſa hìc q. 14. Sect. 3. §. *Quarò rurſus*, in fine ſic ait: ſi verò ipſemet conjux ſuperſtes vidiſſet ſuum conjugem morientem ſeu mortuum, hoc quidem illi ſufficeret ad contrahendum aliud Matrimonium; quàmvis id ei non concederetur à Iudice abſque alia probatione. Sic ille.

Quis hìc teſtis de viſu.

Rogas: quid per teſtem de viſu intelligant hìc Doctores? Illumnè ſolum, qui interfuit ipſi morti? Reſpondeo (inquit Gobat ſup. n. 312.) mihi videri, illum quòque rectè dici teſtem de viſu, qui vel interfuit exequijs, ſeptimo, trigeſimo, aut anniverſario alicujus; vel vidit ipſemet ſepulchrum demortui, audivitque dicentes, ſe vidiſſe talem vel talem illic ſepeliri. Ratio eſt; quia ſat commodè, in talibus circumſtantijs, accipitur continens pro contento. Certè Maſcardus de Probat. Concluſ. 175. ſic abſolutè ſcribit: Etiamſi teſtis deponeret, ſe interfuiſſe ſepulturæ, non tamen vidiſſe cadaver, probaretur plenè ejus mors. Sic Gobat.

45. *An ſufficiat unus teſtis.*

Sed quid ſi unus tantùm teſtis deponeret, putas quòd audiretur? Concluſio ait: *Vnus teſtis non eſt certus nuntius..... ſinè alijs adminiculis*; arg. cap. *Veniens*, 10. de Teſtibus, in fine: *Nec unius teſtimonium ad condemnationem ſufficiat alicujus.*

Ubi Gloſſ. verb. *Teſtimonium*, inquit: *Sic patet, quòd unius teſtimonium non valet, inf. eod.* Licèt, & 4. q. 3. c. Si teſtes, §. Item unius. 33. q. 2. *Admonere*. Et l. 9. Cod. de Teſtib. §. 1. *Simili modo ſanximus, ut unius teſtimonium nemo judicum in quacumque cauſa facilè patiatur admitti.*

46. *Videtur quòd non.*

Igitur teſtimonium unius non eſt certum nuntium, neque unus teſtis certus nuntius: & tamen, ut ſup audivimus d. c. *In præſentia*, requiritur certum nuntium aut certus nuntius, id eſt, qui affert certum nuntium neutrius generis.

Et ſanè, ſi dictum unius in cauſis pecuniarijs inſufficiens eſt, à fortiori minimè ſufficiet in cauſa ſecundi Matrimonij contrahendi, in qua vertitur animæ periculum Sacramenti irritandi, maximæ infamiæ & dedecoris fœminæ ſecundò nubentis, ſi fortè adhuc prior vir ſuperſtes eſſet. Ita tenet Bart. l. 2. §. *Si dubitetur*, n. 1. ff. Quemadmodum teſtam. aper.

47. *Oppoſitum docet Hoſtienſis, & poſt ipſum Abbas.*

Oppoſitum nihilominùs, ſcilicet unum teſtem eſſe certum nuntium, docet Hoſtienſis Sum. tit. de Sponſa duorum, n. 6. & d. cap. *In præſentia*, ad finem, ubi Abbas n. 6. adeò mordicùs tuetur hoc, ut cenſeat, Bartolum immemorem fuiſſe illius textûs.

Hæc ſunt verba Abbatis: Bart. plenius materiam examinans dicit, requirendam probationem ſecundùm quantitatem præjudicij. Nam ubi agitur de maximo præjudicio, putà, quando acculatur quis de homicidio, debent eſſe probationes plenæ, ut teſtes qui viderunt eum mortuum vel ſepeliri: ſi verò non agitur de tanto præjudicio, tamen præjudicium eſt magnum, ut quando agitur de fama, vel ſtatu hominis: & tunc dicit, ſaltem habendam probationem, de qua in d. Authent. *Hodie*. Eſtque ei ſatis grave, quòd uxor tranſeat ad alia vota in vita mariti, & ſic vult quòd hodie debeat ſervari ſolemnitas illius Autent.

48. *Hìc cenſet Bartol. fuiſſe immemorem d. cap. In præſentia.*

Sed Bart. in hoc ignoravit iſtum textum, cùm apertè hìc dicatur, quòd ſufficiat certus nuntius: & ſic unus teſtis, quando non agitur de magno præjudicio. Et etiam DD. noſtri communiter ſentiunt oppoſitum ejus, quod dicit Bartolus. Sic ille.

Equidem ſi agitur tantùm de ſolemnitate d. Auth. *Hodie*, jam ſup. diximus cum communi, eam abrogatam eſſe per d. cap. *In præſentia*. Sed inde nequaquam ſequitur: ergò hìc ſufficit unus teſtis; quia ſecundùm Bart. & rei veritatem, hìc agitur de ſatis magno præjudicio, ut ſtatim diximus.

49. *Prior ſententia magis placet Sanchio, quàmvis poſteriorem admittat in aliquo caſu.*

Et hinc Concluſ. noſtra multò magis placet Sanchio ſup. n. 12. quia (inquit) fortiſſimis innitur rationibus. Admittit tamen ſententiam Hoſtienſis, caſu quo conjux obierit in loco ita diſtanti, ut facilè nequeant aliæ probationes haberi: tunc enim (inquit) ſatis erit nuntius, & ita unus teſtis, conſideratâ qualitate perſonæ, & ut veriſimilia dicat, quod judicis arbitrio committitur. Nam quando probatio integra & plena haberi nequit, ſatis eſt per conjecturas, l. *Non omnes* §. *A Barbaris* ff. de Re militari, ibi: *Sed licèt hoc liquidò conſtare non poſſit, argumentis tamen cognoſcendum eſt.* Extrà

hunc tamen casum integra & plena probatio desideratur. Ita Sanchez.

50. *Sufficit unus testis cum alijs adminiculis.* Gobat. Palao. Tambur. Quem sequitur Gobatius sup. n. 315. dicens: Si cum uno teste de visu aliæ conjecturæ seu adminicula conjungantur, poterit Ordinarius tutò permittere Matrimonium; saltem si propter distantiam nequeat haberi major certitudo. Palaus de Sponsal. disp. 4. p. 13. §. 1. n. 7. Sanchez lib. 7. disp. 46. n. 12. sequiturque Tambur. de Matr. tract. 1. c. 10. n. 11. loquens adhuc laxiùs.

Mascardus. Imò, quia summi Canonistæ Hostiensis, & Abbas Panormitanus, apud Sanchez loc. cit. n. 10. consentiente Mascardo de Probat. conclus. 1075. contendunt, absolutè sufficere unum testem, attendendo ejus personam & qualitatem, & an per verba verosimilia deponat, atque hac in re versari arbitrium judicis; ideò non dubito, quin accedente verâ allegatione vel incontinentiæ, vel paupertatis & simul diuturnæ absentiæ, aut alterius rationabilis causæ credendi, possit judex permittere ejusmodi Matrimonium, etiamsi testis deponat (puto debere esse: non deponat) esse à se visum mortuum, modò deponat, quod viderit mori. Mascard. ibidem.

51. *Hæc res permittitur judicio Iudicis.* Hoc certum est, à plerisque explanantibus hanc materiam observari, totam rem denique permitti judicio Iudicis, qui solus omnibus consideratis existimare potest, utrùm adsint, nec ne, indicia aut testimonia de obitu talia, quæ gignant certitudinem sufficientem, vel ex omnium, vel saltem ex aliquorum Classicorum Auctorum sententia. Sic præfatus Auctor.

Igitur dum fama de morte alicujus conjugis est, & eâ permota superstes licentiam à Iudice postulat convolandi ad secunda vota, hic, antequam licentiam concedat, diligenter considerabit, an forma talis sit, quæ faciat moralem certitudinem, ita ut prudenter non possit dubitari de vita ejus, qui dicitur mortuus.

52. *Sola fama non sufficit, ex Abbate.* Equidem solam formam sufficere, negat secunda pars Conclus. quam docet Abbas sup. ibi: Sed quoad materiam nostram, nunquid fama sufficit? Dicit Dom. Anto. quòd aut est de longinquo, & tunc videtur sufficere, maximè cùm longo tempore maritus fuerit absens. Aut dicitur mortuus in vicinis partibus, & fama sola non sufficit. Et quamquam hæc opinio multùm videatur æqua; tamen, judicio meo, multùm resistit iste textus, dum requirit certum nuncium; & pondera verbum, *Certum*: nam fama procedit ex auctore incerto & plerumque fallaci, ut not. inf. in cap. *Vestra*, de Cohabit. Clericorum. Ac etiam in persona nuncij deberet considerari qualitas personæ, & utrùm deponat per verba verisimilia: nam agitur non de modico præjudicio absentis, & in summa, hanc materiam relinquerem arbitrio judicantis, ut diligenter omnibus ponderatis, consideret, utrùm de morte sit facta certificatio. Ita Abbas.

53. *Consonat ei Sanchez.* Quem sequitur Sanchez sup. n. 15. dicens: Tertia sententia, quæ mihi placet, ait, solam famam non sufficere, nisi alijs adminiculis adjuvetur; tunc enim satis erit: quia certa moraliter probatio dici potest. Sic Gloss. cap. *Quoniam frequenter*, verb. *Præsumatur*, Ut lite non contestatâ. Vide eam Conclus. præced.

Plures alios citat ibidem Sanchez pro ea sententia usque ad quindecim tam Theologos quàm Canonistas, ut proinde nemini debeat esse dubium, quin hæc sententia longè superet oppositam (pro qua tantùm citantur quatuor Canonistæ apud Sanchez sup. n. 14.) multitudine & gravitate Doctorum, qui (inquit Gobat sup. n. 318.) quia judicant famam, adminiculis fultam, sufficere ad creandam moralem certitudinem, ideò videtur omninò esse sequenda in praxi. Gobat.

54. *Quæ sint alia adminicula, ex Sanchez.* Rogas, quæ sint ista adminicula? Respondet Sanchez sup. n. 15. longitudo absentiæ, & universalis fama, ubi conjux commorabatur, mortem ejus contestans. Similiter, si mors contigit in loco valde remoto, ita ut aliæ probationes difficilè possint inveniri, & vir longo tempore abfuit; dummodò etiam mors sit antiqua, & non contigerit recenter. Tertiò, si is, de cujus morte probanda tractatur, erat valde senex vel æger. Quartò, si vir senex erat, vel in acie fuit, & non redijt aliquanto tempore expectatus, fortè per annum, vel uxor accepit litteras eorum, cum quibus vir militavit. Quintò, si vir captus sit ab hostibus, & communis fama ipsum objisse testetur, & diu uxor nihil contrarium audierit, vel litteras reciperit à fide dignis.

Fama debet verè & plenè probari. Ut autem fama probet (inquit idem Auctor n. 16.) desideratur ut ipsa plenè & verè probata sit, ad quod aliquæ conditiones exiguntur, quas ibidem congerit. Quia verò vix ulla probatio mortis frequentiùs adfertur, quàm petita ex fama, operæ pretium duxi, eas hic adscribere.

55. *Ad hoc requiritur 1.* Prima itaque est; ut duplici teste probetur: id enim generale est, ut non minùs, quàm duo testes, plenè probent, cap. *In omni negotio*, & c. *Licèt*, de Testib.

Secundò. Secunda est; ut testes sint omni exceptione majores, deponantque se audivisse à fide dignis. Et ratio est: quia fama nihil probat, & est vana vulgi vox, nisi oriatur à fide dignis, ut cap. *Qualiter*, 24. de Accus. ibi: *Si per clamorem & famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, sed a providis & honestis* &c.

Et ibi Gloss. verb. *Ad inquirendum*, ait: *Tunc debet Prælatus procedere ad inquirendum, cùm famam & frequentem clamorem intelligit de excessibus alicujus, seu etiam aliquorum, prout patet ex tenore istius constitutionis; & quòd sit infamatus non à malevolis & inimicis, sed à bonis & discretis.* Oportet etiam, ut non oriatur ab ijs, de quorum commodo agitur.

56. *Tertiò.* Tertia; ut concurrat causa rationabilis, ex qua fama orta est, ut, si is, de cujus morte agitur, mare navigârit, subortâque tempestate, expectatus tempore congruo, & per loca verisimilia quæsitus, non comparuerit, nec navis, quâ vehebatur; vel si prælium aggressus est, nec posteà, diligenter quæsitus, inventus est. Et ratio est;

eſt ; quia fama originem à probabilibus cauſis trahere debet : vox enim vana vulgi, certo auctore & rationibus probabilibus carens, attendenda non eſt, cap. *Oſius Epiſcopus*, de Elect. Ergò teſtes exprimere debent cauſas, ex quibus ortum habuit fama, ut judex diſcernat, an ſint probabiles, vel vana vulgi vox.

57. *Quartò.* Quarta eſt ; ut teſtes deponant ſe audiiſſe publicè à majori populi parte ; nec ſat erit, deponere publicè audiiſſe ; quia poteſt fieri, ut ab uno publicè audierint. Oportet etiam explicare, audiiſſe à majori parte talis populi ; nec ſatis eſſet in genere à majori parte populi. Hinc fit non ſatis eſſe, deponere audiiſſe à multis, vel etiam à mille perſonis : quia non inde infertur à majori parte talis populi audiiſſe. Hoc autem intelligitur in negotijs magnis & arduis, in iis enim requiritur fama totius oppidi, vel majoris partis : in rebus enim parvis ſufficit fama majoris partis viciniæ. Unde ad probandam mortem conjugis, ut ſuperſtes aliud ineat Matrimonium, requiritur fama majoris partis oppidi : quia res eſt graviſſima.

Dum etiam dicitur, requiri notitiam ſeu famam majoris partis viciniæ vel oppidi, non eſt indiſtinctè intelligendum, ut requiratur notitia majoris partis puerorum, mulierum : ſed ſatis eſt, major pars proborum & gravium notitiam habeat : & ita cautè dicitur cap. *Inquiſitionis*, de Accuſat. fin. *Qui propter dicta paucorum, eum infamatum reputare non debet, cujus apud bonos & graves læſa opinio non exiſtit.*

58. *Quinta conditio.* Quinta conditio eſt ; ut deponant teſtes, à quibus perſonis fama ortum habuerit, & à quibus ipſi audierint. Nam cùm fama debeat oriri à providis & honeſtis, & de quorum commodo minimè agitur ; & judici conſtare nequeat, an ab iis ortum habeat, niſi exprimantur perſonæ, id neceſſarium eſt, ut teſtes coram judice deponant : in judicis enim, & non in teſtium arbitrio poſitum eſt, diſcernere, an perſonæ ſint fide dignæ. Hinc teſtes aſſerentes, non meminiſſe, à quibus audierint, non probant, licèt præmiſiſſent à majori parte populi audiiſſe ; ſed debent aliquos exprimere, & poſteà addere, à pluribus alijs audiviſſe, quorum non meminerunt.

Limitatio duplex d. conditionis 5. Hæc tamen conditio dupliciter limitatur. Primò, niſi fama ex conjecturis probabilibus confirmaretur ; tunc enim non eſt opus à fide dignis eam oriri, & ſubinde nec teſtes deponere, à quibus audierint. Secundò, niſi de fama magnus teſtium numerus, ut ſeptem vel decem deponant : tunc enim minimè deſideratur, à quibus audierint, exprimi.

59. *Ultima conditio.* Ultima conditio eſt ; ut teſtes de fama deponentes aſſerant, credere rem ita ſe habere. Teſtes autem ſuper fama non compelluntur jurare, ſed abſque juramento valet eorum dictum. Uti etiam quando teſtes de conſuetudine vel de notoreitate deponunt. Hucuſque Sanchez præſertim ex Menochio de Adipiſ. poſſeſſ. remed. 4. n. 665. & ſeqq. Jtemque Maſcardo de Probat. Concluſ. 1074. Qui plura voluerit, eos adeat, & inveniet.

Cæterùm quæ hactenùs dicta ſunt, ſive de teſtibus, ſive de fama, maximè ſpectant forum externum : in foro enim conſcientiæ non videtur, quare non poſſet aliquis credere unius teſtimonio fide digno, non ſolùm in hac cauſa, ſed etiam in cauſis pecuniarijs & alijs. Imò uxor, ut ſup. adhuc dixi, cui ſoli certò conſtaret mors prioris conjugis, quàmvis eam non poſſet probare, non prohibetur contrahere, ſecluſo ſcandalo, quoniam nullum ſubeſt periculum peccati. *In foro conſcientia ſufficit teſtimonium unius fide digni.*

60. *In foro externo poſſet ſufficere unus teſtis juratus ex Herinx.* Quin etiam Herinx hìc diſp. 4. n. 36. nullâ factâ diſtinctione fori interni & externi, putat teſtem poſſe eſſe tantæ fidei, ut ſufficeret, ſaltem juratus ; cùm inde major certitudo, quàm ex alio communi teſte, cum quibuſdam adminiculis, habeatur. Quare, inquit, ſufficit atteſtatio, deſumpta ex libro Rectoris Parochiæ, quæ cenſetur publica, & maximè fidem faciens. Sic ille.

At verò Pontius ſup. n. 3. ſcribit ſequentia : Non ſufficit ſola fama de morte viri ad hunc effectum contrahendi Matrimonium ; & quàmvis ſint plures modi probandi mortem alicujus, vel per publicam vocem & famam, vel cùm quis viſus fuit ingredi bellum, & non egredi ; vel per productionem teſtamenti cum mandato judicis, vel per librum Rectoris, in quo deſcribi ſolent mortui ejus Parochiæ. At quoad hunc effectum contrahendi Matrimonium, rejectis ſupradictis modis, mors non probatur, niſi per unum teſtem de viſu, qui deponat ſe vidiſſe illum mori ; & inſuper neceſſe eſt, quòd examinentur duo alij teſtes, qui deponant de publica voce & fama, de luctu mulieris, & acclamatione de morte viri. Ita Baſilius. *An ſatis probet liber Rectoris Parochiæ ? Negat Pontius.*

61. *Affirmat Averſa.* At compertiſſimum eſt (inquit Averſa ſup. §. *Quintò*) & in praxi totius Eccleſiæ receptum, prorsùs ſufficere fidem Rectoris, extractam è libro, in quo deſcribuntur mortui ejus parochiæ, nullumque commodiorem & certiorem modum probationis pro hac re requiri. Sicut etiam & ad alias res, quæ in ſuis libris parochialibus à Rectoribus deſcribuntur. Habent enim in Eccleſia non minorem vim, quam documenta publici Cancellarij. Nec deſcriptio & fides Rectoris cenſetur tamquam dictum unius privati teſtis, ſed tamquam plena & publica atteſtatio.

An plenè probet productio teſtamenti de mandato Judicis. Similiter, plenè probatur mors per productionem teſtamenti de mandato Judicis, quando teſtamentum non producitur, niſi conſtitâ morte teſtatoris apud Judicem : quod enim ſemel judicialiter pronuntiatum eſt, habetur utique tamquam plenè probatum, nec oportet denuò probari in judicio. Hæc ille. Et meritò.

62. *Brevis collectio impedimentorum dirimentium. ex Scoto.* Reliquum eſt, ut ex dictis (cum Doct. Subtili 4. diſt. 42. q. unicâ) breviter colligamus impedimenta Matrimonij, quæ impediunt ſimpliciter. Dico autem impedimentum ſimpliciter, poſt quod, ſi fuerit attentatum, nihil fit : non ſimpliciter autem dico, prohibitionem quamcumque, propter quam illegitimè fit : ſi tamen fit, non eſt irritum. *Impedimenta autem ſimpliciter*

ter (auditis Scotum sup. n. 4.) *aut accipiuntur ex natura talis contractûs, aut ex statuto Ecclesiæ superaddito. Si primo modo, igitur vel ex conditionibus necessarijs ad contractum, vel ex necessarijs ex parte contrahentium. Ex parte contractûs, quia ex natura ejus est, quòd sit datio voluntaria potestatis corporis pro potestate corporis, & perpetuò commutantium, ideò, quod impedit voluntariam dationem talem, impedit naturam contractûs hujus. Tale autem est ex parte voluntatis involuntarium ex metu, qui potest cadere in constantem virum, qui metus est ex certitudine sufficiente mali imminentis, quod magis debet quis vitare secundùm rectam rationem, quam cum ista non contrahere : & hujusmodi mala, sunt malum mortis, mutilationis enormis, carceris, propriæ servitutis, stupri & hujusmodi.* Et de isto impedimento dictum est præced. Disput. Sect. 7. Conclus. 4. & seqq.

Involuntarium ex metu, est contrà naturam Matr.

63. *Involuntarium autem ex defectu notitiæ præcedentis (siquidem ad voluntarium requiritur notitia voliti, 3. Ethic.) aut est ex carentia totali notitiæ intellectualis, aut est cum aliquali, licèt defectivâ, quia erroneâ. Si primo modo, sic furia impedit Matrimonium, dum durat, & ita contractum istum. Si tamen furiosus habet lucida intervalla, pro tempore intervalli potest contrahere, & eodem modo post contractum tunc petere, & est sibi debitum tunc reddendum : non autem pro tempore furiæ, quia tunc nescit ex jure suo petere, sed sicut brutum ; tunc etiam reddere esset alteri periculum in persona.*

Similiter ex defectu notitiæ, ut in furioso.

Si autem sit aliqua cognitio, sed cum errore vel deceptione, triplex deceptio simpliciter impedit : quia quælibet est contrà illud, quod necessariò requiritur ad contractum. Quarum prima est error personæ, secunda error conditionis pejoris, putà servitutis : tertia error dationis mutuæ ; putà, ista dat credens posse istum redonare, sive secum posse permutare ; ille autem non redonat, licet proferat verba doloso animo, tantùm scilicet ut extorqueat libidinem. De primo errore dictum est præced. Disp. Sect. 7. Conclus. 1. De secundo, præsenti Disp. Sect. 3. per totam. De 3. dicam infrà, ubi de revalidatione Matrimonij, invalidè contracti ex defectu consensûs.

Triplex deceptio simpliciter impedit.

64. *Quia etiam iste contractus est obligatorius ad aliqua bona, putà ad fidem servandam, & indissolubilitatem, & prolem suscipiendam & educandam si evenit : quæ tria bona sunt Matrimonij. Et generaliter in omni contractu contrahens sub conditione, oppositâ illi contractui, nihil facit ; & ideò contra rationem istius contractûs, est conditio opposita repugnans alicui bono Matrimonij. Et ita sunt tria impedimenta ex triplici conditione oppositâ contractui contrà tria bona Matrimonij.* Et de istis dictum est Disp. præced. Sect. 8. Conclus. 9.

Conditio opposita bonis Matr. an dirimat.

Impotentia, & alligatio alteri, dirimunt Matr.

Ex parte autem personarum contrahentium requiritur, ut possint dare illam potestatem corporum : simpliciter autem impotens ad copulam carnalem non potest dare hanc potestatem ; quia non habet : nec alligatus alteri matrimonialiter ; quia jam corpus suum non est suum, sed conjugis. Sic igitur impotentia simpliciter, & alligatio matrimonialis alteri, impediunt ex parte contrahentium.

65. De ista impotentia dictum est præced. Disp. Sect. 10. *Qualiter est quædam naturalis & quædam casualis, & utraque, nisi sit perpetua, non impedit simpliciter. Naturalis autem in viro est vel per frigiditatem, vel per carentiam partis necessariæ. In muliere per arctationem simpliciter : quod dico contrà arctationem alicui. Casualis autem est per maleficium, & hoc sive respectu cujuslibet, sive respectu determinatæ personæ. Ad istam autem impotentiam reducitur impedimentum ætatis puerilis, quia etsi ibi non sit impotentia perpetua, tamen pro tali ætate nulla est potentia, & ideò nulla potest dari.* Et de isto impedimento ætatis dictum est eâd. Sect. 10.

Impotentia est duplex, naturalis & casualis.

Nota autem : Scotum non dicere, talem ætatem esse simpliciter impotentiam ; sic enim dirimeret jure naturæ, quod nos sup. loc. cit. negavimus, sed inquit : *Ad istam impotentiam reducitur* ; quia propter impotentiam temporalem Ecclesia induxit istud impedimentum.

Ætas puerilis non est simpliciter impotentia.

Sic igitur habemus ex parte contractûs tria impedimenta in genere, scilicet per metum, per defectum notitiæ, & per appositionem conditionis repugnantis : & ex parte contrahentium duo in genere, scilicet impotentiam simpliciter, & impotentiam secundùm justitiam, quia alligatus est alteri.

66. *In speciali autem primum impedimentum potest esse ita multiplex, quotuplex est malum, quod justè timetur : secundum impedimentum est triplex secundùm triplicem errorem : & quartum per defectum usûs rationis : tertium impedimentum continet sub se tria repugnantia tribus bonis Matrimonij. Quartum impedimentum continet duplicem impotentiam, naturalem viri, scilicet frigiditatem, & unicam impotentiam mulieris, scilicet arctationem simpliciter : frigiditas enim in muliere non impedit simpliciter, sicut nec sterilitas ; & unum generale utriq; sexui, scilicet ætatem puerilem, & continet sub se impotentiam casualem in utroque sexu, dum tamen perpetuam. Vltimum impedimentum manet indivisum, & ratio illius impedimenti patet ex dict. 33. ubi dictum est, quòd pro lege Evangelica non habet locum bigamia, nec licet dimittere uxorem ; ergò nullomodo ipsâ vivente, sive dimissâ de facto, sive non dimissâ, licet cum alia contrahere.*

Resolutio dictorum impedimentorum.

Atque hactenùs Doct. Subtilis de impedimentis simpliciter, quæ accipiuntur ex natura talis contractûs, sive completè, seu incompletè, ut notat Scholium præfixum n. 4. & nos alibi diximus.

Porrò quæ accipiuntur ex statuto Ecclesiæ superaddito, sic abbreviat Scotus sup. n. 8. *Ex statuto Ecclesiæ sunt tantummodò impedimenta ex parte personarum ; quia Ecclesia nihil determinavit circà formam vel materiam istius contractûs ; sed solùm personas aliquas illegitimavit, faciendo eas non capaces hujus contractûs : & hoc vel propter nimiam earum propinquitatem inter se, vel propter earum ad cultum divinum specialem applicationem, vel propter alicujus horrendi criminis enormitatem. Primo modo illegitimavit consanguineos in 4. gradu & infrà, & ita in simili gradu affines : & hoc vel propriè dictos, quorum scilicet vinculum contractum est ex conjunctione carnali : vel extensivè, quorum scilicet vinculum contractum est non ex commixtione carnali, sed tantùm Matrimonium vel sponsalia, quod*

67. *Ordo & motiva, quibus Ecclesia condidit impedimenta dirimentia.*

Primò, ob nimiam propinquitatem statuit consanguinitatem & affinitatem, ac publicam honestatem.

vocatur publicæ honestatis justitia. Et de istis tribus impedimentis dictum est, de primo hâc Disp. Sect. 5. Concluſ. 1. 2. & 3. De secundo Sect. 6. & de tertio Sect. 7.

68. *Item cognationem spiritualem & legalem. Ordo istarum propinquitatum.*

Iuxtà hoc etiam est quædam propinquitas quasi mixta carnalis & spiritualis, cujusmodi est cognatio spiritualis & legalis, de quibus actum est d. Sect. 5. Concluſ. 4. & seqq.

Et est ordo istarum propinquitatum; quia consanguinitas est merè carnalis propinquitas; affinitas propriè surgit ex copula carnali merè: publicæ honestatis justitia ex propinquitate carnali, contractu matrimoniali, & sponsalium. Spiritualis cognatio ex propinquitate carnali, & susceptione vel datione Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis. Legalis ex carnali vel alio vinculo secundùm legem, per adoptionem scilicet.

69. *Secundò, propter specialem applicationem ad cultum Dei, illegitimavit Religiosos & sacris initiatos.*

Per applicationem autem specialem ad cultum divinum, Ecclesia illegitimavit eum, qui solemniter vovit continentiam, & eum, qui suscepit Ordinem sacrum. De his dictum est hâc Disp. Sect. 4.

Nota autem, quod sequitur apud Scotum: *Illud de voto solemni, si tamen ibi fiat traditio potestatis corporis ad castitatem servandam ipsi Ecclesiæ, vel Prælato, in cujus manu vovet, & per hoc non habet potestatem sui corporis ad actum conjugalem; tunc potest reduci istud impedimentum ad naturam contractûs, sicut illud de alligato ad aliud Matrimonium.*

Si autem tale votum non tollit isti, quin habeat potestatem sui corporis (ut nos putamus) *tunc ex statuto & potestate Ecclesiæ est illegitimatio & irritatio, non tantùm quia se tradit Ecclesiæ ad talem actum; sed quia Christus vocando Ioannem à nuptys, prætulit votum continentiæ vinculo conjugali: & ideò Ecclesia illum, qui est in gradu superiori, justè illegitimavit ad accipiendum gradum inferiorem, sive ad apostatandum.*

70. *Tertiò illegitimavit propter enormitatem criminis tantummodò duplicis, illegitimavit justè; propter* scilicet *enormitatem infidelitatis illegitimavit fidelem, non simpliciter, sed respectu infidelis, & è converso, ad Matrimonium contrahendum.* Et de hoc dictum est hâc Disp. Sect. 11. *tem duplicis criminis. Primum. Secundum.*

Aliud crimen enorme est adulterium, cum machinatione in mortem legitimi conjugis. Vel etiam cum fidei datione, de contrahendo post mortem legitimi conjugis. Et de isto impedimento dictum est hâc Disp. Sect. 8. *Sic ergò in genere, ex statuto Ecclesiæ sunt personæ illegitimæ ex duplici crimine, ex applicatione ad cultum Dei, & ex propinquitate consanguinitatis, ex vinculo affinitatis & publicæ honestatis, & ex cognatione spirituali & legali.* Hucusque Doct. Subtilis.

Porrò non meminit tertij criminis, scilicet raptûs, quia suo tempore nondum erat impedimentum; uti neque absentia Parochi aut testium, de quibus etiam propterea non scribit. *Quare Scotus non meminerit raptûs.*

Si autem quispiam interroget eum: quare Ecclesia tantam posuerit sollicitudinem in ordinando Matrimonia? Respondet sup. n. 12. *Quia communitas Christianorum utitur Matrimonio, per cujus usum multiplicatur populus Christianus: & ideò sic ordinari debet, ut in ejus contractu & usu vitentur ea, quæ obviant charitati, sive in Deum sivè in proximum: & servanda sunt, quæ congruunt honestati, ut sic honestum Matrimonium Christianum congruè significet illam benedictam conjunctionem Christi & Ecclesiæ, de qua dicit Apostolus:* Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia; *quæ conjunctio nunc est per fidem, & aliqualem dilectionem, sed in patria erit per visionem & perfectam fruitionem sponsæ non habentis maculam neque rugam ad sponsum speciosum præ filijs hominum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum amen.* 71. *Quare Ecclesia tantam sollicitudinem posuerit in ordinando Matrimonia.*

Atque hisce verbis Scotus finit doctrinam suam matrimonialem, imò & Sacramentalem. Nobis autem adhuc aliqua restant explicanda. Ac in primis tractabimus de dispensatione impedimentorum Matrimonij; secundò de revalidatione Matrimonij, irritè contracti; tertiò de usu Matrimonij; ac denique de ejus divortio. Sit itaque.

SECTIO XIII.

DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORUM MATRIMONIJ.

1. *Qualiter tractandum de hac dispensatione.*

HAc de re (inquit Dicastill. disp. 8. n. 1.) multi latè disputant, maximè Sanchez, vocantes in hunc locum totam doctrinam generalem, pertinentem ad dispensationes; cùm tamen ea disputatio proprium locum habeat in Tract. de Legibus.

Alij verò breviter se expediunt, ut Bonacina, qui vix unam paginam in dispensationibus consumit, sicùt & alij Recentiores, quibus familiare est, non minùs omittendo, quàm perstringendo, Tractatus edere brevissimos, nempè ut literatum vulgus, & studiosorum farrago gestiat & lætetur, videns se habere paucis paginis, aut etiam lineis comprehensum, quidquid Alij, longo volumine se pandentes, vix absolvunt. Quasi verò idem esset, quamdam anacephaleosim, vel rerum indiculum texere, & rem pro dignitate tractare.

Nos quasi mediam viam probamus & eligimus, nec volumus Lectorem obruere congestis omnibus, quæ pro varijs dispensationibus afferri possent; neque rem totam ita perstringere, ut pleraque ex ijs, quæ ad rem præsentem faciunt, omittamus. Ita præfatus Auctor. Quem ego imitandum duxi, & ideò Dico primò:

CONCLUSIO I.

In impedimentis dirimentibus jure naturali Divino non dispensat Ecclesia.

2. *Lex potest dupliciter mutari.*

PRæmittendum est ; legem aliquam posse dupliciter mutari seu definere obligare. Primò, deficiente materiâ aut fine legis. Secundò, per revocationem ejus, sive illa revocatio fiat consuetudine, sive auctoritate Legislatoris, aut ejus potestatem habentis.

Aliquando universaliter, aliquando particulariter.

Utraque verò legis mutatio aliquando potest esse universalis, quando materia & finis legis non habent ampliùs locum in tota communitate, vel quando lex revocatur quoad totam communitatem : aliquando est particularis, quando materia & finis legis solùm deficiunt in persona particulari, seu casu particulari, vel persona eximitur ab obligatione legis per privilegium aut dispensationem. Quando lex totaliter mutatur, dicitur propriè abrogari & irritari ; quando autem in particulari mutatur, dicitur concedi dispensatio vel privilegium.

3. *Quid sit dispensatio. Scotus.*

Est igitur dispensatio propriè, juris revocatio quoad personam particularem. *Dispensare* (inquit Scotus 3. dist. 37. q. un. n. 3.) *non est facere, quòd stante præcepto liceat facere contrà præceptum : sed dispensare est revocare præceptum, vel declarare qualiter debeat intelligi. Et est duplex dispensatio, scilicet juris revocatio & juris declaratio.* Idemque repetit 4. dist. 33. q. 1. n. 4. in principio : *Dispensatio est juris declaratio vel juris revocatio.*

Latiùs sumpta comprehendit interpretationem legis.

Ubi Doctor largiùs sumit dispensationem, etiam pro legis interpretatione in casu particulari, secundùm dictamen virtutis, quam Aristoteles 5. Ethic. 10. appellat Epykiam, quæ propriè significat benignitatem seu mansuetudinem : & quia excipere casum vel personam à communi lege, quando lex esset severa & rigida, si illum comprehenderet, benignitas quædam est, & legis moderatio ; hinc appropriatum est nomen Epykia illi virtuti, cujus hoc pacto proprium est, legem moderari & interpretari.

Latinè autem eadem virtus vocatur æquitas, & ex Epykia agere, agere ex æquo & bono. In qua appellatione æquum & æquitas non sunt idem quod rectum & justum ; sed significant benignum & faventem, quæ significatio Latinis satis est in usu.

4. *Propriè sumpta distinguitur ab ea, & in quo.*

Interim propriè seu strictè loquendo, differunt dispensatio legis, interpretatio generatim, & Epykia. Interpretatio enim generatim differt à dispensatione, quòd interpretatio sit actus scientiæ, qui à quolibet docto fieri possit ; dispensatio autem actus jurisdictionis. Secundò differunt, quòd dispensatio versetur circà casum particularem ; interpretatio autem possit versari circà legis sensum universalem.

5. *Quomodo differat Epykia à dispensatione.*

Epykia verò differt à dispensatione, quòd dispensatio non declarat, legem in casu non obligare ; sed ubi etiam hic & nunc obligaret, dispensatio relaxat obligationem : Epykia verò solùm declarat, legem in aliquo casu non obligare, seu in casu posse fieri contrà legem ; ob quod Aristoteles sup. Epykiam vocat, emendationem legis, & magìs propriè suppletio legis dici potest ; non quòd lex sit mala, aut in suo genere imperfecta ; sed quòd lex humana (in quam solùm cadit Epykia, ut suppono ex Tract. de Legibus) non possit de omnibus casibus particularibus disponere ; sicut nec illi casus poterant prævideri ab humano Legislatore ; & ideò est opus Epykiâ, quæ dictet legem in casu subinde non esse servandam.

Unde oritur aliud discrimen inter Epykiam & dispensationem ; quod dispensatio, cùm sit actus jurisdictionis, non possit fieri ab homine privato : Epykia verò, cùm sit actus scientiæ, possit fieri etiam à privato.

6. *Discrimen inter Epykiam & interpretationem.*

Denique, quod attinet ad discrimen inter Epykiam & interpretationem, habent se hæc duo tamquam superius & inferius ; omnis enim Epykia est interpretatio quædam ; sed quia interpretatio potest etiam cadere in legem generatim, Epykia verò interpretatur legem in casu particulari ; ideò ex hac parte distinguuntur. His præmissis de significatione nominum, ad rem veniamus.

Quæritur autem ; an Ecclesia seu Pontifex, caput Ecclesiæ, possit subinde propriè dispensare, id est, revocare seu relaxare aliquod impedimentum, dirimens Matrimonium jure naturali divino, ita ut nunc valeat Matrimonium, quod alioquin fuisset irritum, v. g. Matrimonium inter patrem & filiam.

7. *Ecclesia non dispensat in impedimentis juris divini.*

Negat Conclusio, & meritò, donec quispiã solidè probaverit, Christũ eã potestatem Ecclesiæ suæ concessisse, quod hactenùs neminem fecisse scio. Verissima sententia est (inquit Sãchez lib. 8. disp. 6. n. 10.) in nullo impedimento, jure divino naturali Matrimonium dirimente, posse Pontificem dispensare.

Ratio generalis.

Sed quæ ratio ? Una generalis ; quia non adest in Ecclesia, nec à Deo unquam concessa fuit, nec à Christo relicta Summo Pontifici suo Vicario, generalis potestas dispensandi in iis, quę sũt de jure naturali aut divino pręceptivo & absoluto.

Dico signanter : *Præceptivo* ; quia homo, tametsi sit liber à natura sua, equidem seipsum potest vendere in servum, & ita dominium sui in alterum transferre : sed ibi nulla est dispensatio propriè dicta in jure naturæ præceptivo ; quia natura non prohibet, ut non possim à me jus illud abdicare. Simile quid apparet in divisione rerum, quæ jure naturæ erant communia : per illud quippè non prohibebatur illa divisio ; sed tantùm singulis tribuebatur plenum jus illis rebus utendi, sic tamen, ut possent per voluntatem humanam aliquæ res particularibus absolutè applicari.

8. *Dispensare in voto non est propriè relaxare jus divinum naturale.*

Dixi etiam consultò : *Et absoluto* : quia constat ex perpetua praxi Ecclesiæ, Christum Ecclesiæ suæ reliquisse potestatem dispensandi in votis, juramentis & similibus, quæ ortum habent ex humana voluntate, & ex ejus suppositione obligant.

obligant. Sed hoc non est propriè relaxare jus divinum naturale tollendo ejus obligationem. Nam jus divinum est, ut qui votum habet, id impleat, & hoc semper manet integrum. At hunc habere votum, non est jus Divinum, sed voluntate propriâ effectum, quam possunt Prælati impedire. Quare tunc non propriè dispensant Prælati in jure divino, sed tollunt obligationis fundamentum, quam homo actu humano sibi imposuit, quo sublato, evanescit juris divini circà illud votum obligatio. De qua re alibi latiùs egimus. Vide Disp. 4. Sect. 4. Concluſ. 11.

9. *Ecclesia non habet potestatem dispensandi in jure naturali. Probatur 1.*

Dico ergò iterùm, Deum non dedisse potestatem Ecclesiæ suæ propriè dispensandi vel in uno præcepto absoluto juris naturalis divini.

Probatur autem hæc doctrina 1. quia si semel admittamus humanam dispensationem in aliquo præcepto naturali absoluto, absque expressa & particulari concessione Dei, non erit hâc in re status; sed de quolibet id poterit facilè affirmari: consequens verò est absurdum; & contrà torrentem DD. paucis oblatrantibus apud Sanchez sup. n. 3. qui ait: Hæc sententia, tamquam omninò à veritate aliena, est rejicienda. Quis enim dixerit, Pontificem posse dispensare, ut quis fornicetur, occidat innocentem &c. Consequentia verò fundatur in paritate rationis, quæ declarabitur respondendo ad 1. contrariæ sententiæ fundamentum.

10. *Secunda probatio.*

Secundò probatur communior doctrina: Si Pontifex haberet hanc potestatem in tota Ecclesia, eamdem haberet Imperator vel Princeps supremus in suo regno: Consequens est falsum, utpotè contrà omnem sententiam & praxim, & contrà Clem. *Pastoralis*, de Re judicata, in fine, ibi: *Cùm Imperatori tollere non licuerit ea, quæ juris naturalis existunt.* Consequentia verò probatur; quia jus, de quo agimus, non est spirituale, sed naturale, & Princeps supremus in omnibus, ad naturalem hominum felicitatem spectantibus, diriget suos subditos, nisi per legem Ecclesiasticam limitetur ejus potestas, quod hìc non habet locum: ergò si jus naturale est dispensabile à Pontifice in tota Ecclesia, etiam est à quolibet supremo Principe in suo regno.

11. *Probatur 3.*

Tandem sufficere debet pro veritate sententiæ nostræ, quòd neque ex Scriptura, neque ex traditione, aut Oecumenicis Concilijs constet, talem potestatem à Deo commissam esse Pontifici, etenim sinè commissione Superioris, non dispensat inferior in ejus lege, arg. Clement. *Ne Romani*, de Elect. circà princip. ibi: *Nos inter cætera præcipuè attendentes, quòd lex Superioris per inferiorem tolli non potest.*

Sinè commissione inferior non dispensat in lege Superioris.

Ubi Gloss. verb. *Inferiorem*, inquit: 21. *dist.* Inferior. *sup. de Majorit. & obed.* Cùm Inferior. *Cod. de Legib. l. fin. & hoc maximè, cùm ille inferior ab illo Superiore recipit potestatem*, ut fit in nostro casu. Nam Omnes fatentur, Pontificem non posse dispensare in lege divina naturali, nisi à Deo receperit potestatem.

Quàmvis enim per eam specialem dispensationem non abrogetur lex absolutè: at in eo casu speciali abrogatur, tollendo ejus obligationem, casu quo, seclusâ dispensatione, obligabat. At hoc est solius conditoris legis, aut eo Superioris per se loquendo, id est, seclusâ speciali commissione, quæ hìc, sicut dictum est, neque ex Scriptura, neque ex Traditione, aut Oecumenicis Concilijs, addo, neque ex SS. Patribus, ratione, aut praxi Ecclesiæ, solidè probatur, ut patebit ex solutione fundamentorum adversæ partis.

12. *Primum Arg. adversæ partis.*

Primum est: Quia in multis casibus potest esse summa necessitas dispensandi in aliquo præcepto naturali: ergò justâ ratione credi potest, hanc commissionem Pontifici datam, cùm Ecclesiæ non deficiat Deus in necessariis.

Confirmatio. Sanchez.

Et confirmatur (inquit Sanchez sup. n. 5. ubi tamquam probabilius docet, posse Pontificem aliquando dispensare in jure naturali & divino) quia sicut recta Ecclesiæ gubernatio petit, ut Prælatis inferioribus commissa sit facultas, verè ac propriè dispensandi in legibus Pontificiis, non in universum, sed in casu aliquo speciali, quando necessitas occurrit; eò quòd non debeat destitui mediis necessarijs, ad ejus tranquillum statum regimenque tuenda; nec potest in his commodè adiri Pontifex: ita eadem recta gubernatio petit, commissum esse Pontifici, ut in lege aliqua divina verè & propriè dispensare possit ob necessitatem occurrentem. Idque multò magis necessarium est: quia in priori casu verè est aditus ad Pontificem, quàmvis non commodus. At in posteriori nullatenùs potest adiri Deus, ut dispenset.

13. *Amplius confirmatur.*

Et ampliùs confirmatur: quia sicut dispensatio inferiorum in lege Superioris non derogat auctoritati & jurisdictioni Superioris, eò quòd ex ejus tacita commissione fiat: ita hæc Pontificia dispensatio in jure divino non derogat auctoritati Dei, utpotè, quæ non propriâ Pontificis auctoritate, sed ex tacita, & jure optimo præsumpta Dei commissione fit.

Et sicut Ecclesiæ gubernationi non satis prospiceretur, si in priori casu sola declarandi facultas Prælatis inferioribus concessa esset; cùm ea multis scrupulis pateat, utpotè cui locus non est in casu dubio, & ubi lex obligat; sed in casu claro, & in quo lex, seclusâ eâ declaratione, verè non astringebat: ita nec in casu posteriori satis utilitati & regimini Ecclesiæ consuliter, solâ declarandi potestate concessâ. Hactenùs Sanchez.

14. *Resp. ad arg. ex Herinx.*

Respondetur (inquit Herinx Sum. Theol. part. 2. tract. 3. disp. 1. n. 52. ubi tenet communem sententiam) necessitatem vel fore tantam, ut ob illam lex per seipsam non obliget, nec casum comprehendat; vel facilè tolli posse aliâ viâ, quàm dispensatione; vel certè ob illam, utpotè fundatam in malitia hominum, potestatem tollendi obligationem legis naturæ non debuisse hominibus concedi. Alioquì, argumentum si quid probet, nimiùm probat: nam similis necessitas vel utilitas potest quòque occurrere in casibus, ad quos tamen ne Alij quidem potestatem Papæ extendunt. Nam major

est necessitas dispensandi, ut aliquando frater sororem accipiat, aut uxorem sterilem post Matrimonium consummatum relinquat, vel veneno interimat, & aliam ducat, quando inde penderet conservatio fidei Catholicæ in aliquo regno, quâ dispensandi in Matrimonio rato, illudque dissolvendi ob privatas difficultates, in eo subortas, quod varij tamen dicunt posse fieri. Sic ille.

Pone aliud exemplum; quando tota Respublica periclitatur ab hostibus, nisi ipsa occidat innocentem, consen' Pontificem posse dispensare, ut ille innocens occidatur contrà jus naturale: *Innocentem non occides?* Et multa similia exempla in promptu sunt.

15. *Evasio Sanchez, quædam præcepta naturalia esse indispensabilia, quædam non.*

Vidit hæc Sanchez, & ideò sup. n. 6. ait: Quædam sunt de jure divino, quæ absque dubio sunt de se ejus conditionis, ut nunquam in ea cadere possit dispensatio aliqua Pontificia: quòd nequeat excogitari casus, in quo sit ratio dispensandi: ut ad fornicandum, vel ne filius veneretur parentes, vel ad mutandas Sacramentorum formas. Alia verò sunt, quæ licèt in universum expediant; at in aliquo casu speciali possunt non expedire, & ita admittere dispensationem. Quippè licèt secundùm se dedeceat ea non implere: at non continent perfectam & omnimodam indecentiam: sed potest ita justa causa occurrere, ut ei indecentiæ imperfectæ præponderet, & sic justa reddatur dispensatio, ut contingit in residentia Episcoporum, quæ est de jure naturali, & divino, in qua Pontifex dispensare potest: & in consecratione sub utraque specie, quæ est de jure positivo divino, in qua in remotissimis regionibus, ubi non est copia vini, potest, juxtà veriorem sententiam, Pontifex dispensare. Ita Sanchez.

Negatur Papam posse dispensare in consecratione utriusque speciei.

Ego autem dico: non posse, juxtà veriorem sententiam, Pontificem dispensare in consecratione sub utraque specie, ut suo loco ostendimus, id est, non posse facere, ut liceat sub altera tantùm specie consecrare, ubi alioquin ex jure divino foret obligatio consecrandi sub utraque. De residentia Episcoporum statim dicam.

16. *Omnia quæ sunt contrà jus naturale, habent perfectam indecentiam.*

Tantùm præmitto: perfectam indecentiam apparere in omnibus quæ sunt contrà jus naturale; quæ enim sunt contrà jus naturale strictè, habent intrinsecam indecentiam; quæ autem contrà jus naturale largè, ideò sunt indecentia seu mala, quia prohibita à Deo, suppositâ congruentiâ maximâ ex natura rei ad talem prohibitionem, licèt possit in uno esse major, quàm in altero, quod nihil refert; quia etiam in ipsis præceptis naturalibus, in quibus ex omnium sententia non dispensat Pontifex, potest esse hæc inæqualitas; sic enim est major indecentia in homicidio, quàm in adulterio; cùm tamen utrumque sit indispensabile ab homine. Ergò si Pontifex potest dispensare in una lege naturali largè sumpta, etiam in alijs, existente proportionatâ causâ, quæ præponderet indecentiæ, existente utique majori causâ, si est major indecentia.

Dicere autem: non potest dari causa, quæ præponderet indecentiæ fornicationis, inhonorationis parentum, aut mutationi formarum Sacramentorum, est petere principium, & supponere, quod probandum est; eo semper salvo, ut in alijs præceptis possit dari talis causa.

Dices (eritque secundum argumentum adversæ partis) satis id probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam in his præceptis dispensaverit; secùs in quibusdam alijs. Dispensat enim quotidie in votis, quorum obligatio est juris naturalis religionis. Dispensat item in residentia Episcoporum, ut patet ex Trid. Sess. 6. c. 2. de Reformat.; cùm tamen Episcopi ad residentiam teneantur jure naturali, ut docet idem Concil. Sess. 23. de Refor. c. 1. 17. *Secundum arg. Adversariorum, ex dispensatione in voto, & residentia Episc.*

Rursùm Ecclesia dissolvit Matrimonium ratum non consummatum, quando alter conjugum Religionem ingreditur, ut patet ex Trid. Sess. 24. de Matr. can. 6. & ex aliis multis antiquis Canonibus: est autem Matrimonium ratum indissolubile ex jure naturali. Idem Matrimonium ratum ob alias justas causas aliquoties à Rom. Pontificibus fuisse diremptum, testatur Navar. in Man. c. 22. n. 21. *Item in Matr. rato.*

Denique dispensat Ecclesia in præcepto naturali decimarum; item dispensat in jure naturali, quo Clerici sunt exempti à potestate sæculari, dispensat, inquam, cum eos propter crimen aliquod tradit brachio sæculari. *Decimis, & exemptione Clericorum.*

Respondent Multi: in his exemplis Ecclesiam non dispensare, sed interpretari, quòd in casu non obliget jus naturale, propter gravem necessitatem, vel aliam causam occurrentem. 18. *Resp. Aliquorum, Papam in his tantùm interpretari.*

Est autem difficilis responsio; tum, quia hæc dispensatio, cujus exempla attulimus, requirit potestatem jurisdictionis, ut ex praxi constat: si autem esset solùm interpretatio juris divini, solùm requireret actum prudentiæ seu scientiæ, ut patet ex supradictis: tum etiam; quia interpretatio in casu speciali, quam Epykiam vocant, non habet locum in jure naturali: tum denique; quia certum est, sæpè in exemplis adductis dissatum esse, quando secundùm interpretationem non fuisset sufficiens causa, ut lex censeretur per se non obligare: itaque ista dispensatio non fuit interpretatio, sed relaxatio legis.

Quare aliter ab Aliquibus respondetur: in exemplis adductis nec dispensationem, nec interpretationem intervenire; sed puram remissionem seu consensum partis, cui se aliquis obligavit: nam cùm per votum quis promiserit Deo hanc vel illam rem, Deus per suum Vicarium, rem sibi oblatam restituit homini, atque resignat ejus libertati; sicut etiam unus homo potest alteri remittere jus sibi acquisitum promissione, vel alio contractu. Similiter cum Episcopus obligaverit se Ecclesiæ ad residendum in Episcopatu suo, potest illi Ecclesia remittere hanc obligationem, quâ remissione factâ per Pontificem, qui habet in illa Ecclesia excellentiorem potestatem, & immediatam etiam curam, justitia non obligat Episcopum ad residendum. 19. *Aliorum responsio, hic tantùm esse puram remissionem partis.*

Matrimonium verò ratum dissolvit Deus tanquam Dominus omnis juris humani, sive per contractum Matrimonij, sive alio modo acquisiti; dissolvit, inquam, propter melius bonum, 20. *Quomodo Deus dissolvat Matr. ratum,*

num, cùm alter conjugum Religionem ingreditur, quam ſuam diſpenſationem ſeu diſſolutionem Eccleſiæ revelavit, non verò Eccleſiæ commiſit; propter quod Canones non dicunt ſe diſpenſare cum conjugato, ingrediente Religionem; ſed dicunt, per hujuſmodi ingreſſum Matrimonium ratum diſſolvi, ſcilicet ex diſpenſatione divina. Quod ſi aliqui Pontifices diſpenſare conati ſunt, id fecerunt, ſequendo ſententiam contrariam, tanquam probabilem; non autem definiendo hanc controverſiam. Porrò jus decimarum, & jus exemptionis Clericorum non eſt naturale, ſed humanum. Sic illi, & ſatis benè.

21. *Judicium Auctoris, jus exemptionis eſſe humanum.*

Rogas, quid ego ſentiam? Reſpondeo: jus exemptionis Clericorum in materia judiciali humanum eſſe, non divinum; quamquam hæc exemptio non poſſit à civili poteſtate revocari, nec fortè præſcriptâ conſuetudine aboleri. Quòd ſit humanum, patet ex toto titulo de Foro competenti, præcipuè ex cap. *Si diligenti*, 12. & cap. *Significaſti*, 18. Quòd non ſit divinum, probatur: quia neque ex Scriptura, neque ex traditione poteſt oſtendi. Quid ergò mirum, ſi Pontifex hanc exemptionem vel ex parte, vel ex toto poſſit tollere? Latior explicatio hujus difficultatis non pertinet ad hunc locum.

Idem dicit de decimis, quoad iſtam notam.

Similiter reſpondeo ad exemplum decimarum; ſcilicet tametſi decimæ, ſtipendium utique ſuſtentationis miniſtrorum Eccleſiæ, debitæ ſint jure naturale quoad ſubſtantiam; attamen ſolo jure Eccleſiaſtico quoad quotam. Quid ergò miramur, ſi Eccleſia diſpenſet in illa quota? Sed ubi diſpenſaverit in ipſo ſtipendio, non reperitur.

De Matrimonio rato ſatis egimus Diſp. præced. Sect. 12. Concluſ. 7. videantur ibi dicta. Patet profectò, quòd obligatio Matrimonij non dependeat à ſola voluntate divina, ſicut obligatio non fornicandi, non mentiendi, & ſimiles, de quibus hìc tractamus.

22. *Quid dicendum de reſidentia Epiſcoporum.*

Quantùm ad reſidentiam Epiſcoporũ: Trident. ſeſſ. 6. de Refor. c. 2. non loquitur de Epiſcopis aut eorum reſidentia, ſed de beneficiariis inferioribus; ſic quippè incipit d. cap. *Epiſcopis inferiores, quævis beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de jure, ſive conſuetudine exigentia, in titulum ſive commendam obtinentes, ab eorum Ordinariis..... reſidere cogantur: nulliq; privilegia ſeu indulta perpetua, de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis, ſuffragentur. Indulgentijs verò & diſpenſationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus cauſis tantùm conceſſis, & coram Ordinario legitimè probandis, in ſuo robore permanſuris.* Quid clariùs, quàm quòd Concil. hìc nõ loquatur de reſidentia Epiſcoporũ, aut diſpenſatione in ea?

23. *Non omnes beneficiarij jure naturali tenentur ad reſidentiam.*

Et verò putas, quia omnes iſti beneficiarij jure naturali & divino teneantur ad reſidentiam? Scio, quòd non putes. Siquidem idem Concilium Seſſ. 23. de Refor. c. 1. ubi videtur aſſerere præceptum divinum reſidendi, ſolùm loquitur de iis, qui habent curam animarum: *Cùm*, inquit, *præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbiq; divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum aliarumq; miſerabilium perſonarũ curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt* &c.

24. *Papa concedens licentiam non reſidendi, non diſpenſat in jure naturali.*

Cenſes autem, quòd Eccleſia poſſit diſpenſare, & ſuâ diſpenſatione efficere, ut paſtor mercenariorum more deſerat gregem ſuum? Sane in d. cap. nulla fit mentio diſpenſationis. Utì nec in cap. 1. ſeſſ. 6. de Refor. ubi agitur de reſidentia Prælatorum. Igitur dum Pontifex concedit licentiam Epiſcopo, aut alteri, curam animarum habenti, non reſidendi corporaliter, ſive non aſſiſtendi per ſeipſum gregi ſuo, nullatenùs diſpenſat in jure naturali divino; ſed in jure Eccleſiaſtico, quod præcipit corporalem aſſiſtentiam ipſius paſtoris, niſi, obtentâ legitimâ licentiâ, per alium ſuo gregi ſufficienter invigilet.

Quid faciat ex Suario.

Vel, ut loquitur Suarez lib. 2. de Leg. c. 14. n. 22. Quando Pontifex diſpenſat in reſidentia, ipſe ſtatuit, quomodo pro tali tempore providendum ſit tali Eccleſiæ, & quaſi onus illius in ſe ſuſcipit; & inde conſequenter fit, ut proprius Epiſcopus liberetur perſonali obligatione, non per diſpenſationem in præcepto naturali; ſed quia illo modo reverà implet pactum cum ſua Eccleſia, ex quo illa obligatio præcepti oriebatur. Vel potiùs impletur illa obligatio alio modo, incluſo etiam in ipſo pacto, providendo Eccleſiæ modo præſcripto à ſupremo paſtore ex rationali cauſa: hoc enim ſupponi debet, quia hæc eſt juſta conditio, quam vinculum ipſum includit. Hæc ille.

25. *Reſp. Suarez ad exempl. immunitatis Eccleſiaſticæ.*

Qui eod. cap. n. 24. ad exemplum immunitatis Eccleſiaſticæ ſeu exemptionis Clericorum à poteſtate ſæculari, etiam dato, quòd foret juris divini naturalis, reſpondet; eam immunitatem nõ violari, quando Clericus traditur brachio ſæculari, ab eo puniendus: vel quia tunc poteſtas Eccleſiaſtica (puto debere eſſe, ſæcularis) ſubit rationem miniſtri Pontificis: vel certè, quia ratio naturalis non alio modo dictat hanc immunitatem, niſi cũ dependentia & ſubordinatione ad ſuprem um Eccleſiaſticum paſtorem: & ita ibi nulla intervenit diſpenſatio in jure naturali præceptivo. Quia jus naturale non præcipit ita Clericos eſſe immunes, ut etiam ex juſta cauſa non poſſit Eccleſiaſticus Prælatus, præſertim ſupremus, eos brachio ſæculari remittere, ut eſt per ſe notum. Quapropter quando hoc fit, non ſolùm non eſt relaxatio juris naturalis, verùm potiùs eſt juſta executio juſtitiæ, quã divinũ & naturale jus dictat. Ita Suarius.

Quod attinet diſpenſationem in voto, eam non obſtare communi doctrinæ, jam ſup. arbitror ſatis oſtenſum, & alibi declaratum fuit; neque Sanchez hoc exemplo utitur. Igitur ſecundum argumentum Averſariorum, deſumptum ex variis exemplis, liquet profectò, nõ eſſe ſolidũ.

26. *Occurritur objectioni.*

Scio, dictum eſſe Petro à Chriſto Matth. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Neque ignoro, Papã eſſe aſſumptũ in plenitudinẽ poteſtatis Chriſti. Verùm plenitudo hìc nõ accipitur pro omnimoda

sive illimitata, sed pro limitata; tanta, inquam, quanta per novam legem ipsi constituta seu concessa noscitur. An quia Christus potuit remittere peccata paralytico sinè prævia confessione hisce verbis: *Remittuntur tibi peccata tua*, idcircò & Pontifex eâdem gaudet potestate? Et quia Christus potuit dissolvere Matrimonium consummatum, ideò similiter Pontifex? Igitur sub illis verbis generalibus: *Quodcumque solveris* &c. nequit comprehendi dispensatio in legibus ipsiusmet Christi; neque illa extensio ad omnia mandata divina naturalia foret conformis traditioni Ecclesiæ, nec rationi consentanea, cùm sit contraria stabilitati ejusdem legis Christi, & immutabilitati legis naturalis.

27. *Declaratur, quomodo Ecclesia bene sit provisum.*

Sed nunquid propterea malè est provisum Ecclesiæ? Non puto. Etenim tunc satis est provisum Ecclesiæ, quando ea non licent, ex quibus, si licerent, multò graviora incommoda provenirent, quàm si non liceant. Incommoda illa sunt, quòd etiam, ut sup. dictum est, Reges & supremi Principes prætenderent habere potestatem dispensandi in lege naturali; & quòd sæpè dispensaretur sinè causa; atque adeò facilè, non solùm à dispensatis, sed etiam à non dispensatis, propter aliorum exempla, ordo naturalis rerum inturbaretur, non sinè maximo scandalo.

Deinde: si per dispensationes possent leges Christi, tum fidei, tum Sacramentorum, quæ sunt fundamenta Ecclesiæ, ab hominibus labefactari, aut variationem aliquam recipere in diversis partibus ejus, decursu temporum tanta facta esset mutatio, ut vix Ecclesiæ unitas, quæ summè necessaria est, agnosceretur; ergò oportuit hæc præcepta quasi fundamentalia, ut sic dicam, esse prorsùs invariabilia & indispensabilia.

28. *Quare sit concessa potestas dispensandi in votis &c.*

Ex quo patet, quare potiùs Deus concesserit suæ Ecclesiæ potestatem dispensandi in votis, juramentis & similibus obligationibus, quæ pendent ex consensu vel pacto humano; nam frequens potest esse necessitas illa dispensandi, & ex dispensatione non sequuntur dicta incommoda aut alia, quibus non præponderet commodum, quod ex ea sequitur. Item: materia talis obligationis de se est mutabilis & variabilis, ut patet; & humana voluntas sæpè imprudenter consentit in obligationem aliquam, & ideò materia illa apta erat ad potestatem dispensandi.

Suarez.

At verò (inquit Suarez sup. n. 25.) quando lex naturalis obligat ex vi solius rationis in materia independente à priori consensu humano, non solùm esse non potest necessitas dispensationis, sed etiam illi repugnat: nam si res sit prohibita ratione naturali, est intrinsecè mala; quæ ergò potest esse necessitas dispensationis in tali lege? Si verò sit præcepta, vel occurrente necessitate talis lex non obligabit, & non erit necessaria dispensatio; vel si, non obstante necessitate, lex obligat, ex vi rationis, omissio illius est intrinsecè mala in tali articulo, & ideò nulla est necessitas permittendi illam. Ita Suarius.

Omnibus itaque maturè expensis, maneat hæc resolutio finalis: In Ecclesia non est potestas dispensandi vel in jure naturali divino, vel in jure positivo divino independente à priori consensu humano; alioquì non benè, sed malè foret ei provisum. *Resolutio finalis.*

29. *Probatur Ecclesiam non posse dispensare in impedimentis dirimentibus jure divino naturali, ex Sanchez.*

Atque ut in aliquo tali jure posset dispensari, ut Aliqui putant, haud equidem in impedimentis jure divino naturali dirimentibus Matrimonium, quod solùm asserit nostra Conclusio. Ratio est (inquit Sanchez sup. n. 10.) quia (ut benè advertunt Victoria de Potest. Papæ. n. 9. propos. 9. & Corduba in suo quæstionario lib. 4. q. 8. col. antepenul.) sunt leges divinæ in Ecclesia, in quibus Deus nullam reliquit dispensandi potestatem, & adhibent exemplum, ut de pluribus uxoribus ducendis. Et reddunt rationem hanc: Quia quàmvis Deus prævideret, posse occurrere casus, in quibus rationi consona ac expedientior esset dispensatio: at præponderat huic bono inviolabilis illarum legum custodia, ne apertâ dispensationis viâ dispensetur passim in illis.

Similiter ergò dicimus in præsenti: quàmvis occurrere possit casus, in quo dispensatio in impedimento juris naturalis esset expediens bono communi ac valdè necessaria, ut in Matrimonio inito inter fratrem & sororem: At ex ea dispensandi potestate tot fornicationes inter fratres & sorores consurgerent, aut pericula tanti sceleris admittendi, ac tanta indecentia naturalis est in iis Matrimoniis, ut præponderent hæc bono, quod sequi posset, eâ facultate dispensandi relictâ in Ecclesia, quâ relictâ, fortè ad plures, quàm par est, dispensationis via aperiretur. Et ideò Deus Optimus Maximus omninò circà hæc potestatem dispensandi denegavit: sed tantùm facultatem hæc Matrimonia ineundi concessit, ubi lex naturalis conservandi generis humani strictior urgeret, ut si soli parentes & filij superstites in orbe essent.

30. *Confirmatur ex usu Ecclesiæ.*

Hoc autem ita se habere colligitur ex usu Ecclesiæ, quæ in nullo eventu hactenùs dispensavit, ut Matrimonium parentum cum filijs, aut fratrum cum sororibus ineatur. Et si aliquando in hoc ultimo casu fortè legatur dispensatum, id eveniret, quòd Pontifex ille dispensans amplexus sit opinionem Doctorum, asserentium, solo jure Pontificio dirimi Matrimonium inter fratres & sorores.

Et communissimâ DD. sententiâ.

Id quòque colligitur ex communissima Doctorum sententia, asserente absolutè, non posse Pontificem in his impedimentis dispensare. Hinc Gloss. cap. fin. de Transact. verb. *Sacramentum*, inquit: *Circà gradus, divinâ lege prohibitos, vel ut Matrimonia legitimè contracta separentur, nulla dispensatio adhibetur ab Ecclesia, & de tali dispensatione hìc intelligitur: nam ut patet in integra, quidam uxores ligitimas dimittebant, & alias ducebant, cum talibus nulla dispensatio adhibetur, ut sic remaneant cum secundis.*

31. *Objectio ex Trid.*

Sed enim, dicet aliquis: oppositum hujus Glossæ definit Trid. Sess. 24. de Matr. can. 3. *Si quis dixerit eos tantùm consanguinitatis, & affi-*

nitatis

nitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire &c. nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare &c. anathema sit. Et tamen illi gradus jure divino impediebant simpliciter contractum.

Solvitur ab Aversa. Respondet Aversa q. 19. sect. 1. §. *Ex quo*: Illa lex (vetus scilicet) jam per successionem Evangelii cessavit, & ita in hac, sicut in omni alia parte, quantùm est ex vi sua, nequaquam ampliùs obligavit, ut diximus jam anteà de ipsis impedimentis consanguinitatis & affinitatis. Sed benè illo antiquo tempore ita adstringebat, ut nulla esset in Synagoga, nec apud illius Sacerdotes & Pontifices potestas dispensandi in gradibus illis prohibitis Matrimonij. Sic ille. Et Alii communiter.

32. *Non expediebat relinqui in Ecclesia talem potestatem.* Neque verò (prosequitur idem Auctor) expediebat, relinqui hanc potestatem dispensandi in Ecclesia: quia nec etiam occurrere moraliter poterant casus necessarii pro tali dispensatione. Quâ ratione nec per modum dispensationis impropriæ, seu interpretationis ac declarationis potest occurrere casus, in quo cessaret ratio amicitiæ vel reverentiæ, inducens impedimentum, & in quo proinde posset Pontifex definire, non urgere naturale jus, non adstringere naturale impedimentum. Quod inclarescet magis, percurrendo breviter impedimenta, quæ statuimus esse de jure naturæ.

33. *Declaratur circa errorem personæ.* Hæc ex hactenùs dictis remanent: Error personæ, impotentia perpetua, ligamen, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ. Circa errorem personæ utique dispensari aut declarari, nec convenit, nec potest, ut valeat Matrimonium cum persona, quam quis non intendit ducere, ut valeat Matrimonium absque consensu.

Impotentiam. Circà impotentiam certè nec necessarium, nec utile, nec rationabile erat, posse concedere, ut valeret Matrimonium inter personas simpliciter inhabiles & impotentes ad copulam.

Et ligamen. Circà ligamen videri potuisset interdum expedire, si posset concedi, ut unus vir haberet plures uxores, sicut priscis temporibus dispensatum in hoc fuit à Deo.

Attamen tam plura & majora inconvenientia impendebant, si deinceps talis concessio ac dispensatio relicta fuisset in Ecclesia, ut prorsùs meliùs fuerit, non posse in hoc aliter dispensari aut declarari.

34. *Item circa 1. consanguinitatis gradum.* Circà illum denique consanguinitatis gradum, non alius casus cogitari poterat, quo hæc dispensatio conveniret, nisi quando pater & filia, vel mater & filius, soli ad generationem apti essent in mundo. Sed quia Deus disposuit, ne unquam is casus contingeret, inutilis erat facultas in eo dispensandi. Aut si Deus vellet, ipse per se immediatè tunc dispensaret. Aliqui verò admittunt, tunc ex natura ipsa rei, absque alia dispensatione, cessare vim impedimenti, & posse contrahi Matrimonium inter tales personas.

Quoad reliquos verò consanguinitatis, & omnes affinitatis gradus, diximus non impedire de jure naturæ. Atque adeò fatemur in iis posse per Ecclesiam dispensari: Attamen in primo consanguinitatis in linea transversali, & in primo affinitatis in linea recta, aut nunquam, aut vix semel invenitur Ecclesia dispensasse. Tantùm abest, ut in iis impedimentis, quæ certa sunt de jure naturæ, expediret adesse potestatem & auctoritatem dispensandi. Hucusque prædictus Auctor.

35. *Finis ex Apost. 2. Cor. 10.* Finio verbis Apostoli 2. Cor. 10. v. 8. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.* Ergò tametsi Deus dedisset Apostolis potestatem dissolvendi Matrimonium ratum, ut Aliqui volunt; quia hæc dissolutio sæpiùs potest esse utilis, imò & necessaria; haud equidem potestatem dispensandi in impedimentis, jure naturali divino dirimentibus; quia hæc potestas non fuisset in ædificationem, sed potiùs in destructionem nostram, ut jam satìs ostensum fuit. Pergam igitur ad alia, & Dico 2.

CONCLUSIO II.

In omnibus impedimentis, dirimentibus jure Ecclesiastico, potest dispensare Pontifex. An & in radice Matrimonij, irritè contracti cum tali impedimento, non satìs constat.

36. *Probatur 1. pars Conclus. ex c. 1. de Constit. in 6.* DE veritate primæ partis non est relictus locus dubitandi, quia nulla ratio dubitandi: omnia quippè hujusmodi impedimenta, sunt leges Pontificiæ: quilibet autem Legislator, aut successor ejus æqualis, dispensat in lege à se, vel prædecessore suo latâ; arg. cap. 1. de Constit. in 6. *Licet Romanus Pontifex..... constitutionem condendo posteriorem, priorem, quàmvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur.* Si revocare possit, cur non etiam in ea dispensare? Sic habet praxis & communis usus totius orbis: nisi foret ejus potestas per Deum restricta, cujus restrictionis impræsentiarùm nullum extat vestigium. *Et communi usu totius orbis.*

Igitur Pontifex potest dispensare in quacumque lege Ecclesiastica, etiam ab Apostolis, aut Concilio generali constituta: quia ad minùs æqualem cum ipsis habet potestatem: ergò in omnibus impedimentis, non solùm dirimentibus, sed etiam merè prohibentibus solo jure Ecclesiastico inductis. Dispensare, inquam, id est, omnibus eisdem stantibus facere, ut Matrimonium, quod priùs fuisset invalidum, aut certè illicitum, hìc & nunc sit validum & licitum. Id enim propriè est dispensare, ut patet ex dictis præced. Conclus. quæ negat Pontifici potestatem propriè dispensandi in impedimento juris naturalis divini.

Et meritò negat, non obstante, quòd possit condonare obligationem voti, & dissolvere priora sponsalia, aut etiam Matrimonium ratum: 37. *Occurritur objectioni.*

quia

quia hæc condonatio & dissolutio, non sunt propriæ dispensationes in jure naturali, sive impediente, sive etiam dirimente Matrimonium; tametsi tollatur obligatio, quæ prius erat; quia non manent eadem stantia; siquidem votum destruitur, & similiter sponsalia ac Matrimonium; quid ergò mirum, si non maneat impedimentum, quod ex ipsis proveniebat seu resultabat? Sanè impossibile est ut maneat; quippè quod non solùm ab ipsis dependeat in fieri, sed etiam in conversari, ut omnes fateri debent & fatentur.

Pontifex propriè dispensat in impedimentis Ecclesiæ.

Porrò dum Pontifex dispensat propriè in impedimentis Ecclesiasticis, manent omnia eadem, v. g. manet consanguinitas, affinitas, crimen, raptus &c. & nihilominùs jam Matrimonium validum est & licitum, quod priùs fuisset illicitum & invalidum. Quare hoc? Quia, ut dicit 1. Reg. de Reg. juris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Ubi Glossa. verb. *Omnis res*, inquit: *Potest exponi, id est, omnis obligatio.* Cùm ergò obligatio horum impedimentorum nata sit per voluntatem Pontificis, per eamdem poterit dissolvi.

38. *An etiam dispenset in radice Matr.*

Sed cùm hoc satìs constet; equidem à Multis dubitatur, an Pontifex possit dispensare in radice Matrimonij, irritè contracti cum impedimento juris Ecclesiastici, efficiendo dispensationem retrotrahi; ac proinde legitimando prolem anteà habitam, quoad spiritualia & temporalia.

Dico: Cum impedimento juris Ecclesiastici: quia dum Matrimonium irritum erat, ob impedimentum juris divini naturalis, aut defectu consensûs in utroque, vel altero contrahente, & certò constant, etiam Sanchez admittit, Pontificem id non posse, sup. disp. 7. n. 8. & 10. quoniam radicem nullitatis nequit tollere, aut dispensando in tali impedimento, aut supplendo consensum.

39. *Affirmat Sanchez, & probat.*

Nihilominùs hic Auctor tenet, Pontificem id posse, quando Matrimonium fuit nullum ob impedimentum juris Ecclesiastici, dicens, eam esse frequentissimam ac veriorem sententiam. Ducitur: quia (inquit sup. n. 4.) radix & origo, ex qua consurgit, ut proles sit illegitima, ac subinde incurrat illegitimitatis damna, sive Ecclesiastica sive sæcularia, est lex Ecclesiastica, quâ statutum est, ut id impedimentum in eo Matrimonij contractu repertum, illum dirimat: ac eâ non stante, Matrimonium fuisset validum ac proles legitima, nec ea damna incurrisset.

40. *Pontifex revocat suam legem etiam quoad effectus jam incursos, ex Clem. un. de Immun. Eccles.*

At Pontifex potest suam legem irritare & revocare quoad effectus jure humano ex ea secutos, & non tantùm quoad imposterum incurrendos, efficiendo, ut non incurrantur; sed etiam quoad jam incursos, abolendo illos, ac si ea lex edita nunquam fuisset, ut constat ex Clement. un. de Immunit. Eccles. ubi ClemensV. revocat quasdam Prædecessorum constitutiones, etiam quoad effectus anteà productos, ibi: *Nos de consilio fratrum nostrorum constitutionem & declarationem seu declarationes prædictas, & quidquid ex eis secutum est, vel ob eas, penitùs revocamus, & eas haberi volumus pro infectis.*

Ubi Gloss. verb. *Pro infectis*, inquit: *Per hoc puto, quòd excommunicatus ex viribus illius constitutionis, absolutione non egeat. Et vide, quanta est Papalis potestas circà ea, quæ simpliciter sunt de jure positivo: quia revocat illa ut ex tunc, & facit ad ea quæ scripsi, Qui filij sint legit.* Per venerabilem, Gloss. 2.

Ergò sic dispensans Pontifex in radice Matrimonij, id est, initio ipsius, revocando impedimentum quod ipsum irritavit, ac si numquam irritasset, efficiet, ut dispensatio retrotrahatur ad Matrimonij initium, ac proinde censeatur, ac si id Matrimonium fuisset ab initio validum, nullo impedimento irritanti existente: in quo casu proles esset verè ligitima quoad omnia. 41. *Illatio.*

Et confirmatur: quia hoc non est directè dispensare in lege civili, & effectibus ejus; sed indirectè, & per quamdam consequentiam. *Confirmatur sententia Sanchez.* Quia scilicet lege civili incurruntur ea damna à prole, suppositâ legis Ecclesiasticæ, irritantis prædictum Matrimonium, firmitate, ex qua subsecutum est, ut Matrimonium sit irritum, & subinde proles ex eo concepta illegitima, ac subdita omnibus illegitimitatis damnis, jure civili statutis. Cùm ergò Pontifex suâ dispensatione in ipsa Matrimonii radice tollat directè firmitatem illius legis Ecclesiasticæ, eamque prorsùs aboleat, perinde ac si lex illa nunquam prodiisset, efficiet indirectè, ac per quamdam consequentiam, ut ea omnia damna cessent, utpotè quæ ex legis Ecclesiasticæ firmitate pendebant.

Et adhuc explicabitur magìs hæc ratio. Non enim dicimus, posse nunc Pontificem efficere, ut id Matrimonium fuerit à principio firmum: vel nunc incipiat valere absque novo contrahentium consensu, vel ut ex eo non sint secuti effectus jure civili statuti. Hæc enim omnia apertè non subsunt Pontificiæ potestati. Sed tantùm dicimus, eam esse Pontificis potestatem, ut possit dispensando prout ex tunc in ipsa Matrimonij irriti radice, delere ac revocare omnia damna, quocumque jure humano indè incursa, ac in eum statum prolem restituere, quem haberet, si ex Matrimonio valido orta fuisset. Destructo enim legis Ecclesiasticæ valore, cui tamquam fundamento illegitimitas, ac cætera damna innitebantur, illa omnia corruent. 42. *Magis explicatur hæc ratio.*

Sed dices: hoc tantùm probare de damnis jure Pontificio secutis; secùs de secutis jure civili. Cùm enim nequeat Pontifex in hoc jure dispensare, nequibit quòque in effectibus ex eo consurgentibus. Sed respondeo, non posse directè in his dispensare: at posse indirectè & per quamdam consequentiam, destruendo legem suam Ecclesiasticam, ex qua, tamquam ex fundamento, illa omnia pendebant. 43. *Objectio solvitur.*

Tandem: quia multa fieri possunt indirectè & per quamdam consequentiam, quæ directè & principaliter fieri nequeunt. Sicut jus patronatûs non potest per se ac directè vendi absque labe simoniæ; cùm tamen in consequentiam vendatur, vendito fundo, cui est annexus, cap. *Ex literis*, de Iure patr. Sic ergò, licèt Pontifex *Ultima probatio.*

nequeat

nequeat directè dispensare in jure civili, ac ejus effectibus, poterit utique indirectè per quamdam consequentiam, modo exposito. Hucusque Sanchez pro sua sententia.

44. *Opposita sententia quoad temporalia, magis placet Dicast.*

Quæ tamen Multis non placet. Dicastil. sup. n. 17. sic scribit: Hæc sententia satis probabilis est; sed (ut verum fatear) semper mihi visa est probabilior prior sententia, ea scilicet, quæ negat Pontificem id posse quoad temporalia, nisi contrahentes forent ipsius subditi in temporalibus.

Omnes admittunt, Papam id posse quoad spiritualia.

Omnes itaque admittunt, Pontificem id posse quoad spiritualia, puta, beneficia, Ordines, ac Ecclesiastica officia. Itemque quoad temporalia & officia sæcularia, in locis temporali suæ jurisdictioni subjectis. Posse, inquam, filium spurium aut naturalem ad hæc legitimare, non solùm indirectè, dispensando in radice Matrimonii; sed etiam directè, quando nequit dispensare in radice Matrimonii, utpote celebrati cum aliquo impedimento juris naturalis & divini, in quo Pontifex non possit dispensare.

45. *Probatur manifestè.*

Ratio manifesta est; quia potest dispensare in legibus sive Ecclesiasticis, sive civilibus, ex quibus illæ inhabilitates ad bona Ecclesiastica & temporalia proveniunt. Et quia habet jurisdictionem Ecclesiasticam in totam Ecclesiam, potest directè dispensare in toto orbe. Quia autem non habet jurisdictionem temporalem, nisi in determinatis locis, ideò in his tantùm potest directè legitimare quoad bona temporalia seu sæcularia, secùs extrà illa loca.

Limitatio quædam sententiæ Dicast. ex Covar.

Quod limitat Covar. 4. Decret. part. 2. c. 8. §. 8. n. 16. aliàs 45. nisi ex causa ardua, & quæ fidei, Religioni Christianæ, vel Reipublicæ utilitatem præ se ferat, ex cap. *Per venerabilem*, Qui filij sint legitimi, ubi probatur, Romanum Pontificem habere jurisdictionem in laicos aliquo casu, & eam posse exercere etiam quoad temporalia, licèt illi laici sint Cæsari vel Regi subjecti.

46. *Probatur ex cap. 13. Qui filij sint legitimi.*

Hæc sunt verba juris: *Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requisiti: causam tam ex veteri, quam ex novo Testamento trahentes: quòd non solùm in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercemus.*

Molina.

Ubi Gloss. verb. *Certis causis*, ait: *Scilicet cùm requirimur.* Hæc est una causa, quam, & alias, invenies apud Molinam to. 1. de Iust. Disp. 173. n. 2. ibi: Nisi legitimare eo pacto ad spirituale bonum necessarium sit, isque sæcularis Princeps, ad quem alioquin spectat, id præstare non velit; aut non tam citò velit, aut possit, quàm citò est necessarium; aut denique, nisi, qui superiorem in temporalibus non recognoscit, velit eâ in parte se aut suos subjicere Sedi Apostolicæ. Sic ille.

47. *Potestas Ecclesiastica prædominatur civili.*

Et meritò: quoniam potestas Ecclesiastica, tamquam spiritualis & supernaturalis, prædominatur civili, quæ tantùm est naturalis; & ideò integrum est Pontifici sæcularium Principum negligentiam supplere, & leges eorum corrigere, atque in eis dispensare, quando vergunt in detrimentum Ecclesiæ ac animarum.

Quomodò intelligendum cap. 7. 11. q. 1.

Et ita intelligo cap. 7. 11. q. 1. ex Marcellino Epist. 2. ad Episc. orientales: *Quæcumque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur.* Scilicet, quæ non possunt terminari per sæculares judices; vel quia non volunt administrare justitiam; vel quia pars non vult parêre, idque per viam correctionis fraternæ, ut Innoc. III. rectè docet cap. *Novit*, de Iudiciis.

48. *Item c. 35. eâd.*

Hinc Theodosius Imperator, ut refertur eâd. q. c. 35. *Quicumque litem habens, sive possessor, sive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi sententia, judicium elegerit sacrosanctæ Sedis Antistitis, illicò sinè aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur.*

Atque hâc ratione, vacante Imperio, Pontifex succedit in auctoritate judicandi & terminandi eas causas, quæ à solo Imperatore judicari solent, & quæ non patiuntur moram; quia nimirum hoc expedit ad spirituale bonum animarum.

49.

Itaque eo admisso, quòd Pontifex non possit quempiam legitimare directè quoad bona temporalia, extrà loca temporali suæ jurisdictioni subjecta; difficultas est, an id facere possit Pontifex indirectè, ubi & quando non est necessitas salutis animarum, Principibus sæcularibus volentibus & potentibus suos subditos legitimare, vel rationabiliter id negantibus. Ut audivimus, Sanchez affirmat. Negat Molina de Iust. to. 3. tract. 2. disp. 624. n. 3. dicens: Ego non dubito sententiam hanc falsam esse.

Molina non dubitat, sententiam Sanchez esse falsam.

Ego autem valde dubito, an falsa sit, propter rationes sup. ex Sanchio adductas; & propter auctoritatem extrinsecam eorum, qui eam docent; ac denique, quia rationes oppositæ sententiæ non convincunt, neque omnem formidinem expellunt eius falsitatis.

50. *Probat.*

Sed quæ istæ? Si intelligant (inquit Molina sup.) Pontificem efficere posse, ut Matrimonium, quod à principio fuit nullum, propter id impedimentum Canonicum, reddatur à principio validum dispensando in tali impedimento illudque auferendo, sanè non dubito, esse id plusquàm falsum. Quod ibi multis probat, sed sinè necessitate; cùm Sanchez & Alij similiter non dubitent, esse id plusquam falsum, ut sup. vidimus.

Fatentur ergò Omnes; Matrimonium priùs irritè contractum non posse fieri validum, nisi, sublato impedimento, conjuges putatitij de novo consentiant. Nemo quoque ambigit, prolem, natam ex hujusmodi Matrimonio, aliquando fuisse illegitimam, & consequenter inhabilem ad ea omnia, quæ vel jure Canonico, vel Civili illegitimis negantur. Sed quid tum?

51. *Pontifex non potest facere, ut proles nova*

Quia proles (inquit Molina sup.) verè fuit illegitima, nec Summus Pontifex efficere valet, ut talis non fuerit; atque eo ipso quòd illegitima fuit, contraxit inhabilitates. Cano-

fuerit illegitima.

nicas atque etiam civiles, quæ simpliciter non subjacent potestati Summi Pontificis, sed Principum sæcularium; utique quàmvis Summus Pontifex possit eam legitimare, ut reputetur quasi nata fuerit legitimè, quod attinet ad inhabilitates Canonicas; & id censeatur facere, si dicat, legitimum se efficere Matrimonium, illegitimè contractum; non tamen potest aut censetur id efficere quoad inhabilitates civiles. Sic ille.

52. *Confirmatur sententia Molinæ. ex Dicast.*

Sed placet etiam audire Dicastillonem sup. qui, omissâ hâc ratione, sic explicat & confirmat dictam sententiam. Quòd (inquit) illegitimitas illa orta fuerit priùs, non provenit immediatè ex impedimento Ecclesiastico; sed ex nullitate ipsa Matrimonii, quo existente invalido, eâque nullitate perseverante, ex natura rei consequitur, quòd filius natus ex illis parentibus non sit natus ex legitimo Matrimonio, sed ortus à non conjugibus. Posteà verò supposità nativitate à non conjugibus, jure civili inducuntur damna, quibus subjacet talis proles, quòd scilicet non admittatur ad nobilitatem, hæreditatem, honores &c. Qui effectus à lege civili orti, ab eadem dependent, vel potiùs ab Auctore illius, illos inducente in eam personam, quam invenit natam ex non conjugibus.

Tunc ergò Pontifex quantumvis dispenset jam, & velit, quòd Matrimonium per novum contrahentium consensum validum fiat, & ipsi validè contrahant; facere non potest, quòd illa proles nata non fuerit ex non conjugibus, & ut talis passa omnia damna, quæ à Principe & lege civili statuta sunt pro sic natis. Postquam autem talia damna inducta sunt, non dependent in conservari, nisi tantùm à voluntate illius, qui ea induxit & potuit non inducere, &, ut ea induceret, solùm requisivit, tamquam conditionem aut motivam causam, nativitatem ex parentibus non conjugibus, quæ ratio adhuc perseverat, neque potest Pontifex facere, quòd ille natus fuerit à conjugibus. Ita Dicastil.

53. *Sed petit principium.*

Sed hoc est quod quæritur; an illa damna, semel inducta, dependeant in conservari à sola voluntate ejus, qui ipsa induxit; an verò etiam à voluntate ejus, qui impedimentum Matrimonii induxit, propter quod prius Matrimonium fuit invalidum, & per consequens filius natus illegitimus, ita ut, si impedimentum non fuisset constitutum, foret legitimus, atque adeò nullatenùs subjectus illis damnis.

Impedimentum est causa istorum damnorum, saltem remota.

Igitur impedimentum causa est istorum damnorum, si non proxima & immediata, saltem remota & mediata; dicit autem Reg. juris 1. de Reg. juris, ut sup. audivimus: *Omnis res* (id est, obligatio) *per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*: sed damna illa, seu obligatio subeundi ista damna nascitur, saltem indirectè & mediatè, ex voluntate Pontificis, constituentis tale impedimentum; ergò per eamdem indirectè & mediatè dissolvitur, auferendo tale impedimentum; ita ut, sicut Principes sæculares non possunt inducere ea damna independenter à voluntate Pontificis, constituentis seu conservantis impedimentum; sic itidem non possint illa damna conservare independenter ab eadem voluntate.

54. *Objectio ex Dicast. qua est 2. ejus probatio.*

Dices cum Dicast. (estque secunda ejus probatio) quando Matrimonium fuit nullum defectu consensûs in utroque vel altero contrahente, non potest Pontifex dispensare in radice illius; ergò nec quando adfuit quidem consensus, sed fuit aliquod impedimentum dirimens, putà defectus præsentiæ Parochi & testium. Probo Consequentiam; quia perinde est, esse consensum invalidum, & nullum esse consensum. Nam quod invalidum & irritum est, perinde est ac si non esset, atque adeò nullum potest causare effectum.

Solutio.

Respondebit fortasse aliquis; disparem esse rationem; nam defectus consensûs est defectus seu impedimentum juris naturalis; defectus autem presentiæ Parochi & testium, tantùm est defectus seu impedimentum juris positivi, & in hoc potest Pontifex, non in illo.

55. *Oppugnatur.*

Contrà hoc tamen est; quòd defectus, ratione cujus irritum est Matrimonium clandestinum, non est ipsa præcisè (ut sic dicam) clandestinitas, seu prohibitio clandestinitatis; sed est inhabilitas ipsarum personarum contrahentium clandestinè, quam quidem potuit Trid. aut Pontifex non inducere; semel tamen redditis inhabilibus personis, ex natura rei contractus est nullus, & consensus ille ex natura rei nullus, ita ut perseverante inhabilitate personarum, implicet contradictionem, illum valere. Non minùs autem requiritur ex natura rei habilitas personarum, præbentium consensum in contractu, quàm ipsemet consensus. Quòd autem inhabilitas provenerit ex voluntate Principis Legislatoris, vel ex alio quocumque capite, nihil refert, dummodò tempore præbendi consensum personæ non sint habiles; quocumque enim modo, & undecumque contingat, Matrimonium æquè est nullum, deficiente habilitate in consentientibus, atque deficiente consensu.

56. *Confirmatur objectio.*

Unde si aliquis effectus subsistere debet à tempore seu puncto initi seu attentati Matrimonii invalidi, is non potest provenire ab ipsomet Matrimonio nullo, & non subsistente, sed ab alia causa; nempè à Principe, potente per se & directè causare talem effectum. Cùm autem Pontifex non possit per se & directè causare talem legitimationem prolis, quoad sæcularia & civilia, in terris sibi in temporalibus non subjectis, parùm aut nihil refert dispensatio ipsius ad hunc effectum inducendum, cùm dispensatio posterior non possit facere, quòd contractus ille prior Matrimonii non fuerit nullus; & contractus nullus nullum possit vel potuerit causare effectum; atque adeò legitimatio prolis quoad sæcularia non subsistit. Hucusque Dicast. sup. n. 18. & seqq.

57. *Eodem arg. utitur Coninck.*

Atque eodem argumento usus fuit ante ipsum Coninck hic disp. 33. n. 40. Quòd (inquit) talis proles sit illegitima, non provenit immediatè ex impedimento, ab Ecclesia statuto, sed ex nullitate

nullitate Matrimonii; quare ut Eccleſia eum effectum in radice tolleret, deberet efficere, ut fuerit concepta ex Matrimonio valido: fruſtrà enim ultimum fundamentum tollitur, quamdiu immediatum integrè ſubſiſtit, v. c. Petrus, ob aliquod peccatum excommunicatus, non poteſt audire Sacrum; manet hæc impotentia audiendi Sacrum, quamdiu manet excommunicatio, quantumcumque culpa per contritionē tollatur.

58. *Confirmatio.* Confirmatur: quia nemo poteſt aliquid facere indirectè, niſi faciendo aliquid directè, ex quo illud neceſſariò ſequatur, v. c. impoſſibile eſt, ut indirectè præcipiam actum internum, niſi directè præcipiam externum: aut ut indirectè quodam modo vendam benedictionem, niſi directè vendam rem benedictam: atqui impoſſibile eſt, ut Pontifex directè aliquid tollat, à quo illegitimatio illius prolis pendet: ergò nec hanc poteſt tollere.

Minor probatur; quia illegitimatio non pendet ab illo impedimento, prout exiſtit poſt ejus nativitatem (ſive enim jam ſit, ſive non ſit, eodem modo manet illegitimatio) ſed prout exiſtebat pro eo tempore, quo parentes tentabant contrahere Matrimonium, & ut ſic præcisè eſt radix illius illegitimationis: atqui impoſſibile eſt, ut Pontifex efficiat, ut tunc non fuerit impedimentum: ergò nec poteſt tollere radicem illius illegitimationis. Hactenùs Coninck.

59. *Reſp. ad confirm.* Reſpondetur: radicem illius illegitimationis eſſe impedimentum, non prout exiſtebat pro eo tempore, quo parentes tentabant contrahere Matrimonium; non, inquam, prout exiſtebat, ſed quod exiſtebat pro eo tempore: poſſibile autem eſt, ut Pontifex efficiat, quòd illud impedimentum ampliùs non ſit; ergò poteſt tollere radicem illius illegitimationis, tollendo ſcilicet illud impedimentum, quatenùs fuit radix nullitatis. Et ſic patet, Pontificem hìc nihil facere indirectè, niſi aliquid faciendo directè; nam directè aufert iſtud impedimentum, à quo dependet illa illegitimatio, hâc ratione, ut impedimento perſeverante, Pontifex non poſſit illegitimationem tollere, quoad effectus civiles: eſtò poſſit tollere impedimentum, illegitimatione perſeverante, ut infrà videbimus. Et hæc quidem ad confirmationem.

Quid dicendum ad arg. Porrò ad argumentum Regii dico: impedimentum & nullitas in morali æſtimatione ſunt unum & idem fundamentum, & ideò integrè non ſubſiſtit poſt diſpenſationem Pontificis; per eam enim impedimentum ſublatum eſt; & quàmvis nullitas adhuc perſeveret, non tamen illa, quæ priùs fuerat, ſcilicet talis, quam contrahentes non poterant propriâ auctoritate tollere. Atque adeò, dato etiam, quòd nullitas foret fundamentum diſtinctum, idque proximum, patet, quòd integrè non ſubſiſtat; quid ergò miramur, ſi prior effectus ejus non ſubſiſtat? At verò per contritionem, quâ culpâ tollitur, nullatenùs immutatur excommunicatio; & ideò manet impotentia audiendi Sacrum, quouſque per abſolutionem Superioris excommunicatio auferatur.

60. *Satisfit 2. arg. Dicaſt.* Reſtat, ut ſatisfaciamus ſecundo argumento Dicaſtillonis, ſup. propoſito, de Matrimonio, quod eſt irritum defectu conſenſûs; ad quòd Dico: Matrimonium clandeſtinum non eſſe irritum defectu conſenſûs, ut fusè probavimus præſenti Diſp. Sect. 7. Concluſ. 2. contrà eumdem Auctorem, multò minùs Matrimonium conſanguineorum, affinium &c. atque adeò veluti Matrimonium conſanguineorum, ante diſpenſationem Pontificis, eſt irritum jure tantùm humano, & non ex natura rei; ita quòque Matrimonium clandeſtinum; ſed neque perſonæ conſanguineæ contrahentes ſunt magìs habiles, quàm perſonæ clandeſtinè contrahentes; ſed æquè ſunt inhabiles, & per diſpenſationem Pontificis æquè fiunt habiles. Nunquid etiam perſonæ, contrahentes abſque interno conſenſu, ſunt inhabiles, & fieri poſſunt habiles per Pontificem? Quis ſapiens & hoc intelliget?

61. *Aliud arg. Regij.* Cæterùm ex jam dictis haud difficulter reſponderi poterit ad illud, quod lego apud Coninck ſup. n. 39. Cùm Pontifex (inquit) directè & per ſe non magìs poſſit tollere effectus, jure civili ex invaliditate illius Matrimonii ſecutos, quàm ſecutos jure naturali aut divino (v. c. efficiendo, ut tales non peccârint, ſcienter tale Matrimonium contrahendo, aut conſummando, aut ut ipſis illud peccatum non imputaretur) nulla eſt ratio, cur ipſe in radice poſſit magìs irritare effectus, ſecutos jure civili, quàm naturali, cùm utrique eodem modo illo fundamento, jure Pontificio inducto, nitantur.

Solvitur. Reſpondeo, & quæro: num benè ſequitur; Pontifex poteſt per ſe & directè tollere effectus, ſecutos jure Pontificio ex invaliditate illius Matrimonii: ergò etiam effectus, ſecutos jure naturali vel divino, quos ibi Coninck enumerat? Evidens eſt, quòd ſequela iſta non valeat. Ergò etiam non valet hæc Conſequentia: Pontifex non poteſt in radice irritare effectus, ſecutos jure naturali vel divino; ergò neque effectus, ſecutus jure civili.

62. *Quare Pontifex potiùs poſſit tollere effectus juris civiles, quàm naturalis.* Et ratio diſcriminis eſt; quòd dd. effectus, jure naturali vel divino ſecuti, jam non dependeant à nutu Pontificis, vel cujuſcumque alterius hominis, ſine juſtâ contritione, & neceſſariâ confeſſione, juxtà cap. 2. 24. q. 2. in princ. *Legatur, ex quo eſt religio Chriſtiana, vel certè detur exemplum in Eccleſia Dei à quibuſlibet Pontificibus, ab ipſis Apoſtolis, ab ipſo denique Salvatore, veniam, niſi ſe corrigentibus, fuiſſe conceſſam.* Et Reg. 5. de Reg. juris in 6. dicit: *Peccati venia non datur, niſi correcto.* Hi ergò effectus ſoli divinæ reſervantur poteſtati. At verò effectus juris Eccleſiaſtici aut civilis, conſtat, quòd ſubjiciantur poteſtati humanæ; quippè ſunt inhabilitates quædam ad Sacros Ordines, ad beneficia, officia, hæreditates &c. ratione quarum quotidie repelluntur illegitimi ab hujuſmodi rebus: & ideò ſicut directè poſſunt tolli per Superiorem proportionatum; ſic quòque nulla eſt ratio, quare non etiam indirectè. Ergò ſi Papa, priuſquam hæreditas tertio obvenerat, diſpenſaſſet in radice Matrimonii, tunc ſecundùm ſententiam

Sanchez, tertius spe sua frustraretur,& illegitimus in hæreditatem succederet.

63. *Proponitur rursùs ultima probatio Sanchij.* Planè, reponit quispiam ; eo tamen salvo, ut Pontifex id possit facere, quod hactenùs non est satis probatum ; se neque evincitur ex eo, quòd multa fieri possint indirectè, & per quamdam consequentiam,quæ directè & principaliter fieri nequeunt ; v.g. vendendo calicem benedictum, indirectè vendo,seu alieno ejus benedictionem, quam directè vendere non possum : & secundùm probabilem multorum sententiam, Ecclesia præcipiendo vocalem orationem, indirectè præcipit internam devotionem,quam tamen directè præcipere nequit.

64. *Refutatur ex Coninck.* Respondet Coninck sup.n.39. Quòd nec benedictio calicis possit per se vendi,nec actus interni immediatè ab homine præcipi,est juris naturæ ; & tantùm indirectè utrumque cadit sub potestatem humanam, secundùm probabilem sententiam. Sic quia Ecclesia habet potestatem inhabilitandi aliquos, ut Matrimonium, quatenùs est contractus civilis,contrahant, reddit eosdem consequenter inhabiles, ut Sacramentum suscipiant, cujus jure divino alias capaces sunt, idemque est in omnibus similibus. Sic Regius.

Jam autem illegitimatio & legitimatio cadunt directè sub potestatem humanam, quoad effectus quidem spirituales sub potestatem Ecclesiasticam , quoad effectus autem temporales sub potestatem civilem. Ad quid ergò potestas indirecta in eo, qui nullam habet directam ; maximè dum ille adest, qui habet potestatem directam, & eâ vult ac potest uti ?

65. *Pontifex refertur dixisse, se non posse dispensare.* Et verò apud Navar. lib.4. Consil. in 2.edit. tit. Qui filij &c. consil. 2. in fine dicitur : Notandum, Greg. XIII. mense Novembri 1584. negasse petitam hanc dispensationem, ac addidisse,se non posse.

Aliud arg. contrà Sanchez. Præterea : fictio,quâ jura fingunt aliquid retrotrahi, exigit terminum à quo, & ad quem habilia : at id Matrimonium ab initio contractum, quod est terminus ad quem hujus fictæ retrotractionis, non est habile, cùm sit prorsùs irritum.

Resp. ejus. Respondet Sanchez sup. n. 13. ad hunc sensum exigi habilitatem utriusque extremi, non ut prius Matrimonium sit omninò validum; sed ut de facto sit irritum, ac proindè figuram Matrimonii habeat.

66. *Dictum istud Papæ non satis constat. Sententia Sanchez in praxi tuta est, juxtà Dicast.* Ad responsum Greg. dicit idem Auctor, de illo non constare : atque fuisse responsum tamquam Doctoris privati,quòd fortè prioris fuerit opinionis.

Omnibus ergo perlectis & perscrutatis, benè dicit Conclus. nostra,non satis constare,an Pontifex possit dispensare in radice Matrimonii, irritè contracti cum impedimento humano. Et quoniam sententia affirmans, Papam id posse, multorum & gravissimorum Auctorum est,eam (inquit Dicast. sup.n.21.) in praxi & Pontifex sequi potest,dispensationem præbendo, quæ per talem retrotractionem, legitimam reddat prolem; & ipsamet proles,se pro legitima gerendo, & Judices (etiam sæculares) in favorem illius legitimationis judicando, sequi possunt.

67. *Graviter peccat Papa absque justa causa dispensando, ex Sanchez post Navar.* Dubitandum tamen non est (inquit Sanchez sup. n. 5.) gravem culpam à Pontifice admittendam,si absque causa legitima dispensationem hanc concederet. Sic Navar. sup. n. 15. dicens: Licet S. D. N. de plenitudine suæ potestatis, possit in casu proposito prædictam legem, de non contrahendo in 4. gradu, revocare, non solùm ut censeatur revocata ex nunc, sed etiam à tempore, quo fuit facta ; & ita revocare, ut fingatur, vel habeatur pro infecta, cum suis omnibus effectibus, subjectis suæ potestati & voluntati ; non tamen hoc potest facere absque peccato, sinè aliqua magna & justa causa. Et n.16. concludit : Posse quidem suam Sanctitatem hoc facere, ita ut valeat factum ; sed non absque gravi peccato & scandalo populorum, si sinè maxima & justa causa id fecerit.

68. *Quæ ratio tam gravis peccati.* Sed quæ ratio tam gravis peccati ? Quia (inquit Sanchez sup.) cedit in grave damnum succedentium in eam hæreditatem, si proles non legitimaretur.

Cedit prorsùs, reponit quispiam ; sed nunquid in grave damnum injustum? Nunquid etiam cederet in grave damnum prolis, si non legitimaretur? Minimè,inquis.Et ratio discriminis est : quòd succedentes habent jus ad hæreditatem, vel etiam in ipsam hæreditatem, si jam parentes obierant, quando Pontifex dispensat : at verò proles illegitima nullum habet jus , ne quidem ad rem , multò minùs in re ; ergo non dispensando cum illo in radice Matrimonii, nullum fit ei præjudicium ; dispensando autem grave fit præjudicium tertio , maximè si jam hæreditatem adierat.

69. *Quid si parentes obierant ante dispensationem.* Hinc Aliqui , apud Sanchez sup. n. 6. negant , Pontificem posse dispensare , si parentes obierint , & alius apprehenderit possessionem hæreditatis. Sed dic (inquit ille) dupliciter hanc dispensationem posse à Pontifice concedi. Primò , ex voluntate parentis, cui succeditur, qui adhuc superstes petiit sic dispensationem expediri , aut jussit peti , & potest à Pontifice concedi,non obstante eo præjudicio, ex doctrina Bartoli & aliorum,l. *Gallus*, §. *Et quid si tantum*, ad finem ff.de Liber. & posth. Et ita profitentur Iac. de Puteo Decis. 483. n. 2. lib.2.& Peregrinus de Fidecom.a.24.fin.Alios referens.

70. *Adhuc Papam posse dispensare, probatur, contra Iac. de Puteo, ex Peregrino cum Anchar.* Secundo , quando is parentis consensus non præcessit : & in hoc eventu est multò majus dubium, & id negat Iac. de Puteo ibidem. Quia fictio non potest retrofingere post dissolutum Matrimonium , & jus alteri quæsitum. At melius id concedit Peregrinus cum Ancharrano Cons. 409.n. 6. Et ratio est : quia non potest dici, non præcessisse in hoc eventu Matrimonium, saltem in figura & affectu. Quæ figura multùm operatur, l.3. ff. de Donat. inter virum & uxorem , cap. *Plerumque*, eod. tit. & c. *Nuper*. de Bigamis. Cùm ergo Canonica lex fuerit causa irritandi Matrimonium,ut ea hæreditas deferatur ac devolvatur in alios successores, poterit Pontifex id jus quæsitum auferre , revocando eam legem , prout ex tunc , quoad effectus jam productos.

productos. Quippè ea conditio tacitè inerat, cùm hæreditas eſt devoluta. At crederem, noluiſſe Pontificem juri aliorum acquiſito derogare, niſi ex certa ſcientia hoc feciſſet. Quia in dubio clauſula, in reſcriptis Principum appoſita, intelligitur ſinè tertij præjudicio, per textum in l. 2. §. 16. ff. Ne quid in loco publico: *Si quis à Principe ſimpliciter impetraverit, ut in publico loco ædificet: non eſt credendus ſic ædificare, ut cum incommodo alicujus id fiat, neque ſic conceditur: niſi fortè quis hoc impetraverit.*

71. *Hæc doctrina videtur probabilis Dicaſt.* Quæ Doctrina (inquit Dicaſtillo ſup. n. 25.) mihi probabilis videtur, ſuppoſitâ hujus ſententiæ probabilitate. Nihilominùs (proſequitur n. 26.) non videtur ſatìs cohærere cum doctrina paulò antè tradita ex eodem Sanchez, dum ait, peccare moraliter Pontificem, ſi abſque legitima cauſa diſpenſationem hanc concederet; quia cederet in grave damnum ſuccedentium in hæreditatem.

Ex ea arguit contrà Sanchum. Nam ſi ea hæreditas non eſſet devolvenda ad alios ſucceſſores, niſi ex ſuppoſitione conditionis legis Eccleſiaſticæ, impedientis valorem Matrimonii, & legitimitatem, quâ poſitâ ea hæreditas devolveretur ad filium, Pontifex quæ poteſt eam legem & conditionem, quæ tacitè inerat, tollere, non videtur peccare contrà jus quæſitum aliorum; quia ſi in jure aliorum quæſito ſemper ineſt ea conditio tacita, non videtur fieri contrà jus aliorum, eo ipſo, quòd conditio non exiſtat; conditio autem non exiſtit eo ipſo, quòd Pontifex tollit legem Eccleſiaſticam pro illo caſu, & vult, ita res ſe habere, ac ſi à principio talis lex non ſubſtitiſſet.

72. Unde ſi lex à principio non ſubſtitiſſet, non fuiſſet devoluta hæreditas aut jus ad illam ad alios hæredes, præter illum filium. Quòd ſi fuit ad illos devolutum, ſemper fuit ſub conditione, quo filius non eſſet capax; nunquam tamen adquiſiverunt jus ad incapacitatem filij, id eſt, ad hoc, ut filius non fiat capax, ſed tantùm ad hoc, quod ſi filius non ſit capax, ipſi habeant hæreditatem. Quando autem quis habet jus ad aliquam rem ſub poſitione alicujus conditionis, non eo ipſo habet jus ad ipſam poſitionẽ conditionis.

Probat à ſimili. Sicut enim v. g. ſecundo natus habet jus ad ſuccedendum in Majoratu, ſuppoſitâ incapacitate majoris natu ob Profeſſionem ſolemnem; non tamen eo ipſo habet jus ad hoc, quòd ſemel poſita talis conditio, per validam diſpenſationem non tollatur (ſemper enim devolutio Majoratûs ad ſecundum, habet inſitam conditionem, ſi non ſit alius primò natus & capax) ſic in noſtro caſu alii conſanguinei patris, non eo ipſo, quòd habeant jus ad hæreditatem ſub conditione, ſi filius non ſit capax, habent jus ad hoc, ut ſemel factus incapax, non fiat capax; ſemper enim devolvitur ad illos hæreditas, ſub tacitè inſitâ conditione, ſi non ſit aliquis filius capax. Quòd autem ſit vel non ſit capax, extrà eorum jus eſt, & qui faciet illum capacem, nihil contrà eorum jus faciet. Uſque adhuc præfatus Auctor.

73. Nec adeò malè, ſi verum eſt, quòd hæreditas non devolvatur abſolutè ſeu pro perpetuo; ſed tantùm pro illo tempore, quo illegitimus non fuerit legitimatus. Enimverò ſic non major culpa erit in hoc caſu diſpenſare ſinè cauſa, quàm in alio quolibet, ubi ex diſpenſatione nulli obvenit aliquod damnum: quia juſtum damnum, & nullum damnum, pari ambulant paſſu, quando juſtum damnum nequit evitari ſinè gravi alterius incommodo, ut fit in noſtro caſu; quia illegitimi grave incommodum eſt carentia hæreditatis, cujus licèt nullum habeat jus de facto, tamen capax eſt, ut per diſpenſationem Pontificis jus acquirat. *Nec adeò malè, ſi hæreditas non devolvatur abſolutè.*

74. *Dubium eſt, an ſic fiat.* Cæterùm, an hæreditas ſolùm devolvatur ſub illa conditione, valde dubito, quia nullum habemus expreſſum jus, quo illa devolutio conditionalis ſeu temporalis ſtatuatur; & ſequeretur indè, quòd talis hæres bona hæreditaria non poſſet alienare, niſi cum obligatione reſtituendi, caſu quo illegitimus à Pontifice legitimaretur, quod videtur ſatis abſonum, & maximum inconveniens. Vel ſi dixeris, poſſe abſolutè alienare, jam videtur eſſe abſolutus dominus, & non tantùm temporalis ſeu ſub conditione.

Vbi nulla fuit radix Matr. non poteſt Pontifex diſpenſare. Plura de hac diſpenſatione indirecta ſeu in radice videri poſſunt apud Sanchez & Dicaſtill. diſput. ſup. citatis. Breviter dico: ubi nulla fuit radix Matrimonii, quia nullum præceſſit Matrimonium, ſaltem in figura, vel certè, ubi irritum fuit propter aliquod impedimentum juris naturalis aut divini, liquet profectò, Pontificem non poſſe diſpenſare indirectè ſeu in radice; cùm nequeat radicem tollere, ut clarum eſt; quoniam nec poteſt ponere conſenſum Matrimonialem, nec in impedimento diſpenſare.

75. *Impedimentum dirimens ſuperveniens fornicationi non facit prolem ſpuriam.* Enimverò, quando proles habita fuit, nullo præcedente Matrimonio irrito, ſed ex concubitu fornicario inter perſonas, inter quas tempore conceptûs, vel nativitatis filij poterat eſſe legitimum Matrimonium, etiamſi poſteà ſuperveniat impedimentum dirimens, adhuc ille filius eſt illegitimus quidem, non tamen ſpurius, ſed naturalis. Unde ſi poſteà Pontifex diſpenſet in impedimento, & Matrimonium legitimè fiat, filius aſſequetur pleniſſimam legitimationem, non ſecùs, atque ſi natus ſuiſſet præcedente legitimo Matrimonio; quia ſic leges etiam civiles diſponunt.

Quid ſi Papa in illo impedimento diſpenſet? Tunc autem non provenit proximè legitimatio ex diſpenſatione Pontificis, ſed ex vi Matrimonii, radicaliter tamen & indirectè provenit ex diſpenſatione, quatenùs ſi Pontifex non diſpenſaſſet in impedimento, non fieret legitimum Matrimonium; atque adeò nec legitimus filius. Si verò (inquit Dicaſt. ſup. n. 28.) poſt natum filium ex illicito concubitu, & nullo exiſtente Matrimonio, velit Pontifex diſpenſare cum tali filio, poterit quidem quoad Eccleſiaſtica & ſpiritualia illum legitimare; quoad temporalia verò non poterit facere de illegitimo legitimum; poterit tamen facere de ſpurio naturalem, ac proinde facere eum capacem eorum omnium, quorum capaces ſunt filij naturales.

76. *An Papa possit de spurio facere naturalem.*

Quod sic probat n. 29. quia tota ratio ob quam ille filius erat spurius, est; quia non poterat intercedere Matrimonium inter parentes, eò quòd interveniſſet impedimentum dirimens jure Eccleſiaſtico, ut ſupponimus: atqui Pontifex ſicut poteſt in hac ſententia tollere legem Eccleſiaſticam, inducentem impedimentum Matrimonii, retrotrahendo diſpenſationem ad tempus illius Matrimonii attentati, & invalidè initi, ſolumque habentis figuram Matrimonii, & ablatâ eâ lege, cenſetur indirectè legitimari filius, qui propter legem non fuerat legitimus: ita ſimiliter diſpenſando in eodem impedimento juris Eccleſiaſtici, & retrotrahendo diſpenſationem ad tempus ſuſcepti filii nati ſpurii, & ablatâ eâ lege, cenſetur indirectè fieri naturalis filius, qui propter talem legem non fuerat naturalis, ſed ſpurius. Sic ille. Nec immeritò; quia in utroque caſu militat eadem ratio, ſcilicet poteſtas diſpenſandi in impedimento.

77. *Princeps ſæcularis non legitimat ad effectus Eccleſiaſticos.*

Et hinc, quia Princeps ſæcularis nullam hodie habet poteſtatem diſpenſandi in impedimentis dirimentibus, Eccleſiâ ſibi ſoli reſervante hujuſmodi impedimenta, tam quoad conſtitutionem, quàm abolitionem; hinc, inquam, fit, ut nullâ ratione poſſit legitimare prolem, habitam ex Matrimonio irrito ad effectus Eccleſiaſticos; quia id directè non poſſe, conſtat defectu juriſdictionis ſpiritualis, cujus eſt hoc; neque indirectè ſeu in radice; quia nequit eam tollere, ut jamjam diximus.

78. *Poſſet, niſi Eccleſia illi interdixiſſet ponere impedimenta, ex Sanchez.*

At id poſſet (inquit Sanchez ſup. n. 11.) ſi Eccleſia non interdixiſſet illi, impedimenta dirimentia Matrimonium ſtatuere, & Matrimonium eſſet irritum ob ſolum impedimentum, lege illius ſtatutum. Quia cùm eamdem habeat poteſtatem in leges ſæculares, ac Pontifex in Eccleſiaſticas, ſicut hic poteſt Eccleſiaſticos abolere, quoad effectus omnes inde ſecutos; ita quòque ille poterit idem circà leges ſæculares. Ita Sanchez.

Quæ enim diſparitas? An fortè, quòd lex Eccleſiaſtica, inducens hujuſmodi effectus, ſit ſuperioris ordinis, & per conſequens ipſi effectus extrà poteſtatem ſæcularem? Sed hoc tantùm probat, quòd Principes ſæculares non poſſint eos tollere directè ullo caſu; tametſi Pontifex aliquo caſu poſſit tollere directè effectus legis ſæcularis, eò quòd poteſtas ejus prædominetur poteſtati civili. Porrò hoc prædominium non officit abolitioni indirectæ ſeu in radice Matrimonii; quippè hæc abolitio tantùm importat juriſdictionem in materia civili, ſcilicet impedimento Matrimonii juris tantùm civilis, quo ſublato, eodem modo ceſſant effectus Eccleſiaſtici, quo ceſſant effectus civiles, ſublato per Pontificem impedimento Eccleſiaſtico.

79. *An in dubio de impedimento naturali, poſſit Pontifex legitimare? Affirmat*

Sed quid ſi dubitetur, an extiterit impedimentum juris naturalis (v. g. defectus conſenſûs) vel non extiterit? Sanchez ſup. n. 10. ait: Poſſet Pontifex in radice Matrimonii diſpenſare. Quæ doctrina (inquit Dicaſt. ſup. n. 34.) difficultate non caret; nam ſi reverà adfuit tale impedimentum, reverà poteſtas Pontificis non ſe extendit ad id, ſi verò non adfuit, Matrimonium validum eſt, & filius legitimus. In caſu autem dubii poteſt quidem & meritò Pontifex decernere, quòd filius habeatur pro legitimo, ne ſcilicet ſubjaceat pœnis, aut inhabilitatibus certis, pro incerta cauſa; non tamen poteſt facere, ut certò ſit legitimus, tollendo dubium ſpeculativum; quia ſemper in tali caſu (ut caſus ipſe ſupponit) manet dubium, an adfuerit impedimentum. Quòd ſi adfuit, certum eſt, Pontificem non poſſe facere illum ſic legitimum. Hæc præfatus Auctor. *Sanchez. Dicaſt.*

80. *Explicatur doctrina Sanchez.*

Et fortè nihil aliud voluit Sanchez, quàm Pontificem poſſe eum ſic facere legitimum in ordine ad praxim, eſtò nequeat tollere dubium ſpeculativum. Sic quando in pari cauſa, ſeu dubio, judicatur pro poſſidente, juxtà Reg. 65. de Reg. juris in 6. *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis*, non eſt neceſſe, quòd tollatur dubium ſpeculativum, ſed tollitur dubium practicum; id eſt, dubitans æquè poteſt operari, ac ſi reverà certus eſſet.

Et conſimiliter in caſu præſenti, cùm Pontifex ſit in poſſeſſione ſuæ poteſtatis indirectè legitimandi, quando non extitit impedimentum naturale; in dubio de exiſtentia, non debet ſpoliari ſuâ poteſtate; ac proinde eâ utetur, ac ſi certus foret, non extitiſſe, & illegitimus ſic legitimatus ſic operabitur, ac ſi reverà foret legitimus, quàmvis alioquì dubium ſpeculativum perſeveret.

81. *An conjuges in tali dubio ſint ſeparandi.*

Quare etiam, ſi hi conjuges cœperunt bonâ fide poſſidere, exiſtimantes, ſe habuiſſe verum conſenſum, tametſi poſteà ſuperveniat dubium, idque pelli non poſſit; equidem permittendi ſunt cohabitare, juxtà d. Reg. Si verò nunquam cœperunt bonâ fide poſſidere, ut contingit in noſtro caſu (alioquin non eſſet neceſſaria legitimitas: nam ſola bona fides alterius parentis ſufficit, ut filius ſit legitimus) videntur ſeparandi (inquit Dicaſt. ſup. n. 36.) tum; quia in dubiis, quando non favet poſſeſſio, tutior pars eſt eligenda; tum; quia (licèt hoc non careat difficultate) tunc etiam poſſidet lex naturalis prohibens vel copulari, jure naturali impediente, vel exponere ſe periculo ſic faciendi: hæc enim lex ſemper viget. Sic ille. *Videtur Dicaſt. quòd ſic.*

Atque adeò conjugum eſt, probare, ſe validè contraxiſſe, antequam poſſint copulari, cùm copula non concedatur, niſi veris conjugibus. Nequeunt autem hi eſſe veri conjuges, ſi reverà ſubſit impedimentum naturale.

82. *Contrà arguitur.*

Sed contrà facit; quòd in dubio præſumendus ſit valor Matrimonii, exteriùs contracti, non obſtante dictâ lege naturali; adeoque non videntur ſeparandi, donec impedimentum fuerit certum; alioquì periculum eſt, privandi conjuges ſuo jure; ut proinde ſeparationi obſtet lex juſtitiæ, cùm tamen copulationi ſolùm officiat lex caſtitatis, quæ inferior eſt. Ecce difficultas, quæ non eſt hujus loci, & ideò ſolutionem differemus uſque in proprium locum, ubi de uſu Matrimonii, cujus valor eſt dubius.

Ad propoſitum noſtrum impertinens eſt, an debeant

debeant separari, an verò possint copulari; quia quidquid dixeris, Pontifex poterit decernere, quod filius habeatur pro legitimo, & ipse se poterit gerere pro legitimo. Siquidem hæc declaratio non innittitur ablationi prioris impedimenti dirimentis, ut valeat nunc Matrimonium; quia si reverà consensus defuit, non potest valere vi prioris contractûs; imò id de novo validè inire, nihil prorsus ad hoc confert; sed tantùm innititur revocationi legis Ecclesiasticæ, si quâ fortè prius Matrimonium irritum fuerat, aut certè impedimenti naturalis incertitudini.

83. *Quando Papa censeatur dispensare in radice Matr. ex Sanchez.*

Si autem à me quæritur, quando censeatur Pontifex in radice Matrimonii dispensare? Respondeo citiùs cum Sanchio sup. n. 22. Si Pontifex explicaret, se dispensare in Matrimonio irritè contracto, ut ex tunc, id est, ut ab initio contractûs legitimum censeatur; non dubium, quin tunc censeatur in Matrimonii radice dispensare, ac consequenter legitimare prolem quoad omnia, etiam in terris non subjectis temporaliter ipsi. Quia clarioribus verbis suam mentem dispensandi in Matrimonii radice non potuit explicare. Sic enim dispensare nihil aliud est, quàm dispensare in Matrimonio, ut ex tunc.

Quare idem esset, si diceret, se dispensare in eo Matrimonio irrito, ut ex tunc; nam hæc particula, *Ex tunc*, alium sensum habere non potest, & hoc non accepto superflua esset. Et ita fatentur omnes Doctores, inquit Sanchez sup. in fine.

84. *An sufficiat hæc clausula: Ut non obstante &c.*

Controvertitur porrò inter ipsos, an sufficiat hæc clausula apponi solita, juxtà stylum Curiæ, nempè: *Vt, non obstante impedimento, Matrimonium inter se contrahere liberè & licitè valeant, auctoritate nostrâ dispenses, prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam, legitimam decernendo.*

Negat Sanchez, si nullum Matr. præcesserit.

Negat Sanchez sup. n. 14. hìc dispensari in radice, nec ut proles antè dispensationem susceptа sit legitima quoad temporalia; sed solùm quoad spiritualia, etiam in locis temporalis jurisdictionis Pontificis; eo salvo, ut nullum initum fuerit Matrimonium.

Patet ex sup. dictis: quia non potest dispensari in radice Matrimonii, ubi nullum præcessit Matrimonium, saltem in figura. Neque legitimat Pontifex quoad temporalia, quando non dispensat in radice, nisi quatenùs Dominus temporalis est. Porrò hæc clausula communis est omnibus dispensationibus, etiam eorum, quorum non est Dominus temporalis.

85. *Imò tametsi initum fuisset.*

Atque ut initum fuisset Matrimonium, non est credendum (inquit Sanchez sup. n. 23.) velle Pontificem rem tanti momenti, & adeò raram, effiecre per clausulam tam generalem, & in omnibus hujusmodi dispensationibus apponi solitam, & etiam, quando nullum præcessit Matrimonium.

Solvitur objectio.

Si dixeris: utraque proles æquiparatur; sed suscipienda legitimatur in omnibus; ergò etiam susceptа. Respondet Sanchez sup. minus inconveniens est, eam æquivocationem & disparitatem admittere, cùm ratio urgens, & maxima inter utramque prolem disparitas hæc suadeat; quàm rem tam arduam, in verbis generalibus claudi admittere. Et argumentum ab adæquatis fortè est, ubi non invenitur diversa ratio in utroque.

86. *Quæ hìc sit diversitas inter prolem susceptam, & suscipiendam.*

Rogas: quæ sit hæc diversa ratio? Respondet Sanchez sup. n. 16. Suscipienda proles legitimatur ob verum Matrimonium, ex quo nascitur, & ita quoad omnia: at susceptа, ex vi solius illius dispensationis.

Hinc etiam oritur alia disparitas inter has proles; putà si Ordinarius vel Confessarius dispenset in impedimento, & non explicuit, se quòque dispensare, ut proles anteà habita sit legitima; ad nil legitimata manebit: secùs est de prole suscipienda post Matrimonium initum.

Probatur postrema diversitas.

Ratio patet ex dictis: quia proles post Matrimonium suscipienda est ex naturâ rei legitima, utpote quæ ex vero Matrimonio nascitur: at proles susceptа non legitimatur ex vi Matrimonii subsequentis, eò quòd est spuria, juxtà notata cap. *Tanta*, Qui filii sint. Legit. nec etiam ex vi præcedentis, cùm nullum intervenerit, aut certè invalidum. Quare solùm legitimatur ex decreto Ordinarii, vel Confessoris, cui ex æquo committitur, ut, repertâ precum veritate, dispenset in impedimento, & decernat prolem susceptam legitimam. Sicut ergò non manet dispensatum in impedimento, donec Ordinarius vel Confessor dispenset; sic nec in prolis illegitimitate; cùm in neutro dispenset Pontifex vel Pœnitentiarius; sed committat dispensandum, si preces veritate nitantur.

87. *Quid imè portet in d. clausula ly Decernendo.*

Quare ly *Decernendo*, in d. clausula capitur propriè pro decreto interponendo, respectu prolis susceptæ, & impropriè, pro declarando, respectu prolis suscipiendæ. Quod non est inconveniens; arg. cap. *Capitulum*, de Rescriptis, ubi Gloss. verb. *Relaxetis*, ait: *Vel dicas si vis: prædictas sententias relaxetis, ad cautelam quantùm ad illam sententiam, quæ lata fuit post appellationem, quæ legitima fuit, quantùm ad aliam, latam pro Callimacho, ubi appellatio non præcessit; tenetur propriè illud verbum*: Relaxetis: *Et sic propriè & impropriè simul illud tenetur.* Ergò nihil obstat, quin etiam in casu nostro illud verbum: *Decernendo*, simul teneatur propriè & impropriè, respectu scilicet diversorum.

88. *Quid si dispensans omiserit decernere prolem legitimam? Poterit postea id facere, ex Sanchez.*

Quid ergò, inquis, si Ordinarius vel Confessor, qui dispensavit in impedimento, omisit decernere prolem susceptam legitimam? Poterit (inquit Sanchez sup. n. 17.) id decernere quandocumque, durante ejus officio. Quòd nondum officio plenè functus fuerit, partem sibi commissam omittens. Quòd si jam ille deposuerit officium, vel obierit, vel absens fuerit, successor in officio poterit exequi. Sicut si cœptâ causæ cognitione, id contigisset: quòd ea commissio non personæ, sed tribunali Vicarii Episcopi commissa sit.

Imò posset alius Confessarius Magister in Theologia, vel Doctor in jure Canonico, ex approbatis ab Ordinario, adiri, quàmvis prior, qui dispensavit in impedimento, consuli possit.

Quàm-

Quàmvis secùs sit in Ordinario. Quia Ordinarius, cùm sit judex in foro externo, semel cœpto judicio, ita manet Iudex, ut alius adiri nequeat, nisi successor in officio sit. At cùm Confessarius sit Iudex in foro conscientiæ, quàmvis cœperit jurisdictione uti, potest adiri alius. Atque duo possunt datâ operâ à diversis peti. Sicut dum virtute Bullæ, vel Iubilæi, conceditur Confessario potestas absolvendi à reservatis, & commutandi vota, potest pœnitens quemdam Confessarium adire, ut à reservatis absolvat, & alium, ut vota commutet. Hactenùs Sanchez.

89. *Quid sentiat Dicast. de hac concessione.* Nunc loquatur Dicastillo: probabile (inquit) judico, in ea concessione fieri legitimationem illam indirectam quoad temporalia, non quidem ex eo, quòd Pontifex dispensaverit in radice Matrimonii; quia nullum fuit prius adhuc invalidè initum, ut supponimus; sed quia dispensatione suâ Pontifex potuit facere, censeturque fecisse filium de spurio naturalem, antecedenter ad Matrimonium parentum. Quia scilicet, potest Pontifex dispensare in radice retrotrahendo dispensationem ad tempus habitæ copulæ, vel susceptæ prolis, non minùs, quàm ad tempus initi seu attentati Matrimonii invalidi. Nam idem ipsum impedimentum, quod fuit in causa, ut Matrimonium illud esset nullum; atque adeò, ut proles illa tunc susceptа fuisset illegitima, etiam fuit causa, ut inter tales parentes non potuerit intercedere Matrimonium legitimum; atque adeò, ut proles susceptа fuerit spuria & non naturalis.

Vnde sicut dispensando in Matrimonio, & supposito illo Matrimonio nullo, per dispensationem tollitur damnum illegitimitatis, & censetur proles indirectè per talem dispensationem legitimata, etiam quoad temporalia; eâdem ratione per eamdem dispensationem censebitur proles (ut sic dicam) naturalizata quoad temporalia, & ablata esse damna spureïtatis, ut sic etiam loquar. Hæc ille.

90. *Subsumit Auctor,* Subsumo ego: atqui per d. clausulam, etiam præcedente Matrimonio invalido, non censetur, secundùm Sanchez sup. ut audivimus, proles legitimata quoad temporalia; quia nimis generalis est: ergo etiam non censebitur naturalizata quoad temporalia, vel assignetur ratio disparitatis.

Et subscribit Sanchio. recedens à Dicast. Scio Dicast. oppositum tenere, etiam quantùm ad legitimationem; sed non respondet argumento Sanchii, sup. allegato. Et ideò ab eo recedimus, & huic subscribimus. Præsertim cùm dispensatio sit odiosa, utpote læsio seu vulneratio juris, atque adeo strictè interpretanda, juxtà cap. 1. de filiis Presbyt. in 6. circà fin. ibi: *Quam* (dispensationem ad beneficium) *exorbitantem à jure, oportet veluti odiosam restringi.* Non igitur trahenda ultrà id, quod termini exigunt, ut ea clausula quidpiam operetur. At quô d. clausula aliquid operetur, non desideratur, ut dispensatio retrotrahatur; sed satis est, quòd à die dispensationis impedimentum auferatur, nisi adjatur particula: *Ex tunc*, vel æquivalens, per quam expresè Pontifex significet, se retrotrahere suam dispensationem ad tempus habitæ copulæ, vel susceptæ prolis, aut Matrimonii invalidi.

Dispensatio est restringenda.

91. *Quid si Papa det licentiam in illo Matr. perseverandi.* Hinc etiam non sufficit, ut Pontifex dispenset in Matrimonio irrito, concedens licentiam permanendi seu perseverandi in illo. Ita Sanchez sup. n. 25. dicens: Credo, per eam clausulam non solùm non dispensari in radice Matrimonii, verùm existimo, nec prolem aliquo modo legitimari, etiam quoad spiritualia, licèt illius mentio fiat.

Probatur non sufficere, ex Sanchez. Ducitur: quòd nullum verbum in ea clausula sit ad prolis legitimationem pertinens, nec Matrimonii radicem respiciens, ut in consequentiam legitimetur proles: sed ea verba ad meram in impedimento dispensationem referantur, ut eo sublato liceat imposterùm conjugibus in priori Matrimonio permanere, non eo modo quo initum est, sed præstito novo consensu, vel tacitè vel expresè.

92. Cujus signum est; quòd in dispensatione Pontificia, eis verbis utenti, addita sunt hæc verba, quæ in originali ego (inquit Sanchez) vidi: *Seu, si vobis videbitur, illud de novo contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare valeatis.* Quasi detur electio, dicto priori modo secreto (putà, per copulam affectu maritali) aut publico, contrahentibus consentiendi iterùm, ac perficiendi prius Matrimonium.

Confirmatur. Et confirmatur; quia cùm Pontifex utatur verbo dispensationis, res est stricti juris, nec trahenda ultrà id, quod termini exigunt, ut ea clausula quidpiam operetur. Hæc ille. Cùm tamen disp. 1. n. 33. docuisset, legitimationem seu dispensationem illegitimi ad Ordines, non odiosam, sed favorabilem esse, contrà Felinum, idque ob filiorum favorem: & quia præjudicium aliorum, ad quos hæreditas pertinet, jura parvipendunt: cùm talis spes sit potiùs jure odiosa, l. *Post emancipationem*, ff. de Legat.

93. *Oppugnatur Sanchez.* Sed & Aliqui apud Sanchez sup. disp. 7. n. 24. Licentia, inquiunt, permanendi in eo Matrimonio jam contracto, confirmat implicitè illud; aliàs concederet Pontifex, contrà jus divinum naturale, permanere in Matrimonio irrito. Ergò ea dispensatio retrò respicit Matrimonii initium: sicut quando ipsummet Matrimonium legitimat & prolem, quo casu, etiam secundùm Sanchez sup. n. 28. censetur dispensatum in radice Matrimoniij.

Quia (inquit Sanchez) hoc nihil aliud sonat, quàm id Matrimonium ratum habere ac approbare, quasi ab initio absque aliquo impedimento esset contractum. Idem enim est, legitimum efficere id Matrimonium & prolem, quàm approbare à sui initio, eo modo, quo subest Pontificiæ potestati, cujus est id approbare, retrotractâ dispensatione ad sui initium & radicem. Sic ille.

94. *Defendit se.* Qui ad d. argumentum Adversariorum respondet sup. n. 26. Non concedit Pontifex, permanere in eo Matrimonio, quasi illud approbans; sed habito novo consensu, tacito vel expresso post dispensationem.

Rursùs impugnatur. Sed quæro ego: quando Pontifex ait: *Legitimamus*

gitimamus Matrimonium & prolem, nonne licitum est in eo permanere, absque novo consensu? Minimè, inquis. Nunquid per hæc verba conceditur potestas perseverandi in eodem Matrimonio, habito novo consensu? Planè, reponis. Cur ergò potiùs per hæc verba; quàm præcedentia, dispensat Pontifex in radice Matrimonii?

Definditur. Respondetur: quia hæc verba non petunt novum consensum, ita ut legitimatio valeat, tametsi parentes vel obierint, vel nolint de novo contrahere. At verò præcedentia verba exigunt novum consensum, sinè quo non possunt perseverare. Unde si conjuges obiissent, aut nollent perseverare, habito novo consensu, nulla foret legitimatio prolis.

95. *Quando cesset legitimatio prolis non secuto Matr.* Eo utique modo, quo cessat legitimatio prolis, non secuto Matrimonio, quando Pontifex dispensavit in impedimento, concedens licentiam contrahendi, & prolem legitimandi. Quia (inquit Sanchez sup. n. 15.) in favorem Matrimonii, inter parentes prolis ineundi, concessit Pontifex eam legitimationem, nullatenùs aliàs concessurus. Nulla enim alia ratio, justam reddens hanc legitimationem, occurrit. Ergò illa legitimatio facta per Ordinarium, vel Confessorem, pendet à Matrimonio posteà ineundo, & illo non inito, cessat, quasi cessante causâ. Hæc ille.

Igitur dum Pontifex dispensat in Matrimonio irrito, concedens licentiam permanendi seu perseverandi in illo, idem est ac si concederet licentiam de novo contrahendi. At verò dum legitimat Matrimonium, & prolem, declarat, se habere illud pro legitimo à sui initio; auferendo pro tunc impedimentum, quod erat. Clariùs autem id diceret, si adderet particulam: *Ex tunc.*

An sufficiat ad dispensationem in radice, quòd Papa legitimet Matr. & prolem.

Et sic Aliqui putant apud Sanchez sup. n. 27. nisi eam addat, non censeri dispensatum in radice Matrimonii, quod hoc verbum: *Legitimamus*, possit referri ad legitimationem, ut ex nunc, & ut ex tunc, & non sit ratio cogens, ut censeatur legitimatio prout ex tunc.

96. *Affirmat Sanchez.* Et reverà Sanchez sup. n. 28. quàmvis oppositum doceat; tamen non videtur adducere aliquam rationem cogentem. Imò admittit illa verba non sufficere: *Legitimamus Matrimonium*, quòd non sint aperta, & possint intelligi de legitimatione, ut ex nunc; & ideò oportet legitimationis quoque prolis mentionem fieri, ut vel sic (inquit) jure optimo conjectetur, voluisse Pontificem, plenissimam in Matrimonii radice legitimationem facere.

At peto ego: cur etiam hæc verba: *Legitimamus Matrimonium, & prolem*, non possent intelligi de legitimatione, ut ex nunc? Expectabo responsionem.

97. *Consonat Dicast.* Audio dicentem Dicastillonem sup. n. 46. Videtur eo ipso quòd explicat se dispensare cum prole, ut legitima fiat, dispensare etiam in eo, quod requiritur ut plenè sit legitima; nam, ut omittam, quòd Beneficium Principis sit amplè interpretandum, quando res patitur; etiam ex alio capite mihi videtur, prædictam prolem legitimare plenè; scilicet dispensando cum prole, & habilitando parentes ad Matrimonium, censetur ipsam prolem naturalizare, tollendo scilicet radicem spureitatis, & constituendo illam in statu filii naturalis; ad id enim videtur se extendere dispensatio eò ipso, quòd cum prole vult dispensare. Semel autem naturalizatâ prole, non est necessarium recurrere ad dispensationem in radice Matrimonij: nam per solum Matrimonium subsequens legitima fiet. Sic ille.

Oppugnatur ab Auctore. Ego autem, ut omittam beneficium Principis non esse amplè interpretandum, quando est contrà jus, & cedere potest in præjudicium tertii, dico: *Videtur mihi*, solvitur per, *Non videtur mihi*, & si ipse dicendo: *Videtur mihi*, satis probavit hanc doctrinam, alius dicendo: *Non videtur mihi*, sat eam reprobavit. Ostendere debet Dicastillo, Pontificem dispensando cum prole & habilitando parentes ad Matrimonium, hoc ipso eam prolem naturalizare.

98. Nec hoc tantùm, sed etiam dispensationem illam, & habilitationem, necessariò intelligendam esse, ut ex tunc, & non posse intelligi, ut ex nunc. Quippè si intelligatur ut ex nunc, liquet dispensationem esse in radice spureitatis; nam hæc radix erat impedimentum, ut ex tunc, quando proles suscepta & nata fuit. Si ergò, dicet aliquis, non tollitur istud impedimentum prout ex tunc, sed tantùm prout ex nunc, jam proles, tantùm naturalizatur, ut ex nunc, & ita permansit spuria, & pro tali habenda est toto tempore, ante dispensationem.

Illatio.

Plura de hac controversia qui voluerit, poterit invenire apud Sanch. & Dicast. Disp. jam allegatis; hæc nobis sufficient pro aliquali cognitione, si non pro omnimoda penetratione, & plena satisfactione omnium difficultatum.

Sed nunquid quæ Pontificis, eadem est ratio Episcopi, ut & ipse possit dispensare in radice Matrimonii? Solutio patebit ex sequenti Conclusione, quæ talis est.

CONCLUSIO III.

Episcopus ordinariè non dispensat in impedimentis dirimentibus, nisi fortè in defectu pubertatis. Extraordinariè dispensat pro foro conscientiæ, quando impedimentum est occultum & urget gravis necessitas, neque Papa facilè aditi potest, etiam ante Matrimonium contractum.

99. *Inferior posse non dispensat in gr. Superioris, per cap. 2. de Elect. in 6.* CLemens V. in Concilio Viennensi (& refertur c. 2. de Elect. in 6.) ait: *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest.* Atqui impedimenta dirimentia, quæ hodie extant, omnia sunt jure communi inducta, adeoque sunt leges Pontificiæ: ergò in ipsis nequit Episcopus dispensare ordinariè, ubi id ei specialiter à jure communi non conceditur.

Siquidem Clemens. V. non tantùm loquitur de abrogatione seu irritatione totius legis, sed etiam de quacumque partiali immutatione; imò expresè de dispensatione: nam sequitur: *Opinionem astruere (sicut accepimus) satagentem, quòd constitutio felicis record. Greg. Papæ X. prædecessoris nostri circà electionem præfatam edita in Concil. Lugdun. per cœtum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ (ipsâ vacante) modificari posit, corrigi vel immutari, aut quidquam ei detrahi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circà ipsam, seu aliquam ejus partem, aut eidem etiam renuntiari per eum, tanquam veritati non consonam, de Fratrum nostrorum consilio reprobamus*, Scilicet, quia lex Superioris per inferiorem tolli non potest.

100. *Probatur ex ratione.* Atque hæc est communis sententia fundata in natura rei, rectitudine scilicet gubernationis, quæ postulat subordinationem potestatum, rescribente Greg. 9. Archiepis. Colocen. aliàs Colonien. cap. 6. de Majorit. & obed. *Cùm inferior Superiorem solvere nequeat vel ligare; sed Superior inferiorem liget regulariter & absolvat: & satis absonum videatur, ut filius potestatem habeat in parentem.*

Et Episcopus in Pontificem, à quo immediatè accipit omnem suam jurisdictionem: vel si à Deo, ut Aliqui volunt, non nisi cum subordinatione ad Papam, qui potest ipsum suâ jurisdictione privare, potest eam limitare &c. Iam autem, si posset dispensare in lege Pontificis, eo invito seu non consentiente, ipse quodammodò limitaret jurisdictionem Pontificis, eam impediendo à suo effectu in particulari materia: nam & legislatio & dispensatio sunt actus jurisdictionis. Igitur ex natura rei inferior nequit dispensare in lege Superioris, nisi de expressa vel tacita ejus concessione.

Sed neque ex jure positivo, quod potiùs est in contrarium, ut patet ex dictis. Et optimum argumentum est: quia quando jura volunt concedere hanc potestatem inferiori, id declarant, vel per aliquam clausulam generalem, vel in aliquo casu speciali, de quo lex loquitur.

101. *Probatio ex Concil. Trid.* Enimverò si inferior ex vi officii sui posset dispensare in lege Superioris, ad quid Concil. Trid sess. 24. de Reform. c. 6. ait: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus &c. dispensare?* An fortè solùm loquitur de irregularitatibus & suspensionibus expresè reservatis Pontifici? *Omnibus*, inquit, & subdit, *Et in quibuscumq; casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes*, &c. *absolvere.*

Certum est, multas existere irregularitates, suspensiones &c. quæ non possunt ab Episcopis dispensari, de quibus non invenitur specialis prohibitio; sed ideò tantùm, quia non inveniuntur concessæ. Ergò signum est, requiriri concessionem explicitam vel tacitam, præter officium, ut inferior possit in lege Superioris dispensare.

102. *Objectio. Solvitur ex Suario. 1.* Si objicias axioma illud: *Episcopus potest in suo Episcopatu, quidquid Papa in Ecclesia, nisi prohibeatur*: Respondet Suarius de Legib. lib. 6. c. 14. n. 6. Nullo jure fundatum est, & in rigore censeo esse falsum, nisi multis modis limitetur. Nam in primis, supponit Episcopos habere ex jure divino absolutam & universalem jurisdictionem intrà suas Diœceses, limitabilem tamen à Summo Pontifice. Ego verò existimo immediatè habere ab ipso Summo Pontifice, ad quem etiam spectat gradum & modum illius jurisdictionis definire.

Secundò. Deinde: multa sunt, quæ potest Papa in universa Ecclesia, quæ in rigore nunquam potuerunt Episcopi, saltem eo modo, quo illa potest Pontifex; v.g. committere Presbytero ministerium Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, saltem quoad minores: dispensare in Matrimonio rato non consummato, vel in voto solemni: concedere Indulgentias absolutè pro vivis & defunctis, usque ad plenariam remissionem: instituere censuras, approbare Religiones, canonizare Sanctos eo modo, quo à Pontifice fit.

103. *Tertiò.* Denique: si in aliquo sensu id tolerari potest, solùm est quoad ea, quæ pertinent ad ordinariam potestatem, & gubernationem moraliter necessariam vel convenientem ad salutem animarum, & considerando potestatem Episcoporum, priusquàm Pontifex aliquid agendum statuat vel prohibeat; sic enim intelligitur Episcopus habere in tota sua Diœcesi totam potestatem; quia ex vi muneris conceditur, & ut sic spectata non habet undè limitetur. Postquam verò Pontifex aliquid particulare per suam legem præscribit aut prohibet, eo ipso excipit illud ab ordinaria jurisdictione inferioris. Et ideò, nisi aliunde ei concedatur potestas dispensandi, non habet illam ex vi solius ordinariæ potestatis.

Quartò. Denique dici potest; legem ipsam eo ipso, quòd Superioris est, secum afferre prohibitionem, ut nullus inferiorum audeat in eam falcem mittere, nisi ei concedatur; neque præter hanc virtualem & quasi innatam prohibitionem, alia formalis & expressa per se requiritur. Ita præfatus Auctor.

104. *Approbatur doctrina Suarij.* Quæ doctrina nobis placet, & juxtà eam procedit Conclusio nostra, quæ universim asserit, Episcopos ex vi solius ordinariæ potestatis non posse dispensare in impedimentis dirimentibus, cùm hæc omnia sint leges Pontificiæ, neque in jure communi reperiatur specialis concessio; nisi fortè, ut habet Conclus. in defectu pubertatis, de quo statim dicam.

Legatus Papæ non habet hic majorem potestatem quàm Episcopus. Tantùm præmitto; Legatum Pontificis non majorem in hac re habere potestatem, quàm Episcopus habeat; atque adeò non esse ei integrum in his impedimentis dispensare, ut docet Gloss. cap. *Quia circa*, 6. de Consang. verb. *A Sede Apostolica*, dicens: *Nota, quòd solus Papa potest dispensare circà gradus consanguinitatis, & non Legatus, sup. de transact. cap. ult. & 35. q. 3.* Quædam lex, & *cap.* Scripsit, 27. *q.* 2.

Occurritur objectioni. Nec obstat cap. 3. eod. ubi Legatus videtur dispensasse in gradibus consanguinitatis. Nam hæc dispensatio (ut ait Gloss. ibi verb. *Indulgentiam*) *de auctoritate speciali domini Papæ facta fuit, aliàs* (inquit) *non tenuisset, quia solus Papa in tali facto dispensat.*

105. Nunc quod attinet ad defectum pubertatis,

cap.

Probatur per c. 2. de Desponſ. impub. Epiſcopum poſſe diſpenſare in etate.

cap. 2. de Desponſ. impub. Nicol. Papa inquit: *Diſtrictius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem, legibus vel Canonibus determinatam, non pervenerint, conjungantur.* Ecce prohibitio. Sequitur poteſtas diſpenſandi: *Niſi forte aliqua urgentiſſimâ neceſſitate interveniente: utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Id eſt, diſpenſetur, ut communiter DD. intelligunt.

Sed à quo? An à ſolo Pontifice? Claret, quòd is poſſit diſpenſare. Ut ergò hæc verba fruſtranea non ſint, ſed aliquid operentur, cenſetur facultas diſpenſandi conceſſa Epiſcopo, juxtà hanc communem & receptam doctrinam: Quoties Canon aliquis permittit in eo diſpenſari, vel imperſonaliter de diſpenſatione loquitur, dicens: *Niſi in eo diſpenſetur*, nec explicat, à quo ſit diſpenſandum, cenſetur facultas diſpenſandi circà illum conceſſa Epiſcopo.

106. *Ratio communis doctrinæ.*

Ratio jam eſt inſinuata; quia cùm verba aliquid operari debeant, c. *Si Papa*, 10. de Privil. in 6. nec dubium ſit, poſſe Pontificem in eo Decreto diſpenſare, aut ſi ab ipſo diſpenſetur, nullam contrahi culpam, aut pœnam à contravenienti incurri, cenſentur ea verba intelligi, ut permittant Epiſcopo diſpenſare, vel, niſi ab Epiſcopo diſpenſetur, ne fruſtranea ſint. Maximè, cùm poteſtas diſpenſandi ſit ex ſe favorabilis, ac latè interpretanda, etiam dum non eſt clauſa in corpore juris, quanto magis, quando in eo clauditur, ut impræſentiarùm contingit.

Confirmatur ex duplici Gloſſ.

Appoſitè Gloſſ. cap. *In quibuſdam*, 12. de Pœnis, ubi cùm textus dicat, certos hæredes non poſſe aſſequi prælationis honorem, & ſubdat hæc verba: *Niſi cum eis miſericorditer fuerit diſpenſatum*, Gloſſ. inquam, verb. *Diſpenſatum*, ait: *Cùm non determinetur à quo poſſit diſpenſari, dicit Ioan. quòd Epiſcopus poteſt diſpenſare.*

Et eadem Gloſſa cap. *Poſtulaſtis*, 7. de Clerico excommunicato miniſt. ubi textus decidit, excommunicatos non poſſe retinere beneficia, ſubdens: *Niſi forſitan cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum*, verb. *Diſpenſatum*, inquit: *Non dicit à quo: ergò videtur relicta poteſtas diſpenſandi Epiſcopis.* Ergo ſimiliter in caſu noſtro, cùm non dicatur à quo, videtur relicta poteſtas diſpenſandi Epiſcopis.

107. *Quare addatur in Concluſ. ly Fortè.*

Rogas: ſi hæc ita ſe habeant; quare ergo addiderim in Concluſ. ly *Fortè*? Reſpondeo: quia Gloſſ. d. cap. 2. verb. *Conjungantur*, dicit, d. textum intelligi poſſe de ſponſalibus, ibi: *Vel intellige quantùm ad ſponſalia: & ideò prohibentur, quia ſæpè mutant poſteà voluntatem: undè propterea oritur diſcordia inter ipſos, & divertentes conſanguineis copulantur.* Plura de hoc textu diximus Sect. 10. Concluſ. 7. quæ ibi videri poſſunt.

Equidem interpretando eum textum de ſolis ſponſalibus, Epiſcopus non poſſet jure ordinario in eo impedimento diſpenſare; quia nullus alius textus affertur, in quo hoc ipſi conceditur. Interim verius eſt d. c. 2. etiam de Matrimonio tractare, & ſecundùm hunc intellectum Epiſcopus poterit diſpenſare.

Infero, dicet aliquis: ergò etiam poterit diſpenſare in gradibus prohibitis: ergò perperàm Concluſio excipit ſolum defectum pubertatis. Probatur prima Conſequentia: quia Trid. ſeſſ. 24. de Matr. c. 5. ait: *Si verò ſolemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod poſteà ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo & gratis diſpenſari poterit.* Non dicit à quo; ergo videtur relicta poteſtas diſpenſandi Epiſcopis.

108. *Objectio ex Trid.*

Solvitur ex Sanchez.

Reſpondet Sanchez ſup. diſp. 6. n. 19. Ex antecedentibus colligitur, totum illud Decretum cum Pontifice loqui, proponendo illi expedire, ut nunquam diſpenſet cum iis, qui malâ fide ſimilia inière Matrimonia: ſecùs quando bonâ fide. Adde: ſic quòque conſuetudine explicatum eſſe hoc Decretum.

109. *Arg. contrà.*

Si arguitur: ergò fruſtranea eſt prior pars illius Decreti, cùm nequeat Concilium poteſtatem Pontificiam reſtringere. Siquidem Concilium auctoritate Papæ congregatum, & ab ipſo confirmatum, paris eſt auctoritatis cum ipſo Pontifice: par autem in parem non habet imperium, cap. *Innotuit*, 20. de Elect. ibi: *Nobis tamen per eum ademptа non fuit diſpenſandi facultas, cùm ea non fuerit prohibentis intentio, qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt eum, imò eâdem poteſtate functuris, cùm non habeat imperium par in parem.*

Reſp. Aliquorum, ex Sanchez.

Aliqui dicunt (inquit Sanchez lib. 3. diſp. 45. n. 3.) ſi ex uſu, aut experientia, aut prudentia conſtaret, diſpenſationem in aliquo Decreto vergere in damnum Eccleſiæ, Concilium poſſe hoc declarare, & definire in eo, non niſi in tali caſu diſpenſandum eſſe: quia ad Concilium ſpectat, res ad fidem & mores ſpectantes definire: & eâ definitione & declaratione factâ, non poſſe Pontificem ex quacumque cauſa diſpenſare abſque culpa lethali; quàmvis diſpenſatio aliter facta valida foret, cùm ſit in jure humano. Et quòd peccet moraliter, probatur; quia Concilium in ea declaratione errare nequit, igitur talis diſpenſatio eſt pernicioſa Eccleſiæ, & ſubinde culpa lethalis.

110. *Pontifex diſpenſans in Decreto Trid. ſſ. 24. de Matr. c. 5. ſinè juſtiſſima cauſa, peccat lethaliter.*

Quare, juxtà hanc doctrinam, dicendum eſt, ſi in hoc caſu, in quo Trident. ſtatuit, clam contrahentes in gradibus prohibitis, ſpe diſpenſationis carere debere, Pontifex, abſque nova juſtiſſima cauſa emergenti, diſpenſaret, eum lethaliter delinquere: ſecùs ex tali cauſa. Quia licèt talis diſpenſatio frequens, ſit Eccleſiæ pernicioſa; at quando eſt rara, & ex cauſa juſta, non eſt talis.

Prætereà: in impetratione diſpenſationis talis impedimenti, neceſſariò exprimendum eſt Matrimonium ſic contractum, ne ſit ſubreptitia. Quia eo ipſo, quòd Concilium decernit, hoc contrahentes ſpe diſpenſationis carere debere, conſtituit, hujuſmodi Matrimonium impedimentum eſſe, ad diſpenſationem impetrandam; & conſequenter tacitè jubet illud exprimi. Denique: quia in Decretis Concilii nunquam eſt viſus Pontifex diſpenſare, niſi ſpecialem mentionem faciat. Hucuſque Sanchez.

111. *Quæ sit mens d. Decreti.*

Itaque in præfato Decreto non datur vel aufertur potestas Pontifici, quam ex officio suo habet; sed Concilium significat, quando conveniens sit vel non conveniens, illam dispensationem dari. Eò planè modo, quo idem Concilium sess. 25. de Reform. cap. 18. loquitur Pontifici & aliis Superioribus, quibus convenit dispensare, dicens: *Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaq; ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ & summâ maturitate, atque gratis à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterq; facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Trident.

112. *Trid. non opponitur nostræ Conclus. quæ satis constat ex praxi.*

Igitur Trident. non opponitur nostræ Conclusioni, quæ licèt ratione aut jure scripto non posset sufficienter probari, certè consuetudine, & praxi universalis Ecclesiæ receptissima est; cùm nullus Episcoporum soleat se intromittere dispensationi istorum impedimentorum, per se loquendo; quando scilicet patet aditus ad Pontificem, vel eum qui habet potestatem delegatam, & quando constat de impedimento.

Quid Episcopus possit in dubio, ex Em. Sa.

In dubio (inquit Em. Sa. verb. *Dispensatio* n. 1.) an res egeat dispensatione, potest Episcopus declarare, non egere, vel ad cautelam dispensare, secundùm quorumdam probabilem opinionem. Ubi non loquitur specialiter de dispensatione horum impedimentorum, sed generaliter de omni dispensatione.

113. *Ejus doctrinam distinguendam putat Sanchez. Prima pars.*

Quam utique doctrinam Sanchez lib. 8. disp. 6. n. 18. putat non omninò admittendam esse, sed sic distinguendam existimat. Si (inquit) omninò res sit dubia, an interveniat impedimentum, nec ne, nullâ opus est dispensatione: quia in hoc dubio præsumptio est pro libertate ad contrahendum. Atque posset tunc Episcopus gratiâ tollendi scandali declarare, non esse opus dispensatione, vel ad cautelam dispensare.

Sed credo, hanc non esse veram dispensationem. Et ideò, si posteà, etiam inito Matrimonio, constaret impedimentum dirimens, alia dispensatio Pontificis quærenda esset. Quia nullibi invenio, posse Episcopum verè dispensare in hoc dubio in impedimentis dirimentibus: sed est quædam prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus posset facere.

114. *Secunda.*

Quando autem non est omninò res dubia; quia præsumptio urget pro impedimento, est necessaria dispensatio, nec potest Episcopus. Ut si quis cum fœmina coëat, & dubitet, an semen ceciderit intrà vas; quia vel dubitat, an seminârit, vel estò seminârit, an intrà, extràve; ac proinde contraxerit affinitatem cum sorore illius; in hoc dubio non poterit sororem illam ex Episcopi dispensatione ducere; quia cum in hoc dubio præponderet præsumptio, ex communiter accidentibus orta, nempè quando est coïtus cum fœmina intrà vas, esse quoque intrà seminationem, censendus est ille coïens laborare impedimento dirimenti. At quando non esset præsumptio, semen incidisse intrà vas, ut si copula non est intrà, sed propè vas, tunc non esset in eo dubio necessaria dispensatio.

Tertia.

Tandem: quando res non esset verè dubia, sed essent opiniones, quibusdam asserentibus id esse impedimentum, alijs verò negantibus: si opinio negans esset verè probabilis, quàmvis affirmans esset probabilior, posset ille sequens opinionem probabilem, inire id Matrimonium absque aliqua dispensatione. Quòd, juxtà veriorem sententiam, satìs sit in rebus moralibus sequi minùs probabilem sententiam, si tamen verè probabilis sit. Quòd si nec sit opinio, nec merè dubium; sed magis propendatur in eam partem, ut sit impedimentum, nullo tamen assensu illius partis habito, nec existente aliquâ juris præsumptione pro impedimento: tunc adhuc censendum est, non esse impedimentum, nec exigitur dispensatio, sed standum est pro libertate contrahendi Matrimonium. Hactenùs Sanchez.

115. *Quid sentiat de hac re Caramuel.*

Nunc audite Caramuelem Theol. moral. lib. 3. n. 1347. In dubio an detur impedimentum antè Matrimonii contractum, potes liberè contrahere sinè dispensatione. Patet; quia standum est pro tuæ possessione libertatis. Quod est intelligendum de homine libero, & nulli certo impedimento obnoxio; tum enim datur vera libertatis possessio. Si autem dubites, an impedimentum habeas, eò quòd scias te habuisse verum impedimentum, nescias tamen, an obtinueris validam dispensationem; tunc etiam standum pro possessione est, & cùm impedimentum in possessione sit, censendum dari impedimentum.

Dubitat an Declaratio Episcopi in tali casu sit secura.

Emanuel Sa, virum aliàs ingenio forti, claro, imò & audaci præditum, video verb. *Dispensatio*, n. 1. in re clarissima hærentem & scrupulizantem: in tali casu desiderat recurri ad Episcopum, ut declaret, quòd non requiratur dispensatio; aut si & ipse dubitet, in dubio *secura* dispenser. Sed nescio, an secura sit illa Episcopi declaratio; rarò enim ipsi tam docti, ut præponi debeant Theologiæ Professoribus. Felix judico Belgium; ab ipso enim erectionis initio, Episcopatibus doctissimos viros præfecit (utinam adhuc præficeret) sed ignorare Sa non poterat, in multis Provinciis, ad summas dignitates, nobiles, aut fortè divites promoveri, & in tali casu quid facturus esset cum Episcopi declaratione, non scio. Illa quidem dispensatio in dubio concessa, nocere non posset; sed hìc non solùm inquiritur, quid possit, sed quid debeat fieri; & dicimus, dispensationem illam in dubio non debere peti, sed posse; multa enim inutilia possunt licitè fieri. Hæc ille.

116. *Objectio.*

Sed dicet aliquis: peccatum dubiè reservatum Pontifici, absolvitur ab Episcopo; similiter votum dubiè reservatum Pontifici, dispensatur ab Episcopo; ergò consimiliter impedimentum dubium dispensatur ab Episcopo, ita ut Matrimonium valeat, estò reverà impedimentum subesset, & ideò dispensatio illa non est inutilis, quidquid sit de ejus necessitate ad licitè contrahendum.

Quæritur solutio.

Quære solutionem; sed vide, ne operam & oleum

oleum perdas. Scio reſervationem eſſe odioſam, & ideò ſtrictè interpretandam. Sed & aliqua impedimenta Matrimonii ſunt odioſa; quid ni & omnia, cùm auferant naturalem facultatem contrahendi Matrimonium? Fateor, abſolutionem à peccatis eſſe magis neceſſariam ad ſalutem animarum, uti & diſpenſationem in votis, quæ frequentiùs occurrunt, quàm diſpenſatio in impedimentis; interim hæc neceſſitas major non impedit, quin Pontifex in dubio potuiſſet ea ſibi reſervare. Imò aliqui putant, ſibi reſervaſſe abſolutionem. Ex quo ergò conſtat, impedimentum dubium minùs eſſe diſpenſabile ab Epiſcopo, quàm votum dubiè reſervatum?

117. *Quare minùs poſſit Epiſcopus diſpenſare in impedimento dubio, quàm abſolvere à peccato dubiè reſervato.*

An fortè; quia impedimentum eſt lex Superioris; votum autem dubiè reſervatum minimè? Sed nunquid reſervatio lex Superioris eſt? Planè, inquis; ſed non diſpenſat in reſervatione, aut tollit legem reſervantem; ſed abſolvit peccatum, quod reverà ſubeſt, & cujus abſolvendi habet poteſtatem, & diſpenſat in voto, quod alioquì obligat, ſive ſit reſervatum, ſive non. Porrò in caſu noſtro, vel impedimentum dubium non eſt lex, & ſic nullâ eget diſpenſatione; vel eſt vera lex Superioris, adeoque nequit tolli per inferiorem, niſi de expreſſa vel tacita ejus conceſſione.

Quòd nolit reſervare peccatum, aut votum dubium, habemus ex communi quaſi ſententia, & praxi Eccleſiæ; at verò, quòd velit obligare impedimentum dubium, & in eo poſſit diſpenſare Epiſcopus, ex nullo jure aut praxi Eccleſiæ conſtat: & ſi qui id doceant, ut Sa ſup. inſinuat, pauci admodum ſunt, ego hactenùs neminem vidi. Interim propoſui difficultatem; cui ſolutio non ſatisfacit, quærat meliorem, & cùm invenerit, renuntiet mihi.

118. *Pontifex poteſt delegare alteri poteſtatem diſpenſandi.*

Atque hæc ſatìs de poteſtate ordinaria, id eſt, quæ jure communi competit vel non competit Epiſcopo. Tranſeo ad extraordinariam. Equidem Pontificem poſſe alteri delegare poteſtatem, quam ipſe habet, diſpenſandi in quibuſdam impedimentis, extra dubium eſt. Quibus autem eam delegaverit, infrà videbimus. Priùs elucidemus poteſtatem, quam habent Epiſcopi ex tacita conceſſione Pontificis, quaſi annexam ſuo muneri ſeu officio Epiſcopali.

Quando Epiſcopus poſſit diſpenſare ex tacita conceſſione Papæ.

Concluſio noſtra aſſerit, Epiſcopum poſſe diſpenſare pro foro conſcientiæ, quando impedimentum eſt occultum, & urget gravis neceſſitas, neque Papa facilè adiri poteſt. Hæc eſt poteſtas extraordinaria, quæ fundatur in benigna legis & mentis Legiſlatoris interpretatione, argumento deſumpto à caſibus Pontifici reſervatis, in quibus Epiſcopo in iiſdem circumſtantijs conceditur poteſtas abſolvendi. Quid ita? Quia ſic poſtulat bonum commune, ne alioquì reſervatio potiùs cedat in deſtructionem, quàm in ædificationem animarum.

119. *Vtique in caſu neceſſitatis.*

Ergò ſimiliter in caſu noſtro, cùm impedimenta Matrimonii inſtituta ſint ab Eccleſia, & Pontifici reſervata, ob Charitatem, bonamque Reipub. gubernationem; eſſet autem contrà charitatem, & ſuavem Eccleſiæ gubernationem, in caſu tantæ neceſſitatis, quando aliter ſcandala & peccata vitari non poſſunt, manerentque homines remedio deſtituti, reſervationem diſpenſationis intelligi; ſequitur, in eo caſu non eſſe intelligendam, ne alioquin potiùs cedat in deſtructionem, quàm in ædificationem animarum, contrà illud Apoſtoli 2. Cor. 10. *Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram.*

Eſt communis opinio.

Vel ergò rebus ita diſpoſitis, per ſe ceſſat impedimentum, quod communiter negatur, vel jure merito dicimus, Pontificem poteſtatem diſpenſandi Epiſcopis conceſſiſſe. Ita DD. communiter, paucis contradicentibus, qui tamen admittunt, communem ſententiam eſſe probabilem. Sic Corduben. lib. 1. Quæſt. Theol. q. 11. poſtquam retuliſſet rationes quinque pro communi ſententia, ſubjungit: Propter has rationes videtur hæc opinio probabilis, quodque poteſt practicari: maximè ubi eſſet talis conſuetudo, quòd Epiſcopus diſpenſet in talibus caſibus periculoſis.

120. *Cordubenſis videtur oppoſita ſententia probabilior.*

Interim oppoſita opinio videtur ipſi probabilior; ſcilicet, quòd non poteſt Epiſcopus diſpenſare in caſu propoſito, propter, inquit, duas rationes. Prima eſt; quia contrà Canonem Papæ vel Concilii diſpoſitivum, qualis eſt inhabilitans ſeu illegitimans aliquos ad Matrimonium, non poteſt Epiſcopus diſpenſare quoad aliquid in futurum niſi hoc ei expreſsè concedatur; aut niſi, quando Canon dicit, ſuper eo poſſe diſpenſari; aut niſi ſit conſuetudo legitimè præſcripta, quâ Epiſcopus ſuper eo diſpenſet. Nunc autem hæc poteſtas nullibi conceditur expreſsè: nec eſt conſuetudo Epiſcopis præſcripta, ſed potiùs oppoſita; ergò &c.

Prima ratio.

Conſequentia patet, & Minor probatur: quia ſi Papa vel Eccleſia non concedit actualiter poſſe diſpenſari, non valet diſpenſatio Epiſcopi in prædictis, ut communiter tenent DD. Minor etiam probatur: quia & Papa & Eccleſia expreſsè reclamat, quando ſcit Epiſcopos aliquando in prædictis diſpenſare, quod & ſæpè expertus ego ſum: nam & Prælati quidam ſeu Epiſcopi ſatìs docti & timorati, inſtructique de illa prima opinione, atque rogati, ut diſpenſent in prædicto caſu, quantùm poſſunt in foro conſcientiæ, ut coram Deo valeat, quantùm eorum diſpenſatio valere poteſt, nolunt diſpenſare, neque audent id attentare. Sic ille.

Probatur minor.

121. *Reprobatur.*

Reſpondeo: illos Epiſcopos non eſſe ſatìs doctos, & timere ubi non eſt timendum; ſiquidem quotidie prima opinio voce & libris impreſſis traditur: undè videtur omninò incredibile, Pontificem hoc latere, qui cùm poſſet contradicere, & tacet, præſumitur id approbare, atque adeò concedere Epiſcopis hanc poteſtatem. Dicit quidem Corduba, Papam & Eccleſiam expreſsè reclamare, ſed ubi? Quod (inquit ille) & ſæpè expertus ego ſum.

Quare aliquando Ecclesia reclamet.

Respondeo: fieri potest, ut Pontifex vel Ecclesia reclamaverit in aliquibus casibus; quia judicavit, non fuisse sufficientem necessitatem. Et alii Auctores supponunt, primam opinionem ab Episcopis practicari, non reclamante Pontifice.

122. *Communis opinio sæpius hodie practicatur, ex Perez & Gobat.*

Mart. Perez de Matr. disp. 44. Sect. 6. n. 3. ait: primam opinionem jam videri certam, postquam, inquit, Pontifici constat id fieri ab Episcopis; quia id sua taciturnitate approbare præsumitur, Et Gobat in suo Alphab. tr. 9. cas. 21. n. 576. testatur, eam practicari in Diœcesi Constantiensi, nullo scilicet contradicente.

Igitur, quidquid sit de tempore, quo Corduba vixit, constat experientiâ hujus temporis; Episcopos sine scrupulo passim dispensare, quando talis casus occurrit, absque aliqua contradictione.

123. *Occurritur evasioni.*

Nec potest dici: Pontifex nescit; quippè, ut dictum est, hæc doctrina traditur voce & libris impressis ubique terrarum. Cùmque sit res maximi momenti, verisimile est, quòd opinio illa à sede Apostolica, ad quam de per se spectat dispensatio, proscriberetur, quod hactenùs tamen non est factum.

Probandum igitur manet, consuetudinem legitimè præscriptam id hodie negare Episcopis, aut certè non concedere. Sed neque id approbare Pontificem suâ taciturnitate. Expressam concessionem non habemus: nisi quis vellet dicere, Trid. sess. 24. de Refor. c. 6. per suspensiones, quarum dispensationem Episcopis committit, intellexisse etiam impedimenta Matrimonii.

124. *Vtrùm hæc potestas concedatur Episcopis à Trid.*

Utrùm (inquit Corduba sup. §. *Sed jam in Concilio Trid.* in fine) in his concedatur, etiam posse dispensare in impedimentis occultis Matrimonii, aliorum esto judicium: videtur enim quòd non, nam, secundùm jura, nomine suspensionis non videntur prædicta impedimenta comprehendi. Sic ille. Profectò neminem hactenùs vidi, qui sic intellexerit d. locum Trid.

Videtur, quòd nulla extet expressa concessio. Sed hæc non est necessaria, exemplo aliorum præceptorum.

Fatemur igitur libenter, nullam esse expressam concessionem; sed negamus, illam esse necessariam; nam Omnes omninò admittunt, Episcopum, imò & alios inferiores, posse dispensare in legibus Festorum & jejuniorum universalis Ecclesiæ, sive à Pontifice latis, tametsi nuspiam expresè id eis concedatur; enimverò conceditur tacitè, hoc ipso quòd conceditur regimen animarum, ad quod debitè exequendum moraliter necessaria videtur illa potestas.

Ergò similiter in casu nostro, Pontifex concedendo jurisdictionem Episcopalem, tacitè concedit potestatem dispensandi in legibus impedimentorum, quando regimen animarum sic postulat; quod tunc fit, quando observatio legis seu impedimenti moraliter impossibilis est, id est, quando imminet periculum æternæ damnationis, aut etiam gravis incommodi vitæ, famæ ac bonorum temporalium, nisi hìc & nunc Episcopus dispenset.

125. *Resp. Cordubæ.*

Respondet Cord. sup. §. *Ad secundam*: Directè Ecclesia nihil præcipit aut statuit, quod sit scandalosum, aut laqueus peccati; indirectè autem, aut per accidens, negatur. Nam Ecclesia præcipit & statuit multa, quæ per se non sunt scandolosa, neque laqueus peccati, benè tamen per accidens; quia scilicet ex culpa aliorum, seu etiam sinè culpa, alii sumpserunt vel fecerunt sibi vel aliis occasionem aut laqueum peccati: Sicut ex beneficiis Christi, & Sanctorum, Judæi aut alii fecerunt & sumpserunt occasionem peccati. Similiter & multi sunt hujusmodi laquei, emergentes occasionaliter ex aliis constitutionibus Papæ & Ecclesiæ; & tamen non obstantibus his, sunt validæ tales constitutiones, ut patet in materia excommunicationum, suspensionum, & Matrimoniorum & casuum reservatorum.

126. *Conatur præcludere evasionem.*

Si dicas: Ecclesia tenetur providere suis filiis de remedio etiam in his scandalis passivis, & laqueis occasionatis &c. Respondeo, concedendo id, quantùm attinet ad peccatorum debitam & sufficientem liberationem seu præservationem: non tamen quoad damnorum omnium temporalium remedium præstandum: datur enim perplexitas tam in lege Dei, quàm Ecclesiæ inter duo mala, quorum alterum est culpa, alterum pœnæ, ita quòd necessariò est in alterum eorum incidendum, pro vitatione alterius; ut patet in casibus multis, ubi non potest quis vitare peccatum, nisi patiatur jacturam vitæ, rerum aut honoris.

Datur aliquando perplexitas in lege Dei & Ecclesiæ.

127. *Declaratur in præsenti casu.*

Et sic est in casu præsenti: nam Deus & Ecclesia sufficienter provident in talibus casibus, quomodo vitetur peccatum fornicationis, & omne aliud peccatum: si tamen tam vir, quàm mulier, & alii omnes faciant quod debent, quàmvis inde sequatur jactura temporalis vitæ, rerum aut honoris. Quid autem & quomodo fieri debeat, ut vitetur omne peccatum in hujusmodi casibus, id in secundo articulo sequenti habetur, & si sequitur damnum temporale ex his, patienter feratur, & suis peccatis imputetur, & Deo offeratur cum aliis vitæ incommoditatibus; melius est enim animam, quàm corpus salvare. Sic Cordubensis.

Arg. ab aliis præceptis, quæ non obligant in necessitate.

Ego autem dico: optimum est & animam & corpus salvare; jam autem in nostra opinione, per dispensationem Episcopi & anima & corpus salvatur. Censesne, legem Ecclesiasticam de jejunando, de evitando excommunicatum nominatim denuntiatum, aut notorium Clerici percussorem, de audienda missa die Dominico, & de cessando ab opere servili die festo, ac etiam de confitendo in quadragesima, aut in articulo mortis, aut de suscipienda Eucharistia; censes, inquam, has aut similes leges obligare, quando sinè periculo probabili mortis, aut magnæ jacturæ honoris observari nequeunt? Quare ergò non similiter cessabit vis legis Ecclesiasticæ, illegitimantis hos vel illos, in casu periculi mortis corporalis & spiritualis, ita ut possint invicem consentire & matrimonialiter copulari, ac si nulla esset lex Ecclesiastica, id prohibens & illegitimans in tali casu?

Respondet Corduba sup. §. *Respondeo*: Quòd

128. ratio

Ratio differentia ex Corduba.

ratio differentiæ eſt ; quia lex, etiam Eccleſiaſtica, ſæpè obſervanda eſt, etiam periculo mortis non obſtante ; putà, quando contemptus legis, vel ſcandalum grave aut injuria fidei interveniret, vel diſcrimen aliud publicum ſive commune : & ita ex operis gravitate, attentis circumſtantiis, atque ſequelâ, talis obligatio in periculo mortis penſanda eſt.

Ideò lex divina vel Eccleſiaſtica de jejunando, de confitendo, de audiendo Miſſam die feſto, de vitando excommunicatos, & hujuſmodi non obligat in diſcrimine mortis, niſi grave ſcandalum, aut legis contemptus, ut diximus, interſit ; lex autem de celebrando cum vaſis & veſtibus ſacris, & lumine, & lex illegitimans ad Matrimonium, in diſcrimine mortis obligat, & ſervanda eſt ; quia niſi etiam tunc generaliter ſervaretur ; utique vel irriſio fidei, aut Reipub. Chriſtianæ & humanæ politiæ bonum periclitaretur, aut grave damnum ejus ut plurimùm ſequeretur. Nam, ut multiplicibus fraudibus, & peccatis aliis obvietur, Legiſlator, etiam humanus, rectè tales leges, cum tanto diſcrimine, inviolabiliter vult & intendit obligare & ſervari, id quod ex praxi Eccleſiæ etiam perpendi poteſt.

129. *Admittit, quòd in caſu præſenti Eccleſia poſſet non obligare cum periculo vitæ.*

Quæ ſi aliquando vellet benignè agere, etiam ſtante operis gravitate, ut in caſu præſenti, utique poſſet per ſuam legem cum diſcrimine mortis non obligare, ut ita multis periculis animæ & corporis proſpiceretur. Hactenùs Corduba.

Quæro ego : Eccleſia poſſet facere, ut lex ſua non obligaret cum periculo mortis, quando contemptus legis vel ſcandalum grave, aut injuria fidei interveniret, vel diſcrimen aliquod publicum & commune ? Vel ſi poſſet, quare, cùm ſit pia mater, non vellet proſpicere multis periculis animæ & corporis ſuorum filiorum ?

130. *Quid doceat communis ſententia.*

Sed neque hæc noſtra ſententia dicit, quòd ipſo facto ceſſet lex, illegitimans Matrimonium, quando non poteſt ſervari, ſine periculo vitæ, aut alio gravi incommodo famæ, aut bonorum temporalium, ita, ut Matrimonium valeat, quod aliàs eſſet invalidum ; quid ergò ? Quòd Epiſcopus poſſit tali caſu diſpenſare, ex tacita voluntate Eccleſiæ ; in qua utique diſpenſatione, & Matrimonio ſubſequente, neque contemptus legis, neque grave ſcandalum aut injuria fidei intervenit, neque diſcrimen aliud publicum ſive commune. Quis hoc non videt ?

Deinde dico : legem Eccleſiæ tali caſu non ſic obligare, ut quis nequeat licitè contrahere, tametſi invalidè, ut alibi docuimus, ſinè animo tamen copulæ, aut alterius actûs turpis, qui per legem naturalem prohibetur non conjugatis.

131. *Objectio.*

Reponet quiſpiam : hìc non tantùm agitur de violatione legis Eccleſiaſticæ ; ſed etiam naturalis ; nam ex natura rei inferior non poteſt tollere ſeu diſpenſare in lege Superioris : lex autem naturalis obligat cum periculo vitæ.

Solvitur.

Prorsùs obligat. Sed nunquid Epiſcopus diſpenſando violat legem naturalem ? Minimè, alioquì etiam violaret eam, quando de expreſſa licentia Pontificis diſpenſaret, quod liquidò falſum eſt. Non enim dicit lex naturalis : Inferior non poteſt tollere legem Superioris ; ſed, non poteſt tollere propriâ auctoritate, id eſt, invito ſeu non conſentiente Superiore ; jam autem ſententia noſtra aſſerit, Epiſcopum dicto caſu tollere legem Superioris eo conſentiente, ſi non explicitè, ſaltem tacitè, ut ante oſtendimus. Porrò per conſenſum tacitum poſſe acquiri juriſdictionem, patet ex dictis Diſp. 8. Sect. 2. Concluſ. 6.

132. *Quare inferior non poſſit diſpenſare in lege Superioris.*

Igitur conſentio, Inferiorem non poſſe diſpenſare in lege Superioris, non propter ſuperadditam reſervationem ; ſed ex natura rei, eo ipſo, quòd lex Superioris eſt, ut ſup. dicebat Suarius ; attamen hoc non officit noſtræ & communi doctrinæ ; quia, ſicut jamjam dixi, natura ſolùm dictat, inferiorem non poſſe tollere legem Superioris, præter ipſius voluntatem. Oportet ergò Adverſarios noſtros oſtendere ſeu demonſtrare, in caſu Concluſ. inferiorem diſpenſare in lege Superioris, præter ipſius voluntatem. Quod difficulter præſtabunt.

Etenim nos dicimus, Pontificem non ſolùm conceſſurum fore poteſtatem illam, ſi rogaretur (quæ eſt voluntas merè præſumpta in futurum, inſufficiens ad dandam juriſdictionem) ſed etiam de facto eam concedere, quàmvis tacitè, tamquam incluſam in generali conceſſione juriſdictionis Epiſcopalis, cùm ſit moraliter neceſſaria ad conveniens regimen animarum, ne Eccleſia videatur potiùs noverca eſſe, quàm pia mater, potiùs contrà charitatem, quàm ſecundùm eam ſubditos ſuos obligare, imponendo jugum quodammodò importabile ; cùm Chriſtus, cujus Vicarius eſt Pontifex, dicat : *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.*

133. *Fragilitas hominum ſæpè eſt cauſa diſpenſandi in legibus humanis.*

Non negamus, perverſos homines ex conſtitutionibus Eccleſiæ poſſe interdum accipere occaſionem peccandi, & nihilominùs eas validas eſſe ; ſed tamen conſtanter aſſerimus, fragilitatem hominum ſæpiùs eſſe cauſam diſpenſandi in legibus Eccleſiæ. Et ita impreſentiarùm, fragilitas eorum, qui contraxerunt Matrimonium cum impedimento occulto, poteſt quandoque eſſe cauſa ſufficiens diſpenſandi, quàmvis lex per ſe non ceſſet ; atque adeò poteſt eſſe cauſa ſufficiens, quare Pontifex cenſeatur conceſſiſſe poteſtatem diſpenſandi Epiſcopis, quando ad eum acceſſus eſt moraliter impoſſibilis. Sicut in caſu extremæ neceſſitatis quilibet Sacerdos poteſt in quemlibet, & à quolibet caſu & ſententia reſervata abſolvere : & hoc conceditur vel à jure divino, vel Eccleſiaſtico, ſecundùm diverſas opiniones, idque propter periculum, probabiliter imminens, evitandum. Ergò ſimiliter in caſu noſtro. Patet Conſequentia per identitatem rationis.

134. *An hic valeat arg. ab Abſolutione in extremis? Negat Corduba, & probat.*

Reſpondet Cord. ſup. §. *Ad tertiam*, neg. Conſequentiam. Et ad probationem, inquit, negatur, quòd ibi ſit identitas rationis : & dato, quòd ſit omninò eadem ratio, adhuc negatur Conſequentia. Ratio eſt ; quia quàmvis caſus exceptus à lege ſeu regula juris, extendatur ad caſum ejuſdem vel ſimilis rationis, quando lex

ſeu

seu exceptio talis casûs, fundatur in sola ipsa ratione, etiam ante Principis seu juris dispositionem: quia tunc secundùm talem rationem est sensus legis, & exceptionis prædicti casûs, ut communiter tenent DD. Tamen hoc non est verum, quando exceptio illius casûs à lege communi fundatur non solùm in ipsa ratione, sed etiam, idque principaliter, in Principis seu juris humani dispositione & voluntate: ita, quòd si Princeps aut lex non excepisset illum casum à lege communi, certè non fuisset exceptus, quàmvis esset justa ratio, ut excipi deberet.

Nunc autem ille casus exceptus à lege communi, scilicet quòd in casu extremæ necessitatis corporalis potest Sacerdos quilibet in quemlibet &c. non habet fundamentum in sola ratione, vel jure solo divino, quàmvis multi DD. teneant oppositum: sed præcipuè ex Papæ vel Ecclesiæ seu juris dispositione, ita quòd, nisi Papa aut jus id concessisset aut excepisset, certè non esset exceptus talis casus, neque posset quilibet in quemlibet, quàmvis ad talem exceptionem faciendam esset causa rationabilis, ut tenent plurimi DD. Ergò non est extendendus ille casus ad casum præsentis quæstionis; quia iste non est simpliciter exceptus ex sola ratione; sed neque ex juris dispositione, quàmvis sit eadem justa causa, ut excipi deberet. Hucusque Cordubensis.

135. *Impugnatur.* Verùm enimverò, pace ejus dixerim; si sit eadem justa causa, ut excipi deberet, quare negamus, Pontificem eum excipisse? An forsitan Pontifex nolit facere, quod deberet facere? Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus.

Præcluditur evasio. Si dixeris: Corduba non loquitur de debito strictè dicto. Transeat: saltem de debito convenientiæ. Sed & hoc Pontificem nolle solvere, ex quo constat? Allegat quidem Corduba expressam reclamationem Pontificis & Ecclesiæ, ut sup. audivimus; sed non satis eam probat. Et sanè, si ita convenit Episcopum in tali casu dispensare, sicut convenit, ut quilibet quemlibet possit absolvere à reservatis in articulo mortis, non est verisimile, Pontificem aut Ecclesiam reclamasse.

136. *An sit eadem necessitas in utroque casu.* An autem sit eadem necessitas in utroque casu, ego valde dubito: nam in uno casu agitur de salute æterna, & plena libertate conscientiæ, quæ postulat, ut quilibet cuilibet possit confiteri, ne pereat: sic enim ait Trident. *Piè admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* At verò in casu nostro solùm agitur de evitando peccato & damnis temporalibus.

Et fortè ideò Ecclesia expressè excipit articulum mortis à lege reservationis, ne quispiam posset, vel saltem leviter, suspiciari oppositum, atque ita scrupulizare, vel in confitendo, vel in absolvendo cum periculo æternæ damnationis. Porrò impræsentiarùm non habemus expressam constitutionem; sed Ecclesia reliquit hoc quodammodò disputationi DD. ut audiret, quid ipsi de hac re sentirent, & Episcopi practicarent: quæ praxis est optima legum interpres, quando contrarium ab Ecclesia non declaratur; sicuti hìc non invenitur ulla expressa constitutio, quâ illa dispensatio Episcopis prohibetur.

Hæc puto sufficient, ut Conclus. nostra sit verè probabilis & practicabilis sinè aliquo scrupulo, quando reverà res sic se habet, prout in Conclus. exprimitur; videlicet, ut impedimentum sit occultum; secundò, ut gravis necessitas urgeat; & tertiò, ut Papa facilè non possit adiri, quæ indigent aliquâ explicatione. 137. *Finalis resolutio.*

Si quis ergò à me postulet; quodnam impedimentum sit occultum; & quare hæc sententia non procedat etiam in impedimento publico, cùm tunc quoque posset occurrere talis necessitas, ut ait Garzia de Benef. part. 11. n. 350. *Quandonam impedimentum hic sit occultum?* Garzia.

Respondeo ad primum cum Henriquez lib. 12. de Matr. c. 3. n. 1. & 2. quem sequitur Sanchez lib. 2. disp. 40. n. 11. dicetur impedimentum occultum, quando non publicè constat, nec facilè constare potest, periculumque non est, ut in foro externo detegatur. Si enim periculum sit, ut propter illud, aliquando detectum, in judicio accusetur Matrimonium; periculum quoque est, ut occultâ dispensatione jam validum, cum majori scandalo dissolvatur in foro exteriori. Sic per Concil. Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. conceditur Episcopis dispensare & absolvere in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, si modò occulti sint, nec deducti ad forum contentiosum. Porrò non constat publicè impedimentum, quod licèt fortè notum sit tribus aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ, ut notat Gobatius sup. 138. *Resp. ex Sanchez & Henriquez.*

Ad alteram q. dico: quando impedimentum publicum est, vix aut ne vix unquam potest occurrere gravis necessitas: nam per auctoritatem publicam in foro externo possunt facilè separari, sinè alia nova infamia; & tametsi Episcopus dispensasset pro foro conscientiæ, equidem forum externum, ut statim dixi, eos separaret cum majori scandalo. 139. *Quare non procedat hæc sententia, quando impedimentum est publicum.*

Quàmvis etiam (inquit Garzia sup.) tunc posse Episcopum dispensare in facti contingentia, quando etiam Matrimonium erat jam separatum, consuluerint aliqui Theologi hujus civitatis (Abulensis) & de facto dispensasse audiverim: jam enim moris est Theologis Hispanis hujus temporis, omne facere probabile, novas inventando opiniones, adeò, ut nihil ferè sit, quod ab eis non probetur: unde veritas & doctrina solida & antiqua magnam jacturam fecerunt. Hæc ille. Garzia.

Magna profectò laus Theologorum Hispanorum, quorum ipse unus est. Credo, quòd existimaverit, se non esse sicut cæteri; alioquì suum opus non parùm dedecorasset. Quidquid sit de illis Theologis Hispanis, nos sequimur Thologos Belgicos, qui requirunt ut impedimentum sit occultum, & Matrimonium publicum.

Enimverò dum etiam Matrimonium est occultum, 140.

Quando est occultum Matr. non est gravis necessitas.

cultum, non sunt nata provenire scandala & alia incommoda ex separatione, veluti dum est publicum ; & ita deficit secunda conditio, scilicet gravis necessitas urgens, quæ tunc est, quando absque scandalo separari nequeunt, eo quòd prolem v. g. habeant, quæ parentibus destituta commodè educari non potest ; vel alter solus impedimentum novit, nec, cùm occultum sit, probare potest ; vel illud absque famæ jactura detegere non potest, v. g. affinitas ex copula fornicaria ; imò absque jactura vitæ : vel si utrique impedimenti conscius sit, cùm probare nequeat, absque scandalo separari non potest, nec permittitur aliud Matrimonium inire : atque ita maximo incontinentiæ periculo expositus erit.

141. *Requiritur, ut Papa facilè adiri non possit.*

Rebus sic stantibus, præterea requiritur, ut Papa facilè adiri non possit, sive quòd longissimè distet à loco contrahentium, vel quia ob istorum magnam paupertatem pecuniæ non suppetunt pro expensis petendæ dispensationis, vel ob aliam justam causam, v. g. periculum vitæ &c. Alioquì quàmvis sit urgens necessitas, ut dispensetur, tamen nulla est necessitas, ut ab Episcopo dispensetur, quæ tamen requiritur, ut manifestum est. Sive ergò inopia contrahentium, sive aliquid aliud impedimento sit, ne Pontifex consulatur, parùm refert, dummodò reverà sit periculum, nisi Episcopus dispensaverit.

An Episcopus suis sumptibus debeat Româ procurare dispensationem. Vasquez.

Sed nunquid Episcopus tenetur suis sumptibus dispensationem Româ procurare, ad sublevandam inopiam contrahentium ? Affirmat Vasquez 1. 2. disp. 178. c. 2. n. 16. ubi loquens de nostra opinione, ait : Ego eam non probarem, quoties Episcopus potest certiorem facere Pontificem, & pauperiem eorum, cum quibus dispensandum est, ipse potest supplere, ut negotium ad Pontificem deferatur. Nam si hoc modo Pontifex consuli potest, quâ ratione Episcopus in lege Pontificia dispensabit ? Ita interrogat Vasquez.

142. *Arguitur pro parte negativa.* Diana.

Respondeo : hâc ratione ; quia non ostenditur obligatio Episcopi. Ego credo (inquit Dia. part. 8. tr. 3. resol. 71.) Episcopum non teneri in impetrandis his dispensationibus reditus suos consumere, maximè cum aliis melioribus, aut æquè bonis & necessariis possunt impendi : poterit ergò dispensare ob paupertatem partium, etiam cum ipse eam paupertatem supplere potest, & ita habet praxis & sentiunt Doctores. Hæc ille.

Sanchez.

Et Sanchez Sum. lib. 4. c. 40. n. 39. in fin. inquit : Non video, quâ ratione obligandus sit Episcopus, ad has expensas ministrandas, nec praxis ita servat. Nec aliquis ex multis Doctoribus, quos pro ea regula (dispensandi in necessitate) retuli, hujus limitationis meminit.

143. *Judicium Averfæ.*

Iuvabit audire de hac re Aversam q. 19. sect. 2. §. *Designari autem* : Sanè (inquit) non videtur adeò urgere hæc causa inopiæ ; tum, quia per viam SacræPœnitentiariæ in foro conscientiæ obtineri possunt & solent quædam dispensationes, absque ulla expensa : tum, quia deberet priùs diligens studium adhiberi, ad conquirendas eleemosynas & pecunias, quàm recurratur ad Episcopum pro tali dispensatione : tum, quia si non esset notabilis expensa, expediret interdum, ut Episcopus in hoc opus aliquam eleëmosynam erogaret, quàm ex se dispensaret, ut notum mihi est, aliquos pios Episcopos præstitisse. Non est tamen negandum, posse quandoque sufficere causam inopiæ, in quo Episcopus non obligaretur notabilem præsertim summam expendere, vel cum suo incommodo vel aliorum piorum operum detrimento. Sic ille. Et meritò.

144. *Causa aliqua recurrendi ad Episcopum, ex eod.*

Porrò continuò adjungit : Urgentior & fortè frequentior causa est, quâ contingit non posse procurari seu expectari, donec obtineatur dispensatio à Pontifice, ut in pluribus casibus compertum habeo ; Si mulier, antequam cum viro contraheret, fuerat ab aliquo illius in primo vel secundo gradu consanguineo cognita, & non possit absque magna sui infamia, & fortasse absque vitæ periculo id viro detegere : nec ullo apparenti prætextu possit diu negare debitum viro petenti, & per aliquod longinquum spatium distet à Roma, ut non possit citò dispensationem habere, & interim vel in maximo incontinentiæ periculo, si viro consentiat, vel alio gravi discrimine, si recusat, versetur ; hæc, inquam, erit urgens causa, quâ ob difficultatem adeundi, etiam per litteras, Apostolicam Sedem, possit ab Episcopo dispensationem accipere.

Consultò dico : *Si mulier illud affinitatis impedimentum incurrerat :* quia alioquin, si vir cognoverat consanguineam uxoris, potest facilè, absque damni periculo, recusare ad tempus reddere debitum, si fortè petatur ; cùm rariùs soleant ab uxoribus viri compelli ; vel occasionem arripere divertendi in alium locum, donec dispensatio à Pontifice expectetur.

Consultò etiam exemplum posui in hoc affinitatis impedimento, quia alioquì, si impedimentum sit consanguinitatis, aut aliud, facilè poterit absque infamia aliove periculo manifestari aliis, quibus oporteat, & præsertim inter ipsosmet conjuges, ut ad tempus abstineant vel recedant, donec adveniat dispensatio à Pontifice. Hucusque Aversa.

145. *Quid hic oporteat Episcopum expendere.*

Verbo ut absolvam ; Episcopus, à quo petitur dispensatio, expendat necessitatem, si reverà talis sit, ut Pontifex debeat consentire : non quòd jurisdictio injustè seu irrationabiliter negata, propterea censeatur concessa ; contrarium siquidem alibi probavimus ; sed quia rationabiliter præsumimus, ut patet ex dictis, pro tali necessitate Pontificem, non solùm, si peteretur, concessurum jurisdictionem, sed de facto concedere.

146. *Perinde est sive unum, sive plura impedimenta occurant, ex Sanchez.*

Idque verum existimamus cum Sanchio lib. 2. disp. 40. n. 6. sive unum sive plura impedimenta simul occurrant. Tametsi namque, quando delegatur seu committitur alicui dispensatio in uno Matrimonij impedimento, manifestum est, cum non posse dispensare,

repertis duobus; quia mixtum sub simplici non comprehenditur: at cùm in hoc casu dicamus

Probatur. posse Episcopum dispensare, quia Pontifex pro tali casu censetur potestatem dispensandi concedere, nihil obest concurrere duo impedimenta: sicut nemo negaret, posse Episcopum absolvere omninò impeditum ire Romam à duplici casu reservato.

Confirmatur. Et confirmatur (inquit Sanchez sup.) quia potestas Episcopi in hoc eventu non est ad dispensandum in quodam singulari impedimento, ut sic dicamus, mixtum sub simplici non comprehendi, sed ad dispensandum in impedimentis.

147. *Quid sentiat de hac doctrina Aversa.* Atque hanc doctrinam admittit Aversa sup. §. *Quarto*, quando occurreret casus in eodem genere impedimenti affinitatis ex copula illicita, utpote si mulier cognita fuerit à pluribus consanguineis viri intrà primum vel secundum gradum. Sed (inquit) quoad reliqua impedimenta, difficile est occurrere aliud, quod tutò manifestari non possit, & ideò faciliùs erit expectare, donec sub unius prætextu obtineatur dispensatio utriusque.

Dico ego: sive facilè sit, sive difficilè, ut occurrat aliud, quod tutò manifestari non possit; si reverà occurrerit unum vel plura, eâdem ratione poterit Episcopus in illis pluribus dispensare, sicut in uno tantùm.

148. *Quid si Matr. contractum fuerit in gradibus prohibitis malâ fide? Quidam negant, Episcopum posse dispensare. per Trid ff. 24 de Matr. c. 5.* Majorem difficultatem habet; an valeat Episcopus dispensare, quando Matrimonium contractum fuit in gradibus prohibitis, malâ fide ex parte utriusque, vel etiam unius. Quidam sustinent partem negativam, propter Trident. sess. 24. de Reform. Matr. c. 5. quod sic incipit: *Si quis intrà gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idq; in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta contempsit.*

Probatur ex ratione. Sanchez. Et ratio (inquit Sanchez sup. n. 4.) est; quia hæc sententia innitur manifestæ æquitati, quæ suadet, mentem Legislatoris non esse, ut in eo eventu Episcopus nequeat dispensare: sed quando Matrimonium est malâ fide contractum, mens Pontificis non est iniquitati favere, & perversæ contrahentium audaciæ, & ut illa sit facilioris dispensationis occasio, ne quotidie hâc spe celebrarentur Matrimonia, contemptis impedimentis dirimentibus: quam rationem mirè expositit Trid. eo cap. 5. in illis verbis, desumptis ex cap. fin. de Immun. Eccles. *Non enim dignus est* &c. Cùm ergò Trid. in hoc casu, hos malâ fide contrahentes spe dispensationis consequendæ perpetuò carere debere statuat, minimè poteri Episcopus dispensare.

149. *Idem dicendum si solemnitates fuerint neglectæ.* Unde idem dicendum est, quàmvis ignoranter contractum sit Matrimonium, si solemnitates requisitæ in Matrimonio, neglectæ sint: quia idem in hoc casu decernit ibi Tridentinum. Secùs autem esset, si ignoranter contractum sit Matrimonium, & ex Ordinarii licentia solemnitates illæ denuntiationum omissæ sint, quia tunc non negliguntur, nec temerè contemnuntur, quod petit Concilium, ut contrahentes illi spe dispensationis careant, Hucusque Sanchez.

An sufficiat mala fides unius? Negat Sanchez. Qui tamen putat, Episcopum posse dispensare, quando alter solus ex contrahentibus malâ fide contraxit. Quia (inquit) Trid. d. cap. 5. vocat hanc pœnam, ibi: *Eisdem subjiciatur pœnis:* non autem æquum est puniri innocentem ob alterius delictum. Sic tenet P. Ioseph de Acosta lib. 6. de Convers. Indorum c. 22. & quidam viri docti neotherici. Ita Sanchez.

150. *Communior sententia affirmat. Solvitur arg. Sanchij ex Garcia.* Sed communior sententia docet, sufficere malam fidem, etiam unius. Ad argumentum autem Sanchez respondet Garcia sup. n. 359. dicta verba Concilii in uno sic contrahente verificari, cùm dicat: *Si quis* &c. & ob delictum & pœnam unius, alterum non pœnam, sed damnum in consequentiam sustinere, quod iniquum non est. Hæc ille.

Alia solutio ex Aversa. Atque ut sub verbis Concilii uterque conjux simul & conjunctim comprehenderetur: saltem (inquit Aversa sup. §. *Sextò.*) obstat ratio: quia illa pars, quæ conscia impedimenti contraxit, sese voluntariè in has angustias & pericula subjecit; quare debebit quoque tolerare jacturam famæ, aut aliud incommodum, detegendo impedimentum alteri parti; curando tamen id fieri cautiori modo quo possit. Et præcipuè apparet, quòd ejus potiùs interest Matrimonium validari per dispensationis impetrationem, quàm alterius partis, quæ fortè cognito impedimento libentiùs discindet, quàm confirmabit Matrimonium; quare justum est, ut illa pars subeat pœnam, quæ fortassè alteri parti non erit pœna, sed res grata. Sic ille.

151. *Pontius sequitur opinionem Sanchez. & probat eam.* At verò Pontius, qui sequitur sententiam Sanchez, hanc pro ea adducit rationem. Quia ex Trid. Decreto non colligitur unius tantùm malam fidem sufficere, ut spe dispensationis careat; & aliàs ex jure communi, juxtà textum in cap. *Cùm inhibitio*, de Cland. despons. & cap *Ex tenore*, Qui filii sint legitimi, unius bona fides sufficit, ut proles nascatur legitima, & ut tale Matrimonium reputetur ab Ecclesia. Ita Basil. lib. 8. c. 13. n. 4.

152. *Ostenditur quòd ineffi-cacitur.* Respondetur: Ecclesiam id expressè statuisse in dd. juribus favore prolium, qui hìc non habet locum. Ecce verba d. cap. *Cum inhibitio*: *Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiæ contrahere præsumpserunt.*

Ubi Gloss. verb. *Si ambo parentes*, interrogat: *Sed quid, si unus scit & alter nescit? dixit Hug. & Laur. quòd quantùm ad scientem, sunt illegitimi, quantùm ad ignorantem, legitimi, arg. Cod. de Incestis nupt. Qui contra; quod non credo: imò illegitimi sunt, infr. Qui filij sint legitimi*

gitimi : Ex tenore. *Monstrum enim esset, si aliquis esset partim legitimus & partim illegitimus ; sicuti quòd aliquis esset partim servus, & partim liber, ff. de Statu lib.* Si duobus, *& hoc invuitur cùm dicit: Ambo parentes.*

Porrò in d. cap. *Ex tenore*, in fine, scriptum habes : *In favorem prolis potiùs declinamus, memoratum R. legitimum reputantes.* Ubi Gloss. in expositione casûs in fine : *Nota*, inquit, *quòd ignorantia alterius parentis facit, quòd filii de tali Matrimonio nati, legitimi sunt & favor prolis ad hoc coadjuvat.*

153. *Aliqui putant neutriùs parentis bonam fidem esse necessariam.* Henriquez.

Cæterùm hæc controversia cessat, si in casu nostro neutrius parentis bona fides sit necessaria, quod indicat Henriquez lib. 12. de Matr. cap. 3. n. 2. Commento lit. K. & lit. O. nec aliâ ducitur ratione, quàm quia alii Auctores Angel. Sylvester &c. dum conditiones ad hanc dispensationem explicant, bonæ fidei non meminerunt. Interim ipse in textu d. n. 2. dicit : Expedit ut Matrimonium bonâ fide, saltem alterius, contractum sit, cum ignorantia impedimenti occulti : nam qui sub ea intentionis fraude, aut spe Episcopi dispensaturi, malâ aut dubiâ fide contraherent, indigni censentur gratiâ dispensationis, nec deberet Episcopus cum illis dispensare. Sic Henriquez.

154. *Hanc sententiam approbat Prapositus in raro aliquo casu.*

Præpositus autem hìc q. 8. dub. 2. n. 12. Hæc (inquit) sententia videtur verior, communiter loquendo : sententia tamen Henriquez (quam habet in Commento) videtur probabilis in casu aliquo valde raro : nam quando valde magni referret ad bonum publicum conservandum, vel ad impediendas discordias inter illustres familias, Matrimonium aliquod non solvi, Episcopus posset dispensare in impedimento, etiam cum iis, qui malâ fide cum illo contraxerunt.

Confirmatur.

Confirmatur ex eo, quòd Sanchez disp. cit. n. 7. doceat, Episcopum posse ex urgentissima causâ dispensare, etiam ante Matrimonium contractum.

Quàmvis ergò in nostro casu conjuges sint indigni dispensatione ; quia tamen bonum commune id postulat, Pontifex videtur tacitè consentire, ut Episcopus possit dispensare. Hæc ille.

155. *Dicast. generaliùs loquitur.*

Sed Dicastillo sup. n. 66. generaliùs loquitur, dicens : Non possum mihi persuadere, voluisse Concil. aut Pontifices, qui illud confirmârunt, hanc reservationem locum habere in iis casibus, in quibus diximus posse Episcopum dispensare, propter gravissima damna & inconvenientia scandali peccatorum, & impotentiam adeundi Pontificem ; nam tota ratio, ob quam pro tali casu dicimus posse Episcopum in foro conscientiæ dispensare, est ; quia si non posset, reservatio cederet in destructionem animarum, & non est credendum, Pontificem cum damno & periculo animarum velle pro tali casu & circumstantiis reservare, cùm licita non esset reservatio, quidquid sit de valore : atqui etiam fieri potest, ut quàmvis malâ fide contractum sit Matrimonium, sequantur eadem damna & pericula animarum, & sit eadem moralis impotentia adeundi Pontificem, idemque periculum in mora : ergò eodem modo credendum est, non esse mentem Pontificis, quòd Episcopus pro tali casu non possit. Ita Dicast.

156. *Iudicium Auctoris.*

Consentio ego, fieri posse, ut sequantur eadem damna & pericula animarum, quamquam rariùs, ut patet consideranti ; cùm enim utercque conscius sit nullitatis Matrimonii, possunt faciliùs abstinere aut secedere, donec obtineatur dispensatio à Pontifice : estò, inquam, sequantur eadem damna, adhuc disparitas est ; quòd ipsi contrahentes se suâ culpâ in illam necessitatem & periculum injecerint, & ideò sibi imputent ; atque adeò non videntur mereri illam gratiam seu benignitatem Ecclesiæ, quam Pontifex concedit istis, qui bonâ fide sic contraxerunt : ergò non eodem modo credendum videtur, esse mentem Pontificis, quòd Episcopus pro tali casu possit dispensare.

157. *Resp. Dicast. ad Trid. ipsum loqui pro foro externo.*

Sed audiamus, quid Dicast. respondeat ad Trident. sup. n. 67. Loquitur (inquit) pro foro exteriori, in quo, si semel constet de prædicto impedimento, præcaveri poterunt reliqua damna, & separari conjuges. Quòd si in eo casu sequantur scandala, & alia incommoda, tunc non sequuntur ex ipsa separatione illorum, & ex negatione dispensationis, & spei illius obtinendæ ; sed ex ipsa notoreitate, vel probatione externa commissi delicti. In quo casu majora inconvenientia sequerentur ex eo quòd permitterentur non separari, aut ex facilitate dispensandi cum illis, quàm ex ipsa separatione & negatione dispensationis ; imò hoc deserviret ad tollendum scandalum. In casu autem, quo delictum est omninò occultum, & tantùm agitur de foro conscientiæ ; si in eo foro sit periculum in mora expectandi Pontificis dispensationem, vel sit moraliter impossibilis aditus ad illum, & scandalum in separatione, longè alia ratio est.

158. *Et in casu quo ex mera benignitate Ecclesiæ dispensatur.*

Unde, quando Concil. dixit : *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur* &c. tantùm intelligendum est pro casu, quo ex mera benignitate concedenda esset dispensatio. Pro nostro autem casu dispensatio concedenda est, non ex mera benignitate ; sed ex obligatione, quam habet Superior providendi bono animarum, & avertendi præcavendique peccata subditorum, & scandala. Quæ omnia, ut supponit noster casus, moraliter præcaveri non possunt, nisi dispensatio concedatur, & Matrimonium legitimè fiat.

Atque ex his patet ad fundamentum Adversariorum, & Trid. locum, quem pro se adferunt ; scilicet, etiam necessitatem postulare, ut Episcopus in tali casu possit dispensare, ut vitentur damna & incommoda prædicta : Concilium verò tunc tantùm negat, debere Ecclesiam æquitatem exhibere erga prædictos, qui sic contraxerunt, quando ea damna & scandala auferri possunt aliâ viâ ; vel quando non sequuntur ex ipsa separatione, quæ fieri debet ; nempè quando alioquin in foro externo notum, probatum, aut probabile sit tale impedimentum di-

rimens. Hucusque Dicastillo.

159. *Dicast. perperàm pro se citat Præpos.*

Qui perperàm pro se citat Præpositum; Hic enim, ut vidimus, solùm docet id probabile esse, quando aliàs periclitaretur bonum commune, aut illustrium familiarum; cùm tamen Dicast. generaliter loquatur de omni damno & periculo, etiam privatorum. Interim, si in uno casu, cur non etiam in alio? Rationem disparitatis non invenio apud Præpositum. Et si hæc distinctio admittenda est, quando malâ fide contraxerunt, cur non, etiam quando bonâ fide contractum fuit?

An hìc sufficiat necessitas privata? Negat Garcia.

Herculè eamdem distinctionem tunc facit Garcia sup. n. 347. dicens: Nec obstat ratio primæ sententiæ: nam illa doctrina, quòd Episcopi possint dispensare etiam contrà jus Concilii ex magna causa necessitatis, quando Superior consuli non potest, intelligitur ex magna causa necessitatis non particularis seu privatæ, sed publicæ & communis seu Ecclesiæ; tunc enim ratio boni communis id exposcit: nec de necessitate particulari & privata est habenda ratio, cùm lex in communi feratur.

160. *Probatur.*

Et quòd intelligenda sit de necessitate publica, constat: nam DD. eodem modo loquuntur de magna causa utilitatis, quæ necessariò in proposito intelligenda est de utilitate publica & non privata.

Confirmatur.

Et si intelligeretur de necessitate particulari, posset aliquando Episcopus dispensare in prædictis impedimentis, etiam ante contractum Matrimonium: nam etiam tunc posset aliquando occurrere talis necessitas, & tamen tunc nullus scriptor id admittit, præter Tho. Sanchez sup. n. 7. quamvis sciam, Nuntium Hispaniæ semel dispensasse ante contractum Matrimonium in impedimento primi gradûs affinitatis ex copula fornicaria, de consilio aliquorum Theologorum. Hactenùs Garcia.

161. *Oppugnatur.*

Reverà major ratio est dispensandi, quando periclitatur bonum commune, propter quod lex lata fuit, quàm in periculo boni tantùm privati seu particularis; sed probandum manet, hoc periculum non posse esse causam sufficientem, sive in uno, sive in alio casu, hoc est, seu bonâ fide, seu malâ contractum fuerit Matrimonium. An putas, quia Pontifex non posset dispensare in Matrimonio malâ fide contracto, propter privata damna evitanda & scandala? Imò teneretur, quando aliâ viâ non possunt evitari, & dispensatio non vergit in detrimentum boni communis. Quamquam enim lex feratur propter bonum commune; non fic tamen, quin possit tolli sive in generali, sive in particulari, propter bonum privatum; nisi fortè esset bonum commune necessarium, & sublatio legis ejus destructivum.

162. *Pontifex potest dispensare ob bonum privatum.*

Et verò cui loquitur d. Decretum Trid. An fortè Episcopis? Imò soli Pontifici, ut sup. dictum fuit; si ergò ipse posset dispensare, non obstante malâ fide contrahentium, quàmvis non facilè debeat: quid ni & Episcopus, quando ad Pontificem non est recursus, & causæ tales sunt, ut propter eas Pontifex dispensaret, si ad eum posset recurri & recurreretur? Unde consultò dixit Concilium: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur*, significans per ly *Facilè*, aliquando, non obstante malâ fide, à Pontifice posse dispensari; ergò etiam ab Episcopo, quando Pontifex adiri non potest.

Alia impugnatio.

Nota etiam; quòd Decretum istud solùm intelligitur, secundùm plurimos DD. de solo impedimento consanguinitatis & affinitatis. Quid si ergò esset impedimentum criminis, v. g. occisio propriæ uxoris, aut proprii viri?

163. *Resp. Præpositi.*

Respondet Præpositus sup. n. 14. Inde posse colligi, Pontificem in alijs non censeri tacitè consentire in dispensationem, factam ab inferiore, quando conjuges malâ fide contraxerunt, spe futuræ dispensationis. Sic ille.

Rejicitur.

Sed sinè fundamento restringit potestatem dispensandi, quæ favorabilis est, ad casum non expressum, & à casu, qui frequenter occurrit, ad casum non ita frequentem. Atque ut Decretum intelligeretur de omni impedimento, non debet magis coarctari potestas Episcopi, quàm Pontificis; cùm loquatur, ut dictum est, Pontifici, & non Episcopo.

Episcopus potest dispensare in eo casu, in quo posset Papa, non obstante eo Decreto.

Dico igitur, Episcopum posse dispensare in eo casu, in quo propter damna & scandala imminentia posset & deberet dispensare Pontifex, non obstante eo Decreto, si ad eum recurreretur; posse, inquam, dispensare, si recursus sit moraliter impossibilis. Sic ego sentio, quousque sedes Apostolica clariùs suam mentem expresserit, quàm in præfato Decreto. Neque distinguo inter Matrimonium contractum & contrahendum, ut patet ex ultima parte Concluf. *Etiam ante Matrimonium contractum*, de qua statim latiùs.

164. *Quæ hìc sit mala fides ex Sanchio.*

Priùs respondeo ad quæstionem: Ecquæ est mala fides hìc? Respondeo, inquam ex Sanchio lib. 2. disp. 40. n. 4. non satis esse scientiam speculativam, quâ conjux novit, se accessisse ad consanguineam ejus, cum qua contrahere vult Matrimonium, nisi conjungatur scientiâ practicâ, quâ sciat, inde oriri impedimentum ad Matrimonium contrahendum.

Nec excludetur hæc bona fides, quàmvis procedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili. Nam Trid. d. c. 5. petit, ut scienter præsumatur, ut patet ex verbis sup. relatis; dum autem Decretum aliquod petit, scienter aliquid fieri, excusat ignorantia quantumcumque crassa, & lata culpa; quia verè non dicitur scienter facere, qui ex ignorantia crassa facit, sed dolus requiritur. Undè solùm excludetur hæc bona fides, quando ignorantia esset adeò crassa, ut effet ingens temeritas; tunc enim æquipararetur dolo. Ita Sanchez, & Alii communiter. Nec est satan, aut occursus malus.

165. *Exemplum ultimæ partis Concluf. ex eod.*

Progrediar ergò ad ultimam partem Concluf. quam tradit Sanchez sup. n. 7. hisce verbis: Et ausim dicere, nullius Auctoris patrocinio fretus, posse Episcopum dispensare aliquando in impedimento Matrimonium dirimenti, antequam Matrimonium contrahatur, quando urgentissima necessitas id postularet. Exemplum sit;

ſit; accedit mulier manè faſſura, & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam notabilem produceret, & ſunt omnia jam parata ad nuptias veſpere celebrandas, & tentatis omnibus mediis, nulla evadendi via aperitur; ſed ſuſpicio vehemens orietur alicujus criminis detecti in Confeſſione, ſi fœmina abſtinere velit à nuptiis, aut differre, dum Pontificia diſpenſatio obtinetur.

Dixi: *Tentatis omnibus mediis*: quia ſi aliqua evadendi via commodè reperitur, nullo modo poterit Epiſcopus: & fortaſſis hæc eſſe poſſet via, ſi fœmina voveret caſtitatem ad tempus, v. g. per menſem, conſulente Confeſſario, & dicat conſanguineis, ſe voto caſtitatis alligatam eſſe, juſſumque ſibi eſſe à Confeſſario, ut à nuptiis abſtineat, donec voti diſpenſatio impetretur à Pontifice (tacere enim debet, votum fuiſſe ad tempus, ne Epiſcopi diſpenſatio petatur) & dum pro illa diſpenſatione obtinenda Romam mittitur, poteſt occultè diſpenſatio veri impedimenti obtineri. Sic ille.

166. *Conjonas Averſa.* Et verò (inquit Averſa ſup. §. *Septimò*) oporteret hoc remedio uti, etiamſi eſſet ab Epiſcopo petenda diſpenſatio, ſi Epiſcopus diſtet aliquo itineris ſpatio ab eo oppido, in quo ſponſi parati erant contrahere, aut etiam in eadem civitate, ſi ſponſi cum comitatu adierant Eccleſiam, vel vocaverant Parochum in ſuam domum ut contraherent, ubi non adſit tunc præſens Epiſcopus. Ita præfatus Auctor.

Aliud exemplum ex Pontio. Pontius autem ſup. n. 6. ubi amplectitur ſententiam Sanchez, aliud ponit exemplum, dicens: Ut ſi quis morti proximus, ad legitimandos liberos, vel reſtaurandum honorem, vel pro bono pacis, deberet citò contrahere.

167. *Non placet Averſæ.* Verùm (inquit Averſa ſup.) ſi impedimentum erat occultum, hæc non habent locum. Si erat notum, non debet ad id extendi poteſtas Epiſcopi, maximè pro foro externo. Itaque vix poteſt occurrere caſus, in quo antè contractum Matrimonium, poſſit Epiſcopus diſpenſare. Sic ille.

Averſam oppugnat Dicaſt. Quem oppugnat Dicaſt. ſup. n. 56. ibi: In caſu occulto, falsò negat Averſa, quòd damna non ſequantur. Attende quæſo; an proles, quæ ob vitium occultum non fuiſſet reverà legitimata, quia defuit diſpenſatio, juſtè ſuccederet parentibus, aut aliis, ſive ab inteſtato, ſive ex teſtamento; præſertim, ſi id tandem evidenter conſtaret? An ſi aliqui quidem ſciant impedimenta, licèt non tot, quot ſufficiunt, ut res cenſeatur publica & notoria, non poſſet decurſu temporis res propalari, & inde ſequi multa mala? An non etiam inter illos paucos, qui ſciunt, poſſint eſſe aliqui, qui rem vehementer ſentirent, & poſſent ab illis, & ab aliis, quibus id communicarent, timeri ſcandala, rixæ, inimicitiæ & ſimilia? Itaque hodie eſt ſatis recepta & tuta, & ipſis etiam Pontificibus nota, ſententia prædicta affirmans. Hactenùs Dicaſtillo.

168. *Defenditur.* Sed reſponderi poſſet pro Averſa; ipſum hæc omnia benè attendiſſe, & ideò non dixiſſe, nunquam poſſe occurrere caſum, in quo antè contractum Matrimonium poſſit Epiſcopus diſpenſare; ſed vix poſſe occurrere, quia vix occurrunt omnes illæ circumſtantiæ. Si tamen occurrerent, Averſa inclinatur in ſententiam Sanchii. Pariter enim (inquit) eadem ratio militabit. Et favet textus, ſup. allatus de impedimento ætatis. Unde poteſt ſumi argumentum ad alia impedimenta, occurrente ſimili neceſſitate. Sic ille.

Sed hoc ego non puto eſſe verum; alioquin, 169. etiam quando impedimenta alia ſunt publica, poſſet Epiſcopus ſimili neceſſitate occurrente in eis diſpenſare, etiam pro foro externo, & in caſu, quo Pontifex facilè poſſet adiri. Nam eo caſu poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento ætatis, vid. textûs, ſi loquatur de Matrimonio.. *Rejicitur ejus probatio deſumpta ex c. 2. de deſponſ. impub.*

Ille ergò textus parùm aut nihil favet huic ſententiæ, ſed potiùs videtur ei officere, juxtà illud vulgatum; *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Si fuit mens Pontificis, ut in ſimili neceſſitate Epiſcopus diſpenſaret in aliis impedimentis, cur id nuſpiam expreſſit, cur ſolum defectum ætatis exprimit? Vnde nec Sanchez eo argumento utitur. Quo ergo? Impedimentum, inquit, hoc juris humani eſt, ſtatutum lege Pontificiâ vel Concilii: ſed in hac lege ex magna neceſſitate poteſt Epiſcopus diſpenſare. *Prima probatio Sanchez.*

Probat ſecundò; argumento à ſimili: quia 170. votum ſimplex caſtitatis, jure divino impedit Matrimonium contrahendum, & commmuni Eccleſiæ conſuetudine (ut omnia privilegia diſpenſandi in votis, quæ ſemper hoc votum excipiunt, teſtantur) ejus diſpenſatio Pontifici reſervatur: & tamen in caſu urgentis neceſſitatis, quando magnum incontinentiæ periculum urget, nec conſuli poteſt Pontifex ratione paupertatis, aut quia eſt grave periculum in mora, poteſt Epiſcopus diſpenſare: ergò poterit diſpenſare in impedimento dirimenti in caſu præſenti, ubi urgentior eſt neceſſitas. *Secunda.*

Nec obſtat, ſi dicas; votum ſolùm impedire, aliud autem impedimentum dirimere: id enim fateor; verùm negari non poteſt, ſimiliter utrumque impedimentum Pontifici reſervari, & impedimentum voti excedere in hoc, quòd juris divini ſit. *Evaſio præcluditur.*

Tertiò: quia ſententia aſſerens, poſſe Epiſcopum diſpenſare poſt contractum Matrimonium, illi fundamento innititur, quòd poſſit Epiſcopus in lege Papæ aut Concilii diſpenſare in caſu urgentis neceſſitatis: ergò ſimiliter poterit ante Matrimonium, urgente neceſſitate: quamvis enim eo ſemel contracto, frequentiùs neceſſitatis caſus occurrat: at cùm ſola prohibitio juris humani in utroque caſu reſiſtat, ſimiliter occurrente pari neceſſitate, poterit antè Matrimonium contractum diſpenſare. 171. *Tertia probatio.*

Tandem: quia non ita levibus fulcitur hæc ſententia fundamentis, quin aliquam probabilitatis effigiem habeat: at quando notabile damnum proximi imminet, licitum eſt, omiſſâ ferè *Prima.*

certâ opinione, eam amplecti, quæ speciem aliquam probabilitatis habeat. Hactenùs Sanchius pro sua nova opinione sup. quam nunc passim Recentiores sequuntur.

172. *Expenditur 2. probatio.* Ego (inquit aliquis) parvum habeo scrupulum circà secundam ejus probationem. Quæro autem; an benè sequatur: Episcopus in casu necessitatis potest dispensare in voto simplici perfectæ castitatis, quod est impedimentum juris divini; ergò etiam in lege divina, v. g. in polygamia, quando ea foret omninò necessaria? Non vidi hactenùs, qui eam Consequentiam admitteret. Sed quæ ratio negatæ Consequentiæ, cùm utrumque sit impedimentum juris divini, quàmvis unum dirimens, alterum tantùm prohibens? An fortè Deus potest dare legem in destructionem animarum, & non in ædificationem? Si autem non valet argumentum à voto ad legem divinam; cur valeat à voto ad legem humanam?

Defenditur. Quia, inquis, votum majus est, & strictiùs ligat, utpote juris divini; jam autem Reg. 53. de Reg. juris in 6. ait: *Cui licèt, quod est plus, licèt utique, quod est minus.*

173. *An efficaciter.* Sed hæc regula intelligitur, quando majus & minus subordinata sunt; vel unum aliud aliquo modo includit, seu ut totum suam partem, sive etiam ut genus suam speciem: & denique nisi diversa ratio subsit in eo, quod est minus. Porrò impedimentum dirimens Matrimonium non subordinatur voto, neque unum alterum includit; & diversa ratio subest in eo, quod est minus; siquidem impedimentum est lex communis, votum autem lex solùm privata, quam quisque sibi ipsi imponit. Et extrà dubium est, multos posse dispensare in votis, qui nequeunt dispensare in legibus Pontificiis. Ergò argumentum, petitum ex dispensatione voti, non videtur esse omninò efficax.

174. *Arg. à dispensatione in voto ad dispensationem in impedimento dirimente non valet.* Alioquin sicut Episcopus potest dispensare in voto, quod solum dubiè est reservatum, cur non etiam in impedimento dubio? Constat Deum concessisse Ecclesiæ suæ potestatem condonandi suo nomine obligationem voti; ex quo autem liquet, dedisse inferiori potestatem dispensandi propriè in lege Superioris. Sanè neque Pontifex id potest in toto orbe, nisi ex speciali Dei concessione; ergò neque Episcopi in suis Episcopatibus, nisi ex speciali concessione Dei, aut Pontificis.

Aliud arg. improbatur. Unde apud me nullius pili est hoc argumentum: Episcopus potest in sua Diœcesi, quidquid Pontifex in tota Ecclesia: sed Pontifex potest dispensare in impedimentis dirimentibus in tota Ecclesia; ergò Episcopus in sua diœcesi. Nam ratio disparitatis est nimis manifesta; scilicet, quòd impedimenta dirimentia, de quibus hìc agimus, non sint leges Superioris respectu Pontificis; secùs respectu Episcoporum. Ut ergò aliquid probaret hoc argumentum, minor talis esse deberet: Sed Pontifex dispensat in lege Superioris in tota Ecclesia: quæ constat esse falsa.

175. Optima ergò probatio Conclus. nostræ est tacita voluntas Pontificis, fundata in summa æquitate, ad evitanda damna & pericula animarum. Quæ voluntas aliqualiter colligitur ex dispensatione in votis reservatis. Neque plus Sanchez voluit. Putas, quia Ecclesia non debeat impedire, quando commodè potest, tot actus fornicationis, qui subsequuntur invalidum Matrimonium? Et quod, quæso, incommodum excusans?

Optima probatio Concl. tacita voluntas Papæ.

Quia autem hæc æquitas non postulat dispensationem in foro externo, ideò in Conclus. addita fuit illa particula: *Pro foro conscientiæ.* Sic quippe Trident. sess. 24. de Reform c. 6. ubi, ut sup. vidimus, concedit Episcopis potestatem absolvendi à casibus occultis, expresè addit: *In foro conscientiæ.*

176. *Nequit dispensare Episcopus, quando adest, qui expressam habet licentiam. Probatur.* Atque consimiliter dicta æquitas non videtur exigere, ut quando adest aliquis, qui habet expressam concessionem Pontificis, Episcopus dispenset; & ideò tali casu negamus, cum communiori sententia, Episcopum posse dispensare cum nulla omninò sit necessitas; sicuti si ipse Pontifex præsens foret, & per seipsum vellet dispensare.

Confirmatio ex Sanchez. Confirmatur (inquit Sanchez sup. n. 8.) quia Sacerdos simplex, quemvis in articulo mortis constitutum absolvere possit, ratione urgentis necessitatis; si tamen ea cesset, quia vel pastor ordinarius, vel ab ipso expositus haberi potest, nequibit absolvere. Sic ille.

177. *Non placet Auctori.* Sed ego istâ confimatione nolo uti; quia Disp. 8. Sect. 2. Conclus. 4. ostendi, satis probabile esse oppositum; scilicet, quòd possit absolvere in præsentia. Quidquid videatur in contrarium dicere Rit. Rom. Tit. de Sacramento Pœnitentiæ circà principium, ibi: *Sed si periculum mortis immineat, approbatusq; desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris & peccatis absolvere.* Ergò quando adest Confessarius approbatus, quilibet Sacerdos non potest absolvere.

Respondeo neg. Consequentiam: quia argumentum à contrario sensu in multis fallit. Statuit ibi Rituale, quod certum est, abstrahens ab eo, quod est controversum, an scilicet etiam sinè hac conditione possit id quilibet Sacerdos.

178. *Fatetur hìc Auctor se alibi erasse.* Si dixeris: Disp. 7. Sect. 9. Conclus. 6. n. 144. negatur dicta verba haberi in Rit. Rom. contrà Herinx. Respondeo: planè negatur, sed perperam. Homo sum, humanum nihil à me alienum arbitror: omnis autem homo mendax: omnes erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Fateor igitur, me ibi erasse instar hominis; sed & instar hominis errorem meum volo corrigere, non autem cum diabolo persistere in malo obstinatus.

S. Aug. Appositè dixit Aug. lib. 3. contrà Crescon. c. 3. *Sicut laudabile est, à vera sententia non amoveri, ita culpabile perfistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare.* Primam laudem non mereor, secundam prorsùs habere cupio, & ideò d. errorem retracto, & omnes alios, qui fortè in libris meis reperti fuerint.

Sed

179. *Non valet hic arg. ab Absolutione in extremis.*

Sed revertamur ad propositum. Nunquid admisso, quòd simplex Sacerdos possit absolvere in præsentia Ordinarii, rectè infertur, quòd Episcopus possit dispensare in casu proposito, quando adest delegatus Pontificis? Non puto. Disparitas quippe est, prima: quòd de absolutione à reservatis in articulo mortis, habeamus expressum jus in Trid, ut sup. vidimus. Secunda; quòd in fine vitæ agitur de salute æterna, & plena libertate conscientiæ, quæ postulat, ut sup. dixi, ut moriturus cuilibet possit confiteri, ne pereat, quæ hìc non habent locum.

Qui hìc habent expressam concessionem Papæ, ex Aversa.

Si autem à me quæritur: quinam habeant expressam concessionem Pontificis dispensandi in impedimentis. Solet à Pontifice concedi (inquit Aversa sup. §. *Decimò*) suis Legatis in Provinciis Italiæ & Nuntiis extrà Italiam, facultas dispensandi in impedimento publicæ honestatis. Et in omni casu, quo ob urgentem necessitatem potest Episcopus dispensare, sinè dubio potest etiam Legatus: quia ex communi regula, quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi, potest etiam Legatus in sua Provincia. Item: Commissarius Cruciatæ habet ex delegatione Pontificis facultatem dispensandi in foro conscientiæ in impedimento occulto affinitatis, ortæ ex copula illicita, quando invenit contractum fuisse Matrimonium bonâ fide, saltem ex parte alterutrius conjugis. Sic ille.

Quid requiratur, ut Commiss. Cruciatæ possit dispensare, ex eod.

180. *Item ex Sanchez.*

Addit Sanchez lib. 8. disp. 6. n. 23 & contractum fuisse, servatâ formâ Trid. sess. 24. de reform. Matr. c. 1. scilicet, coram Parocho & testibus, præmissis denuntiationibus. Idque hâc lege, ut conjux, qui ignoravit impedimentum, certior fiat de prioris consensûs nullitate, quàmvis ei non declaretur causa nullitatis, ut eviten-tur scandala.

Facultas Commiss. quoad aliquid est amplior potestate Episcopo rum.

Hinc deducitur (inquit idem Auctor n. 24.) facultatem hanc Commissarii ad dispensandum, esse quodammodò ampliorem eâ, quæ conceditur Episcopis ratione urgentis necessitatis, & quodammodò strictiorem. Est enim amplior quoad hoc; quia Episcopus nequit dispensare, quoties est recursus ad Pontificem, imo ad habentem ab eo facultatem dispensandi. At Commissarius potest, licèt Pontifex esset præsens. Quia hæc limitatio in ejus concessione non adhibetur.

181. *Et quoad aliquid strictior, ex eod.*

Est autem strictior quoad hoc, quòd Commissarius in solo impedimento affinitatis ex copula fornicaria potest dispensare, & nunquam antè Matrimonium initum, & conjuge altero certiore facto de prioris nullitate consensûs. At Episcopus potest in omnibus impedimentis jure Pontificio dirimentibus, & aliquando antè initum Matrimonium. Nec est usquequaque certum, desiderari, alterum conjugem certiorem fieri de prioris Matrimonij nullitate. Hæc ille.

Qui ibidem & n. 25. ac seqq. tractat de potestate, quam habet d. Commissarius legitimandi prolem, scilicet quoad omnes Ordines, & quævis beneficia; secùs quoad bona temporalia. Et putat hanc legitimationem non valere, nisi priùs dispenset in Matrimonio, & Matrimonium ineatur. Quòd si dispensasset, & non legitimasset, posset alius subsequens Commissarius legitimare, subsecuto inter parentes vero Matrimonio.

182. *Potestas quam habet Nuncius Apostolicus, ex Gobat.*

Quantùm ad Illustrissimos Dominos Nuntios Apostolicos, de quibus sup. mentio facta fuit, præter potestatem, quam habent communem cum Episcopis, consuevêre (inquit Gobat sup. n. 587.) Summi Pontifices facere ipsis jus dispensandi *gratis cum quibuscumq; personis, intrà suæ Legationis limites existentibus, quæ quarto, aut etiam tertio & quarto, etiam multiplicibus consanguinitatis vel affinitatis gradibus conjunctæ, seu se attinentes, scienter vel ignoranter conjunctæ sunt, vel alias se, non tamen sub spe faciliùs habendæ dispensationis à Sede Apostolica, carnaliter cognoverunt; nec non cum aliis quibuscumque similibus gradibus conjunctis vel se attinentibus, quì propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias, vel ob dotem minùs competentem, aut alias ob rationabiles causas, Matrimonium invicem contrahere voluerint.*

Hæc sunt verba formalia cujusdam Brevis, datæ ab Innoc. X. ad quemdam Illustrissimum Dominum Nuntium Apostolicum, quibus tamen præmittitur clausula de iis, *qui ob eorum paupertatem & itineris incommoda ad Romanam Curiam pro dispensatione impetranda accedere, vel mittere non possunt.* Ita Gobatius.

183. *Alia specialis facultas.*

Et prosequitur: Præter hanc communem facultatem conceditur quibusdam Illust. Dominis Nuntiis alia specialis circà impedimentum publicæ honestatis, proveniens ex sponsalibus, & cognationis spiritualis inter levantem & levatum; non autem inter baptizantem & baptizatum, sicuti exprimitur disertè in Indiculo specialium facultatum, impertitarum Illust. Domino Frederico Borromæo ad Helvetios &c. Apostolico Nuntio, quem penes me habeo, quique insuper continet potestatem dispensandi in tertio & quarto gradu consanguinitatis & affinitatis simplici & mixto; cum pauperibus incarceratisque, & cum hæreticis (conversis) in secundo simplici & mixto; item super impedimento criminis, neutro tamen conjuge machinante; quinimò conceditur etiam potestas dispensandi in tertio gradu, tum simplici, tum etiam geminato. Hucusque Gobatius.

184. *An Episcopus possit suam facultatem delegare.*

Rogat aliquis; an quod Episcopus potest per se facere, etiam alteri possit delegare? Respondeo: posse totum per alium, quod potestate ordinariâ potest per se: sed potestas dispensandi in casu necessitatis est quodammodò ordinaria, utpote competens non personæ, sed perpetuò dignitati seu officio Episcopali; ergò eam potest alteri delegare sive generaliter, sive in casu particulari: neque enim hæc res tanti momenti est, ut per alium non possit expediri; qualis est potestas conferendi beneficia, quam soli Vicario suo generali potest Episcopus delegare, ut docet Gloss. cap. *Deliberatione*, 4. de Legat. in 6. verb. *Cuicumque*, in fine: *Licèt Episcopus posset generaliter tradere potestatem Officiali vel Vicario suo conferendi beneficia vacatura, sup. eod. lib. de*

Offic.

Offic. Vicarii, c. ult. non tamen alium, quàm Officialem constituere.

185. *Objectio ex cap. 43. de Offic. Deleg.*

Nec obstat cap. 43. de Offic. Deleg. §. ult. sequentis tenoris: *Cæterùm (salvâ Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli, cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare.*

Solvitur ex eod. cap.

Non obstat, inquam; nam pro ratione adjungitur: *Quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte.* Unde Gloss. verb. *Commissum*, ait: *Isti enim, quibus hæc, quæ sequuntur expedienda committuntur, meri executores sunt, ad certos articulos expediendos, & nullam habent jurisdictionem.*

186. *Item ex cap. ult. de Offic. Ord.*

Et verò Episcopus in casu nostro merus executor est, & nullam habet jurisdictionem? Claret, quòd non; arg. cap. ult. de Offic. Ordinarij, quod sic sonat: *His quibus ex officio in certis casibus competit illos absolvere, qui pro violenta manuum injectione, incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, licet aliis hujusmodi absolutionem committere, cùm viderint expedire.*

Ubi Gloss. verb. *Casibus*, inquit: *Non dicitur illud certum ministerium, cùm illud sibi competat ratione dignitatis, cui concessum fuit privilegium perpetuum.* Et in fine ait: *Intelligo in omnibus aliis excommunicationibus, quòd illi, qui ordinario jure, vel delegato à Principe, possunt absolvere, possunt committere vices suas, cùm viderint expedire, dummodò delegatus habeat jurisdictionem.* Si autem Episcopus habet jurisdictionem, & non est merus executor, quando absolvit excommunicatum, ratione urgentis necessitatis; quid ni etiam eam habeat, quando dispensat, propter eamdem necessitatem, in impedimentis Matrimonii?

187. *Objectio ex Trid.*

Dices Trid. sess. 24. c. 6. de refor. ubi concedit Episcopis casus Pontificis occultos, explicat: *Per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum.* Ergò clarè denotat, non posse delegare, ubi non committitur Episcopis potestas delegandi.

Explicatur Concil.

Respondetur: Trid. intelligendum esse, ut velit, Vicarium Episcopi non habere ex generali commissione Vicariatûs hos casus, nisi sibi specialiter committantur; non autem, ut velit negare Episcopo potestatem generaliter delegandi.

188. *Probatur hic intellectus ex Sanchez.*

Et probatur hic intellectus (inquit Sanchez lib. 2. Disp. 48. n. 17.) quia Multi dicunt, casum hæresis in eo Decreto Episcopo concessum, posse eos delegare Vicario specialiter deputato, & tamen aliquid ampliùs exigit Concilium in hoc casu; siquidem in eo dicit, per se & non per Vicarium: ergò in reliquis casibus non petit Concilium specialem delegationem.

Unde infero, idem dicendum esse in impedimento dirimenti Matrimonium occulto, & reliquis casibus, qui ratione necessitatis urgentis sibi competunt; potest enim hos casus Episcopus generaliter delegare, cùm sit jurisdictio ordinaria. Hæc ille.

Sinè qua utique delegatione generali ad omnes casus, aut certè speciali ad particularem casum, Vicarius nihil potest, ut dictum est, & docet ibidem Sanchez n. 12. cum Gloss. cap. *Quæ de causa*, 2. q. 5. verb. *Quidquid*, ibi: *Item est hic arg. quòd generali mandato dispensatio delegatur. Arg. contrà, extra de Offic. Legati.* Quòd translationem; *cùm enim dispensatio habeatur instar restitutionis in integrum, & restitutio in integrum non delegatur per generale mandatum, ut ff. de Minor.* Illud; *ergò nec dispensatio.* Io. *Ego dico, quòd Legatus Domini Papæ generalis omnia potest, nisi ea sola, quæ Romano Pontifici sunt reservata, extra den Sentent. excom.* Nuper, *de Offic. Legati*, Quòd translationem, B.

189. *Vicarius Episcopi hic nihil potest, nisi ex delegatione, ex eod.*

Sicut autem hæc potestas non competit Vicario ex generali commissione Vicariatûs, ita quoque juxtà Sanchium sup. n. 9. non competit iis, qui habent privilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, etiam matrimonialibus; quia hi non dicuntur casus Episcopales, sed verè ad Pontificem pertinent, & ex quadam juris interpretatione Episcopo censentur permissi.

Vtì nec illi, qui habent privilegium dispensandi in casibus Episc.

190. *Quid dicendum de Capitulo Sede vacante.*

Sed nunquid etiam neganda est capitulo, Sede vacante? Hanc quæstionem non movet Sanchez in terminis; equidem ex his, quæ docet lib. 8. disp. 3. n. 10. putà, facultatem concessam Episcopis à Trid. sess. 24. de refor. c. 6. ad absolvendum & dispensandum circà casus occultos, transire in Capitulum Sede vacante; ex hac, inquam, doctrina, consequenter videtur dicendum, hanc potestatem dispensandi in impedimentis occultis, ratione urgentis necessitatis, eâdem ratione transire in Capitulum Sede vacante. Quippè ratio prioris est; quòd potestas concessa ibi à Trid. sit ordinaria, utpote competens non personæ, sed dignitati perpetuò vel officio. Sed secundùm Sanchium, etiam potestas dispensandi in impedimentis est ordinaria, ut sup. audivimus; ergò & ipsa transit in Capitulum Sede vacante.

Videtur gaudere hâc potestate.

Et quia Disp. 8. Sect. 5. Conclus. 1. dixi, priorem facultatem transire, idem hìc assero de secunda; donec aliquis ostenderit rationem disparitatis. Certè neque hìc, neque ibi eligitur industria personæ; quia, ut notat Sanchez lib. 2. disp. 40. n. 17. quoties aliquid conceditur Prælatis præsentibus & futuris in perpetuum, non potest dici electam esse industriam personæ, cùm personæ incognitæ delegetur; & aliàs nec generaliter, nec specialiter posset Episcopus delegare, quod constat esse falsum.

191. *An Mendicantes habeant privilegium dispensandi in impedimentis. Chassaing. Privilegium quoddam Leonis 10. ex Roffens. pro Augustinis.*

Cæterùm si à me quæritur: an aliqui Religiosi, præsertim Mendicantes, habeant privilegium dispensandi in aliquo impedimento dirimente Matrimonium. Adverte (inquit Bruno Chassaing de Privil. Regul. tract. 5. cap. 5. propos. 3. in fine) Roffensem, virum magnæ sanctitatis & doctrinæ, qui pro fide Catholica gladiis impiorum occubuit, in libello, qui inscribitur, de Causa Matrimonii, in principio affirmare, Leonem X Augustinianis per totum orbem existentibus concessisse per Bullam, ut cum his, qui in primo gradu affinitatis scienter vel

vel ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in judicium productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem item Matrimonio contracto maneant, prole etiam legitimâ. Hæc Roffensis. De quo privilegio non auderem dubitare, propter viri eminentis sanctitatis & doctrinæ testimonium.

192. *Solvuntur objectiones.* Nec obstat 1. quòd non sit in usu; quoniam, præterquàm quòd non constet de hoc non usu, cùm versetur circà occulta, quæ solis Confessario & Pœnitenti sunt nota, probavimus in Tract. de Privil. in communi, privilegia non amitti per non usum.

Nec obstat 2. quòd Episcopi eâ facultate careant; cùm constet, Regulares privilegiis aliquibus potiri, quibus Episcopi minimè gaudent, ut in casu percussionis Clerici, & aliis. Sic Bruno.

Pro eodem privilegio refertur à Bassæo, Veracruz. Bonagratia. Atque pro eodem retulit (inquit Bonagratia Sum. verb. Matr. n. 288.) Bassæus verb. *Matrimonium*, 9. n. 4. etiam Veracruz 2. part. Speculi c. 27. Omisit autem totum in editione altera Antverpiensi 1643. quod demùm repositum est in novissima Veneta 1655. cum remissione tamen ad judicium Doctorum.

193. *Refertur duplex Oraculum Greg. 13. pro Societate Iesu.* Idipsum quoque (prosequitur idem Auctor) factum est in duplici oraculo Greg. XIII. pro Societate Iesu, quorum uno, 24. Aug. 1576. concessit, *ut in iis locis & Parochiis, ubi Concilii Trid. Decretum de irritandis Matrimoniis clandestinis promulgatum est, & ab aliquibus non servatum, qui induci non possunt, ut iterùm, servatâ formâ Concilii, contrahant, possint cum talibus dispensare, ut inter se contrahant, non servatâ Concilij formâ & ut, postquam ita contraxerint, proles ita susceptæ ipso facto legitimæ censeantur.*

Altero die 2. Sept. 1580. concessit, *ut possint iidem dispensare cum iis, qui contraxerunt cum impedimento criminis, qui non putant illicitum, dare fidem de Matrimonio post mortem conjugis, vivente altero, imò putant justissimum esse, ubi intervenit copula.* Horum meminit etiam P. Cypr. in Reg. c. 7. lect. 29.

194. *Alia ejusdem Pontificis.* Idem Greg. XIII. 17. Aprilis 1581. iisdem concessit, ut Confessarii Societatis Iesu, quos Generalis, vel ex ejus concessione Superiores subordinati nominaverint, *possint in foro conscientiæ dispensare cum iis, qui ab hæreticis, schismaticis, vel à non proprio Parocho, etiam ubi Concilium Trid. particulariter promulgatum est, Matrimonio juncti sunt, ut inter illos sinè nova ceremonia (ad quam hæreticus non consentiret) sit verum Matrimonium post dispensationem, à Confessario factam, & post elicitum aliquâ ratione à conjuge novum consensum.*

Quartum & ultimum. Eodem die & anno concessit idem Greg. facultatem Confessariis ejusdem Societatis, *in foro conscientiæ dispensandi cum iis, qui in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis contraxissent, nec possent ullo modo sinè grandi periculo thoro separari, ut elicito ab utroque conjuge novo consensu, Matrimonium absque aliis solemnitatibus sit validum.* Eamdem facultatem concessit *inter compatres & commatres, qui Matrimonium iniissent, spirituali cognatione impeditum, etiamsi uterque conjugum Catholicus sit.* Facult. Septentr. Soc. Iesu verb. *Matrimonium.* Hucusque Bonagratia, post P. Bassæum & P. Cyprianum etiam Capucinos. Ego autem miror, nullum istorum privilegiorum positum fuisse in Compendio privilegiorum & gratiarum Societatis Iesu.

195. *Resp. Rodriguez ad privilegium Leonis 10.* Et verò Rodrig. to. 3. qq. Regul. q. 2. a. 2. de privilegio Leonis X. sic ait: Tale privilegium non video esse in usu; imò Doctissimus Pater Vega, legens Sacram Theologiam in hoc conventu S. P. N. Francisci Salmanticensi, asseruit, se credere, hoc privilegium non fuisse universaliter concessum; sed pro aliquo casu particulari tantùm fuisse indultum, quo casu cessante, jam ipsummet cessaverat; non enim credendum est, Summum Pontificem Religiosis quoad sæculares concessisse id, quod Episcopis nunquam legitur fuisse generaliter elargitum. Sic ille. Sed ad hæc argumenta in contrarium, sup. responsum fuit à Brunone.

Explicatio ejus ex Henriquez. Henriquez lib. 12. de Matr. c. 3. n. 3. ait: Id privilegium non concedit amplius, quàm dispensare, ut incestuosus contrahat cum alio: aut ut licitè debitum petat, non obstante incestu commisso post Matrimonium. Et in Commento lit. A. Quia, inquit, non reperitur scriptum apud eos, qui diligenter privilegia Mendicantium collegerunt, videtur tantùm fuisse concessum à Leone X. dispensare in affinitate incestûs, quæ supervenit Matrimonio. Hæc ille. Contrà tamen tenorem verborum, quæ ex Roffensi sup. retulimus.

196. *Quem sequitur Quintanadvenas?* Cum Henriquez sentit Quintanadvenas; scilicet, ejusmodi facultatem non fuisse ita generaliter collàtam; tum, quòd sedulus revolverit omnes, qui diligenter collegerunt privilegia Mendicantium, & tamen nihil tale repererit: tum, quia estò ponamus concessam, attamen revocata sit per Concil. Trid. sess. 25. c. 22. de Regul. ibi: *Non obstantibus eorum omnium & singulorum privilegiis &c.*

Putat revocatum per Trid.

Sed perperàm. ex Gobatio. Verùm (inquit Gobat sup. n. 719.) liquet ex Rubrica, quam Barbosa præfigit huic 22. cap. Concilium illic non loqui de privilegiis contrariis cuicumque tandem Decreto illius Sacræ Synodi; sed solùm de iis, quæ obstant Decretis in ea tota sessione, patetque ex ipsa littera hæc explicatio. Sic ille.

197. *Quamquam & hic existimet, illud non subsistere.* Nihilominùs tamen (prosequitur n. 720.) existimo esse verosimilius, tale privilegium vel nunquam emanasse, vel si emanavit, non subsistere. Etenim vel fuit dumtaxat vivæ vocis Oraculo concessum, vel per Bullam; si secundum, evolavit, cùm nusquam reperiatur; evolasse quis credat? Si primum, probabilissimè evanuit ob Bullas Greg. & Urbani. Attamen, ob reverentiam ergà illum S. Episcopum, credo omninò, esse datum, at non bullatum formaliter, consequenter de illo differendum, sicut de cæteris sinè Bullis concessis olim privilegiis.

Interim putat posse practicari in certis circumstantijs. Quia verò tam Veracrucius, quàm Chassainus, adhuc tribuunt ipsi robur; Pellizarius & Bonagratia non negant, sicut nec Bassæus;

non esset manifesti criminis, seu imprudentiæ reus, ille ex Ordine Mendicantium Regularis, qui nactus duos ejusmodi conjuges, sed conscios impedimenti orti ex fornicatione, ut exprimit Henriquez, versantes autem in manifesto perpetuoque (ob utriusque singularem fragilitatem) incestuosorum concubituum discrimine, cum evidenti periculo, quòd ampla hæreditas esset ad ipsorum filios illegitimos devolvenda iniquissimè, & cum quadam morali impossibilitate faciendi separationem, diceret iis: *Dispenso vobiscum quoad possum, quia tamen valde dubium* (Theologi & Iurisconsulti sexcenties vocant dubium illud, cujus certitudo non habetur) *est, an possim, petam à Pœnitentiaria Romana* (vel ab Episcopo juxtà dicta sup.) *certam dispensationem, interim si continere non potestis, revertimini in idipsũ, sperantes benè de benignitate divina.* Ratio est; quia satiùs est in morbis desperatis adhibere dubiam, quàm nullam medicinam. Hucusque Gobatius.

198. *Iudicium Auctoris.*

Ego autem dico; si credere debemus, illud privilegium omninò esse datum, bullatum fuerit formaliter, vel non, probabilissimè nondum evanuit. Sanè non est dubium, quin multa privilegia, formaliter bullata, injuriâ temporum evolaverint; cur ergò non possum credere, & hoc, de quo agimus, & quod citatur à viro tam sancto & docto, evolasse?

Hodie multa Oracula vivæ vocis non evanuerunt.

Præterea: probabilissimum est, etiam post Bullas Greg. XV. & Urbani VIII. multa Oracula vivæ vocis non evanuisse; scilicet, ea omnia, quæ à Pontificibus ex certa scientia confirmata, in Bullas transierunt. Et verò cur inter ea non possit numerari dictum privilegium?

Ut omittam Urb. VIII. aliâ posteriore constitutione, quæ incipit: *Alias fel.* 11. Aprilis 1635. estque 151. apud Cherubinum, declarasse, Officiales seu ministros, quibus aliàs, antè emanatas illas duas Bullas, ex Officiorum suorum auctoritate de Oraculo, per eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, habito, fides haberi solebat, quoad ea, quæ ad cujuslibet eorum officium seu munus, quo funguntur, pertinent, in prædictis litteris minimè comprehensos fuisse.

199. *Est assertio Chassaing.*

Audite Chassaing. sup. tract. 1. c. 2. propos. 6. sequentis tenoris: *Privilegia omnia vivæ vocis Oraculo concessa, firma sunt, ubi Constitutiones Greg. XV. & Vrbani non fuerunt debitè publicatæ & Regularibus intimatæ; & aliqua ex ipsis, ubi etiam fuerunt publicatæ.*

Quàmvis (inquit) possimus in hac materia asserere, nullum esse vivæ vocis Oraculum, quin in Bullis Pontificum reperiatur, excepto privilegio tangendi sacra, laicis seu conversis fratribus facto, ut observavit quidam vir regularis doctissimus, ex consequenti nullum esse vivæ vocis Oraculum nisi unum: nihilominùs assentiendo propositioni positæ, illius prima pars probatur 1. ex præcedentibus, in quibus ostensum est, universaliter privilegia subsistere: ergò & privilegia vivæ vocis.

Cuius 1. pars probatur 1.

200. *Secundò.*

Secundò: quoniam privilegia multorum Ordinum, à multis Pontificibus ea specialiter innovantibus, ex certa scientia confirmata fuerunt; & præcipuè à Pio V. Bullâ inchoatâ: *Etsi Mendicantium*, eadem, in favorem omnium Mendicantium, innovante his verbis: *Etiam vivæ vocis Oracula in genere vel in specie, tam per record. mem. Eugen. IV. Sixtum IV. Leo. X. Paul. III. ac dictum Paul. IV. & Pium etiam IV. quàm alios quoscumq; Rom. Pontifices, etiam Prædecessores nostros, ac nos & Sedem eamdem concessa, & perpetuò approbamus & confirmamus.*

Prima probatio 2. partis.

Quoad verò 2. partem, probatur 1. quoniam Bulla Greg. XV. inchoata: *Romanus Pontifex* (27. apud Cherubinum) revocat privilegia vivæ vocis Oraculo concessa, etiam quomodolibet confirmata & innovata, excipiendo illa, quæ sortita fuerunt effectum, & alia Cardinalibus ad ipsorum vel aliorum quorumcumque favorem, propriâ S. R. E. Cardinalium manu firmata, pro ipsis vel aliis facta, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Nec non etiam illa, quæ ad instantiam Regum impartita reperiebantur.

201. *Probatur 2. ex Bulla vrb. 8. in qua juxtà hunc Auctorem requiritur particularis promulgatio, ut obliget.*

Secundò: quia Bulla Urb. VIII. quæ incipit: *Alias felic. record.* de die 20. Decemb. 1631. (estque 121. apud Cherub.) nullius Oraculi exceptionem facit, ponitque clausulam revocatoriam eamdem, quam Greg. cum clausula alia revocatoria suæ regulæ, de non tollendo jure quæsito &c. vult tamen, ut publicatio & intimatio hujus suæ constitutionis fiat per Generales Provincialibus, & per Provinciales Prælatis localibus, & per hos aliis. Quòd si facta non fuerit, non est curandum de contentis in hac Bulla; quod similiter dicendum de contentis in Bulla Gregorii, si publicata & intimata non fuerit. Sic Bruno.

Sed hoc negat Gobatius.

Sed (inquit Gobat sup. n. 729.) quia Urbanus nec verbulo indicat, illam publicationem tam particularem esse necessariam ad inducendam obligationem in actu secundo, non ausim ita loqui aut scribere.

202. *Referuntur verba Pontificis.*

Accipe verba Pontificis: *Præterea, ut præsentes litteræ omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quantò citius innotescant, omnibus & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus quorumcumq; Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum, sub excommunicationis, ac privationis officiorum & dignitatum, nec non vocis activæ & passivæ pœnis, ipso facto incurrendis, præcipimus & mandamus, ut infrà tres menses proximos, à die publicationis præsentium computandos, omnes & singulos Provinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earumdemq; præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur, singulis Superioribus Monasteriorũ, Conventuum, Collegiorum, domorum & locorum regularium præcipere, ut easdem præsentes subditis suis, ut moris est, publicent.*

203. *Auctor consentit Gobato.*

In quibus verbis, ut dicam, quod sentio, nullum video, quod indicat hanc particularem publicationem esse necessariam, ut Decretum robur suum

Trid. ſuum habeat. Unde Trid. ſeſſ. 24. de Refor. Matr. c. 1. in fine, non tantùm præcipit Ordinariis, ut Decretum irritans Matrimonium clandeſtinum curent promulgari in ſingulis Parochiis, ſed continuò adjungit: *Decernit inſuper, ut hujuſmodi Decretum in unaquáq; Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia factæ, numerandos.* Quibus verbis manifeſtè indicat, hanc particularem publicationem eſſe neceſſariam ad inducendam obligationem in actu ſecundo.

Dicta publicatio non eſt facta in noſtra Provincia.

Et ſi quidem ſimilibus verbis Urbanus uteretur in d. Bulla, idem de ea dicerem; ſcilicet, non obligare in actu ſecundo ſinè d. particulari publicatione. Quæ utique non eſt facta in noſtra hac Provincia Germaniæ Inferioris, quod ego ſciam; ſecùs teſtatur Gobat ſup. de ſua Provincia ſuperioris Germaniæ, dicens, in ea fideliter & humiliter paritum illi Decreto.

204. *Vrb. 8. non intendit, ut ſua revocatio Oraculorum afficeret Capucinos, ex Bonagratia.*

Porrò Bonagratia Habſenſis Aſſata Franciſcanus Capucinus ſcribit ſup. n. 419. etſi per Ordinarium Diœceſis Conſtantienſis anno 1632. promulgatum eſſe conſtet ex impreſſis exemplaribus; nullum tamen apud eos extare veſtigium, ſed potiùs contrarium. Habetur enim (inquit) inter Provinciæ monumenta teſtimonium expreſſum R. P. Columbani à Rottemburgo, qui miniſterio hujus Provinciæ pluries magnâ cum laude functus, ad quoddam vivæ vocis Oraculum in Archivo Provinciæ expoſitum, ſuâ manu ſcriptum reliquit, in Capitulo Generali anno 1633. cui præſens interat, proclamatum fuiſſe, quòd Urban. VIII. Pontifex non intendat, ut ejuſmodi Oraculorum revocatio Capucinos afficeret. Hæc ille.

205. *Ex quo formatur aliquod arg. etiam pro cæteris Mendicantibus, ex Gobat.*

Quam utique mentem Pontificis ibidem aliis teſtimoniis confirmat: Unde (inquit Gobat ſup. n. 739.) quis fortè ſic argumentabitur: Omnia privilegia, etiam vivæ vocis, quibus gaudent PP. Capucini, competunt omnibus Ordinibus, habentibus cum eorum Congregatione pleniſſimam communicationem privilegiorum; atqui ex una parte vel omnes, vel ſaltem plerique Ordines Mendicantes, ac nominatim Societatis Ieſu, habent illam communicationem; ex altera parte PP. Capucini gaudent etiam nunc certò (ut apud Bonagratiam ſup. quidam Miniſter Provincialis ſcribit) omnibus priſtinis privilegiis; ergò. Major propoſitio nequit abſolutè negari, cùm omnes fateantur, ſaltem in pleniſſima participatione, qualis eſt, juxtà Bonagratiam, & Alios, quando fit æquè primò ac principaliter, comprehendi Oracula vivæ vocis. At verò ſi admittatur major propoſitio, non verificabitur derogatoria clauſula Urbani, quatenùs petit & ferit in terminis *Quoſcumque Ordines Religioſos, etiam Mendicantes*, ut expreſſerat Gregorius.

206. *An benè concludat.*

An reſpondebimus? illam propoſitionem majorem eſſe veram, ſi non conſtet manifeſtè (meræ probabilitati non do hìc locum, utpote non ignarus, quando unum oppoſitorum eſt dumtaxat probabile, alterum non carere omni probabilitate) eſſe aliam mentem concedentis ea privilegia; quæ quidem mens deſumi non debet ex affectu, quo Urb. VIII. ob ſuum ſecundùm carnem (ut loquitur ipſemet Urb. in Bulla de Largitione munerum) Fratrem Onuphrium, teſte Bonagratiâ, ferebatur in illud Religioſiſſimum Inſtitutum; etenim Petri Succeſſoribus non debet caro & ſanguis revelare & perſuadere conceſſionem tam ſpecialium gratiarum; ſed inde, quòd qui è duobus unum exprimit & affirmat, alterum tacens, hoc alterum negare videatur, cap. *Nonne* de Præſumpt. Urbanus verò dixerit, ut refert Bonagratia, Reverendiſſimo P. Antonio Generali anno 1633. *In noſtra revocatione non intelliguntur vivæ vocis Oracula, vobis Capucinis conceſſa*; & nulla clauſula debeat eſſe fruſtrâ in Bullis: fruſtrâ autem aut falſa foret clauſula: *Omnibus*, ſeu, *quibuſcumq; Ordinibus*, ſi eâ non includerentur Ordines, etiam communicantes cum PP. Capucinis.

Oſtenditur quòd non.

An divinabimus, quandoquidem, interprete P. Bonagratiâ, illa ſola & omnia vivæ vocis Oracula, quæ quomodocumque Capucinorum inſtituto convenienter ſunt conceſſa, remanent in ſuo robore, ſaltem illa cæterorum Ordinum privilegia vivæ vocis eſſe caſſata, quæ nullo modo convenientia Capucinorum inſtituto emanârunt? Dico ego hìc ſemel, quod Diana ſexcenties: Tu cogita. Hucuſque Gobatius.

207. *Non eſt finis privilegiorum & eorum revocationum, ac confirmationum.*

Cogitavi & recogitavi, nec aliud dicere poſſum, quàm, non eſt finis privilegiorum, & revocationem eorum ac confirmationem: quis ſapiens, & nobis ea omnia enarrabit? Si omnia privilegia, etiam vivâ tantùm voce conceſſa, quibus Religioſi gaudebant antè Greg. XV. & Urb. VIII. erant conceſſa, etiam per Bullam ſeu ſcripturam; atque adeò non erant ampliùs ſola Oracula vivæ vocis, uno fortè excepto, ut ſup. dicebat Bruno, & mens Pontificum erat, ea non revocare, ad quid emanârunt illæ Bullæ revocatoriæ? An fortè propter unum iſtud Oraculum? An fortè propter Oracula ſubſequentium Pontificum? Sanè Bullæ non loquuntur, niſi de privilegiis, facultatibus, licentiis, & gratiis, jam tunc conceſſis. Hæc cogita.

208. *Proponitur aliud privilegium Societ. Ieſu. ex Sanchez.*

Et tranſi mecum ad aliud privilegium, quod Sanchez lib. 8. diſp. 6. n. 29. dicit conceſſum à Paulo III. Religioſis Societatis Ieſu, ut diſpenſare poſſint cum infidelibus ad fidem converſis, qui in locis remotiſſimis exiſtunt, & infidelitatis tempore inîêre Matrimonium in gradibus, ſolo jure humano prohibitis, ut in eo permanere valeant.

Sed (inquit hic Auctor) hoc privilegium ad majorem abundantiam eſt. Nam juxtà cap. *Gaudemus*, de Divort. nulla diſpenſatio neceſſaria eſt. Quia Matrimonium, tempore infidelitatis initum contrà ſolas leges Pontificias, validum eſt. Sic ille. Ex quo fortè contigit, quòd non reperiatur in compendio privilegiorum Societatis Ieſu.

Cæterùm, ut notat Averſa ſup. §. *Decimò*, interdum Prædicatores, qui mittuntur ad infidelium regiones, delegantur item ad diſpenſandum in certis gradibus & impedimentis, in Averſa.

quarum concessionum usu, servandæ erunt conditiones in iis præscriptæ. Hæc ille.

209. *An alij Mendicantes participent privilegia concessa Missionarijs Capucinis in Helvetia. Negat Gobatius.*

Nos superiùs aliqua privilegia retulimus ex Bonagratia Sum. verb. *Missio*, concessa Missionariis Capucinorum Provinciæ Helveticæ. Quæ non videntur posse ab aliis Religiosis participari per communicationem, juxtà Gobatium sup. n. 725. Tum (inquit ille) quia mihi verisimillimum est, id expressè (tametsi non meminerit Habsensis) vetari à Congregatione; tum, quia alii Regulares non petunt renovationem; tum, quia impertitur solis Missionariis.

Et si verò nostræ Societatis Sacerdotes, incolentes loca, quæ per Provinciam Helveticam intelligit P. Habsensis, id est, ipsam Helvetiam, Brisgojam, magnam Sueviæ, & Alsatiæ partem, eo jure appellari possint Missionarii, quo universim PP. Capucini, incolæ eorumdem locorum, habentur pro Missionariis; haud tamen existimo, fuisse hactenùs à quopiam nostrûm in praxim redactam ullam ex iis facultatibus; nec vellem esse auctor redigendi. Sic ille.

210. *Pro parte affirmante arguit Auctor.*

Ego invenio scriptum in Compend. Privil. Societ. Iesu, verb. *Privilegia*, §. 4. *Quoties dubium fuerit in intellectu privilegiorum nostræ Societatis, semper per Iurisperitos & alios judices in favorem Societatis fiat interpretatio. Concessit Alex. VI. Congregat. Benedictinorum Vallisoleti sub datis Romæ Kalendis Aprilis anno 1501. Pontificatûs sui anno 8. & habetur in manuscriptis fol. 39. pag. 2.* Ita Compend.

Neque est verisimile, ut illi, qui aliquam ex istis facultatibus ad praxim reducunt, id Gobatio intimare debeant, cùm, ut sup. dicebat Bruno de Privilegio Leonis, versetur circà occulta, quæ solis Confessario & pœnitenti sunt nota.

211. *Adhuc unum privilegium ex Aug. à Virg. Maria.*

Addam adhuc unum privilegium, quod refert Aug. à Virgine Maria verb. *Missionarii*, n. 19. quo Paulus V. anno 1612. concessit Carmelitis Discalceatis in Regno Persarum & illius Provinciis, *ut cum prædictis regni Persarum populis tam ad fidem jam conversis, quam de cætero convertendis, super quibuscumq; præterquam in primo in linea transversali, & quocumq; inter ascendentes & descendentes consanguinitatis vel affinitatis gradibus, quibus inter se conjuncti, aut attinentes fuerint, ita ut impedimentis hujusmodi non obstantibus, Matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concilii Trid. contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere, ita tamen ut cum prima, quam duxerint, uxore remanere teneantur, liberè & licitè possitis & valeatis dispensare.* Bulla incipit: *Vt regni*, 9. in Privilegiis Carmel. Discalceatorum.

Ad usum horum privilegiorum non requiritur urgens necessitas, ex Aversa.

Nota autem ex Aversa sup. Omnes hi, & alii, qui habent hanc facultatem ex speciali commissione Pontificis, poterunt liberè dispensare ex justa causa, etiamsi non urgeat tanta necessitas, & etiamsi pateat aditus ad Pontificem; quia eorum facultas non ad has augustias restringitur.

212. *Quid sacere debeat Confessarius, cui committitur dispensatio.*

Prætereà advertendum circà Confessarium, qui à Pontifice vel Episcopo accepit facultatem dispensandi in tali impedimento, sub conditione; *Si, quæ narrata sunt in petitione dispensationis, veritate nitantur*, debere diligenter inquirere, num res ita sit, sicut exposita fuit Summo Pontifici vel Episcopo. Sufficit autem (inquit Dicast. sup. n. 71.) quòd hoc inquirat ab ipso pœnitente, cui pro foro conscientiæ credendum est, & sub illius testimonio potest procedere ad dispensationem; nisi ipse contrarium sciat extrà Confessionē, aut nisi compererit tacitū fuisse aliquid, quod in narrativa debuisset explicari. Dicast.

An sit necessarium, ut præmittatur Confessio.

Sed nunquid necessarium est, ut pœnitens præmittat Confessionem? Attendenda sunt verba concessionis. Hæc non sufficiunt: *In foro conscientiæ tantùm*, aut etiam, *In foro pœnitentiæ.*

213. *Distinctio inter forum conscientiæ & pœnitentiæ.*

Pro quo nota distinctionem inter forum conscientiæ & pœnitentiæ. Forum equidem conscientiæ per se non supponit culpam, nec ordinatur ad remittendum vel vindicandum aliquod delictum apud Deum; multa quippè conceduntur in foro conscientiæ præcisè propter bonum & favorem eorum, quibus conceduntur, & non propter malum aliquod tollendum. Tale privilegium est, exemptio Regularium à jurisdictione Ordinariorum. Item, immunitas loci sacri. Forum porrò pœnitentiæ dicitur in ordine ad tollendum aliquod vinculum vel malum apud Deum, sive id fiat per proprium Sacramentum pœnitentiæ, seu per alios actus ostensivos aut inflictivos pœnitentiæ.

Quomodo forum pœnitentiæ distinguatur à foro externo.

Rogas: quomodo hoc forum distinguatur à foro externo seu contentioso? Respondeo; quòd in foro pœnitentiæ, sive sit judicium Sacramentale, sive quodcumque aliud, solvitur quis vel ligatur apud Deum; hoc est, datur absolutio vel dispensatur in ordine ad conscientiam; in foro autem contentioso in ordine ad Ecclesiam.

214. *Hic per forum pœnitentiæ non necessariò intelligitur judicium Sacramentale.*

Hoc notato, probatur nostra doctrina; quia nulla est ratio, forum conscientiæ aut pœnitentiæ restringendi ad judicium Sacramentale pœnitentiæ; quippè nec in communi usu, nec in proprietate verborum, habet fundamentum, neque in re ipsa. Siquidem pœnitentia Ecclesiastica non est tantùm Sacramentalis, sed etiam extrà Sacramentum aliquod judicium pœnitentiale exerceri potest.

Quid si dicatur: Ut auditis eorum confessionibus &c.

Et hæc maximè locum habent, quando privilegium est favorabile, cum favores sint ampliandi. Atque ut esset odiosum, cùm non sit major ratio, per forum pœnitentiale intelligendi Sacramentale, quam extràsacramentale, poterit pro libitu privilegiarii ad alterum limitari. Quid ni etiam possit extendi ad utrumque? Illa etenim non est propria extensio, sed solùm explicatio ejus, quod ordinariè, & de per se illâ voce significatur. Quando ergò concedens privilegiū, vellet restringere suam concessionem ad forum Sacramentale, ad minùs deberet dicere: *Vt auditis eorum confessionibus, possint dispensare* &c.

215. *Nec hoc sufficit secundùm Dicast.*

Dico consultò: *Ad minùs*; quia nec hæc ipsa verba sufficere docet Dicastil. sup. n. 74. Etenim cùm n. 73. sibi objicisset verba, quibus utitur Greg. XIII. in Bulla, quâ concedit Societati Iesu privilegium expediendi dispensationes

Pon-

Pontificias, putà: *Literas hujusmodi aperiendi, confessionibusq; fidelium ad ipsos recurrentium auditis, & impositâ salutari, in illis expressâ, vel de jure infligendâ pœnitentiâ, absolvendi; ac in foro conscientiæ quascumque sibi verbo vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum injunctiones excipiendi & exequendi, licentiam & facultatem tenore præsentium concedimus.*

Quomodo intelligenda illa verba.

His tamen (subjungit idem Auctor) non obstantibus, adhuc puto locum habere prædictam doctrinam, & posse dispensationem concedi, non auditâ Confessione. Illæ verò particulæ: *Confessionibus fidelium* &c. *auditis*, intelligendæ sunt per distributionem seu attributionem accommodam, nempè pro casibus, in quibus fuit necessaria Confessio, ita ut particulæ illæ non sint limitativæ, sed ostensivæ aut extensivæ, ita ut ostendant & extendant potestatem concessam, attingere etiam ad ipsam Confessionem audiendam & absolutionem à peccatis, ubi id necessarium fuerit; non verò limitent & coarctent potestatem intrà limites præcisè Confessionis Sacramentalis. Sic ille.

216. Qui plura desiderat de hac materia, videat Sanchium lib. 8. Disp. 34. ubi diffusè tractat, qualiter intelligantur clausulæ dispensationum, quæ in foro conscientiæ circà Matrimonii impedimenta expediuntur in sacra pœnitentiaria Romana. Et n. 30. approbat hanc doctrinam Dicastillonis eamque confirmat: quia similiter in iisdem Religiosorum privilegiis conceditur illis facultas, ut, auditis Confessionibus, absolvant à peccatis, & censuris eis annexis. Et antiquitùs in Bulla Cruciatæ eadem clausula habebatur. Et tamen valde probabilis doctissimorum virorum sententia habet, eum ablativum absolutum referri ad solam à peccatis absolutionem, ac licere virtute ejus privilegii absolvere extrà Confessionem à censuris.

Confirmatur opinio Dicast. ex Sanchez.

217. Quòd si replices: clausulam in quacumque dispositionis parte positam, sive in principio, sive in medio, sive in fine, referri ad omnia contenta in illa, cap. *Secundò requiris*, de Appel. ibi: *Nihil enim interest, utrùm inhibeatur primo, an secundo, medio, an in fine: cùm (sicut utriusque juris argumenta nos docent) ea quæ in principio, ad medium & ad finem, illa verò quæ in medio, ad finem atque principium, sæpè referri contingat.* Ubi id communiter notant DD. Cùm ergò, *Auditis Confessionibus*, ponatur in principio illius clausulæ, refertur ad omnia subsequentia.

Objectio ex c. 41. de Appel.

Solvitur.

Respondeo: eam regulam intelligi, quando omnium præcedentium, vel subsequentium eadem est ratio. At non est eadem ratio absolvendi à peccatis, & dispensationis expediendæ. Illud enim jure divino præviam Confessionem exigit, hoc autem nullo jure eam petit, nec aliquam cum illa connexionem habet. Nec credendum est, Pontificem facultatem, quam sacra Pœnitentiaria concedit Doctori extrà Confessionem, velle respectu Religiosorum coarctare ad Confessionem. Sed vera mens ejus fuit, eamdem facultatem, & eodem modo, quo Pœnitentiaria Sacra Doctori concedit, concedere Religiosis. Hactenùs Sanchez.

Petit aliquis à me: quis sit iste modus, quo Pœnitentiaria sacra concedit Doctori istam facultatem? Respondeo ex Sanchio sup. n. 1. Dispensationis in voto Religionis forma communis noviſſima hæc est: *Iulius Antonius miseratione Divinâ tituli S. Bartholomæi in Insula Presbyter Card. discreto viro confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Pro parte latoris nobis oblata petitio continebat, quòd ipse, aliàs gravi morbo laborans, se Religionem ingressurum simpliciter vovit. Cùm autem sicut eadem petitio subjungebat, lator prædictus ob stimulos carnis, quos sentit, continenter vivere posse non speret, pro suæ conscientiæ quiete cupit votum hujusmodi ad effectum contrahendi Matrimonium, in alia pœnitentiæ, & pietatis opera, per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicari fecit humiliter, sibi super id de opportuno remedio misericorditer providere. Nos igitur qui Pœnitentiariæ D. Papæ curam gerimus, ejusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ specialiter nobis commissâ, discretioni tuæ committimus, quatenùs si ita esse, ac latorem stimulis carnis adeò agitatum, ut maxime dubitet, continere non posse, ac propterea de ejus incontinentia probabiliter timendum, per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita, inveneris: eumdem à mutatione propositi absolvas hâc vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ ei pœnitentiâ salutari: sibiq; votum prædictum, ad hoc, ut Matrimonium legitimè contrahere possit, in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus semel, aut quoties tibi videbitur, & in alia pœnitentiæ opera perpetua, per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua Religionis, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, quâ hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ saluti expedire judicaveris dispensando commutes, in foro conscientiæ tantùm. Datum Romæ* &c.

218. *Modus quo Pœnitentiaria concedit facultatem dispensandi, ex Sanchez.*

Alias similes formas refert ibidem Sanchez n. 2. 3. & 4. pro dispensatione in voto castitatis, & affinitate ex fornicatione, quas ibi videre poteris, simul cum explicatione singularum clausularum num. seqq. Nimis longum foret, hìc omnia recensere, eaque singula expendere.

219.

Tantùm ad propositum nostrum dico: quàmvis probabile sit, etiam hìc exigi confessionem, propter illam particulam: *Eumdem à mutatione propositi absolvas* &c. attamen Sanchio sup. n. 29. probabilius est contrarium. Ducor, inquit, quòd licèt ea verba importarent absolutionem Sacramentalem, non ponantur per modum conditionis, ut ex eorum tenore constat. Non enim ponuntur cum particula aliqua conditionem denotanti, qualis est: *Si, Dummodò*; aut per ablativum absolutum. Quia ille ablativus absolutus: *Injunctâ pœnitentiâ salutari*, non jungitur facultati dispensandi, sed absolutioni Sacramentali, si ea verba: *A mutatione propositi eum absolvas*, eam important. Quare conditionem non importat, eò quòd jure

An hìc exigatur Confessio: Negat Sanchez. Probatur 1.

nest: in omni enim Confessione Sacramentali est pœnitentia injungenda. Sic ille.

Secunda probatio.

Prætereà Reg. 57. de Reg. Iuris in 6. ait: *Contrà eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Jam autem apertiùs posset dicere Pœnitentiaria: *Auditâ Confessione, cum eo dispenses.*

220. *Quare requiratur, ut dispensaturus sit Confessor approbatus, ex Sanchez.*

Sed dicet aliquis: ut quid ergò requiritur, quòd dispensaturus sit Confessor approbatus ab Ordinario? Respondet Sanchez sup. ut sciat expedire dispensationem, exigitur scientia, & cùm hæc non constet Sacræ Pœnitentiariæ, duplex illius testimonium petit, alterum Academiæ, conferendo illi gradum Doctoris aut Magistri; alterum autem Ordinarii, illum approbando, ut Confessorem idoneum.

Prætereà: quia in his litteris duplex potestas committitur Confessario, altera absolvendi à mutatione propositi, si fortè ea culpa fuit, transgrediente vovente promissionem, & ad hoc est necesse, eum esse Confessorem. At in nullis hujus concessionis verbis, ponitur tamquam conditio necessaria, ut Confessor hic hanc absolulutionem præmittat. Sed sensus hujus clausulæ est: Si fortè is, cum quo dispensandum est in voto, tibi transgressionem ejus fassus fuerit, absolve eum hàc vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ ei pœnitentiâ salutari. Sed dices: ad quid commissio hæc? Respondetur; quia fortè voti transgressio poterat esse reservata in ea Diœcesi. Ita Sanchez. Et meritò.

Objectio solvitur.

221. *Replica Diluitur.*

Si replices: in fine harum litterarum dicitur, eas pro solo conscientiæ foro concedi. Responsio patet ex antedictis; scilicet, forum conscientiæ, imò etiam pœnitentiæ, nullatenùs coincidere cum foro Sacramentali; sed hìc usurpari pro foro interno, ut distinguitur contra externum: porrò non est lex fori interni, ut solùm intrà Confessionem res fiat, sed ut vel intrà Confessionem, vel non publicè, adhibitis testibus & Notario, ne prosit pro foro externo.

Quid importent hæc verba: Dispensa pro foro conscientiæ.

Igitur hæc verba: *Dispensa*, aut, *absolve pro foro conscientiæ*, tantùm important, ut ita fiat dispensatio, vel absolutio, ut non prosit pro foro externo. Atque adeò quoties Confessarius, ratione Bullæ, aut alterius privilegii, absolvit extrà Confessionem ab excommunicatione in solo conscientiæ foro, liquet profectò, quòd sit Judex extrà Sacramentum; & idem est, quando commissam sibi dispensationem in eodem foro expedit. Sicut Episcopus absolvens in foro conscientæ à censuris occultis, sibi concessis in Trid. sess. 24. de refor. c. 6. est judex in foro interno, quàmvis extrà Confessionem absolvat. Vide quæ de hac absolutione Episcopi dixi Disp. 8. Sect. 5. Conclus. 7. & 9.

222. *Episcopus non potest dispensare in omnibus impedimentis tantùm prohibentibus.*

Cæterùm ex his litteris Pœnitentiariæ palam fit, non posse Episcopum dispensare in omnibus impedimentis solùm prohibentibus Matrimonium; non enim in voto Religionis, & castitatis perpetuæ; alioquì non deberet recurri, nec recurreretur ad Pœnitentiariam pro illis litteris. In aliis consuetudo obtinuit, ut Episcopus dispenset, etiam pro foro externo, & ubi foret facilis recursus ad Pontificem, nisi hic expressè Matrimonium in casu particulari interdixisset.

An excipienda sint sponsalia? Affirmat Sanchez. Probat 1. Secundò.

Aliqui etiam excipiunt sponsalia, in quo impedimento volunt, solum Pontificem posse dispensare. Ita Sanchez lib. 1. disp. 61. n. 3. Quia (inquit) jus est acquisitum tertio, quod nullus, præter supremum Principem, potest auferre. Item; quia hâc ratione DD. negant, posse Episcopum relaxare juramentum tertio prestitum, nisi turpitudo ex parte illius tertii reperiatur.

223. *Tertiò.*

Prætereà: quia jure Pontificio hoc reservatur, ut constat ex cap. *Ex litteris*, 2. de Sponsal. ubi præcipit Pontifex Episcopis, ut compellant ad sponsalium fidem servandam, in qua lege, cùm sit Superioris, nequit Episcopus dispensare. Sic ille, post Paludanum 4. dist. 27. q. 1. a. 2. n. 14. quos sequitur Perezius hìc disp. 11. sect. 2. n. 5.

Palud. Perez.

Sanchio consonat Aversa.

Itemque Aversa §. *Primò*, dicens: Excipi debet impedimentum sponsalium. Quod etiam non solo jure humano, sed ex natura ipsa rei obligat, & pertinet ad debitum justitiæ. Unde potest quidem ex mutuo partium consensu, aut aliis justis causis dissolvi absque alia dispensationis ope. Nisi quòd, ubi causa esset controversa, aut imminentè damno, debet expectari sententia Episcopi, tamquam judicis, pronuntiantis justam dissolutionem sponsalium: Sed de reliquo non potest Episcopus in hoc dispensare. Hæc ille.

224. *Dicast. judicat oppositum non improbabile.*

Quæ sententia (inquit Dicastillo sup. n. 77.) valde probabilis est, & in praxi videtur sequenda. Nihilominus (prosequitur n. 78.) non videtur improbabile oppositum, quoties legitima causa dispensandi subsit. Nam si causa talis sit, ut, non obstante jure justitiæ, quod alter acquisivit, possit à legitimo Superiore rescindi contractus sponsalitius; non video, cur, si Papa potest in universali Ecclesia, etiam ubi non est Dominus temporalis, dispensare in eo impedimento, non possit etiam Episcopus in propria Diœceſi, ubi dispensando tantumdem potest, si non sit reservatum à Pontifice. Sic ille.

225. *Quid dicendum ad ult. arg. Sanchez.*

Quid ergò ad ultimum argumentum Sanchii, quod dicit, id esse reservatum Pontifici per d. cap. *Ex litteris*? Nihil respondet Dicastillo, nec ejus meminit. Respondeo ego: Episcopus debet compellere ad sponsalium fidem servandam, nisi rationabilis causa obstiterit. Sic enim scriptum habes in ipso textu: *Et si non acquieverit monitis, Ecclesiasticâ censurâ compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Scio Glossam verb. *Rationabilis causa*, per eam intelligere consanguinitatem, vel affinitatem, vel aliquod aliud perpetuum impedimentum. Sed quid vetat, etiam intelligere aliam causam justam, propter quam ipse Pontifex posset dispensare seu dissolvere contractum, & tollere à sponsis jus sibi acquisitum per sponsalia? Tu Cogita.

226. Quid si sponsalia gravi metu forent contracta, censen'

censen' quòd Episcopus (supposito eorum valore) non posset ea dissolvere ad petitionem metum passi? Ipse Sanchez sup. oppositum indicat, quando dicit, Episcopum non posse relaxare juramentum tertio præstitum, nisi turpitudo ex parte illius tertii reperiatur. Ergò si reperiatur, potest relaxare; sed quando sponsalia inita sunt ex gravi metu, reperitur turpitudo ex parte illius, qui metum intulit; ergò tali saltem casu posset Episcopus sponsalia dissolvere, atque adeò dispensare.

Sponsalia non sunt propriè dispensabilia sed potiùs solubilia, ex Dicast.

Siquidem (ut benè notat Dicast. sup.) hujusmodi impedimentum non videtur propriè loquendo dispensabile, cum sit impedimentum juris naturalis; sed tantùm contractus ille sponsalitius, qui impediebat Matrimonium, potest rescindi à legitimo Superiore ex causâ, ita ut non ampliùs subsistat, liberando contrahentes à vinculo & obligatione illius contractûs; quando judicatur rationi consonum, quòd (etiam altera parte vel utrâque renuente) talis obligatio non subsistat. Nam quòd, subsistente contractu sponsalitio, non sit impedimentum, fieri non potest. Solùm ergò dispensationem appellamus rescissionem & dissolutionem talis contractûs, ad quem contractum dissolvendum ex legitima causâ, non video, cur non habeat potestatem, etiam Episcopus. Sic ille.

227. *Judicium Auctoris.*

Neque ego satis clarè video, eo semper salvo, ut requiratur major causa ad illam dissolutionem, cum privatione juris tertii acquisiti, quàm ad simpliciter dispensandum in propria lege, vel Superioris, sinè alicujus detrimento. Pono casum, quòd Matrimonium cum tertia persona sit omninò necessarium ad conservandam v. g. fidem Catholicam in aliqua Diœcesi, cur Episcopus non posset priora sponsalia dissolvere, etiam utrâque parte renuente?

228. *An judex secularis possit aliquo casu dissolvere sponsalia.*

Imò, cur Judex sæcularis id non posset, quando Matrimonium cum priori sponsa cederet in notabile damnum Reipub. & summè expediret ejus bono, ut alteri copularetur? Nam & ipse, ut constat ex usu & praxi, potest compellere sponsos ad fidem servandam, sicut compellit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiamsi sint juramento stabiliti: ergò veluti rescindit alios contractus sic stabilitos, justâ causâ existente; ita etiam contractum sponsalitium, vel assignetur disparitas.

Videtur quòd sic.

Equidem non majus aut firmius jus acquiritur per contractum sponsalitium, quàm per contractum emptionis aut alium similem, puta solum jus ad rem. Sola differentia est, quòd contractus sponsalitius ordinetur ad Matrimonium, quod est Sacramentum; ideoque spectet de eo cognoscere ad Judicem Ecclesiasticum, scilicet Episcopum, aut ejus Vicarium, cujus est cognoscere seu judicare de Sacramento Matrimonii: interim cùm de se sit contractus civilis, utpote nec Sacramentum, nec quidpiam Sacramentale; quid ni etiam de eo cognoscere possit Judex sæcularis: atque adeò vel cogere ad impletionem, vel eum justâ de causâ rescindere?

229. Et herculè, nec aliud videtur posse Pontificem in hoc casu: adeò ut, si dispensaret aut dissolveret sponsalia sinè justa causa, dissolutio non valeret, estò in aliis impedimentis, lege Pontificiâ inductis, posset validè sinè justa causa dispensare.

Pontifex non potest sinè causa validè dissolvere sponsalia.

Dico: *Estò posset*; quia quòd possit, non est certum, sed multùm disputabile, ut patebit ex sequenti Conclusione, quæ talis est:

CONCLUSIO IV.

Pontifex illicitè dispensat sinè justa causa, fortè etiam invalidè. Justæ causæ sunt. Bonum pacis, angustia loci, inopia personæ, &c.

230. *Probatur, Papam invalidè dispensare in propriis legibus sinè justa causa.*

LOquor de omni impedimento, non tantùm juris naturalis aut Divini, sed etiam Pontificii. Et ratio invaliditatis est: quòd dispensando sinè causa excedat limites suæ potestatis; ergò dispensatio nulla est.

Antecedens probatur: quia Superior dispensans, etiam in lege propria, non operatur ut Dominus, sed ut dispensator fidelis, & prudens: ergò operatur per potestatem à supremo Rectore ac Legislatore, Deo scilicet, concessam; sed non minùs Deus, imò multò magis, quàm humanus Princeps, præsumitur dare suam potestatem, adstrictam legibus justitiæ, & illius formam postulare, tamquam essentialem in actu talis potestatis; quia *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*, multò certè magis, quàm ea, quæ sunt ab humano Principe; & ideò dicitur Deus non dare potestatem in destructionem, sed in ædificationem, 1. Cor. 10. Ergò illa dispensatio, quæ dissipatio est, & in destructionem, non est à potestate data à Deo; ac subinde nulla est.

231. *Dispensatio sinè causa est dissipatio, ex D. Bernardo.*

Porrò quòd dispensatio sinè causa sit dissipatio, omnes admittunt cum D. Bernardo dicente lib. 3. de Consider. c. 4. in fine: *Vbi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Trid. multis locis postulat justam causam.

Quod probe scientes Patres Concilii Trid. variis locis postulant ad dispensationem justam causam, signanter Sess. 24. de Refor. Matr. c. 5. circa finem: *In contrahendis Matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idq; ex causa, & gratis concedatur.*

Et Sess. 25. de Refor. cap. 18. generaliter ait: *Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandòque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentiùs legem solvere, exemploq; potiùs, quàm certo personarum rerumq; delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm uniuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaq; ratio, & major quandoque utilitas postulaverit,*

stulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis à quibuscumq;, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterq; facta dispensatio subreptitia censeatur.

232. *Probatur talem dispensationem saltem esse illicitam, ex Suario.*

Ex his autem liquidò constat, dispensationem sinè causa, saltem illicitam esse, quod Adversarii non negant, & à Suario lib. 6. de Leg. c. 18. n. 6. optimè probatur ex jure naturali. Nam Princeps (inquit) etiamsi sit auctor legum, non est dominus (ut sic dicam) sed dispensator illarum; ergò etiam quando in illis dispensat, se gerere debet, ut fidelis dispensator & prudens, & non ut absolutus dominus. At si absque causa unum vel alium liberet ab obligatione legis, nec prudenter, nec fideliter dispensat; ergò abutitur suo munere, & peccat.

Legislator non potest ponere leges in suam privatam utilitatem.

Primum antecedens probatur: quia Pontifex, vel etiam Rex, non est absolutus dominus communitatis sibi subditæ, sed pastor & rector; & ideò non potest leges ponere in suam privatam utilitatem, sed pro communi civium utilitate; & propterea à Legislatores à Paulo vocantur ministri & dispensatores Dei; ergò ipsa legislatio est quædam fidelis administratio, seu distributio obligationis, quæ per legem imponitur.

233. *Ejusdem potestatis est dispensatio, & Legislatio.*

Prima verò Consequentia probatur; quia ejusdem potestatis est in Legislatore, actus dispensandi in lege, cujus est actus ferendi legem, ut constat; ergò est actus non dominij absoluti, sed administrationis, & (ut ipsum nomen præ se fert) est actus dispensatoris, ut sic; ergò etiam debet esse fidelis & prudens.

Dispensatio sinè causa non est prudens.

Quòd autem dispensatio, sinè causa facta, non sit prudens, per se notum videtur; quia non est consentanea rectæ rationi, nec fini potestatis, à qua procedit; nam illa per se est propter bonum commune; illa autem dispensatio est tantùm propter privatum commodum vel affectum, & ita est abusus potestatis; item, quia lex est commune bonum, & illa vulneratur sinè causa. Denique, quia uniformitas ac proportio inter membra corporis, per se spectat ad totius corporis bonum, quod etiam per tales dispensationes læditur & deformatur. Hactenùs Suarez.

234. *An sit peccatum mortale? Affirmat Suarez; quia contrà triplicem justitiam.*

A quo si queras; an sit peccatum mortale, sic dispensare, & cui virtuti talis dispensatio opponatur? Respondet n. 9. esse peccatum mortale ex genere, quod probat n. 10. quia est peccatum contrà triplicem justitiam. Primò commutativam; quia Princeps ex officio tenetur talem dispensationem non dare; obligatio autem ex officio maximè spectat ad justitiam commutativam. Secundò, justitiam legalem, ex qua tenetur Princeps nihil agere contrà commune bonum; talis autem dispensatio ex se multùm nocet bono communi, & est illi contraria. Tertiò, distributivam, & hæc videtur esse proxima, inquit Suarez, & contrà illam videtur esse propriè specifica malitia talis actûs: nam directè est acceptio personarum. Acceptio autem personarum opponitur justitiæ distributivæ. Unde ex suo genere est peccatum mortale, maximè, quando radicatur in obligatione officii: ita verò est in præsenti.

235. *A principio ferre talem legem de se est mortale.*

Et declaratur: nam à principio ferre legem non simpliciter pro tota communitate, sed excipiendo aliquos ad libitum sinè causa, contrà justitiam distributivam est, & de se mortale contrà totam illam communitatem; hoc autem fit virtute per talem dispensationem: ergò. Sic Suarez.

Subsumo ego: atqui lex à principio sic lata, non est vera lex; ergò nec talis dispensatio valet. Probatur Subsumptum; quia secundùm Suarium lib. 1. de Leg. cap. 9. n. 10. De ratione legis est, ut justè feratur, & aliter lata non erit vera lex.

236. *An inde benè sequatur: ergò non est vera lex? Negat Suarez.*

Prorsùs, inquis; sed hoc intelligendum putat Suarez ibid. n. 14. quando tanta est improportio & inæqualitas legis, ut redundet in detrimentum commune, & in grave ac injustum onus plurium membrorum ejus. At verò (inquit ille) si contingat legem de se utilem esse, exceptionem tamen aliquam esse iniquam, non propterea lex esset omninò nulla, aut cessaret obligare alios; quia illis non fit propriè injustitia positiva (ut sic dicam) imponendo illis tale onus; quia hoc per se malum non erat, sed fit solùm improportio quædam respectu aliorum, & totius communitatis, quæ non videtur satis ad nullitatem legis. Quòd si ex quorumdam exceptione graventur alii ultrà æquitatem, quoad illum excessum non obligabit lex; poterit tamen obligare quoad aliud, in quo non esset injusta, ut in legibus tributorum videre licèt. Sic Suarius.

An audiendus.

Verùm enimverò, quod ipsi videtur insufficiens ad nullitatem legis, hoc aliis videtur satis esse. Probanda ergò foret illa insufficientia, & non supponenda; vel si probavit, dicendo, *Non videtur satis*; ego reprobavi, dicendo, *Videtur satis*.

237. *Ejus responsio ad 1. probationem.*

Sed audiamus, quid Suarius respondeat ad positivam nostram probationem, in principio Conclus. adductam. Lib. 6. c. 19. n. 11. dicit: hanc dispensationem excedere potestatem juris, non facti. Distingui enim debet duplex potestas in Legislatore, una est naturalis volendi vel nolendi, quam voco potestatem facti: alia superaddita seu jurisdictionis ad obligandum alios. Dispensatio ergò sinè causa data, magis est à priori potestate, à qua habet substantiam & valorem suum; quia Superior volens sic dispensare, operatur ut dominus suæ voluntatis, & quoad hoc non operatur ultrà suam potestatem; & hoc est satis, ut sit validus actus, etiamsi non sit secundùm usum debitum alterius potestatis jurisdictionis suæ.

Nam si quis rectè advertat; ille abusus talis jurisdictionis, omissivus potiùs est, quàm activus (ut sic dicam) nam qui vult dispensare, solùm vult non obligare subditum suâ lege, & ita potiùs vult non uti circà illum jurisdictione suâ, quàm uti; & ideò talis actus validus est, etiamsi sit extrà talem potestatem, id est, extrà positivum usum ejus. Quia potestas jurisdictionis

quoad

quoad usum essentialiter pendet à voluntate habentis illam, & ideò, ut non influat, vel non obliget, satis est, ut Superior nolit suâ jurisdictione uti, etiamsi malè faciat non utendo.

238. *Dispensare est effectus privativus.* Ita ergò se habet, cùm vult dispensare sinè causa: nam licèt verbum, *dispensare*, significet per modum effectûs positivi, reverà est privativus; & ideò non tam propriè dicitur ille actus excedere potestatem jurisdictionis, quàm deficere à debito usu ejus; actus autem habens similem defectum, validus est ex vi absolutæ voluntatis, ut patet in abrogatione legis; & idem est in remissione pœnæ, sinè causa factâ, & similibus. Hactenùs præfatus Auctor.

Hæc responsio non satisfacit. Expendamus singula, & continuò apparebit, responsionem hanc nullatenùs satisfacere. Imprimis hìc dicitur: Superior volens sic dispensare, operatur ut dominus suæ voluntatis: Cap. autem 18. n. 6. Princeps, etiamsi sit auctor legum, non est dominus, sed dispensator earum; ergò etiam, quando in illis dispensat, se gerere debet ut fidelis dispensator & prudens, & non ut absolutus dominus.

239. *Superior dispensans non operatur ut dominus suæ voluntatis.* Infero ego, igitur Superior volens dispensare, non operatur ut dominus suæ voluntatis, sed ut dispensator legum. Atqui dispensator non validè dispensat bona sibi commissa, si, cum debeat æqualiter dispensare, dispenset inæqualiter; ergò Legislator dispensans inæqualiter legem, cum debeat æqualiter dispensare, non validè dispensat; quia uterque operatur, etiam quoad hoc, ultrà suam potestatem.

Audio dicentem: dispensatio bonorum est effectus positivus; dispensatio autem legis, privativus tantùm, ut sup. Suarez.

240. *Dispensatio legis non est effectus meè privativus.* Sed contrà: dispensatio legis non tantùm est nolitio utendi suâ jurisdictione; sed insuper volitio obligandi; nam est sublatio legis seu relaxatio in casu particulari; atque adeò manente voluntate obligandi communitatem: hæc autem voluntas in casu proposito injusta est, & ideò nulla, quia excedit potestatem jurisdictionis, quæ omninò necessaria est, ut voluntas illa valeat.

Disparitas inter abrogationem, & dispensationem legis. Hinc patet disparitas inter abrogationem legis & dispensationem; quòd abrogatio sit privatio omnimodæ voluntatis Legislatoris, à qua tamen voluntate essentialiter dependet lex; imò quæ formaliter est ipsa lex. At verò dispensatio non est privatio omnimodæ voluntatis Legislatoris, sed partialis tantùm respectu particularis personæ, remanente priori voluntate respectu cæterorum; illa autem permanentia excedit potestatem, sicuti & prima constitutio; potestatem, inquam, juris, sinè qua nequit existere lex.

241. *Hic non valet distinctio Suarij inter potestatem facti, & juris.* Proinde hìc noc habet locum illa distinctio Suarii inter potestatem facti & juris; esto vera sit in abrogatione propriæ legis. Uti etiam in remissione pœnæ, quando tantùm intervenit privatio voluntatis infligendi pœnam, v. g. quia Iudex non vult ferre sententiam, quando hæc est necessaria.

Vti etiam in remissione pœnæ, ubi non est opus Si pœna (inquit Vasquez 1. 2. disp. 178. cap. 4. n. 32.) esset solvenda per sententiam, fore, ut per talem dispensationem ille, cum quo ita dispensatum esset, non deberet illam solvere; quia donec sequatur sententia, nemo illam debet: si tamen pœna esset inhabilitatis, & irregularitatis, & suspensionis, aut irritationis alicujus facti; veluti cùm irritatur Matrimonium contractum post uxoricidium; fore, ut tali pœnâ comprehenderetur ille, cum quo sinè causa dispensatum esset, non minùs, quàm si non habuisset dispensationem, ob eamdem rationem. *sententia, ex Vasquez.*

242. *Lex irritans actum, non in pœnam, comprehendit dispensatum sinè causa, ex eod.* Cæterùm, quando lex solùm irritat factum, & non in pœnam peccati, multò majori ratione comprehendit eum, cum quo sinè causa dispensatum est: sicut etiam comprehendit ipsum Legislatorem, quem tamen pœnalis lex non comprehendit. Quia pœna, cùm sit coactio & vis quædam, tantum potest inferiorem obligare: at verò cùm lex irritans, & non in pœnam, sit dispositiva, obligat ipsum Legislatorem, ut toti corpori conveniat & concordet; & ob hanc rationem, si vellet seipsum eximere ab hac lege, non posset; sed eâ semper eodem modo teneretur: multò igitur majori ratione, si eximere velit subditum, dispensatio nullius erit effectûs. Hæc ille.

243. *Objectio ex c. 7. de Sent. Excom.* Objicitur etiam ab Adversariis definitio Innoc. IV. de Sent. Excom. c. 7. §. *Sanè*, in fine: *Vbi Superiori competit de excommunicatione cognoscere, absolutio, seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, licet forsitan sit injusta: quoniam etsi contra jus Legislatoris, non tamen contra jus constitutionis absolvit.*

Solvitur à Vasquezio. Respondet Vasquez sup. n. 33. Absolutio à sententia excommunicationis, similis est abrogationi totius legis respectu omnium, quæ etiam valida est sinè causa. In dispensatione autem illud est peculiare, ut maneat lex, & unus aut alius ab obligatione illius eximatur, quod quidem obstat, quò minùs sinè causa valida sit; quia sinè causa nullus excusatur ab obligatione conformandi se ad totum corpus, cujus est membrum. In absolutione autem ab excommunicatione, quam quis incurrit, hæc ratio locum non habet, ut si concedatur sinè causa, valida non sit; quia sententia illum tantùm respicit, qui absolvitur, & qui absolvit, non dispensat in lege, ut manifestum est. Sic ille. Unde in textu sup. allato expressè dicitur: *Non tamen contra jus constitutionis absolvit*: Sed potiùs secundùm jus.

244. *Eadem est ratio cap. Nuper, de Sent. excom.* Quæ etiam est ratio, ut patet ex alibi dictis, propter quam cap. *Nuper*, de Sent. excom. scriptum sit: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Nunquid etiam dispensandi in sua lege? Nequaquam. Ergò nec benè sequitur: valet absolutio à sententia excommunicationis, concessa à Superiori competente sinè causa: ergò etiam valet dispensatio, sinè causa in propria lege. Quippè absolutio non est contrà jus, secùs dispensatio.

Alia objectio. Quid tum? reponit quispiam, cùm nihilominùs lex remanens sit rationabilis: etenim adhuc rationabile manet, cæteros, v. g. con-

sanguineos aut affines non contrahere Matrimonium: etsi aliqui irrationabiliter eximantur. Quod manifestiùs est, si singulis imponeretur obligatio per præceptum personale, illud quibusdam non imponendo, aut impositum auferendo.

245. *Quomodo lex remanens sit rationabilis & quomodo non.* Respondetur: lex remanens, tametsi sit rationabilis ex parte objecti, non tamen ex parte formæ, in qua secundùm Suarium lib. 1. c. 9. n. 11. cerni debent tres virtutes justitiæ. Prima, est justitia legalis, cujus est bonum commune intendere, & consequenter jura communitati debita servare. Secunda, est justitia commutativa: ad quam spectat, ut legislator non plus præcipiat, quàm possit. Tertia, est justitia distributiva, quæ etiam in lege requiritur, quia præcipiendo multitudini, quasi distribuit onus inter partes Reipublicæ in ordine ad bonum ejus, & ideò necesse est, ut in ea distributione servet æqualitatem proportionis, quæ ad justitiam distributivam pertinet, & ideò injusta erit lex, si inæqualiter onera dispenset, etiamsi res præcepta iniqua non sit. Hæc ille.

246. *Illatio.* Ergò tametsi in casu nostro non sit iniquum, quòd alii consanguinei non contrahant Matrimonium: equidem injustum est, ut ipsi magis obligentur per talem legem universalem, quam ii, qui sinè causa exempti sunt; & ideò lex, quæ anteà erat rationabilis seu justa, & justè lata, injustè remanet: quare nulla est; atque adeò illa exemptio non erit dispensatio, sed potiùs abrogatio legis, si Legislator efficaciter velit eos eximere, id est, velit eos eximere, tametsi deberet totam legem abrogare. Sin autem efficaciter nolit legem abrogare, id est, si mavult legem permanere, quàm eos eximere ab obligatione, jam constat, dispensationem esse invalidam; quia procedit à simplici tantùm complacentia, & non ab efficaci voluntate, quæ tamen necessaria est ad validam dispensationem.

247. *Disparitas inter legem & præceptum personale.* Ex quo patet disparitas inter legem & præceptum personale. Siquidem ad præceptum personale sufficit, ut sit justum ex parte objecti, id est, ut id, quod præcipitur à Superiore, justum sit; ad legis autem essentiam requiritur, ut non solùm justum sit, sed ut etiam justè præcipiatur, quod deficit in nostro casu, ut sup. ostendimus.

Possunt dari aliqui actus validi, licèt injusti. Fateor, posse dari venditionem validam, licèt injustam. Item electionem minùs digni, prætermissò digniore, validam fore, tametsi sit contrà justitiam distributivam. Ergò etiam lex est valida, quæ fertur vel permanet contrà justitiam distributivam; neg. Consequentia.

248. *Quare non similiter ius.* Disparitas est; quòd de essentia legis sit, ut justa justè præcipiat. Unde definitur essentialiter: *Præceptum commune, justum* &c. At verò electio definitur: *Alicujus personæ, ad Ecclesiæ vacantis Pastoralem dignitatem, Canonica vocatio.* Ostendat nobis aliquis, ubi Canones ad essentiam electionis requirant, ut fiat juxtà leges justitiæ distributivæ, & consequenter dicam, electionem aliter factam fore invalidam.

Et consimiliter; venditio non definitur, *Pactio justa mercis pro pretio*; & emptio, *Pactio justa pretii pro merce*; sed simpliciter: *Pactio mercis pro pretio*, aut, *pretii pro merce*. Et ideò valet, tametsi committatur aliqua injustitia.

249. *An omnis injustitia sufficiat ad destruendum valorem legis.* Dicere autem; non omnis injustitia sufficit ad destruendum valorem legis, ut sup. Suarius, est petere principium; hoc enim est quod quæritur; & à nobis asseritur sufficere talis injustitia, quæ repugnat bono communi, sive communi observationi ipsius legis; talis autem est, ut patet ex dictis, quæ committitur per dispensationem sinè causa, cùm, secundùm Trid. unicuique aditum aperiat ad leges transgrediendas.

Deus potest solâ suâ voluntate dispensare. Cur magis quàm homo. Nec obstat: quòd Deus solâ suâ voluntate dispensare possit; quia voluntas Dei essentialiter justa est, nec potest esse injusta; unde nihil facit sinè justa causa. Deus omnium Dominus est, auctor vitæ & mortis, neque quispiam hominum est, qui possit resistere ejus voluntati, aut ei dicere: cur ita facis? At verò Legislator humanus voluntatem habet obliquabilem, quæ & sæpiùs obliquatur, & injusta aliquando præcipit, & injustè justa potest præcipere: neque est dominus subditorum, ut sup. diximus ex Suario, sed pastor & rector; ergò nullatenùs valet hic argumentum à Deo ad hominem.

250. *Fortè Papa invalidè dispensat sinè causa in propria lege.* Hæc sufficient, ut aliquis possit meritò dicere: Fortè Pontifex nequit validè dispensare sinè causa in propria lege, si reverà intendat dispensare in lege propria Matrimonium dirimente aut prohibente; quàmvis opposita sententia sit communior; puta, Pontificem validè dispensare sinè causa in propria lege, si reverà intendat dispensare.

Invalidè, secundùm Omnes, dispensat in lege Divina aut naturali. Dico: *In propria lege*, sive proprio impedimento: quia omnes admittunt, invalidè dispensare in lege naturali aut divina; cùm enim sit lex Superioris, non est in libera facultate inferiorum ei derogare: sed solùm inquantùm expressè, vel præsumptivè illis à Superiore permittitur: non censetur autem Superior consentire, ut quispiam alius sinè rationabili causa dispenset; cùm talis dispensatio sit peccaminosa, ut patet ex sup. dictis.

Quare, cùm votum castitatis obliget de jure divino & naturali ad non contrahendum Matrimonium, ut voti dispensatio valeat, requiritur justa causa, ita ut si absque tali causa dispensaretur in voto solemni, estò validus, equidem illicitus esset contractus Matrimonii. Et similiter, supponendo, posse Pontificem dispensare, ut Matrimonium ratum & non consummatum dissolvatur, indiget justâ causâ, sinè qua nihil faciet.

251. *An valeat dispensatio sinè causa in sponsalibus. Aliqui negant.* Sed quid si dispenset sinè causa in sponsalibus? Aliqui putant, Pontificem habere potestatem dissolvendi sponsalia, extraordinariâ & superadditâ Christi commissione; & ideò dispensationem non valere, nisi ex rationabili causa spirituali, cedente in ædificationem animarum, procedat: v.g. si timeatur, priorem sponsam futuram sponso occasionem peccandi, aut si ex Matrimonio cum posteriori sperretur pax publica.

Nihil-

An potestas in eis dispensandi sit ordinaria, ex Dicast.

Nihilominùs (inquit Dicaſt. ſup. diſp. 8. n. 7.) ſalvo meliori judicio, ego putarem in ſponſalibus non extraordinariâ, ſed ordinariâ poteſtate poſſe diſpenſare. Neque enim eſt eadem ratio de Matrimonio rato, atque de ſponſalibus. Nam Matrimonium ratum eſt naturâ ſuâ indiſſolubile, & etiam jure divino, ut non ſit in poteſtate humana, etiam contrahentium, Matrimonium diſſolvere; contractus verò ſponſalitius eſt contractus tum merè humanus, tum non elevatus ad rationem Sacramenti, nec factus ſpeciali quâdam lege aut declaratione perpetuus à Deo. Cùm ergò ſit contractus non excedens ſphæram activitatis (ut ſic dicam) humani Principis ac Superioris, contractuſque ex ſe diſſolubilis ſit, non video cur poteſtas illum reſcindendi revocanda ſit ad extraordinariam quamdam conceſſionem Dei Pontifici factam. Sic ille.

252. *Esto foret ordinaria, equidem invalidè exercetur ſinè cauſa, ex eod.*

Sed nunquid, quia hæc poteſtas ordinaria, ideò validè exercetur ſinè juſta cauſa? Negat idem Auctor ſup. n. 84. ex eo, quòd obligatio ſponſalitia non oriatur ex poteſtate Legiſlativa Superioris; ſed oriatur ex jure juſtitiæ, ex natura rei adquiſito ab altera parte, quæ non poteſt ſpoliari eo jure niſi ex juſtâ causâ, aut ex mutuâ voluntate contrahentium; nec cenſetur data legitima poteſtas Superiori, ad tollendum jus juſtitiæ adquiſitum, niſi ſubſiſtente juſtâ causâ. Ita Dicaſtillo,

Conſentit Auctor.

Et ego. Quippè ſponſalia habent ſuam vim, non à voluntate Pontificis; ſed à voluntate contrahentium; & ideò ſolâ voluntate Pontificis nequeunt diſſolvi; at verò lex propria totam ſuam vim habet à voluntate Pontificis; imò formaliter nihil aliud eſt, quàm voluntas Pontificis; & ideò, eâ ceſſante, neceſſariò ceſſat ipſa lex.

253. *Eadem hîc eſt ratio Papæ & Epiſcopi.*

Porrò quod jam dictum eſt de Pontifice reſpectu legis naturalis aut divinæ, idem dicendum eſt de Epiſcopo, & aliis, qui in certis caſibus poſſunt diſpenſare in lege Pontificia, ſcilicet diſpenſationem ſinè cauſa non ſubſiſtere; quia ea lex non habet ſuam vim à voluntate Epiſcopi, ſed Pontificis: adeoque non eſt diſpenſatio in propria voluntate, ſed in voluntate aliena; ac proindè nequit fieri abſque conſenſu alienæ voluntatis, qui tunc non intervenit.

Aliqui exiſtimant, Epiſcopum non poſſe validè diſpenſare ſinè cauſa in propria lege, eſtò Papa poſſet.

Quinimò Aliqui apud Sanchez lib. 8. diſp. 17. n. 26. putant, Epiſcopum non poſſe validè diſpenſare ſinè cauſa in propria lege, eſtò Pontifex poſſet. Quippè quàmvis ab Epiſcopi voluntate pendeat, vim habere ſtatutum illud, atque adeò poſſit illud omninò caſſare: tunc enim ſuâ poteſtate ordinariâ utitur; nec in aliquo jus commune offendit. At, vim habente ſtatuto, diſpenſare cum aliquo abſque juſta cauſa, eſt contrà jus commune, cap. *Cùm omnes*, de Conſtit. At diſpenſatio inferioris in jure communi abſque cauſa eſt irrita.

254. *Oppoſitum docet Sanchez.*

Cæterùm (inquit Sanchez ſup. n. 27.) abſque dubio tenendum eſt, eſſe validam. Ducor: quòd eadem militet ratio, quæ in Pontifice reſpectu ſuarum legum: tunc enim non diſpenſat in voluntate aliena, ſed in propria, à qua ſola vim habent illæ leges: Neque obſtat ratio contraria: quia etſi peccet Epiſcopus contrà jus divinum, imò & divinum naturale, dictans, neminem à lege generali eſſe ſinè cauſa eximendum: at diſpenſatio illa tenet. Quia tunc non diſpenſat inferior in eo jure naturali, aut Pontificio; ſed ſolùm illud violat. Hæc ille.

Limitatio.

Quæ tamen temperat n. 29. niſi conſtitutio illa Epiſcopi tranſierit in contractum, in commodum alterius. Ut ſi fieret ſtatutum, ut omnes ad urbem confluentes gaudeant aliquo privilegio, non poſſet revocare reſpectu eorum, qui jam venerant. Quòd jus ex illo contractu jam ſit illis acquiſitum. Sed quàmvis hæc limitatio ſit regulariter vera: negandum tamen non eſt, poſſe Epiſcopum ex legitima cauſa ſupervenienti contravenire. Ita Sanchez. Et verè.

255.

Quæro autem ego; quomodo ergò verum eſt, quod alio loco ait, ut ſup. audivimus: jus acquiſitum tertio nullus, præter ſupremum Principem, auferre poteſt? Nam in hoc caſu jus fuit acquiſitum tertio, & tamen Epiſcopus ex legitima cauſa ſupervenienti poteſt illud jus auferre. Quare ergo non ſimiliter jus acquiſitum per ſponſalia? Expectabo diſparitatem.

Quod poteſt Papa in lege propria, etiam facit in lege prædeceſſoris, & inferioris, ex Sanchez.

Interim dico: eâ ratione quâ Pontifex & Epiſcopus diſpenſant in lege propria, etiam valent diſpenſare in lege prædeceſſoris aut inferioris. Quia (inquit Sanchez ſup. n. 28.) in voluntate Superioris eſt quaſi eminenter inferioris voluntas: & ſucceſſor æqualis reputatur quaſi eadem perſona, ratione ejuſdem officii. Sic ille.

256. *Diſtinctio circà hoc Suarij. Prima pars.*

Quem intelligo cum hac diſtinctione, quam inveni apud Suarium lib. 6. de Leg. cap. 19. n. 20. Si (inquit ille) tantùm ſit poteſtas ſuperior quaſi remota, quia videlicet ſolùm in gradu appellationis, vel ſupplicationis, aut alterius ſimilis recurſûs, poteſt verſari circà ſubditos inferioris Prælati, tunc certè diſpenſatio non valebit, data ſinè juſta cauſa; quia tunc nulla eſt ratio recurrendi ad talem Superiorem, & conſequenter neque illius juriſdictio ibi locum habet. Et ita diſpenſatio data ab Archiepiſcopo in lege Epiſcopi ſinè cauſa, nulla erit.

Secunda.

At verò, ſi poteſtas ſuperior ſe extendat immediatè ad regimen ſubditi per modum cauſæ univerſalioris, etiam immediatè, tunc valida erit talis diſpenſatio Papæ in lege Epiſcopi, & diſpenſatio Generalis in præcepto Provincialis, & ſic de ſimilibus. Quia licet Superior propriè non mutet voluntatem inferioris, poteſt mutare ſeu tollere effectum ejus per juriſdictionem ſuperiorem, quæ de ſe non pendet ab inferiori. Sicut etiam poteſt talis Prælatus ſuperior reſervare ſibi immediatum regimen talis ſubditi. Quod ſemper intelligendum eſt, niſi ejus poteſtas per aliquam legem limitata ſit, & tunc ſolùm valebit diſpenſatio juxtà gradum & modum conceſſæ poteſtatis. Hucuſque Suarez.

Omitto alias multas difficultates, quæ circà diſpenſationem ab Aliquibus hic moventur;

quia ad hunc tractatum non pertinent; sed in tract. de Legib. solent examinari, & alibi per occasionem de ipsis disputavimus. Tantùm breviter indicabo causas, propter quas justè dispensatur in impedimentis Matrimonii, ex Aversa sup. sect. 4. §. *Iam quia*, & sequentibus.

Aliquæ causa reddunt dispensationem tantùm licitam, aliæ etiam debitam, ex Aversa.

Causæ (inquit ille) ad dispensandum in Matrimonii impedimentis, possunt esse multæ & variæ: possunt esse quædam, quæ solùm reddant dispensationem justam & licitam, sed non debitam: id est, ob quas potest Pontifex prudenter dispensare, si velit, non autem teneatur. Et possunt esse aliquæ, quæ inducant etiam obligationem & debitum dispensandi, vel ex charitate, vel etiam ex justitia: utpotè ad subveniendum magnæ indigentiæ alicujus, vel ad evitanda magna damna & scandala. Quod totum prudenti arbitrio discernendum est.

258. *Aliqua sufficiunt pro uno impedimento, & non pro alio.*

Item possunt esse quædam causæ, quæ sufficiant quidem ad dispensandum in aliquo impedimento leviori; non autem in alio arctiori: utpotè pleræque causæ sufficiunt ad dispensandum in voto simplici castitatis, & religionis; non autem in voto Professionis solemnis, aut instituto Ordinis Sacri. Et similiter pleræque sufficiunt ad dispensandum in remotioribus quibusdam gradibus; non autem in aliis arctioribus. Quod totum ita in praxi ipsa, & consuetis expeditionibus observatur. Nec tamen oportet, ut semper dispensatio per se ac directè ob bonum publicum concedatur: sed benè etiam potest, & frequenter solet concedi per se ac directè ob privatum commodum talium personarum; quod ipsum saltem remotè, & indirectè censetur etiam redundare in bonum publicum.

259. *Prima causa dispensandi bonum pacis.*

Regulariter verò hæc causarum genera in his dispensationibus solent attendi. Primò; Bonum pacis: sæpè enim per connubia junguntur quòque pacis fœdera, non solùm inter certas personas; sed etiam inter familias & communitates & regna. Et sub pacis bono intelligitur non solùm extinctio inimicitiarum, & rixarum capitalium, sed etiam litium civilium, aliarumque discordiarum. Itemque præventio, ne oriantur, & ne subsequantur homicidia, rapinæ, infamia, aliave damna & scandala: quia ad pacem civium, & rectam gubernationem, spectat hæc evitare. Et per scandala intelliguntur peccatorum pericula, etiam incontinentiæ, & fornicationis, & similia.

260. *Secunda causa, angustia loci.*

Secundò; Angustia loci: quando scilicet in tali oppido non invenitur alia persona coæqualis & competens ad Matrimonium ineundum, nisi ex personis conjunctis, & ideò expedit dispensare. Censeturque hæc causa sufficere; etiamsi alioquì in aliis oppidis convicinis inveniantur personæ coæquales: quia non debent cogi, præsertim fœminæ, ad conquirendos conjuges extrà suam patriam, & egrediendum in aliam patriam, deserendo suos propinquos & notos, cum illorum etiam amaritudine. Item: censetur sufficere, etiamsi non fiat exacta perquisitio & diligentia in proprio oppido, ad inveniendam personam coæqualem: sed satis est, si non commodè & moraliter inveniatur, aut sit major pars concivium consanguinitate vel affinitate contingat personam, cupientem nubere, ut non ita facilè præter eos inveniat personam parem, & sibi suisque gratam.

261. *Tertia causa, inopia personæ.*

Tertiò; Inopia personæ, præsertim defectus dotis competentis in fœmina, quando inter conjunctos paratus est aliquis eam dotare, vel absque dote competenti accipere. Et censetur fœmina pauper ac dote deficiens, quando non habet tantam, quanta requiritur & consueta est, ut nubat pari: etiamsi habeat parentes divites, quos tamen cogere non possit ad competenter dotandum; vel qui non possunt se in vita sua tantâ bonorum parte privare, quanta requiritur ad competentem dotem filiæ tribuendam. Item; etiamsi habeat fratres aut alios propinquos divites, à quibus sperat augendam sibi dotem: quia non per hanc spem definit in statu præsenti esse pauper. Rursùs; etiamsi habuerat anteà magnam facultatem, sed ei cesserat: dummodò tamen hoc non fecerit in fraudem, ad finem obtinendi, titulo paupertatis, dispensationem impedimenti. Si, inquam, habuerat: quia si nondum habuisset, sed fuisset solùm instituta hæres, aut legataria, & noluit acceptare & acquirere talem facultatem, animo sibi providendi per impetrationem dispensationis, id non obstaret, quò minùs habeat justam causam impetrandi ob paupertatem.

262. *Quarta causa, conservatio successionis.*

Quartò; Conservatio successionis sive hæreditatis, & splendoris in eadem familia; utpotè, quando fœmina remanet hæres, ne transferat possessionem in extraneos; sed retineat inter consanguineos. Quâ ratione & in antiqua lege disponebatur, ut fœmina hæres in eadem sua cognatione nuberet. Item: acquisitio novæ hæreditatis: utpote quando quis eam reliquisset sub conditione, si talis cùm tali nuberet, aliove simili modo.

Quinta causa, recognitio &c.

Quintò; Recognitio insignium personarum, & remuneratio meritorum: quando nempè personæ insignes, & benè meritæ, talem dispensationem cuperent & peterent.

263. *Sexta, instauratio Matr.*

Sextò; Instauratio Matrimonii bonâ fide contracti. Et quidem ad hoc sufficiet, si una pars sola sic bonâ fide contraxisset, & posteà, detecto impedimento, ipsâmet peteret dispensationem; quia ejus interest Matrimonium instaurari, quàmvis altera pars, quæ malâ fide contraxisset, digna non esset, quantùm ad se, benignitatem Ecclesiæ experiri; sed in gratiam & favorem partis innocentis, ejusdem beneficii particeps erit.

Septima, reparatio honoris.

Septimò; Reparatio honoris fœminæ, quæ fornicariè cognita redintegratur per Matrimonium cum viro, qui eam violavit. Itemque legitimatio & bona educatio prolis, ex fornicatione susceptæ.

264. *Octava, impositio alicujus Summæ pecuniæ.*

Octavò; sufficit etiam interdum pro causa, aliqua impositio, quæ de novo fit iis, qui dispensationem petunt: utpotè interveniendi alicui pio operi, subministrandi majorem pecuniæ summam, & similia. Ubi interdum aliqui exponunt,

se

se dispensationem petere absque causa, id est, absque ulla ex dictis causis antecedenter interveniente. Sed tamen in expeditione ipsâ affigitur talis causa: quia obligare quempiam, ad faciendum tale pium opus, vel errogandam tantam pecuniæ Summam, est sufficiens causa ad dispensandum, dum alioquì impedimentum non erat ex strictioribus. Interdum etiam juvant, & sufficiunt plures causæ simul, quæ singulæ per se fortasse non sufficerent. Et præsertim solet semper in dispensationibus exigi aliqua compositio pecuniæ, vel præstatio alicujus pii operis, ut in praxi compertum est. Hucusque Aversa. Satis compendiosè & nervosè. Qui diffusiorem tractatum de his causis desiderat, adeat Sanchium lib. 8. disp. 19.

165. *Explicatur prima causa.*

Nota autem pro explicatione primæ causæ, quod legitur cap. 2. de Novi oper. nunt. *Licèt opera illa, quæ sinè mortali peccato omitti non possunt, non sint pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro scandalo vitando committi, quæ sinè mortali peccato committi non possunt: ab his tamen, quæ sinè mortali peccato committi possunt, pariter & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo instendum.*

Pro scandalo vitando non debet quis mortaliter peccare.

Ubi Gloss. verb. *Pro vitando scandalo dimittenda*, inquit: *Nota, quòd pro aliquo scandalo vitando, non debet quis mortale peccatum committere: quia utiliùs scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur inf. de Reg. juris*: Qui scandalizaverit. *Aliàs, si aliqua possint fieri, vel omitti sinè mortali, detrahendum est juri.*

266. *Aliquando jus relaxatur propter scandalum.*

Et verb. *Pro scandalo tollendo*, ait: *Propter quod detrahendum est quandoq; severitati, 50. Distinct.* Ut constitueretur, *& jus relaxatur propter scandalum sive multitudinem, sup. de Temp. Ordin. c. 2. & propter scandalum etiam Matrimonium impeditur, sup. de Sponsal.* Cùm in tua.

Quid ni ergo propter scandalum vitandum possit Matrimonium concedi, quod aliàs foret prohibitum, imò & irritum? Sanè valdè interest boni communis, scandala vitari. In dispensationibus autem Matrimonialibus, bonum commune præcipuè attendendum est, ne quod pro bono communi institutum est, contrà illud militare incipiat.

267. *Expenditur secunda causa. Declar. Card. pro ea.*

Quantùm ad 2. causam: Congr. Card. ad instantiam Archiepiscopi Mediolan. die 18. Novemb. anno 1570. declaravit, quod sequitur: *Clausula illa, quæ dispensationibus, occasione dotis incompetentis, apponi solet, videlicet*: Quia virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis invenire nequit, *verificatur & justificatur per diligentiam dumtaxat præstitam in ipso loco mulieris, & non in locis circumvicinis.*

Profectò durissimum est, cogi fœminam extrà proprium oppidum nubere, ut sic patris & matris, & consanguineorum consortio distituta, acerbam ac solitariam vitam transigat.

268. *Quid intelligatur per oppidum, ex Gobatio.*

Rogas: quid hìc intelligatur per oppidum? Quàmvis (inquit Gobat sup. cas. 23. n. 648.) Navar. Sanchez, Reginal. Wiggers ac Tannerus loquantur de civitate, urbe, vel loco insigni aut famoso, oppidove majore; ego tamen per oppidum intelligo, etiam in hac materia, pagum: etenim Hurtadus, Palaus, Coninck, Diana, Filliuc. absolutè dicunt: Si non reperiant in loco sui domicilii: & Breve Innoc. (quod sup. habes) exprimit absolutè augustiam loci.

Probat, intelligi etiam pagum.

Ratio vero est; quia etiam multis mulieribus, educatis in parvis oppidis, aut pagis, est perquàm difficile, deserere suos & sua. Et nobiles Imperii, ut vocant, adeoque Nobiles Suevi, Alsatæ, Francones, plerique omnes domicilia habent, non in oppidis, aut urbibus, sed in pagis; & tamen perfrequenter postulant, impetrantque gratiam, de qua nunc disserimus. Sic ille.

269. *An sit hìc eadem ratio viri & fœminæ.*

Sed nunquid quæ fœminæ, eadem est ratio viri? Sanchez & Alii de sola fœmina loquuntur: sicut & Congreg. Card. sup. allegata. Et ratio esse potest: quia non est masculis tam difficilè, deserere patrios lares, quàm fœminis; imò non tenentur sequi uxores, sed hæ ipsos. Nihilominùs Aversa sup. & alii generaliter loquuntur.

Multi affirmant d. causam, etiam respectu viri sæpè habere locum. Gobat.

Miror equidem (inquit Gobat sup. n. 647.) nullum ex tot Doctoribus (quos ibi enumeraverat) disertè, reflexè, seu in actu signato quærere, aut exprimere, utrùm angustia loci locum habeat aliquando, etiam respectu viri; cùm sit certum ex verbis Congregat. sup. cit. quòd habeat communiter respectu fœminæ: habere etiam, & sæpè quidem, respectu viri, doceat apertissimè Hurtadus, atque Dicastillo, & satis clarè Coninck, favente Brevi Innoc. X. At habere semper respectu solius fœminæ, nemo, quem legerim, exprimit: ergò quia certum est, fieri quandoque, ut etiam masculi non reperiant in suo oppido uxores paris conditionis, nisi junctas sanguine vel affinitate; extrà autem, non nisi unam alteramve, quæ tamen nolint iis nubere, nisi ipsi velint se integrè transferre in earum oppidum, arcem &c. ideò ego adhærens verbis horum trium posteriorum Doctorum, & Brevis Pontificii, existimo, posse angustiam loci quandoque extendi etiam ad sponsos; sed velim, examinent doctiores me, hanc doctrinam hactenùs non ventilatam. Ita Gobatius.

Hurtad. Dicast. Coninck.

270. *Judicium Auctoris.*

Ego, quàmvis non existimem me ipso doctiorem, tamen hanc doctrinam examinavi; &, si ratione solâ agatur, consentio Gobatio in circumstantiis ab ipso propositis. Potest quippè tam durum esse viro, relinquere proprium oppidum, quàm fœminæ; & aliunde cùm Matrimonia debeant esse libera, & multas conditiones exigant, ut convenientia & paria judicentur, expedit valde, ne fœmina, vel vir ad unum vel alterum conjugium arctetur; sed sint varia, ex quibus ei detur optio.

Expenditur Breve Inn. not.

Quantùm ad doctrinam istorum Auctorum: Breve Innoc. solùm loquitur in generalibus terminis, dicens: *Nec non cum aliis quibuscumq; similibus gradibus conjunctis vel se attinentibus, qui propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias &c.*

Coninck autem disp. 33. n. 46. sic ait: Se- 271.

Quid Coninck sentiat.

cunda (causa) est, quando aliquæ nobiles vel principales personæ, sive quæ ex honorabilioribus sunt sui oppidi, nisi ineant Matrimonium cum affinibus, vel consanguineis, non possunt nisi cum gravi incommodo, magnisque difficultatibus dignas suo statui nuptias inire. Ecce resolutio generalis. Sed continuò adjungit. Talis autem difficultas, juxtà Sanchium sup. n. 13. est, si fœmina aliàs cogeretur nubere in alia civitate, atque ita perpetuò abstrahi à suis parentibus, quod ei durum esset. Igitur non satis clarè Regius docet hanc sententiam.

Doctrina Dicast.

Clariùs loquitur Dicastillo sup. n. 88. ibi: Secunda causa est, quando quis non nisi satis difficilè & magno suo incommodo invenire potest nuptias sibi dignas, nisi cum cognata, aut aliâ ratione habente impedimentum, cujus petitur dispensatio, ut ipsi nubat; ut cum quis nequit aliam in proprio oppido invenire. Sic ille. Ubi expressè loquitur de viro; fortè tamen sinè aliqua reflexione ad hanc difficultatem.

272. *Facilius potest dispensari cum muliere, quàm viro.*

Mihi certum est, virum faciliùs posse invenire nuptias in alieno oppido, quàm mulierem, & ideo frequentiùs posse dispensari ob hanc causam cum muliere, quàm cum viro: si tamen absolutè æquè incommodum esset viro, quàm mulieri, nubere extrà proprium oppidum, non video, quare minùs cum ipso, quàm cum muliere, ob hanc causam possit dispensari.

An debeat admitti limitatio ad personas nobiles.

Sed nunquid admittenda limitatio Coninck sup. ad personas nobiles vel principales? Apud nullum alium Auctorem invenio eam; fortè ideò sic locutus fuit Regius, quia frequentiùs contingit, ut tales personæ non possint aliàs commodè nubere.

273. *Ex quibus dijudicandum sit Matrim. æquale, ex Sanchez.*

Si autem à me quæritur; ex quibus dijudicandum sit Matrimonium æquale? Respondeo cum Sanchio sup. n. 15. Non sola generis ac divitiarum æqualitas spectanda sunt; sed etiam mores viri, juxtà l. *Nuptiæ.* C. de Nuptiis, ibi: *Et si parès sint genere & moribus.* Et addo (inquit hic Auctor) rationem etiam habendam, ne dispar sit valde ætas, vel vir ex alio Matrimonio filios habeat, vel asperi ingenii sit. Hæc enim omnia disparitatem in Matrimoniis constituunt. Et quò fœmina durioris atque minùs tolerabilis ingenii est, eò vir mitioris ac tolerantioris necessarius est illi, ut benè convenire possint. Ita Sanchez. Et Alii communiter.

Expenditur 3. causa, Quæ sit hìc competens dos.

Circà tertiam causam, scilicet inopiam, notat Sanchez sup. n. 17. eam dotem fore competentem, quæ sufficit, ut fœmina nubat viro æquali, quàmvis sit minùs sufficiens respectu viri, eam ducere volentis; estò etiam foret parentibus orbata. Quod (inquit) nulla pietatis causa tunc versetur, quæ concurrere debet, ut dispensatio licita sit. Cùm enim fœmina illa dotem viro æquali habeat, potest, simili viro electo, cavere omnia pericula, quibus defectu parentum exposita est. Nec Ecclesia ei favet, ut virum conditione aut divitiis imparem quærat.

Præterea: quia id ad solum patrimonii augmentum spectat; quod non est causa sufficiens. Quia cùm mulier illa dives sit, nulla in hoc pietatis ratio invenitur, neque redundat in majus bonum spirituale, ut contingit, quando mulier est pauper. Non enim dispensatur tunc ob temporale ipsius bonum, sed ob spirituale; ne eum animæ periculo innupta maneat. Quæ ratio cessat in muliere divite.

absolutè dives,

Divite, inquam, non solùm in spe, sed etiam in re, absque periculo per litem, aut aliâ ratione, notabilem partem divitiarum amittendi. Alioqui meritò nomine pauperis veniret. Nisi fortè bonis suis renuntiasset eo animo, ut paupertatis titulo dispensationem obtineret. Nam Sanchez sup. n. 26. existimat, eam dispensationem fore invalidam: quia (inquit) allegatur Pontifici ea paupertas, ut causa dispensationis legitima, quæ tantùm abest, ut causa dispensationis sit, ut potiùs retraheret ipsum à dispensatione concedendâ, quo iis fraudibus obvietur.

Non solùm in spe, sed etiam in re.

Quid si renuntiaverit bonis suis in fraudem? Non valet dispensatio, ex Sanchez.

Si dixeris: licita est bonorum renuntiatio, ut renuntians admittatur ad Collegium, solis pauperibus à fundatore destinatum. Cùm tamen id cedat in detrimentum verorum pauperum, quibus id Collegium institutum est: Ergò à fortiori verum habebit in nostro casu, qui in nullius damnum vergit.

275. *Objectio.*

Respondet Sanchez sup. non esse simile: quippè is finis est optimus, cùm in eo Collegio commodiùs, ac majori studio vacetur litteris, & educatio studiosior sit. Adde: usum sic interpretatum esse testatoris fundantis voluntatem. At in nostro casu deficit finis studiosus, & renuntiatio fit animo eximendi se à lege, contrà sacrorum Canonum mentem. Nec consuetudo explicuit, mentem Pontificum esse, concedere dispensationem ob hanc affectatam paupertatem gratiâ illius extorquendæ.

Solvitur ex cod.

Si tamen (inquit ibidem Sanchez) renuntiatio non ad eum finem facta fuisset, sed ad alium quemcumque, etiam inhonestum; si verè fuit facta, absque pacto expresso vel tacito retrodonandi, quàmvis certâ fiduciâ conceptâ, fore ut is, in quem renuntiatio facta est, reddat ex sua liberalitate postea bona renuntianti, valida erit dispensatio, allegando paupertatem, tacitâque renuntiatione, undè orta est. Quia ea fœmina verè pauper est, ac dote caret, nullamque, ut obtineret dispensationem, fraudem admisit. Nec ea fiducia constituit eam devitem, utpotè quæ soli alterius voluntati innititur. Adde: valituram eam dispensationem, quàmvis hæc dotem in usibus turpibus consumpsisset. Sic ille.

276. *Quid si renuntiatio fuerit facta ad alium finem? Valet dispensatio, juxtà eumdem.*

Sed nunquid etiam verè pauper est, quando renuntiavit in fraudem? Nonne etiam tali casu pietas locum habet, & dispensatio fieret ob bonum spirituale, ne cum animæ periculo innupta maneat? Neque enim per hoc, quòd non dispensetur, fiet ditior. Cur ergò non valeat dispensatio?

277. *Quidni etiam valeat, quando facta fuit in fraudem?*

Nonne extat aliqua lex, vel declaratio Cardinalium, quâ statuitur aut declaratur talis dispensatio invalida? Nonne disputatur, an peregrinus exemptus sit à reservatione proprii Episcopi, quando id fit in fraudem? Similiter, an

274. *Quid si mulier sit*

possit

possit validè contrahere Matrimonium sinè Parocho, in loco ubi Concil. Trident. non est receptum ? Hæc cogita. Et mecum transi ad majorem difficultatem.

278. *Quid si fœmina instituatur hæres post impetratam dispensationem.* Fœmina verè carebat dote, quando dispensatio impetrata est ratione dotis incompetentis: at antequam expediretur per Ordinarium, est instituta hæres aut legataria maximæ quantitatis, quæritur; an tutè possit hæreditatem hanc aut legatum repudiare, ne eâ effecta dives frustretur dispensationis valore, quasi cessante causâ.

Potest, secundùm Sanchez, renuntiare ei. Probat. Respondet Sanchez sup. n. 27. integrum esse in utroque foro huic fœminæ, renuntiare illi hæreditati, vel legato, antequam tacitè vel expressè acceptet; etiam antequam mittat Romam pro dispensatione obtinenda. Ducor, inquit, quòd jura concedant prædictam renuntiationem hæreditatis vel legati, censeantque, id non esse proprium patrimonium minui, sed tantùm non acquirere; arg. l. *Qui autem*, 6. ff. Quæ in frau. cred. vers. *Proinde*, ibi: *Proinde & qui repudiavit hæreditatem, vel legitimam, vel honorariam, vel testamentariam, non est in ea causa, ut huic edicto locum faciat. Noluit enim acquirere, non suum proprium patrimonium diminuere.*

279. *Confirmatur.* Et ratio est; quòd jus hæreditatem adeundi, antequam ea acceptetur, non sit in bonis nostris, arg. l. *Prætia rerum*, 63. ff. Ad leg. Falcid. ibi: *Est enim absurdum, ipsum me hæredem institutum non esse locupletiorem, antequam adeam.* Vbi Gloss. verb. *Ipsum*, inquit: *Quasi diceret: istud est dicere, me institutum non esse locupletem, antequam adeam.*

Et quàmvis legatum, consistens in specie, transeat à morte testatoris in legatarii dominium, nec ad id expectetur aditio hæreditatis; meritò tamen idem disponitur d. l. *Qui autem*, vers. *Sed & illud*, in legato repudiato per debitorem: *Sed & illud probandum est, si legatum repudiavit, cessare hoc edictum. Quod Iulianus quoque scribit.*

280. *Vlterior probatio.* Et ratio est; quia quàmvis legatarius factus sit jam dominus illius legati, & ita videatur ea repudiatio diminutio proprii patrimonii & alienatio: reverà tamen talis non est; quia acquiritur dominium legati imperfectè & revocabiliter antè acceptationem, & sub tacita conditione, nisi repudietur: unde cum posteà repudiatur, fingitur non esse quæsitum dominium, arg. l. 1. ff. Si quid in fraud. patro. vers. *Vtrùm autem*, ibi: *Quàmvis enim legatum retrò nostrum sit, nisi repudietur: attamen cùm repudiatur, retrò nostrum non fuisse, palam est.*

Ergò (infert Sanchez sup.) potest in utroque foro hæc fœmina jure illo sibi per leges concesso uti, ne acquisitio illa noxia sibi sit.

281. *Objectio. Solvitur.* Si dixeris: non licet in foro conscientiæ illa renuntiatio in fraudem creditorum. Respondet Sanchez disparitatem esse; quòd lex justitiæ, quâ creditoribus debitor tenetur, obligat ad acquirendum, quando aliàs non est solvendo. At in nostro casu nulla est alia lex, ad acquirendum obligans, nec fraus Pontifici fit; non enim tenetur hæc divitias in suum damnum acquirere.

Fateor: sed ubi est lex, quæ obligat ad non alienanda bona jam habita, sive non minuendum patrimonium ? Nunquid teneor divitias conservare in meum damnum ? Quare ergò potiùs in uno casu fit fraus Pontifici, quàm in alio ? Iterùm dico: Tu cogita.

282. *Quid si nolit renuntiare, nec acceptare.* Hoc verè dixit Sanchez sup. in fine: Non tamen potent uti dispensatione, si nolit renuntiare nec acceptare. Quippè verè non est pauper, utpotè, quæ adhuc jus ad rem, acquisitum per testatoris mortem, retinet.

Quid si institutionem suam ignoraverit ? Si Matr. iniit, valet, ex Sanchez. Sed quid si ignoraverit jus istud, utpote inscia suæ institutionis ? Si Matrimonium iniit, valet, secundùm Sanchez sup. n. 28. & potest nihilominùs eam acceptare. Quia, inquit, vera paupertas allegata est Pontifici, cùm nondum hæc acceptasset, & inscia fuerit hujus juris ad rem: & hanc piè credendum est, esse Pontificis mentem, ne dispensationes & Matrimonia periculo exponantur: & cessatio causæ, postquam effectus illius consummatus est, nihil obest.

283. *Quid si nondum foret contractum ? Non valet, ex eod.* Quid ergò, si Matrimonium nondum foret contractum ? Poteritnè suam institutionem acceptare, & nihilominùs contrahere ? Jam enim cessat causa, antequam effectus illius consummatus sit: *Cessante autem causâ, cessat effectus*, cap. 60. de Appel. Ergò cessat dispensatio, cujus unica causa finalis erat, ut suppono, incompetentia dotis, seu paupertas, ergò non valet Matrimonium, vi ejus initum. Ita sentit Sanchez lib. 8. disp. 30. n. 14. cum Aliis, quos citat.

Probatio rejicitur à Salas. Probat autem per diversa jura, ex quibus, inquit, constat, revocari gratiam & privilegium, cessante causâ. Sed respondet Salas de Leg. disp. 20. sect. 6. §. *Ex his patet*: Inde non colligitur, esse nullam dispensationem, sed annullandam.

284. *Et ex Suario.* Suarez verò lib. 8. de Leg. c. 30. ostendit illa jura non convincere, nisi in certis circumstantiis; in primis, quando expressè cum tali conditione privilegium aut dispensatio conceditur, v. g. in cap. *Abbate*, 25. de Verb. signif. in fine, ibi: *Ita videlicet, ut tamdiu Monasterium ipsum hâc honoris debeat prærogativâ gaudere, donec ibidem viguerit observantia regularis.*

Ubi (inquit Suarez sup. n. 16.) clarè ponitur causa illa, seu circumstantia, ut necessaria ad conservationem privilegii; & redditur optima causa, in qua explicatur, illum terminum designari, ut possit esse licitus usus privilegii, scilicet: *Vt idoneæ personæ inveniantur in illo, qui possint in Abbatem assumi.* Tunc ergò duratio causæ est veluti conditio requisita, ut duret privilegium. Et idem foret dicendum de dispensatione, quæ similibus verbis concederetur, quod patet ordinariè non fieri in dispensationibus Matrimonialibus, de quibus hic tractamus.

285. *Quando cesset privilegium, cessante causâ.* Contingit etiam aliquando, ut causa privilegii cesset contrariè, id est, ut usus privilegii seu dispensationis fiat malus & illicitus, etiam positâ dispensatione seu privilegio, & tunc pariter cessare privilegium seu dispensationem, admittit

Suarius

Suarius sup n. 6. v. g. si Monasterio applicata esset aliqua pars decimarum alicujus Ecclesiæ, quia tempore concessionis ex reliquo poterat Ecclesia sufficienter sustentari & provideri; postea verò, mutatis rebus, non possit sustentari, si in tota illa parte decimarum defraudetur, tunc cessat causa privilegii, & consequenter cessat privilegium.

Declaratur cessare, quando usus est illicitus.

Et ratio est: quia privilegium de re illicita nullum est; ergò privilegium, cujus usus factus est illicitus, factum est nullum; quia quoad hoc eadem est ratio de conservatione, quæ de inceptione, quia neutro modo potest dari licentia, ad illicitum perpetrandum. Sicque habet hic locum principium juris, quod pervenit ad statum in quo incipere non posset, in eo remanere non potest; l. *Vranius* 71. ff. de Fidejuss. ibi: *Vt, quemadmodum incipere alias non possunt, ita nec remaneant.* Ubi Gloss. verb. *Remaneant*, inquit: *Quod ergò impedit faciendum, destruit jam factum.*

286. *Expenditur Gloss. in l. 8. ff. de His qui sui &c.*

Et l. *Patre*, 8. ff. de His qui sui &c. Gloss. verb. *Retinere*, sic ait: *Quandoque causa impediens respicit causam finalem, & tunc, sicut impedit a principio faciendum, ita impedit jam factum; quandoque respicit causam efficientem, ut consensum, qui est causa efficiens Matrimonium, & licèt ab initio aliquid impediat faciendum, non tamen tollitur jam factum.* Quod Suarez sup. intelligit de impedimento contrario; & tunc destrui quod factum est, quatenùs est principium actûs futuri & faciendi, in quo tale impedimentum invenitur.

Suarez.

287. *Probatur ex Sanchez, cessante paupertate in casu nostro, cessare dispensationem.*

Sed nunquid res ita se habet in nostro casu? Audite Sanchium sup. Lege, *Ex facto*, in princip. ff. de Vulgari, deciditur, privilegium patri concessum substituendi filio furioso, cessare, filio sanæ mentis effecto; & evanescere substitutionem, illi anteà factam: cùm tamen privilegium id jam esset ad effectum deductum, quia is revocabilis erat. Et reddit textus rationem his verbis: *Etenim iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus; auferet enim testamenti factionem homini sanæ mentis.* Sic ergò in nostro casu, cùm, cessante causâ, incipiat iniqua esse dispensatio, utpote quæ absque ulla ratione ex tunc eximit privatum à jure communi, vel naturali divino, in præjudicium communitatis, cui id scandalo est: cessabit ex tunc quoad effectum, qui commodè revocabilis est.

288. *Confirmatur.*

Et confirmatur ampliùs: quia paria sunt, nullam ab initio fuisse causam, & fuisse aliquam, sed illam omninò finitam esse, ut expressè probatur ex L. 1. ff. de Condict. sinè causa, ibi: *Sive ab initio sine causa promissum est, sive fuit causa promittendi, quæ finita est, vel secuta non est; dicendum est, condictioni locum fore.* At quando à principio nulla esset causa, dispensatio irrita esset, vel illicita. Ergò eodem vitio afficietur, si, cessante posteà causâ, permaneat. Non enim est credendum, velle dispensantem peccare, intendendo, ut dispensatio vim habeat in eo casu, in quo dispensatio irrita esset aut illicita. Ita Sanchez.

Ad idem

Et addit argumentum ab absurdo dicens: Absurdum videtur, ut is, cum quo est legitimè dispensatum ad carnium esum, ratione debilitatis dubiæ, & quæ ex se non excusabat, seclusâ dispensatione, possit eis vesci, si integram, etsi miraculosè, valetudinem recuperat.

arg. ab absurdo.

Sed hæc, & similia argumenta plura, quæ Sanchez sup. adducit pro sua sententia, non convincunt, sive non ita concludunt, quin solvi possint, ut ipsemet fatetur sup. n. 13. in fine. Atque adeò, qui docent Matrimonium valere in casu proposito, damnari non possunt, cùm & ipsi habeant suas rationes non contemnendas, tametsi etiam non convincant.

289. *Sed hæc arg. non convincunt.*

Principalis autem ratio est: quia (inquit Suarius lib. 6. de Leg. c. 20. n. 15. ubi tenet hanc sententiam) gratia dispensationis consummatur, & perficitur in relaxatione legis, seu oblatione vinculi aut impedimenti, per legem introducti: ergò non revocatur propter cessationem causæ. Probatur Consequentia: quia licèt causa posteà cesset, nihilominùs dispensatio manet justa & valida: ergò & effectus ejus permanet; quia ille effectus non pendet in suo esse à tali causa.

Principalis ratio oppositæ sententiæ, ex Suarez.

Et confirmatur ac declaratur exemplis: nam irregularis dispensatus ad Ordines, propter paupertatem propriam, vel parentum, vel propter indigentiam ministrorum Ecclesiæ, licèt postea cesset illa causa ante susceptos Ordines, nihilominùs potest licitè ordinari, ex vi illius dispensationis; quia per illam fuit irregularitas simpliciter & absolutè sublata, neque est, unde redire valeat, propter solam cessationem causæ; quia nec ab aliqua lege vel homine fit; nec est verisimile, fuisse sublatam quasi sub conditione, si causa illa duraret usque ad Ordinum susceptionem. Talis enim restrictio ex forma dispensationis colligi non potest; nam absolutè conceditur: neque est necessaria ad justitiam dispensationis; quia non tenetur dispensans prævenire effectus contingentes & accidentarios; sed satis est, quòd eo tempore, quo fit dispensatio, habeat justam causam. Nam dispensator legis, sicut & Legislator, non tenetur considerare rarum & contingentem eventum; sed ea, quæ in plurimùm accidunt; & ideò illa restrictio est nimis dura & scrupulosa; ergò admittenda non est. Ita præfatus Auctor.

290. *Confirmatur & declaratur exemplis. Primum.*

Et post pauca: Simile, inquit, exemplum esse potest in dispensatione neophyti, v.g. ut sit capax alicujus dignitatis aut beneficii, intuitu virtutis seu honestorum morum, quos reverà habebat, cùm dispensatus fuit: nam licèt posteà mutet mores & graviter peccet, non amittit dispensationem.

291. *Secundum.*

Tertium exemplum habetur apud eumdem Auctorem lib. 8. de Leg. c. 30. n. 12. Si concedatur (inquit ille) fœminæ dispensatio in voto castitatis, propter morale periculum incontinentiæ, ita ut hæc sit causa in indulto, & unica, & illa posteà nubat, non obligabitur ad non petendum debitum; etiamsi pro certo supponamus, quoad hoc cessasse periculum incontinentiæ; quia sufficienter subventum est periculo

Tertium.

culo incontinentiæ fœminæ, si sit in statu, in quo possit licitè reddere debitum, quia honestæ fœminæ vix solent petere.

292. *Præcluditur evasio.* Dices: tunc non cessare omninò causam, sed tantùm quoad aliquid. Sed hoc non satisfacit: tum, quia eadem est proportio partis ad partem, quæ totius ad totum. Tum etiam; quia aliàs, si tanta est dependentia à causa, ut licitè dispensatio concederetur, debuit à principio ita intelligi, ut esset ad contrahendum Matrimonium, & ad reddendum debitum, non verò ad petendum; quia respectu integræ dispensationis non erat adæquata causa. At hoc est inusitatum, & nimis scrupulosum. Sic ille.

293. *Resp. Dicast. ad 1. exemplum.* Sed quid ad hæc Adversarii? Sanchez eorum non meminit, & ideò nihil respondet. Dicastillo autem (qui plusculùm inclinat in sententiam Sanchii) sup. n. 102. ad primum exemplum ait: Irregularitas non est propriè ipsa prohibitio alicujus actûs suscipiendi Ordines, aut ministrandi in susceptis; sed est moralis inhabilitas personæ ad Ordinem Ecclesiasticum obtinendum, vel in obtento ministrandum; prohibitio verò ipsam inhabilitatem consequitur; semel autem sublata seu extincta inhabilitas non ampliùs reviviscit: quando ergò est justa causa illam extinguendi, & extinguitur, restitutâ personâ ad habilitatem, quam habebat vel habitura esset, si non adfuisset ea inhabilitas, cessat prohibitio ex ea resultans; quod non contingit in casu nostro, ubi vinculum legis & lex non extinguitur, sed manet; & ipsa lex est prohibitio generalis, quæ solùm impeditur, in ea sententia, ex voluntate ejus, qui dispensat solùm ex causa, & non absque causa, ut casus supponit; non autem cessat ex legis extinctione priùs factâ, sicut prohibitio illius irregularis cessat ex extinctione inhabilitatis, jam sublatæ priùs. Sic ille.

294. *Arg. contrà.* Sed enim, eodem modo dicam ego: impedimentum dirimens non est propriè ipsa prohibitio alicujus actûs, sed inhabilitas personæ ad contrahendum Matrimonium; prohibitio verò ipsam inhabilitatem consequitur: semel autem sublata, seu extincta inhabilitas, non ampliùs reviviscit.

Hoc sibi objecit Coninck sup. n. 102. ibi: Dices: dispensatio ista propriè consistit in ablatione inhabilitatis, quâ personæ priùs inhabiles ad contrahendum redduntur habiles: ergò per eam mutatur status; sicuti quando ab aliquo auferitur irregularitas; ergò sicuti hæc semel ablata non redit, cessante causâ dispensationis, ita nec illa.

295. *Prima solutio ex Coninck. Secunda.* Respondet autem primò: hanc rationem contrariam sententiam reddere satis probabilem.

Respondet 2. negando Consequentiam: quia, inquit, status hic consistit in cognatione, quæ eadem perseverat; nec enim personæ illæ desinunt esse cognatæ; sed solùm datur illis potestas, illâ non obstante, inter se contrahendi; totaque hæc habilitatio in hac potestate consistit, & immediatè actionem respicit; quare non mutat statum.

Resp. ad 2. exemplum. Et idē credo dicendū, quando dispensatur cum illegitimo, ut aliquos Ordines suscipiat, si causa finalis dispensationis, antequā hos suscipiat, omninò desinat. Secùs est de absoluta legitimatione, quâ aliquis omninò desinit esse illegitimus, secundùm æstimationem moralem, atque ita status mutatur. Hæc ille. Ex quibus claret, quid foret responsurus ad secundum exemplū de Neophyto.

296. *Resp. ad tertium.* Porrò ad tertium de voto castitatis, dicit: Eum, qui obtinuit dispensationem in voto castitatis, ut possit contrahere Matrimonium ob graves tentationes, quas magno cum periculo salutis patitur, aut ne illustris valde familia cum jactura Reipub. pereat sinè hærede; cessante causâ dispensationis, antè Matrimonium contractū, aut postquam morte conjugis dissolutum est, cessare etiam dispensationem; præsertim cùm sit donatio alieni juris, quæ strictè interpretanda est, nec ulterius extendēda, quàm causa exigit. Secùs est, si desinat esse, durante Matrimonio; quia tunc res est in diverso omninò statu, in quo esset nimis durum, concessionem finiri. Idemque dicendum, quādo causa finalis, obtētâ dispēsatione, antè Matrimonium contractū solùm ex parte desiit: quia faciliùs permittitur usus dispēsationis semel concessæ, quàm ipsa initio concedatur; ideoque ad illud requiritur minor causa, quàm ad hoc. Ita Reg.

297. *Oppugnatur.* Ast quæro ego: Cur potiùs mutatur status, quando aliquis ex inhabili ad suscipiendos Ordines sacros fit habilis, quàm dum ex inhabili ad contrahendum Matrimonium, fit habilis? Quid aliud est, hominem esse irregularem, quam actum aliquem commisisse, propter quem per legem universalem Ecclesiæ redditur incapax ad suscipiendos Ordines sacros.

Et verò per ablationem irregularitatis, putas, quòd efficiatur, ut homo non commiserit hujusmodi actum? Scio, quòd non putes, & ideò consultò dixit Coninck: *Secundùm æstimationem moralem.* Sed quid est hoc aliud, quàm Superiorem dispensasse cum ipso in illa lege universali, quâ decernitur pro tali actu inhabilitas?

An consanguinitas per dispensationem. Nunquid idem cōtingit in nostro casu? Statuit Ecclesia, ut consanguinei nequeant validè contrahere Matrimonium, dispensat cum aliquibus, manente consanguinitate; quare non possum dicere, per hanc dispensationem desiisse consanguinitatem, secundùm moralem æstimationem? Quod nihil aliud est, quàm jam validè posse contrahere, ac si consanguinei non essent; sicuti desinere irregularitatem, secundùm moralē æstimationem non est aliud, quàm hominem post tale factū, v. g. post commissum homicidium posse suscipere Sacros Ordines, ac si nunquā tale factū extitisset. Si ergò hic mutatur status, cur non etiam ibi? Expectabo responsionem à doctioribus.

Defenditur exemplum Suarij de voto castitatis. Quantùm ad votum castitatis; loquitur Suarius de voto absolutè dispensato, sinè ordine ad Matrimonium contrahendum, propter nimiam fragilitatem voventis, & quæritur, utrùm cessante illâ fragilitate, etiam extrà Matrimonium, redeat obligatio voti: an Coninck hoc concederet, vide tu; ego saltem non ausim affirmare.

299. *Quare non desinat dispensatio, manente aliquā causâ, ex Sanchez. Prima ratio.* Denique: si potest manere dispensatio, desinente causâ solùm ex parte, ut putat Coninck sup. post Sanchium sup. n. 8. cur etiam non possit manere, desinente totali causâ? Quia (inquit Sanchez) in moralibus non eadem causa requi-

requiritur, ut primò fiat aliquod opus, & ut permaneat, postquam factum est. Et minor causa desideratur ad licitum concessionis usum, quàm ad ipsam concessionem. Quippè facilùs quis ab obtinendo rejicitur, quàm ab obtento, cap. *Super his*, de Accusationibus.

Secunda. Secundò: quia *Decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum*, Reg. 16. de Reg. juris in 6. Ergò in eam partem inclinandum est semper, ut permanentibus reliquiis causæ concessionis illius beneficii, ipsum quòque permaneat.

300. *Tertia.* Tertiò: quia nec lex cessat, quando non omninò ejus causa finalis cessavit. Et quàmvis in lege ea adhibeatur limitatio, quoties reliquiæ causæ remanentes sunt tales, ut legis illius denuò condendæ sufficiant; at in dispensatione eam limitationem non admitterem: sed intelligo mentem dispensantis ac committentis dispensationem esse, ut illa sustineatur, dum non omninò causa defecit; quàmvis reliquiæ manentes non judicarentur sufficientes ad priorem dispensationis concessionem. Quia id bono communi expedit: tum, ut scrupulis obvietur: tum etiam, ne beneficia Principis, quæ permanere decet, facilè valore suo destituantur, atque periculo valor rei, faciendæ virtute dispensationis, exponatur. Hæc ille.

301. *Inter causas dispensationis computanda est dignitas Principis, ex Dicast.* Pro qua doctrina, Dicast. sup. n. 103. ait, præ oculis habendum esse, in his dispensationibus concedendis, sæpè inter alias causas computandam esse dignitatem & auctoritatem Principis, quem sicut in aliis muneribus liberalem esse decet, ita & in elargiendis dispensationibus, quæ ab ipso petuntur, & ad ipsius auctoritatem & dignitatem spectat, quòd ex mera gratia & libertate possit aliquando id facere.

Aliquando non esset audiendum, satis est, ut dispensatio permaneat. Prætereà: sicut in elargiendis muneribus, etiam iis, quæ precario jure, & ad arbitrium revocabiliter conferuntur, sæpè causæ defectus, aut parvitas, quæ sufficeret, ut initio absque detrimento liberalitatis & decentiæ Principum non fieret, non videtur sufficere, ut semel facta gratia vel auferatur vel minuatur; ut si dominus famulo constituisset aliquem censum annuum, ad arbitrium revocabilem, spectatâ famuli indigentiâ, etiamsi absque detrimento liberalitatis posset initio, si minor fuisset indigentia, censum vel nullum, vel minorem constituere; semel tamen factâ gratiâ, non sufficit quòd indigentia famuli aliqua ex parte minuatur aut cesset, ut magnus ille dominus liberalitatem primam, & donum vel minuat, vel subtrahat.

302. *Applicatur ad nostrum casum.* Sic in nostro casu, dispensator Princeps, qui spectatâ causâ dispensandi, dignum liberalitate suâ judicavit, gratiam dispensationis conferre; etiamsi absque ulla illiberalitatis nota, si ab initio minor fuisset causa, potuisset dispensationis beneficium negare, semel tamen exhibito beneficio, illiberale esset, aut non omninò decens, propter aliquam causæ diminutionem, collatum jam beneficium revocare. Atque adeò censendus non est Pontifex, propter solam cessationem partis causæ, velle, ut dispensatio jam priùs collata non subsistat, si major pars adhuc perseverat. Hæc ille.

Argumentum contrà. Quidni & aliquis dicere possit: censendus non est Pontifex, propter solam cessationem negativam totalis causæ, velle, ut dispensatio jam priùs collata non subsistat? Quamquam enim sinè causa non potuisset gratiam dispensandi conferre; equidem semel propter causam justam collatâ, illiberale esset, aut non omninò decens propter desitionem causæ merè negativam, collatam jam dispensationem revocare; arg. d. Reg. 16. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Et Reg. 73. eod. dicit: *Factum legitimum retractari non debet, licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari.* Ergò facta dispensatio non debet retractari, licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari.

303. *Resp. Sanchy.* Respondet Sanchez sup. n. 19. non censetur illud factum legitimè & omninò consummatum, id est, non censetur dispensatio legitimè facta, & consummata in casu nostro, nisi Matrimonium, quod est ultimus & indivisibilis effectus dispensationis, fuerit contractum.

Petitur principium. Sed hoc est quod quæritur; quare dispensatio hìc non sit legitimè consummata, cùm per eam lex sit absolutè relaxata, seu vinculum legis absolutè sublatum. Quod si dicas, relaxationem

Occurritur objectioni. fuisse sub conditione; nempè, dum causa perseveraverit, id videtur gratis & sinè fundamento dictum. Quia virtute dispensationis temporaneæ, ac pendentis à conditionis persistentia, nequit Matrimonium, suâpte naturâ perpetuum, iniri.

304. *Instatur.* Planè, inquis; verùm enimverò, dum Matrimonium initur, jam dispensatio temporanea fit perpetua; quippè jam ponitur ultimatus & indivisibilis effectus. Putat ergò Sanchez, in omnibus dispensationibus subintelligi debere ejusmodi conditionem, ut licitæ sint; non præsumitur autem, Superiorem dispensando velle peccare.

Solvitur. Prorsùs non præsumitur; sed Suarius & Alii contendunt, Superiorem non peccare, absolutè dispensando, etiam pro eo tempore, quo post consummatam in se dispensationem, id est, post sublatum vinculum legis, prior causa non perseveraverit. Quod & Sanchez fatetur, ut statim audivimus, modò aliqua saltem causa perseveret. Jam autem videtur semper aliqua causa perseverare, dum solum cessat prior causa negativè. Veluti, dum finis legis solùm cessat negativè in casu particulari, manet aliqua causa sufficiens ad æquitatem legis, juxtà alibi dicta, scilicet bonum commune.

305. *Quæ hìc causa permaneat ad æquitatem dispensationis.* Rogas; quæ hìc causa permaneat ad æquitatem dispensationis? Respondeo: bonum commune, quod postulat, ut beneficium Principis maneat, quando non cedit in præjudicium tertii, aut manifestam continet iniquitatem. Porrò in casu nostro Matrimonium non est in præjudicium tertii, neque continet manifestam iniquitatem, cùm solùm iniquum sit ex præcepto Ecclesiæ; ergò valet dispensatio, estò particularis causa,

causa, scilicet paupertas, antè contractum deficiat.

Matr. hic non potest esse scandalo communitati.

Neque tale Matrimonium scandalo potest esse communitati, quandoquidem constet de dispensatione priùs legitimè datâ, & multùm probabile sit, eam adhuc perseverare, tamquam quæ expediens sit bono communi: tum, ut scrupulis obvietur; tum etiam, ne beneficia Principis, quæ permanere decet, facilè valore suo destituantur: atque periculo valor rei, faciendæ virtute dispensationis, exponatur, ut sup. dicebat Sanchez, quando manent reliquiæ causæ. Quod parum est, pro nihilo reputatur: si ergò possit dispensatio perseverare cum parva causa & insufficienti, ad primùm dispensandum, cur non etiam absque omni causa? v. g. in casu proposito, si potest manere dispensatio, quando dos ferè competens est, cur non etiam, dum absolutè est competens?

306. *Objectio.*

Quia, inquis, cessante omni fine legis, etiam negativè, cesset ipsa lex, quàmvis non cesset, cessante solùm fine inadæquato. Ergò similiter dispensatio, quæ est lex aliqua privata.

Solvitur ex Salas.

Respondet Salas sup. §. *Tertiò*: legem cessare, cessante omni ejus causâ & utilitate; quia Princeps non potest sinè causa onerare subditos legibus, nec eos obligare ad actus inutiles: dispensatio autem ad nihil obligat; ideò manere potest absque causa, maximè si præfuit causa sufficiens concedendi illam in perpetuum: si enim non præfuit, cessante impostèrùm causâ, deberet revocari à Principe, si hujus rei conscius esset. Quod autem ait Barbosa l. 1. à. n. 85. ff. Soluto Matr. cessante ratione privilegii, per leges doti concessi, id cessare, verum est; quia tunc esset injustum, & sinè causa damnum inferret aliis: dispensatio autem in lege propria positiva aliis non nocet, ideò suam vim retinere potest, etiam cessante causâ, ob quam concessa est. Hæc ille.

307. *Similis solutio ex Suario.*

Simili ferè modo respondet Suarius sup. lib. 8. cap. 30. n. 20. Lex, inquit, inducit obligationem, non autem privilegium per se, & ut favorem præbet tali personæ. Unde fit, ut lex communis, cessante negativè, & in universali fine ejus, cesset; quia facta est inutilis communitati, & consequenter desinit esse lex; quia amittit proprietatem, quæ est de essentia legis. Unde rectè etiam dici potest, eo ipso fieri pravam in ratione legis; quia imponere onus inutile communitati, iniquum esset; ac denique sub ea ratione non malè dici posset talis cessatio causæ non tantùm negativa, sed etiam contraria legi; quia tollit justitiam ejus; sicut in actu indifferenti ex objecto, & bono ex fine honesto, cessatio vel carentia talis finis dici potest contraria tali actui, sub ratione meriti aut virtutis. At privilegium de se non est onus, sed favor privilegiarii: & licèt ratio concedentis cesset seu transeat, non statim fit inutile privilegium ei, cui concessum est, nec etiam onerosum; & ideò ex hac parte non procedit in illo dicta ratio, ut cessare debeat. Ita Suarez.

308. *Non valet*

Ergò non valet hìc argumentum à lege ad dispensationem, ut tunc semper ipso facto cesset dispensatio ex defectu causæ, quando cessaret lex. Sed neque hoc argumentum concludit: Si universaliter ex causa lex abrogetur, etiamsi posteà cessaret causa, non eo ipso reviviscit lex: ergò similiter, si per dispensationem relaxetur lex in casu particulari ex justa causa, etiamsi posteà cessaret causa, non eo ipso reviviscet lex.

hìc arg. à lege ad dispensationem.

Assignatur disparitas ex Dicast.

Quippè disparitas est (ut notat Dicast. sup. n. 102.) quòd per dispensationem non tollitur lex propriè; sed impeditur, ne obstet, propter causam sic impediendi vim legis; quæ causa, si deficiat, non censetur, nec censeri debet voluntas dispensantis fuisse, ut impedimentum & obstaculum legis, ad ligandum illum, adhuc perseveret; atque adeò non est in nostro casu reviviscentia legis comparatione illius hominis, sed cessatio impedimenti, quod ex causa, & dependenter à causa existebat, ne lex ad ipsum comprehendendum se extenderet; & ablato impedimento, ob non subsistentem causam, lex, quæ adhuc vivebat, se extendit ad illum, sicut ad alios. In casu autem abrogationis legis, lex, quando subsistebat causa, penitùs extincta fuit; atque adeò quàmvis causa abrogandi post ipsam abrogatam cesset, non ideò reviviscit, & necessarium est, denuò ut condatur, ut ad id teneantur homines, ad quod priùs tenebantur per legem extinctam priorem. Ita præfatus Auctor.

309. *Oppugnatur.*

Sed aliquis consimiliter diceret: in casu dispensationis legis, lex, quando subsistebat causa, penitùs extincta fuit respectu talis hominis, atque adeò, quàmvis causa dispensandi, post ipsam dispensatam, cesset, non ideò reviviscit; sed necessaria est nova voluntas Principis, ut ad id teneatur, ad quod priùs tenebatur per legem dispensatam priorem.

Videtur petere principium.

Dicere autem: Princeps non habuit voluntatem absolutè eam extinguendi, sed tantùm pro tempore, quo duraret causa, est petere principium. Et similiter dici posset: Princeps non habuit voluntatem, per abrogationem eam absolutè extinguendi, sed tantùm pro tempore, quo duraret causa abrogationis; saltem tunc, quando sinè causa non poterat eam licitè abrogare. Et tamen nemo docet, legem simpliciter abrogatam propter causam, quam bonâ fide Princeps existimabat perpetuam, eâ cessante per accidens, ipso facto revivere, quasi tantùm sub conditione fuisset relaxata, scilicet permanentiæ causæ.

310. *Comparatio inter abrogationem legis & dispensationem.*

Sicut ergò talis abrogatio non fuit iniqua, quàmvis posset rarus casus contingere, in quo ipsa foret omninò necessaria bono publico, quod Legislator ex natura rei tenetur procurare: sic indidem dispensatio non erit iniqua, nec dispensator iniquus, si probabiliter putavit causam perpetuam fore, & ideò dispensavit, non limitando aut restringendo. Quæ enim disparitas? Sicut autem cessante causâ abrogationis legis, tenetur Legislator eam rursùs condere, si necessaria est pro bono communi; sic quoque cessante causâ dispensationis, si id sciat, & commodè possit, teneretur eam revocare, ne pars sinè causa sit difformis toti in oneribus & legibus.

Resp. ad d. l. Ex facto. Prima.

Hinc facilè respondetur ad l. *Ex facto*, superiùs ex adverso inductam à Sanchio ? Respondetur, inquam, primò : illum effectum non fuisse plenè consummatum, quia semper erat in fieri, & pendens ab eventu futuro; nondum enim substitutus successerat, & substitutio includebat eamdem conditionem, quam privilegium, scilicet, nisi filius habere posset hæredem.

311. *Secunda.*

Unde dicitur 2. & clariùs, privilegium illud, ut esset justum, à principio fuisse concessum sinè præjudicio tertii ; & ideò non fuisse substitutionem omninò absolutam, sed quasi sub conditione, vel præsuppositione amentiæ filii, & impotentiæ ad testandum ; ac subinde, cessante illà conditione, non propriè retractatur effectus privilegii jam factus, sed per se desinit & irritatur propter conditionem non impletam; quia non fuit absoluta substitutio, sed sub conditione amentiæ, utique usque ad mortem, seu durantis usque ad effectum decedendi sinè testamento ratione illius. Ita Suarez sup. n. 5.

Quid simile reperitur in nostro casu ? Sanè per Matrimonium, quod contrahitur, nulli fit præjudicium, veluti in casu d. leg. fieret præjudicium homini seu filio sanæ mentis, auferendo ei factionem testamenti, ad quod aliàs habebat jus.

312. *Utraque sententia est probabilis.*

Plura hìc possent dici, sed omitto ea, quia non pertinent ad præsentem tractatum. Hoc firmissimè tene, utramque sententiam esse probabilem ; in praxi autem, antequam Matrimonium contractum sit, consulendam esse sententiam Sanchii, ne Sacramentum exponatur nullitati, & valor matrimonii reddatur disputabilis, & Matrimonium jam contractum contingat dissolvi. Post Matrimonium autem contractum, sta pro ejus valore, qui ad minùs dubius est, imò satis probabilis.

Ultimum arg. Sanchez.

Nota autem pro fine : non benè solvi à Suario argumentum ultimum Sanchezii, quod tale est : Absurdum videtur, ut is, cum quo est legitimè dispensatum ad carnium esum ratione debilitatis dubiæ, & quæ ex se non excusabat seclusâ dispensatione, possit eis vesci, si integram, etsi miraculosè, sanitatem recuperet.

313. *Solutio Suarij.*

Respondet Suarez sup. lib. 6. c. 20. n. 18. Lex jejunii quadragesimalis, licèt per modum unius concipiatur, reverà virtute multiplex est, & singulis diebus quasi novam obligationem imponit, & ideò dispensatio in illa lege non fit absolutè tota simul, & virtute est multiplex dispensatio, & pro singulis diebus veluti singulæ dispensationes conceduntur, & unaquæque propriam causam pro suo tempore seu die requirit. Atque ita quàmvis in eo casu videatur dari simul pro tota Quadragesima, non ita datur, ut statim auferat totum vinculum legis pro tota Quadragesima ; sed ut successivè illud auferat, prout successivè obligaverit, si eadem ratio excusationis perseveret.

Neque in illa materia potest aliter considerari causa justificans dispensationem, nisi ut habentem tractum successivum cum ipsa lege ; & ideò in talibus dispensationibus regulariter solet explicari illa conditio : quòd si interdum non exprimitur, ideò est, quia vel duratio causæ tamquam moraliter certa supponitur, vel quia ex qualitate materiæ tamquam nota relinquitur. Et idem est in similibus præceptis habentibus tractum successivum ; secùs verò est in dispensatione, quæ statim tota simul conceditur, & habet quasi indivisibilem effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum : nam illa simul habet totum effectum, & simul etiam habere potest causam, propter quam absolutè concedatur. Hactenùs Suarez.

314. *Non satisfacit.*

Sed tu nota, Sanchium non ponere pro exemplo legem jejunii Quadragesimalis ; sed simpliciter legem jejunii, etiam pro uno die tantùm ; & de hac quæritur, an si propter infirmitatem dispensata fuisset, & subitò post dispensationem per miraculum infirmitas cessaret ; utrum etiam cessâret dispensatio, atque adeò illicitè illo die comederet carnes.

Responsio Salas.

Salas sup. §. *Septimò* : respondet, non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter ; quia dispensatio retinet suum valorem, donec revocetur.

315. *Iudicium Auctoris.*

Ego autem dico : nequidem venialiter peccare, si dispensatio maneat valida ; non enim difformitas partis à totò est peccaminosa, ubi obligatio non est conformis, ut alibi latiùs diximus. Sed numquid manet dispensatio valida, ut vult Salas ? Videri posset quòd sic ; quia vinculum hujus diei est unicum tam formaliter, quàm virtualiter ; & infirmitas, quæ nunc est, videtur causa sufficiens, ad illud vinculum indivisibile absolutè auferendum ; sicut in casu nostro incompetentia dotis, seu paupertas, quæ nunc est, est causa sufficiens absolutè auferendi impedimentum v. g. consanguinitatis. Expectabo à Lectore meo rationem disparitatis.

316. *Dos non dicitur sufficiens absolutè, sed respectivè, ex Sanchez.*

Interim subscribo cum Sanchio lib. 8. disp. 19. n. 29. dos non dicitur sufficiens absolutè, sed respectivè ; atque adeò mulier, quæ est grandæva, vel filios ex alio Matrimonio habet, vel est deformis, vel de aliquo crimine infamata, ob illudve punita, eò ampliori indiget dote, quo illa vitia compensentur, ut sic viro æquali nubat ; quàmuis iis vitiis seclusis, posset cum ea dote, quam habet, commodè nubere. Valebit ergò dispensatio impetrata, allegando tali casu defectum dotis, ob quem mulier debeat manere innupta. Adde, inquit Sanchez, reverà Pontificis mentem eò tendere, ne hæc fœmina innupta maneat ; & nil refert, undè id dimanet, & verificatur fore, ut sit innupta.

Consonat Gobatius.

Hanc opinionem sequitur Gobatius sup. n. 667. ibi : Reverà dicitur moraliter carere dote puella, quæ licet sit instructa dote ad reperiendum virum paris conditionis sufficiente, si consideretur sinè deformitate, aut infamia ; non tamen est instructa sufficiente, si spectetur in concreto cum suis defectibus ; certè nemo ducit uxorem in abstracto, sed in concreto, talem scilicet, qualis ea est, Sic ille.

317. *Expenditur*

De cætero observandum hìc restat, quod ait Trid. de quodam impedimento sess. 24. c. 5,

In

Decret. Trid. ff. 24. c. 5.

In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Et cùm non determinet (inquit Aversa sup. §. *Denique*) consanguinitatem, censetur loqui etiam de affinitate, saltem proveniente ex copula conjugali. Non tamen de publica honestate, quæ ex eodem Concilio non excedit primum gradum.

Qui in eo intelliguntur per Magnos Principes, ex Sanchez, & Henriquez.

Et quidem in rigore nominis, per ly *Magnos Principes*, non deberent intelligi, nisi habentes dominium absolutum, quales sunt Reges, & alii habentes regiam potestatem. Sed tamen Sanchez sup. n. 2. vult intelligi quoscumque Dominos titulares, sive Nobiles, qui sunt in aliqua Baronia. Henriquez lib. 12. c. 3. n. 6. & 9. vult intelligi omnes principales personas, & homines opulentos. Et quàmvis utraque interpretatio non satìs adaptari possit nomini magnorum Principum: tamen praxis ipsa & consuetudo ad talem interpretationem, vel moderationem, illud reduxit, ut etiam, juxtà ultimam explicationem, ad principales sive opulentos extendi soleat hæc dispensatio.

318. *Quid intelligat per ly* Publicam causam.

Item; per publicam causam in rigore deberet intelligi per se ac directè bonum publicum communitatis. At eâdem moderatione factum est, ut etiam ob commodum & bonum privatum, quod tamen cedat etiam, saltem remotè, in bonum publicum, hæc dispensatio concedatur. Hucusque Aversa. Sanè praxis est optima legum interpres. Si ergò praxis sic se habeat, utì hic Auctor affirmat, ab ea non est recedendum.

Aversa.

319. *Quæ sint causæ privatæ sufficientes ad dispensandum, ex Sanchez.*

Specificat autem Sanchez sup. n. 4. causas privatas. Prima, Matrimonium esse inter hos jam initum, cum ignorantia rigoris prohibitionis Tridentini. Secunda, proles jam habita. Tertia, diuturnitas Matrimonii malè contracti. Quarta, scandalum ex separatione oriturum. Ultima, clementia Pontificis, quòd puella pauper sit, velitque patruelis ipsam ducere, ac honestè dotare. Sic ille, ex Navarro lib. 4. Consil. tit. de Consanguin. in priori edit. toto consil. 6. in posteriori toto consil. 13.

Navar.

Occurritur objectioni.

Neque reperitur acceptio personarum in eo, quòd faciliùs cum divitibus & potentibus dispensetur. Quia (inquit Sanchez sup. n. 5.) dispensatio in his gradibus præcipuè conceditur, ob firmandum pacis fœdus, quod magìs necessarium est bono communi circà divites & potentes, quàm circà pauperes & populares. Et expedit valde ipsi Ecclesiæ ac Pontifici seu Superiori dispensaturo, divites & potentes habere propitios & faventes, utpote à quibus meliùs possunt defendi.

320. *Finis Conclus.*

Et hactenùs de causis justis dispensandi in impedimentis Matrimonii, satìs, ut arbitror, pro hoc loco. Quia autem nonnumquam contingit, ut dispensatio Pontificis nulla & irrita reddatur, vitio subreptionis aut obreptionis, id est, vel narratione falsi, vel suppressione veri, ex quo inducatur Pontifex ad dispensandum præter suam mentem, eò quòd veritatem dignoscens, non dispensasset, ideò cautè advertendum est à petente dispensationem, ne falsum aliquid exponat, quod non deberet, vel verum aliquod reticeat, quod manifestare deberet. Hinc erit

CONCLUSIO V.

Ut valeat dispensatio, exprimi debet in petitione, an affinitas orta sit ex copula conjugali, vel fornicaria.

PRo clariori intelligentia hujus & subsequentium Conclusionum, præmitto breviter, quæ Sanchez sup. disp. 21. diffusiùs tractat. In primis: taciturnitas qualitatis, quam jura specialiter exprimi jubent, reddit dispensationem subrepritiam seu obreptitiam, atque adeò nullam & irritam, quàmvis constet fore, ut, eâ expresâ, Princeps eâdem facilitate dispensasset. 321. *Taciturnitas qualitatis, quam jura volunt exprimi, reddit dispensationem irritam.*

Probatio, ex l. 1. ff. de Lib. &c.

Ratio est: quòd pro forma exigant jura harum qualitatum expressionem: at forma ad unguem est servanda, etiam in his minimis; arg. l. 1. ff. de Lib. & posth. sequentis tenoris: *Quid sit nominatim exhæredari, videamus. Nomen & pronomen & cognomen ejus dicendum est? An sufficit vel unum ex his? Et constat sufficere.* Secùs si nullum ex his, quantumvis minima sint.

322. *Item ex cap. 23. de Præb. in 6.*

Idem constat ex cap. 23. de Præb. in 6. ubi Bonif. VIII. rescribit in hæc verba: *Si motu proprio alicui, aliquod beneficium obtinenti, conferamus aliud, de illo non habitâ mentione: non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate processit, invalidam volumus reputari. Secùs si ad petitionem illius, vel alterius, pro eodem allatam, gratiam hujusmodi faciamus: tunc enim quantumcumque modicum beneficium taceatur in ea, ipsam veluti subreptitiam vires nolumus obtinere.* At apertè constat, id modicum beneficium tacitum non foro impedimento, quò minùs Pontifex conscius, eâdem facilitate aliud concederet. Ita Sanchez sup. n. 13.

Est sententia Sanchez.

Et ante ipsum Felinus de Rescript. cap. *Ad aures*, n. 12. Concluf. 9. ubi sic ait: Quando à lege data est forma alicui concessioni, non sufficit, quòd simus in casu, in quo Princeps concessisset, etiam formâ non servatâ, sed semper illa est necessaria. Textus optimus in d. c. *Si motu*, in verb. *Quantumcumque modicum*, ubi, propter beneficium modicum non expressum, vitiatur gratia; & tamen reverà ejus expressio nihil alterasset animum concedentis. Et in istis non arguitur à majoritate rationis. Sic ille.

Et Felinus.

Perinde autem est, sive ea qualitas taceatur ex malitia, sive ex simplicitate, ut notat Gloss. ibi verb. *Taceatur*, dicens: *Indistinctè intelligo: cùm enim jus non distinguat, nec ego distinguam: unde sive per malitiam, sive per simplicitatem taceat, locum habet hæc Decret.* 323. *Perinde est, sive fiat ex malitia, seu simplicitate.*

Hanc Gloss. sequitur Sanchez sup. n. 14. Cum

Sanchez.

Cùm enim, inquit, omittatur forma, corruet actus, nec ignorantia juvabit, nisi ad excusandum à culpa..

Occurritur objectioni.

Nec obstat : quòd ignorantia, etiam culpabilis, dummodo non sit crassa, excuset ab excommunicatione ; quia hæc incurritur ob inobedientiam, & contumaciam, quæ cessant, ubi est ignorantia. At dispensatio corruit ex non servatâ formâ ad ejus valorem necessariâ, & ex defectu intentionis concedentis, quæ minimè supplet ignorantia,quàmvis inculpabilis.

324. *Alia objectio solvitur*

Si dixeris : Princeps vellet dispensare, si sciret, ut supponitur. Respondeo, voluntatem illam habitualem nihil operari contrà aliam voluntatem non dispensandi, nisi sciat ; quæ semper præsumitur, tamquam juri conformis, dum expressè non constat contrarium.

Non requiritur expressum jus exprimendi qualitatem.

Ius autem illud non debet esse expressum & speciale, decidens utique, talem specificam qualitatem esse exprimendam, quàmvis indubiè istud sufficiat ;sed satis est, secundùm Sanchium sup. n. 15. si decisum in jure inveniatur, ne delictum aliquod remittatur, vel ne dispensetur in aliquo casu? Quia eo ipso exprimitur, mentem juris esse, denegandi dispensationem, nisi in speciali aliquo casu, eâ qualitate Principi expressâ, velit in eo jure dispensare. Atque hæc de prima assertione.

325. *Taciturnitas causæ finalis, secùs impulsivæ, vitiat.*

Dico 2. taciturnitas qualitatis,quam jura non jubent exprimi, quâ tamen cognitâ, Princeps noluisset rationabiliter & legitimè dispensare, vel non absolutè, sed adhibitis quibusdam moderationibus, aut majori compensatione pecuniariâ,vitiat dispensationem : secùs quando tandem eodem modo dispensaret, quàmvis difficiliùs. Atque ita causæ finalis taciturnitas vitiabit dispensationem, secùs impulsivæ. Causa finalis dicitur, sinè qua Princeps non dispensasset ;impulsiva, quæ solùm movet ad faciliùs dispensandum.

De causa finali probatur ex c. fin. de Filijs Presbyt.

De causa finali scriptum est cap. fin. de Filiis Presbyt. *Si is, cum quo fuit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut non obstante defectu natalium, quem patitur, ad omnes Ordines promoveri valeat, & obtinere beneficium, etiamsi curam habeat animarum; dispensationem aliam (tacito de prædicto defectu) postmodùm obtineat à Sede præfatâ,ut duo aut plura beneficia, similem curam habentia, possit recipere &c. talis dispensatio (cùm non sit verisimile, Sedem ipsam cum illo, prædictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare) veluti per subreptionem obtenta, nullius penitùs est momenti.*

326. *Item cap. 27. de Rescript.*

Et cap. *Postulasti*, de Rescriptis : Innoc. III. respondet Episcopo Ucratisamensi : *Quòd cùm per formam prædictam necessitatibus pauperum Clericorum (qui nullum sunt Ecclesiasticum beneficium assecuti) Sedes Apostolica duxerit succurrendum, perpetuus Vicarius (nisi de Vicaria fecerit mentionem) commodum reportare non debet de hujusmodi literis, utpote veritate tacitâ impetratis. Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuæ Vicariæ proventibus est provisum. Et pro habente beneficii sufficientis subsidium, ex certa scientia, super obtinendo alio beneficio, de levi non scribimus, quin faciamus de primo in nostris literis mentionem.*

Quod perperàm arctatur ad gratias beneficiales, ex Sanchez.

Cujus textûs dispositionem quàmvis Aliqui arctent, ut in solis gratiis beneficialibus, de quibus loquitur, procedat, idque in illarum odium, gratiâ ambitionis reprimendæ, juxtà cap. *Quamvis*, de Præb. in 6. Equidem receptissima sententia habet, decisionem ejus textûs locum quoque habere in aliis omnibus gratiis & privilegiis. Quia in materia subreptionis æquiparantur literæ beneficiales & privilegia,ac quævis gratiæ. Ita Sanchez. sup. n. 10. cum Aliis, quos citat.

327. *Loquitur de sola causa finali, ex Decio.*

Et licet (inquit idem Auctor n. 17.) textus ille videatur etiam loqui, quando, expressâ veritate, non ita facilè concederetur gratia : at optimè Decius ibi, in nova editione,notabili 4. n. 11. probat, in eo textu fuisse defectum in causa finali, atque fore, ut expressâ veritate, Pontifex nullatenùs literas dedisset : *Pro habente beneficii competentis subsidium de levi non scribimus*, id est, non solemus scribere. Ita Sanchez.

De causa tantùm impulsiva loquitur c. 14. de Præb. in 6.

Porrò de causa tantùm impulsiva loquitur cap. *Dudum*, de Præbend. in 6. ibi : *Nos igitur attendentes, quòd etsi memorato Episcopo prædictam concessimus potestatem &c. Considerantes quoque, quòd nos, exposito nobis de potestate prædicta, nihilominùs literas gratiosas daremus in dictis partibus,non habitâ mentione de ipsa &c.*

328. *De utraque causa meminit cap.20. de Rescript.*

Ubi Gloss. verb. *De ipsa*, ait : *Scilicet, potestate datâ Legato. Valent ergo literæ ; cùm non sit talis veritas tacita, quâ expressâ,nihilominùs literas habuisset, sup. eod tit. (* scilicet de Rescript. *) cap. Super literis.*

In quo utique textu lego sequentia verba : *Inter alios autem, qui posteriori modo (* scilicet per simplicitatem vel ignorantiam *) literas (* justitiæ *) impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit,vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nos nihilominùs (saltem in forma communi) literas dedissemus, delegatus non sequens formam, in literis ipsis appositam, secundùm ordinem juris in causa procedat. Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, literæ fuerint impetratæ, quâ tacitâ, vel expressâ, nos nullas prorsùs literas dedissemus, à delegato non est aliquatenùs procedendum.*

Ubi Gloss. verb. *Literas dedissemus*, in fine : *Et generaliter*, inquit, *ubicumq; talem veritatem tacuit, vel talem falsitatem expressit, quâ tacitâ, vel expressâ, Papa literas non dedisset, rescriptum inutile fit.* Ac proinde utile erit, si literas dedisset, tametsi difficiliùs. Nam jus istud non distinguit ; neque nos ergò distinguamus.

329. *Eadem hic est ratio de rescriptis justitiæ, & gratiæ.*

Nec obstat : quòd loquatur de literis seu rescriptis justitiæ, id est, ad lites forenses ; quia eadem est ratio de rescriptis gratiæ, vel assignetur disparitas. Ratio autem est, voluntas aut defectus voluntatis Principis : defectus quidem, quando est causa finalis ; voluntas autem, quando est causa impulsiva. Cùm enim tunc substantia rei nota sit, censetur Princeps in eam consen-

consentire; porrò dum erratur circà causam finalem, error iste redundat in substantiam rei, & ideò non censetur Princeps in eam consentire.

Objectio. Dices Gloss. sup. d. cap. *Dudum*, verbis præallegatis statim subdit: *Licet hoc in literis ad beneficia impetratis generaliter non sit verum: ut inf. eod. tit.* Si motu &c.

Solvitur. Respondeo: benè dicit Gloss. quia, ut sup. vidimus in prima assertione, fallit hæc regula in eo casu, in quo tacetur veritas, quam jura jubent exprimi. Hìc autem agimus de veritate, de qua jura nihil disponunt, pertinet tamen ad id, circà quod dispensatio est obtinenda. Pro quo

330. *Duplicis generis sunt qualitates, ex Sanchez.* Nota ex Sanchio sup. n. 18. duplicis generis esse qualitates, quæ cognitæ à Principe, ipsum omninò averterent à dispensatione, vel eam redderent difficiliorem. Quædam sunt extrinsecæ, id est, non attinentes ad id, ad quod de jure est opus dispensatione. Et hæ non sunt necessariò explicandæ, neque earum taciturnitas reddit dispensationem subreptitiam, quàmvis iis expressis, Princeps non concederet. Nec hæ causæ possunt dici in rei veritate causæ impulsivæ dispensationis, nedum finales. Et ita irretitus magnis criminibus validè, iis tacitis, impetrat dispensationem aliquam à Pontifice, quàmvis certò constet, fore, ut eorum Pontifex conscius, eam non concederet, si alioquin dispensatio habeat justam causam.

Extrinsecæ tacitæ non vitiant.

Probatur à simili. Quod etiam indè constat; quia donationes alias gratuitas & eleëmosynas ignorantia qualitatis extrinsecæ, ad ea non conferentis, minimè vitiat: quàmvis donans illius conscius abstineret se ab eleëmosyna vel donatione, ut eleëmosyna, collata pauperi nequissimo, illamque pessimè expendenti, valida est; quia paupertas, causa illius intrinseca, est vera, quàmvis largiens eleëmosynam non daret, si illius mores nosset.

331. *Communis doctrina non intelligitur de his qualitatibus. Gutierrez.* Quare jure optimo Gutierrez Canonic. qq. lib. 2. c. 15. ait: communem doctrinam, nimirum, corruere gratiam, tacitâ veritate, quâ cognitâ Princeps eam non concessisset, intelligendam esse, quando, inquit ille, difficultas retardandi seu removendi Principem à concessione, est conformis juri communi, vel ex causâ justa & debita: secùs autem de difficultate, quæ proveniret ex affectu, vel ex alia causa exorbitante odiosa, & minimè considerabili. Hæc ille.

Aliàs dicendum esset, non valere impetrationem beneficii, non exprimendo Pontifici, alium valde illi familiarem mox illud petiturum: quia si id nosset, denegaret huic. Similiter; si Princeps habeat affectum habitualem, seu consuetudinem irrationabilem, v. g. quâ solet tantùm dispensare cum his, à quibus amicitiam vel remunerationem expectat &c. talis non censetur nunc operari, secundùm hunc pravum affectum, sed potiùs retractare habitualem malitiam, per actum dispensandi rationabilem, quem tunc exercet; & ideò, quàmvis putet se accepturum munera, vel esse amicum, cum quo dispensat, & in hoc decipiatur, talis deceptio non vitiat dispensationem.

332. *Qualitates intrinsecæ sunt necessariò exprimendæ, ex Sanchez:* Et ideò dixi consultò in assertione: Rationabiliter & legitimè, id est, juxtà præscriptum legum, & ex justa causa, pertinente scilicet ad id, circà quod dispensatio est obtinenda. Et illæ sunt qualitates intrinsecæ, quæ secundùm Sanchium sup. necessariò exprimendæ sunt, quando sunt causa finalis concessionis.

Etiam, secundùm Gutier. dum sunt causa tantùm impulsiva; Imò, secundùm Gutierrez sup. n. 41. tametsi solùm sint causæ impulsivæ, quando notabiliter ex ijs Princeps motus fuit ad concedendum. Accipe verba d. Auctoris: Ego profectò, minimus Scriptorum, sub censura meliùs ac rectiùs sentientium, cùm videam, difficillimum esse judicare, qualis fuerit intentio Principis in gratia ab eo concessa; an causa impulsiva sibi narrata eum leviter vel notabiliter movit; & an aliàs esset concessurus, nec ne; vel an causa vera, tacita & suppressa, eum non leviter moveret ad concedendum, si exprimeretur, licèt adhuc concessisset; ac proindè ut plurimùm errari posse, in hujus rei dijudicatione; existimo, communem ac magis receptam sententiam, sup. primo loco adductam, esse probabiliorem, tutiorem, ac proinde tenendam in judicando & consulendo; nempè, falsitatem, sive subreptionem causæ impulsivæ, quæ non leviter moveret Principem ad concedendum gratiam, rescriptum, aut privilegium, licèt adhuc, eâ non narratâ, nihilominùs concessisset, vitiare ipsam gratiam rescriptum vel privilegium, ita ut viribus non subsistat: ac idem esse in causa impulsiva vel qualitate tacita, quæ si exprimeretur, eum difficiliorem redderet ad concedendum, quàmvis adhuc concederet, ex text. in d. c. *Postulasti*, in verbis sup. relatis, quæ profectò nullam cavillationem patiuntur, & procedit illius textûs dispositio, non solùm in beneficialibus, in quibus loquitur; sed etiam in cæteris omnibus gratiosis, & in privilegiis, propter identitatem rationis, juxtà receptam etiam sententiam, quam sup. retulimus. Hactenùs Gutierrez.

Et dispensationem solùm difficiliorem redderent, per d. c. 27. de Rescript.

Ubi recedit à secunda parte nostræ assertionis, propter d. cap. *Postulasti*, ex quo tamen putat Sanchez eam probari, explicans cum Decio illa verba: *De levi non scribimus*, id est, non solemus scribere, ut sup. audivimus.

333. *Rejicit sensum d. cap. sup. ex Decio relatum.* Sed hic sensus rejicitur à Gutierrez sup. n. 49. dicente: Hoc esset destruere literam textûs, & contra mentem Summi Pontificis; sed potiùs hunc sensum habent, id est, non passim, quasi expressè innuat à contrario sensu, quòd licet non de levi hoc fiat, quandoque tamen re benè pensatâ id facit. Unde idem Decius in cap. *Super literis*, de Rescript. n. 9. rectiùs intelligens, fatetur, quòd licèt quandoque Papa concederet, esset de gratia, & de levi hoc non facit. Quòd sit gratia, non negamus, cùm ipsamet concessio, utcumque fiat, sit gratia. At quòd aliquando Papa ita concedat, pro nobis facit, & contrà Decium, qui in hoc videtur suo dicto præcedenti, atque intellectui à se assigna-

to

to verbis d. c. *Postulasti*, contrarius; ac proinde non rectè subsistit. Sic ille.

Sed perperàm.

Sed, meo judicio, fallitur; neque enim contraria sunt, Pontifex non solet dispensare, & Pontifex aliquando dispensat. Quis hoc non videt? Ergò d. cap. *Postulasti*, loquitur de causa impulsiva, & non de finali, ut vult Gutierrez; neg. Consequentia. Quippè causa finalis dicitur, sinè qua Pontifex non solet dispensare; impulsiva autem, sinè qua etiam solet dispensare, quàmvis cum majori difficultate; & hujus taciturnitatem putat Decius, & post ipsum Sanchez, non reddere dispensationem irritam, nisi vel ex jure, vel ex stylo Curiæ, aut certè ex Principis consuetudine foret exprimenda.

334. *Stylus Curiæ Rom. inducit necessitatem exprimendi aliquam qualitatem, ex Sanchez.*

Dico: *Vel ex stylo Curiæ*, scilicet Romanæ; quia, ut notat Sanchez sup. n. 16. stylus Curiæ jus facit; arg. cap. *Quam gravi*, 6. de Crimine falsi, ibi: *Propter quod sic literas Apostolicas studeas intueri, tam in bulla, filo, & charta, quam in stylo, quod veras pro falsis, vel falsas pro veris literis modo aliquo non admittas.*

Ac proinde, secundùm Sanchez, idem dicendum de qualitate, quam stylus Curiæ exprimit, ac de ea, quam jus scriptum exprimi mandat, aut consuetudo, quæ pro lege observatur, l. 23. ff. de Leg. *Minimè sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt.* Et l. 32. eod. ibi: *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur.*

335. *Stylus Curiæ obligat in utroque foro, sicut jus scriptum & consuetudo, ex Sanchez.*

Sicut autem jus scriptum & consuetudo obligant in foro interno & externo in Curia Romana & extrà eam, quid ni similiter stylus Curiæ? Certè Sanchez sup. fatetur, se nullam invenire disparitatem inter forum internum & externum: nam in utroque foro idem omninò servatur, ubi non est falsa præsumptio, nec lex est pœnalis. Et quàmvis quoad solemnitates accidentales, stylus Curiæ non imponat necessitatem extrà eam: attamen quoad qualitates exprimendas in dispensatione, stylus ille Curiæ est generalis, & juxtà illum literæ justitiæ, vel gratiæ, quocumque mittantur, solent expediri. Atque ita (inquit Sanchez sup.) jure optimo DD. illum prorsùs servandum esse asseverant, & illum in his dispensationibus attendendum esse ad earum valorem, docent. Sic ille. Nunquid audiendus? Patebit infrà.

Vnde dignosci, possit, an aliqua qualitas sit causa finalis.

Intereà rogo: unde dignosci possit, qualitatem conducere ad dispensationem, & ejus generis esse, ut, eâ expressâ, Princeps gratiam non concederet. Respondet Sanchez sup. n. 19. id prudentis arbitrio relinqui dijudicandum, quando nec ex jure, nec ex stylo Curiæ, nec Principis consuetudine id constat. Prudens autem hoc arbitrabitur, attento communi Curiæ stylo, & Principis consuetudine, attentis aliis similibus rescriptis.

336. *Consuetudo rationabilis attendenda est, secùs irrationabilis.*

Consuetudine, inquam, rationabili. Quippè, ut sup. dixi, voluntas habitualis irrationabilis nihil hìc operatur. Unde voluntas actualis, id est, dispensatio Principis, interpretanda est secundum jura & rectam rationem, nisi ergò expressè nolit dispensare, si talis vel talis condi-

tio irrationabilis adsit, censetur dispensatio valida.

Quare non valeat dispensatio, quando rationabiliter non dispensasset.

Ex quo patet, quare non valeat, quando rationabiliter & legitimè noluisset; quia nempè semper ex jure communi in omni dispensatione intelligitur: Si nihil occultetur, quod intentioni meæ justæ, rationabili, ac omni juri conformi repugnet. Deficiente ergò tali conditione, deficit actualis voluntas dispensandi, adeoque dispensatio. Et consimiliter in omni dispensatione intelligitur: Si nihil falsò exprimitur, quod voluntati meæ justæ, rationabili, ac omni juri conformi repugnet. Atque adeò deficiente illâ conditione, necessariò deficit dispensatio.

337. *Quomodo intelligenda hæc verba: Si preces &c.*

Hæc ergò verba: *Si preces veritate nitantur*, quæ ordinariè apponuntur in literis dispensationis: aut si non apponuntur, subintelliguntur, juxtà illud cap. 2. de Rescript. *Et in hujusmodi literis intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: Si preces veritate nitantur.* Hæc, inquam, verba intelligenda veniunt in substantialibus, id est, in iis, ex quibus gratia sic pendet, ut aliàs rationabiliter & legitimè non concederetur; secùs si equidem concederetur, quàmvis tardiùs & difficiliùs.

Objectio.

Dices: qui daret tardiùs, minus daret; ergò absolutè non erat concessurus; igitur illa concessio est involuntaria, ac proinde invalida.

Solvitur ex Sanchez.

Respondet Sanchez sup. n. 30. eum, qui tardiùs dat, non dare minus in rei veritate; sed tantùm quoad modum dandi & ponderationem beneficij collati in ea donatione. Sic ille. Hinc vulgare proverbium: *Qui citò dat, bis dat*, liquet profectò, in rei veritate non subsistere.

338. *Quid si res non sit ita, sicut narratur? Non valet, juxtà Sanchez.*

Sed nunquid subsistit dispensatio, quam Ordinarius exequitur bonâ fide existimans, ita esse, sicut narratur, estò in veritate rei non sit ita? Sanchez sup. n. 33. scribit sequentia: Quòd si in foro externo veritas precum, in dispensationibus allegata, probetur falsis testibus, quando posteà constaret veritas, censenda est ea dispensatio irrita. Nec obstat, judicem inveniisse ita esse: atque ita videtur verificari clausula: *Si ita esse inveneris*; quia fundatur in falsa præsumptione.

Atque idem intelligo, etiamsi testes illi veri essent; quia putabant se verum testari: quia in rei veritate non verificatur conditio illa: *Si ita est.* Si tamen causa in se vera esset, quàmvis falsis testibus probaretur; quia nimirum vel testes eam ignorabant, vel credebant eam esse falsam; valeret utique dispensatio; quia causa erat vera in se, & talis judicata secundùm allegata & probata. Sic ille.

339. *An valeat dispensatio ex causa insufficienti putatâ sufficienti.* Bonacina, Salas.

Interrogo ego unum verbum: Valet dispensatio, concessa ab eo, qui bonâ fide credebat, justam & sufficientem causam ad dispensandum subesse, sed reverà non erat sufficiens? Sententiam negativam tamquam probabiliorem amplectitur Bonacina disp. 1. de Leg. q. 2. p. 3. n. 8. cum Salas de Leg. disp. 20. sect. 6. n. 66. & n. 63. vers. *Sed aliqui*, & clariùs sect. 4. n. 35.

Probatur ex

Ratio (inquit) nostra est; tum, quia qui dispen-

Bonac. non valere.

dispensationem obtinuit ad contrahendum Matrimonium in gradibus prohibitis, aut cum alio impedimento, præsumitur Matrimonium invalidè contraxisse, postquam Superior judicaverit, Matrimonium fuisse contractum sinè justa causa: tum, quia, qui allegant, dispensationem aliquam sinè justa causa concessam fuisse, audiuntur à Superioribus, quàmvis constet, Superiorem bonâ fide dispensasse; ergò signum est, dispensationem, concessam bonâ fide sinè causa, invalidam esse: tum, quia Superior in concedenda dispensatione, vel dispensandi facultate, non præsumitur delinquere; qui autè dispensat, vel facultatem dispensandi sinè causa concedit, delinquit.

Propterea in facultate, alicui datâ ad dispensandum, etiamsi à Deo concedatur, subintelligitur hæc clausula: *Iustâ subsistente causâ*: tum, quia bona fides petentis dispensationem sinè causa, non efficit dispensationem validam; ergò nec illam reddit validam bona fides concedentis, qui bonâ fide putabat legitimam & sufficientem causam subesse; quàmvis bona fides utrumque à peccato excuset, donec de insufficientia causæ constet. Ita Bonacina.

340. *Arguitur contrà doctrinam Sanchij.*

Etsi quidem hęc doctrina mihi placeret, facilè subscriberem d. sententiæ Sanchii: sed quoniam displicet, contrà eam sic arguo: si valeat dispensatio, concessa ab eo, qui bonâ fide credebat justam & sufficientem causam ad dispensandum subesse, sed reverà non erat sufficiens: cur etiam non valeat dispensatio concessa ab eo, qui bonâ fide credebat, precum veritatem subesse, sed reverà non suberat? Quid aliud est subesse precum veritatem, quàm subesse causam sufficientem? Etenim in precibus continetur justitia causæ.

Probatur oppositum doctrinæ Bonac. ex Sanchez.

Porrò dispensationem esse validam, quando prudenter ac bonâ fide judicavit Prælatus, causam esse justam, docet contrà Bonacinam Sanchez lib. 8. disp. 17. n. 8. Quia, inquit, non est credendum, aliam esse Pontificis intentionem circà suas leges, & Dei circà suas, in quibus permittitur inferiori dispensare. Id enim recta Ecclesiæ gubernatio postulat, quo scrupulis obvietur, ac tutæ sint conscientiæ, nec oporteat passim infringere gesta, innitendo Prælatorum, vices Dei gerentium, dispensationi. Sic ille.

341. *Ex quo arguitur contrà doctrinam Sanchij.*

Sed nunquid etiam hę rationes militant in nostro casu? Petit aliquis dispensationem in impedimento Matrimonii, adductis diversis causis bonâ fide; mandat Pontifex Ordinario, ut dispenset, si preces veritate nitantur. Ordinarius examinat preces seu causas adductas in petitione dispensationis, & bonâ fide judicat eas subesse, id est, judicat preces veritate niti; dispensat, contrahitur Matrimonium; nonne magnum inconveniens est, si debeat, cognitâ postmodum falsitate precum, Matrimonium istud infringi, quod gestum fuit innitendo Prælatorum dispensationi? Cur ergò istud Matrimonium sic contractũ non valeat?

Aliud arg. à simili.

Nonne acta judicis, qui communi errore existimatur legitimus, per leg. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætorum, valida censentur? An fortè disparitas est; quòd Ecclesia aut Respub. civilis possit supplere defectum jurisdictionis? Sed cur etiam non possit supplere defectum justæ causæ, seu veritatis precum, quæ bonâ fide putatur subesse? Herculè & tunc reverà subest justa causa, quàmvis non illa, quæ falsò fuit allegata. Quæ ergò? Bonum commune, quod postulat, ut in illis circumstantiis dispensatio valeat.

342. *Responsio Bonac.*

Respondet Bonacina sup. Bona Ecclesiæ gubernatio non postulat, ut valida sint, quæ bonâ fide peracta sunt, quàmvis possit ea valida efficere, nisi juri divino vel naturali repugnent. Bona tamen Ecclesiæ gubernatio postulat, ut ille, cum quo bonâ fide dispensatum est, excusetur à peccato, si dispensatione utatur, donec de insufficientia causæ constiterit: nam pro dispensatione jam concessâ stat possessio, consequenter etiam præsumptio. Ita respondet hic Auctor ad fundamentum Sanchii, sup. ex adverso adductum.

Sed inadæquatè.

Sed inadæquatè: nec enim pro hoc, quòd talis dispensatio excuset à peccato, vitatur infrà actio gestorum, innitendo Prælatorum dispensationi, quæ repugnat, secundùm Sanchium, bonæ Ecclesiæ gubernationi, ut patet in exemplo judicis sup. allato.

343. *Proponitur aliud simile.*

Sic etiam alienatio bonorum Ecclesiæ, facta bonâ fide sinè justa causa à Prælato, existimante justam & legitimam causam subesse, quæ re ipsâ non suberat, valet.

Prima resp. ex Bonac.

Responderi potest primò (inquit Bonacina sup.) hunc casum ex communi DD. sententia, & ita judicante experientiâ, censeri per Epykiam exceptum in lege Ecclesiastica, quâ prohibentur bona Ecclesiæ alienari sinè justa causa; exceptio autem seu dispositio specialis in uno casu, non est ad alium trahenda, juxtà l. *Ius irregulare* (aliàs, *singulare*) ff. de Leg. *Ius singulare est, quod contrà tenorem rationis propter aliquam utilitatem, auctoritate constituentium introductum est.* Junctâ leg. 14. eod. *Quod verò contrà rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.*

344. *Oppugnatur.*

Sed contrà: etiam dicam, casum nostrum per interpretationem exceptum esse, seu non comprehensum sub lege naturali, quæ prohibet, dispensationem sinè justa causa fieri; scilicet, nisi bonâ fide existimetur justa. Et patet, quia ratio prohibitionis est, ne fiat injuria aliis, qui manent lege obligati; hæc autem non habet locum, quando bonâ fide proceditur.

Alia responsio ex eod.

Hinc aliter respondet Bonacina; hanc alienationem non esse dispensationem; consequenter mirum non esse, Ecclesiam nolle in proposito casu irritam reddere alienationem, factam bonâ fide sinè justa & legitima causa, quæ credebatur subesse. Nos verò loquimur de dispensatione, ad quam licitè concedendam, justa causa requiritur.

345. *Non satisfacit.*

Prorsùs requiritur, saltem in æstimatione dispensantis, quod in nostro casu contingit. Quare ergò tale Matrimonium non valeret? Quia, inquis, Matrimonium, initum bonâ fide, cum impedimento dirimente, non est validum. Quis hoc negat? Ergò in casu nostro non est validum. Consequentia non valet. Nam contendimus, tali casu impedimentum esse sublatum per dispensationem, nisi in speciali casu aliter fuerit ab Ecclesia ordinatum.

Pontius recedit à sententia Sanchij.

Audite Pontium lib. 8. cap. 17. n. 42. Quando de hodierno stylo Curiæ Papa non dispensat; nec confidit de precibus supplicantis, nec de precum veritate; sed committit Ordinario, ut præcedenti diligenti inquisitione, super precum veritate & causis expressis, ipse Ordinarius dispenset: in isto casu, postquam præcessit inquisitio, & Ordinarius declaravit, causas expressas esse veras, sententia illa & declaratio, etiamsi fortè fuerit injusta, est valida, & habet auctoritatem rei judicatæ, & retractari non potest; cap. *Cùm inter*, de Sentent. & re judicata, & proinde sequens Ordinarii dispensatio, & Matrimonium ex illa contractum, valet, & deinceps retractari non potest; præterquam in duobus casibus.

Præterquam in duobus casibus.

Primò, quando à principio rescriptum fuit subreptitium cum dolo vel fraude. Secundò, quando posteà testes, adhibiti super precum veritate, fuerunt corrupti, juxtà textum in c. 1. de Exceptionibus.

346. *Primus. Secundus.*

Additur tertius.

Potest etiam addi tertius casus, quando dispensatio, vel rescriptum ad dispensandum, fuit subreptitium, licèt per ignorantiam, & subreptio fuit notabilis in tacenda veritate. Nam licèt dispensatio subreptitia in exprimenda falsitate per ignorantiam, non possit impugnari post contractum Matrimonium, ut modò dicebamus; tamen dispensatio subreptitia in tacenda veritate, semper potest impugnari, etiam post contractum Matrimonium; quia nullla præcessit cognitio & probatio judicialis.

Ac proinde, si mulier vidua, præsertim susceptis filiis, hoc tacito, petat dispensationem ad contrahendum Matrimonium cum consanguineo, vel affine in gradu prohibito, videtur, quòd talis dispensatio, etiam per ignorantiam commissa in tacenda veritate, semper est subreptitia & nulla. Quoniam lex nullam curam habet de hujusmodi viduis maritandis, Authent. *Cui relicto*, Cod. de Indicta viduitate; sed dumtaxat de virginibus, aut aliis innuptis mulieribus maritandis, l. 1. ff. Soluto Matrimonio. Hactenùs Basilius.

347. *Expenditur doctrina Pontij.*

Sed nescio prorsus, quo fundamento distinguat inter dispensationem subreptitiam in exprimenda falsitate, & subreptitiam in tacenda veritate. Nam jus non distinguit, ut patet ex cap. *Super literis*, 20. de Rescriptis, ibi: *Inter alios autem, qui posteriori modo* (id est per ignorantiam) *literas impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel veritas occultata* &c. Vide sup. Rationem itaque distinctionis ab aliis expectabo.

Quando valeat dispensatio concessa bonâ fide sinè justa causa.

Interim dico, sententiam Sanchii, putà, dispensatio valet, etiamsi non subsit justa causa, dummodò bonâ fide subesse putetur ab eo, qui dat, & accipit, intelligendam fore, quando nihil tacetur, quod jure deberet exprimi, aut exprimitur, quod jure deberet taceri; sed res proponitur sicuti à parte rei est, & dispensans judicat subesse causam sufficientem, cùm tamen reverà non sit sufficiens.

Et quando non.

Alioquì dum subreptio fuit notabilis, sive in tacenda veritate, sive in exprimenda falsitate, quâ tacitâ vel expressâ, Princeps rationabiliter & legitimè noluisset dispensare juxtà superiùs dicta, dispensatio non valet. Item: si exprimitur falsitas, vel tacetur veritas, quæ concernat substantiam rei, super qua dispensatur, tametsi, etiam eâ tacitâ vel expressâ, nihilominùs Princeps eodem modo dispensasset,

348. *Quæ sit hìc conditio substantialis.*

Quænam autem sit conditio substantialis, prudentis judicio relinquitur. Ego judico, eam esse, quæ constituit vel immutat substantiam seu essentiam non tam physicam vel metaphysicam, quàm moralem, quæ nimirum est talis, ut casum dispensationi expositum reddat diversum communi opinione prudentum, sicut fit, dum species mutatur, vel notabiliter aggravatur.

Error singularitatis personæ, vel materiæ, per se non vitiat.

Hinc error in singularitate materiæ, vel personæ dispensandæ, quamquam hæc pertineat ad substantiam seu essentiam physicam rei, per se tamen non vitiat dispensationem; per accidens, quando dispensans haberet expressam intentionem dispensandi tantùm cum Petro, & non cum Paulo, in residentia Antverpiensi, & non Mechlinensi.

349. *Probatur ex jure.*

Undè sive appelletur Petrus, sive Paulus, per se valet dispensatio; arg. l. *Si quis in fundi*, 4. ff. de Legat. 1. ibi: *Si quis in fundi vocabulo erraverit, & Cornelianum pro Semproniano nominaverit, delebitur Sempronianus.*

Et meliùs Instit. de Legatis, ibi: *Si quis in nomine, cognomine, pronomine, agnomine legatarii, testator erraverit, si de persona constat, nihilominùs valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratiâ reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest.*

Probatur ex ratione.

Ergò consimiliter in casu nostro, dummodò aliundè constet de persona, pro qua petita est dispensatio, error in nomine non nocebit. Et ratio est; quia principalis intentio dispensantis est, velle dispensare cum illo homine, pro quo petitur, & in causa, in qua petitur, quibuscumque nominibus appellentur; nam hoc impertinens est.

350. *Confirmant Aliqui exemplo Absolutionis.*

Confirmant aliqui hanc doctrinam: quia si Sacerdos in Confessione Sacramentali putet se absolvere Petrum, & est Paulus, valet absolutio; quia per se & principalis intentio est, velle absolvere confitentem: idem est in consecrante hostiam sacram, si putet se consecrare hostiam, quam ipse posuit, cùm alius eam posuerit; intentio enim per se est, velle consecrare, quod habet præ manibus. Et ita de aliis Sacramentis, excepto Matrimonio, in quo error personæ vitiat, ut suo loco dictum fuit; quia hìc intervenit contractus maximè onerosus cum determinata omninò persona, cui per omnia similis non invenitur.

Aliud est in emptione vini, v. g. Quàmvis enim non detur illud singulare determinatum, quod emens gustavit, si tamen detur aliud ejusdem qualitatis & valoris, contractus valet; secùs si daretur aliud specie distinctum, vel quod notabiliter est pejus; prudenti enim judicio non censetur emens consensisse in illud ultimum, sed benè in primum, quàm-

quàmvis non ſit illud idem nnmero, quod guſtavit.

351. *Objectio ex alys Sacramentis.* Dices : in cæteris Sacramentis tenetur conferens dirigere intentionem ad perſonam, quæ ſibi præſens eſt, ne Sacramentum irritet. At cùm diſpenſatio ſit gratia, non tenetur concedens dirigere intentionem, niſi ad perſonam, quæ ſibi proponitur, & quam ipſe norat.

Non concludit. Sanchez. Sed exiſtimo (inquit Sanchez ſup. diſp. 21. n. 38.) adhuc valere, quando ex aliis circumſtantiis non conſtaret, à concedente ſpectatam eſſe perſonam ſibi notam, habitamque ſpecialem illius rationem, ad concedendam diſpenſationem, ſed conſtat eodem modo concedendam cuicumque petenti. Quia in his omnibus, ad Principis officium ſpectantibus, mens ejus eſt, propoſitæ cauſæ juſtæ merita attendere, atque, quàmvis erretur in nomine perſonæ, intentionem dirigere ad eam, cui verè petitur : cùm nullam diſpenſandi anſam perſona ipſa præbeat, ſed merita cauſæ. Sic ille.

352. *Alia objectio ex c. 34. de Reſcript.* Objicitur cap. *Significante*, de Reſcriptis, ubi reſcriptum, impetratum contrà hominem alicujus Diœceſis, non extenditur ad hominem ejuſdem nominis alterius Diœceſis. Ergò error in nomine vitiat reſcriptum, ut ibidem Gloſſ. in fine expoſit. casûs notat, dicens : *Item, error nominis vitiat reſcriptum.*

Arg. pro noſtra ſententia. Et verb. *Non de Remenſi*, ait : *Sed videtur, quòd hoc ſibi obeſſe non debuit ; quia ſi hoc dixiſſet, nihilominùs literas habuiſſet, ſup. eod.* Super literis, *quia ex quo de corpore conſtat, extrinſeca non nocent, licèt omnia non exprimantur. Et certum dicitur, ſive proprio nomine, ſive demonſtratione, quæ vicem proprii nominis obtinet, deſignetur, aut etiam digito oſtendatur. Sed iſte perſonaliter oſtenditur ; ergò videtur, quòd ſit per literas tales audiendus. Præterea, non debet ei talis error obeſſe, cùm conſtet de errore. Præterea, falſa cauſa non perimit legatum, ſive falſa demonſtratio, nec mendacium obligantis impedit obligationem.* Ita. Gloſſ. pro nobis.

353. *Rejiciuntur à Gloſſa.* *Sed* (proſequitur) *iſta non proſunt ; quia ratio illius Decret.* Super literis, *non habet locum ubique. Nunquid ſi Titius appellet ſe Sejum in literis, valebunt literæ ; quia ſi hoc dixiſſet Papæ, nihilominùs literas habuiſſet ? Non prodeſt ei talis ignorantia ſive error ; imò nocet : quia literæ non valebunt, ut hic dicit, & quia non cadit in jurisdictionem ipſius delegati : quia Papa non intendit dare jurisdictionem, niſi in hominem Remenſis Diœceſis. Et præterea, inconveniens videretur, ſi tales literæ hic deberent valere huic : quia ſic viderentur incertæ, quia V. alius Diœceſis Remenſis, per illas literas poſſet conveniri : & ita una clauſula, quæ certa & determinata videretur, poſſet trahi ad plures perſonas, quod eſſe non debet ; quia generalitas in hujuſmodi literis reprobatur, ſup. eod.* Ad hæc, *& quia reſcripta ſtricti juris ſunt.* Hactenùs Gloſſa, ſatis notabilis, & ideò latiùs eam deſcripſi.

354. *Noſtra ſententia eſt Felini, Sanchez & Aliorum. Probatio.* Interim Felinus d. cap. *Significante*, in principio, cum Aliis communiter, ait : quòd ſi in caſu iſtius Decretalis conſtaret de corpore, valeret reſcriptum. Et Sanchez ſup. ſimiliter reſpondet n. 37. Ratio, inquit, deciſionis ejus textûs eſt, quòd ex nullo adjecto poterat conſtare de perſona, contrà quam eſt reſcriptum impetratum (quod non obſcurè ſignificatur in d. Gloſſ. ibi : *Et videretur* &c.) & ideò, non obſtante errore in deſignatione Diœceſis, valeret utique, ſi ex aliis circumſtantiis de illa perſona conſtaret. Sic ille.

Occurritur objectioni. Nec obſtat (proſequitur) privilegium juxtà ſupplicationem intelligi : quia id eſt verum de ſubſtantialibus, contentis in ſupplicatione & perſona, cui fuit verè intentio impetrandæ gratiæ, ſi de ea conſtet, quamvis erratum ſit in nomine. Ita Sanchez.

355. *Quid ſi erretur in Diœceſi diſpenſandi, ex Sanchez.* Quid ergò, rogat aliquis, quando erratur in Diœceſi, cujus erat is, cui impetratur diſpenſatio : v. g. dictum eſt, eum eſſe Diœceſis. Antverpienſis, cùm tamen eſſet Mechlinienſis ; ac proinde commiſſio facta eſt Officiali Antverpienſi. Nunquid hic poterit eam diſpenſationem exequi ? Reſpondet Sanchez ſup. n. 39. non poſſe. Quia, inquit, cùm per errorem id factum ſit, deficit intentio Pontificis committentis, quæ eſt committere legitimo Ordinario impetrantis, juxtà præſcriptum in Trid. ſeſſ. 22. de refor. c. 5. in principio : *Diſpenſationes quàcumque, auctoritate concedendæ, ſi extrà Romanam Curiam committendæ erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint.* Atque hæc eſt communis & certa ſententia.

356. *An Officialis propriæ Diœceſis poſſit eam exequi. Probatur pars affirmans.* Dubitatur autem ; an Officialis Mechlinienſis, qui eſt legitimus Ordinarius, poſſit illam exequi. Pars affirmans ſuadetur : quia legitima Pontificis mens eſt, committere vero Ordinario impetrantis, & quaſi materiale eſt, ac per accidens, appellare illum Antverpienſem. Cùm ergò de corpore conſtet, nil obſtare videtur error nominis. Et confirmatur : quia non minùs eſt de gratiæ ſubſtantiâ perſona, cui conceditur, quàm ejus gratiæ executor. Si ergò error in illa non vitiat, ut jam oſtendimus, ubi conſtat de corpore, nec vitiabit error in hoc.

357. *Arg. pro parte negante.* At in contrarium facit ; in hoc eventu non eſſe errorem in nomine, qualis eſſet, ſi diceretur, appellari Officialem veræ Diœceſis Petrum, cùm appelletur Ioannes : ſed erratum eſt, aſſerendo poſtulantem eſſe Diœceſis Antverpienſis, & virtute petita eſt commiſſio Officiali Antverpienſi, atque illi noluit Pontifex committere : cùm conceſſio fuerit involuntaria, utpotè ex errore orta. Et quàmvis ſi petita eſſet vero Ordinario Mechlinienſi, illi committeretur ; at illi nec petita eſt, nec commiſſa. Deinde : quia error, quantumvis culpâ vacans, non efficit, ut reſcriptum extendatur ad caſum, qui ſub verbis ejus non comprehenditur, quamquam, ſi is petitus eſſet, literæ ſimiliter concederentur.

Hæc pars videtur Sanchio verior. Hinc, ſi impetrans narravit in reſcripto, Titium ſibi obligatum ex mutuo, petens, ut cogatur ſatisfacere, & erravit in cauſa debiti, utpotè quod ex alio contractu conſurgit, non poterit eo reſcripto juvari. Similiter reſcriptum ſubreptitium eſt, ſi quis in civitate Peruſina ſe nummos mutuò dediſſe cuidam narret, & impetret reſcriptum, deſtinans in ea civitate ju-

dicem, qui debitorem compellat solvere. Quia, si Princeps nosset, contractum cum eo initum esse, qui aliàs non subest jurisdictioni Perusinæ, non commisisset illi causam. Quia ubi quispiam sortitur forum Ordinarii, sortitur etiam forum delegati. Et ideò, inquit Sanchez sup. in fine, hæc pars verior mihi videtur.

358. *Gobat amplectitur partem affirmantem.* Sunt tamen non pauci, qui priorem partem amplectuntur. Gobat in suo Alphabeto tract. 9. n. 636. Hanc, inquit, difficultatem tetigi in Alphabeto Ordinis cas. 19. n. 741. ibique dixi, mihi videri, non habendum ullum scrupulum ratione hujus erroris, quando rescriptum Pontificium continet, esse jam dispensatum à Papa, sicuti continent rescripta circà ætatem Ordinandorum; nam tunc non confertur ulli alteri potestas dispensandi, sed tantùm executioni mandandi concessam à Papa dispensationem: at verò illic non aperui, quid censerem de casu præsentis difficultatis; in qua scilicet Papa ipse non dispensat, sed alius ejus auctoritate: nunc autem aperio, & propter allatam rationem dico: Officialem alienæ Diœcesis nequaquam posse dispensare: at verò tam multi è Recentioribus DD. asserunt, tam multi negant, & quidem ob rationes satis bonas, Ordinarium Oratoris posse dispensare, ut neutri parti queat negari practica probabilitas; etenim affirmativam sustinent Salas, Sanctarellus, Texeda, Portel, Bonacina, quos citat, sequiturque Diana part. 2. tract. 10. resol. 36. & part. 8. tract. 3. resol. 64. Item Pontius apud Tamburinum tr. 2. de Matr. c. 10. §. 7. & Leander apud Escobar lib. 27. dub. 197. testaturque Diana resol. 36. hanc opinionem fuisse, ipso consulente, bis positam in praxi; quare ignoro, cur P. Tamburinus loco cit. n. 3. neget, se posse acquiescere illis, qui eam habent pro probabili; unde adhæret ipse & Escobar loc. citatis opinioni negativæ post Sanchium lib. 8. disp. 21. n. 39. Monetam, Villalobos, Merollam, & fusè Perez disp. 46. sect. 8. Ego affirmativæ, ob præsumptionem de valore actûs, & de generali voluntate conformandi se legi. Hactenùs Gobat.

Alij Auctores pro hac praxi.

359. *Eos sequitur Auctor. Resp. ad 1. & 2. arg. oppositum.* Quem ego sequor. Et ideò conabor satisfacere argumentis sententiæ negativæ. Ad primum itaque dico: in tali eventu virtute petita fuit commissio Ordinario Mechlinienſi, utpotè, cui ex lege Trid. de qua sup. competebat; censetur autem & petens & concedens habere voluntatem conformem legi; adeoque esse errorem in nomine, similem illi, si diceretur, appellari Officialem veræ Diœcesis Petrum, cùm appellaretur Ioannes. Sicut enim tunc valet commissio facta Petro; quia sub illo nomine intelligitur & comprehenditur, quisquis est Officialis veræ Diœcesis; sic itidem valet commissio in nostro eventu, facta Officiali Antverpiensi; quia sub illo nomine intelligitur & comprehenditur, quisquis est Officialis veræ Diœcesis. Et sic patet responsio ad secundum.

360. *Resp. ad 3.* Ad tertium respondetur: error in causa debiti non vitiaret rescriptum, quando ex aliis circumstantiis constaret de debito; non magis, inquam, quàm error in nomine, quando ex aliis circumstantiis constaret de persona: nisi contrarium in jure exprimatur. Et idem dicito de errore in loco seu civitate, in qua pecunia mutuò data fuit; scilicet, quòd judex veræ civitatis, si de ea ex aliis circumstantiis constaret, posset vi prædicti rescripti debitorem compellere ad solutionem; eo salvo, ut Princeps possit & debeat ei hujusmodi causam committere, ut supponitur in nostro casu. Cùm enim Princeps voluerit alicui causam committere, & soli judici veræ civitatis possit & debeat committere, censetur ei voluisse committere; quia præsumitur habere voluntatem conformem juri.

361. *In dubio præsumitur valor actûs.* Accedit præsumptio valoris actûs; arg. cap. *Abbate*, de Verb. signif. ibi: *Profectò sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potiùs, quàm perire.* Et l. 80. ff. de Verb. oblig. *Quoties in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit.* Cùm ergò ad minùs dubium sit, an verba commissionis, in qua erratur circà Diœcesim, causam debiti, aut locum, comprehendant verum Ordinarium, aut verum Iudicem, quid ni ita intelligi debeant, ut commissio potiùs valeat, quàm pereat?

Et ideò in dubio præsumitur causa impulsiva, ex Sanchez. Atque hæc præsumptio præcipuum fundamentum est, quo Sanchez lib. 8. disp. 21. n. 20. in dubio, an causa in dispensatione tacita, vel falsò expressa, sit finalis, vel tantùm impulsiva, existimat esse tantùm impulsivam; quidquid Alii in contrarium sentiant, eò, quòd in dubio de valore dispensationis, impedimentum sit in possessione: *In pari* autem *causa melior est conditio possidentis.* Reg. 65. de Reg. Iuris in 6. Sed dic; præsumptionem valoris præponderare possessioni.

362. *Error in specie impedimenti vitiat dispensationem. Aversa.* Itaque, ut propiùs ad Conclusionem nostram accedamus, nullitas dispensationis potissimum sumitur ex errore in specifica ratione, vel gravitate rei, super qua dispensatur. Debet primò (inquit Aversa sup. sect. 5. circà princip.) veram speciem impedimenti proferre (qui petit dispensationem) & non unam pro alia supponere, non impedimentum cognationis, pro criminis, cognationis naturalis, pro spiritualis, affinitatis, pro consanguinitatis, aut è converso, & sic de reliquis. Etenim Pontifex intendit auferre illud impedimentum, quod sibi exponitur, non aliud diversum. Igitur si narretur unum pro alio, nullum aufertur; nempè non illud, quod non est, & narratur; nec illud, quod est, & non narratur.

363. *Esto narretur majus pro minori. Sanchez. Pontius.* Idque verum est, ut notant Sanchez lib. 8. disp. 24. n. 19. & Pontius lib. 8. c. 17. n. 31. etiamsi narretur majus pro minori, utpotè consanguinitatis, pro affinitatis: quia etsi sub conditione dicatur, quòd æquè promptè, imò promptiùs Pontifex dispensaret in minori, quàm in majori, utpotè in affinitate, quàm in consanguinitate, tamen absolutè in illo non dispensat.

Limitatio. Nisi tamen impedimentum minus intrinsicè in majori claudatur; tunc enim sub nomine impe-

impedimenti majoris verè auferretur. Nempè, ſi quis haberet tantùm publicæ honeſtatis impedimentum cum aliqua, ex Matrimonio rato cum ejus ſorore, & nominaret affinitatem ex Matrimonio conſummato ; in hac affinitate intrinſecè includitur illa publica honeſtas. Unde dum Pontifex intendit auferre impedimentum affinitatis, eo ipſo aufert publicæ honeſtatis, ut mox iterùm ſubjungemus. Hucuſque Averſa.

364. *In diſpenſationibus attenditur gravitas impedimenti, & multitudo. Probatur Concluſ.*

Itaque in diſpenſationibus Matrimonialibus attenditur ratio ſpecifica impedimenti, ſuper quo diſpenſatur. Sed & gravitas ejus ac multitudo. Quare ratio Concluſ. propoſitæ eſt, Primò: quia affinitas ex copula conjugali eſt fortius vinculum, quàm ex copula fornicaria ; hæc enim ſolùm dirimit uſque ad ſecundum gradum ; illa autem uſque ad quartum ; & ideò requirit fortiorem cauſam diſpenſandi. Secundò, affinitas ex copula conjugali in primo & ſecundo gradu, habet adjunctum impedimentum publicæ honeſtatis, ſeu potiùs, ut ſtatim diximus, intrinſecè illud includit ; ſecùs affinitas ex copula fornicaria : difficiliùs autem diſpenſatur in duplici impedimento, quàm in ſimplici, &, ſecundùm infrà latiùs dicenda, debent exprimi plura impedimenta, non connexa, ejuſdem vel diverſæ ſpeciei.

Plura impedimenta diverſæ ſpeciei debent omnia exprimi.

Hinc breviter dico, ex Averſa ſup. §. *Secundò*. Si inter duos cupientes contrahere, ſint plura impedimenta diverſæ ſpeciei, debent omnia exprimi : utpote ſi ſint impedimentum criminis, & impedimentum propinquitatis. Item, criminis ex machinatione, & criminis ex adulterio. Similiter, propinquitas ex cognatione, & ex affinitate. Vel cognationis naturalis, & ſpiritualis. Et ſic de ſingulis. Quia ſi unum, quàmvis fortius, exponatur, de illo ad ſummum habebitur diſpenſatio, non de alio, quod tacetur.

365. *Exceptio.*

Excipi tamen debet impedimentum publicæ honeſtatis, quando adeſt etiam affinitatis ex copula conjugali. Eò, quia exponendo impedimentum affinitatis ex copula conjugali, id eſt, ex Matrimonio conſummato, in hoc planè intrinſecè includitur ſeu ſupponitur impedimentum honeſtatis, ex ſponſalibus & Matrimonio rato.

Quare ſi affinitas eſſet ex copula fornicaria, & ſimul adeſſet impedimentum publicæ honeſtatis ; tunc non ſatis eſſet, exponere illam affinitatem ; ſed oporteret etiam diſtinguere publicam honeſtatem ; quia in illa affinitate hæc non intelligitur. Et hoc ſolùm voluiſſe videntur Aliqui, qui dixerunt, debere etiam publicam honeſtatem diſtinctè exponi præter affinitatem.

Hinc ſimiliter, ſi Pontifex det alicui poteſtatem diſpenſandi in impedimento affinitatis ex copula conjugali, eo ipſo dat etiam publicæ honeſtatis ; non verò ſi ſolùm det facultatem in impedimento affinitatis ex copula fornicaria. Sic ille.

366. *Putant Aliqui ſufficere,*

Suſtinent Aliqui ; ſatis eſſe, ſi fiat mentio affinitatis in genere, non explicando, an ex copula licita vel illicita ; quòd mentio affinitatis, facta abſolutè, intelligatur de orta ex copula conjugali, eò quòd in dubio non debet præſumi delictum ; & quia in odioſis ſunt intelligenda verba in potiori ſignificato, ut patet ex cap. penult. de Sentent. excom. ubi deciditur, nomine excommunicationis, à Iudice prolatæ, intelligi majorem. Potiſſimum autem affinitatis ſignificatum, eſt affinitas ex copula licita conſurgens. At ſub affinitate hac, comprehenditur neceſſariò publica honeſtas.

quòd explicetur affinitas in genere. Probatur.

Confirmatur.

Confirmatur : quia verba diſpenſationis ſunt intelligenda, ſicut verba juris communis. At ſublato per jus commune impedimento affinitatis, id intelligitur de omni affinitate, & conſequenter cenſetur ablata publica honeſtas. Ergò ſublata per diſpenſationem affinitas, intelligitur de omni, & cenſebitur quòque ablata publica honeſtas. Sic illi. Et eſt ſententia ſatis probabilis, & tuta, inquit Sanchez ſup. diſp. 24. n. 36.

367. *Oppoſitum amplectitur Sanchez. Probat.*

Ipſe nihilominùs, n. 38. oppoſitum tamquam probabilius amplectitur. Quia, inquit, tunc nec tacitè, nec expreſsè fit publicæ honeſtatis mentio : cùm ea affinitas tam de licita, quæ publicæ honeſtati conjungitur, quàm de illicita, quæ ſinè illa eſt, poſſit intelligi. Et in materia hac odioſa ſunt verba in minori ſignificato accipienda ; arg. cap. fin. de Præbend. ubi reſcriptum, quo mandatur alicui de beneficio provideri, Rectoriam vel dignitatem non includit. Similiter cap. *Cùm in illis*, 16. eod. in 6. in gratiis Apoſtolicis appellatione beneficiorum, & etiam dignitatum non includuntur beneficia curata. Ergò ſimiliter hic, ex quo ſimpliciter expreſſa eſt affinitas, intelligitur de ſimplici, & non de mixta cum publica honeſtate.

Confirmatio per c. 1. de Filiis Preſb. in 6.

Adde, inquid Sanchez, diſpenſationem, ſi aliquid operari poſſit, eſſe ſtrictè intelligendam, ne ampliùs operetur, ut expreſsè habetur c. 1. §. *Ille verò*, de Filiis Preſbijt. in 6. ſequentis tenoris : *Ille verò, cum quo per Sedem diſpenſatur eamdem, ut, præmiſſo non obſtante defectu, valeat ad beneficium, etiamſi curam animarum habeat, promoveri, nequit pretextu diſpenſationis hujuſmodi (quam exorbitantem à jure oportet veluti odioſam reſtringi) niſi unicum beneficium obtinere.*

368. *Et Reg. 28. de Reg. juris in 6. Explicatur ex Caniſio.*

Et Reg. 28. de Reg. Iuris in 6. ait : *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentia ſunt trahenda.* Ea autem (inquit Caniſius in d. Reg.) exorbitare dicuntur, quæ ab orbita, id eſt, à via communi deflectunt, qualia ſunt diſpenſationes, privilegia, ſtatuta, juri communi contraria, quæ in conſequentiam, hoc eſt, ad alias perſonas, ſive caſus non ſunt producenda, ſed ſuis terminis conſtringenda. Cùm enim jus commune favorabile ſit, utpote ab omnibus ob publicam utilitatem receptum, certè quæ juri communi refragantur, tamquam odioſa reſtringenda ſunt, & quantùm fieri poteſt, interpretatione revocanda ad commune. Sic ille. Cùm ergò diſpenſatio in caſu noſtro operetur in affinitate, non porrigi debet ad publicam quòque honeſtatem.

369. *Reſp. San-*

Ad argumentum oppoſitæ ſententiæ reſpondet Sanchez ſup. n. 43. non innitur hæc in-

chez ad arg. oppositæ sententiæ.

telligentia præsumptioni delicti, sed strictæ dispensationis intelligentiæ, petenti verba intelligi de minori significato, nisi contrarium in jure exprimatur; velut in cap. penult. de Sentent. excomm. ubi Pontifex tamquam quid speciale decernit, per excommunicationem fore intelligendam majorem, quasi, secluso eo Decreto, de minori veniret intelligenda.

Et ad confirmationem.

At confirmationem dicit Sanchez sup. quando dispensatio est in re, de qua est Decretum aliquod juris communis, ea verba juxtà id Decretum intelligenda esse. At ubi nullum est Decretum de ea re in jure communi, non sunt intelligenda nisi strictè. Quia jus commune, tamquam jus universale & favorabile, est extendendum, adeò ut ipsam quòque dispensationem, in eo jure contentam, extendi faciat. At dispensatio privata, tamquam jus privatum, est strictè interpretanda. Hæc ille.

370. *In affinitate 1. & 2. gradûs debet exprimi copula conjugalis.*

Igitur in petitione dispensationis affinitatis in primo, vel secundo gradu, si ex copula conjugali oriatur, est necessariò narrandum, eam ex copula conjugali consurgere. Quia duplex tunc oritur impedimentum, nempè affinitatis & publicæ honestatis, & tacitum est hoc. Imò nec sufficeret mentio affinitatis in genere, Quia, cùm publica honestas oriatur quòque ex sponsalibus, non explicatur, an ex Matrimonio orta sit, quod tamen necessarium est; cùm multò urgentius impedimentum ex Matrimonio, quàm ex sponsalibus oriatur; adeò ut illud Multi affinitatem vocent.

Additio.

Adde: multò indecentius esse Matrimonium cum sorore sponsæ de præsenti, quàm sponsæ de futuro: cujus maximum signum est, quòd Trident. sess. 24. de Matr. c. 3. restrinxerit impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus ortum, ut non excedat primum gradum; cum tamen publica honestas ex Matrimonio rato extendatur usque ad quartum. Quando tamen ultra primum gradum peteretur dispensatio in publica honestate, non est opus exprimere, undè orta sit. Quia post id Tridentini Decretum ex solo Matrimonio rato potest oriri. Ita Sanchez sup. n. 16.

371. *In affinitate 3. vel 4. gradûs non debet explicari copula.*

Et consimiliter, quando petitur dispensatio affinitatis in 3. vel 4. gradu, valet, quàmvis non explicetur, an ex copula licita oriatur, nec publica honestas. Quia cùm ex sola conjugali copula oriatur in his gradibus affinitas, exprimitur virtute, eam ex copula conjugali oriri, ac proinde tacitè quòque declaratur publica honestas.

Si autem à me quæritur: an debeat exprimi gradus consanguinitatis, affinitatis, aut publicæ honestatis. Item, an sit conjunctio in linea recta, vel transversa. Respondeo:

CONCLUSIO VI.

In illis impedimentis, quæ habent diversos gradus, ne dispensatio sit surreptitia, oportet exprimere, in quoto gradu conjuncti sint contrahere volentes, & cujus lineæ.

372. *Impedimenta, quæ habent diversos gradus.*

Hæc impedimenta jam statim enumeravi, videlicet consanguinitatis, affinitatis, & publicæ honestatis ex Matrimonio rato; nam ex sponsalibus solùm dirimit in primo gradu; adeoque is semper intelligitur, quando petitur dispensatio publicæ honestatis, ortæ ex sponsalibus. Hoc supposito.

Probatur 1. pars Conclus.

Prima pars Conclus. scilicet exprimi debere, quoto gradu conjuncti sint contrahere volentes, constat ex communi stylo Curiæ. Item; quia quò gradus conjunctior est, eò difficilior est dispensatio, ac majori compositione exactâ, urgentioribusque causis petitis, conceditur. Et ita fatentur omnes, inquit Sanchez lib. 8. disp. 24. n. 2. Sanchez.

373. *Non valet, si explicetur 3. gradus, cùm sit 2.*

Igitur non valet dispensatio, si explicetur gradus inferior v. g. tertius, cùm tamen sit superior, ut secundus, quantumvis ex ignorantia inculpata procedat. Quippè est error circà dispensationis substantiam, id est, circà rem dispensandam, putà gradum superiorem, qui nec formaliter, nec virtute clauditur in inferiori. Et error ex ignorantia seu simplicitate contingens, tunc tantùm non vitiat, quando, eo non obstante, concederentur literæ, & casus, ad quem uti volo rescripto, sub ejus verbis comprehenditur; arg. cap. *Super literis*, de Præbend. Iam autem gradus ille superior nequit in rescripti hujus verbis comprehendi. Et si expressus fuisset, non fuisset concessa dispensatio eo modo, quo jam conceditur. Idemque dicendum est, quando ex errore pro gradu consanguinitatis, exprimitur affinitatis.

Non prodest. processisse ex communi errore, ex Sanchez.

Nec prodest: fuisse errorem communem; quia scilicet contrahentes communiter existimabantur consanguinei in tertio gradu, cùm tamen verè essent in secundo: vel communi errore putabantur affines, cùm tamen essent consanguinei. Hic, inquam, error nihil prodest: quia (inquit Sanchez sup. n. 20.) ignorantia excusat quidem à peccato: at nihil potest conferre ad id, ut dispensatio trahatur ad casum alium, quàm expressum. Cùm ergò solus tertius gradus sit expressus, vel sola affinitas; non juvabit ignorantia, ut dispensatio trahatur ad secundum gradum, vel ad consanguinitatem, in quibus dispensatum non est.

374. *Objectio solvitur.*

Si objicias l. *Barbarius*, ff. de Offic. Prætoris. Respondet idem Auctor: aliud est supplere defectum in causa efficiente, quem quidem supplet ea lex in Judicibus, ac aliis ministris publicis, quando defectus jurisdictionis erat ita occultus,

occultus, ut communiter illi putarentur veri ministri. At ea lex non disponit, ut concessum in uno casu, censeatur in alio concedi propter communem errorem. Sic ille.

Et sanè ratio d. leg. scilicet, utilitas communis, eorum utique omnium, qui apud eum judicem egerunt; & inconvenientia, quæ sequerentur, si omnia ejus acta rescindi deberent, patet, in privata dispensatione non habere locum. Atque in d. leg. supponitur, quòd Superior, si sciviſſet veritatem, jurisdictionem tali judici contuliſſet, ibi: *Hoc enim humaniùs est, cùm etiam potuit Populus Romanus servo decernere hanc potestatem, sed & si sciisset servum esse, liberum effeciſſet.* In casu autem nostro, si Pontifex sciisset gradum secundum, aut gradum consanguinitatis, noluiſſet dispensare eo modo, quo jam dispensavit.

375. *Quid si pro 3 gradu expressus fuit 2.? Valet juxtà Sanchez.* Quid ergò, inquis, si voluiſſet dispensare, imò faciliùs dispensaſſet, v. g. si pro tertio gradu expressus fuit secundus? Respondet Sanchez sup. n. 17. valet dispensatio. Quia, inquit, etsi non sit concessa specificè pro tertio gradu, est tamen concessa simpliciter pro consanguinitatis impedimento, cum errore circà qualitatem accidentalem, inclusam à fortiori in gradu, super quo dispensatur. Item: quia non vitiatur dispensatio ex falsa qualitatis expressione, quando, eâ verè expresâ, redderetur facilior. Sic ille.

376. *Oppugnatur 2. ejus ratio per c. 6. de Rescrip. in 6.* Sed hæc secunda ratio non caret difficultate propter duplicem textum, scilicet, cap. 6. de Rescriptis in 6. & cap. 27. de Præbend. in 6. In primo sic dicitur: *Susceptum ab Apostolica sede mandatum, ut ab aliquo beneficii (quod obtinet) resignatione receptâ, ipsum alteri conferas & assignes, adimplere non potest, si ille, antequam resignet, rebus eximatur humanis, cùm non per resignationem vacaverit, sed per mortem: nisi de intentione mandantis aliud appareret expresè.*

Ubi Gloss. verb. *Susceptum*, inquit: *Vacatio per mortem & vacatio per resignationem sunt diversa: & ideò in literis ad beneficia impetratis, uno expresso, non venit reliquum.* Et tamen Pontifex æquè facilè in utroque eventu concederet.

377. *Item per cap. 27. de Præb. in 6.* Secundus textus ita sonat: *Cui de non Sacerdotali Præbenda provideri mandatur: sibi, etiam volenti, Sacerdotalis auctoritate mandati hujusmodi conferre nequibit. Similiter si in Ecclesia, in qua integræ, ac dimidiæ Præbendæ habentur, mandetur integra conferri Præbenda: quamquam ille, pro quo scriptum extitit, dimidiâ velit esse contentus, ei de ipsa non poterit provideri. Idem, cùm injungitur provideri alicui de Præbenda certi valoris, ut in Præbenda minoris valoris, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri. Non enim hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quàm expressos extendi.* Et tamen Pontifex faciliùs concederet provisionem de Præbenda minoris valoris.

Ergò consimiliter, licèt Pontifex faciliùs dispensaret in gradu tertio, quàm secundo; equidem dum tertius non exprimitur, non censetur velle dispensare; quia gradus secundus & tertius sunt diversa. Et sicut gradus inferior, includitur in gradu superiori; sic itidem Præbenda minoris valoris, videtur includi in Præbenda majoris valoris.

Respondet Sanchez sup. disp. 21. n. 36. dd. textus ad hoc comprobandum reddunt rationem, cur sub majoris valoris Præbenda, non comprehendatur, quæ minoris est; nec sub vacatione per resignationem, comprehendatur vacatio per mortem; quòd illud mandatum fuerit, cujus fines strictissimè servandi sunt. Patet ex illis verbis: *Non enim hujusmodi mandata* &c. 378. *Resp. Sanchez.*

Sed enim, dicet aliquis; mandet Pontifex Ordinario, ut dispenset in secundo gradu consanguinitatis; num ideò non poterit dispensare, aut dispensatio non valebit, quia per errorem expressus est secundus pro tertio? Et verò dispensatio nonne odiosa est? Quid ni ergò & fines ejus strictissimè servandi sint? Hæc cogita. *Replica.*

Interim sententia Sanchii communior est; non præcisè, quia, detecto errore, Superior faciliùs dispensaret; hoc enim non sufficeret, ut patet ex antedictis; sed quia tantùm est error in qualitate, quam jura specialiter non petunt exprimi; & quæ in alia qualitate, quæ proponitur dispensanda, virtualiter continetur. Tali autem casu valet argumentum in dispensatione à majori ad minus, quamquam aliàs per se loquendo non valeat. 379. *Sententia Sanchij est communior.*

Quippè dispensatio, ut sup. diximus, per se odiosa est; quàmvis ratione materiæ subinde posset esse favorabilis. In odiosis autem non licet argumentari à majori ad minus; nisi fortè, quando casus, in quo dispensatur, rationem expressam concessionis continet, & in casu minori non expresso eadem reperitur ratio: vel quando id minus est annexum vel inclusum in majori, tamquam pars ejus, vel ab eo inseparabile; aut quando dispensatio inducitur à Canone vel lege; aut certè, quando majus & minus sunt in eodem genere: tunc enim dispensatio in majori, verba prægnantia habens, extendetur ad minus. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat sup. disp. 1. n. 34. & seqq. *Dispensatio est per se odiosa.*

De hac controversia ita scribit Aversa sup. §. *Quintò*: In illis impedimentis, quæ habent diversos gradus, utpote consanguinitatis, affinitatis, & publicæ honestatis ex Matrimonio rato, necesse est exprimere, in quo gradu conjungantur illi, qui contrahere cupiunt: ita quòd non sufficiat exponere conjunctionis speciem in communi, aut minorem gradum pro majori, etiamsi bonâ fide contingeret. Est res certa & clara. Nam pro qualitate gradûs redditur facilior aut difficilior dispensatio, exigitur minor aut major causa, imponitur minor aut major compensatio. Et similiter in impedimento Ordinis sacri oportebit exponere specificè gradum superiorem, quem quis habet, nempe, si sit Diaconus, si sit Sacerdos. Itemque, si sit Episcopus. 380. *Judicium Aversæ de hac controversia.*

At si exponeretur major gradus pro minori, utpote secundus pro tertio, tertius pro quarto; tunc quidem non vitiatur dispensatio. Idque etiamsi scienter talis immutatio fiat, ut advertit Sanchez disp. 24. n. 17. Quia nempè sub gradu

du superiori in eodem ordine includitur inferior: quare dum Pontifex dispensat in superiori, eo ipso dispensat in inferiori. Quod non ita est in diverso ordine; putà, si exponeretur tertius affinitatis pro secundo consanguinitatis: quia dispensare in affinitate, non est dispensare in consanguinitate. Sic ille. Vel etiam, si exponeretur secundus consanguinitatis pro tertio affinitatis; quia dispensare in consanguinitate, non est dispensare in affinitate. Et fortè sic legendus est Aversa.

381. *Quid si exponatur superior gradus in diverso ordine?*

Ad quod confert (inquit Sanchez sup. n. 19.) spurium legitimatum, tamquam ex incestu natum, non censeri legitimatum, si ex adulterio sit; quàmvis adulterium minus delictum sit. Quòd sint diversæ speciei. Præterea: quia dispensatio super uno defectu, non est dispensatio super alio.

382. *Non extenditur potestas dispensandi in consanguinitate ad affinitatem, ex Sanchez.*

Quæris à Sanchio; an saltem potestas dispensandi in consanguinitate, tamquam favorabilis, non extendat se ad dispensandum in simili affinitate, tamquam ad minus? Respondet: Hoc nullo modo concedo. Quia quàmvis potestas dispensandi extendenda sit; id tamen intelligitur, quando casus, ad quem fit extensio, potest comprehendi sub casu expresso. Quod in hoc casu minimè reperitur, cùm sint diversæ speciei. Sic ille.

Sed nunquid etiam affinitas & publica honestas sunt diversæ speciei? Siquidem illa oritur ex sola copula; hæc autem ex sponsalibus & Matrimonio rato; adeoque se mutuò non videntur includere, cùm utrumque seorsim possit existere. Et tamen secundùm Sanchium disp. 24. n. 41. in potestate dispensandi in affinitate includitur quòque publica honestas, non solùm cum ea concurrens, sed etiam, quàmvis sinè ea sit; ut si ex solo Matrimonio rato, vel ex solis sponsalibus orta sit.

383. *Potestas dispensandi in affinitate, extendit se ad publicam honestatem, ex eod.*

Quia, inquit, eo ipso, quò datur facultas ad affinitatem ex copula licita, supponitur præcessisse sponsalia & Matrimonium ratum, indeque productum publicæ honestatis impedimentum; & sic facultas illa ad hoc quòque extenditur.

Adde: publicam honestatem non oriri ex Matrimonio ratione consummationis; sed ex solo ipso Matrimonii contractu oriri: ac subinde publica honestas, ad quam ea potestas extenditur, non est alia quàm ea, quæ ex Matrimonio rato oritur. Quæ autem nascitur ex sponsalibus, est gradus quidam minor ejusdem speciei publicæ honestatis, inclusus sanè in orta ex Matrimonio. Ita Sanchez.

384. *Objicitur.*

Fateor, dicet aliquis, honestatem ex Matrimonio rato & honestatem ex sponsalibus, non esse diversæ speciei; & ideò non dubito, quin potestas dispensandi in majori, extendat se ad minorem. Sed nunquid ideò affinitas, & honestas, non sunt diversæ speciei? Cur ergò potestas dispensandi in affinitate, potiùs se extendit ad publicam honestatem, quàm potestas dispensandi in consanguinitate ad affinitatem?

Solvitur.

Respondetur: quia aliqua publica honestas intimè conjuncta est cum affinitate, & illa est ejusdem speciei cum ea, quæ non est conjuncta: ergò qui potest dispensare in affinitate, potest etiam dispensare in aliqua publica honestate; ergò in omni, quæ est ejusdem speciei. Iam autem nulla affinitas est intrinsecè conjuncta consanguinitati ita, ut non possit intelligi consanguinitas absque ea; & ideò non sequitur: habeo potestatem dispensandi in consanguinitate; ergò etiam in affinitate, quàmvis affinitas minor sit. Atque hæc satis de prima parte Concluſ.

Secunda asserit, etiam esse exprimendam lineam, id est, an distantia graduum sit in linea recta, vel transversali: v. g. si vellet quispiam ducere aviam vel proaviam, neptem aut proneptem, sive propriam, sive uxoris cognitæ, aut non cognitæ (suppositâ opinione, dicente, eam prohibitionem esse solo jure humano inductam) aut matrem filiamve sponsæ de futuro; vel è contrà, fœmina avum vel proavum, proprium aut prioris viri, aut patrem prioris sponsi de futuro, non satis esset (inquit Sanchez sup. n. 14.) exprimere gradum conjunctionis; sed explicandum esset, esse in linea recta. Quia parentibus alterius conjugis, vel sponsi de præsenti vel de futuro, ferè eadem reverentia debetur, ac propriis. Atque proinde multò indecentius est ac absurdius hujusmodi Matrimonium, quàm ubi distantia gradûs est in linea transversa. 385. *Exprimendum est, an distantia graduum sit in linea recta vel transversali.* Sanchez.

Id tamen non reputarem necessarium exprimere in affinitate, ex copula fornicaria. Quia ex ea copula non oritur notabiliter specialius vinculum, aut notabiliter major reverentiæ obligatio affinibus ex linea recta, quàm ex transversa. Sic ille. *Limitatio.*

Sed hoc non placet Aversæ, qui sup. §. *Sextò*, sic ait: Tam in his, quàm in aliis impedimentis, quæ habent diversos modos, debet etiam exprimi verus modus. Nempè, si conjunctio sit in linea recta, vel in linea transversali, longè enim diversum judicium est de utraque, ut patet ex dictis anteà circà hæc impedimenta. Idque verum videtur, etiam in affinitate, subortâ ex copula fornicaria; quàmvis oppositum dicat Sanchez n. 14. Etenim major indecentia est, ut quis contrahat cum concubina patris aut filii sui, quàm fratris. 386. *Non placet Aversa.*

Et quia affinitas habet duos illos modos, scilicet ex copula conjugali, vel fornicaria, oportebit exprimere certum modum: quia sanè major est affinitas ex copula conjugali, quàm ex fornicaria. Quod ex ea diversa dispositione Concilii satis patet, quâ ex copula fornicaria non excedit secundum gradum, cùm ex conjugali extendatur ad quartum. 387. *Debet secundùm ipsum exprimi, ex qua copula sit affinitas.*

Similiter: quia publica honestas habet duplicem modum, scilicet ex Matrimonio rato, vel ex sponsalibus; oportet exprimere, si sit ex Matrimonio, quæ sanè valde major est, ut etiam patet ex diversa dispositione ejusdem Concilii circà unum, & alterum modum hujus impedimenti. Unde immeritò Pontius lib. 8. cap. 17. n. 29. dixit, se non videre hujus rei firmum fundamentum. *Item, cujusmodi sit publica honestas.* Pontius.

Demùm;

388. *Idem de cognatione spirituali.*

Demùm ; quia cognatio spiritualis habet quòque duplicem modum, scilicet veluti per lineam rectam, aut transversalem ; sive per modum paternitatis ergà filium spiritualem, qui suscipit Sacramentum ; aut per modum compaternitatis ergà parentes carnales illius : oportet quòque determinatum modum exprimere. Imò longè difficilior est dispensatio in primo modo, quàm in secundo, adeò ut non, aut vix inveniatur hactenùs exemplum dispensationis in primo. Sed de reliquo non videtur necessarium exponere, si cognatio spiritualis contracta sit per ministerium Baptismi, aut Confirmationis : & similiter si per ministerium conferendi vel tenendi in Sacramento, ut notat Sanchez disp. 24. n. 15. Quia hæc differentia, quoad hunc effectum, est accidentalis ; nec uno vel alio modo reddit dispensationem difficiliorem. Hucusque Aversa.

389. *Indecentiùs est contrahere cum filio spirituali, quàm cum compatre, ex Sanchez.*

Enimverò multò indecentiùs est, cum filio aut filia spirituali contrahere, quàm cum compatre vel commatre. Nam (inquit Sanchez sup.) cùm generatio hæc spiritualis, ex qua filiatio ista consurgit, assimiletur generationi carnali, ex qua filiatio naturalis oritur : sicut indecentissimum est inter patres & filios carnales Matrimonium, ita suo modo, licèt non æquali, inter patres & filios spirituales. At verò quòd hæc filiatio aut compaternitas consurgat ex Baptismo, vel Confirmatione, parùm hæc mutant vel augent.

Cæterùm, si à me quæritur: an quando contracturi distant inæqualiter à stipite, ut si alter distet in secundo, & alter in tertio, sit necessaria mentio gradûs propinquioris, quo alter distat, an potiùs sit satis mentio remotioris. Respondeo citò,

CONCLUSIO VII.

Quando contracturi inæqualiter distant à stipite, sufficit exponere gradum remotiorem, nisi unus sit primus.

390. *Conclusio patet ex Const. Pij V. quæ hic refertur.*

Enarratio Constitutionis Pij IV.

DE hac Conclusione non licet dubitare post Constitutionem Pii V. quæ est 13. apud Cherubinum, sequentis tenoris : *Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Pius divinâ providentiâ Papa V. Attendens per quamdam constitutionem, per fel. record. Pium Papam IV. Sanctitatis suæ prædecessorem editam, quâ cavetur, quòd in dispensationibus Matrimonialibus, pro diversis consanguinitatis seu affinitatis, ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctis, non remotioris solùm, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ literæ, nullius sint roboris vel momenti, prout in dicta constitutione plenius continetur, à dispositione juris communis, & laudabili ac antiquo Rom. Curiæ stylo nimiù recedi, ac favorem Matrimonii debitum restringi.*

Bosca de Matrim. Pars II.

Volensq; propterea juri & stylo prædictis, nec non 391. *piæ Mem. Greg. XI. & Clem. VI. Rom. Pont. et- iam Sanctitatis suæ prædecessorum vestigiis inhærendo, Sacramento & libertati Matrimonii, quantùm cum Deo potest, favere, statuit & ordinavit, quòd de cætero in quibuscumq; dispensationibus, quas pro Matrimoniis contractis aut contrahendis inter viros & mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis & affinitatis, aut mixtis ex commmni seu ab eodem stipite surgentibus, quicumq; illi sint, dummodò primum quoquomodo non attingant, cùm in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus conjunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore existente Rom. Pontifice aut Sede Apostolica impetrari, vel alias concedi contigerit, ac literis, commissionibusq; desuper etiam locorum Ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatq; secum propinquiorem, ac ob id sufficiat, remotiorem tantùm gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis, juxtà Greg. & Clementis prædecessoris hujusmodi constitutiones, quas quoad hoc innovavit, & inviolabiliter observari mandavit, dispensationesq;, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas literas, & processus habitos, per easdem dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradûs hujusmodi non expressionem, de subreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis defectu, notari non posse, sed in omnibus & per omnia suffragari, perinde ac si in literis, seu commissionibus hujusmodi de proximiore seu utroque gradu specialis & expressa mentio facta fuisset.* *Revocatio ejus, & innovatio Constitutionum Greg. XI. & Clem. VI.*

Sicq; per quoscumq; Iudices & Commissarios, etiam S. R. E. Card. sublatâ eis quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac quidquid secùs super his à quocumq;, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum & inane decrevit.

Constitutione Pii prædecessoris hujusmodi, cæteriq; contrariis non obstantibus quibuscumq;.

Placet, publicetur, & describatur, M.

Ut autem scires, publicationem factam fuisse, continuò subjungitur : *Lecta & publicata fuit suprascripta regula Romæ in Cancellariâ Apostolicâ, anno Incarn. Dominicæ 1566. die verò Martis 20. mensis Augusti, Pontificatûs præfati Sanctissimi Domini nostri Papæ anno 1.* *Publicatio.*

A. Lomellinus Custos.

Circà quem Motum proprium notandum est 392. primò ; quòd olim solebat fieri mentio solius gradûs remotioris, ibi : *Non remotioris solùm, prout olim fieri solebat*, scilicet antè Constitutionem Pii IV. (quam non invenio apud Cherubinum) juxtà constitutiones Greg. XI. & Clem. VI. (quas similiter Cherubinus non refert) & arg. cap. fin. de Consang. sequentis tenoris : *Vir, qui à stipite 4. gradu, & mulier, quæ ex alio latere distat 5. secundum regulam approbatam, quâ dicitur :* Quoto gradu remotior differt à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, *licitè possunt matrimonialiter copulari.* *Olim solebat fieri mentio solius gradûs remotioris, ex d. Constit.* *Et cap. fin. de Consang.*

Ergò quando duo consanguinei in gradu dispari distant, intelliguntur tantum distare inter

se, quantum remotior distat à communi stipite; atque adeò is solus gradus impedimentum Matrimonio præstat, qui à stipite remotior est, ut proindè minimè mixtus sit, sed simplex. Ergò sicut gradus remotior trahit ad se, & imbibit proximiorem, quantùm ad rationem magis distandi à primo stipite; ita eumdem imbibet, & ad se trahet, ut solius ejus ratio sit habenda (nisi aliter Ecclesia disposuerit) in impetranda dispensatione.

393. *Ostenditur cap. 3. eod. pro nobis facere.* *Status quæstionis.* Accedat cap. *Quod dilectio*, 3. eod. tit. quod quidem Adversarii contrà nos inducunt, sed perperàm; ut jam ostendo. Quærebatur à Pontifice Cælestino III. *Vtrùm is, qui à stipite per descendentem lineam sexto vel septimo gradu distat, possit ei, quæ ab altera parte per lineam descendentem ab eodem stipite, secundo vel tertio gradu distat, Matrimonialiter copulari, propter indulgentiam Apostolicæ Sedis Legati, quâ permissum est hominibus terræ illius, in 6. gradu conjungi? Quod videtur posse fieri, secundùm regulam, quâ dicitur*: Quoto gradu quis distat à stipite, & à quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem: *cùm tamen de consuetudine terræ, si quando talis casus emerserit, incolæ propter proximiorem gradum conjunctos separent, & impediant copulari volentes.* Ecce status quæstionis; ubi non inducitur aliquod jus pro parte negativa, sed sola consuetudo.

394. *Resp. Pontificis.* Undè respondet Pontifex: *Quòd indulgentia illa sic est intelligenda, quòd uterque conjungendorum distet a stipite sexto gradu. Si verò alter sexto vel septimo gradu distat à stipite, alter autem secundo & tertio, conjungi non debent.* Nunquid propter textum aliquem juris communis?

Ratio. Sequitur: *Vnde in hac parte consultiùs duximus, multitudini & observatæ consuetudini deferendum, quàm aliud in dissensionem & scandalum populi statuendum, quâdam adhibitâ novitate.* Ratio ergò Pontificis fuit consuetudo in contrarium, ex cujus non observantia dissensio & scandalum in populo oriretur. Ergò ubi non est contraria consuetudo, nec timetur dissensio, aut scandalum, præstat observare jus commune, expressum d. cap. fin.

395. *Replica solvitur, ex Sanchez.* Quòd si replices (inquit Sanchez sup. disp. 24. n. 24.) hodie eam esse consuetudinem & stylum Curiæ, ut is gradus propinquior manifestetur. Respondetur: id non habere stylum Curiæ, quasi id necesse sit; adversaretur enim motui proprio Pii V. Sed id habet ad evitanda dubia & literas declaratorias, quas dicemus esse necessarias. Sic ille.

Requiruntur literæ declaratoriæ. Observa itaque secundò circà hunc Motum proprium; quòd in eo requirantur literæ declaratoriæ, ibi: *Obtentis tamen postea super propinquiore literis declaratoriis, juxtà Gregorii & Clementis prædecessoris hujusmodi constitutiones.*

396. *Tenor earum ex Sanchio.* Tenor autem harum literarum declaratoriarum (inquit Sanchez sup. n. 26.) sic se habet (ut ad me pervenêre datæ à Clem. VIII. anno 1599. die 13. Ianuarii) Narratum est Pontifici, quosdam impetrasse dispensationem, proponendo se tertio consanguinitatis gradu conjunctos, cùm tamen essent in secundo cum tertio. Et ait Pontifex in *illis literis* sic:

Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs etiamsi literis præfatis, jam tibi præsentatis, ad illarum executionem propter hoc procedere distuleris seu recusaveris: nihilominùs negotium hujusmodi reassumens, ipsasq; literas valere, dictâ auctoritate decernens, ad earumdem literarum executionem (servatâ aliàs earum formâ) procedas. Ac cum eisdem N. & N. super impedimento tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi, eâdē authoritate dispenses. Distantiam verò secundi gradûs præfati eis non obstare declares, in omnibus ac per omnia, perinde, ac si in dictis literis, ipsos secundo & tertio consanguinitatis gradibus, à communi stipite provenientibus, invicem esse conjunctos expressum fuisset. Ita Sanchez.

397. *Ad quid deserviant hæ literæ.* Rogat aliquis; cui usui literæ illæ declaratoriæ sint? Aut enim petuntur in motu proprio, tamquam conditio requisita ad valorem dispensationis, in qua solus gradus remotior expressus est. Quod videtur denotare ablativus iste absolutus: *Obtentis tamen postea* &c. Qui conditionem importat, l. *A testatore*, ff. de Condit. & demonst. l. 109. ff. de Condit. *A testatore rogatus, ut acceptis centum nummis, restitueret hæreditatem Titiæ* &c. *Quæsitum est, an hæres, Titiæ offerendo centum fidei commisso (aliàs commissi) partem hæreditatis consequi posset. Respondit, hæredem conditioni parere non posse.* Aut non petuntur tamquam conditio, sed tamquam admonitio quædam seu modus. Si tamquam conditio: ergò dispensatio in neutro foro valebit, donec eæ literę impetrentur. Quippè conditio valorē actûs suspendit, donec ea impleatur. Si tamquam admonitio seu modus: cui ergo usui sunt literę illę?

398. *Sunt modus aliquis necessarius pro foro externo, secundum Henriquez.* Henriquez lib. 12. de Matr. c. 3. n. 6. ait: Satis est inter consanguineos explicare gradum remotiorem, ut quartum, quàmvis ex altera parte unus attingat tertium gradum stipitis; & gratia valet, per signaturam, etiam literis non expeditis. Ergò, secundùm hunc Auctorem, ille ablativus non denotat ibi conditionem; sed aliquem tantùm modum, necessarium pro foro externo, ut notat in Comment. lit. T. ibi. Postea tamen jubet pro foro exteriori impetrari literas declaratorias de propinquiori gradu, quod olim opus non erat. Sic ille. Olim, inquam, ante constitutionem Greg. XI. & Clem. VI.

Confirmat Sanchez, Probus. Atque hæc sententia placet Sanchio sup. n. 28. eamque confirmat ex Probo Addit. ad Monachum in Rub. de Cognat. spirit. ubi ait: eas esse necessarias, quando in foro publico dispensatio petitur; secùs quando affinitas consurgit ex actu fornicario occulto: Tunc enim ait, non dari has literas declaratorias. Præterea; quia ideò dantur eæ literæ, ut caveatur scandalum. Quippè poterant aliqui scandali ansam sumere, videntes non esse dispensatum in gradu propinquiori, ac propterea existimantes, Matrimonium esse irritum. Ergò petitio illarum literarum solùm forum externum respicit. Ita Sanchez.

399. *Valet dispensatio sinè eis concessa.* Hinc deducit: Matrimonium fore validum & firmum, si Ordinarius dispensaverit, non allatis illis literis; sive id fecerit ex malitia, cùm ex actis constaret esse ibi gradum propinquiorem, & remotiorem; sive deceptus à contrahentibus, falsò probantibus, esse solum gradum remotio-

Probatio. remotiorem : quia ea diſpenſatio valida fuit, nec malitia Ordinarii malè exequentis, aut partis falsò probantis, tollit ejus valorem. Non enim petuntur eæ literæ, ut prior diſpenſatio valida fiat ; ſed ut ſcandalo obvietur.

400. *Confirmatur.* Quod videtur etiam probari : quia motus proprius concludit, omnia acta, diſpenſationeſque confectas, & proceſſus habitos per dictas literas, in quibus non expreſſus eſt gradus propinquior, minimè poſſe ſubreptione, aut intentionis defectu notari. Et quàmvis addat : *Obtentis tamen poſteà literis declaratoriis ſuper propinquiori* : Ablativus ille abſolutus non poteſt conditionem importare ; quia ſupponit actum jam perfectum, & geſta virtute priorum literarum fuiſſe valida. At ſi conditionem importaret, ſuſpenderet valorem actûs, geſti ante illius adimpletionem.

Confirmatur 2. Et tandem ; ſi nullum ſcandali periculum immineret, nec res ad forum externum delata eſſet, credo eos, qui ſic contraxêre Matrimonium, non teneri eas literas declaratorias afferre, cùm eæ ſoli ſcandalo vitando deſerviant : cujus in hoc eventu nullum prorsùs ſubeſſe timorem ſupponimus. Hactenùs Sanchez.

401. *Oppugnatur 2. confirmatio.* Sed in primis ; nullam audio mentionem fieri in d. Motu de ſcandalo. Undè ergò conſtat Sanchio, quòd illæ literæ ſolùm petantur, ut ſcandalo obvietur ? Prætereà : ceſſante fine legis ſolùm negativè in caſu particulari, non ceſſat propterea lex. Undè ergò probat Sanchez, ceſſante ſcandalo hìc & nunc, etiam ceſſare d. præceptum Apoſtolicum ?

Eſt verum præceptum afferendi dd. literas. Nam eſſe verum præceptum afferendi dd. literas, ipſe admittit ſup. n. 29. ubi ſic ait : Ordinarius in foro externo rectè procedens non deberet diſpenſare, donec literæ declaratoriæ afferrentur. Et ſi poſt initum Matrimonium certior juridicè fiat, aliquo denuntiante, non eſſe expreſſum gradum propinquiorem, nec allatas literas declaratorias, deberet ſic conjunctos ſeparare, donec eas literas afferant. Tum, ut prædictum ſcandalum, quòd poſſet contingere, vitetur. Tum etiam, ut ſatisfiat præcepto Pontificio, volenti eas literas ad eum effectum afferri. Sic ille.

402. *Timor ſcandali videtur hic nunquam ceſſare.* Et ſanè timor ſcandali nunquam ceſſat, quàmvis hìc & nunc certò moraliter conſtet, neminem fore ſcandalizandum ; quippè ſemper verum eſt, quòd ex hujuſmodi Matrimonio, id eſt, Matrimonio contracto ſinè iſtis literis, poſſit ſequi ſcandalum ; quod ſufficit, ut in omni caſu preceptum obliget, etiam in eo, in quo non ſequitur ſcandalum, & prævidetur certò non ſecuturum, ut alibi latiùs diximus.

Impugnatur 1. confirmatio. Denique : ex quo evincit Sanchez, literas, in quibus non expreſſus eſt gradus propinquior, non poſſe ſubreptione notari, ſi literæ declaratoriæ non obtineantur ? Equidem priùs in d. Motu petitur obtentio harum literarum, quàm ſtatuatur, priores literas non poſſe de ſubreptionis vitio notari. Quidni ergò poſſint notari, ſi literæ declaratoriæ non afferantur.

An fortè ; quia ſupponitur actus jam perfectus ? Nam dicitur : *Obtentis tamen poſteà*, id eſt, poſt diſpenſationem conceſſam à Sede Apoſtolica. Non video aliud fundamentum. Vellem potuiſſem videre Conſtitutiones Gregorii & Clementis, quas Pius V. innovat ; fortè ex illis lux aliqua in hac re obſcurâ oborta fuiſſet. Interim Pontifex non loquitur de ſola diſpenſatione, à ſe completè conceſsâ ; ſed etiam de commiſſione diſpenſandi datâ Ordinario, quæ commiſſio non eſt perfecta diſpenſatio, ſed tantùm inchoata ; & cupio doceri, quare complementum ejus nequeat dependere à literis iſtis declaratoriis, tamquam à vera conditione ſuſpendente ejus valorem.

403. *Ablativus abſolutus non ſemper importat conditionem.* Fateor, ablativus abſolutus non ſemper importat conditionem, ut patet ex d. l. *A teſtatore*, in fin. *Claudius : Magno ingenio de jure aperto reſpondit, cùm poteſt dubitari, an in propoſito conditio eſſet.* Ubi Gloſſ. verb. *Conditio eſſet*, inquit : *Quaſi dicat Claudius, verba illa* : Ut acceptis centum, *in vim modi intelligi poſſunt, & ſic parebit hæres* : *& poſſunt intelligi in vim conditionis, & ita non parebit hæres. In dubio autem, id eſt, cùm eſt incertum, qualiter illa verba intellexerit teſtator, Claudius pro conditione intelligit ea.* Cum ergò & hìc dubium ſit, quidni & illa verba : *Obtentis tamen poſteà* &c. pro conditione intelligi debeant ?

404. *Certum eſt, hìc non importare.* Reſpondeo : nullum hìc eſſe dubium ; ſed ſatis certò conſtare, Pontificem Pium V. ſolùm in vim modi ea verba appoſuiſſe. Quippè voluit revocare Conſtitutionem Pii IV. ut ſic faveret Sacramento & libertati Matrimonii : in quo autem favet, ſi illas literas declaratorias exigat ad valorem ? Siquidem tam difficile eſt impetrare illas literas declaratorias, quàm in petitione diſpenſationis exprimere gradum propinquiorem. Quod benè notavit Averſa ſup. §. *Septimò*, in fine : Sed ne opus ſit, novas literas declaratorias obtinere, præſtat ſanè, ab initio gradum etiam propinquiorem exponere : & ſic quidem frequentiori uſu ſervatur. Ita ille. Et ego omnibus ſuadeo, ut ſic ſervent. Averſa.

405. *Diſpenſatio non valet, ſi non exprimatur 1. gradus conſanguinitatis aut affinitatis.* Sed nunquid etiam illa verba : *Dummodò primum quoquomodo non attingant*, in vim ſolius modi ponuntur, ita ut aliter impetrata diſpenſatio valeat ? Conſtat quòd non (& hoc ſit tertium notabile circà hunc motum proprium) nam continuò ſubditur. *Cum in eo Sanctitas ſua nunquam diſpenſare intendat.* Porrò ſinè intentione diſpenſandi, liquet profecto, quòd diſpenſatio non valeat.

Igitur ſi quidam velit ducere conſobrinam filiam fratris ſui, aut filiam filii, aut nepotis fratris ſui, hìc contracturus diſtat à primo ſtipite in primo gradu, & à filia fratris in primo cum ſecundo, à nepte fratris in primo cum tertio, à pronepte fratris in primo cum quarto : niſi ergò in his eventibus propinquioris gradûs mentio fiat, diſpenſatio erit prorsùs ſubreptitia. Et idem eſt in affinitatis gradibus. Nam Motus proprius expreſsè loquitur de gradibus conſanguinitatis & affinitatis, & nullis aliis.

406. *Secus publi-* Et ideò ſit quartum notabile : ſi petatur diſpenſatio in impedimento publicæ honeſtatis ex

ca honestatis.

Matrimonio rato, sufficiet remotioris gradûs mentio, estò propinquior foret primus, & nullæ literæ declaratoriæ posteà obtinerentur: quia cùm Pontifex Pius V. de publica honestate non meminerit; neque Pius IV. aut alii Pontifices, qui citantur, saltem quòd sciam; quia, ut antè dixi, Bullas eorum non potui videre, standum hìc est juri communi, quod, ut sup. ostendimus, solam gradûs remotioris mentionem exigit.

407. *Quid dicendum de gradibus affinitatis ex fornicatione.*

Secùs dicendum de gradibus affinitatis ex copula fornicaria, dummodò sit publica. Ratio est; quia Motus proprius indistinctè agit de affinitate. Dixi autem: *Dummodò sit publica*: quia, secundùm Sanchium sup. n. 33. quando petitur dispensatio in solo foro conscientiæ affinitatis ex occulta copula fornicaria, valet, quàmvis gradûs propinquioris mentio non fiat, dummodò non sit primus, nec sunt necessariæ literæ declaratoriæ.

Et ratio est; quia, ut sup. dictum est ex Sanchio, eæ literæ non dantur, nisi ad evitandum scandalum, cujus hìc nullum periculum est. Verùm enimverò cùm sæpiùs contingat, ut fornicatio jam occulta, posteà fiat publica, non videtur, ut sup. dixi, etiam in hoc casu cessare omne periculum scandali.

408. *Quid si unus distet in 1. gradu, alter in 5.? Non est necessaria dispensatio.* Pontius.

Sed quid si alter ex contracturis distet à stipite in primo gradu, alter vero extrà quartum, in quinto v. g. aut sexto? Respondeo: de hoc casu non loquitur Pius V. cùm in eo nulla sit necessaria dispensatio. juxtà dicta Sect. 5. Concluf. 3. & Declarationem Cardinalium, ut testatur Pontius lib. 8. c. 17. n. 26.

Atque hinc (ait ille) intelligenda est etiam mens Pauli III. in Motu proprio pro Indis; quia pro illis ablatus est tertius & quartus gradus cognationis, & si concurrant primus vel secundus gradus cum tertio, non sunt impediti. Intelligitur autem ille Motus proprius de Indis Neophytis, & tam in affinitate, quàm consanguinitate, omnesque etiam Indorum Provinciæ eo nomine comprehenduntur. Ita Basilius cum Sanchio sup. Sanchez. Veracruz. n. 35. post Veracruz 1. part. Speculi art. 44.

409. *Dispensatio recipit interpretationem à jure communi.*

Enimverò licèt dispensatio sit stricti juris, debet tamen (ut notat Sanchez) recipere interpretationem à jure communi, quando versatur circà juris communis materiam. At, attento jure communi, distantia graduum computatur juxtà remotiorem, & ille imbibit & trahit ad se propinquiorem.

Occurritur objectioni.

Nec hoc dissonat menti Pontificis sup. in Motu proprio Pii V. explicatæ, ibi: *Cùm in eo* (primo gradu) *Sanctitas sua nunquam intendat dispensare*; id enim intelligendum est pro eo casu, in quo necessaria est dispensatio; jam autem impræsentiarùm non requiritur dispensatio, suppositâ restrictione hujus impedimenti ad secundum gradum.

410. *Pontius impugnat Sanchium.*

Si ergò hæc vera sunt, non video (inquit Pontius sup. n. 27.) quomodo stare possit, quod docet Sanchez câd. disp. n. 12. non satis esse explicare inæqualitatem gradûs, si fœmina sit, quæ propinquior sit, sed explicari debere, an ea fœmina sit in secundo vel tertio. Quod etiam docuit Molina de Iustitia to. 1. tr. 2. disp. 161. Molina. verf. *Illud tamen.* Si enim literæ Pii V. absolutè & sinè distinctione docent, non esse necessarium propinquiorem exprimere, nullâ factâ distinctione fœminæ aut viri, nescio quo fundamento deducatur, esse necessarium explicare propinquiorē, si fœmina propinquior sit stipiti, quàm vir. Quare dicamus, neque in eo casu esse necessarium; & multò minùs in affinitate, sive ea oriatur ex copula licita, vel illicita, ob eamdem Pii V. constitutionem. Sic ille. *Putat perinde esse, sive fœmina sit propinquior, sive vir.*

411. *Eum sequitur Aversa.*

Quem sequitur Aversa sup. §. fin. dicens: Excipit etiam Sanchez n. 12. quando superior & propinquior gradus est ex parte fœminæ, utpotè vir cupit ducere amitam seu materteram suam: tunc, inquit, oportere exponere non solùm remotiorem gradum, sed etiam talem propinquiorem; & alioquì dispensationem fore subreptitiam. Quia nempè in Matrimonio fœmina subditur viro: at naturæ ordine debet quis potiùs subjectionem ac reverentiam fœminæ sibi conjunctæ in superiori gradu amitæ & materteræ suæ: quare Matrimonium cum illa importat majorem quamdam indecentiam: ideoque debeat talis modus conjunctionis exponi ad obtinendam validam dispensationem.

Fundantur in legibus Pontificis.

Sed, ut benè advertit Pontius n. 27. cùm habeamus claras leges Pontificias, quæ absque tali discrimine jusserunt, qualiter hi gradus exponendi sint, non est ab iis legibus, ob eam considerationem majoris indecentiæ, recedendum: sed idem servandum est, sive fœmina sive vir in propinquiori gradu inveniatur. Et sic Molina eo loco de omnibus personis erat in illa sententia, quòd oporteret semper gradum propinquiorem unius partis, simul cum remotiore alterius, exponere. Usque modo audistis Aversam.

412. *Quid de hac re doceat Molina.*

Sic autem loquitur Molina loco cit. n. 5. Illud est advertendum, quàmvis collaterales eo gradu distent inter se, quo eorum remotior distat à trunco, nihilominùs alterum collateralem proximiorem trunco, efficere difficiliorem dispensationem in eo gradu, eâque de causâ id esse exprimendum in dispensationibus obtinendis, ut validæ sint: nempè, utrùm comparatione trunci sint in quarto & tertio gradu insimul, ut vocant: vel in tertio & secundo, aut alio proximiori. Ecce universaliter loquitur, non distinguens inter virum & fœminam, cùm tamen, etiam secundùm Sanchez, non semper oporteat gradum propinquiorem exponere.

Tenet sententiam Sanchez.

Sequitur apud Molinam: Quia etiam difficilior est dispensatio, quando fœmina proximior est trunco, quàm quando est vir, eò quòd, cùm sit ita comparatione viri, vir eâ de causâ debeat eam revereri, & illa econtrariò, cùm sit uxor, suspicere debeat virum: id quòque in petitione dispensationis est necessariò exprimendum. Sic ille.

413. *Resp. ad ejus fundamentum.*

Sed facilè respondetur: quidquid sit de majori indecentia unius Matrimonii præ altero, non ideò debet esse difficilior dispensatio post constitutionem Pii V. quæ indistinctè loquitur. Et sanè ipse Sanchez docet disp. 21. n. 17.

n. 17. quando nec ex jure, nec ex stylo Curiæ constat, qualitatem tacitam esse exprimendam, tunc solùm vitiari rescripta quæcumque, ex alicujus qualitatis taciturnitate, quando veritate cognitâ Princeps illa non concederet, vel non absolutè concederet, sed quibusdam moderationibus adhibitis; secùs quando tandem eodem modo concederet, licèt multò difficiliùs.

414. Igitur tametsi admitteremus, dispensationem fore difficiliorem, quando major propinquitas tenet se ex parte fœminæ; equidem non rectè infertur; ergò taciturnitas illius propinquitatis, seu proximitatis ad stipitem, reddit dispensationem subreptitiam, nisi ex jure aut stylo Curiæ constet eam esse exprimendam; vel quòd, eâ cognitâ, Princeps absolutè nollet dispensare, vel non nisi adhibitis quibusdam moderationibus. Sed nunquid id constat? Non puto; & ideò subscribo sententiæ Pontii, & Aversæ.

Auctor subscribit sententia Pontij.

Si autem à me quæratur: an in dispensatione Matrimonii inter consanguineos vel affines, & generaliter inter eos, inter quos est impedimentum dirimens, sit copulæ inter eos habitæ mentio facienda? Sequens Conclusio erit nostra resolutio.

CONCLUSIO VIII.

Si post copulam carnalem cum consanguinea impetretur aut expediatur dispensatio, non factâ mentione de copula carnali, dispensatio valet; nisi obstet stylus Curiæ; aut concessa sit sub conditione: *Si copula non intervenerit.*

415. PRæmitto cum Sanchio lib. 8. disp. 25. n. 1. & 2. triplici tempore posse intervenire copulam; scilicet, antè dispensationem Papæ, post eam antè expeditionem Ordinarii, & post Ordinarii expeditionem.

Copula potest triplici tempore intervenire.

Et tripliciter haberi.

Potestque copula hæc tripliciter haberi. Primò, ex fragilitate humana, absque tractatu aliquo Matrimonii, aut sponsalium. Secundò, precedente tractatu Matrimonii aut sponsalium; sed absque spe facilioris dispensationis. Tertiò, cum spe facilioris dispensationis. Hoc præmisso.

416. Conclusio intelligitur de copulâ secundùm se præcisè spectatâ, absque contractu aliquo Matrimonii, & de omni tempore; tametsi solùm duo priora expresserim in ea; namque à fortiori valet hìc argumentum; putà, si non debeat exponi copula ante dispensationem, aut ejus expeditionem habita, multò minùs habita post expeditionem. Quippè certum est, nihil tunc in dispensatione tacitum fuisse, quod explicandum necessariò foret, & proculdubiò tempore expeditionis preces veritate nitebantur, copulâ nondum habitâ: adeò, ut si copula fuisset exposita, preces falsæ fuissent.

De qua copula intelligatur Conclus.

Appositè dixit Reg. 78. de Reg. juris in 6. *Factum legitimè retractari non debet, licet casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari.* Sicut ergò Matrimonium legitimè contractum non dissolvitur propter supervenientem affinitatem, vel cognationem spiritualem, vel furorem aut simile impedimentum, quàmvis à principio Matrimonium, subsistente hujusmodi impedimento, contrahi non potuisset: sic itidem dispensatio, semel legitimè perfecta, nequit distrahi per supervenientem copulam, estò non fuisset concessa, si à principio copula interveniisset.

417. *Dispensatio non distrahitur per supervenientem copulam.*

Et ideò Matrimonium subsequens valet; imò licitum est, etiam sinè recursu ad Episcopum, quidquid dicat Rodrig. Sum. to. 1. in postrema edit. cap. 237. n. 7. ubi sic ait: Copula carnalis, habita inter consanguineos aut affines, obtentâ jam Romæ dispensatione, antequam executioni mandetur, & legitimè conjungantur, non facit irritam dictam dispensationem, si habita fuit, postquam examinata fuit causa ab Ordinario, & obtenta licentia ad contrahendum; quia jam hujusmodi sunt declarati habiles ad contrahendum, licèt in ipsa copula peccaverint, & sic non est necessarium recurrere ad Papam secundò, ut dicit Corduba de Cas. q. 45. in 5. & ult. puncto; sed sufficit recurrere ad Ordinarium, ubi est consuetudo recurrendi ad illum, pro dispensatione incestûs. Sic ille.

Licet Matr. subsequens sinè recursu ad Episcopum. Rodriguez.

Sed quid est opus dispensatione incestûs, ubi non est incestus? Porrò hanc copulam non esse incestuosam, ibidem videtur asserere Rodrig. dicens: In casu, quo Papa non daret licentiam Ordinario, aut Confessario ad dispensandum; sed ipsemet dispensaret, committens ipsimet executionem dispensationis, examinatâ priùs causâ, si prædicti habeant copulam, obtentâ dispensatione, antequam petatur licentia ab Ordinario ad contrahendum, non est necesse, ut recurrant iterùm ad Papam; quia verè si erant habiles ad contrahendum Matrimonium & licèt eorum copula fuerit illicita, non fuit incestuosa. Hæc ille.

418. *An illa copula sit incestuosa.*

Infero ego: ergò etiam non fuit incestuosa, quando habita fuit, postquam examinata fuit causa ab Ordinario, & obtenta licentia ad contrahendum. Quæ enim ratio disparitatis? Eam expectabo.

Videtur quòd non.

Atque ut fuisset incestuosa, nihilominùs nulla foret obligatio recurrendi ad Episcopum; cùm hodie consuetudine abrogatum sit hoc impedimentum, ut videre poteris Sect. 2. Conclus. 5. Undè benè dixit Eman. *Vbi est consuetudo recurrendi.*

Hæc ergò doctrina satìs certa est, & quasi ab omnibus recepta, quàmvis etiam dispensatio à Pontifice sub ea conditione fuisset concessa, ut copula non interveniret. Quia (inquit Sanchez sup. n. 5.) satìs ei conditioni paritum censeo, cùm antè dispensationis consummationem copula non adfuerit. Nam ea posteà contingens, vires dispensationis omninò consummatæ enervare nequit.

419. *Quid si dispensatio sit concessa sub conditione ne non copuletur, ex Sanchez.*

420. *Dispensatio non valet, secundùm Sanchium, tacitâ copulâ præcedente.*

Tota igitur difficultas eò pertinet, quando ea copula habita est inter consanguineos vel affines antè dispensationem à Papa concessam, vel post; priùs tamen, quàm Ordinarius illam expediat, vel Confessarius, quando dispensatio est in foro conscientiæ ipsi commissa. Et Sanchez quidem sup. n. 8. adhæret sententiæ longè, ut loquitur, veriori, quæ ait: reddi dispensationem subreptitiam, tacitâ eâ copulâ.

Fundamentum est stylus Curiæ.

Hujus legitimum fundamentum non est (inquit ille) quòd is incestus præbeat aliquod Matrimonio impedimentum. Nam contrarium est verius. Sed fundamentum est, stylus Curiæ, qui obtinuit, ut incestus hic declaretur. Nec falsæ præsumptioni (vel alterius impedimenti dirimentis, vel contracti Matrimonii, spe faciliùs dispensationem obtinendi) innititur; sed ejus ratio est; ut timore hujus manifestationis faciendæ, arceantur consanguinei & affines ab incestuosa copula. At ea, quæ stylus Curiæ servat, sunt necessariò in dispensatione explicanda.

421. *Probatur 2.*

Secundò: quia taciturnitas veri, quo expresso, Pontifex non solet concedere dispensationem eo modo, quo concessit, sed cum quibusdam moderationibus, reddit eam subreptitiam. At manifestato incestu, non solet Pontifex eodem modo dispensare, sed præcipiens pœnitentiam imponi contrahentibus, & longè majori compositione pecuniariâ, & moderando dispensationem hoc modo, ut superstes, eo Matrimonio soluto, non transeat ad aliud.

Tertia probatio.

Tertiò: quia etsi verum sit, in desuetudinem abiisse, peti dispensationem, ut incestuosus Matrimonium contrahat, id intelligendum est, quando cum alia fœmina ab ea, cum qua incestum commisit, vult contrahere. At quando cum ea vult, mentio incestûs est necessariò facienda ob prædictum Curiæ stylum, moderamina adhibere solentis. Propter quam etiam rationem, etsi aliàs possit Episcopus in hoc incestu dispensare; at nequit, quando illi consanguinei vel affines volunt inter se Matrimonium inire. Obstat enim stylus Curiæ, petens, ut in consanguinitatis vel affinitatis dispensatione, explicetur quòque is incestus, ne subreptitia sit.

422. *Quid si contingat post dispensationem antè executionem Ordinarij? Adhuc vitias.*

Quòd si dicas, his rationibus concludi, esse necessariò explicandum incestum, quando contingit antè dispensationem Pontificis, secùs autem, quando post: quòd jam nihil tacitum sit Pontifici, & detur veritas precum ipsi narratarum. Sed adhuc vitiari dispensationem, inde constat; quòd antè ejus dispensationis consummationem, quæ contingit per ejus executionem, factam ab Ordinario vel Confessore, cui committitur, mutatur casus in dispensatione contentus; cùm jam adjunctus sit casus, qui erat necessariò explicandus. Quare clausula: *Si preces veritate nitantur* refertur ad tempus concessionis Pontificis, & executionis Ordinarii vel Confessoris. Hucusque Sanchez pro sua sententia.

423. *Pontius existimat, taciturnitatem copulæ præcedentis non vitiare.*

Sed nunquid opponitur nostræ Conclusioni? Minimè gentium, ut patet ex illa particula: *Nisi obstet stylus Curiæ.* An autem obstet, hoc est, quod disputatur. Sanchez, ut audivimus, putat eum obstare: Alii negant. Audite Pontium lib. 8. c. 17. n. 32. Mihi (inquit) semper probabilissimum visum est, quòd si post copulam carnalem cum consanguinea impetretur dispensatio ad contrahendum Matrimonium, non factâ mentione de copula carnali, dispensatio valet, & non est subreptitia. Quia copula illa carnalis, si fuisset expressa, faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendam dispensationem. Quando autem tacetur veritas, quæ, si fuisset expressa, faciliorem reddidisset Pontificem ad concedendum rescriptum, non censetur subreptitium, juxtà doctrinam Glossæ in c. *Super literis*, de Rescriptis, verb. *Literas*. Quæ Glossa est communiter approbata, ut resolvunt ibidem Felinus n. 8. Decius n. 9. Berojus n. 75. Sic ille. Felinus. Decius. Berojus.

Legi Gloss. quæ ponit viginti casus, quibus expressio falsi, vel taciturnitas veri, vitiat rescriptum, & in fine dicit: *Generaliter ubicumq; talem veritatem tacuit, vel talem falsitatem expressit, quâ tacitâ, vel expressâ, Papa literas non dedisset, rescriptum inutile est.* Ergò si expressâ veritate Papa literas faciliùs dedisset, rescriptum utile erit.

424. *Non debet exprimi, quod induceret ad faciliùs dispensandum, ex Felino.*

Quod hisce verbis significat Felinus sup. Exprimenda sunt ea in rescripto, quæ possent movere animum Principis ad concedendum, vel ad non concedendum, vel ad difficiliùs concedendum. Et hoc ultimum probatur inf. eod. *Postulasti*, juncto cap. *Si motu*, de Præbend. in 6. Et istam regulam firmat hic Abbas circà Glossam majorem hìc. Considera, quòd in regula est illud verbum de mente Gloss. hìc, videlicet, *Ad concedendum.* Si enim intelligitur separatim, quòd sit facienda mentio de his, quæ inducerent Principem ad concedendum, istud non videtur verbum necessitatis, sed consilii. Imputabitur enim parti, si non obtinebit, cùm tacuerit media, quæ erant aptiora ad obtinendum: sin autem sinè illis obtinuit, adhuc minùs videtur ei imputandum. Sic ille.

425. *An doctrina Pontij sit vera, quando copula intervenit animo extorquendi dispensationem.*

Sed pergamus in Pontio: Atque hoc (inquit) quod de copula diximus, sinè dubio verissimum fuit antè Concil. Trident. ut docet Navar. in Man. lat. c. 22. n. 86. & in cap. *Si quando*, de Rescript. in 4. Except. Quæ etiam doctrina verissima fuit, etiam quando copula carnalis malitiosè intervenit, cum animo extorquendi dispensationem per illam copulam. Nam quàmvis in isto casu, expressâ copulâ pro causâ, debuit etiam exprimi prædicta malitia, ut docet Navar. in d. 4. Except. tamen si dispensatio fuit impetrata, tacitâ copulâ, & non exprimendo illam pro causa, potuit etiam taceri prædicta malitia, & dispensatio in isto casu procul dubiò non est subreptitia. Navar.

426. *Negat Navar. post Trid.*

Addit tamen Navarr. in Man. c. 8, n. 86. post Concilium Trident. sess. 24. de Refor. c. 5. modum istum impetrandi dispensationem propter copulam esse prohibitum, licèt anteà fuisset approbatus; atque adeò de hodierno stylo, dispensationem ad contrahendum Matrimonium per aliam causam censeri subreptitiam, si non fiat mentio de copula carnali.

Verùm

Affirmat Pontius.

Verùm hæc doctrina, meo judicio, abhorrere videtur à juris utriuſque principiis: Quia incongruum videtur, quòd copula carnalis, quæ olim movebat ad pietatem, & efficiebat faciliorem diſpenſationem, hodie ingerat difficultatem; & reddat difficiliorem diſpenſationem. Quare verius videtur, ut dixi, quòd etiam hodie, ſicut olim, copula carnalis inter prohibitos, non reddit diſpenſationem difficiliorem, ſed faciliorem, atque ideò non eſſe neceſſarium, in ſupplicatione copulam explicare, neque teneri eos, qui diſpenſationem petunt, ad interrogationem Ordinarii de copula reſpondere; ſed poſſe ſinè peccato negare, reticendo in mente; *Vt tibi dicam.*

427. *Quid ſi dicatur in reſcripto: Si copula non fuerit?*

Imò & quàmvis in reſcripto dicatur: *Si copula non fuerit*, ſi ea diſpenſatio ſit obtenta pro foro externo, adhuc valet, quàmvis negetur; dummodò ea copula non probetur in exteriori foro; quia ea clauſula intelligenda eſt juxtà naturam ejus diſpenſationis. Quæ omnia probabilia etiam judicat Tho. Sanchez loco cit. Undè meritò reprehendendi Ordinarii, qui, quando ea clauſula non apponitur, interrogant de copula habita.

Pontius dubitat, an ſtylus Curiæ officiat hic valori.

Nec me movet; quòd ſoleat exprimi copula de ſtylo Curiæ. Mihi enim, propter ea, quæ dixi, valdè dubium eſt, ex eo ſtylo effici, explicationem copulæ neceſſariam eſſe ad valorem diſpenſationis. Uſque adhuc Pontius.

Sed reverà, ſi ſtylus Curiæ ſoleat exprimere copulam, meritò, dicet aliquis, poterat ipſum movere, ut crederet, non obſtantibus iis, quæ dixit, explicationem copulæ neceſſariam eſſe ad valorem diſpenſationis, ſicut explicatio aliorum, quæ de ſtylo Curiæ ſolent exprimi. Vel detur diſparitas.

428. *Probatio ſententiæ Pontij, ex Dicaſt.*

Dicaſtillo hìc diſp. 8. n. 130. ubi ait, ſententiam Pontii ſatis probabilem eſſe, pro ratione affert: quia inceſtus neque eſt impedimentum, quod ratione ſui egeat diſpenſatione; neque jure præcipitur exprimi; neque enim præcipitur jure aliquo ſcripto, tale enim non conſtat; neque conſuetudine ſeu ſtylo Curiæ, ut volebant Averſarii; neque enim ſemper exprimitur, ſic conſulentibus viris doctis, quàmvis etiam aliquando exprimatur. Quando autem exprimitur, non eſt cauſa motiva ad negandam diſpenſationem. Et quàmvis ſit cauſa ad ſuperaddenda prædicta illa additamenta pœnitentiæ, pecuniarum &c. id non ſpectat ad cauſam motivam; quia non adduntur pro ipſa diſpenſatione conſanguinitatis aut affinitatis; ſed in pœnam copulæ. Ex quo patet ad fundamentum Adverſariorum. Hæc ille.

Reſp. ejus ad fundamentum Adverſariorum.

429. *Eadem ferè eſt reſp. Averſa.*

Eodem ferè modo reſpondet Averſa ſup. ſect. 6. dicens: Stylus Curiæ utique conſtare non poteſt de omnibus, qui diſpenſationem petunt. Quis enim ſcit, quot conſanguinei & affines diſpenſationem petant, & executionem ab Ordinario accipiant, præhabitâ inter ſe copulâ, nullâque ejus mentione factâ? Illi autem, qui hanc enarrant, id faciunt ex oppoſita opinione, vel ad majorem cautelam; ſed non propterea legem faciunt.

Neque hæc copula, per ſe loquendo, inducit majorem difficultatem Pontifici ad diſpenſandum; dum non ex odio, ſed ex fragilitate ſeu libidine habita ſit. Imò extante jam aliâ ſufficienti causâ, quæ exponitur, potiùs apta eſſet magis adhuc inclinare mentem Pontificis, ut conſtanter retinet Pontius n. 33. *Hæc copula habita ex fragilitate, non reddit diſpenſationem difficiliorem.*

Quòd ſi in caſu, in quo narrata fuerit, adhibetur major diſpenſationis moderatio, aut major impoſitio mulctæ: id fit, quia adducitur copula pro cauſa & motivo diſpenſandi; ideoque adhibetur major moderatio aut impoſitio, quàm ſi adducatur alia innocens neceſſitatis cauſa. Sive fit, ad plectendum peccatum inceſtûs, quod quidem dignum eſt pœnâ. Sic Averſa.

430. *Conſuetudo exprimendi copulam non eſt obligans.*

Igitur conſuetudo exprimendi copulam, non eſt obligans; quia ea expreſſio non fit animo inducendi obligationem; ſed ſatisfaciendi obligationi, ſi fortè ea ſit, ut Aliqui putant, & videntur declaraſſe Card. apud Ioan. Gallemart ad Trid. c. 5. ſeſſ. 24. de Refor. Matr. hiſce verbis: *Intrà gradus prohibitos, qui ſe cognoverunt carnaliter, ſinè tractatu & conditione Matrimonij, poſteà volentes Matrimonium contrahere, & petentes ſecum diſpenſari in aliquo impedimento, & tacentes ſe carnaliter cognoviſſe: ſi obtineant ex aliqua cauſa non probata diſpenſationem, poteſt ea dici ſubreptitia, & ſic nullam obtinuiſſe diſpenſationem, eò quòd non narraverint cognitionem carnalem.* *Declar. Card. pro obligatione.*

431. *Prima reſponſio.*

Reſpondetur Primò: obſcuram eſſe hanc declarationem, propter illa verba: *Ex aliqua cauſa non probata*; niſi fortè ſit error typographi, & debeat legi: *Iam probata.* Alioquì verè diſpenſatio erit nulla, utpotè quæ careat juſtâ causâ, ſive quæ habeat cauſam non probatam; eò quòd cognitio carnalis foret complementum ſeu pars cauſæ, & tamen non fuerit narrata. Noſtra autem Concluſ. loquitur de caſu, in quo adſunt aliæ ſufficientes cauſæ, quæ ſolæ, abſque allegatione copulæ, valeant obtinere diſpenſationem.

Secunda. Tertia.

Reſpondetur ſecundò: de illa Declaratione non conſtare nobis authenticè. Et tertiò, ut ait Dicaſt. ſup. Congreg. Cardinalium ſecutam fuiſſe probabilem quidem & tutiorem ſententiam; ſed non ideò probabiliorem.

432. *Reſpondetur ad praxim Epiſcoporum.*

Et ſimiliter reſponderi poſſet ad praxim Epiſcoporum, qui in expedienda & exequenda diſpenſatione ſolent interrogare ſponſos, num habuerint inter ſe copulam, quam ſi fatentur, non exequuntur diſpenſationem. Dici, inquam, poteſt, eos ſequi ſententiam probabilem quidem & tutiorem, non tamen probabiliorem, niſi exprimatur in diſpenſatione Pontificia hæc conditio: Si copula non intervenerit. Tunc enim ſi diſpenſatio obtenta ſit pro ſolo confcientiæ foro, & commiſſa Confeſſario, ut ſolet: reverà (inquit Averſa ſup.) obſtat copula, ſive præhabita ſit antè conceſſionem literarum à ſacra Pœnitentiaria, ſive poſt illam, ſed antè executionem à Confeſſario: quia ea clauſula refertur ad totum id tempus uſque ad executionem. Atque adeò non poterit talis diſpenſatio executioni mandari. Et ſponſi tenentur veritatem fateri

Obſtat copula, ſecundùm Averſam, ſi addatur hæc conditio: Si copula non intervenerit.

Con-

Confessario. Quod si non fecerint, executio erit nulla, & Matrimonium irritum.

433. *Etiam in foro externo, si ibi sit probata, secus si sit occulta.* Si verò dispensatio obtenta sit pro externo etiam foro, & commissa Ordinario: tunc pariter obstabit copula, si sit publica, seu in foro externo apud Judicem probata. At si sit occulta, tunc nec etiam obstabit; & Ordinario interroganti non debebit aperiri, ac poterit etiam cum juramento denegari, absque perjurio aut mendacio; nempè intelligendo in mente, non habui copulam, ut eam in judicio proferam.

Henriquez. Sa. Pontius. Sanchez. *Probabil.* Imò nec debet Ordinarius interrogare, nisi habeat ejus delationem & indicia. Ita notant Henriquez, Sa, Pontius, & Sanchez quòque, stando in eadem sententia tamquam probabili. Et ratio est: quia illa ipsa clausula intelligi debet juxtà conditionem ipsius expeditionis: quare dum dispensatio concessa est pro foro externo, clausula quoque intelligitur, dummodò non interceserit copula, quæ constet in foro externo; & ita non constante in foro externo, firma & valida erit dispensationis executio. Sic præfatus Auctor.

434. *An hæc clausula: Si copula &c. sit verè conditio.* Henriquez. Sed interrogo ego unum aut alterũ verbum. Illa clausula: *Si copula* &c. adjicitur per modum veræ conditionis, à qua pendeat valor dispensationis? Henriquez lib. 12. de Matr. c. 2. n. 7. in Comment. lit. X. ait: Nunquam addi solèt id per modum conditionis; sed ut modus & onus, quod Ordinarius, cui dispensatio committitur, examinare debet.

Sed undè hoc constat? Vel si solùm adjicitur ut modus; ergò, eo non servato, adhuc valet dispensatio. Quippè modus non suspendit valorem actûs, cui adjicitur. Dicit autem ibi Henriquez in textu n. 6. Valet in foro conscientiæ dispensatio cùm affine vel cognata, quàmvis dolosè occultetur crimen incestûs: quia taciturnitas veri tunc tantùm reddit subreptitiam dispensationem, quando expresso jure dicitur exprimenda: quod non contingit in proposito casu. Posset tamen judex in foro exteriori impedire à contrahendo illo Matrimonio, si incestus testibus comprobetur; præsertim ob sequentes præsumptiones, quæ augent difficultatem ex stylo Curiæ Romanæ.

435. *Præsumptiones, ob quas in foro externo posset Matr. impediri.* Rogas: quæ sint istæ præsumptiones? Ob incestum (inquit) adulteri potest esse præsumptio de impedimento alio dirimente. Primò, quòd datâ fide Matrimonij, adulterium commisit: aut quòd cum adulterio intervenerit occisio conjugis defuncti, ut inter se contraherent. Secundò præsumitur, quòd in fraudem vir obtinuit virginem cognatam, eo fine, ut faciliùs excitaret misericordiam Papæ ad dispensandum, ne virgo maneat dehonorata. Tertiò præsumitur, affectu maritali tentasse, ut Matrimonium præsumptum consummaret cum cognata. At in foro conscientiæ cessant præsumptiones, & valet dispensatio: nisi fortè Papa commiserit Ordinario, dispensare sub hac expressa conditione: *Si modò copulam inter se non habuerint.* Hactenùs Henriquez.

Illa clausula: Si copula &c. aliquando adjicitur per modum conditionis. Ergò in foro conscientiæ aliquando adjicitur illa clausula per modum conditionis, quæ suspendat valorem dispensationis ad ejus eventum. Si in foro conscientiæ, cur non etiam in foro externo? Ex quo patet, quare dixerim in Concluſ. *Aut concessa sit sub conditione* &c. Quia videlicet tali casu dispensatio non valet, si reverà copula intervenerit, vel externa pro foro externo, vel occulta pro foro conscientiæ. Quippè dispensatio conditionalis deficit, deficiente conditione, sicut alia quælibet dispositio conditionalis.

436. *Expenditur præfata doctrina.* Nunc quæro: Papa dispensans pro foro externo, aut committens executionem Ordinario, censes, quia etiam dispensat pro foro conscientiæ, aut committit executionem etiam pro foro conscientiæ? Videtur omninò affirmandum. Neque enim solet duplex peti aut concedi dispensatio à Pontifice, una pro foro externo, & altera pro foro conscientiæ. Dispenset ergo Papa, aut committat dispensationem Ordinario, *Nisi intervenerit copula*; nunquid valet dispensatio in utroque foro, si copula fuerit occulta, ita ut nequeat in foro externo probari? Vel si valida in foro tantùm externo; ergò Matrimonium subsecutum in foro conscientiæ est invalidum; ergò si velint contrahere licitè & validè, tenentur occultam copulam confiteri Ordinario æquè ac Confessario, qui solùm dispensat pro foro conscientiæ. Siquidem Ordinarius etiam dispensat pro foro conscientiæ. Hæc dispice.

437. *Quid Navarr. censeat de hac expressione copulæ.* Et antequam pergamus ad alias difficultates, operæ pretium erit intelligere, quid Navarrus censuerit de hac expressione copulæ, quam (ut vult Pontius sup.) docet, non fuisse necessariam ante Concil. Trident. secùs post Concilium. Hæc sunt ejus verba in Manuali lat. cap. 22. n. 86.

Quinto dicendum est; quòd licèt olim faciliùs dispensabatur cum impeditis, qui jam etiam scienter contraxerant, & consummârant Matrimonium; hodie tamen jure Concil. Tridentini difficiliùs dispensatur, cujus câ de re verba sunt: *Si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat. Idq; in eo magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit* &c.

438. *Hodie consummatio illiciti Matr. facit dispensationem difficiliorem.* Ex quibus colligitur, quòd consummatio illiciti Matrimonii, quæ olim inclinabat Papam ad dispensandum, hodie retrahit: quia omnis expressio falsi, moventis Principem ad gratiam concedendam, nocet; non autem quælibet taciturnitas veri, idem facientis; sed solùm ea, quæ tacet verum, quod jura jubent exprimi, secundùm Rot. in noviss. decis. 32. de Rescript. n. 5. pro quo facit optimè l. 2. C. de Episc. audient.

439. *Taciturnitas veri aliquando æquipollet expressioni falsi. Probatur exemplo.* Cui addiderim, idem videri dicendum, de tacente ita verum, quod æquipollenter exprimit falsum; quia de æquipollentibus idem est judicium; qua de re posuimus exemplum in Prælect. cap. *Si quando*, de Rescript. Except. 4. de Monacho monito à Banchario, quòd Papa non concedit ei gratiam transeundi ad regulam laxiorem,

rem, nisi noverit, eum, habitu dimisso, apostatasse, qui, omisso uno vel altero die, se præsentat Banchario, quo informet Papam de ejus apostasia, ut moveatur ad concedendam ei illam gratiam: is enim licet expressè non exprimat falsum, tacitè tamen sic, subindicando, quòd non dimisit habitum, ut impetraret illam, sed ob alias causas, quibus multi temerè dimittunt; & qui impetrat dispensationem contrahendi cum cognata, cum qua rem habuit, tacito incestu, videtur æquipollenter tacitè dicere, quòd non commisit illum; & ita æquipollenter exprimit falsum, & consequenter gratia efficitur nulla. Sic ille.

440. *Loquitur Navar de sola copula, quæ est consummatio illiciti Matr. Pontius.*

Qui manifestè loquitur, non de omni copula carnali, ut perperam eum videtur intelligere Pontius sup. allegatus, sed de sola copula, quæ est consummatio illiciti Matrimonii, conformiter ad Trid. quod citat. De qua utique copula idem sentit Pontius sup. n. 34. dicens: Neque obstat textus d. Concilij Trid. in d. c. 5. Nam expressè loquitur, quando inter prohibitos intervenit copula carnalis, cum animo de facto consummandi Matrimonium, anteà inter illos scienter contractum. Nam quemadmodum Matrimonium ipsum scienter contractum reddit difficilem dispensationem; sic à fortiori reddere debet difficiliorem, si fuerit copulâ carnali consummatum. Id quod etiam ante Concil. Trid. dicendum erat, ex bene fundata juris Pontificii doctrina. Undè colligitur, quòd Concilium Trident. nihil innovare voluit, quando copula carnalis intervenit sine Matrimonio. Ita Basilius.

441. *Navar. non docet Trid. hic aliquid innovasse, quando copula intervenit sine Matr.*

Sed nunquid Navarrus docet, Concil. Trident. aliquid innovasse, quando copula carnalis intervenit sine Matrimonio? Claret profectò, quòd non: tum ex verbis sup. relatis; tum ex lib. 4. Consil. in 1. edit. tit. de Consanguinitate cons. 1. & 5. & tit. de Sponsi. consil. 2. Et in 2. edit. tit. de Consang. cons. 8. 9. 10. & 11. ubi in terminis docet, copulam carnalem non esse exprimendam, & dispensationem obtentam non esse subreptitiam; sed Matrimonium desuper contractum esse validum. Quid ergo? Solùm asserit, hodie post Trid. difficiliùs dispensari, quando fuit consummatio illiciti & invalidi Matrimonii, quàm olim. Et licèt Pontius oppositum putet dicendum, ex benè fundata juris Pontificii doctrina; silet equidem, & non enarrat, quæ sit ista benè fundata doctrina.

442. *Dispensatio est subreptitia, quando tacetur matr. scienter contractum.*

Constat ex Trident. sup. allegato, quòd hodie scienter contrahentes Matrimonium intra gradus prohibitos, in pœnam sui delicti spe dispensationis consequendæ careant. Vellem videre aliquod jus Pontificium, in quo hæc pœna ante Trident. constituatur, ut fidem habeam dicto Pontii. Igitur nulli dubium esse potest, quin dispensatio sit subreptitia, quando tacetur Matrimonium, scienter contractum; satis enim constat ex Trid. Pontificem nolle dispensare, quàmvis absolutè posset. Idemque dicendum est de illis, qui ignoranter contraxerunt, sed neglectis solemnitatibus requisitis: secùs de illis, qui ignoranter, servatis solemnitatibus.

Patet ex Trid. sup. ibi: *Quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis.* Rationem addit: *Non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit.* Sequitur. *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod posteà subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo & gratis dispensari poterit.* *Quid si ignoranter fecerint? Aliquando valet, aliquando non, ex Trid. sess. 24. c. 5.*

Quod Decretum (inquit Sanchez sup. n. 21.) etsi Pontificem instruat de modo concedendæ dispensationis, nec ejus manus ligare possit, non est modici momenti. Tum, quia Pontifex passim in hoc eventu dispensans absque causa justissima, reus erit culpæ lethalis. Tum etiam; quia dispensatio impetrata, non factâ mentione Matrimonii, intra gradus prohibitos scienter initi, aut ignoranter omissis denuntiationibus, &, si consummatum sit, consummationis quoque, erit subreptitia. Quia (inquit idem Auctor lib. 3. disp. 45. n. 3.) eo ipso quò Concilium decernit, hos contrahentes spe dispensationis carere debere, constituit hujusmodi Matrimonium impedimentum esse ad dispensationem impetrandam, & consequenter tacitè jubet illud exprimi. Sic ille. 443. *Quid operetur id Decret. Trid. ex Sanchez.*

Et Aversa sup. sect. 6. circà princip. Licèt Concilium non voluerit, nec potuerit auferre Pontifici potestatem dispensandi in quovis hujusmodi casu, saltem adstringit partes, ad exponendum defectum, ut Pontifex videat, si adhuc dispensare velit. Ita hic Auctor. Estque sententia communis, de qua statim latiùs. *Itemque ex Aversa.*

Tantùm præmitto, Pontium sup. n. 33. perperam pro sua sententia, quæ est nostr Conclusio, citare Gutierrez qq. Canon. lib. 1. cap. 15. n. 11. ubi solùm dicit: duos Theologos suæ civitatis fuisse in ea sententia. Addit: quinimo & juxta eam in una causa bis fuisse pronuntiatum, mihi renuntiatum est. Interim n. 16. adhæret oppositæ opinioni, quam existimat veriorem, & tenendam in judicando, & consulendo, permaximè, quando copula fuit habita ante facultatem, & commissionem dispensandi. Eamque probat potissimùm ex stylo Curiæ, sup. n. 18. 444. *Pontius male citat pro se Gutierrez.*

Et n. 25. sic ait: Nec obstat id, quod diximus (pro opinione Pontii) duabus sententiis, in una causa latis, contrariũ fuisse decisum; ibi namque conjuges litigantes asserebant, ante dispensationem, ab Ordinario factam, se carnali copulâ cognovisse, ideoque Matrimonium nullum fuisse prętendebat actor, & illis non erat credendum in fraudem Matrimonii; ideoque pro Matrimonio judicatũ fuit. Vel fortè prędicta copula fuit negata, & non probata. Vel, quidquid sit, dicendum est, illis Judicibus non constitisse de praxi Rom. Curiæ & Declaratione Cardinalium. Quòd si illis hoc liqueret, non est credendum, id judicaturos, si de interventu copulæ eisdem legitimè constaret. *Quid hîc docent.*

Et cùm hic casus Civitatens. contigisset; Ordinarius hujus Episcopatûs anxius & dubius, quid facere deberet, pro varietate opinionum, 445.

Responsum Nuntij Apostolici.

consuluit super eo Nuntium Apostolicum atque Legatum à latere, in Curia Regis nostri Philippi residentem, cujus Abbreviator manu propriâ respondit (jussu, ut creditur, d. Nuntii) *Han de bolver à suplicar à su Santidad, que los absuelva*, ut propriis oculis vidi, & legi Epistolam præfati Ordinarii, ubi quærebat, an hi possent contrahere prædictum Matrimonium, & responsionem prædictam subscriptam à Io. Genesio Abbreviatore præfato.

Cui adhæret Gutierrez.

Quòd si hæc responsio vera est, quàmvis non sit decisio Summi Pontificis ; satis tamen sufficiens testimonium est usûs ac praxis Rom. Curiæ in hujusmodi casu. Quamobrem persuaderi poterit hæc nostra sententia, tamquam verior, & contraria, ut nec satis secura, repelli atque dissuaderi. Hactenùs Gutierrez.

446. *Sententia Pontij plurès pro se habet Auctores.*

Quâ ergo fronte adducit eum Pontius sup. ut Lector sciat, se tutò sequi posse suam sententiam ? Si pro se non haberet alios Auctores, herculè ex auctoritate parùm tuta foret. Habet tamen Alios satis multos, quos vide apud ipsum sup. & Sanchium lib. 8. disp. 25. n. 6.

Revertor ad d. Decretum Tridentini, ex quo, ut patet ex supradictis, sequitur manifestè hæc Conclusio :

CONCLUSIO IX.

Si post Matrimonium, scienter contractum intrà gradus prohibitos, impetretur, aut expediatur dispensatio, non factâ mentione de Matrimonio, dispensatio non valet. Idem ; si ignoranter, non servatis solemnitatibus : secùs si ex ignorantia probabili, servatis solemnitatibus.

447. *Probatur Conclus.*

RAtio jam suprà allegata fuit ; quia eo ipso, quòd Trident. sess. 24. de Reform. Matr. c. 5. statuit, ut contrahentes in duobus primis casibus careant spe dispensationis, tacitè petit expressionem Matrimonii ; jam autem taciturnitas ejus, quod jura exprimi volunt, reddit dispensationem subreptitiam, juxtà Omnes ; tametsi Princeps, ea qualitate cognitâ, nihilominùs eâdem facilitate dispensasset ; multò magis, quando difficiliùs aut nullatenùs dispensasset, vel certè non nisi adhibitis quibusdam moderaminibus, ut hìc contingit, Igitur Matrimonium necessariò exprimi debet, & magis consummatio ejus, si & ipsa intervenerit ; quia, ut patet ex verbis Trid. pœna ibi statuta in eo multò magis locum habet, qui Matrimonium etiam consummare ausus fuerit.

448. *Quid si dolosè contraxerint ? Et hoc debet exponi. ex Aversa.*

Sed quid, si dolosè eo animo & fine contraxerint, aut etiam consummaverint Matrimonium, ut hâc de causâ impetrarent posteà dispensationem, quasi necessitatem quamdam injecturi Pontifici ad dispensandum ? Debent (inquit Aversa sup. §. *Quòd si*) id quòque totum exponere, quoniam adhuc magis difficilem sibi dispensationem, seque illâ magis indignos reddiderunt, ut communiter DD. advertunt. Hæc ille.

Probatur ex Sanchez.

Et Sanchius sup. n. 22. probat hanc doctrinam. Quia Trident. d. c. 5. ideò statuit, ut scienter contrahens id Matrimonium, careat spe dispensationis, ad compescendam multorum audaciam, qui, eâ spe freti, inibant ac consummabant Matrimonia, non obstante impedimento detrimente. Quare Trid. volens punire eam deordinatam spem facilioris dispensationis, ex facto ipso præsumptam, à fortiori formalem ipsam spem puniet, volens ipsam explicari. Sic ille

449. *Idem tenuit Navar.*

Post Navar. cap. *Si quando*, de Rescript. except. 5. n. 5. ubi hæc scribit. Alii verò consulti, quomodo impetrabunt dispensationem contrahendi Matrimonium in secundo gradu æqualis lineæ, vel tertio ; respondent, si priùs Matrimonium de facto contraxerint, & consummaverint. Contrà quod nuper Sacrosanctum Concil. Tridentinum statuit, ut non dispensetur in Matrimonio, scienter contracto in gradu prohibito, si contrahentes illud consummare ausi fuerint ; eâ ut credimus ratione, quòd multi consummabant, quò faciliùs cum eis dispensaretur.

Alia item id genus similia multa respondent, parùm considerantes, quòd iis casibus non solùm oportebit mentionem facere.... contracti malè Matrimonii scienter ; sed etiam fraudis, quâ graviter peccando sunt usi, ut benignior in eos esset Rom. Pontifex. Alioquì enim hujusmodi indulgentiæ & dispensationes, ipso jure inutiles erunt : apud Deum quidem, qui omnia novit, & in foro conscientiæ simpliciter ; apud homines autem tantùm, si & quatenus ea fraus probari potest. In judicio siquidem humano de non existentibus, & non apparentibus idem judicamus. Ita. Navar.

450. *An sufficiat fraus, ex parte unius ? Negat Sanchez.*

Rogas : an sufficiat spes ex parte unius, & similiter scientia ? Respondet Sanchez sup. n. 30. & 31. non sufficere ad incurrendam pœnam Tridentini, & sic, ut sit necessaria mentio Matrimonii, ejus consummationis, aut spei jam dictæ. Quia (ut ait lib. 2. disp. 40. n. 4.) non est æquum, puniri innocentem ob alterius delictum. Et eamdem rationem hìc adducit.

Probatur opposita sententia.

Sed non convincit ; ut ostendimus Concl. 3. & ideò opposita sententia etiam est probabilis, & fortè probabilior ; quia scientia & spes ex parte unius sufficiunt, ut ista pars puniatur, estò inde altera pars innocens patiatur aliquod damnum. Vide dicta loco statim citato.

451. *Bona fides unius non sufficit ad faciliorem dispensationem, ex Sanchez.*

Putat autem Sanchez sup. bonam fidem unius partis non sufficere, ut Matrimonium, sic contractum & consummatum, præstet causam facilioris dispensationis juxtà id Decretum ; contrà Henriquez lib. 12. de Matr. c. 3. n. 8. in Com. lit. S. ibi : Ne facilè dispensetur, benè tamen faciliùs, quez. Henri-

faciliùs, ait Trid. Si factis denuntiationibus contraxit, & posteà scivit occultum impedimentum..... Et satis est, quòd alter conjugum bonâ fide contraxit, per ignorantiam facti aut juris probabilem.

Probat. Sed hoc, sicut dixi, non placet Sanchio. Quòd, inquit, aliud sit, pœnam incurrere, ad quod malitia utriusque desideratur, ne innocens ob alterius scelus plectatur: & aliud gratiam consequi: quod bonam utriusque fidem petit.

451. *Subscribit sententiæ Navarri.* Quare meritò Navar. sup. consil. ult. ad hanc quæstionem: An dispensatio de contrahendo Matrimonio, non obstante quarto gradu consanguinitatis, cum supplicatione, quòd ignorantes impedimentum contraxerunt Matrimonium, valeat, si vir sciebat, vel scire tenebatur impedimentum, quod tamen fœmina penitùs ignorabat? Meritò, inquam, respondet, Primò: decisionem hujus quæstionis pendere ab illa, an ignorantia impedimenti fœminæ efficiat, ut ipsa & vir dicantur ignorasse impedimentum; & puto quòd non, & quòd vir indiget revalidatione dispensationis: & quia id jam scit mulier, indigebit & ipsa. Secundò: quòd dispensatio prædicta non prodest viro, nec per quamdam consequentiam uxori, propter indivisibilitatem & unionem hujus Matrimonii. Sic ille.

452. *Aversa sequitur Sanchium.* Sanchium sequitur Aversa sup. §. *At si*, dicens: At si ex duobus contrahentibus unus contraxit scienter, & malâ fide, alter ignoranter, & bonâ fide: item si unus sic contraxit animo & fine faciliùs obtinendi dispensationem, alter absque tali animo; tunc non oportet quidem exponere Matrimonium, scienter & tali animo contractum: quia satis est alterum fuisse talis defectûs immunem, ne subire debeat difficultatem dispensationis obtinendæ. Sed nec licebit exponere, se ignoranter & bonâ fide contraxisse: quia satis est, unum fuisse compotem scientiæ seu doli, ne facilitate gaudeat. Quare exponenda erit res, sicut se habuit. Sic Aversa.

453. *An exponi debeat bona fides utriusque; ex Aversa.* Quid ergò, si utraque pars contraxit bonâ fide, sive cum ignorantia probabili, & servatis solemnitatibus: nunquid & id exponendum erit? Respondet idem Auctor §. *Si verò*: Si aliqui bonâ fide ignorantes suum impedimentum, & præmissis Ecclesiæ solemnitatibus, vel de licentia Episcopi legitimè prætermissis, contraxerint, & posteà impedimentum detegant: possunt quidem id totum exponere, idque faciliorem aditum præbet ad obtinendam dispensationem, ut decernit idem Concilium: tamen non tenentur id exponere, dummodo aliam sufficientem causam proponant: quia dispensationi non nocet, tacuisse id, quòd majorem facilitatem præbebat ad eam impetrandam.

Quid si in Matr. bonâ fide contracto, malâ fide perseverent? Non sunt indigni dispensatione, juxtà Pontium. Ac etiamsi illi, qui bonâ fide contraxerant, posteà, detecto impedimento, perseverent in Matrimonio, adhuc eadem regula procedit, ut advertit Pontius lib. 8. c. 17. n. 39. ibi: Quod etiam procedit, quàmvis, postquam supervenit scientia de impedimento, perseveraverint in Matrimonio & in copula. Quia in hoc casu, sicut non habet locum pœna d. Clement. de Consang. ut docet Glossa ibi, verb. *Contrahere*, communiter approbata; ita etiam non habet locum pœna d. Concil. Trid. & non efficiuntur indigni dispensatione.

Exscribo verba Glossæ ut quisque videat, an Pontius verum dixerit. Sic inquit Gloss. d. verb. *Contrahere*: *Non punit ergò incestum, vel votum, sed contractum, ut sic contrahens ligetur, licèt non consummet.* Per quæ verba non aliud significatur, quàm sufficere ad pœnam, ibi constitutam, solum contractum absque ejus consummatione. 454. *Expenditur probatio ejus, desumpta ex quadam Glossa.*

An autem sufficiat, perseverare in Matrimonio anteà contracto, ibi non disputat. Sed statim interrogat. *Quid si non contraxit Matrimonium, sed sponsalia tantùm? Arg. quòd ligetur, ff. de Sponsal.* Orationi, *ubi prohibitio nuptiarum includit sponsalia. Ad idem de Eo qui duxit in Matr. c.* Cum haberet; *ubi æquiparantur sponsalia & Matrimonium. Non puto ligari, cum constitutio sit pœnalis, & verba hoc non importent: quod verum puto, nisi consummaverit per copulam carnalem: quia tunc ligatur, quasi tunc contraxisse videatur, de Sponsal.* Veniens & c. Is qui.

Sed nunquid etiam contrahere videtur, qui perseverat in Matrimonio, anteà invalidè contracto, quod rescindere deberet; nec solùm in Matrimonio, sed etiam in copula? Censen', qui retinet rem alienam bonâ fide acceptam, quando tenetur eam restituere, censen' inquam, quòd non subjaceat pœnæ, constitutæ illi, qui eam primò accepit malâ fide? Nonne retentio rei alienæ, invito rationabiliter Domino, æquivalet primæ ejus acceptioni? An fortè minus peccat, qui malâ fide permanet in Matrimonio, & in copula, quàm qui primò malâ fide contrahit, & copulatur? Cur ergò non subjiciatur eisdem pœnis? 455. *Oppositum ex ea videtur colligi.*

Audio Glossam, d. Clement. unicâ, non verb. *Contrahere*; sed verb. *Scienter*, sic interrogantem: *Sed quid si contraxit ignorans: post tempora scivit, & cohabitavit cum consanguinea? Videtur ligari arg. 1. quæst. 1. Eos, in fin.* Accipere enim est quandocumque accipere. *De Simon.* Sicut tuis, ibi: *Nihil debet tibi ad pœnam vel culpam (sicut credimus) imputari: nisi posteà consenseris, pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam.* 456. *Confirmatur ex alia Glossa.*

Ubi Gloss. verb. *Consenseris*, inquit: *Nam si consensisset simoniam commisisset, quia consentire est quandocumq; consentire, & antè, & post, 1. q. 1. Eos, in fin. & q. 3. Si quis præbendas, & cap. Si quis objecerit. Quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur.*

Et ideo scriptum est l. 3. Cod. de Incestis &c. *Si Dominus loci hos fieri permisit, vel posteà cognitum celavit, si quidem in agro id factum est, fundus cum mancipiis & pecoribus, cæteriscque rebus, quæ cultui rustico sustinentur, fisci juribus vindicetur.* Ubi Gloss. verb. *Cognitum celavit*, ait: *Et nota hâc & sequenti lege, tantumdem esse, sive quid sciam ab initio esse, sive posteà sciam, si patiar.* *Item ex l. 3. Cod. de Incestis &c.*

Do verba sequentis legis, quæ magis serviunt nostro proposito. *Qui contra legum præcepta, vel contra mandata constitutionesque Principum,* 457. *Et leg. 4. eod.*

nuptias fortè contraxerit : nihil ex eodem Matrimonio, sive ante nuptias donatum, sive deinceps quomodo quomodo datum fuerit, consequatur : idq; totum, quod ab alterius liberalitate in alterum præcesserit, ut indigno indignæve sublatum, fisco vindicari sancimus, exceptis tam fœminis, quàm viris, qui aut errore acerrimo, non affectato, simulatoue, neque ex vili causa decepti sunt, aut ætatis lubrico lapsi : quos tamen ita demùm legis nostræ laqueis eximi placuit, si aut errore comperto, aut ubi ad legitimos pervenerint annos, conjunctionem hujusmodi sinè ulla procrastinatione diremerint. Ubi, ut vides, non solùm in ordine ad culpam, sed etiam pœnam æquiparantur, primò contrahere damnatas nuptias, & eas, detecto errore, non dirimere. Quidni idem dici possit & debeat in nostro casu ?

458. *Responsio Glossæ pro sententia Pontij.*

Quia (inquis) ut notat Gloss. Clement. un. verb. *Scienter*, ista constitutio non punit cohabitationem vel incestum, sed contractum. *Facit* (audis d. Glossam) *ff. de His qui not. infam.* Quid ergò, *in principio. Cod. de Vsucap. transfor. l. 1. ad fin. ff. de Vsur.* Qui scit, *in fin. & ff. de Bonis lib.* Qui cum major. *Et de Minori. l. 3. §.* Scio. *Sicut qui ignoranter eligit indignum, licèt postea sciat, non incurrit pœnam Concilii* : Cum in cunctis, *de Elect. cùm in hoc ponderetur initium, cod. tit.* Dudum. *Probatur hæc solutio ex eo ; quia sinè judicio Ecclesiæ ab illa divertere non posset, de Divort.* Porrò, *cum suis concord. Fateor tamen, quòd peccat cognoscendo, & sic loquuntur contraria, de Sent. Excom.* Inquisitioni. Sic Glossa pro sententia Pontii & Aversæ.

Impugnatur.

Sed contrà facit, quòd jura superiùs adducta, non tantùm loquantur de peccato ; sed etiam de pœna, ut patet ex verbis eorum fideliter relatis.

459. *Resp. ad l. 13. ff. de His qui notan. infam.*

Ad l. *Quid ergò*, 13. ff. de His quo notan. infam. *Quid ergò si non ducere sit passus : sed postea quam duxit, ratum habuerit, ut puta initio ignoravit talem esse, postea scit ? Non notabitur.* Patet responsio ex verbis sequentibus : *Prætor enim ad initium nuptiarum se retulit.* Igitur, ut ibidem in margine notatur ad l. præcedentem : *Initium rei spectandum in iis, in quibus lex aut dispositio initium spectari jubet* : prout contingit in casu d. l. 13. Ostendat Gloss. ubi lex aut dispositio jubeat, etiam in casu nostro spectare initium. Gloss. in d. l. verb. *Retulit* ; *Nota*, inquit, *quòd ratihabitio non trahitur retrò*, scilicet in casu d. l. *Sed regulariter contrà.*

460. *Resp. ad alia duo jura, scilicet correcta esse per jus Canonicum.*

Porrò d. l. 1. Cod. de Usucap. & l. *Qui scit*, de Usuris, solùm probant, in usucapione aliquando sufficere bonam fidem ab initio, etsi postea superveniat scientia rei alienæ. Sed hæ leges, & similes, correctæ sunt per jus Canonicum, cap. fin. de Præscript. ibi : *Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Ergò in præscriptione seu usucapione, perinde est, ab initio habere conscientiam rei alienæ, & postea scientiam rei alienæ supervenire. Ergò nec dd. leges quidquam faciunt pro sententia Glossæ.

Sed neque l. *Qui cum major*, 14. ff. de Bonis libertorum, ut satis apparet ex contextu verborum, qui talis est : *Sed si minor quidam instituerit accusationem, major autem factus sententiam acceperit, benignè erit dicendum, ignoscì ei debere, quia minor cœpit. Neque enim imputare ei possumus, cur non deserit accusationem, vel cur abolitionem non petierit, cùm alterum, si feciſſet, in Turpillianum incideret : alterum non facilè impetretur. Certè si abolitione publicè datâ, repetit jam major, dicendum est, hunc esse removendum : major enim factus potuit sinè timore deserere abolitam accusationem.* 461. *Nihil etiam probat l. 14. ff. de Bonis libert.*

Infero ego : ergò consimiliter in casu nostro, qui, habitâ scientiâ impedimenti, potest facilè divertere seu rescindere Matrimonium, sive judicio Ecclesiæ, sive absque eo ; & nihilominus eligit permanere tam in contractu, quam in copula, non erit benignè dicendum, ignoscì ei debere ; sed potiùs dic, incurrere pœnam constitutam iis, qui scienter ab initio contrahunt : potuit enim sinè timore Matrimonium suum deserere. Et sic patet solutio ad ultimam probationem Glossæ.

Venio nunc ad l. 3. ff. de Minorib. §. *Scio etiam illud aliquando indicisse : Minor 25. annis* 462. *Quid dicendum ad l. 3. ff. de Min.* *miscuerat se paternæ hæreditati : majorq; factus exegerat aliquid à debitoribus paternis : mox desiderabat restitui in integrum, quò magis abstineret paternâ hæreditate : contradicebatur ei, quasi major factus comprobasset, quod minori sibi placuit. Putavimus tamen restituendum in integrum, initio inspecto.*

Ubi Gloss. verb. *Restituendum*, inquit : *Imò videtur, quòd non sit restituendus, ut sup. prox. §.* sequentis tenoris : *Si quis cum minore contraxerit, & contractus inciderit in tempus, quo major efficitur, utrùm initium spectamus, an finem ? Et placet (ut est & constitutum) si quis major factus comprobaverit, quod minor gesserat, restitutionem cessare.*

Ergò neque hæc lex multùm favet Glossæ. Solùm ex ea colligitur, in aliquibus casibus, jure ita disponente, inspici debere initium, & non finem ; porrò in casu nostro nuspiam gentium tale jus reperitur. *Non multùm favet Glossæ.*

Ex quo etiam patet responsio ad simile sup. à Glossa adductum, de electione indigni ; nam habemus clarum jus, quod ait : in electionibus initium esse spectandum, scilicet, cap. *Dudum*, de Elect. ibi : *Vel per ea, quæ jam dicta erant, constaret, quòd Præpositus S. Georgii electionis tempore pateretur vel in Ordinibus, vel in scientia, vel in ætate defectum* &c. Ubi Gloss. verb. *Electionis tempore*, inquit : *Nota, quòd in hujusmodi electionibus tempus electionis spectatur, an sint tunc idonei.* 463. *Resp. ad simile de electione indigni.*

Deinde quæro : an qui ignoranter eligit indignum, cognitâ indignitate, possit electionem priùs validam, infirmare ; sicut qui contraxit cum impedimento, potest contractum infirmare ? Hæc discute.

Interim cautè discernendum est, cum Aversa sup. §. *Cautè tamen*, quòd si qui contrahant cum vincibili & imprudenti ignorantia sui impedimenti, quàmvis, præmissis denuntiationibus, 464. *Quid si aliqui contrahant cum vincibili*

non

ignorantiâ impedimenti.

non incurrant quidem illam difficultatem dispensationis obtinendæ, quam Concilium imponit solùm illis, qui scienter & temerè, aut neglectis denuntiationibus, contrahere audent: à qua proindè temeritate eos excusat etiam vincibilis & crassa ignorantia. Quare non cogentur id totum exponere.

Non acquirunt facilioren dispensationem.

At neque acquirunt eam facilitatem, quam Concilium concedit iis, qui bonâ fide contraxerint: quoniam in hoc expresè loquitur, quando ignorantia fuit probabilis, id est, moraliter invincibilis & inculpabilis. Quare malè facerent, & dispensationem vitiarent, si exponerent, se bonâ fide inculpabili contraxisse, ut sic facilitatis beneficio fruerentur. Itaque vel debebunt totum sicut est exponere, vel totum tacere; siquidem nec facit contrà se, nec pro se, vel solùm sub negatione dicere, se contraxisse non scienter & malitiosè. Ita Aversa.

465. *Quid si Matr. fuerit clandestinum defectu Parochi? Sanchez putat non esse locum huic pœnæ. Henriquez.*

Cæterùm si quis dubitet, an huic pœnæ locus sit, quando Matrimonium illud scienter cum impedimento dirimente initum, fuit omninò clandestinum, defectu Parochi cum duplici teste: consulat Sanchium, & dicet illi sup. n. 34. Probabilius censeo, non esse locum huic pœnæ. Quod docet Henriquez lib. 12. de Matr. c. 3. n. 8. ubi sic ait: Secundò, per Concil. Trid. sess. 24. c. 5. si quis intrà gradus prohibitos Matrimonium publicè, servatâ formâ & solemnitate Concilii, contrahere scienter præsumpserit, careat spe dispensationis: & multò magis si tale Matrimonium, servatâ formâ Concilii contractum, consummare affectu maritali ausus est: quàmvis olim ea copula in favorem violatæ virginis inclinabat Papam, ut faciliùs dispensaret. Sic ille.

466. *Fundamentum ejus. Primum.*

Ducitur autem Sanchez: quòd Trident. puniat eâ pœnâ præsumentes contrahere Matrimonium cum impedimento dirimente. At hi contrahentes non præsumpsêre inire Matrimonium; quippè deficit forma ejus substantialis.

Secundum, quia hic nec prior ratio Trid. militat.

Secundò: quia non militant rationes Tridentini. Non prior, scilicet ut arceatur audacia, quâ aliqui impediti inibant Matrimonium, spe facilioris dispensationis. Quia (inquit Sanchez) lex intendit pœnis afficere ea, quæ frequenter accidunt, parùm de rarò contingentibus curans, l. *Nam ad ea*, ff. de Legib. At Tridentinum rectè novit fore, ut Matrimonia clandestina, ab eo irritata, imposterùm aut nunquam, aut rarissimè inirentur: utpote quæ nullius momenti futura sint. Cùm nec externam quidem Matrimonii speciem habeant, sed sint concubinatus quidam. In cujus signum idem Trid. eâd. sess. 24. c. 1. hujusmodi Matrimonium clandestinum irritans, solis arbitrariis pœnis id puniendum decrevit, nolens pœnas certas præscribere, quod rarum futurum esset. Non ergò d. c. 5. pœnâ ibi decretâ voluit hoc Matrimonium plectere, tamquam rarum & indignum prorsùs, ut eo ducatur Pontifex ad faciliùs dispensandum.

467. *Nec posterior: Non enim dignus &c.*

Non etiam militat posterior ratio, putà: *Non enim dignus est, qui benignitatem Ecclesiæ facilè experiatur, cujus salubria præcepta temere contemnit.* Quia (inquit Sanchez) hi non ita temerè contemnunt præcepta Ecclesiæ, ac contrahentes invalidè coram Parocho & testibus. Quia priores nec in se verum Matrimonium ineunt, nec habens externam Matrimonii figuram, cùi suam authoritatem Ecclesia præstiterit, illud approbans. Quod efficiunt posteriori modo ineuntes. Atque ita insolentior præsumptio est, & majori temeritate notanda, in facie Ecclesiæ, ac ipsâ auctoritatem præstante, Matrimonium cum impedimento dirimenti inire, quàm absque ejus auctoritate clàm id efficere.

468. *Cujus rei hæc sit ratio.*

Adde: rationem hanc non reddi in Trid. punitionis omittentium denuntiationes, quasi eâ pœnâ puniantur, eò quòd Ecclesiæ præcepta contempserint: sed solùm redditur ea ratio, ne hos ignorantia impedimenti excuset, eò quòd non adhibuerint diligentiam, ab Ecclesia præscriptam, ad impedimenta investiganda. Quæ ratio non militat in contrahente absque Parocho & testibus. Cùm enim hujusmodi contractus careat Matrimonii figurâ ab Ecclesia approbati, & cui denuntiationes præmitti jubet, non est cur culpæ ipsis tribuatur omissio denuntiationum; sed non observasse formam ab Ecclesia præscriptam in Matrimonii contractu. Hucusque Sanchez pro sua sententia.

469. *Oppositam sententiam probat Aversa primò.*

Quæ nihilominùs displicet Aversæ sup. §. *Sed potius.* Tum (inquit ille) quia Concilium non dicit, denuntiationibus neglectis; sed, solemnitatibus neglectis: at solemnitatum nomine non intelliguntur solùm præviæ denuntiationes, sed multò magis assistentia Parochi & testium: ergò qui absque hac assistentia contrahunt, sive etiam neglectis, sive quantumcumque adhibitis præviis denuntiationibus, incurrunt Decretum Concilii. Tum certè, quia gravius delinquit, & magis salubria Ecclesiæ præcepta contemnit, qui absque assistentia Parochi & testium contrahere tentat: ergò magis indignus est benignitatem Ecclesiæ experiri; ac proindè difficiliorem sibi reddidit dispensationem, juxta rationem ejusdem Concilii.

Secundò.

470. *Tertiò.*

Tum etiam; quia eo rigore Concilium præcipuè avertere voluit periculum contrahendi in gradibus prohibitis, seu cum impedimentis dirimentibus; sed ad hoc periculum avertendum non minùs, imò magis facit assistentia Parochi & testium: siquidem Parochus invigilabit, ne fortè contrahentes aliquo detineantur impedimento: & non præmissis denuntiationibus, non assistet: aut præmissis, admonebit, si aliquod impedimentum ei delatum sit.

Quarto.

Tum demum; quia Concilium ibi non intendit punire Matrimonium validè contractum, cùm intra gradus prohibitos reverà non contrahatur, sed solùm attentatum, sive temeritatem sic contrahendi. Quare etiamsi absque assistentia Parochi & testium non sit validum, adhuc cadit sub pœnam Concilii, ob actum attentatum, & ob temeritatem & contumaciam. Ex quo tandem corruunt, quæ Sanchez pro sua parte adducebat. Hactenùs Aversa.

Auctor approbat sententiam Aversæ.

Et, meo judicio, satis benè. Enimverò defectus materiæ Matrimonii tam est essentialis, quàm defectus formæ; adeoque Matrimonium in gradibus prohibitis contractum coram Parocho & testibus, simpliciter non est Matrimonium; sed dumtaxat Matrimonium attentatum, veluti etiam Matrimonium clandestinum, de quo ait Concil. Trid. sess. 24. de Refor. Matr. c. 1. *Qui aliter, quàm præsente Parocho* &c. *Matrimonium contrahere attentabunt,*

471. *Resp. ad 1. fundamentum Sanchij.*

Ergò tam de his contrahentibus, quàm de illis, qui coram Parocho in gradibus prohibitis contrahunt, rectè dici potest: *Matrimonium contrahere præsumpserint*; quia neutrum est verum Matrimonium, sed tantùm attentatum; & fieri potest, quòd utrumque pro vero habeatur à populo ignorante sive defectum Materialem, sive formalem; quia v. g. adhibetur Parochus alienus, aut alius Sacerdos, qui putatur habere licentiam à Parocho proprio, quam reverà non habet.

Parochus alienus assistens Matr. incurrit certam pœnam.

Quæro autem: an talis Parochus vel Sacerdos non incurreret certam pœnam? Procul dubio incurreret ex Trid. sup. ubi de tali Parocho & Sacerdote statuitur: *Ipso jure tam diu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi* &c. Et tamen Trid. juxta Sanchium, rectè novit fore, ut talia Matrimonia imposterum aut numquam, aut rarissimè inirentur, utpote quæ nullius momenti futura sint.

472. *Resp. ad 2. fundamentum.*

Et verò, quia tantùm pœnis arbitrariis punitur Matrimonium clandestitinum à Concilio, ideò parùm de illo curat? *Nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.* Putas, parva cura est, præcipere gravem punitionem?

Ad quid ergò adducitur illa lex: *Nam ad ea?* Etenim si aliquid probat, probat utique, neque arbitrariis pœnis Matrimonium clandestinum puniendum fuisse, tamquam quid rarum, ad quod non debet aptari jus, ex l. 3. ff. de Legib. *Iura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his, quæ ut plurimùm accidunt, non quæ ex inopinato.* Et l. 4. eod. dicitur: *Ex his, quæ fortè uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur.*

Cùm ergò Concil. Trid. constituerit jus pœnale in Matrimonio clandestino, signum est, quòd non existimaverit forè, ut Matrimonia clandestina, ab eo irritata, imposterùm aut nunquam, aut rarissimè inirentur; sed potiùs noverit, ut, non obstante irritatione, sæpiùs inirentur; ut de facto patet in hæreticis nostris, qui non curant illam irritationem, & passim contrahunt sinè Parocho & testibus.

473. *Confirmatur.*

Dicam autem ego, quòd cum illis, si contraxerint in gradibus prohibitis, Papa faciliùs debeat dispensare, quàm cum Catholicis, qui in facie Ecclesiæ contraxerunt. Et quis dixerit, hos Catholicos magis temerè, & magis insolenter contemnere præcepta Ecclesiæ, qui ex reverentia erga illam nolunt contrahere sinè Parocho & testibus, quàm illos hæreticos, qui ex contemptu Ecclesiæ duplex ejus præceptum violant, cùm alii tantùm unum?

Non ausim ego dicere, tales Catholicos majori temeritate esse notandos, eò quòd Ecclesia eorum Matrimonio suam authoritatem præstiterit, illud approbans; quippè hæc approbatio invalidi Matrimonii non tanti æstimanda videtur, quàm omissio præsentiæ Parochi & testium, quæ est distinctum impedimentum dirimens Matrimonium, quòd aliàs foret validum, & quæ præsentia, ut benè notat Aversa sup. multùm conducit ad avertendum periculum contrahendi in gradibus prohibitis, seu cum impedimentis dirimentibus. Atque adeò qui contrahit sinè Parocho & testibus, minorem adhibet diligentiam ad impedimenta investiganda, quàm qui solùm omittit denuntiationes, ideoque magis debuit puniri.

Non tanti æstimanda est approbatio invalidi Matr. quàm omissio præsentiæ Parochi.

Cæterùm cùm scriptum sit: *In obscuris minimum est sequendum*, Reg. 30. de Reg. juris in 6. Et 49. eod. *In pœnis benignior interpretatio est facienda*, quando scilicet obscurum est, quæ pœna delinquenti infligenda sit. Obscurum autem sit, id est, non sit evidens, an pœna Concilii Trid. extendenda sit ad Matrimonium clandestinum, ut patet ex dictis, quidni sententia Sanchez tutò possit practicari? Hæc est enim benignior interpretatio. 474.

Sententia Sanchij videtur posse tutò practicari.

Ut omittam, quòd per solemnitatem alicujus actûs communiter non intelligitur forma substantialis; sed tantùm accidentalis aliqua ceremonia, sine qua actus valet. Patet in Missa, cujus solemnitates non sunt de essentia consecrationis. Unde pœna imposita ei, qui neglexisset solemnitates requisitas in Missa, non afficeret eum, qui invalidè consecrasset. Saltem dubium foret & obscurum, an afficeret. Ergo similiter in hoc casu.

Per solemnitatem communiter intelligitur ceremonia accidentalis.

Et consimiliter, quia dubium est, aut saltem obscurum, an Trident. sub Matrimonio, quo verbo utitur, etiam intellexerit sponsalia, quæ sunt aliquod præambulum & initium Matrimonii; ac subinde eo verbo aliquando comprehenduntur, ut patet ex alibi dictis; hinc in benigniorem partem interpretamur dictam pœnam, ut non extendat se ad sponsalia, quia pœna strictè est interpretanda; atque adeo non est necessaria mentio sponsalium, quæ inter impeditos intercessêre. Quia Trid. d. c. 5. solum Matrimonium punit. 475.

An Trid. sub Matr. intellexerit sponsalia.

Quàmvis Ludovicus Lopez 1. p. Instruct. c. 296. col. 13. vers. *Sed quid si non animo*, sentiat, non solùm sponsalium tractatum, sed etiam spem conceptam futuri Matrimonii, quando ea spes ad copulam induxit, exprimi debere, ne subreptitia sit dispensatio. Sed ei non est credendum. Ita Sanchez sup. n. 36.

Affirmat Lopez.

Sanchez.

Ego non credo, spem illam esse exprimendam; quia nuspiam in jure prohibitio nuptiarum includit spem nuptiarum, veluti includit sponsalia, ff. de Sponsal. l. *Orationi*; neque æquiparantur spes Matrimonii, & Matrimonium, veluti æquiparantur sponsalia & Matrimonium, c. *Cùm haberet*, de Eo qui duxit. Unde licèt admitterem, sponsalia debere exprimi, cum Navar. lib. 4. Consil. tit. de Consang. 1. edit. cons.

conſ. 5. §. 5. in 2. edit. conſ. 8. n. 5. neutiquam tamen concederem, ſpem illam eſſe exprimendam.

476. *Idem docet Navar.* Porrò Navar. d. loco ſub Matrimonio in Decreto Concilii, intelligere etiam ſponſalia, quilibet facilè colliget ex ejus verbis, quæ hìc ſubſcribo: Addendum tamen, quòd ſi dicta copula (inter conſanguineos) occulta vel manifecta, eo fine fuerit habita, ut facilius impetrarent diſpenſationem, eſſet facienda mentio ejus, tempore Sanctiſſimi Domini noſtri (Pii V.) qui declaravit, non eſſe animum diſpenſandi cum talibus, quàmvis jure antiquo, & etiam Concilii Trid. non videatur id obeſſe, ſi neque Matrimonium, neque ſponſalia contraxerunt. Si autem contractis illis publicè, habuerunt ſcienter copulam, vel contractis clandeſtinè, habuerunt eam etiam ignorantes, non valebit diſpenſatio, niſi fiat mentio de illa, & ſi fiat, non dabitur hujus Sanctiſſimi Domini tempore, & meritò: quia Concil. Tridentinum ſup. ſeſſ. 24. c. 5. ſtatuit, ne cum hujuſmodi diſpenſetur: imo neque cum eis, qui ſcienter vel ignoranter, non ſervatis ſolemnitatibus requiſitis, contraxerunt, etiamſi non conſummaverint. Sic ille.

477. *Intelligit Decretum Trid. etiam de Matr. clandeſtino, & ſponſalibus, contrà Sanchez & Pontium.* Ubi, ut vides, intelligit Navar. Decret. Tridentini etiam de Matrimonio clandeſtino, & ſponſalibus, contrà Sanchez ſup. Itemque contrà Pontium ſup. n. 35. ſequentis tenoris: Sed circà prædictum Decretum Tridentini, advertendum eſt, quòd ſi prohibiti non contraxerint Matrimonium de præſenti, ſed ſponſalia tantùm de futuro ſimpliciter, etiam ſinè conditione: *Si Papa diſpenſaverit*; non procedit illud Decretum, neque efficiuntur indigni diſpenſatione, quoniam Decretum illud loquitur & procedit contrà ineuntes Matrimonium, & ita non habet locum contrà ineuntes ſponſalia de futuro, juxtà Gloſſ. in Clem. un. de Conſang. verb. *Contrahere*, communiter approbatam per DD. ibi, ut docet Navar. in Manua. c. 22. n. 43. Ita Baſilius.

478. *Referuntur quædam verba Navar.* Hæc ſunt verba Navarri: Qui contrahunt tantùm ſponſalia intrà quartum gradum, peccant quidem, ſed non ſunt excommunicati, niſi copula ſequatur, & eà ſecutà ſic, juxtà communem, ſecundùm jura antiqua, per quæ ſponſalia tranſibant in Matrimonium per copulam carnalem ſecutam: Non tamen hodie poſt Concilium Tridentinum. Ita Navar.

Pontius. Ex quo (proſequitur Pontius n. 36.) explicari poteſt magna illa difficultas, utrùm pœna illius Decreti, contrà ineuntes Matrimonium in gradu prohibito, & præſertim contrà conſummantes per copulam carnalem, habeat etiam locum contrà celebrantes ſcienter ſponſalia de futuro, ſecutâ inter eos copulâ carnali.

479. *An hodie reſultet Matr. ex ſponſalibus, ſecutâ copula? Aliqui negant.* In qua difficultate nonnulli reſolvunt, poſt Trid. ſeſſ. 24. de reform. Matr. c. 1. revocatam videri deciſionem in cap. *Is qui fidem*, de Sponſal. & ideò præcedentibus ſponſalibus de futuro, & ſecutâ copulâ carnali, non poſſe reſultare præſumptum Matrimonium de præſenti, ſive inter habiles, ſive inter inhabiles contrahendum. Et addunt etiam, quòd ante Concil. Tridentinum in terminis Decreti in d. c. 5. & in Clement. un. de Conſang. præcedentibus ſponſalibus de futuro ſcienter inter prohibitos & inhabiles, & ſecutâ inter eos copulâ carnali, reſultabat præſumptum de facto Matrimonium, & incurrebant pœnam ſtatutam contrà ineuntes Matrimonium in gradu prohibito, ut docet Gloſſ. in d. Clem. un. verb. *Contrahere*, communiter approbata per DD. ibi, & reſolvit Navar. in Man. c. 22. n. 43. Sic ille. Verba Gloſſæ habes ſup. utì & Navarri. *An ante Trid. inter inhabiles ijdem affirmant.* Navar.

Hæc tamen Gloſſa (proſequitur Pontius) atque communis ſententia non placet. Nam deciſio textûs in d. cap. *Is qui fidem*, quando vigebat, fundabatur, tum in favore Matrimonii, tum maximè in juris præſumptione, ex qua nemo præſumitur delinquere; c. *Eſtote miſericordes*, de Reg. juris ibi: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.* Et ideo ad evitandum peccatum fornicationis, præſumebatur conſenſus in Matrimonium de præſenti per copulam, præcedentibus ſponſalibus. 480. *Oppoſitum probat Pontius.* cap. 2. de Reg. juris.

Et iſtæ ambæ rationes militabant, quando hæc omnia interveniebant inter habiles ad contrahendum Matrimonium, & quando poterat Matrimonium valere, & evitari prædictum peccatum fornicationis. Non autem hoc procedere poterat inter inhabiles ad contrahendum; quia tunc nullus poterat dari favor Matrimonii, cùm eſſet nullum; nec poterat evitari peccatum fornicationis, nullo exiſtente Matrimonio. Quinimmò, ſicut quando poterat valere Matrimonium, præſumebatur conſenſus ad evitandum peccatum: ita quando non poteſt valere Matrimonium, etiam inter inhabiles & prohibitos, debet præſumi diſſenſus ad Matrimonium, ut evitetur peccatum, ſi non copulæ, ſaltem centemptûs & inobedientiæ contrà Eccleſiam. *Oſtendit, rationes juris antiqui hìc non militare.*

Ex qua doctrina colligitur major quædam declaratio prædicti Decreti Trindentini, & etiam textûs in cap. fin. de Condit appoſ. in fine; videlicet, quòd ſi inhabiles ad contrahendum Matrimonium, defacto illud contrahant per verba de præſenti ſub conditione impoſſibili, contractus eſt ridiculus, & non conſentiunt in Matrimonium, & non incurrunt excommunicationem in d. Clem. un. nec indigni efficiuntur diſpenſatione ad iterum contrahendum, nec ex dicto contractu oritur impedimentum publicæ honeſtatis, cùm Matrimonium fuerit nullum ex defectu conſenſûs; arg. textûs in l. *Non ſolùm*, ff. de Action. & obligat. juncto c. 1. in princip. de Sponſal. in 6. 481. *Exinde magis declarat d. decret. Trid. & cap. fin. de Condit. appoſ.*

Neque obſtat; quòd in d. c. fin. conditio impoſſibilis removetur, & habetur pro non ſcripta, favore Matrimonii. Nam reſpondeo: illud verum eſſe favore Matrimonii, quando poteſt valere Matrimonium inter habiles; ſecus verò inter inhabiles, ubi non poteſt valere Matrimonium, nec militat favor Matrimonii. Hucuſque Pontius. Tu cogita, an benè. 482. *Occurrit objectioni.*

Sanè

Sanè, si vera est sententia Navarri & Aversæ, quòd Decretum Trid. loquatur, etiam de Matrimonio clandestino, & post sponsalia copula habita fuerit animo maritali; sicut facilè fieri potuit, & ipsi optimè norunt, qui copulam habuerunt; procul dubiò hæc copula explicanda foret, utpote per quam Matrimonium fuit contractum & consummatum.

Quid ergò, inquis, si non est habita eo animo; sed spe facilius impetrandi dispensationem? Responsio erit.

CONCLUSIO X.

Spes facilius impetrandæ dispensationis, reperta in copula incestuosa occulta vel manifesta, non debet semper explicari.

483. *Spes facilioris dispensationis tempore Pij V. erat explicanda.*

TEmpore Pii V. fuisse necesse hunc animum explicare, jam sup. audivimus ex Navarro, eò quòd ipse expressè declarasset, suam intentionem esse non dispensandi in hoc casu; actus autem agentium non operantur ultra eorum intentionem, & rationabiliter Pontifex potuit habere talem intentionem; quia tamen desuper nullam legem sanxivit; hinc Aliqui censent, non esse nunc necesse eum animum explicare, nisi Matrimonium intervenerit.

Etiam hodie, juxtà Sanchex. Probatio.

At dicendum est (inquit Sanchez sup. n. 38.) eam spem necessariò exprimendam esse, ne dispensatio sit subreptitia. Et communiter ratio redditur: quia copula ex tali animo habita, tantùm abest, ut sit causa facilioris dispensationis, quòd potiùs eam reddat difficiliorem, & retrahat Pontificem ab ea concedenda.

484. *Simile.*

Simile sit in Monacho, cum quo invalidè dispensatur, ut transeat ad aliam Religionem, tacito animo, quo dimisit habitum, quando dimisit animo facilius dispensationem obtinendi, eò quòd nosset, Pontificem non dispensare, nisi habitu priùs dimisso. Quo exemplo utitur Navar. ut sup. audivimus, Man. c. 22. n. 86. Enimverò æquipollenter hic exprimit falsum: dum enim dimissionem habitûs allegat, ut causam secum dispensandi, videtur tacitè dicere, ex fragilitate à se dimissum esse, & non fraude. Quippe dimissio dolosa non est dispensandi causa, ne ex fraude commodum reportetur.

485. *Oppugnatur à Sanchio. Primò.*

Sed hæc ratio (inquit Sanchez sup.) non benè probat hanc sententiam: Primò: quia si hic non allegaret, ut causam dispensationis, illam habitûs dimissionem, vel copulam, in quibus dicta fraus, & spes reperta sunt, sed alias causas veras ac legitimas, non videtur aliqua tacita falsi expressio. Cùm nulla res necessariò exprimenda taceatur. Et si dicas: fraudem illam necessariò exprimendam, petis principium, cùm de hoc sit quæstio, & supponas, quod probandum erat; cùm inde virtualem falsi expressionem inferas.

Secundò.

Secundo: quia si aliæ causæ veræ & sufficientes allegarentur, non probatur, ex hac tacita falsi expressione dispensationem esse subreptitiam. Quia ipsamet formalis expressio falsi in quadam causa non vitiat, quando aliæ veræ & sufficientes expressæ sunt: nedum virtualis expressio falsi id efficiet. Undè doctrina hæc non est universaliter vera; sed quando delictum id allegatur ut causa, & constat fore, ut, eo non allegato, Pontifex minime dispensaret eo modo, quo dispensavit. Quia tunc delictum fraudulenter admissum explicatur, ut legitima causa dispensationis, cùm talis non sit, sed retrahendi ab illa concedenda, ne ex delicto commodum reportetur. Atque ita virtute & æquipollenter exprimitur falsum: quia virtute dicitur id crimen ex fragilitate patratum, ac proinde, ut fragilitati prospiciatur, esse dispensandi causam. Ita Sanchez.

Et concludit dicens: Regrediendo ergò ad nostram quæstionem, supereſt causam assignare; cur in incestu consanguineorum & affinium, habito spe facilius dispensationis impetrandæ, sit necessariò spes hæc narranda. Nam prædicta regula huic exemplo adaptari nequit. Quia tantùm abest, ut ea copula absque hac spe habita inducat Pontificem ad facilius dispensandum, ut potiùs, tamquam retrahentem, dixerimus n.8. eam esse necessariò explicandam. Sic ille. 486. *Conclusio Sanchij.*

Prorsùs dixisti; sed non sufficienter probasti, contrà Navarrum, Pontium & alios, qui docent oppositum; scilicet, quòd, secluso Matrimonio, copula habita solùm ex fragilitate & libidine possit & soleat esse causa rationabilis, quâ Pontifex inducatur ad dispensandum.

Quæ ergò ratio sententiæ Sanchez? Ea quidem est (inquit ipse) quam tradit Gutierrez qq. Canon. lib. 1. cap. 15. n. 20. Quia nimirum stylus Curiæ habet, ut in literis dispensationis impedimenti consanguinitatis vel affinitatis, explicatâ copulâ, addatur clausula conditionalis hæc: *Dummodò copula habita non sit spe facilioris dispensationis.* Quare licèt ea non addatur, nec explicetur copula, amplectendo opinionem probabilem, relatam n. 6. dicentem, non esse eam necessariò explicandam; adhuc suppletur hæc clausula, juxtà dicta n. 19. & dispensatio erit subreptitia, non explicatâ copulâ hoc animo habitâ, quòd stylus Curiæ declaravit mentem Pontificis esse, non dispensare hoc casu, nisi id exprimat. Ita Sanchez. 487. *Quæ sit ratio sententiæ ipsius. Gutierrez.*

Quem sequitur Gobat in suo Alphab. tr. 9. n. 626. ibi: At verò si non fuit initum Matrimonium, sed solùm habita copula incestuosa, distinguendum est; aut enim ea copula fuit habita eâ intentione, ut tantò facilius impetraretur dispensatio, & tunc taciturnitas copulæ vitiat rescriptum, redditque illud irritum: Sanchez disp. 25. n. 38. cum Omnibus, quos legi; quia scilicet ita habet expressus, & Pontifici notus stylus Curiæ, expressus etiam in facultatibus Nuntiorum Apostolicorum; non tamen extendendus ad casum, quo solùm unus sponsorum habet illam intentionem, nec eam manifestat alteri, 488. *Gobat sequitur Sanchium.*

alteri, Sanchez loco citato n. 31. Sic ille.

Oppoſitum docet Perez.

Signum profectò, quòd non legerit nec Perezium, nec Averſam, quos tamen ſæpiùs citat. Alioquì ſciviſſet, non Omnes cum Sanchio ſentire. Siquidem Perezius diſp. 46. ſect. 7. n. 10. manifeſtè recedit à Sanchio, dicens: Si non ponatur clauſula illa conditionalis: *Dummodo copula habita non ſit ſpe facilioris diſpenſationis*, etiamſi re ipsâ fuerit copula, & ſpes ipſa, non reddi diſpenſationem ſubreptitiam. Scio contrarium docere Sanchez diſp. 25. ad finem n. 38. Quia putat, eam clauſulam ſuppleri, & eſtò non apponatur, intelligi clauſulam illam, apponi ſolitam de ſtylo Curiæ. Sic ille. Quomodo evidentiùs poſſet recedere à Sanchio?

489. *Item Averſa, quando copula non allegatur pro cauſa.*

Porrò Averſa ſup. §. *Verùm*, ſcribit ſequentia verba: Si adſint aliæ ſufficientes cauſæ diſpenſationis, quæ ſolæ abſque allegatione copulæ valeant obtinere diſpenſationem: tunc neceſſè non erit exponere copulam, atque adeò nec eam intentionem, quâ habita eſt. At quando ex copula ipſa accipi debet cauſa, & ſponſi hanc cauſam adducunt, ut diſpenſationem obtineant; quia habuerunt inter ſe copulam, & ideò imminent gravia damna & ſcandala, niſi inter ſe contrahant; tunc quidem oportet exponere, ſi eâ intentione & fraude habuerunt copulam, ut hac de cauſa faciliorem diſpenſationem obtinerent. Ita advertit Pontius n. 32. dicens cum Navarro, id non oriri ex Decreto Concilii, ſed per ſe ex natura rei. Idem etiam volunt Alii, qui propterea eam rationem reddebant.

Pontius.

Et quidem eo ipſo, quò dicuntur aliqui habuiſſe copulam ſpe & intentione faciliùs obtinendi diſpenſationem, intelligitur, quòd voluerint & velint ex cauſa & allegatione copulæ impetrare diſpenſationem. Alioquì non cogitaſſent ſibi prodeſſe copulam ad faciliorem diſpenſationem. Attamen copula, habita ſolùm ex fragilitate & libidine, poteſt quidem & ſolet eſſe cauſa rationabilis inducens Pontificem ad diſpenſandum. Sed habita ex ea intentione & fraude, retrahit potiùs à diſpenſatione concedenda.

490. *Secus quando allegatur.*

Et ideo, quando copula allegatur pro cauſa, debet exponi cum ſua vera qualitate, & quâ intentione habita ſit, ne diſpenſatio evadat ſubreptitia & irrita. Et hoc ipſum eſt quod ſtylo Curiæ confirmatur: apponitur enim ea clauſula in literis diſpenſatoriis, quando copula allegatur pro cauſa. Ac etiamſi non apponatur, per ſe ſubintelligitur. Hactenùs Averſa cum Pontio, & Navarro, Contrà Sanchium; ſi hic velit, copulam illam eſſe explicandam, etiam dum aliæ adſunt cauſæ ſufficientes diſpenſandi, ut videtur velle, cùm rejiciat aliorum rationem, & exemplum Navarri de Monacho, & fundet ſe in ſolo ſtylo Curiæ.

491. *Quomodo intelligenda facultas Nuntij Apoſtolici.*

Hæc benè conſideret Gobatius, & videbit quòd facultas Nuntii Apoſtolici, quam adducit, ſcilicet, diſpenſandi *Gratis cum quibuſcumq; perſonis intrà ſuæ legationis limites exiſtentibus, quæ quarto, aut etiam tertio & quarto, etiam multiplicibus conſanguinitatis & affinitatis gradibus conjunctæ ſeu ſe attinentes ſcienter vel ignoranter conjunctæ ſunt, vel aliàs ſe, non tamen ſub ſpe faciliùs habendæ diſpenſationis à Sede Apoſtolica, carnaliter cognoverunt*: quòd, inquam, intelligi poſſit hæc facultas, pro quando ex ipſa copula accipi debet cauſa.

492. *Mirum quòd Navar. non meminerit ſtyli Curiæ, quem pratendit Sanchez.*

Herculè ſi is foret ſtylus Curiæ, ut ſemper exprimeretur vel copula inceſtuoſa, vel etiam dictus animus, mirum profecto eſt, Navarrum, qui tot annis vixit Romæ, peritiſſimuſque erat hujus ſtyli, utpotè, qui fuit cooptatus in ſacrum Summæ Pœnitentiariæ Prætorium, & in eo munere ita ſe geſſit, ut illuſtriſſimus Cardinalis Franciſcus Alciatus, ſummus etiam Propœnitentiarius, *Ingenuè, me audiente* (ita inquit Auctor vitæ Navarri) *dixerit, abſente Navarro, ſacrum Pœnitentiariæ Prætorium, viris ſane quidem in omni diſciplinarum genere clariſſimis ornatum, acephalon eſſe, adeoq; illuſtriſſimum illud Prætorium ab eo, ob divinam ſcientiam, ferè pendere univerſum.* Mirum, inquam, eſt, tantum virum non meminiſſe illius ſtyli, putà, exprimendi copulam inceſtuoſam, & ſpem facilioris diſpenſationis, quando adſunt aliæ cauſæ ſufficientes, quæ ſolæ abſque allegatione copulæ valeant obtinere diſpenſationem.

493. *Aliquando d. animus explicandus eſt. Quando, & quando non.*

Ex his patet, quare in Concluſ. addiderim ly *Semper*. Siquidem aliquando dictus animus explicari debet, ut jam diximus, quando videlicet copula allegatur pro cauſa diſpenſationis. Fieri autem, ut, ſeclusâ copulâ, alia adſit ſufficiens cauſa, v. g. paupertas; & tunc cum Averſa ſuſtinemus, non eſſe explicandam copulam, etiam habitam cum ſpe faciliùs impetrandi diſpenſationem; ſed diſpenſationem valere, impetratam ſolò illo titulo, tacitâ copulâ, niſi aliquis manifeſtè nobis oſtenderit, hodie oppoſitum ſervari in Curia, tamquam obligatorium, aut niſi expreſsè in conditione adderetur conditio: *Si non intervenerit copula cum dicta ſpe*, juxtà ſup. dicta.

494. *An merè internus nunquam debeat exprimi. Affirmant Palao, Hurtado, & Perez.*

Addunt aliqui Recentiores; dictam ſpem non eſſe exprimendam, niſi exteriùs fuerit ſignificata: quia, inquiunt, ſpes tantùm interiùs concepta, non ſubeſt humanæ poteſtati. Ita Caſtro Palao to. 5. diſp. 4. punct. ult. §. 3. n. 9. Hurtado & Perez apud Diana p. 9. tract. 7. reſol. 36.

Non placet Dicaſt. & quare.

Hoc tamen (inquit Dicaſtillo ſup. n. 137.) non eſt ita certum; mihi certè non placet. Nam licèt conditio illa, tamquam aliquid, de quo judicandum ſit ab humana poteſtate, non poſſit cognoſci, niſi exteriùs manifeſtetur; tamen ut mera conditio, à qua dependenter detur diſpenſatio, maximè in foro conſcientiæ, benè poteſt requiri, etiamſi exteriùs non manifeſtetur; nihil enim obſtat, quòd Pontifex, & Commiſſarius Confeſſarius ejus nomine eam diſpenſationem concedant, dependenter ab exiſtentia talis conditionis; quòd enim conditio diſpenſanti nota ſit, vel non ſit, non impedit, quò minùs poſſit intentionē diſpenſandi tali conditioni alligare, perinde atque promiſſionibus, donationibus, & quibuſcūque contractibus, ut conſtat ex dictis Diſp. 5. quando egimus de cōſenſu cōditionato, tā Matrimonii, quàm ſpon-

sponsalitio; ubi ostendimus, non esse necessariam notitiam existentiæ conditionis, & posse dari consensum dependentem à quavis conditione, saltem possibili. Unde hoc ipsum dicendum erit in nostro casu, etiamsi existentia conditionis, utpote merè interna, dignosci non possit. In quibus etiam consentit Perez loc. cit. n. 7. & sequentibus, quidquid alibi dicat. Ita Dicastillo.

Arguit Perezium contrarietatis.

495. *Eum defendit Auctor.*

Ego nullam invenio contrarietatem in dictis Perezii. Enimvero loco citato (id est disp. 46. sect. 6.) n. 8. dicit: Si commissio Papæ sit pro foro conscientiæ, ut quando committitur Confessario seu discreto viro, & in ea ponitur clausula illa: *Dummodo copula non fuerit*, tunc dispensationem esse nullam, si copula fuit verè habita, quàmvis sit omninò occulta, & non constet Commissario.

Patet id manifestè; quia clausula illa est conditionalis, & commissio tunc fit Commissario, ut dispenset dependenter à veritate non habitæ copulæ. Clausulæ enim dispensationi adjectæ semper debent intelligi juxta dispensationis naturam; undè si adjiciantur per modum conditionis, ut tales intelligendæ sunt. Sic ibi præfatus Auctor.

Alibi autem, scilicet eâdem disp. sect. 7. n. 7. ait: Est verò notandum, hanc spem, cujus est mentio facienda, debere esse exteriùs significatam, & non tantùm interiùs conceptam; quia spes interiùs tantùm concepta non subest humanæ potestati. Sic ille.

496. *Ostendit non esse sibi contrarium.*

Sed nunquid hæc doctrina præcedenti contrariatur? Minimè; quia hìc agitur de explicanda spe merè interna; ibi autem de exprimenda copula, procul dubiò externa, quàmvis per accidens occulta. Iam autem maxima est differentia inter actum merè internum, & actum per accidens occultum, alioquì externum: nam Omnes admittunt, hunc posse præcipi & puniri, estò actus merè internus non caderet sub potestatem legislativam humanam, ut est communis sententia. Igitur hæ doctrinæ non videntur repugnare.

497. *Dubitat an ambæ doctrinæ sint veræ.*

An autem ambæ veræ sint, potest meritò dubitari; non solùm, quia privati contractus possunt fieri, ut benè notavit Dicast. sub conditione merè interna; sed etiam quia Ecclesia punit quosdam actus, si facti fuerint dolo, fraude, seu alio perverso animo; etiamsi hic animus non prodeat per signum externum, ut alibi ostendimus contrà Vasquium; cur ergò similiter non posset punire copulam factam cum spe facilioris dispensationis, tametsi illa spes non prodeat per signum externum?

Non video quid obstet; hoc enim non est statuere pœnam pro intentione merè interna, sed solum non statuere pro actu externo, nisi facto tali intentione; quæ non tam est extensio legis pœnalis ad actum internum, quàm limitatio; scilicet ne incurratur pœna propter actum externum, nisi sub conditione interna; quam conditionem licèt Ecclesia non possit cognoscere, relinquit conscientiæ operantis, ut sciat se sic, & non aliter incurrisse pœnam pro actu externo.

Et verò, ut maneamus in nostro proposito, nonne d. c. 5. Tridentini tantùm punit eos, qui scienter contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis? Nimis clarum est, quòd sic. Et scientia illa nunquid nota est Ecclesiæ? Nonne est merè interna cognitio? Si ergò illam potest punire, aut veriùs, ipsum Matrimonium, cum tali conditione interna contractum, & non aliter; cur non poterit punire spem facilioris dispensationis, aut veriùs, copulam sub conditione talis spei, & non aliter, quàmvis illa spes sit merè interna? Expectabo disparitatem.

498. *Ostendit Ecclesiam posse punire Matr. cum spe merè interna facilioris dispensationis.*

Si autem hoc possit; quare non poterit velle dispensare sub conditione: *Si copula cum tali spe non intervenerit*? Neque ideò spes illa merè interna suberit potestati humanæ; sed copula externa, ex tali spe habita.

Si autem à me quæritur; quare dixerim in Conclus. *Occulta vel manifesta*? Respondeo: quia Aliqui in hac materia distinguunt inter incestum publicum & occultum, cum Sanchio sup. n. 11. dicente: Quando incestus esset occultus, non oportet mentionem ejus fieri in dispensatione pro foro externo propositâ Pontifici: sed satis est, petere ejus dispensationem in sacra Pœnitentiaria, explicatâ quoque ibi consanguinitate, vel affinitate publicâ, super qua aut dispensavit, aut dispensaturus est Pontifex. Sicut quando est duplex impedimentum, alterum publicum, & alterum occultum, de quo statim plura. Non quòd tunc impetretur vera dispensatio incestûs: is enim (inquit Sanchez) impedimentum non est: sed suppletur vitium dispensationis Pontificiæ, in qua narrandus erat hic incestus, ut valida esset.

499. *Aliqui distinguunt hic inter incestum publicum & occultum. cum Sanchio.*

Et similiter (prosequitur idem Auctor) si is incestus contingat post dispensationem Pontificis, antequam illam Ordinarius expediat, si est publicus, est iterum explicandus Pontifici, cum consanguinitate vel affinitate. Quia redditur tunc dispensatio subreptitia & irrita, ac si à principio is incestus contigisset. Ita Sanchez.

Sed hoc non caret difficultate, & oppositum sentire videtur, imò manifestè sentit Navar. tit. de Consang. 2. edit. consil. 10. ubi examinat hunc casum: N. tractabat de Matrimonio contrahendo cum C. secundo gradu consanguinitatis sibi attinente, & post missam informationem ad urbem, & impetratam commissionem dispensandi, antequam dispensatio fieret, cognoverunt se carnaliter, & postèà Commissarius, accepto juramento, quo jurârunt, sese non cognovisse, dispensavit, & contraxerunt publicè Matrimonium, & multis annis vixerunt conjugati. Quæritur de remedio salutis animæ & corporis præfatorum. Ecce casus.

500. *Proponitur casus aliquis ex Navar.*

Ad quem (inquit Gobat sup. n. 630.) respondet 1. peccasse gravissimè per incestum, & perjurium. 2. valuisse dispensationem, quia in impetratione commissionis Papalis non fuit admissa ulla subreptio, & eam commissionem non potuit irritare incestus subsequens. 3. Matrimoniũ tamen fuisse cum peccato contractũ, eo quòd non petierint ab Episcopo dispensationem super impedi-

Triplex responsio Navarri. Gobat.

impedimento impediente inceſtûs.

501. *Secunda placet Gobatio:* Prima reſponſio (proſequitur idem Auctor) eſt certa quoad utrumque membrum, niſi jurando ſint uſi, ut poterant, æquivocatione aut reſervatione mentali; ſecunda placet abſolutè; tertia diſplicet; quia Caſu 1. n. 7. dixi ex Perez, Tamburino, & aliis, inceſtum non eſſe hâc ætate annumerandum impedimentum reſpectu illius, cum qua interceſſit inceſtus, ſed ſolùm reſpectu ejus conſanguinearum. Sic ille.

Sed diſplicet Sanchio. Verùm quod ipſi abſolutè placet, hoc diſplicet Sanchio, ut ſup. vidimus, exiſtimanti, inceſtum ſubſequentem, ante executionem diſpenſationis, poſſe irritare, & defacto irritare eam commiſſionem; eò quòd mutet caſum in diſpenſatione contentum: cùm jam adjunctus ſit caſus, qui erat neceſſariò explicandus. Quare (inquit ille ſup. n. 8.) clauſula: *Si preces veritate nitantur*, refertur ad tempus conceſſionis Pontificis, & executionis Ordinarii, vel Confeſſoris.

Reſponderet Gobat cum Navar. negando mutationem casûs, niſi interveniſſet Matrimonium, aut ſaltem ſpes facilioris diſpenſationis; tunc enim & non aliàs, adjungitur caſus neceſſariò explicandus juxta ipſius doctrinam.

502. *Ad quod tempus referatur hæc clauſula: Si preces &c.* Quantùm ad d. clauſulam: *Si preces veritate nitantur*, dubium eſt, ad quod tempus referri debeat. Quadruplex autem eſt tempus, ut notat Sanchez ſup. diſp. 3. n. 1. Primum eſt, quando impetrans miſit Romam. Secundum eſt, quando Pontifex vel Pœnitentiarius literas concedit, committens Ordinario vel Confeſſori, ut diſpenſet. Tertium, quando Ordinarius vel Confeſſor diſpenſat. Quartum, quando diſpenſatione utendum eſt. De hoc diſputavimus ſup. Reſtat ut de aliis diſſeramus.

Non refertur ad tempus, quo impetrans miſit Romam. Et quidem ſatis certum videtur, non referri ad primum tempus. Quippè veritas precum poſtulatur, ut diſpenſatio ſit juſta, ſive ne diſpenſatio à rectitudine deficiens ſit potiùs diſſipatio. Ad quod nihil refert, an cauſa tempore præcedenti diſpenſationem fuerit vera nec ne, dummodò vera ſit eo tempore, quo diſpenſatio conceditur.

503. *Occurritur objectioni, ex Sanchez.* Nec obſtat (inquit Sanchez ſup. n. 2.) Pontificem fraudis conſcium, non conceſſurum. Quia taciturnitas veri, vel falſi expreſſio extrinſeci, nec conferentis ad diſpenſationis ſubſtantiam, illam non vitiat, quàmvis Princeps, veritate cognitâ, non diſpenſaret. Hujuſmodi autem eſt veritas cauſæ pro tempore præterito: eò vel maximè, quòd Pontifex denegaret in pœnam doli, quam doloſus ſubire non tenetur, antequam ſibi infligatur. Sic ille.

Veritas cauſæ debet ſubeſſe tempore conceſſionis, ex eod. Igitur dolus & fraus hìc nemini patrocinatur; ſed veritas cauſæ, quæ ſubeſt tempore conceſſionis; niſi enim illa tunc ſubeſſet, putat Sanchez ſup. n. 4. diſpenſationem fore ſubreptitiam, quàmvis tempore præcedenti fuerit, vel tempore ſubſequenti exiſtat.

504. *Probat ex cap. 6. de Conſang.* Probat ex cap. *Quo circà*, de Conſang. ubi Innoc. III. reſcribit Roſan. Archiepiſcopo in hæc verba: *Porrò de nobili viro N. pro cujus diſpenſatione, indulgentiâ ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum 5. conſanguinitatis gradu contingit, à Sede Apoſtolica obtinendâ, falſa nobis cauſa fuerat allegata, proles videlicet: Cùm tamen ante diſpenſationem obtentam, unica filia, quam habebat, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſa, prout tua conſultatio continebat, diſſimulare poteris, ut remaneat in copula ſic contracta, cùm ex ſeparatione (ſicut aſſeris) grave videas ſcandalum imminere.* Ubi dicitur, falſam fuiſſe cauſam allegatam, nimirum prolem habitam. Ergò non ſufficit tempore præcedenti cauſam fuiſſe veram.

Objectio ex Gloſſa. Sed contrà, dicet aliquis: Gloſſ. ibi verb. *Falſa nobis cauſa*, inquit: *Nota, quòd falſa cauſa allegata non vitiat diſpenſationem: ſic & falſa cauſa non impedit religionem* &c. Ergò hic textus potiùs oppugnat ſententiam Sanchii, quam probet eam.

505. *Solvitur, ex eâd.* Reſpondetur cum eâd. Gloſſ. *Sed contrà; videtur, quòd iſti ex tali diſpenſatione non ſunt ſecuri; quia tacitâ veritate, & falſo ſuggeſto, diſpenſatio eſt obtenta, undè non debet valere, ſup. de Reſcript.* Super literis, *& expreſſum videtur inf. de Sent. Excom.* Cùm pro cauſa.

Rogas: ex quo ergò probatur, diſpenſationem hìc valere? Audi Gloſſ. *Argumentum*, inquit, *eſt in hoc.* Diſſimulare, *quòd falſa cauſa non vitiat diſpenſationem.* Et poſt pauca ſubjungit: *Non credo, quòd valuiſſet iſta diſpenſatio ſic obtenta, niſi hæc Decretalis poſtea emanaſſet, & ita ex iſta diſſimulatione, ex cauſa, quæ hic ſubjicitur, licitè poterant ſimul eſſe: alias non eſſent tuti.*

506. *Pontifex ibi de novo diſpenſavit propter periculum ſcandali.* Igitur ſecundùm hanc Gloſſam Pontifex ibi de novo diſpenſavit, propter periculum ſcandali. Undè ex iſto cap. perperàm Aliqui colligunt, Epiſcopum tali caſu poſſe diſpenſare. Perperàm, inquam, quia non dicitur, Epiſcopum poſſe diſpenſare, ſed, diſſimulare; quæ oppidò ſunt diverſa. Undè ſummarium d. textûs ſic habet. *Non valet diſpenſatio obtenta à Papa ſuper Matrimonio inter conſanguineos contracto, ſi ibi cauſa falſa ſit expreſſa, niſi poſteà eam Papa confirmaret, hoc dicit ſecundùm verum & communem intellectum.*

Objicitur cap. 18. de Præb. Si objicias cap. *Cùm jam dudum*, de Præbend. ibi: *Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitiâ, non debeant tolerari.* Ubi Gloſſ. verb. *Per patientiam*, inquit: *Et tamen per talem patientiam non fit diſpenſatio.* Ergò neque per diſſimulationem in d. textu: *Quia circà.*

507. *Solvitur* Reſpondetur: aliud eſſe impunitate ac facto Principem tolerare; tunc enim non inducitur diſpenſatio, juxta d. c. *Cùm jam dudum*; aliud verò reſpondendo dicere, toleramus vel toleratur; tunc enim diſpenſat, juxta d. cap. *Quia circà*, ubi in fine Gloſſa, ſicut audivimus, tradit hunc intellectum, quem plures ſequuntur apud Sanchium lib. 2. diſp. 38. n. 12.

Solutio diſplicet Sanchio. Sed hic intellectus (inquit ille) prorsùs diſplicet. Quia textus ſolùm habet, Epiſcopum diſſimulare poſſe, ut remaneant in tali Matrimonio, mediante diſpenſatione ſubreptitiâ contracto, ſi ex ſeparatione grave immineat ſcandalum: ergò non diſpenſat Pontifex. Secundò: quia

quia etiamsi illa dissimulatio vim dispensationis obtinuisset, oporteret, ut licitè permanerent in Matrimonio, denuò illud inire; nec ex sola dispensatione possent illi permanere in Matrimonio: sed Pontifex tantùm dicit, esse tacendum & dissimulandum; ergò minimè dispensat. Ita Sanchez.

508. *Arg. Auctoris.* Ego autem sic argumentor: textus habet, Episcopum posse dissimulare, & Pontifex dicit, esse tacendum & dissimulandum: ergò ipse dispensat, seu confirmat dispensationem anteà datam, supplendo ejus defectum, propter scandalum, quod aliàs sequeretur. Cùm enim Pontifex posset dispensare, aut dare Episcopo potestatem dispensandi, quæ ratio dissimulandi & tacendi, ac permittendi peccatum, saltem materiale, fortè etiam formale, fornicationis, ubi commodè posset illud impediri?

Dico: *Fortè etiam formale*: quia fortè erant in mala fide, & dolosè talem causam falsam proposuerant, & poterant facilè novam dispensationem obtinere, proponendo veram causam, scilicet periculum gravis scandali. Et undè constat, quòd noluissent petere, si Episcopus eis defectum dispensationis habitæ detexisset?

509. *Proponitur casus d. c. 6. de Consang. cum intellectu Auctoris.* Gloss. ibi hisce verbis proponit casum: *Quidam nobilis contraxit Matrimonium cum quadam muliere, quæ ipsum attingit quinto gradu consanguinitatis, de qua filiam unicam suscepit, tandem mortua fuit ipsa filia: post mortem filiæ supplicavit nobilis Domino Papæ, ut favore filiæ quam de ipsa suscepit, dispensaret, ut in simul manere possent* (adhibendo scilicet ea, quæ necessaria erant ad revalidationem Matrimonii, priùs invalidè contracti, ut probè ipsi noverant, aliàs non petiissent dispensationem) *Episcopus loci, visâ indulgentiâ, cum obtenta esset ex falsa causa, dubitavit, utrùm possent, pratextu hujus indulgentiæ, sic remanere* (id est, de novo contrahere) *significavit hoc Domino Papæ* (antequam de novo contraxissent) *addens, quod ex separatione illorum* (qui jam antea diu conjuncti fuerant, quàmvis invalidè) *magnum scandalum imminebat. Respondet Papa, quòd ipse poterit dissimulare, ut remaneant in copula sic* (invalidè) *contracta* (si facerent ea, quæ de jure naturæ requirebantur ad revalidationem) *propter scandalum quod imminebat, si separarentur.* Sic ego intelligo dictum casum, malè aut benè, judicent alii.

510. *Occurritur objectioni.* Neque obstat: quòd Pontifex non meminerit iteratæ celebrationis Matrimonii, nam illa supponitur, tamquam jure naturæ necessaria; & ideò sufficienter subintelligitur, eo ipso quòd Pontifex concedit licentiam permanendi in Matrimonio invalidè contracto; cùm aliàs sine peccato non possint permanere.

Replica. ex Sanchez. Planè, reponit quispiam; sed in casu nostro poterant permanere sinè peccato formali; ibi enim (inquit Sanchez) conjuges bonâ fide existimabant, se legitimè conjugatos esse, & ex veritatis detectione timebatur grave scandalum: Quapropter Pontifex tacendum & dimissimulandum esse dicit, illosque in Matrimonio illo putativo, & invincibili ignorantiâ excusato, permittendos esse. Sic ille.

511. *Reprobatur.* Credat qui volet. Quis revelavit Sanchio illam bonam fidem conjugum, quâ existimabant, se legitimè conjugatos? Certè Pontifex nullam facit mentionem bonæ fidei. Et non est verosimile, Episcopum dispensationem, datam ex falsa causa, executioni mandasse; cùm, ut audivimus ex Glossa, Episcopus, visâ dispensatione seu indulgentiâ, dubitaverit, utrùm foret valida, & ideò consulverit Pontificem. Ergo non est verisimile, quòd ante rescriptum Pontificis, prætextu illius dispensationis, permiserit conjuges iteratò contrahere. Et ideo hic intellectus Sanchii nobis minùs placet.

Ut ut sit, ex d. textu, juxta communiorem ejus intellectum, habetur, non sufficere ad validam dispensationem, quòd narrata fuerint vera tempore præcedenti. Aliàs Pontifex non diceret; *Dissimulare poteris*, sed potiùs absolutè, possunt in copula sic contracta permanere, etiam secluso omni scandalo.

512. *Non sufficit, quòd preces tempore subsequenti dispensationem Papæ veræ sint. Probatur ex Sanchez per c. 9. de Rescript. in 6.* Quòd etiam non sufficiat, preces esse veras tempore tantùm subsequenti, putà quando Ordinarius vel Confessor exequitur dispensationem Pontificis, probat Sanchez lib. 8. disp. 30. n. 4. ex cap. 9. de Rescript. in 6. *Si eo tempore, quo tibi de beneficio cum cura, vel sinè cura mandavimus provideri, ad obtinendum curatum beneficium, idoneam non habebas ætatem: tibi, licet nunc legitimæ effectus sis ætatis, auctoritate literarum hujusmodi* (*cum tempore datæ ipsarum adhuc non esses idoneus*) *de beneficio, curam animarum habenti, nequaquam poterit provideri.*

Ubi Gloss. verb. *Si eo*, 1. inquit: *In literis ad beneficia impetratis, inspicitur tempus datæ; unde per illas beneficium curatum obtinere non poterit, quia licet nunc sit major, illo tempore minor erat.*

513. *Objectio.* Sed contrà Gloss. ibi verb. *Si eo*, 2. oppositum significat dicens: *Contradicit ad hanc inf. de Præbend. Ei cui provideri.* ubi sic legitur: *Ei cui provideri mandatur simpliciter de præbenda proximò vacatura, Sacerdotalis præbenda conferri non potest, si nondùm in ætate tali existat, quòd possit ad Sacerdotiũ promoveri.*

Ubi Gloss. verb. *Nondum*, ait: *Ergò non inspicimus tempus datæ, sed tempus vacationis: ut, si tunc est in ætate, benè quidem: aliàs sequentem expectet. Sed contrà sup. eod. lib. de Rescript.* Si eo tempore, *ubi non inspicitur tempus, quo vacat beneficium cum cura; imò solum tempus datæ.* Ecce contradictio, de qua Gloss. sup.

514. *Solutio.* Sequitur solutio: *In curatis*, inquit, *beneficiis, & in ipsorum impetratione, major idoneitas requiritur, quam in Sacerdotalibus præbendis, sup. eod. tit. & lib.* Et cum in illis, *sup. de Elect. isto lib.* Statutum: *& ideo favorabilior est hæc gratia, quàm illa. Præterea: hic loquitur generaliter quod genus civiliter est intelligend', ff. de Servit. l.* Si cui. *Præterea gratia illius Decretalis, saltem in altera parte, est duratura; hic autem posset gratia in totum extingui. Pone enim, quòd omnes præbendæ ibi essent Sacerdotales; si ergo ille, qui impetravit provideri de beneficio cum cura, vel sinè cura, tunc non erat ætatis idoneæ: pro ea parte, quâ de curato expressit, sunt literæ vitiosæ: si autem simpliciter impetravit*

impetravit super primo beneficio, curatum non debebitur, sup. eod. Cum in illis : *sed secùs cùm impetro provideri de præbenda, ut hic vides.* Io. And.

515. *Dictum cap. 9. non evincit sententiam Sanchij.* Quid vobis videtur, nunquid evincitur per d. cap. *Si eo tempore*, in dispensationibus inspiciendum esse tempus datæ, & non sufficere, narrata esse vera tempore executionis ? Sed cur potiùs ex eo cap. hoc concluditur, quam ex d. cap. *Ei cui provideri*, oppositum ?

Opposita opinio est Garciæ. Illa ergo opinio Sanchez non est omninò certa, & contrariam docet Garcia tract. de Benefic. part. 6. c. 2. n. 283. ibi : Undè infertur, ad dispensationes Matrimoniales, quæ committuntur Ordinariis, ut dixi, cum clausula : *Quòd diligenter se informent, & si repererint, preces veritate niti, dispensent*, quòd sufficiat narrata esse vera, & verificari tempore executionis ipsius dispensationis, seu commissionis, licet tempore datæ literarum non essent vera, & ita videtur practicari : nam articuli, qui fiunt pro verificatione dispensationum, semper loquuntur de tempore præsenti, & non de tempore datæ.

516. *Sententiam Sanchez tenent Corduba, Gutierrez, Abbas.* Quàmvis contrarium, scilicet narrata debere esse vera tempore impetrationis & relationis factæ Papæ, & non postea tempore executionis, teneat Corduba in Sum. q. 45. opin. 2. pun. 1. & Ioan. Gutierrez qq. Canon. lib. 2. c. 15. n. 131. & 133. & Tho. Sanchez de Matr. lib. 8. disp. 30. n. 4. & 5. ex Abbate in cap. *Quia circa*, de Consang. n. 4. qui ait : quòd veritas narratorum in dispensatione est consideranda secundùm tempus impetrationis ; non enim sufficit, narrata priùs fuisse vera, vel post impetrationem verificata, quando veritas

Item Rebuffus, & Mascardus. causarum narratur de præsenti. Et quòd necesse sit probare, narrata esse vera tempore impetrationis, docent etiam Rebuffus ad leges Gallicas 2. to. tit. de Rescript. in præfat. n. 56. & Mascardus de Probat. conclus. 1128. n. 22. Ita Garcia.

Postremos Auctores intelligit Garcia de dispensatione gratiosa. Et continuò subjungit : Sed Abbas ibi non loquitur de nostris terminis ; scilicet, quando dispensatio committitur alicui cum d. clausula : *Quod se informet, & si repererit preces veritate niti, dispenset*, sed loquitur de dispensatione in forma gratiosa, in qua certum est, veritatem narratorum considerandam esse secundùm tempus impetrationis..... Et ità etiam accipiendi sunt Rebuffus & Mascardus. Sic ille.

517. *Quæ sit dispensatio in forma gratiosa.* Sed quæ sit dispensatio in forma gratiosa, ibi non dicit. Videtur intelligenda dispensatio, quæ simpliciter committitur, sine ulteriori informatione, id est, sine d. clausula : *Quòd se informet* &c. ita ut Pontifex per se ipsum completè dispenset, & tantùm committat Ordinario ejus intimationem seu declarationem.

Ita accipio ex eod. Auctore in principio d. cap. Executores, inquit, qui hodie dantur pro executione literarum Apostolicarum super beneficiis vacantibus, alii dantur pro executione literarum in forma gratiosa, id est, quando collatio fit à Papa, & non committitur alteri faciendo ad inducendum, seu immittendum provisum in possessionem beneficii &c. Et tunc procul dubio veritas narratorum spectanda est secundùm tempus impetrationis, alioquì erit dissipatio & non dispensatio, & Pontifex erit iniquus dissipator, dispensando utique sinè causa.

Atque hæc est ratio, per quam probat Sanchez suam sententiam dicens : Pontifex ipse vel Pœnitentiarius est, qui reverà dispensationem concedit : & solam executionem Ordinario vel Confessori remittit, præmisso veritatis precum examine. Ne ergo illi sint iniqui dissipatores, oportet tunc veram esse causam. 518. *Probatio sententiæ Sanchij.*

Addit aliam probationem : quia sensus ejus clausulæ : *Si preces veritate nitantur*, is videtur esse : Si preces mihi propositæ veræ sunt, At non dicuntur veræ propositæ, si vel tempore præcedenti, vel subsequenti verificentur, si, quando Papæ vel Pœnitentiario proponuntur, non sunt veræ. Sic ille. *Alia probatio.*

Sed contrà : non esset iniquus dissipator Pontifex, si ita diceret : *Dispensa, si preces tempore, quo dispensabis, veræ sint*, veluti dum concedit potestatem dispensandi, aut dat mandatum dispensandi, non est iniquus dissipator ; tametsi tempore concessionis aut mandati non adsit justa causa. Iam autem dispensatio, de qua hìc loquimur, potiùs videtur esse mandatum dispensandi, quàm actualis dispensatio. 519. *Objectio.*

Sic enim sonat commissio, ut ibidem Garcia n. 105. *Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs depositâ per te omni spe cujuscumq; muneris aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere monemus, de præmissis te diligenter informes, & si per informationem repereris, preces veritate niti, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc dispenses &c.* *Tenor commissionis dispensandi.*

Quis dicet, hanc commissionem esse injustam dissipationem, eò quòd tempore commissionis preces veritate non nitantur ? Neque enim hìc est dispensatio sinè justa causa ; sed committitur dispensatio, suppositâ justâ causâ ; quòd autem tempore commissionis sit, vel non sit justa causa, quid hoc facit ad justitiam dispensationis, dummodo tempore, quo Commissarius dispensat, reverà talis causa reperiatur ? Quòd si Pontifex daret hujusmodi commissionem, quando nulla specialis causa dispensandi fuit allegata, num ideo esset iniustus dissipator ? 520. *An foret injusta, si pro tunc preces veritate non nitantur.*

Audite Gobatium sup. n. 677. (ubi pro sententia Garciæ adducit Tamburinum tr. 2. de Matr. c. 12. §. 3. dicentem, eam esse probabilem) singulariter, inquit, notandum, quòd procuratores foranei, seu extrà urbem Constantiam commorantes, non soleant in supplicatione pro dispensatione in tertio & quarto gradu adferre ullam specialem causam, & tamen obtinent Rescriptum dispensativum cum clausula : *Si preces veritate nitantur, & rationabilis aliqua causa intercedat, angustiæ loci, scandali vel infamiæ mulieris, dotisq; competentis à viro augendæ, vel alia similis.* 521. *Probatur quòd non, ex praxi, teste Gobatio. Tamburinus.*

Censes autem, hujusmodi rescriptum esse iniquam dissipationem, & Illustrissimum Dominum Nuntium, residentem in Curia Constantiensi, fore iniquum dissipatorem ? Cur ergo

Pontifex erit iniquus dissipator, si, propositis sibi causis, mandet Ordinario, ut dispenset, si preces nitantur veritate eo tempore, quo perficitur dispensatio? Ut verum fatear, non video in ea re iniquitatem.

522. *Rescriptum quoddam Nuntij Apost. pro illa opinione, ex Gobat.*

Imò, si credimus Gobatio sup., in Curia Illustrissimi Domini Nuntii nequidem observatur doctrina Garciæ sup. n. 286. ubi, ut vidimus, admittit sententiam Sanchez in casu, quo Pontifex dispenset in forma gratiosa, ut patet ex hoc rescripto, dato ex Curia Nuntii Apostolici, dato, inquam, anno 1665. in favorem cujusdam NN. qui cum impetrasset dispensationem pro Ordinatione extrà tempora cum clausula: *Cùm tamen, ut asseris, beneficio artatus existas*; fuisset que rejectus ab actuali Ordinatione, idcireo, quòd tempore datæ dispensationis nec fuerit beneficio instructus, nec ejusdem tunc capax, utpotè nequidem primâ tonsurâ ornatus; recurrit ad Illustrissimum Dominum Nuntium Lucernensem, à quo emanârat illa dispensatio, retulitque scripto hoc responsum; posse ad Ordines admitti, modo tunc adsint requisitæ conditiones, quando re ipsâ confertur Ordo. Ita refert Gobat tract. 8. n. 751.

523. *Aliud responsum.*

Et addit: Ex qua eadem Curia seu Aula fuit in omninò simili causa immediatè ad me expeditum responsum his verbis: *Similes dispensationes, ut R. V. est benè informata, valent suo loco & tempore, id est, si orator non erat artatus Beneficio, quando supplicavit pro dispensatione, sed tamen illius collationem brevi sperabat, is tunc frui poterit facultatibus hujus Nunciaturæ, quando realiter beneficiatus existet. Hâc enim conditione dicit Illustrissimus meus, quòd concesserit, & concedet, non solum extra tempora, sed etiam alias dispensationes, quæ non possunt sortiri suum effectum, nisi conditione impletâ* &c. Lucernæ 15. Iulii an. 1666.

Anton. Lepori Secretar.

Potest sufficere, quòd causæ sint veræ tempore effectûs dispensationis.

Videtur ergò sufficere ad justitiam dispensationis, ut scilicet non sit iniqua dissipatio boni communis; quòd causæ verificentur eo tempore, quo dispensatio habet effectum; nam solus effectus opponitur observationi legis, v. g. Ordinatio extrà tempora, Matrimonium inter consanguineos &c.

524. *Pontifex non solet sic dispensare.*

Et verò si Nuntius Apostolicus sic rectè dispensat, cur non etiam Sedes Apostolica sic rectè posset dispensare, si vellet? Non video, quid obstet. At nunquid vult Pontifex sic dispensare? Ipsum consule & Curiam ejus, & non dubito, quin negativum responsum impetrabis. Quidquid sit de Curia Constantiensi aut Lucernensi, quæ sunt Curiæ particulares, & ideò earum stylus non facit legem universalem: non puto Curiam Romanam, quæ est universalis totius Ecclesiæ, talem modum dispensandi observare; cùm communis sententia doceat, tempore, quo dispensatio Romæ expeditur, aut tempore, quo Ordinarius eam exequitur, preces debere niti veritate.

525. *Aliqua dispensatio requirit veritatem narratorum tempore expeditionis Romanæ, etiam Garcia docet sup. n. 287. Rogas, quæ isthæc? Dispensatio cum copula, in quâ impetrantes narrant, inter eos copulam præcessisse, & quòd, nisi Matrimonium inter eos contraheretur, ipsa diffamata & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri: hanc, dico, dispensationem censet d. Auctor non valituram fuisse, si ista non essent vera tempore impetrationis, sed postea consultò copulam habuissent, ut infamia & nota possent verificari, idque propter fraudem & dolum, quæ alicui patrocinari non debent, cap. Sedes, cap. Ex tenore, de Rescript. Et sic procedet (inquit ipse) sententia Cordub. sup. non aliàs.*

Dispensatio requirit veritatem narratorum tempore expeditionis Romanæ, ex Garcia.

Cautela magna adhibenda est in examine veritatis precum, ex Sanchez.

Undè Sanchez sup. disp. 30. n. 5. inquit, Ordinarios vel Confessores, quibus hæ dispensationes committuntur, cautissimos se habituros esse, dum precum veritatem examinant. Nam facillimo negotio decipientur, solam causæ veritatem examinantes: cùm sæpè contingat ejus veritas post concessionem. Romæ factam; v. g. allegatur fœminam jacturam famæ passam esse, ex frequenti conversatione cum viro, cui nuptura est, & sæpè ea infamia post tempus datæ dispensationis suborta est. Hæc ille.

526. *Expenduntur quædam verba Garciæ, ex Gobat.*

Notat autem Gobat sup. tr. 9. n. 677. circà finem, Garcia dixisse: *Consultò copulam habuissent*, id est, ex communi consilio fuisset imprægnata, ut infamia & nota posset verificari. Ex quo arguit, ipsum aliud sensisse de casu, quo fuit absque prædicta intentione secuta imprægnatio, periculumque infamiæ verificatum eo solo tempore, quo commissarius erat functurus officio sibi demandato. Atque ita resolvi (inquit Gobat) re adhuc integrâ.

In dispensationibus matrimonialibus oportet sequi partem tutiorem.

Credo te ita resolvisse. Sed an benè, hoc quæritur, & judicent alii doctiores; ego quippè in hâc materiâ tantâ sententiarum varietate intricatâ, libentiùs disco, quàm dico, ne audeam docere quod nescio. Hoc scio, in dispensationibus Matrimonialibus, à quibus dependet valor actûs, expedire omninò, ut sequamur partem tutiorem, id est, evitemus periculum invaliditatis, quantùm commodè fieri potest, ut evitentur plura incommoda, & pericula sæpè animarum, quæ alioquì facilè oriri possent, maximè quando res adhuc est integra, Matrimonio scilicet nondum inito. Et hinc etiam suadeo, ut,

CONCLUSIO XI.

Qui habet plura impedimenta non connexa, ejusdem vel diversæ speciei, per se loquendo omnia simul explicet, ut dispensatio valeat.

527. *Omnia impedimenta diversæ speciei non*

QUando unum impedimentum diversæ speciei in altero includitur, v. g. publica honestas in affinitate, superiùs diximus, an debeat utrumque explicari; vide Conclus. 5. Ubi

connexa sunt necessariò explicanda.

Ubi etiam invenies, quòd plura impedimenta diversæ speciei non connexa, omnia necessariò sint exprimenda, v. g. consanguinitas & affinitas.

Ratio.

Ratio est manifesta: quia quodlibet impedimentum per se dirimit Matrimonium, atque adeò per se postulat distinctam dispensationem, & distinctam causam dispensandi: ergo nisi utrumque exprimatur cum proportionata causa, censetur solùm in eo dispensatum, quod expressum fuit cum sufficienti causa. Hoc est apud Omnes certum.

528. *An omnia sint explicanda in eadem dispensatione. Negat Navar.*

Dubitatur autem & multùm disputatur, utrùm debeant simul exprimi, sive in eadem dispensatione, an verò sat sit in diversis. Navarr. lib. 4. Consil. in 2. edit. tit. de Consang. consil. 8. n. 3. ait: Stylus Curiæ videtur tenere, ut impetratio super uno impedimento Matrimonii valeat, non factâ mentione de alio: non quidem ad hoc, ut censeatur sublatum aliud; neque quoad hoc, ut possit contrahi Matrimonium licitè, antè dispensationem super alio; sed quoad hoc, ut dispensatio valeat, & censeatur sublatum impedimentum, super quo habita est illa: & quòd post habitam dispensationem super alio justè poterit contrahi Matrimonium. Sic ille. Loquitur autem de duplici impedimento, quorum alterum dirimit Matrimonium, alterum verò tantùm impedit.

529. *Probatur 1.*

Idemque asserit consil. 9. n. 2. Tum, inquit; quia nullo jure cavetur, dispensationem super uno impedimento Matrimonii esse nullum, eò quòd super altero non sit habita. Tum, quòd stylus Curiæ videtur habere, quòd dispensatio facta super uno impedimento, valeat antequam dispensetur super alio; licèt non possit justum juris effectum sortiri, donec super alio dispensetur: sicuti excommunicatus duplici excommunicatione, frequenter absolvitur ab una, antequam absolvatur ab aliis; & valet prior absolutio, licèt non restituatur ei communio, donec ab altera absolvatur, per cap. *Ex parte*, 15. de Offic. Ordinar. junctâ Glossâ receptâ verb. *Redire.*

Secundò.

Simile.

530. *Tertia probatio.*

Tum, quòd Ægidius ait: quòd non omnia tacita, quorum expressio potuisset movere Principem, ad difficiliùs concedendam gratiam, illam vitiant; sed ea solùm, de quibus reperitur jure expressum, quòd in impetranda gratia debeant exprimi: nam impetranti beneficium, & dicenti, se criminosum, Papa verisimiliter difficiliùs illud concederet: at tacere hoc, minimè nocet: quia valet collatio facta criminoso, nisi sit crimen inducens inhabilitatem ipso jure. Hactenùs Navar.

Loquitur Navar. de uno impedimento dirimente, & altero tantùm prohibente. Em. Sa.

Quem multi alii sequuntur, quos refert Sanchez sup. disp. 23. n. 1. Et quamvis solùm loquatur de duplici impedimento, quorum alterum dirimit Matrimonium, alterum verò tantùm impedit: equidem Em. Sa verb. *Dispensatio*, n. 16. ipsum generaliter intelligit de omni impedimento, dicens: Potest peti dispensatio super uno impedimento publico vel occulto, tacito alio publico vel occulto, imposterùm dispensando.

Et sanè eadem videtur omnium ratio; scilicet, quia sicut sunt plura impedimenta; sic etiam sunt plures dispensationes, & plures causæ proportionatæ; undè sicut est concursus duorum impedimentorum, aut plurium; ita etiam est concursus duarum dispensationum, & duarum causarum, aut plurium. 531. *Eadem videtur omnium ratio.*

Veluti dum impetratur venia diversorum criminum, v. g. furti & homicidij, valet impetratio seorsim facta: nec in unius impetratione necessaria est alterius mentio. Et sicuti si jam esset dispensatum in affinitate, & post dispensationem incurreretur nova affinitas, aut aliud specie distinctum impedimentum, v. g. criminis, sufficeret explicare illud ultimum impedimentum, tacito primo; quia in eo jam dispensatum est, & nova causa supervenit, dispensandi etiam in secundo. *Probatur à simili.*

His tamen & aliis non obstantibus (propter quæ hæc sententia probabilis est, nec potest justè damnari, qui illam amplecteretur, nisi fortè tot impedimenta concurrerent, ut justè possit credi, Pontificem legitimè non dispensaturum ex causis sibi propositis, si tot impedimenta concurrere nosset) Sanchez sup. n. 2. accedit sententiæ (tamquam longè probabiliori) quæ asserit, necessariò in eadem dispensatione esse mentionem plurium eorum impedimentorum faciendam, ne dispensatio subreptitia sit, ac nullius prorsùs valoris. 532. *Hæc sententia est probabilis.* *Oppositæ adhæret Sanchez.*

Ducor (inquit ille) quòd in dispensatione, ne subreptionis vitio notetur, narranda sint omnia, quæ jure jubentur exprimi. At quodlibet impedimentum dirimens jure jubetur exprimi. *Probatio.*

Dices: non exprimi in jure, ut in eadem dispensatione utrumque impedimentum declaretur. Sed respondeo: quàmvis id non expresse his verbis in jure contineatur; at eo ipso quòd jura præcipiunt, omnia impedimenta Pontifici exprimi, nihilque taceri ex iis, quæ ad dispensationem intrinsecè conferunt, præcipiunt subinde, omnia impedimenta in eadem dispensatione exprimi. Quia aliquo tacito, verum esset dicere, taceri veritatem, intrinsecè conferentem ad dispensationem. Sic ille. 533. *Objectio solvitur.*

Sed videtur esse petitio principii: nam hoc est quod quæritur; utrùm veritas illa intrinsecè conferat ad hanc dispensationem; an verò sufficiat, quòd in alia dispensatione exprimatur. Igitur hoc non est supponendum; sed manet probandum.

Probatur, inquis; quia aliàs impedimentum, in dispensatione narratum, non exprimitur prout par est. Quippè conjunctum cum altero impedimento tacito, constituitur vinculum longè strictius ac difficilioris dispensationis: ut constat ex cap. *Ex tuarum*, 5. de Auctorit. & usu pallii. cap. 1. de Treuga & pace. *cap. Pastoralis*, 19. de Privil. Idque docet principium physicum, dictans, virtutem unitam fortiorem esse, se ipsâ dispersâ. Quare meritò ac jure optimo Pontifex, utriusque vinculi conscius, hæreret, maturiùs expendens, an ejus concessio expediret. Ita Sanchez sup. 534. *Confirmatur hæc sententia ex diversis juribus.*

Sed

535. *Ostenditur ea non concludere.*

Sed contrà : ex dd. capitibus nihil aliud probatur, quàm quòd plura impedimenta fortiùs ligant, ut Omnes fatentur : & ideò sublato uno, equidem contractus Matrimonii non valet, altero adhuc remanente.

Ostendo ex d. cap. *Pastoralis* in fine : *Quia per indulgentiam hujusmodi Episcopali juri non credimus derogari.* Ubi Gloss. verb. *Indulgentiam*, ait : *Si de duabus servitutibus altera remittatur, alia remanet in suo statu. ff. de Servit. urb. prædio.* Si domus tua, *& sup. de Usu pallii : Ex tuarum.* Et quis, quæso, asserit, sublato uno impedimento, alterum non remanere ?

Porrò d. cap. 1. de Treuga & pace, nihil aliud dicitur, quàm : *Et quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur, præcipimus* &c. Ubi Gloss. verb. *Funiculus*, inquit : *Primus est, excommunicatio proprii Episcopi. Secundus est, vicinorum Episcoporum observatio seu confirmatio. Tertius, consilium & auxilium eorumdem : & ideo quantò fortior est, difficiliùs rumpitur.*

536. *Sufficit quòd debeant exponi in una aut pluribus dispensationibus.*

Ergò qui habet plura impedimenta Matrimonii, debet illa omnia in eadem dispensatione exponere, negatur Consequentia. Sufficit, quòd debeant exponi in una vel pluribus, ut verum sit, plura impedimenta difficiliùs rumpi quàm unum. Nemo ergò negat, quin duo aut tria impedimenta fortiùs ligent, quàm unum tantùm, & quin major causa requiratur, ad illa duo vel tria impedimenta, seu vincula dissolvenda. Sed quòd hoc debeat fieri in eadem dispensatione, hoc est quod quæritur, & non satis probatur ex dictis juribus.

Quare immeritò Pontifex, utriusque vinculi conscius, hæreret, maturiùs perpendens, an ejus concessio expediret, salvâ semper justitiæ causâ. Et quàmvis meritò hæreret, nunquid meritò negaret dispensationem, si videat sufficientiam causæ ?

537. *Arguitur pro sententia Sanchez ab absurdo.*

Dices : absurdum videtur, admittere validam esse dispensationem laborantis 8. impedimentis dirimentibus, decepto Pontifice, petitis ab ipso 8. dispensationibus seorsùm. Quippè Pontifex facillimo negotio eas 8. personis concederet : at uni nullatenus concederet. Non enim præsumitur, Principem velle promovere odiosos, ac multipliciter criminosos. Quod ad multiplex jure impedimentum habentes, quàmvis ex delicto non nascatur, rectè adaptari potest. Cùm in jure censeantur odiosi ad Matrimonium illud, multipliciter impeditum, inter se celebrandum. Ita Sanchez.

Sed perperàm.

Sed in quo jure, aut in quo textu juris, censentur tales odiosi ? Tacet hìc Sanchez ; cùm tamen alibi sæpè soleat textus juris allegare, quando ex jure aliquid vult probare. Signum, quòd nullum textum juris hìc sciverit, nec ego scio.

538. *Aliud arg. pro Sanchio, ex l. 20. ff. Qui test. &c. & c. 1. de Ætate &c.*

Aliter ergò argumentatur Sanchez ex adductis juribus, dicens : Pontifex dispensans in uno impedimento, sibi proposito, decipitur in re necessaria, quoties plura subsunt impedimenta. Quippè meritò existimat, contrahere volentes nullo alio impedimento laborare ; arg. ex l. *Qui testamento*, in principio, ff. Qui testam. facere possunt, &c. ibi : *Si aliud eos nihil impediat.* Et cap. 1. de Ætat. & qualit. in 6. ibi : *Si aliud non obstat.* Sic ille.

Non concludit.

Ego autem non video bonitatem hujus Consequentiæ : Dicta lex ait : Legatarius & tutor *testes possunt adhiberi*, in eodem testamento, *si aliud eos nihil impediat.* Et d. cap. 1. permittit Episcopis dispensare cum Majore 20. annis in dignitatibis & personatibus non curatis, *Si aliud non obstat :* Ergò Pontifex meritò existimat, contrahere volentes nullo alio impedimento laborare. Sed, meo judicio, meliùs sequeretur : ergò dispensati possunt contrahere, *Si aliud eos nihil impediat*, sive : *Si aliud non obstet.*

Igitur Pontifex immeritò existimat, contrahere volentes nullo alio impedimento laborare ; quia petitio eorum hoc non sonat, sed tantùm se laborare hoc impedimento, quod exponunt, & verissimum est. Quippè scire potest, multorum sententiam esse, non fore omnia impedimenta in eadem dispensatione explicanda. Atque adeò dispensando censetur tollere impedimentum, quod expositum fuit, & dispensati possunt contrahere, nisi aliquid aliud obstet.

539. *Tertium arg. Sanchij.*

Dices (& est tertium argumentum Sanchii) quoties dispensatio est unica & individua, vitiatur prorsùs, ita ut nec partim valeat, quando tacetur veritas intrinseca dispensationi, vel narratur falsitas. At dispensatio hæc est individua ad unicum Matrimonium ineundum, & in unico impedimento expresso. Cùm ergò veritas alterius impedimenti, quæ necessaria est, ac dispensationi intrinseca, taceatur, tota dispensatio corruet.

540. *Confirmatur.*

Et confirmatur ; quia aliàs dispensatio valida esset, si datâ operâ hic mentiretur, proponens unum impedimentum, ac dicens, nullum aliud se habere. Nam si veritas illius impedimenti non est necessariò explicanda in ea dispensatione, erit mendacium circà rem non necessariam. Quod non vitiat dispensationem, sicut nec Confessionem Sacramentalem. Quippè perinde irritatur dispensatio ex taciturnitate veritatis necessariæ, ac ex mendacio circa illam. Quod valde absurdum videtur. Ita Sanchez.

Sed frustrà laboratur.

Sed quid dicam ? Quod uni videtur valde absurdum, alteri nullum videtur inconveniens. Nec verò videri potest eo suppositio, ut veritas, quæ tacetur, non sit necessaria, quod Adversarii Sanchez contendunt. Undè huic incumbit probare dictam necessitatem. Maximè cùm stylus Curiæ, juxta Navar. sup., oppositum servet.

541. *Resp. Sanchij ad stylum Curiæ, eum id non habere, nisi in duplici casu. Primus.*

Respondet Sanchez sup. n. 10. stylum Curiæ id non habere, nisi in duplici casu. Primum explicat n. 7. quando alterum impedimentum est occultum, & ejus generis, ut ex manifestatione sequeretur infamia : tunc enim (inquit) non est necesse, utrumque impedimentum proponi Pontifici ; sed satis est ei proponere publicum, ut in foro externo dispenset ; occultum autem sacræ Pœnitentiariæ, explicato quoque impedimento publico illi, super quo Pontifex dispensavit. Ut si quis velit ducere propriam consan-

consanguineam, cui affinitate quòque occultâ conjunctus est, ratione copulæ occultæ cum ejus sorore.

Ratio. Et ratio est; quia piè & jure optimo ea creditur intentio Pontificis, ne similis casus remedio dispensationis destitutus sit: vel cogantur hi crimen occultum in foro externo prodere, cum propriæ famæ jactura ac periculo, ut crimen illud, sic explicatum, deferatur ad judicium sæculare, & damnetur pœnis incestui jure statutis.

542. *Requiritur, ut utrumque impedimentum declaretur Pœnitentiariæ.* Dixi autem; esse necessarium, utrumque impedimentum declarari sacræ Pœnitentiariæ: quia cùm in ea dispensatione non contineantur nomina contrahentium, manet adhuc occultum crimen, ac utrumque impedimentum notum fit Pontifici, cum quo, consultatione habitâ, dispensat Pœnitentiaria: & perpendit, an dispensare expediat, nec ne, occurrenti eo duplici impedimento: ac proinde nihil contrà Pontificis mentem impetratur.

Ita hæc consulta respondit. Et ita à consulta Sacra Pœnitentiaria Romana responsum est, hoc sufficere, & esse necesse. Et ego vidi ipsas Pœnitentiariorum subscriptiones. Nec refert, sive priùs proponatur utrumque sacræ Pœnitentiariæ, & posteà publicum Papæ, sive econtrà: quia idemmet effectus, & utroque modo intentioni Pontificis satisfit.

543. *Tenor commissionis dispensandi.* Et ita his diebus venit ad manus meas dispensatio sacræ Pœnitentiariæ in hujusmodi casu, ubi affinitas occulta contracta erat cum consanguinea, & tenor commissionis sic se habebat: *Si ita est, dispensa, postquam cum ipso & dicta sorore super consanguinitatis hujusmodi impedimento dispensatum fuerit.* Ubi supponitur, nondum dispensatum esse per Pontificem in consanguinitate.

Et similiter credo, posse tunc Confessarium, cui sacra Pœnitentiaria hoc committit, dispensare in ea affinitate, licèt nondum impetrata sit consanguinitatis dispensatio; ut posteà, eâ impetratâ, possint illi licitè contrahere. *Explicatur.* Quia mens ejus commissionis non est, ut anteà non expediat eam dispensationem Confessarius; sed ut non sortiatur plenum effectum concedendæ facultatis ad Matrimonium, donec Pontifex in impedimento alio dispenset. Hucusque Sanchez.

544. *An hæc dicta sint vera de quolibet impedimento occulto. Affirmat Sanchez.* Idem credit dicendum de quolibet impedimento occulto, etiam non infamatorio, tametsi publicaretur, v.g. voto. Ducitur: quòd cùm sacram Pœnitentiariam destinârit Pontifex, ut in occultis dispenset, nec ea voluerit publicè in foro externo proponi, piè & meritò credi potest, velle eum sufficere & requiri, ut vel utrumque impedimentum sibi proponatur, vel sacræ Pœnitentiariæ; explicato tamen publico sibi, super quo sacra Pœnitentiaria potestate caret. Quando autem priùs impetraretur à Sacra Pœnitentiaria, vel à Pontifice illius voti dispensatio, non esset opus mentione alterius impedimenti; sed tunc solùm, quando priùs impetratur alterius impedimenti. Ita Sanchez sup. n. 8.

At verò Navar. lib. 1. Consil. tit. de Constit. Cons. 1. propositâ hâc quæstione (quæ in ordine est 19.) Cum aliquis duo habet impedimenta essentialia, quorum alterum sit publicum, alterum secretum; ut si contraxerit cum consanguinea in 4. gradu, cujus sororem carnaliter priùs cognoverat; an satis sit impetrare gratiam à Pontifice impedimenti publici consanguinitatis, non narrando alterum impedimentum occultum; & posteà impetrare gratiam ab aliquo, qui eam concedere possit pro occulto, etiam non narrando publicum impedimentum.

545. *Quid sentiat Navar. de hac quæstione.* Respondet: De quæstione hac, vel alia similis difficultatis, controversiam fuisse in sacro Pœnitentiariæ Prætorio, neque adhuc omninò sopitam, quàmvis, inquit, meâ sententiâ pars affirmativa sit vera. Quam variè probat n. 49. & seqq. eisdem omninò argumentis sup. pro eadem sententia ab eo adductis. Et quidem jam plerisque responsum fuit, quàmvis, ut verum fatear, satis inefficaciter, ut patet ex dictis.

546. *Resp. Sanchez. ad exemplum excommunicationis.* Restat exemplum excommunicationis; ad quod respondet Sanchez sup. n. 10. quòd ad dispensationis valorem petitur jure, omnia impedimenta explicari, & in eadem dispensatione. At ad valorem absolutionis ab excommunicatione, nullo jure cavetur, ut impedimentum aliquod explicetur, præter eam causam præcisè, ob quam excommunicatio incursa est, cujus absolutio petitur. Imò nec eam causam necesse est explicare. Quia adhuc ipsâ excommunicatione non expressâ per oblivionem, manet pœnitens ab ea absolutus per generalem ab excommunicatione absolutionem, præmitti solitam absolutioni à peccatis. Sic ille.

Sed rursùm supponit, quod probandum est, & ab aliis negatur; scilicet, quòd jure omnia impedimenta explicari debeant in eadē dispensatione.

547. *Aliud arg. pro ipso à simili. Siculus. Felinus.* Probatur, inquis, à simili: quia remissio pœnæ homicidii est nulla, mentione non factâ remissionis alterius similis, secundùm DD. communiter. Propter quod dixit Andreas Siculus, relatus à Felino, vidisse decapitari unum homicidam, non obstante remissione secundi homicidii impetratâ, non factâ mentione de priori, & non aliâ ratione, quàm quia difficiliùs Princeps remisisset secundum, si meminisset remissionis prioris.

Solutio Navar. Respondet Navar. sup. n. 53. negando, quòd id eveniat ex ea sola ratione; sed etiam, eò quòd tacetur verum, quod per leg. 3. Cod. de Episcop. audientia, deberet exprimi in secunda impetratione veniæ. Nam prædicta lex 3. statuens, ne crimina iterata remissionem habeant (ibi: *His ergò tali sub astrictione damnatis, indultum nostræ Serenitatis, eo præcepti fine, concludimus, ut remissionem veniæ crimina, nisi semel commissa, non habeant*) significat, necessariam esse expressionem remissionis criminis semel admissi, ut valeat remissio iterum admissi. In quæstione autem proposita, non agitur de remissione criminis, & minùs de remissione criminis iterati; imò nec de relaxatione impedimenti iterati.

548. *Confirmatur.* Quæ solutio confirmatur evidenter: eò quòd nemo negat, impetrationem veniæ homicidii valere, non factâ mentione de impetratione veniæ incestûs, adulterii, furti, rapinæ, aut alterius criminis separatim, & dissimilis, priùs obtentæ. Ita Navar.

Arg. pro Navar.

Pro cujus sententia etiam illud adducitur; quòd aliàs ligatus voto castitatis, volens ducere consanguineam, non posset priùs validam voti dispensationem impetrare. Et si id sit ex iis, in quibus Episcopus dispensat, ut non nubendi, vel pœnale castitatis, non posset hujus ab Episcopo petere dispensationem, & posteà à Pontifice consanguinitatis.

549. *Quid respondeat Sanchez.*

Sed hoc negat Sanchez sup. n. 4. etsi admittat, taliter ligatum voto, non posse priùs validam consanguinitatis dispensationem impetrare, nisi in eadem dispensatione fiat mentio voti. Ratio (inquit) differentiæ est; quòd in hoc posteriori casu (intelligit, quando priùs petitur dispensatio voti) nec dispensatio petatur, nec eò pertineat, ut voventi liceat virtute illius ducere fœminam, ergà quam est speciale impedimentum, nec ad aliquod Matrimonium peculiare est: sed tantùm, ut vovens sit licitè ineundi Matrimonii capax: vel si fuit votum non ineundi cum consanguineis, vel non cum hac speciali consanguinea (dato, quòd id votum esset validum) solùm petit virtute hujus dispensationis in voto, eximi ab ea obligatione voti, quam obligationi juris communis superaddidit sibi: nec, eâ dispensatione obtentâ, fas est sibi consanguineam, vel aliam, cum qua impedimentum habet, ducere. At ad hæc nullum aliud impedimentum est, nisi voti. Ergò ejus solius mentio facienda est. Et cum jam voti obligatio sit per legitimam dispensationem ablata, quando rursùs petitur dispensatio ad ineundum cum hac consanguinea, solùm obstat huic Matrimonio impedimentum consanguinitatis, vel cujuscumque alterius impedimenti dirimentis.

Differentia inter eum qui priùs petit dispensationem voti.

Nec est necessarium, dispensationis priùs concessæ mentionem facere; quòd sint circà diversa, & una non excedat alteram. Ergò satis est sola impedimenti hujus dirimentis narratio.

Et qui priùs petit dispensationem consanguinitatis.

At in priori casu (quando primò petitur dispensatio consanguinitatis) sunt duo impedimenta ad illud speciale Matrimonium, cujus dispensatio petitur; alterum illud dirimens, alterum impediens illius voti. Ergò utrumque in eadem dispensatione narrandum est, ne subreptitia sit.

550. *Quid si, sublato uno impedimento, aliud superveniret.*

Quare idem dicendum esset, si sublato uno impedimento dirimenti, superveniret aliud; satis enim esset, in posteriori dispensatione solius supervenientis mentionem facere, tacitâ priori dispensatione. Quòd militet eadem ratio: tunc enim unicum obstat impedimentum, & dispensationes sunt circà diversa. Ut si quis, obtentâ dispensatione ad ducendam consanguineam, & expeditâ jam per Ordinarium, contraheret cum illa affinitatem, cognoscendo ejus sororem; satis esset aliam, hujus solius affinitatis mentione factâ, dispensationem impetrare.

Dixi: *Expeditâ jam per Ordinarium*: quia cùm anteà nondum perfecta sit prioris impedimente dispensatio, nec possit expediri, superveniente affinitate; eò quòd jam sint duo impedimenta: esset necessarium, aliam dispensationem à Pontifice impetrare, in qua utrumque simul impedimentum explicetur, ne subreptitia sit. Usque adhuc Sanchius. Conformiter ad suam priorem sententiam, de qua hìc principaliter disputamus. Alioquì juxtà sententiam Navarri aliter foret ratiocinandum, ut satìs lucet ex dictis.

551. *Quid hìc sentiat Dicastillo. Casus in quo non debeant plura impedimenta simul exprimi.*

Cæterùm Dicastillo hìc disp. 8. n. 146. quàmvis, inquit, utraque sententia satìs probabilis sit; media quædam via mihi magìs placet, ut aliquid demus uni sententiæ, aliquid alteri: nempè si plura impedimenta adeò sint diversæ rationis, & adeò inter se non connexa, ut quàmvis simul concurrant, unum non augeat indecentiam alterius, neque simul unam quamdam majorem indecentiam componant aut constituant; tunc non est necessarium, utrumque simul, seu utriusque simultatem & concurrentiam explicare; sed satìs est, cujusque dispensationem per se petere, v. g. quando simul concurrunt votum & affinitas: tunc enim nullum resultat strictius impedimentum ex conjunctione utriusque, præsertim cùm dispensatio in voto non ordinetur determinatè ad ducendam consanguineam, sed solùm ad conjugium indifferenter. Sic ille.

552. *Expenditur.*

Sed nunquid id contrariatur Sanchio? Minimè, ut vidimus, dummodo priùs impetretur dispensatio voti. Igitur, ut in hoc puncto Dicastillo aliquid concedat Navarro; oportet, ut dispensatio valeat, etiam dum priùs exponitur consanguinitas seorsim à voto. Et verò dicta ratio Dicast. videtur etiam tali casu militare; scilicet, quia nullum resultat strictius impedimentum ex conjunctione utriusque, sive unum priùs exponatur, sive alterùm. Neque dispensatio voti posteriùs facta, magìs determinatè ordinatur ad ducendam consanguineam; quia eâ habitâ, potest aliam ducere, relictâ consanguineâ, adeoque ex vi hujus dispensationis non magìs determinatur ad hanc ducendam, quàm aliam quamlibet indifferenter. Hæc ergò videtur fuisse mens d. Auctoris.

553. *Casus, in quo, juxtà eum, debent exprimi.*

Quando verò (prosequitur) sunt ejusdem rationis, & adeò inter se connexa, vel ad idem objectum seu eumdem finem spectantia, ut prudenti æstimatione, ex conjunctione utriusque sit, aut resultet nova quædam, aut major indecentia; tunc necessarium erit utriusque simultatem exponere; v. g. si sint duæ consanguinitates, quæ conveniunt in eo, quòd utraque sit conjunctio naturalis. Item consanguinitas, & affinitas, aliave cognatio; nam omnes hæ vel aliquæ, si concurrant simul, conveniunt vel in una ratione generica conjunctionis, & propinquitatis, vel in una ratione specifica talis conjunctionis & propinquitatis; ratione cujus conjunctionis, prædicta omnia sunt impedimenta; & concursus eorum auget conjunctionem, atque habet rationem impedimenti; quodlibetque illorum censetur strictiùs, fortiùsque ligare, propter conjunctionem cum altero; & rationabili morali æstimatione unumquodque per se difficiliùs tollendũ censetur, majoremque requirit

requirit causam, ut tollatur in consortio alterius, quàm si esset solùm sinè altero; atque hoc secundum est, quod probat prima sententia.

Etiam jure naturali.

Quapropter quòd hæc posteriora impedimenta simul declarentur, videtur requiri jure naturali; quàmvis enim possit unum absque altero auferri, difficiliùs tamen auferuntur plura simul; non solùm difficultate tenente se ex parte Pontificis concessuri dispensationem, qui difficilius movebitur ad dispensationem concedendam; sed etiam ex parte ipsorum impedimentorum; quia fieri potest, ut causa, quæ rationabiliter censeatur sufficiens ad dispensandum seorsim in unoquoque, non sit, nec censeatur talis ad dispensandum in omnibus simul concurrentibus. Ita Dicastillo.

554. *Argumentum contrà,*

Respondetur: etiam fieri potest, ut causa, quæ proponitur, sit & censeatur sufficiens, tam ad dispensandum seorsim in unoquoque, quàm ad dispensandum in omnibus simul concurrentibus: cur ergò tunc saltem non erit valida dispensatio in unoquoque seorsim? Et dato, quòd non esset sufficiens; hinc solùm sequitur, quòd dispensatus in uno seorsim, non possit contrahere Matrimonium, nec validè, nec licitè, nisi accedat alia dispensatio seorsim, propter novam sufficientem causam.

Propter quod Dicast. oppositum putat probabile,

Quod probè sciens præfatus Auctor ibidem n. 148. sic ait: Probabile nihilominùs videtur oppositum, præsertim si causa dispensandi sit nova (loquitur de casu, in quo post dispensatam consanguinitatem, supervenit affinitatis impedimentum) pro novo impedimento: nam tali casu, pro primo impedimento dispensando, & ejus difficultate superanda, fuit una causa sufficiens, & pro secundo jam adest alia. Unde sicut est concursus duorum impedimentorum, ita est concursus duarum causarum; & si qua est major difficultas in concursu duorum impedimentorum; ita potest intelligi major vis causæ in concursu duarum causarum, quarum quævis sufficiat pro suo impedimento. Sic ille.

555. *Item, probabilem doctrinam Navarri.*

Et statim subjungit: Hæc sanè responsio, ratio, & doctrina videtur ostendere etiam probabilitatem secundæ sententiæ (Navarri) quam probabilem putat Sanchez n. 1. in fine. Nam etiamsi neuttum impedimentum sit dispensatum, & diversis petitionibus seorsim cujusque dispensatio petatur, si in petione unius offeratur una causa, & in petitione alterius altera, quæque sufficiens pro suo impedimento, jam concursus duorum impedimentorum videtur vinci per concursum duarum causarum dispensandi, censeriqúe potest Pontifex dispensaturus alioquin in duobus simul impedimentis concurrentibus, propter duas simul causas concurrentes, sicut dispensat in impedimentis seorsim, propter causas seorsim. Hæc ille.

Quid si post dispensationem consanguinitatis, superveniat affinitas.

Qui ibidem n. 147. docet cum Regio disp. 33. dub. 6. n. 74. quod si fortè unum impedimentum, v. g. consanguinitas, aut affinitas sit dispensata, & post superveniat alia affinitas, in petitione dispensationis pro posteriori impedimento, debere fieri mentionem prioris: quia nimirum major indecentia est circà Matrimonium ineundum cum persona, quæ priùs habuit impedimentum, quàmvis dispensatum, & posteà habuit aliud, in quo vult dispensari. Nam dispensatio non facit, quòd illi contracturi anteà non fuerint consanguinei, vel affines; sed quòd ea consanguinitas vel affinitas non obstet, quominus Matrimonium licitum sit & validum.

556. *Deberet prioris meminisse in posteriori dispensatione, juxtà Regium, per c. 2. de Fil. Presbyt. in 6.*

Undè (inquit Coninck sup. n. 75.) si Petrus vellet posteà obtinere dispensationem in illa affinitate, positâ veritate secundæ sententiæ (Sanchii) deberet simul facere mentionem consanguinitatis, in qua priùs fuit dispensatum: ut apertè in simili colligitur ex c. 2. de Fil. Presbyt. in 6. sequentis tenoris: *Si is, cum quo fuit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut non obstante defectu natalium, quem patitur, ad omnes Ordines promoveri valeat, & obtinere beneficium, etiamsi curam habeat animarum, dispensationem aliam (tacito de prædicto defectu) post modùm obtineat à Sede præfata, ut duo aut plura beneficia similem curam habentia possit recipere, si ei alias canonicè conferantur, & ea simul licitè retinere, talis dispensatio (cum non sit verisimile, Sedem ipsam cum illo, prædictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum eidem, in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare) veluti per subreptionem obtenta, nullius penitùs est momenti.*

Quia (inquit Coninck) quantumcumque in eo defectu sit dispensatum; quia tamen non est sublatus, semper talis cæteris paribus est indignior, qui plura beneficia obtineat, quàm alius legitimus. Ergò similiter, quia in casu nostro non est sublata consanguinitas, semper talis cæteris paribus est indignior, qui obtineat dispensationem in affinitate.

557. *Quomodo intelligendum d. cap. 2. ex Sanchez.*

Verùm enimverò d. textûs, juxtà Sanchium sup disp. 22. n. 6. & Alios, quos citat, vera & germana intelligentia est, quando prior & posterior dispensatio sunt circà eamdem rem, ac inter utramque est dissonantia, & partialis quedam contrarietas, quòd prior cum quadam moderatione concessa sit, posterior autem absolutè, & absque illa, subreptitiam esse posteriorem, nisi prioris mentio Principi fiat. Ideò enim posterior dispensatio cum illegitimo ad duo beneficia censetur irrita, eò quòd non fuit in ea facta mentio prioris dispensationis ad unicum beneficium. Quia posterior dispensatio est amplior, ac prioris moderamen excedit. Sic ille.

558. *Secundùm hunc intellectum non concludit intentum.*

Sed nunquid id militat in nostro casu? Clarũ est, quòd secunda dispensatio non sit amplior, neque prioris moderamen excedat; quippè non respicit, nisi unum & idem Matrimonium. Et ideò, ut sup. vidimus, Sanchez docet, non esse necessariam mentionem consanguinitatis, aut ejus dispensationis.

Oppositum probatur à simili in Ordine sacro, & consanguinitate.

Atque d. n. 6. in fine, cum Navarro lib. 4. Consil. tit. de Consang. 1. edit. conf. 5. fin. 2. edit. conf. 8. fin. ait, dispensationem in consanguinitate non esse subreptitiam, non facta mentione prioris, factæ in Ordine sacro. Quia sunt res separatæ, nec una auget alteram, nec ullo jure requiritur mentio alterius in altera, inquit Sanchez,

Navar. inquit Navar. Si in hoc casu sunt res separatæ, &c. ergo etiam in casu nostro : vel assignetur disparitas.

559. *Assignatur disparitas.* Assignatur, inquis, disparitas ; quòd Ordo sacer sit res omninò distincta à consanguinitate ; secus affinitas, quæ convenit in communi ratione propinquitatis, estque minor propinquitas, & faciliùs dispensabilis.

Impugnatur. Planè. Sed nunquid etiam consanguinitas est faciliùs dispensabilis, quam Ordo sacer ; & utrumque impedimentum inductum est propter indecentiam talis Matrimonii ? Et verò nonne magis indecens est Matrimonium ordinati & consanguinei, quàm solius ordinati, aut solius consanguinei ? Si ergo in eadem dispensatione non debet explicari Ordinatio, & subsequens consanguinitas, cur debeat explicari consanguinitas, & subsequens affinitas ?

Eo semper salvo, ut ex nova causa, eaque sufficienti, posterior dispensatio postuletur. Quòd tunc nulla fraus Principi fiat, nec contraria ejus voluntas præsumi possit, ut docet Sanchez sup. disp. 22. n. 12. estò etiam prior dispensatio cum moderamine foret concessa, & posterior absolutè concederetur.

560. *Valet dispensatio contrahendi cum secundo consanguineo, tacitâ priori dispensatione, ex Sanchez.* Ex quo infert n. 13. si fœmina ex dispensatione Papæ consanguineo nubat, & eo Matrimonio soluto, aliam dispensationem obtineat, ad nubendum alii consanguineo, tacitâ priori, validam fore hanc dispensationem. Quia si manet idem dotis defectus, qui causam præbuit priori dispensationi, reputatur nova causa respectu posterioris dispensationis. Item ; quia cum animus Pontificis sit, in simili dispensatione consulere paupertati fœminæ, credi nequit, ejus animum à concedenda posteriori retardandum, quòd priorem concessisset.

Imò idem credo, quàmvis hæc posterior, aut utraque dispensatio, esset petita ac concessa, nullâ allegatâ causâ, sed majori compositione pecuniariâ exactâ ad usus publicos. Et idem dico, licèt fœmina resiliat, nolens priori consanguineo nubere, ac impetret posteriorem dispensationem ad nubendum alteri. Credo enim in utroque casu non esse necessariam prioris mentionem dispensationis. Quòd sint super diversis Matrimoniis, & neutra habeat connexionem cum altera. Et sic non est necessaria prædicta mentio. Adde : esse dispensationes super diversis, nec priorem augeri per posteriorem.

561. *Quid si fœmina nolit uti 2. dispensatione, nonne licet uti priori ? Negat Sanchez.* Sed quid si fœmina, obtentâ secundâ dispensatione, nolit eâ uti, nonne licet illi priori uti ? Respondet Sanchez sup. n. 19. Credo priorem dispensationem evanuisse per hujus posterioris, si valida fuit, impetrationem : licèt eâ non sit usus, ducendo posteriorem consanguineam. Quia licet per secundum Matrimonium, ad quod non interfuit dispensatio, non videatur renuntiari dispensationi : at secùs credo per impetrationem posterioris dispensationis. Quia cùm dispensationes hæ simul stare nequeant, sed repugnent quoad executionem, per impetrationem posterioris, visus est impetrans renunciare priori in manus Pontificis, à quo posteriorem impetravit ; & ita ampliùs eâ uti nequibit, sed solâ posteriori dispensatione. Sic ille.

Addit : Estò animus impetrantis fuerit, nolle renunciare priori dispensationi : at Pontifex noluit concedere duplicem dispensationem, ut utraque staret, & ad libitum posset utrâvis uti impetrans. Et si id peteretur, denegaret utique, tamquam rationi valde dissonans.

562. *Affirmat Gutierrez.* Verùm hæc doctrina non placet Gutierrez de Matr. c. 123. n. 21. ibi : Hæc tamen credita opinio, vera minimè videtur : siquidem in utroque casu militat eadem ratio ; nempe, ut non videatur renunciare, impetrans secundò dispensationem, priori ; tum ex dictis per eumdem Auctorem lib. 7. disp. 42. n. 9. tum etiam ; quia cùm semel ablatum sit id consanguinitatis impedimentum, & illi habiles effecti sint, ratione prioris dispensationis, non est, cur ratione secundæ impedimentum illud reviviscat.

Respondet ad arg. Sanchij. Neque obstat tacita illa renunciatio, per secundam dispensationem inducta ; quia ea non fuit à concedente acceptata, prout in expressa etiam renunciatione, nedum in tacita, requiritur ad hoc, ut impetrans non possit præcedenti dispensatione vel privilegio uti, mutatâ voluntate, ut latè probat idem Sanchez d. lib. 8. disp. 32. n. 2. sicut hâc eâdem ratione idem Sanchez ibidem n. 6. resolvit, quod prædiximus ; nempè, per secundum Matrimonium, ad quod non interfuit dispensatio, non videri renunciatum dispensationi præteritæ ; imò in præsenti specie à fortiori videtur tenenda hæc eadem sententia contra Sanchez d. lib. 8. disp. 22. n. 19.

563. *Probat oppositum, ex eodem.* Siquidem si per mutationem voluntatis ad aliud Matrimonium, obtentâ secundâ dispensatione, videretur tacitè renuntiatum dispensationi priori ; magis id videretur factum per secundum Matrimonium, effectu celebratum absque dispensatione ; sed in illo casu non censeretur renunciatum, ut per Sanchez, ubi sup. ergò à fortiori nec in hoc. Necessè igitur est, ut utroque casu fateatur Sanchez, posse uti posteà priori dispensatione, aut in neutro.

Probat Gutierrez suam sententiam. Ego partem affirmativam in utroque veriorem esse censeo ; quia tacita illa renunciatio non fuit acceptata à concedente, ut requirit Sanchez d. disp. 32. n. 6. ad hoc ut sit valida illa renunciatio, & uti non possit priori dispensatione : ergo in suo robore manet : siquidem impedimentum jam sublatum non reviviscit per secundam dispensationem, cùm semel effecti fuerint habiles ad contrahendum Matrimonium invicem inter se, quoties voluerint : quæ acceptatio renunciationis debet fieri ad d. effectum per solum Superiorem illum, à quo dispensatio vel gratia emanavit ; non vero per Ordinarium vel Commissarium, ut benè probat Sanchez d. disp. 32. n. 4. hinc deducens n. 5. non destitui viribus dispensationem, etsi is, cui conceditur, litteras cancelliet, concidatúe. Hactenùs Gutierrez.

Rogas, quid ego sentiam ? Dicò breviter : dato, quod 564.

Judicium Auctoris.

quòd secunda dispensatio sit valida, & quòd Pontifex nolit concedere duplicem dispensationem, liquidò manifestum est, primam dispensationem ampliùs non valere. Atque adeò impetrans secundam, conscius dictæ mentis Pontificis, eo ipso tacitè renuntiat primæ, & Pontifex concedens secundam, renuntiationem acceptat. Hoc autem non habet locum, quando finè dispensatione contrahitur Matrimonium cum tertia, post dispensationem cum consanguinea, ut evidenter claret.

An autem Pontifex nolit concedere duplicem dispensationem, ut utraque stet, & ad libitum possit utrâvis uti impetrans, quis nobis certò edisseret? Affirmat Sanchez, negat Gutierrez. Rationi magis consonat, ut una tantùm valeat, per se loquendo, id est, nisi tales forent causæ, ut planè expediat, liberum relinquere impetranti, quam consanguineam velit accipere.

565. *Quomodo duæ istæ dispensationes non possint simul stare, & quomodo possint.*

Undè quod Sanchez sup. ait: has dispensationes non posse simul stare, sed repugnare quoad executionem, intelligo quoad simultaneam executionem. Alioqui posset hodie impetrans ducere unam consanguineam, quâ mortuâ, ducet aliam, vi alterius dispensationis. Et eodem modo repugnat dispensatio cum consanguinea, & Matrimonium cum extranea. Deinde hæ dispensationes simul stant quoad indifferentiam executionis, ut impetrans liberè possit utrâvis uti, si ita placitum fuerit Pontifici.

Incertum est, quid Papa in tali casu velit.

Itaque hæc controversia, quanta quanta est, pendet à voluntate præsumpta Pontificis, quæ incerta est: nam potest velle, ut utraque valeat; potest etiam velle, ut prior sola valeat, vel ut sola posterior valeat. Quæ voluntas præferenda sit seu præsumenda, non constat ex jure, & quælibet habet suos Auctores, ut videre poteris apud Sanchez d. disp. 22.

566. *Auctor consulit, ut in eadem dispensatione singula impedimenta distinctæ speciei explicentur.*

Revertor ego ad principalem difficultatem nostræ Conclus. hactenùs satis ventilatam ab utraque parte, & consulo omnibus, ut in hac materia, in qua agitur de valore Matrimonii, in una & eadem dispensatione singula impedimenta distinctæ speciei, v. g. consanguinitatem & affinitatem, explicent; tum propter consensum plurium Auctorum tam ex antiquis, quàm ex modernis; tum propter praxim Romanam, saltem hoc tempore, quidquid factum fuerit tempore Navarri; tum maximè propter periculum efficiendi Matrimonium invalidum, & inconvenientia, quæ solent provenire ex Matrimonio probabiliter invalido. Equidem quando omnia simul exponuntur, nulla potest moveri lis de invaliditate; secùs, quando seorsim. Et si lis moveatur, incertum est, quam opinionem judices probabiliorem sentient, ut vel confirment Matrimonium contractum, aut certè disjungant.

567. *Idem consulit, dum sunt plura impedimenta non connexa ejusdem speciei.*

Idemque consulo, dum quis habet plura impedimenta, non connexa, ejusdem speciei; scilicet ut omnia simul exponat, quia hæc est securissima via, per quam convenit planè ambulare in hac materia adeò lubrica. V.g. si quis sit alteri consanguineus vel affinis ex duplici parte, quia conjuncti in 2. gradu ex parte utriusque parentis, vel quia rem habuit cum duabus personis consanguineis intrà secundum gradum, v. g. cum duabus sororibus illius, quam vult ducere: aut etiam duplici titulo contraxit cognationem spiritualem, baptizando duos filios ejus, cum qua intendit contrahere, vel eumdemmet filium ex sacro fonte levavit, & in Confirmatione tenuit.

Aliqui censent, multiplicitatem hanc non esse exprimendam.

Itaque in his & similibus eventibus, censent aliqui, satis esse absolutam gradûs illius propinquioris mentionem, non explicatâ multiplicitate ejusdem vinculi: ut satis esse dicere, sumus patrueles, non explicando, an viâ utriusque parentis, vel an altero consanguinitatis gradu inferiore se attingant, & idè dicunt loquentes de affinitate.

568. *Eorum fundamentum.* Henriquez.

Ducuntur: quia ubi uterque ex utroque latere consanguineus est, unicum est consanguinitatis vinculum, nec inde gradus hic recipit augmentum. Sicut (inquit Henriquez lib. 12. de Matr. lib. 2. c. 10. n. 3. in fine, ubi docet hanc sententiam) dum irregularitas contrahitur ex eo, quòd excommunicatus sæpiùs celebravit, satis est semel dispensari in una irregularitate, quia ex actionibus unius speciei in uno subjecto, accidens fit moraliter unum numero. Sic ille.

Probatio & simili.

Hinc etiam habens rem cum sorore fœminæ ducendæ, non tenetur multiplicem copulam narrare. Et natus ex duplici adulterio conjugati cum conjugata, non tenetur in legitimationis impetratione utrumque vitium exprimere; sed satisfaciet narrans, se ex conjugato & soluta natum esse, quia sic explicat se ex adulterio habitum.

569. *Oppositum docet Sanchez.*

Cæterùm (inquit Sanchez sup. disp. 26. n. 5.) dicendum est, esse necessariam mentionem multiplicitatis ejusdem gradûs vel diversi, in consanguinitate, affinitate, publica honestate, cognatione spirituali &c. ne subreptitia fit dispensatio.

Probatio ejus.

Ducor (inquit) quia in odiosis, quale est dispensatio, mixtum non comprehenditur sub simplici: at negari non potest, multiplicatas cognationes mixtas esse; non ergo comprehendentur in dispensatione simplicis gradûs cognationis.

Confirmatio.

Et confirmatur: quia duo caloris gradus, solo numero distincti, quàmvis in eodem subjecto uniantur, & fiant unus numero calor ratione unitatis subjecti; at multò intensior est ille calor, & difficiliùs tollitur. Ergò quàmvis duplex ille conjunctionis gradus sit eadem numero conjunctio ex unitate subjecti, in quo reperitur, erit multò intensior; atque proindè, ac si esset alia conjunctio, & sic erit explicandus.

570. *Probatur 2.*

Secundò: quia dum v. g. consanguinitas ex duplici parte consurgit, tunc non est unica, ac unius sanguinis communicatio; sed est duplex duplicisque sanguinis, verè participati à duobus diversis. Cùm ergò ex sanguinis participatione consurgat impedimentum consanguinitatis, pullulabit inde aut duplex impedimentum, aut saltem duplicatus intensionis gradus ejusdem impedimenti. Et similiter, quando contrahitur du-

plex affinitas cum eadem fœmina, ex duplici copula, habita cum duabus ejusdem consanguineis, tunc non datur simplex eorumdem seminum commixtio, ex qua sequitur affinitas; sed est duplicata diversorum numero seminum commixtio. Et similiter in cognatione spirituali, & publica honestate multiplicatis, augetur id attinentiæ vinculum, consurgens ex diversis omninò causis, ratione diversarum personarum, vel ratione ejusdem personæ ex distincto omninò ministerio circà Sacramenta diversa. Ergò utriusque conjunctionis est mentio facienda. Ita Sanchez, cum aliis communiter.

571. *Resp. ad fundamentum principale prioris sententiæ.* Quid ergò ad argumenta oppositæ sententiæ? Ad principale patet responsio ex dictis; videlicet, talia impedimenta aut esse plura numero distincta totaliter, utpote relationes respicientes diversa extrinseca; aut, si mavis, esse unum; equidem habens plures gradus, quorum quilibet auferri potest, alio adhuc manente; sicut & unus potest induci absque alio: undè non eo ipso, quòd est dispensatio unius, censetur esse dispensatio alterius. Jam autem quando simpliciter petitur dispensatio in cognatione, intelligitur de una cognatione, non habente gradus, sive de una formaliter & virtualiter; atque adeo ad summum unus gradus aufertur, manentibus aliis in suo robore; ac proinde indigentibus nova dispensatione.

572. *Differentia inter diversas fornicationes cum eadem consanguinea, & cum diversis. ex Sanchez.* Porro differentia inter diversas fornicationes cum diversis consanguineis ejusdem fœminæ vel cum eâdemmet consanguineâ ejusdem, in eo consistit, secundùm Sanchium sup. n. 7. quòd in hoc posteriori casu non contrahuntur plures affinitates, sed plures ejusdem affinitatis gradus: sicut nec multæ irregularitates ex multiplici celebratione excommunicati: sed tantùm adduntur novæ illæ actiones, quibus sufficienter contraheretur irregularitas vel affinitas, nisi esset jam contracta. Sicut ex multiplici ejusdem voti repetitione nullum vinculum novum consurgit. At in priori casu sunt diversa numero impedimenta intra eamdem cognationis speciē, vel saltem plures distincti quasi gradus ejusdem specificæ conjunctionis: sicut plures gradus caloris in eodem subjecto. Et veluti, si distinctis votis promitteret quis res distinctas ejusdem speciei.

573. *Objectio.* Dices: sicut Petrus diversas cognoscendo fit cum singulis una caro, & ideò cum consanguinea diversas affinitates contrahit: ita per diversas copulas, cum eadem habitas, fit cum ea sæpiùs una caro; ergo ejus consanguinea fit ei sæpiùs affinis. Ita sibi objicit Coninck disp. 33. n. 82.

Solvitur ex Coninck. Respondet autem, negando secundam partem Antecedentis: quia habentes copulam, per eam immediatè sibi mutuò uniuntur, ita ut fiant una caro; non autem mediante aliquo respectu ad copulam; ideòque hæc unitas non multiplicatur per diversas copulas. Secùs est de illa affinitate, vel consanguinitate, quæ personas non conjungit immediatè inter se, sed per respectum ad tertium, v. c. ad sorores, vel parentes Catharinæ: ideòque secundùm multiplicitatem illius tertii, multiplicantur etiam respectu personarum inter se, & consequenter propinquitas exurgens. Sic ille.

574. *Stylus Curiæ nunquam explicat diversas fornicationes cum eadem. Sanchez.* Ut ut sit de hoc, stylus Curiæ nunquam exprimit plures fornicationes cum eadem consanguinea; nec quando petit aliquis dispensationem in affinitate ex copula conjugali, quæritur ab ipso, ut numerum copularum conjugalium, aut tempus, quo duravit Matrimonium, explicet. Ita Sanchez sup. Porrò estò stylus Curiæ non semper obligaret, equidem sufficiens est, ut prudenter secundùm eum operemur.

575. *An tacturnitas qualitatis, quæ soles exprimi secundum stylum Curiæ, reddat dispensationem vitiosam. ex Villalobos.* Et quia sæpiùs hujus styli in hac materia meminimus, apponam quod de eo scribit Villalobos Sum. tract. 2. diffic. 43. n. 4. Acerca (inquit) de la calidad, que se suele declarar conforme al estilo de la Curia Romana, dudan los Dotores, si aquella se calla, si vale la dispensacion. Decius, Menoch. Gutierr. y Sanchez con otros, qui citan, tienen, que si no se declara, es la dispensation surrepticia: y es porquè este estilo de la Curia facit jus, demanera que es ley, como se prueva de un texto. Y aunque en el fuero exterior esto sea cierto, en el interior no lo es tanto, quæ Enriquez tiene lo contrario, por dezir, quæ el estilo de la Curia, ni es ley, ni facit jus: y el texto, en que se funda lo contrario, solo prueva, que del estilo de la Curia se puede colegir, quales letras son falsas: porque si en ella no se guarda el estilo, de creer es, que lo son: mas dezir, que el estilo sea derecho, no ay texto, que tal diga: y assi por esse camino no parece basta, para hazer la dispensacion surrepticia el callar aquella condicion.

En esta controversia soy de parecer, que no no nos apartemos del estilo, como largamente prueva Mascard. Y assi, si no estuviesse hecho el Matrimonio, se deuria aconsejar, se bolviesse por otra dispensacion; mas despues de ya hecho, se deve seguir la opinion de Enriquez. Ita præfatus Auctor.

576. *Dispensatio conformis stylo Curiæ non est subreptitia.* Quidquid ergò sit de obligatione styli Curiæ, quam plerique docent, extra dubium est, dispensationem ei conformem, non fore subreptitiam. Hinc si obtentâ dispensatione Pontificiâ in affinitate, antequam Ordinarius eam exequatur, impetrans iteraret copulam cum eadem consanguinea fœminæ, à se ducendæ, valet adhuc dispensatio. Quia nondum consummata est dispensatio in affinitate; sed Ordinarius virtute mandati Apostolici dispensare debet. At copula hæc non auget affinitatem, nec novum aliquem ejus gradum producit; sed eademmet affinitas manet, in qua dispensari committitur Ordinario.

Quid si accidat copula cum eadem consanguinea post dispensationem. Sanchez. Secùs esset; si accideret copula, postquam jam dispensavit Ordinarius, vel Confessor, cui committitur in foro conscientiæ. Quia cum prior affinitas sit omninò per dispensationem ablata, contrahetur nova affinitas per hanc copulam, in qua nulla est dispensandi commissio. Ita Sanchez sup. n. 18.

577. *Arguitur pro valore dispensationis.* Sed videtur supponere falsum, scilicet priorem affinitatem esse omninò per dispensationem ablatam; nam dispensatio, ut sup. dicebamus

mus ex Dicast. non facit, quòd illi contracturi non fuerint anteà affines ; & per consequens, ut non maneant affines ; sed tantùm quòd ea affinitas non obstet, quin Matrimonium licitum sit & validum ; id est, non tollit affinitatem, sed dumtaxat impedimentum affinitatis.

Porrò si maneat affinitas præcedens, sicut reverà manet, & per copulam cum eademmet consanguinea non producitur nova affinitas, aut novus gradus affinitatis, quando ea accidit, antequam dispensavit Ordinarius vel Confessor; neque producetur, dicet aliquis, tametsi ea accidat, postquam jam dispensavit Ordinarius vel Confessor ; quia etiam tunc erit una & eadem affinitas cum ea, quæ priùs fuit, & adhuc permanet; ab hac autem per dispensationem ablatum est impedimentum. Istud expende, & quæras solutionem.

578. *An duplex adulterium debeat explicari. Affirmat. Sanchez.* Ego pergo ad natum ex duplici adulterio, quem licèt Adversarii contendant, posse legitimari, explicato unico tantùm adulterio, ut sup. audivimus ; Sanchez tamen sup. n. 5. & Alii, quos citat, sustinent, dispensationem fore subreptitiam, nisi utriusque parentis adulterium natret.

Neque proderit clausula : *Non obstante*, in literis dispensationis apposita, ut reddat ipsam validam, supplens adulterium vel gradum non expressum. Quia (inquit Sanchez sup. n. 6.) clausula hæc non reddit gratiam validam, nec illam auget, supplens qualitatum necessariò exprimendarum taciturnitatem ; sed tantùm reddit valida, ac confirmat expressa. *Non prodest clausula Non obstante.*

579. *Finis Sect.* Et hactenùs satis pro hoc loco, de dispensationibus matrimonialibus; quàmvis enim multa alia possent de ipsis disputari, equidem communia sunt aliis quibuscumque gratiis ac privilegiis, ac proinde explicari debent in Tractatu de Legibus.

Impræsentiarùm autem sequitur explicandum, quâ ratione seu methodo Matrimonia, propter impedimenta dirimentia invalidè contracta, revalidari possint & verò debeant. Pro hac igitur revalidatione instituitur

SECTIO XIV.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDI.

1. *Contingit aliquando Matr. contrahi invalidè.* COntingit nonnunquam, ut Matrimoniũ invalidè contrahatur, sive ex defectu consensûs utriusque vel alterius partis, sive etiam propter impedimentum aliquod dirimens, publicum vel occultum, scitum à contrahentibus, aut ignoratum. Porrò successu temporis, stimulante conscientiâ, quæritur remedium animarum ; & quia separatio sæpè difficilis est, maximè quando alteri tantùm parti nota est invaliditas, & probari sufficienter nequit; hinc necessaria quodammodo est revalidatio hujusmodi Matrimonii, quâ positâ, possint contrahentes insimul ut priùs permanere.

2. *Revalidatio sæpè difficilis valde est.* Verùm enimverò hæc revalidatio, quàmvis facilis sit, quando uterque ad eam inclinatur ; equidem magnam patitur difficultatem, dum altera pars ignara invaliditatis, si eam sciret, nollet prius Matrimonium restaurare ; sed vellet omnino separari, etiam cum maximo damno alterius partis. Quid ergò consilii ? Nunquid sufficit ad revalidationem, quòd ille vel illi, qui antèà dissenserunt, vel dissensit, jam consentiat vel consentiant ? Putas, quia satis sit, quòd jam obtenta sit dispensatio impedimenti ? Ad primam quæstionem responsio erit.

CONCLUSIO I.

Matrimonium irritum ex defectu consensûs, illo expresso, revalidatur.

3. *Quando uterque fictè contraxit, debet uterque dè novo exteriùs & interiùs consentire.* EQuidem dum uterque fictè contraxit, id est, interiùs in animo suo dissensit, nolens tradere alteri potestatem sui corporis, Omnes fatentur, utrumque de novo debere exteriùs & interiùs consentire, ut Matrimonium prius invalidum revalidetur. Ratio manifesta est: quòd Matrimonium essentialiter sit consensus mutuus exteriùs manifestatus ; in casu autem supponitur, quòd non fuerit consensus mutuus, sed solùm aliquod signum externum falsum. Res autem sine sua essentia nequit subsistere.

Igitur requiritur novus consensus mutuus, signo externo expressus : nam, ut mox dixi, prius signum externum fuit falsum, significabat quippè consensum internum præsentem, qui reverà non erat præsens : cùm autem præsens est, jam signum istud externum non existit ; adeoque non potest cum eo unum actum moralem, aut contractum componere, quod tamen est necessarium ad valorem contractûs. Et ita docet Sanchez lib. 2. disp. 32. n. 11.

4. *Probatur ex Sanchez.* Quia, inquit, cum uterque consensus fuerit omninò nullus, perinde est, ac si Matrimonium penitùs non esset contractum : sicuti quando consensus

sensus cadit super materiam illegitimam, quo casu disp. 35. n. 3. dicemus, utriusque consensum innovandum esse, denuòque Matrimonium contrahendum : quando autem denuò contrahitur Matrimonium, constat, externo signo consensus manifestandos esse. Sic ille.

An Richardus doceat contrarium.

Tametsi Richard. 4. dist. 29. a. 2. q. 1. oppositum (ut vult Sanchez) doceat, ibi : si autem utraque persona fuit coacta, tunc ad hoc, quòd sit verum Matrimonium, requiritur novus consensus ex utraque parte, sed non nova exterior expressio. Et pro eadem opinione citat Sanchez sup. D. Antoninum, Turrecrem. & Sylvestrum.

5. *Objectio.*

Objicis : Si aliqua duo requiruntur pro causa unius effectûs, non causant effectum, nisi simul conjuncta : si enim duo homines requiruntur ad unum navis tractum, nunquam eam traherent divisim : cùm ergò ad contrahendum Matrimonium requiratur consensus de præsenti interior, & ejus expressio exterior, non efficient Matrimonium divisim : ergò sequens tacitus consensus cum expressione exteriori, quæ præcessit, non efficient Matrimonium.

Solutio Richardi.

Respondet Richardus ; quòd major non est universaliter vera, si intelligatur de simultate conjunctionis secundùm essentias : plures enim guttæ requiruntur pro causa unius cavationis ; nec tamen omnes simul sunt secundùm essentias, quando causatur cavatio ; sed una causat virtute præcedentium, quarum quælibet aliquam fecit dispositionem. Aliqualiter dico à simili, quòd sequens consensus tacitus, cum virtute expressionis, quæ præcessit, efficit Matrimonium.

6. *Alia objectio.*

Si rursùm objicias : Quod nihil est, non ratificatur ; sed Matrimonium, contractum per consensum coactum, nullum est : ergò per sequentem consensum tacitum non ratificatur.

Solvitur ex eod.

Respondet idem Auctor : quòd propriè loquendo meliùs dicitur, illud Matrimonium per sequentem tacitum consensum perfici, quàm ratificari : & consensus coactus, qui consensus fuit, quàmvis non ratus, per sequentem consensum tacitum ratificari.

7. *Richardus loquitur de casu, in quo altera pars coactè consensit.*

Parùm refert ad nostrum propositum, sive perficiatur, sive ratificetur prius Matrimonium, de hoc enim hìc non quærimus ; sed an primò contrahatur per consensum internum, cum virtute expressionis, quæ præcessit : nam loquimur de casu, in quo utraque pars fictè consensit, sive interiùs dissensit. Porrò Richardus principaliter tractat casum, quo altera tantùm pars coactè consensit, & posteà liberè interiùs consentit, perseverante alterâ parte in suo libero consensu anteà præstito.

Et tunc satis esse, si ipse internè consentiat, etiam Sanchez docet.

Et tunc satis esse, si ille internè in corde suo post consentiat, etiam Sanchez sup. docet cum Richardo. Quia (inquit) externum consensum jam præbuerat, & solus internus desiderabatur : ergò satis est hunc supplere. Et confirmatur : quia externus exigitur, ut alteri constet de voluntate, in hoc autem eventu constat, propter priorem externum contractum. Sic ille.

Verùm hæc ratio, & confirmatio etiam videntur probare, quod sufficiat merè internus consensus, quando uterque fictè aut coactè consensit. Quæ enim ratio disparitatis ? Nunquid quando uterque fictè aut coactè consensit, constat de utriusque voluntate propter priorem externum contractum ? Nonne uterque externum consensum jam præbuerat, & solus internus desiderabatur ? Ergò satis est hunc supplere. 8. *Ratio Sanchij videtur idem probare, quando uterque coactè consensit.*

Negatur, inquis, Consequentia : Quia uterque consensus fuit planè nullus ; in alio autem casu alter consensus fuit validus, scilicet ejus, qui verè & liberè consensit. *Ostenditur disparitas.*

Estò : sed quid tum ? Nam indè tantùm sequitur, quòd in priori casu uterque debeat elicere novum consensum internum, secùs in posteriori. Et prætereà : quòd in posteriori casu tantùm unius partis novus consensus externus requiratur ; secùs in priori. At verò quòd sufficiat novus consensus merè internus unius partis, & non utriusque, non video, quomodo hoc inde sequatur. Siquidem ad veritatem contractûs requiritur utriusque partis consensus externus, & si falsum signum externum unius partis potest componere unum actum moralem externum, cum consensu postmodum præstito, cur non etiam utriusque partis ? 9. *Impugnatur.*

Disparitatem mecum non vident Coninck disp. 24. n. 94. & Dicastillo disp. 2. n. 76. Et ideò docent in utroque casu necessarium esse novum consensum externum ejus, qui fictè vel coactè consensit. Nunquid etiam ejus, qui verè & liberè consensit, altero fictè vel coactè consentiente ? *Coninck & Dicast. docent, in utroque casu idem esse necessarium.*

Hæc est præcipua difficultas hujus Conclusionis, in qua asseritur pars negativa, contrà Paulum Comitolum lib. 1. Resp. moral. q. 120. sequentis tenoris : Primaria fœmina cum viro primario nubit, animo à connubio dissentiens. Multos annos in Matrimonio manent, nec non liberi procreantur. Mulier tanti flagitii conscia, crimen, dum de peccatis suis confiteretur, Sacerdoti patefecit. 10. *Quid si unus verè consenserit ?*

Duo hìc quæsita sunt. Primum, utrùm vir & fœmina iterùm contrahere Matrimonium debeant, novo consensu interiore atque exteriore adhibito. Secundum, liceatne hoc eis facere clandestinè sinè Parocho & testibus, absque Romani Pontificis concessu ; cùm Matrimonia clandestina à Trid. Concilio sublata sint, & justa esse non possint, nisi coram Parocho & minimùm duobus testibus celebrentur, ut planum fit ex sess. 24. c. 1. de Reform. Matr. Ecce status quæstionis.

Sequitur responsio d. Auctoris : Mihi (inquit) hæc sententia fuit, necessarium esse utriusque conjugis novum assensum, externo signo declaratum : contrahere verò eosdem clandestinè non posse, sinè Rom. Pontificis auctoritate. Sic ille. 11. *Comitolus requirit novum utriusque consensum externum.*

De hoc posteriori puncto infrà tractabimus ; de priori autem resolutione hìc disputamus. Ipse eam probat dicens : Ajebam exteriorem *Probatio.*

assen-

assensum (scilicet utriusque partis) necessarium esse : quia Matrimonium est contractus humanus, qui revocatur ad illud genus contractuum: *Do ut des:* Nos autem in disputatione nostra de contractu, ubi de generalibus causis ejus disseruimus, demonstravimus, veram contractûs formam esse, contrahentium legitimam consensionem, signo aliquo declaratam. Cùm igitur hoc Matrimonium simulatum fuerit, verâque formâ à principio caruerit, nanciscì illam non potest, nisi ejusmodi consensio renovetur.

Quòd si, quùm post contractum Matrimonium impedimentum quodpiam sese ostendit, quod ab Ecclesia removeri potest, ubi remotum est, necesse est iterùm contrahere, quod nemo inficiatur ; quantò verius erit id necessarium, cùm impedimentum oblatum est Matrimonio, in quo Ecclesia nihil potest, cùm impedimentum sit juris divini ac naturalis ? Sic ille.

12. *Comitolus de hac re scripsit literas ad Rectorem Pœnitentiariæ.*

Et paucis interjectis n. 3. ita scribit : Et quoniam non defuit, qui de utraque difficultate mecum dissentiret, auctoritate, captiosisque argumentis recentis cujusdam Theologi victus : idcircò de omni controversia diligentes ipse literas dedi ad P. Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentiariæ Rectorem, ut ab quopiam Tribunali, cujus judicio standum esset, responsum impetraret.

Consuluit is Pater doctissimus & religiosissimus Clem. VIII. Pontificem Maximum, à quo hoc tulit responsum, atque ad me Venetias misit.

13. *Responsum Clem. VIII.*

Pontifex respondit ; esse necessarium novum consensum utriusq; coram testibus & Parocho, admonito priùs Marito de Matrimonii nullitate : sed ad evitandum scandalum dispensat, ut secretò inter se contrahant, renovato consensu cum legitimatione prolis : in pœnitentiam mulier per biennium jejunet semel in mense : & communicet decimo quinto die : & tertiam partem Rosarii recitet quotidie, nisi ex oblivione, vel alio legitimo impedimento.

Quare post Apostolicæ Sedis dijudicationem nemini est amplius integrum de hac re secùs opinari. Hucusque Comitolus.

14. *Dicunt Aliqui de eo non constare authenticè.* Diana.

Nihilominùs adhuc Aliqui de hac re secùs opinantur, & respondent cum Diana part. 1. tract. 15. seu 1. Miscel. resol. 5. de illa responsione Clem. VIII. non constare authenticè ; vel Summum Pontificem tunc respondisse tamquam privatum Doctorem. Clemens VIII. inquit Dicast. sup. n. 82. prudenter respondit, in illo casu id esse faciendum, quod secunda sententia docet, quia tutius est, & sanè probabilius: maximè si in illo casu, absque majori aliquo incommodo, posset peti consensus, & obtineri ab altera parte ; non tamen ideò sustulit probabilitatem primæ sententiæ: maximè cùm non constet, locutum fuisse tamquam Pontificem, sed tanquam Doctorem particularem. Hæc ille.

Dicast.

Alij, non fuisse locutum ut Pontificem.

Sepositò ergò hoc responso, cujus Sanchez non meminit ; quia, ut suppono, non vidit ; eo, inquam, sepositò, attendamus rationem naturalem, si fortè ex ea saltem aliqualis probabilitas accedat sententiæ Sanchez, quæ est nostra Conclusio, & quam Sanchez putat probabiliorem, quàmvis oppositam dicat satis probabilem.

Ratio itaque Sanchez est ; quòd cùm consensus alterius validus de se fuerit, & sufficiens ad Matrimonium, nec revocatus fuerit, jam ex parte hujus consensûs nihil desideratur ; solus autem deest consensûs illius, qui fictè aut metu consensit : Ergò hoc accedente convalescit Matrimonium. 15. *Ratio oppositæ sententiæ ex Sanchez.*

Confirmatur ; quia si fictè vel metu consentiens nullum omninò tunc præstitisset consensum ; sed spatio temporis interjecto, manente in virtute priori consensu, valeret Matrimonium : sed qui fictè aut metu consensit, perinde se habet, ac si non consensisset, cùm is consensus omninò nullus fuerit ; ergò satis est, ut manente in virtute priori consensu, ipse solus consentiat. Ita præfatus Auctor lib. 2. disp. 32. n. 9. *Confirmatur.*

16. *Pontius sequitur sententiam Comitoli.*

Sed enim, dicet aliquis ; hoc est quod quæritur, an prior consensus maneat in virtute, & ab Adversariis negatur, ut videre poteris apud Pontium lib. 4. c. 24. ubi n. 3. sequitur sententiam Comitoli, dicens : quando Matrimonium fuit nullum ex defectu consensûs alicujus ex contrahentibus, ratione fictionis vel metûs, vel erroris, non satis est, si unus tantùm ex eis, cujus consensus à principio defuit, renovet aut repetat consensum, sed necessarium est, ut utriusque consensus repetatur : Neque satis erit, interiùs renovari consensum, sed necessarium est, ut exteriùs renovetur. Quam sententiam quoad omnes suas partes docuit Paulus Comitolus. Sic ille.

17. *Explicat ejus rationem.*

Et allatâ ratione Comitoli : quia forma contractûs est consensus legitimus utriusque, per signa expressus. Sed ab initio non fuit hæc forma adhibita, cùm defuerit consensus unius: ergò iterùm adhiberi debet ea forma, ut constet contractus : hanc inquam, rationem sic explicat Basilius. Matrimonium, inquit, constat utriusque conjugis consensu : at consensus illius nullus fuit, etiamsi consensisset, cùm cadet suprà materiam illegitimam & inhabilem ; scilicet, vel nolentem, vel non liberam. Renovari ergò debet utriusque consensus, dum non possit intelligi permanere consensus, qui nullus fuit à principio. Et cùm contractus iste sit Reip. politicæ, debet esse sensibilis. Quare ut eâ renovatione fiat Matrimonium, debet esse sensibilis renovatio & exterior. Nam de his, quæ præcesserunt, nihil magis curandum est, ac si omninò fuissent infecta, & nihil unquam actum fuisset.

Probat aliâ ratione.

Præterea : est etiam alia optima ratio pro hac sententia ; quia consensus illius, quæ verè consensit, erroris defectum patitur, cùm ignoret inhabilitatem personæ. At errantis nullus est consensus. Repetendus ergò est consensus utriusque.

18. *Reprobat solutionem Ægidij.*

Nec valet solutio Ægidii ; qui negat hunc errorem obesse, cùm non sit error personæ aut conditionis. Sed non advertit hic Auctor, errari in persona habili. Quare hic error refunditur in personam inhabilem defectu consensûs ; sicut si ignoraret esse consanguineam. Si enim hic inhabilis est jure positivo, ille, in

quo deficit consensus, inhabilis est jure ipso naturali, quod efficacius est. Usquè adhuc Basilius.

Fictè consentiens non est persona inhabilis ad consentiendum.

Qui advertere debuisset, fictè consentientem non esse personam inhabilem ad consentiendum, sicut est consanguinea: quantumcumque enim hæc consentiat, Matrimonium nequit esse validum: si autem fictè consentiens voluisset, perfecisset procul dubio Matrimonium, ita ut à sola ejus voluntate pendeat, ut sit Matrimonium, vel non. Sicuti ergò non consentiens haud rectè dicitur persona inhabilis: aliàs, qui prior exprimeret suum consensum, consentiret in personam inhabilem; sic neque qui fictè consentit.

19. *Objectio.*

Contrà, inquis; altera pars non consentit, nisi in personam consentientem, juxtà illud Scoti 4. dist. 30. q. 1. n. 4. ibi: *Ad primum dico, quòd contractus matrimonialis non claudicat, & ideò si secunda persona non dat, nihil fit, ut dictum est in 1. quæst. concluſ. 2.* Do ut des, *vel,* Do si des. *Et ideò si illa non dat, ista nihil facit; licèt ex parte sua non sit impedimentum facti, nisi ex consequenti.*

Solvitur.

Planè nihil facit, id est, non contrahitur Matrimonium: nam hoc essentialiter dicit mutuum consensum, qui, ut supponitur, deficit, alterâ parte non consentiente. Nihil facit, id est, consensus ex parte sua est irritus, ita ut, nisi incontinenti acceptetur, nequeat procedente tempore acceptari, negatur; nisi vel expresè id intenderit consentiens, aut oblatâ aliquâ occasione, consensum suum anteà datum tacitè vel expresè revocaverit. Igitur consensus fertur in personam consentientem vel jam, vel postmodum intrà legitimum tempus.

20. *Replica.*

Contrà: ergò etiam consensus in consanguineam validus erit, scilicet pro tempore quo erit dispensatum, estò nihil cogitet consentiens de hac dispensatione.

Solvitur.

Resp. N. Consequentiam. Et ratio disparitatis est; quòd dispensatio non pendeat à sola voluntate consanguineæ, sicut pendet consensus à sola voluntate fictè consentientis. Prætereà: consensus in consanguineam jure positivo aut naturali irritatur; secùs consensus in non consentientem.

21. *Ratio nostræ Concluſ.*

Ex quo patet ratio nostræ Concluſionis; quòd scilicet tali casu, putà, quando una pars non sufficienter consensit, secluso alio quocumque impedimento dirimente, quòd, inquam, tali casu consensus alterius partis fuerit verus & legitimus inter personas, nullo legali impedimento, sive naturali, sive positivo affectas. Neque enim jus naturale vel humanum prohibet aliquem consentire in eum, qui actu in ipsum non consentit, si alioqui possit consentire.

Potest Matr. contrahi estò uterque consensus physicè non existat.

Nisi ergò prior consensus revocetur, manet moraliter pro toto illo tempore, pro quo datus fuit; atque adeò, accedente alterius consensu intra illud tempus, nihil videtur obstare, quin ex illis exurgat verus contractus, cùm jam sit plurium in idem placitum atque consensus. Quin verò nulli dubium esse potest, Matrimonium validè posse contrahi, estò uterque consensus physicè simul non existat, ut patet dum contrahitur per procuratorem, nuntium vel literas. Item sub conditione, ubi neuter consensus physicè consistit, quando Matrimonium physicè perficitur.

Et confirmatur: quia nemo inficiari potest, quin valeat hic contractus Matrimonii: *Accipio te ex nunc in meam, si craſtinâ die acceperis me in tuum,* & tamen craſtinâ die non erunt simul physicè ambo consensus.

22. *An qui absolutè contrahit, censeatur suum consensum limitare ad præsens tempus.*

In eo ergò vertitur cardo totius difficultatis; an qui absolutè contrahit, censeatur suum consensum restringere ad tempus præsens, ita quòd, nisi alter actu consentiat, ipse pro tempore futuro nolit consentire. Si quis affirmaverit, consequenter affirmare potest, imò debet, non sufficere postmodum consensum alterius partis, cùm jam desierit prior consensus, utpotè revocatus per lapsum temporis, pro quo datus erat. Sic quippè dum Superior dat licentiam agendi quidpiam pro hoc die, eo expleto, expirat licentia, consensu utique Superioris revocato.

Ad veritatem itaque Concluſ. nostræ necessariò dicendum est, consensum matrimonialem, nisi expresè restringatur, respicere totum tempus, intrà quod plures consensus possunt convenire ad constituendum validum contractum. Rogas, ecquod istud tempus?

23. *Pro quo tempore daret consensum, ex Navar.*

Navar. Manual. 22. cap. n. 80. sic scribit: Quàmvis conveniret, ut amborum consensus simul eodem loco & tempore concurreret; non tamen est necessarium, quidquid dicat Panormit. in cap. *Dilectus,* de Sponsal. Sufficit enim, ut altera pars priùs, & in alio locò consentiat, & posteà, quovis temporis intervallo interjecto, altera alibi assentiat; modò prior in suo consensu perduret, juxtà Hostien. & Ioan. Andr. cap. *Ex Literis,* de Sponsal. Quo fit, ut, si altera pars verè & legitimè consensum præberet, altera autem falsè, quæ post 10. vel 20. vel plures dies, & menses verè assentiret, permanente alterâ in suo consensu, verum Matrimonium fieret. Consensus autem prioris tam diu dicitur durare, quamdiu non recedit ab eo; Major in 4. dist. 27. q. 1. Dixi: *Legitimè* c quia si aliquod impedimentum subesset, quo consensus præstitus redderetur illegitimus, oporteret, ut impedimento sublato, denuò ambo consentirent, perinde ac si nullo unquam tempore contraxissent. Hæc ille.

24. *Quid sentiat Sanchez de hoc tempore.*

Sed Sanchio non placet istud intervallum temporis tam amplum: ideò sup. n. 7. scribit in hæc verba: Cæterùm dicendum est, exigi simultatem moralem, ita ut non magnum intervallum inter unius, & alterius consensum distet. Probatur: quia in aliis etiam contractibus per longi temporis lapsum hæc voluntas non manet virtute, sed revocatur, l. 1. §. 1. ff. de Verb. oblig. ibi: *Intervallum medii temporis modicum non vitiavit obligationem.* Sic Sotus, Covarruvias, Veracruz, Henriquez, Barthol. à Ledesma, Loduvic. Lopez, Petrus de Ledesma, Vega.

Aliqui pa-

Exemplificant aliqui ex his Doctoribus quando

tant non valere, ſi intercedat ſeptennium; aly biennium. Sotus. Lopez. Henriquez.

quando defectu hujus ſimultatis non valeat Matrimonium, ut Sotus & Lopez, ſi ſeptennium intercedat; tunc enim dicunt, non eſſe tutum. Enriquez exemplificat, quando biennium intercedit; tunc enim dicit, non eſſe Matrimonium, lib. 11. de Matr. c. 3. n. 6. & in Comment. lit. G. optimè dicit, priorem ſententiam veram eſſe, dum Matrimonium contrahitur per procuratorem: quia in eo quod procurator non revocatus facit, quantumcumque tempus medium intercedat, manet virtute conſenſus illius, qui procuratorem conſtituit. Barthol. à Ledeſma exemplificat non eſſe Matrimonium, quando annus intercedit. Sed meliùs Pet. de Ledeſma ait, prudentis arbitrio hoc relinqui, attentis particularibus circumſtantiis. Hactenùs Sanchez.

Ledeſma, quando annus intercedit.

25. *Sententia Averſæ.*

Juvabit etiam audire, quid de hac re ſentiat Averſa q. 3. ſect. 6. §. *Rursùs*, Quando, inquit, contrahitur Matrimonium inter præſentes, regulariter ille, qui prior ſuum conſenſum exprimit, cum hac intentione profert, ut alter etiam incontinenti, non recedendo ab illo congreſſu, adjungat ſuum mutuum conſenſum: nec alioquì cenſetur velle manere ſuſpenſus. Niſi tamen ipſemet oppoſitum expreſsè determinet, dicens, ſe eſſe conſenſum expectaturum, velleque interim permanere in ſuo conſenſu, per tantum tempus, vel indefinitè, quantum alteri placuerit. Ubi etiam non eſt taxanda alia temporis menſura, quam juxtà ejus voluntatem, ſi eam poſteà non retractet. Sic ille.

26. *Quomodo eam intelligat Auctor.*

Quem intelligo ego de adjunctione mutui conſenſûs exterioris, ut ea regulariter debeat fieri incontinenti. Alioquì contradiceret ſibi ipſi, quando ſtatim ſubjungit: Et præſertim, ſi quis in actu contrahendi non niſi fictè, aut vi conſenſit, poterit quantocumque tempore poſt ſeriò & ſponte ſupplere defectum, & adhibere conſenſum, ex quo ſtatim Matrimonium convaleſcit.

In quo caſu, quàmvis Barthol. Ledeſma, Pontius, Comitolus velint, renovandum eſſe conſenſum, etiam ex parte alterius; tamen communis & vera ſententia eſt, id non requiri. Et ita defendunt Sanchez, Coninck, Bonacina, Henriquez, Gutierrez, Leſſius, Rodriguez, Diana & Alii. Quia nempè alter jam ab initio abſolutum & perpetuò duraturum conſenſum præſtitit. Itaque neceſſe non eſt, ut ille, qui vi aut fictè conſenſerat, aperiat alteri hunc defectum: eumque inducat ad renovandum conſenſum: ſed ſatis eſt, ſi in ſe ſuppleat, in quo defecerat. Ita Averſa.

27. *Probatur intellectus Auctoris.*

Ergò quando ſuperiùs requirit, ut alter incontinenti, non recedendo ab illo congreſſu, adjungat ſuum mutuum conſenſum, neceſſariò intelligitur de conſenſu externo, etiam ficto & coacto. Et verò ratio dicta: *Quia nempè alter* &c. liquet, non habere locum apud Sanchez, qui, ut audivimus, exiſtimat, conſenſum ab initio non præſtari abſolutum & perpetuò duraturum; ſed tantùm pro modico intervallo, arg. d. leg. 1.

Expenditur l. 1. ff. de Verb. oblig.

Sed meo judicio, lex iſta non magni eſt momenti. In libro, quo ego utor, d. verba, à Sanchio relata, non invenio; ſed ea tantùm, quæ ſubjungo: *Intervallum enim medium non vitiavit obligationem.* Ubi Gloſſ. verb. *Medium*, ait: *Aliàs*: Medii temporis, *aliàs*: Modicum.

28. *Item l. 137. eod.*

Fateor, d. l. loquitur de modico intervallo, ſed quid tum? Nunquid etiam l. *Continuus*, 137. eod. loquitur de modico intervallo? Petit ſanè, contrahentes ſibi ipſi reſpondere, antequam ad alia divertant: *Continuus actus ſtipulantis & promittentis eſſe debet, ut tamen aliquod momentum naturæ intervenire poſſit & cominùs reſponderi ſtipulanti oportet. Cæterùm ſi poſt interrogationem aliud acceperit, nihil proderit, quàmvis eâdem die ſpopondiſſet.*

Cenſen' autem, quòd ſi poſt expreſſum conſenſum matrimonialem aliud acceperit, nihil proderit, quàmvis eâdem die, qui fictè conſenſerat, verè conſentiat? Non cenſet Sanchez; ſed reſpondet ſup. n. 5. illum textum loqui in ſtipulatione, in qua verba cum illa ſolemnitate ſunt de ſubſtantia: ſecùs in aliis contractibus.

29. *Propter d. l. 1. non eſt recedendum à ſententia Navar. Eam ſequitur ipſe Sanchez.*

Et nunquid eamdem reſponſionem applicare potuiſſet d. l. 1.? Non video rationem dubitandi. Atque adeò propter ipſam non judico recedendum eſſe à ſententia Navarri, ſup. relata, quam, ut lucet ex dictis, ſequitur Averſa.

Imò & ipſe Sanchez ſup. n. 12. ſequentis tenoris. Tertiò infertur: ſatis eſſe, ſi fictè vel metu conſentiens, pòſt verè aſſenſum præbeat, quocumque temporis ſpatio interjecto: quia quando unius tantùm adfuit conſenſus, oportet alterum abſque longa mora conſentire, ut prior conſenſus virtute maneat, ut diximus n. 7. In hoc autem caſu non tantùm virtute, ſed actu & formaliter ſemper manet, cum ſemper, qui verè conſenſit, exiſtimet valere Matrimonium, & alterum habeat ut conjugem, petens & reddens debitum. Et ita Navar. Sum. cap. 22. n. 8. dixit ſufficere, hunc fictè conſentientem verè conſentire, licet plures interceſſerint menſes. Sic ille.

Quomodo Sanchez intelligendus.

Ecce hìc ſequitur Navarrum, & n. 7. ab eo recedit. Nec video, quomodo doctrinæ ejus poſſint concordari, niſi eâ viâ, quâ ſuperiùs concordavi doctrinas Averſæ, quæ poterant videri contrariæ; ſcilicet, ut primò loquatur de conſenſu exteriori utriuſque partis, qui debeat regulariter eſſe continuus inter præſentes, poſteà de ſuppletione ſolius conſenſûs interni, qui defuit. Si aliter poſſit Sanchius ſibi ipſi conciliari, libenter cupio doceri.

30. *Quid ad hæc reſpondeat Pontius.*

Sed quid ad hæc omnia Pontius? Reſpondetur, inquit, niſi ſimul moraliter abhibeatur uterque conſenſus, ſignis expreſſus, non poni id, quod neceſſarium eſt ad Matrimonium: Quod ſic oſtendo. In ſimultate conſenſûs utriuſque conjugis non eſt attendendum ad id, quod conſpicitur in forma & materia Sacramenti Pœnitentiæ, in quo etiam, elapſo tempore poſt Confeſſionem peccatorum, profertur abſolutio, quia id eſt peculiare in eo Sacramento, in quo forma habet modum abſolutionis ſententiæ. At in Matrimonio materia non eſt conſenſus unius, comparatione alterius; ſed materia ſunt

corpora ipsa contrahentium ; forma autem sunt utriusque consensus, signo exteriori expressi. Quare nisi simul sint moraliter, ita, ut ad eamdem actionem ordinari videantur, non est tota forma, sed pars formæ ; atque adeò cum parte formæ non potest stare contractus.

Probat suam doctrinam à simili.

Si quis dicat: *Ego bibo*, habeatque poculum in manu, & altero die, post prolationem verborum, bibat ; nullus dicet, eam propositionem die præcedenti prolatam fuisse veram. Ergò neque vera erit propositio, si quis dicat hodie: *Contraho tecum*, & alter post annum dicat: *Contraho ego etiam tecum*. Quam doctrinam insinuavit nobis Gab. Vasquez to. 2. in 3. part. disp. 128. c. 7. in fine, & nos diximus sup. lib. 2. c. ult.

31. Planè dixistis : sed perperàm, cùm d. disp. solùm habeat quinque capita, in quorum nullo aliquid simile dicitur ei, quod Vasquezio attribuis d. c. ult. n. 2. ibi : Utimur autem in his eâ regulâ, quam nobis eleganter tradit Gab. Vasquez 2. to. in 3. part. disp. 128. c. 7. n. 55. Censetur forma & materia ad eamdem actionem sacramentalem pertinere, si, interpositâ morâ temporis, nihilominùs in prolatione formæ, aliquid enunciantis more humano, eadem veritas manet, ac si simul cum materia concurreret.

Et utitur regulâ traditâ à Vasquez

Ex hac enim regula colligemus facilè, plus temporis intercedere posse inter materiam & probationem formæ unius Sacramenti potiùs, quàm alterius, cùm non eodem modo significent omnes Sacramentorum formæ. Si ergò materia & forma Sacramentorum possunt, etiam interjectâ morâ temporis majori vel minori, applicari ; multò magis dicendum est, in Sacramento Matrimonii posse contingere, quando consensus exprimitur. Ita Basilius.

32. Aſt ego hanc regulam non invenio apud Vasquez loco citato, an alibi habeat nescio; neque officit doctrinæ nostræ. Nam ex ea colligit Pontius, ut statim audivimus, posse intercedere moram inter materiam & formam Sacramentorum, & magis inter consensus contrahentium Matrimonium. Quare summoperè miror, eumdem Auctorem lib. 4. c. 24. n. 6. majorem simultatem requirere inter consensus, quàm inter formam & materiam Sacramenti Pœnitentiæ, de quo etiam Sacramento lib. 2. tractat

Hæc regula non officit nostræ doctrinæ.

Peculiare quidem est, quòd in hoc Sacramento forma habeat modum absolutionis sententiæ: sed etiam peculiare Sacramento Matrimonii, quòd habeat formam contractûs ; neque consensus exprimi debeat verbis propriè dictis, sed sufficiat quodlibet signum externum; nec unum signum externum sit totalis forma, sed duplex; & quodlibet possit permanere virtualiter pro toto illo tempore, pro quo contrahens vult illud permanere.

33. Et ideò minùs benè concludit Pontius lib. 4. cap. 24. n. 6. Fuit itaque nullus contractus Matrimonii à principio, ex defectu veritatis formæ; neque fuit in consensu unius vera pars formæ; & ideò non potest cum sequenti consensu alterius unum contractum legitimum Matrimonii efficere ; sed uterque simul renovari debet, quia

Oppugnatur doctrina Pontij.

consensus unius sine alio nullius momenti aut considerationis est. Sic ille.

Hæc, inquam, Consequentia non valet. Tametsi enim fuerit nullus contractus Matrimonii à principio, ex defectu veritatis formæ, scilicet totalis; attamen in consensu unius fuit vera pars formæ, & ideò potest, nisi fuerit revocatus, cum consensu alterius, procedente tempore exhibendo, & exhibito, unum contractum legitimum Matrimonii efficere.

Sanè aliquod temporis spatium posse intercedere inter unum, & alium consensum, non diffitetur Pontius ; nam lib. 2. c. 16. n. 4. sic scribit: Quantum autem temporis inter expressionem consensûs utriusque intercedere debeat, variant Doctores. Soto in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. §. *Sed alia hinc nascitur ambiguitas*, etiam multum temporis posse interlabi existimat, dummodò non revocetur consensus : rectè tamen Petrus Ledesma dicit, id prudentis arbitrio relinquendum esse. Fateor tamen, si multum tempus intercederet, etiamsi animus esset idem, magnam in jure præsumptionem esse contrà hujusmodi Matrimonium, cùm homines facilè sententiam mutare soleant. 34.

Aliquod temporis spatium potest intercedere inter unum & alium consensum.

Mihi quidem videtur, cùm contractus iste sit : *Do ut des* ; datur enim traditio pro traditione, & acceptatur, nullum ita segnem fore, ut diu detineri velit, si impedimentum abest ; sed se quàm citissimè aut ligari vinculo, aut solvi. Quare rarissimè iste casus eveniet. Nam quando per procuratorem contrahitur Matrimonium, nondum censetur consensus contrahentis per procuratorem expressus, donec procurator significet, qui se non suspensum detineri patietur. Modicum ergò tempus intercedere debet, maximè cum consensus unius non sit forma respectu alterius, vel materia; sed uterque consensus verbis expressus sit forma : debent autem moraliter conjungi partes formæ. Hactenùs Pontius. 35.

Quantum spatium juxta Pontium.

Nunquid etiam materia & forma moraliter debent conjungi ? Unde autem constat, quòd major approximatio partium formæ requiratur, quàm materiæ & formæ ? Et si rectè intervallum temporis relinquitur prudentis arbitrio, quandoquidem Soto fuerit vir prudens, cur cum ipso non dicimus, multum temporis posse interlabi ? Multum, inquam, temporis non tam inter consensus, nam, ut dixi sup. ex Aversa, modicum tempus solet intercedere inter expressionem unius consensûs & alterius, quàm inter consensus internos utriusque partis.

An requiratur major conjunctio inter partes formæ, quàm inter materiam & formam.

Nec me movet falsitas hujus propositionis : *Ego bibo*, si altero die tantùm bibo. Nam disparitas maxima est ; quòd ad bibitionem non requiratur, nisi actio illius, qui loquitur, quæ proinde debet adesse, dum locutio profertur, aut certè immediatè post, ut oratio sit conformis rei, quam significat: verùm ad contractum requiritur consensus duorum: unde hæc propositio: *Contraho tecum*, non significat perfectum contractum, sed consensum ex parte unius tantùm, qui tunc potest esse, & debet esse, quando loquitur, ut propositi- 36.

Resp. ad simile Pontij: & ostenditur dissimilitudo.

propositio sit vera ; & nihilominùs contractus reverà nondum erit, deficiente consensu alterius ; ponetur autem contractus, quando alter post annum v. g. dicet : *Et ego tecum contraho* ; quia tunc uterque consensus est simul unus habitualiter, seu moraliter, alter realiter, seu actualiter, quod sufficit, ut ille consensus, qui anteà non erat pars formæ totalis, jam accedente altero consensu fiat pars.

37. *Consensus Matrimonialis est perseverandi in Matr. ex Dicast.*

Enimverò, ut benè notat Dicastillo sup. n. 81. consensus præcedens non solùm est contrahendi Matrimonium, sed perseverandi in illo; id est, consensus seu voluntas, quòd hæc in perpetuum sit uxor illius ; hæc autem voluntas (inquit præfatus Auctor) non censetur cessare, etiamsi jam quis putet esse finitum contractum; nam eo ipso, quòd initio vuluerit, ut ea sit uxor ipsius, & eam voluntatem non retractaverit, censetur perseverare voluntas illa, quâ voluit, ut non solùm tunc antè annum esset uxor ipsius, sed etiam hodie, cras & perendiè, & usque ad mortem alterutrius: ergò illa voluntas tunc antè annum habita, fuit voluntas quâ voluit, ut etiam hodie & imposterùm hæc esset uxor ipsius.

38. *Ex eo probatur sententia Navar.*

Cùm ergò voluntas non sit retractata, etiamsi quantùm ad tempus præteritum, & illam partem objecti temporis præteriti, jam transierit ; adhuc tamen habitualiter durat comparatione præsentis, & futuri : quia adhuc censetur habitualiter volens, ut hodie & deinceps hæc sua sit uxor. Qui consensus, adveniente altero consensu, & expressione illius, sufficiens videtur ad constituendum Matrimonium : expressio autem consensûs antiqui ex parte ejus, qui priùs verè & legitimè consenserat, fuit expressio cujusdam consensûs, se extendentis usque ad hoc etiam tempus ; volendo scilicet, ut in hoc etiam tempore illa esset uxor ipsius, quod sufficit, saltem probabiliter, ut consensus & expressio illius videatur habitualiter permanere. Sic ille. Imò & virtualiter in continua serie actionum matrimonialium, putà cohabitationis, copulæ, & similium.

Occurritur objectioni.

Nec refert (inquit Coninck disp. 24. n. 91.) quòd talis fortè ex sola ignorantia perseveret in priori consensu, & vellet à Matrimonio discedere, si sciret, hoc jam fieri posse : quia hæc voluntas sub conditione ponenda nihil operatur, quamdiu non ponitur : & cùm ipsius consensus, initio præstitus, fuerit omninò legitimus, ac absolutus, quòd ignorantia sit causa, cur continuetur, hoc ejus materiam non mutat ; præsertim cùm hæc non sit causa, cur de novo eliciatur ; sed solùm, quòd non revocetur, & cur moveat ad aliquos effectus ponendos.

39. *Instantia.*

Dices : consensus ille ab initio fuit ex errore præstitus : quia si deceptus sciviſſet, partem fictè consentire, nunquam in eam consensisset: ergò fuit nullus. *Confirmatur.* Confirmatur : quia talis non intendit consentire in Matrimonium, nisi posito, quòd pars etiam consentiat: ergò si hæc non consentiat, illius consensus erit nullus.

Solvitur instantia.

Ad argumentum, nego Consequentiam. Quia cùm ille error non sit error personæ, aut conditionis, non irritat Matrimonium ; sed tantùm efficit, ut prior consensus quovis tempore, antequam secundus ponatur, possit revocari.

40. *Quid ad confirmationem dicendum.*

Ad confirmationem Resp. tantùm inde sequi, prioris consensum fore nullum, si alter nunquam posteà consentiat : secùs est, si non statim, sed diu etiam posteà consentiat ; modò alter in priore consensu adhuc perseveret. Quia etsi hic, dum primò consentit, intendat, ut alter statim etiam consentiat, & non esset consensurus, si putaret alterum non nisi post aliquot dies, aut etiam annos consensurum ; tamen de facto absolutè consentit, non autem sub hac conditione : *Si alter statim consentiat* ; etsi fortè hoc omninò intenderet, si putaret alterum tunc non consentire. Sicut qui vendit alicui rem aliquam, promittenti se paulò post soliturum, etsi nullo modo venderet, si sciret alterum non esse solvendo, nec intendere unquam solvere; tamen de facto intendit ei vendere, & verè vendit. Hucusque Coninck.

41. *Nostra sententia practicari potest, quando nequit facilè obtineri novus consensus.*

Ex quibus, & aliis hactenùs dictis pro Conclusione nostra, liquidò profectò constat, eam esse probabilem, & tutò practicari posse, quando non potest facilè obtineri novus consensus, & separatio nequit fieri sinè maximis incommodis. Citat Sanchez d. Tho. 4. dist. 29. q. un. a. 3. quæst. 2. ad 2. quod erat: Si illa, quæ fuit coacta, postmodum consentiat, erit verum Matrimonium ; sed iste qui coëgit primò, ex consensu illius non ligatur : ergò ex primo consensu ligabatur Matrimonio.

42. *Videtur esse opinio d. Tho.*

Respondet D. Angel. *Quòd ex consensu libero illius, qui priùs coactus est, non fit Matrimonium, nisi inquantùm consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore; undè si dissentiret, nõ fieret Matrimoniũ.*

Ergò supponit D. Tho. priorem consensum posse manere in suo vigore, & permanere, nisi expressè revocetur, usque dum coacta liberè consentiat. Quidni similiter permaneat, donec ficta verè consentiat.

43. *Consonat Doct. Seraphica.*

Consonat Doct. Seraphicus eâd. dist. q. 2. *Vtrùm consentiens in renitentem, generet sibi præjudicium, ut non possit cum alio contrahere Matrimonium.* Et pro parte affirmativa sic arguit : *Iste consentit in invitam & renitentem, & postmodum illa consentit, constat, quòd cùm illa consentit, Matrimonium ratum existit. Ergò si mulier virum sibi obligat, non ex hoc, quòd ipsa consentit : quia consensus unius personæ alteram non obligat ; ergò hoc est propter priorem consensum, quem ille priùs emiserat : ergò priùs obligatus erat.*

Respondet D. Bonavent. sup. n. 13. *Dicendum ; quòd tunc incipit obligari, & non ratione consensûs alieni tantùm ; sed ratione sui, qui præcesserat in actu, & erat in habitu, qui etsi non obligaret, quia non erat qui acciperet; ideò alieno consensu adveniente, ille consensus habet vim obligandi, quàmvis priùs non haberet. Posset tamen dici, quòd in tali casu consensus viri renovari debet, vel verbo, vel signo.*

Posset, inquam, dici, & tutiùs dicitur ; non autem debet dici ; maximè, ut sup. notavi, in casu necessitatis, quando renovatio consensûs est moraliter impossibilis.

44. *An reverà hæc sit sententia illorum DD.*

Prorsùs, reponit quispiam, non debet dici, quando coactio & renitentia nota fuit consentienti; & nihilominùs voluit in suo consensu perseverare, donec accederet liber consensus alterius: nam communis sententia est, quòd sufficiat simultas moralis consensuum, contrà Panormitanum & paucos alios; atque adeò quòd satis sit habitualis perseverantia prioris consensûs, quæ indubiè est, quando quis sciens & volens consensit in renitentem seu invitam; nisi enim vellet expectare ejus liberum consensum, frustrà in eam consentiret, cùm sciat ex solo suo consensu nunquam posse oriri obligationem.

Quanto autem tempore habitualiter perseveret talis consensus, relinquunt Aliqui, ut sup. diximus, prudentis arbitrio. Certum est, quòd desinat per expressam revocationem, etiam post modicissimum tempus. Similiter, si certum tempus expressum fuit, eo elapso, consensus omninò desinit. Item, si velit cum alia contrahere. Sed de tali casu hìc non quæritur, de quo tamen videntur locuti DD. Angel. & Seraph.

45. *Non videntur locuti de nostra controversia.*

Porrò casus, qui hìc disputatur, supponit, ut patet ex dictis, externum contractum Matrimonii, quem pars, reverà & liberè consentiens, validum existimat, & ideò compartem tractat ad instar veri conjugis. Et tunc quæritur: an solo lapsu temporis omninò desinat prior consensus. De qua controversia non videntur locuti D. Tho. & D. Bonavent. sup.

Utut sit de eorum mente, quam nuspiam clarè circà hoc ultimum punctum expresserunt; ratio & auctoritas aliorum DD. reddunt Conclusionem nostram saltem probabilem; eo semper salvo, ut non requiratur existentia actualis simultanea utriusque consensûs, de quo vide dicta Disp. præced. Sect. 6. Concluf. fin.

46. *Consensus est moralis tantùm causa obligationis.*

Tantùm hìc addo: nihil officere, quòd consensus sit causa obligationis; quia solùm est causa moralis, quæ non necessariò realiter existit, quando ponitur ejus effectus. Nec opus est assignare causam physicam obligationis; quia ipsa nihil est physicum, sed dumtaxat aliquod morale vinculum; scilicet, quo contrahentes astringuntur, ad aliquid faciendum, vel non faciendum; quod à parte rei nihil est aliud, quàm duos quospiam in aliquid unum reciproco consensu convenisse; quo posito sive simul, sive separatim, oritur denominatio extrinseca in utroque, quæ dicitur obligatio.

An sufficiat ad Matr. intentio habitualis.

Si inferas: ergò ad Sacramentum Matrimonii non requiritur intentio actualis aut virtualis. Respondetur: hoc habere peculiare Sacramentum Matrimonii, quòd Christus Matrimonium inter baptizatos elevavit ad dignitatem Sacramenti novæ legis, non immutando ejus naturam, ut non semel alibi diximus: atqui consensus habitualiter permanens sufficit, ad contractum Matrimonii constituendum, adveniente altero consensu sufficienter expresso; ergò etiam ad constituendum Sacramentum, quantùm est ex parte sua.

47. Probatur minor. Quia (inquit Dicast. sup. n. 68.) ille consensus & intentio, priùs quidem & antecedenter fuit intentio factiva, id est, intentio efficiendi, & proferendi verba, seu signa externa, quæ pertineant ad essentiam contractûs talis, quæ verba seu signa externa nequeunt fieri, nisi ex intentione physicè existente, aut in se, aut in aliquo effectu derivato, & tunc jam existebat illa intentio physicè & actu, quando ipsa verba seu signa externa in ordine ad talem contractum fiebant, etiamsi posteà intentio illa tantùm habitualiter perseveret, quatenus priùs præcessit, & nondum fuit expressè vel virtualiter retractata. *Probatur ex Dicast. sufficere habitualem perseverantiam consensûs.*

Iam verò habitualis perseverentia sufficit, ut adveniente consensu alterius cum cæteris requisitis, contractus celebretur; quia jam tunc non est illa intentio factiva alicujus operationis, quæ de novo fiat: sed tantùm translativa dominii corporis ad usum conjugalem, & inductiva obligationis tradendi corpus ad illum usum. Quæ consistunt in extrinseca relatione seu respectu, ad quod sufficit intentio tradendi dominium corporis ad usum conjugalem, & ad eum se obligandi, etiamsi jam physicè transierit, & solùm maneat habitualiter.

48. *Videtur, in nostro casu consensum perseverare virtualiter.*

Accedit: quòd in casu nostro, quando scilicet Matrimonium est invalidum defectu consensûs unius partis, maneat consensus alterius partis non tantùm habitualiter, sed etiam virtualiter, ut sup. dixi, in tota serie effectuum, consequentium eum consensum: omnes quippè actus matrimoniales, cohabitatio & similes, sequuntur ex vi dicti consensûs; qui proinde in illis virtualiter permanet.

Quid ergò, interrogat quispiam, si Matrimonium fuerit invalidum ob consanguinitatem, nonne etiam talis consensus, bonâ fide præstitus, manet virtualiter in dictis actibus matrimonialibus? Respondeo citiùs:

CONCLUSIO II.

Matrimonium irritum ob consanguinitatem, vel aliud simile impedimentum, obtentâ dispensatione, novum utriusque consensum requirit, cognitâ priori invaliditate.

49. *Probatur Concl. ex Sanchez.*

QUia (inquit Sanchez lib. 2. disp. 35. n. 2.) cùm prior consensus fuerit omninò ex parte utriusque invalidus, eò quòd super illegitimam & inhabilem materiam ceciderit, denuò uterque renovandus est, nec durare potest consensus, qui nullus omninò fuit: cùm enim permanentia existentiam supponat, consensus, qui nunquam extitit, permanere nequit.

Est doctrina D. Tho.

Sic docent ex Theologis D. Tho. 4. dist. 40. q. un. a. 4. ad 6. ibi: *Similiter, si aliquis gradus concederetur, qui nunc est prohibitus, illa conjunctio* (invalida) *non efficeretur matrimonialis ex statuto Ecclesiæ, ratione primi contractûs* (invalidi)

(invalidi) *quia poſſent ſeparari, ſi vellent; ſed tamen poſſent de novo contrahere, & alia conjunctio eſſet.*

Item Scoti. Item Scotus 4. diſt. 35. q. un. n. 5. ibi: *Primus conſenſus non fuit matrimonialis, & ideò nullus actus poteſt eſſe licitus in virtute illius conſenſûs & ideò ad hoc, quòd ſint conjuges, requiritur novus conſenſus.* Loquitur de muliere, quæ inſcia nupſerat viro habenti aliam uxorem, adeoque invalidè propter impedimentum ligaminis.

50. *Probatur oppoſita ſententia ex l. 27. ff. de Ritu nupt.* Plures DD. tam Theologos, quàm Iuriſperitos citat ibidem Sanchez pro ſua & noſtra opinione, quæ communis eſt, contrà Nonnullos, qui putant ſatis eſſe, conſenſum ſcientis impedimentum renovari; & probant ex l. 27. ff. de Ritu nupt. *Si quis in ſenatorio ordine agens, libertinam habuerit uxorem, quàmvis interim uxor non ſit: attamen in ea conditione eſt, ut ſi amiſerit dignitatem, uxor eſſe incipiat.*

Item ex l. 65. eod. Item ex l. 65. eod. *Eos, qui in patria ſua militant, non videri contrà mandata ex eadem provincia uxorem ducere, idq; etiam quibuſdam mandatis contineri. Idem eodem reſpondit: mihi placere, etſi contra mandatum contractum ſit Matrimonium in provincia; tamen poſt depoſitum officium, ſi in eadem voluntate perſeveret, juſtas nuptias effici.*

51. *Confirmatur.* Confirmant: quia antiquus conſenſus cenſetur durare, dum revocatus non eſt, ut patet in Matrimonio irrito ex defectu conſenſûs in uno.

Explicantur dd. leges, ex Covar. Sed hæc non cogunt nos recedere à communi ſententia. Nam dictæ leges intelligendæ ſunt, quando conjuges poſt ablatum impedimentum, copulâ maritali, vel alio ſigno externo, denuò conſenſum exprimunt. Ita Covar. de Matr. p. 2. cap. 4. n. 5. alias 8. ibi: Perſeverare eos procul dubio intellexerim, ſi per cohabitationem conjugalem, aut alio ſufficienti ſigno conſenſum præſtitiſſe intelligantur, cùm & anteà præſtitus nullus omninò fuerit. Et infrà: Uxor eſſe incipiat, ut ipſe interpretor, ſi novus conſenſus utriuſque expreſſus vel tacitus acceſſerit; neque ſatis, priori conſenſui non contradicere. Sic ille. Addit aliam ſolutionem dicens: Aut planè hæc Iuriſconſultorum reſponſa ad juris civilis conjugales prohibitiones pertinent.

52. *Opponuntur duæ reg. juris.* Et ſanè Reg. 18. de Reg. juris in 6. dicit: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* Cui conſonat Reg. 29. ff. eod. *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere.*

Matr. impuberum non convaleſcit tractu temporis. Hinc Matrimonium ab impuberibus contractum, tractu temporis non convaleſcit, cap. 1. De Deſponſ. impub. in 6. §. *Idem quoque*, ibi: *Nec Matrimonium (quod ut Matrimonium ætate non tenuit prohibente) poſt lapſum dicti temporis convaleſcit, niſi per carnis copulam ſubſecutam, vel aliquem modum alium, contrahentes eoſdem, cum ejuſdem perſeverantia voluntatis, ad pubertatis tempora perveniſſe conſtiterit evidenter.*

Quare Gloſſ. d. l. *Si quis in ſenatorio*, verb. *Incipiat*, meritò ait: *Quod ergò ab initio non valet, ex poſt facto convaleſcit*; ſcilicet ex conſenſu poſteà præſtito, ſic ego intelligo, & non ex ſola amiſſione dignitatis; cùm hæc amiſſio non magis ſuppleat defectum conſenſûs, quàm tempus pubertatis; ſinè autem conſenſu Matrimonium non ſubſiſtit; neque ab ipſo Pontifice, multò minùs à Repub. civili, poteſt ſuppleri. Porrò ſi illa dignitas fuit impedimentum dirimens, veluti impubertas, herculè uterque conſenſus fuit invalidus; quia utraque perſona inhabilis ad tale Matrimonium; ergò uterque debet renovari.

53. *Reſpondetur ad confirmationem.* Et hæc eſt reſponſio ad confirmationem: quòd nimirum in caſu, quo alter fictè conſenſit, alter conſenſus fuit validus; quia perſonæ habilis, ſuper legitimam & habilem materiam, id eſt, ſuper perſonam, quæ poterat validè contrahere, ſi voluiſſet; at verò in caſu, de quo hìc tractamus, uterque conſenſus fuit invalidus, tamquam perſonæ conſanguineæ, ſuper perſonam conſanguineam, & perſonæ ſenatoriæ, ſuper perſonam libertinam; & ita in cæteris, quæ ſimiliter per jus naturale vel poſitivum inhabilitantur ad Matrimonium. v. g. Trid. reddit perſonas inhabiles ad contrahendum clandeſtinè, & hujuſmodi contractum decernit irritum, quis non videt utramque perſonam reddi inhabilem, & utriuſque conſenſum irritari? Sanè non eſt major ratio irritandi conſenſum unius partis, quàm alterius.

54. *Fictio unius conſenſûs non vitiat alterum.* At verò fictio unius conſenſûs, aut metus uni tantùm conjugi incuſſus, patet, quòd non vitiet conſenſum alterius partis, qui verus eſt & omninò liber, tametſi reddat eum inefficacem, vel potiùs non efficientem, quod effeciſſet, ſi ille qui fictè aut ex metu conſenſit, id ipſum verè liberè feciſſet.

Probatur à ſimili. Veluti ablutio parvuli cum aqua naturali, eſt vera materia Baptiſmi, tametſi careat ſuo effectu, defectu formæ aut intentionis miniſtri; adeò, ut revaleſceret Baptiſmus abſque nova ablutione, ſi poſt prolatam formam ſinè intentione, mox miniſter proferret eamdem cum debita intentione. Similiter, ſi miniſter non protuliſſet formam unà cum ablutione, prout fieri ſolet, ſatis foret eam proferre immediatè poſt, abſque nova ablutione.

Quàmvis autem duo conſenſus contrahentium non habeant ſe inſtar materiæ & formæ (quamquam & hoc Aliqui doceant) equidem ſunt partiales formæ, quæ concurrunt ad conſtituendum contractum unum Matrimonii; ſimili modo, quo concurrunt materia & forma in aliis Sacramentis, ad conſtituendum unum Sacramentum. Ergò ſicuti in aliis Sacramentis materia non vitiatur, etſi ſtatim non habeat ſuum effectum, dummodò forma congruo tempore adveniat, ita pariter non vitiatur unus conſenſus in Matrimonio, dummodò alius debito tempore conjungatur.

55. *Objectio.* Sed dicet aliquis: ſecundùm Multos, Matrimonium metu initum, ſolo jure Eccleſiaſtico eſt invalidum, quando alioquì adeſt verus conſenſus, ſicut poteſt adeſſe; neque enim metus tollit omnem conſenſum, ut patet in eo, qui ex metu peccat; ſed tantùm plenam libertatem con-

consensûs: ergò dum Matrimonium contrahitur ex metu, non solùm qui metum patitur, invalidè consentit, sed etiam altera pars, sive ipsa incutiat metum, sive aliquis tertius ipsâ insciâ. Probatur Consequentia: quia jus Ecclesiasticum irritat utrumque consensum, sicut quando invalidat Matrimonium inter consanguineos.

Solvitur. Respondeo: disparitatem esse; quòd ratio, ob quam Ecclesia irritet Matrimonium ex metu initum, solùm teneat se ex parte ejus, qui metum patitur. Nam ratio est defectus plenæ libertatis, qui non invenitur in eo, qui absque metu consentit.

56. *Replica.* Planè reponit quispiam; sed quid tum? Illa ratio, seu defectus plenæ libertatis, est causa sufficiens annullandi utrumque consensum. Et prætereà: saltem persona quæ patitur metum, est inhabilis; quia ejus consensus invalidatur, ita ut, etiamsi velit, non possit validè consentire; ergò alterius consensus cadit super illegitimam & invalidam materiam; ergò & ipse invalidus est.

Non concludit. Respondeo: ex hoc argumento colligitur aliqua differentia inter fictè consentientem, & consentientem ex metu; videlicet, quod fictè consentiens ipse possit pro beneplacito suo fictionem tollere; non ita patiens metum, qui ab alio incutitur, potest tollere metum; quamquam etiam consentire liberè possit ex alio motivo, ut suo loco diximus; & ideò non est persona omninò inhabilis; sed solùm inhabilis, ut consentiat validè ex metu. Ac proinde consensus alterius partis non cadit super materiam omninò inhabilem, & ita potest esse validus. Cui hæc responsio non placet, quærat meliorem; vel dicat, etiam Matrimonium contractum ex metu ab utraque parte esse invalidum, & idcircò utrumque consensum fore renovandum.

57. *An requiratur cognitio nullitatis prioris Matr.* Si autem à me quæritur: an qui de novo debet consentire, id nequeat sufficienter facere, nisi fuerit conscius nullitatis prioris consensûs, hoc opus hic labor est. Si credimus Clem. VIII. præced. Conclus. allegato, pars affirmativa in confesso est, propter illa verba: *Admonito priùs marito de Matrimonii nullitate.*

Affirmat Pontius ex responso Clem. VIII. Et quia Pontius credit Pontifici illi, ideò eam partem amplectitur lib. 4. c. 25. n. 2. dicens: Mihi videtur, in utroque casu (putà, quando Matrimonium fuit invalidum ex fictione unius, vel ob impedimentum dirimens) debere conjugem utrumque fieri certum de nullitate Matrimonii; aliàs quantumcumque renovent consensum, nihil fieri. Hanc sententiam expressè docuit Comitolus loco citato, & habemus pro illa responsum Clem. VIII. c. præced relatum, cùm consultus esset de nullitate Matrimonii ex eo, quòd unus ex conjugibus fictè consenserat: *Admonito*, inquit, *priùs conjuge de Matrimonii nullitate.*

Comitolus.

58. *Item ex privilegio Comiss. Cruciatæ.* Similiter in privilegio, quod concedit Pontifex Commissario Cruciatæ dispensandi in nonnullis casibus, inter eos concedit, ut possit dispensare cum his, qui scienter in gradu prohibito contraxerunt: *Altero*, inquit: *impedimentum ignorante, priùs de nullitate prioris consensûs certificato.*

Tenor d. privilegij. Exscribo totam clausulam Bullæ: *Ac nullis datis literis, seu per Confessorem laniatis* (supple ex antecedentibus: *datur facultas dispensandi*) *cum his, qui primo & secundo affinitatis, ex fornicatione contractæ, gradibus conjuncti Matrimonium contraxerunt: Dummodò si post Concilium Trid. ipsius formam servaverint: ac impedimenta hujusmodi penitùs occulta sint; & alter contrahentium tempore contracti Matrimonii impedimenti ignarus steterit: vel altero, ita ut prædicitur impedimentum ignorante, de nullitate prioris consensûs priùs certificato, tacitâq;, si videbitur ad evitanda scandala, causâ nullitatis, Matrimonium inter se etiam secretè de novo contrahere possint in foro conscientiæ dumtaxat, ad evitanda gravia scandala dispensandum judicaverint, dispensare: prolemq; susceptam & susciipiendam exinde legitimam decernere: nec non etiam in superveniente simili affinitatis impedimento similiter dispensare, ut debitum petere possint.* Ita refert Villalobos Tract. de hac Bulla, Clausulâ 13. n. 11.

59. *Evasio præcluditur.* Nec verò dici potest (prosequitur Pontius) Pontificem tantùm assignare formam privilegii, juxtà ea, quæ ipse opinatur, & ita servandam: tum, quia ea solutio non potest accommodari responso Clementis. Tum etiam: quia Pontifices in hoc non formam, quæ jure positivo inducatur, constituunt, sed ipsum jus naturale explicant. Nam ea admonitio de nullitate prioris Matrimonii, jure ipso naturali requiritur; cùm error jure naturali obviet Matrimonio. Est autem hic error circà personam; quia refunditur in qualitatem personæ, cùm ille non consentiat, nisi in personam legitimam & non impeditam; ea autem impedita est.

60. *Probatio est ratione.* Adde: consensum illum ferri secundùm ea, quæ jure insunt, quæ pro expressis habentur. Unde idem est, ac si expressè diceretur: *Consentio, si nullum est inter nos impedimentum.* Cùm ergò, si eo modo consentiret, conditione de præsenti non existente, non esset consensus aliquis, ideò renovari debet uterque, & cognosci, nullum fuisse anteà contractum. Nam quamdiu non fit certus de nullitate prioris conjugii, non contrahit Matrimonium; sed tantùm in præcedenti perseverat, quod nullum fuit. Quare eo ipso, quòd necessarium est renovari utriusque consensum, necessarium est, ut uterque sit conscius nullitatis; aliàs semper probat id, quod jam ante gestum est, & non fertur in novum contractum, sed in præcedentem. Sic ille.

61. *Oppugnat distinctionem Sanchij.* Et n. 3. specialiter oppugnat distinctionem Sanchii inter Matrimonium nullum ex defectu consensûs unius, & Matrimonium irritum ob impedimentum dirimens. Nam, inquit, sicut contingere potest ut Matrimonium sit nullum ex defectu consensûs unius tantùm, qui fictè contraxit, vel ex metu; ita etiam contingere potest, ut Matrimonium sit nullum ratione impedimenti, quod unum tantùm ex contrahentibus attingit; ut si unus conscius, se esse religiosum S. Ioannis, contrahat cum alia ignoranter,

rante, & posteà ille occultè dispensationem petat, cur in hoc casu necessarium sit admonere conjugem de nullitate prioris Matrimonii, si in primo casu non est necessarium; nulla assignari ratio potest. Quia sicut erravit alter ex eis, existimando illum, cum quo contrahit, non teneri impedimento voti, vel Ordinis: ita etiam ignoravit, teneri alium impedimento metûs, vel esse in illo defectum consensûs, quod tamen impedimentum ille alter, cum quo contrahit, non ignorabat. Ita Basil.

62. *Defenditur distinctio.* Respondeo: ratio disparitatis hìc non est, ignorantia fictionis, aut impedimenti dirimentis; sed, ut patet ex dictis, habilitas ejus, qui fictè vel ex metu consentit, & inhabilitas ejus, qui cum voto Religionis contrahit; ex quo oritur, ut in primo casu consensus alterius sit validus, quia cadit super materiam legitimam; in secundo autem casu invalidus, quia super materiam illegitimam; & ideò uterque debet renovari, ut patet ex suprà dictis.

Consensui Matrimoniali non inest jure hac conditio: Consentio, si tu consentis. Fateor itaque, consensum illum ferri secundùm ea, quæ jure insunt; sed nego, jure inesse illam conditionem, *Consentio si tu consentis, & liberè consentis.* Quod enim illud jus, quod mihi prohibet consentire in personâ fictè aut coactè consentientem, vel quod talem personam facit inhabilem ad verè & liberè consentiendum, & ita perficiendum contractum Matrimonii? Nuspiam illud invenio. Sicut invenitur jus, quod prohibet personam consanguineam consentire, aut personam religiosam, & eas reddit materiam illegitimam, seclusâ dispensatione. Et ideò in uno casu sufficit suppletio consensûs liberi, qui defuit; in alio autem requiritur renovatio utriusque consensûs, quia uterque fuit invalidus.

63. *Resp. ad Clem. VIII.* Porrò quod illa renovatio non possit fieri, nisi cognitâ nullitate prioris consensûs, hoc est, de quo hìc præcipuè disputatur, & non puto, Clementem VIII. partem affirmativam ex cathedra definivisse; estò de isto Decreto seu responso authenticè constaret; sed resolvit, ut sup. dixi, tamquam Doctor particularis, quod tutiùs erat; & noluit dispensare, nisi servatâ istâ formâ.

Item, ad clausulam Bullæ Cruciatæ. Sicut etiam Pontifex in illa clausula Bullæ Cruciatæ tantùm assignat formam privilegii, juxtà ea, quæ ipse opinatur, & quam, tamquam magis conformem rationi, vult esse servandam. Unde, ut notat Villalobos sup. n. 18. dispensatio aliter facta à Commissario non valeret.

Villalobos. Hæc sunt verba d. Auctoris: Advierta se, que aunque avemos dicho, que segun una opinion no est necessario para ratificar el Matrimonio, que fue nullo, despues de alcan-çar dispensacion, el certificar la parte ignorante de la nulidad del Matrimonio, en este caso no ha lugar aquella opinion, porque se concede la comission al dicho Comissario con esta condicion, y no de otra manera.

64. *Magis est conforme rationi, quòd requiratur notitia invaliditatis.* Quòd autem hæc conditio seu forma sit magis conformis rationi, nemo dubitat. Nam ut Matrimonium inter tales subsistat, requiritur, ut, obtentâ dispensatione, de novo contrahant, tradendo sibi mutuò dominium corporum; cùm anteà neque ex una, neque ex altera parte fuerit traditum; quæ tamen traditio requiritur ad essentiam Matrimonii. Jam autem sinè notitia invaliditatis, seu nullitatis prioris consensûs, quàmvis cohabitent, & cætera faciant, quæ solent verè conjugati; imò dicant, sese mutuò velle habere in conjuges; nunquam tamen intendunt de novo contrahere, casu quo contractus prior foret invalidus; quia nullam habent suspicionem invaliditatis. *Invaliditatis. Probatio.*

An sufficiat suspicio invaliditatis? Negat Sanchez. Imò tametsi suspicarentur eam, non sufficeret secundùm Sanchez sup. disp. 36. n. 4. contrà Navarr. Man. cap. 22. n. 47. ubi sic scribit hìc Auctor: Notandum item, quod, ut Matrimonium inter ignorantem impedimentum, & scientem, valere incipiat non sufficit cessatio impedimenti, & consensus novus scientis: quia oportet, ut etiam ignorans denuò in illum consentiat, postquam ei notum fuerit, interveniisse impedimentum, per quod illud Matrimonium non valuit; & fiat ei justa libertas ad renuendum, si voluerit, secundùm Innoc. in fin. cap. 1. de Eo qui duxit &c. & Scotum 4. dist. 35.

65. *Affirmat Navar. cum Cajet.* Satis tamen videntur hæc ei notificari, & dari libertas, quando certior fit, Matrimonium nil valuisse ob aliquod impedimentum in genere, & quod non cogitur ad denuò contrahendum; quàmvis non exprimatur speciatim impedimentum, ob quod primum Matrimonium non valuerit, neque à domo sui mariti in majorem libertatem deducatur. Quia & præstat id facere, quoties non convenit, ut illud speciatim noverit; satis enim esset tunc dicere gratiosè: Suspicor te non esse maritum meum aut uxorem meam, aliquâ de causa, ideò rogo te plurimùm causâ tranquillitatis conscientiæ meæ & consolationis, ut si, & quatenus opus fuerit, denuò nos pro conjugibus habeamus; secundùm mentem Cajetani to. 1. opusc. tr. 12. q. 2. & in Sum. verb. *Matrim. contractûs peccata, §. Tertium caput*, in fine. Sic Navar.

66. *Fundamentum Sanchij, ex l. fin. Cod. de Condict. indeb.* Sed hoc ultimum non placet Sanchio sup. Quia (inquit) titubans pro ignorante habetur l. ult. Cod. de Condictione indebiti, ubi omnibus, qui mente titubante indebitam solverint pecuniam, conceditur repetitio, ibi: *Quod nos decidentes, sancimus, omnibus qui incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quamdam speciem persolverint, repetitionem non denegari, & præsumptionem transactionis non contrà eos induci, nisi hoc specialiter ab altera parte approbetur.*

Confirmatio per Gloss. c. 2. de Conjug. serv. Hinc Gloss. c. 2. de Conjug. servorum, ubi habetur, convalidari Matrimonium, si auditâ servitute, ingenuus verbo vel facto consensit, verb. *Audivit*, ait: *Supple, & credidit: non enim cuilibet referenti credere tenetur, arg. 23. q. 4.* Quàm magnum: *titubans enim pro ignorante habendus est, C. de Condict. indeb. l. ult. Arg. contrà, 22. q. 4.* Innocens. *Dic, quòd si iste habet conscientiam servitutis ex probabili causa & discreta, tunc præjudicat sibi, si carnaliter cognoscat: si ex levi & temeraria, cui credi non debet, non videtur, quòd ei præjudicet.* Ergò non sufficit audiisse uxoris servitutem,

vel habere illius suspicionem ; sed requiritur, ut vir, eam servitutem credens, accedat affectu uxorio.

67. *Illatio.* Ergò similiter (inquit Sanchez) non satis erit, si ex uxoris relatione vir suspicetur, prius Matrimonium fuisse irritum ; eò vel maximè, quòd ex dicendi modo potiùs credet, esse vanum mulierum scrupulum. Tutior tamen modus est hic, quàm si vir penitùs ignoret prioris Matrimonii nullitatem : nam hoc modo aliqualem illius notitiam haberet. Rarò tamen consulerem, ut uxor hoc dicendi modo uteretur ; quia magno exponitur periculo, & satis probabile est fore, ut viri animus minimè quiescat, sed potiùs ipsam vexet, ut extorqueat, quàm ob causam scrupulo nullitatis prioris Matrimonii angatur : & eâ non aperiente, magnæ orientur dissensiones, maximè si vir sit zelotypus. Sic ille.

Iudicium Auctoris. Ego autem nescio, quare non sufficiat suspicio invaliditatis, si ex ea vir vel mulier moveatur, ut velit de novo contrahere, & de novo contrahat, si fortè prius Matrimonium non valuerit ; nec aliud intendit Navar. ut patet ex illis verbis : *Vt si, & quatenus opus fuerit, denuò nos pro conjugibus habeamus.* Et similiter dico, sufficere suspicionem servitutis, si ingenuus diceret : *Etsi scirem te servam, equidem vellem te cognoscere, & volo te cognoscere affectu uxorio.* Et puto, de tali casu d. Gloss. non fore intelligendam ; sed quando ingenuus suspicans servitutem, carnaliter cognoscit, ita ut si sciret, nollet eam cognoscere.

68. *Ab eo non videtur Sanchez dissentire.* Et reverà ab hac doctrina non dissentit Sanchez. Nam sup. n. 5. sic ait : Sufficeret, si novus ille consensus procederet ex cognitione æquivalenti scientiæ nullitatis prioris Matrimonii, licèt alter conjux eam ignoraret : ut si conjux impedimenti conscius peteret ab alio sic : *Me ita diligis, ut si non esset inter nos Matrimonium, denuò contraheres, ac ex nunc vis me in conjugem, ac si non fuisset validum inter nos Matrimonium priùs contractum ?* Et respondeat alter : *Ita volo* : interroganque, se quoque idem velle, dicat. Et datâ operâ dixi : *Volo ut ex nunc* ; quia non sat esset : *Si non consisteret inter nos Matrimonium, denuò contraherem* : quia non est consensus de præsenti, hìc & nunc contrahendi, qualis ad Matrimonium requiritur. Hæc ille.

69. *Ratio hujus doctrinæ. Primò.* Porrò si hoc sufficeret in ignorante ; quidni etiam in suspicante ? Et puto, ut sup. dixi, Navarrum aliud nihil voluisse. Ratio autem, quare id sufficiat, etiam in ignorante, est ; quia tunc (inquit Sanchez) non tantùm vir intendit in Matrimonio contracto perseverare, sed denuò contrahere sub ea conditione, si prius Matrimonium irritum fuit ; quare cùm conditio tunc existat, Matrimonium verè contrahetur.

Secundò. Secundò : quia hic consensus non procedit ex errore ; sed, licèt simul cum errore sit, fertur in objectum illud conditionatum absolutè, & error, & ignorantia se habent concomitanter ; ignorantia autem concomitans non tollit voluntarium : & licèt tollat negativè, id est, non ponat consensum in actu, sed in habitu, quod non satis esse ad Matrimonium, dixi hoc l. 2. disp. 34. n. 3. id tamen contingit, quando simul cum illa ignorantia concomitanti non elicitur consensus de præsenti, qualis hìc adest, cùm dicat conjux : *Volo te ex nunc* &c. Ita Sanchez.

Breviter : talis error non est practicus, sed speculativus tantùm, id est, consensus denuò elicitus non innititur illi errori, talis autem error non irritat consensum, ut patet ex alibì dictis.

70. *Hæc doctrina improbatur à Pontio. Primò.* Nihilominùs hæc doctrina improbatur à Pontio sup. n. 5. Primò per verba Pontificis : *Admonito priùs marito de Matrimonii nullitate.* Et : *Altero impedimentum ignorante, priùs de nullitate prioris consensus certificato.* Eâ autem ratione neque certificatur de nullitate, neque de ea admonetur.

Secundò. Deinde (inquit Basil.) est ratio meo judicio manifesta. Quia consensus ille adhuc extorquetur dolo. Ergò nullus est, sicut extortus metu. Unde quemadmodum, cùm metus adhibetur ad extorquendum consensum, Matrimonium ex eo consensu nullum est ; & tamen si ipse, qui metu etiam injustè opprimitur, offerat alteri Matrimonium, tamquam in præmium, si se eripiat à metu, quem alius incutit, Matrimonium valet ; sunt enim hæc duo longè inter se diversa ; ita diversa valdè inter se sunt, si quis errore deceptus, putans esse Matrimonium, diceret ex motu proprio, & à seipso inductus : *Ego ita te diligo, ut si, obstante aliquo impedimento, Matrimonium inter nos contractum fuit nullum, illudq; cessavit, nunc denuò volo contrahere,* validum quidem erit Matrimonium in hoc casu, quis dubitet ? Aliud verò est, si eâ dissimulatione ab alio extorqueatur consensus ; in hoc enim casu nullus est, utpotè dolo extortus.

71. *Explicatur doctrina Pontij exemplo.* Quod optimè explicat exemplum, desumptum ex metu : posset enim contingere, ut ille alter, certò conscius nullitatis factus, non consentiret jam in Matrimonium : consensus autem illius, qui ex errore validum putat Matrimonium, aliàs non consensuri, non est sufficiens, ut docet Em. Sa in Codicibus Hispanis, verb. *Matrimonium*, n. 4. Adde etiam ; quod sup. isto lib. c. 20. n. fin. dixi, consensum cum errore concomitante non sufficere ad Matrimonium ; hìc autem est consensus cum errore concomitante. Hucusque Pontius.

72. *An consensus cum errore concomitante sit insufficiens ad Matr.* Planè dixisti. Sed utrùm benè, est alia quæstio. Profectò non benè, si generaliter intelligas dictum tuum de quocumque errore concomitante ; nam, ut statim audivimus, admittis Matrimonium esse validum, si quis errore deceptus, putans esse Matrimonium, diceret ex motu proprio, & à seipso inductus : *Ego ita te diligo* &c.

Et consimiliter admittere debes, Matrimonium esse validum, si quis errore deceptus, putans esse Catharinam, diceret personæ sibi præsenti : *Ego ita te diligo, ut, tametsi non sis Catharina,*

vina, equidem volo tecum contrahere. Quis tamen neget, ibi eſſe errorem concomitantem? Ut ergò doctrina Pontii vera ſit, neceſſariò intelligi debet de affectu ſolùm habituali contrahendi, errore detecto. Porrò Sanchez loquitur de affectu actuali, quo quis errore deceptus, putans eſſe Matrimonium, de novo vult contrahere, caſu quo non foret Matrimonium: non autem de conſenſu illius, qui ex errore validum putat Matrimonium, aliàs non conſenſuri.

73. *Exemplum Pontij eſt impertinens.* Hinc impertinens eſt ad noſtrum propoſitum exemplum deſumptum ex metu. Nam dum metus adhibetur ad extorquendum conſenſum, qui metum patitur, ita eſt conſtitutus, ut ſi metus abeſſet, nullatenùs vellet conſentire. Impræſentiarùm verò, qui ex errore putat Matrimonium validum, ſic eſt affectus, ut tametſi probè ſciret ejus invaliditatem, equidem abſolutè vellet conſentire; & de facto conſenſit, eſtò ſit invalidum.

Igitur dolus in caſu noſtro non dat cauſam contractui, nec ei innititur contractus, ſicuti metus injuſtè incuſſus dat cauſam contractui, & ei contractus innititur. Alioquì, ſi metum patiens vellet contrahere, & ex alio motivo contrahit, nullo habito reſpectu ad metum, Multi docent, Matrimonium valere, ut patet ex dictis ſuo loco. Jam autem in noſtro caſu non elicitur conſenſus ex dolo, ſive non innititur conſenſus illi dolo ſeu errori, quo putat Matrimonium validum; ſed eo ſecluſo, & ſuppoſitâ invaliditate ſive cognitione ejus, ex aliis motivis, ex quibus anteà voluit contrahere, rurſum contrahit: quidni ergò validè? Non video, quid obſtet. Igitur doctrina Sanchez ſic explicata nobis placet, quidquid ſit de impugnatione Pontii, qui fortè non benè mentem Sanchii intellexit.

Approbatur doctrina Sanchez.

74. *An ſufficiat copula maritalis ad revalidationem? Affirmat Sanchez, per diverſa jura.* Docet præterea Sanchez ibidem n. 6. ſufficere ad revalidationem, ſi conjuges ſcientes impedimentum ceſſaſſe, ſe affectu maritali cognoſcant. Probatur ex cap. 2. & c. fin. de Conjugio ſervorem, ubi habetur, contrahentem ignoranter cum ancilla, revalidare Matrimonium, ſi cognitâ ſervitute, verbo vel facto, ſcilicet copulâ carnali affectu uxorio in eam conſentiat. Item ex cap. *Is qui*, de Sponſal. ubi ſponſalia in Matrimonium tranſeunt per copulam affectu uxorio habitam. Item: quia Matrimonium verbis vel ſignis contrahi poteſt, nullum autem ſignum ita expreſsè voluntatem contrahendi denotat, ac factum ipſum. Ita Sanchez.

75. *Diſplicet id Pontio.* Sed neque hæc doctrina ſapit Pontio ſup. n. 6. tum, quia poſt Concilium Trident. renovandum eſt Matrimonium coram Parocho & teſtibus, niſi diſpenſet Pontifex. Tum etiam, quia nunquam ab Eccleſia judicatur copula ſignum conſenſûs conjugalis de præſenti. Quare (inquit hic Auctor) conjuges conſcii nullitatis, niſi verbis aut aliis ſignis æquivalentibus ſibi mutuò explicent conſenſum, nunquam validè contrahent. Per copulam certè, ſi nulla alia ſigna vel verba proferant, ſibi non ſignificant, & affectus maritalis in occulto manet, cùm tamen ipſis deberet innoteſcere. Sic ille.

Auctor ſubſcribit Sanchio. Ego autem ſubſcribo doctrinæ Sanchez, de qua latiùs egi Diſp. præced. Sect. 3. Concluſ. 5. Videantur ibi dicta, & adhuc alibi diverſis locis. Tantùm hìc dico, per ſolam copulam, junctam priori Matrimonio, & actibus ejus, ſatis innoteſcere affectum maritalem: non enim eſt veriſimile, eam, quam tempore præcedenti cognovit affectu maritali, ſaltem ſecundùm externam apparentiam, nunc, ſublato impedimento, velle cognoſcere affectu fornicario, quando reverà id poteſt facere affectu maritali, internè de novo conſentiendo.

76. *Richardus non docet oppoſitum.* Neque oppoſitum docet noſter Richardus 4. diſt. 40. a. 1. q. 6. (quidquid dicat Sanchez ſup.) ut patet ex ejus verbis, quæ hìc ſubjicio: Quæritur, utrùm illi, qui antè Concilium Generale, in quo reſtricta fuit linea conſanguinitatis uſque ad 4. gradum, contraxerunt in 5. vel 6. vel 7. potuerint poſt prædictum Concil. in ſuo conjugio remanere.

Reſpondeo: quòd tales, quando contraxerunt, erant perſonæ illegitimæ ad contrahendum inter ſe: & ideò inter eos nullum fuit contractum Matrimonium: nec per revocationem illorum ſtatutorum fuerunt illa Matrimonia confirmata: quia conſtitutiones Matrimonii ad præterita Matrimonia non trahuntur, extrà de Conſang. & affin. *Non debet.* Ubi dicitur, *De cætero liberè copulentur*; per quod datur intelligi, ſecundum Gloſſ. ibidem, quòd per iſtam Conſtitutionem prædicta Matrimonia non fuerant confirmata: undè ſic conjuncti ſeparari potuerunt, ſi voluerunt: nec debuerunt ſimul cohabitare carnaliter, niſi illi, qui de novo contraxerunt expreſsè vel tacitè.

77. *Declaratur ex ejus verbis.* Et dico, *Tacitè*: quia ſi poſt publicationem teſtrictionis lineæ conſanguinitatis uſque ad 4. gradum, ſimul ſteterunt ſcienter, intelliguntur ratificaſſe Matrimonium: non tamen per hoc fuit ratificatum quoad Deum, niſi de novo intervenerit mutuus interior conſenſus: nec fuit neceſſaria nova expreſſio per verba: quia cum interiori conſenſu expreſſio conſenſûs, quando contraxerunt de facto, ſufficit ob Matrimonii favorem, extrà de Conſang. *Non debet*, in Gloſ. verb. *De cætero*, in fine ibi: *Ioan. dicit, quòd pro Matrimonio ſtandum eſt, ex quo ex certa ſcientia poſt publicatam conſtitutionem, ſimul ſteterunt: ipſo enim facto Matrimonium inducitur ſaltem præſumptum.*

78. *Vterque utitur eâdem Gloſſ. pro ſua ſententia.* Hanc Gloſſam citat Sanchez pro ſua ſententia, & pro oppoſita ſententia adducit Richardum, qui tamen eâd. Gloſſ. utitur ad probandum ſuum intentum. Et ſanè negare non poteſt Sanchez, præter copulam, neceſſarium eſſe conſenſum internum; nam debet haberi affectu maritali, qui affectus indubiè eſt conſenſus internus, externè ſignificatus per copulam, cohabitationem, & alios actus matrimoniales; quàmvis hæc omnia fieri poſſent ſinè novo conſenſu interno. Quod non officit huic doctrinæ; nam & verbis, aut aliis ſignis poteſt explicari conſenſus internus, qui reverà non exiſtit. Hinc tamen non ſequitur, per verba non ſufficienter ſigni-

significari consensum internum, & sufficienter innotescere contrahentibus.

Vterque requirit novum consensum.

Requirit quidem Richardus novum consensum, sed & Sanchez : nam agit ibi de conjugibus, qui sciunt impedimentum cessasse, & consequenter sciunt consensum priùs præstitum fuisse nullum, & copulam habitam fuisse fornicariam ; si ergò modò volunt habere copulam conjugalem, quis dubitet, illos de novo interiùs consentire? Pontius ergò non solum impugnat Sanchium, sed etiam Richardum : nam præter novum consensum internum, & externam copulam, requirit verba aut alia signa æquivalentia, contrà dictos Auctores.

79. *Quorsum hæc post Trid. ex Sanchez.*

Sed dices (inquit Sanchez sup.) quorsum hæc post Trident. per quod hujusmodi Matrimonia præsumpta cessârunt ? Respondeo : ad duo prodesse ; alterum est pro infidelibus, qui invalidè contraxêre ; nam si, cessante impedimento, ut mortuo priori conjuge, qui tunc superstes erat, morteque per ipsos scitâ, cognoscant se sicut priùs tamquam conjuges, convalidabitur Matrimonium ; cùm illi legi Concilii non astringantur. Quod maximè proderit ad discernendum, quando infideles convertuntur, in quo Matrimonio per ipsos inito perseverare permittendi sint. Alterum est ; quia si nullitas prioris Matrimonii occulta sit, illudque coram Parocho & testibus celebratum sit, convalidabitur per eam copulam, per quam ante Trid. convalesceret. Sic ille.

80. *Non sufficere copulam cum antiquo consensu. docet Scotus.*

Cæterùm ad eam copulam requiri novum consensum, & non sufficere antiquum, præstitum ante sublationem impedimenti, probabilissimum est, & docet Scotus 4. dist. 35. n. 5. sequentis tenoris: *Sed dices ; nunquid virtute primi consensûs* (invalidi propter impedimentum ligaminis) *non poterant simul stare ?* (post mortem prioris uxoris) *Et estò, quòd inscia consentiat in quolibet actu conjugaliter, & iste sciens, quòd illa vult esse uxor ejus, consentit de novo in eam, non exprimendo sibi impedimentum, quia fortè ex hoc generaretur odium, nunquid possunt stare?* Ecce quæstio.

Sequitur responsio : *Respondeo : primus consensus non fuit Matrimonialis, & ideò nullus actus potest esse licitus in virtute illius consensûs : & ideò ad hoc ut sint conjuges, requiritur novus consensus. Et tunc ad secundum dico, quòd si impedimentum non exprimatur personæ inscię, ipsa in copula carnali sequente non consentit novo consensu, sed solùm reddit in virtute primi consensûs, qui nullus fuit : & ideò licèt persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit.*

81. *Cit. at Gloss. c. Non debet, de Consang.*

Hoc expresè dicit Gloss. super illud cap. (Non debet, de Consang. Verbo : *De cætero*) *In primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare: sicut probatur in servo, qui creditur liber, cum quo contrahitur, si post manumittitur uxore ignorante, non contrahitur Matrimonium: quia post manumissionem factam, manendo cum eo, semper intelligitur approbare consensum primum, qui fuit erroneus, & non Matrimonium.*

Consentit Sanchez;

Neque id negat Sanchez, sed ingenuè fatetur sup. n. 7. dicens : Ubi non timetur probabiliter scandali periculum (v. g. fore, ut vir nullitatis conscius nollet denuò contrahere ; & maneret fœmina remedio destituta, cùm impedimentum illud probari non posset ; & maximè si esset proles) vel non esset periculum infamiæ, quale scandalum vel periculum non timetur communiter, cùm impedimentum est ex parte viri, & aliquando est ex parte fœminæ, attentâ viri & ipsius fœminæ conditione ; curandum omninò est, ut uterque conjux norit, prius Matrimonium non valuisse ; vel saltem ut ignarus nullitatis consentiat ex tunc in Matrimonium, casu quo à principio irritum fuisset : nec in hoc casu potest tutâ conscientiâ amplecti prior opinio ; nimirum, ut dissimulanter tecto impedimento, conscius conjux ignoranti persuadeat, ut illum habeat in conjugem. Quia illa prior opinio est parum probabilis, habetque contra se rationes urgentissimas ; quare illâ uti, ubi gravissima necessitas minimè cogit, excusari à culpa lethali nequit. Sic ille.

quando novus consensus est moraliter possibilis.

82. *Optima cautela aperiendi alteri nullitatem Matr. ex eod.*

Et statim prosequitur : Erit autem optima cautela, ut conjux possit alterum nullitatem prioris Matrimonii docere, dicere, se in prius Matrimonium minimè consensisse : quod verè potest dicere ; cùm enim prior ille consensus ratione impedimenti invalidus fuerit, potest appellari non consensus : ut fictè promittens potest dicere, se non promisisse. Non tamen potest dicere absque mendacio veniali, se fictè consensisse, quia cùm consensus fuerit omninò invalidus, est nullus, & perinde ac si prorsùs non esset & ita verè appellari posset non consensus, qui solam negationem legitimi consensûs importat : non autem potest verè appellari fictus consensus, qui positivè importat fictionem in animo, hoc est, internam voluntatem contrariam manifestatæ per ipsa verba, quæ cum verè non adfuerit, mendacium est. Ita Sanchez.

83. *Expenditur à Dicast.*

Hoc tamen ultimum (inquit Dicastillo disp. 2. n. 93.) non omninò placet ; maximè, quando persona illa, tempore, præbendi externum consensum, sciebat fuisse impedimentum dirimens ; tunc enim verba quidem exteriùs significabant consensum efficacem, & voluntatem contrahendi Matrimonium, qualem cum ea scientia non poterat habere ; ac proinde dici potest fictè consensisse, significando scilicet exteriùs, se habere voluntatem efficacem contrahendi Matrimonium, cùm tamen illam efficacem non haberet, utpote impossibilem, suppositâ scientiâ nullitatis.

Quid significet vox Fictus.

Præterea : hæc vox, *Fictus*, vel *Fictè*, aliquâ ratione solet accomodari rebus tantùm apparentibus, & quæ verè aliter sunt, quàm apparent, sive id fuerit factum ex intentione decipiendi, sive non. Cùm ergo verè tunc non adfuerit consensus verè sufficiens, sed tantùm apparenter in verbis, benè potest dici, fictè consensisse, id est, expressisse consensum, exteriùs significatum ut efficacem, cùm verè non esset efficax. Qui modus sufficiens est ad evitandum mendacium. Ita Dicastillo. Et meritò.

Interim fatetur Sanchez sup. cautelam hanc 84.

non

Dicta cautela poſſet habere magnum periculum, ex Sanchez.

non mediocre periculum habere poſſe; fortè enim diceret vir, fictus ergò fuit amor, quem mihi tot annis oſtendiſti, & perfida es & perverſa, cum toto hôc temporis curriculo Sacramenta frequentâris tanto ſcelere contaminata; perſuadere mihi nequeo, quin dolus alius ſubſit, & ita diſcordiæ inter conjuges orientur. Quâ ratione rarò, prudenterque re conſideratâ, hâc cautela utendum eſſe exiſtimo. Hæc ille.

Sed quid opus hâc cautelâ aut ſimili, quando non timetur ex apertione impedimenti ſcandalum, aut periculum infamiæ vel aliud incommodum? De hoc autem caſu ibi tractat Sanchez. Quando autem timerentur graviora mala ex clara apertione impedimenti, procul dubio magnâ prudentiâ opus eſt, ne ea eveniant, quæ probabiliter timentur eventura.

85. *In caſu neceſſitatis, poſſet omninò regi nullitas Matr.*

Et ſi quidem bono modo obtineri non poſſet conſenſus ille conditionalis, de quo ſup. ſcilicet: *Accipio te ex nunc in conjugem, eſtò à principio Matrimonium fuiſſet invalidum* ſi, inquam, talis conſenſus non poſſet extorqueri abſque periculo prædicto, poſſet (inquit Sanchez ſup. n. 8.) amplecti prior opinio, ut omninò tectâ prioris Matrimonii nullitate, perſuadeatur ignoranti, ut ex tunc habeat alterum in conjugem.

Probatur ex Sanchez.

Probatur: quia quàmvis ea opinio parum probabilis ſit, & ſecluſo eo periculo amplecti nequeat; non tamen eſt omnimodâ probabilitate deſtituta, ſed aliqualem habet; cùm patronos graviſſimos, & rationes aliquantulum probabiles habeat: & quod aliàs non judicaretur probabile, facit tale eſſe urgens neceſſitas, & periculum quod ex oppoſito ſequeretur, ut optimè docet Sotus de Secreto memb. 3. q. 2. concluſ. 3. quæ talis eſt: Licèt quis habeat opinionem partis minùs tutæ, & ſolam formidinem alterius, non ſemper tenetur ſequi opinionem, ſi modò ab illa parte magnum immineat periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem.

Sotus.

86. *In moralibus formido præponderat opinioni.*

Exempli gratiâ: interrogat te Iudex adverſus digniſſimam perſonam; nempè cujus vita pretioſa eſt in Republica, opinariſque Iudicem legitimè inquirere, ſed cùm probabili formidine partis contrariæ: certè non tibi conſulerem opinionem ſequi, ut teſtimonium dicas; ſed potiùs celes: nam periculum grave, ne digniſſima perſona præter jus occidatur, facit, ut in moralibus formido præponderet opinioni. Sic Sotus.

Probat Sanchez exemplis Baptiſmi & Abſolutionis.

Et ita (inquit Sanchez) videmus, conferendum eſſe Baptiſmum in digiti extremitate, quando partus periclitans illam extrahit; &, juxtà Multos, oſtendenti ſigna contrictionis, abſente Sacerdote, poteſt in articulo mortis abſolutio impendi: quæ opiniones ratione periculi magni ſubſtinentur, cùm aliàs parum probabiles ſint.

87. *Objectio ſolvitur.*

Nec obſtat; ſi credatur fore, ut conjux nullitatis prioris Matrimonii conſcius, minimè contraheret. Quia cùm tunc non habeat actu diſſenſum, ſed illa ſit habitualis animi præparatio, non obeſt, quò minùs Matrimonium denuò contractum validum ſit: Verùm certius eſſet Matrimonium, ſi alter in ea diſpoſitione eſſet, ut ſi nullitatem ſciret, verè contraheret. Quia Multi ſatis probabiliter dicunt, ſtante conditionis impedimento annullante, ſi alter conſcius contraheret, valere Matrimonium, nedum eo ſublato. Hactenùs Sanchez.

88. *Sanchium oppugnat Pontius.*

Quem impugnat Pontius ſup. n. 7. dicens: Ego in ea ſpecie duo exiſtimo vera. Primum eſt; ſi oppoſita opinio reverà probabilis eſt in praxi, etiam extrà caſum neceſſitatis poſſe illâ uti, & illi ſe conformare per extrinſeca principia. Secundum eſt, ſi ſit caſus neceſſitatis, & huic opinioni non ſit locus, non tantùm poteſt uti oppoſitâ ſententiâ, ſed etiam tenetur eâ uti, ſi probabilis judicatur. Affert autem in exemplum Tho. Sanchez, quòd Baptiſmus debet dari in extrema neceſſitate oſtendenti parvulo tantùm extremam partem digiti; & etiam oſtendenti ſigna contritionis, abſente Sacerdote, poteſt Sacerdos in articulo mortis ſuperveniens ex relatione aliorum beneficium abſolutionis impendere. Exempla tamen hæc non ſunt ad rem, de qua agimus. Sic ille.

Dicit, exempla ejus non eſſe ad rem.

89. *Probatio.*

Conatur autem id oſtendere n. 8. ex eo, quòd Miniſter Sacramenti, tametſi poſſit ſequi opinionem probabilem in his, quæ tenent ſe ex parte ejus, cui Sacramentum confert: at in his, quæ tenent ſe ex parte ipſius conferentis, non poteſt ſequi probabilem, nec magis probabilem, ſed magis tutam. Unde poteſt ſe conformare opinioni probabili, quæ docet, ſubjectum Sacramenti Baptiſmi eſſe quamcumque partem hominis baptizandi; & materiam Sacramenti Pœnitentiæ eſſe ſigna relata, & non viſa: ſicut & poteſt abſolvere aliquem, quem conſpicit tantùm habere attritionem ſcitam; licèt ſit opinionum diverſitas, an attritio cognita ſufficiens diſpoſitio ſit: attamen non poſſet miniſter uti formâ, quæ eſſet ſub opinione probabili; ſed magis tutâ.

Ad rem ergo. In noſtro caſu contrahentes; ſunt miniſtri Sacramenti, & qui apponunt formam, quæ eſt conſenſus externè ſignificatus: varietas eſt opinionum, an ſufficiens ſit conſenſus taliter explicatus, vel non, non videntur poſſe uti formâ dubiâ, etiam probabili; ſed magis tutâ; ſicut neque Sacerdos formâ abſolutionis dubiâ Ita Baſil.

90. *Impugnatur.*

Prorſus nequeunt uti formâ dubiâ, quando poſſunt habere certam, & ideò contrahentes extrà neceſſitatem, non poſſunt adhibere conſenſum taliter explicatum; ſecùs in neceſſitate. Et verò, cur miniſter Sacramenti minùs poſſet ſequi opinionem probabilem in his, quæ tenent ſe ex parte ipſius conferentis, ſi fiat de voluntate ipſius ſuſcipientis? Prætereà: cenſeo, extrà neceſſitatem poſſe ablui quamcumque partem hominis baptizandi, etiam extremam partem digiti? Tandem: conſiderandum hìc eſt, contrahentes non tantùm miniſtrare Sacramentum, ſed etiam ſuſcipere; cur ergò potius debeant ſequi conditiones miniſtrantis, quàm ſuſcipientis? Si ergò quis poteſt ſuſcipere Sacramentum Matrimonii, ſecundùm probabilem tantùm ſententiam validum, cur non etiam miniſtrare? Sal-

tem, quando Matrimonium certum est moraliter impossibile.

91. *Ex quo oriatur obligatio sequendi sententiam magis tutam in Sacramentis, ex Pontio.* Dices cum Pontio sup. n. 9. Cùm obligatio servandi opinionem magis tutam in Sacramentis, oriri possit aut ex virtute religionis, ne fiat irreverentia Sacramento, aut ex virtute charitatis, vel misericordiæ erga proximum, quem frustraremus debito Sacramento: obligatio sequendi opinionem magis tutam in Sacramentis non nascitur ex lege Religionis. Quia qui prudenter operatur juxtà opinionem probabilem, non facit irreverentiam Sacramento. Quòd enim posset carere effectu Sacramenti in ea opinione, non videtur moralis irreverentia, quæ imputetur operanti; siquidem ille administrat probabiliter, & secundùm rectam rationem judicat, non fieri irritum. Sicut etiam, cùm sunt variæ opiniones de observantia alicujus præcepti, non fit irreverentia Legislatori, neque transgressio censetur, quòd operetur aliquis secundùm opinionem probabilem minùs tutam, cum qua est periculum faciendi aliquid, quod re ipsâ irritum sit.

92. *Existimat ex lege charitatis, & misericordiæ.* Quare tota ea obligatio oritur ex lege charitatis & misericordiæ erga proximum; quia adhibemus medium inutile. Ratio autem charitatis postulat, ut si proximo possumus certum remedium, & sinè ullo dubio aut periculo adhibere, non adhibeamus illud, quod forsan in re nullius erit momenti. Ita Pontius.

Et continuò adjungit. Ex hac doctrina, quæ verissima meo judicio est, jam sequitur, nullum esse peccatum in eo, quòd, etiam extrà casum necessitatis, in praxi sequatur quis opinionem probabilem in hac re; si reverà illam judicat probabilem per extrinseca principia. (Dico: *si probabilis est.* Ego enim illam sententiam nullo modo existimo esse probabilem) Quia in eo, quòd sequatur eam opinionem in isto casu, nullam injuriam irrogat Sacramento Matrimonii, ut explicatum est.

93. *Ait, in hoc casu non obligare illam legem.* Prætereà; etiam non opponitur legi charitatis & misericordiæ. Nam licèt, cùm Sacramenta sunt necessaria necessitate medii, agat contrà legem charitatis, qui adhibet proximo remedium incertum, cùm possit adhibere certum: attamen in hoc casu, cùm Sacramentum hoc non sit necessarium necessitate medii, non infert spirituale nocumentum. Quod ita explicatur.

Explicat. Nam nocumentum vel considerari potest in eo, quòd privetur effectu Sacramenti: at hic effectus non est necessarius necessitate medii ad salutem, ut constat: vel quòd illicitè utatur posteà actu conjugii; at neque in hoc ulla culpa est; quia ille bonâ fide accedit, & ignorantiâ excusatur: vel quia proles erit illegitima, & neque hoc damnum sequitur; quia Ecclesia semper judicabit illam prolem legitimam, cùm Matrimonium fuerit contractum in facie Ecclesiæ, & cum bona fide alterius conjugis, quod satis est, ut proles censeatur legitima, juxtà textum in cap. *Ex tenore*; Qui filii sint legitimi. Ergò nullum proximo damnum imminet, quod teneatur lege charitatis vitare, qui ministrat Sacramentum Matrimonii. Poterit ergò in praxi eam opinionem sequi, etiam extrà casum necessitatis, si illa opinio probabilis est, juxtà generalia principia.

94. *Quid sit hic speciale in casu necessitatis.* Hoc solum speciale erit in casu necessitatis, & cùm urget tantum damnum, quòd in eo non solùm posset uti eâ formâ probabili; sed etiam teneretur eâ uti, si probabilis est, ut si fortè ea sufficiat, validum efficeretur Matrimonium; quia formam certam tunc teneor adhibere, cùm possum, & non habet locum probabilis opinio. At quando non possum certam adhibere, probabilem adhibere teneor, quam tamen extrà casum necessitatis possem adhibere juxtà opinionem probabilem, quoties non impediret charitatis lex, quæ certè in hac specie non impedit, ut explicatum est. Hactenùs Pontius.

95. *Auctor ostendit, hìc obligare legem charitatis. Primò.* Ego autem dico: certè in hac specie impedit lex charitatis. Quod sic explico: Charitas obligat ad malum proximi avertendum, quantùm commodè fieri potest: ergò nequit adhiberi in Matrimonio forma dubia seu solùm probabilis, quando commodè adhiberi potest certa. Probatur consequentia: quia adhibendo solam dubiam seu probabilem, exponitur proximus periculo carendi effectu sacramentali seu gratiâ, quodammodò necessariâ, aut certè valde utili, ad sustinenda onera Matrimonii, licèt non sit necessaria necessitate medii ad salutem.

Porrò quòd charitas solùm obliget, ad procurandum effectum necessarium necessitate medii ad salutem, quis Pontio revelavit? Certè inde sequeretur, quodcumque Sacramentum vivorum posse administrari in materia aut forma dubia seu probabili, licèt possit haberi certa; nam effectus non est necessarius necessitate medii ad salutem.

96. *Secundò.* Prætereà: administrando Matrimonium in forma dubia seu solùm probabili, exponitur contrahens periculo divortii, si fortè in casu nostro impedimentum publicetur, & Ecclesia judicet, Matrimonium taliter ratificatum non valuisse. Censes autem, charitatem non obligare, ut tale incommodum à proximo avertatur, quando commodè fieri potest?

Tertiò. Denique, dicet aliquis: nemo non videt, hìc subesse periculum fornicationis, saltem materialis. Et quotusquisque ignorat, peccatum etiam solùm materiale, maximè contrà legem naturæ, impediendum esse, dum commodè id fieri potest? An fortè bonâ fide conjugatos cum impedimento dirimente relinquam vivere in continua fornicatione materiali, quando commodè possum eos admonere & efficere, ut, obtentâ dispensatione, validè contrahant? In necessitate id faciendum est, secùs extrà. Ergò similiter in necessitate potest permitti forma incerta Matrimonii cum periculo materialis fornicationis; secùs extra necessitatem. Quamquam enim probabile aliqualiter sit, formam illam valere, non tamen est probabile, posse quempiam extra necessitatem eâ uti.

97. *Ostenditur* Sed quæ ratio hujus aliqualis probabilitatis? Quòd adsit consensus personæ habilis in traditionem

tionem ſui corporis; error autem ſit circà ſolam qualitatem, & non circà perſonam aut conditionem. Et quàmvis non intendat formaliter inire novum Matrimonium, intendit tamen virtualiter. Siquidem in eo actu, quo hanc vult, ut uxorem, vel ut talem cognoſcit, includitur virtute & tacitè, hìc & nunc & ſemper conſentire in ipſam, ut uxorem.

Simile. Veluti juxtà cap. un. de Deſponſ. impub. in 6. cum impuberes contrahunt per verba de præſenti, licèt formaliter intendant Matrimonium; virtute tamen intendunt etiam ſponſalia; quippè ſi actus non valet eo modo, quo agitur, debet ex tacita contrahentium mente valere eo modo, quo poteſt. Cum ergò hìc verba vel copula ſufficerent ad denuò contrahendum, nec poſſint valere pro ratificatione actûs præteriti, valebunt ad conſtituendum novum Matrimonium, ex virtuali intentione.

98. *Res magis explicatur ex Dicaſt.* Et ita Dicaſtillo ſup. n. 98. concedit quidem, non aliter revalidandum eſſe contractum, quàm illum efficiendo de novo; attamen dicit, ad hoc ſufficere, quòd quis perſeveret in conſenſu, quem priùs habuit tempore nullitatis Matrimonii; qui, quàmvis ut exiſtens eo tempore, fuerit invalidus, tamen ut perſeverans tempore ablati impedimenti, validus eſt. Cenſetur autem perſeverare eo ipſo, quòd non fuerit retractatus & de novo ſignificetur & approbetur, ut contingit in caſu noſtro. Quàmvis autem error aut ignorantia nullitatis exiſtat, non tollit, quin poſſit præcedentem conſenſum de novo approbare. Ille autem ſemel approbatus exteriùs, & nunquam retractatus, cenſetur aut perſeverans, aut repetitus, expreſſioque ipſius de novo repetitur. Unde ſuperveniente conſenſu alterius partis, conjungitur uterque conſenſus tempore, quo jam nullitas ceſſavit, atque hoc ſufficit, ut contractus de novo fiat validè. Ita præfatus Auctor.

99. *Sufficit quòd expreſſio fiat per copulam, ex Sanchez.* Sed nunquid requiritur expreſſio verbalis; an verò ſufficit copula, habita affectu maritali? v. g. ſi vir nolit mulieri interroganti, ut de novo in eam conſentiat, reſpondere; & ex alia parte petit debitum ab ea, & ſinè ſcandalo ſubterfugere nequit, reddendoque peccaret, cùm nondum ſit Matrimonium: poteſt (inquit Sanchez ſup. n. 9.) abſque verbis denuò Matrimonium illud conſiſtere, copulâ illâ affectu maritali habitâ ex parte ſua: nam ex parte alterius, cùm putet eſſe Matrimonium, conſtat eo affectu haberi, & hoc etiamſi alter conjux ignoret, prius Matrimonium fuiſſe invalidum.

Probatur. Ratio eſt: quia licèt hoc minus probabilitatis habeat, quàm dum verbis innovantur conſenſus, eò quòd, etiam ſtante ſcientia illius nullitatis, ſub judice eſt, an ſufficiat illa copula: at tenendo ſufficere, eamdem difficultatem habet, ſivè verbis, ſive facto ipſo, nempe hâc copulâ, contrahatur denuò Matrimonium: cum utrobique procedat conſenſus ex errore. Hæc ille.

100. *Videtur quòd hìc tantùm ſit* Ex errore, inquam, non circà ſubſtantiam rei, ſed circa qualitatem: quòd enim perſona ſit juncta Matrimonio, vel non, haud magis eſt ſubſtantiale, quàm quòd ſit dives vel pulchra. Sicut ergò ſimulatio pulchritudinis, vel divitiarum, non facit Matrimonium irritum; niſi adſit conſenſus implicitè conditionalis, id eſt, niſi habeat voluntatem actualem aliter non contrahendi; ſic itidem ſimulatio validitatis prioris Matrimonii, ſecundùm DD. ſententiæ minùs probabilis, non irritat Matrimonium, niſi contrahens actualiter ita ſit conſtitutus, ut, caſu quo prius Matrimonium non ſit validum, nolit de novo conſentire. *error circà qualitatem.*

Objectio. Sed dicet aliquis: exiſtimans prius Matrimonium fuiſſe validum, ſemper ita eſt conſtitutus, niſi conſtet de oppoſito; quippè ſolùm vult confirmare, quod priùs ritè geſtum fuit; adeoque ſubſtantia poſterioris conſenſûs confirmativi, eſt prior conſenſus validus; hoc ergò deficiente, neceſſariò etiam corruit confirmatio. Sicuti confirmatio alicujus privilegii, facta in forma communi, ipſo jure irrita eſt, ſi privilegium ab initio fuit invalidum; quia non poteſt confirmari, quod non eſt.

101. *Differentia inter hunc errorem, & errorem divitiarum.* Ex quo patet differentia inter Matrimonium cum perſona paupere, quæ putabatur dives, & confirmationem Matrimonii in noſtro caſu; quippè paupertas & divitiæ non ſunt materia circà quam Matrimonii, ſed ipſa perſona quæ pauper vel dives eſt; & ideò tunc non erratur in ſubſtantia, ſed ſolùm in aliqua qualitate: at verò materia circà quam confirmationis prioris Matrimonii, eſt ipſum prius Matrimonium; quod proinde non ſolùm eſt aliqua qualitas, ſed ipſa ſubſtantia; quâ proinde non exiſtente, confirmatio neceſſariò corruit, quia, ſicut dixi, confirmari non poteſt, quod non exiſtit, nec unquam extitit.

Iudicium Averſæ de hac re. Primum pars. Audiamus Averſam de hac controverſia q. 11. ſect. 4. §. *Ad auctoritatem.* Si quis (inquit ille) putans ſuum Matrimonium eſſe validum, intendat ſolummodò illud confirmare, talis error eſt ita contrarius huic conſenſui, & ita deſtruit rationem voluntarii, ut verè per hoc non validetur Matrimonium. At ſi intendat illud confirmare, etiam in caſu & ſub conditione nullitatis; jam error, quo putat, anteà etiam fuiſſe validum, non eſt contrarius huic conſenſui, nec deſtruit rationem voluntarii: quia planè hoc æquivalenter ſe habet, ac ſi ſciens fuiſſe nullum, vellet de novo ratificare.

102. *Secunda.* Si verò quis ita ſit diſpoſitus, quòd ſi ſciret nullitatem Matrimonii & qualitatem impedimenti, nollet tunc contrahere, diſtinguendum eſt. Vel eſt ita diſpoſitus in actu ſecundo, id eſt, habet actualiter talem voluntatem, & intentionem, & ſic planè non perficit Matrimonium; quia hæc intentio directè repugnat intentioni, quam dicebamus requiri: quare hic jam non habet illam intentionem requiſitam; ſiquidem non poteſt ſimul habere duas contrarias intentiones. Vel eſt ita diſpoſitus ſolùm in actu primo ſeu habitualiter: & hæc diſpoſitio non tollit oppoſitam intentionem in actu ſecundo, nec proinde vitiat Matrimonium.

Ac certè ſæpè contingit talis caſus, ut ſi quis ſciret certam conditionem alterius, nollet contrahere,

trahere, si v.g. sciret, mulierem esse corruptam, & similia : sed nihilominùs dum contrahit, valet Matrimonium. Et præsertim stando in casu impedimenti sublati, si quæ mulier ante contractum cum suo viro, fuisset cognita ab ejus viri fratre, sed impetrasset de hoc impedimento dispensationem, utique valebit Matrimonium ; quàmvis vir sit ita in actu primo dispositus, quòd si id sciret, neutiquam eam duceret ; dummodò, inquam, non habeat in actu secundo intentionem contrariam. Idem ergò quod valeret ab initio in contrahendo Matrimonio, valet etiam postea in confirmando Matrimonio, anteà nulliter contracto.

103. *Tertia.* Et quàmvis mulier industriâ & astu induceret virum ad illum consensum, dissimulando, imò & negando talem defectum ; non per hoc redderet contractum irritum, imò nec sibi illicitum. Quare frustrà Pontius contendit, non valere Matrimonium, quando mulier arte suâ inducit virum ad eum consensum : cùm fateatur valere, quando vir sponte suâ eum haberet. Hucusque Aversa.

Oppugnatur quædam Consequentia. Benè optimè, exceptâ fortè dictâ Consequentiâ : *Idem ergò quod valeret ab initio* &c. Siquidem in casu posito ab initio valeret simplex voluntas contrahendi cum hac persona, quam puto virginem, & tamen est corrupta à fratre meo ; & tamen non valet illa voluntas in confirmando Matrimonio, anteà ex illo impedimento nulliter contracto ; non valet, inquam, voluntas simplex confirmandi Matrimonium cum hac persona contractum ; sed insuper requiritur alia voluntas expressa contrahendi, tametsi prius matrimonium fuisset invalidum, juxtà probabiliorem sententiam, quam ibi docet Aversa.

104. *Probatur, non sufficere simplicem voluntatem confirmandi Matr.* Et ratio est ; quòd, secundùm communem sensum Ecclesiæ, error solius qualitatis non vitiat Matrimonium, juxtà quem sensum quilibet censetur ab initio contrahere, nisi oppositum, saltem in mente sua, exprimat : at verò communis sensus Ecclesiæ est, non confirmare id, quod anteà invalidum fuit, nisi saltem in mente oppositum exprimatur ; ergò confirmans prius Matrimonium, nihil agit, si fuerit invalidum ; nisi, saltem in mente, exprimat, se velle confirmare, tametsi fuerit invalidum.

Et hinc invalidè professus nihil agit, si ex errore, putans Professionem validam, denuò profiteatur : nec sponsalia invalida ratificantur mutuâ habitatione, nisi adsit scientia eorum nullitatis. Quorum omnium ea est ratio ; quòd error, quo ille putat priorem actum valuisse, reddit involuntarium consensum posteriorem, ex eo manantem : ergò à fortiori idem error annullabit Matrimonium, quod summam libertatem petit.

105. *Resp. Sanchez.* Ad hoc argumentum Sanchez sup. n. 11. non aliud respondet, quàm in aliis contractibus & rebus errorem, etiam circà aliud à persona contingentem, posse annullare : ut si putem, me dare pauperrimo eleëmosynam, cùm tamen sit dives ; secùs in Matrimonio.

Sed hoc est quod queritur, & probatum oportuit, non suppositum. Probatur, inquis, ex multis inconvenientijs, quæ aliàs sequerentur, si Matrimonium foret invalidum ex errore circà aliud à persona, aut ejus conditione, cùm sæpissimè contingat error circà qualitatem.

Sed contrà facit : quòd etiam Professio & sponsalia non irritentur ex errore circà qualitatem ; nisi talis sit qualitas, quæ redundat in substantiam : uti in exemplo allato à Sanchio, est paupertas ; quippè eleëmosyna est sublevatio pauperis : undè hic error redundat in substantiam ; deficit siquidem ratio formalis eleëmosynæ. Et hinc valet eleëmosyna data pauperi, quem putabam virtuosum ; erat autem homo pessimæ vitæ ; quia hic error non redundat in substantiam ; sed est error meræ qualitatis extrinsecæ formali rationi eleëmosynæ. 106. *Refutatur.*

Omnibus itaque perlectis, & maturè expensis, longè probabilior videtur sententia, quæ requirit in casu proposito cognitionem nullitatis prioris Matrimonii in se, aut saltem in æquivalenti, ut ratificatio valeat. *Resolutio finalis.*

Et juxtà hoc intelligenda est clausula, quæ solet apponi in dispensationibus Apostolicis : *Cum ipsis latoribus dispensa, muliere de nullitate prioris consensus certioratâ, sed ita cautè, ut si illa adhuc ignara sit, latoris delictum nusquam detegatur.* Intelligenda, inquam, est, si commodè & absque periculo possit nullitas Matrimonii alteri conjugi manifestari. 107. *Explicatur quædam clausula solita apponi in dispensationibus.*

Alioquì satis esse, si exigatur novus consensus in casu & sub conditione nullitatis, advertit Aversa sup. §. *Demùm.* Et probat ex posterioribus verbis : *Sed ita cautè* &c. Nam plerumque erit moraliter insperabile, ut ille conjux, cui manifestaretur nullitas Matrimonii, non curaret scire etiam causam nullitatis, & qualitatem impedimenti. Igitur (inquit ille) nec erit necessarium, aut opportunum, manifestare in genere Matrimonii nullitatem : dummodò saltem obtineatur ille consensus, quo alter conjux dicat, quòd etiamsi Matrimonium fuisset nullum, aut non fuisset inter eos contractum, tunc de novo contentus est approbare & contrahere. Sic ille *Aversa.*

Post Sanchium lib. 8. disp. 34. n. 61. ubi quærit, an d. clausula inducat conditionem necessariam, ne validè Confessarius dispenset. Et partem affirmativam probat primò, ex illo ablativo absoluto : *Muliere certioratâ* &c. qui conditionem importat, l. *A testatore*, ff. de Condit. & demonst. Secundò : quia in facultate concessa Commissario Cruciatæ dispensandi in Matrimonio, inito cum impedimento affinitatis occulto, ponitur eadem clausula. Et tamen disp. 6. n. 23. & 24. diximus, per eam induci conditionem necessariam. 108. *An d. clausula inducat conditionem necessariam ad valorem.*

Sed mihi (inquit hic Auctor) persuadeo, eam non esse conditionem, sed instructionem quamdam Confessarii, ut certior sit posterioris Matrimonii contractûs. Quòd ferè certa opinio habeat, necessarium esse ad ejus valorem, ut alter conjux certior fiat de prioris consensûs nullitate. Ducor autem ad hoc ; quia quando ponitur *Negat Sanchez.* *Probat 1.*

nitur ut conditio, sicut contingit in facultate Commissarii Cruciatæ, ponitur multò strictioribus verbis, denotantibus conditionem, & inter alias conditiones petitas, ut Commissarius eâ facultate gaudeat. Quod hìc non contingit.

109. *Secunda probatio.* Adde: sæpè frustrandas has dispensationes suo valore, si id esset necessarium. Quia sæpè continget, non posse nullitatem detegi absque periculo detegendi delicti: & maximè si impedimentum sit ex parte fœminæ, rarò accidit, posse viro nullitatem prioris consensûs aperiri, absque maximo fœminæ periculo, & suspicione alicujus delicti, & instabit vir, ut sibi causa nullitatis detegatur, & eâ non detectâ, urgentiorem delicti suspicionem concipiet, atque inimicitiæ inter conjuges orientur.

Probatur 3. Deinde: quia cùm stylus habeat, ut semper in hujûsmodi dispensationibus hæc clausula apponatur, non est credendum Doctores, quos retuli lib. 2. disp. 36. n. 2. hunc stylum ignorasse; & tamen consulunt, in hoc casu impetrari dispensationem occultè, & tacitâ prioris consensûs nullitate, illud denuò contrahi. Sensêre ergò, per hanc clausulam non induci conditionem. Hucusque Sanchez.

110. *Expenditur secunda probatio.* Sed quod hìc dicitur de frustrandis dispensationibus suo valore, etiam procedit in Bulla Cruciatæ; in qua tamen illa particula est conditio. An autem in hac Bulla ponatur strictioribus verbis, & inter alias conditiones, ut dicitur in prima probatione, facilè colliges ex tenore Bullæ sup. relato ex Villalobos.

Pergo ego ad ultimam difficultatem hujus Sectionis, & quæro; utrùm revalidatio Matrimonii, priùs invalidi, fieri debeat coram Parocho & testibus in locis, in quibus obligat Conc. Tridentinum? Responsio erit

CONCLUSIO III.

Ad revalidationem Matrimonii non est necessaria nova præsentia Parochi, nisi impedimentum plenè probari posset in foro externo.

111 *Fundamentum Conclus. ex Sanchez.* Hæc est sententia Sanchez lib. 2. disp. 37. n. 3. & 11. fundata principaliter in hac ratione: quòd lex Trid sess. 24. de Refor. Matr. cap. 1. irritans Matrimonium contractum sinè præsentia Parochi & testium, nunquam se extenderit ad illum casum, seu comprehenderit Matrimonium, in facie Ecclesiæ validè contractum, sed in foro conscientiæ, propter impedimentum occultum, invalidè, obtentâ dispensatione, revalidandum. Quod inde constat; quòd ratio d. legis, quæ est anima ipsius, nunquam se extenderit ad tale Matrimonium.

112. *Ostenditur, quòd ratio Trid. non extendat se ad hunc casum.* Patet: quia ratio fuit, ut vitentur gravia peccata, ex clandestinùs nuptiis exurgentia; maximè eorum, qui clàm cum una contrahunt, eâque relictâ, aliud publicum Matrimonium ineunt. Sic quippe scriptum habes in prooemio d. cap. *Verùm cum S. Synodus animadverterit, prohibitiones illas* (Matrimonii clandestini) *propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugijs ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clàm contraxerant, relictâ, cum alia palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo, cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non posset, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcircò &c.*

Sed hæc ratio (inquit Sanchez sup. n. 3.) non se extendit ad hunc casum, cùm priùs Matrimonium invalidum, in foro Ecclesiæ validum & publicum fuerit (ejus enim nullitas, & impedimentum occulta sunt) & subinde si aliud Matrimonium inire vellent, impedirentur ab Ecclesia, credenti Matrimonium illud publicum validum fuisse: ergò decretum Trid. nunquam hunc casum comprehendit, nec in illo obligavit. Sic ille.

113. *Quid Pontius respondeat ad hoc fundamentum. Ait, hanc doctrinam non esse ad rem.* Sed quid ad hos fundamentum Adversarii? Pontius lib. 5. c. 6. ubi latè propugnat oppositum nostræ Conclus. sic ait n. 10. Doctrina hæc licèt vera sit, attamen non est ad rem. Tum; quia adhuc ostendimus, in hoc casu fraudibus locum esse: tum etiam; quia quàmvis motivum condendæ legis fuerit, illis malis mederi, quæ ex clandestinis nuptiis oriebantur; attamen non is finis legis condendæ fuit, sed voluit Ecclesia ex eo motivo & consideratione, ut constaret idoneè de Matrimonio validè contracto, & ideò dedit pro forma præsentiam Parochi & testium cuicumque Matrimonio. Cumque hujus contractûs hanc formam esse voluerit, planum est, casum istum comprehensum fuisse hoc Decreto. Ut enim diceremus, casum aliquem non comprehendi eâ lege, quæ formam assignat actûs, necesse esset, illum excipi lege; nec satis esset, si occasio assignandi formam non reperiatur in eo. Satis enim videtur, ut comprehendi dicamus, si actus ille is sit, cui forma præscripta est. Ita Basilius.

114. *Expenditur hæc responsio; in primis quod ait: In hoc casu &c.* Expendamus singula, ut eluceat, doctrinam Sanchii non solùm veram esse, sed etiam ad rem. In primis ait Pontius, *In hoc casu fraudibus locum esse.* Quod sic ostendit n. 8. Planè iste, qui ignarus impedimenti contraxit, non tenetur, jam impedimenti conscius, contrahere iterùm cum eadem uxore; sed potest ab ea discedere, & tutâ conscientiâ in alium locum remotum secedens, ibi alteri nubere. Ponamus igitur, istum renovasse consensum occultè. At, cùm id in opinione positum videret, aliò secederet, & ibi iterùm sinè impedimento coram facie Ecclesiæ alteri nuberet; dubitari non potest, quod ad Deum attinet, in casu hoc dubio secundum Matrimonium præstare primo; & ex consequenti, illi stare tenetur, qui contraxit, quamvis excommunicationibus cogatur ad primum redire, quod sanè in controversia est, an sit Matrimonium. Quæ tamen difficultas cessaret, si renovatio consensûs publicè facta fuisset coram Parocho & testibus. Sic Pontius,

Non valet. Nunquid audiendus ? Non puto. Enimverò, meo judicio, salvo meliori, tenetur stare primo Matrimonio, & ad illud cogeretur ab Ecclesia, ut Pontius videtur supponere. Et ratio est: quòd non solùm sit dubium, an primum valeat; sed etiam, an secundum valeat: suppositò quippè quòd primum valeat, secundum non potest valere: ergò judicandum est pro illo, quod priùs fuit in possessione, saltem in foro externo, & probabiliter etiam in foro interno. Igitur in hoc casu non est locus fraudibus.

115. *Secundò examinatur, quis fuerit finis Trid.* Præterea: quod ait Basilius; mederi istis malis non fuisse finem legis, sed tantùm motivum, unde probatur? Certè verba superiùs allegata non obscurè significant, illam medelam fuisse causam finalem, vel saltem significatur alia.

Assigno, inquis; ut constaret idoneè de Matrimonio validè contracto. Sed contrà: hoc potiùs medium est, quàm finis: nam per illud testimonium medetur illis malis, & ideò Ecclesia tale testimonium requisivit, ut eâ viâ posset occurrere illis malis.

Ostenditur, quòd in sententia nostra obtineatur. Atque ut d. testimonium authenticum, foret finis hujus Decreti; quid inde? Nonne in casu nostro ille finis obtinetur? Planè: nam constat ex testimonio Parochi & testium de Matrimonio validè contracto in foro externo: neque aliud Ecclesia potuit velle, cùm nullus possit testari de animo interno contrahentium, qui tamen necessarius est, ut absolutè contractus sit validus, Sufficit ergò ad intentum Ecclesiæ, quòd constet de Matrimonio exteriùs validè contracto; neque aliud possunt Parochus aut testes testari.

116. *Item, quòd observetur forma Concil.* Fateor, Concilium dedisse Matrimonio pro forma præsentiam Parochi & testium; sed quid tum? Etiam in nostro casu hæc forma observatur; non quidem in revalidatione Matrimonii, sed in primo contractu.

Objectio ex Pontio. Dices cum Pontio sup. n. 8. Contractus Matrimonii non est, nisi quando fit; tunc enim est Sacramentum, & non anteà, nec posteà. Debet ergò tunc adhiberi forma, quando fit. Sed quando primum celebratum est Matrimonium, nullum fuit. Ergò quando denuò fit, debet adhiberi forma. Quòd enim anteà appositа fuerit, perinde est, ac si nunquam fuisset adhibita; cùm tunc nullus extiterit Matrimonii contractus.

117. *Salvitur.* Respondeo: tunc extitit Matrimonii contractus validus quoad præsumptionem Ecclesiæ, ignorantis impedimentum; quod sufficit, ut Matrimonium denuò celebratum non sit ex illis clandestinis, quæ semper Ecclesia prohibuit & detestata fuit, ut rectè docet Covarruvias 4. decret. p. 2. c. 6. initio n. 8. aliàs 10. ibi: Ex quibus ego etiam dicendum censeo, non peccare mortaliter clàm contrahentes, quando ipsi priùs in facie Ecclesiæ bonâ fide contraxerant, qui tandem postmodùm sciunt, subesse aliquod impedimentum, ac secretè impetrant dispensationem à Rom. Pontifice, & novo præstito consensu ex vi dispensationis, ob evitandum scandalum clàm contrahunt Matrimonium, ut res tutiùs agatur: hi equidem non peccarent mortaliter, imò nec venialiter, ut docet Cajet. 2. to. opusc. q. 2. tametsi verè & propriè hoc Matrimonium minimè vocetur clandestinum, auctore Ambrosio Catharino lib. 5. contrà Cajetanum. Ita Covar.

Trid. non loquitur de omni Matr. Jam autem id Decretum Concilii Trid. tantùm loquitur de clandestinis Matrimoniis, quæ semper Ecclesia prohibuit & detestata est, ut patet ex ejus proœmio ibi: *Nihilominùs sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.* Porrò ex proœmio colligitur animus & intentio legislatoris, & intellectus totius Decreti, illudque limitatur. Igitur Concil. nō loquitur de omni omninò Matrimonio; quia verba ejus generalia limitantur ex proœmio; sed de omni & solo Matrimonio, quod si clàm contraheretur, posset esse occasio gravium peccatorū, ad quæ evitanda, Trid. statuit d. legem irritantem.

118. *Objectio.* Si dixeris: illa præsentia Parochi & testium tantùm legitimat consensum primum, sive qui tunc exprimitur.

Solvitur. Respondeo: per accidens etiam legitimat consensum futurum, sive posteà exprimendum; siquidem propter illam solemnitatem præcedentē, sequens Mattimonium clàm contractum, utpote ratificatio prioris, non manet omninò clandestinum quoad forū Ecclesiæ. Quod sufficit, ut dicamus, eum casum non comprehendi eâ lege, quæ loquitur tantùm de Matrimonio omninò clandestino, sive omninò destituto præsentiâ Parochi & testium. Undè tale Matrimonium, vel non est actus ille, cui forma præscripta est, aut certè circà eum forma censetur fuisse observata.

119. *Aliud argumentum Pontij.* Atque ex jam dictis patet solutio alterius argumenti Pontii, ut putà: dum lex aliquid tamquam formam exigit, cessante causâ, non cessat lex; maximè cùm non cesset in universum, sed in aliquo peculiari casu, cùm tamen niteretur præsumptioni ut plurimùm. Cùm ergo lex ista Concilii Trident. præscribat formam ifti contractui; & ex alia parte, in hoc casu tantùm cessaverit fraus, non in plurimùm, imò adhuc & in isto casu possit esse; planè efficitur, etiam in eo casu vim habere legem Trid. & ideò Matrimonium ejusmodi iterùm coram Parocho & testibus renovandum. Ita Basil.

120. *Non evincit.* Verùm enimverò quòd in isto casu non possit esse fraus, jam sup. ostendimus. Admitto autem, cessante fine legis in casu peculiari solùm negativè, non cessare ipsam legem; non solùm, quæ aliquid tamquam formam exigit, sed etiam aliam quamcumque. Et ideò dico; non cessare hanc legem, estò hic & nunc non sit ullum periculum contrahendi secundū Matrimoniū, & vivendi in perpetuo adulterio; eò quòd Matrimoniū sit contractū publicè coram Magistratu, & contrahentes sint homines virtuosi, qui pro toto mundo nollent adulterari, ut suo loco latiùs deduximus. Ergo Conclusio nostra non subsistit, negatur Consequentia.

Aliud est cessare rationem legis, aliud non se extendere, ex Sanchez. Quia aliud est (inquit Sanchez sup. n. 3.) cessare rationem legis in aliquo casu: aliud verò rationem legis non se extendere ad illum casum: nam in priori casu lex ex se & sua generalitate comprehendit illum casum, in eoque locum habuit; aliàs non diceretur, cessare rationem

tionem vel legem, cùm nec lex nec ratio in eo casu locum habuerit, & quod nunquam fuit, cessare nequit. In posteriori verò nunquam ratio legis amplexa est illum casum, & per consequens nec lex ipsa; cùm, quantumcumque verba legis generalia sint, restringantur & intelligantur juxtà limites suæ rationis, eò quòd ratio legis sit anima ipsius. Ita Sanchez.

121. *Explicatur exemplo.* Er pòst pauca subjungit: Exemplo id exponam: præcipit Superior Religiosis, ne adeant locum, ubi operarii laborant, ne loquelis illos impediant: si quis vellet adire, intendens omninò tacere, posset dicere, in ipso cessare rationem præcepti: si tamen die feriatâ adiret, non cessaret in hoc eventu ratio præcepti: nunquam enim hunc casum comprehendit, cùm die feriatâ operarii à laboribus abstineant: quare nec præceptum ab initio hunc casum comprehendit, nec in illo obligavit. Sic ille.

Jam autem sup. diximus, & non obscurè ostendimus in casu nostro non cessare finem legis; sed legem eum nunquam comprehendisse. Igitur propter argumenta Pontii, ex ratione desumpta, non est recedendum à sententia Sanchii, quæ est nostra Conclusio.

122. *Resp. ad Clem. VIII. Prima. Aversa.* Sed neque movere quempiam debet responsum Clem. VIII. De quo Conclus. 1. nam sicut ibi diximus, de illo non constat authenticè. Et sanè (inquit Aversa sup. sect. 5. §. *Ad responsum*) non poterat Comitolus solo Tuccii testimonio tollere Theologis libertatem secùs opinandi.

Secunda. Secundò: dictum fuit, Pontificem respondisse solùm ut privatum doctorem Et sanè (inquit Aversa) eâ de re non publicam legem condidit, quasi docens ex Cathedra.

Tertia. Responderi potest tertiò (inquit idem Auctor) in considerationem veniisse, si fortè defectus ille fuisset notus alicui, & ideò debuisse iterùm coràm Parocho & testibus renovari consensum & revalidari Matrimonium. Sic ille.

123. *Hanc refellit Pontius ex verbis Clem.* At verò Pontius sup. n. 6. Si quis, inquit, existimet Clementem VIII. locutum esse tantùm in eo casu, quando impedimentum est publicum, vel probari potest, refellitur sanè ipsis verbis Clementis VIII. Dixit enim se dispensare in solemnitate ob scandalum. Erat ergò occultum; aliàs si publicum esset, aut probabile in judicio, nullum sequeretur scandalum ex eo, quòd publicè contraherent: imò potiùs cessaret scandalum, quod sequeretur necessariò, si aliquo tempore detegeretur impedimentum. Quare ut illi malo occurreretur, tutiùs erat publicè contrahere, asserentes in eorum cognitionem posteà devenisse impedimentum, & ideò se dispensationem impetrasse, & publicè contrahere. Agebat ergò de occulto impedimento. Hæc ille.

Resp. Aversa. Respondet Aversa sup. Poterat esse, ut defectus esset quidem in communitate occultus, tamen notus alicui vel aliquibus paucis; & ideò ad evitandum scandalum expediebat secretum. Sic. D. Auctor.

124. Dicastillo autem sup. n. 116. concedit quidem Clem. VIII. de facto dispensasse, & Commissario delegato Bullæ Cruciatæ committi eam facultatem, ut sup. vidimus. Non tamen, inquit, inde colligitur, esse omninò necessariam talem dispensationem; sæpè enim conceduntur in Bullis privilegia, & à Pontificibus dispensationem, quàmvis non sint certò & indubitatò necessariæ; sufficit enim, quòd sint opiniones variæ, & aliquæ difficultates, quibusdam Auctoribus affirmantibus, & aliis negantibus, rem licere aut valere; tunc enim pro sedandis scrupulis, pacandisque conscientiis, solent sæpè dispensationes peti & obtineri, ut cum Navarro & Rodriguez notat Sanchez lib. 2. disp. 37. in fine. Ita Dicastillo.

Dicast. concedit Clem. dispensasse sinè tamen necessitate.

125. *Navar. refert, Pium V. declarasse nostram sententiam.* Porro impræsentiarum non est dubium, quin sint opiniones variæ, etiam ipsorum Pontificum. Siquidem Navar. Sum. latina cap. 22. n. 70. sic ait: Sed (quod valdè notandum est) Fel. record. Pius V. declarâvit, non esse illos (Parochum & testes) necessarios in contrahendo denuò Matrimonio ab iis, qui illud publicè cum denuntiatione sufficiente contraxerunt; sed propter aliquod impedimentum occultum, est nullum; quo sublato, oportet, ut denuò contrahatur; quod fieri posse sinè ulla Parochi & testium præsentia, antequam ad Urbem veniremus, respondimus. Quâ declaratione sacrum Pœnitentiariæ Prætorium frequenter utitur. Sic ille.

Idemque asserit lib. 4. Consil. de Sponsi. in 1. edit. cons. 35. in 2. consil. 14. in fine, hisce verbis: Sed dubitatio magna orta fuit, an propter Decretum Concilii Trid. in hoc secundo consensu præstando, necesse sit saltem adesse Parochum cum duobus vel tribus testibns; & propter illa verba Decreti: *Et hujusmodi contractus irritos ac nullos decernit*, visum fuit esse necessariam præsentiam Parochi & testium: sed quia hoc in multis casibus non posset fieri, sinè periculo maximi scandali; & in Concilio non videtur fuisse cogitatum de hujusmodi casibus occultis, dictum fuit Illustrissimo Cardinali Propœnitentiario, ut nomine totius signaturæ exponeret Sanctissimo, videri æquissimum, ut per aliquam constitutionem declararetur, quando præcesserunt denunciationes, vel aliàs servata est forma Concilii, in hoc secundo sensu sufficere, ut secretò præstetur, sed ita ut conjux, qui ignorabat, in genere intelligat impedimentum dirimens Matrimonium subesse, & necessarium esse, ut de novo mutuò consentiant, ut Matrimonium valeat.

Et ita Illustrissimus Cardinalis Alciatus Propœnitentiarius retulit in Signatura, placuisse Sanctissimo, ut in hujusmodi impedimentis occultis, quando Matrimonium est renovandum, possit hoc fieri inter ipsos conjuges secretè, & quòd non sit necessaria præsentia Parochi & testium: & ita exprimenda est clausula: *Et secretè inter se contrahere.* Hucusque Navar.

126. *Respondet Pontius.* Sed quid ad hanc declarationem Pontius? Sup. n. 6. in fine: Ex illo inquit, Decreto (Clem. VIII.) colligo, melius dixisse Pet.

Pium V. dispensasse. Ledesma, dispensasse Pium V. si talis declaratio extitit, quàm declarasse jus Tridentini; expresè enim inquit Clem. VIII. *Sanctitas sua dispensat.* Dispensavit ergò Pius V. non declaravit. Sic Basil.

Ludovic. de Scildere, statuisse, ut semper dispensaretur. Paulo alter respondet Ludovic. de Scildere in sua Synopsi de Sacram. §. 120. in fine dicens: Pius V. & Cardinales, qui in oppositum à nonnullis citantur, nunquam videntur statuisse aliud, quàm ut, cùm dispensatio pro impedimento petitur, etiam quoad necessitatem præsentiæ Parochi & testium dispensetur. Ita hic Auctor.

127. *Arg. contrà.* Ast quæro ego: si semper ex statuto Pontificis debeat dispensari quoad necessitatem præsentiæ; quare non dicimus absolutè, ex vi Decreti talem præsentiam non obligare? Et sanè Pio V. nunquid expositum fuit, ut vellet dispensare? Minimè; sed ut per aliquam constitutionem declararet. Ergò Pius V. non dispensavit, sed declaravit.

Igitur quando Clem. VIII. dixit: *Sanctitas sua dispensat*, intellige non dispensationem propriè dictam, sed declarationem. Vel si hoc non placet: tunc dico, sicut superiùs adhuc dixi, hunc Pontificem elegisse, quod tutiùs erat, & ad pacandas conscientias, in re, quæ stando in jure communi dubia erat, propriè dispensasse, absque tamen præjudicio alterius sententiæ.

128. *Decisio quædam Card. pro sententia Pontij.* Atque simili modo responderi potest ad decisionem 900. apud Seraphinum, quæ sic sonat: *Retuli RR. PP. DD. meis, me consuluisse Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Cardinalem Caraffam super allegata decisione Sacræ Congreg. Concilii in materia Matrimonii, per vim & metum contracti, qui Illustriss. Dominus meus ostendit mihi librum, præsente R. D. meo Comitolo, in quo scriptum erat in hanc sententiam. Quæsitum fuit, quid servandum in his, qui per vim & metum adhibitis omnibus solemnitatibus à Sacro Concil. Trid sess. 24. c. 1. de Reform. Matr. contraxerunt: Congregatio respondit, si hujusmodi impedimentum sit occultum, & partes postea in Matrimonio sic contracto permanere liberè consentiunt, consuevisse Papam ex stylo Pœnitentiariæ, quàmvis Matrimonium sit nullum, ratione etiam occulti impedimenti, dispensare, ita ut de novo possint inter se contrahere, non adhibitis seu repetitis solemnitatibus à Concilio requisitis. Si verò impedimentum sit manifestum, iterùm contrahendum esse, repetitis omnibus solemnitatibus in primo contractu adhibitis.* Ita refert Pontius sup. n. 7.

Responsio Aversæ. Respondet autem Aversa sup. §. *Ad illam*: Patet narrari tantùm modum, quo solet dispensari: vel scilicet ob indigentiam, si fortè impedimentum sit alicui notum: vel ad majorem cautelam juxtà prædicta. Sic ille.

129. *Alia decisio apud Farinacium, in qua sententia Sanchez reprobatur.* Pontius autem, non contentus hâc decisione, aliam refert n. 12. quam reperit apud Farinacium in 2. Vol. Decisionum Rotæ, estque 165. in qua (inquit Basilius) Tho. Sanchez sententia expresè reprobatur, & approbatur nostra, ex qua nonnulla hìc ad verbum subjiciam, ut constet, à nostra sententia neque in judicando, neque in consulendo esse recedendum.

Agebatur de causa inter duos Hispaniæ Nobiles, quorum alter conjux, fœmina scilicet metu coacta contraxerat, & cohabitaverat longo tempore. Habetur autem in ea decisione. *Pro faciliori autem & clariori causæ expeditione, Rota, instante Marchionissâ, & citato Procuratore Domini Philippi, statuit, ut videretur, an fuerit necessarium, quòd Matrimonium de novo cum solemnitatibus ab Ecclesia requisitis celebraretur. Si enim requiritur, frustrà laboratur super purgatione metûs, quæ nòn sufficeret. Quod Domini, informante tantùm Marchionissâ, affirmativè resolverunt, sequendo declarationem Sacræ Congregat. Illustrissimorum Interpretum Concilii, quam in propriis terminis priùs fuerat amplexata Rota in Toletana Matrimonii coram Illust. Card. Seraphino. Quotiescumq; enim Matrimonium non tenet ex aliquo impedimento, quod ab initio viget, si postea cesset, opus est, quòd omnia de integro ponantur, quæ sunt necessaria & de essentia Mairimonii, ut ex multis benè comprobat Victoria in suis relectionibus Theologicis, relect. 7. de Matr. in 2. puncto 1. p. vers.* In contrarium, *n. 9. & alii per informantes adducti, quorum rationes placuerunt Dominis, quidquid in contrarium dicant moderni, Tho. Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 37.*

130. *Quid respondeat Aversa.* Respondet Aversa sup. Patet, casum fuisse, in quo mulier probaverat in judicio, se metu gravi coactam contraxisse Matrimonium: sed ex adverso prætendebatur, mulierem, purgato posteà metu, in Matrimonio permansisse. Ideò meritò decisum fuit, hoc non fuisse sufficiens, absque repetitione solemnitatis ex Concilio requisitæ: quia ultrò fatendum est, hanc denuò requiri, quando metus, sive aliud quodcumque impedimentum, potest in judicio probari. Sed id non debet extendi ad casum, quo impedimentum nullatenùs potest in judicium ac notitiam deduci. Ita præfatus Auctor.

131. *Quando impedimentum potest plenè probari, requiritur præsentia Parochi. Probatur ex Sanchez.* Ex quo patet, quare dixerim in Concus. *Nisi impedimentum plenè probari posset &c.* Quod docet Sanchez sup. n. 11. Quia, inquit, quando impedimentum plenè probari potest in foro externo, tunc procul dubiò, si Matrimonium clàm ratificatum validum esset, sequerentur ex eo omnia inconvenientia, quæ olim ex Matrimonio clandestino valido sequebantur: nam probato impedimento, posset alter conjux aliam uxorem ducere, cum qua in perpetuo adulterio viveret, cùm Ecclesiæ minimè constet de occulta revalidatione Matrimonii illius publici, quod propter impedimentum plenè probatur fuisse nullum. Sic ille.

132. *Quando censeatur impedimentum plenè probabile, ex eod.* Et prosequitur: Dicetur autem plenè probabile in foro externo impedimentum, ad dissolvendum Matrimonium publicè contractum, quando duobus testibus probari potest, cap. 5. de Test. & attest. *Quotiens aliqui propter cognationem propinquitatis separari petuntur, duobus vel tribus testibus adhibitis, qui de ea consanguinitate supersint, vel totidem senioribus & melioribus loci ejusdem, id debet legitimè comprobari.*

Deben-

Debent autem esse illi duo testes, non tantùm idonei, sed omni exceptione majores; id est, quibus nihil opponi potest; arg. cap. *Licet*, 47. eod. ibi: *Non utique ab uno, cùm non sufficeret ille, si viveret, sed duobus ad minùs: nec ab infamibus & suspectis, sed à fide dignis & omni exceptione majoribus: cùm satis videretur absurdum, illos admitti, quorum repellerentur auctores.*

133. *Sola relatio conjugis non sufficit.* Quare (inquit Sanchez sup.) si solâ relatione conjugis scirent impedimentum tres vel quatuor, adhuc diceretur impedimentum occultum, dum non est publica fama: quia testes illi non faciunt plenam fidem ad dissolvendum Matrimonium; tantùm enim deponunt de conjugis confessione, quæ sufficiens ad hoc non est.

Corollarium. Hinc infertur, si impedimentum illud, delatum ad forum externum, minimè probaretur, aut falsâ informatione pronuntiaretur sententia pro Matrimonio publicè contracto, manere adhuc occultum, cùm Matrimonii valor constet Ecclesiæ, & ita posse convalescere novo consensu occulto inter conjuges præstito. Ita Sanchez sup. n. 12.

134. *Objectio.* Sed contrà, dicit aliquis: Matrimonium, quod hodie falsâ informatione pronuntiatur validum, cras, detectâ falsitate, pronuntiabitur invalidum; ergò tale Matrimonium non potest convalescere novo consensu occulto, dummodò fieri possit, ut falsitas detegatur; estò etiam nullum sit periculum detectionis. Licèt enim sufficiat periculum detectionis impedimenti, & probationis in foro externo, illud tamen non requiritur, secundùm Sanchium, ut sup. audivimus; sed satis est, quòd possit probari in foro externo.

Et ratio est: quia tali casu tantùm cessat finis legis negativè in casu particulari; sicut quando non est periculum hìc & nunc, quòd ex Matrimonio clandestino exurgent ea peccata, ad quæ evitanda Concil. irritavit Matrimonium clandestinum. Videtur ergo intelligenda sententia Sanchii in eo casu, in quo falsa informatio nequit tolli; aut certè si auferatur, adhuc non potest impedimentum in foro externo satis probari, ut sententia validitatis infirmetur, & opposita pronuntietur.

Quomodo sententia Sanchij intelligenda.

135. *Quomodo occultum hìc accipiatur.* Ex dictis colligitur: licèt occultum in aliis decretis usurpetur, ut distinguitur contra publicum, vel id, quod deductum est ad forum contentiosum: at in præsenti, ut impedimentum dicatur occultum, ut, eo sublato, possit Matrimonium clàm celebrari, occultum accipi debet ut distinguitur contrà plenè probabile.

Sanchez intelligit suam sententiam, quando Parochus & testes impedimentum ignorant. Cæterùm Sanchez sup. n. 10. notat, suam sententiam intelligendam esse, dummodò Parochus & testes impedimentum illud ignorarent: si enim id nossent, quantumcumque aliàs esset occultum, necessariò repetendum esset coram Parocho & testibus. Quia, inquit, cùm ipsis constet, in foro Ecclesiæ Matrimonium esse nullum, non sunt testes valoris, sed nullitatis Matrimonii.

Secùs si vel unus nosset. Idem credo, quàmvis alter solus ex duobus testibus requisitis, vel solus Parochus impedimentum nosset; quia jam desunt necessaria ad valorem Matrimonii, cùm vel Parochus, vel alter testis requisitus, non sit testis valoris Matrimonii.

136. *Quid si tàlium sciant, jam contracto Matr.* Si autem tempore, quo astiterunt Matrimonio, ignorabant impedimentum, licèt posteà scirent taliter, quòd non esset probabile in foro externo, potest absque Parocho & testibus innovari. Quia jam quando Ecclesiam representabant assistentes Matrimonio, fuerunt testes valoris illius, & satisfactum est Decreto Tridentini, Ecclesiæque constat de illius valore: & adhuc manet impedimentum occultum: quia suppono non esse plenè probabile impedimentum in foro externo; quia vel non sunt testes omni exceptione majores, vel non oculati, vel unus tantùm ex illis scit.

Quid si Parochus noverat intrà solam Confessionem. Similiter credo, posse iterùm occultè celebrari, si Parochus tempore quo Matrimonio interfuit, noverat impedimentum intrà solam confessionem. Quia cùm tunc sciat solùm ut Deus, & nullo modo in foro Ecclesiæ, verè testis est illius Matrimonii. Hactenùs Sanchez.

137. *Dicast. consentit Sanchio in 1. puncto. Secundum impugnat.* Cui consentit Dicastillo in primo puncto. Secundum non caret, inquit ille, difficultate; maximè, cùm ille testis aut Parochus non possit probare, tale Matrimonium tunc habuisse impedimentum dirimens, & alii duo testes, vel Parochus, & unus testis, possint testificari, quòd ille, qui occultè sciebat impedimentum, fuerit præsens contractui Matrimonii; loquimur autem in casu, quo impedimentum probari non possit.

Unde ille testis, qui occultè novit impedimentum, est notus testis Matrimonii, & non constat in foro externo, quòd sciret nullitatem. Ideò requisitus à Iudice, an fuerit præsens, quando contrahebatur Matrimonium, non potest negare, se fuisse præsentem. Quando autem ipsemet objicit impedimentum, non potest illud probare; quia non est probabile (ut supponimus in casu hujus dubitationis) ergò ille testis simul cum Parocho, & alio, sufficiet ad probandum plenè in judicio illud Matrimonium fuisse contractum, & non sufficiet ad probandum adesse impedimentum. Ideò mihi videtur, etiam in eo casu posse occultè revalidari, ablato impedimento. Sic ille.

138. *Iudicium Auctoris.* Mihi autem videtur; si in eo casu possit occultè revalidari, etiam occultè posse revalidari, tametsi & Parochus & ambo testes, quando astiterunt Matrimonio, novissent impedimentum; eo semper salvo, ut non possent in foro externo illud probare, quia v. g. non sunt omni exceptione majores, neque unquam erunt. Ratio mea est: quia ipsis constat, in foro Ecclesiæ Matrimonium esse validum, cùm in eo, ut supponitur, non possit probari impedimentum; adeoque sunt testes valoris in eodem foro.

Hinc requisiti à Judice, an fuerint præsentes, quando contrahebatur Matrimonium, non possunt negare, se fuisse præsentes. Quando autem ipsimet objiciunt impedimentum, non possunt illud probare, quia non est probabile, ut supponitur. Ergò tali casu Parochus & testes sufficiunt

ad probandum plenè in judicio, illud Matrimonium fuisse contractum ; ad hoc enim non requiritur, ut sint omni exceptione majores, ut constat ex alibi dictis, & non sufficiunt ad probandum adesse impedimentum, cùm, ut supponitur, nec sint nec erunt unquam omni exceptione majores, quod tamen requiritur. An autem is casus possit contingere, alii judicent.

139. *Intelligenda sententia Sanchez de qualicumq; impedimento occulto.*

Ego pro fine dico: sententiam Sanchii intelligendam esse indistinctè de qualicumque impedimento occulto ; quia omnium est eadem ratio. Item de Matrimonio invalido propter impedimentum occultum, tametsi foret malâ fide contractum. Neque enim hæc sententia innititur Epykyæ, ac tacitæ Pontificis dispensationi ; non enim credendum esset, Ecclesiam subvenire malâ fide contrahentibus : sed innititur veræ & rigidæ illius Decreti Trid. expositioni, quod cùm nunquam hunc casum comprehenderit, parum refert sive bonâ, sive malâ fide Matrimonium initum sit, inquit Sanchez sup, n. 8.

An officiat clausula : Si ita est &c. Negat Sanchez.

Et n. 9. existimat, non officere clausulam, quæ solet apponi in dispensationibus, concessis ad revalidandum Matrimonium nullum propter occultum impedimentum, quæ talis est : *Si ita est, cum eis, ut inter se publicè, & servatâ formâ Concilii Trid. contrahant, dispensa.* Quàmvis enim virtute hujus commissionis non possit Commissarius dispensare, ut occultè celebretur Matrimonium: at potest dispensare in impedimento, quo per dispensationem cessante, absque aliqua dispensatione juxtà Decretum Tridentini potest illud Matrimonium inter ipsos solos contrahentes celebrari. Sic ille.

140. *Arg. contrà.*

Hoc tamen, dicet aliquis, non caret difficultate, ex illo ablativo absoluto : *Servatâ formâ Conc. Trid.* qui conditionem videtur importare, l. *A testatore*, ff. de Condit. & demonst. ut sup. dicebamus de illo ablativo : *Muliere certioratâ.* Ergò Commissarius non potest aliter dispensare in impedimento.

Solvitur.

Respondeo : negando dicta verba importare conditionem propriè dictam, sub qua conceditur potestas dispensandi in impedimento. Quid ergò sunt ? Instructio quædam, observanda à contrahentibus, ut certior sit posterioris Matrimonii contractus. Quòd probabilis satìs sententia, & fortè probabilior, habeat, eam formam denuò esse necessariam.

141. *Confirmatur sententia Sanchez.*

Interim, sicuti non est creditu dignum, voluisse Concilium hos conjuges obligare, ut iterùm publicè contrahant ; quòd inde (ut notat Sanchez sup. n. 3.) multa scandala & inconvenientia sequerentur : sic indidem non est creditu dignum, Pontifices velle hos conjuges obligare per d. clausulam, apponi solitam in dispensationibus. Quæ enim disparitas ?

142. *Pontius conatur ostendere, nulla inconvenientia sequi ex eo*

Sed contrà arguit Pontius sup. n. 11. Ex eo, quòd lex Concilii in omni contractu locum habeat, nulla sequuntur inconvenientia, nulla absurda. Quod enim (inquit) scandalum activum sequi potest ex eo, quòd dicatur publicè in Ecclesia : inter hos, cùm primò contraxerunt, erat impedimentum, & cùm in eorum cognitionem venit, obtinuêre dispensationem ; & ideò nunc iterùm validè contrahunt ? Ne decipiamus nos ipsos, dum scandala fingimus ; activum enim esse non potest, cùm non sit opus malum, aut habens speciem mali. Si autem fuerit passivum scandalum, & illud oritur ex ignorantia, hâc animadversione præmissâ cessat : si ex malitia oriatur, parum curandum est : si ex infirmitate nascatur, non omittendum est ob scandalum id, quod mihi in præcepto est, juxtà generalia principia in Tract. de Scandalo. *quòd lex Conc. in omni Matr. obliget.*

Adde : ex eo quòd, omissis denuntiationibus, quæ facilè justèque in eo casu, ut omittantur, concedet Episcopus, contractus fiat coram Parocho, vel alio Sacerdote, licentiâ obtentâ ab Ordinario, etiam sinè expressione personarum, si opus fuerit, & coram duobus amicissimis, qui testes sint, quæ scandala oriri possint, non video.

Et denique quia quando maxima & inevitabilia incommoda orirentur, ideò in Ecclesia relicta est Summo Pontifici potestas, qui adeò gravibus incommodis existentibus dispensabit in solemnitate, ut fecisse in eo casu refert Paulus Comitolus. Hæc ille.

143. *Oppositum ostendit Auctor.*

Infero ego : ergò ex eo quòd lex Concil. in omni contractu locum habeat, aliqua sequuntur inconvenientia, ut patet in casu, quam refert Comitolus, in quo Pontifex ad evitanda scandala dispensavit : etgò si in eo casu fuissent observata lex Trid. orta fuissent scandala. Et unde probas, quòd potiùs in isto casu, quàm in aliis possim occurrentibus ?

Ecce, nonne magnum inconveniens est, & natum infirmos scandalizare, si videant conjuges, quos credebant legitimos, tot annis vixisse in continua fornicatione ? Et quis scit, an bonâ vel malâ fide ? Ignoratur etiam impedimentum, quod latuit, & ideò illud investigatur? Sin autem non declaretur, datur occasio suspicandi affinitatem ex præcedenti fornicatione, aut impedimentum criminis ex adulterio & machinatione, vel simile, cum maxima infamia eorum, qui de novo contrahunt coram Parocho & testibus.

144. *Frustrà ponitur lex, in qua semper oporteat dispensare.*

Fateor, Pontificem habere potestatem dispensandi ; sed frustrà ponitur lex, in qua semper oportet dispensare, & ideò dici probabiliter potest, legem Trid. talem casum nunquam comprehendisse, ac proinde ad revalidationem Matrimonii, de qua præsenti Sectione actum, fuit non esse necessariam novam præsentiam Parochi & testium, quamquam omnibus consulenda sit, & semper practicanda pro majori cautela ad evitandum omne omninò dubium de valore Matrimonii, nisi necessitas aliud postulet.

Et hactenùs quidem disputavimus, idque satìs diffusè de requisitis ad essentiam Matrimonii, tam in ratione contractûs, quàm ut est Sacramentum, etiam propriè dictum novæ legis à Christo institutum. Reliquum est, ut de effectu ac obligatione, ex eo consurgente inter ipsos conjuges, paucis disseramus. Erit itaque.

SECTIO

SECTIO XV.

DE USU MATRIMONIJ, SEU COPULA CONJUGALI

1. *Conjugium per se ordinatur ad copulam.*



Onjugium per se ordinatur ad suum usum, id est, ad copulam, ut patet ex dictis Disp. præced. Sect. 3. Conclus. 1. Et quia in eam cadit quòque obligatio, ut habetur eâd Sect. Conclus. 8. nominari etiam solet debitum conjugale. Dum autem unus conjugum petit, & alter consentit, vocatur ex parte unius petitio debiti, & ex parte alterius redditio debiti.

Hic jam quæritur: utrùm sit simpliciter necessarium petere debitum, & reddere debitum petenti. Respondeo:

CONCLUSIO I.

Conjux non tenetur ex justitia petere debitum, sed exigenti reddere; idque quâlibet vice sub peccato mortali, nisi justa causa excuset.

2. *Actus conjugalis ex se honestus est.*

VEritas Catholica est, copulam seu actum conjugalem esse ex se licitum, posseque absque omni culpa exerceri. Etenim res, cujus per se usus est malus, iniqua est: si ergo actus conjugalis, qui est per se usus Matrimonii, malus esset, neque absque culpa, saltem veniali, exerceri posset, Matrimonium ipsum iniquum esset. Quod manifesta hæresis est, cùm sit institutum à Deo, imò præceptum ad generis humani propagationem, quæ sinè copula, ipso sic volente, fieri non poterat. Igitur & ipsa copula præcepta erat primis parentibus in statu innocentiæ, & post peccatum, Noë & posteris ejus, quando genus humanum deficeret.

Imò præceptus primis parentibus.

S. Prosp. Porrò quis nesciat, quod ait S. Prosper ad Object. Vinc. object. 10. *Detestanda & abominanda opinio, quæ Deum cujusq; malæ voluntatis aut malæ actionis credit auctorem? Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es,* inquit Propheta Regius Psal. 5. vers. 5. Et D. Aug. lib. de Grat. & lib. arbit. c. 21. ait: *Fixum debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum.* Esset autem magna iniquitas apud Deum, si iniquitatem præciperet.

Psal. 5. S. Aug.

3. Itaque in eo (auditis Aversam q. 21. sect. 1. in principio) quod ab initio hujus tractatûs jam statuimus, Matrimonium esse licitum & conveniens, simul etiam confirmavimus, ejus usum & concubitum conjugalem esse licitum & honestum. Et ulteriùs, sicut Matrimonium ipsum dicebatur esse opus bonum & meritorium: ita pariter copula conjugalis potest esse actus bonus & meritorius. Sive dicatur ex genere suo, tamquam actus virtutis moralis: sive saltem ex fine extrinseco, tamquam actus in se indifferens; sed intuitu boni & recti finis, particeps factus ejusdem bonitatis. Ac præterea; sicut alii actus boni, etiam virtutum moralium, possunt & solent elevari ad statum supernaturalem, ut secum ferant meritum vitæ æternæ, ita etiam hujusmodi actus copulæ conjugalis. Quare per se & ex genere suo est expers omnis malitiæ, etiam venialis: alioquì si esset venialiter culpabilis, non esset simpliciter honestus & bonus, nec posset esse meritorius. Ita præfatus Auctor. Et alii communiter.

Est quoque bonus & meritorius. Aversa.

4. *Quomodo coitus excusatur à culpa, ex D. Bonav.*

Doct. Seraphicus 4. dist. 31. a. 2. q. 1. in corp. *Sancti* (inquit) *& omnes Catholici dicunt, coitum per Sacramentum Matrimonii excusari à culpa mortali, maximè quando gratiâ prolis fit. Sed de modo excusandi est duplex opinio; quia quidam voluerunt dicere, quòd excusatur à culpa mortali, sed non à veniali; quia mortale fit ibi veniale. Alii dixerunt, & hoc videtur sentire Augustinus, quòd cùm Deus perfectum det remedium contrà morbum, quando gratiâ prolis coitur, potest esse sinè omni culpa, & hoc est magis consonum rationi, & pietati fidei. Si tamen hæc intentio duret à principio usque ad finem, ut non deflectatur ad aliud mens, quod tamen est valde difficile.* Ita D. Bonavent.

5. *Aliqui docent, non posse excusari à veniali.*

Ubi tacito nomine refert aliquos DD. Catholicos, qui docent, actum conjugalem non posse absque culpa, saltem veniali, exerceri. Inter hos merito nominatur Hugo in cap. 7. 33. q. 4. ubi ex Greg. in Resp. 10. ad interrogationes Aug. sic dicitur: *Vir cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aquâ, intrare Ecclesiam non debet: sed neque lotus intrare statim debet.* Et infrà: *Quàmvis enim de hac re diversa hominum nationes diversa sentiant, atque alii alia custodire videantur; Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesia paululùm reverenter abstinere.*

ex c. 7. 33. q. 4. Hugo.

Nec hæc dicentes, deputamus culpam esse conjugium: sed quia ipsa licitâ admixtio conjugum sinè voluptate carnis fieri non potest, à sacri laci ingressu abstinendum est: quia voluptas ipsa esse sinè culpa nullatenùs potest, Non enim de adulterio vel fornicatione, sed de legitimo Matrimonio susceptus fuerat, qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ita Greg.

Nunc

6. *Probatur ex ratione.*

Nunc audite Gloss. verb. *Voluptate. Et ita coitus non potest fieri sine peccato. Hic applaudit sibi Hugo, & sumit opinionem, quòd nunquam opus conjugale sine peccato potest exerceri. Vnde etiam qui debitum reddit, peccat venialiter: quia semper est ibi quidam pruritus & voluptas in emissione spermatis, & ideò Christus noluit nasci ex coitu, quia non potest fieri sine peccato, 27. q. 2.* Omne, *ad finem: videtur ergò, quòd teneatur aliquis peccare, quia tenetur reddere debitum, ut 27. q. 2.* Si tamen, *& inf. q. proximâ c. 1. nec potest reddere nisi peccet; ergò tenetur peccare. Sed hoc argumentum non valet.*

Instantia.

Instat Hugo: Presbyter tenetur cantare Missam, nec potest cantare, nisi habeat linguam; ergo tenetur habere linguam. Et secundùm Hugonem, peccat homo ex necessitate in primis motibus, & ita erit quis perplexus, secundùm Hug. inter veniale quod surgit ex primis motibus, & mortale. Nam de primis motibus dicit Apostolus: Ago quod nolo, *& surgunt in nobis & sine nobis, de Pœnit. dist. 2.* Inter hæc: *P. Manducator dixit contrà, ut not. 13. dist.* Nervi. *Item, ex hoc sequeretur, quòd benè faceret, & malè; quia reputatur ei ad sanctitatem, si reddit debitum.* Hactenùs Glossa.

7. *Solvitur arg. ex eod. cap.*

Ego autem dico: immerito hìc applaudit sibi Hugo, ut patet ex sequentibus verbis, desumptis ex eâdem responsione Gregorii: *Oportet itaque, legitima carnis copula ut causâ prolis fit, non voluptatis, & carnis commistio creandorum liberorum fit gratiâ, non satisfactio vitiorum. Si quis ergò suâ conjuge, non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratiâ utitur, ipse profectò de ingressu Ecclesiæ, seu de sumendo corporis Dominici, Sanguinisq; mysterio, suo est relinquendus judicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus, nescit ardere*

8. *Explicatur d. cap.*

Quis jam non videt, juxtà etiam Gregorium, aliquando opus conjugale sine ullo prorsùs peccato posse excerceri? Loquitur ergò in prima parte responsionis de opere conjugali, quod exercetur non causâ procreandæ prolis; sed, ut putat Glossa ibi in expositione casûs, incontinentiæ vitandæ, atque adeò causâ voluptatis. *In prima parte* (inquit Gloss. jam citata) *loquitur de eo qui causâ incontinentiæ ad uxorem accedit. Tali consulitur, ab ingressu Ecclesiæ abstinere usque ad vesperam. In secunda, de eo, qui causâ prolis eam cognoscit, iste talis si vult, non solùm intrare Ecclesiam, sed etiam corpus Christi accipere permittitur. In tertia, de eo, qui causâ libidinis explendæ: huic in isto cap. pœnitentia non imponitur, & dicitur tamen de eo, quod gravius delinquat, quàm in primo casu.* Sic Glossa.

Subscribo verba tertiæ partis: *Cùm verò non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commistionis, habent conjuges etiam de sua commistione quod defleant.*

9. *Reprobatur sententia Hug.*

Igitur, ut ante dixi, immeritò hìc sibi applaudit Hugo, & sumit opinionem, quòd nunquam opus conjugale sinè peccato potest exerceri. Quoniam, ut statim audivimus, Gregorius hìc in secunda parte manifestè docet, aliquando opus conjugale sinè peccato posse exerceri. An autem semper peccaminosa sit copula causâ vitandæ propriæ incontinentiæ, aut etiam moderatæ voluptatis, disputavimus longè & latè Disp. præced. Sect. 5. Conclus. 2. Videantur ibi dicta.

Hæc verba Scripturæ: Ecce enim &c. non probant peccatum veniale.

Sanè Scriptura illa, quæ adducitur hìc à Greg. scilicet: *Ecce enim in iniquitatibus* &c. non videtur sufficienter id probare; alioquì etiam probaret idipsum in secunda parte: quippè ille, qui concipitur ex copula, habita ad procreandam prolem, etiam verè dicere potest: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* &c. juxtà illud Glossæ hìc, verb. *Iniquitatibus: Vel dic, iniquitatibus, id est, originali peccato sive fomite.*

10. *Significant peccatum originale, ex d. Bonav.*

Hinc Doct. Seraph. sup. ad hanc objectionem: *Omnis actus, qui est necessariò ordinatus ad culpam, est peccatum; sed sic est in coitu ratione prolis; quia contrahit peccatum proles: ergò in actu conjugali semper est peccatum.* Ad hanc, inquam, objectionem respondet: *Actus ille secundùm se non est causa, nisi prolis: sed ratione primæ transgressionis, prolem generari non contingit sinè culpa sua, non generantis; quia non propter culpam generantis, sed propter culpam primi parentis nascitur proles peccatrix.* Igitur ista verba Davidis commodè intelligi possunt de peccato originali, & nihil cogit, ea accipere de iniquitate seu peccato generantis.

11. *Idem ostenditur ex cap. 7. eodem.*

Imo & ipse Greg. eam sic videtur intelligere, dum statim subdit: *Qui enim in iniquitatibus conceptum se noverat, in delicto se natum gemebat: quia portat arbor in ramo humorem vitii, quem traxit ex radice.* Quis verò ille humor vitii, nisi peccatum originale, & concupiscentia seu fomes? Et si quidem concupiscentiam seu fomitem appellare placuerit peccatum, prout eam Apostolus aliquando vocat, hâc ratione, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, proculdubiò actus conjugalis nequit exerceri sinè peccato, id est, sinè concupiscentia, ut benè notat D. Aug. lib. 1. de Nupt. & concupiscentia cap. 11. ubi loquens de parentibus Christi, ait: *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat sinè illa pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato: sinè quâ concipi voluit, qui futurus erat sinè peccato.*

12. *In omni actu conjugali est quædam immoderatio &c. D. Bonav.*

Itaque in omni actu conjugali est quædam immoderatio, deordinatio, erubescentia, & libido. Ergò peccatum propriè dictum; negatur Consequentia. *Hæc quatuor* (inquit D. Bonav. sup.) *possunt esse circa actum rationis, aut sensualitatis. Sed circà actum rationis semper faciunt culpam, quia faciunt malum secundùm se. Si autem sunt circà actum sensualitatis, existente ordinatione circà actum rationis, tunc ista cedunt in pœnam; & sic est in proposito. Nam per virtutem Sacramenti ratio ordinatur, ut moderatè velit & ordinatè & honestè: nec de illo actu erubescit homo, quia vult filios procreare, nec improbâ voluntate appetit, sed castâ. Sed nisi interveniret remedium Matrimonii, tunc esset inordinatio non solùm in sensualitate, sed etiam in ratione; & sic semper esset peccatum.* Sic ille.

13. *Matr. excu-*

Igitur Matrimonium excusat copulam à peccato, quod aliàs esset, nisi Matrimonium interveniret,

cauſat copulam à peccato. Vìi etiam motus antecedentes, D. Bonav.

venirit. Atque adeò etiam excuſat motus antecedens, qui ſunt diſpoſitio ad eam. *Ad illud* (inquit D. Bonav. ſup.) *quod objicitur de primis motibus; poteſt dici, quòd antecedunt actum conjugalem, nec ſemper ſunt peccata, ut putà quando ſurgunt ex cogitatione ordinata; utpote ſi Abraham cogitaret cognoſcere uxorem, ut acciperet prolem; & tunc, ſi caro moveretur, non peccaret.*

Patet ergò, falſum eſſe, quod ſup. apud Gloſſ. ait Hugo: *Peccat homo ex neceſſitate in primis motibus.* Quod ego intelligo, non tantùm de motibus omninò indeliberatis, ſed etiam de motibus deliberatis, quando ijs copula exercetur; cui enim actus aliquis licitus eſt, etiam licita ſunt media, ad actum illum exercendum neceſſaria: porrò motus illi ſunt media neceſſaria ad copulam perficiendam.

14. *Ratione motuum actus conjugalis vocatur immunditia*

Interim ratione iſtorum motuum, qui naturaliter turpes ſunt, uti & copula, quæ illis motibus exercetur, SS. Patres & Scriptura ſacra diverſis in locis actum conjugalem vocant immunditiam & coinquinationem, non moralem ſive culpabilem, ſaltem quando proles tantùm intenditur, ſed naturalem: quæ tamen ſufficiens eſt, ut Sacerdotibus & aliis Miniſtris altaris meritò ab Eccleſia hujuſmodi actus prohibeatur.

Quomodo intelligendus Siricius Papa.

Et quo patet, quomodo intelligendus ſit Siricius Papa, quando in Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, verba illa Apoſtoli: *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt,* ad conjugium accommodare videtur, quaſi qui nuptiis copulantur, Deo placere non poſſint. Item; cùm prohibens Sacerdotibus Matrimonium, illis verbis utitur: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum; & Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Item, dum in cad. Epiſt. c. 5. Matrimonium vocat pollutionem.

15. *Primus intellectus, ex Pontio & Bellar.*

Reſpondetur in primis (inquit Pontius lib. 10. c. 1. n. 2.) ut ab hoc ultimo incipiamus, & dico, non Matrimonium appellari pollutionem à Siricio; ſed conjunctiones illicitas aliquorum, qui, peractâ pœnitentiâ, inhibitos denuò appetivêre concubitus. Sic reſpondet Bellar. to. 1. lib. 4. de Pontifice c. 10. & patet exipſo contextu.

Secundus.

Deinde dico, c. 6. & 7. ejus Epiſt. Siricium reprehendere conjugia Clericorum, qui jam in Sacris conſtituti erant, quibus perpetuò in Eccleſia Latina prohibita fuere conjugia. Quare dicit Siricius, Clericos viventes in carne, hoc eſt, turpiter viventes, Deo placere non poſſe in illicitis Matrimoniis. Et ideò etiam rectè addidit Siricius: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Peccabant enim in hujuſmodi actu conjugii ratione voti, aut præcepti Eccleſiaſtici.

Tertius.

Addo etiam (inquit Baſilius) aliquâ ratione poſſe dici illa verba Pauli, quæ adducit Siricius, de legitimè contracto Matrimonio. Rogas, quæ illa ratio? Conſule Pontium ſup. n. 4. & dicet tibi: Paulus 1. Corinth. 7. inquit: *Virgo cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Speciali ergò modo placet virgo, quo non placet conjugata, & ſpeciali modo virgo ſancta eſt corpore & ſpiritu, quo non eſt ſancta conjugata, ſcilicet corpore, ob eam, quam diximus turpitudinis naturalis notam, ex concupiſcentia & rebellione provenientem, quæ afficit pudore & verecundiâ. Ita hic Auctor.

16. *Quomodo intelligi debeat ſententia Hug. ut ſit vera.*

Itaque neque Greg. neque Siricius favent ſententiæ Hugonis, niſi ſic intelligatur; quod dum intenditur voluptas in eo actu, de facili nequeat fieri ſinè peccato, ſaltem veniali; quia difficile eſt tenere moderationem. Unde Gloſſ. ſup. cap. *Vir cum propria,* verb. *Non poteſt,* inquit, *De facili; & ideò quia dubium eſt,* aquâ aſpergitur. Et Pontius ſup. ait: ideò ea dicit Gregorius, quia vix actus ille ſinè veniali culpa exerceri poteſt, quàmvis & ſinè culpa poſſit.

Alioquì teneretur aliquis peccare: nam juxtà Apoſtolum 1. Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro:* Ergò ſi non poteſt reddere, niſi peccet, debet peccare. Hoc argumentum meo judicio valet, quidquid dicat ſup. Gloſſ. ut audivimus.

17. *Reſpondetur ad inſtantiam Hug.*

Ad inſtantiam Hugonis de Presbytero, qui tenetur cantare Miſſam; Reſpondeo: quòd teneatur habere linguam, id eſt, non poſſet ſibi præſcindere linguam ſinè peccato: ſicut Presbyter, qui tenetur legere Horas, non poteſt ſinè peccato abjicere Breviarium, ſinè quo nequit ſatisfacere ſuo debito. Sin autem inculpabiliter Presbyter careat linguâ, aut Breviario, nec poſſit ea habere ſinè peccato, non tenetur cantare Miſſam, aut legere Horas; quia ſic teneretur peccare. Ergò ſimiliter ſi conjuges non poſſint copulari, niſi peccent, liquet profectò, quòd copula non ſit debita; quia nemo tenetur peccare; ſed quilibet tenetur non peccare. Cùm ergò ſecundùm Apoſtolum copula debita ſit, neceſſe eſt, ut ex natura ſua liceat.

18. *Reddere debitum eſt dupliciter laudabile, ut Scoto.*

Quod probè ſciens Doctor Subtilis Scotus, 4. diſt. 32. q. unica n. 2. ad præſentem quæſtionem Reſpondet in hæc verba: *Reddere debitum conjugale, poteſt intelligi dupliciter, vel propter duplicem finem, ſicut Matrimonium duplici de cauſa eſt inſtitutum; & propter primum finem, ſcilicet bonum prolis, reddere eſt dupliciter laudabile. Vno modo, quia ad finem laudabilem, ſcilicet ad bonum prolis. Alio modo, quia in ſe actus juſtitiæ, reddentis illi quod ſuum eſt, quia ad finem, ad quem debet eſſe. Propter ſecundum finem, ſcilicet cauſâ vitandæ fornicationis, eſt laudabile tantùm ſecundo modo, ſcilicet quia actus juſtitiæ; iſtud tamen juſtè redditum non eſſet juſtum, nec illi deberet reddi, niſi Deus diſpenſaſſet, propter pronitatem hominis ad lapſum.*

Eſt actus præcepti affirmativi ex eod.

Præſcindendo ergò primum bonum laudabile, ſcilicet bonum prolis, ſi quæratur de redditione debiti univerſaliter ex obligatione conjugum. Dico, quòd eſt actus præcepti affirmativi, explicantis juſtitiam commutativam. Præceptum autem affirmativum obligat ſemper, ſed non ad ſemper; ſed pro quando actus poteſt eſſe debitè circumſtantionatus.

19. *Objectio.*

Si objicias: nullus obligatur ſimpliciter ad peccatum mortale: ſed reddere illud debitum eſt peccatum mortale; tum, quia pri-

vat se maximo bono, scilicet usu rationis, quod est majus bonum, quàm actus virtutis (agens autem actum contrarium actui virtutis, vel actum vitiosum, peccat mortaliter) sed privare se actu virtutis, est peccatum mortale; ergò & privare se usu rationis, quod contingit in actu illo: tum, quia si non esset contractus Matrimonii, talis actus esset peccatum mortale; sed nullus potest seipsum licentiare, & per consequens ex actu suo proprio non licet sibi, quod priùs non licuit: contractus Matrimonii est actus istorum.

20. *Responsio Scoti.* Ad hoc argumentum respondet Scotus sup. n. 7. negando Minorem. Ad primam probationem dicit: *Quòd perpetuus usus rationis est majus bonum, quam actus virtutis; & ideò qui per aliquem actum privaret se sic usu rationis, peccaret mortaliter: imò mortalissimè; sed carentia usûs rationis pro momento, non est tantum malum, sicut actus oppositus actui virtutis: nec quodcumq; privans usu rationis ad tempus, est peccatum: nam nimia tormenta ita impediunt usum rationis, sicut voluptates, & tamen Martyres scienter se exponentes talibus tormentis, non peccârunt, sed meruerunt.*

Privare se usu rationis quando peccatum.

Ad secundam probationem concedo; quòd istis antè contractum non liceret talis actus, licèt tamen post contractum; non quod ipsi seipsos licentiare possint, sed faciunt quemdam actum, quo facto, Deus licentiat eos ad quemdam actum sequentem, ad quem non licentiaret sinè illo prævio; & ista responsio videtur bene persuadere, quod iste usus non est licitus ex sola justitia, quâ voluntate propriâ dant se mutuò, sed adveniente approbatione Superioris.

21. *Actus conjugalis aliquando est debitus ex justitia, ex Apost. 1. Cor. 7.* Igitur actus conjugalis licitus est & honestus, imò & quandoque debitus, dum nimirum petitur ab eo, qui habet jus petendi ex contractu Matrimonii, quo traditur potestas corporis ad talem actum, debitus, inquam, ex justitia; cur enim hæc obligatio minùs arcta sit, quàm obligatio aliorum contractuum onerosorum; cùm hic sit contractus onerosissimus. Benè ergò dixit Apostolus 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergò unusquisque tenetur alteri petenti dare corpus suum. Quod faciendo, etiam, ut sup. dictum est, mereri potest ex opere operantis, veluti per alios actus justitiæ.

22. *An sit meritorius ex opere operato.* Nunquid etiam ex opere operato? Mimimè, nisi hæc copula foret expressio consensûs Matrimonialis, sicut secundùm alibi dicta potest esse. Tunc enim foret forma Matrimonii, non solùm ut est contractus, sed etiam in ratione Sacramenti; adeoque instar formarum aliorum Sacramentorum conferret gratiam ex opere operato, nisi per obicem peccati mortalis impediretur. Quod communiter fieret, si ipsa copula consummata assumeretur pro signo expressivo; quoniam motus præcedentes, utpotè extrà statum Matrimonii, mortaliter sunt peccaminosi; sin autem copula inchoata foret signum, id est, primi tactus dispositivi ad copulam; tunc hi conferrent gratiam ex opere operato, tamquam forma Sacramenti Matrimonii, nullo obice peccati mortalis impediti, quia hi tactus censentur esse matrimoniales, si non in facto esse, saltem in fieri; cùm per eos matrimonii contractus & Sacramentum perficiatur.

Mart. Perez de Matr. disp. 49. sect. 1. n. 12. dicit: antiquitùs & modò etiam, ubi non est Decretum Trid. receptum, cùm Matrimonia clandestina valida sint, si ex conventione contrahentium copula assumatur pro signo expressivo mutui consensûs maritalis, esse causativam gratiæ ex opere operato; sed non tunc, sed posteà, remotâ fictione seu peccato. Putat siquidem, Matrimonium reviviscere instar Baptismi: de qua reviviscentia nos alibi egimus, & ostendimus, soli Baptismo eam convenire. Vide Disp. 1. Sect. 6. Concluſ. 5. 23. *Copula potest aliquando esse causativa gratiæ ex opere operato, ex Perezio.*

Interim eâ suppositâ, placet hæc doctrina, & omnibus placere debet, qui putant, copulam (loquor de perfecta) estò ex se & per se non foret signum expressivum consensûs matrimonialis, posse equidem à contrahentibus assumi, ut tale signum.

Hinc non est omninò improbandum, quod ait Sanchez lib. 9. disp. 1. n. 3. ibi: Antiquitùs cum Matrimonia clandestina erant valida, dum sponsalia de futuro transibant per copulam in Matrimonium, dabatur gratia ex opere operato in eâ priori copula. Quia vicem formæ sacramentalis gerebat; explicabat enim consensum de præsenti. Ita docet Bellarminus lib. un. de Matrim. c. 5. Cui addo: etiam hodie aliquando posse perficere Matrimonium, quod priùs per verba de futuro erat initum, & tunc conferre gratiam ex opere operato, tamquam formam perficientem Sacramentum. Sic ille. 24. *Idem docet Sanchez, ex Bellar.*

Hoc tamen (inquit Pontius sup. n. 5.) longè distat à veritate. Quia non erat copula, quæ efficiebat sponsalia transire in Matrimonium, sed consensus præcedens copulam, sufficientibus signis antè copulam explicitus, quem præsumit Ecclesia adfuisse antè copulam. Quare in eo consensu significato dabatur Sacramenti gratia ex opere operato, non in copula. Irridet enim Hæretici nonnullos Catholicos, & meritò in hac parte, quòd illis venerit in mentem, in copula dari gratiam ex opere operato, & copulam esse signum sensibile, quo Sacramentum Matrimonii conficeretur. Ita Basilius. Quem impugnavimus Disp. præced. Sect. 3. Concluſ. 5. & alibi. *Contrà arguit Pontius.*

Perezius sup. n. 15. Respondet: sententiam Sanchez non solùm non longè distare à veritate, sed esse verissimam, explicatam de collatione gratiæ per reviviscentiam. Dico ego: etiam esse veram, intellectam de collatione gratiæ in ipsa copula, non consummatâ, sed inchoatâ; id est, in primo accessu ad copulam exercendam. 25. *Defenditur Sanchez ex Perezio.*

Ad illud aliud (inquit Perez) quod addit Basilius, dico: potiori jure ac facilè intelligi, potiùs hac in re à Catholicis debere irrideri hæreticos, tamquam ignorantes naturam & essentiam contractûs Matrimonii, qui consistit, ex omnium doctrina, in mutuo consensu, exteriùs significato

signo

ſigno aliquo ſenſibili. Quòd verò copula ipſa ex conventione & pacto eorum, qui Matrimonium ſunt contracturi, poſſit eſſe ſenſibile ſignum perficiens Matrimonium, & Sacramentum ipſum, conſtat, negari non poſſe. Hæc ille.

26. *Obiicitur c. 4 32. q. 2.* Neque dictis officit, quod legitur apud Origenem Homil. 6. in Numeros, & refertur 32. q. 2. cap. 4. *Connubia legitima carent quidem peccato: non tamen tempore illo, quo conjugales actus geruntur, præſentia ſancti Spiritûs dabitur: etiamſi Propheta eſſe videatur, qui officio generationis obſequitur. Sed & alia plura ſunt, in quibus ſufficit ſola vis humana: & neque res indiget, neque decet adeſſe præſentiam Spiritûs ſancti.*

Prima ſolutio. Non officit, inquam, jam dictis de gratia ex opere operato: quippe loquitur Origenes de copula carnali, quæ conſequitur connubium legitimè contractum, eſtque ſolùm conſummatio Matrimonii, non autem pars ejus eſſentialis. Et fortè Hæretici Catholicos intellexerunt, ſed perperàm, de tali copula.

27. *Explicatio d. textûs ex Bellar.* Prætereà: Bellar. to. 2. de Matr. lib. un. c. 5. Reſpondet ad hunc textum, in primis: Origenes nòn eſt tantæ authoritatis in Eccleſia, ut ejus ſententia neceſſariò approbanda ſit. Deinde, eo loco Origenes nihil affirmat, ait enim diſertis verbis: *Ego autem, licèt non uſquequaque pronuntiem, puto tamẽ* &c. Prætereà: illa verba non ſignificant, nullo modo adeſſe Spiritum ſanctum; ſed non adeſſe ad eum actum efficiendum, ſpeciali aliquo auxilio. Id enim Origenes docet, non omnia Sacramentorum opera fieri à Spiritu ſancto. Quædam enim ſunt aliquando mala opera, quæ etiam à ſanctis fiunt, & ea non fiunt à Spiritu ſancto; quædam ſunt bona, ſed naturalia, & ideò non exigunt peculiarem Spiritûs ſancti præſentiam: imò nec decet ea tribuere peculiari Spiritûs ſancti auxilio. Et in hoc genere ponit Origines conjugale opus; nec malè exiſtimat, ad opus hoc naturam ſufficere, neque eſſe neceſſarium, neque decere, illud tribuere Spiritui ſancto.

28. *Oſtenditur cohærere cum noſtra doctrina.* Cum hoc autem Origenis pronuntiato rectè cohæret, per actum conjugalem poſſe acquiri gratiam Spiritûs ſancti, quando actus iſte eſt actus juſtitiæ, vel obedientiæ, vel charitatis: nam harum omnium virtutum eſſe poteſt. Unde S. Aug. lib. 4. in Iulianum c. 5. dicit, bonum beatificum eſſe, quando quis utitur conjugis carne, non ad libidinem explendam, ſed ad ſobolem ad Dei gloriam propagandam. Sed in tali opere voluntas illa, quæ actum conjugalem eligit ad Dei gloriam, Dei ſinè dubio auxilio indiget: opus autem ipſum conjugale ex voluntate iſta ſequitur per naturalia inſtrumenta, ſinè novo ac ſpeciali Dei auxilio, ut Origenes volebat. Hucuſque Bellarminus.

Alia explicatio Pontij. Cæterùm (inquit Pontius ſup. n. 3.) ego clariorem eſſe puto Origenis ſenſum eo loco. Negat præſentiam Spiritûs ſancti in eo actu, non in ordine ad gratiam actualem vel habitualem; ſed in ordine ad gratiam gratis datam; ſcilicet Prophetiæ. Inquit enim: *Connubia legitima* &c. *etiamſi Propheta eſſe videatur, qui officio generationis obſequitur.* Negat ergò aſſiſtentiam Spiritûs ſancti in ordine ad Prophetiam. Quare nihil ex eo contrà nos colligi poteſt. Sic ille.

29. *Quid ſentiat Gloſſ. in d. cap.* Placet etiam audire Gloſſ. d. cap. *Connubia*, ubi verb. *Præſentia*, ſic ait: *Adeſt tamen gratia Spiritûs ſancti quoad illa, ſinè quibus gratia Spiritûs ſancti haberi non poteſt; cùm etiam quis mereatur quandoque in tali actu, inf.* 33. q. 5. Si dicat. *Sed abeſt, cum quis cognoſcit uxorem, quoad operationem, ſcilicet quoad miracula facienda, & vim prophetandi. Manet enim in bonis gratia Spiritûs ſancti quoad quædam, & recedit quoad quædam, ut legitur de Pœnit. Diſt.* 2. Quærendum, & c. Poteſt diſcurſus. *Vel dic, non dari præſentiam Spiritûs ſancti quoad omnia, quia ibi eſt quidam ſtupor, & homo totus carneus efficitur. Vel ideò illi pruritui non datur, quia eſt veniale peccatum. Dicit tamen P. Manducator, coitum conjugalem benè exerceri poſſe ſinè peccato, quod concedo quandoque. Ioan.*

Et verb. *Sola*, inquit: *Non excludit Deum, quin adſit: ſed virtutes quantùm ad operationem: quia illâ horâ totus carneus efficitur.*

30. *Reſolutio finalis.* Omnibus itaque conſideratis, ſit hæc Concluſio finalis: Actus conjugalis aliquando poteſt exerceri abſque omni peccato, etiam veniali; adeoque per ſe licitus eſt; honeſtus quoque & meritorius eſſe poteſt, ſi fiat cum debitis circumſtantiis. Et denique obligatorius eſt, quando à conjuge exigitur. Quin etiam aliquando poteſt eſſe obligatio eum exigendi, in iis ſcilicet caſibus (ut ait Averſa ſup. §. *Deinde*) in quibus Matrimonium dicitur debitum ex præcepto, quando nimirum genus humanum aliàs deficeret: cùm enim copula ſit neceſſaria ad propagationem, fruſtranea foret obligatio ad Matrimonium, ſi copula eſſet libera.

31. *Quando copula ſit obligatoria.* Sanè Matrimonium præcipitur tunc in ordine ad propagationem, ita ut propagatio ſit finis præcepti: porrò qui præcipit finem, etiam ea quæ ſunt neceſſaria ad finem hujuſmodi conſequendum. In iis ergo caſibus, in quibus propagatio præcepta, etiam præcepta cenſetur copula, tamquam medium ad eam neceſſarium, juxtà ordinariam Dei providentiam.

Averſa. Sed de reliquo (inquit Averſa ſup.) ſeclusâ eâ neceſſitate & obligatione propagandi humani generis, non occurrit jam inter conjuges obligatio & debitum petendi copulam: quinimò quicumque poſſet licitè, & addito recto fine, laudabiliter abſtinere à petendo. Niſi fortè fingatur caſus, in quo ad ſedandas magnas lites & diſcordias, ſive ad avertenda bella & cædes pro ſucceſſione alicujus regni ſeu ditionis, opportunum & neceſſarium eſſet vacare generationi filiorum. Aut niſi ad ſubveniendum periculo incontinentiæ alterius conjugis, ſive ad ſatisfaciendum ejus deſiderio, non audentis petere, alius diſpiciat, opportunum remedium eſſe, ſi ipſe petat. Quo tamen caſu diceretur potiùs reddere alteri virtualiter ſeu tacitè petenti. Sic ille.

Et verò tenetur alter alteri reddere debitum, 32.

Tenetur quis reddere debitum tacitè petenti.

non solùm (inquit idem Auctor sup. §. *Teneturq;*) expressis verbis petenti, sed etiam tacitè factis & signis, ejus animum indicantibus, ut Omnes etiam communiter docent. Quia certè eadem est ratio, sive verbis, sive aliis signis petat quis debitum suum. Estque eadem obligatio justitiæ.

Et hoc præsertim notant pro fœminis, quæ ob verecundiam & pudorem non audentes expressis verbis petere, faciliùs signis exprimunt suam instantiam. Sed in rigore idem valet in vitis; si quis præ timore aut nimiâ reverentiâ ergà uxorem, fortè præpotentem aut nimis morosam, potiùs signis quàm verbis peteret: quod tamen rarò continget.

33. *Aliquando tenetur alter alteri se offerre ad copulam.*

Tenetur quòque alter alteri offerre se ad copulam, ad impediendum peccatum incontinentiæ, advertens in illo tale periculum, ut pariter Omnes notant. Et hanc etiam vocant aliqualiter redditionem debiti. Etenim tenebitur subvenire spirituali necessitati & periculo alterius, maximè stante tam arcto Matrimonii vinculo, etiam in remedium concupiscentiæ ordinato. Sed tunc solùm urget hæc obligatio, quando sperat conjux tali oblatione impedire peccatum alterius, & quando potest absque magno suo incommodo offerre. Alioquin si sciret alterum non acceptaturum, vel post eam copulam adhuc lapsurum in peccatum, vel non possit absque magno incommodo se offerre: tunc cessat talis obligatio, nimirùm juxtà communes regulas correptionis fraternæ. Hactenùs Aversa.

34. *An hæc obligatio sit justitiæ. Opinio Pontij.*

Dubitatur porrò: an hæc obligatio sit justitiæ, an verò solius charitatis? Pontius sup. n. 3. Si, inquit, sequamur opinionem eorum, qui dicunt, actum moralem non posse esse in duplici genere virtutis, sicut potest esse in duplici malitia, asserendum est, actum illum, si fiat ex fine subveniendi ruinæ proximi, esse quidem charitatis formaliter, materialiter verò justitiæ; quia redditur debitum necessitati ex contractu, ex quo etiam est obligatio vitandi fornicationem in conjuge. At si ex suo & proprio fine, scilicet reddendi debitum, exerceatur, erit justitiæ. Quòd si actus ex aliorum sententia potest duas bonitatis species participare, erit quidem in duplici specie, justitiæ ratione finis proprii actûs, & charitatis ex fine adjuncto operantis. Sic ille, secutus Pet. Ledesma de Matr. q. 49. art. 5. dub. 2. Conclus. 2.

35. *Sanchez putat non esse propriè obligationem justitiæ. Probat.*

At verò Sanchez sup. n. 7. Credo, inquit, non esse verè & propriè obligationem ex lege justitiæ; sed ex lege charitatis, & aliquo modo largè loquendo esse obligationem ex justitia, prout reddere respicit bonum fidei, ad quod etiam pertinet, ut neuter conjux aliam copulam requirat. Ducor: quia ubi est vera justitiæ obligatio, ad reddendum alicui, quod suum est, nil refert, sit illi profuturum, nec ne. Quare dum conjux expressè, vel tacite petit, reddendum est ei semper, estò illi non prosit ad motus carnis sedandos: at in hoc eventu nulla est obligatio, cessante spe profectûs; ergò ea obligatio non est verè & propriè ex justitia.

Insuper: quia obligatio reddendi ex vera lege justitiæ oritur ex voluntate, verbis aut signis explicitâ alterius conjugis, petentis rem suam: at in hoc casu, ut supponimus, nec verbis, nec signis petit; imò tenetur illi alter copulam conjugalem offerre, quàmvis nôrit, suum conjugem illam non appetere, sed alienam; si tamen credat fore, ut vel sic illum appetitum venereum extinguat: ergò hæc obligatio non oritur ex vera justitiæ lege. Ita Sanchez. 36. *Confirmatur.*

Dici tamen potest (inquit Aversa sup.) spectare ad quamdam partem potestativam justitiæ, quæ versatur inter personas conjunctas, & vocatur pietas; estque veluti media inter justitiam rigorosè dictam, & charitatem purè sumptam. *Aversa dicit esse pietatem.*

Adjungam quæ de hac controversia docet Dicastillo disp. 9. dub. 17. n. 196. Tenetur, inquit, per accidens petere debitum conjux ab altero, quando prudenter credit, sibi vel alteri imminere periculum incontinentiæ, quod petendo possit avertere: tamen ad hoc nemo tenetur præcisè ex eo capite obligatione justitiæ. Hæc enim obligatio est castitatis non primaria, sed secundaria, quatenùs hæc virtus (sicut & aliæ) obligat ad impediendum in aliis peccatum contrà illam. Quâ ratione etiam aliquando tenebitur secundariò ex justitia ergà se ipsum, quando actus incontinentiæ, quem timet in altera persona, est contrà justitiam ergà seipsum, qualis esse potest, quoties conjux alterius conjugis adulterium vel similia peccata contrà castitatem permittit. 37. *Sententia Dicast. de hac obligatione.*

Atque ob eamdem rationem verissimum puto; tum actum correctionis fraternæ esse illius virtutis, contrà quam erat futurum peccatum, quod eâ correctione impediri intenditur; tum omissionem ejusdem correctionis esse in specie peccatorum, quæ per correctionem quis tenebatur impedire, quidquid sit de obligatione justitiæ ex officio. Ita præfatus Auctor.

Ego autem alibi dixi, virtutem castitatis obligare secundariò, ne positivè aliquem inducam ad peccatum ei oppositum; non autem, ut positivè procurem in aliis castitatem, vel ut impediam peccatum oppositum; sed ad hoc ultimum inclinat & obligat charitas, quando sinè incommodo possum impedire. Et ideò hìc consequenter assero, in casu proposito neque esse obligationem castitatis, neque justitiæ strictè dictæ, sive primariam, sive secundariam. Enimverò per Matrimonium tantùm traditur alteri dominium corporis, & consequenter jus eo utendi. 38. *Iudicium Auctoris.*

Unde (inquit Coninck disp. 34. n. 14.) nullo modo sequitur obligatio cogendi illum, ut utatur re suâ. Sicut vendendo alicui equum, obligo me ne impediam, quin eo, ubi libuerit, utatur: nullo tamen modo obligor, ut cogam ipsum eo uti, eumve ad hoc invitem, etiamsi hoc sit necessarium ad ejus vitam servandam. Sic ille. 39. *Ex Matr. non sequitur obligatio cogendi alterum, ut utatur re suâ, ex Coninck.*

Melius simile videtur: si quis seipsum vendat, vel operas suas elocet, quis dixerit eum obligatum fore ex justitia, ut nolentem domi- *Simile.*

dominum, aut invitum conductorem cogat se uti, aut ad hoc invitet, etiamsi ejus opera sit necessaria ad ejus vitam servandam? Videtur sufficere, ut requisitus operam suam non subtrahat, quam ex contractu debet: ergò similiter hìc.

40. *Alia probatio, ex Coninck.* Conjux (inquit Regius sup. n. 25.) non suscepit curandum conjugem, nec ad hoc per contractum se obligavit; sed solùm, ut reddat petenti debitum. Matrimonium enim non ita institutum est in remedium concupiscentiæ, quasi ipsi conjuges per seipsos se obligent, ut unus alterius incontinentiæ periculo prospiciat (nam sic uxor peccaret contrà justitiam, si non omnibus, quibus potest modis, virum averteret, ne ad ea loca iret, in quibus ejus continentia posset periclitari) sed ut quisque petendo debitum possit concupiscentiæ ardorem in se sedare, & periculum incontinentiæ avertere. Hæc ille.

Objectio solvitur. Si dixeris: Medicus tenetur adhibere medicinam ægroto, etsi hic non petat; ergò &c. Respondet idem Auctor: Si ægrotus expresè malit mori, quàm certam medicinam sumere, quam scit sibi necessariam; aut sciens velit aliquis noxios cibos sumere, non teneri medicum ex justitia ei hos cibos eripere, aut illam medicinam ingerere, quare nec conjux potest ullo modo teneri conjugem compellere ad copulam, quâ incontinentiam evitet.

41. *Alia objectio.* Objicis prætereà: Pertinet ad fidem Matrimonii, ne conjuges adulterentur: ergò contrà eam fidem peccat, qui non impedit conjugis adulterium.

Diluitur à Regio. Respondet Coninck ibidem: adulterantem peccare contrà fidem Matrimonii: non autem omittentem eum retrahere; quia conjuges promiserunt sibi non adulterari, non autem mutua adulteria impedire. Quare innocens non aliter peccat contrà justitiam, quàm is, cui socius in mercatura fidem violat. Fateor tamen, ejusmodi medicum & conjugem peccare contrà officium boni viri, quod singulariter & medicum & conjugem ad ejusmodi officia ex quadam æquitate obligat, sicut etiam ad alia pericula à conjuge avertenda.

42. *Quæ sit hìc justitia latè dicta.* Et sic credo, intelligendum Sanchium sup. dum dicit, talem obligari ad petendum debitum ex justitia latè sumpta: quia scilicet contrà officium prudentis conjugis peccat. Nam ad boni conjugis officium pertinet, non modò proprium, sed etiam consortis bonum ac salutem quærere, ac mala avertere. Nullam tamen video majorem obligationem in hoc peccato, quam in quovis alio avertendo. Hucusque Coninck. Atque adeò non video, aliâ ratione confitendam omissionem correptionis in hoc peccato, quàm in quovis alio.

Sed nunquid aliter confitenda hæc omissio in conjuge, quàm in quovis alio homine, qui potuisset commodè adulterium impedire, & non impedivit? Non puto, nisi aliquis clariùs probaverit obligationem strictæ justitiæ.

43. *Probatur obligatio strictæ justitiæ.* Probo evidenter, dicet aliquis; Prælatus, quoniam officio tenetur impedire peccatum subditi, peccat contrà justitiam omittendo correptionem, ubi aliàs obligatur ex charitate. Ergò si conjuges ex officio suo (ut vult Coninck sup.) tenentur se mutuò corripere, quidni etiam peccent contrà justitiam, eam correptionem omittendo, atque adeò debeant eam malitiam in confessione explicare?

Sed ineffi-citer. Respondetur: Prælatus ratione officii acquirit quoddam jus subditos gubernandi, iisque imperandi; & vicissim subditi acquirunt jus in eum, ut ipse primum bonum commune, deinde particulare uniuscujusque procuret; ad hoc enim ejusmodi officia sunt instituta, & cum hac conditione conferuntur & acceptantur: adeoque hæc obligatio nascitur ex quodam mutuo contractu; quidni ergò sit obligatio justitiæ? Jam autem talis contractus non intercedit inter virum & uxorem; sed solà translatio dominii corporis ad usum conjugalem, quem proinde non possunt sinè injustitia negare, quando exigitur.

44. *Differentia inter officium Prælati, & conjugis.* Ut autem eum sponte offerant ad impediendam incontinentiam alterius, officium prudentis ac boni conjugis postulat, officium, inquam, non publicum, uti est officium Prælati, qui assumitur à Republica, ut subditos gubernet, sed privatum ratione statûs conjugalis, per quem se mutuò magis attinent, & sibi propinquiores sunt; jam autem ex charitate obligor magis subvenire propinquioribus; atque adeò in casu proposito incumbit conjugibus, sibi mutuò subvenire ex speciali motivo & titulo, sive strictiùs ex charitate; non autem ex justitia strictè dicta, cujus transgressio obligat ad restitutionem damnorum subsequentium, & habet specialem malitiam, in confessione explicandam.

45. *Conjuges per se loquendo non tenentur debitum petere, arg. c. 16. de Regular.* Igitur, per se loquendo conjuges non tenentur debitum petere, quàmvis habeant jus petendi. Quia nullus tenetur uti jure suo, quod pro se tantùm introductum est, sed potest illo cedere; arg. cap. *Ad apostolicam*, 16. de Regular. ibi: *Si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum is, qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium Professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque renunciare videtur ei, quod pro se noscitur introductum: ideoq; obligatur per Professionem emissam, pariter & acceptam, ad observantiam regularem, & verè Monachus est censendus.*

46. *Objectio ex d. cap.* Planè, reponit quispiam, Monachus est censendus: sed audi, quod sequitur: *Quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Ergò etsi validè, saltem illicitè cessarant jure suo. Ergò similiter in casu nostro, tametsi conjuges validè possint cedere jure suo, haud equidem licitè.

Solvitur. Respondeo N. Consequentiam. Disparitatis est, præceptum Ecclesiæ, præfiniens tempus probationis, quod in casu d. textûs non fuerat

obſervatum. Oſtendatur ſimile præceptum petendi debitum,& ſimiliter dicam, conjuges non petentes illicitè cedere jure ſuo.

Aliquando licitè quis cedit jure ſuo, arg. c. 6. d. Privil.

Sanè aliquando licitè quempiam cedere jure ſuo, haud obſcurè colligitur ex alio textu juris, putà cap. 6. de Privilegiis, ibi : *Licet enim privilegiorum Rom. Eccleſiæ beneficio, Fratribus Ciſtercien. Ordinis indultum fuerit, quòd de Laboribus ſuis nullas decimas perſalvere debeant ; de privilegio tamen indulto, tanto tempore vobis detrahere voluiſtis : cum liberum ſit unicuique ſuo juri renuntiare : eoq́, modo non poteſtis vos in hac parte tueri.*

47. Et quamvis plura ſint debita,quæ oportet ſolvere, etiam dum creditor ea minimè petit ; equidem debitum conjugale talis videtur eſſe naturæ, ut non obliget ad ſolutionem, niſi exactum. Porrò exactum, ſive expreſsè, ſive tacitè ſeu interpretativè,verbis vel factis aliiſve ſignis, obligat ex juſtitia ; quia reddere unicuique quod ſuum eſt,lex juſtitiæ præcipit, idq́ue graviter ex genere ſuo ; & ideò non reddere debitum conjugale petenti,ex genere ſuo eſt peccatum mortale. Ita omnes.

Debitum ex genere ſuo obligat ſub mortali.

Solùm diſputatur ; an quod ex genere ſuo mortale eſt, poſſit ex parvitate materiæ fieri veniale. Loquor,quando petitur debitum ex rigore juſtitiæ, &, conjuge rationabiliter invito ac renitente, abſolutè negatur.

48. Addo illas limitationes ; quia omnes admittunt,non peccare mortaliter conjugem, negantem debitum, quando(inquit Averſa ſup. §. *Ex alia parte*)alter non enixè peteret, tamquam debitum ex juſtitia, ſed remiſsè & placidè, tamquam rem ſibi gratam. Vel quando, qui petitur ſe excuſaret & precibus flecteret petentem, ut deſiſteret : dummodò in hoc non ſit nimius & importunus,ut velut invitum cogeret illum cedere. Rursùs, quando ille horâ importunâ peteret, & alter differret ad commodiorem horam. Aut quando ille nimis frequenter peteret,& alter vellet moderatè reddere.

Quando per accidens ſit veniale. Averſa.

In quibus tamen, & ſimilibus caſibus, fieri poterit, ut negans, etſi excuſetur à culpa mortali, non ſit tamen expers venialis : ſicut & in aliis rebus contingit peccatum veniale ex levitate materiæ. Vel ut, licèt non peccet præcisè ratione petitionis alterius, delinquat tamen ob incontinentiæ occaſionem, quam fortè alteri præbet,aut rixæ & diſcordiæ ſeu averſionis animi inde fortè ſuborientis. Quod totum, juxtà qualitatem perſonarum & rerum, prudenti arbitrio dijudicandum eſt. Ita Averſa. Et, ſicut ante dixi, Omnes in his limitationibus conveniunt.

49. Diſcrepant autem in uno puncto ; ſcilicet, an ſit parva materia, ſecluſis dictis limitationibus, ſemel atque iterùm debitum negare. Affirmat Sanchez ſup. n. 11. dicens : Sicut in aliis præceptis, etiam juſtitiæ, datur parvitas materiæ, quæ à culpa lethali excuſet, ita etiam in hoc ; ut ſi conjux exigenti neget rarò debitum, abſque periculo incontinentiæ exigentis. v.g. ſolet vir petere quater in menſe, & petat iterùm, non erit mortale, uxorem eâ quintâ vice negare,ſinè periculo incontinentiæ : levis enim res cenſetur,ſemel vel iterùm negare,ut ſit culpa lethalis. Sic ille.

An ſit peccatum veniale ſemel atque iterum negare debitum. Affirmat Sanchez.

Pro qua ſententia (inquit Dicaſt. diſp. 9. n. 203.) refert Ledeſmam,eamdemq́ue ſequuntur aliqui Recentiores; probabileq́ue videtur propter horum DD. Authoritatem ; ſed ratione ſolâ mihi videtur,difficilè probari parvitatem materiæ in una ſolùm vel altera occaſione;vel quòd in ordine ad materiam juſtitiæ, de qua agimus, habenda ſit ratio periculi incontinentiæ.

Idem docet Ledeſma & alij Recentiores.

Atque (ut ab hoc ultimo incipiam) ratio periculi incontinentiæ efficere quidem poteſt, ut in occaſione talis periculi negatio ſit peccatum grave contrà caſtitatis obligationem, ſaltem ſecundariam ; non verò contrà juſtitiam, ſi ipſa in ſe, quatenùs materia juſtitiæ,ſit levis ; neque enim materia unius virtutis, quatenùs talis, augere poteſt materiam alterius, quatenùs talem. Unde in eo caſu potiùs dicendum eſſet, fore peccatum grave quidem in materia caſtitatis contrà obligationem ſecundariam ; leve tamen in materia juſtitiæ,propter parvitatem materiæ. Ita hic Auctor.

50. *Dicaſt. oppugnat Sanchium.*

Sed quæro ego : ubi Sanchez dicit, periculum iſtud efficere,ut negatio ſit grave peccatum contrà juſtitiam ? Atque ut diceret, ſanè non improbabiliter. Quamvis enim qui patitur illud periculum, non habeat jus juſtitiæ, ut alter ab ipſo petat debitum,ſecundùm ſuperiùs dicta; quia ipſe poteſt jejuniis & aliis mediis illud periculum evitare ; equidem videtur habere jus juſtitiæ, ut alter reddat debitum poſtulatum ; majus inquam, jus juſtitiæ,quàm ſi tale periculum non ſubeſſet ; ſed peteret debitum ad explendam ſuam libidinem.

Sed perperàm.

51. Siquidem, ſecundùm Multorum probabilem ſententiam, Matrimonium inſtitutum eſt, non ſolùm ad generationem prolis ; ſed etiam ad evitandam incontinentiam, non tantùm alienam, ſed etiam propriam ; ergò videtur habere majus jus juſtitiæ ad petendum debitum ex fine vitandi incontinentiam, quàm ex fine voluptatis immoderatæ, ad quam nullatenùs Matrimonium eſt ordinatum.Ergò dum adeſt periculum incontinentiæ, negatio debiti videtur magis repugnare juſtitiæ, quàm ſi tale periculum abeſſet : atque adeò poſſe eſſe peccatum mortale injuſtitiæ, eſtò aliàs, propter parvitatem materiæ, ſolùm fuiſſet veniale.

An periculum incontinentiæ poſſit dare majus jus juſtitiæ.

52. Rogat aliquis : quoties ergò,ſecluſo illo periculo, poſſit conjux negare debitum abſque peccato mortali, ſive quot vicibus debeat conjux negare debitum, ut peccet mortaliter ? Hoc opus,hic labor eſt.

Quoties debeat conjux negare debitum, ut peccet mortaliter.

Ad hoc (inquit Dicaſtillo ſup.) ut ex una parva materia, & ex altera vel pluribus, reſultet peccatum grave, neceſſe eſt, juxtà veriorem Philoſophiam ac Theologiam, quòd eæ parvæ materiæ conjungantur ſimul & coaleſcant in unam gravem, quod in iis variis, aut pluribus negationibus debiti non ſemper contingit ; niſi fortè quandoq́ue eæ plures negationes debiti petiti cenſeantur una quaſi diuturna & continuata

Dicaſtil.

nuata negatio ; ut ſi viro diu ſæpeque petenti uxor neget per aliquod tempus, putà per unum menſem, vel hebdomadam, vel annum ; maximè ſi ita ſit affecta,ut voluntatem habeat negandi per illud totum tempus.

53. *Plures negationes per intervalla non videntur unam gravem conſtituere, ex Dicaſt.*

Sed quidquid ſit de hoc, certè negationes per intervalla & interruptæ, etiamſi plures in anno contingant, non videntur inter ſe poſſe conjungi, ut unam gravem materiam conſtituant; nam in aliis materiis juſtitiæ,ut ex pluribus una gravis materia injuſtitiæ reſultet, ſemper quærimus, quòd materiæ conjungantur, vel in damnificante, vel in damnificato, ita ut,quando advenit poſterior materia, adhuc cenſeatur durare prima : v. g. fieri quidem poteſt, ut ex pluribus furtis parvis, ſucceſſivè commiſſis, reſultet una gravis injuſtitia, ſive quando eidem domino ablatæ ſunt plures leves materiæ diverſis actibus ab eodem fure, ſive quando diverſis dominis ab eodem etiam fure res parvæ auferuntur ; in his enim caſibus materia furti conjungitur, ſive in ratione rei acceptæ, ſive in ratione damni illati; nempè quando furta ſunt ex diverſis dominis, conjunguntur in eodem fure, omnia ſimul retinente, & injuſto poſſeſſore magnæ quantitatis ſine titulo, quæ quantitas moraliter conjungitur in ipſo poſſidente. Quando verò parva furta ſunt ejuſdem domini ab eodem fure,conjunguntur in ratione damni illati, quatenùs per acceſſionem plurium damnorum parvorum cenſetur, & eſt dominus graviter damnificatus per omnia furta, qui per ſingula tantùm eſſet leviter læſus. In his autem caſibus numquam poſſunt materiæ furtorum vel damnorum parvorum conjungi ; niſi quando obligatio reſtituendi aut reſarciendi unius vel alterius furti & damni perſeverat. Nam ſi jam ceſſaſſet prioris furti aut damni obligatio,non poteſt ex illa & ex poſteriori reſultare una major ex utraque coaleſcens, ut ex ſe patet.

Qualiter plura parva furta conſtituant unum magnum.

54. *Oſtendit Dicaſt. plures negationes debiti non coaleſcere in unam gravem.*

Ad noſtrum ergò caſum advenientes, ſi (ut Sanchez & alii Recentiores volunt) una ſola negatio debiti parva materia eſt, atque adeò peccatum veniale, neceſſe eſt (ut ex pluribus negationibus debiti reſultet unum peccatum mortale) ex illis omnibus negationibus unum quoddam grave damnum reſultare, coaleſcens ex parvis damnis, perſeverante obligatione reſarciendi damnum negationis debiti, quæ præceſſit,quando advenit occaſio ſecundæ redditionis debiti, & iterùm negat uxor. Nam hìc & nunc unicâ redditione ſatisfacit, etiamſi centies in totidem occaſionibus priùs negaverit. Signum ergò eſt,quòd cæteræ obligationes,quæ in ſuis propriis occaſionibus urgebant, omninò ceſsárunt,& non perſeverant tranſactis occaſionibus:ergò obligatio,quæ hìc & nunc urget,& peccatum, quod hìc & nunc fit negando, non habet aliquam connexionem cum præcedentibus, ut ex omnibus una gravis materia coaleſcat : ergò ſi hæc negatio in particulari materia gravis non eſt, nec peccatum grave, non reſultabit unum grave peccatum ex eo quòd aliæ negationes præceſſerint, quæ jam non extant,neque in ſe, neque in aliqua obligatione reſtituendi aut reſarciendi damnum, quod intulerant. Hactenùs Dicaſt.

55. *Tenet,unam ſolam eſſe peccatum mortale.*

Quapropter probabilius ipſi videtur, unam tantùm negationem conjugis, ſinè cauſa legitimè excuſante, contra alium utentem jure ſuo, & tamquam debitum ex rigore juſtitiæ exigentem actum conjugalem, eſſe peccatum mortale, quàmvis non facilè credendum ſit, cum tanto rigore exigere, niſi aliud explicet. Sic ille.

Quæ etiam videtur eſſe ſententia Sanchij.

Atque hæc eſt Concluſ. noſtra, ibi : *Idq; quàlibet vice ſub peccato mortali.* Quam & ipſe Sanchez videtur docere ſup. n. 16. dicens : Si conjuge ſe excuſante, quando cauſa non excuſaret prorſus à redditione debiti, alter conjux valdè inſtaret petens, eſſet mortale non reddere. Quia injuſtè negatur ſibi debitum, ita inſtanter exactum.

56. *Item Antonini & Vivaldi.*

Pro qua ſententia (inquit Dicaſt. ſup. n. 205.) refert Antoninum & Vivaldum. Signum ergò eſt,quòd etiam in ejus Auctoris ſententia, una ſola redditio debiti,& negatio illius,ſit materia gravis : alioquin non eſſet gravis, etiamſi valdè inſtaret ; ſicut non eſſet gravis materia unius nummi debiti, etiamſi creditor valde inſtaret pro illius ſolutione,& non eſſet cauſa negandi. Ita ille.

Quod intellige ; niſi inſtantia illa foret ſignum alicujus gravioris damni imminentis, niſi unus nummus debitus ſolvatur ; quamquam & tunc materia illa ex ſe maneat parva, etſi ab extrinſeco gravis cenſeri poſſet. Et ſic etiam in caſu noſtro poſſet fieri,ut una copula foret omnimodò neceſſaria ad generationem prolis,ex qua non generatione ſequeretur grave præjudicium conjugis petentis,qui & propterea valdè inſtat. Sed quod Sanchez de tali caſu locutus fuerit,non conſtat, niſi quòd aliàs videatur ſibi ipſi contrarius.

57. *Reſponſio aliqua ad arg. Dicaſt.*

Interim ad argumentum Dicaſtillonis,deſumptum ex minutis furtis, fortè reſponderi poſſet; etiam ex illis omnibus negationibus in ſe parvis, unum quoddam grave damnum reſultare, coaleſcens ex parvis damnis, perſeverante obligatione reſarciendi præcedens damnum,nec ei ſatisfieri per unicam redditionem, ita ut jam ſæpiùs debeat reddere, quàm ſi anteà non negaſſet. Patet : quia magis impeditur generatio prolis, negando centies debitum, quàm ſemel tantùm negando, & malitia hujus negationis etiam conſiſtit in eo, quòd conjux habeat jus generandi prolem, à qua generatione per eam impeditur. Et propterea : poſt multas negationes, frequentior petitio jam non eſt nimia, ſed moderata (ad quam proindè alter, qui negavit ſæpiùs, jam tenetur) quæ aliàs foret nimia & immoderata, atque adeò non obligans. Hæc diſpice.

Cæterùm, quia dum finis præceptus eſt, etiam ex conſequenti præcipiuntur media ad finem neceſſaria, hinc erit

CON-

CONCLUSIO II.

Conjuges, qui scienter reddunt se absolutè impotentes ad moderatam copulam, peccant lethaliter.

58. *Probatio Conclus.*

INtellige, sive id faciant per media aliàs illicita, v. g. pollutiones, aut fornicationes, sive per media alia licita, ut sunt jejunia, vigiliæ, orationes &c. Eadem quippè est ratio; scilicet, quia eadem lex justitiæ, quæ præcipit finem, obligat ad media necessaria fini obtinendo; ergò eadem lex justitiæ, quæ obligat conjuges ad persolvendum debitum, prohibet eis, ne scienter reddant se impotentes. Siquidem potentia est medium omninò necessarium, & impotentia dicto fini prorsùs adversatur.

Et quoniam obligatio persolvendi debitum per se gravis est, ut patet ex dictis præced. Conclus. peccant lethaliter, qui scienter reddunt se impotentes ad copulam; sicut illi, qui scienter reddunt se impotentes ad alia debita civilia solvenda. Quæ enim disparitas?

59. *Hæc circumstantia foret explicanda in Confessione.*

Hinc in confessione foret hæc circumstantia tamquam mutans speciem explicanda: v. g. qui reddidit se impotentem per fornicationes, non satisfacit præcepto Confessionis, nisi præter fornicationes specialiter explicet hanc impotentiam, quæ directè repugnat debito conjugali; ita ut fornicans non solùm peccet, quia corpus suum tradit alteri, sed etiam, quia idem non tradit, nec potest tradere propriæ uxori, ubi & quando deberet. Hæc autem malitia non necessariò conjungitur fornicationi, cùm fieri possit, ut equidem vir maneat simpliciter potens ad moderatam copulam cum propria uxore exercendam, quod sufficit, ut non peccet contrà debitum conjugale, tametsi potentia ejus paululùm per eam debilitaretur.

60. *An peccent, qui reddunt se minùs potentes.*

Quocircà in Conclus. signanter addidi ly *Absolutè*, ut significarem utique, non peccare qui reddunt se minus potentes, dummodò reverà maneant potentes. Quare conjuges ordinariè tenentur ad jejunia Ecclesiæ; quia licèt per ea paululùm debilitetur potentia generandi; equidem absolutè manet. Si autem hic & nunc notabiliter debilitaretur, ita ut non nisi cum magno incommodo possent copulari, neque ad illa forent obligati; quia fortiùs ligat jus naturale, quàm præceptum positivum Ecclesiæ: porrò jus reddendi debitum, naturale est, præceptum autem jejunandi Ecclesiasticum tantùm, quod, ut constat ex communi doctrina, & praxi, non obligat cum gravi incommodo.

Conjux moderatè jejunans, aut studens, non peccat, ex Sanchez.

Audite Sanchium lib. 9. disp. 3. Conjux se extenuans & debilitans absque fraude, & bonâ fide mediis honestis, ut servans Ecclesiæ jejunia, & alia moderata ex devotione, impendensque moderatè tempus honestis studiis, vacat culpâ: quia sic non efficietur impotens, sed minus potens, nec tenetur cum spirituali jactura à spiritualibus operibus abstinere, ut se potentiorem & robustiorem conservet: sicut nec tenetur desistere ob eam causam à cæteris corporalibus exercitiis.

61. *Ex quo immoderatio colligenda sit.*

Quando autem abstinentiæ & vigiliæ censeantur limites prudentiæ excedere, atque immoderata esse, pensandum est, attentâ viri conditione; alii enim aliis robustiores sunt: & attentâ uxoris conditione; quædam enim parcæ sunt, aliæ verò venerem frequenter appetunt. Denique; id pro regula servandum est, ut vir eas vires conservet, non extenuans eas abstinentiis & vigiliis, quibus indiget ad moderatè reddendum uxori, attentâ ejus conditione, & ne eam periculo incontinentiæ exponat. Similiter etiam non licèt uxoribus ita se abstinentiis & vigilijs dedere, ut deformes ac viris exosæ reddantur. Quia ipsis ansam præbent, turpes alios amores quærendi. Ita Sanchez sup. n. 5.

62. *Excusatur a jejunio, qui aliter non potest reddere, ex eod.*

Et n. 10. excusat à jejunio Ecclesiæ conjugem, qui aliter uxori suæ reddere debitum non potest? Quia, inquit, sicut jejunium non impedit opera necessitatis, & subinde non obligat eum, qui jejunando munus suum obire nequit; ita nec opus obligationis, quale hoc est, eo vel maximè, quia non reddere est in præjudicium tertii.

Quod verum existimat, tametsi precibus & verbis blandis posset eam pro illa die à copula avertere. Sicuti, inquit, non tenetur faber dives ab opere fabrili, quo ad sustentationem minimè indiget, die jejunii cessare, quo jejunium servare possit. Quàmvis ergò tali casu non teneatur vir solvere jejunium, sicut nec faber; quia commodè potest hic ab opere fabrili, ille autem à copula abstinere; at potest utique solvere.

63. *Limitatio.*

Intelligenda tamen hæc causa excusans à jejunio (subjungit ibidem Sanchez) quando vir notabiliter redderetur impotens, ad moderatè reddendum; non enim excusabit, si tantillùm debilitetur. Jus enim habet ad hoc conjux. Quare aberrant viri, existimantes se à jejunio excusari, ut fortiores sint ad copulam maritalem. Nam non tenetur vir uti calidis, ut potentior sit ad copulam; ac proinde minùs poterit jejunium eâ de causâ solvere. Quod intelligo, nisi uxori periculum incontinentiæ immineat, si vir ad copulam frequentiorem non efficiatur potentior: lex enim charitatis tunc obligans prævalet præcepto Ecclesiastico.

Non tenetur conjux se reddere potentiorem.

64. *Si vir præcipiat uxori solvere jejunium, an ea possit obedire, ex Sanchez. D. Hier.*

Quare si vir præcipiat uxori solvere jejunium Ecclesiasticum, tametsi per se loquendo potiùs sit obediendum Ecclesiæ; attamen, si notabiles discordiæ orirentur inter ipsam & virum, nisi ipsi obtemperet, poterit solvere jejunium. Quia (inquit Sanchez sup. n. 13.) mutuus amor conjugum illi anteponendus est, ut colligitur ex D. Hier. & refertur de Consecrat. dist. 5. c. 24. ibi: *Nonne rationabilis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert sensûs integritati, ut propter abstinentiam immode-*

moderatam atque indiſcretam pſalmorum vel officiorum decantationem, aut amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrat ?

Cap. 2. de Præſcript. Et cap. 2. de Præſcript. ſcriptum eſt : *Nihil cum ſcandalo, nihil cum forali ſtrepitu, vobiſcum nos velle de cauſis pauperum definire, vobis ſcripſiſſe meminimus.* Ubi Gloſſ. *Nihil cum ſcandalo*, inquit : *Arg. quòd propter ſcandalum deſiſtendum eſt à jure ſuo.* Ergò veriſimile eſt, quòd Eccleſia in hoc caſu nolit obligare ad jejunium cum ſcandalo mariti.

65. *Explicatur cap. 3. de Reg. juris.* Nec obſtat cap. 3. de Reg. juris : *Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas deſeratur.* Nam veritas triplex eſt, ut ibi notat Gloſſ. verb. *Veritas : Scilicet bonæ vitæ : hæc nunquam omittenda eſt propter ſcandalum, & ad quemlibet pertinet. Alia juſtitiæ : hæc ad Iudicem pertinet. Alia diſciplinæ : Hæc pertinet ad Prælatum. In his duabus quandoque aliqua omittuntur propter ſcandalum, 50. diſt.* Ut conſtitueretur. *Et intellige quod hic dicitur, de his, quæ indiſpenſabilia ſunt, & tale jus commune, quod indiſpenſabile eſt, veritas appellatur..... Tale jus pro nullo ſcandalo relaxandum eſt : ſed quando jus commune diſpenſabile eſt, propter ſcandalum receditur à jure communi.* Quis autem neſciat, præceptum jejunii, de quo hìc agitur, eſſe diſpenſabile ?

66. *Vir qui ſinè cauſa cogit comedere, peccat.* Sed quia mulier excuſatur à culpa, num ideò & vir, qui ſinè juſta cauſa cogit quodammodò comedere ? Clarum eſt quòd non ; ſicut tametſi famulus liber ſit à culpa, qui die feſto metu coactus ſerviliter laborat ; minimè tamen dominus, qui cogit laborare. Ratio eſt : quia præceptum Eccleſiæ ſecundariò obligat unumquemque, ne poſitivè ſit cauſa, id eſt, ne poſitivè inducat ad laborandum ſerviliter, niſi juſta cauſa excuſet. Ita fatentur Omnes. Ergò ſimiliter in caſu noſtro.

Quid ſi vir præcipiat in contemptum Eccleſiæ ? Imò nec mulier poſſet ſolvere, ſi vir id præciperet in contemptum Eccleſiæ ſeu jejunii Eccleſiaſtici ; ſed potiùs moriendum ei foret, juxtà omnium ſententiam ; quia tali caſu non ſolùm obligat lex Eccleſiæ ; ſed etiam lex naturalis, quæ vetat contemptum legis & legiſlatoris, quæ indiſpenſabilis eſt ; & per conſequens, juxtà Gloſſam ſup. adductam, pro nullo ſcandalo relaxanda.

67. *An conjuges ſinè mutuo conſenſu poſſint vovere jejunia &c.* Cæterùm ex jam dictis facilè ſolvitur illa quæſtio : utrùm conjuges abſque mutuo conſenſu poſſint vovere abſtinentias, peregrinationes, preces & ſimilia. Equidem, ſi obſtent debito conjugali moderatè reddendo, liquet id fore illicitum. Quia neuter conjux poteſtatem ſui corporis habet quoad debitum conjugale perſolvendum. Ita docet Gloſſa cap. 11. 33. q. 5. ubi ex D. Aug. in qq. Numer. q. 59. refertur : *Manifeſtum eſt, ita voluiſſe legem, fœminam eſſe ſub viro, ut nulla vota ejus, quæ abſtinentiæ cauſa voverit, reddantur ab ea, niſi auctor vir fuerit permittendo.* Ubi Gloſſ. verb. *Niſi auctor*, infert : *Mulier ergò non poteſt facere votum abſtinentiæ ſinè voluntate viri.* Et ſtatim interrogat : *Sed nunquid vir poteſt abſtinere, ſinè uxoris conſenſu ? Sic inf.* Cum caput. *Licet ergò conjuges ſint pares quantùm ad votum continentiæ, non tamen quantùm ad votum abſtinentiæ.*

Neque hoc officit noſtræ doctrinæ ; nam actutùm ſubjungit : *Et hoc intelligo de quolibet voto, in quo non ſit uxori præjudicium quoad carnale debitum, quàmvis ex illo voto oriatur ſcandalum mulieri, ut in hoc ſit differentia inter virum & mulierem. Similiter & de muliere dici poteſt, quòd vovere poſſit, dummodo per illud votum mulieris, non ſiat viro præjudicium ; vel ſi non oriatur ſcandalum viro ex illo voto ; ut ſi vovet jacere in camiſia cum eo, vel ſingulis noctibus ire ad matutinas : unde de tali voto intelligo iſtud cap. Alias tenetur mulier illud adimplere, etiam viro invito, ut ſi vovit, quod daret denarium amore Dei, vel aliquid tale.*

Nulli itaque dubium eſſe poteſt, quin peccet conjux, ſive vir, ſive mulier, qui contrà voluntatem conjugis aliquid vovet in præjudicium debiti conjugalis ; nam ad id debitum ſtricto jure juſtitiæ obligatur, adeòque ſic vovendo convincitur nolle reddere debitum conjugale, ubi & quando jus juſtitiæ ad hoc reddendum obligaret. 68. *Non poſſunt in præjudicium debiti conjugalis, & votum eſt irritum.*

Nunquid etiam peccat mortaliter, quia vovet rem malam ? Videtur quòd ſic ; veluti ſi voveret ſe minimè redditurum debitum, peccaret mortaliter juxtà omnes, & tale votum foret ipſo jure nullum. Ergò ſimiliter, ſi voveat abſtinentiam vel peregrinationem in præjudicium debiti conjugalis contrà voluntatem conjugis.

Neque id negat Sanchez ſup. n. 8. ubi ſic ait : dicendum eſt, id votum validum eſſe ; minimè tamen impleri poſſe, donec manifeſtatum uxori ipſa approbet ; quare nec vir abſolutè vovens peccabit, niſi expreſſè intenderet ſe obligare contrà uxoris voluntatem ; tunc enim peccaret, & votum eſſet irritum. Probatur : quia ſimilis eſt ratio de hoc voto, ac de illo, quo religioſus ſe obligat ad rem ſibi prohibitam, quam abſque Superioris beneplacito exequi nequit, quale eſſet votum peregrinationis : cùm utrumque votum ſit de re prohibitâ, exigentique alterius conſenſum, & eo accedenti licitâ : at id votum religioſi eſt validum, donec à Superiore irritetur, licèt impleri nequeat abſque licentia ipſius ; nec Religioſus peccat, ſic abſolutè vovens : quia tacitè ineſt talibus votis conditio hæc : *Si ſuperior voti conſcius conſenſum præſtiterit* : ergò idem dicendum eſt de prædicto mariti voto. 69. *Neque id negat Sanchez.*

Nec eſt ſimile de voto non reddendi debitum : quia eſt omninò & directè contrà fidem Matrimonii, & votum de re aliena præſtanda Deo : quare nullum eſt ; ſicut ſi quis Deo promitteret rem alienam. Votum verò peregrinationis longæ, vel nimiæ abſtinentiæ, non opponitur directè Matrimonio, nèc debito conjugali ; ſed eſt aliquod alterius conjugis gravamen ; quare validum erit, licèt integrum ſit conjugi gravato diſſentire. Hucuſque Sanchez 70. *Non eſt ſimile de hoc voto & voto non reddendi, ex cod.*

Sed Dicaſtilloni ſup. n. 208. videtur in

cast. 1. pars.

hac re distinguendum esse. Et in primis, inquit, certum puto, ut ipse Sanchez concedit, virum peccare vovendo, si expressè intendat se obligare contrà uxoris voluntatem, atque adeò esse votum irritum. Deinde existimo, si expressè vel virtualiter vovit eam peregrinationem seu abstinentiam sub conditione: *Si uxor approbaverit*, votum quidem esse validum, & licitum, & manifestandum uxori, quæ si approbet, absolutè obligabit.

71. *Secunda.*

Si verò quis nihil cogitans, aut nesciens vim obligationis Matrimonii, in ordine ad non se reddendum impotentem pro notabili aliquo tempore ad reddendum debitum, absolutè vovit; quando posteà deprehendit id præjudicare juri, quod habet uxor; tunc votum à se absolutè præstitum, & sinè tali intentione illud manifestandi uxori, ad petendam approbationem, est de materia illicita; atque adeò quàmvis propter ignorantiam vel inadvertentiam non peccaverit vovendo, ipso facto votum est nullum, & nulla est obligatio illud manifestandi uxori; quia neque ex vi voti absoluti obligatur ad id, neque ex intentione voventis; atque adeò omninò liber manet. Atque ita videntur tenere Sotus l. 7. de Iustitia q. 3. ar. 1. Rodrig. to. 2. Sum. cap. 90. (aliàs 93.) n. 7. Ita Dicastillo.

Scotus.

72. *Quid sentiat Rodriguez.*

Rodr. loco cit. hæc scribit: Maritus sinè licentia uxoris non potest vovere aliquam longam peregrinationem, ut definitur in jure. Nec obstat; quòd maritus ad serviendum Regi, & quærendum victum pro domo & familia potest abesse per longum tempus ab uxore: quia ad hoc respondeo; quòd hoc est, quia est bonum temporale familiæ suæ, quæ est sub sua cura; votum tamen peregrinationis est in præjudicium illius; & viso quòd non valeat, non est necesse, ut uxor irritet illud; ut tenet Sotus. Hæc ille.

Quid dicendum de votis Religiosorum.

Quid ergò ad simile de Religioso sup. à Sanchez adductum? Rodrig. loco cit. cap. 91. n. 2. Non valet (inquit) votum Religiosi, si ejus materia sit prohibita à suo Prælato aut in generali, aut speciali, & quousque Prælatus præbeat consensum non obligat, ut dicitur in jure cap. *Monacho*, 20. q. 4. & post alios resolvit Gregor. Lopez. Et nota, quòd Monachi S. Benedicti non tenentur ad aliquod votum, quàmvis sit peregrinationis Hierusalem, ut concessit illis Benedictus XIII. quo privilegio gaudent omnes Ordines Mendicantium; ipsoque viso, vota quæ faciunt peregrinationis, non solùm non obligant eos, sed nec tenentur manifestare illa Prælatis suis.

73. *Quando valeant, & quando non.*

Estque notandum; quòd votum factum ab illis rei prohibitæ, quia mala est, non solùm non obligat, sed etiam peccant mortaliter aut venialiter secundùm qualitatem materiæ: si verò voveant aliquod malum, quia sit prohibitum à suo Prælato, non peccant; quia id promittunt sub conditione tacita vel expressa: *Si Prælatus concesserit licentiam faciendi illam*: si verò ignorent esse rem prohibitam, & posteà veniat ad eorum notitiam, quòd sit talis, votum in se erit nullum, & non est necesse, quòd manifestent illud Prælato suo; cùm, ubi est ignorantia, non sit consensus nec voluntas, ut dicitur in jure; quod procedit, si intelligat, quòd non facerent dictum votum, si scirent dictam prohibitionem. Ita Rodrig.

Et puto Sanchium id facilè concessurum, & nusquam contrarium docuisse. Quod ergò sup. dicit, votum peregrinationis à Religioso emissum validum fore, donec à Superiore irritetur, intelligit de Religioso, qui probè noverat, se absque licentia Superioris non posse peregrinari, qui cum præsumi non debeat voluisse peccare, censetur promisisse sub conditione saltem tacita: *Si Prælatus concesserit licentiam.*

74. *Idem resolvendum est in nostro casu.*

Et consimiliter dici posset, & debet dici in casu nostro; virum, qui supponitur nosse suam obligationem reddendi debitum, si quidpiam voveat incompatibile cum redditione debiti, id facere sub conditione tacita: *Si uxor consenserit*; alioquin graviter peccaret, quod non est præsumendum. Si tamen aliquis foret ignarus suæ obligationis; &, si eam scivisset, noluisset promittere, si posteà veniat ad notitiam ejus, votum in se est nullum, & non est necesse, quòd manifestet illud uxori suæ, estò sciret, eam haud difficiliter licentiam concessuram.

Probatio.

Ratio patet: quia fuit votum de re mala, sinè expressa vel tacita conditione, malitiam abstergente; v.g. de peregrinatione diuturna citrà voluntatem uxoris, quam prohibet actus conjugalis, quem absens nequit exercere; cùm tamen debitus sit ad requisitionem uxoris, nisi justa causa excuset.

Si autem à me quæritur, quæ sit justa causa? Respondeo citiùs.

CONCLUSIO III.

Neuter conjux tenetur alteri debitum reddere cum notabili detrimento propriæ incolumitatis, vel occisione fœtûs, vel abortu.

75. *Duplici modo excusatur quis à reddendo debito, ex Scoto. Primus.*

Scotus 4. dist. 32. q. un. n. 2. *In genere*, inquit, *potest aliquis justè non reddere debitum conjugi dupliciter. Uno modo, si conjux amisit jus petendi vel non habet jus petendi pro tunc. Alio modo, quando obligatur ad non reddendum vinculo fortiori. Primum contingit in fornicatione conjugis, maximè si alter tantùm fuerit fornicatus: tunc enim innocens potest lapsum, si sibi publicè constiterit, repellere, & amisit lapsus jus petendi, pro eo, quòd non servavit fidem: & ideò non est necessariò sibi fides servanda, saltem affirmativè. Si autem uterque lapsus sit, tunc paria crimina pari vindictâ sunt*

ſunt delenda. Sic non habet jus petendi ſtatim poſt Matrimonium ratum, licèt adhuc non amiſerit, quia nondum peccavit; eò quod poſt Matrimonium ratum licet intrare Religionem: nec oportet ſtatim, ſed ad tempus poteſt ſtare in ſæculo, & deliberare, & ſi teneretur ſtatim reddere, teneretur facere ſe inhabilem ad Religionem.

Ecce primus modus, de quo partim egimus Diſp. præced. Sect. ultimâ Concluſ. 11. 12. & 13. partim tractabimus Sectione ſequenti, ubi de Divortio. Hìc locus eſt, ut de ſecundo modo ſeu caſu diſſeramus. Sed quis ille?

76. *Secundus.* *Secundus caſus eſt* (inquit Doctor ſup. n. 5.) *quando obligatur fortiori vinculo ad non reddendum; putà, ſi vergat in detrimentum propriæ incolumitatis: tenetur enim magis diligere propriam incolumitatem, quàm iſtud debitum reddere alteri conjugi; vel ſit cauſa occiſionis fœtus in utero prægnantis, vel ſit cauſa abortûs. Ad hæc enim cavenda, tenemur fortiori vinculo, quàm ad reddendum debitum iſti. Vbi ergo eſt probabile periculum de extinctione fœtûs, vel quod naſcatur abortus, non tenetur reddere.* Hæc Doct. Subtilis.

Fundamentum Concluſ. In quibus expreſsè continetur noſtra Concluſ. & fundamentum ejus, ſcilicet fortius vinculum ad non reddendum. Quod probatur ex

D. Thomas. D. Tho. 4. diſt. 32. q. un. a. 1. in corpore: *Matrimonium principaliter eſt inſtitutum in officium naturæ, & ideo in actu ipſius ſervandus eſt naturæ motus, ſecundum quem nutritiva non miniſtrat generativæ, niſi illud quod ſuperfluit ad conſervationem individui; quia hic eſt ordo naturalis, ut priùs aliquid in ſeipſo perficiatur, & poſtmodum alteri de perfectione ſua communicet: & hic eſt etiam ordo charitatis, quæ naturam perficit: & ideo cùm uxor in virum poteſtatem non habeat, niſi quantùm ad generativam virtutem: non autem quantùm ad ea, quæ ſunt de conſervatione individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalvâ tamen priùs perſonæ incolumitate.* Et ſalvâ incolumitate prolis, quæ eſt finis primarius copulæ.

77. *Non tenetur reddere cum periculo propriæ vitæ, neque ex juſtitia, neque ex charitate, ex Hiquæo.* Itaque dum periclitatur vita conjugis, neque ex juſtitia, neque ex charitate tenetur reddere debitum. Non ex juſtitia (inquit Hiquæus in ſuo Comment. ad locum Scoti, ſup. adductum, n. 21.) quia non tenetur debitor creditori cum notabili vitæ ſuæ detrimento, v. g. ei reddere, quod propriæ ſuſtentationi præcisè eſt neceſſarium. Deinde, non tenetur ad uſum corporis ſui, niſi ex præcepto propagandæ ſpeciei generali, vel certè ex particulari, quâ reſpicit commodum conjugis: non ex primo, quia non eſt illa extrema neceſſitas propagandæ ſpeciei per particulares conjuges hic & nunc: non ex ſecundo; quia neque uxor, neque maritus eſt dominus vitæ, ideò neuter tenetur ad uſum corporum, niſi ad illum, qui non vergit in detrimentum vitæ.

Hinc patet etiam, quòd neque ex charitate; quia quilibet habet debitum conſervandi vitam propriam in caſibus, in quibus non eſt obligatio contemnendæ vitæ, inter quos nullo modo præſens caſus annumeratur. Hæc ille,

Quæ etiam probant, tali caſu fore illicitam copulam: idque ſive reddenti ſive petenti inſtet tale periculum. Quia ſicut non ſum dominus vitæ propriæ, ſic nec alienæ; & ſicut ex charitate teneor conſervare vitam propriam, ubi urgentior cauſa non cogit; ita quoque alienam. Unde nemo tenetur gladium domino petenti tradere, ſi ſe illo perimere velit; immò peccat contrà charitatem tradendo, niſi aliquid aliud obſtet. 78. *An tali caſu foret licita copula.*

Itaque illicitum eſſet conjugi, ſic periclitanti, petere debitum ab altero quamvis ſano & non periclitanti, illicitum eſſet conjugi ſano petere ab altero ſic affecto. Et ſive conjugi ſic affecto, ſive ſano non ſolùm non eſſet debitum, ſed etiam illicitum eſſet reddere, quantumvis requiratur ad copulam: quoniam (inquit Averſa ſup. ſect. 7. §. *Primò*) nec tenetur nec poteſt conſentire, & cooperari ad ſui vel conſortis deſtructionem. Quare in omni tali caſu copula eſt illicita utrique conjugi. Sic ille. *Foret illicita.* Averſa.

Et nemo non videt, neque quempiam teneri, nec poſſe conſentire, & cooperari ad prolis deſtructionem; atque adeò Omnes fatentur, etiam tunc copulam utrique conjugi graviter fore prohibitam, ubi urgentior cauſa non cogit.

Sed nunquid urgentior cauſa periculum incontinentiæ? Aliqui apud Sanchez lib. 9. diſp. 24. n. 12. docent, quando ſubeſt grave periculum incontinentiæ in conjuge exigente, tunc teneri alterum reddere cum notabili ſuæ ſalutis corporalis detrimento. Quia ordo charitatis petit, ut hæc ſaluti ſpirituali poſtponatur. Præterea: quia Prælatus tamquam obligatus ex officio, & lege juſtitiæ, ad conſulendum ſaluti ſpirituali ovium, tenetur ad id in gravi etiam neceſſitate cum propriæ vitæ diſcrimine. At conjux tenetur ex juſtitia providere conjugis incontinentiæ per actum conjugalem, cùm Matrimonium in concupiſcentiæ remedium ſit inſtitutum, obligentque ſe conjuges per illud juxtà ſuam inſtitutionem. 79. *Quid ſi ſit periculum incontinentiæ?*

Cæterùm (inquit Sanchez) quàmvis exiſtimem licere tunc: at conjugem teneri non approbo. Quia Prælatus ad conſulendum ovibus tenetur omninò ex officio, nec aliud ſibi incumbit ex munere ſibi injuncto. At conjux non ſe obligavit præcisè ad debitum reddendum, ſed ſalvâ incolumitate perſonæ, ſervatoque ordine naturæ, in cujus officium eſt principaliter Matrimonium inſtitutum: qui eſt, ut priùs incolumitati propriæ conſulatur. Atque charitatis ordo poſtulat, de neceſſitate præferri bonum ſpirituale vitæ, ubi eſt extrema neceſſitas in patiente ſpirituale periculum: vel ſi eſt gravis, is, qui ſubvenire debet, eſt Prælatus. Qualis non eſt conjux, nec ea eſt extrema neceſſitas: poteſt enim aliis mediis periculo illi incontinentiæ ſubveniri. Ita Sanchez. *Sanchez aſſerit eſſe licitam, eſt non obligatoriam.*

Quem ſequitur Averſa ſup. §. *Excipi tamen*, adhibitâ aliquâ moderatione. Sic ergò ſcribit: Nullatenùs dici debet conjux requiſitus teneri ad reddendum: quia alter poteſt utique, ſi velit, à peccato abſtinere, & poteſt, poſtquam cecidit, 80. *Averſa ipſum ſequitur cum aliqua moderatione.*

derit, resurgere. Quare non est constitutus in extrema necessitate spirituali : quo casu tenetur quisque præferre spiritualem salutem proximi suæ corporali. Nec etiam regulariter videtur licitè posse, dum alter potest pro sua voluntate sibi subvenire, & aliis quoque spiritualibus remediis adjuvari ; sibi autem præsentaneum mortis periculum immineret. Sed non existente tanto suo periculo, aut apparente maximo periculo spirituali alterius, tunc posset. Sic Aversa.

81. *Consonat Regius, & probat.* Consimiliter loquitur Coninck disp. 34. n. 21. Etsi, inquit, tale periculum sæpè efficiat, ut laudabile sit tunc reddere debitum : non tamen ad hoc obligat cum tanto incommodo ; quia non tenemur vitam exponere pro salute proximi, nisi sit in extrema necessitate, in qua talis non est, cùm in ejus sit potestate, periculum aliâ ratione superare. *Confirmat.* Confirmatur : quia ne pastor quidem (cui tamen singulariter incumbit suorum salutem procurare) tenetur cum vitæ periculo alicujus privati peccatum impedire. Sanchez lib. 9. disp. 24. n. 12. Ita Regius.

Qui consultò dixit : *Sæpè*, ut significaret, quòd non semper tale periculum efficiat, ut laudabile sit, tunc reddere debitum. Potest siquidem fieri, ut petens debitum facillimè possit periculum istud incontinentiæ evitare, & gravissimum incommodum reddenti certò certiùs immineat, ita ut ordo charitatis obliget omninò proprium incommodum evitare.

82. *Expenditur confirmatio.* Quantùm ad confirmationem Regii de Pastore, ubi illam legerit apud Sanchez, nescio, saltem non illo loco quem citat, cùm ibi potiùs oppositum non obscurè significet, distinguens utique inter Prælatum, & conjugem, illi imponens onus succurrendi in gravi etiam necessitate ; hunc autem ab eo onere liberans, ut patet ex ejus verbis, sup. fideliter relatis.

Quæ sit obligatio succurrendi proximo in necessitate. Dico ego : In extrema proximi necessitate spirituali (qualis v. g. est infantis sinè Baptismo morituri ; non tamen adulti morituri sinè Sacramento Pœnitentiæ, etsi difficillima illi credatur esse contritio charitate perfecta) tenetur quilibet ei succurrere, etiam cum certo vitæ periculo, si sit probabilis spes cum juvandi, & mors mea non sit futura causa gravioris mali. In gravi autem necessitate, quando scilicet proximus physicè quidem & moraliter potest salvari, sed valdè difficulter, tenetur quilibet succurrere cum jactura partis fortunarum : si fuerit Pastor, etiam cum jactura vitæ.

83. Quare graviter peccant illi, quibus ex officio incumbit cura animarum, si tempore pestis, aut persecutionis hostilis, deserant ministerium Christi, sinè quo non possunt homines fieri aut vivere Christiani. Quinimò Religiosi in defectu Clericorum sæcularium ex mandato Superioris tenentur inservire pestiferis. Et verò sinè mandato possunt inservire, quàmvis non teneantur. *Bona temporalia non sunt, non semper debent exponi pro spiritualibus.* Igitur bona temporalia, etiam vita ipsa, potest, non semper debet exponi pro bonis spiritualibus, sive propriis, sive alienis. Hæc omnia possem diffusiùs probare, nisi spectarent ad Tractatum de Charitate.

Impræsentiarùm sufficiat ea breviter annotasse, ut clariùs eluceat, quid in casu proposito quisque facere possit aut debeat ; juxtà dictamen charitatis, præsuppositâ lege justitiæ particularis, quâ tenetur ex vi contractûs matrimonii ad debitum persolvendum ; non solùm causâ generationes prolis, quæ sæpiùs impossibilis est, propter sterilitatem, aut aliunde ; sed etiam in remedium concupiscentiæ.

84. *An unus conjux magis debeat præcavere incontinentiam alterius, quàm hominis extranei.* Ego vix dubito, conjuges habere majorem obligationem præcavendi mutuum periculum incontinentiæ, quàm alicujus hominis extranei ; & ideò debere subire majus incommodum in eo præcavendo, saltem ex charitate, quâ in hac vita magis diligendi sunt, cæteris paribus, sanguine propinquiores ; ergo uxor, quæ est una caro cum viro, præ extraneis, nisi particularis obligatio ordinem hunc immutet : status enim vel officium interdum obligant, majorem pro extraneis curam gerere, præsertim extrà necessitatem.

Quantum autem incommodum subire debeant, relinquitur prudentis judicio, omnibus consideratis. Non excusare quodlibet incommodum, etiam ubi nullum est periculum incontinentiæ, Omnes fatentur ; & hinc in Concluſ. dixi : *Cum notabili detrimento.* Sed quod illud ?

85. *Quod hic sit notabile detrimentum excusans, ex Sanchez.* Sanchez sup. n. 3. putat excusari conjugem, febri laborantem. Item si conjux sit vulneratus. Secùs si tantùm doleat capite, aut dente molari absque febri.

Colligit secundò : post prandium nuper desumptum sæpè excusari conjugem à reddendo debito. Quia, inquit, teste Vega de Arte medendi lib. 2. c. 4. qui cibo nuper desumpto coïerit, cruditatem patietur, aut ciborum corruptionem, nisi validus admodum fuerit : & is, si multoties id servaverit, manifestè lædetur. Et Paludanus 4. dist. 32. q. 1. a. 2. n. 8. refert, se à medico quodam didicisse, virum quemdam in pthisim incidisse, quia solitus erat post prandium cognoscere uxorem. Sic ille n. 4. Et n. 5. excusat conjugem in balneis vel statim à balneis. Quia grave, inquit, affert periculũ eo tempore copula.

86. *An immoderata petitio.* Item n. 6. ait, non teneri conjugem alteri, immoderatè ac sæpiùs, quàm par est, petenti, semper reddere. Quia, inquit, notabiliter vires extenuat, salutemque lædit frequentia copulæ. Sed numquid hæc frequentia, aut immoderatus copulæ usus peccatum lethale ? Quippè nec prolis generationi deservit nec incontinentiæ vitandæ necessarius est.

An immoderatus usus peccatum lethale. Negat Sanchez, & per se loquendo. At dicendum est (inquit Sanchez ibi) ex hoc capite nunquam esse lethalem. Quoniam si uxor nondum concepit, tendit ad sobolis generationem, ac proinde licitus est. Si verò concepit, aut refertur ad voluptatem captandam, aut ad fornicationem cavendam ; atque ita vel licitus est, vel ad summum venialis. Posset tamen esse mortalis, si vir advertens notabile suæ saluti detrimentum inde parari, ità frequenter coiret. Sic ille.

87. *Quale sit* Addo ego : etiam posse esse mortalem, si immineat periculum occisionis fœtûs, aut abortûs.

Audite

peccatum copula cum gravida, ex Hiquæo.

Audite Hiquæum sup. n. 23. Qualis sit culpa (inquit ille) usus Matrimonii cum gravida, conjiciendum est ex periculo prolis; Aliqui enim dicunt, esse venialem tantùm: sed hoc non rectè, quia si absit periculum prolis, non videtur adesse culpa; maximè si fiat ex animo licito seu fine; quòd si sit periculum prolis seu abortûs, nequit esse culpa venialis: si enim periculum tantùm sit remotum, cui caveri potest, & de facto caveatur, jam submovetur per cautionem debitam adhibitam, & tunc vacat culpâ: si autem sit proximum, erit lethale, sive sequatur mors, aut abortus prolis, sive non. Resolutio autem hujus dependet ex natura periculi, quam aliis relinquo conjiciendam. Ita præfatus Auctor.

88. *Expenditur ejus doctrina.*

Sed quæro ego: quid si periculum remotum de facto non caveatur, nonne tunc vacat culpâ? Vel si non vacat; nùm culpa lethalis? Patet quòd non; quia solum periculum proximum graviter est prohibitum. Igitur qui dicunt, usum Matrimonii cum gravida esse culpam venialem tantùm, supponunt semper esse periculum remotum, quod non satis caveatur aut caveri possit, atque adeò esse venialiter illicitum, nisi aliunde justa causa excuset, v. g. periculum incontinentiæ; nam & in aliis materiis, sæpè ex causa justa licitè quis se exponit remoto periculo alicujus peccati; sic v. g. Confessarius licitè audit confessionem turpium peccatorum, tametsi interveniat remotum aliquod periculum consensûs; quàmvis peccaret venialiter, si extrà confessionem talibus sermonibus intenderet sinè ulla necessitate.

Nullum est peccatum, intervenientе justâ causâ.

Ergò similiter in casu nostro, estò concubitus cum gravida, sinè aliqua necessitate, foret peccatum veniale, propter remotum periculum prolis; haud equidem, quando urgeret aliqua necessitas, putà si maritus minaretur mortem, non dubito, quin uxor gravida tunc excusaretur ab omni peccato; estò etiam foret periculùm proximum occisionis fœtûs, vel abortûs; cùm enim copula illa per se non sit occisiva fœtus, ut suppono, non apparet, quòd cum certa morte propria deberet eam recusare, ubi & ipsa proles cum matre foret occidenda, ut natum est communiter fieri. Et sanè ad salvandum vitam matris ægrotantis, licèt, secundùm Omnes, sumere pharmacum directè sanativum, quàmvis sequatur ut plurimùm, sed indirectè abortus etiam fœtûs animati, quando alioqui fœtus cum matre extinguendus foret.

89. *An periculum incontinentiæ, sit talis causa, dum mors fœtûs est moraliter certa.*

Sed nunquid etiam tali casu, quando scilicet mors fœtûs moraliter certa est, licèt petere aut reddere debitum ad vitandam incontinentiam in se vel in conjuge? Manifestum est quòd non; cùm incontinentia multis aliis remediis possit evitari, adeoque nulla hìc sit justa necessitas, vel solùm indirectè procurandi abortum; præsertim quando fœtus foret animatus; cùm etiam tunc ad salvandam vitam ejus, maximè spiritualem, vita corporalis foret exponenda periculo; cùm hìc sit extrema necessitas.

Majus de-

Igitur ad evitandam incontinentiam, non tenentur conjuges reddere debitum, cùm notabili detrimento incolumitatis propriæ, vel periculo vitæ fœtûs: tametsi alioqui non omne detrimentum excuset, etiam dum nullum est periculum incontinentiæ, & majus requiratur, dum est periculum incontinentiæ. Nam Matrimonium institutum fuit etiam in remedium concupiscentiæ; & ideò conjuges habent jus, ut eo utantur in dictum finem, secùs causâ libidinis explendæ. Si ergò cum aliquo detrimento debeat reddi debitum (ut plures volunt) dum illud petitur causâ solius voluptatis, videtur cum majori detrimento reddi debere, dum petitur in remedium concupiscentiæ, seu ad vitandâ incontinentiam. Ita ego sentio, salvo meliori.

trimentum requiritur, dum est periculum incontinentiæ.

Si autem à me quæritur; an ergò nullo casu reddi debeat cum præsentaneo mortis periculo? Excipi solet casus (inquit Aversa sup. §. *Excipi*) quo talis copula esset necessaria ad conservationem universi, vel ad pacem alicujus regni: quia bonum commune debet præferri bono privato. Sed hic casus potiùs metaphysicè fingitur, quàm moraliter occurrere possit: quia licèt ad pacem regni esset necessaria proles ex tali stirpe, non tamen esset speranda soboles ex conjugibus sic affectis. Hæc ille.

90. *An nullo casu obliget debitum cum præsentaneo mortis periculo.* Aversa.

Interim, si casus occurreret, in quo bonum commune extremè periclitaretur, procul dubiò copula foret debita; eo semper salvo, ut per eam bono communi extremè periclitanti certò subveniretur, & majoris, aut saltem æqualis foret momenti, ac vita corporalis. quæ similiter extremè periclitatur. Rario patet: quia bonum commune non solùm potest, sed debet præferri bono privato in pari causa, ut Omnes fatentur.

Appositè Hiquæus sup. n. 22. Excipiunt aliqui casum, in quo salus Reipublicæ dependeret ab illa copula; quo casu necessitatis contemni deberet propria vita: quia licèt præceptum vitæ conservandæ obliget, non tamen in omni casu, & quibuscumque mediis, instat talis obligatio.

Hinc infertur: etiam periculum hoc debere esse proximum, & ex natura actûs: unde si sit periculum remotum, v. g. in quibusdam, quæ in partu ordinariè periclitantur, non censerem tale periculum tollere jus debiti: quia remotum est, & ex fine Matrimonii & prolis oritur: aliàs nunquam talibus liceret copulari; nec Matrimonium ipsorum esset in officium naturæ, aut remedium incontinentiæ; tum etiam; quia periculum non oritur proximè ex copula, sed per accidens ex prole, si sequatur, quæ semper non sequitur. Casus autem particulares, in quibus periculum illud imminet ex natura actûs conjugalis, magis spectat ad medicos decernere. Hactenùs præfatus Auctor,

91. *Quod si salus Reip. dependeret ab ea copula ex Hiquæo.*

Et verò Medici, nonne decernunt periculum fore proximum infectionis, dum sanus copulatur leproso? Si affirmas: quæro, an ergò copula illa non sit debita? Responsio patebit ex dicendis Conclusione sequenti, quæ talis est.

CONCLUSIO IV.

Conjux sanus tenetur reddere leproso, etiam cum periculo infectionis, si scienter cum eo contraxit, aliàs non.

92. *Lepra supervenies non dissolvit Matr.*

SAtis constat lepram supervenientem non dissolvere Matrimonium anteà legitimè contractum, neque impedire contrahendum, estò tribuat jus sponso sano dissolvendi sponsalia, ut patet ex juribus mox allegandis. Disputatur autem, an impediat & dissolvat effectum Matrimonii seu usum.

An liberet à reddendo debito. Probatur quòd non, ex c. 1. de Conjug. leprof.

Quòd non, videtur probari ex jure Canonico tit. de Conjugio leprosorum c. 1. quod est Alex. III. & ita sonat: *Pervenit ad nos, quod cùm hi, qui lepræ morbum incurrunt, de consuetudine generali à communione hominum separentur, nec uxores viros, nec viri uxores taliter ægorantes, sequuntur. Quoniam igitur cùm vir & uxor una caro sint, non debet alter sinè altero esse diutiùs. Mandamus, quatenùs ut uxoris viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur, & eis conjugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere non postponas. Si verò ad hoc induci non poterunt, eis arctiùs injungas, ut uterque altero vivente continentiam servet. Quòd si mandatum tuum servare contempserint, vinculo excommunicationis astringas.*

93. Ubi Gloss. verb. *Ministrent*, interrogat: *Nunquid in eodem lecto & domo morari debent?* Respondet: *Non debent ad lectum continuè compelli; sed sufficit leproso, quòd suo debito non fraudetur. Sed quare non compelluntur præcisè, 33. q. 5. c. 2. Respondeo: fortè ideò, ne leprosi nimis improbi efficiantur in exactione sui juris: tamen si sani omninò recusarent, bene compellerentur, sed primò exhortandi sunt, ut hic dicit, ut in fine patet, & inf. cap. proximo in fine.*

Item ex cap. 2. cod.

Hæc sunt verba cap. proximi: *Quoniam nemini licet (exceptâ causâ fornicationis) uxorem dimittere; constat, quòd sive mulier leprâ percussa fuerit, sive aliâ gravi infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda, vel etiam dimittenda. Leprosi autem, si continere nolunt, & aliquam quæ sibi nubere velit invenerint, liberum est eis ad Matrimonium convolare. Quòd si virum, sive uxorem, leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur est solvendum: cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.*

94. *Objectio.*

Et verò quod illud præceptum generale Apostoli? Non aliud prorsùs, quàm quod habetur 1. Cor. 7. v. 3. *Vxori vir debitum reddat; similiter autem & uxor viro.* A quo si nulla in hoc casu invenitur exceptio, ut ait Pontifex Alex. III. ergò conjux sanus tenetur reddere debitum leproso, etiam cum periculo infectionis, tametsi ignoranter cum eo contraxerit, quod est contrà præsentem Conclusionem. Imò & opponitur Conclusioni præcedenti; cùm lepra sit notabile detrimentum propriæ incolumitatis, quin & prolis quæ nascitur leprosa.

Respondetur: nulla datur exceptio in hoc casu, qualis datur in casu fornicationis, quem ibi Pontifex excipit, ut patet ex verbis sup. relatis: nam propter fornicationem, secluso alio quocumque detrimento extrinseco, sive in bonis corporis, sive in fama, aut bonis fortunæ, potest conjux dimitti, & debitum ei negari. Non sic propter supervenientem lepram, sed insuper requiritur periculum imminens infectionis, & id sufficit ad negandum debitum & etiam cohabitationem. *Solvitur.*

Hæc est doctrina Doct. Seraph. Doct. Angelici & Doct. Subtilis. Primus scilicet D. Bonavent. 4. dist. 32. a. 2. q. 1. in corp. *Dicendum*, inquit, *quòd quamvis lepra solvat sponsalia, tamen non potest solvere Matrimonium; & ideo cùm aliquis efficitur leprosus, & conjux est, & leprosus; & quia conjux est, habet jus petendi debitum, & reddendi; quia verò leprosus, debet extrà sanos habitare; ita dico, quòd muliere petente debitum, potest solvere, sed tamen non habet necessè cohabitare omninò. Vnde quod dicitur, quòd viri uxores sequantur & ministrent, dicitur per modum admonitionis, non præcepti: nec cogi potest sanus ad aliud, quam ut reddat debitum infirmo, & hoc propter periculum fornicationis.* 95. *Periculum infectionis excusat à cohabitatione, juxtà D. Bonav.*

Ubi videtur negare obligationem reddendi extrà periculum fornicationis. Secundò explicat præfata jura de consilio, non de præcepto. Sed quamvis caput 1. sic posset intelligi, propter hæc verba: *Sollicitis exhortationibus inducere non postponas*; equidem verba cap. 2. plus videntur importare, ibi: *Generali præcepto Apostoli* &c. Cumque illud præceptum obliget, etiam dum non est periculum fornicationis; arbitror, tali quoque casu sanum posse cogi ad reddendum debitum, nisi aliquid aliud obstet.

Hinc D. Thomas eâd. dist. q. un. art. 1. nullâ factâ mentione hujusmodi periculi, ait. *Ad quartum dicendum, quòd lepra solvit sponsalia, sed non Matrimonium. Vnde uxor etiam viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare; quia non ita citò inficitur ex coïtu, sicut ex frequenti cohabitatione; & quamvis proles generaretur infirma: tamen melius ei sic esse, quam penitùs non esse.* 96. *Idem docet D. Thomas.*

Quod ultimum etiam D. Bonav. sup. notat, dicens: *Ad illud quod objicitur de prole, dicendum, quòd secùs est de menstruatis & leprosis. Nam menstruatæ alio tempore possunt bonam prolem procreare, sed leprosi non possunt. Nec omninò faciunt contrà bonum prolis: quia, quantùm in se est, libenter generarent sanum; attamen proli generatæ melius est sic esse, quam omninò non esse.*

His consonat Doct. Subtilis Scotus sup. n. 6. *Si objicitur (inquit) ergo leprosa non debet sanus reddere debitum; quia & est contrà bonum prolis, quæ nascitur leprosa, & contrà incolumitatem propriam, quia posset ex tali actu incurrere lepram; cujus tamen oppositum habetur extrà de Conjug. leprof. cap 1, ubi habetur, Mandamus ut uxores viros &c.* 97. *Periculum infectionis prolis non excusat à debito, ex Scoto,*

& 5. ſequenti: Si virum vel uxorem &c.

Reſpondeo: quòd licèt conjugi leproſæ, conjux ſanus vel leproſus debeat reddere debitum ſecundùm iſta capita, tamen non ſequitur, quòd tempore menſtruorum: quia ibi non eſt contrà bonum prolis, quòd procreetur leproſa: imò magis eſt contrà bonum prolis, quòd nunquam procreetur de iſta matre, ſi propter lepram vitetur: hæc autem etſi non procreabitur tempore menſtruorum, procreabitur tamen poſteà tempore competenti: & tunc ſana, nunc autem leproſa.

98. *Periculum propriæ infectionis excuſat à diuturna cohabitatione, ex eod.*

Si autem objicias de periculo lepræ in ſano reddente; poſſet dici, quòd in illa conjunctione non eſt probabile, lepram incurri; ſed diuturna cohabitatio non præcipitur, quia ex illa poteſt ſanus infici ab infirmo. Eſtò etiam, quòd timeretur ex tali conjunctione infectio lepræ in ſano reddente, ſaltem ex frequenti, quoties leproſa peteret. Dico, quòd ad talem pœnam ſe obligavit in contractu Matrimonii. Vnde & alicubi Sacerdotes expreſsè ad oſtium Eccleſiæ exprimunt illud.

Si diuturna cohabitatio non præcipitur, juxtà Scotum, quia ex illa poteſt ſanus infici ab infirmo; idem ſinè dubio diceret de copula, ſi judicio Medicorum ex ea periculum redundaret. Ecce prima ſolutio objectionis.

99. *Intellige, niſi ſciens contraxerit.*

Altera eſt: Matrimonium inducere hanc obligationem, ac proinde eſſe onus ipſius contractûs: unde Presbyteri in aliquibus locis antè fores Eccleſiæ id exponunt. Scio (inquit Hiquæus ſup. n. 30.) in Hibernia id in uſu fuiſſe, ut non ſolum conjuges admonerentur hujus obligationis, ſed prætereà tranſiret in formam contractûs, quæ fuit talis: *Accipio te in meum, & te in meam cum omnibus conditionibus ſanitatis & infirmitatis.*

100. *Duplex caſus, in quo non excuſat, ex Hiquæo.*

Caſus ergò poteſt intelligi, vel ut lepra præceſſerit Matrimonium, & ſciatur à ſano; vel etiam, ut tranſit onus hoc explicitum in ipſam formam contractûs, in caſu quo eveniret; vel tertiò, ut contractui tamquam inter ſanos celebrato, non prævisa infirmitas ſequeretur. In utroque caſu priori tenetur conjux ſanus reddere debitum; quia vitium rei patefactum cognovit, & ei per conſenſum liberum & abſolutum adhæſit, permutans corpus ſanum pro leproſo.

Et idem dicendum in ſecundo caſu, quando ſpecificatur conditio in forma contractûs, quæ æquè utrumque afficit, & quiſque ſe etiam jure ſuo ſpoliat in eventu quo accideret: nam licèt in aliis infirmitatibus, quæ proximè tendunt ad mortem, & parvo tempore durant, fortè non liceret talis contractus, contrà juris Divini vinculum fortius obligans ad vitæ conſervationem: tamen in lepra & aliis diuturnis, ex quibus periculum evidens aut probabile vitæ non incurritur, hoc onus etiam in contractum & ejus formam tranſire poteſt; aliàs certè non liceret ſano Matrimonium contrahere cum leproſa, quam talem cognoſcit, niſi juri ſuo cederet. Sic ille. Et meritò.

101. *Poteſt quis licitè contrahere cum leproſa cognita.*

Enimverò ſanum poſſe contrahere cum leproſa, & per conſequens licitè cedere jure ſuo, obligando ſe per hujuſmodi contractum ſcienter initum ad reddendum debitum, non obſtante periculo infectionis, ſatis evidenter colligitur ex cap. 2. de Conjug. leproſ. ibi: *Leproſi autem, ſi continere nolunt, & aliquam, quæ ſibi nubere velit, invenerint, liberum eſt eis ad Matrimonium convolare.*

Igitur illa, quæ leproſo nubere vult, & nubit, tenetur reddere; ideò enim leproſus nubit, quia non vult continere. Vel ergò ſupponitur, non eſſe periculum infectionis; aut certè debere reddere, etiam cum hujuſmodi periculo.

102. *Tenetur reddere debitum cum periculo infectionis. Sanchez.*

Quæ eſt communis doctrina, eamque ſequitur Sanchez l. 9. diſp. 24. n. 22. dicens; Quidam caſus excipiendus eſt, in quo, quamvis probabile ſit infectionis periculum, tenetur ſanus leproſo debitum reddere: is autem eſt quando lepra Matrimonium præceſſit, nec ab altero conjuge ignorata fuit. Qui ſciens & prudens ad id per Matrimonii contractum ſe aſtrinxit. Atque in cæteris etiam contractibus idem contingit; vitium enim rei ſi detegatur, non minùs obligat, quam ſi vitio careret.

103. *Etiam ubi non tenetur, poteſt reddere, ex Sanchez. Probatio.*

Et n. 23. Quàmvis (inquit) ſanus conjux non teneatur leproſo debitum reddere cum periculo notabilis infectionis: at ſi non curans de propria infectione ex contagione lepræ aut morbi Gallici, utatur Matrimonio, cohabitetque cum illo, opus meritorium exercet, ſi ex amore Matrimonii id efficiat. Quia in morbis diuturnis & quaſi habitualibus, nec ad mortem tendentibus, præponderat conjugalis amor, & vitatio periculi incontinentiæ in utroque, aut ſaltem in altero conjuge, ferè ſemper contingens illi infectionis periculo. Secùs eſt in morbis communibus, non ita diuturnis, ad mortemque tendentibus. Debet enim (inquit ille) mutuus amor, vitaque conjugalis conſervari, atque periculum illud caveri, dilatâ copulâ brevi tempore, donec ſalus priſtina conjugi reſtituatur: vel ſi tempus opportunum copulæ, nec nocens expectetur. Sic ille.

Itaque nimis durum videtur, obligare hominem ad conſervandam propriam ſanitatem cum perpetua abſtinentia à copula; ſecùs ad tempus ſolùm, quo tranſacto poſſit ſinè incommodo debitum reddere.

104. *Quid ſi lepra non fuerit prævisa, neque deducta in pactum. Hiquæus.*

Sed nunquid, interrogat quiſpiam, quia homo poteſt cedere jure ſuo, quod habet ad conſervandam propriam ſanitatem, ideò per nudum contractum Matrimonii cenſetur cedere aut ceſſiſſe in caſu propoſito; quando ſcilicet nec prævidetur lepra, neque deducta fuit in pactum? Major hìc eſt difficultas (inquit Hiquæus ſup. n. 31.) Doctor loquitur abſolutè: Dico, quòd ad talem pœnam ſe obligavit in contractu Matrimonii &c. Quod & tenet Baſſolis q. un. a. 3. Guliel. Vorillon. q. un. a. 2.

Probatur obligatio reddendi ex c. 2. de Conjug. leproſ.

Hæc ſententia ſatis patet ex textu c. 2. de Conjug. leproſ. Loquimur autem in caſu Matrimonii conſummati, aut etiam rati, quando conjux ſana non ingrederetur Religionem, aut leproſa ſuo juri non cederet. Dicit autem textus: *Quoniam nemini licèt* &c. Vide ſup. Quàmvis autem hæc verba ad cohabitationem referri com-

commodè possint: tamen faciunt ad propositum: quia minus periculum est infectionis in redditione debiti, quàm in cohabitatione: ergò si hæc nequit subtrahi ex causa lepræ, aut alterius morbi contagiosi, sinè periculo mortis incurrendæ; neque etiam subtrahi potest debitum, & perinde Matrimonium ad utrumque obligat.

Idemque dicendum foret de cohabitatione, ex Hiquæo.

205. *Secunda probatio.* Deinde: fortiùs obligat Matrimonii debitum, quàm periculum infirmitatis, quæ ad mortem non ducit, qualis est lepra, nisi sit horribilis cum defluxione membrorum: ergò hoc periculum non obligat. Antecedens patet; quia licet Matrimonium sit institutum in officium naturæ, & non ut illam destruat; tamen usus Matrimonii tunc destruit, quando aliàs morbus de se inducit periculum mortis.

Tertia. Præterea: illud non tollit redditionem justam debiti, quod non obligat ad aliud ex præcepto strictiori, contrà quod fieret peccatum, cum transgressione ejus, reddendo debitum; sed potest sanus, si velit, contemnere periculum contagionis, reddendo debitum ex fine Matrimonii, & sinè ullo peccato, ut docent Plures; ergò periculum hoc, quod non est mortis, sed infectionis, non tollit debitum usum Matrimonii.

106. *Lepra non inhabilitat ad Matr. neque ad finem ejus,* Subsumptum patet; aliàs sanus, sciens lepram alterius, non posset contrahere cum ipsa Matrimonium licitè, non habens intentionem ingrediendi Religionem, aut non ingrediens post ratum: quod nullus dicit: lepra enim non inhabilitat ad Matrimonium, neque ad finem ejus, sive ut tendit ad prolem, sive etiam, ut est remedium concupiscentiæ: qui autem contrahit absque animo volendi Religionem, contrahit in ordine ad utrumque finem ex natura ipsius contractûs, qui obligationem hanc inducit ad debitum: ergò citrà culpam innocentis, quando cessat ingressus Religionis, nequit contrahens esse liber à debito, non occurrente præcepto fortiori, quod nullum est in proposito: ac proinde potest uti jure suo in ordine ad utrumque finem; ideoque hìc currit obligatio præcepti affirmativi, quod incurritur, quando actus est circumstantionatus; est autem circumstantionatus perfectè, quando alter non cedit jure suo, neque illud amittit ex propria culpa, aut ex ordinatione legis Superioris, neque occurrente præcepto fortiùs ligante, ut quando intervenit periculum infirmitatis inducentis ad mortem, aut periculum prolis, ac propterea refertur actus ipse in finem, quem lege fortitur, nempè bonum prolis, & remedium concupiscentiæ: quàmvis enim infirmitas non diuturna hìc & nunc pro aliquo tempore excusaret alterum à debito pro brevi tempore, donec cessaret periculum, quia in hoc non facit injuriam notabilem conjugi; tamen infirmitas diuturna, & quæ mortem non accelerat, non excusat à debito. Unde hæc sententia, etiam ex rationibus præmissis, satis videtur probabilis, & eam Doctor probabilem reddit, quàmvis priorem etiam sequatur. Hucusque Hiquæus.

Hæc sententia est probabilis.

107. Et statim subjungit: Tenendo etiam hanc sententiam, idem dicendum erit de cohabitatione; quàmvis DD. pro prima sententia Doctoris allegati teneant idem, quod Doctor juxtà illam asserit; nempè non obligari sanum ad cohabitationem, quæ est D. Thom. D. Bonav. & plurium aliorum, & frequentior; asserendo tamen, non obstante periculo infectionis, conjugem sanum ad debitum ex vi ipsius contractûs obligari, idem dicendum esset quoad cohabitationem, scilicet teneri, ut Canones citati magis exprimunt. Sic ille.

Auctor approbat. Meo judicio satis bene: nam, juxtà communem sententiam, ex contractu Matrimoniali non tantùm oritur jus justitiæ ad copulam, sed etiam ad cohabitationem, & alia, quæ necessaria sunt ad congruam prolis generationem & educationem, ut infrà suo loco videbimus; si ergò infectio lepræ non excusat debitum, neque excusabit cohabitationem in eisdem circumstantiis.

108. *Resp. ad arg. secundæ sententiæ.* Interim responderi potest ad argumentum secundæ sententiæ; in aliis contractibus frequenter aliquid esse licitum, quod tamen non sit debitum: v.g. ex contractu emptionis tenetur emptor solvere pretium; si tamen nequeat id facere absque dimissione statûs sui, excusatur; tametsi posset pati illam dimissionem sinè omni peccato. Quia cùm illa dimissio non fuerit prævisa, ut suppono, neque ipse suâ culpâ se reddiderit impotentem aliter solvendi, non censetur se voluisse obligare ad solutionem cum tanto sui detrimento; quàmvis alioquì, si voluisset, potuisset se obligare. Ergò similiter in nostro casu, estò sanus se potuisset obligare ad reddendum debitum cum periculo infectionis; equidem non censetur se obligasse, nisi dum sciens cum leproso contraxit, aut à Sacerdotibus vel ab ipsis conjugibus id fuit in contractu expressum.

109. *Explicatur cap. 18. 32. q. 5.* Et secundùm jam dicta explicari debet, quod ex D. Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 32. refertur 32. q. 5. c. 18. *Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis & doloribus, languoribusque confectam, & quidquid (exceptâ fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat.*

Ubi Gloss. verb. *Horribile*, inquit: *Arg. pro leprosis, quòd non debent dimitti, ut ext. de Conjug. leprof. c. 1. Vnde & Hugo dicit, quòd debet maritum sequi mulier, & pro Hugone est arg. 13. q. 2.* Unaquæque *& ext. eod.* Quoniam. *Quod autem dicitur ext. eod. c. 1. quòd non cogitur sequi, potest intelligi in eo casu, quando reliquus hoc non petit: nam si peteret, bene teneretur sequi, ut ext. eod. tit.* Quoniam. *Vel dic, quòd illud non tenet, quod ibi dicitur; quia est contra præceptum Domini.*

Sed pone, quòd vir vult retinere apud se uxorem leprosam, nunquid potest? Videtur quòd sic; quia uxor tenetur virum sequi, sed non è converso, ut 13. q. 2. Vnaquaque. *E contrà videtur, quòd vicini non tenentur pati illam esse inter eos, quia de jure debet removeri ab aliis, ut sup. dist. 6,* Testamentum,

tum, & 33. q. 1. *Hoc ipſum & ext. de Eccleſ. ædif. c. 2. Et etiam de conſuetudine, ut ext. eod.* Quoniam. *Ego credo, quòd alter reliquum debeat taliter ſequi, ut quandoque veniat ad ipſum, & quàm citò ſolverit debitum, recedat, arg. 54. diſt.* Si Servus, *in fine.*

110. *Maior eſt obligatio reddendi debitum leproſo, quàm cohabitandi, ex Sanchez.*

Et ego idem credo. Ratio patet ex dictis; ſcilicet, quòd in illa ſolutione non ſit probabile periculum infectionis; ſecùs in continua cohabitatione. Et ideò (ut bene notat Sanchez ſup. n. 30.) ubi ſanus non tenetur cum leproſo in eadem domo habitare, tenetur propè illam eſſe, tum ut tempore ſuo reddat debitum, tum ad alia obſequia, in quibus nullum eſt periculum, leproſo exhibenda; ab his quippè nullatenùs abſolvitur, ſicut bene abſolvitur ex cauſa fornicationis. Et ſic intelligi poteſt Aug. ſup. *Quidquid, exceptâ fornicatione, cogitari poteſt vehementer horribile, pro fide & ſocietate ſuſtineat*; ea, inquam, omnia, in quibus non eſt periculum propriæ incolumitatis, quæ tamen in caſu fornicationis minimè ſuſtinenda ſunt.

111. *Solus horror abſque periculo aliquando excuſat, ex eod.*

Imò ſolum horrorem abſque periculo infectionis quandoque excuſare à redditione debiti, docet Sanchez ſup. n. 21. Equidem, ſi tantus ſit horror, ut nequidem phyſicè poſſit habere copulam, proculdubiò excuſatur; quia, ut habet Reg. 6. de Reg. juris in 6. *Nemo poteſt ad impoßibile obligari.* Et l. 185. ff. eod. dicit: *Impoßibilium nulla eſt obligatio.*

Quantus debeat eſſe iſte horror, ex eod.

Sed quid ſi poſſit phyſicè copulari. Aliqui apud Sanchez ſup. exiſtimant, debere eſſe horrorem ingentiſſimum; ut ſi lepra eſſet leonina, ita ut membra computreſcerent & decidrentur. Ego verò (inquit Sanchez) non ita rigidè cum conjugibus agendum exiſtimo; ſunt enim plerique ita ad nauſeam propenſi, ut ad inſtar mortis ab acceſſu ad conjugem leproſum abhorrerent, cogereque illos ad copulam, eſſet difficillimum, ne moraliter impoſſibile dixerim; nec id ex eorum culpa, ſed ex naturæ inditâ complexione proficiſcitur. Quare licèt cenſeam, horrorem ſolum communiter ac regulariter non excuſare, contrarium tamen de hujuſmodi horrore judico. Quod ſignificare videtur Card. c. 1. n. 3. de Conjug. leproſ. ubi ait, non compelli conjugem ad debitum reddendum, quando ob lepram nimius horror inſurgit. Hæc ille.

Card.

112. *Facilius excuſatur vir ſanus à reddendo debito leproſæ, quàm mulier ſana à reddendo viro leproſo, ex eod.*

Et idem eſt judicium de horrore ac periculo infectionis, proveniente ex morbo gallico, vel alio ſimili contagioſo. Porrò quando adſit tantus horror, arbitrio ipſius conjugis decidendum erit; at verò periculum infectionis relinquitur conſilio Medicorum, qui cenſent unanimiter, minùs imminere infectionem fœminæ ex congreſſu viri, quàm viro ex congreſſu fœminæ. Rationem vide apud Sanchez ſup. n. 19. Atque adeò faciliùs excuſatur vir à reddendo debito uxori leproſæ, quàm mulier à reddendo debito viro leproſo.

Oſtenditur, id non eſſe inconveniens.

Nec inconveniens reputatur (inquit Sanchez) dari imparitatem in hoc eventu, cùm conſtet, pares eſſe conjuges quoad debitum conjugale: quoniam ea diſparitas non ex Matrimonii contractu, ſed ex cauſa extrinſeca, nimirum ex periculi inæqualitate, proficiſcitur. Sicut conjux innocens non tenetur adultero reddere; adulter verò tenetur innocenti, oriturque diſparitas hæc ex cauſa Matrimonio extrinſeca, nempè ex adulterio. Hæc ille.

Qui ibidem n. 20. notat; magnum infectionis periculum imminere viro, ſi ad uxorem à leproſo cognitam accedat, Quare, inquit, ſeclusâ ratione adulterii, & quamvis ob illud nefas ſit viro, debitum negare in aliquibus eventibus, ut ſi ipſe adulter quòque ſit: at ſæpè fas erit ratione periculi infectionis. Ita Sanchez.

113. *An ſit eadem ratio infectionis propriæ, & prolis,*

Cæterùm quæ infectionis propriæ, eadem videtur ratio infectionis prolis, quando alioquì naſceretur ſana, ut bene advertit Doct. Subtilis ſup. n. 5. ibi: *Conſimiliter majori præcepto tenetur* (conjux) *non agere* (id eſt, non reddere debitum) *unde proles naſcatur leproſa, quæ poſſet aliàs procreari ſana, quàm pro nunc ſatisfacere voluptati mulieris, pro quando ut in pluribus puer naſcitur leproſus.*

Ex quo infert Scotus ibi: *Vnde non ſinè cauſa in lege Moſaica accedens ad mulierem menſtruatam debuit mori: nec mors infligebatur ibi, niſi pro peccato mortali & gravi: nec eſt probabile, quòd in lege Evangelica, quæ eſt lex caſtitatis, ſit minùs prohibitum ad menſtruatam accedere.* Sic ille. Nihilominùs dico ego eritque

CONCLUSIO V.

Menſtrua non reddunt copulam ſemper illicitam. Vtì nèc imprægnatio, vel lactatio.

114. *Prima pars videtur eſſe contra Scotum.*

PRima pars hujus Concluſ. videri poſſet contra Scotum loco jamjam citato; ex eo quippè adducitur pro ſententia dicente, culpam eſſe lethalem eo tempore debitum petere. Hanc opinionem (inquit Caſtro de Lege pœnali lib. 1. cap. fin.) tenent S. Tho. & S. Bonavent. & Alex. de Ales, & Doct. Subtilis Scotus.

Itemque D. Thomam.

Inter quos S. Tho. 4. diſt. 32. q. un. a. 2. quæſtiunc. 2. in corp. ſic ait: *Dicendum, quod accedere ad menſtruatam, in lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex hujuſmodi commiſtione frequenter ſequebatur. Et quoad primum, præceptum erat ceremoniale; ſed quantùm ad ſecundum, erat morale, quia cùm Matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus eſt omnis Matrimonii uſus, quo bonum prolis impenditur; & ideò hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter ſecundam rationem, etſi non propter primam.*

115.

Fluxus tamen menſtruorum poteſt eſſe naturalis & innaturalis. Naturalis quidem, quando ſcilicet

Fluxus menstruorum alius naturalis, alius innaturalis. hìc non prohibet, secùs iste.

licet mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando sunt sanæ. Innaturalis autem, quando inordinatè & quasi continuè ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur. In fluxu ergò menstruorum innaturali, non est prohibitum ad mulierem menstruatam accedere in lege nova; tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest; tum, quia talis status est perpetuus & diuturnus: unde oporteret, quòd vir perpetuò abstineret. Sed quando naturaliter mulier patitur fluxus menstruorum, potest concipere, & iterùm talis fluxus non durat, nisi ad modicum tempus; unde prohibitum est, ad talem accedere, & similiter prohibitum est mulieri, in tali fluxu debitum petere. Hactenùs Doct. Angel.

An sub mortali.

Ubi non determinat, an sit peccatum mortale, vel solùm veniale. Cùm enim ratio prohibitionis, quæ erat in veteri lege, hodie cessaverit, posset dici, etiam gravitatem præcepti cessasse. Unde nec hodie punitur pœnâ mortis, quæ erat constituta in lege veteri Levit. 20. v. 18. *Qui còierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.*

116. *Videtur, quòd hodie non ita obligat.*

Ex qua pœna Doct. Subtilis sup. colligit gravitatem transgressionis illius præcepti, id est, malitiam mortalem. Jam autem certum est, hodie cessasse illam pœnam, quæ tunc infligebatur pro transgressione duplicis quasi præcepti naturalis & ceremonialis. Unde non satis video, qualiter ex ista pœna mortis colligi queat, nunc esse peccatum mortale: aut quomodo dici possit, quòd non sit probabile in lege Evangelica esse minùs prohibitum, ad menstruatam accedere, nisi intelligas prohibitionem naturalem. Nam omnia præcepta ceremonialia & judicialia veteris legis extincta sunt per legem novam; adeoque in ea non obligant, nisi de novo resumantur. Ex nullo autem jure constat, hoc præceptum ceremoniale ab Ecclesia resumptum fuisse. Oportet ergò probare, dictum præceptum, in quantùm naturale, obligasse sub pœna mortis, ut exinde inferamus, ejus transgressionem hodie esse mortalem.

117. *An menstruata, à qua petitur debitum, debeat reddere. Negant Aliqui.*

Præterea D. Tho. sup. solùm loquitur de petitione debiti; porrò quæstiunc. 3. in qua agit de redditione, satis insinuat, eam esse licitam: *Ad tertiam,* inquit, *quæstionem dicendum, quòd circà hoc dixerunt. Quidam, quod mulier menstruata, sicut non debet petere debitum, ita nec reddere. Sicut enim non tenetur reddere, si haberet infirmitatem in propria persona, ex qua periculum ei immineret, ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis.*

Sententia Doct. Angelici.

Sed ista opinio videtur derogare Matrimonio, per quod datur omnimoda potestas viro in corpus mulieris, quantùm ad matrimonialem actum. Nec est simile de infirmitate corporis prolis, & periculo proprii corporis: quia si mulier infirmatur, certissimum est, quòd ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum est de prole, quæ fortè nulla sequetur. Et ideò Alii dicunt, quòd mulieri menstruatæ nunquam licèt petere debitum. Si tamen vir ejus petat; aut petit scienter, & tunc debet eum avertere precibus & monitis; tamen non ita efficaciter, ut posit ei esse occasio in alias damnabiles corruptelas, si ad id pronus credatur: aut ignoranter, & mulier potest aliquam occasionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, nisi periculum viro timeatur: tamen finaliter, si vir non desistat à petitione, debet debitum reddere poscenti: passionem verò suam non est tutum indicare, ne fortè vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, nisi de viri prudentia præsumatur. Hucusque Doct. Ang.

118. *Quid de hac re sentiat Doct. Seraph. Primus modus dicendi.*

Sed quæro ego: quid si certissimum foret, quòd sequeretur proles, idque leprosa; numquid tunc simile foret de infirmitate corporis prolis, & periculo proprii corporis? Audite Doct. Seraph. eâd. dist. a. 3. q. 1. in corp. *Dicendum, quòd Aliqui voluerunt dicere, quòd omni tempore, sive menstruorum, sive alio, debet debitum reddi, sed non debet peti. Et dicunt, quòd ratio hujus est; quia petere est agere, sed reddere quodammodò pati; & primum est libertatis, secundum verò necessitatis est. Unde & Dominus non præcepit mulieri non reddere, sed homini accedere; ac per hoc non eximit mulierem à tentione, sed vir obligatu, ut hoc non possit petere sinè transgressione: & hoc videtur Magister dicere in litera, cùm dicit:* Et licèt omni tempore debitum sit petenti solvendum, non tamen licèt omni tempore petere.

119. *Rejicitur.*

Sed illud non videtur consonare, nec rationi, nec auctoritati. Primùm, non auctoritati, quia est contra bonum prolis, sicut dicit Hieronymus super illud Isaiæ 64. Omnes justitiæ vestræ sicut pannus menstruatæ &c, *Dicit enim:* Tunc concipiuntur membris depravati, cæci, claudi, leprosi, ut quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, patenter eorum peccatum & apertè redarguatur in parvulis.

Item Aug. super Levit. Ad Mulierem *&c.* Necessariò interim utrique continentia indicitur. *Et iterùm:* Cùm sufficienter prohibuisset, hoc etiam repetit, ne fortè in superioribus videretur figurativè dictum. *Et iterùm: Vterque præcipitur interfici Levit.* 20. *sicut ibi patet; ergo uterque mortaliter peccat. Et iterùm: Esto quòd mulier menstruosa tunc temporis debitum petat à viro, & hoc constet viro, durum videtur dicere, quod jus teneatur sibi reddere in prolis præjudicium: si ergo ad paria judicantur, & dominium non habet alter in alterum contrà divinum statutum, non videtur, quòd reddere teneatur.*

120. *Secundus modus.*

Et ideò Aliqui voluerunt dicere; quod non debet reddere, nisi præsumat de viro, quòd incidet in fornicationem; quia si præsumit, debet occurrere majori periculo; nec reddit gladium ad interficiendum, sed potiùs ad sonandum. Sed nec istud sufficit: quia aut mulier tenetur, aut non tenetur. Si tenetur, ergò absque præsumptione pericu-

Non sufficit.

li

riculi debet reddere. Si non tenetur ut tunc, hoc non eſt contrà divinum mandatum : ergò quantumcumq; timeat de culpa alterius, cùm non ſit faciendum malum certum, pro incerto evitando, non debet ſibi reddere debitum; non quia reddit gladium furioſo, quia iſta non eſt ratio : nam aliter ſe-ipſum interficit. Nec dat ei occaſionem periculi, niſi ipſa petat : non enim ideò eſt culpa, quia gladium furioſo reddit, ſed quia contrà præceptum, ſive prohibitionem agendo, ſe deordinat; & hoc non eſt propter tempus, ſed propter morbum, qui eſt contrà bonum prolis. Vnde ſimiliter eſſet de vicina partui; quia ex actu illo timetur parvulus opprimi & occidi; vel ſi ipſa laboraret ægritudine acutâ, nullus pro eo tempore diceret, eum teneri, non ratione temporis, ſed ratione morbi vel periculi.

121. *Tertius modus dicendi.* Ita arguit D. Bonav. contrà ſententiam Mag. & D. Tho. quam tamen poſteà approbat, ut ſtatim videbimus, quàmvis oppoſitam exiſtimet probabiliorem. Sic enim ait : *Tertius modus dicendi eſt, qui videtur eſſe probabilior, quòd tempus menſtruorum, aut eſt ſecundùm naturam, aut præter naturam. Si ſecundùm naturam, ſemel in menſe, quia tunc poßibile eſt filios generare, & per abundantiam & per corruptionem humoris in peßimo ſtatu, ideò morale eſt præceptum, ut illo tempore non cognoſcatur. Vnde ſi ignoranter petit, vel violenter reddit, excuſatur. Si ſcienter & libenter petit & reddit, contrà præceptum facit, & mortaliter peccat, & vir ſecundùm tempus illud non habet poteſtatem in corpus mulieris. Si autem ſit tempus contrà naturam, & paßio præter naturam, tunc dicitur, quòd filii non generantur vitioſi in natura, & tunc ſi diu duret, debitum poteſt peti, & reddi.* Hæc ille.

122. *Reſponſio ad objectiones. Ad 1.* Et ad objecta contrà hanc ſententiam, reſpondet in hunc modum. *Quòd objicitur,* inquit, *de lepra* (quòd propter eam non poteſt mulier negare debitum) *non eſt ſimile; quia ille morbus eſt continuus, iſte momentaneus.*

Ad ſecundam. *Ad illud quod objicitur : quòd non habet poteſtatem* (mulier corporis ſui) *dicendum, quòd tunc non habet alter poteſtatem in corpus alterius : vel etiam, quòd plùs eſt obediendum Deo, quàm homini ſive mulieri.*

Ad tertiam. *Ad illud quod quæritur, quando vir neſcit* (quod ſit tempus menſtruorum, & mulier timet de lapſu ejus) *dicendum, quòd ſi credit, ipſum deſiſtere, debet & infirmitatem dicere, vel ſaltem infirmitatem ſimulare : quia ſi nec tunc vult deſiſtere, debet quantùm poteſt reſiſtere : quòd ſi ille violenter extorquet, mulier eſt immunis à culpa : aliter enim, propter vitandam culpam viri non debet ipſa facere culpam.*

123. *Ad quartam.* *Ad illud quod objicitur de immunditia* (quæ non impedit mulierem, quin poſſit petere debitum à viro ſeminifluo) *dicendum, quòd non eſt propter immunditiam; ſed quia talis eſt proli contraria.*

Ad quintam. *Ad illud quod objicitur de ſterili* (putà, quòd tunc non timetur deformitas prolis) *dicendum, quòd neſcitur, quamdiu habet muliebria, utrùm concipiat, & ideò obligatur divino mandato, ſicut & alia, quæ conſueverunt concipere.* Ecce reſponſio ad objecta.

Cui continuò ſubdit. *Quàmvis autem iſte modus ultimò dictus videatur eſſe probabilior : primus tamen modus dicendi eſt ſecurior, & ſanior; quoniam ſtandum eſt pro Matrimonio : & valde durum videtur, quòd mulier debitum non reddat viro inſtanter petenti, cùm non appareat infirmitas gravis & manifeſta.* *Approbat primum modum dicendi.*

124. *Occurrit objectioni.* *Si tu dicas, quòd non debet ſinè violentia; poteſt eſſe, quòd ſi vir non poteſt ſibi violentiam facere, & ex hoc cadet in pejorem fornicationem; & ideò dicendum eſt ſecundùm primum modum, quòd ſecùs eſt in petitione, & redditione, ſicut dicit Mag. in litera, & primò notatum eſt. Vnde prohibitio in fornicatione menſtruoſæ ſe extendit, ut non petant; ſed non, ut non reddant; & ideò non abſolvitur à tentione reddendi : & per hoc intelligendæ ſunt auctoritates de hoc loquentes. Debet tamen mulier aliquo modo ſe reddere difficilem, & cum dolore & ægrè debitum ſolvere, ne dum appetit à ſe peti, ipſa rea ſit, ac ſi peteret : unde reſiſtere poteſt, niſi credat ſcandalum præſtare marito.*

125. *Solutio objectorum.* Sequitur ſolutio objectorum. *Ex hoc,* inquit, *patet illud quod objicitur de conſenſu* (quia non ſolùm, qui malè agunt, peccant, ſed etiam qui conſentiunt) *dum enim neceßitate compulſa fœmina reddit, non dicitur conſentire, nec furioſo gladium reddere : ſed ipſe agit, & hæc patitur. Præterea : gladius furioſo eſt reddendus, ut evitetur majus periculum : ſic in propoſito cùm timetur periculum, & vir poteſt evadere periculum fornicationis, vel odii per redditionem, in quam incurreret per abnegationem.*

Ex his patent alia : concedendum eſt enim, quod debitum non poteſt peti ſcienter; quia hoc eſt morale præceptum, quod debitum non petatur. Et non valet de lepra, nec de poteſtate corporis; quia uſus eſt ei artatus per mandatum illud : & patent auctoritates inductæ in contrarium; omnes enim intelligendæ ſunt, quantùm ad ſcienter exigentes. Hactenùs Doct. Seraphicus. Quæ latiùs volui referre, quia optimè proponunt difficultates, quæ in una & altera ſententia poſſunt occurrere.

126. *Argumenta adducta non convincunt copulam illam ſemper graviter eſſe illicitam. Quòd ſit licita, probatur ex Caſtro.* Enimverò, ut fateamur veritatem, hæc res admodum eſt intricata, & argumenta adducta non convincunt neceſſariam malitiam ſive in petitione, ſive in redditione, ſaltem mortalem, excepto fortè caſu, quo probabiliùs proles conciperetur leproſa, aut aliàs graviter defectuoſa, ut cæca, clauda &c. Hic autem caſus rariſſimus eſt, ut notat Caſtro de Leg. pœnali, lib. 1. cap. fin. ubi ſic argumentatùr pro ſententia, quæ docet, tam petitionem, quàm redditionem menſtruatæ eſſe licitam : Minus eſt periculum in menſtruata de infectione prolis, quàm in leproſa : ſed leproſa mulier non prohibetur exigere aut reddere; ergò nec menſtruata. Conſequentia eſt nota, per locum à majori ad minus. Prima Antecedentis pars probatur ex communi Medicorum ſententia, & ex probatiſſima experientia. Secunda pars Antecedentis probatur, per c. 1. & 2. de Conjug. leproſ.

127. *Reſp. Scoti.* Sed huic argumento reſpondet Scotus, neg. Conſequentiam : quia licèt certius immineat periculum de infectione prolis ex coïtu cum leproſa,

leprosa, quàm cum menstruata ; non tamen inde sequitur, quòd sit majus nocumentum prolis : imò dicit, esse multò minus in leprosa, quàm in menstruata. Quia magis (ut ille ait) est contrà bonum prolis, quòd nunquam procreetur de illa matre, si illa esset semper pro lepra vitanda, quàm quòd nascatur leprosa. In menstruata autem hoc non evenit : quia etsi proles in diebus menstrui non concipiatur, poterit tamen in aliis diebus post purificationem concipi sana. Et ideò justum est, menstruatam paucis aliquot diebus abstinere, ut posteà prolem sinè damno illius concipere possit. Leprosam autem non sic justum est abstinere : quia meliùs est proli nascituræ leprosam esse, quàm nunquam esse. Et eodem modo respondent Thomistæ, qui B. Thomæ opinionem contrà Petrum de Palude tuentur. Et propter eamdem rationem dicunt, etiam licitum esse coïre cum ea, quæ perpetuum sanguinis fluxum ex ægritudine tolerat. Ita Castro. Verba D. Tho. habes sup. hâc Conclus. Verba autem Scoti Conclus. præced,

Eadem est responsio Thomistarum.

128. *Impugnat eam Castro. Primò.* Sed certè (prosequitur Castro) hæc responsio non plenè mihi satisfacit, propter multa, quæ mihi contrà istorum opinionem occurrunt. Primum est ; quia nocumentum prolis, quod dicunt futurum ex illo coïtu, est nimiùm incertum. Non est enim certum, quòd mulier tempore illo concipiet ; sicut etiam non est certum, mulierem non menstruatam ex coïtu concepturam ; imò magis credendum est, mulierem tempore menstruorum non concepturam ; quia ille menstrui sanguinis fluxus multùm impedit ad retinendum semen hominis in matrice, ubi conceptio fieri debet.

Secundò. Nec etiam si illa conciperet, est certum prolem futuram esse menstruosam ; quoniam aliàs multa plura monstra qnotidie nasci videremus, quàm nunc videmus. Quia cum numerosa (ut creditur) sit hominum multitudo, qui cum menstruatis mulieribus quotidie coëunt, multa etiam monstra quotidie nascerentur. Et inde apertè conjicimus, non esse certum & inevitabile, prolem futuram esse monstruosam, quæ à muliere menstruata concipitur. Si certum esset aut proximum certitudini, mulierem menstruatam concepturam, & prolem futuram monstruosam, tunc fortè mulier tenetur non exigere, neque reddere debitum viro petenti.

129. *Explicat auctoritatem D. Aug.* Nam in hoc solo casu, ego puto intelligendum esse Aug. qui q. 64. super Leviticum, dicit : per talem legem in Levitico positam non naturam damnari, sed concipiendæ prolis noxium prohiberi. In quibus verbis id videtur Aug. sentire, quòd accedere ad menstruatam, non est ex se & ex natura sua peccatum ; sed solùm ratione nocumenti, quod inde sequitur proli. Ergò ubi non est certum nec verisimile, tale nocumentum futurum, tutè poterit mulier menstrurata exigere & reddere.

De eo, qui id faceret animo nocendi proli. Sunt enim illa verba Augustini (ut ego censeo) hâc conditione intelligenda : si is, qui exigit aut reddit debitum hâc intentione id agat, ut proli noceat. Nam aliàs si id non intendit exigens, aut reddens, non peccat, etiamsi præter intentionem illius nocumentum proli eveniat. Quoniam quisque jure suo potest uti, quàmvis inde damnum alteri sequatur, dummodò alterius damnum non velit ; imò potiùs doleat, quòd non possit jure suo uti, quin damnum alteri inferat.

130. *Probat à simili ex l. 1. ff. de Aqua pluvia &c.* In cujus rei probationem adduco simile ex l. 1. ff. de Aqua pluvia arcenda, ubi Paulus Jurisconsultus ex sententia Labeonis definit, vicinum, si flumen vel torrentem avertit, ne aqua ad eum perveniat, & hoc modo sit effectum, quòd vicino noceatur, non posse jure prohiberi, ne tale flumen à se avertat, dummodò non hoc animo fecerit, ut alteri noceat, sed ne sibi noceat. Idem etiam dicendum est in muliere menstruata, quæ debitum exigit, aut reddit, quòd licitè hoc facere potest, si non hoc animo faciat, ut proli concipiendæ noceat, sed ne sibi noceat.

Et multò justiùs hoc facere potest mulier menstruata, quàm is, qui flumen à se avertit. Quoniam qui flumen à se avertit, quàmvis hoc non faciat animo nocendi, tamen verè nocet, & certum videt nocumentum, & certam videt personam, cui tale infert suo opere nocumentum. At nihil horum contingit in muliere menstruata, debitum exigente aut reddente. Quoniam (ut diximus) non est certum, nocumentum sequi ex coïtu illo : nec certa est persona ; imò (ut rectiùs dixerim) nulla est persona, cui tale nocumentum inferatur ; quia nondum natus est ille, cui tale nocumentum timetur esse inferendū.

131. *Ostendit, posse sequi grave nocumentum sibi vel viro, si non reddat, aut petat.* Nocumentum autem quod sibi inferre potest, si non exigit, aut marito, si non reddit, potest esse ipsi menstruatæ certum. Quia corporalem aut spiritualem infirmitatem, quæ est adulterium, potest illa verisimiliter timere in marito, si illi petenti debitum non reddat ; & hoc ipsum potest timere in seipsa, si non exigit. Nam (ut Medici docent) aliquando corporalis infirmitas curatur per carnalem viri & mulieris coïtum. Nullus autem meritò dubitare potest, quin magis teneatur homo suo certo periculo providere, quàm alterius incerto. Nulla certè est comparatio certi ad incertum ; ac proinde nulla est comparatio hominis viventis ad prolem, cujus conceptio est incerta. Ratio autem naturalis docet, ut incerta pro certis dimittamus : & si omnia fuerint pariter certa aut incerta, plus nostro, quàm alieno periculo provideamus.

Et aliunde nullum damnum facit, ex l. 151. ff. de Reg. juris. Ex quibus circumstantiis benè pensatis, clarè convincitur, mulierem menstruatam, debitum exigentem aut reddentem, damnum nullum facere. Quod manifestè confirmatur per sententiam illam, quæ habetur in l. *Nemo*, ff. de Regulis juris : *Nemo damnum facit, nisi qui id facit, quod facere jus non habet.* Mulier autem menstruata jus habet exigendi & reddendi debitum : ergò hoc faciens non est censenda damnum facere. Hucusque Castro.

132. *Judicium Auctoris.* Nunquid audiendus ? Planè in illis circumstantiis, id est, ubi nocumentum prolis non est certum, nec verisimile futurum, & nocumen-

mentum proprium vel conjugis eſt certum. Secùs ubi nocumentum prolis foret certum, & nocumentum proprium vel conjugis, aut nullum, aut incertum, & quod aliâ viâ facilè poſſit evitari. Hæc eſt lex charitatis, imò & Matrimonii, ex vi cujus conjuges habent jus petendi & reddendi debitum; non tamen in omni eventu, ſed dumtaxat, quando copula non vergit in detrimentum proprium, ut patet ex dictis Concluſ. præced. vel etiam prolis, ad cujus bonum principaliter eſt inſtitutum Matrimonium; eo ergò uti cum detrimento prolis, prohibet lex conjugii, quidquid intendant vel non intendant conjuges.

133. *Reſpondet ad d. leg. 1.* Nec obſtat l. 1. ff. de Aqua pluvia arcenda ſup. à Caſtro adducta, ſiquidem eſt longè diverſa ratio: quia in caſu illius legis diverſa prorsùs ſunt jura, nec ullum alteri ſubordinatur; at in noſtro, jus acceſsûs ad uxorem bono prolis ſubordinatur, illudque præ omnibus ſpectare debet.

Et adhuc exemplo illius legis retento, quis eum non diceret contrà charitatem proximi, licèt non adversùs juſtitiam, delinquere, ſi pauliſper expectans poſſet & jure ſuo uti, & grave proximi detrimentum vitare? At cùm menſtruus fluxus, naturaliter accidens, paucis diebus duret, delinquet utique conjux tunc utens jure ſuo cum detrimento prolis, quod, brevi tempore expectato, cavere poſſet.

134. *Quid ſi mulier leproſa brevi tempore poſſet curari?* Conſimiliter dico de muliere leproſa; ſi brevi tempore poſſet curari, neque ipſa poſſet cum damno prolis petere aut reddere debitum. Sed quoniam communiter incurabilis eſt, & paſſio naturalis menſtruæ regulariter pauco tempore durat, ideò diſtinguunt DD. inter mulierem leproſam & menſtruatam, quòd hæc nequeat reddere aut petere debitum, ſecùs iſta.

Ex quo hic oritur diſcrepantia opinionum. Igitur diſcrepantia opinionum in hac re, oritur præcipuè ex diverſitate opinionum circà detrimentum prolis, quæ concipienda eſt tempore menſtrui. Nam antiqui DD. videntur ſtatuiſſe, id detrimentum etiam notabile, tamquam moraliter certum: Recentiores autem putant, id omninò eſſe incertum, & rarum; & ideò hi negant talem copulam eſſe mortalem; illi autem affirmant.

135. *Copula cum menſtruata in plurimùm eſt venialis, juxta Sanchez.* Dico: *Mortalem*; quia in plurimùm (ut notat Sanchez diſp. 21. n. 7.) eſt venialis. Dico, inquit ille, ex ſe & in plurimùm culpam eſſe venialem, debitum eo tempore exigere. Nec ducor ad id ratione damni prolis, ejus enim incertitudo & raritas, quam n. 5. probavi, & experientia teſtatur (innumeri enim tempore menſtrui coëunt, & rariſſimè perſpicimus hæc damna in prole; & pariter melius ipſi ita gigni eſſe, quàm non gigni, ut d. n. 5. explicui) arguunt, ex hac parte nullam eſſe culpam. Sed ratio peccati venialis eſt turpitudo, & indecentia in eo coitu, ut n. 5. probavi. Quare ſi aliqua ratio ſit huic turpitudini præponderans & actum honeſtans, vacabit culpâ: nempè ſi ad vitandam in ſe vel in alio fornicationem, vel ne conjux ſuo conſortio odio ſit, vel alia ſimilis. Nec ab hac culpa eximet conjugis ſterilitas, quàmvis enim ceſſet damnum prolis, non tamen ceſſat ea turpitudo & indecentia. Sic ille.

Ratio eſt turpitudo.

Rogas: in quo conſiſtat hæc turpitudo. Reſpondeo ex Sanchez d. n. 5. quòd tunc vacet fœminea natura conſuetæ purgationi, immundaque ſit mulier, & aliqualiter inepta commodæ ſeminis retentioni ac receptioni, atque ita minùs conveniens generationis fini. Adde: aliquam eſſe incontinentiam, debitique ordinis perverſionem, non expectare tempus generationi aptius; maximè cùm brevi affuturum ſit. Ita Sanchez. 136. *In quo conſiſtat hæc turpitudo, ex eod.*

Putat, prolem non poſſe conqueri de injuria. Qui ibidem probat, meliùs eſſe proli ſic gigni, quàm non gigni; quòd ſi tunc is coïtus non haberetur, forſan poſteà non generaretur, aut non eſſet eadem; quia cum non entibus nulla eſt unitas; atque adeo conqueri nequit de damno ſibi illato, imò magno afficitur beneficio. Sic ille.

137. *Arg. contrà.* Reſpondetur: forſan poſteà eadem generaretur, idque ſana. Atque ut non eſſet eadem, quid tum? Quamquam enim conqueri nequeat illa, quæ concepta non fuit, conqueri, inquam, de injuria, cùm non habuerit jus, ut eſſet; conqueri tamen poſſet de injuria, ſi monſtroſa naſcatur, aut leproſa, cùm potuerit naſci non monſtroſa, & non leproſa.

Ad experientiam, quam pro ſe adducit Sanchez. Porrò ad id quod Sanchez ſup. & Caſtro cauſantur, ſcilicet experientiâ conſtare, non ſequi illud damnum, & plures in eo caſu edi infantes, qui nihil damni patiantur; atque adeò damnum hoc, cùm ſit incertum, non tollere obligationem certam reddendi debitum, aut jus certum exigendi.

138. *Reſponſio Hiquæi, ex natura rei imminere periculum.* Ad hoc, inquam, argumentum reſpondet Hiquæus ſup. n. 26. ſufficere ad præceptum ſalvandum, quòd ex natura actionis ſubſit periculum damni ſecuturi, ut præceptum urgeat: nec referre, quòd finis precepti in his vel illis ceſſet, niſi tollatur univerſaliter: certum autem eſt, ex natura illius copulæ imminere periculum præfatum, perinde in lege nova, quàm in veteri, ut Levinus Lemnius de occultis naturæ miraculis, & alii Medici aſſerunt. Ex Patribus autem citatis hic fuit finis præcepti legis veteris, quod morale eſt, ac proinde manet in lege nova. Hinc rectè Doctor (Subtilis) dicit, uxorem non obligari ad debitum reddendum, quod univerſale eſt in omnibus caſibus, in quibus ipſa reddendo concurrit ad peccatum alterius. Sicut ergò Matrimonium ordinatur primariò ad finem prolis & bonum; ita etiam ad tempus tenentur ceſſare à copula parentes, quando imminet tale periculum. Sic ille.

139. *Sed Adverſarij hoc negant, teſte Averſa.* Sed videtur petere principium; nam Adverſarii negant imminere tale periculum, ut notat Averſa q. 21. ſect. 6. §. *Aliqui tamen* &c. ubi relatis Auctoribus, qui docent copulâ tempore menſtrui eſſe licitam, ſubjungit: Quorum fundamentum eſt: quia ex natura rei non imminet proli damnum. Cùm rarò tunc concipiatur, teſte Ariſtotele l. 1. Generat. animal. c. 16. Et nõ conſtet, plùs eo tempore, quàm alio concipi cũ vitio vel defectu corporis. Aut ſi ſic concipiatur, melius

esset proli ita concipi, quàm nullo modo, cùm alio tempore non conciperetur idem numero fœtus, quare non imminet damnum prolis. Ex jure autem divino veteri nulla jam extat obligatio; & præceptum illud, in quantùm erat ultrà naturalem legem, fuit ceremoniale & judiciale, quare omninò cessavit. Ex jure demum Ecclesiastico solùm refertur antiquæ legis prohibitio in illo cap. sumpto ex D. Greg. nec de novo injungitur.

Qui putat, talem copulam ex justa causa nullum esse peccatum.

Ita ergò videtur ex justa causa nullum fore peccatum: utpote ad vitandum incontinentiæ periculum, & sedandos acres carnis stimulos, ad complacendum conjugi, ne suboriantur discordiæ & rixæ. Sed non occurrente ullâ tali causâ, sed solius voluptatis gratiâ, fore quidem veniale peccatum, etiam, inquam, in casu, quo extrà tale tempus nullum esset peccatum. Adest enim tunc quædam specialis indecentia & turpitudo, & nimia intemperantia, nolle ad breve tempus differre. Quæ quidem ratio sufficit ad hoc, ut uxor, eo tempore requisita, non teneatur reddere debitum, ut notat cum aliis Bonacina. Hactenùs Aversa.

Bonacina.

140. *Expenditur cap. fin. Dist. 5.*

Rogas, quid sit illud cap. desumptum ex d. Greg. Respondeo cap. fin. dist. 5. ubi sic lego: *Hæ itaque, quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus priùs transierit, viris suis non debent admisceri, quippè cùm & sinè partûs causa, cum inconsuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur: ita ut morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat.*

Ubi Gloss. verb. *Prohibeantur*, explicat: *Id est, sub forma prohibitionis dissuadeantur: sic exponunt quidam.* Inter hos meritò numerabis Castro sup. ubi sic ait: Scio esse aliqua Sanctorum Doctorum verba, quibus dicunt esse ex jure divino, non accedere ad menstruatam, & illud deberi nunc in Lege Evangelica observari: sunt tamen illorum verba ad hunc sensum intelligenda, ut non dicant debitum obligationis, sed solùm debitum honestatis & congruentiæ. Et hoc debitum sæpè appellare solent jus divinum, non quidem tale, quòd peccati mortalis obligationem inducat; sed quòd ad majus meritum hortetur. Sic ille. Quem sequitur Sanchez sup. n. 10.

Castro.

141. *An lex Levit. 20. repugnet alteri legi Levit. 15.*

Rogas iterùm: quæ sit illa lex sacra, quæ morte feriat? Jam sup. eam assignavimus ex Levit. 20. v. 18. *Qui coïerit* &c. Et si dixeris: Hæc lex in faciem pugnare videtur cum alia Levitici lege, quæ habetur cap. 15. vers. 24. *Si coïerit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus, & omne stratum, in quo dormierit, polluetur.* Ubi nihil aliud præcipitur, quàm ut vir sit immundus septem diebus; cùm tamen cap. 20. præcipiatur pœna mortis inferri tam viro, quàm mulieri.

Concordantia Aliquorum.

Respondent Aliqui: legem, quæ tantùm præcipit separationem septem dierum, intelligi de illis, qui ignoranter coïerunt cum menstruata; aliam verò legem, quæ jubet tales coëuntes interfici, de his, qui scientes menstruum ex industria se miscuerunt. Hæc tamen sententia (inquit Castro sup.) inde convincitur esse falsa; quòd lex illa posterior non solùm jubet virum interfici, sed ipsam etiam mulierem menstruatam, à viro cognitam. Mulier autem vix potest ignorare, se esse menstruatam, licèt vir hoc facilè possit.

Castro eam reprobat.

Meliùs igitur Nicol. de Lyra, quem in hac parte sequitur Abulensis, hanc facialem legis dissonantiam tollit, dicens: priorem Levitici legem esse intelligendam de illo, cujus factum est occultum, & nunquam fuit de hac re in judicio convictus. Alteram verò posteriorem de illo solo intelligendam censet, qui sciens accessit ad mulierem menstruatam, & fuit de hac re in judicio accusatus, & convictus. Et hanc Nicol. Lyrani sententiam probare videtur Paulus Burgensis, propterea quòd illum in additionibus suis de hac re non reprehendit. Nam si illi non placuisset, libenter illum de hac re reprehendisset, cùm diligentissimè Nicolai scripta explorasse videatur, ut inveniret, quod in illo reprehenderet.

142. *Approbat concordiam Nicol. de Lyra, & Abulensis.*

Hâc igitur duarum illarum legum concordiâ datâ, operæ pretium erit, causam inquirere, quare is, qui de coïtu cum muliere menstruata est in judicio convictus, jubetur pœnâ mortis puniri; ille verò qui occultè hoc fecit, solùm præcipitur, ut sit septem diebus immundus. Nam si sola prohibitionis causa fuit periculum prolis concipiendæ, cùm simile periculum immineat proli ex coïtu occulto, sicut ex coïtu parentum publico, sequeretur, ut etiam coïtus illorum occultus esset peccatum mortale, perinde ac publicus. Prætereà: si peccat mortaliter, qui coït cum muliere menstruata, cur non jubetur occidi, aut aliâ graviori pœnâ puniri, quàmvis ejus coïtus sit occultus? Deinde: si talis sic coïens nocet proli futuræ, cur in pœnam & testimonium talis nocumenti non graviùs punitur?

143. *Inquiritur causa unius & alterius legis.*

Si dicas: quia erat secretum, & ipse non debebat se prodere ad mortem: saltem poterat illi alia major pœna in secreto imponi ab ipsa lege; aut Sacerdoti, cui sua manifestasset peccata, præcipi poterat, quòd aliquam graviorem pœnam imponeret, prout in aliis multis peccatis lex fieri jubebat. At cùm nihil horum lex præceperit, sed eam solam viro imposuerit pœnam, quam mulieri menstruum patienti, quàmvis ad virum non accessisset, imposuerat; ex ipsa ratione pœnæ convincitur, talem viri coïtum ex se non esse majus peccatum, quàm sit, mulierem pati menstruum, quod constat non esse peccatum, præsertim mortale. Nam si peccatum aliquod erat, exigere à muliere menstruata in occulto, illud ex ratione pœnæ innuitur esse veniale: quia peccata mortalia multò graviùs in illa lege puniebantur.

Expenditur causa leg. cap. 15.

Coïtus autem cum muliere menstruata, de quo quis in judicio fuisset convictus, pœnâ mortis puniebatur, non propter solum coïtum, sed propter ceremonias legis publicè violatas, quæ, ne venirent in contemptum, acerbè puniebantur. Publicum enim & secretum, non

144. *Proponitur causa leg. cap. 20.*

variant

variant genus aut ſpeciem peccati, ita ut, quod ſecretè factum eſt, veniale, publicè verò factum, ſit mortale; niſi fortè ratione ſcandali accepti & non dati, quod aliquando propter ignorantes & infirmos omittendum eſt. Sed ex particulari circumſtantia ignorantium aut infirmorum, quæ ipſi operi publico accidit, non eſt ſumenda generica aut ſpecifica operum differentia, ita ut ſecretum & publicum genere aut ſpecie differre dicantur. Et inde apertè convincitur, ut ſi ſecretus coïtus cum muliere menſtruata non erat peccatum mortale, etiam coïtus in judicio probatus non ſit peccatum mortale.

145. *Præceptum mortis ſimul erat ceremoniale & judiciale.* Ex his omnibus conſtat, præceptum illud, quo præcipiebatur morte puniri is, qui de coïtu cum muliere menſtruata eſſet convictus, eſſe ſimul ceremoniale & judiciale. Quatenùs præcipit ſeptem diebus abſtinere ab uxore, vel ex eo conſtat eſſe ceremoniale, quòd non omnes mulieres per tot dies durant in menſtruo, ſed aliquæ per plures dies, & aliquæ per pauciores. Et quia illi dies non ſunt ideò ad ſeparationem limitati, quia tot diebus & non pluribus, nec pauciori bus, menſtrua durant, inde manifeſtè convincitur, talem dierum limitationem eſſe ad ſolam ceremoniam referendam. Quatenùs illud præceptum pœnam imponit, conſtat eſſe inter judicialia numerandum, & ex pœna in illo impoſita conſtat, illud tunc obligaſſe ad culpam mortalem. Ex nulla tamen parte præceptum illud obligat nunc in lege Evangelica, in qua, per mortem Chriſti, judicialia ſimul & ceremonialia omnia revocata ſunt. Hucuſque Caſtro.

146. *Judicant hodierni Medici, ex tali coïtu nullum damnum imminere proli.* Satis bene pro ſua opinione, quam paſſim Recentiores amplectuntur, eo præcipuè fundamento, quòd judicio Medicorum hujus temporis, quidquid olim Aliqui dixerint, nullum immineat damnum proli ex tali coïtu, vel ſaltem ex natura rei: neque in nova lege nullum ſit præceptum poſitivum Dei aut Eccleſiæ, prohibens talem coïtum, quod tamen foret neceſſarium, ut, quod aliàs ex natura rei ſolùm eſſet peccatum veniale, fieret peccatum mortale.

Et ſanè ex nullo verbo Scripturæ probari poteſt, in lege veteri prohibitum fuiſſe ſpecialiter à Deo talem concubitum ratione damni prolis. Attamen ſi hìc & nunc grave damnum immineret, proculdubiò lex naturalis charitatis, ſervatis ejus regulis, graviter ad iſtud præcavendum, ſicut tunc obligabat, ita & nunc obligaret.

147. *Probatur ex Hiquæo, talem coïtum jure naturæ graviter eſſe prohibitum.* Nam, ut notat Hiquæus ſup. n. 28. Omne malum, quod obligat ſub gravi delicto ad remedium, ſi fieri aut adhiberi poteſt, quando incurritur, illud idem, ut præviſum in periculo & cauſis, ſimiliter obligat ut provideatur; ſed infirmitat, prolis natæ tenentur parentes providere remedium, ſi commodè poſſunt: ergò etiam, ne naſcatur talis, removere cauſas hìc & nunc, ex quibus naſcitur, donec ſinè detrimento tali naſci poſſit; maximè quando per hoc non fruſtrantur ipſo bono prolis, quia in aliis circumſtantiis edetur ſinè contagio tam gravi.

Unde hæc prohibitio poteſt ex hac ratione revocari ad jus naturæ providendi bonum prolis: ideòque indignum eſt, ut more beſtiarum in ſe invicem exardeant, cum tanto detrimento prolis, & ſui ipſius nocumento, quorum etiam famæ detrahit, ut proles ex ipſis infecta & monſtroſa naſcatur ex impotenti libidine. Meritò ergo Sancti Patres hunc caſum eſſe prohibitum exponunt, & volunt ut cohibendæ incontinentiæ alia remedia applicentur, præter copulam, cui annexum eſt tale periculum. Ita hic Auctor.

Et meritò, ſi reverà tale periculum annexum ſit. Sed hæc connexio hodie à Medicis negatur, ſaltem ut in plurimùm. Et ideò aſſeritur, talem coïtum per ſe non eſſe culpam mortalem ratione damni prolis, ſive contra legem naturæ. *Optimè, ſuppoſito gravi damno prolis.*

Nec obſtat: quòd Ezech. 18. annumeretur aliis peccatis mortalibus contra legem naturalem, verſ. 5. & 6. *Et vir ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſtitiam, in montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domûs Iſrael: & uxorem proximi ſui non violaverit: & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit* &c. 148. *Objectio ex Script. Ezech. 18.*

Non obſtat, inquam, quia ad intentum Prophetæ ſatis erat, eum acceſſum, propter legem poſitivam Dei, tunc temporis fuiſſe peccatum mortale, per quod juſtitia amittebatur. Audite Cornel. à Lapide ſuper cap. 20. Levit. verſ. 18. ubi, relatâ ſententiâ eorum, qui negant hunc acceſſum eſſe peccatum mortale ex ſolo jure naturæ, inquit: Undè ſequitur, congreſſum cum menſtruata Iudæis hìc vetari tam ſeverè lege non tam naturali, quàm poſitivâ & ceremoniali; perinde ac eâdem vetitus fuit eis uſus adipis & ſanguinis ſub pœna mortis, c. 7. v. 25. & 27. Pari ergò modo menſtruatæ, & congredienti cum ea, intentatur hìc pœna mortis, non tam ob prævaricationem legis naturalis, quàm ceremonialis, ita rigidè hanc immunditiem vetantis, eò quòd Deus vellet Iudæos corpore eſſe puriſſimos. *Solvitur.*

Dices: ſi hæc lex eſt ceremonialis, cur ergò ponitur hìc inter alia naturalia præcepta? 149. *Inſtantia.*

Reſpondeo: quia hæc omnia congreſſum & libidinem ſpectant: & quia congreſſus hìc cum menſtruata jure naturæ malus eſt & vetitus, ac peccatum ſaltem veniale: accedente verò hoc præcepto Dei poſitivo, erat peccatum mortale. Nec mirum, naturale præceptum cum poſitivo permiſceri: ſic enim hæc præcepta permiſcentur cap. præced. Exod. 20. & alibi. Sic ille. *diluitur.*

Ergò nec mirum, Prophetam ſup. peccata naturalia cum poſitivo permiſcere. Et nota benè, quòd in eodem cap. tertio expreſsè meminerit idololatriæ, & adulterii, & ſimilium peccatorum naturalium; tamen ſemel dumtaxat exprimat acceſſum ad mulierem menſtruatam. Cur hoc? Tu cogita.

Ego pro fine hujus controverſiæ dico: ſi SS. Patres & Doctores ſup. allegati hodie viverent, & audirent Medicos noſtros, fortè & ipſi dicerent, talem acceſſum non eſſe peccatum mortale, 150. *Reſolutio finalis.*

mortale, propter damnum prolis. Et quod attinet Doctorem Subtilem, putat Scholiastes ad locum sup. citatum, eum nihil asserere, sed tantùm referre sententiam aliorum, Verè id putet, an falsò, relinquo aliis judicandum.

Casus in quo menstrua non reddunt copulam illicitam.

Sufficit mihi, quòd non opponatur meæ Conclusioni, quæ ait: *Menstrua non reddunt copulam semper illicitam*; quia non tunc, etiam secundùm Scotum, quando certò constaret, conjuges fore steriles, & copula esset necessaria ad evitandam incontinentiam. Quippè tali casu nullum imminet damnum proli, propter quod Scotus videtur dicere, talem copulam esse peccatum mortale; & aliunde malitia venialis, quæ consistit in quadam immunditia & intemperantia, satis excusatur per periculum incontinentiæ, v. g. fornicationis aut pollutionis, quæ aliàs eveniret. Au autem mulier teneatur reddere, aut etiam possit reddere, quando vir peccat exigendo, hìc non disputo; sed infrà commodiùs examinabimus.

151. *Objectio.*

Si dixeris: cessante fine legis in casu particulari solùm negativè, non cessat lex: ergò tametsi finis legis cesset, quando constat mulierem aut virum esse sterilem, non ideò cessat hæc prohibitio. Respondeo: nusquam talem legem in Evangelio reperiri, præter legem charitatis, quæ cessat cessante damno, sive per se, sive per accidens: fundatur enim in non periculo morali; sed in ipso reali damno, quod sequitur. Atque hæc satis de tempore menstrui.

Solutio.

Quando tempus prægnationis reddat copulam graviter illicitam.

Sequitur tempus prægnationis, quod tunc, secundùm Omnes, reddit copulam graviter illicitam, quando est verisimile periculum extinctionis fœtûs vel abortûs. Ratio est manifesta. Quia talis concubitus est directè contrà finem Matrimonii; quippè infert extremum damnum proli, cujus bonum maximè spectat conjugalis usus.

Existimat porrò Sanchez sup. disp. 22. n. 1. nullum incontinentiæ periculum præponderare posse, ita ut concubitus licitus reddatur. Quia illi incontinentiæ discrimini aliis viis & mediis consuli potest absque fœtûs damno; & hoc damnum aliâ viâ nequit evitari, ut suppono, quàm abstinendo à copula.

152. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis: usus conjugalis per se, sive ut in plurimùm non extinguit fœtum, aut causat abortum, sed ad summum materiam nondum coagulatam, seu formatam dissipat, quæ utique dissipatio, secundùm Sanchium sup. & Alios, quos citat, non videtur esse mortalis; quia id damnum non tanti faciendum est in dantibus operam rei licitæ, jureque suo utentibus, nec illud intendentibus. Imò nec videtur mortale in fornicantibus; quia non dissipatur illa materia, nisi per alium actum, qui & ipse de se tendit ad generationem, quod si non sequatur, per accidens est.

153. *Solvitur.*

Respondeo: ex hoc argumento solùm sequitur, regulariter & per se non esse peccatum mortale, exigere vel reddere debitum tempore prægnationis. Interim, si vel rarò tale periculum occurreret, quidni conjuges debeant à copula abstinere, & aliâ viâ periculo incontinentiæ consulere? Estò enim Matrimonii usus etiam in remedium concupiscentiæ institutus sit, tamen cum subordinatione ad finem principalem, qui est generatio prolis; ita ut, licèt non debeat semper sequi generatio, & aliquando generatio impossibilis sit, equidem nequeat per eam generatio impediri.

Atque ut nunquam vi præcisè copulæ posset fœtus occidi, aut abortus causari, saltem charitas obligare videtur, ut tanto incommodo prolis, undecumque provenienti, cui, ut suppono, aliter provideri non potest, planè provideatur per abstinentiam à copula, etiam cum aliquo conjugum incommodo, respectivè minori. Hìc ergò locum habere debet regula charitatis, quæ dictat, majus respectivè damnum prolis, cum nostro respectivè minori avertendum esse.

154. *An secluso damno prolis, hæc copula sit illicita, ex d. Aug.*

Sed pone, nullum omninò esse periculum damni prolis, sive proximum, sive remotum, censen, concubitum cum uxore prægnante, seu petendo seu reddendo, esse illicitum? S. Aug. lib. de Bono conjug. inter nimios excessus in usu conjugali hunc computat, dicens. c. 6. *Sunt viri usque adeo incontinentes, ut conjugibus nec gravidis parcant.*

Ambros.

Et Ambr. super Epist. 1. ad Corinth. in c. 7. (ut refertur 33. q. 4. c. 4.) sic ait: *Si causâ procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum; quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptûs, & partûs juxtà legem cessari temporibus his debere demonstrant.*

Et Hieronymo.

Consimiliter loquitur D. Hieronymus contrà Iovinian. lib. 1. & refertur 32. q. 4. c. 5. *Nihil est fœdius, quàm uxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicunt, se causâ Reipub. & generis humani uxoribus jungi, & filios procreare, imitentur saltem pecudes, & postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos.*

Ubi Gloss. verb. *Pecudes*, reddit rationem, dicens: *Pecudes enim post conceptum non coëunt, ut inf. eâd. q. 7.* Non solùm: *nec mulier faciat copiam sui corporis à conceptione usque ad purgationem, ut sup. dist. 5.* Ad ejus, & 33. q. 4. Si causa. Et verb. *Non perdant*, ait: *Perit enim partus ex frequenti concussione.*

155. *Probatur ex ratione esse illicitam.*

Neque solùm propter periculum, quod D. Hier. & Gloss. manifestè supponunt, non solùm, inquam, propter periculum abortûs; sed etiam eo secluso, talem coïtum fore illicitum, hâc ratione suadetur; quòd semen istud frustretur fine generationis, quòd mulier, dum gravida est, concipere nequeat. Unde etiam D. Aug. sup. & Ambr. nullam faciunt mentionem periculi.

Non est culpa lethalis.

Cæterùm (inquit Sanchez sup. n. 3.) omnes conveniunt DD. minimè esse lethalem culpam etiam exigere tunc debitum. Tum, quia nulla invenitur prohibitio accessûs in eo tempore: tum, quia Matrimonium non solùm est institutum in officium naturæ, sed etiam in concupiscentiæ remedium: quod minimè præstaret, imò

imò rete maximum eſſet, ſi tanto tempore conjugibus abſtinendum eſſet.

Neque ſecundùm Sanchez, venialis.

Et n. 6. probabiliùs exiſtimat, nequidem venialem eſſe culpam. Quia, inquit, nullam prohibitionem reperio, & ubi neceſſitas non cogit multiplicare culpas, non oportet; eo vel maximè, quòd Matrimonium laqueum injiceret, ſi hæc eſſet culpa venialis; cùm enim magna temporis Matrimonii parte uxor gravida ſit, vel abſtinendum eſſet conjugibus ferè ſemper à debiti exactione, vel innumera eſſent venialia admittenda. Hæc ille cum Aliis, quos citat.

156. *Reſp. ad teſtimonia PP. Item ad rationem.*

Quid ergo ad teſtimonia SS. Patrum ſuperiùs adducta? Dicit Sanchez n. 7. ea omnia intelligenda eſſe, ubi eſſet veriſimile abortûs periculum, vel de conſilio loqui. Ad rationem allegatam reſpondet: non poſſe tunc fœtum concipi, minimè provenire ex natura & modo concubitûs, quod deſideratur, ut is ſit peccatum contrà naturam; ſed per accidens, quia fœmina eſt gravida. Ita Sanchez.

Ego nuper audivi Clariſſimum Dominum Medicum Univerſitatis Lovanienſis firmiter aſſerentem, etiam fœminam gravidam poſſe concipere, experientiâ teſte, dum poſt unam prolem enixam, aliquot diebus elapſis aliam enititur.

Utut ſit de hoc, conſtat talem concubitum non fruſtrari omni ſuo fine: quia eſt in remedium concupiſcentiæ. Et verò copula in ſterilibus nonne fruſtratur fine ſuo principali? Et tamen propterea non eſt illicita, nequidem venialiter, quidquid aliqui videantur aſſerere, de quo alibi latiùs egimus.

157. *Expenditur teſtimonium D. Aug.*

Quantùm ad teſtimonium D. Aug. verbis præallegatis continuò adjungitur: *Quidquid inter ſe conjugati immodeſtum, inverecundum, ſordidumve gerunt, vitium eſt hominum, non culpa nuptiarum.* Quæ verba ita exponit Gloſſ. cap. 3. 32. q. 2. *Quidquid inter ſe causâ explendæ libidinis faciunt conjugati, non eſt culpa nuptiarum, ſed hominum.*

Nota ly, *Explendæ libidinis*, & cogita, veniale eſſe peccatum, causâ explendæ libidinis, id eſt, captandæ immoderatæ voluptatis, ne gravidis quidem conjugibus parcere. Et ideò dicit: *Sunt viri uſque adeò incontinentes, ut* (purè putè ad captandam immoderatam voluptatem) *conjugibus nec gravidis parcant.* Cui hæc explicatio non placet, dicat, S. Aug. ſic locutum fuiſſe, propter periculum ſaltem remotum, quod communiter adeſt, & non ſatis præcavetur ab his, qui ſolâ ducti voluptate & libidine commiſcentur.

158. *Item teſtimonium Ambr.*

Porrò teſtimonium Amb. ſic explicat Gloſſ. ibi: verb. *Conceſſum: Et ita videtur, quòd aliquod tempus prohibitum ſit, in quo non debeat uxorem ſuam cognoſcere, causâ ſobolis procreandæ, & ita non eſt conſilium; ſed fac vim in eo quod dicit,* videtur: *non enim dixit,* non eſt. *Vel intelligas in caſu in quo loquitur cap. quando ſcilicet cognoſcit eam causâ ſobolis: quia fortè in eo caſu non debet ad eam accedere, ſecùs ſi causâ incontinentiæ.*

Et verb. *Conceptus*, ait: *Ex quo ſcilicet partus incipit moveri: hoc etiam conſilium eſt ſecundùm nos: ſicut etiam de menſtruata, diſt.* 5. Ad ejus verò, *licet Hugo contradicat.*

Igitur conſilium eſt, non præceptum, conjugibus gravidis parcere, etiam ubi aliàs non foret periculum incontinentiæ, ſaltem ſi liceat copula ex fine moderatæ voluptatis, & nullum ſit periculum abortûs vel alterius nocumenti prolis. Ubi autem non eſt præceptum, neque peccatum erit copula. Et ſic manet vera Concluſio; ſcilicet, quòd impræegnatio non ſemper reddat copulam illicitam.

159. *Probatur, copulam tempore lactationis non ſemper eſſe illicitam.*

Et eadem eſt ratio tertiæ partis Concluſ. quæ docet, neque tempore lactationis copulam ſemper eſſe illicitam. Eadem, inquam, ratio eſt; ut putà, quia nuſpiam invenitur præceptum ſtrictum eam prohibens. Solùm adducitur cap. fin. diſt. 5. ubi ex D. Gregor. dicitur: *Ad ejus verò concubitum vir ſuus accedere non debet, quoadusque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant: quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum; quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare, quos gignunt.*

In oppoſitum adducitur c. fin. diſt. 5. ex d. Gregor.

Ubi Gloſſ. verb. *Ablactetur*, inquit: *Tempus ablactationis hic appellatur tempus poſt partum, quando mulier nimis abundat lacte, & niſi extraheretur per puerum, redderet ipſam infirmam; ideò autem prohibetur illis temporibus commiſceri cum eis, quia ex tali coitu naſcuntur morboſi & leproſi. Sed quid ſi mulier petat debitum à viro tempore menſtrui, vel tempore purgationis? Dico, quòd non reddet debitum ei, niſi timeretur fornicatio ejus,* 13. *diſt.* Duo mala. *Item ſi vir petat debitum tempore menſtrui à muliere, mulier negabit, & exponet ei cauſam, quare non poteſt. ff. de Solut. l.* Quod dicimus.

160. *Quomodo Gregor. intelligendus.*

Itaque intelligitur Gregorius de debito ſtrictè dicto, quando ex tali coitu naſcerentur morboſi & leproſi. Sed experientia hodierna docet oppoſitum, ſaltem ut in plurimùm; cùm paſſim conjuges eo tempore commiſceantur ſinè notabili nocumento prolis, quæ concipitur, aut etiam quæ ablactatur. Et ob rem incertam raramque, duriſſimum eſſet jugum (inquit Sanchez ſup. n. 14.) moraliter impoſſibile humeris conjugum imponere, ut ſimul in eodem lecto accubantes, biennio quo infantis lactatio durat, abſtineant; atque iterùm cùm mater pepererit, alio biennio: ac proinde Matrimonium pauperibus non remedium concupiſcentiæ, ſed laqueus & cauſa multorum peccatorum eſſet. Quòd ſi aliquod proli damnum non tanti momenti inferatur, non tenentur parentes medio tam difficili, ac moraliter impoſſibili, illi occurrere. Ita Sanchez. Qui propterea docet, nullam omninò eſſe culpam, tunc temporis commiſceri.

161. *Quid dicendum de tempore purgationis.*

Utì etiam tempore purgationis, id eſt, quo durat reverà immunditia corporalis poſt partum. Quod tempus Greg. ſup. & Gloſſ. ſtatim adducta æquiparant tempori menſtruo; atque adeò eodem modo de utroque oportet ratiocinari. Tantùm noto, d. cap. *Duo mala*, quod

Quòd possit reddi debitum, si timeatur fornicatio, probatur ex c. 1. dist. 13.

Gloss. ponit, ut probet, reddendum esse debitum, dum aliàs timeretur fornicatio, impertinens esse ad hoc probandum. Ecce verba textûs: *Duo mala licet sint omninò cautissimè præcavenda, si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare.*

Ubi Gloss. in expositi casûs: *Statutum fuit* (inquit) *in Concilio Toletano* (8. c. 2.) *quod quoties duo mala instant, ita quòd alterum eligi sit necesse, illud debet eligi, quod minùs gravat, & illud vitari, quòd magis.*

162. *An rectè.*

Quæro nunc, in casu nostro alterum eligi est necesse? Clarum est quòd non; nam potest, si velit, abstinere à fornicatione, & debet abstinere, etiam in casu, quo alter eligat non reddere debitum. Putas'ne, quòd posset aliquis fornicari, ad impediendum suicidium, quod alioquì certò sequetur? Minimè inquis. Quare non; cùm fornicatio sit minus peccatum, ex duobus autem malis minus sit eligendum? Quia, reponis, neutrum est necesse fieri.

Videtur quòd non.

Benè optimè: ergò similiter in casu nostro, quia neutrum necesse est fieri, si reverà debitum reddere tali tempore jure naturæ foret illicitum, uti v.g. est mendacium, non fieret licitum, eo quòd timeatur fornicatio. Sicuti mendacium non fit licitum, quàmvis sit minus malum; tametsi per illud posset impediri homicidium, vel fornicatio, aliàs certò committendum.

163. *Quare in tali casu redditio sit licita.*

Quare ergò in nostro casu redditio debiti est licita? Quia magis obligat charitas, ad præcavendum damnum spirituale conjugis, quod liberè consequitur negationem debiti, quàm leve damnum temporale prolis, quod ex redditione debiti sequitur necessariò. Sin autem damnum prolis foret notabile, v.g. occisio vel abortus, jam sup. diximus, nullatenùs licitam esse redditionem, tametsi aliàs certò moraliter, liberè tamen fornicatio timeatur. Igitur d. textus intelligendus est de duobus malis, quorum alterum necesse est fieri; non autem quando liberè fieret, etsi certò certiùs. Et ideò hic textus non probat efficaciter intentum.

164.

Interim indubitatum esse debet, non semper copulam tempore prægnationis, lactationis, aut purgationis, esse illicitam, vel solum venialiter, excusante periculo incontinentiæ, aut alterius mali spiritualis aut corporalis, quod alioquì conjugibus imminet, nisi commisceantur. Fieri etiam potest, ut graviter vel leviter sit peccaminosa, ratione indecentiæ, aut periculi proprii vel alieni.

Potest aliquando esse graviter illicita.

Galenus.

Galenus (teste Sanchio sup. n. 13.) lib. 1. de Sanitate tuenda, sic ait: *A venere omninò abstinendum esse, quæcumq; lac præbebit, moneo. Nam & menses viri consuetudine provocantur, & lac odoris gratiam in deteriùs mutat. Quin etiam aliquæ in utero concipiunt, quo alienius à puello adhuc lactante nihil est.* Et Plinius lib. 28. natur. Histor. c. 9. ad princip. sic ait: *Concipere nutrices exitiosum est.*

Unde, ut notat Aversa sup. §. *Septimò demùm*, viri nobiles, qui suos infantes aliis nutricibus alendos tradunt, solliciti sunt, ne interim eæ cum viris suis misceantur. Et post pauca, sic ait: Quando constaret de gravi periculo: tunc abstinere sanè debebunt, nisi aliâ viâ speraretur proli jam natæ de alimenti subsidio provideri. Quâ ratione peccant interdum nutrices, quæ alienos filios nobilium, eoque delicatiores, lactandos suscipiunt, & ex congressu cum viris suis timent notabile illis damnum inferre; & posteà etiam illud deprehendentes, occultant ne deprehendantur, aut expellantur. Sic ille.

Quâ ratione peccent nutrices alienorum, qui viris suis commiscentur.

Hinc etiam fatetur Sanchez sup. n. 15. cum Pet. de Ledesma de Matr. q. 64. a. 1. d. 4. excusari à reddendi debiti obligatione matrem lactantem prolem, ac ita pauperem, ut non sit solvendo nutrici lactaturæ, expertamque ubera exsiccari, si concipiat, aut lac esse valde perniciosum proli. Et statim subdit. Non tamen damnarem virum exigentem. Quia ea esset causa justa prolem exponendi, ne tamdiu abstinere cogatur cum tanta difficultate, quin potiùs morali impossibilitate; aut aliâ viâ posset proli consulere, quærens virum pium, qui eam eleëmosynam eroget, sicut si mater obiret. At mater non tenetur tanto se damno & periculo similem patiendi dolorem exponere, ut in simili dixi disp. præced. n. 17.

165. *Quando lactans excusetur à reddendo debito, ex Sanchez & Ledesma.*

Rogas; ecquod illud simile? Jam edissero. Docet Sanchez d. disp. n. 8. non esse culpam mortalem, petere debitum tempore menstrui, quàmvis conjuges credant fore, ut monstrum gignatur: quia meliùs est proli sic esse, quàm non esse, & ideò non potest conqueri de damno illato. Interim n. 17. liberat tali casu uxorem ab obligatione reddendi debitum, quàmvis posset reddere. Quia, inquit, detrimentum magnum uxoris est, filium tanto affectum morbo habere. Quis enim dolor æquabitur ei, quem mater perpetuò patietur, præ oculis habens eam prolem? Sicut uxor potest debitum solvere viro leproso, cum notabili infectionis periculo, non tamen ad id tenetur. Sic ille.

166. *Copula tempore lactationis potest subinde carere omni culpâ.*

Utut sit de hoc simili, de quo sup. diximus, constat satis ex dictis, copulam tempore lactationis habitam posse subinde carere omni culpâ, etiam veniali; quando scilicet nullum damnum ex ea provenit, vel ipsis conjugibus, vel proli concipiendæ, aut lactandæ; alioquì juxtà mensuram damni erit peccatum grave aut leve, consideratâ obligatione charitatis ad regulam sup. à nobis traditam.

Præceptum positivum in hac materia, si quod fuit, abolitum est.

Hoc pro fine addiderim; quantumvis aliquando fuisset positivum præceptum, hisce temporibus non reddere aut exigere debitum, hodie tale præceptum contrariâ consuetudine, etiam timoratorum conjugum, prorsùs abolitum esse; ut proinde sola charitas, & naturalis aliqua indecentia sit attendenda.

Ex eadem porrò lege charitatis, haud obscurè colligitur, & erit

CON-

CONCLUSIO VI.

Non obligat petitio amentis, vel ebrii. Excusat subinde à redditione debiti magnum detrimentum in bonis fortunæ ac famæ, aut magna utilitas in iisdem. Similiter nimietas prolis.

167. *Ob nimietatem prolis possunt conjuges communi consensu abstinere à copula.*

QUòd propter hanc nimietatem conjuges communi consensu possint abstinere à copula, nulli potest esse dubium; quippè, ut patet ex dictis, nulla est per se obligatio ad petendum debitum; & Omnes fatentur, conjuges communi consensu posse vovere continentiam, per quod utique votum reddunt sibi tam petitionem, quàm redditionem illicitam. Ergò multò magis possunt communi consensu abstinere à copula, seu generatione prolis, quæ licèt sit finis Matrimonii, haud equidem obligans, ut satis patet ex alibi dictis; maximè cùm, mutatâ voluntate conjugum, queat obtineri, & voluntas sinè peccato mutabilis sit; & debeat mutari, si id necessarium sit ad evitandum incontinentiæ periculum, nisi damnum proventurum ex copula huic periculo præponderet, juxtà regulam charitatis.

168. *Hæc nimietas aliquando excusat à redditione debiti, ex Sanchez.*

Ex quo fit, ut subinde nimietas prolis excuset à redditione debiti; quando scilicet parentes non sunt tot filios alendo, ut docet Sanchez sup. disp. 25. n. 3. cum Aliis, quos citat, secluso incontinentiæ periculo in altero conjuge. Quia, inquit, ab aliis justitiæ debitis persolvendis excusat magna incommoditas; non enim cum magno sui incommodo tenetur quisquam restituere. Præterea; quia non tenetur conjux reddere, si timor probabilis adsit periculi aut detrimenti prolis jam genitæ: quod tamen verisimile est aliis filiis jam natis, si adhuc proles multiplicetur, parentibus destitutis facultatibus, quibus eos alant. Sic ille.

Herinx. *Nimietatem non excusare docet Coninck.*

Quod (ut notat Herinx hìc disp. 7. n. 5.) faciliùs locum habere posset in honestis & nobilibus, qui non possint alere multas proles sinè notabili statûs detrimento. Quantumvis non sufficere nimiam prolium multiplicationem, etiam juncto gravamine paupertatis, censeat Coninck disp. 34. dub. 3. & Alii, eò quòd gravamen istud nimis remotè & accidentaliter oriatur ex redditione debiti; ad quam proinde conjuges videntur se obligasse, etsi inde remotè nata sit sequi paupertas, quæ, velut effectus per accidens, non videtur posse impedire Matrimonii finem principalem. Sed hæc ratio non urget.

169. *Communes pauperes non excusantur, juxtà Præpositum.*

Plausibiliùs quoad communes pauperes admittit Præpositus q. 6. dub. 6. quòd non videantur excusari, etsi proles tot non possint alere, eò quòd nec patiantur detrimentum statûs, nec difficultas alendi proles videatur in illis adeò ponderanda, cum pane mendicato vivere possint. Quod judicio prudentis, attentis personarum circumstantiis, discernendum est. Ita Herinx.

Limitatio ex Sanchez & Ledesma.

Et Sanchez sup. cum Pet. de Ledesma ait, id accipiendum esse, quando parentum facultates non sunt ad alimenta sufficientes; secùs ubi eis præstandis sufficiunt, parentibus superstitibus, quàmvis, iis defunctis, divisæ inter tot liberos non sufficiant. Quia satis est, ut parentes sufficienter prolem alant, dum vivunt, & post eorum obitum, si facultates non sufficiant, prolis erit, aliunde victum quærere. Ita hic Auctor.

170. *Nimietas prolis per se non excusat.*

Alioquì per se loquendo nimietas prolis non excusat, juxtà eumdem sup. n. 2. & Alios communiter. Quia, inquit ille, cùm sobolis generatio, humanæque speciei propagatio, sit primarius Matrimonii finis, illudque honestet; fieri repugnat, ut exuberantior hujus finis executio eximat à debiti redditione, quæ medium est ad illum comparandum.

Hinc etiam ut ibidem notat n. 4. culpa est mortalis, debitum negare, eò quod alter conjugum à Iudæis aut Saracenis originem ducat, ne proles eâ maculâ afficiatur: quia cùm ad finem generationis Matrimonium initum sit, neque ex hoc capite irritetur; verum jus acquiritur ad debitum conjugale, quod est necessarium ad generationem. Et aliunde meliùs est prolem sic esse, quàm numquam esse: si autem possent debitum negare, numquam esset, ut nemo non videt. Atque hæc de ultima parte Conclusionis.

171. *Quando amentia non excusat.*

Venio ad primam, quæ loquitur de amentia & ebrietate. Equidem quod attinet ad amentiam, si non est perfecta, sed conjuncta cum aliquo usu rationis, & sufficienti libertate ad peccandum, liquidò manifestum est, eam non excusare à redditione debiti. Idem est, si conjuges solùm sint amentes in una aut altera re; cùm tamen circà Matrimonium & alia sint sui compotes. Nam & eos posse primò contrahere Matrimonium, alibi diximus; quâ ergo ratione possent excusari à reddendo debito, quando talis amentia supervenit Matrimonio jam contracto?

Quid si amentes lucidis fruantur intervallis.

Et consimiliter, si amentes lucidis fruantur intervallis, & eo tempore petant debitum, indubiè per se loquendo reddendum est, nam & tali tempore possent primò contrahere; quia tunc liberè & actu humano contrahunt, & petunt jus suum, ex priori contractu proveniens. Quidni ergò contractus valeat, & jus reddi debeat?

172. *Perfecta amentia ex natura rei excusat conjugem sanum. Probatio.*

Dixi: *Per se loquendo*: quia si lucida intervalla essent rara, & probabile periculum versaretur perpetuæ amentiæ, atque ita defectus educationis prolis, aut abortûs: estò Matrimonium, quod primò contraheretur, valeret; equidem usus ejus aliquando foret illicitus, juxtà statim dicenda de perfecta & totali amentia, nullisque intermissionibus gaudens. Quæ utique per se atque ex natura rei excusat conjugem sanum à redditione debiti, tametsi nullum abortûs, aut damni conjugis periculum subsit. Quàmvis enim amens (& idem est de ebrio) retineat

retineat dominium corporis, priùs comparatum per validum contractum Matrimonii; attamen non petit debitum actu libero & humano, cùm ejus incapax sit; sed eo modo, quo quis somnians peteret debitum, quæ petitio, secundùm Omnes, non obligat ad redditionem.

Confirmatur ex Sanchez. Et confirmatur (inquit Sanchez sup. disp. 23. n. 10.) Quia sicut vir amittit ob furorem jus ad suam, bonorumque administrationem, ita ad usum Matrimonii, ita ut exigens obliget. Sic ille.

173. *Objectio.* Sed contrà: copula amentis potest habere duplicem suum finem, scilicet generationem prolis, & remedium concupiscentiæ; bonorum autem conveniens administratio, est amenti aut ebrio moraliter pro illo tempore impossibilis.

Solvitur. Respondeo: inde tantùm sequitur, quòd conjux sanus possit per se reddere debitum; per se, inquam, id est, nisi sit periculum abortûs, aut immineat grave damnum sibi ipsi vel proli; v.g. si mulier sit amens & furiosa simul; neque est sterilis, sed fœcunda; non licet ei reddere debitum propter periculum suffocationis fœtûs seu abortûs: licet autem, si est quieta aut sterilis; quia tunc cessat dictum periculum, & sanus utitur jure suo.

174. *Quid si solus vir amens sit, licet etiam petere.* Similiter cessat, quando solus vir amens est; unde tunc non solùm licet reddere, sed etiam petere & incitare ad copulam. Estò quoque foret periculum effusionis seminis extrà vas. Quia (inquit Sanchez sup. n. 7.) conjux sanus operam dat rei licitæ, & præter ejus intentionem ac per accidens evenit effusio illa: et si aliquando ita contingat ex amentis culpa, non semper ita eveniet; ac proinde non est interdicenda copula conjugi sano.

An teneatur reddere. Si inferas: ergò tenetur tali casu reddere debitum. Respondeo neg. Conseq. quia, ut patet ex sup. dictis, in aliis multis casibus possunt conjuges debitum reddere, etsi non teneantur, etiam ad hoc requisiti à conjuge sano; quantò magis à conjuge amente aut ebrio, cujus petitio non est humana, & ideò minimè obligans, ut sup. diximus?

175. *Tenetur aliquando ex charitate, juxtà Sanchez.* Interim fieri potest, ut teneatur reddere, imò etiam petere; non ex justitia, sed charitate; quando scilicet sinè incommodo notabili respectivè potest reddere, & petere, & nisi reddat, aut etiam petat, imminet periculum conjugi amenti, aut etiam ebrio, vel extraordinariæ pollutionis, vel certè, quod pejus est, adulterii seu commixtionis cum altero. Ita docet Sanchez sup. cum Aliis, quos citat.

Oppugnatur à Dicast. Sed hoc difficile apparet Dicastilloni disp. 9. n. 51. pro casu, quo tantùm est periculum extraordinatiæ pollutionis: tunc enim, inquit, illa effusio seminis, facta ab insano, omninò per accidens est; & in illo, vel alia persona extrinseca, nullum est peccatum, de illaque pollutione sic contingente non ampliùs curandum est, quàm de pollutione in somnijs. Unde sicut non teneretur conjux petere debitum, aut reddere tali conjugi, ex eo precisè, quòd timeret probabiliter, sibimet conjugi sano eventuram pollutionem in somniis omninò inculpabiliter, nisi peteret aut redderet debitum tali amenti; multò minùs ad id tenebitur ad evitandam pollutionem in ipso amente; perinde enim est, quòd pollutio contingat in amentia, atque in somniis. Sic ille.

Ego autem dico: sicuti conjux sanus tenetur petere & reddere tali amenti, si commodè possit, & sciret, quòd aliàs ab ipso per tactus inhonestos in somniis pollueretur; sic identidem ad id tenebitur, ad evitandam pollutionem, quæ in ipso amente fieret per similes tactus. Ratio mea est; quia pollutio sic procurata, quàmvis non liberè, peccatum est materiale, quod quilibet tenetur impedire in se, vel in alio, quantùm commodè fieri potest. Sicuti teneor me non inebriare, quando prævideo in ebrietate fornicationem, homicidium & similia, secùs si pollutionem viâ naturali proventuram. Siquidem hæc non est peccatum materiale, sed miseria corruptæ naturæ, subserviens ad ejusdem allevationem, unde & in vigilia licet eam permittere, v.g. si contingat Confessario ex auditione turpium peccatorum. Censen' autem, quòd etiam liceret ei audire Confessionem, si prævideret in ea procurandam pollutionem? Minimè, inquis; sed quid mirum, cùm in Confessario foret voluntaria; in alio autem casu planè involuntaria?

176. *Defenditur ab Auctore.*

Fateor hanc disparitatem; sed illa solùm probat, in uno casu esse peccatum formale; in alio autem tantùm materiale: jam autem non solùm peccatum formale subjacet correctioni fraternæ, sed etiam materiale dumtaxat; maximè, quod est contrà jus naturæ, quale foret pollutio procurata in homine amente vel ebrio. Et de tali pollutione procurata intelligo ego, salvo meliori, sententiam Sanchez; non de ea, quæ viâ naturali amenti contingeret.

177. *Quomodo Auctor intelligat sententiam Sanchez.*

Et verò adulterium amentis, nonne & ipsum tantùm foret peccatum materiale, saltem ex parte ipsius? Et fieri posset, quòd etiam ex parte alterius, propter ignorantiam, aut similem amentiam; & tamen ad istud præcavendum teneretur conjux sanus petere & reddere debitum, juxtà eumdem Auctorem. Cur ergò non similiter ad evitandam extraordinariam pollutionem? Expectabo disparitatem.

178. *Si uterque conjux sit perfectè & totaliter amens, separandi sunt, ex Sanchez.*

Interim quæro, quid si uterque conjux amens sit perfectè & totaliter, ac sinè lucidis intervallis? Respondet Sanchez sup. n. 5. separandi sunt, donec ad mentem redeant, & reus esset culpæ, qui eos incitaret ad copulam. Quia licèt ipsi amentes minimè delinquant defectu libertatis: at qui eos copularet, concurreret ad evidens prolis educandæ damnum; careret quippè parentibus, qui eam educare instruereque possent.

Et confirmatur: quia propter simile prolis detrimentum, vagus concubitus est illicitus. Imò in hoc eventu magis destituta est proles, quàm ubi concubitus est vagus. Sic ille cum Aliis, quos citat. Et putat esse peccatum lethale.

179. *An incitare eos ad co-*

Sed tu cogita, quòd facilè possit esse provisum proli de bona educatione & instructione. Scio fornicationem esse illicitam, tametsi

hìc

pulam sit peccatum mortale.

hìc & nunc abſit omne periculum malæ æducationis prolis : ſed quid mirum, cùm habeamus legem divinam, prohibentem eam ob talem finem ? Jam autem fine legis ceſſante in caſu aliquo particulari ſolùm negativè, non propterea ceſſat ipſa lex, juxtà receptiſſimam doctrinam : hìc porrò cùm non obſtet alia lex, quàm charitatis, ſi hìc & nunc nullum eſt periculum damni prolis, ſed optimè ei proviſum erit de educatione & inſtructione, cùm melius ſit ei ſic eſſe, quàm nunquam eſſe, non poterit conqueri de injuria ſibi facta, aut damno illato. Suppono, quòd non ſit etiam periculum amentiæ, aut abortûs vel occiſionis prolis.

Iudicium Auctoris.

Sanè, ſalvo meliori judicio, exiſtimarem, tali caſu non fore illicitum, incitare conjuges amentes ad copulam, niſi aliquid aliud obſtet. Sicut id non eſt illicitum, quando ſunt ſteriles, aut quando unus tantùm eorum eſt amens. Vellem audire diſparitatem.

180. *Quid ſi amentes, qui incitantur, non forent conjugati.*

Secùs dicendum, ſi amentes iſti, qui incitantur ad copulam, non forent conjugati ; tunc ſiquidem ille, qui incitat, peccat mortaliter, etiam ſecluſo periculo prolis ; ſimili modo, quo peccaret, ſi eſſent ſibi compotes, qui fornicantur. Eſtò enim amentes, defectu libertatis, non peccent peccato formali fornicationis ; nemini tamen dubium eſſe debet, nec verò poteſt, quin copula illa ſit verè fornicaria materialiter ; igitur ad eam incitans convincitur habere affectum ei conformem : quidni ergò lethaliter peccet ? Et à fortiori peccabit lethaliter, ſi adſit periculum prolis. Quia (inquit Sanchez ſup. n. 6.) gravius eſſet prolis damnum, quàm ſi mentis compotes eſſent.

181. *Qui cuſtodiunt amentes, debent eos à copula arcere.*

Unde infert idem Auctor : teneri eos, quibus amentium cuſtodia deputata eſt, niti, ne congrediantur, ſicut tenentur curare, ut abſtineant ab aliis malis inferendis. Non tamen is concubitus eſt contrà naturam, cùm ex eo poſſit generatio ſequi. Tenetur autem, qui eos ita copularet, fateri eaſdem circumſtantias, quæ fatendæ eſſent, eâ copulâ habitâ inter perſonas mentis compotes, quia talis circumſtantia volita eſt à copulantibus illos amentes : at velle, ut aliquis ad conſanguineam accedat, eſt peccatum inceſtûs.

Et confirmatur ; quia ſuadens cuipiam acceſſum ad conjugatam, ignaro conjugii, reus eſt adulterii ; quia reverà is concubitus eâ affectus eſt circumſtantiâ, non ignoratâ à ſuadente, quàmvis accedens ab ea excuſetur ratione ignorantiæ. Hactenùs Sanchez.

182. *An incitans amentem, qui habet votum caſtitatis, ad fornicationem, ſit reus ſacrilegij, ex Dicaſt.*

Hoc tamen ultimum (inquit Dicaſtillo ſup. n. 41.) quàmvis probabiliſſimum & fortaſsè verum, & in praxi ita ſervandum, ſuam habet difficultatem pro omnibus caſibus abſque ulla diſtinctione loquendo ; quàmvis enim in pleriſque veriſſimum ſit, ut ſi aliquis amentium conjugatus ſit, in quo caſu ſic incitans eſt cauſa injuſtitiæ commiſſæ ergà conjugem alterum : in aliis tamen caſibus, v. g. voti emiſſi ab illo amente ſervandi caſtitatem, quando erat ſui compos ; non video, quâ ratione tam certum ſit, ſic incitantem amentem, habentem votum, peccare peccato ſacrilegii contrà votum caſtitatis, quod amens olim prudens emiſerat.

Nam licèt demus doctrinam generalem ; ſcilicet eum, qui movet aut incitat alium ad aliquod peccati genus, peccare eodem genere peccati, cum eo qui ſic incitatus peccat, ſaltem malitiâ ſecundariâ, quatenùs præceptum obligans aliquem ad aliquid faciendum, vel omittendum, ex natura rei obligat cæteros, ut non hortentur aut incitent illum ad contraveniendum tali præcepto : quàmvis, inquam, hoc ita eſſe generaliter fateremur : tamen in noſtro caſu ille, qui incitat amentem habentem votum caſtitatis ad copulam, non eſt cauſa, ut amens frangat votum, neque ut amens peccet contrà illud, ſitque infidelis Deo & ſacrilegus, quia nihil tale committit in illo actu ; ergò non peccat eo genere peccati, quo peccaret, ſi amens ille fuiſſet ſui compos. Imò ſi rectè expendamus, nec malitiâ ſecundariâ fornicationis intrà genus intemperantiæ peccat, quicumque incitat amentes ad copulam, quia non eſt cauſa, ut illi ſint intemperantes & venerei ; tales enim non ſunt in eo actu. Hucuſque Dicaſtillo. *Probatur quòd non.*

Ego autem dico : ſi rectè expendamus, peccat malitiâ fornicationis intrà genus intemperantiæ, quicumque deliberatè incitat amentes ad copulam ; quia eſt cauſa, quòd illi ſint intemperantes & venerei ; tales enim ſunt in eo actu, non quidem formaliter, ſed materialiter ; quod ſufficit, ut affectus deliberatus ei conformis habeat malitiam fornicationis ; veluti ſi quis vellet deliberatè, ut ſibi contingeret fornicari, id eſt, copulari non ſuæ in ſommo aut ebrietate. 183. *An peccet malitia fornicationis intrà genus intemperantiæ.*

Admittit Dicaſtillo ſup. ſic incitantem amentes peccare ; ſed ſolùm, inquit, quia incitat ad actum, quem naturæ leges non permittunt in natura rationali, niſi inter conjuges & ſui compotes, id eſt, non amentes, quorum ſaltem alter poſſit ſervire ad rectam prolis educationem. Dicaſt.

Sed quæſo te, lex illa naturæ eſt lex temperantiæ ? Quæ ergò ? Lex Charitatis ? Hæc non obligat, ubi per ſe vel per accidens nullum eſt periculum damni, ut ſup. diximus : ergò eo ſecluſo, incitans nullatenùs peccaret. Sin autem eſt lex temperantiæ, liquet, incitantem contrà eam peccare ; quia eſt cauſa intemperantiæ, id eſt, copulæ, quam non permittit temperantia in natura rationali, niſi inter conjuges & ſui compotes, id eſt, non amentes, quorum ſaltem alter poſſit ſervire, ad rectam prolis educationem, ut ſup. audivimus. 184. *Probatur quod ſic.*

Aſt nunquid eadem ratio inceſtûs aut voti ? Reſpondeo : ſi inceſtus foret contrà legem naturalem, v. g. inter patrem & filiam, planè eadem eſſet ratio : nam etiam inter amentes eſt peccatum materiale inceſtus ; loquor ſecundùm eam ſententiam, quæ docet, legem naturalem, utpotè inſcriptam cordibus hominum, obligare etiam amentes, ebrios, ſomniantes, ignorantes ; quàmvis ipſi contrà eam non peccent formaliter *An ſit eadem ratio inceſtûs.*

defectu voluntarii. Sin autem accipiatur incestus solùm ex lege Ecclesiæ, v. g. inter consanguineos in gradibus ulterioribus, cùm lex Ecclesiæ non obliget amentes, juxtâ communem opinionem, sicut inter amentes talis copula non foret incestuosa, nequidem materialiter; dico, qui incitaret eos ad illam copulam, non peccaret peccato incestûs, neque eam circumstantiam deberet explicare in Confessione.

185. *An sit eadem ratio voti.* Et idem assero de voto; quippè votum non obligat, nisi ad abstinendum ab omni & solo actu externo & interno perfectè deliberato; id est, actus indeliberatus non est objectum voti, atque adeò amentes non peccant contrà votum suum, nequidem materialiter; quia deest materia ejus; quid ergò mirum, si incitans ad actum indeliberatum, etiam non peccet contrà idem votum?

Occurritur objectioni. Si dixeris: neque præceptum, *Non fornicaberis*, prohibet fornicationem involuntariam; sed eam tantùm, quæ est actus saltem imperfectè deliberatus. Respondeo: in ea sententia, neque incitantem amentes peccare contrà istud præceptum. Dummodò concesseris, neque ebrium, neque somniantem peccare materialiter contrà legem naturæ fornicando; atque adeò neque eum, qui tales incitaret ad fornicationem. Quæ enim disparitas? Nam & amentia non semper est perpetua, Hæc dicta sint inquisitionis ergò, non resolutionis, quam doctioribus relinquo.

186. *Qui incitat amentes ad adulterium, peccat contrà justitiam, ex Dicast.* Benè notat Dicast. sup. n. 42. eos, qui incitarent amentes ad adulterium, peccare contrà justitiam, etiam per se & directè, estò non peccaret contrà temperantiam. Ratio, inquit ille, disparitatis est; quia ad peccandum peccato injustitiæ, etiam directè & per se, non est necessarium, quod ille, qui incitatur ad inferendum damnum, peccet per se contrà justitiam; sufficit enim, quòd incitans ipse sit voluntaria causa damni, quod tertio infertur: tale autem infertur, quando corpus amentis conjugati copulatur alteri non conjugi, cujus damni causa est ipse incitans.

Unde in tali casu sic incitans non peccat peccato secundario injustitiæ, quatenùs causa, quòd amens peccet peccato injustitiæ; sed peccat peccato primario & directo, quatenus ipsemet est causa, incitando amentem, damni contrà conjugem amentis; at verò incitans alterum non conjugatum, etiam habentem votum, non potest peccare peccato fornicationis secundario vel sacrilegii secundario, nisi quatenùs causa, quòd alius peccet tali genere peccati; in nostro autem casu amens non peccat; atque adeò nec incitans, qui solùm peccat tunc, quatenùs incitat ad actum, non eodem modo & cum talibus circumstantiis factum, cum quibus lex naturæ præcipit fieri, aut sinè quibus fieri vetat, ne alioquì vergat in damnum prolis, non benè educandæ. Sic ille. Consequenter ad illa, quæ sup. dixerat, & jam satìs expendimus.

187. *Probatur.* Certum est, quòd quilibet habeat jus, ne ego per me vel per alium quemcumque, liberè aut naturaliter operantem, damnum injustum ei faciam, v. g. canem, aut aliud animal incitem ad eum mordendum, aut aliter nocendum in bonis corporis vel fortunæ, tametsi animal damnificans nullatenus peccet, sive formaliter, sive materialiter. Ergò id faciendo, pecco contrà justitiam per se & directè; ut autem peccem contrà temperantiam v. g. oportet ut actus ille, cujus sum causa, saltem materialiter ei repugnet, & non excusetur à formali peccato, nisi defectu voluntarii; quod dum ego adjungo, jam respectu mei est peccatum formale, id est, ego pecco formaliter; contrà quam virtutem, si non contrà temperantiam? Expectabo responsionem.

Interim pergam ad ebrietatem, quæ & ipsa, ut sup. insinuavi, excusat conjugem à redditione debiti, quod ab ebrio petitur; quia & hæc petitio non est actus humanus; excusat, inquam, per se loquendo; nisi scilicet obstet periculum incontinentiæ; quamquam & tunc in rigore non obliget petitio; adeoque qui negaret debitum, non committeret injustitiam, sed tantùm contrà charitatem peccaret. Ex quo patet, ebrietatem non semper prohibere copulam. Imò ordinariè non prohibet, sive vir ebrius sit, sive mulier, aut uterque. Quia cùm ebrietas citò transeat, non est periculum abortûs, tametsi mulier ex eo coïtu concipiat; cessat quòque damnum prolis educandæ. 188. *Ebrietas excusat à redditione debiti.*

Restat secunda pars Conclus. quæ parvam habet difficultatem, suppositâ veritate hactenùs dictorum; ex quibus constat, non in omnibus circumstantiis obligare redditionem debiti; sed tunc solùm, quando non adest rationabilis causa negandi; est siquidem præceptum affirmativum, quod licèt obliget semper, non tamen ad semper, ut sup. notavimus ex Scoto 4. dist. 32. q. un. n. 2. ibi: *Dico quòd* (redditio debiti) *est actus præcepti affirmativi, explicantis justitiam commutativam. Præceptum autem affirmativum obligat semper, sed non ad semper, sed pro quando actus potest esse debitè circumstantionatus.* In casu autem nostro non est debitè circumstantionatus. 189. *Probatur 2. pars Conclus.* Scotus.

Quia conjuges (inquit Sanchez sup. disp. 4. n. 13.) in ipso Matrimonii contractu pollicentur sibi mutuum obsequium & operarum communionem, quantùm ad oëconomiam, & propriæ domûs gubernationem; & ad hoc tendit societas conjugalis. Ergò quoties viri prudentis arbitrio ad familiæ gubernationem, & rei familiaris necessitatem exigitur diuturna absentia viri, non debet hæc censeri irrationabilis & illicita; atque adeò nec irrationabilis, nec illicita negatio debiti, quæ absentiam illam necessariò consequitur. *Confirmatur ex Sanchio.*

Et sic habet quotidiana praxis, quæ est optima legum interpres, quæ etiam licentiat virum, ut, dum Princeps ad bellum convocat, invitâ quoque uxore peregrè proficiscatur, quando id exigit bonum commune, quod præponderat bono privato. Summa summarum, lex seu regula charitatis in his omnibus inspicienda est, sicut jam non semel diximus; nam lex justitiæ contrà 190. *Peo ea stat quotidiana praxis.*

contrà charitatem militare non poteſt, cùm & ipſa pro charitate inſtituta ſit.

Sed neque contrà religionem ſeu reverentiam debitam Deo, ac rebus ſacris. Et ideò docent Quidam, copulam eſſe illicitam, tum in diebus ſacris, tum etiam in locis ſacris. Quid ego ſentiam de diebus ſacris, patebit ex Concluſione ſequenti, quæ talis eſt:

CONCLUSIO VII.

Per ſe non eſt illicitum, ſaltem graviter, petere aut reddere debitum diebus ſacris.

191. *Quid hic intelligantur dies ſacri.*

DIes ſacri intelliguntur dies feſtivi, dies jejuniorum, dies orationum, in quibus fiunt publicæ ſupplicationes & proceſſiones. Item dies, in quibus ſuſpicienda vel ſuſcepta eſt ſacra Euchariſtia.

Probatur, diem ſacrum excuſare à debito.

De his lego apud Scotum 4. diſt. 32. q. un. n. 1. *Tempore obſervationis & orationis ſacræ & jejunii non tenetur quis reddere debitum: quia tunc eſſet indiſpoſitus ad comedendum carnes Agni* (juxtà illud D. Hieronymi, & ponitur c. 1. 33. q. 4. *Sciatis fratres chariſſimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet*) *ſed nullus ſit inidoneus ad Euchariſtiam propter actum illum, ad quem neceſſariò obligatur: ergò non eſt neceſſarium, in Matrimonio reddere debitum petenti.*

C. 1. 33. q. 4.

192. *Reſponſio Scoti.*

Reſpondet Doctor n. 7. *Apoſtolus non dicit abſolutè, abſtinendum tempore ſacro; ſed conſuluit ad tempus, ut vacent orationi, & iterùm reducantur in ſeipſis, ne tentet eos Satanas. Et quod adducitur de Hieronymo, & ponitur 33. q. 4. Reſpondeo: non poteſt omninò cum reverentia debita; & cùm dicis, non excluditur aliquis propter actum præcepti à communione: nego, quia aliquis actus præceptus eſt, propter quem iſte eſt minùs diſpoſitus ad reverenter percipiendum Euchariſtiam. Si tamen loquaris de excludi ex neceſſitate præcepti: concedo, quòd non; quia non video, quomodo propter hoc ſolùm peccaret mortaliter, ſi perciperet corpus Domini.* Ita Scotus.

193. *Quid ſentiat D. Bonav. Sanchez.*

Ejuſdem videtur fuiſſe ſententiæ D. Bonav. eâd. diſt. a. 3. q. 2. Quàmvis enim (inquit Sanchez ſup. diſp. 12. n. 5.) in principio videatur aſſerere eſſe culpam, tandem in fine concludit, id eſſe de conſilio. Do verba ejus, ut quiſque meliùs intelligat, quæ fuerit mens tanti Doctoris.

Igitur in corp. ſic habet: *Dicendum, quòd, ſicut dicit Mag. debitum ſemper eſt poſcenti ſolvendum, non tamen ſemper licet petere: cujus ratio eſt, quòd reddere ſit neceſſitatis, ſed petere eſt voluntatis, & in ſacris diebus inordinatæ voluptatis eſt petere; quòd patet ſic: conjugium enim ratione ſui actûs eſt remedium, ſed non omninò curans, ſed excuſans. Vnde in actu conjugali eſt opus carnis, quod trahit animam deorſum, & ad terrena ſapiendum, & etiam ad delectationem ſentiendum. Quoniam igitur aliqui ſunt dies, in quibus debet anima ſanctificari & aſſurgere ad divina, utpotè ſolemnitates præclaræ; ſunt etiam aliqui dies, in quibus debet anima affligi, utpotè jejuniorum & proceſſionum; ideò conveniens eſt, in talibus temporibus ab illo actu ceſſare, & ideò Sancti Patres inſtituerunt, non tamen inſtituerunt tamquam præceptum propter carnis lubricum, quod in multis eſt magnum: & quia non tamquam præceptum inſtituerunt, nec jus petendi debitum abſtulerunt, ideò cùm petitur, manet neceſſitas ad reddendum.*

194. *Poteſt reddi debitum ſinè omni culpa, ſecùs peti.*

Ideo dicendum, quòd reddi poteſt ſinè omni culpa in illis diebus, dum tamen reddat cum diſplicentia & dolore. Peti autem non poteſt ſinè culpa: & ſi aſpectus ſit ad delectationem, gravis eſt culpa; ſi autem ad lubricum carnis, & ſuam infirmitatem, cujus eſt conſcius vel conſcia, vehementer timet, & propter hoc petit, veniale poteſt eſſe peccatum; attamen vix contingit, quòd in præcipuis diebus non ſit grave peccatum. Concedenda igitur ſunt rationes, quòd debet reddi, quia non poſſunt fraudare, niſi ex conſenſu. Vnde tempus orationum non ſufficit ad abſtinendum, niſi adſit etiam mutuus conſenſus, ſicut innuit Apoſtolus. Sic ille.

Ubi videtur aſſerere, eſſe culpam ſaltem venialem in petendo, imò etiam mortalem in præcipuis diebus, puta Nativitatis, Reſurrectionis & ſimilibus.

195. *Petere non videtur per ſe eſſe peccatum mortale.*

Vide nunc, qualiter in fine concludat, id eſſe conſilii. *Ad ultimum* (puta, major eſt delectatio in coïtu, quàm in cibo, ergò ſi Eccleſiaſtica inſtitutio quantùm ad abſtinentiam cibi eſt neceſſariò obſervanda, multò fortiùs quantùm ad coïtum) *dicendum, quòd non eſt tantum periculum in guſtu, ſicut in tactu: & ideò inſtitutum eſt de jejunio ſub præcepto; ſed de ceſſatione ab amplexu eſt conſilium, maximè conjugatis, qui invicem cohabitant. Hoc ſinè præjudicio ſit dictum pro eo, quòd Sancti videntur talem coitum aggravare: ſicut auctoritates Hier. in litera videtur ſentire. Sed intelligendum eſt, quòd Sancti iſtud non prohibuerunt, maximè cùm Apoſtolus dicat, quòd propter orationem non debent invicem fraudare, niſi ex conſenſu. Et ideò concedendum eſt, iſtud magis eſſe congruitatis & honeſtatis, quàm neceſſitatis: niſi conſcientia obliget, quâ credat, illud eſſe prohibitum & mortale peccatum, vel niſi interveniat ſacra dies contemptus, de quo valde poteſt timere, qui tunc debitum non erubeſcit petere.* Hucuſque Doct. Seraph.

Probatur.

Et meritò: quia non ſunt multiplicanda peccata, maximè mortalia, ſinè expreſſa prohibitione divina vel humana, qualis hìc nulla invenitur. Quia præceptum de colendis feſtis prohibet ſolas operationes externas ſerviles, qualis non eſt debitum petere vel reddere; & præcipit ſolam auditionem Miſſæ, ad quam non redditur ineptus, qui tali die petit aut reddit debitum. Nec in diebus jejunii homo tenetur ad aliam carnis macerationem, quàm ad eam, quæ ab Eccleſia præſcripta eſt, ut puta ſola abſtinentia à pluribus comeſtionibus, & cibis vetitis, non autem ab uſu conjugali.

196. *Objectio ſolvitur.*

Dices, Sancti videntur talem coïtum aggravare. Planè; ſed aliud eſt aggravare, & aliud prohibere. Sancti illi non habuerunt poteſtatem

prohi-

prohibendi, saltem universalem; ergò non prohibuerunt.

Instantia ex Innoc. Epist. 3. c. 1.

Fateor, inquis; sed prohibitionem à legitimo Legislatore factam supposuerunt; alioquì non debuissent sic aggravare. Hinc Innoc. Papa Epist. 3. c. 1. ait: *Nam si Beatus Paulus Apostolus ad Corinth. scribit dicens:* Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, *& hoc utique Laicis præcepit: multò magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.* Ubi manifestè dicitur esse præceptum, scilicet Apostoli Pauli.

197. *Explicatur locus Apost. 1. Cor. 7. de consilio seu congruit.*

Verùm enimverò jam patet ex Scoto sup. Apostolum ibi nihil præcepisse absolutè laicis, sed solùm consuluisse: unde & addidit ly, *Ex consensu*, scilicet mutuo, neque ullo verbo significat, illum consensum esse debitum. *Nolite*, inquit, *fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* &c. 1. Cor. 7. v. 5. Quod bene notavit D. Bonav. sup. ex eo colligens, istud magis esse congruitatis, quàm necessitatis.

Vri & Innoc.

Quare Gloss. cap. 1. dist. 82. ubi dd. verba Innoc. referuntur, verbum, *Præcepit*, explicat, *Id est persuasit, ut* 33. q. 4. c. 5. sequentis tenoris. *Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet convenire: quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit, quod postulatur. Vnde Apostolus ait, ex consensu abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi.* Ita Aug. in lib. qq. veteris & novi testamenti q. 127.

Ubi Gloss. verb. *Non licet*, inquit: *Id est, non expedit, & ita licitum dupliciter dicitur.* Et verb. *A licitis*, ait: *Propter hoc & illud inf. eâd.* Nec uxorem, *Dic omnia hæc de consilio intelligenda.* Porrò cap. *Nec uxorem*, quod est Nicolai Papæ ad consulta Bulgar. cap. 48. sic sonat: *Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore, convenire posse nullatenùs arbitramur.* Convenire, inquam; ergo consilii est non præcepti, attento solo jure naturali.

198. *Itemque S. Hier.*

Sed quæret aliquis: Ecquæ sunt *omnia hæc, de consilio intelligenda*, juxtà d. Glossam? Respondeo: auctoritas D. Hieronymi sup. adducta & alia quæ refertur eâd. cap. 1. *Si panes propositionis non poterant ab iis, qui uxores suas tetigerant comedi, quantò magis panis ille, qui de cælo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulò ante hæsêre complexibus, violari atque contingi? non quòd nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed quòd eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus.*

Ubi Gloss. verb. *Non potest*, inquit; *Propter reverentiam Sacramenti. Vel intellige, cùm causa saturandæ libidinis commiscetur, vel consilium est; alias enim ex necessitate tenetur reddere.*

199. *Et D. Aug.*

Item, quod refertur eâd. cap. 2. ex D. Aug. Serm. 2. de temp. *Quotiescumque aut dies natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies non solùm ab infidelium concubinarum consortio, sed etiam à propriis uxoribus abstinete.* Dic (inquit Sanchez sup. n. 8.) D. Aug. de consilio loqui; nec in omnibus æquiparare accessum conjugalem, concubinariumque; hic enim omni tempore vitandus est, secùs ille. Et nemo aliorum Patrum docet, ante plures dies ab uxoribus abstinendum esse ex rigore præcepti.

Similiter intelligitur D. Ambros.

Similiter de consilio intelligitur, quod ex D. Ambr. in Serm. de Adventu Domini refertur eâd. c. 3. *Fratres non tantùm debetis ab omni immunditia abstinere, sed etiam ab uxoribus propriis studiosissimè contineatis. Nullus omninò uxori suæ jejuniorum diebus jungatur.* Ubi Gloss. verb. *Fratres*, ait: *Consilium est.*

Omitto cap. 4. *Si causa*, eâd. desumptum ex eodem S. Patre, quia de eo sup. egimus, & pariter de consilio exposuimus. Plus ergò quàm meridianum est, dicta testimonia Patrum, estò haberent vim Canonis, haud equidem convincere oppositum nostræ Conclusionis.

200. *An dd. testimonia SS. PP. habeant vim Canonis. Aliquì affirmant.*

Si autem quis interrogat: nunquid habent vim Canonis sive Decreti? Respondent Aliqui apud Sanchium sup. n. 3. quamvis Sanctorum testimonia ex se vim Canonum non habeant ad causarum decisionem: at ex longa Ecclesiæ consuetudine sic acceptantis, & publicè legi volumen Decreti permittentis, quæ in eo inserta sunt Sanctorum dicta, robur statuti Canonici obtinent.

Probant ex c. 6. de desp. impub.

Hinc Alex. III. cap. *Continebatur*, de Desponsat. impub. probat, viri testimonio credendum esse: quia ita in Decretis habetur, nempè cap. *Si quis acceperit*, 33. q. 1. quod est Concilii apud Compendium. Cùm ergò tam manifestè prohibitus sit in dd. capitibus accessus ad conjugem iis temporibus, erit culpa saltem venialis. Sic illi argumentantur.

201. *Aliq negant.*

Sed Alii apud Sanchez sup. n. 5. respondent, dictis testimoniis Patrum, quàmvis insertis in Decreto Gratiani, non ampliorem auctoritatem, quàm Auctori tribuendam esse: unde vim Canonis minimè habent, quæ in Decreto continentur, nisi ex Pontificis aut Concil. Generalis Decreto desumta sint.

Probatur & c. 1. dist. 20.

Quod videtur probare cap. *De libellis*, dist. 20. ubi Leo IV. scribens Episcopis Britaniæ, explicansque, quæ vim Canonum habent ad causarum decisionem, retulit Canones Pontificios ac Conciliorum generalium, iisque nihil statuentibus dixit, Sanctorum dicta magnanimiter esse retinenda: ubi non numeravit inter Canones, quibus causa decidenda est, sed inter ea, quæ dirigunt, & magni facienda sunt.

202. *Resp. ad arg. oppos.*

Nec probant oppositi seu Adversarii, illud Decreti volumen receptum esse ab Ecclesia, tamquam jus continens quoad omnia in ipso inserta. Nec obstat: Pontificem in causis decidendis allegare aliquando Decretum: quia non semper tamquam textus juris allegatur, sed ad directionem, ut solent Pontifex & Concilium Generale Sanctorum testimonia referre. Hæc ille.

Objectio.

Tu nota; quòd Canones Pontificii, ac Conciliorum generalium, nihil statuant de accessu

ad

ad uxorem diebus ſacris ſup. enumeratis, & ideò videtur, quòd hìc Sanctorum dicta magnanimiter ſint retinenda. Atque adeò, dicet aliquis, talis acceſſus ad minùs veniale erit peccatum, ſi non contrà legem aliquam ſcriptam, ſaltem contrà reverentiam naturalem, debitam rebus ſacris, utì locis, ita & diebus, qui principaliter ad vacandum Deo orationiq́ue inſtituti ſunt; carnalis autem delectatio mentem abſorbet, & ad ſpiritualia ineptam reddit. Quare apud Ethnicos lumine ipſo naturali edoctos receptum erat, ut orationi vacaturi à concubitu etiam conjugali abſtinerent.

203. *Solvitur ex D. Bonav.* Reſpondetur ex D. Bonav. ſup. *Quòd non eſt ſimile de loco; quia in loco eſt conſecratio Sacramenti, & deputatio ad opera divina ſolùm: ideò temeratur locus ſacer, eſt enim menſa propria: ſed tempus non ſic omninò deputatur.* Sed in eo præſcribuntur, ut ſup. dixi, ſola auditio Miſſæ, & abſtinentia ab operibus ſervilibus, ſcilicet in diebus feſtivis; & in diebus jejuniorum abſtinentia à certis cibis, & ſecundâ refectione.

Et ſanè ſi mens Eccleſiæ fuiſſet ad alia opera fideles obligare, id ipſum in ſuis legibus expreſſiſſet. Finis quidem præcepti eſt vacare orationi & carnis macerationi; ſed extrinſecus, qui non eſt ſub præcepto, ſed tantùm ſub conſilio, quod Ethnici aliqui obſervarunt, & benè facerent Chriſtiani, ſi & ipſi obſervarent. Suſpicor autem, quòd multi Chriſtiani non obſervent, idq́ue ſinè ſcrupulo alicujus peccati.

104. *An poſt copulam conjugalem liceat eo die communicare.* Cæterùm quod attinet diem, in qua ſacra Euchariſtia accipienda eſt, de ea ſic lego apud Greg. in reſp. 10. ad interrogationes Auguſtini, & refertur 33. q. 4. c. 7. *Oportet itaque legitima carnis copula ut causâ prolis ſit, non voluptatis; & carnis commiſtio creandorum liberorum ſit gratiâ, non ſatisfactio vitiorum. Si quis ergò ſuâ conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodò liberorum creandorum gratiâ utitur, ipſe profectò de ingreſſu Eccleſiæ, & de ſumendo corporis Dominici Sanguiniſq́; myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus, neſcit ardere.* c. 7. 33. q. 4.

Videtur quòd ſic, dum habita fuit causâ prolis. Igitur eò die, quo ſic conjuge ſuâ utitur, poteſt ſinè ulla culpa ad Euchariſtiam accedere, ſuoq́ue is conjux eſt relinquendus judicio, ut pro ratione impedimenti aut ſpiritualis affectûs, quem in ſe ſenſerit, aut communicet aut abſtineat.

205. Quod videtur intelligendum non tantùm de eo, qui reddit debitum, ſed etiam de eo qui exigit. A quo fortè non diſſentit Doct. Seraphicus 4. diſt. 12. p. 2. a. 2. q. 3. n. 90. ubi ſic ait: *Ad illud quod objicitur de conjunctione cum uxore, dicendum, quòd rarò contingit, quòd homo conjungatur ſecundùm illum actum, debitum exigendo, quin ſit ibi aliqua culpa; ſi autem ſolùm reddendo debitum, non credo quòd debeat retrahi, niſi de congruo, vel etiam causâ prolis, & hoc dicit Greg. & habetur de Conſecr. diſt. 2.* *D. Bonav. videtur diſtinguere inter petitionem & redditionem.*

Puto quòd debeat eſſe 33. q. 4. c. 7. quia in tota illa diſt. nihil ex Greg. refertur ad hoc propoſitum, ſaltem in libro, quo ego utor. Ibi autem, ut jam jam vidimus, non diſtinguit Greg. inter petitionem & redditionem debiti, quando ſit causâ prolis.

206. *Quomodo ſit intelligendus.* Unde diſtinctio, quam hìc ponit Doctor Seraphicus inter petitionem & redditionem, quidni intelligi poſſit, quando petitur debitum ad explendam ſeu ſaturandam voluptatem? Id enim non poteſt fieri ſinè culpa ejus, qui exigit, nec etiam ex parte ejus qui reddit, ſi & ipſe illam voluptatem intendat; ſecùs ſi ſolùm intendat ſatisfacere debito juſtitiæ, quam intentionem nequit habere ille qui exigit. Hinc Greg. d. cap. 7. *Cùm verò non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptatis dominatur in opere commiſtionis, habent conjuges etiam de ſua commiſtione, quod deſleant.*

207. *Probatur eſſe licitam ex Sanchez.* Igitur ad propoſitum noſtrum, eſtò foret illicitum, ſaltem venialiter, communicare poſt copulam conjugalem, ſive petendo ſive reddendo exercitam causâ ſolius voluptatis explendæ; ſecùs tamen, ſi exercita fuerit causâ prolis procreandæ. Ita docet Sanchez cum Aliis, quos citat in magno numero ſup. n. 4. Et ratio eſt (inquit) quia licèt in copula conjugali intercedat voluptas & corporalis immunditia, cùm hæc accidant ob bonum prolis, quod eſt rectus finis & volitus à Deo, rationi illi indecentiæ præponderat, vel certè illam adæquat, compenſatq́ue bonum ac honeſtas prolis.

Et credit Sanchez, id verum eſſe, licèt in copulæ progreſſu miſceantur aliqua venialia, ſervato tamen debito fine. Quia adhuc permanet bonũ prolis intentum præponderans aut adæquans; & cùm difficillimum ſit, in medio ignis minimè ardere, vitareq́ue in eo actu culpam venialem, non ob id arcendus eſt conjux, ne communicet. Sic ille.

208. *Etiam dum copula habita fuit ad vitandam incontinentiam.* Porro n. 5. extendit hanc doctrinam ad copulam exercitam ad vitandam incontinentiam. Quia, inquit, ad ſummum eſt culpa venialis in fine, & cùm voluptas minimè dominetur, ſed continentiæ ſervandæq́ue fidei matrimonialis amor, non ita mens abſorbetur, inveniturq́ue ratio præponderans, vel ſaltem adæquans vel compenſans. Ita Sanchez.

Quid ſi causâ explendæ libidinis? Quod autem ſit illicitum venialiter poſt copulam habitam, causâ explendæ voluptatis, docet ibidem n. 7. Quia, inquit, oritur magna diſtractio mentiſq́ue hebetudo, deficiente bono præponderante, aut compenſante; & certè ſaltem in hoc eventu intelligenda ſunt SS. teſtimonia.

Item, quod refertur de Conſecr. diſt. 2. c. 21. ex Concil. Eliberitano: *Omnis homo ante ſacram Communionem à propria uxore abſtinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* Ubi Gloſſ. verb. *Abſtinere*, ait: *Quantùm in ſe eſt, ut non exigat; exactus tamen reddere debet quolibet tempore, ut* 33. q. 5. Si dicat: *non enim eſt præceptum, quod hìc continetur.* Aut certè non eſt præceptum graviter obligans. Et ideo dixi in Concluſ. *Saltem graviter.*

209. *Poteſt fieri, ut nulla ſit culpa.* Fieri etiam poteſt, ut nulla ſit culpa tunc accedere ad Euchariſtiam, etiam eodem die, quo copula talis anteceſſit, ſi videlicet occurrat aliqua cauſa, quæ indecentiam illam reſarciat: ut putà, magna feſti ſolemnitas, in qua eſt decentiſſimum

tissimum ad Eucharistiam accedere. Secundò: si dies est jubilæi, exigatque communionem quò comparetur. Tertiò: specialis devotio, præparatioque ad communionem. Quartò; nota aliqua ex eo, quòd communio omittatur, ut si sit fœmina, famulæque videntes ipsam confiteri, at minimè communicare, aliquid mali suspicabuntur. Similiter si sit vir, solitusque frequenter confiteri, & quoties confitetur, Eucharistiam recipere, notabuntque famuli, tunc fassum esse, & ab Eucharistia abstinuisse.

Tandem: cùm in perceptione Eucharistiæ post talem copulam sit ad summum culpa venialis; & adhuc sub judice sit, nùm ea interfit; existimo, non nimis rem hanc constringendam, nec urgentissimam causam expectandam; sed mediocrem sufficere, quo conjux communicans à veniali culpa excusetur. Ita Sanchez sup. n.8.

210. *Sufficiens excusatio erit redditio debiti.* Igitur sufficiens causa erit redditio debiti, quæ est actus justitiæ; neque invenitur jus aliquod excipiens conjugem ab ea obligatione, ex eo tantùm, quòd illo die communicaturus sit; ergò nec nos eum excipiamus, sed dicamus, conjugem teneri reddere, & post redditionem posse nihilominùs absque ullo peccato communicare.

Objectio. Dices: is accessus, licèt debitus, non minùs mentem à spiritualibus avocat, ipsamque absorbet, quàm debiti spontanea petitio.

Solvitur. Respondetur: hæc mentis avocatio præponderatur seu adæquatur dicto bono satisfaciendi debito justitiæ, sicuti bono prolis, quando ejus causâ conjuges copulantur, ut sup. dictum est. Unde sic docet D. Bonav. ut sup. audivistis, & Alii multi, quos citat & sequitur Sanchez sup. n.12.

211. *Quanta temporis mora inter copulam & Eucharistiam sit necessaria, ex Sanchez.* A quo si petas; quanta temporis mora præscribenda sit, ut post coitum conjugalem decenter ad Eucharistiam accedatur, & absque culpa veniali, casu quo culpa est accedere? Respondet n. 15. certam moram præscribi minimè posse. Quia (inquit) cùm mentis evagatio & hebetudo, ex pollutione aut ex copula consurgens, impedimenti illius Eucharistiæ suscipiendæ causa sit; alii autem tardiùs, alii citiùs eâ expulsâ sese colligant, ad pristinamque mentis tranquillitatem redeant, ea potiùs regula statuenda est, ut quamdiu mentis illa evagatio perseverat, duret impedimentum & indecentia, cessanteque illâ, cesset.

Credo tamen nunquam, transacto viginti quatuor horarum spatio, imò si nocte præcedenti non habita sit copula, abstinendum esse hâc ratione ab Eucharistia: Quia jam moraliter non censetur præsens, nec tamdiu mentis evagatio durare solet: minor tamen mora sufficiet in iis, qui faciliùs se colligunt, ad quod principaliter attendendum est. Aliqualem autem temporis moram præscripsimus: quia nonnulli scrupulis agitati se pacato animo, & à perturbatione vacuo esse non arbitrantur. Alii verò eâ sunt mentis evagatione, ac ita rebus sæcularibus implicati, ut nunquam ad se redeant; quare est necesse, his aliquam moralem præscribere moram, servatâ regulâ, ut principaliter attendatur, si reliquiæ illæ pollutionis ac copulæ maneant adhuc, nec ne. Hactenùs Sanchez. Et placet nobis hæc doctrina,

212. *Nulla est culpa post communionem petere ac reddere debitum, ex eod.* Utì & alia ejusdem Auctoris, existimantis nullam esse culpam, eodem die post communionem petere vel reddere debitum, quàmvis sanum consilium sit, ob Eucharistiæ reverentiam abstinere. Quia, inquit, nullibi invenio prohibitionem, nec indecentiam, quæ culpam constituat. Sic ille n. 17. Vide quæ de hac materia diximus disp. 4. hujus Operis Sect. 11. Conclus. 1. sequentis tenoris: Pollutio mortalis, expiata per Confessionem, per se non impedit Communionem, benè per accidens.

Per accidens potest esse mortale, diebus sacris petere aut reddere. De cætero, non sinè mysterio positum fuit in principio hujus Conclus. ly *Per se*: siquidem per accidens fieri potest, ut sit peccatum mortale: scilicet, si diebus sacris petatur vel reddatur debitum ex contemptu, id est, tali animo, quòd non abstineret, nisi Deus præcepisset. Adde etiam (inquit Sanchez sup. disp. 12. n. 6.) contemptum esse, si conjux exigeret, quò festum ipsum parvi penderet. Qui contemptus nunquam accidet, nisi in hæretico aut infideli. Sic ille.

213. D. Bonav. Sed aliter loquitur Doct. Seraphicus, ut sup. audivimus, ibi: *Vel nisi interveniat sacræ diei contemptus, de quo valdè potest timere, qui tunc debitum non erubescit petere.* Credo ego, plures esse conjuges, qui nollent petere, si Deus prohibuisset; & tamen modò non erubescunt petere debitum, quos non ausim damnare contemptûs, atque adeò peccati mortalis, utpotè qui non sint hæretici aut infideles. Existimo etiam, aliquem posse parvipendere sacros dies, tametsi non sit hæreticus aut infidelis, nisi omnem contemptum aut parvipendentiam dixeris esse hæresim aut infidelitatem. Enimverò contemptus legis, quo peccatum veniale transit in mortale, tunc semper & solùm censetur intervenire, ut alibi docui, cum quis peccat in vilipensionem potestatis legislativæ, non cum ex odio legislatoris quà homo est, nec cum ex odio aut vilipensione materiæ legis. Plura possent disputari de contemptu, sed non sunt hujus fori, & ideò supersedeo, & transeo à diebus sacris ad loca sacra, de quibus juxtà Doct. Seraphicum sup. non est simile. Dico ego, & erit *Quis sit contemptus legis.*

CONCLUSIO VIII.

Actum conjugalem illicitum esse in loco sacro, etiam extrà necessitatem, haud satis probat jus scriptum. Excommunicatio non prohibet eum.

214. *An copula conjugalis in loco sacro sit* Multi docent, culpam esse & sacrilegium, uti Matrimonio extrà casum necessitatis, uti, inquam, in loco sacro, tam petendo debitum, quàm reddendo. Quia (inquit Sanchez

Sacrilega, ex Sanchez.

Sanchez ſup. diſp. 15. n. 8.) cùm ea copula violet locum ſacrum, impediatque in eo divina celebrari, donec reconcilietur, directè ſanctitati loci opponitur, ac proinde ſacrilega eſt.

Sententia Scoti.

Huic ſententiæ videtur accedere Scotus, dum 4. diſt. 32. q. un. n. 7. ſcribit in hæc verba: *Ad ultimum* (putà: in loco ſacro non tenetur quis reddere, quia majus malum ſequitur, quàm vitetur; ſcilicet interdictum loci, quod eſt malum commune quoad multitudinem, & malum quodammodò reducibile in Deum, cujus cultus impeditur in loco ſacro) *dico, quòd in loco ſacro regulariter abſtinendum eſt; quia non ſtatim imminet periculum fornicationis, quin ſtatim committi poſſit in loco non ſacro. Si tamen diu oporteret eos commanere in loco ſacro, negaret aliquis iſtum peccare, ſi redderet debitum ibi petitum. Quod adducitur de interdicto loci, diceretur fortè, quòd propter actum occultum non eſt locus interdictus, ſaltem publicè, ut oporteat cultum divinum ibidem publicè prætermitti.*

Igitur tota ratio prohibitionis copulæ extrà neceſſitatem videtur eſſe pollutio loci ſacri (de qua nos tractavimus Diſp. 4. hujus Operis Sect. 5. Concluſ. 18. Videatur etiam Concluſio 16. Diſp. 7. Sect. 10.) & ideò qui negant per actum conjugalem, etiam extrà neceſſitatem, pollui Eccleſiam, conſequenter aſſerunt, cum non eſſe prohibitum, ſaltem graviter.

215. *Eccleſiam non pollui tali copulâ, docet Gloſſ. c. 20. de Conſecr. diſt. 1.*

Porrò Eccleſiam non pollui, tuetur Gloſſa cap. *Eccleſiis*, 20. de Conſecr. diſt. 1. ſequentis tenoris: *Eccleſiis ſemel Deo conſecratis non debet iterùm conſecratio adhiberi, niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cujuſcumque ſemine pollutæ fuerint.* Ubi Gloſſ. verb. *Semine*, inquit, *Per coïtum emiſſo per adulterium, vel per fornicationem: nam ſi per ſomnium vel per coïtum cum uxore emittitur, non ideò reconſecrabitur Eccleſia ſecundùm Hugonem.*

Sequitur eam Pontius, & probat ex ratione.

Hanc Gloſſam ſequitur Pontius lib. 10. c. 10. n. 13. cum Aliis ibi citatis, hâc inductus ratione: Quia, inquit, actus maritales in loco ſacro non habent labem ſacrilegii ex naturali aut divino jure, ſed tantùm ex conſtitutione Eccleſiaſtica, quæ ſtatuit, nonnullis actibus Eccleſiam violari, & reconciliandam eſſe, ut dicebam ſup. Videamus ergò, an jus Eccleſiaſticum ſtatuat, maritali effuſione ſeminis locum ſacrum pollui. Si enim non ſtatuit, non eſt cur dicamus, actum maritalem in loco ſacro, etiam extrà caſum neceſſitatis, eſſe ſacrilegium; imò neque culpabilem, ſi ſcandalum abſit.

216. *Iura, quæ ex adverſo inducuntur, loquuntur de adulterio.*

Adducitur ergò textus ex cap. *Significaſti*, de Adult. At ibi de copula clerici cum alterius uxore. *Significaſti nobis, quemdam Præsbyterum cum alterius conjuge intrà Eccleſiam dormiviſſe, quæ ſe & illum cuidam Sacerdoti hujuſmodi delictum confeſſos fuiſſe publicè tibi detexit* &c. *Ideoq; mandamus, quatennùs condignam pœnitentiam præfatæ imponens adulteræ, Eccleſiam per aſperſionem aquæ benedictæ reconciliare procures.*

Similiter in cap. 11. de Conſecrat. diſt. 1. ſolius adulterii fit mentio. *Si motum fuerit altare, denuò conſecretur Eccleſia* &c. *Si homicidio vel adulterio Eccleſia violata fuerit, diligentiſſimè expurgetur, & denuò conſecretur.* Ita Iginus Papa.

Reſponſio Sanchez.

Reſpondet Sanchez ſup. n. 7. Non decernunt ob ſolum adulterium violari Eccleſiam, ſed loquuntur in illo caſu ſpeciali: aliàs probarent, per ſimplicem fornicationem minimè pollui. Sic ille. Loquuntur ergò dicta jura de copula adulterina, quia de illa fuerat mota quæſtio; ſive etiam exempli gratiâ, non autem, quia per illam ſolam violetur Eccleſia, cùm alia jura generaliter loquantur.

217. *Alia jura, quæ generaliter loquuntur.*

Sed quæ illa? Reſpondeo: cap. *Eccleſiis*, ſup. adductum, ibi: *Aut cujuſcumq; ſemine pollutæ fuerint*, quod eſt Concilii Nicæni. Item cap. fin. de Conſecr. Eccleſ. *Si Eccleſia non conſecrata cujuſcumq; fuerit ſemine aut ſanguinis effuſione polluta.*

Prætereà: eod. tit. in 6. cap. un. in principio: *Si Eccleſiam pollui ſanguinis aut ſeminis effuſione contingat.* Ubi Gloſſ. verb. *Seminis*, inquit: *Humani, non canum. Et intelligunt hic quidam de ſemine fornicario: unde ſi vir cognoſcat uxorem in Eccleſia, non reconciliabitur. Hoc tenet Hugo, cujus gloſſas poſuit Ioannes de Conſecr. diſt. 1.* Eccleſijs, *Vin. & Gandolphus. Sed ipſe Ioan. contra, quod verum puto.*

218. *Archidiaconus tenet ſententiam Pontij.*

Et poſt pauca addit: *Archidiaconus etiam tenuit, quòd coitus conjugalis non polluit Eccleſiam: qui dicebat, quòd licèt in Eccleſia non debeat regulariter debitum reddi uxori; ſi tamen petat & reddatur, non poteſt dici adulterium vel fornicatio. Facit de Conſecr. diſt. 1.* Si motum. *Io. And.*

Indubiè non poteſt dici adulterium & fornicatio. Sed quæſtio eſt, an requiratur adulterium vel fornicatio. Quippè duo priora jura dicunt generaliter: *Cujuſcumq; ſemine.*

219. *Reſp. Pontij ad dd. jura generalia.*

Reſpondet Pontius ſup. Hoc eſt, ſive viri, ſive fœminæ pollutione maculetur. Eo autem verbo non ſignificatur maritalis actus. Debet ergò eſſe illicita ſeminis effuſio. Actus autem maritalis ex ſe non eſt illicitus, & ex jure non oſtenditur illicitus. Ergò non eſt, ut dicamus eſſe illicitum & ſacrilegum in loco ſacro. Quod etiam à ſimili oſtendi poteſt in effuſione ſanguinis, quæ, quando juſta eſt, non habet ſpeciem ſacrilegii.

Reſtat ergò, ut tantùm effuſione ſeminis ex ſe illicitâ, & quæ cum peccato mortali fit, polluatur Eccleſia, & illa ſola commiſſa in loco ſacro habeat ſpeciem ſacrilegii. Quare & violabit etiam actus conjugalis, quando aliàs cum utriuſque peccato fieret, quàmvis caſus iſte valde dubitabilis ſit. Ita Baſilius.

220. *Arg. contrà.*

Sed contrà, inquis, jura præallegata non dicunt: *Cujuſcumq; pollutione*, ſed: *Cujuſcumq; ſemine*, vel, *effuſione ſeminis*, quo verbo ſignificatur etiam maritalis actus, qui eſt vera effuſio ſeminis. Alioquì nec copula fornicaria dictis juribus comprehenderetur, cùm eo verbo pollutionis non ſoleat ſignificari.

Aliud ex Sanchez.

Prætereà: ut notat Sanchez ſup. n. 7. eodem modo loquitur jus de ſanguinis & ſeminis effuſione: at illa quàmvis juſta ſit, ſi fiat cum loci ſacri irreverentia & judicis miniſterio pol-

luit locum sacrum : ergò & hæc, quàmvis aliàs licita esset, polluet. Sic ille, dicens omninò id tenendum esse.

221. *Non convincit.* Verùm responderi posset, effusionem sanguinis ministerio judicis, quàmvis sit justa respectu Rei, in quantùm eam promeruit, equidem injuriosam & sacrilegam esse, quia violatur immunitas Ecclesiastica, quæ conceditur ob reverentiam loci sacri, & quia persona in tali loco existens est à jurisdictione Iudicis sæcularis exempta ; non quidem secundùm se, sicut persona Ecclesiastica ubique existens ; sed ratione loci, cui principaliter, & per se data est exemptio, quatenùs tamen continet & tuetur confugientes ad se ; & ideò in illos redundat. Jam autem nuspiam Ecclesia specialiter prohibuit actum conjugalem fieri in loco sacro ob ejus reverentiam. Cùm ergò per se licitus sit, non videtur esse dignus tantâ pœnâ, ut scilicet per eum Ecclesia polluatur.

222. *Jura prædicta nequeunt intelligi de omni omninò effusione seminis.* Accedit quod dd. jura non possint intelligi generaliter, de omni omninò effusione seminis, quia non de involuntaria sive in somnio, sive in vigilia, v. g. quæ contingeret ex auditione Confessionis, aut simili actu aliàs honesto, & per se licito. Cur ergo debeant intelligi de voluntaria in actu maritali, aliàs honesta, & per se licita ?

Quid si copula maritalis haberetur publicè. Videtur quòd polluere. Quod addo : quia si fieret publicè, seu aliis inspicientibus, tum ratione scandali, quod moraliter semper connexum est, tum propter naturalem quamdam turpitudinem, ob quam talis actus graviter dissonat rationi, foret sacrilegium mortale, atque adeò Ecclesia eo polluereturr. Consimiliter si fieret ex contemptu loci sacri ad eum dehonorandum & vilem ostendendum. In his quippe casibus ipsa ratio naturalis dictat, talem actum graviter adversari reverentiæ debitæ loco sacro, & ideò meritò punitur tali pœnâ.

223. *Non valet hic arg. ab adulterio.* Porrò de adulterio habemus expressum jus, ut sup. vidimus, in quo si non prohibetur, saltem supponitur prohibitum ; de fornicatione autem, quæ essentialiter, ut sic dicam, includitur in adulterio, videtur similis ratio ; siquidem adulterium non punitur propter malitiam injustitiæ præcisè : nam per alia multa peccata injustitiæ non polluitur Ecclesia, ut clarum est ; sed magis propter malitiam intemperantiæ seu luxuriæ, quæ similiter reperitur in fornicatione. At verò actum maritalem occultum non reperimus, ut sup. dixi, specialiter prohibitum : ergò nec nos prohibeamus. Maximè quando urget aliqua necessitas, v. g. quando conjuges diu sunt intra locum sacrum inclusi, nec patet aditus ad cameram illi adjacentem, aut alium locum non sacrum.

224. *Probatur ex Sanchez. non polluere actum maritalem in* Et ratio est (inquit Sanchez sup. n. 12.) quia tali casu difficilimum est continere, & valde probabili incontinentiæ periculo exponerentur conjuges, admittendo voluntarias pollutiones, nisi concubitus eis liceret ; quare non est credendum, Ecclesiam in hoc eventu voluisse obligare ad abstinendum, ob quamdam loci sacri extrinsecam decentiam : eo vel maximè, quòd cætera Ecclesiæ præcepta in casu magnæ necessitatis deobligent.

Confirmatur. Et confirmatur : quia licèt necessitas coëundi non sit tunc præcisa & absoluta, ac prorsùs inevitabilis : at est necessitas morali modo, & attentâ fragilitate humanâ, inevitabilis, quod satìs est ad deobligandum. Prætereà : quia qui gratiâ id periculum vitandi conjunguntur in loco sacro, illum potiùs reverentur, quàm injuriam inferant. Sic ille. Patet : quia major est dehonoratio loci sacri in ea se voluntariè polluere aut fornicari, quàm exercere actum conjugalem.

Atque huic sententiæ tanquam probabiliori adhæret ibi Sanchez, & pro ea citat multitudinem Iurisperitorum & Theologorum, inter quos meritò computatur Scotus loco sup. citato ibi : *Si tamen diu oporteret eos commanere in loco Sacro* &c.

225. *Quod verum ipse putat, quàmvis foret publicus.* Et habet verum hæc sententia (inquit Sanchez sup.) licèt concubitus sit publicus. Doctores enim prædicti non distinguunt, sit occultus, nec ne. Ita ille, Ut ut sit de aliis Doctoribus, de nostro hoc perperàm dicitur, ut patet ex his verbis : *Quod adducitur de interdicto loci, diceretur fortè, quòd propter actum occultum non est locus interdictus.* Sed & meminit solius redditionis debiti, dum ait : *Negaret istum peccare, si redderet debitum ibi petitum.*

An eadem sit ratio petitionis & redditionis. Affirmat Richard. Richardus tamen 4. dist. 32. a. 3. q. 1. expressis verbis utrumque concedit, dicens : Si tamen per longum tempus essent violenter reclusi in loco sacro, videtur, quòd tunc licitum esset eis in illo loco debitum exigere & reddere : in tali enim casu non videtur illa prohibitio debere intelligi ; quia non est ponendus laqueus animabus propter immunditiam loci. Sic ille. Quem & alios sequitur Sanchez sup. Quia, inquit, si necessitas omnem irreverentiæ rationem aufert, totam subinde deformitatem & culpam evacuat.

Quem sequitur Sanchez.

226. *Objectio.* Dices : hoc est quod quæritur ; an omnem irreverentiæ rationem auferat, vel solam rationem irreverentiæ, quæ reperitur in redditione debiti, quæ est actus virtutis justitiæ. Et sanè in multis casibus, secundùm ipsum Sanchium, peccatur venialiter in petitione debiti, in quibus tamen redditio excusatur ab omni culpa. Cur non itidem in hoc casu ?

Solvitur. Respondetur : quia loci sacri circumstantia tenet se ex parte ipsius actûs, & æquè se habet ad petitionem & redditionem ; ergò vel vitiat utramque, vel utramque excusat. Unde dum illicitum est petere debitum in loco sacro, etiam illicitum est reddere. Quàmvis enim conjuges jus haberent petendi, non tamen in tali loco. Ergò si licet reddere in casu proposito, etiam licebit petere. Et si licet concubitus occultus, etiam publicus ; non illâ publicitate, de qua anteà meminimus, quæ reddit eum scandalosum, & repugnat naturali honestati ; sed publicus per hoc, quòd conjuges noscantur in eodem thoro accubare. Estò quippè homines scandalizarentur ex tali concubitu extrà necessitatem,

sive

ſive dum brevi tempore manent incluſi; haud equidem dum longo tempore.

227. *Quod tempus dicatur hic longum, & quod breve.* Sanchez. Rogas: quod tempus dicatur longum; & quod breve? Aliqui dicunt, breve tempus eſſe, ſi unâ vel aliâ die intrà Eccleſiam conjuges maneant. Sed non credo (inquit Sanchez ſup.) intentionis eorum eſſe, ut exiſtiment quinque aut ſex dies reputari longum tempus. Quia non eſt ita difficilè ſex diebus continere. Quare attentâ communi hominum fragilitate, unum menſem exiſtimarem longum tempus. Vix tamen credo fore, ut caſus is eveniat. Quia ſemper ſunt in Eccleſia cubicula adhærentia, & turris, quæ nomine loci ſacri minimè includi, quò ad actum conjugalem exercendum confugi poſſit, ſtatim dicemus. Hæc ille.

An ſolùm liceat ad vitandam incontinentiam. Rogas iterùm: an in eâ neceſſitate ſeu diuturnâ morâ ſolùm liceat copula ad vitandum incontinentiæ periculum in alterutro conjuge? Affirmant Aliqui apud Sanchez ſup. n. 13. Poteſtque probari; quia nulla alia neceſſitas poteſt urgere ad eum concubitum habendum.

228. *Negat Sanchez.* Sed non placet id Sanchio: nam, inquit, ſatìs periculoſum rete tenderetur, ſi eſſet mortalis copula non ob eum finem habita, & graviſſimis ſcrupulis urgerentur conjuges, maximoque periculo peccandi lethaliter expoſiti eſſent, ſi ſemper diſcutiendum ab eis eſſet, nùm, cùm accedere volunt, incontinentiæ periculum patiantur. Unde quàmvis neceſſitas urgens ad permittendam in hoc caſu copulam ſit incontinentiæ periculum; non tamen admitto, eſſe neceſſarium ad eum finem referri, ut à culpa mortali excuſetur: nec credo eſſe neceſſarium, ut id adſit periculum; ſed ſatìs eſt, ut in ea diuturna obſidione, attentâ humanâ fragilitate & morali modo loquendo, adſit communiter id periculum; quàmvis deſit in aliquibus particularibus conjugibus aut eventibus. Quia lex ad ea, quæ frequenter accidunt, attendit, l. *Ad ea*, ff. de Legibus. Sic ille, cum Aliis quos citat.

229. *Additio.* Imò addo (inquit) quando conſtat fore, ut ea obſidio diu perſeveret, poſſe ſtatim conjuges coire in Eccleſia. Quia jam adeſt urgens cauſa, & neceſſitas prædicta; non cogendi ſunt expectare, donec aliquod tempus elabatur, cùm non ſit major ratio de uno tempore, quàm de alio: aliàs ubi poſtea ſe commiſcerent, tenerentur expectare moram aliquam temporis, ut iterùm copulâ uterentur. Quia brevi tempore poſt copulam facilè eſt abſtinere: ac proinde nimios ſcrupulos ac offendicula objicere conjugibus id eſſet, potiùs quàm illorum fragilitati conſulere. Hactenùs Sanchez. Et placet.

230. *Oſtenditur veritas Concl.* Cæterùm ex jam dictis liquidò conſtat veritas noſtræ Concluſionis; ſcilicet, non ſatis ſeu non evidenter probari ex jure ſcripto, actum conjugalem, qui aliunde non eſt peccatum mortale, ſi fieret extrà Eccleſiam ſeu locum ſacrum, conſtitui peccatum mortale per circumſtantiam loci ſacri; eſtò etiam nulla foret neceſſitas eum exercendi, utpote conjugibus pro parvo tantùm tempore incluſis. Quàmvis enim aliqui textus generaliter de ſeminis effuſione loquantur, ut ſup. audivimus, poſſunt tamen commodè de illicita explicari.

Pœnæ ſunt reſtringendæ. Enimverò pœnæ reſtringendæ ſunt, juxtà Reg. 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Conſentit & Pauli regula in l. *factum cuiq;*, §. fin. ff. cod. tit. *In pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt.* Cùm ergò obſcurum ſit & dubium, an per actum conjugalem, aliàs licitum, polluatur Eccleſia, & pollutio pœna ſit, quid ni liceat dicta jura benigniùs interpretari de effuſione ſeminis, ſive viri ſive mulieris, aliàs mortaliter illicitâ?

231. *Copulam conjugalem non eſſe illicitam, etiam extrà neceſſitatem, probatur ex Dicaſt.* Quàmvis (inquit Dicaſtillo diſp. 9. n. 57.) hæc ſententia (quæ docet actum conjugalem extrà neceſſitatem eſſe illicitum & ſacrilegum) probabiliſſima ſit: probabilis etiam Multis videtur aliorum ſententia, ſcilicet non eſſe illicitum, nedum ſacrilegum; quia in primis non eſt illicitus jure naturæ nec divino, ut patet; deinde non ſatis probatur, eſſe illicitum jure Eccleſiaſtico; nullus enim reperitur textus, in quo vel prohibeatur, vel ſupponatur prohibitus.

Nam prædictum cap. fin. de Conſecr. Eccleſ. (qui ſolus textus ſolet adduci) non ſatìs probat: quando enim ibi dicitur. *Si Eccleſia cujuſcumq; fuerit ſemine aut ſanguinis effuſione polluta* &c. non conſtat, ibi eſſe ſermonem de effuſione etiam conjugali ſeminis modo naturali & debito: nam ad eorum verborum veritatem ſufficit ſeminis effuſio non conjugalis & illicita contrà caſtitatem, ſive fœminæ ſit, ſive viri, ſive Clerici, ſive non Clerici.

232. *Arg. à ſimili.* Idque videtur indicari illis verbis: *Si fuerit polluta.* Nam cùm aliàs non conſtet ſatìs, actum conjugalem in Eccleſia eſſe prohibitum intuitu reverentiæ Eccleſiæ, non eſt cur dicamus, eo actu pollui Eccleſiam; maximè cùm eodem tenore verborum ibi dicatur Eccleſiam pollui ſanguinis effuſione, & tamen non polluitur effuſione ſanguinis, alioquì licitâ (niſi in uno caſu ſup. explicato) ergò ſicut non extenditur Eccleſiæ pollutio ad licitam effuſionem ſanguinis; ita non videtur extendenda ad licitam effuſionem ſeminis. Eccleſia ergò juxta probabilem hunc diſcurſum tantùm polluitur ſanguinis aut ſeminis effuſione illicitâ, & non conjugali. Hucuſque præfatus Auctor.

Eſt ſententia probabilis. Maneat ergò & huic ſententiæ ſua probabilitas, tam ex ratione, quàm auctoritate. Porrò Scotus in principio adductus communiorem ſententiam retulit; quia ſecurior eſt, & magis favens Eccleſiæ, cujus reverentiæ magis convenit abſtinentia ob omni copula ſeu effuſione ſeminis etiam maritali. Neque oppoſita ſententia neceſſaria erat pro ſolutione objectionis, ut patet conſideranti. Jam autem mens Auctoris alicujus non efficaciter colligitur ex his, quæ dicit, ſolvendo aliquod argumentum partis contrariæ.

233. Reliqua, quæ à Sanchio d. diſp. 15. examinantur, invenies in noſtro Opere locis ſup. citatis. Pergo itaque ad excommunicationem, & quæro; an excuſet à redditione debiti, aut petitionem vel redditionem vitioſam

Excommunicatio non excusat à redditione debiti, per cap. 103. 11.q.3.

efficiat. Res clara est ex cap. 103. 11. q. 3. quod est Greg. VII. sequentis tenoris: *Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantiâ, partim nimiâ simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordiâ, anathematis sententiam ad tempus, prout possumus opportunè, temperamus. Apostolicâ itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtraximus, videlicet uxores, liberos, servos &c.*

Ubi Glossa verb. *Vxores*, interrogat: *Sed nunquid vir excommunicatus potest petere debitum ab uxore? Dicit Hugo quòd non; sed ipse tenetur reddere, quod concedo. Sed si petat vir mulierem in judicio, & ipsa objicit ei excommunicationem, judex tenetur ex suo officio restituere ei mulierem, cùm in hoc casu possit ei communicare: unde credo, quòd tenetur ei debitum reddere.*

234. *An excommunicatus nequeat petere debitum.*

Sed quomodo, rogat aliquis, tenetur ei debitum reddere, si vir non possit petere? Quàmvis (inquit Sanchez sup. disp. 14. n. 21.) esset delictum in excommunicato petere debitum: at teneretur alter conjux reddere: quia est circumcumstantia tenens se ex parte solius petentis. De qua difficultate posteà latiùs. Nunc quæro, an reverà excommunicatus nequeat petere debitum.

Quidam sic sentiunt. Frebant 1.

Quidam sic sentiunt apud Sanchez sup. n. 19. quia, inquiunt, d. cap. *Quoniam multos*, soli uxori concedit participationem cum viro excommunicato, & ex rationis paritate, quia correlativa sunt, ad virum extendimus. At ipsi excommunicato nullum privilegium ibi conceditur. Sicut in Constitutione, *Ad evitanda scandala*, à Mart. V. concessum est fidelibus, ne excommunicatos non denuntiatos teneantur vitare, ipsis excommunicatis in nihilo relevatis; quare tenentur ipsi abstinere à fidelium communione, nisi ab his fuerint requisiti: ergò similiter in casu præsenti.

Secundò.

Secundò: quia excommunicatus jure agendi privatus est, cap. *Intelleximus*, 7. de Judiciis. Et ideò hanc sententiam docet Glossa sup. citata, ut vidimus.

235. *Oppositum tenet Sanchez. & probat 1.*

Verùm (inquit Sanchez sup. n. 20.) dicendum est, fas esse conjugi excommunicato debitum petere. Ducor. 1. quia æquitate quâdam & beneficio Ecclesiæ, in hoc explicantis ipsam Christi intentionem & rationem excommunicationis, quæ medicina est, & non offendiculum, c. 1. de Sent. excom. in 6. in principio: *Cùm medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans* &c. statutum est, ne conjuges excommunicati teneantur seipsos vitare, ut sic animarum periculis consulatur. At si lex permittens hanc participationem prohiberet marito excommunicato petitionem debiti, minimè periculis consuleret, sed rete illis tenderet; cùm difficillimum sit abstinere, ac prope ignem esse, & non calefieri.

Secundò.

Prætereà: quia conjux non excommunicatus tenetur ad obsequia excommunicato præstanda, sicut ante excommunicationem, inter quæ primas tenet hoc, quod est proprium conjugum, quatenùs conjuges sunt: licitè ergò excommunicatus obsequium hoc sibi debitum exiget.

Tertiò.

Accedit: quòd servi Domino excommunicato inservire tenentur, cap. *Inter alia.* 31. de Sent. excom. & subinde licebit Domino ea petere obsequia, alioquin id est servorum ingenium, ut ea nunquam præstent; ergò licebit idem viro excommunicato, eò vel maximè, quòd uxores ingenuo quodam pudore nunquam petere audent. Ita Sanchez.

236. *Referuntur verba d. cap. 31.*

Subdo verba d. cap. *Inter alia*, quæ rem facient manifestam. *Inter alia quæ Strigon. Archiep. proponi fecit, nos recolimus respondisse, quòd nullus nominatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Greg. Papæ cap.* Quoniam multos, *specialiter excusantur. Verùm ex hac responsione orta est occasio disputandi, aliis concedentibus, quod excommunicato communicare teneantur personæ in prædicto capitulo nominatæ: præsertim quæ priùs ad communionem eorum ex debito tenebantur, aliis asserentibus, eos communicare licitè posse, non tamen ad hoc ex necessitate teneri.*

Vt igitur unde jus prodiit, interpretatio quòque procedat, ambiguitatem hujusmodi taliter duximus absolvendam: quòd cùm quædam personæ in præmisso capitulo denotatæ, illis, in quos lata fuerat excommunicationis sententia, ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodum ad contrarium teneantur (cùm adhuc debitum duret) beneficio Canonis id agente, à priore non sunt obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium: & ita per consequens ad communionem tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. Ita Innoc III. Doctoribus Decretorum Bonon.

237. *Probant clarè sententiam Sanchez.*

Quis ex his non clarè videt, virum excommunicatum, sicut ante excommunicationem poterat petere debitum, & uxor tenebatur reddere, pariter id ipsum posse post excommunicationem, & ad id ipsum uxorem teneri?

Resp. ad rationes adverss.

Nec obstant (inquit Sanchez sup.) oppositæ rationes, quia in ea Constitutione: *Ad evitanda scandala*, habetur expressè, intentionis illius esse, in nihilo relevare excommunicatos; nec ibi est tantum periculum, cùm facilè possit excommunicatus aliorum consortium vitare. At dicto cap. *Quoniam multos*, id non exprimitur, & periculum esset maximum. Nec excommunicato interdicitur quæcumque debiti pecuniarii petitio; sed actio ad comparendum in judicio. Sic ille.

Et sanè, ut audivimus ex Gloss. d. cap. *Quoniam multos*, verb. *Vxores. Si petat vir mulierem in judicio, & ipsa objicit ei excommunicationem, judex tenetur ex suo officio restituere ei mulierem, cùm in hoc casu possit ei communicare.*

238. *An excommunicatus possit petere mulierem in judicio.*

Sed nunquid potest in judicio petere? Quidam affirmant apud Sanchez sup. n. 23. Quàmvis enim excommunicato denegetur actio in foro causarum, cap. *Intelleximus*, de Iudiciis, cap. *Decernimus*, de Sent. excom. in 6. fallit in causa spoliationis conjugis. Quia excommunicatio nullatenùs obstat conjugum participationi. Sic illi.

Negat Sanchez. Pro-

Oppositum putat Sanchez sup. n. 24. Cùm, inquit, exceptio hæc nullo jure probetur, standum

Sit ex jure. dum puto regulæ generali dicti cap. *Intellexi-mus*, & d. c. *Decernimus*, deneganti excommunicato actionem : atque ideò dicendum eſt, peccare conjugem, recedentem ab altero conjuge excommunicato ; verùm excommunicatum agere non poſſe, ut ſibi reſtituatur, ipſique agenti meritò opponi poſſe excommunicationis exceptionem : Iudicem verò ex officio reſtitutionem hanc debere facere, ob fornicationis periculum vitandum. Sicut ſpolians excommunicatum aliis rebus reus eſt culpæ, judiciſque officio cogendus reſtituere : excommunicatus autem agens repellitur, nec audiendus eſt. Ita Sanchez.

Arg. à ſimili.

239. *Aſſignatur diſparitas.* Reſpondetur : diſparitas eſt, quòd excommunicatio obſtet participationi ejus, qui excommunicatum ſpoliavit aliis rebus ; ſecùs participationi mulieris, quæ ab excommunicato receſſit.

Expenditur cap. 7. de Iudic. Quantùm ad cap. *Intelleximus*, en verba ejus: *Intelleximus* & infrà : *Quia poſtulaſti à nobis, utrùm excommunicatus in judicio ſtare poſſit : Reſpondemus, quòd conveniri poteſt, & debet per alium in judicio reſponderi : ne videatur de ſua malitia commodum reportare.* Ita Alex. III. Paduano Epiſc.

Ubi expreſsè tantùm decernitur, quòd poſſit conveniri excommunicatus in judicio. Interim, ut notat Gloſſ. ibi verb. *Intelleximus* : etiam communiter ſummatur, quòd non poſſit convenire. Sed quare hoc non poteſt impetrari in iis, in quibus non poteſt participare ?

240. *Explicatur cap. 8. de Sent. excom. in 6.* Conſimiliter cum ea reſtrictione accipio, quod Alex IV. ait d. cap. *Decernimus*, hujus tenoris : *Decernimus, ut judices ſæculares per cenſuram Eccleſiaſticam ab Eccleſiaſticis judicibus, canonicâ monitione præmiſsâ, repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando, & teſtificando in ſuis curiis & judiciis compellantur.* Ubi Gloſſ. verb. *Decernimus*, inquit : *Pro intellectu hujus cap. eſt præſupponendum, quòd cum excommunicato majori excommunicatione non eſt communicandum.*

Oppoſita ſententia eſt probabilis. Infero ego : ergò ubi communicandum eſt, non ſunt repellendi excommunicati ab agendo. Atqui communicandum eſt in petitione & redditione debiti, ergò in hac cauſa non ſunt repellendi. Atque adeò hæc exceptio fundatur in illo jure, quod concedit participationem ſeu communicationem excommunicato viro cum ſua uxore. Et hæc ergò ſententia ſatis probabilis eſt.

241. *An vir poſſit communicare cum muliere excommunicata. Prima ratio dubitandi.* Sed quid ſi mulier ſit excommunicata, cenſen' quia vir poſſit cum ea communicare, non ſolùm in debito conjugali, ſed etiam in aliis omnibus obſequiis ? Rationes dubitandi ſunt, prima : quia dictum cap. *Quoniam multos*, ubi, ut vidimus, id privilegium conceditur, uxorum tantùm meminit, cùm tamen non ſolùm ancillas exprimat, ſed etiam ſervos. Cur ergò ſimiliter non expreſſiſſet viros ?

Et quamvis vir & uxor ſint correlativa (non ſic ſervus & ancilla) ac proinde diſpoſitum in uxore cenſeri videatur diſponi in viro : at non eſt eadem ratio ; quod ad veritatem illius regulæ deſideratur. Vir enim eſt caput, ac proinde tenetur uxorem corrigere, quò ab excommunicatione recedat, & dum id minimè præſtat, ab ejus communicatione abſtinere.

242. *Secunda.* Secundò dubitatur propter cap. 26. 27. q. 1. quod ſic habet: *De filia Epiſcopi vel Presbyteri ſive Diaconi, ſi devota fuerit & maritum duxerit, ſi eam pater vel mater in affectum receperint, à communione habeantur alieni.* Ita Concil. Mart. Bracharenſis c. 30.

Ubi Gloſſ. verb. *Receperint*, ait : *Ex hoc volunt dicere quidam, quòd nec pater nec mater filia excommunicato, nec vir uxori excommunicatæ tenentur communicare, & ita de omnibus ſuperioribus perſonis reſpectu inferiorum dicendum videtur, ſup. 11. q. 3. Quoniam multos.* Ubi Gloſſ. verb. *Vxores*, ſic ſcribit : *Hoc ſcias, quòd ſi filius eſt excommunicatus, vel ſervus, non debet pater vel dominus communicare ei, ut 27. q. 1. De filia.*

243. *Docent Alii, qui, non poſſe ultrà debitum conjugale.* Propter has rationes, quidam apud Sanchez ſup. docent, non poſſe virum participare cum uxore excommunicata ultrà debitum conjugale. Ipſe nihilominùs adhæret ſententiæ oppoſitæ, quæ docet, fas eſſe viro in omnibus participare cum uxore excommunicata, eodem modo, quo licet uxori cum viro excommunicato.

Oppoſitum probatur à Sanchio. Primò. Probatur primò ; quia ſocius poteſt cum ſocio excommunicato participare ; arg. cap. *Si verè*, 34. de Sent. Excom. in fine ibi : *Et excuſabiles eritis apud Deum, ſi in excommunicatorum navibus exiſtentes, cum dolore cordis, cum ſpe pœnitentiæ communicaveritis ipſis, in quibus eorum communionem non potueritis evitare.*

Ubi Gloſſ. verb. *In excommunicatorum*, inquit : *Arg. eſt hic, quòd ſi ſocius meus incidit in excommunicationem, non ſtatim teneor ipſum deſerere, nec ipſe tenetur ſtatim dividere ſocietatem: hoc intellige, ſi ſinè magno damno hoc fieri non poſsit.* Ergò (infert Sanchez) à fortiori id licebit maritò jure ſocietatis conjugalis, quæ aliis multò arctior eſt.

244. *Reſpondetur.* Reſpondetur : planè, quando ſinè magno damno aliter non poteſt fieri. Iam autem uxor poteſt communicare viro excommunicato, tametſi ſinè magno damno poſſet à communicatione abſtinere. Ergò non eſt paritas, quam illa ſententia docet, ſaltem ex illo jure non convincitur.

Secunda probatio. Probatur ergò ſecundò : quia uxor & vir ſunt correlativa, atque ita diſpoſitum in illa cenſetur in hoc diſpoſitum, l. fin. Cod. de Indicta viduit. in principio : *Legem Iuliam Miſcellam, quemadmodum in fœminis ſuſtulimus, ita & in maſculis eſſe ſublatam, pertinere quidem ad ſenſum noſtræ legis, quam ſuper hoc promulgavimus, non eſt incertum.*

245. *Præcluditur evaſio.* Nec juvat dicere (inquit Sanchez) eſſe diverſam rationem. Quia prorſus eſt eadem : ratio enim diſpoſitionis in uxore eſt (ut habetur eo cap. *Quoniam multos*, 11. q. 3.) ad ſcrupulos & pericula animarum vitanda, quæ paſſim ſuborirentur, ſi uxor nequiret cum viro excommunicato participare : item, propter obſequia præſtanda marito : propter difficilem ſeparationem

nem, & propter fornicationis periculum, quæ omnes rationes æquè habent locum, si uxor excommunicata sit. Ita Sanchez.

246. *Arg. contrà.* Sed hoc est quod quæritur, reponunt Adversarii ; & jam ostensa fuit disparitas, quòd vir sit caput mulieris, ad quem proinde pertinet uxorem corripere, & qui proindè faciliùs potest incommodis istis obviare, dummodò liceat actus conjugalis.

Impugnatur à Sanchio. Respondet Sanchez sup. n. 17. omissionem correctionis esse culpam, non tamen obstare participationi ; & fieri in eo textu de sola uxore mentionem, non restringendo ad illam ; sed quia frequentior est casus. Porrò ubi lex (inquit Sanchez ibidem n. 16.) alicujus casûs meminit, eò quòd frequentiùs accidat, similes casus minimè frequentes non excludit : Glossa l. 1. Cod. de His qui ad Eccles. verb. *Simulare*, dicens : *Idem etsi non simulant, sed ista verba denotant frequentiam.* Et alia Glossa Clement. I. de Rescript. verb. *Præsidentes*, ait : *Licèt de Religiosis loquatur, idem tamen de sæcularibus, qui simili modo præessent : sed quia id rarum, hoc frequentatum, ideò de Religiosis loquitur.*

247. *Illatio.* Ergò (infert Sanchez) licèt d. c. *Quoniam multos*, de solis uxoribus fiat mentio, eò quòd viri frequentiùs excommunicationem incurrant, non censebitur exclusus casus, quo uxor ipsa excommunicatione innodata sit. Alioquì (dicet aliquis) vir excommunicatus melioris esset conditionis ; nam ei debentur omnia obsequia uxoris, & non excommunicatus sinè culpa puniretur ; contrà cap. 2. de Constit. in principio : *Rem quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* Et prætereà, uxor ex suo delicto commodum reportaret.

Resp. ad c. 2. de Constit. Sed ad dictum cap. 2. responderi posset per Reg. 23. de Reg. juris in 6. *Sinè culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Hìc autem justa causa est excommunicatio uxoris, quæ impedit omnes specialiter non exceptos ab ejus participatione. Et sanè aliquando non est commodum uxori excommunicatæ, quòd debeat abstinere à participatione cum viro ; sed sæpè maximum foret incommodum, ut patet consideranti.

248. *Quando in casu posito conjuges debeant abstinere à copula.* Ut ut sit de aliis obsequiis, sufficit ad veritatem nostræ Conclus. quòd viro liceat participare cum uxore excommunicata in actu conjugali, quod Omnes admittunt. Cum hac tamen limitatione, nisi excommunicatio, vel etiam simplex Prælati jussio, imposita esset conjugibus, propter dubitationem & litem inter eos pendentem super validitate Matrimonii, ne interim carnaliter misceantur, gratiâ vitandi fornicationis periculum ; deberent utique ex hoc capite abstinere. Quia (inquit Sanchez sup. n. 9.) tunc communicatio illa in magnum animarum periculum cederet.

Quid ergò, interrogat aliquis, si lis decidatur, & sub excommunicatione præcipiatur conjugibus copula, nunquid licita erit ei, qui certò scit, Matrimonium non valere ? Responsio erit

CONCLUSIO IX.

Illicitè utitur Matrimonio, cui certò constat invaliditas ; etsi per Ecclesiam sub excommunicatione compellatur, & impedimentum sit Ecclesiasticum.

MAgist. 4. Sent. dist. 38. in fine de hac controversia ita scribit : *Si quis, relictâ in patria sua uxore, in longinquam abiens regionem, aliam ducat uxorem. Deinde pœnitentiâ ductus, eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse, quæ vivit, nec Ecclesia permittat, quæ quod ille asserit ignorat ; quæritur, an in hac secunda copula sit conjugium ? Sanè dici potest, non esse conjugium, & mulierem de crimine excusari per ignorantiam ; virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo ad primam redire volens, nec valens, cogitur Ecclesiæ disciplinâ hanc tenere, incipit excusari per obedientiam & timorem, de hoc quòd poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse numquam poscere debet, & sic de aliis hujusmodi sentiendum est.* 249. *Oppositum Conclus. docet Mag.*

Item Hugo à S. Victore. Et ecce oppositum nostræ Conclusionis, quod etiam docuit Hugo à S. Victore de Sacramentis part. 11. cap. 6. eodem planè fundamento & non alio, quo Mag. scilicet, propter obedientiam Ecclesiæ debitam, ex qua non observata, orirentur indubiè multa scandala ; & ideò putat, Deum tali casu copulam illam non imputare in peccatum.

250. *A Mag. recedunt Doct. Seraph. & Angel.* Sed quid Doct. Seraph. dictâ dist. in explicatione literæ, in fine ? *Illud hodie non tenetur : quia Ecclesiastica excommunicatio non obligat ad faciendam fornicationem, nec excusat : & ideò talis non debet Ecclesiæ obedire.*

Similiter Doct. Angel. eâd. dist. in exposit. textûs in fine sic ait : *Hìc Mag. falsum dicit ; quia potiùs debet excommunicatus mori, quàm conjungatur illi, quæ non est sua uxor, hoc enim esset contrà veritatem vitæ, quæ non est propter scandalum dimittenda.*

Probat D. Bonav. ex c. 44. d. Sent. excom. Rogas D. Bonavent. quare illud hodie non teneatur ? Respondet : Hoc habetur extrà de Sent. Excom. c. *Inquisitioni*, quod sic sonat : *Inquisitioni tuæ respondentes, credimus distinguendum, utrùm alter conjugum pro certò sciat impedimentum conjugii, propter quod sinè mortali peccato non valeat carnale commercium exercere, quàmvis illud apud Ecclesiam probare non possit, aut non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potiùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale.* Ita Innoc. III. Quo nihil clariùs posset dici.

Confirmatur per c. 13. de Restit. spoliat. Atque eodem modo loquendi utitur idem Pontifex cap. *Litteras*, 13. de Restit. spoliat. ibi : *Porrò cum mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina prohibuit, non posset hujusmodi viro sinè peccato* 251. *mortali*

mortali carnaliter commiſceri; quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, & quidquid ſit contrà conſcientiam, ædificat ad gehennam; fruſtrà in tali caſu adjudicaretur reſtitutio ſpoliato, cùm illa contra Deum non debeat in hoc Iudici obedire; ſed potiùs excommunicationem humiliter ſuſtinere: ſicque difficultas occurreret quaſi perplexa, quia propter ſententiam oporteret eam reddere, & propter conſcientiam reddere non deberet: unde contingeret eos graviter impediri, & utrique laqueus pararetur, cùm inter ſe carnaliter conjungi non poſſent, nec alter alteri matrimonialiter copulari.

252. *Decisio noſtra Concluſ.* Et infrà, cùm dixiſſet textus, mulierem reddendam eſſe viro, donec probatum fuerit impedimentum, ſubdit: *Ad reſtitutionem plenariam Eccleſiaſticâ cenſurâ debet compelli, quam tamen ipſa, tori negando conſortium, debet humiliter tolerare.* Quis non videt in his verbis deciſam eſſe noſtram Concluſionem, maximè, quando eſt impedimentum juris divini, in quo Eccleſia nequit diſpenſare?

Quid ſi ſit impedimentum tantùm Eccleſiaſticum? Et cùm audis, *Maximè*, cogita, quòd idem ſit, dum eſt impedimentum ſolùm Eccleſiaſticum. Nam, ut notat Sanchez lib. 2. diſp. 39. (ubi de hac controverſia diſputat) n. 6. dictiones implicativæ, ut ſunt: *Maximè*, *Præſertim*, *Etiam*, implicant idem eſſe caſu contrario, licèt in illo fortior militet ratio.

Quod probè ſciens Innoc. ne daret occaſionem aliquam errandi, d. cap. *Inquiſitioni*, indiſtinctè loquitur de impedimento. Ergò neque nos diſtinguamus.

253. *Non eſt aliquod ſignum voluntatis diſpenſandi. Imò oppoſitum.* Quamquam enim Eccleſia poſſet in aliquibus impedimentis diſpenſare; haud equidem habemus aliquod ſignum voluntatis diſpenſandi. Imò potiùs oppoſitum ſignum: nam detecto poſteà impedimento, Eccleſia illos conjuges ſepararet; cùm tamen non forent ſeparandi, ſi reverà Eccleſia diſpenſaſſet, & de novo Matrimonium contraxiſſent; proinde, dum Eccleſia cogit ad reddendum debitum, non ſupponit prius Matrimonium fuiſſe ratificatum, aut fore ratificandum per ſubſequentem copulam; ſed procedit ex falſa præſumptione, quâ, juxtà allegata & probata, credit prius Matrimonium valere; & ideò eodem modo cogit, ſive impedimentum illud occultum ſit juris divini, ſive humani: ergò per eam coactionem nullo modo diſpenſare in impedimento intendit. Ergò illicitè copulantur, eſtò impedimentum ſit Eccleſiaſticum.

254. *Probatur Concluſ. ex ratione.* Et ratio communis eſt; quia talis copula eſt vera fornicatio, id eſt, acceſſus ad non ſuam, quæ nullo caſu licet, etiam ad evitandam mortem aut infamiam, aut pro quocumque avertendo ſcandalo, niſi acceſſerit divina diſpenſatio. Imò nec ipſe Deus, ſecundùm Multorum ſententiam, poteſt in ea diſpenſare. Et de ſcandalo ſcriptum eſt cap. 3. de Reg. Iuris: *Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas deſeratur.* Utique veritas vitæ, ut ſup. rectè notavit Doct. Angel. quæ (juxtà Gloſſam d. cap. verb. *Veritas*) *nunquam omittenda eſt propter ſcandalum, & ad quemlibet pertinet.*

Porro Deum diſpenſare, propter obedientiam præſtandam Eccleſiæ, non eſt credibile; cùm nuſpiam ullum veſtigium hujuſmodi diſpenſationis reperiatur, & ipſa Eccleſia, ut ſup. audivimus, nolit illos copulari; ſed magis ſuſtinere excommunicationem in foro externo: Dico; *In foro externo*: nam in foro conſcientiæ verè excommunicati non ſunt; quia non inobedientes, cùm præceptum Eccleſiæ imitatur falſæ præſumptioni, & ita non obliget in illo foro, in quo conſtat iſta falſitas. *Non eſt credibile Deum diſpenſare.*

Nec obſtat, quod habetur in d. cap. *Literis*, immediatè poſt verba ſup. citata: *Donec probationes offerat præparatas, & tunc abſolutione petitâ, ſecundum formam Eccleſiæ abſolvetur.* Intelligitur quippè de abſolutione pro foro externo, in quo ea excommunicatio valida erat. 255. *Objectioni occurritur.*

Alia objectio ſolvitur. Dices: in eodem textu legitur: *Vnde non peccat, qui in hoc articulo ad mandatum Eccleſiæ reddit debitum conjugale.* Reſpondeo cum Gloſſ. ibi verb. *Non peccat. Allegatio eſt, quam non conſtat ab Eccleſia fuiſſe approbatam.*

Quæ cum ita ſint, Sanchez ſup. n. 5. vocat ſententiam Mag. falſiſſimam & valde in fide periculoſam. Pro qua nihilominùs objicitur primò jus petendi debitum, quod habet pars ignara impedimenti. Sed facilè reſpondetur, non eſſe verum jus, ſed tantùm putatitium; & ita (inquit Sanchez ſup. n. 12.) ſi alter conſentiat reddendo, admittit id quod à parte rei eſt peccatum, quàmvis alter ratione ignorantiæ excuſetur. 256. *Objicitur pro ſententia Mag. Primò. Solutio.*

Secunda objectio majorem habet difficultatem; eſt autem: æquè intrinſecè malum eſt occidere innocentem, atque accedere ad non ſuam: ſed illud licet judici, quando juxtà allegata & probata eſt nocens: ergò hoc pariter licebit, quando ſecundùm allegata & probata ſunt veri conjuges. *Secundò.*

Reſpondent Aliqui, negando Minorem; & dicunt; illud non magis licere judici, quàm hoc conjugibus. Quia, cut hoc eſt vera fornicatio, quàmvis ab Eccleſia judicetur actus conjugalis; ſic illud eſt vera occiſio innocentis, tametſi in foro externo exiſtimetur occiſio nocentis. 257. *Aliquorum reſponſio.*

Interim Alii reſpondent ad objectionem, neg. Conſequentiam. Quia, inquiunt, occidere innocentem in eo caſu eſt medium ad Reipublicæ pacem neceſſarium, non autem accedere ad non ſuam. *Aliorum ſolutio.*

Sed (inquit Sanchez ſup.) diſplicet ſolutio; quia ſi occidere innocentem ſit intrinſecè malum, in nullo eventu poteſt eſſe licitum. Ideò meliùs reſpondetur, occidere innocentem cognitum innocentem eſſe intrinſecè malum; ſecus quando invincibiliter ignoratur innocens, & creditur reus; & ita licitum judici occidere, quia invincibiliter ut judex ejus innocentiam ignorat, & credit eſſe reum: non enim judex ducendus eſt privatâ ſcientiâ, ſed publicâ; ſiquidem non ut privata, ſed ut publica perſona procedit: & ſimiliter accedere ad non ſuam, quando 258. *Diſplicet Sanchio.*

invincibiliter credit conjux esse suam, licitum est: at conscius impedimenti tantùm abest, ut invincibiliter reputet esse suam, ut potiùs certò sciat non esse suam.

Probationes delicti faciunt judicem ignorare invincibiliter innocentiam.

Itaque probationes delicti quantumcumque judex ut privatus sciat illum à delicto immunem esse, efficiunt, judicem ut sic ignorare invincibiliter innocentiam, & ita excusari innocentem puniendo: at probationes valoris Matrimonii non causæ sunt ignorantiæ invincibilis in conjuge impedimenti conscio, cùm ut persona privata utatur Matimonio, & ita scientiâ privatâ duci debeat. Sic Sanchez.

259. *Arg. contrà ex Wiggers.*

Respondet Wiggers de Justit. tract. 6. c. 1. n. 70. Judicem ut personam publicam judicare, quia ex authoritate publica, quam habet, quatenùs gerit personam Dei aut Reipub. Unde & debet sequi sententiam publicam, quando non constat illi, scientiam illam esse iniquum errorem aut calumniam: imò etiamsi constet, modò judicium non versetur in materia, cujus apud Rempublicam non est dispositio, qualem diximus esse vitam innocentis; unde in hac non debet nec potest. Ita præfatus Auctor.

Respub. non habet dispositionem vitæ innocentis.

Porrò apud Remp. non esse dispositionem vitæ innocentis, constat; quia solus Deus est Dominus vitæ & mortis; nuspiam autem Deus concessit istam dispositionem Reipub. Imò oppositum probatur communiter ex illo Exodi 23. v. 7. *Insontem & justum non occides.* Ubi per *Insontem*, intelligit Lyranus eum, qui per falsos testes fuit probatus nocens, de cujus innocentia constat, & per *Iustum*, qui apud homines non est probatus aut convictus nocens.

Explicatur Script. Exod. 23. Insontem &c. ex Lyrano.

260. *Confirmatio ex Wiggers.*

Quæ (inquit Wiggers sup. n. 68.) confirmari possunt ex adjunctis; præmittitur enim in principio cap. *Non suscipies vocem mendacii*; & statim post: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies. Pauperis quòque non miserebaris in judicio*: & tum post aliqua subjungitur: *Insontem & justum non occides*; quæ proinde diriguntur ad Judices, sicuti priora. Sic ille. Qui ibidem plures pro hac doctrina congerit probationes; sed quia res non est hujus loci, eas prætereo. Quæ dicta sunt, abundè sufficiunt pro solutione secundæ objectionis.

261. *Objicitur 3. pro Mag.*

Sequitur tertia objectio: Peccatori occulto publicè petenti tenetur Parochus ministrari Sacramenta, quàmvis aliàs sacrilegium esset: ergò similiter, licèt sit peccatum accedere ad non suam, si tamen occultum est, non esse suam, & vir bonâ fide debitum petat, in foro Ecclesiæ licebit ei reddere.

Solvitur ex Sanchez.

Respondet Sanchez sup. neg. Consequentiam: Quia, inquit, peccator occultus jus habet justitiæ tuendi famam, & ne publicè infametur, negatâ sibi Eucharistiâ: vir autem non habet verum petendi jus quando, Matrimonium est invalidum, sed tantũ ex ignorantia putat se habere. Sic ille.

262. *Instantia. Diluitur.*

Sed enim, dicet aliquis: quis dedit peccatori occulto jus justitiæ tuendi famam suam, cum injuria Christi? Respondeo: ipse Christus, qui Iudæ peccatori occulto dedit Eucharistiam in ultima cœna, de quo alibi tractavimus. Nunquid uspiam Christus verbo vel exemplo docuit, invalidè conjugatum, ad tuendam famam suam, aut etiam vitam, posse accedere ad non suam?

Omitto: quòd Parochus ministrans Eucharistiam occulto peccatori faciat actionem per se bonam, ita ut tota malitia teneat se ex parte suscipientis: at verò reddens debitum petenti in casu nostro, operetur quod per se malum est: nam cognoscit non suam, quod est intrinsecè malum.

263. *Objicitur 4. ex c. 1. dist. 13.*

Si quis dixerit, & erit quarta objectio: Ex duobus malis minus est eligendum, cap. *Duo mala*, dist. 13. sed minus malum est reddere debitum mandato Ecclesiæ, quam id negare; hoc enim est crimen inobedientiæ, ex eoque scandalum & uxoricidium sequentur: illud autem est crimen fornicationis, quod minus est.

Et confirmatur: quia licet fornicationem admittere si intrinsicè malum, non tamen est id permittere; imò est licitum ad vitanda majora mala; quâ ratione meretrices permittuntur. Ergò quàmvis non liceat huic conjugi petere debitum, quod est facere; licebit tamen permittere, ut vir utatur suo corpore, reddendo ei debitum ad majora mala vitanda.

264. *Solutio Sanchez, & explicatio d. cap. 1.*

Respondet Sanchez sup. Illud cap. *Duo mala*, intelligi de malis pœnæ; vel si intelligatur de malis culpæ, non debere intelligi de his, quæ intrinsecè mala sint, quale est fornicatio; in nullo enim eventu possunt esse licita; sed de illis, quæ mala sunt, quia prohibita; sic enim licitum est ad vitandam mortem Festum aut jejunium frangere. Ecclesia enim non tanto rigore obligat. Ad confirmationem, dico: permittere in alio, quando vitare non possum, non esse facere, sed licitum ad vitandum majus malum; in seipso autem permittere, esse verè facere & fornicari. Hæc ille.

Explicatio Auctoris.

Dico ego: laudatum cap. *Duo mala*, sicut superiùs adhuc dixi, intelligi in casu perplexo; quando scilicet quis physicè necessitaretur ad unum ex duobus peccatis, v.g. fornicationem, vel adulterium; tunc enim proculdubiò eligenda foret fornicatio, tamquam minus peccatum, immò tamquam nullum peccatum; implicat enim esse obligationem ad peccandum; sic namque ad idem esset obligatio, & non obligatio, & per consequens idem simul esset, & non esset, quod est contrà primum principium: Impossibile est idem simul esse & non esse: Tali, inquam, casu fornicatio non esset peccatum; non quin ex objecto suo foret malum; sed defectu sufficientis libertatis, scilicet in genere moris; quia fornicans non est liber in ordine ad culpam, quippè supponitur, quòd ad alterutrum sit necessitatus.

265. *An locum habeat in nostro casu.*

Sed nunquid in casu nostro est talis necessitas? Videtur, inquis, quòd sic; quia vel debet reddere debitum, vel non reddere; reddendo autem peccat contra castitatem, non reddendo contrà obedientiam seu mandatum Ecclesiæ; atqui inobedientia illa est majus peccatum, utpote excommunicatione notatum, ut supponitur; ergò videtur eligendo fornicationem, & fornicando, non peccare. Res-

Reſpondeo: neg. Min. quia illa inobedientia non eſt peccatum. niſi in foro externo; quippè in eo tantùm valet præceptum Eccleſiæ, quod fundatur in falſa præſumptione Matrimonii. At verò redditio debiti eſt coram Deo vera fornicatio, ſeu peccatum contrà caſtitatem, quæ eſt juris naturalis & divini. Ergò majus peccatum eſt in his circumſtantiis hæc redditio, quàm negatio ejus, quæ à parte rei non eſt injuſtitia; quàmvis Eccleſia id ſupponat, & ideò excommunicationem fulminet.

Occurritur objectioni. Nec obſtat; quòd ex non redditione ſequi poſſit uxoricidium & alia peccata in conjuge petente; quippè hæc liberè ſequuntur; adeoque propter ea vitanda, ne venialiter quidem poteſt quis mentiri, quantò minùs fornicari.

266. *Quid ſentiat Averſa de hac difficultate.* Quod probè ſciens Averſa q. 21. ſect. 3. §. *Et ad fundamenta oppoſita*, ſic reſpondet huic difficultati: Dicendum eſt; ipſi quidem conjugi rogato & compulſo ad copulam non imminere periculum majoris, aut cujuſvis mali culpæ; quia ipſe ſecurus eſt, non peccare denegando copulam: ſed ſolùm imminere periculum gravis mali externi, utpote mortis, excommunicationis, infamiæ: at unuſquiſque tenetur quodcumque damnum ſubire potiùs, quàm peccare.

Imminet etiam periculum peccati ex parte alterius, utpote ne uxor occidatur à viro: ſed nemo debet in ſe peccatum ullum admittere, ad evitandum quodcumque peccatum alterius. Debetque alteri denegari & ſubtrahi, quod ab eo putabatur legitimè poſſideri, quando alius ſcit, ſe id non poſſe ei abſque peccato concedere. Sic ille.

267. *Eccleſia compellens ad copulam non cenſetur diſpenſare.* Et proſequitur dicens: dum verò Eccleſia compellit conjugem ad reddendum, non per hoc cenſetur aut intendit diſpenſare, ut patet ex Canonibus allegatis: quia ſolùm agit ex præſumptione validitatis, quam adeſſe ſupponit. Ac etiamſi verè diſpenſaret, non per hoc ſolùm convalidat Matrimonium; ſed requiritur novus conſenſus contrahentium. Quare deberet ille curare, ut ſecreto modo ſuum impedimentum innoteſcat judici, à quo, impetratâ diſpenſatione, curabit renovari conſenſum.

An in caſu noſtro fœmina poſſit non reſiſtere copulæ. Corduba. Sotus. Navar. Lopez. Henriquez. Rursùs dixerunt Aliqui, ut refert Corduba lib. 1. Quæſtionarii q. 11. fœminam nullitatis conſciam, licèt non poſſit poſitivè conſentire & cooperari ſeſe accommodando & componendo ad copulam, non teneri tamen cum gravi ſuo diſpendio reſiſtere ac reluctari; ſed poſſe negativè & merè paſſivè ſe gerere, permittendo virum in ſe agere & exercere copulam: & ideò cum hoc animo poſſe etiam cohabitare ſimul cum viro, & in hoc non peccare. Sicut in univerſum Sotus lib. 5. de Iuſt. q. 1. a. 5. ad 3. Navar. in Sum. c. 16. n. 13. Lopez lib. 1. Inſtruct. c. 73. Henriquez lib. 12. de Matr. c. 6. n. 8. dicunt, non teneri fœminam cum ſuo gravi diſpendio corporaliter reſiſtere viro non ſuo, ei vim inferenti: ſed ſatis eſſe, ſi non cooperetur ſe adaptando & offerendo ad copulam.

268. *Sanchez.* Sed quidquid ſit de hac re, quantùm generaliter ſpectat ad fornicationis peccatum: certè hoc ipſo quòd mulier conſentit cohabitare viro, quem ſcit non eſſe legitimum conjugem, jam in cauſa conſentit & cooperatur ad copulam, cujus evidenti periculo ſe exponit, præter periculum conſentiendi expreſsè in ipſam copulam, & in carnalem delectationem inde conſurgentem. Ideoque idem Corduba & Sanchez, Diana & alii, nec cohabitationem cum tali animo & periculo permittunt conjugi conſcio nullitatis. Hucuſque Averſa. Quia, ut notat Sanchez ſup. n. 16. cum eo viro manendo, videtur ſe illi ſceleri accommodare.

Diana & alij negant, poſſe cohabitare cum periculo copulæ.

Quid ſi non poſſit commodè cohabitationem deſerere? Planè, inquit aliquis; quando commodè cohabitationem poteſt deſerere; ſed ſi nequeat ſinè damno graviſſimæ infamiæ, aut quod majus eſt, ſinè periculo evidentiſſimo vitæ, quo fundamento videtur ſe accommodare cohabitando, & non potiùs merè paſſivè ſe habere, ſeu permittere copulam?

269. *Doctrina Leſſii.* Audite quid doceat Leſſius de Iuſtit. lib. 4. c. 3. de fœmina & contactu viri per ſe & ſpectatis circumſtantiis inhoneſto. Tenetur, inquit, ſub peccato mortali illum vitare, ſi poteſt. Dicitur autem non poſſe vitare, quando ſinè gravi incommodo non poteſt: quod incommodum debet eſſe tale, ut perpeſſioni iſtius contactûs vel violationis præponderet, vel ſaltem ſit æquale, ut ſi periculum mortis, infamiæ, vel amiſſionis bonorum, non permittenti impendeat. Ita præfatus Auctor. Si illa mala impendentia excuſant talem contactum à peccato ex parte fœminæ, quidni etiam poſſint excuſare talem cohabitationem? Remotiùs enim hæc cohabitatio diſponit ad copulam, quàm illi tactus. Expectabo diſparitatem ab aliis.

Iudicium Navarri. Tantùm addo, quod lego apud Navar. ſup. ab Averſa citatum. Diximus item: *Tactibus qui ſuâpte naturâ non ſunt impudici*: nam ſi tales eſſent, quales ſunt tactus verendorum, nullatenùs debent conſentiri; imò ſi ad evitandum eos eſſet neceſſarium, petendum eſſet cum clamore auxilium, non obſtante infamiâ, quæ alteri partium, vel utrique inde naſceretur, ſecundùm Cajet. cui hac in re contrarius eſt Sotus, relatus ſup. & ei accedimus cum moderatione, de qua ibidem. *Cajet. Sotus.*

270. *Nullus metus excuſat à culpa fornicationis.* Interrogas: quæ ſit hæc moderatio? Expono eam ipſiſſimis verbis laudati Auctoris Navarri eod. cap. n. 1. Neque metus, aut minæ mortis, vel infamiæ, neque pudor vociferandi, neque timor infamiæ, quæ vociferationem conſequeretur, ab hac culpa (intelligit fornicationem ſeu quamcumque copulam extra legitimum Matrimonium) excuſat. Sufficit enim voluntas aut conſenſus etiam coactus, ut culpæ mortalis macula contrahatur. Excuſaret tamen vis abſoluta, quâ ſinè ullo conſenſu cogeretur adulterari aut fornicari, adeò quòd ſi virgo exiſteret, quæ ſemper animo hujuſmodi obſcœnæ voluptati contradiceret, non perderet virginitatem, ſaltem quoad Deum, ut glorioſiſſima Lucia virgo & martyr relata à Gratiano & S. Thomâ reſpondit Paſchaſio in hæc verba: *Si me feceris invitam violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* *Secùs vis abſoluta.*

271. Quod procedit, etiamsi de actu ipso delectationem aliquam perciperet, modò neque in ipsum actum, neque delectationem voluntate deliberatâ consentiret. Nam talis delectatio non esset voluntaria, sed est naturalis; & est esse in medio ignis, & non ardere, ut dixit S. Gregorius: neque tenetur manus iratas injicere in eum, qui vim inferre nititur, neque clamore se defendere. Satis est enim non consentire, ad hoc ut non peccet coram Deo mortaliter, ut singulariter dixit Sotus, quàmvis quoad forum exteriùs præsumeretur consensisse (si contigeret id ei intrà civitatem) quæ neque clamavit, neque petiit opem ad sui defensionem, cùm posset.

Satis tunc est non consentire.

An debeat suis propriis membris resistere.

Illud verò quod idem Sotus addit, non teneri scilicet hujusmodi fœminam etiam suis propriis membris resistere, & quòd satis sit, non se componere aut præparare ad obscœnum illum actum, dummodò animo non consenserit, difficilè profectò poterit contingere. Quare credo, paucas honestas repertum iri, quæ aliquo modo non resistant saltem sinè clamore, & sinè manuum injectione in eos, qui eas tantâ injuriâ afficere nituntur, quæ opinio Soti sic limitata magìs placet, quàm opinio Cajetani dicentis, debere clamare, non obstante infamiâ, quæ inde sequi posset.

272. Interrogatus autem, an sentiam, peccare mortaliter, quæ saltem suis membris sinè clamore & percussione non resistit, & quid si ob metum aptet in id sua membra, vel tibias aperit, vel vestem elevet? Respondi: me sensisse, non peccare, solùm non resistendo; sed sic alia in quæstione contenta, faciendo; quia ea faciens, licèt non consentiat ipsimet actui obscœno, participiat tamen cooperando ad illum, quod sufficit, ut peccet, juxtà tradita sup. quæ autē solùm non resistit, non cooperatur, sed solùm patitur, quę etiā sensit Sotus, licèt rationem non reddat. Hucusque Navar.

An peccet mortaliter id non faciendo.

Sententia Navar.

Sed meritò (inquit Sanchez sup.) Corduba reprobat hanc sententiam, dicens esse periculosam & erroneam: sicut (inquit Cord.) & opinio Hugonis, in qua fundatur, erronea est.

Non placet Cord. & Sanchio.

273. Ego dico: non fundari hanc sententiam in opinione Hugonis, quæ, ut sup. vidimus, admittit, licitum esse tali casu reddere debitum, positivè cooperando, ac si esset verus actus conjugalis; sed fundatur in eo, quòd taliter se habere non sit cooperari ad copulam illam, veluti dum vi opprimitur mulier, eâ positivè reluctante, & omnibus modis conante copulam impedire.

Expenditur ab Auctore.

Scio, non esse omnimodam paritatem inter hæc duo, & ideò quamvis certum sit, in violenta oppressione nullum intervenire peccatum ex parte mulieris, nisi in ipsa copula accedat consensus in delectationem; equidem incertum est, an non peccat mulier in priori casu.

274. Optimum ergò consilium est; vel fugere in locum, ubi scandalum cesset, aut impetrare dispensationem secretam vel manifestam; vel certè, si Matrimonium nondum sit consummatum, ingredi Religionem. Adde: divortium celebrare, si adsit justa causa, vel cohabitare instar sororis cum animo denegandi illi corpus suum, resistendo quantùm potuerit.

Optimum in hac re consilium.

Et hactenùs quidem de conjuge, cui certo constat invaliditas sui Matrimonii. Sed quid si dubitet de valore? Respondeo:

CONCLUSIO X.

Dubius de valore Matrimonii bonâ fide contracti potest post adhibitam sufficientem diligentiam petere debitum.

275. DUbius hìc est, cujus intellectus non valet in alterutram partem inclinari; sed ex probabili seu discreto & prudenti fundamento pendulus est in utramque, neutri assentiendo. Dico: *Ex probabili* &c. ut distinguatur à scrupuloso, qui ex levibus rationibus suspendit assensum, proinde debet & tenetur alteri parti assentiri; adeoque, secundùm Omnes, potest petere, & tenetur reddere debitum, depositò scrupulo, quem habet circà invaliditatem Matrimonii.

Quis hic censeatur dubius.

Ita expressè deciditur cap. *Inquisitioni*, de Sent. excom. ibi: *In secundo distinguimus, utrùm habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temeraria, an probabili & discreta: & quidem ad sui Pastoris consilium, conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ, licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale.*

Scrupulosus tenetur, depositò scrupulo, reddere; & potest petere, ex c. 44. de Sent. excom.

Ubi Gloss. verb. *Levi & temerariâ*, interrogat: *Quam dicit levem? Putà, si audivit impedimentum à levibus, & fortè à paucis, quibus credere non tenetur: talem credulitatem vel consimilem debet removere, quam non evadet, nisi deponat errorem.*

276. *Quæ hic sit conscientia levis.*

Et quàmvis textus dicat, deponendum esse consilio proprii Pastoris, idem intelligo (inquit Sanchez lib. 2. disp. 41. n. 42.) de consilio cujuscumque viri docti. Quod ego intelligo etiam de ipso scrupuloso, quando & ipse est vir alioquì doctus, qui novit distinguere inter levem credulitatem & probabilem.

Sed quam dicis probabilem, interrogat Gloss. sup. verb. *Probabilis & discreta*. Et respondet: *Putà, quia videt virum cum consanguinea in locis suspectis, & horâ suspectâ, solum cum sola antè Matrimonium: hujusmodi præsumptiones probabilem inducunt credulitatem; vel quia publicè dicitur ab hominibus; ad hoc facit sup. de Præsump.* Tertiò, &c. Literis. *Et idem intellige de viro, si vidit consanguineum suum cum uxore sua antè Matrimonium.* De quare infrà latiùs.

277. *Quæ sit hìc conscientia probabilis.*

Nunc quæro: quid juris tali viro aut mulieri? Nunquid potest petere debitum, & tenetur reddere? Audi quid rescribat Innoc. III. d. cap. *Inquisitioni*, in fine: *Verùm cum conscientia pulsat animum, ex credulitatè probabili & discreta, quàmvis non evidenti & manifestâ, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: nam in alterutro vel contrà legem conjugii, vel contrà judicium conscientiæ committit offensam.*

Quid juris tunc, ex d. c. 44.

Et quòd non solùm possit, sed etiam teneatur reddere, expressit Lucius III. scribens universis Christianis, in captivitate Sarracenorum positis,

278. *Itemque ex c. 2. de*

in

Secundis Nupt. in hæc verba: (referuntur cap. 2. de Secundis nupt.) *Dominus ac Redemptor noſter*: Et infrà: *Sanè ſuper Matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis reſpondemus: ut nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, dònec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus.*

Si verò aliquis vel aliqua id hactenùs non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti: quod à ſe tamen noverit nullatenùs exigendum.

Ubi Gloſſ. verb. *Non deneget*, inquit: *Et ita propter dubium præſumitur pro Matrimonio.* Atqui ex Matrimonio acquiritur jus petendi, & naſcitur obligatio reddendi; ergò in tali caſu non ſolùm poteſt dubius reddere, ſed etiam tenetur, niſi aliquid aliud obſtet.

279. *Quare debitum non ſit exigendum.* Sed quare eſt nullatenùs exigendum? Reſpondet Gloſſ. ibi verb. *Nullatenùs exigendum*, reſpondet inquam: *Hoc eſt propter conſcientiam dubiam ex probabili cauſa. Simile inf. de Sentent. excom.* Inquiſitioni, *in fine.*

Sanchez. Nihilominùs aliqui apud Sanchez ſup. n. 43. docent, in caſu propoſito illicitum eſſe non tantùm petere, ſed etiam reddere. Alii apud eundem n. 44. licitum eſſe & petere & reddere. Hi reſpondent ad præfatos textus, intelligi debere, quando alter malâ fide contraxit. Illi dicunt, procedere eos in foro externo.

Sed contrà primum, licèt (inquit Sanchez n. 45.) cap. *Dominus*, in eo caſu loquatur: at cap. *Inquiſitioni*, expreſsè loquitur, quando bonâ fide, & ita diſtinguitur ibi, quando eſt verum dubium, & quando eſt ſcrupulus.

280. *An dd. textus intelligendi ſint de foro externo, ex Sanchez.* Ad ſecundum reſpondet Sanchez ibidem: cap. *Inquiſitioni*, ſermo eſt de dubio, quod conſcientiam pulſat, & ita quando leve eſt, conceditur recurſus ad Paſtorem: ergò ſermo eſt in foro conſcientiæ. Prætereà: conſtituitur ibi differentia, an ex levi vel probabili cauſa credat conjux, quod ad forum externum nihil refert; ſed tantùm probare poſſit, nec ne.

Deinde quia Lucius III. de cap. *Dominus*, non ſcribit ad judices fori externi, ſed ad Chriſtianos apud Sarracenos captivos, ut ex ſubſcriptione apparet; ergò conſulit eorum conſcientiis; ibi enim nec lites nec tribunal circà Matrimonia eſſe poteſt. Demum: quia idem ſervatur in utroque foro, quando externus non ducitur ex falsâ præſumptione: cum ergò in utroque foro idem dubium ſit de Matrimonii valore, idem cenſendum eſt. Hæc ille.

281. *In utroque foro reddi debet ei, qui bonâ fide contraxit. Probatur.* Cenſendum utique, tam in foro externo, quàm interno, licitum, imò obligatorium eſſe cum tali dubio reddere debitum petenti, qui bonâ fide contraxit Matrimonium, & nullatenùs dubitat de ejus valore. Ratio in promptu eſt: quia, ut jam non ſemel dictum eſt, duobus præceptis ſeu malis occurrentibus, ita ut neceſſarium ſit alterum eligere, minus eſt eligendum; ſed in hoc caſu occurrit peccatum fornicationis, & peccatū injuſtitiæ, ita ut neceſſarium ſit alterum eligere: quippe in non reddendo eſt periculum injuſtitiæ, in reddendo autem periculum fornicationis; & majus peccatū eſt injuſtitia, quàm fornicatio; ergò in hoc dubio eligenda eſt redditio debiti.

Objectio. Quod ſi objicias hanc rationem tantùm probare, quando dubius eſt Matrimonii valor ob alia impedimenta, præter prioris Matrimonii impedimentum; eò quòd non ſatis conſtet de prioris conjugis obitu; tunc enim nihil probat, quia majus eſt periculum in reddendo; eſt enim incontinentiæ contrà caſtitatem, & contrà prioris Matrimonii juſtitiam, quàm in non reddendo, in quo ſolùm eſt injuſtitiæ periculum.

282. *Solvitur ex Sanchez.* Dicendum eſt (inquit Sanchez ſup.) adhuc eſſe majus malum, non reddere, non quia ſit contrà plures virtutes, ſed quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; & ita conjugis poſſeſſio bonâ fide tantæ eſt efficaciæ, ut ulla fiat injuſtitia priori conjugi non poſſidenti, ſed reddatur debitum huic poſſidenti: ratione ergò poſſeſſionis ceſſat injuſtitia contrà priorem conjugem, & ſolùm manet incontinentiæ periculum reddendo, quod minus malum eſt, quàm injuſtitia admiſſa non reddendo.

Et confirmatur: quia injuſtitia contrà priorem conjugem eſt dubia, contrà præſentem autem, cùm poſſideat, eſt certa; in dubiis autem malum incertum præfertur certo. Adde: majorē injuſtitiā admitti contrà conjugē, illi negato debito, quàm adulterio; ſicut gravior injuſtitia furti eſt, omninò negare alicui uſum rei propriæ, quàm aliis uſum permittere invito domino. Sic Sanchius.

283. *Alia objectio.* Cęterùm (inquit Vaſquez 1.2. diſp. 66. n. 24.) adhuc manere videtur difficultas contrà prædictam rationem: quia ſi dubium eſt de impedimento conſanguinitatis, videtur conjux ſe exponere duplici periculo, ſi reddat; nempè duplicis peccati, alterius contrà caſtitatem, quod eſt fornicationis, alterius contrà conſanguineam, quod eſt peccatum inceſtûs. At verò in non reddendo exponit ſe periculo tantum injuſtitiæ; duo autem peccata illa magis ponderare debent, quàm unum. Ita ſibi objicit hic Auctor.

Solutio Vaſquez. Reſpondet autem: adhuc majus eſſe periculum in non reddendo, ratione poſſeſſionis. Nam poſſeſſio Matrimonii bonâ fide majoris momenti eſt, ut fiat injuria conjugi petenti non reddendo, quàm dubium conſanguinitatis, ut fiat injuria ſanguini, reddendo. Cùm igitur periculum unius injurię omninò tollatur per poſſeſſionem, in qua eſt jus quoddam quæſitum per Matrimonium; reſtat, ut ex alia parte periculum incontinentiæ non impediat; quia cenſetur multò minùs, quàm periculum injuſtitiæ. Sic ille.

284. *An d. probatio ſit univerſalis, ex Scilders.* At vero Lud. de Scildere in ſua Synopſi de Sacramentis, §. 122. dictam rationem, ſcilicet, quòd in perplexitate minus malum amplectendum ſit, bonam quidem eſſe ait, ſed non univerſalem, ut patet inquit, in dubio conjugis de morte uxoris, qui ſive reddat, ſive non reddat, periculo injuſtitiæ ſit obnoxius. Quæ ergò ratio, ſecundùm hunc Auctorem, communis doctrinę? Optima, reſpondet, videtur, quòd ubi poſſeſſori lex dare privilegium nequit, nemo ab uſu rei, quam certò credit eſſe ſuam, licitè impediatur; niſi per eū, qui pro ſe habet aliquid æquivalens,

Alia probatio d. ſententia. ex eod.

v. g. dissensum oppositum. Sic ille. Id est, nisi per eum, qui certò credit non esse suam.

Ergò dubius tenetur reddere debitum, ne impediat petentem ab usu rei, quam certò credit esse suam, sive reddendo exponatur periculo æqualis peccati, aut etiam majoris, quàm non reddendo. Tametsi enim sit illicitum, exponere se periculo peccati absquè justa causa; quia tunc censetur ipsum peccatum voluntarium, si quod fortè eveniat; equidem ex justa causa licet; quippe tunc exponens tantùm permissivè videtur se habere, optaret enim ab actu suo omnem abesse malitiam: v. g. in casu proposito, qui in dubio reddit debitum, optat omnimodò ab actu suo abesse omnem malitiam; nam si certò sciret esse malum, nullatenùs eum exerceret: unde non intendit formaliter, nisi reddere debitum, seu exercere actum justitiæ, qui indubiè bonus est: & pro tali agnoscitur, & certò moraliter habetur ab eo, qui debitum exigit.

285. *Dubium, quod hìc intervenit, est merè speculativum.* Proinde dubium, quod hìc intervenit, non est practicum, id est, non innititur ei redditio debiti; sed merè speculativum; non enim ideò dubius reddit debitum, quia dubitat de valore Matrimonii; sed quia petens certò credit esse validum Matrimonium. Quæ utique certitudo sufficit, ut certò judicem, me posse & debere reddere, & huic judicio innititur redditio; & ideò bona est, non obstante, quòd dubitem, an sit vera fornicatio; & per consequens, quòd exponam me periculo materialis fornicationis; cui juxtà Sanchium sup. n. 53. licitum est se exponere, quando alio modo non potest quispiam uti plenâ possessione, omni jure sibi concessâ; sicuti omni jure conceditur plena possessio Matrimonii ei, qui non dubitat de ejus valore; quâ tamen uti non potest, nisi ille, qui dubitat, teneatur reddere.

286. *Objectio.* Si dixeris: Prælato jubenti detegere crimen fratris, non tenetur subditus dubitans an jure præcipiat, obedire, non obstante Prælati possessione; ergò conjugi possidenti, non tenetur alter conjux dubitans reddere.

Solvitur à Sanchio. Respondet Sanchez sup, neg. similitudinem. Quia (inquit) sicut Prælatus est in possessione respectu subditi, ita alter respectu suæ famæ; & Prælatus manet in possessione præcipiendi, licèt in hac re sibi non obtemperetur; alter autem perpetuò famam amittit, & ita majus damnum sequitur, si illi obediatur. Sic ille.

287. *Objectio altera ex Scilders.* Sed contrà, dicet aliquis cum Scilders sup. Regula: *In dubio melior est conditio bonâ fide possidentis*, humano jure inducta, circà illa tantùm valet, in quibus defectum domini supplere potest Respul. v. g. circà bona externa. Ergò frustrà allegatur hìc possessio.

Solvitur. Respondetur: regula illa inducta est etiam jure naturali, ut habet communis sententia, de qua non est locus hìc disputandi; atque adeò valet etiam circà illa, in quibus defectum dominii Ecclesia non potest supplere.

Aliud arg. Adversa- Ex quo facilè solvitur hoc argumentum Adversariorum: Crucifixum apparentem tenetur dubitans, an sit dæmon, non adorare: ergo dubitans de valore Matrimonii, tenetur prorsùs ab illius usu abstinere. Negatur quippe similitudo: quia (inquit Sanchez sup.) in eo casu non est justa ratio deponendi dubium speculativum, cùm nullus sit in possessione; & ex alia parte est periculum idololatriæ. Atque hæc satis de redditione, de qua iterùm redibit quæstio Conclus. sequenti. *riorum, sed ineffica.*

Quantùm ad petitionem debiti, quæ habet majorem difficultatem, dicunt DD. communiter, eam esse illicitam, propter jura superiùs laùdata, in quibus dubitanti datur licentia, immò imponitur obligatio reddendi; prohibetur autem petitio. Et quid mirum, cùm planè sit diversa ratio? Quippe non petendo nemini facit injuriam, sicuti facit non reddendo; & petendo exponit se periculo fornicationis; quid ni ergò debeat eligere quod tutius est, scilicet non petere? 288. *An in casu posito petitio debiti sit licita.*

Sic namque habet communis regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*; quâ utitur Clem. III. in cap. *Ad audientiam*, 12. de Homic. ibi: *Quod cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Et Innoc. III. cap. *Significasti*, 18. eod. ibi: *Cùm in hoc casu* (dubii homicidii) *cessare sit tutius, quàm celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Ubi hi Pontifices propter illam regulam decernunt seu præcipiunt, in dubio homicidii abstinere à ministerio altaris.

Et ideò in casu proposito dubitantem de valore Matrimonii non posse petere debitum, quàmvis teneatur reddere, tenet Doct. Angel. 4. dist. 38. in fine, in expositione literæ Mag. dicens: *Si postea* (intelligit post Matrimonium bonâ fide contractum) *oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa, quæ etiam certitudinem facere posit, non debet nec reddere nec exigere debitum: si autem causa illa facit probabilem dubitationem, debet reddere, sed non exigere.* 289. *Negat Doct. Angel.*

Consonat Doctor Seraphicus eodem loco, ibi: *Ex his patent omnia objecta: non enim debet contrahere, nisi certitudinem habeat de morte* (prioris viri) *nec debet petere debitum, quando probabiliter dubitat, nec debet reddere, quando est certa de vita; quod si aliter faciat, judicatur fornicationis rea.* *Consonat Doct. Seraph.*

Rogas: quid sentit Doctor Subtilis? Sanchez sup. n. 42. citat eum pro sententia, quæ ait, nec reddere, nec petere posse; sed perperàm, ut jam ostendam ex eo loco, quem Sanchez adducit, putà 4. dist. 30. q. 1. n. 4. ubi sic scribit: *Sed de secundo* (intelligit casum, quo dolosè contrahens exprimit alteri dolum suum) *est major altercatio, quibusdam dicentibus, quòd ista persona non potest reddere debitum, stante conscientia de dolo alterius: nec recedere* (à contractu) *quia exponit se periculo fornicationis, ut dictum est. Dico tamen breviter, quòd nullus est perplexus in lege divina, etiam quocumq; actu proprio posito, dum tamen non maneat aliquod peccatum mortale, per quod fiat perplexus: ista simplici animo contrahens cum doloso, nec tunc, nec multò magis* 290. *Quid sentiat Doct. Subtilis.*

post,

poſt, habet aliquem actum, per quem ſit perplexa: ergò ſimpliciter patet ſibi via virtutis.

291. *Quid faciendum, quando alter conjux dicit, ſe non conſenſiſſe.*

Dico ergò, quòd via tutior eſt, non facere ſibi conſcientiam, quòd alter doloſè conſenſerit : imò quòd tunc veraciter conſenſit, ſed modò mentitur : & in hoc caſu faciat ſicut vero conjugi (id eſt petat & reddat debitum) *Si autem non poteſt tollere conſcientiam, quam habet in verbo privativo alterius conjugis, ſtante illâ conſcientiâ, peccat mortaliter reddendo debitum, quia fornicatur : non reddendo autem, & multò magis recedendo, exponit ſe periculo peccati mortalis, quia fortè iſte mentitur. Et probabilius eſt, quòd nunc mentiatur, quàm quòd mentitus fuerit in principali contractu : & tunc iſta vel negat ſibi, quod ſuum eſt : vel ſi recedit, mœchatur ſecundùm Evangelium. In magnam ergò brigam ponitur contrahens cum doloſè contrahente.* Ita Scotus.

Ubi, ut benè advertit Scholiaſtes antè n. 4. non loquitur Doctor in caſu, quo conjux tantùm dubitaret de valore Matrimonii, ut ei imponunt quidam ; neque de omni impedimento ; ſed in caſu, quo conjux habet conſcientiam de fictione conſenſûs, ut patet ex illis verbis : *Si autem non poteſt tollere conſcientiam* &c. Conſcientia autem per ipſum 2. diſt. 37. q. 2. §. *Ad quæſtiones iſtas* &c. eſt habitus ſeu actus concluſionis practicæ. Ac proinde dicit determinatum conſenſum practicum, contrà quem non licet agere.

Quid ſit conſcientia apud Scotum.

292. *Explicatur doctrina Scoti ex Hiquæo.*

Si ergò illa (inquit Hiquæus in ſuo Comment. ad eum locum n. 23.) quæ eſt bonæ fidei, adhibet fidem allegationi ficti, jam habet conſcientiam talem, quâ non depoſitâ, non licet operari, nec reddere debitum, nec petere, neque etiam recedere : quia conſcientia illa non eſt adeò fundata ex motivo ſuo, licèt ex credulitate formantis ipſam, & aliis motivis inducatur ; quia motivum eſt veracitas dicentis, qui fatetur ſe mendacem in priori contractu, ac proinde indigum fide ; neque tollitur obligatio ſimpliciter, quæ eſt ex priori contractu ex natura motivi, quod perinde inclinat ad aſſenſus contrarios ; quòd verò formans conſcientiam adhæreat, allegationi fruſtrati conſenſûs prioris, eſt ex propria levitate, non ex natura motivi : nec proinde evacuatur obligatio cohabitationis, licèt perplexa maneat perſona credens aut ſuſpenſa : manens etiam ſuſpenſa nequit operari: quia ad copulam ſupponitur, ut ſit legitima, regula determinata, ut fiat debito modo per uſum proprii juris, & animo maritali ; ac proinde aſſenſus determinatus circà valorem Matrimonii, licèt ex allegatione ſecunda negati conſenſûs maneat aliqua formido de nullitate : hæc autem formido, ſicut non tranſit in conſenſum determinatum ; ita non inducit obligationem operandi ſecundùm illam ; neque eſt actus aliquis medius in intellectu inter aſſenſum, & diſſenſum ; ſed privatio certitudinis in aſſenſu, quam priùs habuit, ſtante bonâ fide, antequam allegavit alter fictionem conſenſûs. Hucuſque Hiquæus. Plura inferiùs de hoc caſu Scoti.

293. Revertor ad caſum noſtræ Concluſionis, & dico : petitionem debiti eſſe licitam in caſu dubio, poſt ſufficientem adhibitam diligentiam ; eſtque hæc ſententia, teſte Sanchio ſup. n. 47. cæteris probabilior. Dicitur autem : *Poſt ſufficientem adhibitam diligentiam* ; quia antè eam licèt poſſit reddere, ut patet ex antedictis, minimè tamen petere : Quia (inquit Sanchez ſup. n. 46.) dubitans, an res ſit ſua, quàmvis retinere poſſit ; non tamen poteſt eâ uti, donec veritatem inveſtiget : ergò non poteſt petere debitum conjux dubitans, quod eſt Matrimonio uti, donec diligentiam adhibeat.

Petitio debiti eſt licita in caſu dubio poſt ſufficientem diligentiam. Sanchez.

Sed objicies (proſequitur idem Auctor) ſimiliter probare, non poſſe tunc reddere ; nam eſt etiam uſus Matrimonii. Sed reſpondetur eſſe uſum Matrimonii, non dominii, ſed ſervitutis : & quia alter omnino bonâ fide poſſidet, & poteſt omninò uti Matrimonio, ideò hic tenetur reddere ; id enim non eſt propriè uſus Matrimonii, qui actionem dicit ; ſed potiùs pati, ne injuſtè ſpolietur alter poſſeſſione : petere autem eſt propriè uſus Matrimonii, & actus dominii, ac proinde tunc non licet. Sic ille.

Objectio ſolvitur.

Ratio à priori eſt : quia temerariè exponeret ſe periculo fornicationis, & aliquando injuſtitiæ ; quando videlicet dubitatur de morte prioris conjugis, vel etiam inceſtûs, quando dubitatur de conſanguinitate ; non petendo autem liberatur ab omni periculo. Unde negligentia illa, in inquirenda veritate, facit eum poſſeſſorem malæ fidei. Etenim ſi cum dubio, omiſsâ inquiſitione veritatis, primò contraheret, ab omnibus diceretur contrahere cum mala fide : ergò & dici debet, malâ fide perſeverare in Matrimonio jam contracto, ſi, dubio ſuperveniente, negligat veritatem inquirere ; atque adeò ſicuti iſte nullum habet jus petendi, ita nec hic. 294. *Ratio à priori.*

Patet in ſimili : ſi quis dubitans, an res ſit ſua, eam ab altero auferret antè præmiſſam inquiſitionem, judicaretur reus furti ; ergò ſimiliter, ſi poſtquam accepit bonâ fide, incipiat dubitare, & negligat inquirere veritatem, judicabitur reus injuſtæ retentionis, ſecundùm plurimos DD. quos affert Diana to. 3. tract. 3. de Conſcientia dubia, reſol. 29. *Probatio à ſimili.*

Si dixeris : Poſſeſſor iſte incepit bonâ fide poſſidere ; in dubio autem melior eſt conditio poſſidentis. Contrà (inquit Lugo de Iuſtit. diſp. 17. n. 85.) quia licèt ab initio rem bonâ fide poſſederit, poſteà, adveniente dubio, non poſſedit bonâ fide jus retinendi ſinè examine ; ſed potiùs mala omninò fide ; cùm ſcierit, ſe non poſſe juſtè ſinè examine rem poſſidere. Sic ille. 295. *Arg. contrà. Oppugnatur à Lugone.*

Si verò (inquit) factâ diligenti inquiſitione, adhuc dubium perſeveret, tunc poteſt rem ſibi retinere : nam poſſeſſio bonæ fidei, quam initio habuit, dat illi jus ad retinendam in dubio rem illam. Hæc eſt enim doctrina illa communiter recepta, quòd, ſaltem in materia juſtitiæ, in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Cùm ergò in præſenti par ſit cauſa : dubium enim eſt, an res ſit ipſius, vel alterius ; forum tam internum, quàm externum, favet poſſeſſori bonæ fidei: *In materi juſtitiæ in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis.*

fidei : hoc enim exigitur ad quietem & pacem Reipub. quòd possessores protegantur & defendantur, quamdiu non ostenditur, rem esse alterius ; quia habent pro se maximam præsumptionem in possessione fundatam; quæ dum non vincitur aliis rationibus, vel præsumptionibus fortioribus, prævalet in utroque foro. Ita Eminent. sup. n. 86.

296. *An etiam in alijs materijs.* Et n. 87. ait : Objici solet contrà hanc communem regulam, & hunc favorem possessoris; quòd in aliis Materiis extrà justitiam non semper in dubio sit melior causa possessoris ; quod multis exemplis probari solet, & aliquibus juribus ; præsertim ex cap. *Dominus*, de Secundis nuptiis, & ex cap. *Inquisitioni*, de Sentent. excom. ubi dicitur, conjugem dubitantem de valore Matrimonii posse quidem & debere reddere debitum , non tamen posse petere : ergò in dubio possessio non juvat.

Multi volunt, differre quoad hoc materiam justitiæ à materiis aliarum virtutum. Alii melius id negant, ponuntque regulam universalem, quòd in pari causa semper melior sit conditio possidentis. In pari, inquam, causa : potest enim causa esse aliunde valdè dispar, eò quòd præsumptio juris sit contrà possessorem ex aliis capitibus. Ita Card. Et nos cum illo.

297. *Probatur Conclus. ex Sanchez.* Quapropter probamus Conclus. nostram cum Sanchio sup. n. 47. Possessor bonæ fidei, si dubitat rem esse alienam, & facto sufficienti examine, nequit dubium vincere, potest non tantùm rem detinere, sed illâ etiam uti ; ergò conjux dubitans, si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, potest uti Matrimonio petendo & reddendo.

Antecedens probat Sanchez sup. n. 22. quia nulla est ratio, ob quam perpetuò ab usu abstinere debeat ; ex usu enim nullum sequitur detrimentum vero domino, si utens vel alienans paratus est pretium restituere vero domino comparenti, & ad id est potens ; cavere enim debet, ne pretium consumat, ita ut ad restituendum posteà reddatur impotens.

298. *Oppugnatur probatio.* Planè, reponit quispiam, & ideò Consequentia Sanchez non valet : quia conjux utens Matrimonio, petendo debitum non est potens restituere, quod abstulit ; atque adeò non est hìc locus restitutioni, sicut ibi.

Defenditur Respondetur : neque utens Matrimonio reddendo tantùm debitum, & tamen redditio licet. Prætereà : quod ait Sanchez sup. pretium restituendum esse, à Multis negatur. Audi etiam ipsum, Sum. lib. 2. c. 23. n. 186. ubi hæc lego: Hinc fit, hunc possessorem, qui, appositâ sufficienti diligentiâ, manfit adhuc dubius, non teneri in posterùm vero domino comparenti restituere, nisi instar bonæ fidei possessoris, nempè rem extantem ; consumptam verò quatenùs est ditior factus. Quia ex puncto illius diligentiæ est possessor bonæ fidei. Sic ille. Ergò hic non attenditur præcisè possibilitas restitutionis.

Cui conceditur possessio, etiam usus & alienatio. Igitur cui justè conceditur possessio alicujus rei, etiam concedenda sunt, quæ ex justa possessione oriri consueverunt, ut usus & alienatio ; aliàs ista possessio non esset favor, sed onus possidentis ; deberet enim rem sumptibus suis conservare, sine aliquo ejus fructu. Et consimiliter in præsenti casu, magnum esset onus conjugis dubii, si deberet manere apud alterum, & ei præbere alimenta &c. nec posset habere usum corporis illius, absque aliquo suo delicto.

Si dixeris cum Aliquibus apud Sanchez sup. n. 20. Qui præscribere non potest, nequit alienare, l. *Alienationis*, ff. de Verb. signif. dubitans autem præscribere non potest. Respondet ipse n. 23. Valde probabile est, in eo dubio posse eum præscribere. Item : estò præscribere nequeat, non sequitur, eum non posse alienare : in ea enim lege non dicitur, eum, qui præscribere nequit, non posse alienare : sed eum, qui alienare nequit, non posse præscribere.

299. *Occurritur objectioni.*

Hæc sunt verba juris : *Alienationis verbum etiam usucapionem continet : vix est enim, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi.* Alienatio enim non est causa adæquata præscriptionis; est tamen necessaria ; unde valet: potest præscribere, ergò alienare : non tamen econtrà : non potest præscribere, ergò nec alienare. Sic ille.

300. *Qualiter possidens bonâ fide possit rem alienare.* Ergò dubius, qui possidet bonâ fide, post adhibitam diligentiam (si spes aliqua sit inveniendi verum dominum, alioqui etiam antè) potest rem alienare ; saltem si paratus sit, vero domino postmodum comparente, satisfacere ; & dummodò, si eam vendat, admoneat emptorem de dubio ; quia hoc est vitium aliquod, quo cognito, emptor nullatenùs emisset, vel viliori pretio ; eo semper salvo, ut sit spes aliqua, fore ut dominus compareat ; secùs si nulla sit spes : quia tunc res non est vitiosa.

An debeat restituere pretium domino comparente. Dixi consultò : *Saltem si paratus sit* &c. quia Aliqui, ut sup. diximus, putant, posse eum rem alienare sine onere restituendi pretium, nisi in quantùm factus fuerit locupletior, arg. cap. 5. 34. q. 1. & 2. *Si virgo nesciens viro nupserit alieno, hoc si semper nesciat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem sciat, jam hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit : sicut in jure prædiorum, tamdiu quisque bonæ fidei posse sor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum : cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur, tunc juste injustus vocabitur.* Ita D. Aug. lib. de Fide & operibus c. 7. *Probatur quòd non ex c. 5. 34. q. 1. & 2.*

Subsumo ego : atqui dubius solùm non scit se habere alienum ; ergò est bonæ fidei possessor : ergò potest rem alienare sinè onere restituendi eo modo, quo ille, qui certò putat, rem esse suam. Infero ulteriùs : ergò virgo, quamdiu non scit, se nupsisse viro alieno, potest cum eo cubare, ac petere & reddere debitum ; quia possessor bonæ fidei est : at dubitans, post diligentem inquisitionem, non scit se nupsisse viro alieno ; ergò &c.

301. *Quomodo intelligendum d. cap. ex Sanchez.* Respondet Sanchez sup. hoc cap. intelligi debere, non de ignorantia negativa, qualem habet dubitans, an res sit sua ; sed de ignorantia positiva, quâ possessor credit, se non alienum possidere, qualis non est in dubitante. Sic ille. Post Covarr. ad Reg. *Possessor*, part. 2. §. 7. n. 4.

n. 4. contrà Panormitanum.

An valeat arg. ab usu rei ad usum corporis.

Sed, dicet aliquis : quidquid sit de ea restitutione, debita sit, nec ne; equidem non valet argumentum ab usu rei ad usum corporis in Matrimonio. Quippè utens pallio v. g. aut aliâ simili re, non exponit se periculo novam virtutem violandi, præter justitiam, quæ si consumptione violaretur, etiam retentione: ergò cùm sit licitum retinere, itidem consumere : in nostro autem casu est periculum violandæ alterius virtutis, scilicet castitatis, in qua virtute non habet locum illa regula : *In dubio melior est conditio possidentis*, ut docet Vasquez 1.2. disp. 6. c. 3. & disp. 66. per totum. ubi cap. 4. tenet expressè oppositum nostræ Conclusionis.

Vasquez tenet oppositum nostræ Conclus.

302. *Et subscribit Scilders.*

Quem, inter alios, sequitur de Scildere de Principiis conscientiæ formandæ tr. 6. n. 80. Licet enim (inquit) is, qui bonâ fide accepit possessionem bonorum fortunæ, possit postea, dubio superveniente, retinere illa, & interim frui: hoc tamen oritur ideò, quia potestas Superioris creati à detentione & fruitione rei alienæ malitiam auferre potest ; & de facto aufert respectu possessoris bonæ fidei, licèt dubitare incipiat : non potest autem à fornicatione, sive ab accessu ad non suam auferre malitiam ; unde nec licentiam dare potest possessori bonæ fidei, ut dubitans de Matrimonio debitum petat. Sic etiam illi, qui est in possessione bonæ fidei quoad Sacerdotium, & posteà dubitat, licentiam dare non potest, ut licitè celebret.

Probat à simili.

303. *Per quid possessio Matr. acquiratur secundùm ipsum.*

Adde : quòd possessio Matrimonii non acquiratur per contractum Matrimonii ; sed per cohabitationem sive usum corporis alieni quasi ex jure ; sicut possessio servitutis seu beneficii non acquiritur per donationem, emptionem, acceptationem collationis ; sed per usum ipsius, quasi ex jure. Unde non illius, qui bonâ fide contraxit, sed illius, qui bonâ fide accessit ad mulierem, melior deberet esse conditio, quod nequidem Adversarii admittunt. Hæc ille.

Illatio Auctoris.

Infero ego : ergò illius, qui bonâ fide contraxit, & bonâ fide cohabitavit, atque usus fuit corpore alieno quasi ex jure, melior est conditio. Intelligis autem Adversarios de conjuge dubio, qui nunquam cohabitavit, aut usus fuit corpore alieno quasi ex jure? Certè casus ille rarissimus est. Atque dum contingeret, dico ; per contractum Matrimonii tales conjuges acquisivisse possessionem Matrimonii : nuspiam quippè in jure distinguitur possessio Matrimonii ab ejus contractu, benè consummatio Matrimonii; aut hanc esse necessariam ad possessionem, ubi jus proloquitur ?

304. *Oppugnatur opinio Scilders de possessione Matr.*

At verò omnia jura clamant, possessionem beneficii fore distinctam ab ejus collatione seu donatione, & consimiliter constat, servitutem seu jus servitutis nullatenùs idem esse cum ejus possessione; nam præscribitur sive acquiritur per usum ipsius quasi ex jure, & amittitur per non usum certo tempore continuatum. Nunquid etiam præscribitur Matrimonium, id est, acquiritur per usum ipsius quasi ex jure, aut amittitur per non usum ? Quæ ergò paritas inter servitutem, & Matrimonium ? Et sic patet responsio ad dictam additionem.

Ad principale autem diceret fortè aliquis (benè an malè, alii judicent, meum judicium patebit ex infrà dicendis) Superiorem creatum non posse à fornicatione auferre malitiam; sed neque à detentione vel fruitione rei alienę, nisi per translationem dominii: unde autem constat, de facto id transferre in possessorem bonæ fidei? Enimverò si dominus compareat, antequam tempus legitimũ præscriptionis effluxerit, res, si adhuc in specie extet apud talem possessorem, domino debet restitui. Signum profectò, per illam possessionem bonæ fidei non fuisse translatum dominium, veluti transfertur per legitimam præscriptionem.

305. *Resp. ad principale ipsius arg.*

Igitur gratis asseritur, Superiorem creatum in casu proposito auferre malitiam à detentione & fruitione rei alienæ. Ergò sicut, eo non obstante, licet illa detentio & fruitio, tametsi periculum sit injustitiæ ; sic itidem licet petitio debiti, quantumvis periculum sit fornicationis, injustitiæ, sacrilegii, incestûs, &c. propter hoc principium juris naturalis: *In dubio seu pari causa melior est conditio possidentis*, ita ut possessio (quæ non est aliud, quàm jus insistendi alicui rei tamquam suæ non prohibitæ possideri) sit titulus universalis omnibus virtutibus eo modo, quo aliqua pars potentialis justitiæ, ut obedientia Dei, transcendit omnes virtutes.

Possessio est titulus universalis.

306. *Redditio & petitio debiti sunt materia justitiæ.*

Atque ut in sola materia justitiæ valeret : nonne redditio debiti, & petitio sunt materia justitiæ ? Nemo dubitat. Nam per contractum Matrimonii accipitur jus justitiæ petendi debitum, & imponitur obligatio justitiæ reddendi. Cur ergò, qui est in possessione petendi debitum, quoniam sæpiùs bona fide petiit; cur, inquam, superveniente dubio, & post diligentem inquisitionem permanente, non erit melior ejus conditio, contrà eum, qui vellet ipsum impedire ab actu Matrimonii? Reg. 11. de Reg. juris in 6. ait : Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori. Et quis hìc reus, nisi conjux? Et quis actor, nisi qui eum conatur impedire, & turbare in sua possessione negando debitum Matrimonii ? Ergò conjugi dubitanti favendum potiùs, quàm neganti debitum. Atque adeò standum pro jure petendi.

Minimè, inquis ; quia intervenit periculum peccati fornicationis, & non est sufficiens causa se ei exponendi.

307. *Possessio hìc est causa excusans à formali peccato.*

Sed hoc est, quod quæritur ; an jus petendi, bonâ fide possessum, non sit sufficiens causa excusans talem actum à formali peccato fornicationis. Et videtur quòd sic : quia ante exortum dubium fuit causa sufficiens, & in dubio non est quisquam privandus jure suo, quod pacificè possidet. Sicut ergò redditio excusatur, quia est accessus ad illum, vel ad illam, quæ habet jus justitiæ petendi; simili profectò ratione excusabitur petitio, quia est accessus ejus, qui judicat se habere jus justitię in his circumstantijs, cui judicio innitur dicta petitio; non autē illi dubio supervenienti; unde nō dubitat de honestate sui accessûs, sed firmiter sibi persuadet, eũ esse licitũ;

quàmvis dubitet de valore Matrimonii.

Quid ergò ad textus sup. ex adverso adductos, in quibus, ut vidimus, conceditur redditio, & negatur petitio ? Respondetur : d. cap. *Dominus*, agit de illis, qui malâ fide contraxerant, ut patet ex his verbis : *Quidam ex vobis (nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt.* Cùm tamen hæc certitudo necessaria sit ad bonam fidem, ut alibi ostendimus.

Resp. ad d. cap. Dominus.

308. Majorem difficultatem habet d. cap. *Inquisitioni*, ad quod respondet Sanchez lib. 2. disp. 41. n. 53. intelligi debere, dum non est adhibita diligentia : quàmvis enim, inquit, jus non distinguat, ratio distinguere cogit ; ne bonæ fidei possessor cogatur ob dubium invincibile in perpetuum ab usu rei suæ abstinere.

Expenditur d. cap. Inquisitioni, ex Sanchez.

Et sanè, non posse generaliter intelligi de omni casu, fateri debent, qui docent in dubio impotentiæ perpetuæ, etiam eum, qui malâ fide, id est, cum tali dubio contraxit, posse petere & reddere debitum ; eò quòd alio modo nequeat constare de impedimento.

309. Interim contrà hanc explicationem Sanchez arguit de Scildere sup. d. tract. 6. In eodem Capitulo dicitur conscientia levis & temeraria ad consilium Pastoris posse deponi, non item probabilis & discreta, quæ non potest talis appellari, nisi præmisso examine.

Explicatio impugnatur à Scilders.

Respondetur : probabilis & discreta conscientia hìc dicitur, ut sup. vidimus ex Gloss. d. cap. *Dominus*, verb. *Nullatenùs exigendum*, quæ est dubia ex probabili causa : quid vetat autē, quempiā dubitare ex probabili causa antè præmissū examen?

Defenditur

Aliqui propter illa verba : *Ex credulitate probabili & discreta*, respondent, Pontificem non agere isthìc de casu dubio, de quo hìc disputatur, sed de casu quo quis opinatur, Matrimonium esse invalidum.

Alij aliter respondent ad d. cap.

310. Sed contrà est (inquit de Scildere sup.) quòd sic opinans nequidem reddere debitum possit, cùm redditionem arbitretur fornicationem ; & tamen Pontifex illam non tantùm dicit esse licitam, sed etiam ex obligatione esse faciendam. Neque satisfit, ulteriùs dicendo ; quòd sic opinans possit sequi sententiam probabilem conjugis de valore Matrimonii : nam præterquam, quòd nemo opinionem alterius probabilem contrà suam sequi possit ; jam sequitur, quòd illam possit æquè sequi in ordine ad petitionem debiti, quàm in ordine ad redditionem ; quod tamen Pontifex negat.

Arg. contra, ex Scilders.

Neque refert ; quòd Pontifex utatur verbo credulitatis ; quia per id non debet intelligi assensus, cùm posteà dicatur, conscientia levis & temerariæ credulitatis explodi ; sed cogitatio in assensum inclinans. Sic ille.

311. Nec adeò malè, dicet aliquis ; Nam Pontifex non utitur verbo conscientiæ probabilis, sed, conscientiæ ex credulitate probabilis, id est, conscientiæ dubiæ ex probabili causa, ut distinguitur contrà conscientiam scrupulosam, quæ est conscientia dubia, ut antè diximus, ex levi ratione.

Nunquid efficax?

Respondeat Lugo.

Audite quid Lugo sup. ad hæc respondeat

In cap. *Inquisitioni*, vel solùm prohibetur petere conjux, quamdiu non est adhibita debita diligentia : vel etiam dato, quòd universalititer loquatur, dicere possumus, ex illo magìs confirmari nostram conclusionem : nam alter conjux, qui erat possessor bonæ fidei, dicitur posse petere & reddere : alter autem, dum habet dubium, non permittitur petere, quia nimirum in casu illius textûs conjux non habebat dubium merè negativum ; sed potiùs credulitatem & opinionem positivam de impedimento Matrimonii, ut constat ex verbis illius capitis. Stante autem illâ opinione de impedimento, & non stante opinione etiam probabili de negatione impedimenti, non poterat conjux petere ; quia nullum habebat judicium, saltem probabile, de valore illius Matrimonii. Sic Eminent.

Et illicò sibi objicit : Dices ; ergò nec poterat reddere (ecce argumentum de Scildere) quia sinè probabilitate saltem Matrimonii non potest conjux consentire in copulam. 312. *Objectio.*

Negatur Sequela : ad reddendum enim sufficit bona fides & possessio alterius conjugis, quâ non est spoliandus sinè manifesta probatione impedimenti ; atque ideò, licèt conjux dubitans non habebat probabile judicium de valore Matrimonii ; habet tamen judicium, quòd liceat reddere, ne fraudetur jure suo possessor bonæ fidei absque manifesta probatione. *Solvitur.*

Dices ; ergò etiam ille conjux, qui nunc, per assensum probabilem impedimenti, dubitat de valore Matrimonii, non est spoliandus jure petendi debitum : nam ipse etiam possidebat priùs bonâ fide, & nō debet spoliare sinè manifesta probatione. 313. *Alia objectio.*

Respondeo neg. Sequelam ; discrimen est manifestum : quia conjux iste dubitans fatetur, se non credere, etiam probabiliter, Matrimonium esse validum : non ergò defendit se ab accusatione, quâ ex impedimento probabili arguitur nullitas Matrimonii : ubi autem reus confitetur intentionem accusatoris, meritò condemnatur : at verò conjux alter, qui est in bona fide, non fatetur illud impedimentum, nec tenetur illud credere ; sed omninò negat, & dicit, Matrimonium fuisse validum : ergò non debet condemnari aut spoliari, & per consequens retinet jus petendi, cui debet satisfieri à conjuge etiam dubitante, ne condemnet conjugem justè se defendentem & excipientem adversùs impedimentum probabiliter objectum. *Diluitur.*

Quod quidem non est peculiare in causa Matrimonii : nam etiam in materia justitiæ, licèt non possit aliquis retinere rem, quam opinatur esse alienam sinè opinione partis oppositæ, ut docet Sanchez cum communi d. lib. 2. de Matr. disp. 44. n. 1. & 5. non tamen sufficit ejusmodi opinio circà factum, ad spoliandum possessorem bonæ fidei re quam possidet, ut docet idem Auctor ibidem, & n. 3. quia prævalet præsumptio possessionis. Hucusque Lugo.

Interrogas : quid ergò, si etiam probabiliter opinetur Matrimonium valere ? Respondet Sanchez sup. n. 4. Potest petere & reddere debitum. Quia licitum est amplecti opinionem proba- 314. *Quid si aliquis probabiliter*

opinetur Matr. eſſe validum. Sanchez.

probabilem. Et addo idem eſſe quamvis probabiliùs crederet non valere Matrimonium; ſi enim probabilem opinionem valoris habeat, poteſt petere & reddere. Sic ille.

Probatur poſſe reddere.

Et ſanè poſſe reddere, videtur manifeſtè colligi ex ipſo textu, de cujus mente hic diſputamus: nam dicit: *Si conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt.* Ubi pondero (inquit Sanchez ſup. n. 3.) ea verba: *Non evidenti & manifeſta*, quaſi dicat: quando non fuerit firma & manifeſta credulitas, reddat.

Sanchez.

315. *Eſt ſententia D. Thomæ.*

Hanc ſententiam tenet D. Thomas 4. diſt. 41. q. un. a. 5. quæſt. 1. ad 3. ibi: *Aut habet certam ſcientiam de impedimento Matrimonii, aut opinionem; ſi primo modo, nec exigere, nec reddere debet; ſi ſecundo, debet reddere, ſed non exigere.*

Item, D. Bonav.

Et D. Seraph. 4. diſt. 38. in expoſit. lit. circà finem: *Quòd ſi mulier incipiat poſt contractum Matrimonium dubitare de morte viri, aut eſt dubitatio levis, & hæc ſecundùm conſilium Prælati poterit à corde removeri, & poterit debitum exigere & petere. Si verò probabiliter dubitat, debitum debet reddere, ſed non exigere.*

316. *Reſponſio ad D. Bonav.*

Verùm dicere quis poſſet, D. Bonav. per probabilem dubitationem non intelligere opinionem probabilem ſeu aſſenſum opinativum, ſed dubium propriè dictum, ſeu ſuſpenſionem omnis aſſenſûs ex probabili cauſa.

Impugnatur.

Contrà tamen facit: quòd ſtatim poſt, tunc ſolùm excuſet conjugem à redditione, quando eſt certa de vita prioris viri. Verba ejus habes ſup. in hac Concluſ. Ergò, ſecundùm ipſum, etiam dum probabiliter opinatur priorem virum vivere, adhuc debet reddere, quàmvis nequeat petere; niſi etiam habeat probabilem opinionem de ejus morte; eo ſemper ſalvo, ut bonâ fide contraxerit, permaneatque in bona fide; quia fecit diligentiam neceſſariam in veritate inveſtigenda; & omnibus conſideratis, quæ debent & poſſunt conſiderari, verè probabile ſit, priorem virum obiiſſe.

317. *Replicatur.*

Audiò reponentem; eſtò tunc poſſet petere de jure naturæ; equidem, ſecundùm hunc intellectum d. textûs, jure poſitivo non licet. Quippè ibi prohibetur talis petitio, idque quia in non petendo nullum erat periculum, nequidem rei materialiter malæ: at in non reddendo, tum periculum injuſtitiæ, tum gravis læſionis charitatis ex pare alterius conjugis, qui cùm nil omninò de ea opinione ſciret, nec etiam alteri ſic opinanti teneretur credere, meritò poſſet valde turbari: quod videtur Pontifex inſinuare ibi: *Nam in alterutro vel contrà legem conjugii* &c. porrò lex conjugii maximè pertinet ad fovendum & conſervandum mutuum amorem, ac debitè familiam adminiſtrandam. Et licèt reddendo etiam ſe exponat periculo rei fortè gravioris in ſe & materialiter malæ, ideoque non fiat compenſatio totalis & adæquata in materiali periculo; fit tamen valde magna & ſufficiens, ut Pontifex redditionem non prohiberet; imo novò mandato præciperet; prohiberet verò petitionem. Ita Aliqui, hic diſcurrunt.

318. *Sed ineffaciter.*

Sed non ſunt auſcultandi. Etenim ſi per ſe non ſit licitum reddere, Pontifex nequit illud præcipere: fin autem per ſe liceat, non oportet ſine ratione multiplicare illa præcepta. Sufficit quippe dicere, Pontificem ibi indicare obligationem juris naturalis, cùm nullum verbum in textu inveniatur, quod redoleat novum præceptum. Neque per legem conjugii intelligit mutuum amorem; ſed jus, quod alter bonâ fide poſſidet, exigendi debitum, quod eſt lex Matrimonii primaria, contra quam tali caſu ageret, qui debitum negaret; maximè ſi jus ejus verè probabile ſit, eſtò etiam contrarium foret probabile. Nam ſuffragatur ipſi poſſeſſio: niſi fortè probabilitas contrarii in tantùm excederet, ut vinceret poſſeſſionem.

319. *Quid dicendum de petitione.*

Quod attinet petitionem: Pontifex non aſſignat rationem prohibitionis, quia ſit contra obedientiam: ſed, ut ſignificaret jure naturali id eſſe illicitum, dixit: *Contra judicium conſcientiæ.* Ubi ly, *Judicium*, videtur innuere, quòd per credulitatem probabilem & diſcretam non debeat intelligi dubium mere negativum, quod eſt ſuſpenſio omnis judicii. Saltem non ſatis video, quare non poſſit intelligi verus aſſenſus ſeu judicium opinativum impedimenti, & per conſequens, invaliditatis Matrimonii. Ergo gratis dicitur, ibi conſtitui novum præceptum. Uti etiam mera conjectura eſt, Pontificem ibi ſupponere, adhibitam fuiſſe diligentiam, cùm ejus nullam prorsùs faciat mentionem.

320. *Objectio.*

Dices: ſi noluiſſet eum impedire à petitione, niſi antè examen, illud expreſſiſſet ad tollendos ſcrupulos: maximè cùm Innoc. III. cujus eſt hæc Decretalis, in jure valde doctus fuerit, & ſciverit ea omnia diſtinguere, & in aliis juribus communiter diſtinguat. Patet ex cap. 13. 14. 16. & 17. de Homicidio, in quibus ponitur aliqua ex his conditionalibus: *Si eſt ita: Si res ita ſe habet: Si ita eſt: Si præmiſſa noveris veritate ſubnixa.* Ergò non poteſt prudenter credi, hic voluiſſe prohibere petitionem debiti ſolùm antè examen, & tamen tam obſcurè & verbis univerſalibus reſpondiſſe.

Solvitur.

Reſpondetur: in citatis cap. de Homic. præcipit judici inquiſitionem facti, ut ſi verum ſit, quod proponitur, vel tantum, ferat ſententiam, ſive potiùs pronuntiet, talem eſſe irregularem, vel non. Ad hoc autem requiritur, ut præcedat inquiſitio; agitur ſiquidem in foro externo. Porrò in d. textu: *Inquiſitioni*, non committit examen alicui tertio, neque agitur de foro externo; ſed quæritur, quid ex natura rei licitum ſit: & reſpondet Pontifex, non eſſe licitum petere; ſcilicet, niſi præceſſerit diligens inquiſitio.

Nam ſi præceſſerit, Pontifex tamquam rem per ſe claram ſupponit, poſſe exigi; ita ut non fuerit opus illud exprimere ad evitandos ſcrupulos; quia credebat Innoc. non eſſe in ea re ſcrupulizandum.

321. *Addunio.*

Addunt Aliqui: non videri legitimam Conſequentiam: in caſu probabilis impedimenti non licet; ergò neque in caſu dubii impedi-

menti. Nam posset judex in casu probabilis impedimenti, quando contrarium est minùs probabile, judicare pro invaliditate Matrimonii, quod tamen nequit facere in casu dubio: quia in pari causa, vel in dubio, melior est conditio possidentis, & in dubio favendum est Matrimonio jam contracto.

322. *Propter dubium homicidium incurritur irregularitas ex speciali jure.* Quantùm ad dubium homicidium, propter quod incurritur irregularitas, juxtà communem sententiam per cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti*, 1. & 2. de Homic. dico, esse specialem juris constitutionem, quæ non ita alloquitur ipsos homicidas, quàm Iudices, qui videntur debere sequi partem tutiorem & probabiliorem. Deinde; irregularitas est pœna aliqua Ecclesiastica, quæ totaliter pendet ex voluntate Pontificis, qui potuit propter homicidium dubium, ad majorem illius peccati detestationem, velle illam infligere; & constat ex dictis cap. hanc fuisse mentem Ecclesiæ. At verò in casu nostro non agitur vel quæritur de aliqua pœna Ecclesiastica; sed rogatus fuit Papa, quid jure naturæ licitum vel illicitum foret: ergò censetur voluisse hoc jus explicare, & non constituere novum aliquod præceptum.

323. *Præceptum non petendi in casu nostro fuisset durissimum, ex Sanchez.* Quod sanè durissimum fuisset, ut Sanchez sup. n. 46. advertit: nam per illud compellerentur conjuges culpæ immunes vitam cælibem ducere, v. g. si bonâ fide Matrimonium contraxissent, & ambo posteà dubitarent: neuter enim posset absque culpa lethali aut petere aut reddere. Etenim quòd dubius possit reddere, ratio est: quia alter habet jus petendi; jam autem supponitur, neutrum habere jus petendi.

Priori bimestri dubius non potest reddere antè examen. Ex quo etiam consectaneum est; priori bimestri post initum Matrimonium, si nondum consummatum sit, dubium non posse reddere, saltem antè debitum examen; quia ille, qui certus est, pro eo tempore non habet jus petendi, ut suppono ex alibi dictis. Similiter, si hic admiserit adulterium; nam per ipsum perdit jus petendi, atque adeò non fit ei injuria per negationem debiti.

Dixi: *Saltem antè debitum examen*: quia juxtà nostram Conclus. post præmissam diligentiam potest petere, multò magis reddere: quippè tunc non innititur ea redditio juri, quod alter habet ad petendum, sed propriæ possessioni; ratione cujus, ut dictum fuit, licitum est plenè uti re, bonâ fide inceptâ possideri, non obstante dubio posteà consurgenti, quod debitâ diligentiâ vinci nequijt.

324. *Quid si litigetur super Matr. dubio? Non perditur jus petendi, juxtà Sanchium per c. 2. Ut lite &c.* Sed quid, si lis mota fuerit inter conjuges, ad dissolvendum Matrimonium dubium? Respondet Sanchez sup. n. 50. Lis nec concedit, nec aufert jus; sed perinde censendum est, ac si ea mota non esset, ad dijudicandum, utrùm in eo dubio licitum sit reddere & petere. Quod expressè colligitur ex cap. 2. Ut lite pendente, sequentis tenoris: *Laudabilem*: Et infrà: *Quæris, quando Matrimonium accusare contingit, an statim sit carnale commercium suspendendum*: Et infrà: *Ad quod breviter respondemus, quòd conjugum alteruter accusatus, antè probatam accusationem, jure quod habet in altero privari non potest.*

Ubi pondero ea verba: *Iure quod habet*; ergò permanet idem jus ad petendum vel reddendum, quod habebant conjuges antè litem motam. Imò quando duplex lata est sententia, altera pro Matrimonio, altera contrà, neutraque in rem judicatam transiit, potest dubitans reddere; quia in hoc dubio non est alter possessione privandus. Ita Sanchez. Ergò is qui bonâ fide Matrimonium inivit, licèt dubium superveniat, potest pergere in petitione debiti.

325. *Expenditur d. cap. ex Scilders.* Respondet de Scildere sup. aliam esse causam, cur accusato illi debitum negari non possit: scilicet, quia talis certò habuit jus petendi, cui alter conjux se subducere non potest, nisi in pœnam adulterii. Pœna autem infligi ab uno alteri non potest, nisi de delicto constet, ne se exponat periculo agendi contrà jus alterius. Deinde: accusans potest sinè periculo peccati reddere debitum ei, quem de adulterio accusavit. Nihil simile est, quando aliquis bonâ fide Matrimonium contraxit, & posteà de valore dubitat: nam dubium est, an jus unquam habuerit, unde fit, ut ipsi petenti alter debitum reddere non debeat, neque possit. Hæc ille.

326. *An rectè.* Respondeo: dubium est, an jus unquam habuerit à parte rei, concedo: in æstimatione justa hominum, nego. Contendimus autem, non magis posse quempiam se subducere huic juri putativo, quàm vero & reali, nisi constet de errore. Prætereà: supponit hic Auctor, eo cap. solùm agi de adultero, qui à comparte innocente accusatur ad separationem tori. Et meritò quidem, si attendamus Summarium hisce verbis conceptum: *Accusatus de adulterio ad separationem tori, non debet lite pendente privari possessione conjugali.* At verò si credimus Glossæ, loquitur generaliter de Matrimonio, quod accusatur propter aliquod perpetuum impedimentum.

Videtur loqui generaliter de omni Matr. Subnecto verba Glossæ in expositione casûs: *Aliquis accusat Matrimonium propter consanguinitatem vel aliud perpetuum impedimentum; quæritur, an statim carnale commercium sit suspendendum? Et respondetur, quòd alteruter conjugum privari non debet jure, quod habet in altero, antè finem causæ.* Quid illustrius dici poterat pro nostra Conclusione? Et sic d. cap. Sanchium sup. intellexisse, liquet ex his, quæ subjungit: Nec verum est, inquit, sibi præjudicare conjugem in hoc dubio petentem, vel reddentem: quia si propriâ voluntate impedimentum auferri non potest, ut si sit consanguinitatis, quomodo potest sibi præjudicare, quin probato impedimento, Matrimonium dissolvatur? Sic ille. Sanchez.

327. *Cap. 10. de Rest. spoliat. loquitur de consanguinitate.* Et verò de impedimento consanguinitatis loquitur cap. 10. de Restit. Spoliat. ubi præcipit Luc. III. restitutionem viri, qui sinè judicio Ecclesiæ à se removerat uxorem, accusando Matrimonium de consanguinitate: *Mandamus*, inquit, *quatenùs, si ita est, mulieri virum restitui faciatis: quæ post appellationem ipsius acta sunt, in irritum revocantes: postmodum*

super

ſuper Matrimonio cauſam audiatis, & ſine canonico terminetis.

Itemque c. 13. eod. Idemque ſtatuit Innoc. cap. 13. eod. de muliere, quæ, ob allegatum conſanguinitatis impedimentum, à marito diverterat: ibi: *Si non habeat probationes incontinenti paratas, ſed dilationes expectat longiores (quia præſumitur contra eam, quæ ſine judicio Eccleſiæ, ſuâ tantùm temeritate receſſit à viro) ad reſtitutionem plenariam Eccleſiaſticâ debet cenſurâ compelli.* Ubi in dubio de valore Matrimonii, propter conſanguinitatem, permittitur petitio debiti. Ergò etiam rectè conceditur bonæ fidei poſſeſſori.

328. *Reſponſio Stilders.* Reſpondet de Scildere ſup. petitionem debiti in eo caſu non permitti conjugi dubitanti, ſive in dubio conjugis, ſed conjugi aſſerenti Matrimonium eſſe validum, pro quo ſtat præſumptio juris contrà alterum temerè aſſerentem oppoſitum. Ratione cujus, judex per excommunicationem cogere poteſt conjugem, ut reddat; ſic ut accuſans, etiam ex vi præcepti illius Eccleſiaſtici, reddere debitum debeat, ſi dubitet. Nec refert: quòd mulier illa, ſi incontinenti probationes adferre poſſit, non teneatur interim reddere: ſiquidem ob cauſam rationabilem mulier differre ad tempus poteſt redditionem debiti: quare etiam ob timorem, ne mox ſeparanda ſit. Hæc ille.

329. *Dicta jura non ſunt convincentia.* Ex quibus patet, dd. jura non convincere; maximè cùm loquantur ſecundùm præſumptionem fori externi; cap. autem *Inquiſitioni*, de foro conſcientiæ, & ſecundùm rei veritatem. Nota etiam: quòd Innoc. III. ſit poſterior Lucio III. nam hic ſedit anno 1182. ille autem 1197. atque adeò cap. *Inquiſitioni*, quod eſt Innoc. III. potuit derogare d. cap. 10. quod eſt Lucii III. ſi verum eſt, quòd Innoc. novum præceptum ſtatuerit. Et ſimiliter d. cap. 2. Ut lite pendente, quod eſt Clem. III. qui & ipſe præceſſit Innoc. nam ſedit anno 1187. Quia tamen correctio jurium non eſt admittenda ſinè evidenti neceſſitate, & jura juribus concordanda ſunt, quantùm commodè fieri poteſt; ideò melius dicitur, Innoc. d. cap. *Inquiſitioni*, locutum fuiſſe de petitione & redditione ante adhibitam diligentiam, ſolùmque explicuiſſe jus naturale.

330. *Quid ſi dubitetur de alterius ſervitute? Probatur. non teneri reddere.* Et intelligo de redditione, etiam dum quis dubitat de ſervitute alterius. Si enim aliquid obſtaret, foret præjudicium, quod ſibi ipſi pararet, petendo vel reddendo debitum. Nam haberet ratum Matrimonium cum ancillâ initum, atque in eo perſeverare cogeretur: quod damnum ſubire non tenetur, ut in eo dubio tueatur alterius conjugis poſſeſſionem: ſiquidem in materia juſtitiæ, cùm eſt par utriuſque cauſa, non tenetur aliquis cum proprio damno alterius damnum vitare. Unde non eſt ſimile, quando dubitatur de valore Matrimonii propter alia impedimenta: cùm enim propriâ auctoritate auferri nequeant, nullum ſibi præjudicium parat reddens debitum, & tenetur reddere, ut tueatur alterum in ſua poſſeſſione.

Et confirmatur: quia ſibi præjudicare, ſi dubitans accedat, videtur deſtiri c. 2. de Conjug. ſervorum, ubi habetur, eum qui uxorem, poſtquam eam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, compellendum eſſe eam retinere. *Confirmatur.*

Hinc tali caſu dubitantem non teneri reddere, etſi ab Eccleſia compellatur, videtur fuiſſe ſententia D. Bonav. 4. diſt. 36. initio in expoſit literæ, ibi: *Quæritur ſi antequam plenè detegatur (ſervitus) ſi ſunt in cauſa & lite, utrùm debeat ſibi reddere debitum. Et quòd non videtur: quia aut cognoſcit eam affectu maritali, aut non. Si ſic, generat ſibi præjudicium, & conſentiens reputatur. Si non cognoſcit affectu maritali, peccat mortaliter. Sed contra hoc eſt: quia nullus debet ſpoliari jure ſuo ante cauſæ cognitionem. Reſp. dicendum; quòd talis poteſt dupliciter noſcere, quod illa ſit ancilla, quam liberam credidit. Aut levi ſuſpicione, aut probabili vel vehementi præſumptione, ſive certâ cognitione. Primò non debet petere quouſque inquirat, ſed tamen ſi Eccleſia compellat, debet reddere; quia ignorantia eum excuſat, neſcit enim utrùm ſit uxor. Secundo modo, ſive Eccleſia compellat ſive non, non debet: quia aut tunc ſibi præjudicat neceſſariò, aut fornicatur, & propter mandatum Eccleſiæ non eſt fornicandum. Aliter judicandum eſt de uxore fornicaria, quæ verè uxor eſt, cui cùm ex mandato Eccleſiæ redditur debitum, non generatur præjudicium, nec incurritur aliquod peccatum.* Sic ille. 331. *Hæc videtur fuiſſe ſententia D. Bonav.*

Nunquid oppoſitus nobis? Nonne audiendus? Minimè nobis oppoſitus, & omninò audiendus, ſi per probabilem vel vehementem præſumptionem intelligat cognitionem certam, ſicut videtur intelligere. Nam cap. *Inquiſitioni*, loquitur de conſcientia probabili, quàmvis non evidenti & manifeſtâ, id eſt, non certâ; ſic ego intelligo. Igitur ſi certò cognoſcit ſervitutem, poteſt quidem reddere, ſi velit ſibi præjudicium generare; non tamen poteſt, nec tenetur, etiam ex præcepto Eccleſiæ, ſi nolit ſibi ipſi præjudicare: quia, ut benè ait Doct. Seraphicus, fornicaretur; ſiquidem non accederet affectu maritali, cùm nolit eam eſſe ſuam uxorem, & certò ſciat, eam numquam fuiſſe ſuam uxorem. 332. *An nobis oppoſitus.*

Sin autem ſit dubium propriè ex ratione probabili, aut etiam opinio probabilis pro utraque parte, non video, quare non poſſet reddere, imò & petere debitum abſque ſuo præjudicio; & per conſequens, quare, per ſe loquendo, non teneretur reddere, etiam abſque ſpeciali præcepto Eccleſiæ. Ita docet Sanchez ſup. diſp. 43. n. 8. *Si eſt dubium propriè tenetur reddere, ex Sanchez.*

Ratio eſt: quia poteſt petere, & reddere, nec animo fornicario, nec maritali, ut denuò velit revalidare illud Matrimonium: ſed animo maritali, ut vel ſeipſum, vel alterum conjugem conſervet in ſua poſſeſſione, in qua hactenùs fuit, eo modo, quo id poteſt facere in dubio alterius impedimenti, quod propriâ auctoritate non poteſt auferre. Jam autem, ut impedimentum ſervitutis auferat, requiritur, ut petat vel reddat debitum eo animo ſeu affectu, ut denuò velit revalidare illud Matrimonium. Porrò 333. *Probatio.*

hic animus præsumitur à jure, quando aliàs sinè peccato non potest conjugi copulari petendo vel reddendo.

Confirmatio.

Hinc Omnes fatentur, si leve sit dubium impedimenti servitutis, eo explosо, ad sui pastoris vel alterius viri docti consilium posse, qui sic dubitavit, petere & reddere debitum; nec in hoc sibi parare præjudicium, quin possit, detectâ servitute, ab illo Matrimonio recedere; cùm invalidum fuerit, nec illâ copulâ ratificatum. Ergò etiam fateri debent, cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, posse reddere debitum, & consequenter teneri absque suo præjudicio.

334. *Cap. 2. de Conjug. serv. potest intelligi de servitute certò cognitâ.*

Enimverò d. cap. *Inquisitioni*, loquitur generaliter de omni impedimento; & d. cap. 2. de Conjug. servorum, in quo videtur definiri istud præjudicium, commodè intelligi potest de petitione aut redditione debiti, certò cognitâ servitute: quidquid in oppositum ibi dicere videatur Gloss. verb. *Audivit*, ut statim videbimus.

Verba textûs hæc sunt: *Mandamus, quatenùs si constiterit, quòd idem vir præfatam mulierem, postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit, ipsum, monitione præmissâ, compellatis, ut eam sicut uxorem maritali affectu pertractet.*

Ubi Gloss. verb. *Audivit*, inquit: *Supple, & credidit; non enim cuilibet referenti credere tenetur; arg. 23. q. 4.* Quam magnum ..... *Titubans enim pro ignorante habendus est, Cod. de Condict. indeb. l. ult. Arg. contrà, 22. q. 4.* Innocens, *& ff. de Petit. hæred.* Item veniunt §. Cùm antequam partes. *Dic, quòd si iste habet conscientiam servitutis ex probabili causa & discreta, tunc præjudicat sibi, si carnaliter cognoscat: si ex levi & temeraria, cui credi non debet, non videtur quòd ei præjudicet; arg. inf. de Sent. excom.* Inquisitioni.

Glossa ibi putat sufficere conscientiam probabilem, ut sibi præjudicet.

Sed pone, quòd iste movet ei litem conditionis, ipsa petit, quòd lite pendente reddat ei debitum, cùm lite pendente jure suo privari non debeat, sup. Ut lite pendente. *c. 1. & 2. nunquid Ecclesia debet ei præcipere, ut debitum reddat, quod videtur per jura prædicta? Dicunt quidam, quòd benè tenetur reddere debitum ad mandatum Ecclesiæ, quod ipse non debet exigere; nec sibi fit præjudicium. Tancred. dixit, quòd non debet exigere, nec exigenti, reddere, quia ei fieret præjudicium, quod videtur per istam literam innuere: etsi compellatur, non reddat: quia si eam cognoscit uxoris affectu, fit ei præjudicium, si habeat conscientiam ex causa probabili & discreta, & sic statim esset Matrimonium, si fornicario affectu, peccaret mortaliter, quod facere non debet; imò potiùs pati debet excommunicationem, sup. de Restit. spoliatorum,* Litteras. *Et hoc dicit arg. illius Decret.* Inquisitioni.

335. *Nisi accedat mandatum Ecclesiæ.*

Sed satis videtur, quòd possit reddere ad mandatum Ecclesiæ, ut ex primo consensu ei conjungatur, quamdiu constet per sententiam de impedimento conditionis, & hoc ubi non est certus, licèt aliquas inde habeat præsumptiones; secùs si sciret pro certo. Et quod dicit litera ista: Postquam audivit illam ancillam, cognoverit eamdem, *intellige ante litem motam, & sine mandato Ecclesiæ: tunc enim intelligitur consentire, non obstante illo impedimento; & ita secùs videtur, si ad mandatum Ecclesiæ eam cognoscat.* Hactenùs Glossa.

336. *Arg. contrà.*

Quæ utique videtur dicere, quòd sufficiat ad generandum præjudicium cognitio solùm probabilis, nisi accedat præceptum Ecclesiæ. Sed non placet: quia ante Iudicis præceptum est alter conjux in sua possessione, & ita ex natura rei potest exigere debitum, & alter tenetur reddere, juxta cap. *Inquisitioni*, quod, ut sup. notavi, generaliter loquitur; & cùm possit reddere non animo denuò contrahendi, ut Gloss. supponit; sed implendi id, ad quod tenetur, cur debet præsumi animo maritali denuò contrahendi accedere, velleque sibi præjudicare.

Fateor, dum ex præcepto Ecclesiæ reddit, aliàs non redditurus, faciliùs præsumi potest, non velle sibi præjudicare, sed quid tum? Nemo debet præsumi, velle sibi præjudicare, quando id quod facit, potest æquè facere sinè suo præjudicio; sed in casu nostro sinè animo maritali denuò contrahendi potest copulari, atque adeò absque suo præjudicio; ergò &c.

337. *Posset tutè conjux nolle reddere, ex Sanchez.*

Posset tamen (inquit Sanchez sup. n. 8.) conjux tutissimè amplecti priorem sententiam probabilem, & nolle reddere, etiam mandante judice: quia fortè judex erit primæ sententiæ, & coget posteà cum ea manere. Interim, per se loquendo, id est, secluso hoc incommodo, quod per accidens est & incertum, quia fortè judex erit oppositæ sententiæ, tenetur reddere, ut sup. dixi.

Explicantur aliqua verba d. cap. 2.

Hinc quod dicit litera ista: *Postquam illam audivit esse ancillam, carnaliter cognovit*: intelligе, postquam audivit, & certò credidit; quia cùm tunc certus sit de invaliditate prioris Matrimonii, intelligitur consentire, non obstante illo impedimento, ne præsumatur velle peccare. Alioquì dum valor Matrimonii probabilis est, cùm tunc possit sinè peccato copulari, saltem reddendo alteri, qui se existimat certum, immeritò intelligitur consentire.

Imò tametsi libertas utrique solùm probabilis foret, existimo eos sic posse copulari, post præmissam diligentiam, sive petendo, sive reddendo, ut servitute postmodum certò detectâ, liceat nihilominùs ab illo Matrimonio recedere. Et idem dicendum est in casu proprii dubii, eo semper salvo, ut bonâ fide ab initio contraxerint.

338. *Objectio.*

Dices: certa est lex, quæ dicit: *Ne accedas ad hanc personam*; dubium autem Matrimonium, quo posset ab ea liberari: legi autem certæ non derogatur dubio Matrimonio subsequenti, cùm ipsa sit in possessione: ergò nec petere nec reddere licebit, de quocumque impedimento (exceptâ impotentiâ) dubitetur.

Solvitur.

Respondeo: hoc argumentum debere solvi, etiam ab Auctoribus, qui admittunt, licitum esse reddere. Solvunt autem, dicendo: hìc non solum esse dubium Matrimonium; sed insuper certam legem possessionis ortæ ex Matrimonio bonâ fide inito. Alioquì eodem modo argumentari licebit in materia justitiæ: Est lex certa, aliquem non posse uti re alienâ; & solum

Arg. à simili.

dubium

dubium eſt, an res illa ſit tua; legi autem certæ non derogatur per dubium: ergò non licet in dubio re illâ uti.

Impugnatur. Reſponderet fortè quiſpiam: eſt lex certa, aliquem non poſſe uti re alienâ invito rationabiliter domino: jam autem in dubio dominus non eſt rationabiliter invitus, propter d. Reg. *In pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis*, cui voluntas domini debet eſſe conformis. Unde in hoc caſu uſus ille nequidem materialis injuſtitia videtur eſſe; nam recta ratio dictat, quòd poſſim uti re alienâ ex beneplacito veri domini.

339. *Reſolutio finalis.* Ut ut ſit de hoc ſimili: ſufficit in præſenti caſu, ut Matrimonium bonâ fide ab initio fuerit initum, ex quo contrahentes acceperunt certam poſſeſſionem juris petendi, & reddendi debitum, quo jure non poſſunt privari per dubium ſuperveniens. Siquidem lex caſtitatis ſolùm dicit: non poteſt quis uti illâ perſonâ, niſi fuerit uxor ſua, ſive potiùs prohibet uſum perſonæ, quam conſtat, non eſſe ſuam. Porrò in caſu propoſito, ſtante illo dubio, & certâ poſſeſſione, ille qui dubitat, prudenter practicè judicat, illam eſſe ſuam, ſive non judicat prudenter, eſſe non ſuam. Unde talis petens debitum, non exponit ſe periculo fornicationis, ut ſup. adhuc dixi: nam eo ipſo quòd accedat ad eam, quam poſſidet bonâ fide, accedit ad eam, ad quam habet jus accedendi; quod ſatis eſt, ut non ſit formaliter actus fornicationis.

Quid ergò, inquis, ſi quis ab initio dubius de impedimento, malâ fide contraxerit? Audi quod ſequitur,

CONCLUSIO XI.

Conjux, qui malâ fide dubius de impedimento dirimente contraxit, nullo pacto petere poteſt debitum: tenetur tamen reddere alteri bonâ fide poſſidenti. Aſſerenti ſe fictè contraxiſſe, non tenetur alter regulariter credere.

340. *Probatur prima pars ex c. 2. de Secund. nupt.* PRima pars eſt expreſſa deciſio juris Canonici cap. *Dominus*, de Secund. Nup. Caſus erat: quidam Chriſtiani erant in captivitate Saracenorum, quidam de his conjugati, nullâ certitudine habitâ de morte uxoris, contrahebant ſecunda Matrimonia. Quærebatur, an deberent ſic remanere? Reſpondet Papa: *Vt nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjux ejus. Si verò aliquis vel aliqua id hactenùs non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ſibi nupſit* (ſcilicet bonâ fide) *debitum non deneget poſtulanti: quod à ſe tamen noverit nullatenùs exigendum.*

Probatur ex ratione. Ratio eſt: quia talis eſt poſſeſſor malæ fidei: neque enim poterat, ſtante illo dubio propriè dicto, ſinè peccato mortali contrahere, ut patet ex dictis præcedenti Concluſione. Porrò poſſeſſio malæ fidei nemini debet, nec verò poteſt, ſuffragari, ſeu jus aliquod tribuere; argumento à ſimili in præſcriptione, de qua ſcriptum eſt cap. fin. de Præſcript. *Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica quàm civilis, cùm generaliter ſit omni conſtitutioni & conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari. Vnde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte habeat alienæ rei conſcientiam.* Et Reg. 2. de Reg. Juris in 6. ait: *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* cap. fin. de Præſcrip. Reg. 2. in 6

Dubitas: quis ſit poſſeſſor bonæ fidei, & quis malæ fidei poſſeſſor? Conſule Gloſſ. in d. Reg. in principio, & dicet tibi: *Ille dicitur bonæ fidei poſſeſſor, qui putat ſe dominum rei, quam poſſidet, & ignorat rem eſſe alienam. Econtrà verò is dicitur malæ fidei poſſeſſor, qui habet conſcientiam rei alienæ.* 341. *Quis ſit poſſeſſor bonæ fidei, & quis malæ.*

Hanc Gloſſam ſequitur Covarr. ad d. Reg. part. 2. §. 7. n. 1. dicens: Bonæ fidei poſſeſſoris eſt, qui juſtè credit rem, quam poſſidet, ad ſe pertinere, l. *Bonæ fidei*, ff. de Verb. ſignif. ubi bonæ fidei emptor dicitur, qui credit venditorem tradentem eſſe dominum: ac ſubinde credit, rem venditam titulo emptionis in ejus dominium tranſiiſſe. Covar.

Igitur in caſu noſtro, bonæ fidei poſſeſſor eſt, qui juſtè credidit mulierem, quam poſſidet, ad ſe pertinere, & ignorat, eam non eſſe ſuam: malæ autem fidei poſſeſſor eſt, qui nunquam juſtè credidit, nec juſtè credit, mulierem, quam poſſidet, ad ſe pertinere. Jam autem neque ex jure, neque ex ratione probari poteſt, poſſeſſionem malæ fidei potiùs tribuere jus utendi muliere, quàm aliâ quâcumque re; ſed qui accipit aliam rem, dubitans, an ſua vel alterius eſſet, nequit eâ uti: ergò conſimiliter, qui accepit mulierem, dubitans an ſua eſſet, an non, nequit eâ pro libito ſuo uti, dubio illo perſeverante: ergò illicitè ab ea petit debitum, cùm nullum jus habeat petendi. 342. *Quis poſſeſſor bonæ fidei in noſtro caſu.*

Et ecce ratio primæ partis Concluſionis, quam docent Omnes cum Gloſſa 34. q. 1. & 2. in Sum. verb. *Vtraque quæſtio*, ubi ſic ait: *Si mulier credit ſuum maritum mortuum, & habet juſtam cauſam credendi, licitè poteſt contrahere: ſi autem dubitat de morte viri, & contraxit*; licèt non debeat contrahere, tenetur tamen reddere debitum petenti; ſed ipſa non poteſt exigere. *Prima pars Concluſ. eſt communis.*

Sed quare tenetur reddere, cùm mala fides, ſeu poſſeſſio malæ fidei, ut jam dictum eſt, nemini debeat patrocinari ſeu ſuffragari? Deinde: ſi dubium ſit de morte prioris conjugis, hujus poſſeſſio prævalet; ergò non poteſt reddi debitum poſteriori conjugi. 343. *Duplex quæſtio.*

Reſpondeo: tenetur reddere, quia cùm alter bonâ fide poſſideat, ut ſupponitur, non debet jure ſuo ſpoliari ob malam alterius fidem, dum non conſtat Matrimonium fuiſſe nullum. Sicut conſtat in præſcriptione, in qua mala fides prioris poſſeſſoris non nocet bonâ fide poſſidenti. *Reſpondeo.*

Ita

Sanchez. Ita Sanchez lib. 2. disp. 42. n. 2. Igitur reddenti non suffragatur mala fides, quâ ipse contraxit; sed bona fides seu possessio bonæ fidei alterius, cum quo contraxit. Cumque hæc certa sit, possessio verò prioris viri dubia, quia dubitabatur de ejus vita, ideò prævalet.

344. *Obligatio ejus, qui malâ fide contraxit.* Oportet tamen illum, qui malâ fide contraxit, statim inquirere de veritate rei, ne exponatur periculo reddendi non conjugi; & petenti antè iliam inquisitionem tenetur revelare suam dubitationem, si commodè possit, & speret, id profuturum, ut interim non petat; quòd si persistat in petitione, reddendum est debitum, nisi ita possit probare incertitudinem Matrimonii, ut & ipse incipiat dubitare; tunc enim non tenetur reddere petenti, nisi præmisso debito examine, juxtà dicta Conclus. præced.

345. *Conjux dubitans non tenetur reddere, quando aliundè excusatur.* Imò, secundùm unam sententiam, non tenetur reddere, quamdiu manet dubium; quia alter non habet jus exigendi. Et generaliter, ut sup. adhuc diximus, conjux dubitans non tenetur reddere, quando aliunde excusatur; sive, quandocumque is, qui bonâ fide contraxit, non habet jus petendi, v. g. intrà primum bimestre antè consummatum Matrimonium, vel post commissum adulterium; siquidem tunc copula non est debita, juxtà alibi dicta & dicenda; & ideò negari potest absque ullo periculo injustitiæ, & per consequens, nec potest reddere, ut patet ex dictis Conclus. præced.

Additio ex Aversa. Addi potest (inquit Aversa q. 21. sect. 2. §. *Limitatur tamen*) etiam post bimestre, si fœmina sit, quæ dubitet, non teneri reddere & consummare Matrimonium, donec sufficiens diligentia fiat: quia si posteà detegatur verum impedimentum, & nullitas Matrimonii, magnum damnum pateretur, & majus, si erat virgo, ob quod non est cogenda reddere. Sic ille.

346. *Quando sit vera.* Quod verum existimo, quando bonâ fide contraxisset. Sin autem malâ, sibiipsi debet imputare, quòd patiatur tale damnum; nam antequam contraheret, debuisset illam diligentiam adhibere, & antè eam non contrahere.

Sed quid si eam adhibuerit, & perseverante nihilominùs dubio, contraxerit? Respondeo: vel licitè contraxit cum tali dubio, ut Aliqui volunt; & sic patet, quòd teneatur reddere, non obstante damno virginitatis, quod est intrinsecum usui Matrimoniali, ad quem se obligavit per talem contractum. Sin autem illicitè, & malâ fide, ut Alii docent, etiam sic tenetur reddere, si alter bonâ fide processerit, certus moraliter de valore Matrimonii, cùm jam acquisiverit jus ad actum conjugalem, à quo non potest impediri, nisi pro tempore à lege determinato; &, sicut dixi, virgo, quæ malâ fide contraxit, sibi imputet, si damnum patiatur.

347. *Quid si uterq; malâ fide contraxerit.* Dixi consultò: *Si alter bonâ fide processerit* &c. Quia si & ipse dubius contraxerit, non præmissâ diligentiâ, liquet profectò, quòd neuter possit petere, aut reddere; quia uterque malâ fide contraxit, adeoque ex tali contractu nullum jus acquisiuit petendi debitum.

Moralis certitudo nullitatis Matr. excusat à reddendo. Cæterùm, ut aliquis excusetur à reddendo debito, videtur sufficere moralis certitudo invaliditatis. Hæc autem dicitur, quæ talis est, ut tunc non credere imprudentia sit. Posito ergò tali judicio certo de invaliditate, non potest quis habere judicium prudens de bonitate redditionis: nam sic esset prudens simul & imprudens circà eamdem actionem; prudens, ut supponitur; imprudens verò, quia sinè imprudentia non potest judicare, illud Matrimonium valere, & per consequens, redditionem debiti esse bonam. Alioquì, quando non est talis certitudo, quàmvis adsit speculativum aliquod dubium vel probabilitas de invaliditate aut malitia copulæ; practicè tamen propter possessionem alterius judicat prudenter, hic & nunc esse licitum & obligatorium reddere debitum possidenti.

348. *Objectio.* Contrà, inquis: hic dubitat, an accedat ad suam: ergò dubitat practicè, an fornicetur; fornicatio enim est accessus ad non suam. Confirmatur; bene sequitur: accedit ad non suam, ergò fornicatur: Antecedens est sibi dubium, ergò & consequens; & ita accedit dubitans, an fornicetur; & consequenter peccat lethaliter, quia practicè dubitat.

Solutio Sanchij. Respondet Sanchez sup. n. 53. Fornicatio est accessus ad certò cognitam non esse suam. Ad confirmationem ait: potest Antecedens esse dubium, & consequens certum; ut si videam à longè hominem, dubitans an homo sit: benè infertur: video hominem, ergò ens; cùm tamen Antecedens dubium sit, & consequens certum. Hæc ille.

349. *Replica.* Sed enim, dicet aliquis: si requiritur certa cognitio non suæ, ut accessus ad eam sit fornicatio: ergò in dubio non solùm erit licitum reddere, sed etiam petere; quia nunquam erit accessus ad certò cognitam non esse suam; atque adeò nunquam erit fornicatio, estò uterque malâ fide contraxisset.

Solvitur ex Perezio. Videtur hanc objectionem olfeciisse Mart. Perez de Matr. disp. 53. sect. 3. n. 7. ubi sic ait: Ad rationem dubitandi, concessâ Majore, negatur Minor: nam licèt ille dubitet speculativè, non tamen practicè, ratione certæ possessionis, quæ dat illi jus ad petendum debitum, & ad deponendum omne dubium practicum. Unde negatur se exponere periculo fornicationis, cùm practicè non dubitet, & fornicatio sit accessus ad certò, vel cum dubio practico cognitam non esse suam. Sic ille.

Iam autem dum uterque malâ fide contraxit, est accessus ad cognitam cum dubio practico non esse suam; quippè contractus iste non est ratio sufficiens dubium istud speculativum deponendi, seu potiùs cum illo agendi; & ideò dici debet practicum, utpote à quo proximè actio subsequens reguletur. Porrò in casu nostro non regulatur ille accessus proximè ab illo dubio; sed à judicio certo de possessione ejus, qui bonâ fide contraxit, & quæ jus tribuit petendi debitum. Vide dicta Conclus. præced. ubi plura ad hoc propositum.

350. Sed quid si conjux habeat probabilem opinionem

Quid si probabilis sit mors, & probabilis vita conjugis, ex eod.

nionem impedimenti, v. g. vitæ prioris conjugis, & similiter probabilem opinionem mortis ejus? Respondet Perez sup. sect. 4. n. 3. posse reddere & petere. Opinio autem probabilis (inquit ille) est; quæ firmâ ratione fulcitur, neque contra se habet rationem convincentem; si enim illam haberet, jam non opinio, sed error esset. Contingere autem potest, ut uni probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium videatur convincens, sed non ideò probabilitatem opinio amittit: nam licèt quis solvere illam rationem nequeat, alius tamen solvere poterit, & hoc sibi debet alter persuadere; cùm sæpè multæ rationes uni insolubiles repræsententur, quæ tamen ab aliis facillimo negotio solvuntur. Quare imprudenter procederet quis, si ob hanc causam aliorum opiniones, quæ ut probabiles circumferuntur, improbabiles judicaret. Sic ille.

351. *Licitum est petere & reddere, juxtà Perez, si contraxerint bonâ fide.*

Benè an malè, relinquo aliorum judicio; quia res non est hujus loci. Sed quæritur solùm: an suppositâ verâ probabilitate pro vita & morte prioris conjugis, licitum sit petere & reddere debitum, accommodando se opinioni probabili, quòd obierit. Respondet Perez sup. n. 5. affirmativè, si cum hoc opinione contraxerint bonâ fide. Quia tunc nulla stat possessio pro priore conjuge, quem constat mortuum esse firmâ ac probabili ratione. Ita hic Auctor.

An tales possint contrahere bonâ fide.

A quo peto; sed nunquid cum hac opinione bonâ fide contrahunt? Nonne jus positivum requirit certitudinem moralem de morte prioris conjugis? Planè, ut suo loco vidimus. Igitur tametsi probabile sit, priorem conjugem obiisse, equidem non est probabile, quòd liceat cum tali opinione contrahere. Et ideò contrahitur malâ fide, qui contractus, ut sup. diximus, nullum tribuit jus petendi; & ideò prior conjux manet in possessione, quem non constat certò mortuum esse.

352. *Quomodo Perez intelligendus.*

Atque adeò, quod hìc docet Perez, intelligi debet, ut verum sit, de opinione probabili, superveniente Matrimonio bonâ fide, id est, cum morali certitudine mortis contracto. Quia tamen talis certitudo non requiritur in aliis impedimentis, v. g. consanguinitatis & similibus; sed ut aliqui bonâ fide contrahant, satis est, ut probabiliter opinentur, se non esse consanguineos; ideò Matrimonio sic contracto uti possunt, petendo & reddendo, donec moraliter certum sit, ipsos esse consanguineos.

Quid si consanguinei probabiliter opinentur, Papam dispensasse, ex eod.

Quid ergò, inquis, si certò sciant, se esse consanguineos & probabiliter tantùm opinentur, Pontificem dispensasse? Respondet Perez sup. jus impedimenti non esse certum, nec possidere; cùm sit verè probabile esse jam sublatum per dispensationè; neque in illa re esse ullũ dubiũ practicũ.

Sed contrà: etiam probabile est, non esse sublatum per dispensationem, ut suppono; nam si illud non est probabile, proculdubiò impedimentum non possidet, & constat Matrimonium esse validum. Verùm pone & illud esse probabile, cùm impedimentum aliquando fuerit certum, & in possessione; dico, manere in possessione quousque moraliter certum sit, Pontificem dispensasse; aut certè longè probabiliùs; ita ut majori illa probabilitas vincat possessionẽ impedimenti.

353. *Videtur impedimentum esse in possessione.*

Alioquì scriptum est: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, Reg. 65. de Reg. juris in 6. Cùm ergò impedimentum aliquando fuerit in possessione, in pari probabilitate dispensationis, & non dispensationis, potior etit conditio impedimenti; atque adeò tametsi probabile sit, jam sublatum esse impedimentum; non est probabile, quòd liceat contrahere Matrimonium cum illa probabili tantùm dispensatione.

Quid si de ipso impedimento dubitetur.

Aliud foret in dubio de ipso impedimento, v. g. quando dubitatur, vel solùm probabile est, ipsum impedimentum aliquando extitisse; tunc enim libertas contrahentium est in possessione, adeoque pro ea, secundùm Multorum sententiam, judicari potest, quando nunquam extitisse pariter probabile est; ac proinde licitè Matrimonium tunc contrahitur, & contracto quis utitur, donec certò constet de impedimento; vel ita probabiliùs, ut possessioni præjudicetur. Sic ego sentio, salvò meliori.

Et si à me quæratur: quando conjux meritò possit esse certus de Matrimonii nullitate, & quando probabiliter dubitare. Respondet in primis Conclusio nostra: *Asserenti se fictè contraxisse, non tenetur alter regulariter credere.* Ita Scotus, præced. Conclusione citatus. Scotus.

354. *Asserenti se fictè consensisse, non teneor credere, Sanchez.*

Quem sequitur Sanchez sup. disp. 45. n. 3. dicens: Si tractetur de fide adhibendâ viro respectu mulieris, ut ipsa teneatur, vel possit ei credere, asserenti se fictè consensisse, ut sic nequeat eo uti Matrimonio, & alii nubere: non tenetur regulariter ei neganti se verè consensisse fidem adhibere.

Probatur per c. 10. de Probat.

Probatur ex cap. *Per tuas*, de Probation. ibi: *Cùm nimis indignum sit (juxtà legitimas sanctiones) ut quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare.* Item: quia verisimiliùs est, modò mentiri, quàm in contractu principali. Sic ille cum Scoto, sicut dixi, & Aliis, quos citat.

355. *Quid si vir juret? Non sufficit, nisi cum aliis circumstantijs, ex Sanchez.*

Et addit: id regulariter verum esse, etiamsi juret vir fictum illum consensum, nisi aliæ circumstantiæ concurrant. Enimverò tales possunt occurrere circumstantiæ & conjecturæ, ut prudens quilibet certò moraliter sibi persuadere possit, eum fictè consensisse. Et talis credulitas sufficit; tum, ut mulier possit inire aliud Matrimonium; tum etiam, ut nequeat petere vel reddere debitum viro priori, qui fatetur se fictè consensisse. Quia (inquit Sanchez sup. n. 4.) certitudo metaphysica haberi nequit; cùm ea, quæ ab hominis corde pendent, soli Deo nota sint: ergò sufficit certitudo moralis: hæc autem, cùm jure definita non sit, nulla certior regula præscribi potest, quàm ut sit ea, quæ virum prudentẽ, attentis circumstantiis occurrẽtibus, certũ redderet. Sic ille.

356. *Quæ sint illæ circumstantiæ, ex eod.*

Quæ autem conjecturæ ad hoc sufficiant, committitur judicis arbitrio. Licèt enim (inquit Sanchez sup. n. 5.) vir statim reclamet, ac juret, se non consensisse, possunt esse ea indicia, ut jure optimo fides ei adhibenda non sit; ut si dignius

Matrimonium se offerat. Credetur tamen dicenti, se non consensisse; quando testibus probat verisimilia signa ficti consensûs.

Videtur etiam sufficiens conjectura, si, cùm vir protulit verba consensûs, in continenti revocat: potest enim præsumi per errorem ea verba protulisse: sicut cap. *Præterea*, de Testibus cogend. definitur, testem se in continenti retractantem admittendum esse, præsumique priùs testimonium ex errore promanasse. Ita Richardus 4. dist. 29. a. 1. q. 3. & alii, quos sequitur Sanchez sup. n. 6.

Richardus.

357. *Quid sit in continenti revocare suum consensum.*

Quid autem sit in continenti retractare suum consensum, colligi potest ex Gloss. d. cap. *Præterea*, verb. *In continenti. Id est*, inquit, *in eadem instantia judicii, antequam loquatur partibus, vel antequam recedat à præsentia Iudicis: quia postea subornatus præsumitur. Sed hoc posset intelligi, habito respectu ad qualitatem personæ: ut sic possit corrigere, vel addere etiam ex intervallo.* Ergò similiter in casu nostro vir in continenti revocat, quando id facit, antequam recedat à præsentia conjugis, præsente adhuc Parocho, & testibus; nam tunc meritò per errorem & inadvertentiam, vel lapsum linguæ, videtur ea verba fuisse prolata.

358. *Potest intercedere aliquod intervallum temporis, ex Sanchez.*

Imò tametsi aliquod temporis intervallum intercessisset, v. g. si intra triduum aperiat se fictè consensisse, aliudque Matrimonium ineat. Illa enim consensûs ficti citissima manifestatio, & simul audere aliam uxorem ducere, videntur satis manifestare fictum consensum; non enim præsumendum est, si verè consensisset, tam citò fore, ut pœniteret, ac tam immemorem suæ salutis illum esse, ut auderet ad alias nuptias migrare.

Idemque dicendum, si transeat ad Religionem, vel suscipiat Ordines sacros. Quia est præsumendum, eligentem statum adeò perfectum & incompatibilem cùm Matrimonio tantum scelus admittere velle, ut fraudet uxorem debito Matrimonio, aliudque irritum ipsa ineat, si consensus non fuerit fictus. Ita Sanchez cum Aliis sup. n. 7.

359. *Quid si vir sit longè dispar, ex eod.*

Et n. 8. infert; esse similiter sufficiens judicium, si vir, asserens se fictè consensisse, sit longè dispar; ita ut prudentis arbitrio vix credi possit, eum illam duxisse. Maximè, si talis vir ad Religionem transeat, aut suscipiat Ordinem sacrum. Alioquin viro non promoto ad alium statum, non est tutum fœminæ ad alias transire nuptias: cùm passim exempla virorum, qui cæco amore capti nuptias valde impares celebrant, suppetant.

Quid si sit fide dignus, & sæpè communicet in anno.

Atque ut ea disparitas generis, divitiarum, statûsque non inveniretur; & non statim declararet suam fictionem; posteà tamen juramento eam firmat, & est alioquì fide dignus, & sæpè, vel saltem semel in anno, communicat, & bonorum consuetudine utitur, sufficit secundùm Navarrum Manual. c. 22. n. 76. post Rosellam & Sylvestrum, quos sequitur Sanchez.

Navar. Rosella.

Imò (inquit hic Auctor) latiùs loquitur Adrianus 4. de Matr. q. 2. §. *Ad secundum*, vers. *fortè*: ait enim: Etsi post longum tempus vir patefaciat fictum consensum, si priùs perditis erat moribus imbutus, & jam à cœpto eo tramite destiterit, pœnitentiæque anteactæ vitæ signa præbuerit, esse sufficiens signum ficti consensûs: Sed credo (inquit Sanchez) magna debere esse hujusmodi signa, & talia, ut vir prudens omninò acquiescat, & rarissimè hoc sufficere.

Sylvester. Sanchez. Adrianus.

Porrò sufficiens conjectura est, ut possit vir aliam ducere, si puella neget verum consensum se præstitisse, verisimilibus conjecturis metum patris comprobans; estque honestæ vitæ, & alii nubit. Ita Sanchez sup. n. 12. post Alios, quos citat. Et intelligo, inquit, non de metu cadenti in virum constantem; quia tunc frustrà aliæ conjecturæ exigerentur, cùm Matrimonium esset irritum, quàmvis fœmina verè consensisset.

360. *An sufficiat quòd puella verisimiliter probet metum, ex Sanchez.*

Quid ergò si ambo conjuges asserant & jurent se fictè consensisse? Putas, quia id sufficiat, ut ad alias nuptias transeant? Pars negativa probatur: quia non satis est confessio impedimenti dirimentis, v. g. consanguinitatis, aut similis, facta ab utroque conjuge ad Matrimonium dissolvendum,

Quid si ambo conjuges jurent se fictè consensisse.

Sed (inquit Sanchez sup. n. 15.) meo judicio longè dispar est ratio: quia reverà impedimenta possunt aliâ viâ probari, cùm externa sint; dissensus autem, cùm in corde lateat, non potest aliâ viâ probari, nisi per conjugum confessionem, licet conjecturæ aliæ possint adhiberi: & ideò admittatur faciliùs in hoc casu utriusque conjugis confessio. Et ita Baldus l. fin. n. 21. Cod. de Hæred. instit. affirmat, dissensum in Matrimonium probari utriusque conjugis confessione: quod benè Greg. Lopez l. 5. verb. La Iglesia tr. 2. p. 4. dicit fortè procedere, nisi collusionis præsumptio adesset. Ita Sanchez.

361. *Sufficere putat Baldus, & approbat Lopez, nisi præsumatur collusio.* Sanchez.

Et fortassis nihil aliud voluerunt Paludanus & Antoninus, qui citantur pro parte negativa. Hæc sunt verba Antonini 3. part. tit. 1. c. 19. circà principium: Unde non crederetur eis, etiamsi ambo dicerent, se non intendisse contrahere; quia quilibet sic posset dicere, & sic dimittere uxorem ad placitum; & hoc, nisi signis evidentibus appareat, se illud non intendisse, sed simulasse: tunc enim judicabit (Ecclesia) non esse Matrimonium, aliàs verbis eorum stabitur, quasi verè & cum intentione dicta sint. Hæc ille.

362. *Pro parte negativa citantur Palud. & Anton.*

Puto ego, quòd Ecclesia præsumeret collusiones, nisi aliæ conjecturæ adhiberentur; & ideò non dissolveret Matrimonium, ex qua dissolutione imminet periculum gravissimorum peccatorum, si reverà internè consenserint. Quàmvis enim dissensus in corde lateat; equidem dantur aliqua signa etiam evidentia (ut loquitur D. Antoninus sup.) hujusmodi dissensûs, præter confessionem conjugum. Et in re tanti momenti non est leviter procedendum.

Judicium Auctoris.

Sed nunquid tale signum est protestatio, quâ alter conjux ante Matrimonium protestatus

363. *Quid si*

aliquis ante Matr. proteſtetur ſe nolle conſentire? Opinio Gloſſ. c. 26. de Sponſal.

ſtatus eſt, ſe per nulla verba conſentire? Audite Gloſſ. cap. *Tuo*, 26. de Sponſ. verb. *Mulierem*, ibi: *Sed pone, quòd aliquis proteſtetur coram pluribus, quòd omnia, quæ dicet, vel faciet, non faciet animo contrahendi Matrimonium, & poſteà publicè dicat*: Conſentio in te: *nunquid eſt hic Matrimonium vel non? In caſu iſto dico, quòd Eccleſia judicare debet pro Matrimonio, quia recurrendum eſt ad communem verborum intelligentiam, ſup. eod.* Ex litteris, 1. *Talia enim verba non poſſunt ſervire ſuæ intentioni. Præterea: ſi probet, quòd illa verba poteſtatus fuit primò, potuit poſteà recedere ab illa voluntate & conſentire in illam, & hoc videtur per illud, quod poſteà publicè facit: & ſi dicat, quòd adhuc tempore contractûs erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contrà eum debet fieri interpretatio, qui dolum adhibet.* Id eſt, qui id facit ſinè juſta cauſa.

364. *Quomodo eam intelligat Navar.*

Ita intelligit Navar ſup. n. 78. ubi ſic ait: Peccat, qui fictè contrahit Matrimonium cùm aliqua legitimis verbis, proteſtatus priùs ſinè juſta cauſa per nulla verba quæ diceret, eſſe ſibi animum contrahendi cum ea, quàmvis eam carnaliter cognoſceret, & in foro exteriori pro Matrimonio judicaretur, juxtà Gloſſ. receptam cap. *Tua*, de Sponſal. quia illa proteſtatio, quæ facto contraria eſt, nil prodeſt, Gloſſ. cap. *Cum M.* 9. de Conſtit. verb. *Sinè præjudicio.*

Dixi: *Sinè juſta cauſa*; quia ſi facit juſta de cauſa, putà ad ſcandalum aliquod notabile vitandum, non peccat, neque judicaretur Matrimonium in foro exteriori, propter defectum conſenſûs, ſecundùm Omnes. Hactenùs Navar.

Subſcribo verba d. Gloſſ. cap. Cum M. *ibi proteſtatio non valet, ubi proteſtans per contrarium factum directè obviat ſuæ proteſtationi ..... niſi hoc faceret juſta de cauſa, ut in d. cap.* Perlatum, *de Iis quæ vi.*

365. *Conſonat Sanchez.*

Et eidem doctrinæ adhæret Sanchez ſup. n. 22. dicens: Secundò intellige aliam partem, ut non valeat proteſtatio, altero non conſentiente, præmiſſa, ut intelligatur, quando dolo facta fuit, id eſt, citrà juſtam cauſam: ſecùs ſi juſta cauſa adeſſet, ut ſi quis metu cogatur Matrimonium inire, & clàm proteſtetur, ſe minimè conſentire, valebit proteſtatio, nec ab ea videtur receſſum. Ac aliquibus interjectis, addit: debet tamen metus hic eſſe cadens in virum conſtantem, aliàs proteſtatio illa clancula non juvabit.

Quid ita? Nam tunc Matrimonium eſſet irritum, quàmvis nulla facta fuiſſet proteſtatio, & ille qui cogitur, verè conſenſiſſet.

366. *Diſtinctio ipſius.*

Putat Sanchez hìc diſtinguendum eſſe ſic: ſi ea proteſtatio fiat altero conjuge ſciente & conſentiente, valet, & per eam receſſum videtur à ſequenti conſenſu, nec præſumetur Matrimonium: ſi verò fiat altero ignorante, aut, ſi ſcivit, diſſenſit proteſtationi, nihil prodeſt; ſed per ſequentem conſenſum videtur ab ea receſſum.

Probatur utraque pars.

Probatur prior pars: quia cùm alter conſenſit, videtur cedere jure ſuo, & nolle contrahere Matrimonium. Poſterior verò pars probatur: quia Matrimonium eſt contractus ex duorum voluntate pendens; id autem generale eſt in omni contractu hujuſmodi; ut proteſtatio alterius nihil juvet, niſi altero ſciente & conſentiente facta ſit. Sic ille ſup. n. 19. allegans cap. *Cumana*, de Elect. cum Gloſſ. verb. *Proteſtatione*, in principio: *Cui conſenſerunt Clerici & Capellani, alias non præjudicaret eis proteſtatio: ſic ergò proteſtatio valet*; ſcilicet ſciente & conſentiente parte, atque adeo à contrario ſenſu non valet, ignorante vel non conſentiente parte.

Rogas an requiratur conſenſus expreſſus, an vero ſufficiat tacitus, quando ſcilicet altero præſente & tacente fit proteſtatio?

367. *An requiratur expreſſus conſenſus alterius partis. Opinio Covar.*

Conſule Covarr. 4. Decret. p. 2. c. 2. n. 4. ubi ſcriptum invenies. Hinc infero, non eſſe in foro judiciali judicandum Matrimonium, ſi quis ex conſenſu fœminæ proteſtetur, ſe nolle conjugalem conſenſum præſtare per quæcumque verba conſenſum illum ſignificantia, ab ipſo illo die proferenda; ac demum illa verba coram pluribus proferat, modò de illa proteſtatione judici conſtet. Sic Abbas exiſtimat in d. cap. *Tua nos*, quem Felinus ſequitur in cap. *Cum M.* de Conſtit. n. 80. niſi ſecuta foret copula carnalis pòſt prædicta verba, per quam receſſum videtur à proteſtatione; quod Felinus expreſſim adnotavit. Et licèt ſit dubium, an in hâc proteſtatione ſufficiat conſenſus tacitus alterius, qui præſens tacet, an exigatur expreſſus: Ego tamen in Matrimonio crederem neceſſarium eſſe conſenſum expreſſum, ne tantum Sacramentum illuſione & levitate contrahentium tractetur. Sic ille. Quem ſequitur Sanchez ſup. n. 20. & 21.

Abbas. Felinus.

368. *Quid ſi antè copulam proteſtetur, ſe nolle conſentire.*

Quæro egò: quid ſi ante copulam proteſtatus fuerit, ſe nolle per eam conſentire ſeu contrahere Matrimonium? Reſpondeo: valet proteſtatio, ſi facta fuerit parte conſentiente, juxtà ſuperiùs dicta. Nam jura ideò præſumunt Matrimonium ex copula, ne inducatur peccatum. Hic autem proteſtatur, ſe velle peccare.

Quando fallat opinio Covar.

Unde etiam fallit hæc doctrina Covar. & Sanchii, ubi Trid. obligat; niſi ea copula haberetur coram Parocho & teſtibus; quippè aliter per eam Matrimonium nequit contrahi, aut ratificari; niſi fortè antè contractum fuiſſet irritò coram Parocho & teſtibus ita occultè, ut in foro externo nequeat probari, juxtà alibi dicta.

369. *In quo foro procedat hæc doctrina.*

Cæterùm benè obſervat Sanchez ſup. n. 24. hæc omnia de proteſtatione tradita deſervire foro externo: nam in foro interno, deficiente vero conſenſu, non erit Matrimonium. Poſſe tamen deſervire foro interno, ut excuſetur ſic fictè contrahens, ratione proteſtationis præmiſſæ, ab habendo vero conſenſu, in caſibus, in quibus fictè conſentiens tenebatur conſentire. Excuſabitur enim in foro interno in caſibus, in quibus prodeſt proteſtatio in foro externo, juxtà tradita: ſecùs quando in illo foro non excuſatur. Et ratio eſt; quia quando non juvat proteſtatio, proteſtans eſt in dolo, & culpæ reus: quando autem juvat, culpâ vacat. Sic ille.

370. *In foro interno adhibetur fides viro respectu suiipsius.* Sanhez.

Præterea ; quæ dicta sunt de aliis signis, ex quibus cognoscitur defectus interni consensûs : & ipsa deserviunt pro foro externo, ut in eo Matrimonium contractum dissolvatur, & conjuges putati possint ad alias nuptias transire. Enimverò in foro conscientiæ, ut notat Sanchez sup. n. 2. si tractetur de fide adhibenda viro respectu suiipsius, credetur ei ; secùs in foro externo, nisi probet.

Probatio.

Et ratio est ; quia in foro conscientiæ tantùm agitur de salute spirituali alicujus, & componenda cum Deo conscientia : in foro autem externo de administranda justitia actori jus suum petenti : & inde est, ut in illo stetur confessioni pro se vel contrà se ; in hoc autem allegatis & probatis : facilè enim justitia everteretur, si confessioni soli litigantium standum esset. Item ; quia verba externa, signa sunt affectuum cordis : at signa speciem præsumptionis, & conjecturæ indicant : sed in foro conscientiæ locus non est præsumptioni ; sed hæc veritati cedit. Tandem ; quia nemo ita salutis suæ immemor præsumitur, ut quærens Deo reconciliari in interno foro, falsum deponat. Ita Sanchez, dicens ; & ita fatentur Omnes.

371. *An etiam respectu mulieris.*

Nihilominùs etiam in foro interno possunt deservire, si tractetur de fide adhibenda viro respectu mulieris ; ut ipsa teneatur vel possit ei recedere asserenti se fictè consensisse ; ut sic nequeat in conscientia eo Matrimonio uti, petendo debitum vel reddendo, & alii nubere.

An mulier teneatur ei reddere debitum. Sanchez.

Et quidem non tenetur reddere ei, qui simpliciter affirmat, se non consensisse, etiam aliis conjecturis seclusis, nisi denuò consentiat. Quia (inquit Sanchez sup. disp. 41. n. 52.) stante illâ asseveratione, conjux ille nullum jus petendi habet, videturque juri Matrimonii renuntiare ; negando enim consensum concedit nihil sibi deberi.

372. *Quid si vir dictum suum retractet.*

Sed quid, si se retractet ? Tenetur ei reddere, quando temerariè credidit ; alioquì si probabiliter credidit, non tenetur fidem revocanti adhibere, donec prima indicia evaeuentur ; atque adeò non tenetur reddere, nisi revocatio sit tam gravis & verisimilis, ut teneatur credere. Unde si adhuc dubitet, non tenetur reddere, donec denuò alter consentiat.

Sin autem credat alteri asserenti se fictè consensisse, non potest petere nec reddere ; quia dum credit, putat non esse Matrimonium. Non tenetur autem credere, nisi sint tales conjecturæ, ut credere convincatur ; quales autem illæ sint, jam superiùs diximus. Sicque dum credere non convincitur, potest petere & reddere.

373. *Quid si probabiliter dubitetur de valore Matr.*

Quòd si probabiliter dubitet de valore Matrimonii, nequit petere, nec potest reddere, donec dubium deponat. Non petere ; quia est dubius de valore Matrimonii. Non reddere ; quia alter non est in possessione, nec jus petendi habet, donec se retractet. Si tamen adhibitâ sufficienti diligentia adhuc perseveret idem dubium, potest secundùm unam sententiam petere ; quia est in possessione bonâ fide à se inceptâ, & proinde potest eâ uti. Ita Sanchez, citatis aliis Auctoribus. Et satis probabiliter. Sanchez.

An ob testimonium unius teneatur abstinere à Matr.

Illud pro coronide ad calcem hujus Conclusionis addiderim ; nimirùm ob testimonium unius, etiam fide dignissimi & jurantis, interfuisse impedimentum dirimens, conjux non tenetur abstinere à Matrimonio contracto, impedimentumque credere. Tenetur tamen dubitare ; atque adeò diligentiam adhibere ad assequendam veritatem ; quâ adhibitâ, si nihil inveniat, potest tutè conscientiam deponere ; quia jam non habet justam dubitandi rationem, & ita potest suam possessionem tueri. Ita docet Sanchez cum aliis quos citat sup. n. 25. & sequentibus. Sanchez.

374. *Opinio Navarri.*

Audite Navar. Sum. cap. 22. latinè n. 82. Non tenetur (conjux) ad credendum subesse impedimentum, eò quòd unus testis, etiam fide dignus & juratus, & amicus, & proprius Parochus id ei assereret ; quia licèt dictum unius fide digni sufficiat, ut justè credere possit, secundùm Gloss. singularem in l. *Titio fundus*, ff. de Condit. & demonstr. non tamen sufficit ad inducendam necessitatem credendi ; ad id enim oportet esse duos, juxtà cap. *Cùm à nobis*, de Testib. in principio : *Et Canonica & civilia jura sequentes districtiùs inhibemus, ne unius judicis, quantæcumq; fuerit auctoritatis, verbo credatur in causis, sive cuibuslibet aliis contractibus quæstio agitetur.* Cap. 28. de Test.

Non tenetur credere conjugi affirmanti se non consensisse.

Minùs (prosequitur Navar.) tenetur credere conjugi, etiam cum juramento affirmanti, se nunquam in illam consensisse, quando cum illa contraxit ; & præsumere potest mentiri nunc eum, qui se tunc mentitum fatetur. Si tamen leviter credit, nec petere, nec reddere debitum potest, durante illâ credulitate ; quam tamen leviter conceptam leviter deponere potest, revocante conjuge suum dictum, vel habito illo pro mendacio, pro quali haberet Ecclesia, vel ob alia indicia, juxtà mentem Richardi 4. dist. 27. a. 1. q. 4. Hactenùs Navar. Concorditer ad ea, quæ sup. hâc Concluſ. diximus & præced.

375 *Qualis probatio impedimenti requiratur, ut Matr. dissolvatur. ex Sanchio.*

Rogat aliquis : Qualis ergò probatio impedimenti dirimentis exigitur ad Matrimonium legitimè contractum dissolvendum ? Respondet Sanchez sup. n. 30. Quamvis ad impediendum Matrimonium, ne contrahatur, satis sit testis vel fama : at verò ad ipsum dissolvendum duo testes omni exceptione majores desiderantur : quia est causa gravissima, in eaque de magno præjudicio agitur. Habetur expressè c. 1. de Consang. ubi id docent Omnes. Sic ille.

Accipe verba textûs : *Quocircà mandamus, quatenùs utramq; partem antè tuam præsentiam convoces, & facias testes* (qui duo erant, ut patet ex principio) *coram te jurare.* Et infrà : *Inquisitâ vero diligentiùs veritate, si per testes circumspectos omni exceptione majores inveneris, quod primus vir superstitem quarto gradu consanguinitatis attingit* Cap. 1. de Consang.

git, non differas divortii sententiam promulgare. Ita Alex. III. Cassen. Abbati.

Ubi Gloss. verb. *Majores*, inquit: *Illi dicuntur omni exceptione majores, qui repelli non possunt aliqua exceptione.*

376. *Hic etiam parentes & consanguinei sunt legitimi testes, ex c. 3. Qui Matr. &c.*

Et ideò in hoc casu, ubi agitur de dissolvendo Matrimonio ratione consanguinitatis, etiam parentes & consanguinei sunt legitimi testes, seu omni exceptione majores; quàmvis in aliis causis non forent; quia repelli hic non possunt; arg. cap. *Videtur*, 3. Qui Matr. accus. poss. in principio: *Quod parentes, fratres, & cognati utriusque sexûs, in testificatione suorum ad Matrimonium conjungendum, vel dirimendum, admittantur, tam antiquâ consuetudine, quàm legibus approbatur.*

Ratio.

Et ratio subditur: *Ideò enim maximè parentes, &, si defuerint parentes, proximiores admittuntur: quoniam unusquisque suam genealogiam, tum testibus & chartis, tum etiam ex recitatione majorum scire laborat.*

377. *An admittatur confessio utriusque conjugis.*

Nunquid etiam admittitur confessio utriusque conjugis, saltem dum est fama impedimenti? Respondeo si conjuges non stant pro Matrimonio, sed vellent ejus dissolutionem, minimè ea sufficere. Quia confessio hæc, cùm sit in favorem confitentium, nihil probat: & fama per se non satis est; quia oportèt impedimentum plenè probari; at fama ad summum semiplenè probat, ut alibi ostensum fuit.

Pars negans probatur ex cap. 5. de Eo &c. quando est contrà Matr.

Unde Celestinus III. cap. 5. de Eo qui cogn. Conf. *Super eo*, inquit, *quod postulas, utrum conjugatus, qui, ante contractum Matrimonium, uxoris suæ consanguineam carnali commixtione cognovit, cùm id fateatur uterque, & aliqua pars vicinia hoc acclamare dicatur, sit ab uxore sua judicio Ecclesiæ separandus: Tuæ fraternitati respondemus, quòd propter eorum confessionem tantùm, vel rumorem vicinia separari non debent, cùm & quandoque nonnulli inter se contra Matrimonium velint colludere, & ad confessionem incestûs facilè prosilient, si suo judicio crederent per judicium Ecclesiæ concurrendum. Rumor autem vicinia non adeò est judicandus validus, quòd, nisi rationabiles & fide dignæ probationes accedant, possit benè Matrimonium contractum irritari.*

378. *Objectio solvitur.*

Ubi Gloss. verb. *Confessionem*, objicit: *Sed videtur, quòd confessioni standum sit, quia confessus in jure pro judicato habetur, Cod. de Confess. l. unica..... Dicas, quòd in casu isto non statur confessioni contra Matrimonium, propter rationem, quæ hìc in litera redditur. Et est ratio: quia contra se quisque testari potest, pro se vero minimè, 14. q. 2. §. 1.*

Probatio ex ratione.

Præterea: iste non confitetur contra se, imò pro se: unde jure communi non prodest ei talis confessio: Nam iste petit separari ab uxore, quia dicit se cognovisse ejus consanguineam: si confiteretur aliquid contra hoc, propter quod ei præjudicaretur, tunc videretur standum suæ confessioni: sed, ut dixi, speciale est in Matrimonio, ubi non creditur viro vel uxori in præjudicium conjugii, sed si confiteatur pro Matrimonio contrahendo, benè statur confessioni: puta, si petam aliquam in uxorem, & ipsa confiteatur Matrimonium, præjudicatur ei, licet ipsa nollet me habere; quia modò directè confitetur contra se. Igitur in d. textu agitur de conjuge, qui non stabat pro Matrimonio, sed quærebat ejus dissolutionem.

379. *Quid si conjuges sint pro Matr.*

Secùs dicendum foret de conjuge vel conjugibus, qui stant pro Matrimonio; quia non petunt Matrimonium dissolvi, sed in eo perseverare volunt; judex autem ex officio inquirit, vel tertius accusat; tunc confessio utriusque simul cum impedimenti fama sufficit; arg. cap. 4. 35. q. 6. *Si duo, vel tres viri consanguinitatem jure jurando firmaverint, vel ipsimet fortè confessi fuerint, conjugia dissolvantur. Si verè neutrum contigerit, Episcopi eos per Baptismum, per fidem, per judicium Christi in vera obedientia obtestentur, quatenus palàm faciant, utrùm se (sicut est fama) consanguineos recognoscant; si negaverint, sibi ipsis relinquendi sunt &c.* Ubi Gloss. verb. *Confessio*, ait: *Si eos consanguineos fama publica nuntiet, quæ habetur pro uno teste, idem est si unus confitetur, secundùm Baz.*

Creditur ipsis, ex c. 4. 35. q. 6.

Quinimò multi putant, tali casu sufficere confessionem alterius tantùm conjugis, etiam absque fama. Quia verisimile non est, velle contra se ipsum falsum deponere. Unde Gloss. cap. 10. de Desponsat. impub. verb. *Evasisse*, ait: *Cui creditur in hoc quod contra se confitebatur, aliàs staretur verbo viri.* Sequitur Covar. cum Aliis, à se citatis, 4. decret. 1. p. c. 4. §. 1. n. 4. nisi (inquit) sit aliqua collusionis præsumptio.

An sufficiat confessio alterius tantùm.

Covar.

380. *Opinio Sanchez.*

Propter quod collusionis periculum (inquit Sanchez sup. n. 35. ubi recedit à d. Gloss. motus, quia res nimis ardua est) relinquitur arbitrio judicis; an talis confessio utriusque conjugis pro Matrimonio stantis sufficiens sit; ut scilicet prius Matrimonium dissolvatur; & detur potestas utrique transeundi ad alias nuptias. Enimverò, seclusâ hâc potestate ab Ecclesia concessâ, transitus iste rarissimè licet, propter periculum scandali; estò conjuges in foro conscientiæ certi forent de invaliditate.

Hìc sisto gradum, & ab his, qui dubitant de valore sui Matrimonii, transeo ad eos, qui certi sunt; & nihilominùs hìc & nunc carent jure petendi debitum, quod aliàs haberent. Erit itaque

CONCLUSIO XII.

Affinitas in primo vel secundo gradu superveniens Matrimonio, privat incestuosum jure petendi debitum.

381. *Probatur Conclus. ex c. 1. de Eo &c.*

DE hac Conclusione plura extant cap. sub Titulo de Eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ, quæ operæ pretium erit hic describere, ut veritas clarius elucescat.

Incipio à 1. cap. quod desumptum est ex Concilio apud Metiam, & sic sonat: *Si quis cum filiastra sua* (id est filia uxoris suæ ex alio marito) *scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem.* Scilicet propter affinitatem ex illa copula contractam cum uxore sua in primo gradu.

Item ex 6. 6. eod. Ubi Gloss. verb. *Petere*, inquit: *Exactus tamen reddere tenetur, inf. eod. Discretionem*, ubi Innoc. III. ita statuit: *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitimè Matrimonium inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sinè sua culpa privari.*

382. *Et cap. 10.* Idem decernitur cap. 10. eod. sequentis tenoris: *Tuæ fraternitatis devotio postulavit, utrùm is, qui cum sorore legitimæ conjugis fornicatur, cum uxore possit postmodum commorari, & exigere debitum ac solvere requisitus. Nos igitur respondemus, quòd uxor, ut à commixtione viri abstineat propter publicam honestatem* (seu affinitatem) *& in continentia maneat, donec vir viam universæ carnis ingressus fuerit, diligentiùs est monenda. Quod si fortè commonitioni parere recusans talis fuerit, ut de lapsu timeatur ipsius, vir ejus poterit & debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale: cùm affinitas post Matrimonium iniquè contracta illi nocere non debeat, qui iniquitatis particeps non existit.*

An incestuosus possit reddere debitum, seclusò periculo lapsûs. Ex qua ratione colligo: quod hìc dicitur de timore lapsûs, sic intelligendum esse, ut debeat solvere, etiam seclusò illo timore: nam alioquì affinitas illa multùm ei noceret. Et in d. cap. *Discretionem*, nulla fit mentio ejus timoris.

383. *Pars negans probatur ex cap. fin. eod.* Quid tum, reponit quispiam: sufficit quòd d. cap. 10. ejus meminerit; utì etiam cap. fin. eod. ubi Greg. IX. rescribit Epis. Pictavienſi in hæc verba: *Iordanæ mulieris petitio continebat, quod I. laïcus cum ipsa, quæ nondum decimum ætatis annum compleverat, per verba de futuro contraxit: & eâ infrà ejusdem anni spatium carnaliter cognitâ, matrem ipsius sibi matrimonialiter copulare, & ad damnatæ commixtionis amplexus procedere non expavit.* Et infrà: *Quare præfata I. supplicavit, ut cùm carnis stimulis resistere nequeat, sibi* (*ne jure suo sinè sua propria culpa fraudetur*) *providere salubriter dignaremur. Eapropter mandamus, quatenùs* (*si res ita se habet*) *utrumq; ipsorum ad vovendam perpetuam continentiam attentè moneas & inducas: & si ad eam induci nequiverint, memoratum I.* (*injunctâ ea primitùs pro commisso incestu pœnitentiâ competenti*) *ut eidem cohabitet & conjugale debitum reddat exactus, Ecclesiasticâ censurâ compellas.*

Ut quid hæc jura ponderant periculum incontinentiæ, si non est necessarium, ut uxor possit debitum exigere, & vir teneatur reddere?

384. *Responsio.* Respondeo: quia communiter tale periculum seu timor intervenit, & solet allegari. Cæteroquì, cùm habeat innocens jus antè contractam affinitatem, ut petat debitum, etiam quando nullum est periculum incontinentiæ, vel non manet jus ejus illæsum post contractam affinitatem; vel oportet dicere, quòd habeat jus petendi, etiam seclusò quocumque periculo seu timore; atque adeò nocentem, quàmvis nequeat petere, posse tamen & debere reddere debitum.

An qui consentit incestui, hic censeatur incestuosus? Videtur affirmare D. Bonav. Sed quis hìc nocens? Interrogat quispiam. An fortè etiam ille conjux, qui consentit incestui alterius? Affirmare videtur Doct. Seraphicus 4. dist. 34. a. 3. q. 2, in corp. *Resp. dicendum, quòd aliquis potest committere incestum, cognoscendo sororem uxoris suæ, dupliciter: Aut antequam contrahat Matrimonium cum sorore, aut post contractionem. Si post contractionem Matrimonii, Matrimonium illud non solvitur, amittit tamen jus petendi debitum, non tamen reddendi; quia non potuit peccatum ejus præjudicare uxori, nisi fuerit conscia sceleris.* Ergò si fuerit conscia, id est, si consenserit peccanti, & ipsi peccatum ejus præjudicare potuit.

385. *Sequitur eum Sanchez cum Alijs.* Hanc sententiam amplectitur Sanchez lib. 9. disp. 27. n. 3. cum Aliis multis, quos citat. Vult (inquit ille) manifestè jus, desumpto argumento à contrario sensu, ut ubi alius conjux reus est culpæ, particepsque iniquæ contractionis affinitatis, similiter amittat jus debiti exigendi.

Respondet Dicastillo disp. 9. n. 95. Argumentum à contrario sensu non est efficax in jure, maximè ad inducendam pœnam, & impedimentum. Accedit: quòd crimen commissum à consentiente propriè loquendo non est ipsummet crimen primarium & proprium incestûs; sed reductivè & secundariò habet malitiam incestûs, quatenùs non repugnat, sed consentit in alterius conjugis incestum. Sic ille.

386. *Oppositum putat probabilius Dicastil. cum Ochag. Hurt. & Perez. Probatio.* Et ideò putat probabiliùs, quod asserit Ochag. tr. 5. q. 5. Hurtado disp. 10. diffic. 7. n. 28. & Perez disp. 52. sect. 2. n. 5. scilicet, conjugem consentientem non amittere jus petendi à conjuge incestuoso. Ratio (inquit Perez) quia non est, cur extendatur ad id ea pœna, cùm sit odiosa & restringenda. Quàmvis enim graviter peccet consentiens: at ex ipso consensu præcisè nulla oritur affinitas in consentiente, ratione cujus impediatur petere debitum: nam affinitas non oritur, nisi ratione copulæ incestuosæ, contractæ in ipso incestuoso: at conjux, qui consensit, ut alter conjux per copulam iniquam affinitatem contraheret, non contraxit affinitatem per copulam à se habitam. Ita hic Auctor.

387. *Impugnatur.* Sed quæro ego: quare non sufficit, quòd contraxerit affinitatem per copulam ab alio habitam? Putasne, quòd affinitas contracta per copulam ab alio habitam non foret impedimentum dirimens Matrimonium contrahendum? Cur ergò non erit impedimentum prohibens petitionem debiti, dum supervenit Matrimonio jam contracto?

Nec obstat, dicet aliquis: quòd hæc prohibitio sit pœnalis; & ideò potiùs restringenda tamquam odiosa, quàm extendenda. Quippè non extenditur, cùm hic sit expressus casus d. cap. *Discretionem*, ibi: *Sanè ex parte tua fuit propositum, quòd quidam cum muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodum à*

se

se incognitam cuidam consanguineo suo tradidit, in quantùm potuit renitentem. Ille verò cum ipsa, licèt invitâ, Matrimonii solemnia celebravit.

388. *Defenditur.* Planè, reponit quispiam; hic casus ibi tractatur: sed ubi dicitur, virum illum fuisse prohibitum propter affinitatem contractam per copulam uxoris à petitione debiti? Imò contrarium potiùs significatur ibi: *Quod si forsan ad id* (puta continentiam servandam) *induci nequiverit* (mulier) *vir prior cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare.* Maritalis autem affectio non tantùm consistit in reddendo debito, sed etiam in petendo.

Defensio examinatur. Sed contrà: si vir prior poterat petere, & reddere debitum, non obstante illâ copulâ, & similiter mulier: quare hæc monenda est, ne ad eum redeat? *Mulier*, inquit, Pontifex, *propter publicam honestatem est monenda sollicitè, ut nec primum repetat, cujus consanguineus eam, licèt invitam, cognovit.* Si illa copula nec viro nec mulieri debet officere, quæ ratio eam dissuadendi? Tu cogita.

389. *An hic sit distinguendum inter incestum publicum & occultum?* Ego aliam propono quæstionem; utrùm hìc distinguendum sit inter incestum publicum & occultum? Pontifex Alexander videtur distinxisse. Nam d. cap. *Discretionem*, in fine dicitur: *Quamquam à quodam prædecessore nostro dicatur in simili casu fuisse distinctum, utrùm incestus vel adulterium manifestum fuerit, an occultum: aliis asserentibus inter gradum proximum & remotum esse potiùs distinguendum.*

Videtur, quòd non. Ubi Gloss. verb. *A prædecessore*, inquit: *Scilicet Alexandro. Sed illa Decretalis remota est de hac compilatione.* Si remota: signum est, Innoc. III. cujus est d. cap, *Discretionem*, noluisse eam distinctionem admittere. Unde indistinctè loquitur, nec innititur scandalo, quod ex publico incestu oriri posset, sed affinitati iniquè cum altero conjuge contractæ, ut constat ex verbis sup. relatis. Affinitas autem æqualiter contrahitur ex copula occulta ac publica.

390. *Est sententia Glossæ,* Et ita docet Gloss. 32. q. 7. cap. *Qui dormierit cum duabus sororibus, & una ex illis anteà uxor fuerit, neutram ex ipsis habeat.* Ubi verb. *Neutram*, rationem dat: *Quia ipse debitum non exiget ab ea, & ita non habet eam. Habetur tamen ab ea: quia ipsâ petente, tenetur ei reddere debitum, & ita non habet, sed habetur. Nec distinguo, an fuerit occultus incestus, an manifestus, ut extrà de Eo qui cognovit consang.* Discretionem.

Quam sequitur Sanchez, contrà Sylv. & Angel. Hanc sententiam sequitur Sanchez sup. n. 2. cum Aliis, contrà Sylvestrum & Angelum, qui absque fundamento, ut ipse ait, docent, oportere ut qualitercumque constet de incestu, quo impediat debiti exactionem. Sed si absque fundamento, nam & ego nullum video, liquet profectò, non esse audiendos.

391. *An sufficiat incestus cum proprijs consanguineis, aut affinibus alterius conjugis.* Sicut nec illi audiendi sunt, qui extendunt dictam privationem juris, seu impedimentum debiti conjugalis ad incestuosum conjugem cum suis consanguineis, & ad eum, qui rem habuit cum affinibus alterius conjugis.

Ratio nostra est: quia textus sup. allegati, in quibus statuitur dicta privatio, ponderant affinitatem iniquè contractam; jam autem in prædictis casibus nulla ex copulâ oritur affinitas cum propria uxore: ergò ad eos hæc privatio juris non est extendenda; estò namque incestus cum propriis consanguineis sit gravius peccatum; equidem non ita Matrimonio adversatur, & jura non ponderant solam malitiam incestûs; sed præterea affinitatem, ut dixi, ortam ex peccato incestûs. Porrò in primo casu habemus solam malitiam incestûs; in secundo autem, ne quidem hanc malitiam. Quo ergò fundamento privabimus tales conjuges jure petendi debitum?

Probatur quòd non.

Quia, inquis, sic statutum invenitur 32. q. 7. c. 20. *Si quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, seu cum patre & filio, si quis relictam fratris, si quis neptem, aut novercam, aut nurum, aut consobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam polluerit, eos disjungi, & ulterius nunquam in conjugio copulari præcipimus.* Ubi, ut vides, incestus etiam cum propriis consanguineis punitur pœnâ separationis, ibi: *Eos disjungi.* 392. *Oppugnatur probatio ex c. 20. 32. q. 7.*

Respondeo cum Gloss. verb. *Eos*; *Scilicet adulteros*: non autem virum & legitimam uxorem. Nam certum est, uxorem innocentem posse petere debitum, & post mortem viri incestuosi omni jure posse contrahere aliud Matrimonium. Undè quod ibi dicitur: *Et ulteriùs nunquam in conjugio copulari præcipimus*, manifestum est, tantùm afficere adulteros, quibus ibi post mortem uxoris interdicitur aliud Matrimonium. Igitur d. cap. 20. non repugnat communi doctrinæ. *Responsio Gloss.*

Uti nec cap. 4. de Eo qui cogn. consan. ut patet ex ejus verbis, quæ hìc subdo: *Transmissa nobis tuæ litteræ demonstrarunt, quòd G. uxore suâ defunctâ filiam ejus privignam, videlicet propriam, copulâ carnali cognovit: postmodum aliam accipiens in uxorem, cum privigna publicè, tamquam canis ad vomitum rediens, illicitam rem committere non expavit. Quia verò super his consilium requisisti, præsenti paginâ respondemus, quòd legitimæ uxori cohabitans & necessaria subministrans non cognoscat eam, quamdiu vixerit, nisi ab ea fuerit requisitus: & tunc ad ipsam non sinè gravi cordis dolore accedat: qui etiam pro incestu & adulterio, donec cum ea permanserit, juxtà moderamen tui arbitrii pœnitentiam agens, postmodùm, si supervixerit ei, perpetuò sinè spe conjugii permanebit.* Ita Cælestinus III. ubi propter incestum cum privigna uxoris defunctæ privatur vir jure petendi debitum ab uxore postmodum acceptâ. 393. *Cap. 4. de Eo &c. non repugnat communi doctrinæ.*

Quæ utique est specialis constitutio, quâ punitur Matrimonium contractum per commissum incestum, qui olim erat impedimentum prohibens; verùm cùm jam sublatum sit, & per consequens id Matrimonium non sit amplius illicitum, neque ampliùs talis pœna incurritur. Nam cessante causâ cessat effectus. 394. *Ostenditur.*

Porrò hæc constitutio non est extendenda ad alia impedimenta prohibentia; cùm de eis nulla ibi fiat mentio, & pœnæ restringendæ sint,

non

Sanchez. non extendendæ. Ita docet Sanchez sup. n. 5. Maneat itaque, quòd solus iste incestus privet jure petendi debitum, ex quo oritur affinitas inter incestuosum, & alterum conjugem.

Sed nunquid omnis ille privat? Et sicut non oportet distinguere inter publicum, & occultum; ita pariter non est distinguendum inter gradum proximum & remotum?

395. *Jure antiquo extenditur hæc pœna usque ad 4. gradum.* Attento jure antiquo extenditur dicta privatio usque ad quartum gradum, secundùm Omnes. Hujus autem extensionis fundamentum in nemine (inquit Sanchez sup. n. 12.) inveni. Nam si jus consulamus, solùm loquitur de conjuge incestuoso cum consanguineis alterius in primo gradu, ut constat ex cap. 1. cap. penult. & c. fin. de Eo qui cognovit &c. Et cum sit pœnale, extendendum non videtur ad alios gradus: eò vel maximè, quòd non tanta incestûs labes, sed multò levior in ulterioribus gradibus reperiatur.

Fundamentum hujus extensionis, ex Sanchio. Sed dicendum est, id esse fundamentum. Quia ratio hujus impedimenti est, affinitas iniquè contracta ex eo incestu cum altero conjuge; ut constat ex cap. *Discretionem*, de Eo qui cogn. consang. & cap. penult. eod. Quare ad eum consanguinitatis gradum extendi debet, & non ultrà, ex quo ea affinitas consurgit per copulam; hic autem est quartus, cap. *Non debet*, de Consang. & affin. Et confirmatur; quia d. cap. *Discretionem*, sermo habetur de fœmina cognita à consanguineo viri: taceturque consanguinitatis gradus: quare hic accipiendus est ex iis, ex quibus affinitas illa, quæ impedimenti causâ est, consurgit. Sic ille.

396. *Solutio objectionis.* Quòd autem in aliis juribus non fiat mentio nisi primi gradûs, non obstat, quia ponitur casus tunc propositus Pontifici; interim ratio resolutionis est communis, ut jam dictum est, etiam aliis gradibus. Non enim constat, Pontifices attendisse gravitatem incestûs.

An jus antiquum hodie maneat illæsum. Interrogat aliquis: quare ergò in Concluſ. mea tantùm primum & secundum gradum exprésserim? Respondeo citiùs: quia Concil. Trid. sess. 24. de Matr. c. 4. restrinxit impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, ad eos tantùm, qui in primo & secundo gradu conjunguntur. Ex quo videtur sequi, affinitatem iniquè contractam non impedire exactionem debiti, nisi in eisdem gradibus: tametsi multi contradicant, existimantes jus antiquum manere illæsum; ac proinde, cognoscentem carnaliter consanguineam alterius conjugis usque ad quartum gradum non posse à proprio conjuge debitum petere.

397. *Arguitur pro parte affirmativa.* Pro his autem facit: quòd (auditis Navar. lib. 4. Consil. tit. de Consanguin. in 1. edit. consil. 3. in posteriori autem consil. 6. n. 3.) aliud est dirimere Matrimonium, de quo loquitur Concilium; & aliud impedire tantùm, de quo ait Declaratio Pii V. & aliud exactio debiti, de qua nihil statuit Concilium, nec Declaratio prædicta: & secundùm jus commune vetatur exactio per prædictam affinitatem superveniente: & casus omissus habetur pro omisso; l. *Commodissimè*, ff. de Liber. & posth. & cap. *Susceptum*, de Rescript. in 6. Sic ille.

Confirmatur Sanchez. Et confirmatur (inquit Sanchez sup. n. 13.) quia Concilium restringens affinitatem solùm intendit scandala vitare, quæ oriebantur ex frequenti Matrimonii irritatione, aut impedimento; minimè autem peccandi occasionem dare voluit. At illi fini satis consulitur, ablatâ eâ affinitate, quoad dirimendum, impediendumve Matrimonium, & cavetur ansa peccandi, eâ manente ad impediendum petitionem debiti: ergò impedit.

398. *Aliud argumentum pro hac sententia.* Aliud argumentum pro hac sententia invenio apud eumdem Auctorem: Quia, inquit, interdictum hoc petendi debitum consurgit ex peccato incestûs, ut testatur Gloss. cap. 1. de Eo qui cogn. &c. verb. *Copulare*, dicens: *Propter incestum* 32. q. 7. Qui dormierit, & *inf. eod. cap.* Ex litteris. Quod inde constat: quia ubi ignorata est consanguinitas, vel copula fuit coacta, oritur affinitas; & tamen illi conjugi ignoranti, aut vi oppresso, non interdicitur petitio debiti; c. 1. & cap. *Discretionem*. de Eo qui cognovit consang. quia à culpa incestus excusatur. Insuper incestuosus cum alterius conjugis consanguineis, eoque mortuo aliud Matrimonium iniens, nequit petere debitum; cùm tamen affinis minimè sit huic posteriori conjugi. Si ergò impedimentum hoc ex incestu consurgat, cùm copula illa usque ad quartum gradum sit incestuosa, impediet conjugem, ne debitum petat. Ecce duplex fundamentum prædictæ sententiæ.

399. *Argumentum pro opposita sententia; Primum & secundum.* At verò pro oppositâ facit (juxta Navar. sup.) quòd lex per similitudinem rationis extenditur ab uno ad aliud; l. *Non possunt*, ff. de LL. & cap. *Dudum*, 2. de Elect. Facit etiam, quòd Pius V. declaravit, quòd nec dirimit nec impedit; & consequenter, non obstante illâ, licitè contrahitur; quod videtur consequi, quòd etiam licitè petatur debitum. Tum; quia minus est exigere, quàm contrahere; ergò qui concedit contractionem, à fortiori videtur concedere exactionem; arg. cap. 53. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* de Reg. juris in 6.

Tum; quia id, quod impedit exactionem debiti, quoad aliquam partem impedit Matrimonium; & prædictus Pius V. declaravit simpliciter, quòd non impedit, & consequenter quòd nullâ ex parte impedit; quia negativa præcedens omnia quæ sequuntur destruit, & contraria eorum ponit, juxtà Glossam singularem receptam cap. *Cùm dilectus*, 8. de Consuet. verb. *A suspensis*, ibi: *Alii dicunt, & melius, quòd Episcopus suspensus non potest excommunicare, nec interdicere, nec dare Præbendas.....quamvis hoc potuerit post confirmationem, licèt adhuc non sit consecratus. Ratio illa videtur: quia plus aufert ei suspensio, quàm contulerit consecratio, ut dici consuevit, plus tollit negatio, quàm ponit affirmatio.*

400. *Tertium.* Facit etiam (prosequitur Navar.) quòd verba Declarationis Pii V. scilicet, quòd non impedit Matrimonium, satis includunt per proximè dicta impedimentum exactionis: & ita per

illa

illa tollitur illud, quia lex generaliter loquens intelligenda eſt generaliter, cap. *Solita*, de Majorit. in fine ibi: *Vt illud tamquam notiſſimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in Petro dixit ad ſucceſſores ipſius*: Quodcumque ligaveris ſuper terram *&c. nihil excipiens, qui dixit*: Quodcumque.

In hanc ſententiam magis inclinat Navar.

His ita diſputatis pro utraque parte, ut ſcires hanc quæſtionem eſſe ancipitem, continuò attexit Navar. De hoc autem dubio, quod aliàs in ſacræ Pœnitentiariæ prætorio propoſitum fuit, & non reſolutum, non videtur loqui quæſtio propoſita; & ideò non reſolvo illud, tametſi multùm inclino in partem negantem, ſcilicet ut non extendatur. Sic ille. Additur in poſteriori Edit. Et ita refertur, ſacram Congreg. inclinaſſe in hanc partem, ut inceſtus ultra ſecundum gradum ſuperveniens non impediat exactionem debiti.

401. *Declaratio Card. pro ea.*

Quinimò Sanchez ſup. n. 14. dicit, Congreg. Card. hanc partem declaraſſe hiſce verbis: *Congregatio Concilii cenſuit, Decretum Tridentini ſeſſ. 24. de Matr. c. 4. ad primum & ſecundum gradum reſtringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractam cenſeri etiam ad eoſdem gradum reſtrinxiſſe impedimentum exigendi debitum ab uxore, quod inducitur ex affinitate proveniente ex illicita copula a viro cum conſanguinea ſuæ uxoris poſt Matrimonium habita.*

Alia Declar.

Et in Declarationibus Card. ex ultima recognitione Ioan. Gallemart ad d. locum Trid. in fine ſic lego: *S. D. N. Greg. XIII. ex ſententia Congreg. dixit, per hoc Decretum ſublatum cenſeri impedimentum quoque ſupervenientis affinitatis poſt contractum Matrimonium: quia ſi impedimentum dirimens ſublatum eſt, quod eſt majus, ergo & iſtud quod ſolùm impedit, ne is, per quem contracta eſt affinitas, ſinè peccato poſſit exigere debitum, quod minus eſt.*

402. *Hanc ſententiam exiſtimat Sanchez probabiliorem.*

Quapropter Sanchez ſup. multò probabiliùs exiſtimat, correctum eſſe in hoc jus commune, atque ita copulam habitam cum conſanguineis alterius conjugis ultra ſecundum gradum minimè impedire debiti exactionem. Porrò ad primum argumentum ex adverſo ſup. apud Navar. patet ſatis reſpõnſio ex primo argumento

Reſp. ad 1. arg. oppoſitum.

apud eumdem Auctorem ſup. pro hac ſententia; videlicet Pium V. prorsùs abſtuliſſe affinitatem in illis gradibus, atque adeò caſum noſtrum non fuiſſe omiſſum, ſed omninò verbis illis comprehenſum; nam jus commune non vetat exactionem debiti, niſi propter affinitatem ſupervenientem; hâc ergò ceſſante per Trid. & Declar. Pii V. etiam ceſſat prohibitio juris communis. Affinitatem, inquam, ſupervenientem ex inceſtu cum conſanguineis propriæ uxoris, ut ſup. oſtendimus,

Reſp. ad 2. arg.

Ex quo patet reſponſio ad aliud argumentum ſecundò loco adductum ex Sanchio; reſpondetur, inquam, jus commune vetare exactionem debiti, non propter ſolum inceſtum, vel propter ſolam affinitatem, ſed propter utrumque ſimul, id eſt, propter inceſtum, ex quo oritur affinitas. Cùm ergò in caſu noſtro, eſtò copula foret inceſtuoſa, attamẽ ampliùs nõ oriatur affinitas; cõſtat, quia ceſſat in eo prohibitio juris communis.

403. *Reſp. ad confir. 1. arg.*

Ad confirmationem primi argumenti dicit Sanchez ſup. n. 16. non ſatis conſuli fini Concilii, manente impedimento quoad petendum debitum: quia inde etiam multa peccata oriebantur; ſcilicet petitiones debiti, quæ erant peccata mortalia; quia contra præceptum Eccleſiæ in re gravi. Sicut ergò Eccleſia ad impedienda peccata, quæ oriebantur ex affinitate in ulterioribus gradibus, non ſolùm ſuſtulit irritationem Matrimonii, ſed etiam prohibitionem in illis; pariter videtur ſuſtuliſſe prohibitionem petitionis debiti, quæ utique petitio eſt acceſſoria Matrimonio; quare ſequi debet naturam principalis, Reg. 42. *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, de Reg. juris in 6. Cùm ergo ſit licitum contrahere Matrimonium in ulterioribus gradibus, etiam licitum erit Matrimonio jam contracto petere debitum.

Reſp. ad cap. 4. de Eo &c.

Nec obſtat c. 4. de Eo qui congn. conſang. in quo prohibetur exactio debiti ei, qui non erat affinis, ut ſup. vidimus; quia, ſicut dixi, Matrimonium, de quo ibi, fuerat illicitè contractum poſt inceſtum commiſſum cum conſanguineis conjugis defunctæ; hìc autem, ut ſupponitur, Matrimonium fuit licitè contractum ante commiſſum inceſtum; ergò eſt caſus planè diſtinctus.

404. *Reſp. ad c. 1. & 8. eod.*

Et ſic habetur reſponſio ad c. 1. & cap. *Ex litteris*, eod. Nam & in his agitur de Matrimonio contrahendo vel contracto poſt commiſſum inceſtum, c. 1. in fine: *Nec filiaſtra, nec ille ullo unquam tempore alii ſe poterunt Matrimonio copulare* Et c. *Ex litteris*, ibi: *Nos autem eidem viro pœnitentiam injungi fecimus pro peccato: conſultationi tuæ reſpondentes, quòd eis ab invicem ſeparatis, mulier alteri viro non nubat, ſi, poſtquam novit viri & matris delictum, ei non erubuit commiſceri. Vir etiam & mater mulieris nunquam debent ad alias nuptias convolare.*

Ubi Gloſſ. verb. *Nunquam debent*, inquit: *Inceſtuoſi contrahere non debent propter enormitatem delicti.* Ergò non poſſunt petere debitum in Matrimonio priùs contracto, neg. Conſequentia. Porrò impræſentiarùm loquimur de exactione debiti in Matrimonio priùs legitimè contracto, & dico cum Sanchio ſuprà, eam non eſſe illicitam, niſi per inceſtum ſupervenientem in primo & ſecundo gradu.

405. *Exactio debiti in caſu propoſito eſt mortalis.*

Sed nunquid in his gradibus exactio eſt peccatum mortale? Plane: quia, ut ſup. inſinuavi, opponitur præcepto Eccleſiæ in re gravi, eſtque inceſtuoſa. Nec dici poteſt, uſu abolitum eſſe hoc præceptum, cum quotidie experientia doceat, peti diſpenſationem ad hoc, & ſpecialiter à Pontifice ſit conceſſa poteſtas diſpenſandi Confeſſariis Regularium, de licentia tamen ſui Provincialis.

Privilegium diſpenſandi.

De hoc privilegio ita lego in Compend. privil. Societ. Ieſu verb. *Diſpenſare, §. 8. Poſſunt noſtri Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta formam Concilii Trident. approbati, ex commiſſione Provincialis diſpenſare in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum Iis, qui conſanguineam vel conſanguineum*

sui conjugis, post Matrimonium carnaliter cognoverunt. Pius V. Franciscanis de Observantia 27. Septembris a. 1569. ut in Manuscrpt. fol. 79.

Additur: *Facultas hæc conceditur Provincialibus, & aliis Confessariis, quibus ipsi per se, vel per alios eam commiserint, admonito pœnitente, ut si conjugi sit superstes, iterum ne contrahat absque dispensatione incestûs impedimenti, si eo loco voluerit contrahere, ubi illud non fuerit legitimè abrogatum.*

406. Unde non est audiendus Corduba in Annotationibus ad Collectorem, verb. *Dispensatio*, §. 17. dicens: Notandum, quòd non est securum, uti tali concessione, dispensando in affinitate, ut ibi habetur; quia non constat de veritate, sed de rumore illius concessionis; nec habetur in libris Ordinis. Ideò in re tanti momenti contrà jus commune non est credendum rumoribus: & sic consuluit excellens Doctor Ortiz. Sic ille.

Est securum uti hoc privilegio, contrà Cordubam.

Sed, sicut dixi, nec Corduba nec Ortiz, quantumcumque excellens fuerit, est audiendus, contrà quotidianam praxim Provincialium, qui passim concedunt suis Confessariis hanc potestatem. Censeo (inquit Sanchez lib. 8. disp. 16. n. 8.) tutissimum esse, eâ concessione uti. Videatur Bassæus to. 2. verb. *Privilegium*, n. 8. ubi multis argumentis & auctoritatibus ostendit, hanc dispensandi potestatem etiamnum in suo vigore persistere.

Sanchez.

Bassæus.

Ut ut sit de hac potestate, docet Sanchez sup. n. 9. cum Aliis communiter; peccare lethaliter hujusmodi incestuosum, si absque dispensatione petat debitum, propter rationes sup. allegatas. Quare, inquit, audiendus non est Veracruz 3. p. Speculi a. 17. fine, asserens, conjugem incestuosum non peccare lethaliter, si debitum petat à conjuge facto per incestum illum affini, modò absit contemptus. Quem sequitur sui immemor Corduba in Quæst. lib. 1. q. 12. Nam statim in principio dicit, peccare mortaliter; ad finem autem §. penult. ait: secluso contemptu non esse mortale: atque si esset consuetudo non petendi dispensationem, nullam esse culpam. Ita Sanchez.

Veracruz putat, exactionem non esse mortalem, secluso contemptu.

407. Hæc sunt verba Cordubæ in principio: Quoad affines dico; quòd scienter incestuosus cum affinibus, id est, cum consanguineis uxoris suæ, ligatur duplici pœnâ, quia scilicet sub mortali peccato non potest petere debitum à sua uxore, quam jâ habet, quæ per incestû illius ipsi affinis facta est; quàmvis illi exigenti reddere teneatur.

An ejusdem opinionis sit Corduba.

At verò §. penult. videtur subscribere sententiæ Veracruz; nam post relatam sententiam Soti 4. dist. 37. q. 1. a. 1. & a. 2. concluſ. 2. quod Episcopus possit dispensare in hac petitione debiti, saltem si ad Papam ex quacumque causa facilè non pateret accessus, subdit: Imò etiamsi pateret, uti hoc etiam ait Speculum conjugiorum p. 1. a. 50. & part. 3. a. 17. dicens expressè, quòd, secluso contemptu, etiam sinè dispensatione Episcopi, potest prædictus incestuosus occultus, quicumque ille sit, petere debitum sinè peccato mortali: quamvis Abulensis Matth. 5. q. 200. Et Castro de Leg. pœnali lib. 2. c. 5. & plures Alii dicant, esse mortale.

Imò & videtur, ait Speculum, quòd sinè ullo peccato id facere potest incestuosus occultus, sinè prædicta Episcopi dispensatione, ubi est consuetudo, quòd ad debitum exigendum non petatur dispensatio à Papa, vel ab Episcopo; sicut nec ad Matrimonium contrahendum, uti superiùs in secundo & tertio loco latiùs habetur. Hæc dicta sunt de occulto incestuoso quocumque, & in foro conscientiæ: nam de manifesto & in foro contentioso aliud Iudicium est. Hucusque Cordubensis.

Fortè sui non immemor; sed volens, quod in principio dixerat generaliter, in fine exponere de incestu publico. Sed jam sup. dictum est, sinè fundamento Aliquos hìc distinguere inter incestum publicum & occultum, quantùm attinet jus scriptum.

408. *An sibi ipsi sit contrarius.*

De consuetudine quid dicam? Cùm hæc prohibitio petendi debitum sit juris tantùm Ecclesiastici, potuit contrario usu aboleri, idque in uno loco, & non in alio; veluti impedimentum incestûs prohibens tantùm videtur quasi generaliter abolitum, ut alibi dictum est, cùm passim incestuosi contrahant, nulla petitâ dispensatione nec à Papa, nec ab Episcopo.

An consuetudine sit abolitum hoc præceptum.

A verò constat, saltem in his partibus, non exigi debitum ob incestuosis, etiam occultis, nisi obtentâ priùs dispensatione: quod testari possunt Confessarii Regularium, à quibus petitur hæc dispensatio, & sinè aliqua difficultate conceditur propter periculum animarum; quod tunc maximè urget, quando uterque conjux est incestuosus; cùm tunc neuter possit petere debitum aut reddere, ut Multi docent; saltem quando non peccarunt ex malitia, ut tali viâ se invicem fraudarent debito conjugali.

409. *Videtur quòd non in his partibus.*

Neque enim hìc locum habet compensatio delictorum, quemadmodum contingit in adulterio. Ratio disparitatis; quia in adulterio agitur de utilitate delinquentium, & in eorum favorem jus exigendi debitum aufertur, cui favori renuntiare videntur simili delicto: hìc autem privatio juris illius inducitur in pœnam delicti; cùm ergò uterque deliquerit etiam uterque carebit jure petendi; & per consequens potestate reddendi.

Non habet hìc locum compensatio delictorum.

Quia (ut ait Sanchez sup. disp. 28. n. 3.) ex altera parte ille accessûs incestuosus est, cùm sit cum cognato vel affini conjuge; nec excusat obligatio reddendi, ea enim non est; ergò est illicita redditio. Et confirmatur: quia textus ideò hanc redditionem à culpa excusant, ne conjux culpæ immunis jure suo privetur: quare ubi neuter conjux est innocens, non est unde excusetur.

410. *Probatur ratione ex Sanchio.* *Confirmatur.*

Probatur etiam à simili, quando uterque conjux de valore Matrimonii dubius est, neuter potest reddere alteri petenti, eò quòd dubio manente neuter jus petendi habeat. At in hoc eventu uterque conjux jus petendi amisit: neuter ergò poterit reddere, multo minùs tenebitur reddere.

Probatio à simili.

Dixi consultò: *Saltem quando non peccarunt ex malitia* &c. quia secundùm Sanchez sup. n. 6. si uterque conjux, malitiosè fecerit, animo alterum debito conjugali defraudandi; quàmvis

411. *Quid si uterque peccaverit ex*

uterque

malitia? Petenti tenetur reddere, juxtà Sanchez.

uterque à jure petendi cedat, & petendo delinquat; at alteri petenti tenetur reddere. Ratio, inquit, eſt: quia cùm hæc pœna ſolo jure poſitivo infligatur, poteſt, illomet jure diſponente, moderari ac reſtringi. Jus autem ſic moderatur, ut conſtat ex cap. *Si vir*, de Cognatione ſpirituali; ubi hunc caſum æquiparat caſui, quo per ignorantiam id effectum eſt, in quo conſtat, eos conjuges teneri ſibi reddere.

Probatur 1.

Secunda probatio.

Prætereà; quia ſubjungitur ibi ratio; quia malitia & fraus non debent eis patrocinari: at valde patrocinarentur, ſi ex ea conjuges immunitatem, ac reddendi debiti ſibi invicem libertatem acquirerent; & quamquam textus, & DD. citandi loquantur de impedimento cognationis, meritò extendi debent ad impedimentum affinitatis, in quo eadem eſt ratio. Hæc ille.

Subdo verba d. textûs, ex quibus pendet tota hæc controverſia, atque ſimul veritas ſequentis Concluſionis, quæ talis eſt:

CONCLUSIO XIII.

Cognatio ſpiritualis Matrimonio ſuperveniens non privat jure petendi debitum.

412. *Probatur Concluſ. ex cap. 2. de Cogn. ſpirit.*

SIcut jamjam dixi, veritas hujus Concluſionis, quanta quanta eſt, pendet à d. textu: *Si vir*, qui eſt cap. 2. de Cognat. ſpirit. ſequentis tenoris: *Si vir vel mulier ſcienter vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an propter hoc ſeparari debeant?* Ecce quæſtio propoſita Alex. III. à Salernitano Archiepiſcopo. Sequitur reſolutio.

Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd quàmvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari: quidam tamen humaniùs ſentientes aliter ſtatuerunt. Ideoq; nobis videtur, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi: nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci. Ratio protinus annectitur: *Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus.*

413. *An hæc Decretalis revocet cap. 1. & 2. 30. q. 1.*

Hæc eſt noviſſima Decret. circa hanc materiam; adeoque ei ſtandum, quidquid ex adverſo in prioribus Decret. ſtatutum reperiatur. Et ideò notantur dicitur: *Quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari.* Quæris ubi? Reſpondet Gloſſ. ibi verb. *Inſtitutum*: 30. q. 1. c. 1. & 2. Rogas iterùm; ubi aliter ſtatutum ſit? Reſpondet Gloſſ. verb. *Statuerunt*: 30. q. 1. *Dictum, De eo, Ad limina.*

Pontius putat, quòd non.

Verùm Pontius lib. 10. c. 6. non videt, quo fundamento dici potuerit, prædicta jura in cap. 1. & 2. 30. q. 1. eſſe revocata in cap. *Si vir*, de Cognat. ſpirituali; cùm planè, inquit, in prædictis Canonibus non agatur de iſto impedimento, quando ſupervenit Matrimonio; ſed de eo impedimento jam contracto antè Matrimonium initum.

414. Oppoſitum docet Gloſſa d. cap. 1. in expoſit. casûs, dicens *Hoc cap. intelligo cum H. de Matrimonio jam contracto.* Et verb. *Vſum*, inquit: *Loquitur de conjunctis antè compaternitatem, & non de conjunctis poſt, prout quidam mentiuntur.* An unus ex illis Pontius? Tu cogita.

Probatio ejus rejicitur à Gloſſ.

Arguitur pro Pontio.

Pro Pontio facit, quod in fine d. cap. ſcriptum eſt: *Scitis, quia quomodo ſunt ſeptem dona ſancti Spiritûs, ita ſunt ſeptem dona Baptiſmi à primo pabulo ſacrati ſalis, & ingreſſu Eccleſiæ, uſque ad confirmationem ſancti Spiritûs per Chriſma. Ab hoc ergo primo Spiritûs ſancti dono uſque ad ſeptimum, nullus Chriſtianus ſuam commatrem in conjugem ſuſcipere debet.*

Ergò quando immediatè antè hæc verba mandat Pontifex, *ut nullo modo ſe in conjugio reciperent mulieres & viri, quicumque aliqua ratione ſuſceperint natos proprios, ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium inoleſcat.* Per ly *In conjugio reciperent*, intelligit, ne inter eos celebrari poſſet Matrimonium; non autem, ne poſſent reddere debitum in Matrimonio jam contracto. Ita explicat Pontius lib. 7. c. 40. n. 12.

415. *Explicatio cap. 2. ex eod.*

Quantùm ad cap. 2. *Si quis filiaſtrum, vel filiaſtram ſuam antè Epiſcopum tenuerit ad Confirmationem, ſeparetur ab uxore ſua, & nunquam aliam accipiat.* Iubetur (inquit Pontius lib. 10. c. 6. n. 2.) ab uxore ſeparari, quam duxerat; quia cum ea intervenerat impedimentum, ob levatum filium illius fœminæ antè contractum Matrimonium in Confirmatione; & inſuper in pœnam privatur ſpe Matrimonii.

Probatur.

Atque ſic intelligendum eſſe textum illum, & non de impedimento illo ſuperveniente Matrimonio contracto, videor colligere ex eo, quòd idem cap. habetur apud Ivonem p. 9. cap. 80. & quàmvis in titulo habeatur: *Ex concilio apud Vemerias:* at in margine habetur: *Ex Moguntino ſub Carolo Magno c. 55.* & in Moguntino de ſeparandis illis agitur, qui cum eo impedimento contraxerant. Cui expoſitioni accedit Gloſſ. ibidem. Sic ille.

416. *An ei faveat Concil. Mogunt.*

Hæc ſunt verba Concilii Moguntini: *Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte Baptiſmatis ſuſcipiat, nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium, aut filiam ad Confirmationem duxerit. Vbi autem factum fuerit, ſeparentur.* Hæc, inquam, verba multùm diverſa ſunt ab illis ſup. citatis ex cap. 2. in quibus imponitur pœna non tantùm ſeparationis; ſed etiam, non accipiendi aliam uxorem, de qua hìc non fit mentio.

Ei non accedit Gloſſ.

Quod attinet Gloſſam; ipſam non accedere huic expoſitioni, nimis clarum eſt; hiſce enim verbis proponit caſum d. textûs: *Dicitur hìc, quòd ſi quis tenuerit ad Confirmationem filiam uxoris ſuæ, quam de alio viro habuit, debent ſeparari; & de cætero non contrahant. Quidam tamen intelligunt hæc duo cap. de Matrimonio contrahendo, & dicunt; quod in hoc cap. tenuit filium concubinæ ad Confirmationem: & in filio concubinæ poſuit Beneven. hunc caſum, qui mihi non placuit.* Si hoc ſit accedere huic expoſitioni, judicet æquus Lector.

417. Ut ut ſit, certò ex d. textu: *Si vir*, conſtat, ſolle,

Oppositum Conclus olim fuit in stitutum.

fuisse generaliter institutum, ut separarentur, sive ex ignorantia sive ex scientia id contigisset. Verba Pontificis sunt apertissima. Petò ergò doceri à Pontio, ubi, si non d. c. 1. & 2?

Postea aliter fuit statutum. 1. in Concil. Cabil.

Constat quoque ex eodem cap. *Si vir*, quosdam humaniùs sentientes aliter statuisse: utputà Concil. Cabilonense 2. c. 31. & refertur 30. q. 1. c. 4. *Dictum est nobis, quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, ut à viris separarentur, proprios filios coram Episcopis ad confirmandym tenuisse. Vndè nos dignum duximus, ut si quæ mulier filium suum desidiâ aut fraude aliquâ coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam suam, aut propter fraudem, quamdiu vivet, agat pœnitentiam; à viro tamen suo non separetur.*

418. *Item in Concil. Moguntinensi.*

Idem statuitur in Concilio Moguntinensi, in claustro S. Albani habito; c. 10. & refertur eâdem c. 5. ibi: *Si autem conjuges legitimi, unus aut ambo ex industria fecerint, ut filium suum de fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, bonum est: sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injungatur, & simul maneant.*

Idem ostenditur ex Nicol. Papa

Accedat Nicol. Papa, & refertur eâd. c. 6. *De his qui filiastros suos ad Confirmationem coram Episcopis tenent, id est, qui filios uxoris suæ de viro priori, dum Chrismantur ab Episcopis, super se sustinent, si inscientiâ (aliàs, si in scientia) sicut asseris fiat, licèt sit peccatum, non tamen usque ad separationem conjugii puniendum est: lugeant tamen, & dignâ pœnitentiâ hoc diluentes, Domino dicant; Delicta ignorantiæ nostræ ne memineris.*

Et Ioanne Papa VIII

Claudat agmen Ioan. Papa VIII. & refertur eâd. cap. 7. ibi: *Vnde si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetuâ morte pereuntem dimitteret, sacri undâ Baptismatis lavit, ut eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet, & in regno Christi jam regnaturum sine dubitatione transmitteret, benè fecisse laudatur: idcircò suæ uxori, sibi jam legitimè sociatæ, impunè, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum: nec ob hoc contra præfatas auctoritates divinas aliquatenùs separari debere.*

419. *Baptizans in necessitate filium non privatur jure petendi debitum.*

Ex hoc textu Omnes admittunt, conjugi sic baptizanti filium communem, nimirum suum, & alterius conjugis, quàmvis inde inter ipsos oriatur cognatio spiritualis, quæ si Matrimonium præcederet, ipsum dirimeret, minimè interdici petitionem debiti. Enimvero absque culpa nemo jure suo privari debet, ut patet ex cap. *Discretionem*, de Eo qui cog. consang. Concluf. præced. adducto. Et ideò nec ille privatur jure petendi, qui in simili necessitate baptizat filium solius alterius conjugis; quàmvis de eo d. cap. 7. expressè non loquatur. Idem dicendum est, propter eamdem rationem, si conjux jam ad fidem conversus, uxorem, quam infidelitatis tempore duxerat, baptizet, occurrente eâdem necessitate.

An sit necessitas, quando adest alius laicus, qui potest & vult baptizare.

Sed nunquid est necessitas, quando absente Parocho, præter conjugem adest laicus, qui possit & velit baptizare? Videtur, quòd sic: nam in d. cap. 7. quod incipit: *Ad limina*, explicatur illa necessitas hisce verbis: *Absentia scilicet Sacerdotum, necessitate cogente.*

420. Cæterùm (inquit Sanchez sup. disp. 26. n. 2.) dicendum est, tunc non occurrere dictam necessitatem, atque ita incurri prædictam pœnam. Constat: quia textus ille ponderat patrem rectè fecisse, & ne infans absque Baptismo decederet: at dum adest alius volens baptizare, pater non est culpæ immunis, nec puer eam patitur necessitatem decedendi absque Baptismo, si à parente suo non baptizetur. Quare rectè ea necessitas tunc intelligitur esse, quando nullus adest, qui id munus obeat; atque ita periculum esset, ut proles absque Baptismo obiret. *Negat Sanchez.*

Ita præter alios, quos ibi citat Sanchez, docet D. Bonavent. 4. dist. 42. a. 1. q. 2. in corp. dicens: *Cognatio spiritualis potest sequi aut præcedere Matrimonium. Si sequatur, generaliter verum est, quod non potest infringere Matrimonii vinculum. Sed tamen quantùm ad jus solvendi debitum, distinguendum; quia hoc aut factum est necessitate, ut puta quando parvulus est in periculo mortis, & non est qui baptizet eum, aut ex ignorantia, aut ex industria. In primo casu, simpliciter non amittit jus petendi, nec solvendi. In secundo casu, similiter, si fuit diligentia, non amittit: in tertio casu amittit jus petendi, qui hoc facit: tamen quia non debet peccatum suum alteri imputari, tenetur reddere.* Ubi pro necessitate non postulat absentiam solius Sacerdotis, sed simpliciter absentiam ejus, qui baptizat. *Consonat. Doct. Seraph.*

421. *Limitatio Sanchez.*

Putat tamen Sanchez sup. si infans foret in præsentissimo mortis periculo, parens verò miseratione commotus, ne absque Baptismo decedat, penè indeliberatò accurreret; quàmvis adessent alii, qui id munus præstare possent, non privari eum jure petendi debitum. Quia, inquit, tantùm abest, quòd delinquat, qui in potiùs mereatur. In tanta enim necessitate non vacat ad deliberandum, & ratione urgentissimi periculi præstat, in eam partem propendere, quæ animæ infantis favorabilior est. Sic ille: Quod probabile est, inquit Pontius lib. 10. c. 6. n. 5. in fine. *Pontius censet eam probabilem.*

422. *Quod de Baptizante, idem dicendum videtur de suscipiente. ex Sanchez.*

Interrogas Sanchium: an quod de baptizante dictum est, similiter intelligendum sit de suscipiente? Respondet n. 3. Communis DD. sententia, à qua recedendum non puto, æquiparat utrumque casum; atque ita intelligit d. c. *Ad limina*; Quia licet ad valorem Baptismi non sit necessarius patrinus; est tamen in præcepto; & ubi nullus adest, qui id præstet, rectè facit parens id præstando. Et quàmvis in Baptismo privato id necessarium non sit; at, ut servetur Sacramenti significatio, præstantiùs est patrinum adhiberi. Quare textus loquens de baptizante, intelligendus est de concurrenti ad Baptismum, ut ille rectè administretur.

Probatio.

Atque etiam idem probatur; nam privari jure acquisito petendi debitum ab uxore, est pœna delicti admissi per conjugem, qui contra juris prohibitionem filium communem, aut alterius conjugis, baptizavit, ejusque patrinus fuit: at in necessitate vacat culpâ, parentem esse patrinum, ut testatur D. Tho. 3. p. q. 67. art. 8. ad 2. Abbas, cap. *Si vir*, n. 2. de Cognat. Spirit. & Alii. Ita Sanchez.

423. *An idem doceant D. Tho.*

Doct. Angel. loco citato in fine sic ait: *Et ideò alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas contrarium exigat.* Sed forte nihil

nihil aliud voluit, quàm in neceſſitate poſſe miniſtrari Baptiſmum, ſinè alio patre ſpirituali à patre carnali, quod Omnes admittunt.

Et Abbas. Porrò Abbas loco cit. Nota, inquit, primò; quòd parentes carnales non debent filios proprios de ſacro Fonte, vel Confirmatione levare; alius enim debet eſſe pater carnalis,& alius ſpiritualis; inſtante tamen neceſſitate, licitè parentes baptizant filios,ut in cap. *Ad limina*. Nunquid etiam licitè ſuſcipiunt? Hoc Abbas ibi non dicit.

424. *Oppoſitum tenet Pontius.* Quidquid ſit de his Auctoribus, Pontius ſup. n. 6. recedit ab hac ſententia Sanchez. Quia(inquit) nulla talis patrini neceſſitas in Baptiſmo eſt. Cui rationi non ſatisfacit Sanchius. Idem nobiſcum ſentit Henriquez lib. 11. de Matr.c. 15. n. 11. Pet. Ledeſ. de Matr. q.56.a.1.dub. 1. in princip. Et, me præſente, idem olim conſultus reſpondit Compluti Gabr. Vaſquez. Cùm enim jura ſolùm agant de baptizante in neceſſitate,& aliàs non ſit æquè neceſſitas actu baptizandi, & levandi vice patrini, non eſt, cur ad patrinum eam deciſionem extendamus. Atque id verum exiſtimo, non ſi quovis modo teneat ad Baptiſmum; ſed ſi teneat animo patrini, in quo probo,quod docet Sãchez ibidé n.4. Ita Baſil.

Henriq. Pet. Led. Vaſquez.

425. *Quid ſi ſolùm materialiter teneat baptizandum?* Sanchez. Subdo verba Sanchez: Illud veriſſimum puto; nempè patrem,qui non ut ſuſceptor & intendens exercere ceremoniam Eccleſiæ, ſed materialiter teneret, ut poſſet eſſe infans, qui domi baptizatur, in matris ulnis, vel in lecto,aut humi, nullatenùs arceri à petitione debiti. Quia non eſt verus ſuſceptor,nec contrahit cognationem ſpiritualem, nec culpæ eſt reus. Sic ille.

Et quia nos Diſp.2. hujus Operis Sect.6. Concluſ. 2. diximus: in privato Baptiſmo non poſſe adhiberi patrinum,conſequenter dicimus,patrem in neceſſitate baptizantem,eſtò propriis manibus retinendo ſuſcepiſſet,ut loquitur d.cap. *Ad limina*; nequaquam fore patrinum,quidquid ipſe intenderit,vel non;& ideò non contrahere cognatione ſpirituale; quia ſolùm fuit materialis tẽtio; ſiquidem in ſolo Baptiſmo ſolemni formaliter infans tenetur.

426. *Dicaſtillo opponitur Pontio.* Hinc Dicaſtillo diſp. 9. n. 87. ſubſcribens ſententiæ Sanchii,contrà Henriquez & Baſilium, eò quòd in neceſſitate fiat abſque culpa; etiamſi tentio illa non ſit neceſſaria neceſſitate ſalutis, addit ſtatim: Idque maximè locum habet juxtà doctrinam, quam tradidimus diſp. 7. dub. 30. ubi inter alia docuimus, in Baptiſmo privato probabilius eſſe,non contrahi cognationem ſpiritualem à tenente: extrà Baptiſmũ verò privatũ vix occurrit neceſſitas tenendi; nam quando Baptiſmus ſolemniter fit,non baptizatur quis properè, & ſinè magno temporis ſpatio,quo poſſit adhiberi patrinus alius diſtinctus à parente. Sic ille.

Impugnatur Dicaſt. Sed enim,dicet aliquis; etiam docuiſti tract.2. diſp.2.n.58.quòd Can. *Pervenit*,& Can. *Ad limina* prohibeantur(parentes) eſſe patrini, etiam in defectum alterius,qui poſſit eſſe; munus enim patrini non eſt tantæ neceſſitatis. Quomodo ergo hìc doces: quando tentio fit in neceſſitate,fit abſque culpa? Nonne neceſſitas eſt, quando deficit alius, qui poſſit eſſe patrinus? Et tamen, ſecundùm te, tunc prohibentur per d. Can. parentes eſſe patrini. Tu cogita.

Progedior ego ad principalem difficultatem; putà,an conjux extrà neceſſitatem ſcienter baptizans,aut tenens tanquam patrinus in Baptiſmo vel Confirmatione communẽ filium,aut alterius conjugis,privetur ratione illius cognationis, nimirum compaternitatis ortæ inter illũ & alterũ conjugé,privetur,inquam, jure exigendi debitũ.

427. *Probatur Concluſ. Primò.* Concluſio noſtra negat,eum privari. Ducitur: quia cùm hæc ſit pœna, ut conjux privetur jure acquiſito petendi debitum,oportet ut in jure expreſſa inveniatur: at nullum jus eã exprimit. Nã cap. *Si vir*,de Cognat. ſpirit. cui oppoſita ſententia innititur, potiùs favet nobis, ibi: *Ideoq; nobis videtur,quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia* (id eſt ſcientia) *id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi: nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci.*

Ubi textus ille omninò æquiparat ſcienter & ignoranter ſuſcipientem, & neutrum dicit poſſe debitum ſubtrahere; ergò loquitur de petitione & redditione, cum utraque permittantur ignoranter baptizanti, ut ſup. vidimus.

428. *Secundò.* Prætereà: ſi alter alteri debitum non debet ſubtrahere; ergò uterque habet jus petendi; ſiquidem ex hoc jure naſcitur debitum,& abſque eo non ſubtrahitur debitum. Quod probè ſciens Gloſſ. verb. *Debitum debet ſubtrahere*,interrogat: *Sed nunquid poteſt exigere? Poteſt dici,quòd ille,qui hoc fecit ignoranter, poteſt reddere, & exigere; quia non peccavit: qui vero ſcienter, ſatis videretur,quòd non deberet exigere, ſed reddere tenetur; tamen non invenimus prohibitum in hoc caſu, quòd non exigat, ergo nec nos prohibeamus.*

Sanè ſi Pontifex ſolùm intelligeret,ut conjux nocens non deneget innocenti debitum, petere tamen nequeat, id expreſsè dixiſſet; utì fecit cap. fin. de Eo qui cog. conſang. agens de conjuge inceſtuoſo cum conſanguineo alterius conjugis, ut ſup. vidimus.

429. *Objectio ſolvitur.* Si dixeris; eſt eadem ratio hìc, & ibi. Reſpondeo: argumentum à paritate non ſemper valet,maximè in pœnalibus,quę reſtringenda ſunt intrà proprietatem verborum, minimè extendenda ultrà eam; jam autem cognatio ſpiritualis nullatenùs comprehenditur aut intelligitur nomine affinitatis. Deinde; non eſt hìc eadem ratio,propter exceſſũ malitię,quę reperitur in adulterio inceſtuoſo,meritò punibilis majori pœnâ.

Oppoſitum Concluſ. docet Sanchez. Probatio. Atque hanc ſententiam vocat Sanchez ſup.n. 6. ſatis probabilem: quàmvis ipſe n. 7. adhæreat oppoſitæ tamquam probabiliori. Ducitur ex ratione textus: *Si vir*; nam verbis ſup. relatis pro nobis actutùm ſubjungitur: *Quia ſi ex ignorantia id factum eſt,eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia,eis ſua fraus patrocinari non debet.*

Abbas. Ex qua ratione Abbas ſup. n. 5. ſic arguit: Suſtinetur hoc conjugium, ne fraus doloſo patrocinetur: ſed quoad privandum iſtum jure ſuo, fraus iſti non patrocinatur,ſed potiùs obeſt. Unde litera in hac ratione habuit ſolum reſpectum, ut conjugium non ſeparetur ex toto. Fateor,quòd litera præcedens innuit contrarium,dũ dicit: *Nec alter alteri debet debitum ſubtrahere*: ſed

intelligo,quod sciens non debet ignoranti debitum subtrahere : vel intelligitur indistinctè respectu ignorantium.

430. *Occurritur objectioni.* Nec obstat ,si dicatur ; Christum excepisse solam causam fornicationis, ut in cap. 2. sup. de Conjug. leprof. quia ut dicit Glossa, notanter in cap. *Nosse*,30. q.1. illud est verum quoad repellendum uxorem à domo propria, & à cura sua ; sed quoad debitum subtrahendum, multi casus inveniuntur, citrà fornicationem. Ita Abbas, ut patet, nobis oppositus.

Hæc sententia caret solido fundamento. Verùm absque solido fundamento, sive ex jure, sive ex ratione. Fateor, plures textus pro eo adferuntur, ut cap. 1. & 2. 30. q. 1. sed jam correcta sunt, inquit Sanchez sup. Similiter cap. *Nosse*, 3. eâd. *Nosse desideras, utrùm mulier, quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro Fonte levaverit, postmodum posit cum eodem viro copulari.* Et infrà. *Ergò si non ex consensu utriusque conjugis hoc factum esse probatur,non fraudentur invicem, sed revertantur in idipsum.*

Ubi Gloss. verb. *Non fraudentur*, inquit : *Ille tamen, qui levat filium suum de sacro Fonte, perdit jus exigendi,sicut ille,qui fornicatur cum altera. Sed nunquid si talis petit debitum,debet uxor ei reddere? Dicit Hug. quod sic, licèt ille peccet petendo, & est arg. pro ipso* 33. *q.* 5. Manifestum, *extra de jurejurando*,Debitores. *Idem dicit de illis,qui voverint ad tempus ; sed si perpetuò vovissent, secùs esset,ut* 33. *q.* 5. Quod Deo. *Tu dicas, quòd statim ipso facto perditum est jus exigendi, licèt per sententiam Ecclesiæ non sit ablatum jus; & cùm non habeat alter jus petendi,nec reliquus dare tenetur vel solvere; quia ubi nulla est petitio, ibi nulla est mora, ut ff. de Verb. oblig.* Si pupillus

431. *An cap* 3. 30. *q.* 1. *ei faveat.* Cæterùm ex dicto cap. *Nosse*,Adversarii existimant , à contrario sensu colligi, contrarium esse dicendum,ubi ex consensu utriusque id factum est ; scilicet,fraudentur invicem, nec revertantur in idipsum : & proinde idem dicendum erit, quando alter sciens & prudens id fecit ; nempè, ut privari debeat jure exigendi.

Negat Sanchez. Sed (inquit Sanchez sup.) nil facit hic textus, qui est Nicol. I. qui floruit anno 858. teste Genebrardo : & ita correctus est per d. c. *Si vir*, quod est ex Alex. III. qui vixit anno 1156. teste Genebrardo.

432. *Virum benè probetur ex c.* 7. 30. *q.* 1. *Negat Sanchez.* Adducitur etiam cap. *Ad limina*, 30. q. 1. ubi deciditur, conjuges separandos non esse propter Baptismum filio à parente collatum, urgente necessitate ; atque ita diversum videtur asserendum, ubi abfuit necessitas ; aliàs textus nihil indulgeret. Sed nil etiam facit : quia loquitur Ioan. VIII. Auctor illius Decreti, tempore, quo vigebat illud Decretum c. 1. 30. q. 1. ut conjuges sive scienter, sive ignoranter proprios filios baptizantes separarentur ; nondum enim erat Decretum cap. *Si vir*, de Cognat. spirit. illud corrigens. Nam. Ioan. VIII. floruit anno 874. teste Genebrardo ; atque ita indulsit,ne separarentur,Baptismo in necessitate collato. Quare fateor ; in rigore hanc sententiam nullo textu probari. Ita Sanchez.

Quid ipsum Rogat quispiam : quid ergo urget ipsum, ut hanc sententiam amplectatur ? Respondetur: *moveat, ad illam sententiam sustinendam.* ferè universos DD. Iurisperitos ,deserta Glossâ, cujus sententiam magnificare solent, atque universos ferè Theologos antiquos & neotericos illam sequi ; atque ita intelligere textum illum d. cap. *Si vir*, à qua tam frequenter admissâ sententiâ non est facilè recedendum, novam amplectendo, ut benè dixit Suarez 3.part. q. 67. art. 8. §. *Quocirca liberè fateor*,ubi in fine sic concludit : Itaque in hac re solùm est certum, peccare graviter parentem, qui filium suum de propria conjuge natum in Baptismo suscipit sinè necessitate : hoc enim apertè prohibetur & asseritur in dictis juribus : quòd verò posteà teneatur hac de causa non petere debitum, non video, quo sufficienti fundamento asseratur ; quàmvis in re morali communem sententiam deserere difficile sit. Sic ille. Suarez.

433. *Recipitur ejus motivum ex Coninck.* Dico ego : difficiliùs esse, ut aliquis adhæreat communi sententiæ, quæ caret sufficienti fundamento. Audite Coninck de Sacram. disp. 34. n. 66. Sæpè, inquit, mecum miratus sum, quomodo viri doctissimi tam gravem & exorbitantem pœnam,& quæ vix ulli potest injungi sinè gravi salutis periculo, potuerint ex illis juribus inferre per consequentias adeò incertas ; cùm eiusmodi pœnæ statuendæ non sint, nisi aut expressè habeantur in textu, aut per consequentiam omninò necessariam inde deducantur ; cùm omnis lex, etiam apertè statuens aliquam pœnam, sit restringenda ; quantùm veritas verborum patitur ; ut patet ex Reg : *Odia restringi*, 15. de Reg. juris in 6. & ex Reg. 49. eod. ubi dicitur : *In pœnis benignior est interpretatio facienda* , & communiter Omnes fatentur. Quod in hac materia eò magis, mirandum est, quòd sint aperta jura, quæ contrarium statuunt,

434. *Nostra Conclus. stabilitur.* Ut autem hæc clariùs possint discuti. Nota ; faciliùs longè posse statui, ut aliqui in pœnam aut priventur spe conjugii, aut jam facti conjuges toro separati continentem vitam agant, quàm ut unus cogatur continuò eodem cum conjuge toro uti , & tamen non possit petere debitum ; quia in homine benè constituto, nec ullo modo frigido, hoc ferè idem est, atque si jubeas, eum in mediis flammis versari, & non ardere. Quod vel inde patet ; quòd multos reperies, qui separati à mulieribus castè vivent: qui autem possint continuò cum mulieribus dormire, & eam non concupiscere, millibus è multis an unum reperies, nescio. Hinc imprudenter conjuges vovent castitatem, nisi possint toro separari. Hactenùs Regius.

Resp. Coninck ad jura sup. allata. Respondet autem ad jura superiùs allata,Primò ; malè ex iis à contrario sensu inferri pœnam,& quidem adeò gravem ac odiosam,quamque jura ob periculum incontinentiæ & salutis non facilè statuunt. Præsertim, cùm argumentum à contrario sensu in jure sæpissimè fallat. Sæpè enim Pontifices sua responsa restringunt, aut certam aliquam eorum rationem adferunt, non ut insinuent, deficiente eâ restrictione aut ratione, contrarium esse dicendum ;

sed

sed ut præcisè ad interrogata, eaque quæ planè certa sunt, respondeant, Sic Coninck.

435. *Conc. ex probat nostram Conclus. ex cap. 5. 30. q. 1.* Qui n. 69. probabiliorem dicit esse nostram Conclusionem. Et putat, eam aperte statui cap. *De eo*, 30. q. 1. ibi: *Si autem conjuges legitimi, unus, aut ambo, ex industria fecerint, ut filium sum de fonte susciperent: si innupti* (continentiam scilicet servando) *permanere voluerint, bonum est; sin autem* (scilicet ita permanere noluerint) *gravis pœnitentia insidiatori injungatur; & simul maneant.*

Ubi expressè definitur, eos, si voluerint, posse simul in conjugio permanere, etsi ambo sponte & de industria talem cognationem contraxerint; quod falsum esset, si in pœnam peccati essent privati potestate petendi debitum. Ut quid enim tunc manerent simul, nisi ut se mutuò excitarent ad peccatum? Cùm enim neuter posset petere debitum, neuter etiam posset reddere, ut etiam omnes contrariæ sententiæ Auctores supponunt. Ita Coninck.

436. *Arg. pro Sanchio.* Ego autem dico; Sanchium contrariæ sententiæ Auctorem id non supponere; nam ut sup. in fine præced. Conclus. vidimus, expressè docet oppositum; scilicet quòd neuter possit petere; at alteri petenti teneatur reddere, ex d. cap. *Si vir*, ubi pro ratione allegat Pontifex: Quia malitia & fraus non debent eis patrocinari; patrocinaretur autem, si non tenerentur reddere.

Retorquetur. Respondeo: etiam patrocinaretur eis, si non possent petere; cùm jam sinè peccato non possent obligari ad reddendum; & ideò, si ex ea ratione juris colligitur obligatio reddendi, etiam probatur licita petitio.

437. *Replica solvitur.* Si dixeris: petitio invenitur expressè prohibita in casu affinitatis. Respondeo: quando una solùm pars impeditur; secùs quando utraque, supposito, quòd utraque teneatur reddere.

Sententia Auctoris. Mea itaque sententia est; vel utramque partem posse petere debitum, si utraque teneatur reddere; vel neutram teneri reddere, si neutra possit petere; atque adeò tales conjuges fore separandos. Cùm autem non debeant separari; nuspiam enim id jure constitutum est, neque in cognatione spirituali, neque in affinitate; sequitur, utramque partem posse petere debitum, quando utraque peccavit, baptizando vel suscipiendo; secùs fornicando cum consanguinea suæ uxoris: nam huic per expressum jus prohibetur petitio, ut vidimus Conclus. præced. secùs isti.

438. *Occurritur objectioni, ex Suario.* Si dixeris: impedimentum dirimens vinculum inter non conjugatos impedit actum petendi inter conjugatos. Respondet Suarez sup. id verum esse, quando in ipso jure non est restrictum impedimentum ad non conjugatos; at verò in præsenti ipsum jus hanc limitationem adhibuit. Et ratio insinuatur in cap. *Ad limina*; quia hæc non est sufficiens causa separandi eos, quos Deus conjunxit. In cap. verò: *Si vir*, insinuatur alia; scilicet, ne detur occasio conjugibus, ut per fraudem & dolum thoro separentur; & inducant impedimentum usui Matrimonii contrarium. Hæc ille.

An ad fraudem hic requiratur animus fraudandi? Per fraudem, inquam; ad quam, si rogas, an requiratur animus fraudandi. Respondet Pontius lib. 10. c. 6. n. 7. Si contracto Matrimonio, alter conjux aut communem, aut alterius tantùm filium teneat, scienter tamen, non verò in fraudem aut fraudandi animo, contrahitur hoc impedimentum; & si unus tantùm fecerit sine scientia alterius, is privatur debiti petitione. Quòd si ex scientia utriusque, neuter potest petere, neque reddere. Sic ille.

439. *Quia sentiat Pontius.* Ubi distinguit scientiam à fraude; quàmvis postea videatur ea confundere, ibi: Ego existimo, communem hanc DD. sententiam in jure validum habere fundamentum, eò quòd tam antiqua jura, quàm recentiora Decretalium definiant, hoc impedimentum non nasci, vel cum in fraudem, vel ob necessitatem levatur, aut baptizatur. Ergò cùm exceptio firmet regulam in contrarium, planè colligitur, si vel malitia, vel necessitas abit, incurri hoc impedimentum.

Plane Ponti. Sed interrogo te, quando scienter aliquis baptizat aut levat extra necessitatem, nunquid abest malitia, si id non faciat animo fraudandi? Quis audeat affirmare? Et d. cap. *Si vir*, nonne in principio ait: *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter*? Et in fine dicit: *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eos sua fraus &c.* Quis non videt, per malitiam hic intelligi scientiam?

440. *Iudicium Auctoris.* Igitur facere per fraudem & dolum, idem apud me est, quòd facere scienter: Quis credat jus voluisse minùs punire eum, qui magis peccavit? Proinde non attendit d. cap. actualem animum celebrandi divortium; sed actum ipsum, qui potest fieri, & natus est sæpiùs fieri ad celebrandum divortium; & ideò noluit, quòd ex eo incurreretur impedimentum petendi aut reddendi debitum.

Atque adeò, ut loquitur Summarium d. cap. *Compaternitas scienter vel ignoranter superveniens inter conjuges conjugium non dissolvit.* Addo: neque impedit petitionem debiti. Sed neque superveniens affinitas; superveniens, inquam, violenter, vel ignoranter, ut patebit ex sequenti Conclusione, quæ sic sonat:

CONCLUSIO XIV.

Affinitas violenter, vel ignoranter superveniens inter conjuges non impedit petitionem debiti.

COnstat ex juribus citatis Conclus. 12. in principio, in quibus requiritur scientia, cap. 1. de Eo qui cognovit &c. *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit*; & conceditur petitio debiti uxori, quæ violenter cognita fuerat à consanguineo viri sui, cap. *Discretionem*, eod. ibi: *Cùm jure suo non debeat sine sua culpa privari.* 441. *Probatur Conclus. ex cap. 1. de Eo &c. & cap. 6. eod.*

Ex qua utique ratione colligit Sanchez lib. 9. disp. 31. n. 5. Metum quantumcumque gra- *Sanchez putat me-*

vem

tùm gravem non excusare.

vem non excusare ab hac pœna, utpote, qui non excusat à culpa, quàmvis eam minuat; arg. cap. 3. 22. q. 5. *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate perjurat, quia plus corpus, quam animam dilexit, tres Quadragesimas pœniteat.*

442. *Probatur ex cap. 5. de his quæ vi &c.*

Ubi Gloss. verb. *Redimenda*, inquit: *Licèt enim timore mortis juraverit, tamen peccavit, ut* 32. q. 5. Itane. *Sed ratione coactionis mitigatur pœnitentia, ut extrà de his quæ vi*, Sacris. Ubi Innoc. III. distinguit, utrùm is, qui communicat excommunicatis invitus, sit per coactionem adstrictus, aut per metum inductus.

In primo, inquit, *casu talem non credimus excommunicatione teneri, cùm magis pati, quàm agere convincatur. In secundo, licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Ergò & nos credamus, incestuosum per gravem metum inductum privatione debiti inquinari, quæ est minor pœna facilè tali casu dispensabilis.

443. *Opposita sententia est pia. Navar.*

Interim opposita sententia pietate plena est (inquit Sanchez sup.) & videtur deduci ex doctrina Navarr. cap. *Ita quorumdam*, de Iudæis, Notab. 11. in principio n. 18. ubi docet, Christianos in Turcarum triremibus remigantes, bello indicto adversùs Christianos, metu mortis ac tormentorum coactos peccare mortaliter, at non incurrere excommunicationem eo cap. latam contrà opem infidelibus in simili bello ferentes. Quia (inquit) non est credendum, velle Ecclesiam suis pœnis mulctare eos, qui tali metu compulsi suis præceptis non obtemperant. Similiter ergò, cùm pœna privationis debiti exigendi sit ab Ecclesia statuta, ob crimen inquæ affinitatis contractæ, non ligabit uxorem, quæ tanto coacta metu illam contraxit.

444. *Eam probabilem esse, asserit Dicast. & colligit Pontius ex c. 6. de Eo &c.*

Idque probabile esse, asserit Dicast. disp. 9. n. 96. Et Pontius lib. 10. c. 7. n. 6. sic ait: Dico tertiò: Per copulam metu extortam non contrahitur hoc impedimentum; neque privatur ea, quæ invita cognita est, jure petendi debitum. Quam enuntiationem colligo ex textu in cap. *Discretionem*, de Eo qui cognovit. Eum autem textum Nonnulli accipiunt non tantùm de vi absoluta; & colligi videtur ex illis verbis: *Vnde cum adultero cohabitasse, donec elabi potuit*, quod non est argumentum præcisæ vis. Quod etiam sensit Navar. in Sum. cap. 27. n. 63.

At ego cum Sanchio lib. 9. disp. 31. n. 4. tantùm accipio de vi absoluta, ex illis verbis: *Inquantùm potuit renitentem.* Quare si non fuit vis absoluta, sed conditionata, & cum peccato, contrahit hoc impedimentum, neque potest petere. Sic ille.

445. *Expenditur doctrina Pontij.*

Quomodo ergò verum est, quod in principio dixit: *Per copulam metu extortam non contrahitur hoc impedimentum?* Tu cogita. Sed neque verba illa: *Vnde cum adultero* &c. in d. textu, saltem quo ego utor, reperio. Quamquam cohabitasse, ex his, quæ subjicio, palam fiat.

Sic incipit d. textus: *Discretionem tuam*: Et infrà: *Sane ex parte tua fuit propositum, quod quidam cum muliere quadam legitimè per verba de præsenti contraxit, quam postmodum a se incognitam cuidam consanguineo tradidit in quantùm potuit renitentem. ille vero cum ipsa, licèt invitâ, Matrimonii solemnia celebravit; sed mulier quam citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulavit.*

446. *Quære gravis metus hìc non excusset.*

Quòd autem toto tempore, quo fuit coacta ei cohabitare, semper fuerit violenter oppressa, & vi præcisâ ab eo cognita, unde constat? Cumque metus gravis minuat saltem culpam, ut sup. vidimus, atque adeò excuset à graviori pœna, sive à pœna præcisè proportionata gravitati culpæ, cur non dicimus, metum gravem excusare hic à privatione juris petendi debitum, quæ est pœna gravis, sicut excusat à gravitate culpæ?

Respondetur: quia absolutè talis copula manet incestus mortalis, qui dignus est tali pœnâ; & nullum jus addit aliquod verbum postulans liberiorem modum operandi, atque adeò majorem malitiam.

Respondetur ad exemplum remigum.

Quod attinet ad remiges Christianos; communiter hi non peccant mortaliter, ut notat Sanchez sup. n. 6. saltem contra præceptum Ecclesiasticum; & sic non est mirum, quòd excusentur ab excommunicatione, quæ lata est propter transgressionem hujus præcepti ut sic. Porrò in casu nostro privatio juris imponitur propter peccatum contra jus naturale, quale est incestus per metum gravem extortus.

447. *Objicitur.*

Contrà, dicet quispiam: etiam hæc privatio juris imponitur propter transgressionem legis Ecclesiasticæ, ut patebit ex infrà dicendis: ergò gravis metus, qui regulariter excusat à lege humana, etiam excusabit ab hac pœna. Ergò hæc responsio non videtur evacuare difficultatem. Res meretur considerari.

Quid sentiat de hac re Dicast.

Interim loquatur Dicastillo sup. n. 99. Illud (inquit) non videtur posse negari, alterum conjugem, si sciat illum peccasse, etiam ex metu gravi, non teneri reddere illi petenti (etiamsi concedamus, illum non peccare petendo, nec privari facultate petendi) quia in jure non solùm ea lex est in odium peccantis, sed etiam in favorem innocentis, qui in compensationem & solamen injuriæ acceptæ liberatur ab obligatione reddendi. Unde fit, quòd petitio ex parte adulteri non sit propriè debiti petitio, sed ejus, quod potest alter liberè negare: & in hoc sensu potest absolutè dici, eum non posse petere debitum; quia licèt non illicitè petatur, non est debitum ipsi, quod petit. Sic ille.

448. *Quomodo leviùs puniatur qui peccavit ex metu.*

Et ita, dicet aliquis, patet; quomodo leviùs puniatur, qui ex metu gravi peccavit, quàm qui omninò voluntariè & liberè. Nam hìc peccavit petendo; secùs ille; quàmvis neuter habeat strictum jus ad copulam; ita ut innocens absque ulla injustitia possit eam negare. Sicut adulter non incestuosus potest quidem petere copulam ab innocente; hic autem potest eam negare sinè aliquo nocentis præjudicio.

Cæterùm nuspiam in jure exprimitur hæc mitigatio pœnæ; & ideò, quàmvis piè præsumeretur, haud equidem solidè asseritur, sive

metus

metus incuſſus fuerit ab ipſo conjuge, vel ex ejus conſenſu, ſive ab aliquo tertio, ipſo inſcio. Neque enim jus, quo ab hac pœna eximat uxorem, viri culpam conſiderat; nec in ejus odium conceſſit, non obſtante affinitate, poſſe in hoc eventu petere; ſed univerſaliter debiti petitionē negavit conjugi, cujus culpâ affinitas orta eſt.

Quæ hìc ſit ſcientia juris, facti, & pœnæ.

Culpâ, inquam, ex certa ſcientia juris, facti, & pœnæ, ut Multi docent. Scientiam juris voco, quâ aliquis probè novit præceptum Eccleſiaſticum, prohibens acceſſum ad conſanguineas ſuæ uxoris. Scientia facti eſt, quâ conſpicit hanc, ad quam accedit, eſſe conſanguineam ſuæ uxoris. Deniquè ſcientia pœnæ, quâ ſcitè intelligit, huic delicto indictam eſſe pœnam privationis petitionis debiti. Sanè nemo dubitat, eum, qui cum hac triplici ſcientia accedit ad conſanguineam ſuæ uxoris, reum eſſe ſupradictæ pœnæ, ſcilicet privationis juris exigendi debitum.

449. *An hæc triplex ſcientia requiratur?*

Sed nunquid hæc triplex ſcientia requiritur, ita ut ſi vel una deſit, ceſſet pœna? Sic Aliqui opinantur. Equidem ignorantiam invincibilem juris & facti excuſare, eſt communis ſententia. Ratio plana eſt: quia excuſat à culpa inceſtûs, quæ hâc pœnâ punitur: ceſſante autem causâ, ceſſat effectus, c. *Cùm ceſſante*, de Appell.

Et Greg. in Regiſt. ait: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* cap. 2. de Conſtit. Ubi Gloſſ. verb. *Culpâ caret*, inquit: *Quia quod legitimè factum eſt, pœnam non meretur, Cod. de Adult.* Gracchus, *& peccata ſuos debent tenere Auctores, Cod. de Pœn. l.* Sancimus.... *Et ita eſt hìc argumentum expreſſum, quòd nemo privatur jure ſuo ſine culpa.*

Arg. contrà, 22. diſt. Renovantes, *& 34. diſt.* Si cujus uxorem. *Sol. Prima rubrica generaliter vera eſt, contraria caſualia ſunt. Vel dicas, quòd licèt quandoque quis privetur jure ſuo ſine culpa, non tamen ſit illud ſine cauſa, inf. Vt lite non conteſt.* Quoniam frequenter §. Si verò, *& cauſam facilè eſt videre in contrariis ſignatis. In ſex caſibus privatur aliquis jure ſuo ſine culpa ſua. Vndè verſus:*

Paupertas, odium, vitium, favor, & ſcelus, Ordo,
Perſonas ſpoliant, & loca jure ſuo.

450. *Excuſat hìc ignorantia juris & facti.*

Jam autem conſtat, quod in caſu noſtro nolit Eccleſia quempiam privare jure ſuo ſine culpa, cap. *Diſcretionem*, de Eo qui cognovit, & alibi. Igitur quod hìc excuſat à culpâ, etiam à pœna pro ea impoſitâ. Sed ut dictum eſt, ignorantia invincibilis juris aut facti excuſat à formali peccato, ſi non adulterii, ſaltem inceſtûs; ergò &c.

Objectio diluitur.

Nec obſtat Reg. 13. de Reg. juris in 6. *Ignorantia facti, non juris excuſat.* Nam, ut alia omittam, quæ alibi dixi, intellige eam (prout notat Caniſius hìc) quoad acquirendum, non quoad damnum amittendæ rei ſuæ, in quo ignorantia juris excuſat, id eſt, non nocet. Ita enim attemperat Papinianus I. C. l. 7. ff. de Juris & facti ignorantia: *Iuris ignorantia*, inquit, *non prodeſt adquirere volentibus; ſuum verò petentibus non nocet.* Et l. 8. eod. *Error facti ne maribus quidem in damnis vel compendiis obeſt. Iuris autem error, nèc fœminis in compendiis prodeſt. Cæterùm omnibus juris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet.* Porrò in præſenti caſu agitur de damno amittendæ rei ſuæ; ſcilicet, jure petendi debitum ab uxore, cujus conſanguineam ex errore juris aut facti cognovit, quam aliàs non cognoviſſet.

451. *Quomodò intelligenda Reg. Juris 13. in 6.*

Utut ſit de hoc intellectu, qui fortè huic caſui non benè applicatur, communis expoſitio eſt, forum externum præſumere ignorantiam juris eſſe vincibilem, facti autem invincibilem; quamquam & hæc poſſit eſſe vincibilis, & illa invincibilis. Agimus hìc in foro conſcientiæ, in quo attenditur peccatum coram Deo admiſſum; peccatum, inquam, inceſtûs, quod reverà formaliter nullum eſt cum ignorantia invincibili juris aut facti, id eſt, ſi ille, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel neſcivit eam eſſe talem, aut certè ignoravit ſpecialem obligationem non cognoſcendi eam, ob reverentiam debitam ex lege Eccleſiæ.

An excuſet ignorantia vincibilis.

Atque ut quis haberet ignorantiam vincibilem ſeu culpabilem; atque adeò peccaret peccato formali inceſtûs; quia facilè poterat ſcire, tum eam eſſe conſanguineam, tum etiam ſpecialem prohibitionem Eccleſiæ, & ſponte neglexit veritatem inquirere; equidem non incurreret dictam pœnam; quoniam lex videtur requirere majorem aliquam ſcientiam ſeu cognitionem dicens: *Si quis cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit*; aliàs fruſtrà adderetur ly *ſcienter.*

452. *Affirmat Sanchez, modò non ſit ingens temeritas.*

Ita docet Sanchez lib. 9. diſp. 32. dicens: Ignorantia facti qualiſcumque ſit, & quantumcumque craſſa, modò non ſit adeò craſſa, ut ſit ingens temeritas ignorare, vel ſit affectata, excuſat conjugem, qui affinitatem aut cognationem ſpiritualem cum ſuo conjuge contraxit, ne debiti petitione privetur. Sic ille n. 47. Et n. 49. ait: Exiſtimo, eamdem ignorantiam juris hunc excuſare, quam, cùm eſt facti, diximus n. 47. ſufficere ad excuſandum.

Dixit autem conſultò: *Modo non ſit adeò craſſa*; quia talis ignorantia æquiparatur dolo, qui ſufficit ad incurrendam dictam pœnam, & aliàs omnes latas contra ſcienter facientes, ut eſt communis ſententia.

Quæ potiùs auget malitiam, quàm minuat.

Enimverò hæc ignorantia potiùs auget malitiam, quàm minuat; neque involuntarium actum efficit, ſed magis voluntarium; quia ſic ignorans eligit neſcire, quo liberiùs delinquat; & non ſolùm non negligit media neceſſaria ad ſcientiam, ſed omni modo poſſibili procurat ignorantiam. Quis ſanæ mentis dixerit, ignorantiam ſic procuratam delinquentem excuſare à pœna lege conſtituta? Imò verò majori pœnâ dignus eſt, qui ſic affectat legem ignorare.

453. *Objectio.*

Dices: quidquid ſit de majori malitia talis actûs; equidem non habet operans expreſſam & formalem cognitionem inceſtûs, ac proindè non eſt expreſsè & formaliter volitus; immò ſi ſciret, fortè nollet, & ideò vult ignorare.

Solutio.

Reſpondetur: fortè, tametſi ſciret, equidem vellet; & hic affectus veriſimiliter eſt in eo, qui quærit poſitivè ignorare; ergò potiùs ſecundùm hunc, quàm oppoſitum de eo judicandum

dum est. Et unde probatur, quòd per ly *Scienter*, quando ponitur in aliqua lege, intelligatur cognitio omninò expressa & formalis ? deinde, cur non possit directè & formaliter velle incestum, tametsi eum directè & formaliter non cognoscat ? Putas, si quis diceret : *Ego volo cum tali persona fornicari, quacumque tandem sit, sive aliena, sive consanguinea* : censeri, inquam, eum sic fornicantem non velle formaliter adulterium, incestum &c. atque adeò non incurrere pœnas adulterio, aut incestui constitutas ? Falleris toto cælo.

454. *Instantia.* Si dixeris : etiam cum ignorantia crassa tantùm stat talis affectus ; & tamen hæc excusat, secundùm Sanchez & Alios.

Diluitur. Transeat : equidem non necessariò ei conjungitur, sed planè per accidens ; & tunc puto, quod non excusaret à pœna, secundùm illos Auctores ; at verò ignorantia adeò crassa, ut sit ingens temeritas, vel affectata, per se talem affectum includit ; & ideò non censetur excusare.

Aliqui docent, ignorantiam crassam non excusare. Quinimò nullam ignorantiam crassam excusare, non pauci docent. Sanè Glosl. Clem. un. de Consanguinit. ubi excommunicantur, qui *scienter in gradibus consanguinitatis & affinitatis contrahere matrimonialiter non verentur*, verb. *Scienter*, ait : *Ignorantes ergò non ligat constitutio, quod intelligo in ignorantia facti probabili.* Ignorantia autem crassa non est probabilis.

Respondetur : Glossam hìc per ignorantiam probabilem intelligere omnem illam, quæ non est affectata. Nā statim adjungit. *Et non affectata.*

455. *Probatur ex Glossa d. cap.* Si vir. Dices : cap. *Si vir*, jam sæpiùs citato, dicitur, ignorantiam excusare à culpa, ibi : *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur.* Ubi Glosl. verb. *Si ex ignorantia*, explicat, dicens : *Probabili ; alias non excusaretur à peccato.* Ergò Glossa per ignorantiam probabilem, quæ excusat à pœna, intelligit eam, quæ excusat à peccato ; talis autem non est ignorantia crassa, tametsi non affectata.

Confirmatur ex d. cap. Discretionem. Præterea : cap. *Discretionem*, de Eo qui cognov : ponderat carentiam culpæ, ibi : *Quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit.* Ergò ignorantia saltem crassa, quæ non excusat à peccato mortali, non excusat etiam à pœna.

456. *Resp. ad hoc cap.* Respondeo : dictum cap. ponderat iniquitatem seu culpam ex certa scientia, ut patet ex verbis textûs, alibi recitatis ; & excusat mulierem à pœna, eò quòd hujusmodi iniquitatis non fuisset particeps. Ergò si particeps fuisset, pœnæ reatum contraxisset. Transeat totum. Ergò dum peccat ex ignorantia crassa, non excusatur à pœna, negatur Consequentia. Disparitas : quòd hìc non sit culpa à jure requisita, scilicet, cum certa scientia, secùs ibi.

Resp. ad Glossam. Ad Glosl. cap. *Si vir*, respondetur : fuerit in illa sententia, parum refert ; si verum est, quod nos putamus ; nempè, susceptionem ex malitia seu culpa ex certa scientia non impedire petitionem debiti : interim non satìs constat, ibi intelligendam fore excusationem à peccato, & non potiùs excusationem à pœna, ut sensus sit : Si ex ignorantia id factum sit (dummodò non fuerit affectata) eos ignorantia excusare videtur, scilicet à pœna, estò non excusaret à peccato simpliciter ; quia saltem excusat à peccato ex certa scientia.

Sed dicet aliquis : unde constat hìc requiri certam scientiam ? Siquidem cap. 1. de eo qui cognov : non loquitur de cognatione spirituali ; sed tantùm de affinitate. Prorsùs sic est. Sed quid tum ? Etiam ipsum cap. *Si vir*, per malitiam intelligit scientiam, quando dicit : *Sive ex ignorantia, sive ex malitia* : nam in principio ait : *Si vir vel mulier scienter vel ignoranter.* 457. *Objectio solvitur.*

Et confirmatur (inquit Sanchez sup. disp. 32. n. 47.) quia non est credendum, Pontificem magis punire velle culpam contractæ cognationis, ubi longè minor est culpa, & soli juri positivo adversa, parumque Matrimonium ipsum offendens, quàm culpam multò graviorem adversus jus divinum & naturale, & graviter Matrimonium offendentem, quæ in contracta affinitate admittitur. Si ergò ad incurrendam eam pœnam in affinitate, desideratur scienter admitti delictum, à fortiori in cognatione ; eò vel maximè, quòd in eo certa est pœna : in hac autem est valde dubia, ut constat ex dictis. Ita Sanchez. Benè an malè, tu examina. Sanchez.

Benè notat ibidem n. 48. idem dicendum esse, quando non penitùs ignoratur factum ; sed quatenùs ex eo oritur hæc pœna ; v. g. conjux accessit ad consanguineam sui conjugis in secundo gradu, ignarus talis consanguinitatis, existimansque esse in tertio gradu ; vel baptizavit filium alterius, credens non esse filium, sed consobrinum, aut alio consanguinitatis gradu conjunctum : tunc non arcebitur à debiti petitione, perinde ac si consanguinitatem ignorasset. Quia perinde est ignorare consanguinitatem, ac ignorare ejus gradum, cui hęc pœna statuitur. In utroque enim eventu verè ignoratur factum, tali pœnâ punitum. 458. *Quid si non penitus ignoretur factum ; sed quatenus ex eo oritur hæc pœna ?*

Nec refert : si conjux ex conscientia erronea putaret, sibi interdici petitionem debiti, accedendo ad consanguineam conjugis in eo tertio gradu, baptizando ve conjugis consobrinum. Nam adhuc perseverat ignorantia facti, cui illa respondet pœna, & non conscientiæ erroneæ. Sicut excommunicationem minimè incurreret percussor Clerici, existimans invincibiliter eum esse laicum ; quàmvis erroneè crederet, laici percussionē excommunicationis vinculo innodari. Hæc ille. *Non incurritur pœna secundùm Sanchez.*

Et sicuti non incurreret, qui putaret se percutere Clericum, cùm tamen reverà esset laicus ; sic itidem privationem debiti non incurreret, qui cognosceret consanguineam uxoris, quam putat esse in secundo gradu, cùm reverà sit in tertio. Non enim punitur solus affectus internus ; sed peccatum externum, quale hìc non est.

Quid ergò, inquis, si quis probè sciret, esse consanguineam in secundo gradu, & reverà talis esset ; nosset etiam jus divinum & naturale, prohibens copulam adulterinam ; ignoraret autem prohibitionem specialem Ecclesiæ accedendi ad talem consanguineam ? Respondet Sanchez sup. n. 49. eum immunem esse à pœna. 459. *Idem Auctor docet, excusare ignorantiam solius præcepti Ecclesiæ.*

Probat :

Probatur. Probat: quia etiam ubi delictum est jure naturali vetitum, ignorantia prohibitionis juris humani, indicentis pœnam ab ea eximit. Deinde: quia quamvis copula illa ut fornicaria sit jure naturali vetita; at quatenùs cum sui conjugis consanguinea, & proinde incestuosa, solo jure positivo Ecclesiastico interdicta est, quod affinitatem inde oriri constituit; ac proinde, eo secluso, nulla alia culpa esset in eo accessu, præter illam, quæ reperitur in accessu ad aliam non consanguineam. At pœna privationis debiti soli incestui, ex quo affinitas oritur, statuta est. Ergò qui per ignorantiam excusatur ab ea incestûs circumstantia, excusabitur subinde à pœna.

Sicut, si quis, voto astrictus jejunandi sextis feriis, ignorans aliquod jus Pontificium, quod fortè pœnam indiceret non jejunantibus quâdam sextâ feriâ, non jejunaret illâ die, evaderet pœnam. Quia ea imposita non est ob sacrilegium voti fracti contra jus naturæ, cujus iste reus fuit: sed ob inobedientiam Pontificii Decreti, à qua ratione ignorantiæ excusatus est.

460. *Confirmatur.* Et confirmatur; quia excusatus per ignorantiam à specie culpæ, inferentis pœnam privationis petendi debitum, eximitur à pœna. Hic autẽ excusatur à propria incestûs specie, ratione ignorantiæ juris humani, ex cujus sola prohibitione consurgit, eam copulam incestum esse. Excusabitur ergò à pœna privationis debiti petendi, impositâ propter speciem incestûs. Existimo autem eamdem ignorantiam juris hunc excusare, quam cùm est facti. Quia textus petunt scienter id fieri, & cùm pœnales sint, restringendi sunt, ut petant tam facti, quàm juris scientiam; alterius enim ignorantiâ concurrenti, non verè contravenitur scienter illi Canoni. Hactenùs Sanchez.

461. *Hæc sententia placet Auctori.* Cujus sententia, satis probabilis, mihi placet; maximè propter hoc, quòd solo jure Ecclesiastico copula cum consanguineis uxoris sit incestuosa; quippe solo hoc jure ex ea copula nascitur affinitas, sine qua non habet specialem malitiam. Aliud fortè dicerem, si Ecclesia excommunicatione, aut aliâ pœnâ vindicaret copulam cum patre vel matre, quæ jure divino & naturali habet specialem malitiam à simplici fornicatione. Item peccatum furti, homicidii, & similia, quæ independenter ab Ecclesia sunt peccata mortalia: nam Multi putant, tunc sufficere notitiam juris naturalis, ea prohibentis.

Utut sit de hoc, quod non spectat ad præsentem locum; sufficiat nobis, copulam cum consanguinea uxoris, aut etiam susceptionem, vel baptizationem propriæ prolis, aut alterius conjugis, non habere specialem malitiam, quæ hìc punitur privatione juris petendi debitum, nisi ex statuto Ecclesiæ; ut proinde ignorantia ejus videatur à dicta pœna excusare.

462. *An excuset ignorantia solius pœnæ? Affirmant Aliqui.* Sed quid, si noverit statutum Ecclesiæ, & solius pœnæ ignorantiam habeat? Aliqui putant, & hanc solam ignorantiam hìc excusare. Quia cùm hæc pœna non sit constituta, nisi scienter seu dolosè peccantibus; videtur proportionari non delicto solitariè spectato, sed delicto commisso cum scientia pœnæ appositæ.

Et hinc ignorantia excommunicationis, & aliarum censurarum excusat, secundùm DD. communiùs; quia requiritur præsumptio sive contumacia, quæ propriè non est, ubi ignoratur censura. Jam autem sicut præsumptio importat dolum & temeritatem; sic itidem scientia, quando expresè à jure requiritur, sicut fit in præsenti casu; atque adeò etiam hìc excusabit ignorantia solius pœnæ.

463. *Est sententia Navar. ignorantiam solius pœnæ universaliter excusare, quando est probabilis.* Imò universaliter excusare ignorantiam solius pœnæ, quando est justa seu probabilis, est sententia Navar. Sum. c. 23. ubi, ut ignorantia excuset, requirit, quòd sit justa, & causa actûs: est enim (inquit) triplex præfata ignorantia, nempè affectata, crassa sive supina, & justa. Affectata sive optata est, quâ quis ignorat, quod scire tenetur; quia non vult scire, quò liberiùs, absque suæ conscientiæ contradictione, vel alia de causa injusta, peccet, juxtà illud Psalm. 35. relat. in cap. *Adeo*, dist. 37. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, quæ adeò non excusat aut minuit peccatum, ut etiam augeat ob circumstantiam mali desiderii. Crassa verò sive supina est, quâ quis ignorat id, quod communiter omnes sui ordinis sciunt, quod contingit per culpam latam, quæ excusat à tanto, sed non à toto.

Quæ sit ignorantia affectata, & crassa.

Iusta verò (quæ à Theologis invincibilis, & à nostris probabilis appellatur) est, quâ quis ignorat, quod non oportet eum scire, 1. q. 4. §. *Notandum*, & quâ communiter homines ejusdem ordinis adhibitâ debitâ diligentiâ laborant, juxtà D. Tho. 1. 2. q. 76. a. 3. qualis est ejus, qui petit consilium à viris, habitis pro præditis scientiâ & conscientiâ in id sufficienti, qui falsè illi consulunt: & hæc omninò excusat, quando est causa actûs: ignorantia enim interdum est peccati causa, interdum non, sed ejus comes. Est causa, quando actus non fieret, nisi ignoraretur. Est solùm comes, quando peccaretur, etiamsi sciretur, & hæc nunquam à culpa excusat: illa verò interdum omninò, interdum ex parte.

Quæ sit probabilis.

Quando ignorantia sit causa actûs, & quando non.

Ex quo sequitur, quòd non excusantur omninò Prælati, Medici, Advocati, & alii Officiales, qui suas artes exercent sinè justa scientia, & notitia eorum, quæ sua officia & munera prærequirunt; cùm inde notabile damnum spirituale aut corporale proximis eventurum probabiliter credi possit; quia eorum ignorantia non est justa; cùm sit eorum, quæ sui ordinis homines communiter scire solent & debent.

464. *Exemplum ignorantiæ crassæ.*

Addo his; quòd licèt ignorantia communiter nequeat esse justa circa legem naturalem vel divinam, quoad ejus dispositionem, & quatenùs est talis: potest tamen esse justa, quoad pœnam humanitùs statutam, si illa est excommunicationis, secundùm Anton. in cap. *A nobis*, 1. de Sent. excom. pro quo est casus in cap. 2. de Constit. in 6. Imò etiamsi sit alia quælibet communiter non statuta, eâdem ratione, ut efficaciter defendimus in cap. 2. de Constit. post S. Antoninum 3. part. tit. 24. c. 23. sub fin. cui consentit Angelus, & Sylvester, & Cajet. Quod maximè procedit in foro conscientiæ,

Ignorantia circa legem naturalem vel divinam communiter non est justa, secùs quoad pœnam humanam.

quoad quod multos pios quis consolari potest, maximè in materia censurarum, & irregularitatum. Hucusque Navarr. supr. numer 45. & seqq.

465. *Probatur hæc doctrina Navar.* Rationem hujus doctrinæ accipere possumus ex eod. Auctore Sum. c. 27. n. 274. Quod licèt (inquit ille) non requiratur consensus delinquentis in pœnam, ut obligetur ad eam; quia obligatio non nititur ejus consensu, sed potestate Legislatoris, imponentis eam; requiritur tamen consensus in causam, ob quam imponitur, ut dixit S. Tho. 2. 2. q. 64. a. 8. & ut quis dicatur consentire in causam alicujus, non sufficit, quòd consentiat in eo, quod est causa; sed requiritur, quòd sciat, aut scire debeat, id esse causam; arg. l. *In delictis*, §. 1. ff. de Noxal. & qui scit, aliquid esse malum, & ignorat pœnam, ob id impositam, scit quidem id, quod est causa illius, non tamen causam illius.

Occurritur objectioni. Nec obstat: quod ex eo sequeretur, quòd mulier, rusticus, & alii, qui probabiliter pœnas legum ignorant, in nullam earum inciderent: responderi enim potest, negando quidem sequelam, quoad pœnam ordinariam & mediocrem proportionatam delicto, secundùm naturam ejus statutam, vel prudentiâ communi imponendam, quam quilibet discretus paulò plùs minùs providere potest, saltem hallucinando per legem naturalem dictantem, delicta mediocriter punienda; concedendo verò sequelam, quoad pœnam extraordinariam, & exorbitantem, & auctam ultrà naturam suam nudè consideratam, propter frequentiam, vel alias circumstantias personæ, temporis, loci, &c. eâ ratione diversitatis; quod quicumque scit, vel scire debet, aliquid esse malum, scit vel debet scire, id esse puniendum juxtà naturam ejus; & ita non solùm consentit in eo, quod est causa ejus; sed etiam in eo, quod scit vel debet scire, esse causam ejus; secùs tamen est de pœna exorbitanti, auctâ & additâ ultrà naturam ejus, ob frequentiam & alias circumstantias; quia nec scit, nec scire debet, illud malum esse causam illarum, cujus generis est excommunicatio; & eò magis, quò sola ratio naturalis, quæ docet pœnam debitam malo, non pertingat ad illam sine lumine fidei. Quæ est ratio germana c. 2. de Constit. in 6. per quas extenditur ad quascumque alias pœnas exorbitantes, solâ naturâ delicti consideratâ. Hactenùs Navar.

466. *Expenditur hæc doctrina, & oppugnatur.* Sed ad hæc dici posset: eum qui consentit in delictum, consentire in omnem pœnam, quæ omnibus consideratis ei delicto est proportionata; non enim est ratio, quare magis consentiat in unam, quàm in aliam. Aliud foret, si ob ignorantiam pœnæ moraliter ita mutaretur quantitas vel qualitas delicti, ut jam censeatur pœna excedens modum & proportionem delicti.

Evasio præcluditur. Si dixeris: peccatum, quod fit cum tali ignorantia, semper est levius. Respondeo: illam levitatem esse parvam ordinariè: pœna autem lege præscripta vel non excedit gravitatem ejus delicti facti cum ignorantia pœnæ; vel dic, non semper esse pœnam lege præscriptam ita geometricè commetiendam delicto, ut si hoc aliquantulum leviùs fiat ex causa, pœna quoque minuenda sit: quod enim parum est, in moralibus pro nihilo reputatur. Sin autem notabiliter fieret leviùs, proculdubiò & pœna allevianda foret, seu minuenda.

467. *Non incurritur censura sine prævia ejus cognitione; & quare.* Et hinc, quando pœna statuta est præsumenti, cum tunc non solùm delictum secundum se, sed præsumptio maximè sit causa talis pœnæ, sicuti ignorantia impedit præsumptionem, sic itidem impediet eam pœnam. Atque ita, secundùm communiorem sententiam (quidquid sit de aliis pœnis) censura non incurritur absque ejus prævia cognitione; quia nimirum requirit præsumptionem, sive specialem modum contumaciæ & inobedientiæ, eò quòd non ordinetur per se primo ad puniendum delictum commissum, eò tantùm, quod commissum est; sed ad emendationem ejus, vel ad cogendum particulari & rigoroso modo; scilicet, sub comminatione censuræ, ne committatur.

Ergò similiter in nostro casu, cùm jus, ut sup. vidimus, non tantùm dicat: *Qui fornicatus fuerit*; sed expresè addat ly *Scienter*, quæ particula præsumptionem denotat, seu ei æquivalet; liquet profectò, quòd ignorantia pœnæ, quæ præsumptionem excludit, consequenter etiam excludat ipsam pœnam.

468. *Pœna, de qua hic tractatur, obligat ante sententiam.* Si autem à me quæritur; an sicuti excommunicatio aut aliæ censuræ obligant antè omnem sententiam, etiam criminis declaratoriam, ex communi usu & praxi Ecclesiæ; item irregularitates, impedimenta Matrimonii, & similia, ex materia subjecta; quia scilicet aliàs lex esset inutilis; sic indidem obliget pœna privationis juris petendi debitum (de qua hactenùs egimus) sive ex praxi, sive ex subjecta materia, aut alia ratione? Respondeo: affirmativè; idque certissimum sibi esse, ait Sanchez sup. disp. 30. n. 2. Sanchez.

Quod in cognatione tenet Gloss. cap. Nolle. Quod in cognatione tenet Gloss. cap. *Nolle*, verb. *Non fraudentur*, 30. q. 1. ubi sic ait: *Ille tamen, qui levat filium suum de sacro fonte, perdit jus exigendi. Sicut ille, qui fornicatur cum altera. Sed nunquid si talis petit debitum, debet uxor ei reddere? Dicit Hugo quòd sic, licèt ille peccet petendo; & est arg. pro ipso* 33. q. 5. Manifestum, *extra de Iurejur.* Debitores. *Idem dicit de illis, qui voverunt ad tempus; quòd si perpetuò vovissent,* secùs esset; *ut* 33. q. 5. Quod Deo. *Tu dicas, quòd statim ipso facto perditum est jus exigendi, licèt per sententiam Ecclesiæ non sit ablatum jus: & cùm non habeat alter jus petendi, nec reliquus dare tenetur vel solvere; quia ubi nulla est petitio, ibi nulla est mora, ut ff. de Verborum oblig. Si pupillus.* Hæc Glossa.

469. *Et in affinitate docet Castro.* Et idem in affinitate docet Castro lib. 2. de Lege Pœnali c. 5. §. *Rursùm quinto argumento*, ibi: Certum est, has duas pœnas obligare in conscientia incestuosos, ita ut post incestum sinè dispensatione contrahens, aut debitum ab uxore exigens, mortaliter peccet, etiamsi nulla post incestum sequatur judicis sententia, quæ illum ad talem pœnam damnet, aut declaret illum

illum in talem culpam mortalem incidiſſe. Alioqui inceſtuoſus occultus non peccaret, ſinè diſpenſatione contrahens, aut debitum ab uxore petens.

Abbas. Sed hoc corollarium videtur concedere Abbas, qui in cap. *Literis*, de Præſumpt. videtur innuere eſſe neceſſarium, ut quomodocumque conſtet de crimine, ad hoc quod inceſtuoſus in talem incidat pœnam. Hoc tamen non apertè dicit, ſed verbis ſubobſcuris, quorum intelligentia non facilè patet: quia non dicit eſſe neceſſariam judicis ſententiam; ſed ſolùm dicit, eſſe neceſſarium, ut qualitercumque de crimine conſtet. Sive autem hoc, ſive illud dicat eſſe neceſſarium, dictum illius non videtur mihi verum. Hæc Alphonſus.

470. *Sanchez nullam pro hac ſententia invenit rationem concludentem.* Quòd ſi rationem petas; fateor (inquit Sanchez ſup.) me nullam concludentem invenire, ut hæ pœnæ, quàmvis privativæ ſint, non indigeant ſententiâ. Sicut nec invenio in irregularitate, excommunicatione, ſuſpenſione & interdicto. Atque ideò nec in illis, nec in hac aliam rationem adæquatam invenio, quàm quòd pœnæ privativæ ſint, atque ita facilius in eas incidatur; ſicque uſu receptæ & declaratæ ſint, ut nullâ indigeant ſententiâ condemnanti, aut crimen declaranti. Quòd non ita contingit in omnibus pœnis privativis, & ita non mirum eſt, ſi aliquæ illarum poſtulent judicis ſententiam.

471. *Ratio, quam Caſtro adducit.* Porrò Caſtro hanc ſubnectit ſuæ doctrinæ rationem. Quoniam, inquit, juxtà illud (Abbatis) ſententia illius cap. *Tranſmiſſa*, de Eo qui cognov: nunquam aut rariſſimè ſuum ſortiretur effectum; quia peccatum illud talis eſt conditionis, ut rarò contingat eſſe notorium. Sic ille. Et ideò, ſi requireretur ſententia, talis lex foret inutilis; atque ita ex materia ſubjecta benè colligitur, ſententiam non eſſe neceſſariam.

Ratio Dicaſt. Sed his non contentus Dicaſtillo, aliàm excogitavit rationem ſup. n. 109. utputa; quia in noſtro caſu non eſt purè pœna; ſed poſitâ lege generali juris poſitivi, tenetur quis ex natura rei, ob prædictam reverentiam, non accedere carnaliter ad jam factam affinem; & hoc, etiamſi non præceſſerit culpa, atque adeò independenter à ratione pœnæ, quæ non habet locum, ubi non eſt culpa.

472. *Probatur privationem juris petendi delitum non eſſe hic puram pœnam.* Patet in conſanguinea uxoris, ad quam non poteſt vir accedere abſque peccato inceſtûs; nō in pœnam, quia cognoſcendo propriam uxorem non peccavit; ſed propter legem prohibentem accedere ad affinem. Cùm ergo per copulam cum conſanguinea uxoris ipſa uxor facta ſit affinis viro ſuo, nequit ad eam accedere, propter eamdem legem, tunc enim accedendo ad uxorem, verè accedit ad affinem: hoc autem prohibet lex, quoties quis ſcit talem legem, & illam fœminam, ad quam accedit, eſſe conſanguineam uxoris, & inſuper etiam ſcit, eſſe legem prohibentem eum, qui cognovit conſanguineam uxoris, iterùm redire ad copulam uxoris; & non obſtantibus his tribus notitiis, auſus fuit ad talem uxoris conſanguineam accedere; quo caſu lex, non obſtante jure, quod tamquàm maritùs habebat, petendi debitum ab uxore, non vult quòd poſſit debitum petere; tum, ut ſervet reverentiam ergà uxorem factam affinem; tum, ut eâ ratione puniat peccatum, quod commiſit cum ſcientia illorum trium. Non prohiberet autem illum lex, ſed permitteret petere & uti jure mariti, ſi ignorantia illorum trium vel alicujus illorum interceſſiſſet.

473. *Sed etiam inhabilitatem quamdam.* Ex quo patet (inquit Dicaſtillo ſup.) illam non eſſe puram pœnam; ſed etiam inhabilitatem legis ob inductam propinquitatem; ad hanc autem incurrendam inhabilitatem, ſufficit lex ipſa, & nulla requiritur ſententia. Sufficit enim quòd ex uno capite lex poſitiva ſtatuerit illud genus propinquitatis, reſultans ex tali copula; & ex alio capite voluerit, ut inter ſic propinquos ſervetur ea reverentia & pietas; dummodò actus factus fuerit cum ſcientia illorum trium; ad hanc autem obligationem inducendam, non eſt neceſſaria ſententia judicis. Sic ille.

Declaratur in ſimili. Et declarat in ſimili, dicens: Simile quodammodò poſſet contingere in irregularitate quâ quis privatur vel jure ſuſcipiendi, vel exercendi Ordines ſuſceptos propter homicidium, quæ non eſt pœna purè delicti; ſed inhabilitas etiam, quam in gravium DD. ſententia non incurrit, qui exercuit actum cum aliqua ignorantia juris, facti, vel pœnæ; quando autem incurrit, non eſt neceſſaria ſententia, nec illa eſt purè pœna. Ita Dicaſtillo.

474. *Judicium Auctoris.* Ego dico; quidquid ſit de hac ſpeculatione Dicaſtillonis; nam inhabilitas, quam ponit, & ipſa eſt pœna; cùm nemo privetur jure exigendi debitum ſinè ſua culpa; equidem non requiritur ſententia judicis; tum ex uſu & praxi communi Eccleſiæ; ſiquidem inceſtuoſi occulti petunt diſpenſationem, & Confeſſarii mendicantium eam concedunt; tum, quia aliàs, ut ſup. dictum eſt ex Caſtro, inutilis foret hæc pœna; cùm non ſoleat inceſtus publicari, & rariſſimè publicus ſit.

Illud adjicio hìc pro coronide; me non invenire aliquod privilegium Mendicantium, diſpenſandi in cognatione ſpirituali ſuperveniente, quod mihi ſignum eſt, ex ea nullum impedimentum oriri, tametſi ex malitia vir vel mulier proprium filium de ſacro fonte ſuſciperet.

Et hactenùs de privatione petitionis debiti, quæ provenit ex præcedenti culpa, & jure Canonico. Eſt & alia privatio non pœnalis, proveniens ex libera conjugum voluntate, de qua inſtituitur.

CONCLUSIO XV.

Votum castitatis per se reddit illicitam petitionem: redditio pro prima vice est licita post bimestre, non ante. Votum Religionis ante consummationem prohibet reddere; post consummationem, ne quidem petere. Votum suscipiendi Ordines sacros, aut non nubendi, solùm contractum reddit illicitum.

475. VOtum castitatis vel præcedit Matrimonium contrahendum, vel sequitur jam contractum. Præcedens qualiter impediat Matrimonium contrahendum, diximus Sect. 2. Concluſ. 1. ad quam remitto Lectorem. Superaddam hìc, quæ ibi omissa fuerunt.

Astrictus voto castitatis, Matr. consummato tenetur reddere.

Constat apud Omnes (inquit Sanchez lib. 9. disp. 33. n. 1.) semel jam consummato Matrimonio, teneri conjugem voto astrictum debitum reddere. Quia, voto non obstante, transtulit verum corporis dominium in alterum conjugem; major autem est obligatio Matrimonii, per quam fit hæc actualis corporum traditio, quàm voti simplicis, quod meram promissionem importat.

An possit licitè consummare.

Porrò consummationem esse licitam, reddendo post bimestre, pendet ex resolutione hujus quæstionis; utrùm vovens teneatur ingredi Religionem, quò plenè & perfectè votum suum possit observare. Si affirmaveris, indubiè peccat reddendo; si negaveris, liquet profectò, redditionem non solùm esse licitam, sed etiam jure justitiæ debitam.

476. *Tenetur ingredi Religionem, juxtà D. Tho.*

Quòd teneatur intrare, multi docent, inter quos D. Thomas 4. dist. 38. q. 1. à 3. quæstiunculâ 2. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod ille, qui contrahit Matrimonium per verba de præsenti post votum simplex, non potest cognoscere uxorem carnaliter sine peccato mortali; quia adhuc restat sibi facultas implendi continentiæ votum ante Matrimonium consummatum.* scilicet, Professionem Religionis approbatæ, quâ solvitur Matrimonium ratum.

Ejusdem sententiæ videtur fuisse Scotus.

Ejusdem sententiæ videtur fuisse Doct. Subtilis eâd. dist. q. un. n. 5. ibi: *Consimiliter, si de peccato ageretur, videretur illicitum contrahere post votum privatum; quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi, & consummandi actum carnalem: & ideò non potest licitè contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, & per consequens intrandi Religionem. Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter; quia contra votum suum; licèt, secundùm Aliquos, post primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud jam est obligatus vinculo fortiori: peccat tamen mortaliter petendo; quia nihil habet juris in hoc, cùm renuntiaverit tali juri in voto.*

Omitto Alensem, Richardum, Paludanum, & Alios complures, quos videre poteris apud Sanchez sup. disp. 34. n. 2. ubi eam sententiam vocat satìs probabilem. Ipse tamen n. 3. amplectitur oppositam tamquàm probabiliorem, videlicet hunc non teneri ingredi Religionem; ac proindè minimè delinquere, Matrimonium consummando reddendo debitum, scilicet post bimestre. De qua opinione satis egimus loco suprà citato, scilicet Sect. 2. Concluſ. 1. Videantur ibi dicta, ne eadem repetendo nimis prolixi simus. 477. *Alij Auctores pro hac sententia, quæ probabilis est. Sanchez tenet oppositam.*

Hìc aliqua addemus de petitione debiti, quam nonnulli putant licitam, ut legimus apud Doct. Seraph. 4. dist. 38. a. 2. q. 1. in resp. ad 3. *Ad illud* (inquit) *quod objicitur; quod tenetur nunquam coire: dicendum, quod verùm est, nisi fortiori vinculo solvatur; & quia Matrimonium fortius est, ideò dicunt, quòd, cùm consummatur Matrimonium, tunc omnino absolvitur à voto, sed debet de eo pœnitentiam agere, quia votum violavit. Vndè dicunt; quòd potest debitum petere & solvere.* Nunquid audiendi? *Aliqui putant, petitionem debiti esse licitam.*

Sed hoc non credo (prosequitur D. Bonav.) *scilicet, quòd absolvatur à voto quantùm ad Matrimonium, nisi in quantùm jus Matrimonii compellit eum agere contra votum: sed non compellit jus Matrimonii debitum petere; quia hoc est libertatis, sed solùm solvere: ideò dico, quòd potest sine peccato solvere, quia facit id, ad quod tenetur; nunquam tamen potest sine peccato petere: & si uxor moriatur, tenetur omninò continere.* Sic ille. *Sed perpetàm juxtà D. Bonav.*

Et meritò; quia hoc nullo solido nititur fundamento. Quod enim illud? Quia (inquis) duobus contrariis occurrentibus, minùs fortè à fortiori excluditur cap. 1. de Pœnit. dist. 1. Votum autem adversatur Matrimonio, ejusque obligatio minor est. 478. *Fundamentum istius sententiæ.*

Contrà: hìc est tenor d. cap. 1. *Petrus doluit & flevit, quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit: invenio quod fleverit: lacrymas ejus lego: satisfactionem non lego.* Quid hæc ad propositum nostrum? Fateor, vinculum Matrimonii fortius est; sed non obligat ad petitionem debiti; & ideò votum non adversatur Matrimonio, inquantùm prohibet petitionem debiti, sed tantùm, quatenùs prohibet redditionem. Neque enim votum castitatis indivisibile est, & unicum tantùm habet effectum; sed multiplicem; & ideò extingui potest seu impediri per Matrimonium, quoad unum effectum, & non quoad alium. *Evertitur.*

Manet itaque, ut notat Sanchez sup. n. 11. triplex effectus. Primus est, si conjux ille vovens cum alia fornicetur, reus erit, ultrà adulterium, sacrilegæ violationis voti. Secundus, tenetur sub mortali abstinere à debiti petitione. Tertius, altero conjuge defuncto, tenetur omninò castitatem servare. Quia jam cessavit fortius Matrimonii vinculum, quod cogebat copulæ vacare, debitum reddendo. Sic ille. 479. *Triplex effectus, qui manet ex voto.*

Igitur cessat voti obligatio, quatenùs est incompatibilis cum vinculo Matrimonii, quod fortius est; & ideò tenetur eo voto adstrictus

reddere

reddere debitum : ſecùs autem inquantùm eſt compatibilis, nempè quoad triplicem illum effectum.

480. *Objectio ſolvitur.* Dices : ſola copula eſt, quæ repugnat voto: hæc licet ; ergò votum ex toto ceſſat. Reſpondeo ad Minorem : hæc licet, quando debita eſt ex vi Matrimonij, concedo : ſecùs quando non eſt debita. Siquidem ſola obligatio Matrimonii eſt, quæ excuſat à formali fractione voti ; quia hæc ſola fortior obligatione voti : nam Deus non vult ſibi ſerviri cum injuria tertii, undè pro iſto caſu ceſſat Materia voti, quoniam abſtinentia à copula mala eſt ; materia autem voti oportet, quòd ſit bona, imò melior ejus oppoſito ; quid ergò mirum, ſi pro tali caſu ceſſet votum, ſeu obligatio voti ?

Pone, aliquem voviſſe jejunium quadrageſimale ; cenſen', quia hodie excuſatur propter infirmitatem, vel aliam juſtam cauſam, quæ reddat jejunium malum, quod aliàs bonum ; cenſen', inquàm, quòd craſtinâ die excuſetur, quando jam jejunium, ceſſante priori cauſâ, bonum eſt ? Scio, quòd non cenſeas. Sic ergò, qui vovit toto tempore, ſeu omnibus diebus vitæ ſuæ abſtinere à venereis, quia hodie, propter obligationem Matrimonii ſupervenientem, poteſt licitè copulari conjugi ; eò quòd materia voti facta ſit moraliter impoſſibilis ; non propterea excuſatur craſtinâ die, quando ceſſat illa obligatio, vel defectu petitionis, vel per mortem conjugis ; jam enim abſtinentia ab ea eſt rurſum moraliter poſſibilis, id eſt, bona & melior.

481. *Replica.* Dices : ſponſalia priora omninò extinguntur alio Matrimonio ſubſecuto, tanquam fortiori vinculo ; & votum ſtrictioris Religionis, aut quæcumque alia ſimplicia, prorsùs expirant, ob eamdem rationem, facta Profeſſione in quacumque Religione, etiam laxiori.

Reſp. Sanchez. Reſpondet Sanchez ſup. n. 12. Diſparem eſſe rationem : quia ſponſalia & Matrimonium ſunt obligationes factæ homini ; ſicut & votum ſtrictioris Religionis, & quæcumque alia, ſunt obligationes factæ Deo ; & ideò non mirum, ſi minùs fortis, fortiori ſupervenienti, omninò extinguatur. At votum & Matrimonium ſunt obligationes diverſæ rationis, illa Deo, hæc homini facta : & ideò illa minimè extinguitur, ſed ſuſpenditur per hanc. Sic ille.

Reſp. Auctoris. Ego autem dico : Matrimonium ſubſequens, eſto tribuat innocenti jus diſſolvendi priora ſponſalia, minimè ea ſolvere ex parte utriuſque ; & ideò, ſoluto Matrimonio, rurſum obligare ad nutum innocentis. Vide dicta Diſp. præced. Sect. 2. Concluſ. 7.

482. *Profeſſio ſolemnis extinguit quæcumque vota ſimplicia, ex jure Canonico.* Quantùm ad votum ſtrictioris Religionis, & alia quæcumque ſimplicia, conſtat in primis ex jure Canonico, Profeſſionem ſolemnem ea omnia extinguere ; arg. cap. 4. de Voto, ſequentis tenoris : *Scripturæ.* Et infrà : *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur obſervantiam commutare.* Ita Alex. III.

Et cap. penult. de Regularibus in 6. reſcribit Bonif. VIII. *Qui poſt votum, à ſe de certa Religione intranda emiſſum, Religionem aliam, etiam laxiorem, ingreditur & profitetur in ipſa : poteſt (voto non obſtante priore, cui tamquàm ſimplici per ſecundum ſolemne noſcitur derogatum) manere licitè in eadem.*

Ratio de aliis votis, præter ſtrictioris Religionis. Et ratio eſt : quia omnia vota ſimplicia (ſtrictioris Religionis excepto) vel non poſſunt ſtare cum Profeſſione religioſa, ut vota peregrinationum, eleëmoſynarum, &c. vel ſunt minoris bonitatis : patet autem, quemlibet poſſe votum ſuum commutare in id, quod melius eſt.

Hinc d. cap. *Scripturæ*, in ejus integra lectione ſic habetur : *Scripturæ ſacræ teſtimonio declaratur, quòd ſpiritualis homo propoſitum non mutat, cùm pro ſalute animæ ſuæ utiliùs aliquid meditatur* &c. Nunquid etiam, qui contrahit Matrimonium poſt votum caſtitatis, utiliùs aliquid pro ſalute animæ ſuæ meditatur, ut ita cenſeatur votum ſuum commutare in Matrimonium, tamquàm melius ? Ergò nulla conſequentia : vota ſimplicia prorsùs expirant, facta Profeſſione ; ergò votum caſtitatis expirat totaliter, contracto Matrimonio.

483. *An hoc extinguatur per Profeſſionem jure naturali.* Sed quid dicam de voto ſtrictioris Religionis ? Quàmvis Aliqui exiſtiment, & hoc ex vi juris naturalis auferri ſeu extingui per Profeſſionem, ſicut alia vota ſimplicia ; potiùs tamen cum aliis reſpondendum eſt, ſolo jure poſitivo ſup. aſſignato id fieri.

Quàmvis enim (inquit Suarez to. 3. de Relig. lib. 6. c. 14. n. 18. ubi tenet hanc ſententiam) votum arctioris Religionis obligare poſſit etiam perſonam religioſam ; facilè tamen cum illa diſpenſari poteſt auctoritate Superioris, propter bonum Religionis, vel ipſius Religioſi, ut quietiùs & libentiùs Domino ſerviat. Meritò ergò ſummus Pontifex ipſo jure hanc diſpenſationem conceſſit ei, qui poſt votum ſimplex Religionis arctioris in laxiori profeſſus eſt. Nam quàmvis id non fecerit ſine culpâ, tamen eo ipſo oſtendit majorem quemdam affectum ad talem Religionem, & moraliter credi poteſt, ibi majus obſequium præſtaturum Deo ; & ideò Eccleſia cum illo benignè diſpenſavit. Suarez. *Eccleſia diſpenſavit in ea ipſo jure.*

484. *Quàm id fuerit rationabile.* Item fuit hoc rationabile in favorem illius Religionis, in qua facta eſt Profeſſio ; quia aliàs deberet, qui talem Profeſſionem emittit, in ipſamet Profeſſione habere animum non permanendi in illa Religione ; quia teneretur habere propoſitum implendi promiſſionem ſuam : hoc autem videbatur eſſe in fraudem vel injuriam talis Religionis ; & ideò meritò diſpenſavit Eccleſia, ut talis Profeſſio omninò firma maneret, & ut in ea priùs votum extingueretur. Hactenùs Suarez.

Privilegium diſpenſandi cum conjugatis in voto caſtitatis. Nonne etiam Eccleſia diſpenſavit lege aliquâ generali in voto caſtitatis, emiſſo ante vel poſt contractum Matrimonium, vel uſpiam gentium ſignificavit, ſe velle, ut per Matrimonium ſuperveniens, aut antecedens, tale votum omninò extingueretur ? Attende ad id quod habetur in Compend. Privil. Societ. Jeſu verb. *Diſpenſatio, §. 9. Poſſunt noſtri Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta formam Concilii Tridentini approbati, ex commiſſione*

missione Provincialis dispensare ad petendum debitum, cum his, qui post votum simplex castitatis Matrimonium contraxerunt. Concessit Pius V. Franciscanis 26. Octob. anno 1569. ut in Manuscriptis fol. 79.

485. *Ecclesia generali lege non dispensavit in eo.* Ex quo privilegio colligo in primis, votum istud ex natura rei obligare ad non petendum debitum; sed neque generali lege Ecclesiam dispensasse; alioquin frustraneum foret. Præterea colligi videtur, prædictum votum non prohibere redditionem debiti, etiam pro prima vice, cùm solùm meminerit petitionis, nisi fortè sub petitione etiam redditionem intellexisset, tamquam in ea inclusam, cùm majus sit petere, quàm reddere, & Reg. 53. de Reg. juris in 6. dicat: *Cui licet quod est plùs, licet utique quod est minus.* Ergo qui potest dispensare in petitione debiti, quod est plùs, etiam in redditione, quod est minus.

Objectio solvitur. Si ergò dixeris: votum minimè obligat ultrà voventis intentionem, quæ proculdubiò ea videtur esse, ut solùm extrà Matrimonium ea castitas observanda sit. Responsio est in promptu; scilicet, talem intentionem de jure non subintelligi. Sed neque de facto, saltem communi: alioqui, non foret opus isto privilegio. Dico, *Saltem communi*: quia si quispiam intentionem extraordinariam habuisset non se obligandi, nisi extrà Matrimonium, proculdubiò non aliter obligaretur.

486. *Replica.* Contrà, inquis; cùm sit longè difficiliùs servare castitatem in Matrimonio, quàm extrà, videtur esse communis intentio, non se obligandi in Matrimonio; aut certè eam difficultatem supervenientem excusare ab impletione voti. Sicuti Professio invalida nullum post se relinquit effectum, nequidem in ratione voti simplicis; quia difficiliùs longè est servare castitatem in sæculo, quàm in Religione; & ideò censetur profitens invalidè se noluisse ad eam obligare.

Confirmatur. Et confirmatur: quia eâ ratione, qui promisit Religionem, quàmvis culpâ suâ non ingrediatur, minimè tenetur extrà illam servare duo vota, quæ potest, & in Religione clauduntur; nimirum, pauperatis & castitatis. Quia voventis intentio præsumitur esse, ut solùm in Religione observet.

487. *Resp. Sanchez ad replicam.* Respondet Sanchez sup. n. 12. difficultatem majorem extrinsecam, & minimè in objecto ipsius voti inclusam, excusare ab ipsius impletione, qualis est, ingredi Religionem, quo castitatis votum servetur: non enim Religio clauditur in eo voto: secùs de difficultate intrinseca, & formaliter in ipsius voti objecto inclusa; qualis est, abstinere ab omni actu venereo possibili, respectu voti continentiæ. Nec obstat periculum cui expositus est vovens; suâ enim se culpâ exposuit: patetque remedium, dispensationem petere. Hæc ille.

Rejicitur simile de Professione. Ad simile de Professione, liquet disparitas; quia votum, de quo hic agimus, fuit validum, atque adeò aliquando obligavit, ad abstinendum ab omni actu venereo: at verò Professio nunquam obligavit in ratione voti solemnis, cùm fuerit ab initio invalida; & quàmvis potuisset obligare in ratione voti simplicis, & aliqua jura præsumere videantur eam obligationem; cui præsumptioni in dubio standum esse, putat Sanchez lib. 5. Sum. c. 4. n. 105. equidem qui sciret, se non habuisse intentionem voti simplicis, sed meram voluntatem profitendi, ad nihil prorsùs teneretur.

Et puto ego, non esse eam intentionem præsumendam; nisi aliunde, quàm ex nuda Professione, possit colligi, ut alibi ostendi. Neque enim votum simplex in Professione continetur per se loquendo; sicut in voto simplici valido continetur abstinentia à petitione & redditione debiti; non solùm pro hoc vel illo statu, sed in perpetuum; nisi expressè limitetur.

488. *Quid dicendum ad confirmationem, ex Sanchez.* Porrò ad confirmationem, respondet Sanchez sup. longè diversam esse rationem; quia (inquit) vovens Religionem non vovet formaliter illa tria, nec includuntur tamquam partes in suo voto. At vovens castitatem formaliter vovet abstinentiam ab omni actu venereo, sive petendo sive reddendo. Itaque illa tria non includuntur immediatè sub objecto formali voti Religionis; sed ubi status Religionis assumptus fuerit. At verò non petere, & non reddere continentur formaliter sub objecto voti continentiæ. Quod si replices: ergò reddendo agitur contrà votum, peccaturque. Dico, agi contrà votum, non tamen peccari. Quia obligatio satisfaciendi majori vinculo Matrimonii excusat à culpa: unde non est agere contrà votum formaliter, sed materialiter. Ita Sanchez.

489. *Quare votum Religionis post consummationem non prohibeat petere.* Ex quo patet: quare votum Religionis, ut habet alia pars Concluf. non prohibeat petere post consummationem Matrimonii. Et idem est de voto suscipiendi Ordines sacros. Ratio, inquam, est; quia illa vota non obligant ad castitatem formaliter & immediatè; sed solùm ad actum, qui essentialiter includit votum castitatis, ut est Professio solemnis, vel cui annectitur obligatio castitatis, qualis est Ordinatio seu Ordo sacer. Cùm ergo contracto jam Matrimonio & consummato, vota illa nequeant adimpleri invitâ conjuge, adimpleri, inquam, vel pro parte, vel pro toto, nulla est obligatio abstinendi à petitione debiti; quia hæc nullo modo eis opponitur, ut patet.

Confirmatur: quia qui post dicta vota fornicatur, non committit nisi unum specie peccatum, ut Omnes fatentur. Alioquì votum Ordinis sacri obligaret voventem ad recitandas horas Canonicas; cùm etiam recitatio horarum per positivam legem Ecclesiæ sit annexa Ordini sacro, quod tamen hactenùs nemo docuit. Et ratio est: quia vovens statum non se obligat ad illius leges, donec illum re ipsâ assumat; cùm in suo voto minimè obligationem aliquam ad illius leges exprimat.

490. *Soluto Matr. redit obligatio.* Cæterùm soluto priori Matrimonio, vel quoad vinculum, per mortem alterius conjugis, vel per causam divortii, quoad thorum & cohabitationem, redit obligatio prioris voti, quæ

non

non fuerat totaliter extincta ; ſed dumtaxat ſopita pro tempore, quo adimpletio foret impoſſibilis ; redit, inquam, quia jam obſervatio ejus facta eſt poſſibilis ; ut de morte patet ex dictis Diſp. præced. Sect fin. Concluſ. 3. & de Divortio patebit ex dicendis Sect. ſequenti.

Oppoſitum docét Abulenſis.

Oppoſitum docet Abulenſis c. 27. in Levit. q. 6. ibi : Ideò dicendum, quòd vovens Religionem intrare, vel ſuſcipere Sacrum Ordinem, ſi contrahat & conſummet Matrimonium, diſſolvitur votum, & pro tranſgreſſione voti imponetur ei pœnitentia, quâ completâ, ſecurus manebit in conſcientia ſua reddendo debitum & petendo : & ſi contingat mori uxorem, vel diſſolvi Matrimonium, poterit licitè contrahere cum alia, & jam non erit ei pœnitentia imponenda : quia non eſt tranſgreſſor voti ; cùm votum ſemel extinctum non poſſit reviviſcere. Sic ille.

491. *Solvit objectionem.*

Et ſi objicias ei ſervitutem, quæ non extinguit ejuſmodi vota, Reſpondet : In Matrimonio eſt aliquid, quod opponitur ſacro Ordini, aut obſervantiæ Religionis : ſervitus autem nihil tale habet. Prætereà : Matrimonium de ſe habet cauſam perpetuam ; nam eſt indiſſolubile per totam vitam, ſervitus non.

Fateor, in his eſt aliqua diſparitas ; haud equidem ſufficiens, ut Matrimonium totaliter extinguat dicta vota : nam ſæpè diſſolvitur in hac vita per mortem alterius conjugis, aut certè per cauſam divortii, quando ampliùs nihil in eo eſt, quod opponitur ſacro Ordini, aut obſervantiæ Religionis.

492. *Per Matr. ſuperveniens non diſſolvuntur omninò ſponſalia.*

Et ita ſuo loco diximus, per Matrimonium ſuperveniens non diſſolvi omninò ſponſalia præcedentia ; ſed dumtaxat ſopiri, revictura poſt mortem alterius conjugis ; eſtò Matrimonium habeat de ſe cauſam perpetuam, & in eo aliquid ſit, quod ſponſalibus prioribus opponatur. Scio, Aliquos contrarium ſuſtinere, ſed illi videant, quid reſpondeant ad Abulenſem, & expectabo rationem diſparitatis ; quæro, inquam, ab eis ; quare potiùs Matrimonium ſuperveniens omninò extinguat & diſſolvat priora ſponſalia ex parte utriuſque, quàm votum Religionis aut ſacri Ordinis.

Graviter peccat, qui cum voto Religionis Matr. conſummat.

Hoc certum eſt ; graviter peccare, qui cum voto Religionis primâ vice conſummat Matrimonium ; quippè poteſt adhuc votum ſuum implere, Religionem ingrediendo ; ad idque ſe expreſſo voto aſtrinxit ; & conſummans, ſive reddendo, ſive petendo, conſtituit ſe in eo ſtatu, ut implere nequeat.

493. *Diſparitas quoad hoc inter votum Religionis, & caſtitatis aut Ordinis ſacri.*

Nota: *Ad idq; ſe expreſſo voto aſtrinxit.* Ex quò patet diſparitas inter votum Religionis, & votum caſtitatis, aut etiam Ordinis ſacri ; quippè qui vovit caſtitatem, aut etiam Ordinem ſacrum, ad ingreſſum Religionis ſe expreſſo voto non aſtrinxit ; & ideò non tenetur ingredi ; per conſequens poteſt ſine peccato Matrimonium conſummare, primâ vice reddendo ; quia obſervatio voti facta eſt ei impoſſibilis, niſi ingrediatur Religionem. Iam autem nemo tenetur rem inferioris ordinis compenſare cum re ſuperioris oneroſiſſima ; v. g. non debet pecuniam reſtituere cum periculo vitæ vel famæ. At talis eſt Religio reſpectu caſtitatis, & ſuſceptionis Ordinis ſacri.

Duo poſtrema vota non obligant ad ingreſſum Religionis.

Et confirmatur : quia debens centum, quæ ſolvendo non eſt, niſi ſe in ſervum vendat, ad id minimè tenetur. At Religio eſt perpetua quædam ſervitus. Nec tenetur ea ſolvere cum notabiliter majori propriæ rei familiaris jactura, nedum cum totius. At profitens in Religione & libertatem, & omnia propria bona amittit : non ergo cum tanta jactura tenetur votum caſtitatis, aut ſacri Ordinis ſervare.

494. *Probatur ex Extrav. quadam Ioan. XXII.*

Hinc Ioannes XXII. Extrav. *Antiquæ*, de Voto, loquens de eo, qui poſt contractum Matrimonium, ante conſummationem ejus, ſuſcepe-rat aliquem de ſacris Ordinibus, ait : *Ad ingreſſum hujuſmodi* (putà Religionis approbatæ) *ſic Ordinatum, ſi Matrimonium conſummatum non fuerit, per Diœceſanum inſtanter moneri præcipimus & induci : quòd ſi forſan renuerit adimplere, ipſum, ſi ſponſa ejus inſtiterit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellendum decernimus, contractum Matrimonium conſummare.*

Ubi Gloſſ. verb. *Renuerit adimplere*, inquit, *Supponit expreſsè, quòd poſſit renuere, ut in ſervo dicitur, qui, licet juſſus per dominum, poteſt nolle hæreditatem adire, Cod. de Hæred. Inſtitut. l.* Cùm proponas : *quia voluntarium ſervitorem Deus ſibi quærit, non coactum.*

Reſp. ad Extrav.

Quòd ſi quis reſpondeat (inquit Pontius lib. 10. c. 5. n. 15.) Pontificem in eo loco nihil de hac quæſtione definire, ſed ſolùm illi quæſtioni finem imponere ; an Ordo ſacer dirimat Matrimonium ratum non conſummatum, ſicut Profeſſio. Circa eam autem, an ſic ordinatus teneatur ingredi Religionem, ut hâc ratione uxor libera maneat, nihil definit ; ſed in caſu, quo nolit ingredi, dicit compellendum conſummare, ſi uxor inſtiterit.

495. *Rejicitur primò.*

Hæc tamen evaſio eſt potiùs, quàm ſolutio. Quàmvis enim in d. Extravag. præcipuè intendat Pontifex, eam quæſtionem definire de inefficacia ſacri Ordinis ad dirimendum Matrimonium ratum ; attamen etiam ex profeſſo explicat Pontifex, quid fieri debeat in eo caſu, quando initiatur Sacris ante conſummatum Matrimonium, & nullam neceſſitatem imponit initiato tranſeundi ad Religionem.

Secundò.

Neque etiam dici poteſt ; illam eſſe ſpecialem deciſionem Pontificis in eo caſu, quo vir poſt contractum Matrimonium ante conſummationem initiatur Sacris. Sed certè Pontifex attentè meditatus naturam illius voti, & communem vivendi modum, & quàm difficilis exitus habeat ſtatus Religionis contrà voluntatem aſſumptus, judicavit, illum ſic voventem noluiſſe ſe obligare neque implicitè ad Religionem.

Tertiò.

Prætereà : quia nulla poteſt aſſignari ratio, propter quam, qui initiatus Sacris & obligatus voto ſolemni caſtitatis, non compellitur Religionem intrare, ſed tantùm admonetur ; & qui tantùm habuit votum ſuſcipiendi

Ordines sacros, compellatur intrare, cùm multò major indecentia sit in primo, quàm in secundo. Hucusque Basilius. Et meritò.

496. *Quid Adversarij respondeant ad alia arg.*

Nunc videamus, quid respondeant Adversarii ad alia argumenta. Dicunt (inquit Sanchez sup. disp. 34. n. 3.) obligatum ex injusta acceptione teneri cum majori jactura persolvere ; Matrimonium autem injustè contrà votum est initum. Secundò dicunt : Professionem Religionis non esse jacturam ; sed summum Dei beneficium. Tertiò aiunt : ingredi Religionem esse optimum medium ad servandam castitatem : at se in servum venumdare, vitamque periculo exponere, esse ineptum, nec per se ordinatum medium ad restituendum.

Ostenditur parùm valere, ex Sanchio.

Sed hæc parùm valent. Quàmvis enim Religio sit Dei donum, id est sponte eligenti. Nec est negandum, illam esse gravissimum onus ; & tale, ut nemo sit illud subire compellendus, nisi se expressè obligârit. Patet ex Extravag. mox allegatâ.

Rursùs : licet obligatio ex injusta acceptione sit urgentior ; at solùm obligat ad restituendum cum jactura rerum ejusdem ordinis, & ubi non est maxima improportio. Nemo enim decem furto ablata restituere tenetur cum jactura centum. At ingredi Religionem non est medium per se ordinatum ad servandam castitatem ; & licèt sit optimum, non tamen necessarium ; atque tantam improportionem habet, sicut se in mancipium vendere, ut pecuniâ inde conflatâ satisfiat creditoribus. Tandem, quia nisi status religiosus sponte suscipiatur, difficiles solet habere exitus. Hucusque Sanchez.

497. *An quis absque peccato possit intre Matr. post votum castitatis. Affirmat Sanchez.*

Si inferas : ergò poterit quispiam absque peccato, post votum castitatis, aut suscipiendi sacrum Ordinem, inire Matrimonium ; animo scilicet Religionem intrandi, illudque consummare reddendo debitum. Respondet Sanchez sup. n. 9. conced. totum ; intellige, si non habuit animum absolutè se obligandi novo voto intrandi Religionem ; sed tantùm bonum propositum, eo medio prius votum exequendi. Siquidem (inquit ille) bona fides in contractu eum à culpa liberat, & obligatio justitiæ excusat, quando reddit.

Objectio.

Sed dicet aliquis : hoc quæritur, an bonâ fide contrahat, qui tantùm habet bonum propositum : qui enim videt se non posse alio medio votum suum observare, videtur se velle virtualiter saltem obligare ; sicut ille qui formaliter vovit Religionem, peccat reddendo primâ vice : maximè cùm votum castitatis in ordine ad Matrimonium sit fortius ; nam illud debiti petitione semper privat ; minimè autem votum Religionis.

Diluitur.

Planè, quoad hunc effectum, fortius & strictius est ; at minùs strictum, quoad obligandum ad Religionis ingressum. Quid mirum, cùm ingressus Religionis non sit materia seu objectum voti castitatis ?

498. *Instantia.*

Fateor, inquis ; sed est medium omninò necessarium, ad servandum votum castitatis in his circumstantiis. Porrò qui se obligat formaliter ad aliquid, quod sine alio fieri nequit, obligat se virtute & consequenter ad illud. Ut qui sciens ad Ordines opus esse scientiâ, vovet se ad Sacerdotium promovendum, obligatur ex vi voti addiscere. Sed castitas servari nequit à conjugato, nisi ingrediatur Religionem antè Matrimonii consummationem ; ergò obligans se formaliter ad castitatem, saltem post Matrimonium ratum (quidquid sit de voto antecedente, de quo vide Disp. præced. Sect. 2. Concl. 3.) se consequenter & virtute obligat ad Religionis ingressum.

Quid sentiat hic Pontius.

Hinc Pontius sup. Non, inquit, negaverim, si cum quis emittens votum suscipiendi sacros Ordines, advertit non esse aliud medium servandi votum, nisi ingrediendo Religionem ; & adhuc voluit illud votum emittere, teneri ad ingressum Religionis ; quod idem dixerim de vovente castitatem post contractum Matrimonium ante consummationem. Sic ille.

499. *Rejicitur à Sanchio.*

Respondet Sanchez sup. majorem propositionem veram esse, de mediis per se ordinatis, atque ejusdem ordinis, nec notabiliter re promissâ difficilioribus. Quale non est Religio ad servandam castitatem. Ita hic Auctor.

Judicium Auctoris.

Ego autem dico : vel efficaciter vult se obligare ad perfectam castitatem, vel non. Si primum ; cùm videat se non posse eam observare, nisi adhibito medio extraordinario, & adeò difficili ; eo modo se obligat ad hoc medium, sicut ad alia media per se ordinata, quando iis perfecta castitas potest observari. Ratio est ; quia efficax intentio finis postulat efficacem electionem medii necessarii ad finem consequendum. Vel ergo convincitur, tali casu non velle efficaciter se obligare ad perfectam castitatem, quam videt alio medio sibi impossibilem ; sed tantùm ad imperfectam, juxtà conditionem statûs sui ; aut certè videtur obligari ad ingressum Religionis.

500. *Occurritur objectioni.*

Nec dicas : satis est, quòd habeat voluntatem ingrediendi, etsi noluerit se ad ingressum obligare. Quippe eodem modo dicam ego ; neque obligari eum ad media ordinaria, quod nemo hactenùs asseruit. Censen', Legislatorem non velle obligare subditos ad media per se ordinata ad observationem suæ legis ? Non censeo, inquis ; sed ingressus Religionis non est medium per se ordinatum ad servandam perfectam castitatem.

An Religio sit medium per se ordinatum ad castitatem.

Respondetur : non est medium per se ordinatum in homine non conjugato, transeat totum ; & ideò talis non censetur se velle obligare ad eum ; esto casus per accidens eveniat, in quo fine tali ingressu non possit observari. Non est medium per se ordinatum in homine conjugato, negatur ; cùm aliud medium ipsi non suppetat.

Putas, si Deus alicui conjugato præciperet perfectam castitatem, putas, inquam, quod non præciperet ingressum Religionis ? Cùm ergo votum sit lex privata, qui vovet in his

circum-

circumstantiis perfectam castitatem, & ad eam vult se obligare, videtur consequenter se velle obligare ad eum ingressum, quem novit omnimodò necessarium.

Interim dici potest, conjugatum voventem castitatem nolle se obligare ad ingressum ; quia communiter non censetur velle perfectam castitatem ; sed tantùm convenientem suo statui, id est, velle se obligare ad non petendum debitum, quod votum servare potest sinè tali ingressu.

501. *Quantùm ad aliquid votum Religionis est strictius.* Itaque quantùm ad aliquid votum Religionis strictius est voto castitatis, saltem emisso ante Matrimonium, quoad aliquid laxius. Strictius quidem ; quia obligat ad ingressum, & per consequens, prohibet redditionem debiti pro prima vice ; laxius autem ; quia contracto Matrimonio, & jam consummato, non prohibet petitionem debiti.

Objectio solvitur, ex Sanchio. Et si dixeris : *Fraus & dolus alicui patrocinari non debent*, cap. *Ex tenore*, 16. de Rescript. Respondet Sanchez sup. disp. 33. n. 20. non esse inconveniens, ut per accidens, ratione impotentiæ subsequentis, culpa aliquando suffragetur. Ut si debitor æris alieni prodigat proprias facultates, suspenditur obligatio solvendi ex impotentia, quàmvis ex culpa provenerit. Sic ergò obligatio voti Religionis suspenditur, Matrimonio semel iniquè consummato : quia impleri nequit.

502. *Alia objectio.* Si rursùm objicias : vovens jejunium tenetur ad unicam comestionem, quæ de ejus natura est : ergò similiter vovens Religionem tenetur ad castitatem, quæ de ejus essentia est. Id enim, quod essentialiter sub objecto voti clauditur, est materia voti, ad quam proinde obligat. *Diluitur, ex eod.* Respondet Sanchez sup. quod essentialiter sub objecto voti clauditur immediatè, cadit sub voto, ut unica comestio sub voto jejunii : secùs, quod mediatè, & supposito statu assumendo, ut castitas sub voto Religionis & ; ideò non obligat ad eam ante statum assumptum. Sic ergò obligatus ad aliquid, tenetur consequenter ad id, quod inde immediatè sequitur ; secùs si solùm mediatè.

Hinc etiam fit ; ut, qui vovet magnam eleëmosynam, si non sit totam erogando, teneatur ad partem ; & vovens jejunare totò adventûs tempore, teneatur ad eam partem, quæ sibi possibilis est. Etenim qui vovet totum, vovet etiam formaliter partem, sive id totum, quod immediatè sub ipso clauditur. At vovens Religionem non promittit formaliter & immediatè leges illius ; sed secundariò tantùm & mediatè, seu sub conditione, si priùs in eo statu constituatur. Aliàs per votum Religionis fieret quis verus Religiosus, quod constat esse falsum.

503. *Votum non nubendi, solùm contractum reddit illicitum, juxtà Sanchez. Probatio.* Consimiliter argumentari possumus de voto non nubendi ; quod solum contractum reddere illicitum, ac per consequens, Matrimonio inito, neque petitionem, neque redditionem debiti prohibere, docet Sanchez lib. 9. disp. 33. n. 22. Probatur : quia votum hoc tantùm habet pro objecto, non inire Matrimonium ; & si obliget ad abstinendum ab actu Matrimonii, non est per se & primariò, sed mediante & suppositâ abstinentiâ ab ipso Matrimonio ineundo, quæ fuit primaria & immediata voti materia. Ergò quando jam primaria materia non est possibilis, quia initum est Matrimonium, non obligabit ad secundariam, nempè ad abstinentiam ab usu. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

Pontius utitur distinctione. Basilio Pontio lib. 10. c. 5. n. 16. placet ea distinctio (quâ utitur Ioannes Azor. tom. 1. lib. 11. c. 21. q. 7.) consulendam esse mentem voventis. Si enim (inquit) in animo habuit tantùm vovere, non contrahere ; non verò in animo habuit, se obligare ad non consummandum ; peccabit in contrahendo tantùm, non in consummando. Quod si dubius animus sit, an se obligaverit voto ad non contrahendum, vel etiam non consummandum ; dico : in eo dubio potiùs ex natura rei interpretandum, voviſse nec contrahere, nec consummare ; cùm videatur voluisse abstinentiam à nuptiis, quæ utrumque includunt ; cùm nuptiæ ordinentur ad consummationem. Sicut, quando quis dubitat, an votum emiserit, nec ne ; potiùs standum est, emisisse votum. Quare in eo casu ex ipsa natura voti impeditur consummatio.

504. *Occurrit objectioni.* Neque obstat : quod jurans contrahere Matrimonium, impleat juramentum contrehendo ; non verò teneatur consummare. Respondetur enim : juramentum inducere naturam & conditiones actûs, cui adjungitur ; cumque in contractu Matrimonii semper salva maneat conditio : *Nisi voluerit ad Religionem transire* ; inde est, quod etiam in juramento eadem conditio intelligatur, neque ad plus obligat juramentum. At quando quis vovit non contrahere, votum non induit naturam actûs, cui adjungitur ; sed id, quod vel ex natura rei comprehendit objectum voti, vel animus promittentis. Quare cùm in eo casu non constet de promittentis animo, illum interpretamur juxtà naturam rei, juxtà quam nuptiæ ad consummationem ordinantur. Quæ solutio mihi magis placet, quàm illa, quam ex Paludano adducit Ioan. Azor. loco citato. Hactenùs Pontius.

Solutio Paludani. Porrò solutio Paludani 4. dist. 38. q. 3. a. 5. concluſ. 6. dicit : Plùs in negatione, quàm in affirmatione contineri : hoc est, plùs tollere negationem, quàm ponat affirmatio ; quoniam qui negat Matrimonium, negat actum conjugalem : at qui affirmat Matrimonium, non eo ipso affirmat congressum conjugalem : nam Matrimonium esse potest absque conjugali complexu : non contrà maritalis complexus sine Matrimonio.

505. *Auctor approbat sententiam Sanchez.* Rogas : quid ego sentiam de hac controversia ? Mihi magis placet doctrina Sanchii, nisi constaret de voluntate contraria voventis ; scilicet, ipsum se voluisse obligare ad castitatem, etiam in statu matrimoniali. Ratio mea est : quia longè difficilius est servare castitatem in statu matrimoniali, quàm extrà eum ; ergò qui vovit abstinentiam à statu matrimoniali, etiam ex affectu castitatis, non ideò vovit abstinentiam à petitione debiti in statu matrimoniali, quæ longè difficilior est. Neque

Putat tale votum non prohibere fornicationem. Lessius.

Neque puto, eum voviſſe abſtinentiam à copula fornicaria; in quo ſequor Leſſium de Iuſt. lib. 2. cap. 40. n. 124. ubi cum Aliis, quos citat, exiſtimat, votum non nubendi nequaquam eſſe reſervatum Pontifici: Quia, inquit, multùm differt à voto caſtitatis; cùm per fornicationem non violetur. Cur ergò violaretur per petitionem debiti in ſtatu matrimoniali?

506. *Episcopi possunt dispensare in voto continentiæ non perpetuo.* Navar.

Audite Navar. Sum. c. 12. n. 76. Quintò dicimus; quòd communis DD. ſenſus habet, quòd quàmvis Epiſcopi non poſſint diſpenſare in voto, etiam ſimplici, perpetuæ continentiæ, niſi ſit magnum periculum incontinentiæ, & non poſſit adiri Papa; poſſent tamen diſpenſare in voto continentiæ non perpetuo, ſed ad tempus ſervandæ, veluti per annum, ſecundùm Paludanum.

An etiam in voto de non nubendo? Affirmat Antoninus. Negat Cajet. Angelus. Sylveſter.

Imò &, ſecundùm Antoninum & Alios, idem facere poſſent circa votum de nunquam contrahendo Matrimonio. In hoc ultimo tamen contrarium tenet Cajet. to. 2. Opuſ. Opuſc. 11. q. 1. cujus opinio licèt aliàs mihi placuerit, nunc tamen magis placet opinio Angeli verb. Votum, 4. §. 9. & Sylveſtri q. 4. Tum, quia illa ſervatur in ſacro Pœnitentiariæ prætorio: Tum, quia, præſuppoſitâ opinione communi, quam ipſe quoque Cajet. tenet, ſcilicet materiam voti ſufficientem eſſe opus quod non eſt ſupererogationis, ſed præceptum, non poteſt verè dici, æquivalere votum de non nubendo, & votum caſtitatis, per quod corruit ejus fundamentum, unà cum reſponſionibus ad duo argumenta nervoſa, quæ ipſe contrà ſe proponit, quæ nimiâ ſubtilitate potiùs, quàm æquitate niti videntur. Ita Navar.

507. *Duo arg. Cajet. pro noſtra ſententia.*

Hæc ſunt argumenta Cajet. Votum caſtitatis majus eſt, quàm non nubendi; ſicut ſervare caſtitatem plus eſt, quàm non nubere. Prætereà: convertibilium quicumque deſtruit unum, deſtruit & reliquum; ſed committens fornicationem agit contrà votum caſtitatis, & non contrà votum non nubendi; ergò hæc duo non convertuntur. Ecce duo argumenta ſeu rationes pro noſtra ſententia.

Quomodo ipſe ea ſolvat.

Ad utramque autem rationem (inquit Cajet.) ſimul dicitur; quòd nihil aliud concludunt, niſi quod votum caſtitatis largè ſumptum (prout ſcilicet ſub ipſo clauditur omnis caſtitas) & votum non nubendi, non æquivalent ſimpliciter; quod non contrariatur determinationi noſtræ, quâ diximus, quòd votum caſtitatis propriè (quæ eſt caſtitas ſupererogationis) & votum non nubendi ſimpliciter æquivalent. Hæc ille.

508. *Expenditur ſolutio.*

Et indubiè poſſet quis per votum non nubendi velle ſe obligare ad ſolam caſtitatem ſupererogationis, id eſt, ad abſtinendum à copula conjugali, quæ aliàs licita foret; & ſiquidem ea fuerit ejus intentio, nemo ambigit, contracto Matrimonio illicitè petere debitum, eſtò fornicando non peccaret contrà votum ſuum. Sed unde probatur hæc intentio? Nam fieri in primis poteſt, quòd non voveat abſtinentiam à nuptiis ex amore caſtitatis; ſed propter aliam rationem, putà, ut ſit liber à variis moleſtiis, quæ ſequuntur Matrimonium.

Atque ut voviſſet ex amore caſtitatis; haud equidem conſtat, eam voluiſſe promittere; cùm longè aliud ſit non nubere, quàm abſtinere ab uſu conjugali poſt nuptias. Promiſit ergò non nubere, ut ſic liber eſſet à reddendo debito conjugali, adeoque poſſet ſervare caſtitatem, ſi vellet; cùm poſt Matrimonium non poſſit, tametſi velit, niſi intrando Religionem, quam tamen propter ejus difficultatem non vult intrare, nec debet, ut dictum eſt. Cùm igitur Matrimonio jam contracto non poſſit amplius, aut ſaltem non debeat ſervare caſtitatem, non videtur ſe voluiſſe obligare ad abſtinentiam à petitione.

509. *In caſu propoſito ex naturâ voti non impeditur conſummatio.*

Quare in eo caſu ex ipſâ natura voti non impeditur conſummatio; quia non nubere, propriè ſignificat non contrahere, & hoc melius eſt, quàm ſuum oppoſitum; adeoque ſufficiens materia voti, etiam cum animo conſummandi, caſu quo contractus fuerit poſitus. Igitur teneo cum Sanchio; niſi, ut ipſe ait, & nos ſup. diximus, vovens voluerit ſe expreſsâ intentione obligare ad omnimodam caſtitatem. Eo ſemper ſalvo, ut diſſoluto hoc Matrimonio, ab aliis nuptiis debeat abſtinere. Quia (ut ait Sanchez ſup. n. 23.) votum non erat extinctum, ſed ſuſpenſum, durante Matrimonii impedimento, ſive factâ materiâ voti impoſſibili; redditâ igitur poſſibilitate, redit & obligatio voti.

510. *Quid dicendum de voto virginitatis.*

Ex his patet, quid dicendum ſit de voto virginitatis; ſcilicet, attentâ voti illius naturâ, adhuc amiſsâ virginitate per conſummationem Matrimonii, ſupereſſe deinceps obligationem continendi, ubi non obſtat major obligatio; ſcilicet juſtitiæ in reddendo debito: quia in eo voto includitur perpetua continentia ab omni actu venereo. Secus (inquit Sanchez ſup. n. 7.) Sanchez. ſi expreſſa voventis intentio fuiſſet, obligandi ſe ad ſolam à primo actu venereo continentiam, quò virgo permaneret; & non niſi ſecundariò & conſequenter ad continentiam ab aliis actibus; tunc enim amiſsâ virginitate per primum actum venereum, ceſſaret penitùs voti obligatio. Quoniam obligatio voti non aliter reſpicit materiam aliquam, quàm votum ipſum illam reſpiciat: at in eo caſu votum non reſpicit continentiam ab aliis actibus, niſi mediante continentiâ à primo, quæ fuit primaria ac immediata voti materia. Ergò ubi votum jam minimè reſpicit illam continentiam à primo actu, quia facta eſt impoſſibilis; nō etiam reſpiciet continentiam ab aliis; atque adeò nec voti obligatio ſuper illam cadet. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

In dubio de intentione, obligat ad perpetuam continentiam.

Addit. In dubio de intentione, cenſendum eſt, obligare ad perpetuam continentiam. Quia, inquit, votum ſuâpte naturâ ad id obligat: quare ipſum poſſidet vim obligandi, dum de oppoſita minimè conſtat voventis intentione.

Sed, amabo, quare potiùs hoc votum ſuâpte naturâ ad id obligat, quàm votum non nubendi? Et verò, ſi non tantùm intenderet ſervare materiale virginitatis; cur faceret votum virginitatis, & non magis caſtitatis ſimpliciter? Reſpondetur ad hoc: ideò emittere votum virginitatis, ut indicet majorem affectum ad caſtitatem.

Ad

511. *Cur potiùs hoc votum, quàm non nubendi.*

Ad primum dic: non nubere, eſſe objectum planè diſtinctum à caſtitate, ita ut perfectè poſſit quis ſervare votum non nubendi; eſtò nullatenùs fuerit caſtus, ſed maximè luxurioſus; igitur votum non nubendi, ſuâpte naturâ non obligat ad caſtitatem. At verò votum virginitatis neceſſariò reſpicit caſtitatem, & obſervari nequit, niſi ab eo, qui corpore caſtus fuerit, ſaltem quoad actum illum, per quem virginitas amittitur.

Ut omittam, virginitatem amiſſam quoad totum eſſe formale virtutis recupari poſſe, & ſervari; quid ni ergò, qui eam vovit, ad id teneatur? At verò contracto ſemel Matrimonio, eo ſtante, votum non nubendi eſt obſervatu impoſſibile, etiam quoad aliquam partem tantùm: & ideò ad nihil obligat.

Reſolutio finalis.

Cæterùm, ut hanc materiam concludamus, Dico: prædicta vota, ante vel poſt Matrimonium emiſſa, tunc obligare, quando res validè promiſſa phyſicè & moraliter eſt poſſibilis. Et ideò votum abſolutæ caſtitatis emiſſum ante Matrimonium probibet in Matrimonio petitionem debiti, per ſe loquendo, non redditionem; tametſi, ut dictum eſt, adſit facultas ingrediendi Religionem; niſi & eam implicitè ſeu virtualiter voviſſet. Si conjux obierit, aut adulterium commiſerit, reviviſcit ad plenam ſui obligationem. Emiſſum poſt contractum Matrimonium, altero cedente jure ſuo, prohibet etiam redditionem. Ratio breviter eſt; quia res promiſſa eſt phyſicè & moraliter poſſibilis. Phyſicè, ut clarum eſt: etiam moraliter: quia ſinè præjudicio conjugis: atque adeò ſinè peccato.

512. *Qualiter obliget votum abſolutum caſtitatis, emiſſum ſine licentia conjugis.* Sanchez.

Sed quid ſi emiſſum ſit ſine licentia alterius, ſeu altero non cedente jure ſuo? Loquor de voto abſoluto nec petendi, nec reddendi debitum: & dico, fuiſſe validum quoad petitionem: ſecùs quoad redditionem, ſaltem pro eo tempore, quo hæc obligat. Imò Sanchez ſup. diſp. 35. n. 26. exiſtimat hujuſmodi votum prorſus eſſe irritum quoad non reddendum debitum. Ex quo infert n. 28. votum hoc non obligare conjugem ad abſtinendum à redditione, quando ea eſt voluntaria, propter alterius adulterium.

Probatur ex Sanchez, eſſe prorſus irritum quoad redditionem debiti.

Probat autem antecedens d. n. 26. quia cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, de Converſ. conjug. clarè ſignificant, id votum quoad hoc non tenuiſſe; cùm cap. *Quidam* reddat eam rationem; nempè, non reddere non eſſe in poteſtate conjugis: quare ſolùm obligant illum ad abſtinendum à petitione debiti, & ab alio Matrimonio: & ſi cenſerent, obligare ad non reddendum, ubi id conjugi liceret, explicarent utique. Imò expreſsè id videtur decidere d. cap. *Quidam*, ibi: *Promiſit ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat, ideò quoad hoc votum tenuit.* Ubi clarè colligitur ex iis verbis, non tenuiſſe quoad redditionis debiti negationem.

513. *Occurritur objectioni.*

Nec obſtabit, ſi dicas: d. c. *Placet* haberi, id votum eatenùs fuiſſe obligatorium, quatenùs conjux potuit ſe obligare. Quia intelligitur quoad non petendum debitum: ut explicuit cap. *Quidam*; & ita eo cap. *Placet*, verb. *Vſquequaque*, explicat Gloſſa, non fuiſſe uſquequaque obligatorium, quia remanſit obligatio reddendi. Sic ille.

Impugnatur hæc doctrina.

Sed quis hoc negat? Nunquid in caſu d. cap. conjux dederat juſtam cauſam divortii per adulterium? Quid ergò mirum, ſi remanſerat obligatio reddendi? Proponatur itaque caſus Pontifici, in quo præceſſerat adulterium conjugis, & videamus, quid ſit reſcripturus. Proculdubiò dicet, votum uſquequaque tenuiſſe; quippè in eo caſu poterat ſe obligare etiam ad non reddendum. Cur ergò non potuit ſe obligare ad non reddendum, ſi contingeret, poſtmodum conjugem adulterari?

514. *Reſponſio Sanchez.*

Reſpondet Sanchez ſup. Quàmvis potuerit ſe obligare ad non reddendum, ſi alter conjux divortio cauſam dederit adulterium admittens: cùm tamen is caſus ſit rarus, ut ratione illius fiat divortium, nec excogitatus, non cenſetur promiſſus ſeorsùm; ſed non reddere cadet ſub illo voto per modum unius; cùmque ſit regulariter malum, & contra juſtitiam, totum votum quoad illam partem eſt irritum.

Rejicitur ſimile de voto ante Matr. emiſſo.

Nec eſt ſimile de voto caſtitatis ante Matrimonium emiſſo vel poſt, ante illius conſummationem, animo ingrediendi Religionem facto. Quia in eo eventu tota materia fuit licita; atque ideò votum fuit illidum quoad omnimodam abſtinentiam à reuditione debiti; nec valorem amittit ex eo, quòd poſt, conſummato Matrimonio, ad eum caſum devenerit, à quo incipere non potuit; ac ſubindè meritò dixi, id votum obligare ad non reddendum, quoties licitum id fuerit: in noſtro autem caſu eſt materia quoad non reddendum illicita. Atque ideò D. Bonav. Navar. & Alii dicunt, id votum intelligi atque obligare ſolùm quoad non petendum debitum, & non quoad non reddendum. Hactenùs Sanchez.

515. *An D. Bonav. fuerit in ſententia Sanchij.*

Hæc ſunt verba Doct. Seraphici 4. diſt. 32. in expoſ. lit. n. 3. *Vndè ſi quis deliberatè vovit caſtitatem, tenetur, quantùm in ſe eſt, continere, ut debitum non petat. Si tamen uxor petat, ſolvere debet; & ſic nulli fit præjudicium, & non offertur Deo alienum, ſed proprium.*

Probatur, quòd non.

Ex quibus verbis ego concludo oppoſitum: nam ideò ſolvere debet, quia aliàs fieret uxori præjudicium; ergò non poteſt ſolvere, quando aliàs nulli fit præjudicium.

516. *Arguitur contra Sanchium ex jure.*

Confirmo ex juribus ſup. à Sanchio pro ſe adductis, quæ ponderant ſimiliter præjudicium, quod fieret conjugi petenti, ſi debitum non redderetur; & dicunt, eatenùs votum fuiſſe obligatorium, quatenùs ſe poterat obligare; cap. *Placet*, ibi: *Licèt votum ejus uſquequaque non tenuerit, eatenùs tamen fuit obligatorium, quatenùs ſe poterat obligare.* Et cap. *Quidam*, ibi: *Promiſit enim ſe non exigere debitum, quod in ejus poteſtate erat, & ideò quoad hoc votum tenuit; non reddere autem* (id eſt, numquam reddere) *non erat in ejus, ſed mulieris poteſtate.*

Subſumo ego: atqui in poteſtate ejus erat, non reddere poſt commiſſum adulterium, & exiſtente aliâ cauſâ, propter quam excuſatur à redditione debiti; ergò quoad hoc tenuit votum, niſi conſtet de contraria voluntate voventis. Spe-

cificant quidem hæc jura petitionem debiti; quia de per se ea erat indebita; reddere autem de per se debitum; interim, sicut votum non teneret, dum per accidens petitio foret debita, de quo statim dicam; sic pariter teneret in casu, quo per accidens redditio non esset debita: vel assignetur disparitas.

517. *Non rarò conjux excusatur à redditione debiti.* Et sanè casus non est tam rarus, in quo aliquis excusatur à redditione debiti, ut patet ex hactenus dictis; cur ergò non censeatur vovens absolutè castitatem pro hoc casu se voluisse obligare, sicut poterat velle? Haud clarè video, quid obstet.

An tali eventu obliget votum castitatis. Appositè Coninck disp. 34. dub. 6. n. 41. Ex his Aliqui inferunt, Primò; talem præcisè vovere nō petere, nullo autem modo non reddere: ideòque, ajunt, ipsum adulteranti conjugi posse reconciliari, ac petenti debitum reddere; quia hoc ipsius voto non repugnat. Addunt tamen, eum mortuâ conjuge non posse aliam ducere, ut habetur c. *Quidam*, citato: quia scilicet talis obligavit se voto castitatis, quantùm potuit: potuit autem se obligare, ut conjuge mortuâ alium non duceret.

Sed hæc non satis capio. Si enim talis se obligavit voto quantùm potuit; cùm potuerit se obligare ad non reddendum debitum conjugi adulteranti, ad hoc verè obligabitur. Si verò nullo modo se obligavit ad non reddendum debitum; sicut tunc poterit adulteræ conjugi reconciliari cum animo reddendi debitum, & numquam petendi: ita eâ mortuâ poterit eâdem intentione aliam ducere; nec enim ullam hìc video rationem diversitatis. Ita Regius.

518. *Affirmat Pontius.* Et Pontius suprà n. 19. sic aît: Existimo, quoad partem non reddendi, quando ex jure justitiæ exigitur, votum omninò fuisse nullum: at quoad partem non reddendi, quando alter non habet jus exigendi, esse validum. Ratio, quæ me movet, hæc est: quia tota castitatis materia cecidit sub eo voto. Hæc ille.

Et infrà: undè consequenter assero, eum, qui votum castitatis emisit, sive ante, sive post consummationem, peccare contra votum, non solùm petendo, sed etiam reddendo, quoties liberum est reddere, aut quoties alter petit illicitè. Et tunc duplex peccatum committere; unum, quia cooperatur illicitæ petitioni, aliud verò contra votum: quia in eo casu est sublatum impedimentum, proveniens ex jure alterius; & ex consequenti est libera tota materia comprehensa voto, & possibilis. Ita Basilius.

519. *Prima pars sententiæ Regij.* Quare hac in re (utor verbis Coninck sup. n. 42.) credo dicendum. Primò: si talis, dum vovit, intenderit, saltem implicitè, obligare se ad absolutam castitatem, posito quod sive per adulterium conjugis, sive per ejus mortem, aut quâcumque aliâ ratione hæc ei esset licita: nec potest adulteræ conjugi reconciliari, nec eâ mortuâ aliam ducere. Per se patet, & Omnes concedunt.

Secunda. Secundò: videtur communiter ita vovisse, quicumque ex sincero amore castitatis eam voyet, nisi expressè contrarium intendat. Nam cùm talis ita amet castitatem, ut velit se ad eam quantùm potest servandam obligare, quando hoc ei difficillimum est, ob communem usum tori: quantò magis intendit se obligare, ut eam integrè servet accidente casu, quo hoc faciliùs longè poterit? Contrarium tamen probabile, ob rationes, & auctoritatem eorum, quos citat Sanchez lib. 9. disp. 35. n. 26. Ita Regius. Et nos cum illo.

Addit tertiò: si talis expressè solùm intenderet eam vovere, quatenùs pro eo statu eam potest servare, nullo modo obligaret se ad servandam castitatem, quatenùs repugnat præcisè redditioni debiti, etiam eo casu, quo ei esset licitum non reddere, ut benè docet Sanchez sup. Quare credo talem, per se loquendo, non peccare contra votum, si adulteræ reconcilietur, aut conjuge mortuâ aliam ducat, modò utrumque eâ intentione faciat, ut numquam debitum petat, sed solùm reddat: quia nullo modo vovit non reddere, Sanchez sup. n. 22. Per accidens tamen communiter peccaret; quia obligando se, ut cum persona diversi sexûs semper eodem toro utatur, exponeret se gravi periculo, sæpè petendi debitum, aut saltem appetendi concubitum, quod repugnat ipsius voto. Hucusque Coninck. 520. *Tertia.*

Sed dicet aliquis: aliud est expressè vovere abstinentiam à petitione, de quo voto loquitur Sanchez n. 22. & aliud vovere castitatem, quatenùs pro eo statu potest observari, etiam non reddendo: cur ergò tunc non peccatur contra votum per redditionem? 521. *Hæc pars oppugnatur.*

Si respondeas: quia non reddere per se est illicitum; non petere verò per se licitum. Votum autem non cadit super materiam per se illicitam, licèt hìc & nunc liceat; jam incidis in sententiam Sanchez; scilicet, neque votum absolutæ castitatis prohibere redditionem, per accidens liberam; quia redditio per se est necessaria; & ideò votum absolutæ castitatis eam non respicit, etiam dum per accidens est libera; sicut votum castitatis, quatenùs pro eo statu potest observari. *Evasio præcluditur.*

Imò Aliqui asserunt, hæc vota esse omninò irrita; quoniam sunt in grave alterius conjugis præjudicium, cui onerosum erit, ut debito conjugali frui possit, semper petere. 522. *Aliqui docent, prædicta vota esse omninò irrita. Probat. 1*

Præterea: votum rei, partim licitæ, & partim illicitæ, vel partim possibilis, & partim impossibilis, factum per modum unius, ad nihil obligat: at hìc sub voto castitatis perfectæ per modum unius cadunt nec petere, nec reddere; cum tamquam unum objectum respiciatur utrumque à vovente comprehensum in castitate. *Secunda probatio.*

Sicut vovens se nunquam peccaturum, respicit per modum unius omnia peccata, ut sub ratione generica peccati clauduntur: & proindè non tenetur virtute illius voti vitare etiam partem peccatorum possibilem: cùm ergò pars talis voti sit de re illicita, & contra justitiam, qualis est non reddere post consummatum Matrimonium; corruet totum votum perfectæ castitatis.

Atque hujus sententiæ videtur fuisse Doct. Angelicus 4. dist. 32. q. un. art. 4. corp. ibi: 523. *Hujus sententia videtur*

Vnde

tur fuiſſe D. Thomas.

Vndè cùm conjuges ſibi invicem teneantur in redditione debiti, ut dictum eſt, per quod continentia impeditur, non poteſt unus abſque conſenſu alterius continentiam vovere: & ſi voverit, peccat, nec debet ſervare votum, ſed agere pœnitentiam de malo voto facto.

Sed reſponderi poſſet: D. Thomas hìc nihil aliud voluit, quàm quod peccet, ſi voverit, nec debeat ſervare votum quoad redditionem debiti, ad quam ex juſtitia obligatur. Sic, inquam, reſponderi poſſet, niſi clariùs mentem ſuam aperuiſſet in reſponſione ad 3. ſequentis tenoris: *Ad tertium dicendum, quòd circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quòd unus abſque conſenſu alterius poteſt vovere, quòd non petat debitum, non autem quod non reddat; quia in primo eſt uterque ſui juris, ſed non in ſecundo. Sed quia, ſi alter numquam peteret debitum, ex hoc alteri Matrimonium oneroſum redderetur, dum oportet unum ſemper confuſionem debiti petendi ſubire; ideò Alii probabiliùs dicunt, quod neutrum poteſt unus abſque conſenſu alterius vovere.*

524. *Oppoſita doctrina eſt communior.* Interim cõmunior ſententia eſt, id votum validum eſſe, & obligare conjugem, illi ſe aſtringentem, ſub mortali, ut à petitione debiti abſtineat; niſi obſtet particularis intentio voventis, quâ noluit unum ſinè altero vovere, ſed utrumque per modum unius indiviſibilis. *Probatio ejus.* Ratio eſt: quia conjux non tenetur lege Matrimonii petere per ſe loquendo, ſed tantùm reddere.

D. Aug. Undè D. Aug. ſuper Pſalm. 146. (& refertur 33. q. 5. c. 1.) ait: *Pro ſanctificatione* (aliàs, *ſatisfactione*) *perfecta Deus tibi computabit, ſi non quod tibi debitum exigis, ſed reddis, quod debetur uxori.* Cùm ergò non petere ſit liberum ac opus virtutis, erit materia voti.

525. *Non obligaret tale votum, ubi per accidens foret obligatio petendi.* Hinc ſi per accidens foret obligatio petendi, vel ad evitandam conjugis incontinentiam, vel quia pudore præpeditur petere, & aliàs coitum appetit, vel ex alia cauſa; liquet profectò, tali caſu votum non obligare, defectu materiæ, quæ debet eſſe opus bonum, imò melius ſuo oppoſito. Porrò tali caſu non petere foret malum, ut ſupponitur.

Sanchez docet, voto aſtrictum aliquando poſſe petere debitum. Sed nunquid ſuppoſitum hoc verum eſt? Sanchez lib. 9. diſp. 7. n. 1. ſic ait: Maritus, cui petere eſt interdictum, cùm tamen reddere teneatur, ut contingit, quando voto caſtitatis ligatus eſt, aut poſt Matrimonium contraxit illicitam affinitatem, aut cognationem cum uxore, poteſt nonnunquam inſinuare, ſe uxori & offerre ad uſum conjugalem, petereque ab ea debitum; non in gratiam ſui, nempè, ut ſuo appetitui morem gerat; ſed gratia uxori complacendi, & non reddendi Matrimonium ei grave & oneroſum. Probatur; quia hoc petendi genus eſt quodammodo reddere, cum in ſolius uxoris gratiam ſit, quæ verecundiâ ſolet ab exactione debiti id optans arceri. Sic ille.

Quod tamen limitat n. 2. niſi uxor vovendi caſtitatem licentiam conceſſit. Cùm enim ſuo jure in hoc ceſſerit, ut permittat Matrimonium ſibi fore oneroſum, marito obligante ſe ad non petendum, conqueri jure nequit de hoc onere, & quod concubitum appetens cogatur expreſsè aut interpretativè petere. Ita Sanchez.

Et pro hac ſua opinione citat D. Thomam 4. diſt. 38. q. 1. a. 2. q. 2. ad 4. & alios complures Theologos. Verè an falsò, poteris facilè cognoſcere ex verbis Doct. Angelici, quæ hìc ſubjicio *Ad quartum dicendum; quòd quantùm ad eà, in quibus non eſt factus impotens votum continentiæ ſervare, adhuc poſt contractum Matrimonium obligatur ad ſervandum; propter quod mortuâ uxore tenetur totaliter continere: & quia ex Matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideò non poteſt petere debitum ſine peccato; quamvis poſſit ſine peccato reddere debitum exigenti, poſtquam obligatus eſt ad hoc per carnalem copulam præcedentem.*

526. *An benè pro ſe citet D. Tho.*

Hoc autem intelligendum eſt, ſive mulier petat expreſsè, ſive interpretativè; ut quando mulier verecunda eſt, & vir ſentiret ejus voluntatem de redditione debiti; tunc enim ſine peccato reddere poteſt; & præcipue, ſi ei timet de periculo caſtitatis. *Sufficit, quòd mulier interpretativè petat.*

Nec obſtat; quòd non ſunt pares in Matrimonii actu; quia quilibet poteſt hoc, quod ſuum eſt, abrenuntiare. Quidam tamen dicunt; quòd poteſt & petere & reddere, ne nimis oneroſum reddatur Matrimonium uxori ſemper exigenti; ſed ſi rectè inſpiciatur, hoc eſt exigere interpretativè. Ergò ſecundùm D. Thomam, ut vir licitè copuletur uxori, requiritur ſemper ſaltem interpretativa uxoris petitio.

Neque hoc negat Sanchez ſup. nam per interpretativam petitionem, poſt licentiam datam, intelligit ſignum aliquod externum internæ voluntatis, præter hoc, quòd ſit nimis oneroſum ſemper petere.

527. *Quæ ſit interpretativa petitio, ſecundùm Sanchez.*

Porrò an iſtud ſolum onus ſit ſufficiens petitio, ut aſtrictus voto poſſit uxori copulari, hoc eſt, quod in præſenti quæritur. Et eadem eſt controverſia de periculo incontinentiæ in altero, quod & ipſum Sanchez ſup. n. 5. putat ſufficere, ut conjux ſic impeditus petat debitum: tum, inquit, quia hoc eſt quodammodò reddere: tum etiam; quia votum non obligat ad non petendum cum diſpendio ruinæ alterius conjugis. Hæc ille. *An ſolum onus petendi ſufficiat.* Sanchez.

Nunquid audiendus? Coninck ſup. n. 47. ita ſcribit de hac re. Quàmvis ob gravium DD. auctoritatem non auſim omninò negare, hæc eſſe probabilia: tamen non video, quo fundamento nitantur: quia conjux per illud votum obligavit ſe ad ſervandam caſtitatem quantùm poſſet ſine præjudicio uxoris: atqui in nullum præjudicium uxoris cedit, ſi tunc temporis non petat debitum; quia conjuges non obligant ſe ad petendum debitum, ſed ad reddendum; ergò tenetur non petere, ſed caſtitatem ſervare.

528. *Probatur ex Coninck, non ſufficere.*

Nec refert: quod virum tunc non petere debitum, ſit aliquantum grave uxori: quia hoc ſibi, non autem viro imputare debet, qui non tenetur ab ea amovere quidquid ei aliquâ ratione oneroſum eſt. Nam aliàs nec poſſet petere debitum, quando hoc conjugi ob aliquam corporis diſpoſitionem eſſet nonnihil oneroſum; nec ad ſua negotia proficiſci, aut breves aliquas peregrinationes ſuſcipere, quoties crederet, ſuam abſentiam fore conjugi moleſtam, quæ interim

interim fortè expetet Matrimonii usum, quæ absurda sunt. Sicut igitur, qui vovisset aliquot dierum peregrinationem, non posset eam omittere, eò quòd esset aliquantulum futura molesta uxori; sic nec potest omittere observationem voti castitatis, non petendo debitum, etsi hoc molestum sit uxori.

529. *Confirmatur.* Confirmatur; quia vir contrahendo Matrimonium obligavit se, ut eodem toro utatur cum uxore; non autem, ut petat debitum: & consequenter illa habet jus ad illud, non autem ad hoc. Si igitur illo non obstante, vir voti implendi causâ teneatur se quandoque ad tempus ab ejus toro peregrinando separare; quantò magis tenebitur non petere debitum, ut votum suum impleat? Ita Regius.

Quid posset hic responderi. Respondere posset aliquis, & sic argumentari: vir voti implendi causâ non tenetur se in perpetuum ab ejus toro peregrinando separare; ergò non tenetur in perpetuum abstinere à petitione debiti, ut votum suum impleat, quod solùm Sanchez intendit; neque enim dicit, virum semper posse petere debitum, sed nonnunquam; ut patet ex verbis ejus sup. relatis.

530. *Quoties liceat petere. Ledesma. Victoria.* Quòd si roges (inquit) quoties hoc liceat? Ledesma 2. p. 4. q. 66. art. 1. ad finem explicuit quater vel aliquoties in mense. Sed melius Victoria Sum. de Matr. n. 293. id prudentis arbitrio remisit, dicens, quoties marito visum fuerit honestum.

Itaque ea ratio habenda erit, ne Matrimonium reddatur uxori grave & onerosum, si quoties concubitum appetit, cogatur contra naturalem verecundiam, fœminis insitam, exigere. Quare cùm quædam fœminæ aliis in venerem propensiores sint, atque ita frequentius concubitum appetant viri: ab illis sæpius quàm quater, ab aliis verò rariùs in mense exigere licebit · unde ad hoc librandum attendenda est conditio nativa uxoris, ac ejus in venerem propensio. Sic ille.

Opinio Sanchij.

531. *Auctor existimat non posse petere, nisi dum non petendo peccaret.* Ego autem quæro: vir peccaret, secluso voto, & omni alio impedimento, si aliquoties in mense non peteret; aut si non peteret, quoties sibi visum fuerit honestum? Quid eligis? Peccaret? Dico ego, tunc votum non obligare. Ratio patet: quia materia voti facta est impossibilis. Eligis, non peccaret? Respondeo ego: votum obligare; quia materia ejus manet possibilis; licèt enim honestum foret exigere amore conjugis, ne Matrimonium sit ei onerosum; attamen magis honestum, non exigere amore virtutis castitatis, quam promisit servare sinè præjudicio suæ uxoris, quod hic non intervenit; cùm sciverit aut scire debuerit, petitionem debiti esse liberam, non tantùm ex parte viri, sed etiam ex parte sua; unde immeritò conqueritur de illo onere, cui sponte se subjecit.

Solvitur objectio. Nec obstat: quòd si sciviſſet illud votum, noluisset contrahere; hinc enim tantùm sequitur, quòd potuisset à sponsalibus resilire, ut alibi ostendimus, propter notabilem mutationem; interim contracto jam Matrimonio, non censetur illud onus tantum, ut per se cesset votum; quàmvis foret causa sufficiens dispensandi.

Faciliùs fortè (inquit Coninck sup. n. 49.) posset admitti, obligatum voto castitatis posse petere debitum, quando hoc credit necessarium, ut conjugem periculo incontinentiæ eripiat. Contrarium tamen etiam in hoc casu cum aliis viris doctis, quos consului, puto probabiliùs. Quia talis tenetur integrè servare suum votum, quatenùs id facere potest, salvo omni jure conjugis: atqui hæc nullum habet jus, ut alter eo casu debitum petat; ergò tenetur non petere, ut votum integriùs servet. Confir. quia quisque magis tenetur vitare periculum propriæ incontinentiæ, quàm alienæ: atqui talis ob nullum proprium periculum incontinentiæ liberatur ab obligatione voti: ergò nec ob alienum.

532. *An sufficiat periculum incontinentiæ? Negat Coninck. Probatur. Confirmatur.*

Respondent Aliqui: esse diversam rationem: quia est in potestate voventis vitare propriam incontinentiam, non tamen alienam.

533. *Responsio Aliquorum.*

Sed contrà Primò; quisque non modò tenetur vitare propriam incontinentiam, sed etiam periculum incontinentiæ, in quo gravissimo talis versatur. Difficillimum enim est, aliquem cogi, ut continuò cum uxore dormiat, & tamen numquàm possit ejus usum appetere; præsertim, quando hæc vix unquam toto anno debitum petit, quod sæpè in fœminis contingit. Nec ipse magis habet in sua potestate vitare hoc proprium periculum, quàm conjugis, cùm nequeat hujus torum deserere; ejusque causa est longè favorabilior, ut qui non ex malitia, sed ex necessitate huic periculo subjacet. Cùm igitur talis teneatur servare votum castitatis, non obstante proprio periculo, tenebitur etiam non obstante periculo conjugis.

Rejicitur 1.

Secundò: quia inde sequeretur, eos, qui mutuo consensu vovissent castitatem, & jam solùm ut frater & soror simul viverent, teneri petere à se mutuo debitum, quoties unus crederet, hoc esse necessarium, ut alterum ab incontinentia averteret. Item: quòd is, qui quantùm posset ex parte sua vovisset castitatem, posset nihilominùs à conjuge adultera petere debitum, quando videret, hoc esse necessarium, ut ipsam ab ulteriore incontinentia averteret; præsertim, si cum ea solo toro separata cohabitaret. Quia etiam in his casibus valeret argumentum: scilicet, non obligat votum unius conjugis cùm periculo incontinentiæ alterius. Ex quibus patet hoc esse negandum, cùm, quæ inde sequuntur, clarè absurda sint. Hucusque Coninck.

534. *Secundò.*

Nunc loquatur Sanchez sup. n. 11. Si ambo, inquit, conjuges promiserint Deo, se minimè debitum petituros, possent ambo commisceri, non quidem debitum petendo, id enim adversatur voto emisso, sed quando quilibet sentiret alium indigere, ut propter incontinentiæ periculum. Ratio est; quia tunc neuter verè petit, ac proindè neuter peccat adversus votum: & ex alia parte est quodammodò redditio, cùm neuter gratiâ sibi satisfaciendi, sed annuendi voluntati alterius conjugis, cui reddere tenetur, accedat.

535. *Quid Sanchez sentiat de hac re. Existimat sufficere, quando solùm est votum de non petendo.*

Sic docet Gloss. cap. fin. 27. q. 1. verb. *Si quis votum*, ubi statim in principio interrogat: *Sed nunquid simpliciter vovens potest contrahere cum alia*

Idem docet Gloss. cap. fin. 27. q. 1.

alia, quæ simpliciter vovit? Non videtur, quòd teneat Matrimonium, cùm neuter possit debitum exigere. Pone eos vovisse, quòd nunquam exigerent. Dico, quòd benè tenet Matrimonium: quia uterque potest reddere. Sed quomodo, cùm reliquus non exigat? Respon. uterque enim si sciat alterum indigere, nec posse exigere, reliquo debet commisceri, & uterque reddere dicetur. Igitur disparitas est; quòd qui vovissent mutuo consensu castitatem, nec petere possent nec reddere; & ideò ipsorum votum obligat cum periculo incontinentiæ alterius; sicut eorum, qui non sunt conjugati.

536. *Similiter si est votum absolutum castitatis emissum non communi consensu.* Et ideò Sanchez sup. ait: Idemque consequenter dicendum est, si votum absolutum ante aut post Matrimonium conjuges emiserint, non communi consensu. Quia id votum non eximit ab obligatione reddendi; sed solùm obligat ad non petendum. Secùs autem dicendum esset, si conjuges per viam pacti mutuo consensu castitatem vovissent. Quia jam nec petendi, nec reddendi facultatem habent.

An tali casu sit obligatio ad copulam. Insuper in casu primo, in quo loquitur Glossa citata, videlicet, quando conjuges vovissent se non petituros, & sentirent in altero incontinentiæ periculum, non tantùm posset alter licitè accedere, sed teneretur. Quia ea est redditio, & in illo discrimine obligatur quilibet conjux alteri subvenire. Hactenùs Sanchez.

Sanchez.

537. *Sententia Auctoris.* Equidem si tali casu vinculum matrimoniale obliget ad petendum debitum, secluso voto; consequenter dico, etiam obligare posito voto; videtur enim hujusmodi votum intelligendum, salvo jure matrimoniali, sive strictæ, sive latæ justitiæ; secùs si non sit obligatio, nisi communis charitatis subveniendi proximo; cùm enim aliâ viâ possit & debeat continere, quòd ex malitia sua nolit, non videtur per se excusare ab obligatione voti. Sicut etiam periculum propriæ incontinentiæ, secundùm communem sententiam, non sufficit seclusâ dispensatione; quamvis præbeat justam causam dispensandi. Nam aliâ viâ potest & verò debet continere.

538. *Qui vovit castitatem, non potest contrahere Matr. ad impediendam incontinentiam.* Censen', quòd ille, qui vovisset castitatem, posset contrahere Matrimonium sine dispensatione, eò quòd id foret necessarium ad impediendam incontinentiam propriam vel alterius? Scio, quòd non censeas. Si ergò conjux non habet aliam obligationem petendi debitum, ut impediat incontinentiam alterius, liquet non posse petere sine dispensatione.

Objectio solvitur. Si dixeris: tali casu non petit, sed reddit. Respondeo: ergò habet majorem obligationem; quia ex justitia, saltem latè dicta, tenetur reddere, & non ex sola tantùm charitate. Vide quæ de hac obligatione alibi diximus.

539. *Obligatus voto non potest alterum deterrere à petendo.* Et nota: obligatum voto castitatis, debere cavere, ne det conjugi aliquam occasionem, cur à petendo deterreatur; quia hâc ratione contrà jus ipsius faceret. Item: omninò consulendum esse, ut vir conjugi aperiat, se non posse petere debitum; eamque hortetur, ut quoties placuerit, liberè petat, & hâc ratione in plena libertate eam constituat. Ita Coninck sup. n. 48.

Coninck.

Neque his repugnat Sanchez sup. n. 10. ubi ait: Nefas est, si conjux interdictus à debiti petitione incitet non interdictum, ut debitum petat. Quia id exigere est. Quod etiam docet Aversa q. 21. sect. 7. §. *Limitari tamen*, in fine, dicens: Licebit etiam conjugi impedito manifestare alteri suum impedimentum, ne expectet petitionem ejus, quàmvis noscat ex hoc fore, ut alter frequentiùs petat. Non tamen licebit eum rogare & invitare ut petat: quia hoc jam esset ex parte sua petere, quod ei non licet. Sic ille.

An possit ipsum incitare ad petitionem. Sanchez. Aversa.

Sed (sicut dixi) id non repugnat doctrinæ Regii, qui solùm loquitur de hortatione in genere, ostendendo alteri, quid jure possit facere, ut patet ex verbis ejus: Sanchez autem & Aversa intelligunt invitationem seu incitationem hìc & nunc, quando alter, probè sciens jus suum, non vult petere.

Sed nunquid impeditus tenetur alteri indicare votum suum, vel aliud impedimentum, ut à petendo abstineat; maximè, si nôrit fore, ut non petat? Negat Sanchez sup. n. 9. Quia actus concubitus reddendo desinit esse voti vel præcepti materia, durante obligatione reddendi ob Matrimonium. Atque hæc satis pro hoc loco de voto Religionis, castitatis & sacri Ordinis. Qui plura voluerit adeat Sanchium, & inveniet. Ego illis supersedeo, quia magìs propriè spectant ad materiam de Voto, quàm hìc non suscepimus explicandam.

540. *An debeat alteri indicare votum suum.* Sanchez.

Proprium omninò huic loco est, disputare, utrùm ratione modi vel sitûs reddatur vitiosus congressus conjugalis. Erit igitur

CONCLUSIO XVI.

Modi naturalis inversio non reddit congressum conjugalem vitiosum mortaliter.

INtellige 1. per se; nam per accidens posset esse peccatum mortale, ut patebit ex dicendis. Secundò: sive fiat à latere, sive sedendo, sive stando; sive præposterè, seu viro succumbente. Ita docet Sanchez, cum Alijs, quos citat, lib. 9. disp. 16. n. 3. Et sequuntur Pontius lib. 10. c. 11. Castil. disp. 9. n. 63. Aversa q. 21. sect. 5. §. *Secundò*, Herinx disp. 7. n. 23. & Alij; quàmvis etiam Multi oppositum doceant, quos vide apud Sanchez sup. n. 2.

541. *Quomodo Conclus. intelligenda.* Sanchez. Pontius. Castil. Aversa. Herinx.

Ipse autem n. 3. probat suam sententiam & nostram Conclusionem, Primò; quia semen non recipitur in fœmineam matricem per infusionem seu descensum, sed per attractionem, eò quòd sit virtus naturalis in ea, semen attrahens, sicut in stomacho respectu cibi. Ergò nullus corporis situs in concubitu obstat generationi; ac proinde non

Probatur Concl. 1.

constituet culpam lethalem ; cùm servetur finis Matrimonij legitimus, qui est posse sobolem concipi : & inordinatè quærere delectationem intrà Matrimonii limites, solùm sit culpa venialis.

542. *Secundò.* Secundò : quia est abusus, ac naturalis ordinis perversio in solis accidentalibus, cùm vas legitimum servetur ; sicut dum conjuges gratiâ voluptatis captandæ copulantur : nec tenentur conjuges majorem prolis certitudinem curare: satis est, illius conceptionem non impedire. Hæc ille.

Substantia itaque actûs non est contra naturam, sed solùm modus; in quo non reperitur gravis deordinatio. Imò aliquando nulla, dum scilicet aliqua rationabilis causa adest, v.g. ægritudo, dispositio corporis, periculum abortûs &c. ut notat Sanchez sup. n. 7.

543. *Mutatio modi naturalis in concubitu est venialis.* Absente autem tali causâ, certum est apud Omnes, committi peccatum veniale, idque gravius aut levius, secundùm quod modus est magis vel minùs contrà naturam : v. g. gravius est peccatum, si fiat propostere, vel viro succumbente, quàm si à latere, vel stando aut sedendo ; quia per modum præpostorum homo magis fit similis bestijs, quibus ille modus naturalis est : modus etiam succumbendi magis repugnat receptioni seminis : quia tamen absolutè potest sequi generatio, ut Sanchez & Alij supponunt, hinc excusari potest à mortali.

544. *An nunquam impediat generationem ? Pontius dubitat, & Medicis id relinquit.* Sed enim, dicet aliquis : unde constat veritas hujus suppositi. Mihi (inquit Pontius sup. n. 2.) difficilè videtur id quod assumitur ; nullo scilicet coëundi modo ex his, quos excogitavit libido, impediri generationem. Quare hanc rem Medicis relinquamus ; Theologis, qui cælibem vitam agentes experimento discere non possunt, speculari turpe, scribere turpius est. Quare id à Medicis definitum accipiamus, & illos Confessarij consulant, cùm ejusmodi casus in Confessionibus occurrerint. Ita Basilius.

545. *Ipsum redarguit Perezius.* Contrà quem insurgit Matr. Perez de Matr. disp. 49. sect. 7. n. 11. dicens : Non satis video, quid Basilius his verbis innuere voluerit. An fortè lædere nostri Doctoris religiosam munditiam ac puritatem seu virginalem modestiam, ab ipso divinâ gratiâ obtentam ? Non creditur de viro religioso & docto tam gravis injuria & offensio. An potiùs Theologos animadvertere, ut eos talis cognitionis ac scientiæ pudeat, quasi à sua professione ac cælibi statu valde alienæ ? Hoc saltem ex verbis relatis evidenter colligitur, cum clarè præscribat illud Medicis relinquendum, & ut ab ipsis definitum accipiendum ; & expresè dicat : Theologis id speculari turpe esse, & scribere turpius. Ponderentur hæc ultima verba, quæ non ita considerate dicta videntur. Nam tametsi in hujusmodi doctrinis dilucidandis nonnulla sint puris mentibus satis molesta : quis tamen non videat, ea perfectè enucleare in bonum animarum, non ad Medicum, sed ad Theologum pertinere ? Nonne Theologis omninò incumbit obligatio ac necessitas ea sciendi, ut obvietur periculis conscientiarum, & ignorantiis Confessariorum, ne ex inscitia sequantur quàm plurima peccata ex conscientia erronea consurgentia ?

Existimans, id ad Theologos pertinere.

Quod si ea speculari, seu speculativè tractare, turpe esset ac inhonestum Theologis : cur non esset quoque Philosophis ac Medicis indecens, turpe, præter-decorum, ac deforme, quorum imbecillitatem potiori jure ac fragilitatem extimescere possumus. Quòd si quis parum pius, seu valde sceleratus, eâ scientiâ abutens inde excitaretur ad experientias illicitas : quid inde ? Sic enim nec de ea re scribere aut typis mandare debuissent Albertus Magnus, Cajetanus, Sylvester, Victoria, Sotus, Rosella, Angelus, & alij sexcenti viri doctissimi ac pijssimi, tot libros ac Summas casuum conscientiæ, à quibus improbi & vitiosi homines illici possent ad nova & priùs incognita flagitia perscrutandum & experiendum. Uno verbo : panem, vinum, ignem, noctem, solem de medio tollas necesse est, si voles tollere, quidquid abuti mali homines solent. Nam creaturæ omnes insipientis laquei sunt. Mundis igitur omnia munda sunt. Unde illa speculari & scribere in bonum animarum, non solùm non turpe, sed valde honestum est ac decens, & bono Ecclesiæ & conscientiarum utile ac necessarium. Usque adhuc Perezius.

546. *An id speculari magis turpe sit Theologis, quàm Medicis.* *Negat Perez.*

Tu cogita, an spectet ad Theologos perfectè enucleare, qui cibi sint noxij, qui autem maximè convenientes corporali hominum sanitati ; & non potiùs ad Medicum ? Vulgariter dicitur : *Vnicuique in sua arte credendum est*. Et certum est, scientiam Medicinæ ea considerare, quæ spectant ad generationem hominum, & bonam eorum valetudinem conservandam, potiùs quàm Theologiam.

547. *Iuuicium Auctoris.*

Quare si judicio Medicorum aliquo coëundi modo ex his, quos excogitavit libido, generatio impediatur, noli illos, qui sic coëunt, à peccato mortali excusare. Quod probè sciens Sanchius sup. nu. 5. ait : Temperatur tamen nostra sententia, nisi tali concumbendi modo generatio impediatur ; quia semen receptum intrà vas fœmineum minimè retinetur ; sed foras expellitur ratione modi extraordinarij concubitûs. Ita temperant Cajet. Rosella, Angelus & Alij. Sed hæc moderatio vera est in se ; si enim impediretur generatio, manifestum esset lethale scelus contrà naturam. At non est necessaria. Quia nec impeditur generatio, nec effusionis seminis extrà vas est periculum, ratione virtutis attractivæ Matricis. Sic ille.

Modus, qui impediret generationem, foret mortalis. Sanchez. Cajet. Rosella. Angelus.

An consuluerit Medicos, nescio ; ipse, cùm cælibem vitam egerit, experimento discere non potuit. Citat interim Theologos, qui id docent. Et addit : Quare si experientiâ constaret, in eo concumbendi modo semen minimè retineri, sed effundi

548. *Quod intelligit Sanchez quando per se impediat.*

effundi ob fœminei vasis nimiam humiditatem vel laxitatem, esset peccatum mortale juxtà Omnes : quia impeditur generatio, quæ est finis principalis Matrimonij. Contrarium tamen ego intelligerem, si effusio illa non ex concumbendi modo, sed ex aliquo morbo consurgeret. Quia non est situs in causa effusionis, & præter intentionem conjugum dantium operam rei licitæ evenit, nec impedimentum retinendi est perpetuum. Sic ille.

Secùs, si id contingat ex aliquo morbo.

549. Sed hoc non placet Pontio lib. 10. c. 11. n. 3. ubi ait : Si experimento constet, fœminam aliquam ratione suæ debilitatis, complexionis & temperamenti, semen non retinere, si aliquo certo copulæ modo conjungantur, cùm tamen retineatur alio, esse peccatum mortale, uti illo modo, quàmvis ex se non esset impeditivus generationis. Satis enim est ad malitiam peccati, in hac fœmina experimento compertum, generationem impediri, cujus oppositum sine fundamento docet Tho. Sanchez disp. cit. n. 5. Ita Basil.

Pontio satis est, quòd in hac fœmina constet generationem impediri.

550. At verò Perezius sup. n. 12. ait : Neque oppositum docet Sanchez disp. 16. cit. n. 5. ut patet attentè legenti ; quidquid dicat Basilius c. 11. cit. n. 3. Sic ille. Nam loquitur in casu, in quo illa effusio non consurgit ex modo concumbendi ; sed purè putè ex morbo, ita, ut tametsi naturaliter concumberent, nihilominùs consurgeret. Et tunc verum est, quod illa effusio eveniat præter intentionem conjugum, dantium operam rei per se licitæ, scilicet copulæ conjugali. Ac proinde causa, quæ excusaret talem concubitum naturalem a graviori peccato, quidni etiam excusaret concubitum præternaturalem ?

An hi Auctores sibi apponantur, ex Perezio.

Non sufficit qualibet effusio seminis extra vas ad peccatum mortale.

Præterea observat Sanchez sup. (quem sequitur Perezius sup.) ex aliqua seminis effusione extrà vas non concludi, variationem debiti situs esse mortalem. Quia solet matrix aliquando parum seminis retinere, quod ad generationem sufficiens sit, expulso reliquo. Idem docet Pontius sup. dicens : non esse peccatum mortale, si eo copulæ modo aliqua pars seminis elabatur, dummodò retineatur alia. Docent enim Medici, non totam seminis quantitatem in matrice retineri.

Sanchez. Perez. Pontius.

Oppositum tenet Dicast.

Sed hæc doctrina (inquit Dicast. sup. n. 65.) larga mihi & nimis laxa licentia videtur : est enim prodigere semen humanum absque rationabili causa ; quia conjuges, ut suppono, alioquin ad talem situm non habent jus, propter impedimentum aut difficultatem utendi naturali situ, quin potiùs facilè possent illum servare.

Evasio præcluditur.

Nec refert : si dicatur, id esse per accidens, & præter intentionem. Nam supposito, quòd tale periculum prævideatur, & sic congrediens non utatur jure suo, non censetur id resultare per accidens ex usu sui juris. Neque enim habet jus ad sic congrediendum, quando aliter potest & debet. Unde in tali casu meritò censetur causa moralis illius effusionis extrà vas, quam non solùm permittit, sed etiam efficit, adhibendo modum, ad quem non habet jus.

Quæ ratio & doctrina maximè vim habet in sententia verissima, & mihi certa ; quòd vel minimæ particulæ seminis deliberata administratio extra legitimum conjugium, aut legitimum vas, sit peccatum mortale, neque in ea re sit locus parvitati materiæ. Negari autem non potest, quin illa pars, quæ in tali casu effunditur, sit æquè administrata, atque illa, quæ intra vas legitimum recipitur ; & tamen administratur prævidendo (ut supponimus) ex tali modo, ad quem non habet jus, fore extrà vas effundendam. Hactenùs Dicast.

552. *Minima effusio seminis extra vas est peccatum mortale.*

Ego quidem, si illa effusio proveniret ex ipso modo concumbendi, ita ut, si naturali modo concubitus fieret, nullum esset periculum effusionis, aut nulla effusio, existimarem esse peccatum mortale ; secùs, si aliunde, ita ut etiam pars seminis effunderetur, tametsi naturalis modus servaretur. Ceu enim tunc illa effusio excusaretur à peccato mortali in naturali concubitu, eâdem ratione etiam excusari posset in concubitu extraordinario.

Approbat id Auctor, si ex ipso modo concumbendi proveniat

Nec obstat : quòd hic foret vitiosus (si nullam habeat justam causam) ille autem licitus concubitus : quia equidem verum est, quòd sequeretur per accidens, non ex modo illo concumbendi, qui solùm illicitus est ; sed ex substantia, sive ex ipsa copula, (quæ per se licita est) & ex infirmitate aut alio accidente inculpabiliter annexo.

553. *Occurritur objectioni.*

Notat autem Sanchez sup. confitentem situm extraordinarium in concubitu, servato legitimo vase, non esse necessariò interrogandum de effusione seminis extrà vas, evenerit nec ne, vel expertusne sit illius periculum. Quia hæc non frequenter, sed rarissimè accidunt. Sic ille.

An confitens extraordinarium situm, debeat interrogari de effusione. Sanchez.

Sed sive frequenter accidant, sive rarissimè, cùm sint peccata mortalia, quando accidunt præcisè ex illo modo concumbendi, nemo dubitat, quin sint confitenda. Et verò quis revelavit Sanchio, quòd hæc rarissimè accidant? Nam experimento non potuit discere, & illi, qui experiuntur, fortè tacent præ verecundia, aut quia ignorant, ea esse peccata mortalia.

554. *An sit mortale variare situm, ne ita certa sit proles. Negat Sanchez.*

Rogas : an sit mortale, variare situm, ne ita certa sit proles ? Negat Sanchez sup. n. 6. & Alij cum ipso. Quia, inquit, non tenentur certiorem modum ad prolem concipiendam eligere ; sicut minimè tenentur uti mediis aliquibus faciliori conceptioni deservientibus ; sed suæ obligationi satisfaciunt, si nihil efficiant, quò conceptioni obstetur : nec carendi prolis desiderium est mortale. Quòd si animus esset omninò impedire fœtum, licèt concumbendo his modis minimè impediatur, esset peccatum mortale contra naturam. Quia cùm actus internus & externus sint ejusdem malitiæ, sicut impedire generationem est mortale contra naturam illius actûs, quem natura ad prolis conceptionem retulit, ita velle impedire erit. Ita Sanchez. Et meritò.

555. *An exigenti debitum modo indebito, quoad situm, teneatur aut licitè possit alter reddere.*

Difficilius dubium est ; an conjugi exigenti debitū modo indebito, quoad situm, teneatur aut licitè possit alter reddere. Et quidē non posse red-

bito debeat reddi.

dere, multò minùs teneri, quando sic concumbere esset peccatum mortale, propter effusionem seminis, juxtà jam dicta, Omnes fatentur; quippè est contrà naturam, atque perinde, ac si vir peteret, ut uxor cooperaretur sibi ad pollutionem. Quare (inquit Sanchez sup. n. 8.) nullus timor etiam mortis excusaret tunc fœminam reddentem.

556. *Debet reddi, quando petitio est honesta.*

Similiter Omnes concedunt, mulierem non solùm posse, sed etiam debere reddere, quando vir petens est immunis culpæ, etiam venialis. Quia non est, unde excusetur; cùm modus ille tunc nec inhonestus, nec vitiosus sit. Quando autem est venialis culpa in exigente, est tota difficultas.

Quid si sit peccatum veniale? Sanchez.

Mihi (inquit Sanchez sup.) probabilius est, teneri reddere. Ducitur: propter doctrinam, quæ ait: teneri conjugem reddere, quando exigens solam venialem culpam admittit. Sed quia hæc doctrina generaliter intellecta nobis non placet, ut patebit ex Concluss. fin. hujus Sectionis; ideò neque sententia in eâ fundata.

557. *Vniversim non tenetur reddere.*

Dico ergò; universim non teneri reddere: quòd conjux nullum habeat jus petendi copulam modo non naturali, quando modus naturalis physicè & moraliter est possibilis, ut suppono hìc esse; quia aliàs non esset culpa venialis. Et negari non potest (inquit ipse Sanchez sup.) hoc esse probabile, eò vel maximè; quia est probabile, variationem situs esse culpam mortalem in petente. Quare benè dixit Henriquez lib. 11. de Matr. c. 16. n. 6. vix teneri uxorem reddere viro succubanti. Et rationem subdit in Commento, lit. S. propter probabilem rationem gravis culpæ. Ita Sanchez.

Henriquez.

558. *Variatio situs aliquando est culpa mortalis.* D. Tho.

Enimverò variationem situs aliquando esse culpam lethalem, præter Alios, tradit Doct. Angel. 4. dist. 31. in fine in exposit. lit. ubi hæc lego: *Vsus contrà naturam conjugij est, quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum à natura institutum, quantùm ad situm; & in primo semper est peccatum mortale, quia proles sequi non potest; unde totaliter intentio naturæ frustratur; sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ: quandoque etiam sine peccato esse potest, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tantò est gravius, quantò magis a naturali modo receditur.*

Sed non specificat aliquem casum, in quo sola variatio situs sit peccatum mortale: & ideò, dicet aliquis, intelligi posset, juxtà anteà dicta, & ab Omnibus admissa, de tali casu, in quo foret periculum effusionis seminis, cum totali frustratione intentionis naturæ.

559. *Quando sit talis culpa, ex Abulensi.*

Magìs explicatè & specificativè loquitur Abulensis cap. 5. Matth. q. 227. ubi tractans de modo concumbendi à latere, sedendo aut stando, ait: Ubi causa justa abest, nil certum definiri posse; at magìs ab ijs cavendum esse, tamquam à culpa lethali. Et q. 228. loquens de modo præposterò, bestiarum more, dicit esse lethalem; quando justa causa desideratur, obque solam voluptatem talis modus exercetur. Et q. 230. dicit, modum, quo fœmina incubat, semper esse mortalem.

560. *An modus, quo fœmina incubat, semper sit lethalis. Ad Rom. 1.*

Et de hoc modo (teste eodem Auctore) Aliqui exponunt locum illum D. Pauli ad Rom. 1. *Fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum, qui contra naturam est.* Quod inter peccata lethalia Paulus ibi annumerat. Et in Historia Scholastica c. 31. super Genes. ex Methodio dicitur, diluvij causam fuisse, fœminas in insaniam versas abusas fuisse viris, illis incumbentibus, his succubis.

Sed respondet Sanchez sup. n. 9. Pereira lib. 8. in Genes. n. 9. & 10. optimè confutat, quod eo in loco docet Methodius: unde non fuit ea diluvij causa. Ad primum textum, negat eam expositionem: sed Glossa ordinaria, & Nicol. de Lyra ibi explicant; quia fœminæ mutuò polluebantur, secummet concumbentes: ac masculi cum masculis: & eodem modo explicat Glossa interlinealis ibi.

Id non convincitur ex Scriptura: Neque ex ratione.

Ex his ergò Scripturis non convincitur peccatum mortale. Vti neque ex rationibus apud Sanchez sup. n. 2. quia, tametsi sit aliquis abusus conjugis, equidem non substantialis, cùm sequi possit generatio; & ideò solùm venialis. Quod dicitur de abusu Sacramenti, patet non subsistere; cùm actus conjugalis minimè Sacramentum sit, nec aliquid Sacramentale.

561. *Per se solùm est venialis.*

Maneat igitur, per se solum esse culpam venialem. Et nihilominùs dico; conjugem non posse reddere, nisi in potestate petentis sit, sinè culpa veniali eo modo congredi: v. g. si ideò peccet venialiter; quia causâ solius voluptatis id facit, cum aliàs habeat causam justam sic congrediendi. Ratio, quæ me movet, est; quia alioqui cooperatur peccato petentis, quod intrinsecè malum est. De quo plura Concluss. fin. hujus Sect. ad quam remitto Lectorem.

Et hactenùs de sola variatione situs, retento vase naturali. Sed quid, si copula habeatur in vase non naturali? Resolutio patebit ex dicendis sequenti Concluss. quæ talis est.

CONCLUSIO XVII.

Procurare seminationem extra vas naturale, est peccatum mortale. Sufficit, quòd Seminatio utriusque conjugis moraliter sit simul.

562. *Ratio prioris partis Concluss.*

PRima pars apud Omnes est certa. Et ratio patet; quia talis seminatio adversatur generationi seu conceptioni prolis, ad quam tamen ipsa natura semen & seminationem destinavit. Quàmvis enim seminatio fœminæ non sit omninò necessaria, ut Multi volunt; attamen multum confert ad facilius generandum. Tum, quia (inquit Sanchez sup. disp. 17. n. 8.) vis activa seminis virilis in fœmineum agens, conce-

Seminatio fœminæ confert ad facilius generandum, ex Sanchez.

conceptum pulchriorem ac nobiliorem formam. Tum etiam ; quia fœminea matrix voluptate effuſionis ſeminis irritata ac incenſa, avidiùs virile ſemen complectitur. Et fœmineum ſemen valdè utile eſſe generationi, ad idque à natura inſtitutum, vel ex eo convincitur, quòd natura nil fruſtraneum, ſed univerſa in aliquem finem referens agat. Cùm ergò veneream delectationem, eamque vehementiſſimam in fœminæ ſeminatione conſtituerit, cujus manifeſtus teſtis eſt, ſedatio venereæ concupiſcentiæ ex illa in fœminis conſurgens, ſignum eſt evidens, hanc ſeminationem à natura inſtitutam ad generationem, ſpecieique conſervationem, ſi non ut neceſſariam, ſaltem ut utiliſſimam. Ita præfatus Auctor.

563. *Confirmatur Concluſ.* Sanè, ſi fœminis liceret, extrà copulam procurare ſeminationem, cùm maximam, ut mox diximus, habeat adjunctam delectationem, nollent copulari viris, ad evitandam generationem prolis, quæ ipſis moleſtiſſima eſt ; quod indubiè cederet in damnum prolis, & conſequenter in deſtructionem ſpeciei. Et ſimiliter, ſi viri poſſent extrà copulam conjugalem procurare ſeminationem, nollent nubere, ad vitandas moleſtias Matrimonij, & ſic omnia eſſent plena pollutionibus & ſcortationibus. Quis ergò adhuc dubitet, talem ſeminationem eſſe graviter à Deo prohibitam ?

Exemplum Gen. 18. Gen. 18. refertur, Onam Judæ filium à Deo interfectum eſſe, remque deteſtabilem feciſſe, fundendo ſemen extrà vas uxoris fratris ſui, quò prolis generationem impediret. Longior diſputatio de hac re non eſt præſentis loci : ſatis ſit, nihil eſſe, quod vel leviter probet, conjugatis minùs eſſe prohibitam extraordinam pollutionem, quàm ſolutis.

564. *Videtur pollutio extraordinaria magis prohibita conjugatis, quàm ſolutis.* Immò videtur Multis, magis eſſe prohibitam, ita ut habeat duplicem ſpecie malitiam in Confeſſione explicandam ; unam ſcilicet contra naturam, eamdem prorsùs, quam habet pollutio ſolutorum ; & alteram adulterij, contra fidem Matrimonij ; quia conjux extraordinariè ſe polluens, ſive peccato ſodomiæ, ſive ſoliùs mollitiei, non ſervat alteri corpus ſuum caſtè, quod ad bonum fidei pertinet ; non enim eſt conjux ad illum actum, ſed ad copulam naturalem.

Probatur ex D. Aug. eſſe adulterium. Appoſitè D. Auguſtinus de Bono conjugali cap. 11. & de Adulterinis conjugijs (refertur c. 11. 32. q. 7.) *Adulterij* (inquit) *malum vincit fornicationem, vincitur autem ab inceſtu. Pejus eſt enim cum matre, quam cum aliena uxore concumbere. Sed omnium horum eſt peßimum, quod contrà naturam ſit, ut ſi vir membro mulieris, non ad hoc conceſſo, voluerit uti. Vſus enim naturalis, ſi ultra modum probabitur, in uxore quidem veniale eſt, in meretrice damnabile. Sed iſte, qui eſt contra naturam, execrabiliter ſit in meretrice, ſed execrabilius in uxore.* Quare execrabiliùs in uxore, niſi quia in ea habet malitiam adulterij ?

565. *Item auctoritate D. Ambr.* Hinc D. Ambroſ. in lib. de Patriarchis, lib. 1. de Abraham c. 4. & refertur 32. q. 4. c. 4. *Nec hoc ſolùm eſt adulterium, cum aliena peccare conjuge ; ſed omne quod non habet poteſtatem conjugij.* Quaſi dicat (inquit Sanchez lib. 9. diſp. 18. n. 4. ubi docet hanc ſententiam) omne id, ad quod poteſtas corporum per Matrimonium conceſſa minimè ſe extendit, adulterium eſſe ; talis autem eſt copula extrà legitimum vas, & omnis extraordinaria pollutio cum proprio conjuge, vel etiam ſinè eo. Sanchez.

Nec refert, ne adulterium ſit, conſenſus utriuſque conjugis ; ſicut adulterina eſſet copula conjugati cum ſoluta, de conſenſu uxoris habita. Quia bono fidei, ad quod per Matrimonium adſtringuntur conjuges, cedere nequeunt. Ita Sanchez. *Non excuſat conſenſus utriuſque conjugis.*

Sed hæc expoſitio Ambroſij non conſonat Gloſſæ ibi, verb. *Sed omne* : nam ilicò ſubdit : *Quod committit in non ſua conjuge, adulterium eſt.* Idque conſtat ex communi definitione adulterij : *Eſt alieni tori violatio.* In hoc autem caſu nihil fit cum aliena, ſeu non ſua conjuge ; nec alienus, ſeu non ſuus torus violatur. Et ſanè fides Matrimonij hæc duo tantùm videtur includere : alterum, ut conjuges ſibi mutuò debitum reddant ; alterum verò, ne alijs commiſceantur. At impræſentiarùm maritus non commiſcetur fœminæ non ſuæ, nec debitum ab uxore legitimo modo exactum negat, ut ſupponimus ; quòd ſi negaret, eſſet ex hac parte injuſtitia, non tamen adulterium. 566. *Probatur non eſſe adulterium.*

Reſpondet Sanchez ſup. n. 6. Cùm ille non ſit uſus conjugis ut conjugis, dicitur reverà tori illius violatio, ac proindè acceſſus ad alienam fœminam. Sic ille. 567. *Reſponſio Sanchez.*

Nunquid efficaciter ? Non video (inquit Herinx diſp. 7. n. 21.) efficacem iſtius ſententiæ rationem. Varios etiam deprehendi pœnitentes, qui non apprehendebant ſpecialem malitiam ex parte conjugij in pollutione, credentes fidem conjugij per hoc non frangi. Ita hìc Auctor. Interim non reſpondet ad rationem Sanchij. Meo judicio ſaltem probabilis eſt. Et puto, conjuges ſæpiùs non apprehendere malitiam, ubi tamen reverà eſt. *Ante efficax.* Herinx.

Rogas : quomodo ergò intelligendus Navar. lib. 2. Conſil. tit. 1. de Judicijs, conſil. 1. n. 1. dicens : Crimen præfatum (intelligit ſodomiam) cum uxore propria admiſſum, paulò minùs videtur, quàm commiſſum cum alia perſona ? Reſpondet Sanchez ſup. n. 3. ſi intelligat, quàm cum alia conjugata, verum dicit, propter injuriam, quæ irrogatur illius viro : ſi verò intelligat de alia ſoluta, intelligendus eſt, ut ſecundùm quid ſit levior. Quia acceſſus ad ſolutam eſt culpa quoad modum, & ſubſtantiam rei ; ad uxorem verò ſolùm quoad modum. At abſolutè & ſimpliciter eſt gravior. Quia cum uxore, ultra peccatum contra naturam, eſt duplici ex parte adulterium ; nimirum ex parte viri, & ex parte uxoris : cum ſoluta autem eſt adulterium ex parte ſolius viri. Ita Sanchez. 568. *Quomodo ſit intelligendus Navarrus? Reſponſio Sanchij.*

Contrà, dicet aliquis ; uxor quoad hunc actum perinde eſt ac aliena, vel ſoluta. Si ergò acceſſus *Oppugnatur.*

sus ad solutam est culpa quoad modum & substantiam, etiam accessus ad uxorem: ergò neque secundùm quid est levior. Vide quid respondeas. Utut sit de hoc, si reverà habeat malitiam adulterij, constat, eam debere explicari in Confessione.

569. *Quomodo hæc malitia adulterij sit explicanda in Confessione, ex Sanchez.*

Sed quomodo, inquis, explicabitur? Respondet Sanchez sup. n. 5. non satis esse, fateri adulterium cum conjugata in genere, ac peccatum contra naturam; sed explicandum esse, admissum fuisse cum proprio conjuge.

Ducor, inquit; quia si explicetur cum conjuge in genere, manifestatur injustitia adversus illius conjugem, cùm tamen nulla talis sit: nec esset similis culpa, si cum propria conjuge renitente: quia ultrà adulterium adesset tunc raptûs species, quæ tamen subticetur. Nec satisfit dicendo, cum consensu viri alienæ uxoris cognitæ: quia oporteret etiam explicare consensum propriæ, ne detegatur injustitia falsò adversus illam. Quod si hic simul explicaretur, confiteretur utique conjux plura peccata, quam reverà admiserit: cùm fateatur cooperationem consensui alieni viri, alienæque uxoris, & propriæ, cùm tamen soli propriæ uxoris peccato cooperatus sit. Hactenùs Sanchez.

570. *Expenditur ejus opinatio.*

Utique juxtà sententiam magis communem, quæ docet, maritum consentientem in adulterium uxoris non pati propriam injuriam; eò quòd cesserit jure suo, si non licitè, saltem validè. Porrò in oppositâ sententia, quæ admittit in hoc casu propriam injuriam; quoniam cessio juris non solùm fuerit illicita, sed etiam invalida; satis esset fateri adulterium cum conjugata in genere, ipsâ & viro ejus consentiente, ac peccatum contra naturam, ut clarum est; quippè adulterium cum propria conjuge consentiente habet injustitiam in illa sententia.

An copula inchoata in vase non naturali sit mortalis.

Quæ autem ex his sententijs verior sit, non est hujus loci decidere: & ideò pertranseo, ac aliam propono quæstionem; videlicet: Utrùm conjux inchoans copulam in vase non naturali, cum intentione tamen consummandi in vase naturali, peccet mortaliter. Respondet Navar. lib. 5. consil. tit. de Pœnit. & remiss. consil. 7. n. 2. Videtur tantùm esse peccatum tactûs illiciti. Sed cur ita? Nullam probationem apud eum reperio. Apud Sanchez autem sup. disp. 17. n. 4.

Navar. Sanchez.

571. *Probatur, quòd non. Primò.*

Probatur Primò: quia quidquid conjuges efficiunt, servato vase legitimo, non excedit veniale crimen: vas autem servari dicitur, quoties extra illud non effunditur semen, ut contingit in præsenti. Secundò; quia tactus hic, instar tactuum membri virilis cum manibus, aut uxoris cruribus reliquisque partibus, potest ad copulam conjugalem referri; nimirum, ut vir eâ delectatione excitetur, aptiorque ad eam efficiatur. Et estò ad solam voluptatem referretur, esset culpa venialis, qualis sunt cæteri tactus ita relati ad voluptatem.

Secundò.

572. *Oppositum docet Sanchez.*

Cæterùm (inquit Sanchez sup. n. 5.) viris doctissimis, à me consultis, visum est, culpam esse lethalem sodomiæ inchoatæ: idque merito; eò quòd medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ sit. Sicut esset mortale distinctæ speciei inter solutos, habentes animum intrà vas debitum consummandi. Sic ille. Sed hoc simile, meo judicio, eamdem patitur difficultatem, & eodem modo à Navarro resolveretur.

Responsio Sanchez ad probationes.

Respondet porrò Sanchez ad probationes: Non dicitur vas legitimum servari, quando usurpatur illegitimum, ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licèt intra illud non consummetur. Et cæteri tactus non sunt media improportionata, nec alterius ordinis luxuriæ. Quòd si vir superficie dumtaxat vasis præposteri uxoris refricaret sua verenda, vel in os ejus intromitteret, cessante omni pollutionis periculo, non crederem esse lethale: cùm os non sit vas ordinatum ad copulam sodomiticam: nec intra vas præposterum ad eam tendens virile membrum includatur, sed solam superficiem ejus externam tangat. Quare tactus hic reputatur instar aliorum inter conjuges, qui ad summum veniales sunt. Hæc Sanchez.

Auctor sequitur Sanchium.

Et nos cum illo. Malumus enim esse nimis rigorosi in hac materia, quàm nimis laxi; maximè cùm sæpiùs possit esse periculum perfectæ sodomiæ, etiam cum effectu; quàmvis hic à principio non fuerit intentus.

573. *Est mortale proponere sibi in actu conjugali aliam personam carnaliter dilectam, ex Sanchio.*

Similiter (ut ibidem n. 6. notat Sanchez) esset culpa mortalis, si conjux in actu conjugali sibi in mente proponat aliam personam carnaliter dilectam, etiam per simplicem tantùm complacentiam. Quia est delectatio morosa in objecto lethaliter malo.

Dicitur: *Carnaliter dilectam*: quia (inquit Sanchez) si delectatio in nulla re turpi esset, sed in sola pulchritudine viri aut fœminæ, ac posset in cogitatione arboris pulchræ delectari, ut vel sic ad actum conjugalem excitetur, nullam video lethalem culpam: cùm delectatio in nullum turpe objectum feratur, & ad honestum finem dirigatur. Non tamen est hoc alicui permittendum; sed valdè dissuadendum est ratione periculi. Ita hic Auctor. Et meritò. Neque habeo quod addam.

574.

Quare pergam ad secundam partem Conclusionis, in qua quæritur: An uterque conjux debeat simul seminare, dum commiscentur in vase naturali, ad hoc ut non peccent, prodigendo semen suum, & frustrando illud fine suo, id est, generatione prolis.

Procurare seminationem solius viri non esse mortale, juxtà unam sententiam, secùs secundùm aliam.

Equidem procurare seminationem solius viri non esse mortale, docent Omnes, qui asserunt, eam esse sufficientem ad generationem. Oppositum tenent, qui negant eam sufficere. Ratio patet: quia in una sententia non prodigitur semen, nec frustratur suo fine; & ideò non est, ex quo foret peccatum mortale. In altera autem sententia prodigitur semen, & frustratur suo fine sinè aliqua causa, ut suppono; hoc verò est peccatum mortale; quia contra naturam, non minùs, quàm si extrà vas funderetur.

575. *Seminatio solius mulieris est mortalis in*

Et hinc; quia semen solius mulieris est prorsùs ineptum ad generationem, proculdubiò mortaliter peccat, qui procurat solam seminationem mulieris. Oportet ergo eam esse simul cum

omni sententia. cum seminatione viti. Quàmvis enim non foret omninò necessaria ad generationem; equidem utilissima est, ut sup. audivimus.

Sanchez. Scitè ergò dixit Sanchez sup. n. 8. Sanum est consilium, ut curetur simul utrumque semen effundi: quare conjugi tardiori ad seminandum consulendum est, ut ante concubitum tactibus venerem excitet, ut vel sic possit in ipso concubitu simul effundere semen.

576. *Vir potest continuare copulam post seminationem: & mulier post copulam seipsam ad seminationem excitare.* Præterea; vir potest continuare copulam post seminationem, donec uxor seminet. Imò & copulâ solutâ, mulier potest seipsam ad seminationem, si nondum facta est, excitare. Quia hæc pertinet ad completam copulæ uxoriæ consummationem; quàmvis alioqui non sit necessaria, secundùm communiorem sententiam, ad generationem; & ideò vir, qui semen effudit, non teneatur seminationem fœminæ expectare; sed possit se ilicò retrahere in ista sententia.

Interim, cùm & opposita sententia, scilicet, semen mulieris esse necessarium ad generationem, Aliquibus placeat; quidni ad majorem certitudinem prolis prædicta liceant? Maximè, cùm ut sup. dictum est, semen mulieris juvet saltem ad meliorem prolis constitutionem, pulchritudinem ac valetudinem. Aliàs (inquit Sanchez sup. n. 12.) maximo ac evidentissimo periculo admittendi peccata lethalia fœminæ essent expositæ: cùm frequenter viri ac robustiores priùs seminent, atque ilicò recedant, manenti in fœminis valdè irritatâ libidine.

577. *Solvitur objectio.* Nec obstat: jam illum actum esse consummatum ex parte finis, qui est generatio; siquidem, ut statim diximus, hoc non est omninò certum, & restat adhuc aliquod complementum, si non essentiale, saltem accidentale. Igitur illa excitatio, sive seminatio fœminæ, solùm est consummatio copulæ inceptæ, & nondum plenè perfectæ. Nec verum est, ut Sanchez sup. ostendit, semen, postquàm vir se retraxit, statim corrumpi, ineptumque reddi ad agendum in fœmineum semen superveniens.

578. *Fœmina non potest se retrahere, si sola seminaverit.* Porrò ex omnimoda necessitate seminis virilis ad generationem, rectè infertur: fœminam non posse se retrahere, si sola seminaverit; neque virum, si fœmina seminaverit ante ipsum; nisi fortè ex urgenti aliqua ratione: v.g. si hostis superveniret, vel aliud grave damnum corporale immineret; vel etiam, si subitò aliquis adesset, ita ut sine magno rubore non possit copula continuari.

Probatur. Ratio patet: quia semen destituitur fine suo, quod constat esse mortale, quando fit per se, & sine justa aliqua causa; imò & contra justitiam erit: habent namque conjuges jus ad consummationem copulæ. Sin autem adsit aliqua ex causis jàm dictis, vel similis, cùm illa effusio facta sit in ordine ad generationem, ex accidenti tantùm frustratur suo fine, quod non est peccatum; ut constat, ex alijs casibus, in quibus sine peccato seminatio caret suo fine, ut in sterilibus, atque in his, qui ex aliquo accidente non possunt retinere semen. Sic etiam in dubio impotentiæ licet triennalis experientia, ut suo loco diximus, cum periculo effusionis seminis extrà vas: quia per accidens est, & qui experitur, dat operam rei licitæ, minimèque talem effusionem intendit.

579. *An possint conjuges se retrahere ante seminationem. Probatur pars affirmans.* Sed quid, si nec fœmina, nec vir seminaverit, neque periculum sit effusionis seminis extrà vas, nunquid sine mortali possunt se retrahere ante seminationem? Videtur quod sic, si mutuò consentiant: Probatur: quia id in nullius cedit injuriam, & vasis illa fœminei absque seminatione penetratio reputatur instar tactûs partium verendarum, qui inter conjuges, cessante pollutionis periculo, minimè lethalis est, sed permissus. Accedit: posse optimè conjuges communi consensu non vacare copulæ ac generationi: cur igitur eodem consensu non licebit illis à copula incepta desistere, ubi neutrius seminis dispendium fit?

580. *Quam Sanchez credit veram, et si fieret ad impediendam generationem.* Nec credo (inquit Sanchez disp. 19. n. 3.) effici mortale, quàmvis nullus alius finis adesset, quàm impediendi generationem. Quia eam impedire, semine emisso, manifesta culpa mortalis est contra naturam, quæ ad solam generationem semen destinavit: at ubi seminis jactura non fit, nulla est ratio lethalis culpæ; non enim tenentur conjuges prolis generationi vacare; & sicut ad illam impediendam possunt communi placito à copula abstinere; ita ab incepta, neutrius semine emisso, resilire. Imò ubi causa esset, v.g. ne seminatio noceat saluti, vel conjuges sunt pauperes, & prole abundant, quam non sunt alendo, & habent similem copulam absque seminationis periculo, quo concupiscentiam sedent, nullam invenio culpam. Sic ille.

Propter periculum effusionis seminis extrà vas retractatio illa dissuadetur. Quia tamen illud periculum frequens est, & communiter in eo actu reperitur; ideò, ut ibidem notat, arcendi sunt conjuges à similibus actibus. Si tamen experti sint id periculum non inveniri, damnandi minimè sunt. Prorsùs autem damnandi, ut sup. diximus, si mulier seminasset, nisi urgentissima causa superveniat.

581. *Videtur quòd liceat cum illo periculo, ex justa causa. Sanchez.* Nec obstat: quòd ex nulla causa omninò liceat fornicari, aut procurare pollutionem extraordinariam. Nam differentia est (ut ait Sanchez sup. n. 6.) quòd hæc sint actus positivi; at positivè cooperari damno prolis non licet, gratiâ cujuscumque mali vitandi; illa autem retractatio viri sit actus negativus, id est, negatio sive subtractio seminationis; & ad bono prolis cooperandum nemo astringitur tanto vitæ honestatisque detrimento.

Insuper; quia natura nullam seminis administrationem homini concessit, ut extrà legitimum Matrimonij congressum illud effundere posset; ne alioqui, propter delectationem adjunctam, infinitæ sequantur pollutiones, & maximum detrimentum boni communis. At ut illud non effunderet intrà congressum illum, concessit utique administrationem in casu urgentissimo, cùm prorsus cesset ratio statim adducta. Nec obest periculum ac moralis certitudo effusionis seminis extrà vas, ad quod nulla est administratio: quia id verum est, ubi effusio illa esset volita: at in nostro casu præter voluntatem accidit, & dando

dando operam rei licitæ, ad vitam naturalemque honestatem tuendam.

582. *An fornicans debeat se retrahere ante seminationem. Affirmat Sanchez, si mulier seminaverit.*

Hinc si quæritur : num in coïtu fornicario, postquam fœmina seminavit, aut est in seminandi periculo inevitabili, liceat viro se retrahere ante seminationem ? Respondet Sanchez sup. n. 7. Multò probabilius est, non solùm non teneri virum non seminare ; sed novam seminando admittere culpam, eamque in Confessione detegendam, nisi in copula intelligeretur. Quia in actu licito nil illicitum efficitur, atque ideò seminandum est : at in actu illicito fit aliquid malum intrinsecè, quod in nullo eventu honestari potest.

Occurritur objectioni.

Nec obstat, ex duobus malis minùs eligendum. Quia licèt hæc non seminatio sit ex se contra naturam, & hâc ratione pejor fornicatione. At absolutè & simpliciter pejor est fornicatio, cùm sit ita intrinsecè mala, ut numquàm liceat. Non seminatio autem non est ita contra naturam & mala, quin ex causa urgentissima liceat. Qualis hìc invenitur, nempè ne fornicarius concubitus in grave educationis prolis detrimentum consummetur.

583. *Quid si semmet extrà vas ? Non peccat secundùm Sanchez.*

Nec culpæ reus erit is fornicans, si à fœmina recedens seminet involuntariè extrà vas. Quia pollutio involuntaria ex justâ causâ & necessariâ orta culpâ prorsùs vacat. Similiter culpæ immunis est mulier fornicans, quæ, pœnitentiâ criminis admissi ducta, corpus subtrahit, ne virile semen recipiat, fornicationemque cœptam consummet. Nec ipsi tribuetur culpæ, si vir extrà effundat. Quia id non intendit, datque operam rei licitæ ab incepto crimine resiliens. Ita Sanchez.

Non posse se retrahere, est probabile.

Qui tamen non audet negare oppositam sententiam esse probabilem, dicens : Ita censent quidam viri docti. Pro se autem nullum adfert Auctorem, nec in genere, nec in specie.

584. *Resp. ad argumenta Sanchij.*

Interrogas : quid respondeant illi viri docti ad argumenta Sanchez ? Respondeo : illam non seminationem cedere in damnum prolis, quæ jus habet, ut generetur, ubi fœminæ seminatio adfuit, ne illius dispendium fiat. Nec dari dicunt perplexitatem ; quia postquàm fœmina seminavit, tenetur vir seminare, ut majus malum vitet, compleatque actum non animo libidinoso ; & ita seminatio illa non est formaliter fornicatio, sed materialiter tantùm ; quare ut sic non est intrinsecè mala. Vide, an hæc tibi satisfaciant.

Arguitur contra Sanchium.

Insuper adverte ; quòd illi seminationi extrà vas, sive viri, sive mulieris, subsequenti data videatur causa per fornicationem seu copulam præcedentem : quidni ergò imputari debeat in culpam ; sicut quando pollutio sequitur in somno ex causa graviter peccaminosa contra castitatem posita in vigilia ?

585. *Resp. ad arg.*

Respondetur : quia fornicatio præcedens reverà non est causa pollutionis subsequentis ; quippè quæ adhibita fuit ad seminandum intra vas ; sed retractio illa est causa, quæ, secundùm Sanchium, non est contra castitatem, sed potiùs secundùm eam ; quia adhibetur ad impediendum ulteriùs peccatum fornicationis.

Igitur hæc res sub judice adhuc permaneat, & dispiciantur fundamenta utriusque partis, antequam pro una aut altera quidpiam definiatur. Casus rarissimus est, & qui fortè numquam hactenùs contigit, neque unquam continget, ut fornicantes se retrahant ex vera pœnitentia. *Hæc res est dubia.*

Hoc certum est : fœminam, quæ jam suscepit semen virile, sive per concubitum matrimonialem, sive per fornicationem, lethaliter peccare, si sumat potionem, vel quidvis aliud efficiat, quo prolis conceptioni obstetur ; adeò, ut nullo bono fine honestari possit. Quia datâ operâ impeditur semen à suo naturali fine generationis ; parumque & solùm secundùm majus & minus distat à seminis effusione extrà vas. 586. *Peccat fœmina, quæ post susceptum semen quidpiam efficit ad impediendam generationem.*

Hinc similem culpam admittit fœmina, quæ statim post coïtum urinam effundit, aut se erigit aut quidpiam aliud facit, quo semen receptum expellat. Quia similiter frustrat ex intentione semen suo debito fine. Nec est audiendus (inquit Sanchez disp. 20. n. 3.) Angelus verb. *Debitum*, n. 27. dicens ; posse sustineri ; non esse mortale, quando ex justa causa fit : tribuitque Sylvester hanc sententiam Paludano, sed falsò, eam enim non tenet. Ita Sanchez. Sanchez. Angelus. Paludanus.

Addit : Nec tamen tenetur fœmina anxiè diuque manens in lecto intacta & resupina susceptum semen conservare. Quoniam rarissimè fluxus seminis ex diverso corporis situ contingit ; eo vel maximè, quod recepto semine, os matricis fœminæ clauditur, ita ut nec acûs cuspidem capiat. Hæc Sanchez. Apud quem plura de hac materia poteris videre. 587. *Non tenetur anxiè diuque manens in lecto semen conservare.*

Quæro ego quid conjugibus liceat extrà copulam, & Respondeo :

CONCLUSIO XVIII.

Extrà copulam conjugalem delectationes de illa, & tactus libidinosi conjugum fortè non sunt mortales, secluso periculo pollutionis.

HActenùs egimus de actu ipso conjugali, quando liceat, nec ne. Jam de morosis delectationibus, tactibus, aspectibus, turpibusque confabulationibus inter conjuges agendum est. Et primò quidem quæritur : utrùm liceat conjugi morosè delectari, secluso periculo pollutionis, de copula cogitata, habita vel habenda cum altero conjuge, quando ob absentiam non potest habere copulam, vel in præsentia non vult habere. 588. *An liceat morosè delectari conjugibus de copula habita vel habenda.*

Aliqui censent (inquit Sanchez disp. 44. n. 2.) esse culpam mortalem. Ducuntur : quia delectatio venerea non intenta ob bonum prolis, nec in ipsum relata, omnibus interdicitur sub culpa lethali. Et confirmatur : quia ea delectatio est quasi incepta seminis effusio, ad illamque tendit, cùm ipsam comitetur membrorum generationi inservientium commotio. Hæc autem est lethalis extrà copulam conjugalem. *Probatur affirmativè illicitum, secluso voluntate copulæ. Primò,* Sanchez,

Secundò

589. *Secundò.* Secundò: quia de similibus idem est judicium, & idem juris in illis obtinet; cap. 2. de Transl. Episc. vers. *Sicut enim Episcopus*, ubi Glossa verb. *Idem juris*, ait: *Quia de similibus simile debet esse judicium, sup. de Elect. c.* Dudum. *Similis enim æquitatis ratio similia jura suadere debet, Cod. ad Legem falcidiam, l. ult. inf. de Constr. util. vel inutil.* Cùm dilecta. At in vidua ea delectatio est mortalis; ergò & in conjuge, ubi non est opportunitas & voluntas copulæ habendæ. Eadem enim est ratio, cùm neutra delectatio in copulam licitam referatur.

Pro hac sententia citatur Navar. Pro hac sententia citatur Navar. Sum. cap. 16. n. 10. Subscribo verba ejus: Septimò (peccat) qui vel quæ conjux, mortuâ vel mortuo conjuge, memenit copulam carnalem in Matrimonio tempore præterito habitam, & delectationem carnalem ex ejus memoria ortam admittit, & eâ deliberatè gaudet; vel advertens sensualitati suæ eam inesse, ac exponi se periculo pollutionis incurrendæ, vel consentiendi in eam, non expellit, nec nititur eam expellere, cogitatum suum in aliud per disciplinam, vel alio modo divertendo, per regulam superiùs ad dignoscendum, quæ morosa delectatio sit peccatum mortale, traditam.

590. *Quomodo liceat vidue vel vidua delectari de copula præterita.* Verum tamen est, viduum & viduam licitè posse meminisse copularum carnalium temporis præteriti, & gaudere, quòd eas habuerint, & quòd in eis delectati fuerint; imò & velle illas habere, si quâ ratione fieri posset; non tamen est licitum illis habere nunc actu & in præsentia delectationem, quæ ex illa recordatione seu memoria nasceretur, juxtà omnium doctrinam & mentem, quam dilucidiùs cæteris omnibus declaravit Cajet. to. 1. Opusc. Opusc. 14. q. 1. & 2.

Cajetanus

Quod ipsum per easdem rationes videtur etiam nobis de illa conjuge, cui ex recordatione copulæ licitæ præteritæ, aut futuræ, conjugis absentis, nascitur atque excrescit delectatio in sua sensualitate; quantumvis nemo, quòd sciam, illud exprimat; de quo latiùs nuper diximus cap. *Si cui*, & cap. *Si forte*, de Pœnit. dist. 1. Ita Navar.

591. *Navarro consentit Pontius.* Quem posteà Alij secuti sunt, quos citat Sanchez sup, ijsque addi potest Pontius lib. 10. c. 16. n. 11. sequentis tenoris: Tertiò infertur, non licere sponsis de futuro delectationem veneream de futura copula, ex eodem fundamento: quia ejusmodi delectatio de præsenti est principium operis illiciti. Ita docent, licèt ex alio fundamento, Vasquez & Sanchez cum Recentioribus.

Vasquez. Sanchez.

Pro quibus, contrà nos, potest esse hoc argumentum. Nam ex nostra sententia fit, esse mortale peccatum, conjugatos absentes delectari de copula; siquidem illa ob absentiam haberi de præsenti non potest. Sequelam concedunt Navar. Corduba, Sa & Alij, quos refert Sanchez disp. 44. n. 2. Alijs autem videtur hoc nimis scrupulosum; maximè cùm non videatur eadem ratio procedere, quæ in casibus superioribus; quia delectatio illa ordinatur ad copulam cum conjuge, quæ tunc est licita, licèt per accidens sit impossibilis. Sic docet communis DD. quos sequitur Sanchez ibidem n. 3. Mihi primum videtur dici magis consequenter, & verius. Sic Basilius.

Aliquibus hoc videtur nimis scrupulosum, se- *cluso periculo pollutionis.* Sanchez.

Simili modo loquitur Herinx disp. 7. n. 37. dicens: An autem conjux peccet mortaliter, si morosè delectetur de copula cum comparte, etiam in absentia, non caret difficultate. Cajet. quidem, Sanchez & Alij frequenter existimant, quòd non; etiamsi sequatur alteratio carnis, dummodò absit periculum pollutionis; eò quòd delectatio ista sit de actu conjugali, & propter illum, qui in præsenti est licitus ei, qui delectatur. Alij autem verius affirmant. Similiter difficultas est de conjuge, qui in absentia alterius se-ipsum impudicè tangit, quem Sanchez similiter existimat non peccare mortaliter, si absit periculum pollutionis: tamen Vasquez, Diana, & Alij plures rectiùs non excusant à mortali. Ita hic Auctor.

592. *Herinx verior existimat sententiam Navar.* *Et idem asserit de talibus impudicis.* Sanchez. Vasquez. Diana.

Qui in materia de Peccatis disp. 7. q. 4. n. 36. probat ultimam partem: quia, inquit, delectatio inde consurgens non habetur in ordine ad alterum conjugem absentem; sed potiùs tactus isti, qui per se ordinantur ad seminis decisionem, tunc per se tendunt ad mollitiem seu decisionem seminis extrà vas. Prima pars probatur: quia delectatio sumpta de copula in absentia conjugis per se in istis circumstantiis tendere videtur ad motus carnales, quales ex tactibus oriuntur, & hi ulteriùs ad pollutionem; sicut dum solutus tali casu delectatur de copula conjugali.

Vtrumque probatur.

Nec obstat (prosequitur) quòd objectum non videatur malum, & alioquì status matrimonialis cohoneste non tantùm copulam, sed actus etiam subordinatos: quia tantùm cohoneste actus, qui hìc & nunc censeri possunt usus conjugij; prout sunc tactus mutui, oscula, item tactus proprii corporis in ordine ad copulam habendam: delectatio autem præfata nullo modo tunc potest censeri usus conjugii, etsi intentionaliter referatur ad copulam habitam, aut habendam cum conjuge absente: quia reverà delectatio consurgens in carne hìc & nunc non est ordinabilis vel ordinata ad copulam, aut ad aliquem usum conjugalem; sed verè quæritur, ut in ipsa sistatur. Voluptas autem venerea, & actus venereus quicumque, si non sit ordinatus, vel ordinabilis ad actum conjugij, aut communem societatem cum conjuge, est contrà rationem: immò videtur etiam esse contrà obligationem Matrimonij, quâ quisque tenetur corpus suum castè servare consorti. Et hæc sine præjudicio meliùs fortè sentientium dicta sint. Hactenùs Herinx. Proculdubiò probabilissimè.

593. *Occurritur objectioni.*

Interim opposita sententia suos etiam habet patronos, qui videntur asserere, nullam delectationem veneream esse graviter prohibitam conjugibus, præter eam, quæ est proxima dispositio ad pollutionem extraordinariam, & quasi inchoata pollutio extrà vas. Rationem assignant:

594. *Opposita sententia probatur de ratione.*

quòd omnis delectatio per se ordinetur in ipsis ad copulam conjugalem ; quàmvis hìc & nunc per accidens talis ordinatio deficiat, vel quia copula impossibilis, vel quia conjuges nolunt copulari. Hic autem defectus debiti finis solam culpam venialem constituit, inquit Sanchez sup. n. 3.

Sanchez.

595. *Probatur ex auctoritate D. Chrysost.* Ad quod adducit auctoritatem D. Chrysost. Homil. 17. in Matth. illa verba : *Qui viderit mulierem*, ubi ita scribit : *Sicut est temerè irasci, sic etiam temerè videre, si id ad libidinem facias. Si enim vis videre, atque ex visu capere voluptatem, aspice propriam conjugem, & illius usque amore perfruere, hoc enim nulla lex prohibet omninò ; si verò alterius venustatem penitiùs intuebere, etiam tuam injuriâ afficis, à qua in aliam oculos avertis, & istam etiam, quam contueris, nefariè illam tangens ; si enim non illam attrectasti manu, sed oculis tantùm, at voluntate palpasti ; propterea hoc proculdubio adulterium reputatur.*

Sanchez. Vasquez.

Ubi, secundùm Sanchium & Vasquezium 1. 2. disp. 113. c. 2. n. 2. concedit Chrysost. licitum esse delectari aspectu uxoris præsentis, etiam absque animo copulæ habendæ. Ergò non erit mortale, delectari cogitatione uxoris absentis. Si enim esset mortale, eo maximè, quia sine animo accedendi quis delectaretur ; quare hoc etiam modo præsente conjuge delectari, mortale esset.

596. *Expenditur auctoritas.* Sed quæro ego : ubi Chrysost. excludit animum copulæ habendæ ? Potiùs videtur eum supponere ; nam ait : *Si enim non illam attrectasti manu, sed oculis tantùm ; at voluntate palpasti.* Et quomodo voluntate palpavit, nisi per animum copulæ habendæ ? Qui utique animus respectu alterius est peccatum mortale adulterij, seclusâ etiam omni delectatione venereâ præsenti ; secùs respectu propriæ uxoris.

Defectus debiti finis in copula conjugali, non est mortalis. Quidquid sit de hac auctoritate ; certum est, defectum debiti finis in ipsa copula matrimoniali, qui est generatio prolis, aut certè remedium concupiscentiæ ; certum, inquam, est, non constituere culpam mortalem, sed tantùm venialem ; quidni ergo similiter in præsenti casu ? In quo quidem non sequitur generatio prolis ; tamen per se sequi posset, & prorsùs licitè, nisi aliunde occurreret impedimentum.

597. *Diversitas inter delectationem soluti & conjugati. Tactibus provocare libidinem censet Vasquez mortale.* Ex quo patet diversitas inter delectationem veneream conjugati & soluti ; siquidem soluto generatio prolis non licet, secùs conjugato ; & ita in hoc naturâ suâ ordinatur ad proprium finem, in illo autem non.

Cæterùm Vasquez sup. n. 4. sic ait : Si nec sequatur pollutio, nec sit periculum illius, sed sola commotio in membris ex sola cogitatione, sine tactu aliquo vel irritatione, non erit mortale : quod si tactibus simul libidinem in membris aliquis provocaret, mortale esset.

598. *Disparitas inter tactus, & cogitationes.* Quæris rationem disparitatis ? Eam subjungit hisce verbis : Quia priori illo modo alteratio sequitur naturaliter ex cogitatione & delectatione licita, aut non mortali cum conjuge ; sed provocare naturam tactibus, nec est actus conjugalis, cùm non fiat cum conjuge, sed eo absente ; nec ex actu conjugali adhuc cogitato ortum habet, nec ad finem conjugij ordinatur, ut supponimus ; quare reduci non potest ad conjugium aliquo modo, ut à mortali excusetur. Certè si conjuges mutuam ex tactibus caperent voluptatem, etiam extrà copulam, non esset mortale peccatum : at privatim tactibus seipsum ad venerem provocare, mortale est : si tamen id fieret, etiam absente conjuge, intentione coëundi cum illa, quam sperat statim habere præsentem, non esset mortale ; imò si ob finem generationis fieret, non esset veniale. Ita Vasquez.

At verò Sanchez sup. n. 16. probabilius, inquit, mihi est, solùm esse culpam venialem (conjugatum seipsum tangere propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo) quia cùm tactus ille suâpte naturâ indifferens sit ad copulam conjugalem, vel illicitam, possitque ad unam vel alteram referri ; nec ex intentione tangentis se, à sua natura, & ab hoc ordine distrahatur, ut ad copulam illicitam ordinetur, non est cur de culpa lethali damnandus sit. Sicut nec morosa delectatio copulæ cum conjuge absente tribuitur culpæ mortali, eo quod referri potest suâpte naturâ ad copulam conjugalem, licèt actu non dirigatur.

599. *Sanchez putat probabilius, etiam seipsum tangere absque periculo pollutionis, solùm esse veniale.*

Nec dici potest, eum tactum non esse actum conjugis, quia non habetur cum conjuge. Quoniam ut actus conjugis sit, non desideratur eum cum conjuge fieri ; sed satis est, ut ad conjugium præsens suâpte naturâ ordinari possit, nec ab hac natura ex intentione illo utentis deviet. Sic ille. Et patet responsio ad argumentum Vasquezij.

Occurritur objectioni.

Sanè, dicet aliquis ; veluti cogitationem morosam sequitur naturaliter delectatio venerea ; sic itidem ex tactibus naturaliter oritur : & sicuti tactus illi voluntarij & liberi sunt, sic pariter morosa cogitatio : ergo ex ea parte non video sufficiens discrimen.

600. *Impugnatur sententia Vasquez.*

Fateor, cogitatio pro objecto suo habet copulam licitam, scilicet conjugalem habitam vel habendam : sed quid inde ? Non quæritur hìc ; an cogitatio sit mala, quia objectum est malum ; nam etiam in viduis & sponsis habet objectum bonum ; & tamen consequens delectatio venerea est mala ; sed inquiritur, an hæc delectatio sit objectum malum, ut ideò peccet ille, qui eam desiderat seu procurat : & non minùs eam procurat, qui morosè delectatur, quàm qui seipsum tangit. Igitur si conjugibus licitum est procurare delectationem carnis per cogitationem morosam, eamque approbare, saltem sine peccato mortali ; quidni idem liceat per tactus ?

601. *Defenditur à Ioan. Sanchio.*

Respondetur (inquit Ioan. Sancius in Select. disp. 21. n. 26.) conjugem approbantem delectationem carnis, à natura ortam, non uti ex eo suo corpore in ordine ad usum veneris ; sed potiùs natura corpore utitur : fas autem est conjugi approbare usum veneris, quem non ipse conjux, sed natura procuravit ; nec approbando delectationem

carnis,

carnis à natura provenientem, actum corporalem exercet: nam cum approbatio actûs voluntatis sit aut intellectûs, ut desiderant Aliqui, aut sit utriusque potentiæ simul, ut contendunt Alij, & actus voluntatis & intellectus sit spiritualis, fiet ex approbatione delectationis venereæ, à natura instigante ortæ, non posse deduci, conjugem proprio tunc corpore uti ad veneris usum: uteretur tamen, si arte delectationem carnalem procuraret; tactibus videlicet, aut aliâ actione exteriori se provocando. Ex quo dirutum manet fundamentum Sanchez. Sic ille.

Probatur ex eodem.

Qui sequitur ibi sententiam Vasquez, & eam probat: quia conjux dominium non habet proprij corporis in ordine ad usum veneris secum explendum; sed tantùm habet dominium corporis sui consortis: quapropter utens proprio corpore, in ordine ad venerem secum, utitur re alienâ; cum in ordine ad veneris usum, sive oblectationem, corpus proprium sic erit reputandum, ac si esset alienum; & cùm aliàs talis usus prohibitus sit, circa materiam gravem mortale crimen fore, cogimur arbitrari, & non solùm veniale. Ita Ioan. Sanchius.

602. *Ioan. Sanchium sequitur Dicast.*

Quem sequitur Dicast. hìc disp. 9. n. 189. & lib. 1. de Iustit. disp. 3. n. 218. Quia (inquit) conjux non habet jus in corpus proprium ad usum venereum, nisi per accidens; ut possit copulari cum conjuge: ergò extrà hunc casum tactus ille non est indifferens, sed per se illicitus & ordinatus ad pollutionem; atque adeò peccatum mortale.

Nec video; cur non dissonet rationi æquè graviter, aut etiam graviùs, quòd vir conjugatus, alioquin absens ab uxore, velit tactibus proprijs delectari, quibus peccaret etiam vir solutus, aut quid conducat ad excusandum illum, quod existens Madriti, uxorem habeat Hispali, ut minùs peccet, quàm peccaret solutus.

603. *Putat conjugatum per illos tactus magis peccare, quàm solutum.*

Imò graviùs videtur peccare; quia peccat contrà fidem datam conjugi, atque adeò contrà justitiam; juxtà illud Ambros. lib. de Patriarch. & habetur cap. *Nemo sibi*, 32. q. 4. ibi: *Neque hoc solùm est adulterium cum aliena peccare conjuge: sed omne quod non habet potestatem conjugij.* Atqui illa libido & tactus tunc habentur extrà potestatem conjugij; quia illi tunc sub iis circumstantiis loci & temporis, nec ordinantur, nec possunt ordinari ad actum conjugij; atque adeo, qui sic se tangit, abutitur proprio corpore ad actus venereos, & (saltem inchoativè) subservientes & ordinatos ad pollutionem, seminisque extrà vas administrationem; cùm tamen conjux non habeat potestatem corporis sui, ut ait Apostolus, sed alter conjux, contrà cujus jus in hoc usu videtur facere. Hactenùs præfatus Auctor.

604. *Impugnatur differentia inter tactus & cogitationes.*

Sed quæro ego: quid conducit ad excusandum virum, quòd existens Madriti, uxorem habeat Hispali, ut minùs peccet, excitando in se venerem per morosam cogitationem, quàm peccaret solutus? Nunquid minùs peccaret, si per eam seipsum pollueret, quàm si tactibus? Aut minùs, quàm peccaret solutus, seipsum polluens morosis delectationibus? Herculè illi tactus non repugnant juri conjugis absentis, nisi inquantùm disponunt ad pollutionem; propter enim illam dispositionem repugnant castitati. Ponè ergò, quòd cogitationes morosæ æqualiter disponant ad eam; cur hæ minùs repugnabunt juri conjugis, quàm tactus?

605. *Thomas Sanchez non loquitur de omnibus tactibus.*

Et verò putas, Tho. Sanchez excusare à mortali omnes tactus? Noli putare, si non vis errare. Loquens namque de tactibus, quos conjuges inter se habent ob solam voluptatem, sine animo copulandi, asserit eos esse mortales disp. 45. n. 35. si tales sint, & ita ad pollutionem tendant, ut sint quasi pollutio inchoata, & conjuges in eo loco existant, in quo copulam habere nequeant, prævisa pollutionis periculo: ut si vir à fœmina petat, ut ejus virilia attrectet moveatque; aut velit digitos in uxoris vas intromittere, ibique persistere quasi copulam exercendo, utens digitis instar membri virilis. Quia ejusmodi tactus sunt quasi inchoata pollutio, & proxima ad ipsam via, quando ad propinquam copulam non disponunt; sed in eo loco exercentur, ubi non est opportunitas copulæ habendæ. Ita Sanchez. Igitur quando excusat tactus proprij corporis in absentia uxoris à peccato mortali, non intelligit omnes tactus; sed illos tantùm, qui non sunt proxima via ad pollutionem.

De quibus loquatur.

606. *An magis excusandi tactus inter se, quàm in absentia*

Profectò non video, cur magis excusentur tactus inhonesti seu libidinosi conjugum inter se, sine ordine ad copulam mox habendam, quàm tactus libidinosi conjugis cum seipso, in absentia alterius conjugis. Ait quidem Apostolus 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed cum seipso vir* &c. Verùm attende quod sequitur: *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterùm revertimini in idipsum* &c. 1. Cor. 7.

Et quod illud *Idipsum*? An fortè tactus, sine ordine ad copulam mox habendam? Quis crederet mihi affirmanti? Proculdubiò ipsam copulam intelligit Apostolus. Quis ergò dedit viro potestatem corporis mulieris ad tactus libidinosos, sine ordine ad copulam mox habendam? Vel si accepit illam potestatem ad tactus corporis mulieris; cur non etiam ad tactus proprij corporis in absentia mulieris, sicut in præsentia?

607. *Doctrina quædam Ioan. Sanchez.*

Fortè quis dicet cum Ioan. Sanchez sup. Conjux proprijs manibus membrum arrigere contendens ad copulæ finem, quando alter conjux præsens est, vel citò venturus, non videtur ex eo uti proprio corpore; sed potiùs uxor tunc utitur corpore viri, quæ sicut posset manibus suis membrum viri attrectare, ministerialiter utitur manibus viri. Quapropter licet physicè vir attrectet tunc membrum proprium; moraliter tamen fœmina attrectat; quia ex imperio suo, vel ex jure debiti conjugalis solvendi vir illud agit, aliàs minimè acturus: & jus habet uxor utendi corpore sui mariti, illud proprijs manibus tangendo, vel permittendo maritum semetipsum contingere ad copulæ finem. Sic ille.

Examinatur ab Auctore.

Planè ad copulæ finem. Sed nunquid etiam ad solam voluptatem? Et si sic, cur idem non liceat in absentia conjugis de expressa vel præsumpta ejus licentia? Qui enim præsens non vult copulari, moraliter absens censetur in ordine ad copulam; sicut Parochus, qui non vult irrationabiliter ministrare Sacramentum, v. g. Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, vel Extremæ Unctionis, moraliter censetur absens, ita ut tunc ministrari possint ea Sacramenta ab his, quibus id licet absente Parocho. Si ergò liceat viro tangere seipsum libidinosè præsente conjuge, quæ non vult copulam, quidni etiam eò vel eâ absente? Hæc merentur exactam considerationem.

608. *Qui nullum invenit testimonium Scripturæ &c. quo datur jus conjugibus se mutuò inhonestè attingendi sine ordine ad copulam.*

Ego dico: me nusquam apud aliquem Auctorem invenire vel Scripturæ sacræ, vel unius saltem S. Patris, aut Concilij Oecumenici testimonium, quo tribuitur conjugibus jus, se mutuò inhonestè attrectandi extrà copulam conjugalem, & sine ordine ad eam. Enimverò Matrimonium definitur: consensus reciprocus maris & fœminæ signo externo expressus, quo jus perpetuum tradunt in mutua corpora ad usum conjugalem. Porrò inhonestè se mutuò tangere; non est usus conjugalis, nisi illi tactus ordinentur ad copulam.

609. *Aliqui putant omnes illos tactus esse mortales.*

Et hinc non desunt, qui generaliter doceant, & illos tactus mutuos, & omnem veneream delectationem extrà copulam, & sine relatione ad eam, esse peccata mortalia, non minùs in conjugatis, quàm in solutis. Quæ sententia magis tuta est, & satis mihi placet. Quàmvis alioquin propter multorum auctoritatem, & rationes ab eis allatas, non ausim alteram damnare improbabilitatis seu erroris. Et ideò dixi in Conclusione: *Fortè non sunt mortales.*

Quare addatur in Concluſ. Secluso *&c.*

Addidi: *Secluso periculo pollutionis*, scilicet extraordinariæ; quia Omnes censent pollutionem extraordinariam, sive in præsentia conjugis, sive in absentia, esse peccatum mortale; & per consequens sentiunt, quòd se exponere proximo ejus periculo, peccatum quoque sit mortale, juxtà illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quia velle periculum proximum, est velle ipsam pollutionem; nisi, ut Aliqui volunt, adsit justa causa.

610. *An petitio conjugis sit justa causa admittendi tactus cum periculo pollutionis.* Sanchez.

Sed numquid talis causa est petitio conjugis? Sanchez lib. 9. disp. 45. n. 35. Prima, inquit, conclusio sit: In reddente non sunt mortales ij tactus, sed liciti, quàmvis adsit periculum pollutionis in alterutro conjuge; modò non sit consensus in ipso reddente in pollutionem illam. Quia reddens dat operam rei licitæ, ad quam obligatur ex jure alterius. Item; quia culpâ vacant ij tactus exerciti cum periculo pollutionis, ubi adest causa urgens. At satis urgens est causa reddendi tactus ab alio conjuge exactos. Sic ille.

Negat Dicastil.

Dicastillo hìc disp. 9. n. 184. inquit: probabilius puto, cum Navar. Sum. c. 16. n. 42. absolutè tunc non licere tactus, etiam exactos ab altero; quia alter non habet jus exigendi tactus, qui sint causa pollutionis; atque adeò alter tunc potest & debet negare eos tactus. Ita hìc Auctor. Et post pauca addit: Faciliùs admiserim, non esse mortale in petente, si intendat quidem copulam, & dum intendit se ad copulam excitare, sequitur pollutio.

611. *An Sanchez doceat licere illos tactus, qui sunt causa per se pollutionis.*

Sed nunquid Sanchez docet, licere illos tactus, qui sunt causa per se pollutionis, & quasi pollutio inchoata? Minimè, ut sup. audivimus. De quibus ergò loquitur? Non satis se explicat. Interim attendite ad ea, quæ habet ibidem n. 36. ubi tractans de conjuge petente, scribit sequentia verba: In conjuge petente non semper sunt mortales tactus, cum periculo pollutionis in se, vel in altero conjuge; quando nec ea est intenta, nec est consensûs periculum. Sed erunt mortales, quando absque causa urgenti exercentur. Probatur: quia licet hi tactus sint causa per se pollutionis; at excusat tali causæ operam dantes urgens causa. At aliquando adest talis causa.

Quando tactus sint mortales, secundum ipsum, ob periculum pollutionis.

Hinc (prosequitur n. 37.) deducitur. 1. tactus impudicos in conjuge petente, cum pollutionis in se, vel in altero conjuge periculo, nisi eo loco sint, ubi adveniente periculo possint facilè copulâ uti, ut pollutionem vitent, esse semper culpam lethalem. Quia ij tactus necessarij non sunt inter illos ad mutuum amorem indicandum; sed solùm quò se ad copulam statim habendam præparent. Et ex alia parte notabiliter pollutionem excitant.

612. *Quando tactus non sint mortales ob periculum pollutionis, ex eodem.*

Et n. 38. sic ait: Secundò deducitur: amplexus & oscula, & alios tactus solitos exerceri inter conjuges, ad mutuum indicandum fovendumque amorem, & turpitudine carentes, minimè damnanda esse de culpa lethali, ob periculum pollutionis prævisæ; quando non nimia voluptas adest, nec incitat; sed tamquam indicia amoris exercentur, represso excessu libidinis insurgentis.

Probatur non esse tales amplexus & oscula ad indicandum & fovendum mutuum amorem.

Ducòr: quoniam causa urgens adest hujusmodi tactus exercendi, ut mutuus indicetur foveaturque amor inter conjuges; magnaque austeritas esset, & valde minueretur amor, si ab hujusmodi tactibus abstinerent. Deinde: quia amplexus inter sororem & fratrem foris venientes, ad indicandum amorem, & ne austeri & inurbani videantur, non damnantur ob pollutionis prævisæ periculum. Cur ergò inter conjuges damnandi sint? Eò vel maximè, quòd ubi non nimis libidinis ardor incitat eos, sed voluntas mutui amoris fovendi, non influunt notabiliter in conjugatis ad pollutionem. Quàmvis in omnino solutis, quibus copula est interdicta, influerent. Hæc est enim prava nostræ naturæ corruptio, ut semper in vetita nitamur. Hæc ille.

613. *Tactus proprij corporis in absentia conjugis est mortalis, si fiat cum periculo pollutionis.*

Et hinc tactus, quo conjux semetipsum tangit in absentia conjugis cum pollutionis periculo, est culpa mortalis: quia ad eam valde influit, nec causa urgens eum exercendi adest: quippe qui non serviat ad fovendum mutuum amorem. Itemque delectatio morosa in cogitatione copulæ conjugalis. Uti & aspectus & verba turpia cum delectatione venerea, sufficienti ad culpam lethalem inter solutos. Quia hæc omnia valde juvant ad pollutionem habendam,

&

& deficit causa justa. Ita præfatus Auctor sup. n. 39.40.& 41.

Secùs, si tantùm sequatur commotio membri, secundùm Sanchez.

Addit n. 42. non esse mortale in conjugatis, per similia dare causam commotioni membrorum servientium generationi, & incurrere in distillationes prævisas : quàmvis inter solutos id esset mortale. Et si aliquis interroget, quare potiùs liceat admittere hanc commotionem & distillationem, quàm pollutionem : Respondet ; quia istud non est grave damnum generationis in tali statu, & aliundè eæ delectationes & spirituum commotiones in eis vacant culpâ mortali. Sic ille. Credat qui volet.

614. *An liceat hæc commotio, quando copula ab extrinseco est prohibita.*

Sed consequenter credere debebit, eas delectationes & spirituum commotiones vacare culpâ mortali in conjugatis, quibus ab extrinseco copula est prohibita : v. g. quia sunt in loco publico, vel loco sacro ; vel prohibentur copulari ratione damni, quod sibi, vel proli timent.

Consequenter licere, probatur.

Probatur : quia tunc suâpte naturâ est licitus usus Matrimonij & ab extrinseco prohibetur ratione honestatis naturalis, aut reverentiæ, vel charitatis aut pietatis. Jam autem eæ delectiones his virtutibus non adversantur neque honestati naturali, aut reverentiæ debitæ loco sacro. Idem est, quoties est physicum impedimentum ad copulam ; ut si impotentia coeundi superveniat Matrimonio contracto. Patet : quia eadem ratio hìc militat ; putà quia illa impotentia non repugnat istis commotionibus.

615. *Etiam dum in pœnam delicti Ecclesia prohibet concubitum.*

Sed quid, si concubitus interdictus sit ab Ecclesia in pœnam alicujus delicti ? Eadem est resolutio : cùm pœna non debeat extendi ultrà proprietatem verborum : extenderetur autem, si per copulam seu concubitum intelligerentur etiam dicti tactus, & commotiones seu delectationes.

Quid si valor Matr. sit dubius ? Videtur, quòd tunc non liceant tactus isti.

Nunquid & hi tactus licent, quando interditur debiti petitio, eò quòd valor Matrimonij sit dubius ? Videtur quòd non. Quia Matrimonium, eos cohonestans, est dubium, & proindè jam dubia etiam erit honestas illorum tactuum, & delectationum seu commotionum. Nec aliundè jus possessionis præponderat ; sicut nec ad debiti petitionem.

616. *Occurritur objectioni.*

Nec obstat : quòd possit reddere debitum, si petatur ; quippè, ut suppono, conditio nondum est posita. Quòd si ponatur, id est, si pars petat debitum ; tunc, sicut ex illa petitione ipsa copula redditur licita ; ita & ille delectationes venereæ. Porrò disparitas inter hunc casum & præcedentem est ; quòd hìc sit impedimentum ab intrinseco, & ex natura rei, propter dubium de Matrimonij cohonestantis actum valore ; ibi verò ab extrinseca dumtaxat Ecclesiæ prohibitione, idque pœnali, quæ extendenda minimè est ultrà terminos, in quibus loquitur, ut statim dixi. Vide Sanchium disp. 44. n. 24.

Quid si sit impedimentum voti ? Similiter non licent.

Quid ergò, inquis, quando ratione voti castitatis impeditur? Respondeo : culpam esse lethalem admittere delectationem veneream : hæc etenim repugnat castitati non minùs, quàm ipsa copula ; ubi ergò hæc non est licita, neque illa delectatio licita erit ; nisi fortè vovisset non simpliciter castitatem, sed præcisè abstinere à petitione debiti. Dispar ergò est ratio de aliarum rerum delectatione, quæ ex circumstantiâ extrinseca sunt malæ : ut quando actus conjugalis est malus ob salutis periculum &c. Quia illa delectatio vel tactus non opponuntur illi circumstantiæ extrinsecæ, ut sup. dictum est : at hìc directè opponuntur voto extrinseco, quod obligat ad abstinendum ab omnibus venereis, & consequenter ab his ; obligat, inquam, æqualiter conjugatos ac solutos, ubi lex justitiæ matrimonialis non urget. Vide Sanchez sup. n. 25.

617. *Finis Conclus.*

Atque hìc sit finis hujus Conclusionis, in qua, si quidpiam dictum, quod fortè aures castas aliquorum offenderet, ignoscendum est ; quia res necessaria scitu Confessarijs, quorum aures adhuc plura & magìs immunda pati debent ; sed omnia munda mundis. Porrò finem præsenti Sectioni imponet resolutio hujus quæstionis : An quoties peccat conjux debitum exigens, peccet similiter illud reddens ? Sit itaque

CONCLUSIO XIX.

Licitè redditur debitum petenti ex malo fine : secùs, si ipsum opus externum nequeat fieri sine peccato.

618. HActenùs disputavimus de varijs circumstantiis, ex quibus actus conjugalis vitiari potest ; quarum aliquæ tenent se ex parte personæ, v. g. votum castitatis, affinitas &c. aliæ ex parte ipsius actûs, ut locus publicus, Ecclesia, periculum abortûs &c.

Nulla est obligatio reddendi debitum cum peccato.

Porrò hìc controvertitur ; an quoties peccat conjux debitum exigens, peccet similiter illud reddens ; ut proinde non teneatur reddere : quippe *Nemo potest ad impossibile obligari*, Reg. 6. de Reg. juris in 6. *Quæ* autem *facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) quæ contrà bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est*, inquit Papinianus l. *Filius*, 15. ff. de Condit. instit.

Et verò quis dubitet, omne peccatum, vel veniale solùm, fieri contrà bonos mores ? Ergò nemo tenetur reddere debitum, si reddendo vel solùm venialiter peccet. Hoc certum est. Sed incertum ; an dum conjux exigens debitum peccat, sive mortaliter, sive venialiter, similiter peccet illud reddens.

619. *Probatur 1. pars Conclus. ex ratione.*

Equidem non semper id verum esse, docet prima pars nostræ Conclusionis, quæ paucos habet contradictores, & nullam ferè difficultatem. Cùm enim tali casu copula per se sit licita, & benè fieri possit ab utraque parte, tota malitia ejus provenit ex mala voluntate petentis, qui posset & deberet honestum finè intendere ; atque adeò posset, si vellet, non peccare per talem copulam. Quare reddens non consentit, aut cooperatur

illi malitiæ ; sed quanta quanta est, refunditur in voluntatem petentis.

Confirmatur à simili, ex Pontio.

Hâc ratione (inquit Pontius lib. 10. c. 3. n. 5. ubi docet nostram Conclus.) non peccat, qui petit Sacramentum Confessionis ab eo Sacerdote, quem scit esse in peccato mortali ; quia potest habere actum contritionis, quo dignè ministret, & suâ culpâ non habet. Hâc etiam ratione non peccat, qui petit mutuum ab usurario, quem scit exacturum usuras ; quia ille petit tantùm mutuationem pecuniæ, quam posset benè exercere. Nec etiam peccat ex eadem ratione, qui dat pecuniam exactam ab usurario ; quia actus ille dandi etiam hic & nunc non est malus, & actum accipiendi posset usurarius benè exercere reddendo, quod datur ultrà sortem, & suâ culpâ facit malè.

620. *Illatio Pontij.*

Itaque uno verbo rem istam comprehendens, dico. Quoties peto actum ab aliquo, vel adjuvo ad actum, qui hìc & nunc non potest ab illo fieri benè vel malè, pecco & cooperor peccato illius. At cùm potest fieri benè, & culpâ facientis fit malè, non pecco neque cooperor. Sic ille. Et nos cum illo.

Limitatur.

Eo tamen salvo, ut sine meo incommodo respectivè gravi nequeam ejus peccatum impedire. Alioqui charitas obligat, ut quantùm commodè fieri potest, impediam peccatum proximi mei ; & ut non dem ei occasionem aliquam, estò remotam, peccandi.

Sanchez.

Quod probè sciens Sanchius lib. 9. disp. 6. ubi n. 4. docet nobiscum, uxorem posse reddere debitum viro petenti ex malo fine, v. g. animo fornicario, imò teneri reddere : statim n. 5. fatetur, quoties conjux exactus potest commodè absque timore odij, indignationis, & incontinentiæ alterius conjugis peccantis mortaliter in exactione, & absque suo damno, teneri illum præcepto correctionis fraternæ ad avertendum alterum. Quia, inquit, lex charitatis obligat ad retrahendum proximum à peccato, ubi commodè fieri potest.

621. *Existimat Sanchez præceptum correctionis raro hìc obligare uxorem.*

Credo tamen (prosequitur paucis interjectis) rarissimè ad hoc obligari uxorem. Tum, quia potest moraliter viri indignationem timere, & fore, ut suspicetur ipsam non virtutis zelo, sed alieno amore captam induci : tum etiam, quia moraliter potest credere, virum, qui contra votum est sacrilegus in petendo, vel aliter admittit culpam lethalem petens, ita ardore carnis incensum esse, ut facilè incontinentiæ periculum patiatur, negatâ sibi copulâ ; atque adeò moraliter non est spes emendæ, quæ desideratur, ut præceptum correctionis obliget ; imò est timor majoris damni.

Viri facilius obligantur

Tandem ; quia onus gravissimum esset verecundiæ, quæ fœminas decet, offerre se viro ad semper petendum. Viri autem faciliùs hoc præcepto obligari possunt ; cùm possint uxoribus petentibus cum peccato consulere, ne peccent petendo, & se illis offerre ad crebriùs petendum, & majus in uxorem imperium habeant, ipsisque incumbat gubernare. Sic ille.

622. Ubi, ut vides, loquitur etiam de voto castitatis, quod putat tali casu redditionem debiti non inficere, per se loquendo ; ut manifestiùs docet n. 7. dicens : Tertia regula sit : Quando exigere est culpa lethalis, non ob aliquam circumstantiam tenentem se ex parte actûs, sed ob circumstantiam personalem ipsius exigentis, ut si v. g. malo fine petat, vel ratione voti castitatis, quo ligatus est, sit sacrilegus petendo ; tunc tantùm abest, ut reddens peccet, ut potiùs reddere teneatur. Ita præfatus Auctor.

Petenti cum voto castitatis tenetur conjux reddere, juxtà Sanchez.

Nunquid rectè ? Non puto, quantùm ad votum castitatis. Quippè eo stante, nequit opus externum benè fieri à petente, quà talis est ; & ablatio voti non subest ejus potestati, ita ut, tametsi vellet, non posset licitè exigendo copulati ; atque adeò reddens cooperatur actioni per se malæ, scilicet copulæ sacrilegæ, quæ aliàs non poneretur, quod est intrinsecè malum, juxtà illud Apostoli Rom. 1. vers. fin. *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Oppositum probatur.

Ad Rom. 1.

Atque hæc est unica ratio, & manifesta, ut ait Pontius sup. n. 3. secundæ partis nostræ Conclusionis. Quia (utor verbis ejus) reddens debitum illi, quem scit cum peccato petere ob impedimentum, quod ab eo actu hìc & nunc exercito separabile non est, cooperatur peccato alterius, quod committit in actu exteriori pravè utendi corpore alterius conjugis : ergò non licet. Antecedens probo : quia ut sic reddens dicatur cooperari peccato, non est necessarium, ut intendat ruinam proximi ; sed satis est, ut cooperetur ad actum, qui hìc & nunc non potest fieri benè vel malè ; sed necessariò malè. At usus illius corporis hìc & nunc, prout est ab eo homine impedito voto, vel alio impedimento non potest bene fieri ; neque enim in ejus potestate est tunc tollere impedimentum ; ergò cooperatur illi.

623. *Probatur 2. pars Concluſ. ex Pontio.*

624. *Explicatur amplius.*

Et explicatur ampliùs. Quia si ille potest reddere licitè, petente alio eo modo quo diximus, non solùm poterit, sed tenebitur ; & ex consequenti, non reddens peccaret. Ergò contra virtutem aliquam. Contra nullam autem peccat. Non contra justitiam ; quia petens iniquè nullum habet jus iniquè petendi ; id enim possumus, quod jure possumus. Quare licèt ille, qui impedimentum habet voti, vel loci vel aliud, habeat dominium ejus corporis, cujus usum exigit ; id tamen dominium quoad usum impeditum est voto v. g. & non habet jus, nisi ad usum licitum : ille autem sub ea circumstantia est illicitus. Ergò non facit contra jus illius, qui negat eo casu. Hæc Basilius. Quæ clariùs elucescent ex solutione argumentorum Sanchij.

Primum arg. Sanchij.

Primum est. Quia cùm actus ille non sit ex sua natura illicitus, sed ex circumstantia se tenente ex parte exigentis ; idemmet actus, ut se tenet ex parte conjugis reddentis, in quo non reperitur aliqua circumstantia vitians, erit licitus ; imò & debitus ex justitia.

625. *Rejicitur & Pontio.*

Respondet Pontius sup. n. 4. Circumstantia illa, quæ se tenet ex parte personæ, vitiat actum prout hìc & nunc fit, juxtà vera principia Theologiæ,

logiæ; ſicut & actus ipſe Confeſſionem adminiſtrandi vitiatur ab excommunicatione, quâ tenetur Sacerdos, quàmvis ſecundùm ſe ille actus ſit bonus; & non afferat ſecum eam circumſtantiam; & aliàs licitum eſſet petere Sacramentum ab excommunicato, qui abſolvi non poteſt, quod tamen falſum eſt: quia tunc petit Sacramentum ab eo, qui acquieſcens ejus petitioni non poteſt benè vel malè adminiſtrare Sacramentum; ſed neceſſariò adminiſtrat malè, cùm non habeat copiam abſolutionis: & tunc petitio habet rationem ſcandali activi; quia petit id, quod neceſſariò faciendum eſt malè, ſi fiat. Sic ergò qui cooperatur uſui corporis cum petente, impedito v. g. voto, peccat; quia licèt ille uſus ex ſe ſit licitus & non afferat ſecum eam circumſtantiam voti: at prout hìc & nunc exercetur, non eſt licitus. Circumſtantia enim illa vitiat non ſolùm petitionem, ſed etiam uſum petentis, cui uſui alter cooperatur reddens.

626. *Varia exempla adducta à Pontio ad hoc propoſitum.* Et explicari poteſt exemplis. Is enim, qui miniſtrat carnes in die veneris, aut cœnam jejunanti parat, peccat; quia actus ille licèt ſecundùm ſe non ſit illicitus, attamen ex circumſtantia temporis illicitus eſt. Item, ſi quis miniſtraret cœnam habenti votum jejunandi illo die, peccaret; vel qui miniſtraret carnes Carthuſiano, quem ſciret non poſſe carnes comedere; cùm tamen hæc omnia non ſint ſecundùm ſe mala, ſed ex circumſtantia perſonæ. Hactenùs Pontius.

Non placent Auctori. Verùm, meo judicio, exempla iſthæc nihil probant. Nam, ut alibi diximus, ex gravi cauſa licitum eſt apponere carnes aut cœnam in die jejunij; itemque illi, quem ſcio habere votum jejunandi, vel non comedendi carnes. Et ratio *Oſtenditur diſparitas.* eſt; quòd appoſitio carnium aut cœnæ non ſit mala; ſed comeſtio tantùm, ad quam apponens proximè non concurrit; & propterea poteſt excuſari. At verò in caſu noſtro, mulier non ſolùm apponit carnem ſuam ad uſum; ſed ipſius carne vir utitur, idque illicitè; ad quem uſum ipſa proximè concurrit, viro coagendo. Qui autem apponit carnes aut cœnam, non concurrit proximè, ut jamjam dixi, ad comeſtionem; quia carnibus, aut cœnâ appoſitâ, poteſt adhuc alter non peccare; ſcilicet, non comedendo. Vir porrò utens corpore fœminæ, non poteſt non peccare, ut ſupponitur. Magna ergò diſparitas inter prædicta exempla, & noſtrum caſum.

627. *Quando foret paritas.* Eſſet verò paritas, ſi mulier v. g. dormiat apud virum, ſciens quod ipsâ abutetur; in hoc quod dormit ibi, non neceſſariò peccat; quia illa dormitio eſt actio indifferens, quâ poſitâ, vir non neceſſariò peccat; quàmvis ſit occaſio peccati, quam non ſemper debemus evitare. At verò, ſi voluntariè patiatur ſe abuti à viro, jam non ſolùm dat occaſionem peccati; ſed reverà coëfficit actum peccati, quod eſt intrinſecè malum.

Reſp. Auctoris ad 1. arg. Sanchij. Reſpondeo ergò breviter ad primum argumentum Sanchij: circumſtantiam afficientem perſonam petentem indirectè afficere perſonam reddentem, quatenus cooperatur peccato alterius. Undè non ſolùm non tenetur, ſed nequidem poteſt reddere. Nonne etiam actus conjugalis in loco ſacro, aut publico, per ſe & ex natura ſua eſt licitus? Et tamen illicitus; & conſequenter indebitus in tali loco. Ergò ſimiliter in caſu noſtro; tametſi illa copula per ſe ſit licita; illicita tamen, & per conſequens indebita reſpectu perſonæ, habentis votum caſtitatis.

628. *Votum indirectè afficit perſonam reddentem. Probatur à ſimili in contractu Matr.* Quòd autem iſtud votum indirectè afficiat perſonam reddentem, oſtendo in ipſo contractu Matrimonij; qui non ſolùm ex parte votum habentis eſt illicitus, ſed etiam ex parte alterius, ut Sanchez docet lib. 7. diſp. 11. n. 11. dicens: Scienter contrahens cum habente votum caſtitatis peccat mortaliter. Quippè cooperatur alterius peccato, fitque ſocius & particeps illius. Sic ille.

Quæ autem diſparitas inter contractum conjugalem, & copulam conjugalem? An fortè, quòd Matrimonium inter duos neceſſariò debeat conſiſtere? Sed nunquid etiam copula? Quæ ergò ratio diſparitatis? Quòd, inquis, conjux *Oſtenditur diſſimiliter.* non habens votum poſſit licitè petere copulam; ergò ex parte ſua actus eſt licitus. At verò non licet petere contractum. Sic etiam in loco ſacro, aut publico, utrique prohibetur petere; hìc autem alter poteſt licitè petere.

629. *Replica.* Fateor; ſed quid tum? Etenim non benè ſequitur; licitè petit, ergò licitè reddit. Ratio: quia in petitione non cooperatur peccato alterius: cùm reddens non peccet, ſi velit; ſecùs in redditione, cùm tunc petens peccet.

Oppugnatur. Sola petitio hìc non eſt mala, ſed etiam ſubſequens copula. Planè, reponis; ſed non cooperatur petitioni, quæ ſola eſt mala. Reſpondeo: etiam ipſam copulam ſequentem eſſe malam; aliàs dici deberet, peccatum externum completum fuiſſe in ipſa petitione. Si id admiſeris, admitto & ego ſententiam Sanchij. Sed caſus ſupponit, quòd copula ex parte petentis ſit peccatum. Alioquin dicas, etiam peccatum contractûs Matrimonij in ipſa petitione fuiſſe completum, & ideò non peccare, qui cooperatur contractui.

630. *An in caſu propoſito reddens cenſeatur virtualiter petere.* Audio replicantem: in caſu noſtro reddens cenſetur virtualiter petere; vel ſaltem ex parte ſua accedere meliori modo, quo de jure poteſt: poteſt autem ipſe accedere, ſi velit, non obſtante impedimento alterius, ut dictum fuit. Reſpondeo: ſi ita eſt, ſententia Sanchij nullatenùs poteſt reprobari; eo quippè ſuppoſito, petens in ipſo actu non peccabit, niſi fortè propter malam intentionem, quam poteſt mutare; & ſic non eſt caſus, de quo quæritur. Neque pars innocens tenetur, per ſe loquendo, tali modo accedere; adeòque juſtè negat acceſſum.

Secundum arg. Sanchij. Minimè juſtè, urget quiſpiam (eſtque ſecundùm argumentum Sanchez) quia voto caſtitatis ſe aſtringens non amiſit dominium corporis alterius conjugis, per Matrimonium acquiſitum; ſed tantùm peccat exigens in ordine ad Deum, cui fidem voti violat: ergo tenetur conjux exactus reddere petenti rem ſuam: ſicut ſi nummos, apud alterum à ſe depoſitos, peteret ad fornicandum.

631. *Confirmatur.* Et confirmatur: ſi quis apud inopem centum aureos depoſuiſſet, & poſtmodum nec donans illi inopi, nec ipſi promittens, ſoli Deo voveret,

ſe

se illos minimè petiturum; teneretur inops exigenti illos reddere, utpotè nullum jus retinendi habens; nec ob id diceretur cooperari sacrilegæ fractioni voti petentis: ergò similiter in nostro casu. Ita Sanchez.

Solutio Pontij. Respondet Pontius sup. n. 6. Quàmvis astrictus voto castitatis adhuc habeat dominium corporis conjugis; tamen dominium illud impeditum est quoad usum, propter rationem dictam. Quare exemplum, quod adducitur de reddente nummos deponenti, quem scio repetere illos ad fornicandum, non est ad rem; nam finis adjungitur ex malitia operantis, & posset hìc & nunc benè uti, salvâ redditione; sicut dicebamus, cùm petit usum corporis ex pravo fine.

632. *Resp. ad confirmationem.* Ad confirmationem dico: si ille, apud quem depositа est pecunia, ignarus est voti, ignorantia excusatur, & non peccat reddendo. At si conscius voti est, jam ille poterit in suos usus consumere, si, cùm vovit non petere, votum fecit de non extrahendo ex potestate illius, neque per se, neque per alium; fuit enim illa quædam donatio. At si tantùm votum fuit de non extrahendo per se, non potest reddere illi petenti; benè tamen alteti, petenti ejus nòmine. Ita Basilius. Ratio patet; quia ille peccat, alter verò non.

Expenditur. Interim, si eos centum aureos clàm extraheret à potestate ipsius; existimo, quòd non peccaret contra justitiam, sed solùm contra religionem; quia auferrèt, quod suum est; cùm per votum soli Deo factum non satìs constet, dominium rei in illum inopem fuisse translatum. Hinc tamen non sequitur, inopem teneri reddere, si petat. Nam si quis petat gladium depositum apud me, ut interficiat proximum suum, non teneor reddere; si tamen clàm auferret, non peccaret contra justitiam, quia auferrret rem suam.

633. *Objectio.* Si dixeris: Hic potest reddere gladium, si aliàs timeat grave incommodum; ergò etiam mulier debitum reddere, si aliàs timeat grave odium & inimicitiam mariti. *Solvitur.* Respondeo neg. Consèq. quia reddendo gladium non cooperatur peccato ipsius; secùs reddendo debitum: quia occisio ab ipso solo ponitur, secùs copula.

Per votum castitatis impeditur usus conjugij. Itaque per votum castitatis conjuges non amittunt dominium radicale corporum, sed usus impeditur. Sicuti in loco sacro conjuges habent dominium corporum, & tamen usus impeditur ex parte utriusque, etiam secundùm Sanchium; & ideò non tenentur, imò nec possunt reddere, nec petere, nisi justa causa excuset. Similiter per dubium superveniens de valore Matrimonij non perditur dominium; sed usus redditur illicitus; & ideò altera pars minimè dubitans, sed omninò certa de valore Matrimonij, nequit reddere; saltem non tenetur; quia dubitans non habet jus ad usum, stante tali dubio. Veluti etiam si mutuò sibi promisissent non petere, esto per talem promissionem non perdant dominium corporum, equidem jus proximum ad usum est sublatum.

634. *Objectio.* Sed contrà, inquis: qui vovet Deo castitatem, non obligatur conjugi, sed soli Deo; ergo retinet totum suum jus, quod antea habebat, in conjugem, & ad nihil ei obligatur. Sicuti si quis promisisset Deo, mihi dare centum aureos, ex illa promissione mihi non competit jus in illos aureos; neque peccaret contra justitiam, qui non solveret; sed solùm contra religionem: ergò similiter in nostro casu, petens debitum solùm peccat contra Deum, & non contra conjugem.

Diluitur. Respondeo: quia peccat contra Deum, etiam indirectè offendit conjugem, inducens eam ad cooperationem sui peccati contra Deum; & ideò non habet jus, ut conjux debitum reddat: quod si posset reddere non cooperando peccato, sed solùm illud permittendo; indubiè teneretur, nisi commodè posset illud impedire.

635. *Exemplum, quod Sanchez pro se adducit.* Ex his patet responsio ad aliud exemplum, quod Sanchez pro se adducit supr. nu. 4. Si vir existimans Matrimonium esse irritum ob impedimentum dirimens petat, reus est culpæ mortalis: at uxor certò sciens, illud minimè subesse, non potest debitum negare.

Ostenditur, non convincere intentum. Primò. Respondetur enim primò ad hominem. Sanchez lib. 2. disp. 41. n. 56. docet: si alter tantùm dubius sit, petatque à non dubitante ante præmissum debitum examen, potest conjux non dubitans, conscius dubij alterius, negare debitum quia dubitans non habet jus ad petendum. Sic ille. Si dubitans non habet jus, & idcircò non dubitans potest debitum negare; quis indicavit Sanchio, virum, qui existimat Matrimonium esse irritum, habere jus; & ideò uxorem, certò scientem ejus valorem, non posse debitum negare?

636. *Secundò.* Hinc respondetur secundò: non teneri tali casu uxorem reddere debitum; imò non posse, nisi reddat alterum certum de valore Matrimonij; aliàs cooperabitur peccato ipsius. Quòd si talia ei proponantur argumenta, ut certus esse possit, si velit, & nihilominùs credere renuat; jam uxor certa & petere potest, & reddere; quia malitia copulæ tunc oritur ex sola voluntate increduli, qui posset benè & licitè copulari, si vellet.

Dicast. vocat sententiam Pontij probabilissimam, eamque sequitur. Prima pars sententiæ. Quæ cùm ita sint, rectè dixit Dicastillo sup. n. 244. probabilissimum sibi videri, quod docet Basilius lib. 10. c. 3. nempè, quando is, qui illicitè exigit, solùm exigit illicitè ratione alicujus, quod, quando exigit, non subest libertati exigentis liberare se ab eo impedimento; quin potiùs velit nolit, tali impedimento astringitur; ut quando exigit illicitè, quia priùs emisit votum castitatis, aut quia priùs contraxit affinitatem cum conjuge, cognoscendo consanguineam conjugis; tunc non posse licitè reddi debitum ab altero, cui exigitur; quia id esset cooperari actui, qui jam exigenti non potest non esse peccatum.

637. *Secunda.* Quando verò exigitur illicitè ratione alicujus impedimenti, quod, quando debitum exigitur, potest libere exigens ab eo se liberare; ut quando solùm exigitur illicitè ratione alicujus inordinati finis intenti ab exigente, aut quia deficit finis, qui debuit apponi; tunc potest licitè reddi; quia id non est cooperari intentioni finis,

aut

aut defectui intentionis debitæ ; ſed tantùm eſt cooperari actui, quem exigens adhuc poſt petitionem poteſt efficere bonum ; & tum qui reddit, nullo modo inducit ad peccatum activè ſcandalizando ; ſed tantùm exigens ſcandalizatur paſſivè. Propter quod paſſivum ſcandalum non ſunt dimittenda opera, quæ alioqui ſunt ſub præcepto, qualis eſt debiti conjugalis redditio. Atque adeò in eo caſu non ſolùm licet, ſed debet debitum reddere, ſi aliud non obſtet ex alio capite. Ita hìc Auctor.

638. *Quid ſenſerit de hac controverſia Averſa. Primum aſſertum.* Et quid putatis Averſam ſenſiſſe de hac controverſia ? Attendite ad ea, quæ ſcribit q. 17. ſect. 3. §. *Sed in hac re.* Certum, inquit, eſſe debet, conjugem rogatum ad copulam ab altero illicitè petente teneri lege charitatis, & correptionis fraternæ, ubi hanc profuturam ſperat, admonere illum ſui impedimenti ac prohibitionis, ut à tali petitione deſiſtat.

Secundum. Putandum quòque eſt ; ſi abſque magno diſpendio poſſit abſolutè negando debitum reſiſtere, teneri ad id eâdem lege charitatis ; nimirum ad impediendum peccatum alterius. Si enim in alijs rebus tenetur quiſque, quando abſque gravi diſpendio poteſt, poſitivè operari ad impediendum peccatum proximi : quántò magis, quando id præſtare poteſt, ſolâ denegatione & ſubtractione operationis ſuæ ? Si autem non poſſit denegare, abſque magno diſpendio vel ſuo, vel etiam conjugis petentis : utpotè ſi timeat ſibi gravem indignationem conjugis, aliudve damnum, rixas & diſcordias in domo, aut timeat peccatum aliquod incontinentiæ in ipſo conjuge, ſive aliud detrimentum ; tunc poterit licitè reddere : quia non tenetur cum tanto incommodo & diſpendio vel ſuo, vel alterius, impedire peccatum illius. Imò tale poſſet eſſe periculum & damnum imminens, ut non ſolùm poſſet ſed etiam teneretur reddere : quod prudenter pro qualitate perſonarum & rerum diſpiciendum eſt.

639. *Tertium.* Poterit tandem prudens conjux ad copulam invitatus ab altero illicitè petente convertere redditionem in petitionem, dicendo, ſe potiùs ab illo petere, & ita habere copulam animo & affectu petentis. Ubi, quàmvis ille, qui anteà petijt, peccaverit in ipſa illicita petitione : tamen non erit peccaminoſa executiò ipſa copulæ ; ad quam proinde alter licitè prorsùs concurrit, non tamquam cooperans ad inſtantiam illius, ſed tamquam per ſe operans. Sic ille. Tu cogita, an benè.

Quid reſpondeat ad rationes Sanchij. Et §. ſequenti reſpondet ad rationes, quibus Sanchez ſup. n. 12. conatur probare, non peccare conjugem reddentem inceſtuoſo petenti, aut voto caſtitatis ligato, tametſi lex juſtitiæ non cogat eam ad reddendum. Prima autem eſt : quia hoc non eſt cooperari delicto alterius, quare *Ad primam.* non eſt, cur crimen ſit. Reſpondet Averſa : ſi conjux rogatus ſe habet, ut purè reddens, cooperari copulæ ; quæ non ſolùm in petitione, ſed in executione ipſa alteri petenti illicita eſt. Ita Averſa.

640. *Probatur.* Et nonne, dicet aliquis, ipſe Sanchez docet, ut ſup. audivimus, conjugem requiſitum, ſi commodè poſſit, teneri alterum avertere ex præcepto correctionis fraternæ ? Ergò non in ſola petitione copulæ eſt peccatum ; ſed etiam in actuali copula : nam correctio fraterna non obligat, niſi ad vitandum peccatum futurum. Reſponderi poſſet : admonitionem eſſe neceſſariam, ne perſeveret in ipſa petitione, quæ mala eſt, & quam tenetur relinquere. *quòd in ſolâ petitione non ſit peccatum.*

Secunda ratio Sanchij. Sed pergamus ad alias rationes Sanchij. Secunda eſt : quia ſi dubius de valore Matrimonij petat à non dubitante, poteſt hìc non reddere ; quia ille jus non habet petendi ; poteſt etiam reddere. Nam cùm ſit in poſſeſſione pacifica, poteſt uti plenè ſuâ poſſeſſione, petendo & reddendo : nec aliquo modo ſpoliari debet ob alterius dubium. Sic ergò in noſtro caſu ; cùm conjux innocens nullo delicto, aut voto ſe aſtrinxerit, non eſt, cur ob votum, aut delictum alterius, quæ ſuos ſolos auctores afficiunt, jure & poſſeſſione petendi & reddendi privetur.

641. *Confirmatur.* Et confirmatur ex ratione textûs cap. *Tranſmiſſæ*, & cap. *Tuæ*, de Eo qui cognovit conſang. ubi deciditur, inceſtuoſum cum conſanguinea alterius conjugis non poſſe petere ; at teneri reddere. Et ſubditur hæc ratio : Quia affinitas poſt Matrimonium contracta ei conjugi officere non debet, qui iniquitatis particeps minimè fuit, nec ſuo jure debet abſque culpâ ſuâ privari. At valde officeret, ſi innocens peccaret reddendo : cùm privaretur plenâ poſſeſſione, quâ, ſecluſo voto & delicto alterius, gaudebat : eſſetque ei neceſſarium ſemper petere, ut Matrimonio abſque culpa uteretur ; ſcrupuliſque non immodicis vexaretur, dum petit ; an ea ſit petitio, vel potiùs redditio, propter alterius conjugis voluntatem nutibus intellectam. Hæc ille.

642. *Reſponſio Averſæ.* Reſpondet Averſa ſup. non ſpoliatur conjux innocens jure ſuo, quod habet ex juſtitia ; ſed obligatur jure charitatis avertere alterum à peccato. Nec grave onus ſubibit : quia ſi ipſemet non habeat appetitum copulæ, non erit ei grave ; ſed potiùs gratum, negare debitum : ſi autem appetat & ipſe copulam, poterit potiùs petere, quàm reddere. Et ſi ſit fœmina, non audens expreſsè petere, poterit ſignis ſuum deſiderium indicare : quod etiam ſufficit ad petendum.

Poteſt etiam vir, quando conjicit deſiderium fœminæ, ne ei grave ſit petere, ſeipſum offerre, non obſtante ſuo impedimento ; & tunc uxor licitè quoque concurret ad copulam. Nec eſt quòd ſcrupulis anxietur : quia etiamſi inducatur ad petendum, ut avertat peccatum alterius, & provocata à petitione illius ; reverà executio copulæ erit adhuc licita, quàmvis ille antecedenter in ſua voluntate & petitione peccaverit. Ac propterea eodem modo in caſu dubij & voti, ille, qui rogatur à dubitante, aut per votum aſtricto, non poteſt propriè reddere, ſed benè poteſt convertere redditionem in petitionem, ex ſe petendo. Hactenùs Averſa. *Oſtenditur, quòd in ſententia Pontij innocens non ſubeat grave onus.*

Tu nota : conjuges propriè non habere jus ad reddendum, ſed obligationem reddendi ; ſicut debitor non dicitur propriè habere jus ad ſolvendum 643. *Conjuges nō habent pro-*

prè jus ad reddendum.

debitum ; neque fit ipsi injuria, si ab illa obligatione liberetur : ergò similiter in nostro casu, innocens non privatur jure suo ; nec fit ei injuria per hoc, quòd liberetur ab obligatione reddendi. Nam copulam potest habere, quando vult, petendo. Neque refert, quòd pars impedita priùs petierit ; per hoc enim pars innocens non privatur jure suo petendi ; imò, ut sup. insinuavimus, sufficit ut accedat meliori modo quo potest. Unde non video, ex quo possit ibi oriri scrupulus.

Ex incestu viri uxor incurrit aliquod onus.

Et reverà, nemo potest negare, ex incestu viri uxorem incurrere aliquod onus ; cùm vir, saltem licitè, nequeat petere debitum, ut proinde debeat subire verecundiam petendi. Si ergò ex eo capite non privatur jure suo ; neque ex hoc, quod non possit reddere, quando vir iniquè petit ; censetur autem tunc saltem iniquè petere, quando omissio petitionis non est uxori onerosa.

644. *Resolutio finalis, petitionem esse licitam, secus redditionem.*

Finio, & rursùm dico : redditionem in casu proposito esse illicitam ; petitionem verò licitam ; quin & debitam ex charitate, ad avertendum peccatum proximi ; imò & proprium, si velit copulari ; nam alioqui ipsa copula est peccaminosa ex parte utriusque satis probabiliter, juxtà sententiam Pontij & aliorum ; neque apparet ullum incommodum in ea petitione, saltem ex parte viri, ratione cujus lex charitatis non obligaret.

An innocens, petendo debitum ab incestuoso, perdat jus suum.

Immò, reponit quispiam ; maximum incommodum est, quòd petendo debitum ab incestuoso, vel incestuosa, innocens non poterit ampliùs debitum negare : quia ex tunc videtur reconciliatio facta ; arg. cap. *Si vir*, de Adult. & cap. *Proposuit*, de Conjug. servor. Potest etiam idem probari ex cap. *Cum Wintonienſis*, de Elect. ibi: *Nos attendentes, quod isti post primam electionem admiserant illos.* Ubi Gloss. verb. *Admiserant*, ait : *Nota, quod semel probatum est, reprobare non possunt, ff. de Negot. gest. l.* Pomponius .... *& sic illos admittendo, sibi præjudicaverunt, & jus suum amiserunt, quo poterant illos repellere eâ vice.* Sic ergò conjux, qui incestuosum admisit ad copulam, non poterit deinceps debitum illi negare. Ita tenent Hostiensis cap. *Transmissæ*, de Eo qui cognovit consang. Archid. & Alij.

cap. 25. de Elect.

Affirmant Hostiensis, & Archid.

645. Cæterùm (inquit Sanchez sup. disp. 6. n. 9.) omninò dicendum est, quàmvis semel & sæpè conjux sciens & prudens debitum petierit ab incestuoso, non censeri remissionem ; ac proinde non amittere jus negandi debitum. Probatur Primò : quia cùm hæc privatio juris petendi debitum non sit in favorem alterius conjugis innocentis, sed in pœnam incestûs, & affinitatis contractæ ; nequit conjux innocens hanc pœnam remittere.

Negat Sanchez.

Probatur 1.

Secundò : quia ex eo, quod conjux jure suo utatur debitum exigens, non privandus est jure negandi, quod habet. Tertiò : quia aliàs frustrà decideretur d. cap. *Transmissæ*, hunc incestuosum minimè posse exigere, ac teneri reddere ; si per primam alterius conjugis exactionem fieret habilis ad petendum. Ita Sanchez.

Secundò.

Tertiò.

Porrò ad cap. *Cum Wintonienſis*, Respondet : ibi privatum jure eligendi admitti, ut eligat jure proprio ; nec esse perpetuò à jure eligendi excluſum (ut patet ex illis verbis Gloss. sup. *Eâ vice*) at incestuosum admitti ad copulam ob jus, quod habet in eum conjux innocens, esseque perpetuo jure exigendi privatum.

646. *Resp. ad d. cap. 25.*

Ad alia duo cap. dicit idem Auctor : quòd loquantur, ubi conjux ratione adulterij amittit jus petendi. Ego autem dico, in cap. *Proposuit*, nullam fieri mentionem adulterij ; sed separatur Matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxit ; nisi posteà hoc sciens illam cognoverit : cap. autem : *Si vir*, loquitur quidem de Adulterio, sed tantùm dicit : *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit & ejus peccati particeps.* Quis autem dixerit, innocentem, qui petit debitum ab incestuoso, reum esse, & ejus peccati participem ?

Quid dicendum ad alia jura.

Perpendat Lector : privationem juris, debiti petendi in nostro casu, non esse positam in favorem innocentis, sed in delicti pœnam ; & ideò, ut dictum est, innocens non potest ei renuntiare. At verò eadem privatio ex adulterio facta est in favorem conjugis innocentis ; & idcircò potest innocens eam remittere, & censetur remissio facta per copulam subsequentem, ut patebit ex dicendis Sectione sequenti, quæ erit

647. *Quare innocens non possit incestuoso remittere privationem juris petendi.*

SECTIO XVI.

DE DIVORTIO.

1. *Quid sit divortium & quotuplex.*

Divortium (teste Iurisconsulto l. 2. ff. de Divortijs) *vel à diversitate mentium dictum est : vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt Matrimonium.* Dupliciter autem usurpatur (ut notat Sanchez lib. 10. disp. 1. n. 1.) Primò, ut importat dissolutionem Matrimonij quoad torum & cohabitationem. Et in hac acceptione communiter usurpatur apud Theologos. Secundò, ut importat dissolutionem etiam quoad vinculum. In qua acceptione utuntur hâc voce Iurisconsulti, ut constat ex toto tit. ff. de Divortijs.

De hac posteriori acceptione, id est, de indissolubilitate Matrimonij quoad vinculum, diffusè egimus Disp. præced. Sect. finali. Impræsentiarùm disputabimus de prima acceptione, id est, de dissolubilitate Matr. quoad torum & cohabitationem. Quod antequam aggrediamur, oportet præmittere, & erit

CON-

CONCLUSIO I.

Conjuges jure naturali ac divino tenentur ad communem torum & habitationem.

2. *Probatio Conclus. ex natura Matr.*

Est certa & ab Omnibus admissa. Quippè hæc tentio oritur ex obligatione reddendi debitum, quæ est juris naturalis ac divini, & ex ipsa Matrimonij natura. *Nuptiæ* siquidem, *sive Matrimonium, est viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem* (id est, societatem) *continens*, Instit. de Patria potestate §. 2, Et. l. 1. ff. de Ritu nupt. *Nuptiæ sunt conjunctio maris & fœminæ, & consortium omnis vitæ, & humani juris communicatio.* Quomodò autem posset esse consortium omnis vitæ sine cohabitatione ?

§. 2. Inst. de Patr. potesta. L. 1. ff. de Rit. nupt.

Cohabitatio conjugum ad quod sit necessaria.

Experientiâ teste, cohabitatio necessaria est, non solùm ad commodam generationem prolis, sed etiam rectam ejus educationem ; & alia obsequia, quæ conjuges invicem præstare debent, eamdem requirunt. Quam etiam Deus ipse insinuavit per os Adæ Gen. 2. v. 24. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quæ verba de adhæsione per simultaneam habitationem intelligunt D. Tho. ad Ephes. 5. lect. 10. & Abul. c. 19. Matth. q. 23.

Gen. 2.

3. *Secunda probatio Conclus. ex c. 1 & 2. de Conjug. lepr.*

Appositè ergò dixit Alex. III. c. 1. de Conjug. leprosi. *Quoniam igitur, cùm vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero esse diutiùs : Mandamus, quatenùs ut uxores viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, sequantur.*

Et cap. 2. eod. ait : *Quoniam nemini licet (exceptâ causâ fornicationis) uxorem dimittere : constat, quòd sive mulier leprâ percussa fuerit, seu aliâ gravi infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda, vel etiam dimittenda.* Atque ita clarè sentit, hanc obligationem ex ipsò jure naturali ac divino oriri. Eodem utique, ex quo oritur obligatio reddendi debitum, & præstandi mutua obsequia.

4. *Gentiles servant officium cohabitationis.* Herinx.

Unde (inquit Herinx disp. 7. n. 38.) ductu luminis naturæ, etiam apud Gentiles, conjugati cohabitationis officium servant. Et ad illam compelli possunt conjuges, sive à Iudice Ecclesiastico, etiam per censuras, sive à sæculari : idque tum ad instantiam unius partis, compellendo alteram recusantem ; tum etiam ex officio, ob incontinentiæ periculum.

Conjuges possunt compelli ad cohabitationem, per cap. 13. de Rest. spol.

De Judice Ecclesiastico habetur cap. *Literas*, ad finem, de Restit. spoliat ibi : *Ad restitutionem plenariam debet Ecclesiasticâ censurâ compelli.* Posse quoque Judicem sæcularem compellere, quando non est controversia de valore Matrimonij, docet Gloss. cap. *Non est*, 11. de Sponsal. verb. *Vxores*, ibi : *Si verò volens* (uxor) *detinetur, tunc per officium Iudicis, vel Episcopi loci potest peti.* Quàmvis enim Matrimonium eâ ratione quâ Sacramentum est, sit res spiritualis & fori Ecclesiastici ; at quâ ratione contractus quidam civilis est, potest etiam judex sæcularis conjuges ad mutuam fidem servandam compellere, & subinde cogere ad cohabitandum.

5. *Honestum est viros petere suas uxores.* Cap. 11. de Sponsa.

Nec dubium esse potest, quin honestum sit, viros petere suas uxores, ab alijs detentas, ut in terminis docet Alex. III. rescribens Archiepis. & Episc. & alijs Prælatis per Angliam constitutis d. cap. 11. de Sponsal. *Non est vobis (sicut arbitramur) incognitum, qualiter Rex Anglorum pro discordia, quæ inter ipsum & filios suos est suborta, uxores eorum detineat.* Et infrà, *Nos itaque attendentes, justum & honestum esse, ut viri suas petant uxores* &c.

An etiam possint eas vendicare? Affirmat Sanchez. Abbas.

Nunquid etiam eas possunt vendicare? Affirmat Sanchez lib. 9. disp. 4. n. 9. adjectâ tamen causâ juris Canonici & Divini. Quod optimè (inquit) explicat Abbas cap. *Illud*, n. 10. de Præsumpt. sic : Vendicatio propriè non competit, nisi habenti dominium rerum, l. *In rem*, in princip. ff. de Rei vendic. Unde liberas personas hâc actione vendicare non possumus, nisi adjectâ causâ illius juris, quo sunt in potestate nostra. Nam per adjectionem illius causæ denotatur, non esse absolutam vendicationem, verumque dominium ; sed potestatem jure expresso competentem. Et hâc ratione pater filium, civitas civem, Religio monachum vendicat.

6. *Probatio.*

Quia igitur uxor, licèt æqualis sit viro quoad debitum conjugale, est tamen jure divino sub illius potestate, inquantùm non habet potestatem sui corporis, sed vir, 1. Cor. 7. Est etiam in viri potestate quoad gubernationem & obsequia domestica, Gen. 3. *Sub viri potestate eris*, appellaturque penè famula viri, cap. *Hæc imago*, & cap. *Mulierem*, 33. q. 5. potest à viro non simpliciter vendicari quasi serva ; sed adjectâ causâ juris Divini & Canonici, quo mulier sub sua potestate est.

Maritus similiter vendicari potest ab uxore.

Et similiter dicendum est ; posse maritum ab uxore vendicari, adjectâ causâ juris Divini & Canonici, quo potestatem habet in viri corpus, teneturque vir cohabitare, & illi assistere. Ita Sanchez cum Alijs, quos citat. Nec video, quid justè possit objici, quod non est solutum.

7. *Graviter peccat qui absque justa causa diutiùs se absentat.*

Rogat aliquis : an ergò vir, diuturniore tempore se ab uxore absentans sine justa causa, graviter peccet. Responsio affirmativa est evidens ; quia contrà justitiam in materia gravi. Modica tamen absentia reputatur pro nulla, nec censetur rationabiliter alteri gravis. Quod probè sciens Alex. III. cap. 1. de Conjug. leprosi. ait, ut sup. audivimus : *Non debet alter sine altero diutiùs esse.*

Quæ sit diuturna absentia, ex Host. & Ioan Andr. Sanchez.

Hanc autem diuturnam moram explicant Hostiensis eo cap. 1. n. 2. super verb. *Diutiùs*, & ibi Ioan. Andr. n. 6. esse, donec judex requisitus ab altero conjuge, vel ex officio, ob incontinentiæ periculum, cogat ad cohabitationem. Cæterùm (inquit Sanchez sup. n. 12.) dicendum est, id verum esse in casu illius textûs, scilicet quando conjux sanus à leproso timore infectionis recedit : extrà eum tamen casum, arbitrio prudentis, consideratis absentiæ causis, & incontinentiæ periculo, id definiendum esse ; cùm eo cap. 1. tempus minimè definiatur.

8. *An consistat in arbitrio boni viri.*

Ita docet Glossa ibi verb. *Diutiùs*, dicens: *Hìc non determinatur, quantùm extendatur istud*, Diutiùs, *& ideò in arbitrio boni viri consistit, sup. de Offic. deleg.* De causis. *Permittuntur tamen mariti quandoque ab uxoribus recedere, & abesse per multa tempora, in favorem tamen terræ sanctæ, sup. de Voto*, Ex multa, *ad finem. Diutiùs quandoque extenditur usque ad biennium, ff. Locati*, Cùm domini horreorum. *Quandoque usque ad quinquennium. ff. de Separationibus, l. 1. §. Quod dicitur.* Hæc Glossa.

Quam utique Sanchez citat pro sua doctrina: sed perperàm, ut videtur; cùm Glossa dicat: Diutiùs consistere in arbitrio boni viri, etiam in casu hujus textûs, quod tamen Sanchez cum Hostiensi negat.

9. *Ex causa potest vir diutiùs abesse. Et quæ illa.*

Utut sit de hoc, benè notat Sanchez sup. n. 13. permissum esse viro diu abesse ex causa justa, ut (inquit) si Princeps ad bellum convocet; vel ad familiæ gubernationem & rem familiarem tuendam id necessarium sit. Quia in eo eventu uxor est irritationabiliter invita, atque adeò vir non tenetur ei morem gerere, subeundo bonorum jacturam, aut præbendo se Regi inobedientem.

Præterea: quia conjuges in ipso Matrimonij contractu pollicentur sibi mutuum obsequium, & operarum communionem quantùm ad œconomiam, & propriæ domûs gubernationem, & ad hoc tendit societas conjugalis. Ergò quoties viri prudentis arbitrio ad familiæ gubernationem, & rei familiaris necessitatem, exigitur illa diuturna absentia, non debet censeri irrationabilis & illicita. Sic ille.

10. *Potest vovere peregrinationem terræ sanctæ, causâ subsidij:* Cap 9. de Voto.

Glossa autem sup. videtur pro causa justa diuturnæ absentiæ allegare solum favorem terræ sanctæ, ibi: *In favorem tamen terræ sanctæ.* Favor ille conceditur cap. *Ex multa*, de Voto ibi: *In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, viri præter uxorum consensum, hujus peregrinationis propositum vovere liberè valent, & quod voverint, liberè adimplere. Vt autem consentiant, sunt attentiùs commonendæ.* Ita Innoc. III.

Secùs solius devotionis.

Nota autem ly *Subsidium*; quo significatur, secundùm DD. communiter, non licere id votum, solius devotionis causâ; sed tantùm causâ subsidij, quod est publicum bonum; cùm devotio sit solùm privata utilitas voventis; & ideò jus meritò constituit, & ratio dictat, ut unum votum præjudicet uxori, & non aliud.

11. *An etiam mulier possit facere tale votum.*

Hinc Abbas ibi, & quidam Alij, idem extendunt ad uxorem, ut scilicet & ipsa pro bono publico possit, viro renitente, tale votum emittere, & perficere, si non sit juvenis nec suspecta, & aliàs opulenta ad succurrendum.

Abbas.

Hæc sunt verba Abbatis: Ultimò quæritur hìc de uxoribus; nunquid póssunt emittere votum pro subsidio terræ sanctæ, sine consensu maritorum? Videtur quod sic; quia mariti id possunt sine consensu uxorum, ut in §. *In tanta*: nam vir & uxor non judicantur ad imparia, cap. *Gaudemus*; de Divort. Hostiensis con-

Affirmat Hostiensis.

cludit, quòd votum valet sine consensu mariti; sed non debet mulier exequi sine licentia ipsius mariti, si est juvenis & suspecta de incontinentia; arg. in cap. *Cum sis*, de Conversi. conjug. Sed si est mulier senex, & potens ad ducendum bellatores, tunc compellitur exequi votum; arg. hìc, & in cap. præced. in fine, & hoc satìs patet. Ita Panormitanus.

Subdo verba cap. præced. in fine: *De mulieribus autem hoc credimus observandum, ut quæ remanere noluerint, viros suos sequantur: cæteræ verò (nisi forte sint divites, quæ secum in suis expensis possint ducere bellatores) votum redimant, quod voverunt.*

12. *Oppositum adscribitur S. Tho.*

Nihilominùs oppositum adscribitur S. Tho. 4. dist. 32. q. un. a. 4. ad. 1. ubi ait: *Satìs probabile est, quòd uxor debet velle continere ad tempus pro subveniendo necessitati Ecclesiæ generalis: & ideò in favorem negotij, pro quo crux sibi datur, institutum est, quod vir possit absque consensu uxoris crucem accipere; sicut etiam posset Domino suo terreno, a quo feudum tenet, absque ejus consensu militare: nec tamen in hoc omninò subtrahitur mulieri jus suum, quia uxor potest cum sequi. Nec est simile de uxore ad virum; quia cùm vir debeat regere uxorem, & non è converso, magis tenetur uxor sequi virum, quàm è converso. Et præterea; uxor cum majori periculo castitatis discurreret per terras, quam vir, & cum minori Ecclesiæ utilitate; & ideò uxor non potest hujusmodi votum facere sine viri consensu.*

Quem sequitur Sanchez.

Hanc sententiam vocat Sanchez sup. n. 17. probabiliorem, eamque sequitur: sed non respondet ad textum citatum ab Alijs, qui, ut vidimus, concedit potestatem mulieribus exequendi votum suum terræ sanctæ, si divites sint, quæ secum in suis expensis possint ducere bellatores.

13. *Explicatur & probatur sententia Host.*

Planè, inquis; sed non dicit textus, quòd id possint facere sine licentia mariti, de quo hìc quæritur. Respondeo: sed neque Hostiensis hoc dicit, si sint juvenes & suspectæ de incontinentia. Ponè ergò, quòd nullum sit periculum incontinentiæ, & oppidò conducat ad subsidium terræ sanctæ, ut mulier impleat votum suum, cur non posset sine licentia mariti implere? Sicut enim bonum publicum præponderat bono privato uxoris; sic itidem videtur præponderare, & præponendum esse bono privato viri; atque adeò tali casu vir esset irrationabiliter invitus; ergò secluso etiam dicto jure positivo, videtur, quòd id foret licitum. Communiter tamen hæ circumstantiæ non occurrunt in muliere, secùs in viro. Et idcircò dicitur, virum potiùs id posse, quàm mulierem. Certumque est, in vovendi potestate non esse pares.

14. *Vir & mulier non sunt pares in vovendo.*

Hinc quàmvis vir aliquam brevem peregrinationem causâ devotionis possit vovere absque uxoris consensu, eamque exequi; uxor tamen nullum peregrinationis votum causâ solius devotionis exequi potest, renitente marito; sed opus est, ut assensum præster. Tum; quia uxorem peregrinari dedecet, atque

ita

ita eſſet in præjudicium viri ; tum, quia vir eſt caput, & uxor ipſi ſubdita.

An uxor teneatur ſequi virum peregrinantem. Negat Averſa, ſi peregrinatio eſt longa.

Sed nunquid, interrogat quiſpiam, uxor tenetur ſequi virum peregrinantem ? Si vir recedens (inquit Averſa q. 22. ſect. 3. §. *Quarìò*) velit ſecum ducere uxorem, hæc non teneretur illum ſequi in longa peregrinatione ; quia non aſtringitur cum tanto incommodo, cùm nimis moleſtum ſit mulieribus iter agere. Niſi tamen vir vellet in alium locum ſe transferre, animo ibi perpetuò permanendi, vel etiam ad longum tempus commorandi ; quia tunc uxor deberet illum ſequi, ut advertit Sanchez lib. 1. de Matr. diſp. 41. n. 10. cum hac tamen differentia, ut in priori caſu nulla cauſa deſideretur, in poſteriori verò ea neceſſaria ſit.

Sanchez.

15. *Quid ſi vir velit mutare domicilium? Tenetur ſequi, niſi id fiat ob turpem cauſam.*

Iſtud probat n. 5. nam aliàs nulla eſſet differentia inter virum & uxorem, quod abſurdiſſimum, & contrà omnium mentem eſſet, cum, quando cauſa neceſſaria ſubeſt ex parte uxoris, teneatur vir ipſam ſequi. Item : quia cùm vir ſit caput, ipſius eſt gubernare & eligere domicilium ; non autem uxoris, quæ gubernationi viri ſubeſt : ergò quomodocumque vir eligat aliud domicilium, modò non ob turpem cauſam, tenetur uxor virum ſequi. Hæc Sanchez.

Et docet Gloſſa cap. 1. de Conjug. leproſ. verb. *Sequantur*, dicens : *Nota, quod vir tenetur ſequi uxorem, ſicut è converſo ; cùm non ad imparia judicentur*, 32. q. 1. Si quis uxorem, *in fine* : *& hoc cùm ex juſta cauſa recedit uxor ; alias retineat eam maritali poteſtate*, 33. q. 5. Cum caput .... *Et mulier ſemper tenetur ſequi virum ex quacumq; cauſa*, 13. q. 2. Unaquæque, *niſi ipſam trahere vellet ad infidelitatem, inf. de Divort.* Quæſivit. *Vel niſi efficiatur vagabundus*, 34. q. 2. *Si quis inevitabili neceſſitate.* Hæc Gloſſ.

16. *An debeat ſequi virum vagantem. Pars negans probatur ex c. 4. 34. q. 2.*

Subdo verba d. cap. *Vnaquæque*, pro quo citatur Auguſt. *Vnaquæque mulier ſequatur virum ſuum, ſive in vita, ſive in morte.* Ubi Gloſſ. verb. *Sequatur*, interrogat : *Nunquid ergò tenetur ſequi virum vagantem ? Videtur quod non, ut* 34. q. 2. Si quis. *Sic nec libertus tenetur ſequi patronum vagantem, ut ff. de Operis libert.* Quòd niſi ..... *Sed contrà ; quia etiam tenetur ſequi leproſum, extrà de Conjug. leproſ. c.* 1. *&* 2. *Credo, quod ſi ſciret eum eſſe hiſtrionem, tenetur eum ſequi, alias non. Hug. tamen dicit, quod ſemper debet ipſum ſequi, & dicit quod illud cap.* Si quis, *eſt abrogatum. Similiter dicit, quod debet ipſum ſequi, etiamſi mittatur in carcerem, vel ſi cogatur ire in exilium.* Vide etiam Gloſſam d. cap. *Siquis*, verb. *Eum ſequi.*

Hæc ſunt verba textûs : *Si quis neceßitate inevitabili cogente, in alium Ducatum ſeu provinciam fugerit, & ejus uxor, cùm valet & poteſt, amore parentum & rerum ſuarum, eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore, quamdiu vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat.* Ita ſtatuitur in Concilio apud Vermerias.

17. *An rectè.*

Tu nota : ſine neceſſitate aſſerti, hoc decretum eſſe abrogatum. Nam in eo non excuſatur uxor à ſequela mariti ; ſed, ſuppoſito quòd nolit ſequi, ſtatuitur, ut innupta permaneat. Simile cap. 1. de Conjug. leproſ. ibi : *Si verò ad hoc* (ſcilicet ad mutuam ſequelam) *induci non poterunt* (leproſi) *eis arctiùs injungens, ut uterque, altero vivente, continentiam ſervet* &c. Sed nunquid indè benè concluditur : Ergò leproſi non tenentur ad mutuam ſequelam ? Imò oppoſitum probari ſolet ex illo textu, ut ſup. audivimus.

Debet ſequi virum miſſum in exilium.

Ergò non obſtante, quòd d. cap. *Si quis*, permaneat in ſuo vigore, adhuc dici poteſt, uxorem in caſu d. cap. debere ſequi virum, id eſt, virum in captivitate ductum, aut miſſum in exilium, niſi aliquid aliud obſtet. Quia (inquit Sanchez ſup. n. 12.) uxor debet ſequi viri infortunium, l. *Si cum dotem*, ff. Soluto Matr. §. *Sin autem* ; aliàs : *Si maritus*, ibi : *Quid enim tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe ?*

Sanchez.

18. *Tenetur cohabitare viro excommunicato, per cap.* 31. *ad Sent. excom.*

Et ita viro excommunicato cohabitare tenetur, cap. *Inter alia*, de Sentent. excom. ibi : *Cùm quædam perſonæ in præmiſſo capitulo* (Quoniam multos) *denotatæ, illis, in quos lata fuerat excommunicationis ſententia, ante prolationem ipſius obſequio tenerentur familiariter adhærere, neque poſtmodum ad contrarium teneantur* (*cùm adhuc debitum duret*) *beneficio Canonis id agente, à priore non ſunt obnoxietate ſoluta ; ſed ad familiare teneantur obſequium.*

Igitur uxor, quæ in d. cap. *Quoniam multos*, denotatur, ut alibi vidimus, ad debitum reddendum ; & per conſequens ad cohabitationem tenetur. Ergò ſimiliter ad cohabitandum viro captivo, aut miſſo in exilium ob delictum, ſi id ei permittatur, & aliunde non excuſetur.

Tenetur cohabitare viro captivo.

19. *Occurritur objectioni, ex Sanchio.*

Nec hoc eſt (inquit Sanchez) puniri uxorem ob viri delictum ; ſed pœna imponitur viro ; & quia uxor jure Divino tenetur eum ſequi, ex cauſa neceſſaria & inevitabili aliò migrantem, per accidens id infortunium patietur uxor. Veluti ſervus mariti idem exilij infortunium pateretur, dominum comitans ; non per modum pœnæ, quia innocens eſt ; ſed quia jure ſervitutis tenetur dominum ſequi.

Eſt ſententia Gloſſ. c. 1. *Qui Matr. &c.*

Sic tenet Gloſſ. cap. 1. Qui Matr. accuſ. poſſ. quod ſic incipit : *Relatum eſt, quod cùm pater cujuſdam puellæ eam cuidam civi Pariſienſi nuptui tradidiſſet, maritus poſt aliquos annos, quibus eum uxore permanſit, propter homicidium, quod commiſit, de civitate timore mortis exivit.* Ubi Gloſſ. verb. *Exivit*, quærit : *Nonne illa ſequi eum tenebatur ? Quod videtur*, 13. q. 2. Unaquæque, *&* 34. q. 2. Si quis neceſſitate. *Et poteſt dici, quod tenebatur ; quia ibi remanere non poterat juſtâ de cauſâ, niſi fortè vagabundus diſcurreret ; quia tunc non poſſet eum ſequi.*

20. *Non tenetur ſequi virum vagabundum, niſi in contractu id ſciverit.*

Saltem non teneretur, ut patet per alias Gloſſas ſup. allegatas ; quia graviſſimum onus eſt, uxorem ad vagabundum aſtringere ; uxorem, inquam, quæ id ignorabat tempore contracti Matrimonij ; ſecùs ſi ſciverit, virum ſolitum vagari ; & ideò Gloſſæ ſupradictæ excipiunt hiſtrionem ; quia ille ſolitus eſt vagari, nec uſpiam firmam ſedem collocat. Quæ autem ſciens talî nupſit, ſequatur oportet ; quia mores ejus videtur approbaſſe, & ad hoc onus ſe obligaſſe.

21. *Quid si facilè posset sequi? Putas Sanchez esse obligationem.* Imò etiam in priori casu esse obligationem, quando facilè posset uxor ei sociam se exhibere, docet Sanchez sup. n. 7. Quia, inquit, ex una parte urget lex Matrimonij, præscribens mutuam conjugum cohabitationem; & multa adulterij pericula utrimque ex separatione; ex altera autem facilitas, ut eam legem uxor servet, periculaque evitet. Sic ille.

Hæc facilitas rara est. Interim, quia illa facilitas rara est; idcircò Gloss. supradictæ simpliciter excipiunt vagabundum; nisi à principio contractûs pro tali ab uxore cognitus fuerit, & vagari velit ex causa honesta, secùs inhonesta & turpi; tunc enim cùm vir vagando peccet, non tenetur uxor ejus peccato consentire. Si autem causa vagandi non sit turpis, licèt non sit necessaria; imò temerè & absque causa vir vagari velit, tenetur uxor, quæ ejus consuetudinem noverat, ipsùm sequi. Ita Sanchez sup. n. 8. cùm Alijs. Sanchez.

22. *An vir teneatur sequi uxorem vagantem?* Nunquid etiam vir tenetur sequi uxorem vagantem, qnam à principio talem noverat? Notat Sanchez sup. n. 15. in hoc consistere differentiam inter virum & uxorem quoad comitandi obligationem: ut cùm vir caput sit, ipsiusque sit gubernare, possit ad libitum eligere domicilium, & uxor teneatur eum comitari: uxor autem, cùm subdita sit, nequeat habitationem eligere, & virum cogere, ut ipsam sequatur: dum tamen necessitate coacta domicilium mutat, jus Matrimonij compellens virum cohabitare uxori, consequenter compellit, ut in eo eventu ipsam comitetur; quia hoc spectat ad mutua obsequia conjugalia, in quo pares sunt. Sic ille.

Tenetur, si vagetur ex causa necessaria. Consequenter dico ego; in casu nostro, si ex causa necessaria mulier vagetur, virum teneri eam sequi; secùs si temerè & absque causa. Nam vir, cum ea scienter contrahens, potestatem ex hoc non amisit, eam ab hujusmodi vagationibus compescendi, uti ab alijs inutilibus actionibus.

23. *An vir teneatur secum ducere uxorem.* Sed quid, si mulier velit sequi virum, ubi & quando non tenetur, putas, quia vir teneatur illam secum ducere? Pars affirmans videtur definita in cap. *Quod super*, de Voto, ubi sermo est de viro eunte in subsidium terræ sanctæ, quam uxor non tenetur sequi, & tamen in fine dicitur, ut sup. audivimus: *De mulieribus autem hoc credimus observandum, ut quæ remanere noluerint, viros suos sequantur.* Ergò possunt eos sequi: ergò vir tenetur eam secum ducere, si ipsa velit comitari.

Affirmat Aversa, quando commodè potest. Sed tamen (inquit Aversa sup. §. *Sextò*) id debet intelligi, quando commodè fieri potest, vel quando vir in aliquo certo loco esset longam moram tracturus. Alioqui cum notabili dispendio & gravamine, ut regulariter ex mulierum spectabilium itinere contingit, & ubi vir esset per varias partes migraturus, non teneretur cum tanto onere secum uxorem ducere. Sic ille.

24. *Quid si pactum fuerit, ut vir maneat in certo loco?* Restat una quæstio: Utrùm, si in contrahendo Matrimonio inter pacta conjugalia apponatur, ut vir teneatur in certo oppido habitare, teneatur vir id observare? Communior sententia affirmat, quam sequuntur Sanchez sup. disp. 40. n. 2. Pontius lib. 12. c. 20. n. 8. & Alij multi tam veteres, quàm recentiores; nisi tamen nova recedendi causa superveniat, ob quam viro necessarium sit aliò proficisci; ut (inquit Sanchez sup. n. 3.) quia cælum est minùs salubre, aut contraxit in eo oppido inimicitias capitales; tunc enim pacto spreto, quod in eo casu minimè intelligendum est, potest aliò migrare; arg. l. *Si convenerit*, cum duplici sequente, ff. Pro socio, ubi deciditur, societatem ex nova causa supervenienti dissolvi posse ante tempus præfixum. Ita Sanchez. *Tenetur manere, nisi nova causa recedendi superveniat, ex Sanchio & Pontio.*

Quod adhuc verùm est (prosequitur idem Auctor n. 4.) quàmvis id pactum juramento firmatum sit: quia esset illicitum, quando ex causa supervenienti oporteret virum abesse, & aliò migrare: daretur enim utrique conjugi adulteria committendi ansa: quare nec pacto expresso jurato ad id conjuges se adstringere possunt; cap. *Tua nos*, 24. de Jurejur. *Tunc enim potest aliò migrare, etsi pactum foret juratum.*

Accipe ejus verba: *Tua nos duxit fraternitas consulendos, quid tibi sit super hoc faciendum, quòd B. & A. uxor ejus ad invicem juraverunt, se numquàm mutuò petituros: idem verò nunc repetit illam instanter: eâ è contrario affirmante, quòd priùs se faceret Saracenam, quàm rediret ad eum.* Et infrà: *Nos igitur fraternitati tuæ respondentes, Mandamus, quatenùs utrùmque ad continentiam servandam moneas & inducas: quam si promittere voluerint, & servare, utrùmque dimittas sine altero commorari: alioquin si vir noluerit continere, tu illam, ut revertatur ad ipsum, & tamquàm uxor cum illo moretur, per excommunicationis sententiam, appellatione remotâ, compellas: cùm & temerarium fuerit hujusmodi juramentum, & adulterium utrimque sit commissum.* Ita Innoc. III. Archiepisc. Terracon. Qui indubiè idem rescripsisset in nostro casu, si ei fuisset propositus; cùm temerarium sit jurare, se numquàm aliò migraturum, quâcumque causâ superveniente. 25. *Probatur ex cap. 24. de Jurejur.*

Alioquin per se licitum esse tale pactum & juramentum appositum, & virum teneri fidem servare, probatur (inquit Sanchez sup. n. 2.) quia sicut in traditione rei suæ potest quilibet pactum interponere, cap. *Verùm*, de Condit. appos. & l. 1. Cod. de Pactis; ita in traditione sui per Matrimonium. Nisi foret contra substantiam Matrimonij, quod hìc non habet locum; quoniam commoratio permanens in certo loco neque fidei, neque proli, neque Sacramento repugnat; sed favet Matrimonio (testè Sanchez sup.) ut conservetur individua vita, & cohabitatio inter conjuges. *Probatur tale pactum per se esse licitum & obligatorium, ex Sanchez.*

Hinc Pontius sup. Nihil (inquit) obstat, quo minus pactum istud sit obligatorium. Non enim est contra bonos mores naturales; cùm, licèt uxor parêre teneatur marito in alium locum se transferenti; quia jure naturali viro subdita est; potest tamen ille pacto se astringere ex justa causa, ad habitandum in aliquo loco. Quæ enim in hoc turpitudo versatur? Eo ergò paciscente de commorando in aliquo certo loco, valet pactum, & compelli potest. Neque est contra libertatem ingenui. Quia ille potest, si vult, illi libertati renuntiare; sicut per clausuræ votum se obligant. 26. *Item ex Pontio. Primò.*

obligant fœminæ religioſæ ad commorandum in certo loco.

Secundò. Alex. de Nævo.

Conſiderat etiam rectè pro hac ſententia Alex. de Nævo ; illud pactum non tam poni ad obligandum maritum, quòd habitet in certo loco, quàm ne uxor cogatur dimittere civitatem, in qua fuit nata atque nutrita, & ne ſeparetur à parentibus & conſanguineis. Quæ ſeparatio eſt nimis dura. Imò ejuſmodi pactum valdè conſentaneum eſſe, vel ſaltem non abhorrere à jure naturali, maximè indicat illud Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.*

Gen. 2.

27. *Tertiò.*

Facit etiam prætereà pro hac ſententia ; quòd quàmvis non valeret pactum, quo quis ſe obligat perpetuò habere domicilium in aliqua civitate ; tamen, ſi appoſitum ſit in favorem ſecundæ perſonæ, valeret ; l. *Cùm tale*, 72. ff. de Condit. & demonſt. Conſtat autem hjuuſmodi pactum in noſtro caſu eſſe in favorem uxoris.

Quærò.

Denique etiam pro hac ſententia conſidero ; quòd quando verùm eſſet, abſolutè ejuſmodi pactum non valere, excipiunt tamen omnes, quoties ille, qui paciſcitur, habet jus aliquod in eam perſonam, cui imponitur onus habitandi in certo loco ; eo enim caſu valet, & ita accipiunt textum in d. l. *Titio centum*. At uxor habet jus circa maritum. Hucuſque Pontius.

28. *Objicitur l.* 71. *de Condit.*

Subſcribo ego verba d. l. *Titio centum*, quæ ſolet objici huic ſententiæ, eſtque 71. ff. de Condit. & demonſt. & §. 2. ſic ait : *Titio centum relicta ſunt, ita ut à monumento meo non recedat, vel uti in illa civitate domicilium habeat. Poteſt dici non eſſe locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur.*

Prima ſolutio, ex Gotophredo.

Reſpondetur Primò (inquit Pontius ſup. n. 4.) ex Gotophredi ſententia ; legato non poſſe hominem ingenuum obligari, pacto tamen poſſe ; & ita ex uno ad aliud argumentum non valere. Sed non omninò placet hæc ſolutio ; cùm videamus Majoratûs bona ſæpè relinqui ſub ea conditione, quod oſtendit, poſſe obligari legato ad permanendum in aliqua civitate. Reſpondeo ergò prædictam legem intelligi poſſe, quando ea conditio non recedendi à monumento vel alicubi commorandi, Titio impoſita, vana eſſet, in nullius favorem cedens, ut interpretatur Bart. & Alij, quos refert Thom. Sanchez hb. 1. diſp. 40. n. 2. Sed hoc pactum cedit in maximum uxoris favorem, ne patriâ deſertâ inter extraneos vitam agere cogatur.

Secunda ſolutio, ex Bartolo.

29. *Objectio ex verbis d. l.*

Si objicias Pontio rationem textûs, ibi : *Ius libertatis infringitur*. Nec enim multùm à ſpecie ſervientium differunt, quibus non datur facultas recedendi. Nam qui liber eſt, poteſt ire quò vult. Sed pacto nemo poteſt ſibi libertatem adimere. Ergò hujuſmodi pactum non valet.

Solutio Pontij.

Reſpondet Baſilius : hoc pacto non reddi hominem ſervum, licèt reſtringatur libertas ; & ea reſtrictio talis eſt, ut liberè ſibi quis eam poſſit ex pacto imponere ; licèt fortè à diſpoſitionibus, in quibus præter voluntatem imponitur, excludatur, d. l. *Titio centum*. Et licèt, qui ingenuus eſt, non poſſit ſe verè ſervum efficere ; tamen reſtringere ſibi libertatem poteſt, ut patet ex l. *Cùm ſcimus*, 22. ff. de Agricolis & cenſitis ; ubi poteſt aliquis ſe efficere colonum adſcriptitium, ac ſe obligare adhærere glebæ perpetuò, & culturæ fundi inſiſtere, à qua non poteſt ullo modo recedere ; l. 2. l. *Originarios*, l. *Servos*, eod. Neque ulla lex eſt, quæ hujuſmodi poteſtatem prohibeat.

Igitur in caſu, eſtò reſtringatur libertas ; equidem non omninò tollitur, ſeu redditur inutilis ; nam, ut ſup. dictum eſt, ſuperveniente novâ causâ, poteſt vir mutare domicilium, & uxor tenetur ſequi, non obſtante pacto. Et hæc reſtrictio libertatis oritur à propria & libera voluntate viri, ſeſe tali pacto obligantis. 30. *In caſu propoſito non omninò tollitur libertas.*

Objicitur.

Sed enim, dicet aliquis : hoc pactum repugnat juri naturali & divino, quo vir eſt caput mulieris ; & ideò pro libitu poteſt domicilium mutare, & ipſa tenetur eum ſequi. Jus autem naturale & divinum fortius eſt quocumque pacto humano. Ergo non obſtante tali pacto, mulier obligabitur.

Solvitur.

Reſpondetur : jus naturale & Divinum præceptivum fortiùs eſt quocumque pacto aut lege humanâ, conceditur : jus naturale & Divinum permiſſionis & facultatis aliquid agendi vel omittendi, negatur. Quid clariùs, quàm conjuges mutuo pacto poſſe ſe obligare, ad numquàm petendum debitum, tametſi jure naturali & Divino, vi Matrimonij contracti, liceat illud petere ? 31.

Lex Eccleſiæ poteſt prævalere juri naturali permiſſivo.

Et Eccleſia nunquid in multis caſibus prohibet petitionem debiti, alioqui jure naturali & Divino permiſſam ? Nihil evidentiùs. Cur ergo non poſſet alicui viro interdicere mutationem domicilij, non obſtante hoc jure naturali & Divino ? Si Eccleſia id poſſit, cur ipſe vir nequeat privato pacto ſeipſum privare poteſtate mutandi pro libito domicilium, eſtò ea jure naturali & Divino ſibi competat ?

Uxor poſt prædictum pactum non tenetur ſequi virum contra Calderinum.

Igitur non eſt audiendus Calderinus c. 1. de Conjug. leproſ. ubi (teſte Sanchio ſup. n. 6.) dicit, etiam poſt prædictum pactum uxorem adhuc teneri virum comitari ; quia lex Divina, aſtringens uxorem ad ſequendum virum, fortior eſt quocumque pacto. Sanè hæc lex non eſt fortior lege reddendi debitum, & tamen pactum humanum poteſt ei præjudicare, ut clarum eſt. 32.

Itaque lex Divina in caſu noſtro non obligat. Neque propterea deſinit vir eſſe caput mulieris ; ſicut non deſinit eſſe caput mulieris, tametſi ex voluntario pacto non poſſit ampliùs petere debitum. Maximè cùm novâ causâ ſuperveniente, adhuc poſſit mutare domicilium.

Et vir ſine causa mutans locum aſtringitur pœnâ adjectâ.

Quod ſi aliter mutaverit, etiam aſtringitur pœnâ, ſi fortè aliqua pacto hujuſmodi fuerit adjecta, ut notat Sanchez ſup. n. 5. cùm enim pactum valeat, nec pœna aliquo jure reprobata ſit, valebit utique. Sin autem ex novâ causâ mutet, ſicut pactum non valet, ita nec pœna valebit, & mulier tenebitur eum ſequi, niſi aliquid aliud obſtet. 33.

Enimverò quemadmodum plures cauſæ ſunt, propter quas licitum eſt negare debitum conjugale ;

gale; sic indidem non desunt causæ, propter quas aliquando licitè separentur conjuges quoad torum & habitationem, sive in perpetuum, sive pro aliquo tantùm tempore. Princeps facilè est adulterium, de quo dico Primo, & erit

CONCLUSIO II.

Ob adulterium licet innocenti solvere torum & habitationem in perpetuum: æqualiter viro ac mulieri.

34. *Divortium ob multas causas fieri potest, ex Trid.*

DIvortium ob multas causas fieri posse, definit Concil. Trid. sess. 24. de Matr. can. 8. sequentis tenoris: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.*

Principalis causa est adulterium carnale. ex Matth. 5. & 19.

Sed, amabo, quæ istæ causæ? Sicut statim dixi, princeps seu principalis est adulterium carnale, quàm Christus ipse expressit Matth. 5. v. 32. hisce verbis: *Ego autem dico vobis: Quia omnis qui dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Item Matth. 19. v. 9. *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

Ubi, cùm excipiat fornicationem, seu causam fornicationis, satis manifestè significat, ex hac licitam esse dimissionem, id est, dissolutionem tori & cohabitationis. Siquidem per libellum repudij, quem ibi Christus reprobat, dissolvebatur torus & cohabitatio.

35. *Arg. contra ex ijsdem locis Script.*

Planè, inquis; sed etiam ipsum vinculum: ergò si ex causa fornicationis adhuc licet dimittere uxorem quoad torum & cohabitationem; ergo per eamdem causam hodiè dissolvitur vinculum Matrimonij; quod tamen damnat Concil. Trid. sup. can. 7. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm docuit, & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugis Matrimonij vinculum non posse dissolvi..... anathema sit.*

Trident.

Hoc argumentum habet suam difficultatem, cui satisfecimus Disp. præced. Sect. fin. Conclus. 3. Breviter hìc dico: *Ecclesia, cujus est* (teste Trident. sess. 4. in Decreto de Editione & usu sacrorum librorum) *judicare de verò sensu, & interpretatione Scripturarum sanctarum*, semper hæc verba Christi intellexit de sola dissolutione Matrimonij quoad torum & cohabitationem; ergo non licet nobis ea intelligere etiam de dissolutione vinculi.

36. *Ecclesia d. Script. semper intellexit de sola dissolutione tori.*

Probatur ex cap. 8. de Divort.

Loquatur Innoc. III. cap. *Gaudemus*, de Divort. *Sanè*, inquit, *veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis, testantis in Evangelio*: Quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. *Si ergo uxore dimissâ, duci alia de jure non potest, fortiùs & ipsâ retentâ.* Et cap. *Significasti* eod. Alex. III. ait: *Quòd si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* *Et cap. 4. eod.*

Accedat cap. *Ex literis*, eod. & ejusdem Pontificis, ubi Matrimonium separatur propter adulterium mulieris, & si vir postea fornicetur, redintegratur, ibi: *Sanè tu convocato Capitulo tuo, cum ex eorumdem consilio utrique privatim continentiam injunxeris observandam, ita quòd castè viverent ab invicem separati: memoratus V. furtim cum alia sponsalia & nuptias temerè celebravit &c. Vndè fraternitati tuæ mandamus, quatenùs si res ita processit, prætaxatum virum ad legitimam uxorem redire compellas.* 37. *Item ex cap. 5. eod.*

Igitur jure Divino & Canonico propter adulterium uxoris Matrimonij vinculum non dissolvitur. Licet tamen separatio inter conjuges quoad torum, seu quoad habitationem. Licet, inquam, jure Divino & Canonico, nisi aliquid aliud obstet.

Nunquid etiam jure naturali? Negat Alphonsus à Castro lib. 2. de Leg. pœnali c. 4. in fine, ubi sic scribit: Fortè, hìc aliquis dicet: legem illam (divortij) non esse in Evangelio primitùs latam; sed esse ex ipsa naturæ lege, & primævа Matrimonij institutione, & ex natura ipsius matrimonialis contractûs. Sed hæc responsio toto (ut dicitur) errat cælo, & multò longiùs à recto tramite discedit, quàm præcedens. Nam etsi illi gratis demus, hoc provenire ex lege naturæ; ex ipsa tamen responsione sequitur, aliquam esse naturæ legem pœnalem, quæ obligat in foro (ut dici solet) conscientiæ ad pœnam subeundam, absque ulla sententia, quæ illum ad talem pœnam damnet. Nam quod hæc sit lex, & quod in conscientia obliget, apertiùs jam probatum est, quàm ut quis meritò negare possit. Quàmvis enim ita esset, ut ex natura ipsius contractûs matrimonialis oriatur illa pœna, non obstat, ut ipsa natura contractûs non dicatur lex, per quam ipse contractus firmatur & roboratur. 38. *An liceat divortium hoc jure naturali? Negat Castro.*

Deinde (prosequitur) falsum est, talem pœnam ex ipsa Matrimonij natura oriri: quia hæc adulterorum pœna nunquam ante legem Evangelicam innotuit, & nisi Christus eam promulgasset, non erat nota in lumine naturali. Nullum enim in toto veteri Testamento reperitur hujus legis vestigium. At si illa esset ex lege naturæ, fuisset in aliquo veteris Testamenti loco utcumque declarata; quemadmodum multa alia non tam necessaria, ut hæc, sunt ibidem expressa. In veteri Testamento fuit lex contrà adulteros, ut lapidarentur. In lege autem Evangelica, quæ multò mitior est, data est lex, quæ innocenti conjugi concedit facultatem repellendi à suo toro nocentem. Ex quibus omnibus apertè convincitur, legem illam contrà adulteros datam esse à Christo primitùs promulgatam, & obligare adulterum in foro conscientiæ ad pœnam in illa statutam, ante aliquam ulteriorem condemnationem. Hucusque Castro. 39. *Probat.*

Sed verius est (inquit Sanchez lib. 10. disp. 3. n. 4. 40.

Oppositam sententiam tenet Sanchez. Probatur.

3. n. 4. oriri ex Matrimonij natura divortium hoc; atque ita esse de jure naturæ. Probatur: quoniam ex contractûs Matrimonij natura oritur, ut conjuges mutuam sibi servare fidem quoad torum & habitationem, ac reliqua ministeria teneantur. At ipsummet jus naturæ dictat, ut frangenti fidem fides servanda non sit; cap. *Pervenit*, de Jurejur. ibi: *Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento vel fidei obligatione, interpositâ conditione, firmasses, aliquatenùs teneris, si constat, eum conditioni minimè paruisse.*

Cap. 3. de Iurejur.

Cap. 2. 28. q. 2.

Et cap. *Si infidelis*, 28. q. 2. ibi: *Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in Matrimonium: nec est ei fides servanda conjugii: quia propterea discedit, ne audivet, Christum Deum esse Christianorum conjugiorum.* Item l. *Si convenerit*, 14. ff. Pro socio, in fin. *Nec tenebitur pro socio, qui ideò renuntiavit, quia conditio quædam, quâ societas erat coïta, ei non præstatur: aut quid, si ita injuriosus & damnosus socius sit, ut non expediat eum pati?* Ergò ex vi Matrimonij, & ex ipso naturæ jure, conjux cui alter adulterans fidem frangit, minimè tenetur illi fidem servare; sed potest ab ipso divertere.

41. *Alia probatio.*

Deindè; quia contractus, promissionem includens, non obligat suâpte naturâ rebus notabiliter mutatis; qualiter accidit, conjuge altero adulterante. Quâ ratione textus cap. *Quemadmodum*, de Jurejur. utitur ad probandum, sponsalia dirimi, altero sponso fornicante. Cùm ergo Matrimonij contractus claudat sponsionem redditionis debiti, ac mutuæ habitationis; altero conjuge in adulterium lapso, eximetur innocens ex vi naturæ ipsiusmet contractûs ab hac obligatione. Ita Sanchez.

42. *Objectio.*

Sed contrà, dicet aliquis: hæc argumenta probant, non tantùm dissolutionem tori & habitationis; sed etiam ipsius vinculi. Nonne sponsus solvit vinculum sponsalium, propter fornicationem sponsæ? Nunquid socius solvit vinculum societatis, si conditio, quâ erat societas coïta, ei non præstetur? Quid clariùs, quàm fidelem posse solvere vinculum Matrimonij, discedente infideli? Evidens etiam est, juramentum conditionatum non obligare, si conditioni minimè pareatur. Fatentur omnes, Matrimonium conditionale neutiquam obligare, nisi impletâ conditione.

43. *Instantia.*

Et verò, qui in adulterium labitur, non propterea negat tibi cohabitationem; sed vult & paratus est omni tempore tibi cohabitare, & de facto cohabitat, ut suppono. Quo ergo jure tu negas ipsi cohabitationem? Quia fidem non servavit? Sed in quo, nisi in eo, quòd alteri fuerit copulatus? Num inde benè inferes: ergò & innocens non tenetur ei in hoc servare fidem? An excusabis à peccato adulterij virum fornicantem; quia uxor ejus priùs fuerat fornicata? Sed quare non, quandoquidem tantùm promiserit non fornicari sub conditione, quòd ipsa priùs non fornicaretur? Adde: non solùm eum frangere fidem, qui adulteratur; sed etiam, qui renuit reddere debitum, ubi & quando tenetur. Et censes, quòd propter negationem copulæ possit fieri separatio quoad torum & cohabitationem in perpetuũ? Hæc cogita & recogita.

Ego scio, vinculum Matrimonij esse indissolubile, & absolutum, nisi extrinsecùs apponatur conditio. Novi etiam, esse dissolubile quoad torum & habitationem propter adulterium; an autem jure naturali, sive præcisè ex vi seu natura contractûs matrimonialis, libentiùs disco quàm dico, nè audeam docere, quod nescio. Sanchez non respondet ad argumenta Alphonsi, sed in tacta pertransit, quæ tamen merebantur solutionem, ut sua sententia magis firmaretur.

44. *Auctor dubitat de hac sententia.*

Satisfaciam ergò eis pro modulo meo, & dicam cum Aversa q. 23. sect. 1. §. 1. Iure divino veteri cùm concessa fuerit viro licentia, tribuendi uxori libellum repudij, & dissolvendi Matrimonium, etiam quoad vinculum: eò faciliùs aderat facultas faciendi divortium, & dimittendi uxorem quoad torum & convictum. Sic ille. Igitur in lege repudij utcumque fuit declarata lex divortij quoad torum & habitationem. Maximè, si verum est, quòd libellus repudij non dissolvebat vinculum Matrimonij, ut Multi non improbabiliter docent, de quo suo loco diximus.

Satisfit primo arg. Alphonsi. Aversa.

Fateor: in veteri Testamento fuit lex contrà adulteros, ut lapidarentur, Levit. 20. vers. 10. Sed quid inde? Etiam hodie, præter divortium, extant aliæ pœnæ jure positivo præscriptæ adversus adulterium; tum civiles, consistentes in privatione bonorum; tum criminales usque ad privationem vitæ. Nempè uxor adultera privatur dote, quæ acquiritur marito, cap. *Plerumque*, de Donat. inter virum & uxorem, l. *Miles*, ff. ad Leg. Iuliam de Adult. Dubitatur etiam, num privanda quòque sit bonis paraphernalibus, & an etiam alimentis.

45. *Resp. ad 2.*

Pœnæ adulterij.

E converso maritus adulter amittit administrationem & usumfructum dotis, & donationem factam uxori propter nuptias, quæ pariter eidem uxori acquiritur, l. *Consensu*, Cod. de Repud. Deinde, marito conceditur, ut accusare possit uxorem adulteram ad pœnam capitis, non tamen è converso uxori, ut possit accusare maritum adulterum ad similem pœnam, cap. *Apud misericordem*, 32. q. 1. & l. 1. Cod. ad Leg. Iul. de Adult.

Ergò licet in veteri Testamento fuerit lex contrà adulteros, ut lapidarentur, non rectè infertur: ergò tunc non erat lex divortij. Quippe Deus, propter enormitatem delicti, præter pœnam juris naturalis, putà divortium, superaddidit pœnam mortis corporalis. Sicut hodie videmus factum à Republica civili. Nec illa igitur ratio Castro convincit.

46. *Illatio.*

Quod me maximè moveret ad tenendam ejus sententiam, foret, quia non satis video, quare aliàs quodlibet peccatum mortale luxuriæ contrà fidem conjugalem, quare, inquam, non esset causa sufficiens divortij; saltem istud, quod gravius, aut æqualis malitiæ est cum adulterio. Et quàmvis Aliqui id admittant; Multi tamè negant, dicentes, solum adulterium, id est, copulam perfectam, seu aptam generationi, cum alia persona, esse causam sufficientem.

Ratio Auctoris pro sententia Alphonsi.

47. *An sodomia & bestialitas sint causæ perpetui divortij.*

Audite Pontium lib. 9. cap. 16. n. 5. Adulterij nomine, cùm dicimus, præbere justam causam divortio perpetuo, Nonnulli etiam intelligunt sodomiam sive viri, sive uxoris, cum alia fœmina, consummatam tamen, id est, effuso semine intrà vas præposterum. Caro enim, inquiunt, eâ ratione dividitur in plures per concubitum, sive agant, sive patiantur. Undè colligunt, extraordinariam pollutionem sive solius, sive cum aliena, sive cum propria, non esse perpetui divortij causam; sed ad tempus. Quòd enim peccatum gravius sit adulterio, non obstat; hìc enim solùm attenditur divisio carnis in plures, quæ est causa perpetui divortij. His etiam addunt bestialitatem, cùm caro conjugis dividatur in carnem bestiæ, cum qua copulatur.

Negat Pontius speculativè loquendo.

Veriùs tamen mihi videtur, nec peccatum nefandum, nec brutalitatem causam esse perpetui divortij cum adulterio comparandam. Quia cùm divisio carnis in plures in jure dicitur esse causa divortij, de ea intelligendum, quæ juxtà usum naturalem est. Idque constat; quia eâ divisione inducitur in jure bigamia & irregularitas. Nulla autem turpis conjunctio extrà vas naturale bigamiam, vel irregularitatem inducet ex bigamiâ ortam, vel vera, vel similitudinariâ, aut interpretativâ, si forsan illæ sunt, ut manifestum est. Tantùm ergò illa adulterij nomine intelligenda est. Ita Basilius. Illicò tamen subjungit: Sed quàmvis speculativè loquendo mihi videatur, quod dixi: attamen in praxi censeo, non recedendum à priori sententia, quæ communis est inter Doctores.

Affirmat in praxi.

48. *Hæc non est solius Pontij speculatio.*

Neque hæc speculatio est solius Pontij, ut patet ex Aversa sup. §. *Dici tamen*, ubi lego sequentia verba: Dici tamen potest, hæc alia peccata, præter copulam naturalem generationi idoneam, non sufficere simpliciter ad divortium. Ita sentiunt Palatius in 4. dist. 27. disp. 3. Pontius lib. 9. c. 16. n. 5. Innoc. c. 1. de Adult. n. 1. dicens, esse communem sententiam. Abul. in c. 5. Matth. q. 233. licèt in hac sententia non perstiterit, Alvarus Pelagius de Planctu Eccles. lib. 2. a. 2. Card. & Florian. cap. *Maritis*, de Adult. Alijque ex Iuristis; & indicat Gloss. cap. *Omnes causationes*, 32. q. 7. Et in sacris Canonibus, atque in Evangelio, ubi conceditur divortium, specialiter de illa copula sermo est.

Aversa. Palatius. Innoc. Abul. Alvarus.

49. *Videtur esse Gloss. in cap. 7. 32. q. 7.*

Describo verba d. cap. *Omnes causationes* (id est, secundùm Gloss. ibi: *Actiones vel allegationes*) *Apostolus amputans, apertissimè definivit, vivente viro esse adulteram mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris præstationem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu vivit vir, licèt adulter sit, licet sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.* Ita D. Hieronymus ad Amandum Præsbyterum.

Ubi Gloss. verb. *Sodomita*, ait: *Videtur ergo, quòd maritus posset dimitti propter opus sodomiticum, ut inf. eâd.* Adulterij, *ubi dicitur, quod illud crimen sit majus adulterio. Item; quid dices, si propriam uxorem polluit extrà clausura pudoris, vel seipsum polluit propriis manibus, nunquid ob hoc potest dimitti? Videtur quòd sic: quia nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, & illicitus membrorum usus continetur, ut sup. eâd. q. 4.* Meretrices, *& cap. seq. quod Laur. concedit. Vix credo, quòd propter aliquod istorum vir posit dimitti, ut 35. q. 3.* Extraordinaria.

Antequam pergo; Nota, hoc cap. nihil facere ad propositum; ut patet per Glossam in expositione casûs: *Quidam polluerat mulierem extrà membrum ad hoc deputatum, & non contraxerat Matrimonium cum ea, & hoc poterat constare per juramentum, quæsitum est, utrùm ejus consanguineus illam ducere posset? Respondetur, quòd potest.* Ergò talis pollutio non est causa sufficiens divortij, qualis Consequentia?

50. *Cap. 11. 35. q. 3. nihil facit ad propositum.*

Sed pergamus in præcedenti Glossa: *Quid dices*, inquit, *de voluntate fornicandi, cùm & ipsa sit fornicatio, ut sup. q. 5.* Qui viderit? *Nam corpore aliqua est corrupta, antequam veniat ad suum corruptorem, ut sup. eâd. q. 5.* Propositio. *Non dico, quòd ob hanc causam posset dimitti; quia de occultis non judicat Ecclesia, ut 32. dist.* Erubescant.

Quid dicendum de voluntate fornicandi.

Ast quid inde? Lex naturalis, & lex divina judicant de occultis; divortium autem conceditur, si non jure naturali, saltem divino. Interim apud universos Auctores (ut loquitur Sanchez sup. disp. 4. n. 1.) constitutissimum est, non sufficere ad divortium solam fornicandi voluntatem. Quia quàmvis quoad culpam æquetur fornicationi ipli, cap. 5. Matth. & refertur cap. *Qui viderit*, 32. q. 5., at non infert Matrimonio damnum, nec fidem ejus violat, caroque conjugis non dividitur, dum inter desiderij terminos sistit, opere minimè perpetrato. Sic ille.

51. *Secundum Omnes non sufficit.* Sanchez.

Imò (teste Aversa q. 23. sect. 2. §. *Et quidem*) satis communiter DD. fatentur, solos tactus absque seminis effusione non sufficere ad divortium; quia hoc non est delictum consummatum. Idque intelligitur, etiamsi tactus habiti sint animo perficiendi copulam, dum reverà non perficiatur. Imò etiamsi deventum sit ad penetrationem carnis; sed secuta non sit effusio seminis; ut advertit Sanchez sup. n. 13. quia adhuc non dicitur consummata copula. Ut è contrà sufficeret voluntaria effusio seminis intrà vas, si absque penetratione fieret; quia satis per eam infusionem consummatur copula. Sic ille.

Neque soli tactus sine effusione seminis sufficiunt. Aversa. Sanchez.

Rursùs (prosequitur) ut plurimùm DD. fatentur, non sufficere pollutionem voluntariam unius conjugis in seipso, ad hoc, ut alter divortium ab eo facere possit: quia licèt hoc sit peccatum consummatum, & ex genere suo gravius fornicatione contingente inter virum & mulierem, cùm sit contrà naturam, tamen non est peccatum cum tertia persona, non est divisio carnis suæ in alterum; & ideò nec censetur sufficientem præbere divortio causam.

52. *Quid dicendum de pollutione voluntaria in se ipso.*

Magis communiter etiam fatentur, pollutionem habitam cum tertia persona extra vas, nec sufficere ad divortium: quia adhuc hæc non

Quid de pollutione cum tertia persona extra vas.

non est divisio carnis suæ in alterum per copulam & concubitum. Similiter non sufficere habitam cum corpore mortuo, etiam intrà vas: quia se habet sicut cum statua. Et eò magis non sufficere talem pollutionem extrà vas, habitam cum eodem proprio conjuge, quæ proinde nullo modo est divisio carnis suæ in alterum. Ita Aversa.

53. *An sufficiat copula sodomitica cum tertia persona.* Aversa. Hinc tandem deduci videtur (utor iterùm ejus verbis) nec etiam copulam sodomiticam cum tertia persona cum effusione vel receptione seminis intrà vas innaturale, sufficere ad divortium; quia licèt hæc sit copula consummata, & divisio carnis suæ in alterum; tamen non est copula per se habilis ad generationem: propriè autem illa adulterina copula præbet justam divortij causam, quâ unus conjugum posset prolem gignere cum alia persona, præter illam, cui fidem dedit, & ita in domum ac familiam adulterinam prolem inducere. Et sicut hæc sola copula valet affinitatem fundare, ac in viro bigamiæ irregularitatem inducere, & non alia quæcumque: ita & ea sola videbitur sufficere ad divortium.

Et illi Doctores, qui fatentur, quamcumque pollutionem extrà vas cum quibuscumque tactibus non sufficere ad divortium; pariter id admittere poterunt de copula in vase innaturali: cùm alioqui in omni tali peccato adsit specialis malitia ac deformitas contrà fidem Matrimonij; sed tamen non adest habilitas ad gignendam prolem. Eoque magis non sufficiet sodomia passiva, sive ex parte mulieris, sive ex parte viri; quia nec est abusus membrorum inservientium generationi.

54. *Quia dicendum de sodomia cum propria uxore.* Sodomiæ tamen crimen commissum à viro cum propria uxore invita, aut etiam solummodò attentatum, præbet quidem justam causam uxori recedendi ad tempus, tamquam inductio ejus ad peccatum; sicut & inductio ad alia peccata, donec scilicet vir corrigatur: sed non per hoc præbet sufficientem perpetui divortij causam. Hucusque prædictus Auctor.

55. *Dicas illo distinguit inter tactus viri & mulieris.* Sed non omnia omnibus placent. Atque in primis, quantùm ad tactus inhonestos, Dicast. disp. 10. n. 11. distinguendum putat inter virum & uxorem, spectatâ communi hominum æstimatione. Quia (inquit) licet concederemus, non posse uxorem separari à viro, talibus impudicis tactibus indulgente cum alia persona, non videtur æqua conditio vice versâ: neque enim tam turpe & indecorum est uxori, quòd vir ipsius talia commiserit cum alia persona; quàm est turpe marito & ignominiosum, quòd tales tactus impudicos admiserit uxor cum alio viro; nec censetur æquivalens compensatio in sola negatione similium tactuum, maximè, cùm vix tales tactus negari possint, si negari non potest solutio debiti, ad quam solutionem ij tactus excusari non possunt; imò debiti esse possunt, casu quo putentur necessarij ad conjugalem copulam debitam.

56. *Probatur distinctio.* Præterea; quantò conjuges sunt altioris & nobilioris dignitatis, tantò plus crescit injuria in similibus tactibus admissis ex parte uxoris cum alio; nec tamen in communi æstimatione tantò plus crescit ex parte viri, cùm videamus Principes non Illustrissimos tantùm, & Excellentissimos, sed Serenissimos viros indulgere ejusmodi levitatibus & impudicis jocis & tactibus. Imò aliquando idipsum audere spectante uxore, nec censetur tunc nimis ignominiosum uxori hoc videnti & patienti; cùm tamen econtrà, si faceret id uxor, injuria esset gravissima comparatione viri; idque adhuc ampliùs crescret, si cum vili aliquo famulo aut mancipio. Quis ergò dicat, maritum in eo casu tantùm posse in doloris & injuriæ compensationem similes aliquos tactus uxori petenti negare?

57. *Ipsius resolutio.* Ego sanè, salvo meliori judicio, non nimis asperum aut rigidum putarem esse talem virum, qui non solùm à cæteris alijs tactibus cum ea abstineret; sed à conjugis impudicæ consortio se subduceret. Ut interim omittam, non nimis temerariè suspicaturum virum, talem fœminam in hujusmodi tactibus deprehensam ulteriùs non modò fore progressuram, si occasio detur; sed jam priùs fuisse progressam. Verùm hæc omnia relinquo in meliori aliorum judicio, maximè Iudicum Ecclesiasticorum, ad quos pertinet, si res ad forum externum deferatur, de simili divortio faciendo, aut non faciendo pronuntiare. Hactenùs Dicastillò.

58. *Aliqui putant sufficere in muliere amplexus & oscula libidinosa &c.* Sanchez. Et sanè Sanchez sup. n. 11. plurimos citat Auctores, qui docent de muliere patienti amplexus & oscula libidinosa, tactus ad mamillas, id esse justam causam, ut vir ab ea divertere possit, dotemque lucretur, quam ratione adulterij uxor perdit, juxtà cap. *Plerumq;* de Donat. inter virum & uxorem, quando animus adfuit uxori perveniendi ad adulterium, indeque Matrimonij fama graviter læsa fuit.

Primum fundamentum. Ducuntur Primò: quia feudum amittitur ob injuriam illatam domino, turpiter ejus uxorem tangendo, Feud. lib. 1. tit. 5. ibi: *Item, si fidelis cucurbitaverit dominum, id est, cum uxore ejus concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit.* Secundò; quia aliquando major injuria irrogatur per osculum; ut si publicum sit, adulterium autem occultum. *Secundum.*

59. *Oppositum docet Sanchez.* Cæterùm (inquit Sanchez sup. n. 12.) mihi veriſſimum est, solos tactus, quamtùmvis libidinosos, ac animo perveniendi ad adulterium habitos, eo non secuto, nec divortio, nec dotis amissioni præbere causam. *Probat 1. ex ratione.* Ducor: quoniam divortij fundamentum ac radix est carnis in aliam divisio, quæ in solis osculis & amplexibus non reperitur. Secundò; ex l. Consensu, Cod. de Repudijs, ubi inter justas repudij causas, minimè referuntur amplexus & oscula.

Secundò per l. 8. Cod. de Repud. Ecce verba juris: *Si qua igitur maritum suum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, vel certè contrà nostrum imperium aliquid molientem, vel falsitatis crimine condemnatum invenerit; si sepulchrorum dissolutorem, si sacris adibus aliquid subtrahentem, vel si latronem, vel latronum susceptorem, vel abactorem aut plagiarium, vel ad contemptum sui, domusve suæ, ipsa inspiciente, cum impu-*

dicis mulieribus (quod maximè etiam castas exasperat) cœtum ineuntem ; si suæ vitæ veneno aut gladio, aut alio simili modo insidiantem, si se verberibus (quæ ingenuis aliena sunt) afficientem probaverit; tunc repudij auxilio uti necessariò ei permittimus libertatem, & causas dissidij legibus comprobare.

60. *Quid ad hanc l. posset dici.*

Sed facilè responderet Dicast. hìc tantùm agi de causis, ob quas mulier possit virum repudiare, & inter eas non esse numerandos tactus inhonestos ; secùs inter causas, ob quas vir mulieri potest mittere repudium.

Tertia probatio Sanchij,

Tertiò ducitur Sanchez ; quia pœnæ imponendæ non sunt, nisi in casibus jure expressis, Authent. de Non eligendo secundò nubentes, §. *Cùm igitur*, Collat. 1. Cùm ergò in jure solùm concedatur divortium, dosque amittatur ob adulterium, extendendum non est ad oscula & amplexus. Eò vel maximè, quòd id esset arguere de majori ad minus, quod in pœnalibus, quàm sit absurdum, quis non videat ? Sic ille.

61. *Resp. Sanchez ad 2. arg. Adversariorum.*

Undè ad secundum argumentum Adversariorum sup. productum, Respondet ; non inferri tam gravem injuriam per oscula & amplexus, licèt quandoque per accidens magis lædatur fama ; eò quòd hæc magis publica sint.

Quid dicat ad 1.

Ad primum autem dicit : feudum faciliùs amitti, quàm dotem. Nam (inquit) feudum est feudatarij tantùm quoad utile dominium ; dos autem est proprium patrimonium mulieris. Et quia feudatarius abstinere debet ab omni gravi injuria domini, quod est speciale in feudo, quam ei infert, osculans ejus uxorem. At quoad divortium, & dotem amittendam, id non est jure cautum. Ita Sanchez.

In jure tantùm exprimitur adulterium.

Patet : quia Christus solam fornicationem expressit : & jus Canonicum similiter d. cap. *Plerumque*, ubi Clem III. *Si mulier* (inquit) *ob causam fornicationis, judicio Ecclesiæ, aut propriâ voluntate à viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem dotem vel dotalitium repetere non valebit.*

62. *Contrà, ex Dicast.*

Respondet Dicast. sup. n. 12. Quàmvis Christus solùm assignaverit fornicationem pro causa dimittendi, non ideò affirmandum est, solam eam causam sufficere ; cùm Omnes, aut Plerique concedamus, etiam propter sodomiam aut bestialitatem posse fieri divortium ; & talia nomine fornicationis comprehendi cèsentur. Ergo etiã pollutio cum alia persona poterit comprehendi. Sic ille.

Non valet hìc arg. à pollutione ad tactus.

Transeat totum. Num ideò rectè sequitur : ergo etiam tactus poterit comprehendi ? Videtur quod non ; quia ibi est argumentum à minori ad majus, hic autem à majori ad minus : quippe pollutio majus est peccatum ; tactus autem minus.

63. *Neque à fornicatione ad pollutionem.*

Deindè : etiam prima Consequentia, à minori ad majus, negatur à Sanchio. Cùm odium Dei ac blasphemia longè graviora sint adulterio, & ad divortium non sufficiant : quia nullatenùs repugnant fidei Matrimonij, illudque offendunt. Iam autem fornicatio magis repugnat fidei Matrimonij, illudque graviùs offendit, quàm pollutio. Quæ tamen repugnantia & offensio est causa seu radix divortij, ut patet ex dictis. Ergo etiam non valet argumentum à fornicatione ad pollutionem ; quia licèt videatur esse à minori ad majus ; reverà tamen est à majori ad minus ; quia fornicatio in ordine ad divortium majus peccatum est ; quia magis repugnat fidei matrimoniali.

An valeat à fornicatione ad sodomiam ? Affirmat Sanchez, probat.

Si inferas : ergo etiam non valet argumentum à fornicatione ad Sodomiam. Quia & hæc minùs repugnat fidei Matrimonij. Aliqui concedunt totum, ut sup. vidimus. Alij negant Consequentiam. Quia (inquit Sanchez sup. n. 3.) cùm Matrimonium eo tendat, ut efficiantur conjuges una caro, Gen. 2. *Et erunt duo in carne una*, violat perfectè & consummatè fidem Matrimonij, carnem suam in alium vel in aliam dividens, indeque oritur jus divortij. Violante enim perfectè fidem Matrimonij, dividendo carnem suam, alter non tenetur servare fidem cohabitans ac debitum ei reddens. Cùm autem divisio hæc carnis perfectè reperiatur in omni concubitu sive naturali sive sodomitico ; hinc est, ut uterque sufficientem divortio causam præbeat. Quare Christus Matth. 5. & 19. declarans divortium licere ratione fornicationis, omnem illum concubitum, per quem caro conjugis dividitur in alium, inclusit.

64. *Adducitur pro hoc D. Hier. C. 2. 32. q. 1*

Quam utique rationem non obscurè significavit D. Hier. in cap. 19. Matth. explicans, quomodo liceat ratione fornicationis uxorem dimittere, & refertur cap. *Dixit Dominus*, 32. q. 1. ibi: *Sola fornicatio est, quæ uxoris vincat affectum : immò cùm illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit à marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura Proverb.* 8. Qui adulteram tenet, stultus & impius est. *Vbicumque est igitur fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè uxor dimittitur.*

Ubi Glossa verb. *Vincat*, inquit : *Id est, liget & impediat affectum, ut uxor, etiamsi velit, de jure non possit exigere debitum à viro. Idem est de viro. Vel vincit affectum uxoris, id est, superat & removet affectum, qui debetur uxori.*

65. *Lex divortij non est verè pœnalis, juxtà Sanchez.*

Adde etiam (prosequitur Sanchez) legem divortij non esse verè pœnalem, sed ex ipsamet contractûs matrimonialis natura oriri ; ac proindè nõ mirum est, si nomine fornicationis claudatur omnis ille concubitus, in quo invenitur perfecta divortij ratio ; quàmvis propriè adulterium non sit. Atque ideò hanc sententiam tuentur ex Theologis D. Tho. 4. dist. 35. q. un. a. 1. ad 4. ubi D. Bonavent. q. 1. ad finem. Ita Sanchez.

An D. Tho. consentiat Sanchio.

Auscultate Doct. Angel. *Dicendum* (inquit) *quòd etiam propter vitium contrà naturam potest procedi ad divortium ; sed tamen non fit ita mentio de ipso ; tum, quia est passio innominabilis ; tum, quia rariùs accidit ; tum, quia non ita causat incertitudinem prolis.*

Sed pollutio extrà vas, numquid & ipsa est vitium contrà naturam ? Cur ergo Sanchez negat, propter eam posse procedi ad divortium ? Si dixeris : D. Tho. intelligit sodomiam. Undè id constat ? Respondetur : quia pollutio hæc sæpiùs fortè accidit, quàm fornicatio : loquitur autem de peccato contrà naturam, quod rariùs accidit, ut patet ex verbis relatis.

66. *Quid de*

Expendamus etiam verba Doctoris Seraphici. *Ad illud* (inquit) *quod objicitur : quare fornicatio separet,*

cent S. Bonavent.

ſeparet, dicendum; quia eſt culpa non tantùm contra Deum, & corpus ſuum; ſed contra Matrimonij bonum, & contra conjugij actum, & contra corpus conjugis. Eſt enim contra fidem, & contra actum matrimonialem. Abutitur etiam corpore, quod non eſt ſuum, ſed alterius; & ideò talis amittit jus petendi debitum; & quia hoc totum eſt in peccato contra naturam, ideò ſub fornicatione comprehenditur. Quis non videt, dicet aliquis, etiam pollutionem extrà vas cum alia perſona eſſe contra fidem, & contra actum matrimonialem, atque abuſum corporis, quod non eſt ſuum?

Arg. quòd ſentiat cum Sanchio.

Audio reponentem: In objectione, ad quam ibi reſpondet D. Bonav. exprimitur peccatum ſodomiticum. Sic enim ſonat: *Item quæro, quâ de cauſa poſſit divortium fieri magis ex fornicatione, quàm ex alio peccato. Si quia peccat in conjugem, ſimiliter peccare poteſt detrahendo, odiendo &c. Si verò, quia dividit carnem; ergo cum in peccato ſodomitico non dividatur caro, videtur quod ex illo non poſſit dimitti uxor, quod nefarium videtur, cùm illud ſit magis contra Matrimonium.* Ergò in reſponſione per peccatum contra naturam intelligit ſolam ſodomiam.

67. *Impugnatur.*

Ut quid ergo eam non nominat, ſed exprimit peccatum contra naturam, quod plures ſpecies ſub ſe continet, quæ omnes repugnant fidei & actui matrimoniali? Præterea: D. Bonavent. radicem divortij dicit eſſe diviſionem carnis, ſicut docet Sanchez? Claret, quod non: nam videtur ſupponere in peccato ſodomitico non dividi carnem; & tamen dicit, hoc ſufficere ad divortium.

Ejus doctrina.

Dicendum (inquit ibid. in corp.) *quod propter fornicationem licitum eſt fieri divortium inter conjuges, altero poſtulante. Et ratio hujus eſt; quia Dominus conceſſit. Ratio autem, quare conceſſit, hæc eſt; quia non ſervanti fidem, imò frangenti, non tenetur vir fidem ſervare; & quia directè peccavit contra actum matrimonialem, in eodem puniri debet.*

68. *Conſonat Doct. Angel.*

Eodem modo loquitur S. Tho. ſup. in corp. *Dicendum, quod Dominus dimittere uxorem conceſſit propter fornicationem, in pœnam illius, qui fidem fregit, & in favorem illius, qui ſervavit, ut non ſit aſtrictus ad reddendum debitum ei, qui non ſervavit fidē.*

Uterque videtur fuiſſe in ſententia Caſtro.

Igitur uterque Doctor videtur fuiſſe in ſententia Alphonſi à Caſtro ſup. relata; quippè (dicet aliquis) jus divortij proximè tribuunt conceſſioni ſeu legi Divinæ, idque pœnali. Et ſiquidem res ita ſe habeat: ergo ex ſola fornicatione propriè dictâ, id eſt, naturali copulâ cum non ſua, aptâ ad generationem, poterit uxor dimitti, quod eſt contra utrumque Doctorem.

69. *Sodomia minùs ladit Matr. quàm fornicatio.*

Probatur Conſequentia: quia in primis minùs læditur Matrimonium per uſum ſodomiticum, & alia peccata contra naturam quàm per uſum naturalem; quia per ſodomiam uxoris ſola perſona, quæ eſt in mariti dominio, polluitur; per concubitum autem naturalem perſona & vas, quæ mariti ſunt, polluuntur; redditurque ex hoc concubitu incerta proles, non autem ex priori. Quod ſi ſodomia viri ſit, non plus lædit Matrimonium, quàm concubitus naturalis. Quia utrobique prodigitur ſemen uxori debitum: imò minùs, quia ex concubitu ſodomitico & alijs peccatis contra naturam, non concipitur proles ex aliena fœmina, ſicut ex concubitu naturali: quod graviſſimè uxorem offendit, ac filios ex Matrimonio habitos.

70. *Lex pœnalis non eſt extendenda propter paritatem rationis.*

Præterea: non eſt certum, legem pœnalem extendendam eſſe quoad pœnam in ea contentam, ad caſum non expreſſum, etiamſi in eo caſu inveniatur eadem ratio. Immò oppoſitum eſt verius, quod docet Alph. à Caſtro lib. 1. de Leg. pœnali c. 7. documento 3. & probat ex cap. *Pœnæ*, de Pœnit. diſt. 1. cujus hæc ſunt verba: *Pœnæ legum interpretatione mollendæ ſunt potiùs quam nimis exaſperandæ.* Atque ideò propriū caſu non excedūt. Caſtro,

Ex hoc dicto infert Gloſſ. in cap. *In pœnis*, de Reg. juris in 6. argumentum à ſimili non valere in pœnis. Cauſam autem, quare argumentum à ſimili, aut ab identitate rationis, non valeat in lege pœnali; cùm tamen in alijs legibus valeat, Gloſſa illa non exprimit: ego autem apertam & efficacem reddam, quæ eſt hæc proximè ſequens.

71. *Probatur.*

Aliæ leges adeò pendent ex ratione, ut ratio legis dicatur eſſe mens illius. Nam Panormitanus in cap. fin. de Reſcript. dicit, legem non eſſe aliud, quàm rationem ejus. Et idem docet Baldus in l. *Non dubium*, Cod. de LL. Et hinc evenire neceſſe eſt, ut ubicumque illa eadem inveniatur ratio, ibi etiam eadem habeatur lex; quia niſi ita fieret, neceſſariò conſequens eſſet, ut aliud eſſet lex, quàm ratio ejus. Lex autem pœnalis non omninò pendet ex ratione, ſed etiam pendet ex ſola Legiſlatoris voluntate, quatenùs certam aliquam pœnam decernit. Nam licèt ex recta & cogente ratione procedat, quod crimina puniantur; nulla tamen recta ratio cogit, ut tale aut tale crimen hâc aut illâ pœnâ puniatur; ſed hoc ex ſola Legiſlatoris voluntate pendet, quæ etſi aliquam habuerit congruentem rationem, non tamen neceſſariò cogentem, ut talis pœna potiùs, quàm alia ſtatuatur.

Et hæc, meo judicio, ſunt, in quibus Legiſlator rectè dicere poteſt: *Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas*, Quia in his non eſt ab illo exigenda ratio, cur potiùs hanc, quàm illam pœnam elegerit, ſed illius voluntas pro ratione ſufficit. Hactenùs Alphonſus.

72. *Expenditur probatio.*

Sed nunquid rem acu tetigit? Planè, ſi benè intelligatur; ſcilicet voluntatem Legiſlatoris ſufficere, ut hanc vel illam pœnam imponat, dummodò ſit proportionata delicto. Voluntatem autem Legiſlatoris non ſufficere ad legem moralem conſtituendam abſque juſta cauſa.

Lex aliud eſt, quàm ratio legis.

Porrò hanc legem non eſſe aliud, quàm rationem legis, manifeſtè falſum eſt: quippè lex, præter rationem, eſſentialiter dicit voluntatem Legiſlatoris; ita ut eâ deficiente, neceſſariò deficiat obligatio legis poſitivæ. Et quia ratio non ſemper cogit Legiſlatorem ad ferendam legem, ideò fieri poteſt, ut maneat ratio legis, & non ipſa lex; ergo aliud eſt lex, quàm ratio ejus. Et idcircò propter identitatem rationis non eſt extendenda lex, etiam non pœnalis, niſi ad evitandum abſurdum, id eſt, quando alioqui lex

posita, & determinata ad unum casum, foret irrationabilis, nisi extenderetur ad alium casum non expressum, in quo militat eadem ratio.

73. *Castro extendit legem divortij ad peccatum contrà naturam.* Utut sit de hoc, ipse Alphonsus legem divortij à Christo latam extendit ad peccatum contra naturam, lib. 2. de Leg. pœnali cap. 4. ibi: Est adhuc aliud admonendum, quòd ad justam delicti compensationem, in hoc casu faciendam, non est opus, ut eâdem fornicationis specie sit uterque infectus; sed satis est, ut sit in eodem fornicationis genere, quamvis in diversa specie, dummodò is, qui se per exceptionem tueri vult, sit leviori culpâ, & non graviori pollutus. Is enim, qui solùm adulterij crimen commisit, potest se per exceptionem tueri contra alterum, qui crimine fornicationis contra naturam pollutus est: non tamen è contrario; quia simplex adulterium, & peccatum contra naturam, sunt crimina imparia. Sic ille.

Ubi, ut vides, per fornicationem, quam Christus excepit, non intelligit speciem aliquam infimam; sed rationem quamdam genericam, extendentem se etiam ad peccatum contra naturam; quod in se complectitur non tantùm sodomiam, & bestialitatem; sed etiam pollutionem extraordinariam.

74. *An hoc peccatum comprehendat hic pollutionem extraordinariam. Dicastil.* Hinc Dicast. sup. n. 15. ait: Ut me explicem circa ejusmodi casus, & crimina, & modos dicendi prædictorum Auctorum, si rationem sufficientem ad divortium reducant ad injustitiam contra fidem & obligationem Matrimonij, hæc injustitia etiam reperitur in pollutione extrà vas: ergò non est, cur propter injustitiam fateantur, sodomiam vel bestialitatem sufficere; pollutionem autem extrà vas cum alia persona non sufficere; nam etiam in hac (ut ipsi meritò fatentur) reperitur injustitia.

Quòd si recurrant ad plenam & perfectam injustitiam, quam putant non reperiri in pollutione; quia non sufficit ad plenè dividendam carnem; id est, ad hoc, ut conjux censeatur divisus in aliam personam, cum qua fiat una caro; quia nimirum per talem pollutionem non fiat una caro cum alia persona; idipsum ego dico de sodomia & bestialitate ex hoc capite, scilicet non esse plenam & perfectam injuriam; quia non sufficit tale genus copulæ, ut censeatur conjux divisus in aliam carnem modo explicato, cùm per id genus copulæ non fiat una caro cum alia persona; maximè si per voces: *Vna caro*, intelligamus principium unius carnis, quantùm est ex se, quod non habet copula sodomitica. Sic ille.

75. *Affirmat Dicast. si præcisè ratione agatur.* Et n. 17. concludit, dicens: Quapropter, si præcisè ratione agendum sit, ego putarem, omnia prædicta nomine, *Fornicationis*, fuisse comprehensa, quando Christus dixit seu permisit divortium faciendum, *Fornicationis causâ*; ita ut nomen, *Fornicatio*, ibi luxuriam gravem significet, & nomine cujusdam speciei magis universalis & notæ, quæ est fornicatio, significetur genus ipsum luxuriæ; quod neque novum est, neque insuetum; imò & vox ipsa Græca, πορνεια, communis est etiam libidini inter masculos. Undè juxtà Budæum, Tusanum, & alios similes Græcè linguæ peritos, πορνος, scortum masculum Cynedumque significat, qui corpore quæstum facit. Ideò nomine, *Fornicationis*, non solùm illegitimum, naturalem tamen maris & fœminæ congressum intelligere possumus; sed etiam alia luxuriæ peccata. Hucusque Dicast.

76. *Tametsi foret cum propria conjuge.* A quo si petas: an etiam sodomia, aut extraordinaria pollutio cum propria uxore, sit causa sufficiens divortij? Affirmativam sententiam existimat probabiliorem, sup. n. 22. Quàmvis enim tunc, inquit, maritus non dividat carnem suam in aliam personam; nihilominùs peccat contra Matrimonij fidem, & quidem gravissimum committens peccatum luxuriæ, quod habet malitiam adulterij, saltem malitiam injustitiæ illi valdè similem, & explicandam in Confessione: atque adeò etiam hoc potest intelligi nomine *Fornicationis*.

Probatio. Et quidem si expendamus rem, ideò quando accedit ad aliam fœminam, potest divortium facere uxor, quia dividit carnem in aliam carnem, in quam non habet jus; nam si haberet jus in illam carnem, etiamsi divideret carnem suam in aliam, non esset causa sufficiens divortij, ut contingebat, quando in lege antiqua licitum fuit habere plures uxores: ergo ratio in tali divisione carnis, sufficiens ad divortium, sumitur non præcisè ex divisione in aliam personam; sed ex injusta divisione. Atqui non minùs injustè dividit carnem suam, quando se polluit cum uxore extrà vas legitimum; quàmvis enim habeat jus in carnem uxoris; non tamen habet jus in eam carnem, quantumvis uxoris, ut illâ abutatur extrà vas legitimum; ergo quantùm ad talem abusum non minùs censetur alia caro uxoris, quàm cujuscumque alterius: & eâ ratione meritò censetur dividere maritus carnem suam in alienam carnem; cùm caro uxoris extrà vas legitimum ad eam seminis administrationem, vel in ordine ad illam, æquè non sua sit, & aliena censeatur, atque cujusvis alterius fœminæ caro. Hactenùs prædictus Auctor. Et satis consequenter.

77. *Resolutio finalis.* Itaque, ut finem imponamus huic controversiæ, Omnes Doctores conveniunt in nostra Conclusione; scilicet, quod propter adulterium seu fornicationem liceat solvere torum & habitationem in perpetuum, si cætera adsint, de quibus posteà agemus. Attamen maxima dissensio est; quid Christus per ly *Fornicationis*, intellexit, dum dixit: *Exceptâ causâ fornicationis*.

Fornicatio strictè significat solam copulam naturalem. Equidem si strictam hujus nominis significationem attendere velimus, sola copula naturalis, ex qua nata est sequi generatio, erit causa sufficiens divortij perpetui, ut clarum est; quippè aliæ luxuriæ species aliud proprium nomen sibi vendicant. Et ideò, sicut non sufficiunt ad inducendum impedimentum criminis; eò quòd in pœnalibus verba strictè interpretanda sint; quidni etiam non sufficiant ad inducendam pœnam perpetui divortij?

Hoc unicum debet esse fundamentum Pontij. 78. *Rejicitur arg. Pontij desumptum* Nam quod addit de bigamia & irregularitate, benè rejicitur à Dicast. sup. n. 19. ibi: Certè Christus fornicationem non ideò sufficientem putavit

ex bigamia & irregularitate.

putavit propter bigamiam aut irregularitatem. Neque enim tunc erant iſta, quando Chriſtus loquebatur.

Dicaſtillo

Et n. 24. ſic ait: Ratio divortij, de quo agimus,& ob quam licèt divortium,non eſt ille defectus ſignificationis, & inhabilitas, ſed injuſtitia & injuria facta conjugi, quod patet ex eo, quòd poteſt compenſatio & remiſſio talis injuriæ tollere aut extinguere jus divortij:ergo non fundabatur in defectu ſignificationis (qui quâvis poſitâ remiſſione aut compenſatione manet) ſed in injuria, quæ non minùs reperitur in ijs peccatis, quàm in copula naturali. Undè ex natura rei reſultat tale jus,independèter ab uſurpatione alicujus vocis, quæ uſurpetur in jure poſitivo. Sic ille.

Ex quo patet diverſitas inter adulterium,quod inducit impedimentum criminis, & fornicationem in noſtro caſu, quia iſtud impedimentum eſt merè juris poſitivi; & ideò pendet ab uſurpatione illius vocis, quâ uſurpatur in jure poſitivo.

79. *Quid in Scriptura intelligatur nomine mœchiæ, ex D. Aug.*

Quin præterundum minimè eſt,quòd in Scriptura ſacra (teſte D.Auguſt. in qq.ſuper Exod. q. 71.) illicitus concubitus, & omnis non legitimus uſus illorum membrorum nomine,*Mœchiæ*, intelligatur. Hæc ſunt verba D. Auguſt. *Omnis mœchia etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed utrùm etiam omnis fornicatio mœchia dici poßit in eiſdem Scripturis, non mihi interim occurrit locutionis exemplum: ſed ſi non omnis fornicatio etiam mœchia dici poteſt,ubi ſit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri, qui uxores non habent, cum fœminis, quæ maritos non habent, utrùm inveniri poßit, ignoro. Sed ſi furti nomine benè intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ (non enim rapinàm permiſit, qui furtum prohibuit; ſed utique a parte totum intelligi voluit,quidquid illicitè rerum proximi aufertur) profectò & nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.*

80. *Reſp. Sanchez ad D. Aug.*

Reſpondet Sanchez ſup. n.3. ſolùm docet D. Auguſt. nomine, *Fornicationis*, prohibitæ in 6. Decalogi præcepto comprehendi omnem non legitimum membrorum genitalium uſum,quod nullus dubitat. Non autem nomine, *Fornicationis*, quæ ſufficiens eſt divortij cauſa, docet includi; aliàs clauderetur etiam mollities, cùm ſit non legitimus membri uſus. Sic ille.

Oppugnatur

Sed contrà:in Decalogo non utitur Deus nomine, *Fornicationis*, ſed *Mœchiæ*. Quia autem utitur illo nomine Matth. 5. & 19. ubi Chriſtus loquitur de divortio; ideò S. Aug. ibi docet, mœchiam fornicationem dici in Scripturis: *Dominus*, inquit, *dicit in Evangelio*: Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, exceptâ cauſâ fornicationis, facit eam mœchari. *Hìc utique fornicationem appellavit, ſi cum alio peccet, quæ virum habet, quod eſt mœchia, id eſt,adulterium.*Ergò ſecundùm D. Aug. per fornicationem in lege divortij intelligitur mœchia, expreſſa in 6. præcepto Decalogi: ſed hæc mœchia, ſecundùm Sanchez, comprehendit omnem non legitimum membrorum genitalium uſum; ergo ſimiliter fornicatio in lege divortij. Quòd indè ſequeretur, etiam mollitiem comprehendi, Adverſarij Sanchez libenter amittunt, & putant non eſſe aliquod inconveniens.

81. *Fornicatio non comprehendit negationem debiti.*

Numquid etiam ſequitur, ſolam negationem debiti ſufficere? Patet, quòd non;quia hæc non eſt illegitimus uſus membrorum genitalium; ſed non uſus, qui licèt repugnet fidei matrimoniali,quæ obligat ex juſtitia ad reddendum debitum, atque adeò injuſtus ſit per ſe loquendo; haud equidem luxurioſus, ut nomine, *Fornicationis*, propter quam Chriſtus conceſſit dimiſſionem uxoris, poſſet comprehendi.

Objectio.

Dices: frangenti fidem, fides frangatur eidem: ſed negans debitum frangit fidem; ergò fides frangatur eidem.

Solvitur.

Reſpondeo: hanc fractionem nimis imperfectam eſſe, ut mereatur tantam pœnam, quanta eſt diſſolutio tori & habitationis in perpetuum; ad ſummum poſſet negari copula, donec & uſque, qui negavit, paratus eſt fidem ſuam ſervare, debitum reddendo. Non ergo propter quamlibet injuſtitiam licet perpetuum celebrare divortium; ſed ſolùm propter eam, quam Chriſtus explicavit nomine, *Fornicationis*; nuſpiam autem gentium negatio debiti fornicatio appellatur.

82. *Vir & fœmina ſunt pares in celebrando divortio.*

Et quoniam viri ac fœminæ eadem eſt obligatio non fornicandi ſeu non adulterandi; liquet profectò, pares eos eſſe in divortio celebrando causâ adulterij; ac proindè, ſicut vir innocens poteſt ab adultera uxore divertere, ita pariter uxor innocens à viro adultero. Quæ eſt ſecunda pars noſtræ Concluſionis, communis utique & veriſſima, contra Cajetanum in illud Matth.19. *Quicumque dimiſerit uxorem* &c. ubi cenſet, divortium ſolis viris permitti ob uxoris adulterium, ibi: Nec ex his intelligas, uxorem quoque poſſe dimittere virum fornicantem: quoniam Jeſus, qui eſt verus Deus, non hoc conceſſit; nec eſt par ratio, ut patet.Nec etiam in lege veteri uxor poterat repudiare virum. Nec ego ſum primus, qui ſic intellexi Evangelij textum;quoniam ante annos mille B.Ambroſ. ſic intelligens idem docuit 1. Cor. 7. Ita Cajetanus.

Oppoſitum docet Cajet. citans B. Ambroſ.

83. *Referuntur verba Ambr.*

Judicet Lector, an verè. Hæc ſunt verba Ambroſ. loco citato ad verſ. 10. *Iis autem* &c. *Hoc Apoſtoli conſilium eſt, ut ſi deceſſerit*(uxor) *propter malam converſationem viri, jam innupta maneat. Quod ſi continere ſe non poteſt, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur; non enim permittitur mulieri, ut nubat, ſi virum ſuum causâ fornicationis dimiſerit.* Quid tibi videtur,num hìc Ambroſ. docet, uxorem non poſſe dimittere virum fornicantem? Pluſquam meridianum eſt, quòd non. Quid ergo? Docet, uxorem,quæ virum fornicantem dimiſit, debere manere innuptam; quod omnes Catholici admittunt.Et idem aſſerunt de viro, qui dimiſit uxorem fornicantem, quàmvis oppoſitum videatur ibi aſſerere Ambr. de quo alibi egimus.

Quid ipſe doceat.

84. *Quare nec Chriſtus, nec jus Canoni-*

Rogas: quare ergoChriſtus id non expreſſerit de fœminis, neque jus Canonicum locis ſup. citatis circa principiumConcluſ.Reſpondeo cum Sanchez diſp. 3. n. 10. quia frequentiùs eſt, ut viri

cum id expresserit de fœminis. Sanchez. *cap. fin. 32. q. 5.*

viri petant divortium. Hinc Innoc. Papa Epist. ad Exuperium Episc. cap. 4. (& refertur cap. fin. 32. q. 5.) sic ait: *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberiùs uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt; & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur; virorum autem latente commissо, non facile quispiam ex suspicionibus abstinetur, qui utique submovebitur, si ejus flagitium detegatur. Cùm ergo par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.*

Quare mulieres rariùs accusent suos maritos de adulterio.

Ubi Gloss. in expolit. casûs, inquit: *Probatur in hoc cap. quod uxor potest æque accusare virum suum, sicut e converso; sed non solet hoc ita frequenter accidere triplici de causa; scilicet, pro verecundia; item, pro timore; item, quia vir cautiùs peccat, nec sic de facili deprehenditur.* Et verbo: *Detegatur*, ait: *Hic manifestè habes, quòd uxor potest accusare virum de adulterio, licèt secùs videatur secundùm legem* Item verb. *Vindictæ*, inquit: *Quasi dicat, non deficit jus, sed probatio.*

85. *Probatur, mulierem posse dimittere virum, ex 1. Cor. 7.*

Quidquid ergo sit de lege civili; certum est, quòd, secundùm jus Canonicum, par sit causa divortij viri ac mulieris. Neque Apostolus id tacuit, dum 1. Cor. 7. vers. 10. dicit: *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit,* (scilicet, ob causam fornicationis) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi S. Paulus non damnat illam discessum; aliàs deberet eam cogere ad redeundum, sed solùm monet, ut non nubat alteri, significans Matrimonium quoad vinculum non esse dissolutum.

Item ex Concil. Milevitano.

Apposite Concil. Milevitanum cap. 17. & refertur c. 5. 32. q. 7. *Placuit, ut secundùm Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* Ubi Gloss. verb. *Evangelicam*, locum Evangelij designat, *Matth.* 19. Et verb. *Apostolicam*, locum Apostoli, *Ad Cor.* 7. Ergò licèt Matth. 19. Christus solùm expresserit de viris; equidem idipsum de fœminis quoque intelligit dictum Concilium.

86. *Probatur à simili.*

Accipe simile: textus cap. 2. de Confessis in 6 decidit, si reus jussus positionibus respondere, recusat, habebitur pro confesso; & tamen Gloss. ibi, verb. *Reus*, idem putat dicendum de Actore. *Quid de Actore*, inquit, *vel ejus procuratore? Dicunt quidam, quod cadat ab instituta actione, sup. de Iuram. calum. c. ult..... Ad positiones enim respondetur ex vi juramenti, & ideo pœna jurare nolentis hic locum habeat, quod non credo: sed dic, ut dixi sup. in prox. Gloss. quod hic respicit, quod communiter accidere solet, sive possit, scilicet, quod Actores probare habent, & sic positiones facere: sed idem è converso, scilicet, ut habeatur pro confesso: cùm Actoris & Rei sit æqua conditio, inf. de Reg. juris,* Non licet, *cum simil.*

Adulterium fœminæ magis probrosum est, quàm viri.

Haud diffiteor, adulterium uxoris magis probrosum esse viro, quàm adulterium viri uxori. Sed quid tum? Equidem utrumque est vera fractio fidei conjugalis, & divisio carnis in aliam personam; pœnaque illa proportionata est utrique delicto, quàmvis unum sit gravius altero. Nonne omnia homicidia plectuntur pœnâ capitis; & tamen quis ambigit, unum esse graviùs altero?

Audite Doct. Angel. 4. dist. 35. q. un. a. 4. in corp. *Dicendum, quòd in causa divortij vir & uxor ad paria judicantur, ut idem sit licitum & illicitum uni, quod alteri; non tamen pariter judicantur ad illa, quia causa divortij est major in uno, quàm in alio; cùm tamen in utroque sit causa sufficiens ad divortium. Divortium enim est pœna adulterij, inquantùm est contra Matrimonii bonum: quantùm autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualiter sibi invicem tenentur; tantum peccat contra Matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius; & hæc causa in utroque sufficit ad divortium: sed quantùm ad bonum prolis, plus peccat adulterium uxoris, quàm viri: & ideo major causa divortij est in uxore, quàm in viro; & sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur: nec tamen injustè, quia in utroque est causa sufficiens ad hanc pœnam. Sic etiam est de duobus, qui damnantur ad mortis ejusdem pœnam, quamvis alius altero graviùs peccaverit.* 87. *Sententia Doct. Angel. de hac paritate.*

Nec obstat jam dictis; quòd uxor in lege veteri non poterat repudiare virum. Nam benè respondet S. Tho. sup. ad 1. *Repudium non permittebatur, nisi ad vitandum homicidium; & quia in viris magis erat de hoc periculum, quam in mulieribus; ideo viro permittebatur dimittere uxorem, non autem è converso per legem repudii.* Igitur non in omnibus divortium successit repudio; alioqui etiam per divortium solveretur vinculum Matrimonij, sicut probabiliter solvebatur per repudium; quod tamen constat hodiè esse falsum. 88. *Resp. ejus ad aliquam objectionem.*

Vir & mulier non sunt pares quoad accusationem criminalem, per l. 1. Cod Ad l. Iuliam. de Adult.

Et verò in Lege nova quàmvis conjuges æquales sint quoad accusationem civilem ad divortium celebrandum, & donationem propter nuptias, ac dotem amittenda; haud equidem quoad accusationem criminalem minimè censentur pares. Viro enim conceditur accusare criminaliter uxorem adulteram; non tamen econtrà. Habetur expresè l. 1. Cod. ad Leg. Jul. de Adult. sequentis tenoris: *Publico judicio non habere mulieres adulterij accusationem, quàmvis de Matrimonio suo violato queri velint, lex Iulia declarat, quæ cum masculis jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem fœminis privilegium detulit.* Utique propter disparitatem gravitatis, & injuriæ illatæ per hæc adulteria.

Ex his facilè colligi potest, quomodo intelligendus sit D. Basilius, quando in suis Canonibus, Can. 9. ait: *Consuetudo etiam adulterantes viros, & in fornicationibus versantes, jubet à mulieribus retineri.* Et can. 21. *Qui autem fornicatus est, non excludetur à cohabitatione cum uxore, quemadmodum mulier maritum suum excipiet: vir autem eam, quæ polluta est, à suis ædibus amandabit. Ac eorum quidem ratio minimè est facilis. Consuetudo autem sic invaluit.* 89. *Quomodo intelligendus D. Basilius.*

Respondet Sanchez sup. n. 7. Est intelligendus, ut velit, rarissimè fœminas hoc divortium Sanchez.

inten-

intentare ob virorum adulteria. Qui non usus jus intentandi minimè aufert ; eò vel maximè, quòd hoc est jus naturale & Divinum, quod est immutabile, nullaque consuetudine vinci potest. Sic ille. Quare autem fœminæ rariùs utantur suo jure sup. didicistis ex D. Thoma.

90. *An mulier priùs debeat virum ad monere, ut abstineat.*

Sed numquid, ut mulier utatur jure suo, desideratur, ut vir priùs moneatur, ut abstineat ab adulterio ? Authent. *Vt liceat matri & aviæ*, Coll. 8. c. 9. aliàs, §. *Quia verò*, vers. *Si quis in sua domo*, deciditur, non posse uxorem mittere repudium viro adultero, nisi priùs eum moneat, ut à prædicto delicto desistat ibi : *Et semel & secundò culpatus, aut per suos parentes, aut per mulieres, aut per alias aliquas fide dignas personas, hujusmodi luxuriâ non abstinuerit : licere mulieri pro hac causa solvere Matrimonium* &c.

Ubi Glossa verb. *Non abstinuerit*, inquit: *Nota primò, alicui nuntiandum, ut de offensa satisfaciat, vel desinat ; ut hic, & Cod. de Iis, qui latro l.2.* Et ad marginem Glossæ scriptum est : *Denuntiatio privata reo futuro priùs facienda est, quam in jus trahatur ; quod sanè fieri æquitatis est, non necessitatis.*

91. *Negat Sanchez.*

Cæterùm Sanchez sup. n. 8. ait, id non habere locum quoad divortium. Nam attento jure naturali & Canonico, sunt Conjuges in hoc pares. Quàmvis prædicta Authent. discrimen id constituerit ad repudium, ut vir nullâ monitione indigeat, quò uxorem adulteram repudiet ; secùs verò de uxore. Sic Barbosa, Alijs relatis l. 1. p. 1. in princip. n. 98. ff. *Soluto Matrimonio.* Ita Sanchez.

Ius divortij non præscribitur.

Sic etiam (ut notat n.9.) quàmvis accusandi jus de adulterio quoad pœnam criminalem, & civilem præscribatur quinquennio, l. *Adulter.* 5. Cod. Ad leg. Iul. de Adult. quoad divortium tamen petendum numquam præscribitur ; sed integrum est, quantocumque tempore transacto, illud petere. Quippe juris divini est, cui jus civile nequit prævalere. Christus autem nuspiam ad divortium præviam monitionem requisivit, aut ei certum tempus præfixit, intrà quod deberet fieri.

92. *Probatur ex c.8. 33.q.2*

Sanè cap. *Admonere*, 33.q.2. Stephanus V. post septennium pœnitentiæ uxoris adulteræ, concedit viro liberam divertendi facultatem, ibi : *Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos, pœnitentia peractâ, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses ; occidere tamen eam nullatenus debuisti.*

Ubi Glossa verb. *Pœnitentia*, inquit : *Arg. quod post peractam pœnitentiam, & crimen purgatum, potest quis accusari de crimine illo, ut* 15.q.5. Presbyter ..... *Nam per pœnitentiam non desinit quis esse nocens, ff. de Ædil. edicto.* Quis sit fugitivus. *Imò etiam post Baptisma potest de hoc accusari ; ut extra de Divort.* Gaudemus, *in fin.* Argumentum, quòd etiam ob adulterium in infidelitate commissum liceat divortium.

93. *Ob adulterium in infidelitate commissum licet divortium.*

Quod verum puto, tametsi lex divortij non foret naturalis, sed tantùm divina positiva ; quia & huic subjicitur infidelis ; ut patet in præcepto Baptismi, & in præsenti materia, in præcepto prohibente polygamiam, quòd diximus solùm esse juris divini positivi. Et quàmvis Baptisma remittat peccatum in ordine ad Deum, non tamen ut est viri offensa, cui fracta est fides conjugalis, ut notat Gloss. fin. in d. c. *Gaudemus* ; ac proinde ratione hujus offensæ jus habet divortij. Sicut non obstante Baptismo, posset resilire innocens à quocumque alio contractu, altero fidem minimè servante.

An præjudicet sibi maritus tacendo per septennium.

Sed pergamus in Gloss. præced. quæ sic interrogat : *Sed nonne præjudicat sibi maritus, tacendo per septennium ; cùm ultrà quinquennium non audiatur accusatio adulterij, ut Cod. de Adult. Adulter ?* Respondet autem : *Illud obtinet quoad pœnam legalem, non quoad petendum divortium, extrà de Procur. Tuæ* ; ubi quando agitur de adulterio coram Iudice sæculari ad pœnam legalem, non intervenit procurator : secùs, si coram Ecclesiastico ad separationem tori.

94. *An possit accusare in infinitum.*

Rursùm interrogat Glossa : *Numquid ergò in infinitum potest eam accusare ?* Respondet : *Dicunt quidam, quod non ultra viginti annos ; ut Cod. Ad Leg. Corneliam de Falsis*, Quærela. *Hugo dicit, quod usque ad millesimum, & quandocumque claruerint crimina, ut* 81. *dist. Quicumque*, ibi : *Cùm enim compertum fuerit, depenuntur.* Ubi Gloss. verb. *Compertum*, inquit : *Arg. quòd quandocumque de veritate constat, sequenda est,* 8. *dist. Qui contempta.*

Potest quis justè non reddere debitum dupliciter, ex Scoto.

Finio hanc Conclusionem verbis Doctoris Subtilis 4. dist. 32. q. un. n. 2. *Et ita hic in genere potest aliquis justè non reddere debitum conjugi dupliciter. Vno modo, si conjux amisit jus petendi, vel non habet jus petendi pro tunc. Alio modo, quando obligatur ad non reddendum vinculo fortiori. Primum contingit in fornicatione conjugis, maximè si alter tantùm fuerit fornicatus : tunc enim innocens potest lapsum, si sibi publicè constiterit, repellere, & amisit lapsus jus petendi, pro eo quod non servavit fidem ; & ideo non est necessario sibi fides servanda, saltem affirmative.* Ubi non distinguit inter virum & uxorem : ergò nec nos distinguamus.

Sed nunquid innocens potest repellere nocentem propriâ auctoritate ? Resolutio erit

CONCLUSIO III.

Ob adulterium moraliter certum licet, secluso scandalo, celebrare divortium propriâ auctoritate, saltem quoad redditionem debiti : fortè etiam quoad habitationem : dimissus tamen restituetur in foro externo, nisi crimen constiterit per evidentiam rei, vel legitimam adulteri confessionem.

HÆc Conclusio multas patitur difficultates, ut patebit ex dicendis. Omnes autem admittunt, adulterium debere esse

95. *Adulterium debet esse*

moraliter certum.

moraliter certum. Cùm enim possessio stet pro altero conjuge, eâ in dubio, aut pari causa, privari minimè debet; arg. c. 65. de Reg juris in 6. *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.*

Metaphysica certitudo vix potest haberi.

Et quoniam adulterium est ex illis criminibus, quæ in abdito loco, & omninò occultè admittuntur; hinc difficillimum est probatu, ita ut vix queat certitudo metaphysica haberi.

Sanchez.

Quod adeò verum est (inquit Sanchez lib. 10. disp. 12. n. 40.) ut si quispiam nudus super nudam fœminam in ipso actu reperiatur, non verè & metaphysicâ certitudine constet adulterium consummatum, quale ad divortium exigitur. Quoniam fieri potest, ut fœmina sit arcta, vel vir impotens, aut minimè seminaverit intrà vas. Undè fit, ut non tam exactæ probationes petendæ sint, ac in alijs criminibus, quæ oculis patent, palamque perpetrantur. Sic ille.

96. *Quando habeatur moralis certitudo ex cap. 12. de Præsumpt.*

Sufficit ergo moralis certitudo, qualis habetur (inquit Sanchez sup.) per ea indicia, quæ in foro externo probata convincerent conjugem de adulterio. Sed quæ illa?

Respondeat Alex. III. cap. 12. de Præsumpt. *Literis* (inquit) *tuæ Fraternitatis receptis, nobis innotuit, quod cum P. ab A. muliere, quam in uxorem acceperat, peteret separari, accusatores Matrimonij produxerunt testes, firmiter asserentes, quod postquam mulier cum prædicto viro contraxerat Matrimonium, consanguineum viri ejusdem, solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem, eâ (ut credebant) intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt multis locis secretis & latebris ad id commodis, & horis electis.* Et infrà: *Consultationi tuæ taliter respondemus, quod ex hujusmodi violenta & certa suspicione fornicationis potest sententia divorty promulgari.*

97. *Sufficit violenta præsumptio.*

Ubi Glossa verb. *Vt credebant*, ait: *Non dicit, ut sciebant, cùm opus illud non plenè pateat visui. Sufficit ergo ferre testimonium de eo, quod inducit violentam præsumptionem, quæ sufficit in hoc casu, ut hic patet, & 32. q. 1. dixi Dominus*, ibi: *Vbicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, libere dimittitur uxor.*

Ubi Glossa verb. *Suspicio*, arguit: *Hic videntur excipi duæ causæ dimittendi uxorem; in Evangelio tantùm excipitur una.* Respondet: *Quod hic dicit*: Vel suspicio fornicationis &c. *non est causa dimittendi, sed est modus probandi causam dimittendi: quia per suspicionem probatur fornicatio, adeò, quod uxor dimittitur propter suspicionem fornicationis, ut hic, & in Authent. Vt liceat matri & avia, §. pen. coll. 8. Vndè pro eodem reputatur fornicatio, & fornicationis suspicio; nam probatâ suspicione, probata est fornicatio. Quid autem, si tumeat venter incognita a viro suo, nonne certa erit fornicationis suspicio? 2. q. 1. Si peccaverit. Vel si vir aliquot annis permanserit in expeditione, & rediens inveniat puerum anniculum? ff. de His qui sunt sui vel alien. juris, Filium.*

98. *Locus probabilis, vel temeraria.*

Et ut scires, non omnem suspicionem sufficere, objicit sibi Glossa diversa jura, in quibus dicitur, quòd omnis suspicio potiùs est repellenda, quàm probanda. Respondet autem: *Distingue triplicem suspicionem, probabilem, temerariam, & violentam, ut dixi 2. q. 1. c. 1. Hic ergò de violenta suspicione loquitur.* Et quæ dimittitur ob talem suspicionem, verè dimittitur ob fornicationem cognitam, sicut moraliter cognosci potest; ex urgenti scilicet præsumptione, quæ virum prudentissimum ad judicandam fornicationem induceret; quare durissimum esset ampliùs requirere.

99. *An sit violenta, quando solus cum sola inventus in loco abdito. Affirmant Aliqui. Negat Sanchez.*

Non tamen id ita strictè accipiendum est, ut sola ea præsumptio jam explicata sit violenta; sed sufficit quæcumque alia similis, quæ vehementer suadeat conjugis adulterium. Sed nunquid talis, quando quis solus cum sola in loco abdito inventus est? Affirmant Aliqui apud Sanchez sup. n. 45. Quod ipse ita generaliter non credit. Nec Gloss. (inquit) cap. *Præterea*. verb. *Conscii*, de Test. & attest. quam pro se allegant, ita generaliter loquitur: sed quando quis repertus est solus cum sola in lecto, vel nudus cum nuda.

Hæc sunt verba Glossæ: *Sed quomodo sunt conscij* (copulæ) *nisi viderint? Quia forte ab eo audierunt: quia illud dicimus scire, quod ab alijs audivimus, 22. q. 5.* Hoc videtur. *Vel quia viderunt solum cum sola in lecto, vel nudum cum nuda; sed non viderunt eos carnaliter commiscuisse, infrà de Præsumpt, Tertio. Et ideò dicit: sed de visu nihil affirmant.*

100. *Astensis docuit sententiam Sanchez.*

Et ita Astensis Sum. 2. part. lib. 8. tit. 11. a. 3. q. 5. dicit; non satis esse, solum cum sola in locis suspectis reperiri, nisi in eodem lecto, & hora apta ad concubitum. Quia prior suspicio est probabilis, sed non violenta. Et licèt Multi, quos refert Navar. Rubrica de Iudicijs, n. 10. dicant sufficere, si in loco secreto deprehendantur se amplexantes & osculantes: at ipse cum Alijs ait, id non satis esse, nisi probetur tanto temporis spatio in eo loco secreto eos fuisse, ut possent adulterium committere.

Navar.

101. *Probatur ex l. 1. ff. de Extraord. crim.*

Hinc *Sollicitatores* (utor verbis l. 1. ff. de Extraord. crimin.) *alienarum nuptiarum* (id est, secundùm Gloss. ibi: *Vxorum nuptiarum, ut cum eis rem habeant*) *itemq; Matrimoniorum interpellatores* (*qui*, ut ait Gloss. *eas volunt ad uxores, licèt hoc esse non possit*) *etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem pernitiosæ libidinis extrà ordinem puniuntur.*

Ubi Gloss. verb. *Voluntatem*, interrogat: *Sed an hic pervenerunt ad aliquem actum?* Respondet: *Sic, ut ad colloquium vel basia, quæ sunt præcedentia veneris.* Ergò ex his actibus non concluditur adulterium; alioqui pœna ordinaria foret imponenda.

102. *Item ex d. cap. 12. de Præsumpt.*

Sanè d. cap. *Literis*, de Præsumpt. multò fortiora exiguntur indicia, ut violentam adulterij suspicionem inducant. Quamquam existimem, non omnia illa simul requiri, interim tamen tales debent esse conjecturæ, quibus probetur adulterium, ut vel à natura, vel à lege receptæ probatæque sint. Oscula autem & amplexus (inquit Sanchez sup. nu. 47.) nec à natura, nec à lege pro urgenti conjectura admittuntur; nec eam ab homine

recipi

recipi debent, cùm nulla urgens ratio id suadeat. Sic ille.

Objicitur l. 23. ff. Ad l. Iul. de Adult.

Sed contrà: l. 23. ff. ad leg. Iul. de Adult. sic habetur: *Quod ait lex*: In filia adulterum deprehenderit, *non otiosum videtur. Voluit enim ita demum hanc potestatem patri competere, si in ipsa turpitudine filiam de adulterio deprehendat. Labeo quoque ita probat, & Pomponius scripsit, in ipsis rebus Veneris deprehensum occidi.* Ubi Gloss. verb. *In ipsis rebus*, ait: *Sunt enim res Veneris, antedentia ipsum scelus, scilicet apparatus, colloquia, ut sup. eod. l.* Et si amicis, *in fi. locus constitutus, convivia, basia, tactus. Nam ab ipsis argumentum sceleris inducitur: ut in Topicis Marci Tullij: unde versus:*

Visus & alloquium, tactus, pòst oscula, factum.

103. *Resp. Sanchez.*

Respondet Sanchez sup. hæc lex solùm probat, licere patri, juxtà illum textum, impunè occidere filiam repertam in ijs actibus impudicis, sicut inventam in adulterio; non tamen probat, inde convinci adulterium.

Impugnatur, primò ex ratione.

Contrà, inquis: nonne major est pœna occisio, quàm Divortium? Si ergò oscula & amplexus possunt puniri morte; quidni etiam divortio? Et quare puniuntur morte, nisi quia ex his convincitur adulterium?

104. *Secundò per cap. 4. 27. q. 1.*

Præterea: 27. q. 1. c. 4. ita scribit Cyprianus ad Pomponium de Virginibus: *Certè ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio & osculatio, & conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confiteatur?* ubi Gloss. verb. *Concubitus*, inquit: *Hic enim est unus casus, quo per exteriora interior voluntas dignoscitur. Per confabulationem enim & amplexus & hujusmodi deprehenditur fuisse corrupta.* Et verb. *Confiteatur*, ait: *Quia ex eis præsumitur adulterium*, 32. q. 1. Dixit. *Cod. de Adult.* Quàmvis.

Sed, pace Glossæ, neque in cap. *Dixit*, neque in lege: *Quamvis*, mentio fit osculorum aut amplexuum; sed statuunt hi textus, quòd ex suspicione ream conjugem facere liceat: quod Omnes fatentur, quando est suspicio violenta. At verò sola oscula & amplexus inducere violentam suspicionem adulterij, hoc est, quod negat Sanchez.

105. *Defenditur Sanchez.*

Et reverà d. cap. 4. non solùm ponderantur oscula & amplexus; sed maximè concubitus, & turpis ac fœda duorum conjacentium dormitio. Unde verbis sup. allegatis extemplò subjungitur: *Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per zeli dolorem fortasis & gladium in manum sumit? Quid Christus Dominus & Iudex noster, cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam, jacere cum altero cernit, quàm indignatur & irascitur? Et quas pœnas incestis hujusmodi conjunctionibus comminatur?*

Sed nec d. l. *Quàmvis*, 30. seu potiùs Glossa, sola oscula & amplexus expendit, sed etiam apparatum, colloquia, locum constitutum, & convivia. Quidni & sub apparatu concubitus intelligi possit, qui est proximus apparatus ad copulam?

106. *Non sufficiunt xenia missa ab adultero uxori alienæ.*

Quòd si sola oscula & amplexus non sufficiunt; nec à fortiori sufficient xenia missa ab adultero uxori alienæ, aut verba amatoria; quia minora indicia sunt. Ita Sanchez sup. n. 48.

Neque si quis glorietur de adulterio. Cap. 1. de Conf.

Nec similiter satis erit, si quis glorietur, se cum uxore alicujus concubuisse. Quoniam non valet confessio in alterius præjudicium; cap. 1. de Confessis, ibi: *Cùm secundùm utriusque juris statuta, de se confessi super aliorum conscientijs interrogari non debent: & (crimine læsæ Majestatis excepto) de reatu proprio confitentis periculosa confessio non est adversus quemlibet admittenda.*

Ubi Gloss. verb. *Confessi*, infert: *Nulli ergò de se confesso super crimine aliorum creditur, sic inf. de Testib.* Veniens, 1. *Et hoc generale est, præterquam in crimine læsæ Majestatis.* Et post pauca subdit: *Istis, qui de se confitentur, creditur, non quantùm ad convincendum; sed quantùm ad præsumptionem.* Intellige probabilem, non autem violentam, quæ hìc requiritur, & sufficit. Alioqui non adderet: *Unde si adsunt aliæ præsumptiones, valent: aliàs per se non sufficerent.*

107. *An sufficiant literæ amatoriæ, Menochius. Sanchez.*

Sed nunquid per se sufficiunt literæ amatoriæ? Menochius de Præsumpt. lib. 5. præsumpt. 41. in fin. (teste Sanchio sup. n. 48.) censet, id Judicis arbitrio remittendum pro literarum tenore. Unde dicit, si mulier in eis præteritum concubitum fateretur, rem esse manifestam contrà eam: si verò essent literæ, quibus virum induceret ad accessum, arguere adulterium committendum, non tamen commissum.

Cæterùm (inquit Sanchez) existimo, non sufficienter probari adulterium, licèt in eis mulier proprium adulterium fateatur. Quia confessio extrajudicialis, qualis hæc est, non plenè probat; sed constituit indicium sufficiens ad torturam. Ita ille cum Alijs, quos citat.

108. *Quid si quis confiteatur adulterium suum in judicio.*

Quid ergò si confiteretur in judicio? Respondeat Innoc. III. cap. penult. de Adult. *Quocirca mandamus, quatenus (nisi tibi constiterit vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterij etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem.*

Sufficit.

Ubi Gloss. verb. *Confessionem*, explicat eam, dicens: *Factam in jure* (id est, judicio) *ut sup. de Cohabit. Cleric. & mulie. c. ult. & sponte; quia si compulsa, non obesset*, 31. q. 2. Lotharius; *& sic confessio sola* (scilicet in judicio) *sufficit ad tori separationem, ut hìc, & sup. de Divort.* Ex literis.

109. *Nisi confessio cedat in præjudicium tertij.*

Limita; nisi confessio illa cederet in præjudicium tertij, v. g. Religionis, in qua conjux, innocens reputatus, emisit Professionem, & jam fatetur adulterium, ante Professionem commissum, ut fiat compensatio delictorum, & sic possit à Religione extrahi tamquam invalidè professus. Tali, inquam, casu non videtur sufficere illa confessio; arg. d. cap. 1. de Confessis, ubi Gloss. in expos. casûs ait: *Confessio confitentis de se, non est adversus alios admittenda.*

Probatur hæc limitatio ex c. 4. de Regular.

Unde novitia, actibus professarum se ingerens, censetur professa, licèt jurejurando defectum animi profitendi affirmet, cap. 4. de Regular. sequentis tenoris: *Vidua si sponte velum conversionis, quamvis non sacrum sibi imposuerit, &*

in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit sanctimoniæ habitum ulteriùs debet habere; licèt sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere posset. Ubi Gloss. in exposit. casûs: *Ex quo*, inquit, *quis assumpsit habitum, non auditur reclamans, nec statur juramento ipsius in præjudicium voti.*

110. *Item ex c. 5. de Eo &c.* Sic etiam confessio conjugum, asserentium affinitatem præcessisse, non auditur contrà Matrimonium; cap. *Super eo*, 5. de Eo qui cognovit &c. Et ratio redditur: *Cùm & quandoque nonnulli inter se contrà Matrimonium velint colludere, & ad confessionem incestûs facilè prosilirent, si suo judicio crederent, per judicium Ecclesiæ concurrendum.* Quæ ratio æquè militat in Religionis professione. Ac proinde non videtur tali Religioso credendum.

Opponitur c. penult. de Raptoribus. Solùm obstare videtur cap. penult. de Raptoribus, ubi Gloss. verb. *Mulieris confessione*, infert: *Ergò creditur mulieris confessioni in præjudicium Matrimonij spiritualis* (id est, Professionis Religionis) *quod non sit in carnali; sup. de Eo qui cognovit consang.* Super eo. *Sed aliud est in Matrimonio carnali, & aliud in spirituali. In Matrimonio carnali non statur confessioni viri, & uxoris, si contrà Matrimonium confiteantur; quia sæpè ad invicem colluderent, ut separarentur, ut dicit prædicta Decret.* Super eo. *Sed in spirituali Matrimonio, si aliqua, de qua constat, quod fuerit primo uxor ante ingressum Monasterij, postea confiteatur in judicio, quod ante ingressum cognita fuerit a viro, debet sibi restitui; quia, eo invito, Monasterium intrare non potuit, ut hic dicit: imò si aliter confiteretur, salvari non posset, nisi rediret ad virum. Non est enim credendum, quod illa sit immemor suæ salutis.* Ergò similiter in casu nostro.

111. *Explicatur casus propositus ex Panormit.* Quem utique sequentibus verbis ex Hostiensi explicat Panormit. cap. *Veniens*, de Convers. conjug. in fine: Pone, quòd maritus, qui commiserat adulterium in sæculo, transivit ad Religionem, repetitur à muliere; ipse excipit de adulterio illius mulieris; ipsa replicat, quòd & ipse commisit antè adulterium; quæritur, numquid posset exire, invito Monasterio, si confiteatur replicationem mulieris. Et dicit (*Sententia Hostiensis.* Hostiensis) quòd sic. Undè hoc casu statur confessioni mariti, licèt veniat in præjudicium Professionis, de quo dicit, casum esse in cap. penult. de Raptoribus: secùs dicit, ubi agitur de Matrimonio carnali; tunc enim non staretur confessioni conjugis contrà Matrimonium; ut probatur in cap. *Super eo*, de Eo, qui cognovit consang. uxoris. Ecce sententia Hostiensis. Numquid placet Abbati?

112. *Non placet Abbati.* Audi quod sequitur: Et cum hoc, inquit, transeunt hìc communiter DD. Sed adverte, quòd hoc indistinctè tenere, esset apertè dicere contrà casum cap. *Vidua*, sup. tit. prox. ubi textus apertè dicit, quòd ex quo constat de Professione alicujus tacita vel expressa, non statur confessioni ipsius in contrarium, etiam cum juramento. Pro hoc facit, quòd confessio tendit in præjudicium Monasterij: ergò plenè non probat; quia licèt valeat confessio contrà confitentem, non tamen contrà tertium; ut 14. q. 2. in princip. & in cap. 1. de Confessis. Item ratio cap. *Super eo*, habet locum in casu nostro; nam de facili posset iste ingressus colludere cum uxore sua in præjudicium Professionis factæ. Sic Abbas.

113. *Quomodo intelligendum cap. penult. de Rapt. ex Abbate.* Quomodo ergò intelligendum cap. penult. de Raptorib.? Respondet ipse: Quando iste ingressus stat pro ingressu, & contrà Matrimonium de consensu Superioris: tunc enim non est verisimile, quod falsum confiteatur contrà se, ideò talis confessio sibi præjudicat, & per consequens Monasterio, quod permisit eum agitare illam causam; & idem est in Matrimonio carnali. Nam valet confessio in præjudicium Matrimonii, quando est facta ab eo, qui stat pro Matrimonio, ut in cap. *Attestationes*, & ibi per Hostiensem inf. de Desponsi. impub. Hactenùs Abbas. Cujus sententia placet Sanchio Sanchez. sup. n. 50.

Quibus testibus probari debeat præsumptio violenta. Qui ibidem n. 51. notat: præsumptionem violentam pro foro externo probandam esse testibus non singularibus, & omni exceptione majoribus. In foro autem conscientiæ sufficere, ut conjux innocens certior fiat de adulterio à persona fide dignissima, cui meritò prudentissimus quisque fidem haberet, se vidisse adulterium, aut ejus violentam suspicionem testanti. Quoniam hoc certitudinem moralem efficit, quæ satis est, & ab omnibus requiritur, ut conjux innocens divertere possit.

114. *Innocens divertere potest propriâ auctoritate quantùm ad reddit. debiti. Probatur ex Sanchez.* Sed numquid potest divertere propriâ auctoritate? Affirmat Conclusio, *Saltem quoad reddit. debiti; fortè etiam quoad habitationem.* Equidem negationem debiti licitam esse, res magìs certa est, eamque verissimam credit Sanchez sup. n. 5. Probatur: quoniam jure naturæ in ipso contractu Matrimonij ea conditio imbibita est, ut servanti fidem fides servetur, secùs eam violanti. At conditione non servatâ in pacto imbibitâ, alter paciscens eo ipso, sine aliqua sententia Iudicis, liber est ab obligatione fidei in pacto præstitæ; eo semper salvo, ut satìs constet de fide sibi fracta.

Dico: *Conditione non servata* &c. Quippe dum non servanti pactum infligitur aliqua pœna, sive auctoritate Judicis, sive etiam ex mutuo contrahentium consensu, quæ vocatur pœna conventionalis; tunc violans pactum non obligatur ad pœnam ante sententiam Judicis; quàmvis etiam in pœna conventionali contrarium sit probabile, de quo alibi egimus.

115. *Privatio debiti hìc non est propria pœna.* Interim impræsentiarum illa privatio debiti non est propriè pœna, etiam conventionalis; cùm ad eam non requiratur consensus partium, neque auctoritate Judicis infligatur; sed à Christo ipso Matth. 5. & 19. sit constituta, aut certè declarata, tamquam conditio imbibita in ipso contractu Matrimonij. Tametsi latè loquendo possit vocari pœna; quia incommodum aliquod ortum ex culpa commissa, scilicet in fractione fidei. Sicut communiter (inquit Sanchez sup.) tradunt DD. pœnam à testatore adjectam legato, sub conditione castè Sanchez. vivendi,

vivendi, potiùs conditionis naturam, quàm pœnæ ſequi; & ideò amitti legatum luxuriosè vivendo, abſque alia ſententia Judicis.

116. *Conjux privans non exercet actum Iudicis.* Hinc conjux innocens privans adulterum jure petendi non exercet actum Judicis; cùm nullus poſſit eſſe Judex in propria cauſa; ſed tamquàm homo privatus negat ſtare contractui, propter non impletam conditionem. Quando ergò agitur ad pœnam lege decretam infligendam, ſolius Judicis eſt, eam infligere, meritis cauſæ diſcuſſis: ſecùs ubi lex non continet meram pœnam; ut (inquit Sanchez ſup. n. 9.) ludens pecuniâ creditâ in hoc Caſtellæ Regno nullâ indiget ſententiâ Judicis, quò pecuniam perditam minimè ſolvat. Quoniam lex id concedens non eſt merè pœnalis, ſed contractum irritat. Porrò cùm negatio debiti intra privatos parietes, & occultè peragatur, non eſt cur notorium delictum, Judicisve ſententiam deſideret, alioqui neceſſariam ad ſcandalum evitandum. Adde: quòd aliàs cogeretur innocens injuriam ſibi ab adultero illatam condonare, & damnum bigamiæ pati, quam cognoſcens adulteram incurrit.

Alia probatio Comcluſ. ex Sanchez.

Probatur 3.

117. *Quid ſi Eccleſia cogat innocentem reddere? Sententia D. Bonav.* Quid ergò, inquis, ſi ad inſtantiam adulteri Eccleſia cogat innocentem reddere, idque ſub pœna excommunicationis? Doct. Seraphicus 4. diſt. 35. a. un. q. 3. in corp. ſic ait: *Dicendum, quod contingit uxorem dimitti à viro dupliciter: vel quantùm ad torum, ut non commiſceantur carnaliter; vel quantùm ad torum & mutuam cohabitationem. Si primo modo* (de quo hìc tractamus) *ſic dico, quòd vir, comperto & cognito certitudinaliter, quod uxor fornicetur, vel è converſo, poteſt debitum denegare, nec ad hoc tenetur, niſi per cenſuram Eccleſiaſticam compellatur: & tunc ſi compulſus debitum reddidit, nullum ei præjudicium generatur.*

Conſonat Doct. Angel. Eodem modo loquitur Doct. Angel. a. 3. in corp. *Dicendum, quod vir poteſt dimittere uxorem dupliciter. Vno modo quantùm ad torum tantùm, & ſic poteſt eam dimittere, quàm citò ſibi conſtat de fornicatione uxoris proprio arbitrio, nec tenetur debitum reddere exigenti; niſi per Eccleſiam compellatur, & taliter reddens nullum ſibi præjudicium facit.*

Ergò, ſecundùm hos Doctores, Eccleſiâ præcipiente ſeu compellente, tenetur innocens debitum reddere. Quia Eccleſia juſtè præcipit; cùm juxtà allegata & probata illi non conſtet, alterum conjugem reum adulterij eſſe, & innocens ſine peccato reddere poſſit.

118. *An reddendo efficiatur irregularis. Affirmat D. Tho.* Prorsùs ſine peccato; ſed numquid etiam ſine præjudicio? Ipſe D. Tho. putat probabilius, eum effici irregularem. Sic enim ſcribit 4. diſt. 27. q. 3. a. 1. q. 3. ad 4. *Dicendum, quòd ſi mulier fornicetur poſt contractum Matrimonium, non efficitur ex hoc vir irregularis, niſi poſt corruptionem adulterinam eam iteratò cognoſcat; quia aliàs corruptio uxoris nullo modo cadit ſub actu matrimoniali viri: ſed ſi etiam per jus ei debitum compellatur reddere, vel ex conſcientia propria, illâ petente debitum, ante condemnationem adulterij reddat, irregularis efficitur; quamvis de hoc ſint opiniones: ſed hoc, quod dictum eſt, eſt probabilius; quia hìc non quæritur, quid ſit peccatum, ſed ſignificatio tantùm.*

Quando ergò ſup. dicit: *Et taliter reddens nullum ſibi præjudicium facit:* intelligit de præjudicio, quantùm ad celebrandum divortium, adulterio plenè probato. Et eodem modo intellige D. Bonav. Quo ſuppoſito; cùm præceptum Eccleſiæ ex falſa præſumptione procedat; cur obligabit in conſcientia cum tanto onere, ſeu præjudicio innocentis, qui per talem copulam efficitur irregularis?

119. *Plures docent. d. præceptum Eccleſiæ non obligare in conſcienoia, quos ſequitur Sanchez.* Undè plures apud Sanchez ſup. n. 6. dicunt, tale præceptum minimè obligare in conſcientia, quos ipſe ſequitur, dicens: Exiſtimo hunc (innocentem) ex natura rei minimè teneri obedire, nec eſſe coram Deo excommunicatum. Quoniam ſententia illa, & præceptum Judicis, falsâ præſumptione innituntur; atque ita minimè obligant in foro conſcientiæ, in quo veritas innocenti conſtat. At poſſe teneri ratione ſcandali vitandi, ut benè ait Caſtro lib. 2. de Lege pœnali c. 4. §. *Vt igitur.*

Poteſt teneri innocens ratione ſcandali. Pet. de Pal. Caſtro.

Accipe ejus verba: Dicit Pet. de Paludè, quòd ſi Eccleſia præciperet alicui, qui certus eſt de adulterio uxoris ſuæ, quàmvis illud probare non poteſt, ut reddat debitum uxori ſuæ, non teneretur illi obedire; quia tale præceptum procedit ex errore & ignorantia: Si enim Judex ſciret, uxorem eſſe adulteram, non præciperet marito, ut debitum uxori redderet. Nam ſic præcipiendo apertam illi facit injuriam; quia ſic compellens illum infligit illi, ſine culpa illius, bigamiam, quam eo ipſo incurrit, ſi illam poſt adulterium cognoſcit; ut dicitur in cap. *Si cujus*, & in cap. *Si laici*, 34. diſt. Deindè; juxtà communem & veriorem opinionem, is, qui in foro contentioſo damnatus eſt injuſtè ſecundùm veritatem, ſed juſtè ſecundùm allegata & probata, non tenetur in foro conſcientiæ obedire ſententiæ Judicis, niſi fortè ratione ſcandali, quòd totis viribus vitare tenetur. Ita Alphonſus.

120. *Caſus.* Et ideò (proſequitur Sanchez ſup.) ſi brevi poſſit adulterium probare, cùm tunc non magnum inde oriatur ſcandalum, non tenebitur reddere; ſecùs ſi longa mora neceſſaria ſit. Quia tunc meritò orietur grave ſcandalum: eò vel maximè, quòd in excommunicatione per annum inſordeſcens tamquàm ſuſpectus de hæreſi habendus ſit: Trid. ſeſſ. 25. de Refor. c. 3. in fine: *Excommunicatus verò quicumque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolùm ad Sacramenta, & communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur; ſed ſi obdurato animo cenſuris innexus in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum, procedi poſſit.* Trid.

Undè cùm hæc obligatio reddendi debitum minimè conſurgat ex Judicis præcepto ſed ex obligatione vitandi ſcandali; juxtà ſcandalum ex negatione exortum, brevitas vel temporis diuturnitas, quæ ad probandum adulterium deſiderantur, expendenda ſunt. Et ſi conjux innocens in loca remota fugeret, ubi ſcandalum omninò ceſſaret, minimè teneretur reddere. Ita Sanchez.

121. *Quare in Concluſ. addatur: Secluſo ſcandalo.*

Ex quo patet, quare addiderim in Concluſ. illam particulam: *Secluſo ſcandalo.* Et ita poſſent intelligi DD. Angel. & Seraph. ſup. adducti pro oppoſita ſententia; ut nihil aliud velint, quàm Eccleſiâ præcipiente & compellente, innocentem debere reddere debitum ad evitandum ſcandalum, quod ordinariè natum eſt provenire ex negatione debiti, quando res deducta eſt ad forum externum.

Alioqui, dum Judex non præcipit, tametſi lis adhuc pendeat, & lite pendente nihil innovandum ſit in foro externo, in quo veritas non conſtat; equidem in foro conſcientiæ, in quo veritas conſtat, ut ſuppono, innocens non tenetur debitum reddere: eò vel maximè, quòd ſi tunc à Judice minimè coactus redderet, eſſet condonatio adulterij, ac jus divortij petendi extingueretur, ut ſuo loco videbimus. Et hæc quidem de diſſolutione tori.

122. *An innocens propriâ auctoritate poſſit divertere quoad habitationem.*

Major controverſia eſt: an quoad habitationem liceat conjugi innocenti propriâ auctoritate divertere ab adultero, ita ut adulter reſtitutionem minimè petere poſſit? Hâc in re (inquit Sanchez ſup. n. 10.) acrem difficultatem ingerunt cap. *Significaſti*, 4. & cap. *Porrò*, 3. de Divort. quæ ſecum pugnare videntur.

Pro parte affirmante videtur facere cap. 4. de Divort.

Subſcribo verba utriuſque textûs. *Significaſti, quod quidam, uxore ſuâ ſine judicio Eccleſiæ* (ergo propriâ auctoritate) *dimiſſâ* (ſcilicet quoad habitationem) *pro eo, quòd ſuggeſtum ſibi fuerat, ipſam inceſtum cum quodam conſanguineo ſuo commiſiſſe, vinculo fuit propter hoc excommunicationis aſtrictus; verùm mulier non continuit, ſed ſobolem de alio viro ſuſcepit: nec minùs poſtulat viro reſtitui, aſſerens, ſe ab ipſo injuſtè dimiſſam, & eumdem ſibi materiam adulterandi dediſſe. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet: niſi conſtaret, ipſum cum alia adulterium commiſiſſe.* Ita Alex. III. Ubi habetur, ob notorium adulterium poſſe conjugem dimitti, abſque ſpe reſtitutionis.

123. *Pro parte negante cap. 3. eod.*

At cap. *Porrò*, dicitur, non eſſe licitum divertere abſque Eccleſiæ ſententia, ob notoriam conſanguinitatem. *Porrò de Comite Pontini, qui B. uxorem ſuam abſque judicio Eccleſiæ dimiſit; quia eam cognatam fuiſſe uxoris defunctæ proponit, prudentia tua cognoſcat; quod ſi etiam parentela eſſet publica & notoria, abſque judicio Eccleſiæ ab ipſa ſeparari non potuit: quare ipſum ad eam recipiendam, quæ petit reſtitutionem ipſius, diſtrictè compellas: quam ſi recipere noluerit, eum, & ſuper inductam vinculo excommunicationis aſtringas.* Ita præfatus Pontifex.

124. *Dicta jura conciliantur; cap. 3. loquitur in caſu, quo eſt impedimentum dirimens.*

Nunquid ſibi ipſi contrarius? Non puto. Varias equidem conciliationes afferunt DD. quas videre poteris apud Sanchez ſup. n. 38. Placet (inquit hic Auctor.) deciſionem cap. *Porrò*, eſſe ſpecialem in conſanguinitate, & in quocumque impedimento dirimente; eadem enim eſt ratio: in quo caſu ſeparatio non tantùm tendit ad ſpoliandum poſſeſſione conjugem dimiſſum; ſed etiam proprietate, ipſoque Matrimonii vinculo. Atque adeò juſtâ ratione deciditur d. cap. *Porrò*, nullum notorium ad id ſufficere; ſed exſpectandam eſſe Eccleſiæ ſententiam. Sicut enim ejus auctoritate vinculum Matrimonij colligatum eſt, ita ejus judicio oportet diſſolvi. Per eaſdem enim cauſas res naſcitur & diſſolvitur, cap. 1. de Regul. juris.

Adde etiam: hanc rem eſſe graviſſimam; quia ratione conſanguinitatis declaratur, vinculum ipſum Matrimonij fuiſſe irritum; ac proindè utrumque conjugem, tamquàm ſolutum, poſſe liberè ad alias nuptias tranſire. Quare meritò reſervatur judicio Eccleſiæ decidenda, & interim conjux ſpolians cogitur ad ſpoliatum redire. At ſeparatio ratione adulterij eſt quoad ſola obſequia conjugalia, manente vinculo Matrimonij illæſo, & neutri licet aliud Matrimonium inire. Et ideò nil mirum, ſi Eccleſiæ judicium non deſideret; ſed contenta ſit adulterio ita notorio, ut nullâ poſſit tergiverſatione celari. Ita Sanchez. Et meritò.

125. *Propter ipſum non eſt recedendum à Concluſ. quæ probatur ex verbis Chriſti.*

Igitur propter cap. *Porrò*, non eſt recedendum à Concluſione, quæ non loquitur de diſſolutione vinculi, ſed tantùm de diſſolutione habitationis, vinculo illæſo. Atque hæc videtur nobis æquè licere in foro conſcientiæ, ſecluſo ſemper ſcandalo, quàm negatio debiti; quia Chriſtus ſimpliciter excepit cauſam fornicationis, non diſtinguens inter publicam & occultam; inter negationem debiti, & privationem habitationis. Sola differentia eſt, quòd ex ſeparatione habitationis, quæ publica eſt, ſæpiùs natum ſit orire ſcandalum, quàm ex negatione debiti, quæ ſolet eſſe occulta.

Separatio habitationis poteſt aliquando fieri ſine ſcandalo.

Interim, & ſeparatio habitationis ſubinde fieri poteſt ſine ſcandalo, tametſi adulterium ſit occultum: ut ſi vir conſcius adulterij uxoris in partes longinquas recedat, ubi Matrimonium ignoratur. Item, ſi Matrimonium fuerit clandeſtinum, ubi illud adhuc valet; vel ſi Matrimonium jam ita occultum ſit, ut probari nequeat: quia defuncti ſunt Parochus & teſtes, & amiſſus aut ruptus eſt liber, in quo contrahentes ſcripti ſunt.

Fateor tamen (inquit Sanchez ſup. n. 33.) rarò hunc caſum evenire. Sed ſive rarò, ſive frequenter, quandocumque evenerit, ceſſabit ſcandalum, & conſequenter licitum erit divertere ab habitatione, utpote quod ſolùm illicitum eſt propter ſcandalum, juxtà hanc ſententiam.

126. *Alia probatio ex D. Hier. Sanchez.*

Quæ utique probatur à Sanchio ſup. n. 31. ex D. Hier. ſup. allegato: *Vbicumque fornicatio eſt* &c. *Liberè dimittitur uxor.* Nam (inquit) verbum: *Liberè*, eſt canon latæ ſententiæ, & denotat, nullam requiri licentiam vel ſententiam; arg. Gloſſ. Clement. *Dudum*, de Sepulturis, verbo: *Liberè*, ubi dicit: *Denotat, quod non eſt neceſſe licentiam Sacerdotis parochialis haberi; & ſimile eſt de Præbendis*, Licet Epiſcopus, *lib. 6.*

Reſponſio Averſa.

Reſpondet Averſa q. 23. ſect. 2. §. *Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ*; *Liberè*, intelligitur licitè & ſine peccato; non tamen abſque Eccleſiæ judicio. Conceſſit quidem Chriſtus (inquit ibidem in princip.) divortium viro, ob adulterium uxoris; non tamen conſtituendo ipſum virum tamquàm judicem in cauſa propria, nec excludendo

dendo rationabilem juris ordinem, qui in recta gubernatione Reipub. ſervandus eſt : ſed tradendo regulam, quam Eccleſia ipſa in judicio ſervare debet. Sic ille.

127. *Oppugnatur Primò.* Sed quæro ego : ecquæ iſta regula? An Chriſtus uſpiam tradidit juris ordinem ſervandum in dimiſſione conjugis? Ecqui iſte ordo ? Et ordo juris nonne forum conſcientiæ ſpectat,& non magis forum externum ? Quæritur hìc de foro conſcientiæ, de quo locutus eſt Chriſtus Matth. 5. & 19. ubi concedit dimiſſionem uxoris ob cauſam fornicationis ; dimiſſionem, inquam,etiam quoad habitationem;nec aliam regulam tradit pro hac dimiſſione, quàm pro dimiſſione quoad torum. Igitur ordo, qui ſervatur in jure, ab ipſa Eccleſia præſcribitur pro foro externo.

Secundò. Gratis etiam dicitur, per ly *Liberè*,intelligendum licitè & ſine peccato, non tamen abſque Eccleſiæ judicio ; vel aſſignetur aliquod fundamentum hujus interpretationis. Certè in Bullis Pontificum ſæpiſſimè conceditur, ut liberè & licitè poſſit aliquid fieri : ergo hæc non ſunt ſynonima,ſed diverſam aliquam habent ſignificationem.

128. *Tertia probatio Concluſ.* Et verò, ſi Eccleſia judicat illicitum, divertere ab habitatione conjugis, quæ publicè fornicatur; cur eum, qui jam divertit, non compellit adulteram recipere, donec ipſa ſententiam divortij pronuntiaverit ? Hoc tamen non facit, ut patet ex cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. quod eſt Pelagij Papæ, ubi in fine dicitur : *Si verò omnino eam recipere noluerit* (maritus ſcilicet uxorem, quæ ab ipſo receſſerat,& fornicata fuerat)*in alium quemdam locum, in quo ei non liceat malè vivere,provida eam diſpenſatione conſtitue.* Ubi Gloſſ. verb. *Recipere*, ait : *Non enim erit compellendus eam recipere, cùm alij adhæſerit.*

Cap. 5. 32. q. 1.

Sanè obligatio cohabitandi oritur (ſaltem pro majori parte) ex obligatione reddendi debitum; ergo ubi hæc non perſeverat, ſed pro perpetuo ceſſat ; etiam illa ceſſabit, quæ minor eſt, ſecluſo ſcandalo.

129. *Reſponſio Averſæ.* Reſpondet Averſa ſup. Natura Matrimonij facit, ut poſſit in Republica fieri divortium ob conjugis adulterium:ſed inter homines in Communitate viventes,& ſub Superiorum regimine utique non excludit legitimæ judicialis ſententiæ indigentiam. In ſeparatione, inquam, publica & patenti. Quod eſt manifeſtum diſcrimen inter denegationem debiti,quæ fit inter privatos parietes, & ſeparationem habitationis, quæ fit palàm & publicè.Unde in ipſa etiam mutua obligatione conjugum libera manebat denegatio debiti, non ſervatâ conditione conjugalis fidei : non tamen ſeparatio habitationis, propriâ ſolùm auctoritate abſque ſententia Judicis. Sic ille.

Non ſatisfacit. Non negamus diſcrimen iſtud inter denegationem debiti,& ſeparationem habitationis,quòd hæc regulariter ſit publica, illa autem occulta. Sed ex eo ſolùm ſequitur, quòd regulariter liceat denegatio debiti, quoniam non ſcandaloſa ; ſecùs ſeparatio habitationis, utpote ſcandaloſa. Interim fieri poſſet, ut etiam hæc non foret ſcandaloſa ; vel quia adulterium publicum eſt ; vel ſi occultum, etiam Matrimonium ſit occultum. Cur tunc ſimiliter non licebit ?

230. *Averſa tenet oppoſitum Concluſ.* Attendite Averſam ſup. §. *Explicatur & ſuadetur concluſio*, quæ talis erat : *Per ſe loqueudo non poteſt conjux læſus propriâ auctoritate divortium quoad domum & habitationem facere ab adultero invito ; ſed potiùs ſententiâ Judicis indiget.* Sequitur ejus explicatio. Vel (inquit ille) conjux adulter conſentit quoque divortio, ſeu non reclamat adversùs alterum, qui divertere tentat : & tunc hìc quidem, quantùm eſt ex hoc capite, juſtè & licitè poteſt facere divortium : quia ſcienti & volenti non fit injuria. Vel ille non conſentit, ſed renuit & reclamat, in quo ſanè caſu eſt controverſia : tunc non poterit conjux læſus propriâ auctoritate conjugem delinquentem è domo dimittere vel deſerere.

Probat ex d. cap. 3. Ita apertè habetur ex cap. *Porrò*, de Divort. ubi Pontifex declarat, quemdam , qui uxorem ſuam titulo affinitatis dimiſerat, non potuiſſe abſque judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari, jubens compelli, ad eam recipiendam, quæ reſtitutionem petebat. Imò addit : *Quòd ſi etiam parentela eſſet publica & notoria, abſque judicio Eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit.* Ex quo multò magis id ſequitur in cauſa adulterij : quia cum affinitate irritum erat Matrimonium, & vir non poteſt retinere mulierem, etiamſi velit : at cum adulterio integrum permanet vinculum Matrimonij, & maritus liberè poteſt uxorem retinere, ſi velit.

131. *Probatio ex ratione. Prima.* Et ratione ſuadetur : quia actio dimittendi aut deſerendi eſt ex genere ſuo actio publica, & ad externam gubernationem pertinens ; ac proinde non ſine perturbatione Reipublicæ à privato quopiam propriâ auctoritate uſurparetur. Et eò magis;quia Matrimonium per ſe coram facie Eccleſiæ contrahitur, quæ quidem ſolemnitas ex Decreto Concilij eſt neceſſaria ad valorem ; ſed etiam antea ex ſacris Canonibus erat injuncta ſub præcepto : igitur divortium quoad publicam ſeparationem, non niſi ex judicio Eccleſiæ fieri debet.Habet etiam divortium alios publicos effectus ; utpotè facultatem ingrediendi Religionem, acquiſitionem dotis, quando vir facit divortium ab uxore adultera, reſtitutionem dotis, quando uxor facit divortium à marito adultero. Quos effectus utique non niſi per ſententiam Judicis obtinere poteſt, qui divortium ab altero invito facere vult.

Secundò. Prætereà : vel adulterium erat occultum, vel notorium. Si erat occultum, eò magis non debet, nec juſtè poteſt conjux læſus propriâ auctoritate publicè alterum dimittere vel deſerere; quia id moraliter ſine ſcandalo populi,& infamia alterius non contingeret, dum Matrimonium erat notum & publicum.

132. *Evaſio præcluditur.* Nec juvaret, in partes longinquas & regiones remotas aufugere : quia id ſolùm faceret, ut fugiens evaderet moleſtias & vexationem propriam : non autem ut vitaret dictum ſcandalum & infamiam in ipſa patria. Quod ſi Matrimonium fuiſſet clandeſtinum,& ſemper permanſiſſet occultum, & nec tunc poſſet coram facie Eccleſiæ demonſtrari : hic caſus magis mente fingitur quàm

quàm in praxi occurrat. Nam & ante Decretum Concilij, & in locis, in quibus non est receptum, saltem ex præcepto Ecclesiæ, debet ac solet esse notum, & in libro descriptum.

Probatur 3. Sed & si contingeret, esse prorsùs occultum; sufficere videtur, ex conditione sua, & communi institutione non solùm Ecclesiæ, sed & cujusque Reipublicæ, esse debere ac solere publicum, ut nulli liceat ob occultum conjugis delictum sibi jus dicere, ac totale divortium facere. Undè etiam si quis certus apud se de alterius delicto non haberet copiam testium & probationum in judicio, vel facilem aditum apud Judicem ad obtinendam sententiam; neque per hoc posset per se exequi, quod ad Judicis spectabat officium: sicut nec posset in plectendis alijs injuriis sibi illatis.

133. *Quarta probatio.* Si deindè adulterium erat publicum, erit magis facilè, ut in judicium deducatur, & per legitimas probationes divortij sententia à Judice obtineatur. Ipsa verò publicitas facti non per hoc præbet jus conjugi læso, ut propriâ auctoritate sibi sententiam ferat, & in facie Reipub. delinquentem è domo expellat, vel recedendo divortium faciat.

Etiamsi, inquam, factum sit ita notorium, ut nullâ possit tergiversatione celari: quia hoc ipsum debet in judicio demonstrari, dum scilicet alter, non obstante publicitate, reclamat, nec separationi consentit: quia sanè adhuc oportet, ut per officium Judicis compescatur, & plectatur, ac divortij pœnam subire cogatur: & interim potiùs Judex conjugem illum compellere debet, ut alterum in consortio retineat, donec divortij sententia proferatur.

134. *Loquitur hìc Auctor in casu, quo adulter non consensit.* Quòd si conjux delinquens ad vitandam in judicio majorem infamiam non reclamet, sed sponte in divortium consentiat; tunc quidem conjux læsus licitè & justè ab eo separari potest: idque non solùm, si adulterium sit notorium, sed etiam si sit occultum. Qui tamen consensus faciliùs continget in facto publico, & præsertim ita notorio, ut nullâ possit tergiversatione celari.

Et hac fortasse ratione dixerunt Aliqui, quando adulterium est publicum, aut ita notorium, posse conjugem læsum ex se divortium facere, non reclamante scilicet altero, qui conscius sui statûs non curat condemnationem in judicio expectare. Hucusque Aversa. Quæ longiùs volui referre, quia benè explicant præsentem controversiam, & sententiam hujus Auctoris, & Aliorum plurium, quos ipse ibi citat §. *Secundò dicendum est*, & Sanchez sup. n. 11.

135. *Pro hac sententia citatur Gloss. d. cap. 3.* Ac primo quidem loco inter Jurisperitos citatur Gloss. cap. *Porrò*, de Divort. verb. *Separari*, ubi sic ait: 33. *q.* 2. Sæculares, 35. *q.* 6. Multorum. *Et est ratio quare; quia sententia divortij pœna est, & pœna non est inferenda, nisi a Iudice*, 33. *q.* 2. Interfectores, §. *In hoc.*

Rejicitur ejus ratio. Sed ad hanc rationem sup. sufficienter responsum fuit, scilicet, divortium non esse pœnam, neque innocentem propriè sibi dicere jus divertendo. Porrò d. cap. *Sæculares*, loquitur de illis, *qui conjugale consortium nullâ graviori culpâ dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidij probabiliter proponentes propterea sua Matrimonia dimittunt, ut aut illicita aut aliena præsumant.* Hìc autem agimus de illis, qui moraliter certi sunt de adulterio conjugis, quam vel quem dimittunt, potestate sibi à Christo factâ, non ut illicita aut aliena præsumant, sed ad imposterum continenter vivendum. *Resp. ad 1. jus. quod allegat.*

Similiter cap. *Multorum*, loquitur de ijs, qui propriâ uxore dimissâ, volunt adhærere alteri. *Multorum relatione* (inquit Alex. Papa II.) *cog novimus, te propriam velle abjicere uxorem, & adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem.* Quam causam meritò sibi reservavit Ecclesia, ut sup. diximus, etiam quando est manifesta; quantò magis, quando est dubia, aut probabilis tantùm? Utique propter periculum continui adulterij, quod consequitur aliud Matrimonium; aut certè, quia secundùm Matrimonium auctoritate Ecclesiæ celebrabitur. Quæ non habent locum in causa adulterij, ut patet. Et ideò perperàm Aversa sup. ait: decisionem cap. *Porrò*, magis obtinere in causa adulterij. 136. *Explicatur 2. jus.*

Igitur propter hanc Glossam non est adhærendum sententiæ illius Auctoris; ut omittam, cap. *Porrò*, & similia de foro externo commodè posse intelligi: hìc autem loquimur de foro conscientiæ, quando scilicet causa nondum deducta est ad Judicem externum, & dimissio potest fieri sine scandalo; quia non est periculum, quòd causa ad forum externum deducetur à parte dimissa, quæ sibi conscia non audet resistere. *Propter hanc Glossam non est adhærendum huic sententiæ.*

Neque hoc negat Aversa, ut sup. audivimus. Ex quo sic argumentor: divortium non minùs est pœna, dum infligitur parti consentienti, quàm reluctanti; sed dum pars consentit, non requiritur sententia Judicis; ergo neque dum reluctatur. Nunquid quia homicida libenter vult subire mortem pro delicto commisso, ideò non requiritur sententia Judicis, ut justè occidatur? Patet, quòd requiratur. Ergò si divortium est propria pœna adulterij, quàmvis adulter, aut adultera consentiat, adhuc necessaria erit sententia Judicis, quod tamen negat Aversa. 137. *Oppugnatur doctrina Aversæ. Primò.*

Deindè quæro: actio dimittendi volentem, nonne & ipsa publica? Cur ergò magis liceat hæc ratio propriâ auctoritate, quàm actio dimittendi nolentem? Et si Matrimonium, quod contrahitur in facie Ecclesiæ, potest separari propriâ auctoritate, partibus consentientibus, cur non etiam unâ parte dissentiente, ubi & quando debet consentire? Censen', quòd propter consanguinitatem possent mutuo consensu separari sine judicio Ecclesiæ, & transire ad alias nuptias? *Secundò.*

Dices: parte reclamante, Ecclesiæ est, eam audire, & secundùm allegata & probata condemnare, vel absolvere. Respondeo: non tantùm in causa separationis habitationis, sed etiam negationis debiti; & tamen negatio debiti licet propriâ auctoritate, secluso scandalo; ergò & separatio habitationis. Vel si non licet hæc separatio, neque illa negatio, quando pars non consentit, & sine dubio ad judicium provocabit negan- 138. *Defenditur, sed minùs benè.*

negantem; quem etiam coget Ecclesia ad reddendum, nisi incontinenti probet adulterium, de quo statim plura.

Sententiam Aversæ videtur docuisse S. Bonav.

Interim sententiam Aversæ priùs videtur docuisse D. Bonaventura sup. ubi verbis præallegatis continuò subjungit: *Si autem loquamur de separatione secundo modo* (putà habitationis) *sic dicitur divortium; & hoc, quia est in manifesto, non debet fieri in occulto, sed in facie Ecclesiæ: & quia Matrimonium est magnum Sacramentum, non sub quocumque Iudice, sed coram Episcopo.* Probat cum Glossa sup. per cap. *Seculares*, ad quod jam responsum fuit. *Et iterùm* (inquit) *in eadem q. Nicol. Papa: Non licet alicui suâ auctoritate uxorem suam dimittere.*

139. *Perperam pro ea citatur Nicol. Papa.*

Sed, pace ipsius, hæc non sunt verba Nicol. Papæ. Quæ ergò? *Interfectores suarum conjugum sine judicio, cùm non addis, adulterarum, vel aliquid hujusmodi, quid aliud habendi sunt, quam homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi?* Quod verissimum est, tametsi addas: *Adulterarum vel aliquid hujusmodi*, ut notat Gloss. ibi, verb. *Adulterarum*, dicens: *Maxime; quia nec tunc licet.* Ratio in promptu est: quia mors adulteræ est pœna proprie dicta, utì & amissio dotis, & similia, quæ ex particulari Decreto Ecclesiæ adulteris in pœnam delicti constituta sunt; ac proinde sine judicio Ecclesiæ infligi non possunt ab innocente; sed opus est sententiâ Judicis. Jam autem in nostro casu ipse Christus sententiam tulit, & ideò non indiget ulteriori judicio.

An Christus in nostro casu tulerit sententiam.

Negant D. Bonav.

Respondet D. Bonav. sup. n. 17. *Quod falsum est: quia non tulit sententiam, sed expressit; & secundùm illud jus Episcopo potestatem sententiandi dimisit.*

Et D. Thom.

Eodem modo respondet Doct. Angel. sup. ad 1. *Sententia* (inquit) *est applicatio juris communis ad particulare factum: unde Dominus jus promulgavit, secundùm quod sententia in judicio formari debet.* Sed quis nō videt, idē posse dici de negatione debiti?

140. *Pro nostra sententia adducitur Script. Mat. 1. Ioseph. &c. Resp. D. Bonav. Et D. Tho.*

Si objicias his Doctoribus, quod habetur Matth. 1. *Ioseph vir ejus* (Mariæ) *cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Respondet D. Bonav. *Quod non est simile: quia tunc propter fornicationem non fiebat divortium, sed homicidium: & Ioseph, tamquam pius, timebat mortem Mariæ.*

Doct. autem Angel. sup. ad 2. ait: *Ioseph non volebat Virginem dimittere, quasi suspectam de fornicatione, sed ob reverentiam sanctitatis ejus, timens ei cohabitare.*

141. *Postrema non placet Sanchio.*

Sed hæc excusatio non placet Sanchio sup. n. 36. Quoniam, inquit, videtur ex ipso contextu literæ colligi, noluisse Joseph ob reverentiam; sed ob adulterij suspicionem recedere. Quoniam Angelus, excusans Virginem, & suadens Iosepho, ne recedat, eâ utitur ratione: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quòd si Ioseph, reverentiâ adductus Virginis, eam deserere statuisset, ob eam rationem, quòd fœtus de Spiritu sancto conceptus sit, ad majorem reverentiam induceretur; ac proinde fortiori ratione pararet recessum. Atque ideò ex suspicione adulterij, animum recedendi subortum esse, testantur D. Chryst. Aug. & Alij. Undè meliùs excusatur Ioseph à culpa, eò quòd occulta erat dimissio, quæ licita est in foro conscientiæ. Ita Sanchez.

Hinc S. Tho. non contentus primâ illâ responsione, addidit secundam, eamdem utique cum responsione Doct. Seraphici. Porrò Aversa sup. §. *Ad fundamentum secundæ sententiæ*, dicit: Sanctum Iosephum id voluisse facere, ut ejus famæ consuleret, existimans eam in hoc consensuram, donec ab Angelo fuit admonitus & edoctus.

Quid respondeat Aversa ad d. Script.

Igitur exemplum S. Ioseph non convincit 142. *Exemplum Ioseph non convincit.* propositum; ut puta, dimissionem quoad habitationem propriâ auctoritate sine judicio Ecclesiæ esse licitam: quod videntur negasse D. Bonav. & D. Tho. locis suprà citatis. Quos sequitur Pontius lib. 9. c. 18. n. 6. si crimen nullatenùs possit probari. Ejus potissima ratio est: Quia (inquit) ex, quæ prohibet separationem conjugum, etiam fornicationis causâ, ante probationem & Ecclesiæ judicium data est jure optimo, ut occurratur hominum malitiæ, iniquitati & fraudi. Cumque ejusmodi leges in præsumptione fundentur, & præsumptiones ut plurimùm non deficiant; nec cessat earum obligatio, etiamsi in aliquo particulari casu deficiat præsumptio & ratio legis. Quare istæ leges etiam obligant in conscientia eum, qui adulterij cognitionem habet, & probari non potest, quia est occultū, ut tutâ conscientia separare habitationem non possit. Sic ille.

Ratio Pontij pro sententia Aversa.

Sed quæ istæ leges? Non aliàs affert, quàm prædictas jam satis discussas; hæ autem, sicut dixi, commodè intelligi possunt de foro externo, in quo adulter, propriâ auctoritate dimissus ab innocente, si restitutionem petat, ad habitationem restituetur: nec admittetur exceptio innocentis, opponentis adulterium occultum, donec ad priſtinum statum restituatur conjux dimissus; quâ restitutione factâ, agetur de illa exceptione, & probato adulterio, divortium celebrabitur. Quòd si in probatione defecerit, innocens cogetur in Matrimonio perseverare. Ita Sanchez sup. n. 14.

Leges, quas allegat, possunt intelligi de foro externo.

Atque hanc restitutionem ante omnia faciendam esse, deciditur cap. *Ex conquestione*, de Restit. spoli. in fin. *Mandamus, quatenus si est ita, mulieri virum restitui faciatis, quæ post appellationem ipsius acta sunt, in irritum revocantes: postmodum super Matrimonio causam audiatis, & fine canonico terminetis.* 143. *In eo restituitur adulter dimissus, donec adulterium sit erit probatum, per cap. 10. & 13. de Rest. spol.*

Et cap. *Literas*, eod. ibi *Propterea melius videtur, quod cùm opponitur consanguinitas (præsertim in gradibus Divina lege prohibitis) & probationes efferuntur incontinenti paratæ, in cæteris* (præterquam ad copulam, propter periculum peccati) *adjudicanda sit restitutio..... Quòd si non habeat probationes incontinenti paratas, sed dilationes expectat longiores (quia præsumitur contra eam, quæ sine judicio Ecclesiæ suâ tantùm temeritate recessit a viro) ad restitutionem plenariam Ecclesiastica debet censurâ compelli.*

Ergò similiter mulier, quæ suâ temeritate, id est, propriâ auctoritate recessisset ab adultero, nisi incontinenti paratas haberet probationes adulterij, ad plenariam restitutionem compelli deberet; immò tametsi haberet paratas; quia hîc non est periculum peccati; cùm reverâ sint conjuges, & copula inter eos licita. Ita docet Sanchez sup. n. 22. Sanchez.

144. *Intellige, nisi adulterium foret notorium, per c penult. de Adult.*

Intellige : nisi adulterium, propter quod recessit, foret notorium ; arg. cap. penult. de Adult. ibi : *Quocirca mandamus, quatenùs (nisi tibi constiterit, vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterij etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem. Quod si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit (nisi testes, per quos viri adulterium est probatum, fuerint reprobati, cùm Matrimonij jus in utroque læsum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur) nihilominùs eum cogas, ut eam recipiat, & maritali affectione pertractet : alioquin mulieri silentium imponere non postponas.*

Ubi Gloss. in expolit. casûs, inquit : *Mulier petens restitutionem mariti, repellitur per exceptionem adulterij manifesti : nisi & ipse vir adulteratus fuerit, & probetur.*

145. *Idem statuitur cap. 4. de Divort.*

Idem statuitur cap. *Significasti*, de Divort. ibi : *Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet: nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* Ubi Gloss. verb. *Si notorium*, interrogat : *Quid si occultum est, & in modum exceptionis objiciat ei illud adulterium petenti restitutionem ? Dico, quod non auditur, quousque fuerit restituta.*

Quod hîc sit adulterium notorium.

Sed quod, interrogat quispiam, vocas adulterium notorium ? Respondeo ex d. cap. penult. quod constat, *vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris.* Tunc autem constat per evidentiam rei, juxtà Gloss. ibi, verb. *Evidentiam*, Quando *publicè fuit fornicata, vel filium inde habet testem*, 28. *dist.* Priusquam, & *sup. de Divort.* Significasti.

146. *Quæ dicatur publicè fornicata, ex Abbate. Primus modus.*

Quam Glossam ibi explicans Abbas, ait: Non capias strictè verbum, *Publicè* ; scilicet, quòd omnibus videntibus sit prostituta ; sed intelligitur, quòd recedens à marito suo adhæsit publicè cuidam concubinario : nam convincitur publicè de adulterio, ex quo in domo habet alienum virum, in mensa, & lecto &c. ut in cap. fin. & cap. *Tua*, de Cohabit. Cleric. & mulie. Item posset convinci de publicitate, si passim admittebat viros ad eam causam adulterij. Facit l. *Palam*, de Ritu nupt. Sic ille. Loquitur porrò de primo modo probandi adulterium manifestum.

Secundus.

De secundo autem, scilicet : *Vel filium inde habet testem*, dicit : Intelligo hunc casum, quando tanto tempore stetit separata à viro, quòd non potuisset concipere à marito : ut quia nunc peperit, & est annus, quo à marito recessit, vel maritus ab ea, tunc apertissimè probatur adulterium, ut l. *Filium*, ff. de His qui sunt sui vel alieni juris ; & ita intelligo istam Glossam. Nam si in domo mariti secum cohabitantis peperit filium, tunc præsumitur filius mariti, etiamsi probaretur, quod tempore conceptionis adulterabatur pariter cum quodam alio ; quia ex quo eodem tempore pariter cognoscebatur à viro, & ab adultero, debemus favore filiorum præsumere, eum filium mariti, & quia in dubio debemus facere benignam interpretationem. Hucusque Panormitanus.

Atque hæc de evidentia rei, quæ tamen non est hîc necessaria ad notoreitatem, sed sufficit legitima confessio mulieris. Et quæ illa ? Gloss. verb. *Confessionem*, inquit : *Factam in jure, ut sup. de Cohabit. Cler. & mul. cap. ult.* sequentis tenoris : *Quæsitum est de Clericis in fornicationem prolapsis, si eorum sit officium, priusquam pœnituerint, audiendum. Verùm etsi quemlibet pro mortali peccato quoad seipsum constet esse suspensum ; non debet tamen in officijs evitari ; quia quantùm ad alios, etiam in casu proposito, suspensus non est : nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non posit.*

147. *Quæ hîc sit legitima confessio mulieris.* Cap. ult. de Cohabitatione &c.

Sed nunquid hæc confessio necessaria, ut adulterium possit & debeat dici notorium, de quo in cap. *Significasti* ? Ita videtur sentire Aversa sup. §. *Potiùs ergo*, ut ita concludat, d. cap. ejus sententiæ non officere. *An sit necessaria ad notoreitatem.*

148. *Affirmat Aversa.*

Hæc sunt ejus verba : Potiùs ergo fatendum est, ex quocumque capite non licere, nec debere permitti, ut privatâ auctoritate separatio fiat: eo autem capite, *Significasti*, decidi ac declarari id, quod auctoritate Judicis faciendum est: nempè, quòd si in judicio constet mulieris adulterium, non debet vir cogi ad eam recipiendam ac retinendam. Et sic intelligitur : *Si notorium est*, scilicet in judicio per legitimam probationem vel partis confessionem. Ut planè in eo casu mulier fatebatur quidem suum adulterium, sed excusabat se, refundendo culpam in virum. Et potiùs agebat judicio petitorio, & non solùm possessorio, postulans declarari, non adesse causam divortij ; *Asserens, se a viro injustè dimissam, & eumdem sibi materiam adulterandi dedisse*; quia scilicet expulsa fuerat à viro. Pontifex autem meritò definivit, declarari debere, adesse causam divortij, si per confessionem mulieris constabat de adulterio : quia non ei sufficiebat illa excusatio, nisi ex alia parte pariter constaret de simili viri adulterio. Sic ille.

Sed gratis.

Sed gratis asserit ; quòd debeat esse notorium per legitimam probationem, vel partis confessionem in judicio : etenim ly, *In judicio*, ibi non exprimitur ; & alibi notorium dicitur, quod constat per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliquâ celari non possit. Jam autem in d. cap. adulterium ita evidens erat, scilicet ex sobole, quam susceperat de alio viro, postquam dimissa fuerat. Undè impertinens erat confessio mulieris ad hoc, ut vir cogi non deberet ad eam recipiendam.

149. *An ex d. cap. 4 de Divort. benè probetur nostra sententia ? Arguitur quòd non.*

Estò, dicet aliquis ; haud equidem satis clarè video, quomodo ex eo textu probetur, dimissionem propriâ auctoritate esse licitam in foro conscientiæ. Nam qui dimiserat sine judicio Ecclesiæ, *Vinculo fuit propter hoc excommunicationis astrictus*, ut ibi dicitur : excommunicatio autem supponit delictum, & quidem grave.

Et quid mirum, quod graviter peccaverat, qui dimiserat sine morali certitudine ? Nam dicitur dimisisse solùm pro eo, quod suggestum sibi fuerat ; non autem quælibet suggestio facit moralem certitudinem, ut patet ex ante dictis.

Neque

Neque negata fuit restitutio propter adulterium, quod præcesserat spolium; sed propter istud, quod fuerat subsecutum, & constabat ex evidentia rei.

150. *Respondetur ad arg.* Admitto: sed quia propter illud negata fuit, liquet profectò, quòd propter id ipsum licitè & justè potuit dimitti: alioquì, quo jure fuisset negata restitutio? Planè, inquis, potuit dimitti judicio Ecclesiæ, & ideò judicio Ecclesiæ negata fuit restitutio, cùm alioquì debuisset eam recipere.

Utut sit de hoc jure, quod explicatu difficile est; ex eo non pendet veritas hujus sententiæ, ut patet ex dictis; quia loquitur de foro externo, in quo, ut habet Conclusio nostra, restituetur adulter; nisi crimen fuerit notorium, id est, nisi constiterit per evidentiam rei, vel legitimam ejus confessionem.

151. *Quæ ex his sententijs sit probabilior. Judicium Herinx.* Habes Lector fundamenta utriusque sententiæ, verè probabilis, tum ex ratione, tum ex auctoritate. Quæ sit probabilior, quis nobis edisseret? Herinx 4. part. tract. 5. disp. 7. n. 54. ait. In foro conscientiæ per se loquendo non requiritur probabilius sententia Judicis, præsertim, quando adulterium est notorium. Ratio ejus est sup. assignata, putà: quia factultas illa involvitur in natura contractûs Matrimonialis; adeoque sicut ab aliis contractibus, sic & ab hoc quoad torum & habitationem resilire licet privatà auctoritate, dum non servantur conditiones præfixæ. Nec ullo jure præscribitur sententia Judicis. Et n. 55. idem docet de adulterio occulto, propter eamdem rationem.

Occurritur objectioni. Nec refert (inquit) quòd hujusmodi separatio sit res publica: nam similiter publica est separatio servi à Domino; & tamen potest alteruter resilire propriâ auctoritate, si pars non stet conditionibus. Similiter à sponsalibus, & alijs pactis potest quis justa de causa resilire propriâ auctoritate. In casu verò, quo pars reclamat, patet ei via juris, quoad probandum defectum causæ; non autem quoad hoc, quòd dimissio sit facta indebitè, ob non præviam sententiam Judicis.

152. *Satisfit alteri argumento.* Quod autem scandalum attinet, id pari omninò ratione locum haberet in casu, quo divortium fieret ex consensu occulti adulterii: tunc enim Alij quoque admittunt, non requiri sententiam; & tamen pariter concurrit publicitas ipsius separationis, & causa scandali. Cui sicut tunc, sic etiam in casu Conclusionis obviari posset seu deberet. Idemque per accidens locum similiter habere posset in sponsalibus, aliisve pactis publicè celebratis. Etsi autem sententia foret necessaria, quando scandalum grave non posset aliâ viâ evitari, id esset per accidens, nec à nobis negatur. Fateor tamen, viam istam esse ordinariè tutiorem, & in foro externo solere exigi sententiam, saltem quando pars contradicit, ac interim manere rem in pristinis terminis. Hactenùs præfatus Auctor.

153. *Rejicitur quædam limitatio nostræ doctrinæ, ex Sanchez.* Illud tantùm addo: non esse audiendos, qui limitant hanc doctrinam: si non esset facilis aditus ad Iudicem. Quia (ut notat Sanchez sup. n. 32.) numquam est facilis aditus ad Judicem. Cùm enim in rebus Ecclesiasticis tres conformes sententiæ desiderentur, diu durant, magnisque sumptibus opus est, ac litis exitus ignoratur; & dum ea durat, cogetur innocens reddere debitum & cohabitare, & renuens excommunicabitur. Sic ille.

Et quàmvis excommunicatio in conscientia non obliget, ut sup. diximus; equidem in foro externo, ad evitandum scandalum, deberet se gerere pro excommunicato. Porrò ad hæc non videtur innocens obligandus; eo semper salvo, ut sit moraliter certus de crimine commisso, & scandalum evitetur.

154. *Licet viro suspicanti adulterium observare uxorem, ex Sanchez. Probatur ex ratione.* Si autem à me quæritur: an liceat viro suspicanti adulterium uxoris, ipsam observare, ut sic reddi queat moraliter certus? Respondeo affirmativè. Quoniam (inquit Sanchez sup. n. 52.) id non est ejus peccato connivere; sed uti ejus malitiâ ad proprium commodum. Secundò; quia aliud est negare, consulere, vel jubere malum, quod numquam licet: & aliud permittere, seu non auferre mali occasionem, quod aliquando licet ob aliquod majus bonum. Sicut Deus mala permittit ob majus bonum. Ita D. Thom. sup. ad 4. *Dicendum* (inquit) *quod quandoque vir uxorem suspectam habens, ei insidiatur, & deprehendere eam potest cum testibus in crimine, & sic potest ad accusationem procedere.*

155. *Probatio à simili.* Simile est in parentibus & dominis, qui filijs vel famulis non auferunt aliquam furandi occasionem, cùm eos ad furandum propensos nôrunt, ut sic in furto deprehensi resipiscant. Confert etiam, quod docet Navar. Sum. c. 27. lat. n. 123. Hisp. n. 124. ubi sic scribit: Vigesimò nonò peccat custos, qui se abscondit, ne videatur ab iis, qui talia loca prohibita ingredi volunt, ut ingressios intercipiat, aut puniri faciat, secundùm Aliquos, quorum opinio dura nobis videtur, saltem quoad eos, qui permittunt ingredi, quò semel deprehensi iterùm ingredi caveant: nec sinunt eos inferre damnum notabile in locis ejusmodi prohibitis. Tum per ea, quæ diximus in cap. *Inter verba.* Tum; quia oppositum omnes ferè custodes faciunt, idque ab omnibus scitur, & ita nemo se deceptum dicere potest. Sic ille.

156. *An liceat dare occasionem uxori adulterandi. Affirmat Pet. Navar. Negat Em. Sa.* Sed nunquid etiam licet eo fine offerre occasionem uxori, ut adulteretur, vel filijs aut famulis, ut furentur? Pet. Navarra lib. 3. de Rest. c. 4. p. 1. dub. ult. in nova edit. n. 104. id concedit. Sed meliùs (inquit Sanchez sup. n. 53.) Em. Sa verb. *Peccatum*, n. 7. id negat, dicens: Quidam putant licere, occasionem alicui præbere peccandi, ut furandi, quò deprehensus emendetur; ego id facere non ausim. Permitti quidem possunt peccata minora, ut vitentur graviora; sic enim permittitur meretricium, ne fiant adulteria: at dare peccandi occasionem ex professo, non puto licere. Sic ille. Quia (inquit Sanchez) id non solùm est permittere; sed cooperari & positivè concurrere. Quare non video, quâ ratione id excusari valeat.

Pars negans probatur ex Sanchez.

157. *Quâ ratione* Eâ, reponit quispiam, ratione, quâ caupo diebus jejuniorum potest hospitibus apponere carnes;

ne possit sustineri pars affirmans.

carnes, quando id sine gravi suo incommodo non potest negare. Ratio autem est : quia illa appositio est actio indifferens; quòd autem hospites malè eâ utantur comedendo carnes, à qua comestione possunt & debent abstinere, non cauponi imputandum est, qui mallet, quòd non comederent, sed ipsorum malæ voluntati, quam ille sine gravi suo incommodo non potest impedire; & ideò non censetur talis appositio cooperatio ad peccatum ; sed tantùm permissio,quæ in multis casibus licet.

Cur ergò eâdem ratione non liceat uxori, amasio ejus castitatem violare tentanti concedere tempus & locum, non ut adulterium perficiat, à quo summè abhorret ; sed ut in crimine deprehendatur à viro ; & sic emendetur, & ipsa ab ejus molestijs liberetur? Quippe dare tempus & locum res indifferens est,quâ alter potest benè & malè uti ; quòd autem velit malè uti, non est concedenti imputandum, quæ mallet, quòd malam voluntatem deponeret ; & ideò talis concessio temporis & loci non est consensus, sed mera permissio.

158. *Hæc pars, confirmatur exemplo S. Bernardini.*

Nonne S. Bernardinus mulieri ipsum invitanti ad peccatum adulterij, à quo summoperè abhorrebat , cùm videret se aliâ viâ commodè non posse evadere, dixit : *Si ita vellet, ut protinus se denudaret* ? Quis propterea arguit ipsum de peccato? Non enim hoc dicebat consentiendo ipsius malæ voluntati ; sed ut eam verberibus emendaret, & sic ab ejus improbitate se expediret, uti etiam fecit. Undè Historia vitæ ejus. c. 23. *Non neglexit Deus preces servi sui : suggessit mox consilium, ut diceret mulieri, si vellet ita fieri, ut se vestibus nudaret.* Censes autem, Deum suggessisse consilium peccati? Scio,quod non censeas.

159. *Aliud factum ejusdem Sancti ad hoc propositum.*

Atque idem Sanctus, adhuc sæcularis juvenis existens,cum quodam tempore ab improbo cive ad turpia sollicitaretur, rogavit quosdam suæ ætatis honestos adolescentes, ut sibi essent adminiculò, quò ab illius scelesti hominis vexatione se exueret. Communicato autem inter ipsos consilio, monet eos, ut lapides sibi colligant. Deinde inquirunt hominem illum ; quem cùm invenissent loco parùm opportuno, Bernardinus jussit eos dare operam, ut posset aliò pertrahi. Ut autem miser ille vidit Bernardinum, nefandâ cupiditate commotus multos ei aureos ostendit, ut alliceret pudicissimum adolescentem. Tum ille annuit, ut è platea excederet. Quod cùm ille fecisset, illicò exclamat Bernardinus ; *Inique, sceleste,flammis exurende : ad eum, ad eum, ad eum,* simulque illum percutere cœpit. Mox socij ejus adjungunt voces suas, pariterque lapides in eum conjiciunt.Hucusque Historia vitæ ejus, c. 5.

Et putas, Bernardinum in hoc actu peccasse ; quia concessit locum improbo, non animo turpi, sed verberibus eum castigandi ? Si Sanchez hæc legisset, & debitè expendisset; fortè nobiscum sensisset, & excusasset à peccato uxorem, quæ tempus & locum concedit volenti adulterare , ut sic in crimine deprehendatur, & emendetur.

Nunc autem oppositum docet sup. n. 54. contrà plerosque (ut ipse fatetur) qui ducuntur ex l. *si quis servo*, Cod. de Furtis, ubi habetur, servo requisito ab aliquo de furto committendo, ipsoque nuntiante domino, & de consensu ejus portante res aliquas domum persuadentis, ut hic in furto deprehenderetur, dari contrà persuadentem actionem furti : ubi lex videtur supponere, actionem servi, & pactum cum domino initum licita fuisse. Aliàs cùm de consensu domini res accepta sit, minimè actio furti daretur.Sic Paulus eâ leg.notabili 1.EtAlij,quos ibi citatSanchez

160. *Confirmatio aliera ex l. 20. Cod. de Furtis.*

Responsio Sanchez.

Respondet autem ipse : Doctores hi non tractant de foro conscientiæ: dicunt enim id licere, ad injuriâ afficiendum adulterum, aut furti suasorem. Quod in foro conscientiæ illicitum esse constat. Sed mens textuum & DD. est,ut consensus ille non sit legitimus & sufficiens,ne suadens furtum possit de furto, & adulter ille de adulterio intentato accusari. Undè in foro conscientiæ id pactum illicitum esse censeo. Non enim est mera permissio, dum uxor connivet adulterium molienti;sed est consensus. Ea enim verba sufficerent ad acceptationem cujuscumque donationis, aut legati, aut muneris sibi adjuncti. Permissio enim est actus voluntatis circà negationem, id est, circà non impediendum : ut, referens modos permissionis, tradit D. Tho. 4. dist.33.q.2.a.2. quæstiunc.2 corp.Hę Sanchez.

161. *Rejunm.*

Sed jam sup. ostendimus,non esse consensum in adulterium ; sed in actum indifferentem,scilicet accessum ad talem locum, vel in tali tempore, qui accessus res indifferens est ; & ideò non est illicitum, inire pactum cum uxore, ut amasio conniveat,concedendo tempus & locum, si velit adulterari. Ita nobis videtur. Tu cogita, an rectè. Et transi mecum ad aliquot casus, in quibus propter adulterium non licet celebrare divortium. Primus est, si quis fornicetur seu adulteretur sine culpa, pro quo instituitur

CONCLUSIO IV.

Oportet adulterium sit formale respectu conjugij, cujus petitur divortium.

162. *Ex sola formalitate culpabili, fit divortium.* S. Bonav.

INcipio à verbis Doct. Seraphici 4. dist. 35.q. 1.in corp. *Concessit Dominus divortium fieri,hoc exigente æquitate juris matrimonialis, quod surgit ex hoc,quòd alter injuriatur alteri culpabiliter,subtrahendo jus,quod habebat in corpore,sine injuria alterius:unde non ex quacumque fornicatione fit divortium;sed ex ea, quæ est culpabilis, & singularis in altera personatum.* Hic tractamus de fornicatione culpabili , infrà acturi de fornicatione singulari.

Si ergo (prosequitur D. Bonavent) *fornicetur sine culpa,utputa per violentiam,vel per ignorantiam, cùm credit alium, cum quo coit, esse virum suum, aut credit virum mortuum, & contrahit cum alio, ex tali non fit divortium.*

163. *Debet esse*

Oportet igitur adulterium sit formale,id est, culpabile seu peccaminosum; idque graviter, ut advertit

graviter culpabilis. Castro.

advertit Castro lib. 2. de Leg. pœnali, c. 4. §. *Vt nostram*, ibi: Sed quia fornicatio aut adulterium dicitur esse causa, propter quam uxor potest à viro dimitti, oportet talem esse fornicationem, quæ culpa & non parva, sed mortalis meritò censeri debeat. Nam si absque culpa sua mortali fornicata fuisset, injustum esset, illam tam gravi pœnâ punire. Sæpè enim contingere potest, ut mulier nupta sine culpa sua, præsertim mortali, ab altero viro cognoscatur, & sic adulterium, quantùm ad substantiam actûs, committat. Quoties igitur id contigerit, non poterit maritus eam à toro repellere; præsertim si illa se à culpa immunem ostenderit, ita Alphonsus. Quem sequitur Sanchez lib. 10. disp. 5. n. 11.

Sanchez.

Probatur ex ratione.

Siquidem debet esse proportio inter culpam & pœnam. Et quàmvis divortium non sit propriè pœna, ut habet communior sententia, contra Castro; equidem eam imitatur, cùm sit incommodum aliquod seu nocumentum proveniens ex culpa; cùm ergo sit gravissimum nocumentum, requiritur, ut & culpa, si non gravissima, saltem gravis sit sive mortalis, ut aliqualis sit inter ea proportio; ne meritò conjuges conqueri possint de nimio suo gravamine.

164. *Prima causa excusans à peccato est violentia, cap. 3. 32. q. 5. ex D. Aug.*

Porrò ex pluribus causis fieri potest, ut adulterium non sit formale, sive peccatum mortale injuriæ contrà fidem conjugalem. Prima apud D. Bonav. sup. est violentia, de qua scriptum habemus apud D. Aug. de Civit. Dei lib. 1. c. 18. & refertur c. 3. 32. q. 5. *Quis sanâ mente putaverit, se perdere pudicitiam, si forte in apprehensa & oppressâ carne suâ exerceatur & expleatur libido non sua.*

Ubi Gloss. verb. *Putaverit*, inquit: *Arg. quod non debet dici quis perpetrasse, quod nolens fecit, vel passus fuit: nec debent imputari, quæ per coactionem absolutam fiunt.* Ergo adulterium per coactionem absolutam, seu violentiam factum non debet imputari ad divortij pœnam, non solùm quoad separationem habitationis; sed nec etiam licebit negare debitum. Siquidem (inquit Aversa q. 23. sect. 3. §. *Primo contingere potest*) nec per viam pœnæ, nec per viam conventionis, debet habere locum hæc privatio, ubi non est culpa. Et ita omnes docent. Sic ille.

Aversa.

165. *Quia si uxor oppressa complacentiam habuerit?*

Sed quid, si uxor oppressa complacentiam habuerit? Respondet Aversa ibidem §. *Contingit autem*: Nec etiamsi mulier ex vehementia voluptatis complacentiam consequenter haluerit, ut est sanè periculosum, dabit sufficientem divortio causam: tum, quia ad hanc rem debet attendi culpa penes antecedentem consensum ad ipsum actum: tum, quia talis complacentia erit quidem culpabilis coram Deo, non tamen constare potest apud homines. Ita Aversa. Tu vide, an rectè.

Aversa.

Quid si deberi culpabilem causam oppressionis.

Item (prosequitur idem Auctor) nec etiamsi mulier fuisset negligens ad fugiendum ab illo loco, in quem timebantur superventuri hostes, ac etiamsi de hoc fuisset admonita ab ipso marito: quia non debet extendi ad effectum divortij illa negligentia, & culpa in causa, dùm posteà non nisi per puram vim secuta sit oppressio, ut notat Sanchez sup. n. 14.

Sanchez.

Qui id probat per l. *Vim passam*, ff. Ad Leg. Jul. de Adult. ubi indistinctè deciditur, vim passæ non esse adulterium imputandum, hisce verbis: *Vim passam mulierem, sententia Præsidis provinciæ continebatur. In lege Iulia de adulteriis non commississe respondi: licet injuriam suam, protegendæ pudicitiæ causâ, confestim marito renuntiari prohibuit.*

Probatur non sufficere l. 9. ff. Ad leg. &c.

Item: quia nullius criminis uxor rea est, quæ coacta fuit, nec prohibere potuit; l. *Nullum*, ff. de Reg. juris: *Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cùm prohibere non potest.* Nec semper imputatur effectus subsequens, ubi culpa præcedit; cap. *Quia diversitatem*, de Concess. Præb. ibi: *Et tunc si voluerit, non tamen valuerit Archiepiscopus ipse in conferendis Præbendis uti propriâ potestate, a qua etsi fuerit sua culpâ suspensus; non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa Præbendarum erat donatio devoluta.*

166. *Item per l. 109. ff de Reg. juris. Et cap. 5. de Concess. Præb.*

Ubi Gloss. verb. *Suspensus*, ait: *Sic patet, quod licet culpa sua inciderit in excommunicationem vel suspensionem, non imputatur ei, quod ex illa culpa processerit*, 15. q. 1. Si concupiscentia, & cap. Inebriaverunt: *& est simile, ubi culpa præcedit, & tamen non imputantur ea, quæ ex culpa sua processerunt, inf. de Sponsal. Veniens ad nos.* Ubi Gloss. verb. *Vt uxori*, inquit: *Et est hic arg. quod licèt culpa meâ inciderim in metum, nihilominus excusor propter metum.* Ergò similiter, licèt mulier culpâ sua inciderit in violentiam oppressionem, nihilominùs excusabitur à divortio propter violentiam. Cùm, ut Sanchez ait, culpa illa inobedientiæ uxoris non fuerit ordinata, ut opprimeretur.

Non gravetur Lector, si adhuc unam produxero Gloss. ad idem propositum. S. Aug. lib. 1. de Libero arbitr. c. 5. & refertur c. 6. 32. q. 5. sic ait: *De pudicitia quis dubitaverit, quin ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est? Vndè à violento stupratore eripi nec ipsa potest.* Glossa porrò verb. *Eripi*, interrogat: *Quid si culpâ suâ in hanc violentiam incidisset: puta, denuntiavit ei maritus, ut fugeret, ne vi hostium opprimeretur; illa autem fugere noluit: & sic oppressa est, an dimitti possit a viro?* Ecce casus, de quo tractamus.

167. *Ita docet Gloss. c. 6. 32. q. 5.*

Et quid putabimus Gloss. respondisse? *Sic*, inquit, *videtur; quia quidquid ex culpa sua &c.* 15. q. 1. Si quis insaniens, 50. *dist.* Studeat. *Præsumitur enim se rapinæ obtulisse*, 23. q. 4. Displicet. ff. *Quod metûs caus.* Si mulier. *Arg. contra: extra de Sponsal.* Veniens, 27. q. 2. Desponsata. ..... *Nec imputandum est ei, quod credula non fuit*, ff. *Quod fal. tut. l. 2. & 50. dist.* Si quis præpositera. *Item, etsi peccaverit non credendo viro suo, non tamen quantùm adulterium meretur*; 15. q. 1. *Inebriaverunt Lot filiæ ejus, & se nescienti miscuerunt. Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantùm ille incestus, sed quantùm illa meretur ebrietas.*

His ita disputatis pro utraque parte, remittit se Glossa ad quæstionem Dominicalem, dicens: *Quid juris sit, de hoc in quæstionibus plenè notavi.* Ubi (inquit Sanchez sup.) sustinet adhuc non posse dimitti uxorem. Ergò & nos sustineamus, donec oppositum clariùs eluceseat. Atque hæc satis de violentia.

168. *Remittens se ad quæstionem Dominicalem.*

Sanchez.

Secunda causa excusans ex ignorantia. Quæ duplex est.

Sequitur apud D. Bonavent. sup. ignorantia; scilicet invincibilis, aut certè non nisi venialiter culpabilis. Quæ duplex est, putà, cùm credit alium vel aliam, cum quo vel qua coït, esse virum suum, vel uxorem suam, & non est. Item, dum credit virum suum mortuum, & contrahit cum alio; aut uxorem suam mortuam, & contrahit cum alia, ac Matrimonium consummat.

169. *Prima species explicatur c. 34. q. 1. & 2.*

De prima specie scriptum est cap. 6. 34. q. 1. & 2. *In lectum mariti, absente uxore, soror ivit uxoris, quam ille uxorem putans suam esse, dormivit cum ea. Super hoc visum est, si ipse per securitatem veram hoc probaverit, quod insciùs fecerit hoc scelus, pœnitentiam quidem, quæ sibi indicta fuerit, agat, & legitimum suum conjugium habere permittatur.* Ita Concil. Triburiense.

Ubi Gloss. verb. *In lectum*, inquit: *Ex hoc cap. colligitur; quod qui cognoscit conjugatam ignoranter, non committit adulterium; arg. extra de Sent. excomm. cap. Si verò aliquis*, cujus Summarium est: *Qui percutit Clericum, ignorans probabiliter eum Clericum, excommunicatus non est; ignorantiam tamen probare debet per juramentum.*

170. *Debet ignorantia probari per juramentum.*

Ergò conjux, qui, vel quæ cognoscit non suum, vel non suam, ignorans probabiliter, eum esse non suum, vel eam esse non suam, non est reus vel rea adulterij, neque pœnæ divortij, ignorantiam tamen probare debet per juramentum; ut notat Gloss. sup. verb *Per securitatem*, dicens: *Id est, jusjurandum. 35. q. 3.* Extraordinaria. *Testes enim habere non possunt de hujusmodi; & sic patet, quod per juramentum probatur ignorantia; ut extra de Sent. excomm.* Si verò, 2.

Sanchez.

Hanc Glossam sequitur Sanchez sup. n. 17. ibi: Ad probandam hanc conjugis bonam fidem, sufficit ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem, & alias probabiles conjecturas.

171. *De secunda specie habetur cap. 1. 34. q. 1. & 2. ex Leone Papa.*

Porrò de altera specie ignorantiæ tractat Leo Papa, scribens Nicetæ Aquileiensi Episc. Epist. 77. cap. 1. & seqq. Do ipsius verba, quæ referuntur c. 1. 34. q. 1. & 2. *Cùm per bellicam cladem, & per gravissimos hostilitatis incursus, ita quædam dicatis divisa esse conjugia, ut abductis in captivitatem viris, fœminæ eorum remanserint destitutæ, quæ viros proprios aut interemptos putarint, aut nunquam à dominatione credderent liberandos, & ad aliorum conjugium solicitudine* (aliàs, *Solitudine*) *cogente transierint: cumq; nunc statu rerum, auxiliante domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui putabantur periisse, remearverint; meritò charitas tua videtur ambigere, quid de mulieribus, quæ aliis conjunctæ sunt viris, à nobis debeat ordinari.* Ecce status quæstionis. Sequitur resolutio.

Sed quia novimus scriptum, quod à Deo jungitur mulier viro, & iterùm præceptum agnovimus, ut quod Deus junxit, homo non separet; necesse est, ut legitimarum fœderationum redintegranda credamus, & remotis malis, quæ hostilitas intulit, unicuique hoc, quod legitimè habuit, reformetur; omniq; studio procurandum est, ut recipiat unusquisque, quod proprium est. Et infrà: *Redeant ergo in suum statum voluntaria recùm egritudine conjugia, neque ullo modo ad opprobrium malæ voluntatis trahatur, quod conditio necessitatis extorsit.*

Igitur secundum conjugium, quod initum fuerat ex præsumptione mortis prioris viri, non est trahendum ad opprobrium malæ voluntatis, id est, ad divortium, quod est quasi pœna malæ voluntatis. Undè scriptum est l. 7. Cod. de Repud. *Vxor, quæ in militiam profecto marito, post interventum annorum quatuor, nullum sospitatis ejus potuit habere indicium; atque ideò de nuptijs alijs cogitavit, nec tamen ante nupsit, quam libello ducem super hoc suo voto convenit, non videtur nuptias iniisse furtivas, nec dotis amissionem sustinere, nec capitali pœnæ esse obnoxia.* Igitur nec quasi pœnæ divortij.

172. *Secundum conjugium initum ex præsumptione mortis conjugis non sufficit ad divortium. l. 7. Cod. de Repud.*

Nisi (ut benè notat Sanchez sup. n. 11.) de vita prioris conjugis certificata, steterit in secundo illo Matrimonio, debitum petens aut reddens. Quia tunc jam verè rea est adulterij. Idem est: si dubia peteret debitum; quia cum illa copula sit spontanea, non vacat adulterij culpâ. Quod tamen intelligo (inquit Sanchez) si ante sufficientem adhibitam diligentiam petat debitum: nam eâ adhibitâ, si non potest certificari de vita prioris conjugis, potest deinceps petere.

Limitatio quædam ex Sancho.

Rogas, quid sentiendum, si conjux, credens probabiliter alium conjugem mortuum, fornicetur? Neque hæc fornicatio erit sufficiens ratio divortij; quia vacat culpâ adulterij. Ita Sanchez sup. n. 12. Probatur à simili: sicut accedens ad consanguineam uxoris, ignarus consanguinitatis, quia excusatur ab incestu, non incurrit ejus pœnam, quæ est privatio petendi debitum conjugale, ut sup. diximus.

173. *Quia si alii casu fornicetur? Non sufficit fundium. Sanchez.*

Appositè ergo dixit D. Aug. lib. de Fide & operibus c. 7. & refertur 34. q. 1. & 2. c. 5. *Si virgo nesciens viro nupserit alieno, hoc si semper nescat, nunquam ex hoc erit adultera. Si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit.* Si non est adultera; ergò nec obnoxia pœnis adulterij. Ergò ignorantia excusat ab adulterio, & consequenter à pœnis, & quasi pœnis, pro adulterio constitutis.

Probatur ex c. 5. 34. q. 1. & 2. D. Aug.

Nec obstat: quod dicitur in fine cap. *Gaudemus*, 8. de Divort. *Quamvis quoque secundùm Evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, mœchatur: non tamen dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ, pro eo, quod nupsit alij post repudium, nisi alias fuerit fornicata.* Non obstat, inquam; quia id intelligitur, ut vult Sanchez lib. 7. disp. 101. n. 4. de fornicatione admissa ante repudij libellum. Nam admissa pòst non potest objici, eò quòd non fuerit verè adulterium: quia infideles, de quibus ibi est sermo, putabant Matrimonium dissolutum per libellum repudij. Hinc Gloss. verb. *Poterit objicere*, rationem subdit: *Quia intelligitur legitimè contraxisse, quæ auctoritate legis contraxit.*

174. *Objectio ex c. 8. de Divort.*

Solutio ex Sanchez.

Planè, inquis; sed subsumo: atqui non legitimè fornicata est post repudium; ergò hanc fornicationem poterit ei objicere. Simile cap. *Fraternitatis*, 6. de Frigid. ibi: *Vel nisi se fornicario modo alij viro miscuerit, ut primus vir prætextu fornicationis ejus velit consortium declinare.* Ubi Gloss. verb. *Fornicario modo*, inquit: *Quia si legitimè contraxisset cum altero, illud ei objici*

175. *Oppugnatur ex cap. 6. de frig.*

non

non poſſet, nec prætextu talis fornicationis poſſet repelli à viro ; arg. inf. de Divort. Gaudemus.

Et ratio videtur eſſe; quia dum legitimè contraxit, copulando ſe operam dedit rei licitæ, aliàs rei illicitæ ; atque adeò omnis eventus, etiam præter intentionem ſecutus, ei imputandus eſt. Sicut volens percutere Andream laicum, ſi errore ductus percutiat Titium Clericum, ligatur excommunicatione, ut tutiùs reputat Gloſſ. cap. *Si verò*, 2. de Sent. excom. verb. *Ignoraverit.*

176. *Defenditur.* Sed (inquit Sanchez lib. 9. diſp. 32. n. 24.) hoc eſt minùs verum. Quia is in culpa non fuit reſpectu percuſſionis Clerici. Deindè : quia percutiens Clericum ignarus Clericatûs vacat rei illicitæ ; cùm tamen eum excommunicatione non ligari, decidatur d. cap. *Si verò.*

Prætereà (inquit idem Auctor lib. 7. diſp. 101. n. 3.) quia in materia irregularitatis ex caſuali homicidio contingentis, etſi communis ſententia prædicto innitens fundamento ſuſtineat, homicidium præter omnem pem & abſque culpa ſecutum imputari ad irregularitatem danti operam rei illicitæ : at verior id negat, niſi quando res illa illicita interdicta eſt, eò quòd ſit periculoſa.

177. *Quæ ſit ratio deciſionis d. c. 6.* Quæ ergò ratio hujus deciſionis ? Reſpondet Sanchez ſup. lib. 7. quòd conjux ille impotens (de quo ibi agitur) eo ipſo quòd copulam attentavit, quaſi potentiam ſuam experiri volens, neceſſariò conſenſum præſtitit Matrimonij injuriæ, quæ ex illius copulæ conſummatione conſurgere poterat. Ex illa enim verificabatur prioris Matrimonij valor, ac ſubinde adulterij injuria. Sic ille. Hæc autem ratio, liquet profectò, quòd in caſu præſenti non habeat locum. Diſparitas ergò eſt : quòd in d. cap. *Fraternitatis*, ſit formale adulterium ; hìc autem ſolùm materiale, & tantùm formalis fornicatio ſimplex, quæ non meretur pœnam aut quaſi pœnam divortij.

Arg. Dicaſt. contra ſententiam Sanchez. Sed contra arguit Dicaſt. diſp. 10. n. 39. duriſſimum videtur, hominem (maximè honeſtum ac nobilem) ſi non adulteram formaliter, ſaltem formaliter & propriè fornicariam, aut etiam illegitimè prægnantem admittere. Undè, ſalvo meliori judicio, mihi non videtur improbabile, ſaltem ſi res ſit nota vel publica, non teneri cum tali uxore cohabitare ; neque enim videtur cum tanto ſuo dedecore obligari ad eam cohabitationem, maximè in iis regionibus, in quibus turpe eſt, talem uxorem admittere aut habere.

178. *Putat non improbabile aliquando licere divortium propter talem fornicationem mulieris.* Nam cùm lex cohabitationis aut tori non ita ſtrictè obliget, quin vel propter magnum damnum evadendum, vel propter aliquam aliam urgentem cauſam, cenſeatur quis ab ea obligatione quandoque liber ; non video cur talis hæc cauſa non ſit ; ſcilicet, ut evitet illam ignominiam, quam in ſua patria, & ubi notus eſt, ſubiret ; maximè, ſi non facilè in aliam ſimul cum uxore migrare poſſet, ſed ſolus ipſe. Neque ad illam ſecum abducendam magnis ſumptibus & laboribus, videtur in tali caſu obligandus : ſatis enim eſt, quòd quantùm fieri poteſt, non omninò uxoris curam relinquat ; ſed de neceſſarijs ad vitam tranſigendam prouideat abſens, quin cogatur ſecum præſentem habere mulierem non caſtam, & juſti doloris perpetuam cauſam.

Verùm hæc Aliorum judicio relinquo, ſolumque meam ſententiam ſincerè volui explicare; quam liberiùs affirmarem, niſi viderem cæteros communiter doctores abſque difficultate ſimul cum alijs prædictis caſibus, de hoc etiam caſu pronuntiare, non eſſe ſufficientem cauſam marito, divertendi ab uxore.

179. *Non eſt eadem ratio de fornicatione mariti.* Non tamen eſt eadem ratio mariti comparatione uxoris : quamvis enim maritus, putans probabiliter uxorem mortuam, cum aliqua fornicetur quidem formaliter, ſed non formaliter adulteret, & poſteà comperiat uxorem vivere, non poterit uxor ab illo propter illam cauſam divertere ; neque enim æquè turpe eſt, uxorem habitare cum marito, qui, ſe putans liberum, fornicatus eſt ; cùm in communi hominum æſtimatione nihìl inde uxori reſultet ignominiæ. Hucuſque Dicaſtillo. Non adeò malè.

Judicium Auctoris. Et ſanè Doctores, qui pronuntiant, eam fornicationem non eſſe ſufficientem cauſam, intelligi poſſent, inquantùm hæc fornicatio eſt materiale adulterium ; jam autem, ſecundùm DD. communiter, plures ſunt cauſæ divortij, præter adulterium, ut inf. videbimus, ſi non divortij perpetui, ſaltem temporalis. Et ſic patet diſparitas inter adulterium formale, & dictam fornicationem ; nempè, quod iſtud ſit cauſa perpetui divortij, ſive ſit publicum, ſive occultum, ſeu ex eo proveniat infamia, vel non ; hæc autem non, niſi ſequatur infamia ; & per conſequens, ceſſante infamiâ, teneretur rurſum, qui divertit propter eam, uxori ſuæ cohabitare. Ita ego ſentio, ſalvo meliori.

180. *Quare in Concluſ. additur: Reſpectu conjugii &c.* Si porrò à me quæritur : quare in Concluſione addiderim illam particulam : *Reſpectu conjugij, cujus petitur divortium.* Reſpondeo citiùs : quia exiſtimat Sanchez lib. 10. diſp. 5. n. 12, non eſſe cauſam ſufficientem, ut legitimus vir ab uxore divertat, ſi bonâ fide eum exiſtimans mortuum, aliiſque nuptijs celebratis, fornicetur. Sanchez, Quia (inquit ille) quàmvis non excuſetur à culpa adulterij, in ordine ad poſteriorem virum putativum ; cùm exiſtimet, poſteriùs Matrimonium eſſe legitimum : at reſpectu prioris viri, cujus Matrimonio ſe ſolutam ejus morte probabiliter exiſtimat, non eſt ea rea adulterij. Divortium autem priori viro ſolùm conceditur ob injuriam ſibi irrogatam adulterino concubitu, quo ejus Matrimonium offenditur ; qualis non eſt hic. Ira præfatus Auctor. Et ſi objicias, hunc conjugem dediſſe operam rei illicitæ ; jam ſtatim ſatisfeci ſimili objectioni. Et ideò ad alia feſtinat calamus.

181. *An gravis metus excuſet à divortio.* Contingere poteſt, ut conjux, non ſolùm mulier, ſed etiam vir, gravi metu inducatur ad conſentiendum in adulterium, utpotè per comminationem mortis, aut alterius gravis damni : nunquid meretur pœnam divortij ? Fit etiam aliquando, ut vir aliquid faciat uxori moleſtum & injurioſum, ex quo facto occaſionem uxor arripiat fornicandi, v. g. eam injuſtè expellendo, aut deſerendo

deserendo, aut alimentis necessarijs non providendo; censen', ob tale uxoris adulterium posse virum ab ea divortium facere? Hæc est nostra resolutio:

CONCLUSIO V.

Gravis metus non excusat adulterium à divortio. Neque quòd altera pars indirectè dederit causam, v. g. injustè subtrahendo alimenta: secùs si vel expressè consenserit, eam, etiam volentem, prostituendo; vel implicitè, non prohibendo ubi & quando commodè poterat prohibere.

182. *Probatur non excusare.* Sanchez. PRimam partem hujus Conclusionis vocat Sanchez sup. n. 16. communissimam sententiam. Quam ipse probat: quia reverà non excusat à culpa mortali adulterij, & fidei fractæ, quæ causa divortij sunt. Et ad illam culpam mortalem Canones attendunt. Undè cautè Glossa cap. *Proposito*, 32. q. 5. & illam sequentes Archid. & Bellameta dixerunt, excusare metum à pœna legali adulterij, quæ dolum desiderat. At secundùm Canones esse adulterium, quasi senserint non excusare à pœnis Canonicis, quæ culpam considerant: quales sunt divortium & dotis amissio, cap. *Plerumque*, de Donat. inter virum & uxo. Ita Sanchez.

Nunc loquatur D. Glossa verb. *Adultera. Videtur, quod Aug. malè induxit exemplum Lucretiæ: nam in veritate secundùm Canones adulterium commisit: sive directa, sive indirecta fuerit voluntas; licet secundùm leges non committatur nisi dolo, ff. de Adult. l. penult. Sed Aug. induxit exemplum hoc, quasi a minori, q. d. ex quo ea, quæ conditionaliter* (id est ex gravi metu) *fuit coacta, excusatur secundùm legem ab adulterio, multò magis, quæ absolutè, secundùm Canones, 1. q. 1.* Constat. 50. *dist.* Presbyteros.

183. *Oppositum ostenditur ex c. 4. 32. q. 5* S. Aug. Nota autem, Adversarios nostros ex d. cap. *Proposito*, quod desumptum est ex D. Aug. de Civit. Dei lib. 1. cap. 19. principaliter probare suam sententiam; eò quod in fine Aug. excusset Lucretiam ob adulterio, quæ tamen non fuit violenter oppressa; sed tantùm conditionaliter coacta metu gravis infamiæ, ut patet ex Historia in expositione casûs relata, ibi: *Tunc illa timens tantam infamiam, cùm valdè casta haberetur, suppositi se illi.* Et nihilominùs Aug. ut dixi, excusat eam ab adulterio, dicens: *Quid dicemus, adultera hæc, an casta judicanda est? Quis in hac controversia laborandum putaverit? Egregiè quidam ex hoc, veraciterq; declamans ait:* Mirabile dictu, duo fuerunt, & adulterium unus admisit. *Splendidè atque verissimè.*

184. *Sed pergam.* Sed quid dicam? Fortè D. Aug. fuit in ea opinione, Lucretiam absolutâ vi oppressam fuisse. Nam in principio cap. ait: *Lucretiam certè Matronem nobilem veteremq; Romanam, pudicitiæ magnis efferunt laudibus. Hujus corpore cùm violenter oppresso Tarquinij Regis filius libidinosè potitus esset &c.*

Atque ut loqueretur de coactione conditionali, nihil referret; ut benè notat Gloss. verb. *Vnus admisit*, dicens: *Imò & ipsa, nisi absolutè fuerit coacta, arg. sup. eád.* Itane. *Sed hoc ideò dicit, quia non tenetur hoc casu ad pœnam legis; quia sine dolo adulterium non committatur, ff. de Adult. l. penult. Alias potiùs debuit mori, quàm consentire, inf. eád §.* Cùm ergò.

Aft nunquid divortium pœna legis? Minimè. Quid ergò? Quasi pœna juris naturalis & divini; & ideò incurritur ab eo, qui lædit jus naturale & divinum, id est, qui committit culpam adulterij coram Deo, nisi aliquid aliud obstet. 185. *Confirmatur prior sententia.*

Perperàm igitur citatur hæc Glossa ab Adversarijs nostris, inter quos Aversa q. 23. sect. 3. §. *Tertio*, ubi sic scribit: Contingere potest, ut conjux non solùm mulier, sed etiam vir, gravi metu inducatur ad consentiendum in adulterium, utpotè per comminationem mortis aut alterius gravis damni. Quo casu adhuc quidem mortaliter peccabit, quia deberet potiùs mortem pati. Et ideò mereri pœnam divortij, affirmant D. Bonavent. 4. dist. 35. in exposit. literæ (ibi:) *Quintus* (casus) *si fuerit vi oppressa ..... hoc autem intelligendum est de vi absoluta.* Durandus q. 1. n. 6. Palud. a. 2. n. 16. Sanchez lib. 10. disp. 5. n. 16. & plures ex Iuristis, quos idem refert. *Pro posteriori citat Aversa Gloss. d. cap. 4. sed malè.* D. Bonav. Durandus. Palud. Sanchez.

Non tamen videtur necessarium id asserere; talemque adulterij culpam non sufficere ad divortium indicant Gloss. & Archid. in cap. *Proposito*, 32. q. 5. dicentes, tale non esse adulterium quoad pœnas legales, & videntur intelligere non solùm quoad pœnas legum civilium, sed quoad omnes alias. Et expressè docent Abbas consil. 4. n. 3. Sylvester verb. *Adulterium*, in fine, Rosella & Armilla n. 5. Tabiena q. 1. n. 3. Graff. part. 2. Decision. lib. 1. c. 12. n. 72. Et probabile censet Sanchez n. 15. Idemque esse notant Abbas, Sylvester & Rosella, si mulier præ verecundia & metu infamiæ non clamaverit. Ita Aversa. 186. *Ipse tenet hanc sententiam.* Abbas. Rosella. *Estque probabilis.*

Dico ego: gratis intelligitur Gloss. non solùm quoad pœnas legum civilium, sed quoad omnes alias; imò oppositum probatur: quia immunitatem à pœnis legis colligit ex jure civili, nullo allegato Canone, ut sup. vidimus. *Ostenditur malè citari d. Glossam*

Præterea: vel ego cæcus sum, vel ipse lippus, qui eam sententiam legit apud Tabienam loco citato. Hæc sunt ejus verba: Quid de adultera per vim violata? Utrùm puniatur pœnâ adulterij? Respondeo breviter: secundùm Panor. in consil. 4. quòd si fuit violentia absoluta, nullam pœnam patitur. Si verò fuit conditionalis, peccavit coram Deo, tamen non debet puniri pœnâ adulterij, scilicet ut perdat dotem. Sic ille. 187. *An Tabiena rectè citetur pro hac opinione.*

Si inferas: ergò etiam ut possit celebrari divortium. Negatur Consequentia ex ipso Tabiena, verb. *Matrimonium* 4. n. 1. casu 5. quem

hisce

hiſce verbis exprimit: Si fuit vi oppreſſa, c. *Propoſito*, 32. q. 5. Quod intelligitur de vi abſoluta, 32. q. 7. *Omnes cauſationes*. Quid vobis videtur? Nonne rectis oculis Averſa legit Tabienam? Si tamen proprijs oculis legerit.

188. *Itemque Sylveſter.* Et verò Sylveſter, quàmvis loco citato illam ſententiam doceat; equidem ſibi contrarius, verb. *Divortium*, q. 9. caſu 4. Si, inquit, fuit vi oppreſſa, 32. q. 5. *Propoſito animi*: Quòd intellige de vi abſoluta: ſed ſi metu, aut præcepto parentum, inſtantiâ conſanguineorum, vel ſimili causâ fornicaretur, etiam de facto contrahendo cum aliquo, non excuſaretur, 32. q. 7. *Omnes*. Sic ille.

Ecce uterque Auctor dictum cap. *Propoſito*, intelligit de vi abſoluta: quomodo ergò bene Averſa, qui profitetur, ſe ſententiam eorum ſequi; benè, inquam, ex eo cap. probat, ſufficere vim ſeu coactionem conditionalem? Illâ ergò probatione omiſsâ, quam jam ſatis reprobavimus, expendamus alias probationes ejuſdem Auctoris. Suadetur etiam (inquit ſup.) exemplo: quia alia delicta, ſimili metu commiſſa, non cenſentur pœnis legalibus, & cenſuris ipſis Eccleſiaſticis ſubjacere. Ita Averſa.

Alia probatio poſterioris opinionis ex Averſa.

189. *Rejicitur ex Herinx.* Verùm (inquit Herinx ſup. n. 46.) hoc quoque parum refert: cùm in præſenti non ſit pœna, ſed ceſſatio obligationis ob fractam fidem, & illatam veram injuriam; qualem etiam inferret cum obligatione reparandi damna, qui ex metu incendiſſet domum, aut occidiſſet dominum. Ita hic Auctor. Qui intelligit pœnam propriè dictam, conſtitutam utique per legem aliquam merè poſitivam, civilem vel Eccleſiaſticam.

Objectio. Si dixeris: ſaltem amiſſio dotis eſt pœna propriè dicta, inflicta ab Eccleſia cap. *Plerumque*, de Donat. inter virum & uxor. Ergò hæc ſaltem non incurritur per adulterium conditionaliter coactum.

Solvitur. Reſpondeo: fortè propterea Tabiena ſup. diſtinxit inter divortium & amiſſionem dotis. Et ſanè adulterium iſtud leviùs peccatum eſt, ut patet ex alijs juribus, alibi allegatis; quid ni ergò minorem pœnam mereatur, quàm adulterium prorſus voluntarium? Interim hæc eſt pœna Canonica; pœnæ autem Canonicæ, ut ſup. dicebat Sanchez, culpam conſiderant, non dolum, quem conſiderat jus civile, & qui excluditur per gravem metum. Et quàmvis levior culpa ſit; equidem abſolutè gravis, & proportionata huic pœnæ.

190. *An metus excuſet à cenſuris. Suarez.* Quod attinet cenſuras Eccleſiaſticas, Suarez de Cenſ. diſp. 4. ſect. 3. n. 12. ait: Si metus non excuſat à culpa, non excuſabit etiam à cenſura: nec fingi poteſt caſus, in quo metus ſufficiat ad excuſandam talem pœnam, ſcilicet cenſuram; etiamſi non excuſet à gravi culpa: quandoquidem lex, ut ſupponimus, abſolutè imponat cenſuram adverſus tranſgreſſores talis legis. Secùs verò eſſet, quando adderet aliquod verbum, indicans & poſtulans liberiorem modum operandi. Sic ille. Iam autem neque in lege divortij, quæ naturalis eſt vel divina; neque in pœna amiſſionis dotis, quæ eſt juris Eccleſiaſtici, additur aliquod verbum, indicans & poſtulans liberiorem modum operandi.

Ultima probatio ſententiæ Averſæ. Tandem probat ſuam ſententiam Averſa: quia Matrimonium ipſum tali metu contractum eſt irritum, & nullam obligationem inducens. Sed quis non videt, eum ex arena texere funem? Qualis Conſequentia, Matrimonium gravi metu contractum eſt irritum; ergò adulterium conditionaliter coactum non meretur pœnam divortij? Nunquid benè ſequitur: Licet Matrimonium conditionaliter coactum; ergò indidem licet adulterium?

191. *Probatur 2. pars Concluſ. ex cap. 5. de Divort.* Sed pergamus ad ſecundam partem Concluſionis, quæ habetur deciſa cap. 5. de Divort. ſequentis tenoris: *Ex literis tuis accepimus, quòd V. quamdam duxit uxorem, qui paucis temporibus fuere concordes: proponebat enim idem V. quod illam per violentiam ſibi illatam, metu etiam mediante, duxiſſet.* Et infrà: *Tamdem vir uxorem ſuam ſuper crimine fornicationis in jure convenit, quæ neſcitur, quo ducta ſpiritu cœpit publicè confiteri, quòd cùm vir negaret ei in neceſſarijs providere, crimen compulſa eſt incurrere memoratum: cumq; diligentiùs à ſe fuiſſet admonita, ne ad ſuggeſtiones alicujus illud tam turpe contra ſe proponeret, ipſa id manifeſtiùs aſſereret.* Ecce caſus Concluſionis.

Sequitur reſolutio: *Sanè tu, convocato Capitulo tuo, cum ex eorumdem conſilio utrique privatim continentiam injunxeris obſervandam, ita quòd taſtè viverent ab invicem ſegregati: memoratus V. furtim cum aliâ ſponſalia, & nuptias temerè celebravit.*

Injuſta ſubtractio alimentorum non excuſat à divortio. Ubi Gloſſ. verb. *Ab invicem ſeparati*, inquit: *Ex hoc videtur, quòd ſententia divortij lata fuit, cùm de conſilio Capituli videatur feciſſe.* Ergò injuſta ſubtractio alimentorum non excuſat adulterium à pœna divortij: ut ead. Gloſſ. verb. *Compulſa*, teſtatur, dicens: *Non ideò tamen excuſanda eſt: quia non eſt ignoſcendum ei, qui prætextu paupertatis turpiter degit*; ff. de Rit. nupt. Palam, §. *Non eſt*.

192. *Statuitur cap. 4. de Divort. injuſtam dimiſſionem non excuſare.* Idem ſtatuitur cap. *Significaſti*, eod. ubi repellitur uxor, petens reſtitutionem mariti, ſi notoriè fornicata eſt poſt injuſtam dimiſſionem, ibi: *Verùm mulier non continuit, ſed ſobolem de alio viro ſuſcepit: nec minùs poſtulat viro reſtitui, aſſerens ſe ab ipſo injuſtè dimiſſam, & eumdem ſibi materiam adulterandi dediſſe. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi notorium eſt, mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet.*

Ubi Gloſſ. verb. *Materiam adulterandi*, contrà arguit, dicens: *Quod videtur; quia ipſe dedit ei materiam adulterandi, quare ſibi imputet vir*; arg. 27. q. 2. Si tu abſtines, & ff. de Minor. Cùm mandato, *in fine. Quod magiſter Ioan. Faventinus concedebat: quia qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur*, 50. diſt. Studeat, & ff. *Ad leg. Aquil.* Q i occidit, §. In hac, & *inſt. de Injur. & dam. da. cap. ult. in fine.*

Nunquid Faventinus audiendus? *Sed contrarium eſt verũ* (inquit Gloſſ.) *quia mulier ad hoc nullâ*

conditione debet adduci, 32. q. 5. Itáne. *Nec est ignoscendum ei, quæ prætextu pauperpatis turpissimam vitam ducit.*

193. *Objicitur cap. 24. 22. q. 2.* Quid ergò ad d. cap. *Si tu abstines*, ubi ex D. Chrysost. Homil. 1. in Psal. 50. refertur: *Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* At quando uxor de licentia viri fornicatur, non licet viro divertere, ut habet sequens pars Conclusionis.

Solutio. Respondeo: hìc nomine, *Licentiæ*, occasio intelligitur, ut explicat ibi Gloss. verb. *Licentiam*, dicens: *Id est, occasionem.* Et sanè urgentior est occasio, quando uxor domo expellitur, alimentisque privatur. Et tamen tunc licet divortium, ut patet ex juribus statim allegatis. Nisi tamen vir eâ intentione hæc faceret, quò illâ necessitate urgente adulterium perpetraret; & idem dico de negatione debiti, & alijs indirectis occasionibus. Quia tunc perinde est, ac in adulterio connivere.

Unde si Judex, quia illa intentio non potest probari, sententiam proferret divortij, & dotem viro applicaret; haud equidem talis vir in conscientia tutus foret; quia sententia innititur falsæ præsumptioni. Sicuti, si vir expressè dedisset licentiam adulterandi, & ea non posset in judicio probari.

194. *Evasio præcluditur.* Quòd si dicas (inquit Sanchez sup. n. 10.) illam intentionem mente retentam esse: atque ita nil posse operari in contractibus, qualis est iste, ut vir lucretur dotem ob adulterium uxoris. Eâ enim tacitâ conditione vir recepit dotem, ad ejus restitutionem, soluto Matrimonio, se obligans. Respondeo: hìc unà cum actu interno expulsionem aut sævitiam, quæ causa fuit, intervenisse, illaque actus externos esse. Ita præfatus Auctor.

Quid si vir prævideat adulterium. Averſa. Quinimò existimat Aversa sup. §. *Cohærenter*, sufficere, quòd vir præviderit adulterium uxoris, tametsi eo fine non præbuerit occasionem. Pono ejus verba: Cohærenter tamen ad ea, quâ dicta sunt, asserendum videtur: si vir rationabiliter non prævideat, aut reputet, uxorem fornicaturam, habere adhuc jus divortij faciendi ab uxore adulterante, quàmvis inductâ occasione sibi à viro datâ. Quia nempè, sola injuria viri in alio genere, quàm adulterij, non facit compensationem cum adulterio uxoris; nec illam excusat, quò minùs justam viro causam dederit faciendi ab illa divortium, ob fractionem fidei conjugalis.

195. *Sufficere videtur, ut vir nequeat divorts.* Si autem vir rationabiliter prævideat, aut prævidere debeat, uxorem ab ipso malè habitam in hoc crimen fore lapsuram, tunc ob hujusmodi lapsum non habere justam divortij causam. Quia planè se habet, sicut consentiens, sive permittens, cùm impedire posset, ac teneretur lapsum uxoris, eique licentiam fornicandi ex parte sua dedisse censetur, estque ejus culpæ reus & particeps; quare non poterit ex hujusmodi causa divortium facere. Et sicut ultrò hoc fatebatur Sanchez, quando vir eo animo vexabat uxorem, ut ad fornicandum adigeret: jam autem juxtà prædicta eadem ratio est, quando sciens ei præbet occasionem fornicandi, & potens ac debens impedire permittit.

Sic debent intelligi textûs, pro utraque parte inducti. In cap. *Significasti*, & cap. *Ex literis*, non amittit vir jus divortij ab uxore fornicante, occasione injustæ dimissionis, aut defectu debitæ provisionis; quantùm scilicet est ex vi hujus injuriæ, aut defectûs: seclusâ tamen prævisione, & permissione viri de lapsu uxoris. In cap. verò: *Si tu abstines*, vocatur fornicandi licentia, & neganti debitum imputatur peccatum alterius, quando hoc rationabiliter prævisum est, seu prævideri debuit. Et totum, quod dicitur de viro, respectu uxoris, pariter intelligitur de uxore respectu viri. Hactenùs Aversa.

196. *Vir prostituens uxorem non potest divertere.* Satis utique cohærenter ad ea, quæ ipse priùs docuerat, & quæ docet postrema pars nostræ Conclusionis: utputa, sufficere implicitum consensum seu permissionem adulterij conjugis, ubi & quando commodè poterat impediri. Equidem quòd vir, si uxorem prostituat, seu tradat alteri adulterandam, quòd, inquam, nequeat hinc divortium facere, Omnes docent.

Probatur ex cap. 6. de Eo qui &c. Estque expressum in jure, cap. *Discretionem*, de Eo qui cogn. consang. ibi: *Quam postmodum, à se incognitam, cuidam consanguineo suo tradidit, inquantùm potuit renitentem. Ille verò cum ipsa, licèt invitâ, Matrimonij solemnia celebravit: sed mulier, quam citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & se priori viro restitui postulavit.* Et infrà: *Quòd si forsan ad id* (scilicet, ad servandam continentiam) *induci nequiverit, vir prior cogatur redire ad ipsam, & maritali eam affectione tractare, cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam.* Ita Innoc. III.

197. *Consonat rationi. Reg. 27. in 6.* Et per se est consonum rationi. Quia, ut dicit Reg. juris 27. de Reg. juris in 6. *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.* Scilicet de quo justè conqueri possit. Unde tali casu censetur condonare injuriam, quæ à parte rei fit, sive ipsi Matrimonio, sive conjugi consentienti, qui nequit validè cedere jure suo: condonatione autem factâ, ut infrà dicetur, non manet jus divortij: quippè injuria est fundamentum ejus.

Explicatur d. Reg. ex Canisio. Notat autem Canisius in d. Regulam, copulativè dictum fuisse: *Scienti & consentienti.* Nec enim (inquit) huic Regulæ locus est, nisi hæc duo simul conjungantur; quia quandoque scienti injuria fit, sed non consentienti; quia reclamat, vel non audet contradicere adversario, propter metum vel verecundiam, l. penult. ff. de Furtis. Quandoque fit consentienti, sed non scienti, id est, verè intelligenti, veluti pupillo, furioso. l. 1. §. *Impuberes*, Cod. de Falsa moneta.

198. *Occurritur objectioni.* Non obstat textus in cap. *Contingit*, 39. extrà de Sent. excom. ubi is, qui scientem & consentientem Clericum percussit, nihilominùs excommunicatur, tamquam manus injuriosas Clerico intulerit. Quia Clericum percutiens, non tam ipsi Clerico, quàm Ordini clericali injuriam infert, cujus hoc privilegium

est,

est, cuique Clericus renuntiare non potest.

Secunda objectio. Nec impedit textus in l. un. Cod. de Rapt. virg. quo & raptores puniuntur, etiamsi volentem mulierem honestam abduxerint. Sed id accidit, quòd lex præsumat, mulierem non liberè abductam, sed dolosâ persuasione ipsius raptoris: *Persuadere autem est plus, quam compelli, atque cogi sibi parere*, inquit Ulpianus in l. 1. §. *Persuadere*, ff. de Servo corrupto.

Solutio.

199. *Tertia objectio diluitur.* Sed neque movet l. *Si quis servo*, Cod. de Furtis & servo corrup. Quia licèt ibi reverà neque servus corruptus, neque invito domino res ablatæ sint; tamen ideò placuit actionem furti, & servi corrupti dari, propter dolum ipsius inducentis, & corrumpentis servum, & ne hujusmodi impunitas in consequentiam trahatur. Itaque singularis casus est. Hucusque Canisius.

Si conjux non possit impedire adulterium, scientia non obest ei. Quæ sic applicari possunt ad nostrum propositum. Fieri potest, ut conjux sciat adulterium, & tamen non consentiat; quia reclamat, vel non audet contradicere adultero, vel adulteræ propter metum vel verecundiam. Quod maximè contingit in fœmina, quæ licèt optimè sciat adulterium sui viri; quia tamen inferior est, non audet eum reprehendere; & ideò ejus taciturnitas non reputatur consensus. Secùs viri, qui est superior, nisi & ipse ex metu, aut alia justa causa taceat.

200. *Leno non potest dimittere suam uxorem.* Castro. Appositè Alphonsus à Castro sup. §. *Ut nostram*, circà finem: Quia (inquit) lenocinium non minus est crimen, imò multò magis, quàm adulterium, ut dicitur in l. *Palam*, ff. de Rit. nupt. hinc est, quòd maritus, qui lenocinium exercens uxorem suam prostituit, non potest illam propter hoc à se dimittere, ut dicitur in cap. *Discretionem*. de Eo qui cogn. consang. Injustum enim esset, ut qui in eodem crimine particeps fuit, illæsus manens alium damnaret. Facientes enim & consentientes eâdem pœnâ constringere debet, Paulo testante, qui sic ait Rom. 1. *Non solùm, qui talia agunt; sed qui agentibus consentiunt, digni sunt morte.* Tali enim lenoni uxorem suam prostituenti, qui illam propter adulterium accusare aut dimittere nititur, dici meritò potest id, quod idem Paulus Rom. 2. v. 1. similibus ait: *Inexcusabilis es ô homo omnis, qui alium judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas.*

Rom. 1.

Rom. 2.

201. *Quis hic vocetur leno.* Voco autem, quatenùs præsentem materiam respicit, lenonem, aut prostitutorem uxoris suæ, non solùm eum, qui illi imperat adulterium; sed omnem illum, qui scivit, & noluit prohibere, quum potuit. Idem enim est, scientem non prohibere delictum inferioris, quum possit, & imperare. Hæc ille.

Itaque silentium viri communiter reputatur consensus, secùs mulieris. Quàmvis nonnunquam fieri possit, ut taciturnitas viri non reputetur consensus, & mulieris reputetur; quando videlicet mulier potest sine gravi suo damno contradicere, vir autem non potest.

202. *Etiam fœmina debet* Certè (inquit Aversa sup. §. *Si autem*) fœmina, quæ tali sensu & animo vigeat, ut audeat à viro ejus adulterium recedere, vel debitum denegare, multò promptiùs audere poterat reprehendere virum, quando fructum sine suo damno sperabat. Ac licèt uxor in regimine domûs sit subjecta viro: tamen quoad debitum conjugalis fidei est illi par, ac pariter ejus officium est, viri adulterium, suique injuriam prohibere, si quando potest: pari enim modo dictum est ab Apostolo · *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Sic ille.

prohibere adulterium viri, ex Aversa.

An dissimulans, ut possit adulterium convincere, consentiat. D. Tho. Rogat aliquis: an vir tacitè consentiat, qui suspicans adulterium uxoris, imò certò sciens, simulat se proficisci, intereà eam observans cum testibus idoneis, ut eam possit de adulterio convincere, & ita dimittere? Responsio negativa est D. Tho. 4. dist. 35. q. un. a. 3. ad 4. ubi docet, ut sup. audivimus, id esse viro licitum; non esset autem licitum, si eo casu taciturnitas reputaretur consensus, ut clarum est.

203. *Quid requiratur ad implicitum consensum.* Igitur ad implicitum seu tacitum consensum requiritur, ut sive vir, sive mulier, possit commodè adulterium impedire, id est, ut non prohibeat, dum potest, & debet prohibere, quæ est communis doctrina. Et sic patet tota Conclusio, exceptâ illâ particulâ: *Etiam volentem.* Quæ utique videtur repugnare d. cap. *Discretionem*, ibi: *Præsertim invitam.*

Quid si mulier volens prostituatur? Nam Gloss. ibi verbum, *Præsertim*, explicat, ut sit idem, quòd, *Tantùm*. Et cap. *Significasti*, de Divort. verb. *Materiam*, ait: *Nec obstat, si replicaret etiam illa, ff. de Adult. l. 1. §.* Si publico, *nisi eam invitam tradidisset adulterandam; quia tunc non posset ei objicere adulterium.* Ergò si volentem tradidisset, posset ei objicere adulterium, juxtà hanc Glossam.

204. *Richardus putat, posse eam dimitti.* Quam sequitur Richardus 4. dist. 35. a. 2. q. 1. dicens: Uxor adulterans de licentia mariti, si ab eo non compellitur, nec per metum, nec alio modo, propter tale adulterium potest quantùm ad torum & habitationem à viro per judicium Ecclesiæ dimitti. Arg. ad hoc extrà de Eo &c. *Discretionem*, ubi dicitur, quòd vir uxori adulterium non potest objicere, qui eam adulterandam tradidit, præsertim invitam. Per hoc enim, quod dicit: *Præsertim invitam*, videtur dare intelligi, quòd si ad hoc non fuisset tradita invita, quòd vir illud adulterium sibi objicere posset: quia sicut dicitur in Glossa ibidem: *In talibus, quæ sine peccato mortali committi non possunt, mandatum non obligat.* Sic Richardus.

Probat ex cap. 6. de Eo qui &c.

Ratio. Ratio itaque hujus sententiæ est; quia dum volens prostituitur mulier, est rea culpæ adulterij; secùs, quando coacta; ut colligitur ex d. cap. ibi: *Sed nec affinitas, quæ post contractum legitime Matrimonium inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cùm suo jure non debeat sine suâ culpa privari.* Ergò supponit Pontifex, mulierem, de qua ibi erat quæstio, non peccasse peccato incestûs, & per consequens nec adulterii; quid ergò mirum, si vir adulterium non posset ei objicere? Censen', quia si volens fuisset tradita, vir non posset ei objicere incestum, & eâ ratione negare debitum?

Verùm (inquit Sanchez sup. disp. 5. n. 4.) 205. omninò

Oppositam sententiam docet Sanchez, & probat eod cap.

omninò tenendum est, sufficere, ut de viri beneplacito uxor etiam volens committat adulterium, ne ob id à viro dimitti possit. Quod apertè probat textus d. cap. *Discretionem*, ibi: *Præsertim invitam*. Nam de natura illius dictionis implicativæ, *Præsertim*, est, asserere certum, & denotare seu implicare idem esse in casu magis dubio contrario. Atque ita vult textus, idem dicendum esse, quando uxor volens prostituta est à viro.

Quid in d. textu significet ly Præsertim

Nec valet dicere: *Præsertim*, accipi pro *Tantùm*; quia ea est impropria usurpatio, ut docet Sylvester Sum. verb. *Maximè*, n. unico dicens: Maximè dupliciter sumitur, scilicet pro *Tantùm*, & stat impropriè: quandoque verò stat propriè, & ponit idem in casibus alijs; sed majorem rationem in expresso. Proprietas autem verborum (inquit Sanchez) servanda est, nec ab ea recedere licet, nisi quando in significatione propria verificari minimè possunt.

206. *Objectio.*

Planè, inquis; sed hoc est quod quæritur, an possint verificari in propria significatione; quandoquidem dum volens prostituitur, reverà delinquat contrà fidem matrimonialem adulterando; dum autem nolens, non peccat peccato adulterij, saltem externo; neque interno, si desit consensus etiam internus. Et alioqui, sicut dixi, quæ volens traderetur consanguineo sui viri, non foret privata jure petendi debitum.

Solvitur.

Respondeo disparitatem esse; quòd in præsenti materia locum habeat condonatio partis, & compensatio delictorum, ut patebit ex dicendis: secùs in pœna incestûs, ut suo loco ostendimus; jam autem qui uxorem suam volentem prostituit, particeps est ejusdem culpæ, & videtur delictum condonare.

207. *Infidelis conversus indebitè respuens cohabitationem infidelis, non potest ei objicere fornicationem.* D. Tho.

Et consimiliter, si vir infidelis, conversus ad fidem, recusavit retinere uxorem consentientem cohabitare absque contumelia creatoris, non poterit ei, conversæ ad fidem, objicere fornicationem tempore infidelitatis admissam, ut docet D. Tho. 4. dist. 39. in fine expos. literæ, ibi: *Et dicendum, quod si mulier conversa repetat virum suum conversum, vir non potest excipere contrà eam de fornicatione prius commissa, si ipse occasionem fornicandi dedit; puta si noluit cohabitare ei volenti cohabitare sine contumelia creatoris.*

Fundamentum hujus doctrinæ. Sanchez.

Sed quod fundamentum hujus doctrinæ? Non utique ratione occasionis illius datæ; quia solùm fuit occasio remota: sed dicendum est (inquit Sanchez sup. n. 8.) id esse quoddam repudij genus, cùm ille infidelis conjux omninò à consortio maritali excludatur. Et cùm infideles existiment dissolvi Matrimonium per repudium, non potest fornicatio illa damnari tamquam adulterina; & subinde non potest esse causa divortij. Deinde: eo ipso quòd infidelis ipse omninò exclusus est, videtur excludens quasi liberam facultatem concedere ad usum sui corporis absque Matrimonij injuria. Sic ille.

208. *Idem dicito de marito negante coram Judice*

Et n. 9. consequenter docet: quòd si, marito negante coram Judice Matrimonium, quod, quia probari non potuit (ut si fuit clandestinum ante Concil. Trid. vel obiere Parochus, & testes, coram quibus est celebratum post Trid. & non est in libro scriptum, aut ille non comparet) dissolutum est Matrimonium: non potest uxor tunc transiens ad alias nuptias, easque consummans, ratione hujus adulterij dimitti à priori viro. Quia eam omninò dimittens, negansque Matrimonium, & obtemperans sententiæ dissolutionis illius, dedit causam propinquam adulterij illius. Et idem credo, si tunc illa fornicetur. Quia militat eadem ratio occasionis propinquæ datæ. Sic ille. Ac proinde ratio impliciti consensûs seu condonationis.

Matrimonium. Sanchez.

Quæ ratio non videtur militare, quando datur occasio solùm remota, qualis est ejectio injusta, & subtractio alimentorum; præsertim, si adulterium subsequens non fuerit prævisum; aut si prævisum, tamen non intentum, neque ad hoc ordinatum; arg. l. 38. de Statulib. *Non omne ab hæredis persona interveniens impedimentum statulibero, pro expleta conditione cedit; sed id dumtaxat, quod impediendæ libertatis factum est.*

209. *Dare occasionem remotam non est tacitè consentire.*

Probatur à simili.

Veluti, dum quis exponit seipsum periculo remoto peccati, v. g. adulterij, nequidem implicitè censetur in eo consentire; ergò similiter, dum exponit uxorem, dando occasionem remotam adulterij, non censetur implicitè in illud consentire; cùm illa occasio ad id minimè fuerit ordinata; sed adulterium contingat omninò contrà voluntatem mariti.

210. *Objicitur.*

Sed contrà: potest commodè & tenetur lapsum uxoris impedire; quippè tenetur injustè ejectam revocare, & alimenta non subtrahere, quo facto ipsa non adulterabitur; ergò si non facit, censetur implicitè consentire, juxtà ultimam partem Conclusionis; atque adeò non poterit propter hoc adulterium celebrare divortium.

Solvitur.

Et ideò Aversa sup. ut audivimus, distinguit inter adulterium prævisum, & non prævisum; quamquam in jure talis distinctio non reperiatur. Nec mirum; quia ex occasione remota vir non prævidet rationabiliter, nec debet prævidere uxorem lapsuram; & idcircò, per se & communiter, non censetur tacitè in adulterium, per accidens ex mala uxoris voluntate secuturum, consentire; jus autem loquitur de eo, quod frequenter accidit.

211. *Resolutio Auctoris.*

Cæteroqui, si vir prævideret & posset commodè impedire, ei alimenta subministrando, aut ejectam revocando, nec vellet facere; non video, quin implicitè consentiret; atque adeò dicerem cum Aversa, quòd tali casu non posset uxori adulterium objicere: sicuti cùm, nullâ datâ occasione, scit uxorem adulteraturam, & non vult impedire, tametsi commodè posset. Vel detur disparitas inter illos casus. Eam expectabo à doctoribus. Interim pergam ad compensationem criminum, quæ hic habet locum, ut sup. diximus. Erit igitur

CON-

CONCLUSIO VI.

Mutua adulteria pari compensatione tolluntur quoad jus divortij: plura unico, graviùs leviori, publicum occulto, prius posteriori, & posterius priori, etiam post emendationem.

212. *Hic fit criminum compensatio, per c. 4. de Divort.*

VIdeamus primò, quod certum est, & ab Omnibus admissum : scilicet, hìc fieri compensationem criminum, ut statuitur seu declaratur cap. *Significasti*, 4. de Divort. in fine : *Nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* Ubi Gloss. verb. *Constaret*, ait : *Ita quòd esset notorium adulterium viri : alias ipsam oporteret priùs probare adulterium viri, & sic crimina mutua pari compensatione tolluntur*, 32. q. 6. *Nihil.* Ubi ex D. Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte, c. 28. refertur : *Nihil iniquius, quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud : In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas ; eadem enim agis, quæ judicas.*

213. *Idem probatur ex cap. 5. eod.*

Hinc cap. 5. de Divort. Matrimonium separatur propter adulterium mulieris, & si vir posteà fornicetur, redintegratur, in fin. *Unde fraternitati tuæ mandamus, quatenùs si res ita processit* (id est, si post separationem vir cum alia nuptias celebravit) *prætaxatum virum ad legitimam uxorem redire compellas.* Ubi Gloss. verb. *Redire compellas*, rationem assignat : *Quia non continuit, secundùm quod ei fuit injunctum, & ideò eam recipere compellitur.*

Et cap. penult. de Adult.

Idem decernitur ab Innoc. III. in cap. penult. de Adult. ibi : *Quocirca mandamus, quatenùs (nisi tibi constiterit, vel per evidentiam rei, vel per confessionem legitimam mulieris, quod adulterata sponte fuisset) adulterij etiam, quod vir dicitur commisisse, probatione cessante, ipsum recipere compellas eamdem. Quòd si prædicto modo de mulieris fornicatione constiterit (nisi testes, per quos viri adulterium est probatum, fuerint reprobati, cùm Matrimony jus in utroque læsum consistat, & paria delicta mutua compensatione tollantur) nihilominùs eum cogas, ut eam recipiat, & maritali affectione pertractet.* Ubi Gloss. verb. *Mutuâ compensatione*, inquit : *Vir uxori objicere adulterium non potest, si ipse est in simili delicto.*

214. *Itemque cap. seq.*

Idcircò cap. seq. in fine idem Pontifex rescribit Episc. Ambian. sub hac forma verborum : *Super quo tibi respondemus, quod cum paria crimina compensatione mutuâ deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu, suæ uxoris nequit consortium declinare.* Casus Innoc. propositus hic erat : *Vtrùm aliquo denegante uxori suæ in adulterio deprehensæ debitum conjugale, si postmodum ipse cum alia perpetret adulterium manifestè, cogi debeat, ut eamdem maritali affectione pertractet.*

Et leg. 39.

Addam jus civile ; ff. Soluto Matr. l. 39. sic ait Papinianus lib. 11. Quæst. *Vir atque uxor mores invicem accusantibus, causam repudij dedisse utrumque, pronuntiatum est. Id ita accipi debet, ut eâ lege, quam ambo contempserunt, neuter vindicetur ; paria enim delictâ mutuâ pensatione dissolvuntur.* *ff. Soluto Matr.*

Sed si paria delicta, arguit quispiam : ergò sequens pars Conclusionis : *Plura unico*, non subsistit. Quippè plura adulteria, & unicum, non sunt paria delicta ; sed multùm disparia. Et ideò Castro sup. Est, inquit, adhuc aliud admonendum, quòd ad justam delicti compensationem in hoc casu faciendam non est opus, ut eâdem fornicationis specie sit uterque infectus ; sed satìs est, ut sit in eodem fornicationis genere, quàmvis in diversa specie ; dummodò is, qui se per exceptionem tueri vult, sit leviori culpâ, & non graviori pollutus. Is enim, qui solùm adulterij crimen commisit, potest se per exceptionem tueri contra alterum, qui crimine fornicationis contra naturam pollutus est : non tamen è contrario ; quia simplex adulterium, & peccatum contra naturam, sunt crimina imparia. Ita hic Auctor. Qui consequenter diceret, eum qui plura commisit adulteria, non posse per exceptionem se tueri contra alterum, qui tantùm unicum ; benè è converso. 215. *An plura adulteria unico compensentur. Castro.*

Igitur Alphonsus & Alij, quos citat Sanchez lib. 10. disp. 6. n. 4. paria crimina explicant quantitate & qualitate. Et ita adversantur nostræ Conclusioni, quæ admittit compensationem inter plura, & unicum adulterium, inter gravius & levius ; adeò ut qui plura & gravius admisit, possit excipere contra eum, qui tantùm unicum vel levius commisit. Quæ est sententia Sanchez sup. n. 5. & 8. 216. *Aliqui negant. Sanchez affirmat.*

Fundamentum ejus est ; quòd jura non respiciant vel numerum vel specificam gravitatem, exceptâ fractione fidei conjugalis ; quæ sicut est unica ratio, propter quam conceditur divortium ; sic pariter est sola ratio, propter quam delicta mutuâ compensatione tollantur : hæc autem ratio invenitur in unico adulterio, & in adulterio naturali ; atque ideò sunt paria crimina, unicum & plura, naturale & contra naturam ; non quidem quantitate, & qualitate ; sed in ordine ad divortium ; quod æquè licet propter unum adulterium, & propter adulterium naturale ; quàm propter plura adulteria, & propter adulterium contra naturam, vel aliâ insuper malitiâ infectum, v. g. sacrilegij vel incestûs. *Ejus fundamentum.*

Hinc cum incertum sit, ut patet ex supradictis, an sodomia aut aliud peccatum contra naturam sit causa sufficiens divortij ; planè autem certum, sufficere adulterium naturale ; consequens videtur esse, ut is, qui commisit peccatum contra naturam, possit excipere contra eum, qui infectus est peccato adulterij naturalis, non obstante, quòd graviùs peccaverit ; quia minùs peccavit in ordine ad divortium, quoniam ejus peccatum minùs repugnat Matrimonio. Sanè in juribus prælègatis, in quibus conceditur compensatio, nulla fit mentio qualitatis, aut quanti- 217. *Qui commisit sodomiam, potest excipere contra adulterium naturale.*

tatis adulterij, ut possit vel non possit fieri exceptio.

Quæ hìc vocentur paria delicta.

Statuendum ergò est, ad compensationem sufficere quodcumque alterius delictum, quod per se præbuisset sufficientem divortij causam. Et sic intelligi paria delicta, id est, pariter per se sufficientia ad divortium. Ita Aversa sup. sect. 4. §. *Statuendum.* Vel dic: paria delicta, id est, mutua delicta: ut videtur intelligere Glossa. cap. *Significasti*, sup. allegata, dicens: *Et sic crimina mutua pari compensatione tolluntur.*

Aversa.

218. *Aversa sequitur Sanchium.*

Itaque licet unus (utor verbis Aversæ sup.) semel tantùm fornicatus sit, alter pluries, & cum pluribus personis, adhuc datur compensatio. Licèt unus sodomiam aut bestialitatem, aut plura hujusmodi commisisset, & alter naturalem solùm fornicationem; adhuc admitti debet compensatio in sententia eorum, qui volunt ea crimina sufficere ad divortium. Sicut utique datur compensatio, si unus cum persona conjuncta incestum, aut Deo consecrata sacrilegium commisisset, & alter cum persona libera absque alia circumstantia.

Potiùs videri potest, non subjici legi compensationis illum, qui ea contra naturam crimina patrasset, si ea non erant simpliciter ad divortium sufficientia: sicut de eo, qui peccasset cum corpore mortuo, fatetur Sanchez sup. n. 3. Et quia, licèt in genere luxuriæ graviùs sit peccatum contra naturam; tamen magis injuriosum & repugnans Matrimonio est adulterium per copulam naturalem, ut idem advertit n. 5. & nos sup. notavimus. Atque ista satis de hac parte Conclusionis.

219. *Adulterium publicum compensatur occulto.*

Sequitur: *Publicum occulto.* Id est, adulter publicus potest opponere consorti, volenti divortium facere, seu neganti debitum, simile delictum sibi notum, quàmvis apud alios occultum, & ita illum compensationis lege adstringere; dummodò tamen certus sit de simili consortis adulterio: alioqui si non sit certus, non potest ad compensationem cogere; quia liquidi ad illiquidum, certi ad incertum non debet fieri compensatio, arg. l. fin. Cod. de Compensation. ibi: *Ita tamen compensationes objici jubemus, si causa, ex qua compensatur, liquida sit, & non multis ambagibus innodata; sed possit Iudici facilem exitum sui præstare.*

l. fin. Cod. de Compens.

220. *Adulter occultus non potest in conscientia divertere a publico.*

Aversa.

Consequenter (inquit Aversa sup. §. *Sed statuendum*, in fin.) ipse adulter occultus non potest in conscientia facere, aut petere divortium ab altero delinquente publico, nec potest illi debitum denegare, quantumvis de suo delicto doleat. Et secùs faciendo peccaret, non solùm venialiter, sed verè mortaliter: quia res est gravis, & contra jus alterius.

In foro autem externo, si unus probet alterius adulterium, & hic opponat simile illius delictum, sed ex defectu testium probare non possit, decernet quidem Judex fieri divortium, & non fieri compensationem, quia procedit juxtà allegata & probata: attamen ille, qui coram Deo conscius est sui similis adulterij, graviter peccat, & injustitiam committit, & jure restitutionis remanet obligatus ad retractandum hoc factum, & ad redintegrandum usum Matrimonij, quantùm fieri poterit, & alter postulabit. Ita Aversa.

221. *Probatur ex Sanchio. Primò.*

Estque sententia communis, tum Iurisperitorum, tum Theologorum; ut videre est apud Sanchez sup. n. 9. ubi & ipse eam amplectitur, & probat. Nam in foro conscientiæ occulto non desideratur probatio per testes, sed sola veritatis cognitio. Quare nihil interest, an fornicatio secreta sit, nec ne; quando ipsi conjugi constat, se fornicatum fuisse. Præterea: uxori adulteræ publicè, cujus vir occultum adulterium perpetravit, non deficit jus excipiendi, ut crimen suum alterius crimine tollat; sed sola deficit probatio. Propter defectum autem probationis, etsi in foro contentioso à causa cadat; non tamen in foro conscientiæ. Sicut qui reverà æs alienum contraxit, licèt creditor probare nequeat, reverà debitor est; nec poterit simile debitum sibi ab eodem recuperare, sed compensare tenebitur. Sic ille ex Castro sup. post D. Tho. 4. dist. 35. q. un. a. 6. ad 5. & D. Bonav. ibi in expositi. literæ n. 1. & a. 1. q. 1. in fin. corp.

Secundò.

Castro. D. Tho. D. Bonav.

222. *Tertia probatio.*

Non refero eorum verba; quia nihil speciale continent, præter probationem ex caus. 32. q. 6. per totam, ubi absolutè docetur, neutrum posse alterum dimittere, si ipse fornicatus est; nec distinguitur ibidem, an fornicatio alterius sit occulta vel publica. Ita Castro. Ergò nec nos distinguamus.

Qualiter dimittendo peccet. Henriquez putat, venialiter.

Nec audiendus est (inquit Sanchez sup.) Henriquez lib. 11. de Matr. c. 17. n. 3. dicens, esse culpam venialem, si vir occultus adulter uxorem manifestè adulteram dimittat, accusetve. Quia cùm gravissima sit, divortium celebrare, si occultus adulter jure dimittendi caret, non potest esse culpa venialis tunc dimittere, divortium celebrando.

223. *Castro docet, quòd mortaliter, eique adhæret Sanchez.*

Et ideò Castro sup. docet, esse culpam mortalem, ibi: Et hoc verum est, etiamsi viri fornicatio sit occulta, uxoris autem manifesta: quia tunc peccaret mortaliter vir, si uxorem dimitteret aut accusaret. Sicuti peccaret mortaliter creditor, qui à debitore suo, qui nequit probare solutionem debiti, quam ipse probè novit, peteret solutionem in foro externo: & nullus dubitat, quin talis, non obstante sententiâ formaliter justâ, quia latâ secundùm allegata & probata, teneretur ad restitutionem.

Objectio ex cap. 4. de Divort.

Sed dicet Aliquis: cap. *Significasti*, de Divort. requiritur notorietas adulterij, ibi: *Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet: nisi constaret, ipsum cum alia adulterium commisisse.* Ubi Glossa. verb. *Si notorium*, interrogat; *Quid si occultum est, & in modum exceptionis objiciat ei illud adulterium petenti restitutionem? Dico, quod non auditur, quousque fuerit restituta.* Et verb. *Nisi constaret*, ait: *Ita quod esset notorium adulterium viri: alias ipsam oporteret priùs probare adulterium viri, & sic crimina mutua pari compensatione tolluntur; inf. de Adul. cap. penult. & ult.* Ubi similiter requiritur notorietas delicti, ut patet ex verbis textuum superiùs allegatis.

Respon-

224. *Solutio Sanchez.* Reſpondet Sanchez ſup. quòd hæc jura non agant de compenſatione in foro conſcientiæ facienda: ſed quando mulier dimiſſa à viro adit Judicem, petitura reſtitutionem, & vir exceptione adulterij notorij impedit reſtitutionem; tunc enim, juxtà illorum textuum deciſionem, dicit Gloſſ. & alij Doctores, non eſſe audiendam mulierem, ut reſtitutio ab ipſa petita concedatur, ſi contra exceptionem ſui adulterij notorij replicet, allegans adulterium viri, nili etiam illud notorium ſit: aliàs impedietur reſtitutio, donec viri adulterium probetur: illo autem probato, reſtitutio fiet, compenſatis hinc inde adulterijs. Et ſic id explicant Innoc. eod cap. *Significaſti*, n. un. ſuper verb. *Conſtaret*, & Hoſtienſis ibi in fine. Ita Sanchez.

Jura citata loquuntur de foro externo. Breviter: jura citata agunt de Divortio in foro externo, in quo requiritur notoreïtas facti; in foro conſcientiæ inſpicitur ſolà rei veritas: veritas, inquam, fractionis fidei conjugalis, quæ æqualis eſt in adulterio publico & occulto; non autem veritas infamiæ, quæ per accidens ei conjungitur.

225. *Caſus, in quo vir adulter licitè dimittit adulteram, ex Sanchio.* Cæterùm in aliquo caſu vir adulter licitè dimittet uxorem, æquè adulteram; nempè (ut notat Sanchez ſup. n. 10.) ſi inter utrumque conjugem per tranſactionem conveniat, ut vir non accuſet uxorem adulteram ad pœnam capitalem ipſi infligendam (id enim, non obſtante ſuo adulterio, poteſt efficere; quàmvis quoad divortium & pœnam civilem compenſentur adulteria) eâ lege, ut uxor in locum aliquem honeſtum ſe recipiat, ubi ſeparata ab ipſo viro vitam tranſigat. At abſque uxoris conſenſu id efficere nequit. Quia poteſt illa eligere, pati accuſationem. Nec etiam id in pactum deducere poteſt, quando jus accuſandi criminaliter amiſit lapſu temporis, vel aliâ causâ, vel quia deficit probatio. Non enim pœna hæc debetur ante Judicis ſententiam: nec uxor criminaliter accuſari poteſt, deficiente probatione, & ſi accuſetur, non tenetur fateri crimen ſuum. Ita hic Auctor.

226. *Objectio ex l. 18. Cod. de Tranſact. Solvitur à Sanchio.* Cui ſi objicias l. 18. Cod. de Tranſact. *Tranſigere vel paciſci de crimine capitali, excepto adulterio, prohibitum non eſt.* Ergò de adulterio paciſci non licet. Reſpondet cum Alijs, quos citat; non valere remiſſionem adulterij, pecuniâ factam, vel ſub alio pacto lucrum afferente ipſi marito; ſecùs ſub alio quovis pacto, carenti eo lucro; ut eſt pactum, ut uxor includatur, exuletve. Quia cùm poſſit vir adulteram, præcedente Judicis ſententiâ, occidere, poteſt tranſigere, ut minorem pœnam admittat, v. g. exilij, quò mortem, juſtè ſibi inferendam, evadat.

Maneat itaque, nihil referre ad hanc mutuam delictorum compenſationem faciendam, quod unum ſit publicum, & alterum occultum; nihil, inquam, referre in foro conſcientiæ, de quo loquitur Concluſio. Uti nec alicujus conſiderationis eſt, etiam pro foro externo, uter conjugum priùs ſit lapſus in adulterium. Quia (inquit Sanchez ſup. n. 6.) jura ſolùm ponderant, utrumque conjugem ſimili crimine jam infici, & neutrum Matrimonij fidem illæſam ſervaſſe, non habitâ ratione prioritatis vel poſterioritatis, delicti; ut conſtat ex textibus ſub relatis.

Perinde eſt, quis priùs peccaverit vel poſteriùs, etiam in foro externo. Sanchez.

Et ita docet Gloſſ. in cap. *Veniens*, 16. de Converſ. conjug. verb. *Sponte*, ibi: *Sed quid, ſi vir fornicetur in Monaſterio, cui mulier dedit licentiam, numquid ipſum repetere poteſt? Non*, 33. q. 5. Quod Deo pari: *quia perdidit omne jus, quod habuit in viro; quia propter conſequens delictum non renaſcitur ſervitus amiſſa, de Conſecr. diſt. 4.* Quæris. *Licèt ſecùs eſſet, ſi ambo eſſent in ſæculo, & propter fornicationem alterius ambo eſſent diviſi, inf. de Divort.* Ex literis, *& ſup. de Iurejur.* Tua. Ergò propter conſequens adulterium renaſcitur jus per prius adulterium amiſſum. Idque veriſſimum eſt, inquit Sanchez ſup. & nullum dubitantem inveni. 227. *Eſt ſententia Gloſſ. in c. 16. de Converſ. conjug.*

Quid ſi prius adulterium fuerit condonatum? Quidam putant dari compenſationem. Imò quidam hoc extendunt, ut licèt prius adulterium conjugis ſit condonatum ab altero conjuge innocente; ſi poſt condonationem innocens labatur in adulterium, detur illius compenſatio cum adulterio illo priori condonato, neutriquè divertere liceat, & priori petenti divortium obſtet exceptio ſui adulterij, quamvis remiſſi. Quia quàmvis adulterium remiſſum nequeat in judicium deduci ad effectum accuſationis; poteſt tamen ad effectum excipiendi contra accuſantem ad divortium. Quædam enim conſequi poſſumus excipiendo, quæ non poſſumus agendo: & quia accuſans de crimine, debet ejus eſſe immunis; cap. 1. 32. q. 6. ibi: *Quiſquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet eſſe a fornicatione purgatus. Quod ſimiliter etiam de fœmina dixerim.*

228. *Oppoſitum placet Sanchio cum Gloſſ. & Aſtenſe.* At hoc mihi diſplicet (inquit Sanchez ſup. n. 7. & ideò dicendum eſt cum Gloſſ. eo cap. 1. in fine, & Aſtenſe 2. part. Sum. lib. 8. tit. 33. a. 3. ad finem; minimè competere conjugi, poſteriùs adulteranti, exceptionem illius adulterii, quod condonavit, nec dari compenſationem; ſed poſſe priorem conjugem celebrare divortium. *Remittentibus enim actiones ſuas non eſt dandus regreſſus*, l. *Quæritur*, 14. verſ. *Si venditor*, ff. de Ædil. edict. Deinde: quia reconciliatio contractum Matrimonij ad ſuum priſtinum ſtatum revocavit, ac ſi nulla eſſet uſque tunc fornicatio admiſſa; in quo eventu poſſet utique prior conjux reconciliatus à conjuge pòſt adulterij reo divertere. Ita Sanchez.

Probatur ex jure & ratione. Hæc ſunt verba Gloſſæ: *Sed quid ſentis, ſi vir eam ſibi reconciliavit, & poſteà vir adulteratur? Si enim uxor velit eum accuſare, poterit eam repellere exceptione adulterii, quod uxor commiſit, & ipſe remiſit, reconciliando eam: & etiam Deus ſibi remiſit, cum jam ipſa pœnituit, ſup. eâd. q. 1.* Apud miſericordem. *Reſp. ſic; quia quædam poſſumus conſequi excipiendo, quæ non poſſumus conſequi agendo; quia qui crimen intendit, videndum eſt, ſi ipſe priùs fuerit criminoſus, ut 6. q. 1.* Qui crimen. *Arg. contra*, 23. q. 4. Si illic. *Hugo. Ego dico, quòd viro non competit exceptio, cùm jam ſit ab ea remiſſa, ut ff. de Ædil. edict.* Quæritur, §. *Si venditor.* *Referuntur verba Gloſſæ.*

Sed quid, ſi vir eam ſibi non reconciliavit; ea tamen pœnituit de adulterio, & emendata eſt? 229. *Quid ſi*

Eadem

adultera solùm pœnituerit & emendat: sit? & non sufficit secundùm d. Gloss.

Eadem Gloss. verb. *Purgatus*, inquit: *Id est, immunis. Non enim sufficit, quod sit purgatus: nam licèt uxor pœniteat de adulterio, si tamen viri adulterium velit accusare, repellitur exceptione. Nam cùm post pœnitentiam vir posit eam accusare; videtur multò fortiùs, quòd eam posit exceptione repellere; arg. inf. prox. causâ q. 2.* Admonere. *Arg. ff. de Reg. juris*, Invitus, §. *Cui damus actiones, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.*

Atque hæc est ultima pars nostræ Conclusionis, quæ tamen non omnibus placet; Aliquibus caulantibus, conjugem illum resipiscentem, & jam emendatum, posse divertere ab adultero incorrigibili, & in fornicatione persistenti.

230. *Oppositum probatur.*

Fundant se Primò: quia non censentur paria delicta, quandoquidem unum est emendatum, & alterum perseverat. Secundò: quia ultima mora nocet, & hæc est, quæ trahit ad se periculum & damnum, l. *Illud*, ff. de Periculo & commodo rei venditæ, ubi in fine: *Æquum est, posteriorem moram venditori nocere.* Tertiò: quia adulter, factâ jam pœnitentiâ, ad pristinum statum est jam restitutus, & factus innocens: poterit ergò divertere à conjuge postmodum adulterante, ac si ipse adulterij minimè reus esset. Auctores hujus sententiæ vide apud Sanchez sup. disp. 7. n. 3.

Moderatio Sanchij.

Ipse autem n. 4. eam moderatur: si admonitus alter conjux in adulterio persistat. Ducitur: quia monitio illa & interpellatio, quâ adulter adulterum interpellat ac monet, ut corrigantur, simulque habitent, vim habet reconciliationis. Sic enim interpellans & monens reconciliationem offert alteri, & ex parte sua illum reconciliat; & nil referre videtur, si alius nolit acceptare, tenetur enim admittere; quare si pòst labatur in adulterium, ultima mora sibi nocere debet, & perinde censebitur, ac si reconciliatione factâ commisisset adulterium. Sic ille.

231. *Hujus sententiæ videtur fuisse S. Bonav.*

Atque hujus sententiæ videtur fuisse Doct. Seraphicus 4. dist. 35. in posit. lit. n. 1. ibi: *Si tamen vir egisset pœnitentiam, & illa accusata nollet agere pœnitentiam, si perseveraret in adulterio, creditur tunc, quòd vir posit eam accusare, & dimittere per sententiam.*

Eamque docet Castro.

Idem docet Castro sup. ibi: Hìc tamen admonere oportet, quòd, sicut dicitur in l. *Illud*, ff. de Periculo &c. ultima mora nocet; & illa est, quæ trahit ad se periculum. Et indè sequitur, ut utroque conjuge fornicante, ille, qui correctus fornicationem deserit, habet jus dimittendi alterum incorrigibilem, & in fornicatione persistentem; sed non è contrario; quia jam non sunt paria delicta, quando unum est emendatum, & alterum perseverat. Sic ille. Ubi ponderat incorrigibilitatem, & persistentiam seu pertinaciam. At (inquit Sanchez sup.) non videtur pertinacia, ubi non datur admonitio & interpellatio alterius conjugis, qui pacem ac reconciliationem offert.

232. *Pro eadem opinione*

Pro eadem opinione stat Navar. lib. 4. Consil. tit. de Divortio, consil. 3. & Alij complures apud Sanchez sup. quibus adde Aversam sup. §. Quintò, Coninck disp. 35. dub. 2. concluf. 6. Bonaci. q. 4. punct. 5. n. 15. Sed pro oppositâ doctrina decertat Pontius lib. 9. c. 17. n. 9. in fine, ibi: An verò, si nocens conjux jam correctus alterum admoneat, ea correctio vim habeat reconciliationis; Nonnulli dubitant, & affirmant habere reconciliationis vim. Sed non rectè, quantùm ego judico.

stat Navar. cum Alijs. Pro oppositâ Pontius.

Nam (inquit) ex ea correctione non colligitur, reconciliatum esse utrumque; sed tantùm eum condonasse, qui admonet. Quare qui pertinax est, non censetur condonasse. Undè injuriâ persistente, etiamsi alter, qui admonuit, condonaverit, non potest esse divortium. Imò is, qui admonitus est, cui condonatum adulterium est, & ipse reconciliari noluit, potest divortium petere, si post admonitionem non deliquit. Quòd si deliquerit, neuter potest divortium petere; perseverat enim mutua injuria. Ita Basilius.

Ratio.

Quem sequitur Dicastillo sup. n. 28. dicens: Nec placet, quòd docet Sanchez & Coninck, quos rectè rejicit Basilius; scilicet, non esse causam sufficientem, quando emendatus admonet alterum seu inducit ad emendationem, & ad reconciliationem; quia eâ invitatione non extinguitur injuria illata ei, qui admonetur & invitatur; quia invitatio seu inductio non est satisfactio injuriæ. Sic ille. Et ante ipsum Mart. Perez de Matr. disp. 56. sect. 3. n. 2.

233. *Pontium sequitur Dicast.* *Item Mart. Perez.*

Enimverò illa admonitio oblatio quidem est reconciliationis, non tamen acceptatio ex parte ejus, qui perseverat in peccato; & quàmvis teneretur eam acceptare, se emendando, & imposterùm à similibus peccatis abstinendo; attamen si non acceptat, non censetur injuriam priùs sibi illatam condonare. Veluti, quàmvis aliquis deberet remittere debitum pecuniarium ex charitate; equidem si verè non remittat, tametsi peccet non remittendo, manet obligatio justitiæ in debitore: ergò similiter hîc. Tenetur quidem adulter se emendare ex virtute justitiæ &, castitatis; tamen si non faciat, haud ideò censeri debet, alteri condonare injuriam priùs sibi factam.

Satisfit fundamento Sanchij. *Simile.*

Pone, quòd uterque se emendaverit, num propterea erunt reconciliati? Secundùm Sanchez sup. non sufficit sola unius partis emendatio; sed insuper requiritur, ut alteram partem admoneat seu interpellat; cui admonitioni, tametsi ipsa acquiesceret se emendando, equidem hoc ipso non debet cedere jure suo, quod habet ad compensationem delicti, si fortè posteà contingat se rursùs delinquere.

234. *Probatur ulteriùs opinio Pontij.*

Sanè, ut antea dictum fuit, ad divortium celebrandum nil confert, uter priùs aut posteriùs, sæpiùs aut rariùs adulteratus sit. Et ideò impræsentiarùm posterior mora non nocet, sicut in venditione; nisi adsit reconciliatio ex parte utriusque; viri utique respectu mulieris, & mulieris respectu viri; talis autem reconciliatio non est alterius conjugis emendatæ pœnitentia, quæ solùm reconciliat Deo, sed neque admonitio, ut jam statim ostensum fuit.

In præsenti non nocet ultima mora.

Resti-

235. *Reſponſio ad aliud arg. oppoſita partis.* Reſtituitur quidem conjux pœnitens ad priſtinum ſtatum in ordine ad Deum; ſed non in ordine ad conjugem impœnitentem, imò & pœnitentem; ac propterea hic iſtud adulterium opponere poteſt, dum id minimè condonavit, reconciliatione factâ ex parte ſua. Ita, præter illos, quos ſup. allegavi, docet Ledeſma 2. p. 4. q. 64. a. 2. paulò ante §. *Erat ſecundum dubium*, & Pet. de Ledeſma de Matr. q. 62. a. 1. dub. 2. teſte Sanchio ſup. n. 2. & mihi videtur hæc opinio probabilior. Ledeſma.

Quæro autem; an etiam poſt latam divortij ſententiam fiat compenſatio delictorum? Et reſpondeo:

CONCLUSIO VII.

Sententia divortii non impedit compenſationem mutui adulterij.

236. *Proponitur unus caſus Concluſ.* Fieri poteſt, ut, poſtquam unus conjugum, allegato & probato adulterio conſortis, obtinuit divortium per ſententiam, hic deducat & probet ſimile illius delictum: nunquid adhuc dabitur compenſatio, & debebit tam in foro externo, quàm interno, Matrimonium reſtaurari, & ſententia divortii, à Judice lata, reſcindi, & conjux dimiſſus ad dimittentem reduci? Quid ſi poſteà conſtet, illas adulterij probationes fuiſſe falſas; atque adeò illum conjugem ex falſa præſumptione condemnatum; & jam tranſactum ſit totum decennium, alioqui ad appellationem conceſſum, vel etiam, interpoſita appellatione, fuerit divortium per tres ſententias conformes confirmatum?

237. *Reſolutio Sanchez.* Si neuter ſtatum mutaverit, conveniunt Omnes (inquit Sanchez ſup. diſp. 9. n. 6.) retractandam eſſe ſententiam, conjugeſque reconciliandos. Quia (inquit hic Auctor) ſententia divortij ſolùm tranſit in rem judicatam in favorem innocentis, & odium Rei. At in hoc eventu, aut neuter eſt innocens, ſed ſimili erat labe infectus ante ſententiam: aut uterque innocens erat, & proinde ſententia illa non potuit in rem judicatam tranſire, ſed erit revocanda.

Putant Aliqui, ſententiam divortij non tranſire in rem judicatam. Putant Aliqui apud Sanchez ſup. n. 2. ſententiam divortij non tranſire in rem judicatam, ita ut illâ ſemel latâ, & tranſacto appellationis termino, nempè decennio, adhuc utrique conjugi reclamare liceat; niſi alteruter ſeparatus mutarit ſtatum, v. g. profitendo in Religione approbata, vel aſſumendo Ordinem ſacrum.

238. *Probatur 1. ex cap. 7. de Sent. & re jud.* Probant Primò: ex cap. *Lator*, 7. de Sent. & re jud. in fine: *Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit, eos per judicium Eccleſiæ non fuiſſe legitimè ſeparatos, Eccleſiamq; deceptam, ipſos faciatis, ſicut virum & uxorem, in ſimul permanere.*

Ubi Gloſſ. in expoſit. casûs, fin. *Sententia contra Matrimonium lata, non tranſit in rem judicatam.* Et verb. *Permanere*, inquit: *Non obſtante ſententia priùs latâ: quia contra Matrimonium non currit præſcriptio*, 33. q. 5. Quod Deo. *Etiam dum ab illa ſententia non fuit appellatum; quia ſententia lata contrà Matrimonium non tranſit in rem judicatam, quin revocetur ſententia, quandocumque error ſententiæ detectus fuerit, ut hic patet.* Sententia autem divortij contra Matrimonium tendit: per illam enim ſeparatur quoad torum & mutuam habitationem.

239. *Secunda probatio.* Secundò: quia latâ divortij ſententiâ, nec ſtatu conjugum variato, poteſt innocens agere ad adulteri conjugis inviti reconciliationem: quod admittendum minimè eſſet, ſi ſententia illa in rem judicatam tranſiiſſet. Sic docent Hoſtienſis cap. *Ex literis*, n. 2. de Divort. & Alij, quos citat Sanchius ſup. Eoſque videtur ſecutus fuiſſe Averſa q. 23. ſect. 4. §. *Sextò*, dicens: Nunquam hæc ſententia (divortii) cenſetur tranſire in rem judicatam, quaſi oppugnari & reſcindi non poſſit: ſed ſemper conjux condemnatus debebit audiri, & veris probationibus deductis, abſolvi. Sicut etiam ſententia diſſolutionis Matrimonij ex aliquo capite nullitatis, numquam cenſetur tranſire in rem judicatam, ſed ſemper poterit, detectâ veritate, in priſtinum revocari. Sic ille. Hoſtienſis. Averſa.

Probatur 3. à ſimili.

240. *Quid Alij ad hoc ſimile reſpondeant.* Verùm ad hoc ſimile reſpondent Alij apud Sanchez ſup. n. 3. ſpeciale eſſe, ut ſententia circà vinculum Matrimonij ligandum, vel diſſolvendum, minimè tranſeat in rem judicatam, juxtà d. cap. *Lator*, ne foveatur peccatum. Si enim reclamari non poſſet adversùs illam, declarantem aliquod Matrimonium eſſe validum, quando tranſacto appellationis termino conſtaret de impedimento dirimenti; cogerentur eſſe tamquam conjuges, qui reverà tales eſſe nequeunt: & proinde fornicationis peccatum foveretur. Et ſi contrà declarantem, Matrimonium fuiſſe irritum, non liceret ſemper reclamare, quando conſtaret, falsò oppoſitum eſſe impedimentum dirimens; permitteretur illis, qui vero Matrimonio juncti ſunt, ſuperſtite altero conjuge, ad alias nuptias tranſire. Sententia enim, declarans, prius Matrimonium fuiſſe irritum, ac ſubinde utrumque conjugem ſolutum eſſe, concedit utrique facultatem ad aliud Matrimonium migrandi.

241. *Ex hoc, quod ſententia divortij tranſeat in rem judicatam, non fovetur peccatum.* At ſi demus, ſententiam divortij tranſire in rem judicatam, nullum peccatum fovetur. Nam cùm maneat Matrimonij vinculum, neutri licet aliud Matrimonium inire, & neuter cogitur ad non ſuam, vel non ſuum accedere. Quod ſi ex ſeparatione anſa fornicandi ſumatur, id culpæ conjugis fornicantis eſt tribuendum, & non ſententiæ foventi peccatum. Sententia enim divortij ſuas vires conſervanti, poteſt uterque à fornicatione abſtinere. Ergò id privilegium Matrimonij, ut ejus ſententia non tranſeat in rem judicatam, minimè ad divortij ſententiam eſt protrahendum.

Secunda probatio rejicitur. Nec obſtat: poſſe innocentem ſemper agere ad nocentis reconciliationem. Id enim non conſurgit ex eo, quòd divortij ſententia minimè tranſierit in rem judicatam; ſed quia conjugi innocenti ſemper eſt licitum remittere injuriam ſibi irrogatam, ac ita reconciliare ſibi

sibi adulterum. Atque ita docent Abbas d. cap. *Lator*, n. 12. & Alij.

242. *Putat Sanchez sententiam divortij partim transire in rem judicatam, partim non.*

Sanè negari non potest disparitas jam assignata inter sententiam Matrimonij quoad vinculum, & sententiam divortii; quia tamen divortium aliquo modo pertinet ad Matrimonium; æquum est (inquit Sanchez sup. n. 4.) ut non omninò, sed aliquatenùs ejus privilegium participet, sententiâ in divortij causa non ex toto, sed partim in rem judicatam transeunti. Partim, inquam, id est, in ijs, quæ sunt in adulteri conjugis favorem; secùs in ijs, quæ in ejus odium & innocentis favorem cedunt. Ex quo infert d. Auctor, minimè audiendum illum transacto appellandi termino, volentem allegare injustitiam sententiæ, reconciliationemque petentem: at innocentem semper audiendum esse, agentem ad reconciliationem adulteri: nec adultero suffragari exceptionem rei judicatæ.

243. *Probatur non transire in favorem Rei.*

Ducor (inquit ille) quoniam cùm sententia divortij feratur omninò in favorem innocentis, & ad ejus instantiam, & in odium adulteri, cui nullo modo vult Ecclesia favere, æquitas poscit, ne in favorem Rei transeat in rem judicatam, & innocentis perniciem. *Evidenter enim* (inquit Jurisconsult. l. 16. ff. de Except. rei jud.) *iniquissimum est, proficere rei judicatæ exceptionem ei, contra quem judicatum est.*

l. 16. ff. de Except. &c.

Deinde: si omninò sententia illa transiret in rem judicatam, quàmvis posset injuriam adulterij condonare innocens, atque ita reconciliare sibi adulterum volentem: ipso tamen renitente, minimè posset coram Judice agere ad illius reconciliationem, obstanti sibi exceptione rei judicatæ. Et proindè tunc foveretur peccatum. Nam daretur ansa conjugi fornicandi, ut sic alter divortium intentaret, solutusque esset lege Matrimonij quoad torum & habitationem. Hæc ille.

244. *Objectio.*

Quæ si vera sunt, reponit quispiam; quo pacto reus, condemnatus per sententiam, audiendus est, volens probare suam innocentiam, aut alterum conjugem pariter fuisse nocentem? Cùm enim pro sententia, dum de ipsius injustitia minimè constat, præsumendum sit, ipsi volenti allegare contra illam, obstabit exceptio rei judicatæ, ne audiatur.

Solutio Abbatis.

Respondet Abbas sup. quòd Judex ex officio suo, probato errore sententiæ, seu deceptione Ecclesiæ, poterit Matrimonium redintegrare, ne propter divisionem conjugum possit sequi adulterium; saltem quando conjuges sunt talis ætatis, ut meritò possit dubitari de incontinentia. Sic ille.

245. *Oppugnatur Sanchio.*

Sed hæc solutio non placet Sanchio sup. n. 7. Nam, inquit, etiam quando jam conjux innocens est professus, restituendus est priori conjugi, & ipso petente. Et ita datur actio conjugi reputato reo. Deindè: quia DD. non dicunt, hanc restitutionem faciendam ob periculum incontinentiæ, & solùm eo existente; sed generaliter docent, retractandam esse sententiam illam, tamquam cognitam injustam, & ex errore procedentem, tamquam non transierit in rem judicatam in eo eventu.

Solutio Sanchij.

Ideò meliùs dicendum est: quàmvis audiri nequeat, si ex antiquis actis & allegatis nitatur sententiam illam impugnare; eò quòd præsumatur transiisse in rem judicatam adversùs ipsum: posse tamen audiri illum adversùs illam sententiam, ex novis testibus, aut ex antiquorum falsitate volentem probare antiquæ sententiæ injustitiam, petito beneficio restitutionis ex clausula generali: *Si qua mihi causa justa subest*, cujus meminit Jurisconsultus l. 1. §. fin. ff. Ex quib. caus. majores, *Item si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam.*

l. 1 ff. Ex quibus &c.

Contrà, dicet aliquis: Doctores, de quibus Sanchez sup. sicuti non meminerunt periculi incontinentiæ, sic neque beneficij restitutionis; & omnes aliæ sententiæ ex simili causa retractantur: ergò hìc nihil speciale.

246. *Impugnatur.*

Respondet Sanchez sup. id esse speciale. Quoniam etiam constante veritate ad omnes sententias, quæ transeunt in rem judicatam retractandas, non audietur reclamans adversùs illas, nisi petito beneficio restitutionis ex clausula generali. At verò si veritas aliunde constaret contra divortij sententiam, posset conjux damnatus, absque eo beneficio restitutionis reclamare: imò & Judex ex officio adversùs eam venire, eò quòd in eo eventu non transierit in rem judicatam. At dum id non constat, cùm præsumatur justitia sententiæ, & transitus in rem judicatam adversùs reum, audiri minimè poterit, contrarium ex novis actis probare volens, nisi beneficio restitutionis ex dicta clausula generali petito. Sic ille. Probabiliter quidem; quamquam etiam probabile sit, tale beneficium restitutionis non esse necessarium, ut patet ex dictis.

Defenditur.

Hoc certum est, conjugem, in cujus favorem lata est divortij sententia, teneri in foro conscientiæ ad suum consortium conjugale alterum revocare; non solùm ante mutationem statûs, sed etiam post; ita ut si professus fuerit, teneatur suâ sponte egredi, si possit sine scandalo, & repetere manentem in sæculo. Quia Professio fuit omninò nulla, tamquam sine licentia & absque vera causa facta. Non enim juvari potest ex sententia lata, quam falsæ inniti præsumptioni sibi constat.

247. *Per falsam sententiam non auferetur hìc obligatio in conscientia.*

De hac quæstione sic lego apud D. Tho. 4. dist. 35. a. 5. ad 3. *Potest tamen continentiam vovere viro invito, nisi videat Ecclesiam deceptam fuisse per falsos testes, sententiando de Divortio: quia in tali casu, etiamsi votum Professionis emisisset, restituetur viro, & teneretur debitum reddere, sed non liceret ei exigere.*

Doctrina D. Tho. de hac quæstione.

Consonat Doct. Seraphicus ibi in exposit. lit. n. 5. *Quæritur* (inquit) *si sententia lata est per errorem, & post vir promotus est ad Sacerdotium; si error Ecclesia & deceptio pateat, utrùm reddendus sit uxori, si ipsa non vult continere? Et quod sic, videtur; quia mulier habebat jus suum, & salvo jure mulieris non poterat continentiam vovere*

248. *Consonat S. Bonav.*

vovere contrà voluntatem uxoris. Respondeo: dicendum, quòd inducenda est ad continentiam: quod si manifesta deceptio in latione prioris sententiæ appareret, & ipsa non vult continere, debet vir suus ei reddi. Verumtamen ille non poterit petere debitum, quoniam quantùm in se fuit, continentiam vovit. Et hoc dico, nisi mulier fuerit fornicata.

Aversa. Notat autem Aversa sup. §. *Imò*, arctiùs obligari ad non petendum debitum, qui suscepit Ordinem sacrum, quàm qui professus fuit. Quoniam (inquit) Ordinatio est simpliciter valida, & non patitur nullitatem, sicut Professio: ac per se ex præcepto & instituto Ecclesiæ obligat ad continentiam, independenter ab intentione ordinati, nisi inquantùm is sponte voluit ordinari.

249. *Quid si uterque mutaverit statum?* Quòd si interim (prosequitur hic Auctor) alter etiam, qui dimissus per divortium fuerat, statum mutet, profitendo, vel sacrum Ordinem suscipiendo, quàmvis ex errore, quo putat sententiam divortij fuisse justam; non posse tunc Matrimonium restaurari, & tales conjuges sibi invicem restitui, statuit Sanchez n. 12. & 23. Tum, quia talis error non reddit Professionem irritam. Tum, quia facto ipso intercessisse videtur tacita quædam licentia ad statum mutandum; & ita mutatio rata ac firma redditur. Ita Aversa. Ubi sequitur sententiam Sanchij, quæ ab Aliquibus oppugnatur.

Non potest Matr. restaurari, secundùm Sanchez. quem sequitur Aversa.

250. *Expenditur hæc doctrina* Nunquid etiam expugnatur? Judicet Lector ex his, quæ subjungo. In primis, fieri potest, ut uterque nesciat alterius mutationem, & tunc non intercedit hæc licentia, secundùm Sanchez sup. n. 12. ibi: Uterque sciens alterius ingressum, videtur facto ipso licentiam concedere: secùs, quando ignorantia ingressûs alterius adesset.

Impugnatur. Sed esto uterque sciat mutationem alterius, quid inde? Tacita illa licentia non minùs innititur fallæ præsumptioni, quàm sententia divortij. Ergò sicut hæc non transit in rem judicatam, saltem quoad ea, quæ sunt in favorem innocentis; neque aliquem habet effectum in foro conscientiæ, sed revocanda est; ita pariter hæc licentia in foro saltem conscientiæ erit omninò nulla; & per consequens Professio nulla, cujus valor ab ea dependet.

251. *Oppositum asseritur.* Pone ergò, innocentem Professionem fecisse, nolentem cohabitare nocenti; quem, si sciviset innocentem, nullatenùs voluisset deserere, neque ei voluisset dare licentiam similiter profitendi; videtur, quòd sic professus posset alterum, jam declaratum innocentem, repetere; estò & ipse professus foret. Veluti si uterque conjux, existimans bonâ fide alterum objisse, professus esset, liceret utrique alterius repetitio, juxtà Hugonem apud Astensem lib. 8. Sum. 2. p. tit. 34. a. 2. q. 5. Quia videlicet neuter eo animo id fecit, ut Monachus fieret, altero superstite. Ergò similiter in casu nostro, vel detur disparitas.

252. *Mulier, credens virum mortuum,* Constat profectò ex jure, cap. *Placet*, de Convers. conjug. mulierem, quæ credens virum mortuum, habitum Religionis assumpsisse rat, posse de Monasterio educi viro superstite, & eam reclamante; imò si sponte exiisset, non esse compellendam ad reditum, indicat Gloss. ibi verb. *In ejus potestate non erat*, dicens: *Et sic auctoritate propriâ exire non poterat. Quid si exivisset de facto, nunquid esset compellenda redire? Videtur quod non, per id quod dicitur in fine.* Qui talis est: *Si verò ad hæc* (scilicet, ut servet continentiam viro jam defuncto) *induci non poterit, ipsam invitam credimus non cogendam.*

professa potest educi de Monasterio. per c. 12. de Conv. conjug.

Et quæ ratio? Audi Glossam ibi verb. *Non cogendam*: *Hic non fuit votum solemne: quia nec habuit licentiam viri; undè non compellitur redire ad Monasterium.* Ratio ergò erat; quia Professio fuerat invalida, non propter errorem causæ finalis aut impulsivæ, scilicet mortis viri, sed defectu debitæ licentiæ.

Quare viro mortuo non possit compelli redire.

Quid si ergò & ille posteà profiteatur, existimans uxorem suam mortuam, nunquid validè? Minimè, inquis; & disparitas est: quòd in hoc casu, nequidem ipso facto licentia fuerit concessa, cùm uterque ignoraret ingressum alterius, quem putabat mortuum. In alio autem casu supponitur, utrumque scire mutationem alterius, & ideò ipso facto dare licentiam.

253. *Quid de præsenti controversia sentiat Rosella.* Plane; sed innixam falsæ præsumptioni, sive, ut sic loquar, dolo extortam, quæ non sufficit ad validam Professionem, ut patet ex cap. *Veniens*, 16. de Convers. conjug. ut infrà suo loco videbimus. Interim attendite, quid de hac controversia sentiat Rosella verb. *Divortium*, n. 7. Pone (inquit ille) quòd mulier, credens divortium justè celebratum, ingressa est Monasterium. An compertâ veritate de injusto divortio, poterit virum repetere, jam in Sacris ordinatum, vel factum Monachum? Resp. secundùm Veteres, non; quia falsa causa non impedit votum Monachatûs; arg. extrà de Voto, *Magnæ*, & de Convers. conjug. *Ex parte*, 2.

254. *Objectio ex cap. 10. de Concess. præb.* Sed contrà ibi arguit Pal. quia ex quo ex falsa causa ista mulier fuit inducta ad ingressum Religionis, non valuit ingressus; arg. optimo in cap. *Ex parte Astensis*, de Concess. præb. Nam ubicumque potest quis gerere actum uno jure, si explicat alio jure incompetenti, non valet actus. Ratio: quia ibi deest intentio, & in dependentibus à voluntate magis consideratur opinio, quàm veritas, ut in d. cap. *Ex parte Astensis*. Et ibi colligunt DD. communiter, quòd si Judex fert sententiam, exprimendo causam non concludentem, illa sententia est nulla; licèt ex causa non expressa possit justificari; & ideò cautum est, non exprimere causam in sententia; & si vis exprimere, ad decorem tuum conservandum, saltem adjicias dictionem: *Maximè* &c. Nam tunc videris motus non solùm ex causis expressis; sed alijs tacitis. Nam cùm quis exprimit plures causas in sententia, quarum una facit, alia non, sententia sustinetur propter causam expressam, ut est textus notabilis in cap. *Per tuas*, Qui filij sint legit.

Consultum non exprimere causam in sententia.

255. *Resp. ad d. cap. 12.* Sed ad d. cap. *Ex parte*, de Convers. conjug. Pal. respondet: quod illa mulier potuit moveri ex duplici causa ingrediendo Religionem; prima

& principalis, ut serviret Deo ; alia propter lepram alterius, credens Matrimonium solutum, quod erat falsum : & ista secundaria erat potiùs impulsiva, quàm finalis ; undè licèt cesset causa impulsiva, non tamen finalis. Hucusque Rosella.

Ego nolo hìc disputare ; an error causæ finalis reddat Professionem invalidam ; quia hoc non est hujus loci ; & ut non redderet invalidam, nil refert ad propositum casum, in quo Professio non est invalida ex errore causæ finalis, quæ fuit cultus divinus, sed defectu licentiæ alterius conjugis : siquidem, ut suppono, non expressè consensit post sententiam latam, sed tantùm tacitè per suam Professionem.

256. *Arguitur contrà doctrinam Sanchij sup. traditam.* Nunc quæro : Professio hæc valida fuit ? Videtur quòd non, ex supradictis. Profiteatur etiam conjux nocens ; num hoc ipso Professio innocentis ante invalida, num, inquam, revalidatur ? Quid respondes ? Non revalidatur. Infero : ergò hic potest repetere alium. Negatur, inquis, consequentia : quia alius validè professus fuit ; etenim de licentia innocentis, qui priùs professus fuerat, quàmvis invalidè. Siquidem per hanc invalidam Professionem satis significavit, se consentire in Professionem conjugis nocentis, quem noverat aliàs non posse profiteri, & cui poterat dare expressam licentiam profitendi. Porrò si expressam licentiam dedisset independenter ab injusta sententia, non posset eum repetere, tametsi invalidè foret professus.

Concluditur rem esse incertam. Fateor, non posset. Nec mirum, quia licentia omninò voluntaria, & ideò valida : hìc autem involuntaria, quippè ex errore injustæ sententiæ ; si enim injustitia sententiæ cognita fuisset, nunquam eam licentiam tacitam dedisset, quia numquam cogitasset profiteri. Igitur hæc res valde incerta. Tu cogita, & transi mecum ad aliam difficultatem.

257. *Alter casus Conclus. quando innocens post sententiam labitur. Putat Sanchez hìc non dari compensationem.* Contingit aliquando, ut postquam unus conjugum tunc innocens obtinuit sententiam divortij ob consortis adulterium, labatur ipse in simile delictum, nunquid fieri adhuc potest compensatio, & rescindi divortium, ac restaurari Matrimonium ? Sanchez sup. n. 30. asserit tamquam probabilius, nullam actionem acquiri conjugi adultero, ut repetat ipsum, atque ita ea delicta minimè compensari : integrum tamen esse Judici, ut eos conciliet, ex officio suo illos cogens, quò fornicationis periculo consulatur.

Est sententia D. Tho. Quæ est sententia D. Tho. 4. dist. 35. q. un. a. 6. ad. 4. *Dicendum, quòd propter adulterium, quod vir prius innocens post divortium committit, secundùm rigorem juris non debet cogi ad recipiendam uxorem adulteram priùs ; tamen, secundùm æquitatem juris, Iudex ex officio suo debet eum cogere, ut caveat periculo animæ ejus, & scandalo aliorum, quamvis uxor non posit reconciliationem petere.* Sic ille.

258. *Qui sentiat Doct. Seraph.* At verò Doct. Seraph. eâd. dist. a. 1. q. 5. in corp. ait : *Aut nocens nocentem petit, ut mulier, quæ prius est fornicata, repetit virum, qui est post divortium fornicatus, & sic restituendus est maritus uxori invitus, non quod actio mulieris resuscitata sit, sed in pœnam fornicationis, quia abusus est privilegio libertatis.*

Et inf. ad 3. objectionem, putà, quòd actio mulieris est perempta. Respondet : *Quòd falsum est ; quia actio mulieris non perimitur simpliciter, sed sub conditione ; scilicet, si vir permanserit continens. Et ratio hujus est : quia vinculum semper manet. Vel potest dici, quod actio non vivificatur ; sed de novo datur, vel acquiritur à jure ob peccatum viri.*

D. Bonaventuram sequitur Pontius lib. 9. c. 20. n. 6. sub hac forma verborum : Secundò quæret aliquis : quid si patretur adulterium, postquam jam perfecta sententia est, & transiit in rem judicatam, an eo tempore debeat reconciliare sibi conjugem dimissum ? Dico in primis, probabile valde esse, reo competere actionem, ut petat restitui sibi conjugem, & audiri debere, ut tenet communior sententia inter juris Interpretes & Theologos. Quàmvis enim sententia lata sit ; attamen illa respexit statum præsentem, juxtà quem lata est : undè non tollit jus reo compensationis, si innocens fiat nocens. Scio Alios aliter sentire, levissimis tamen commotos fundamentis. Quare, quod attinet ad conscientiæ forum, qui commisit adulterium post divortij sententiam, nondum mutato statu, etiamsi non compellatur à Judice, tenetur reconciliare sibi conjugem dimissum. 259. *Ejus sententia subscribit Pontius.*

Ratio aperta est : quia semper tenetur alteri, etiam dimisso, servare fidem. Undè etiam post divortium peccans, adulter est, & contrà justitiam agit. Ergo injuriam intulit : ergo compensanda, nullo enim impeditur ; non quidem statûs vinculo ; supponimus enim nondum mutasse statum : nec ob sententiam latam ; illa enim reconciliationis non aufert facultatem, ut sup. dicebamus. Quod si adhuc post sententiam, eâ non revocatâ, potest liberè innocens nocentem revocare ad se ; multo potiori jure id debebit facere, qui jam nocens factus est, non obstante præcedente sententiâ, quæ in illius favorem erat ; quia innocens, & quamdiu innocens existebat, non aliter. Ita Basilius. 260. *Probatur.*

Idem docet Aversa sup. §. *Sed quidem* ; & probat ex jure Canonico, cap. *Ex literis*, cujus tenorem sup. retulimus, aliâ occasione. Summarium ejus est : *Matrimonium separatur propter adulterium uxoris, & si vir postea fornicetur, redintegratur.* *Idem docet Aversa, & probat ex c. 5. de Divort.*

Nec satisfacit Sanchez n. 38. cum Alijs respondens : in illo casu non interveniisse divortij sententiam ; quia in textu dicitur : *Cùm utrique privatim continentiam injunxeris* : si enim privatim, ergo non per sententiam. Satis tamen apertè constat ex textu, interveniisse sententiam. Tum ; quia præcesserat accusatio viri, & confessio judicialis ejusdem uxoris, ubi Judex tenebatur ferre sententiam. Tum ; quia non apparet, qualiter indixerit separationem & continentiam, nisi per sententiam. Tum ; quia tantam solemnitatem Episcopus adhibuit, convocando Capitulum, & ejus 261. *Responsio Sanchez non satisfacit.*

ejus conſilio decernendo. Tum ; quia ille vir interpoſuit quoque appellationem ad Pontificem ; quæ appellatio utique ſupponebat priùs ſententiam divortij, & ſucceſsivè ejus reſciſſionem ratione compenſationis. Tum demum ; ly *Privatim*, non refertur ad modum decernendi ; ſed quòd ambo conjuges deberent ſinguli apud ſe continentiam obſervare : ſed de ſeparatione dicitur: *Vt caſtè viverent ab invicem ſegregati.* Hucuſque Averſa.

Sententiam hîc interveniſſe, oſtenditur ex Gloſſ.

Et verò ſententiam interveniſſe, fatetur Gloſſa in fin. expoſit. casûs, ibi : *Item ſeparati vivere debent continenter, alioqui non obſtante ſententiâ, debent ad invicem redire ; quia paria delicta mutuâ compenſatione tolluntur. Item delictum ſuperveniens rei judicatæ tollit ſententiam.* Et verb. *Ab invicem ſeparati*, inquit : *Ex hoc videtur, quòd ſententia divortij lata fuit, cùm de conſilio Capituli videatur feciſſe.... Et eſt notandum, quòd delictum ſuperveniens rei judicatæ præjudicat ei, pro quo lata eſt ſententia.*

262. *Opinio Sanchez debet intelligi de ſententia, quæ tranſiit in rem judicatam.*

Sed facilè reſponderet Sanchez : id verum eſſe, quando ſententia nondum tranſiit in rem judicatam, eò quòd decennium, appellationi conceſſum, non ſit tranſactum, vel ſi non fuerint tres ſententiæ latæ. Nam ſi id ita ſe habeat, fatetur ipſe ſup. n. 30. perinde eſſe reputandum, ac ſi ſententia non præceſſiſſet poſterius adulterium. Quia virtus ſententiæ eſt ſuſpenſa.

Similiter (inquit) eſt dicendum idem, quando ſententia illa tranſierat in rem judicatam ob lapſum termini appellandi : at damnatus erat minor, petitque beneficium reſtitutionis adversùs lapſum illius termini (id enim beneficium reſtitutionis ſibi competit in hac re, & reſtituitur ad priſtinum ſtatum, ac ſi ſententia non tranſiiſſet in rem judicatam : & ita ſuſpenditur vis illius ſententiæ) tunc enim jure actionis poſſet petere conjugis pòſt adulterantis reſtitutionem, ac ſi adulterium illud contigiſſet, ſuſpenſâ ſententiâ per appellationem. Quia per beneficium illud reſtitutionis ad eum ſtatum redit ſententia : ſecùs ſi id beneficium minimè imploret. Sic ille.

263. *Non conſtat, in d. cap. talem ſententiam interveniſſe.*

Iam autem non conſtat, quòd in caſu d. textûs : *Ex literis*, tempus appellationis fuerat tranſactum, aut tres ſententiæ latæ. Et ita hic textus non impugnat opinionem Sanchez, quæ tantùm intelligenda eſt, ut ipſe ait, quando ſententia divortij tranſiit in rem judicatam, eò quòd decennium, appellationi conceſſum, ſit tranſactum, vel ſi fuerint tres ſententiæ latæ.

Auctor adhæret ſententiæ Pontij.

Utut ſit de hoc textu, qui non videtur opinionem Sanchez expugnare ; ſequor nihilominùs ſententiam Pontij, cum Averſa, Coninck, Dicaſt. & Alijs, propter rationem ſup. allegatam ; putà quia non obſtante ſententiâ divortij, quantumcumque tranſierit in rem judicatam, ſit vera injuria conjugi dimiſſo per poſterius adulterium ; quidquid reclamet Sanchez ſup. in quarta probatione ſuæ opinionis.

Rogat aliquis : ecquæ illa probatio ? Reſpondeo : divortij ſententia abſolvit innocentem à debito conjugalis ſocietatis, diſſolvitque contractum Matrimonij, quoad jus tori & habitationis, manente vinculo. Quare innocens poſteà fornicans reus erit adulterij in ordine ad Deum, ob vinculum Matrimonij perſeverans : non tamen peccabit adverſus conjugem dimiſſum, nec illi injuriam inferet ; utpote, qui jure in illius corpus deſtitutus erat per ſententiam. Sicut conjux alterò connivente fornicans, reus eſt adulterij in ordine ad Deum ratione Matrimonij, non tamen in ordine ad conjugem conniventem, cujus injuria ceſſat. 264. *Fundamentum Sanchij, fornicationem in caſu noſtro non eſſe injuriosam conjugi.*

Sicut ergò in hoc eventu non datur actio aliqua conjugi conniventi, ut ob id adulterium petat divortium, eò quòd ejus injuria ceſſet, quæ fundamentum eſt actionis ad petendum divortium : ita in illo neganda eſt actio ad repetendum conjugem fornicantem poſt ſententiam, cùm ſimiliter injuria ceſsârit, quæ fundamentum eſt mutuæ delictorum compenſationis, & actionis ad repetendum. Sic ille. *Probatur à ſimili.*

Leviſſimum profectò fundamentum, ut illud vocat Pontius ſup. & quod ipſum Sanchez expugnat, qui non ſolùm requirit ſententiam, ſed etiam ſententiam tranſiiſſe in rem judicatam, ut ſup. audivimus. Quæro ſiquidem : publicus adulter ante ſententiam, vel etiam poſt ſententiam, antequam tranſiit in rem judicatam, jus habet tori & cohabitationis ? Imò occultus, cujus adulterium nequit in foro externo probari, perdidit jus ſuum, quod habebat ad torum & cohabitationem, ſaltem in conſcientia ſeu foro interno, ita ut nulla fiat ei injuria, negando debitum. Rectène inde ſequitur : ergo ſi innocens fornicetur, non datur compenſatio delictorum ? Pluſquam meridianum eſt, quod detur, ſecundùm Omnes. Cur ita, cùm non fiat nocenti injuria, ſed ſoli Deo ? 265. *Evertitur fundamentum.*

Vel ſi tunc ſit injuria nocenti, cur non etiam poſt ſententiam, quę ſolùm deſervit pro foro externo, neque eripit jus, quod antea in conſcientia non habebat, ſed ſolùm declarat, anteà nullum jus habuiſſe ? Saltem poſt ſententiam latam, antequam tranſierit in rem judicatam, quàmvis habeat jus appellandi, nullatenùs tamen jus ad torum & cohabitationem, etiam in foro externo, & tamen tunc fit ei injuria, ſecundùm Sanchez, & poteſt petere reſtaurationem Matrimonij. *An minùs ſit injurioſa poſt ſententiam, quàm ante.*

Et verò, nunquid requiritur ſententia, ut ille, qui connivet adulterio uxoris, eam proſtituendo, nequeat petere divortium ? Cur ergò requiris ſententiam, ut nocens careat actione, ad repetendum conjugem pòſt fornicantem ? Quæ igitur conventio conniventiæ ſeu conniventis, ad eum, qui per ſententiam ſeparatus eſt ? Certè connivens, quantùm poteſt, cedit jure ſuo, quod habet, ne conjux alteri copuletur : at verò adulter ſolùm cedit jure ſuo, ſeu potiùs perdit jus ſuum, quod habet, ut innocens ei debeat reddere debitum, eique cohabitare ; nullatenùs autem 266. *Rejicitur ſimile.*

amittit jus, quod habebat, ne innocens alteri copularetur.

Ius debiti est separabile à jure non copulandi alteri.

Illa quippe jura separabilia sunt, ut patet in iis, qui de mutuo consensu profitentur Religionem : etenim minimè renuntiant juri, quod habent, ne conjux alteri commisceatur ; sed solummodò, ne sibi debeat reddere debitum: undè talis professus fornicans non minùs peccat contra conjugem, quàm si professus non esset. Vides quàm leve sit hoc fundamentum Sanchij ?

267. *Aliud fundamentum Sanchij, ex c.6.6.q.4.*

Nec magìs solidum, quod primo & secundo loco ponit. Quia (inquit) semel benè diffinitum, minimè retractandum est ; cap. *Quod benè*, 6. q. 4. ex Nicol. I. junctâ Gloss. verb. *Diffinitum*, ubi id explicat : *A Iudice per sententiam.* Secundò : quia servitus semel amissa non renascitur, cap. *Quæris*, de Consecr. dist. 4. l. *Stichum*, §. *Aream*, ff. de Solut. Servitus autem conjugis innocentis amittitur latâ sententiâ divortij. Non ergò ipso posteà adulterante renascitur. Sic ille.

Destruitur.

Tu dispice, an Nicol. I. faveat Sanchio, dum ait : *Quod benè semel definitum est, & interpositis juramentis deliberatum, nulla debet iteratione (nisi forte ubi fuerit major auctoritas) retractari.* Nunquid Sanchez requirit interpositum juramentum ? Quid si ergò sententia divortij lata sit, non interpositis juramentis, cur nequeat retractari ? Et nonne hìc est major auctoritas, scilicet ipsius Dei, qui voluit, ut paria delicta mutuâ compensatione tollerentur ? Sic Aliqui putant. Quàmvis id non satis clarè mihi constet.

Quantùm ad Gloss. explicat ly *Definitum : A Iudice per sententiam, vel etiam à quocumque.* Putas autem ; quòd Sanchez concederet, divortium definitum à quocumque non posse retractari per supervenientem fornicationem innocentis ?

268. *Arg. Sanchij de servitute amissa nihil probat.*

De servitute quid dicam ? Illa amissa est hoc ipso, quòd alter peccavit, & illud peccatum constat innocenti ; amissa, inquam, saltem in foro conscientiæ. Sequiturne indè : ergò non potest redire in foro conscientiæ.

Dicast.

Audite desuper Dicastillonem disp. 10. n. 32. Quàmvis (inquit) in multis exemplis & textibus, quos affert Sanchez citato n. 30. constet legibus & ratione, id quod semel benè definitum est, non esse retractandum ; & servitutem semel amissam non renasci, & non dari exceptionem rei judicatæ, & similia ; tamen hæc pro præsenti casu non sunt ad rem ; nam in illis & similibus casibus ita prior obligatio, vel præcedens jus extinguitur, ut etiam radix juris aut obligationis penitùs tollatur, & non tantùm impediatur effectus obligationis, v. g. jus domini in servum, aut obligatio servi erga dominum, ideo semel ablata non renascitur ; quia etiam radix ipsa servitutis, id est jus radicale dominij, quod residebat in domino, pœnitùs fuit ablatum & deletum, seu eradicatum, ita ut nihil radicaliter remaneret : in nostro verò casu non sic ; nam radix & vinculum Matrimonij semper manet, quod quantùm est ex se, natum est causare obligationem mutuam conjugum ad cohabitationem & torum ; nisi ea vis propter aliquid superveniens impediatur : impediebatur autem per adulterium ex parte unius, quò minùs in altero innocente talis obligatio urgeret ; cùmque posteà per illius adulterium, alterius adulterium & injuria compensetur, jam prior injuria ex parte primi adulteri definit impedire, quòminùs pullulet obligatio etiam in altero.....

369. *Quare servitus semel amissa non renascitur.*

270. *Diversitas inter servitutem conjugis, & mancipij.*

Itaque illa servitus, aut quasi servitus Matrimonij, numquam fuit plenè extincta in radice ; atque adeò ablato impedimento potuit revivisc ere effectus illius, qui est proxima obligatio cohabitandi. In illa autem servitute mancipij, servitus ipsa radicaliter extincta est ; atque adeò in nullo eventu servitus extincta reviviscit ; quàmvis fortè propter aliquam causam, nova possit servitus induci inter easdem personas.

Appositissima exempla habemus in ipsa materia & negotio Matrimonij, ex quibus dignoscitur, in uno casu, propter extinctam radicem obligationis matrimonialis, numquam eam posse reviviscere ; in alio verò casu, propter non extinctam, sed impeditam, quòminùs obligatio proxima tamquam effectus illius radicis perseveret, posse reviviscere.

271. *Casus, in quo obligatio Matr. extincta numquam reviviscit.*

Primus casus sit : quando Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per solemnem Professionem, aut (si velis) per justam Pontificiam dispensationem ; tunc sanè, quia radix ipsa obligationis matrimonialis penitùs fuit destructa per Professionem, aut dispensationem ; etiamsi Professio cesset per legitimam aliquam dispensationem, non reviviscit obligatio matrimonialis.

Casus, in quo revivisc it.

Secundus casus est : quando post Matrimonium consummatum, alter conjux, cum facultate alterius, & cæteris requisitis, emittit Professionem solemnem, vel transit ad sacros Ordines ; tunc sanè, si posteà legitimè dispensetur in Professione, vel in voto Ordini sacro annexo ; quia radix Matrimonij non fuit extincta, sed tantùm impedita per Professionem, aut Ordinis susceptionem legitimam ; pullulare poterit obligatio cohabitandi cum antiqua uxore, ablato tali impedimento. Sic ergò in nostro casu, ut declaratum est. Hucusque Dicastillo. Et meritò.

S. Bonav.

Conformiterque Seraphico Doctori suprà ibi : *Actio mulieris non perimitur simpliciter, sed sub conditione ; scilicet, si permanserit continens. Et ratio hujus est : quia vinculum semper manet.*

272. *Negat Sanchez sententiam divortij ferri sub conditione.*

Sed hanc conditionem negat Sanchez sup. dicens : Sententia divortij non fertur sub conditione aliqua in favorem Rei, nimirum : *Si innocens continuerit* ; cùm omninò in odium ipsius transeat in rem judicatam : cùm ergò absolutè & in perpetuum absolvat innocentem à Matrimonij servitute, ad illam sequens adulterium minimè revocabit. Eò vel maximè, quod id jure cautum non inveniatur : imò omnia jura clament, sententiam ritè latam revocandam non esse. Sic ille. Sed oleum & operam perdit.

Sed perperàm.

Enimverò jure cautum est, ut mutua adulteria pari compensatione tollantur ; non solùm jure positivo, sed fortè etiam naturali ; cui sanè sententia divortij, ut justa sit, nequit derogare, adeoque necessariò fertur sub hac conditione imbibita :

imbibita : *Si innocens continuerit,* ſive : *Niſi innocens poſtea fornicetur* ; alioqui non erit juſta, cùm prius adulterium jure Divino non liberet à ſervitute, niſi pro tempore, quo alter manet innocens ; ſententia autem ſubſequens non mutat jus divinum, nec poteſt mutare. Et ſic patet, quòd hìc non retractetur, quod benè ſemel definitum eſt ; quia numquam benè fuit definitum, quòd adulter nullo tempore poſſet jus ſuum recuperare : ſed tantùm rebus ſtantibus, prout erant tempore ſententiæ.

273. *Quomodo ſententia divortij intelligenda.* Intelligitur ergò ſententia divortij, ſalvo omni alio jure, quod utique non maneret ſalvum, niſi fieret talis compenſatio. Sic etiam non maneret ſalvum, niſi Judex ex officio ſuo poſſet eos tali caſu, etiam invitos, reconciliare, ut ait Sanchez ſup. n. 31. Quia (inquit) Prælatus, ut paſtor animarum, tenetur periculis incontinentiæ occurrere, quando hæc pericula manifeſta ſunt. Et hæc ipſa, ut ait idem Auctor n. 30. præjudicant rei judicatæ. Sicuti ergò in ſententia divortij cenſetur exceptum officium Judicis, ſive periculum animæ, cui ex officio, & conſequenter ex jure naturali, tenetur ſuccurrere : cur itidem non poterit excipi, & exceptum debeat intelligi jus poſitivum, aut naturale compenſationis delictorum ?

274. *Gloſſ. c. 3. 32 q. 7. tenet opinionem Sanchez.* Non capio ſatìs, quid obſtet : quidquid dicat Gloſſa 32. q. 7. c. 3. verb. *Viro*, ibi : *Sed quid, ſi poſteà maritus adulteretur, poſtquam ſententia eſſet lata contra uxorem de adulterio ? Dicunt Omnes, quòd maritus tenetur eam recipere ; ut extrà de Divort.* Ex literis, *& extra de Iurejur.* Tua, *& extra de Adult.* Tua. *Quod vix credo, eò quod nulla facta ſit injuria mulieri, ut inf. eâd.* Quemadmodum : *eſt enim liberatus à mutua ſervitute. Nam cùm illa mulier non poſſit induci teſtis ſuper aliquo, cùm ſit damnata de adulterio ; ergò nec ad accuſandum admittitur : non enim poteſt dici, quòd ſuam injuriam proſequatur, cùm omne jus, ſive etiam ſervitutem, quam habuit in viro, perdiderit.*

Et præmiſſas Decretales intelligo, cùm non fuit ſententia lata ſuper adulterio, ſed tantùm de divortio. Multùm enim refert, an Iudex ita ſententiaverit : Pronuntio te adulteratam ; *an ſic* : Pronuntio virum eſſe ſeparandum à te. *Sic 2. q. 3. §.* Notandum. *Vel ibi Iudex ex officio ſuo reſtituit virum mulieri ; aliàs inconveniens eſſet, quod ſententia, à qua non eſſet appellatum, & quæ tranſivit in rem judicatam, propter delictum ſuperveniens retractaretur. Hoc autem benè concedo, quod propter delictum ſuperveniens reſtituitur ſervitus prior, dummodò ſententia non præceſſerit ſuper adulterio, ſi tamen factum fuerit publicum, ut extra de Divort.* Significaſti. Hactenùs Gloſſ.

275. *Auctor recedit à d. Gloſſ. & oſtendit, injuriam factam eſſe mulieri ;* Malo ego dicere, quod Omnes dicunt, & vix credo, quod Gloſſ. dicit. Moveor : quod facta ſit injuria mulieri, quod oſtendo ex d. cap. *Quemadmodum*, ex quo ipſa probat, nullam factam eſſe injuriam mulieri. Tenor d. cap. hic eſt : *Quemadmodum non rectè dici poteſt* : Si ergò neſcit homo, non peccat (*ſunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora, quam ſcientium*) *ita non rectè dici poteſt* : Ergò ſi causâ fornicationis dimiſerit vir uxorem, & aliam duxerit, non mœchatur. *Eſt enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus : ſed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, & alteras ducunt.* Ita Aug. de Adulterinis conjug. lib. 1. cap. 9.

Tametſi minor ſit. Nunquid quia minor, ideò nulla ? *Nec illud* (peccatum ignorantium) *ideò nullum, quia minùs*, inquit ibidem D. Aug. Exiſtimas porrò, quod ille, qui propter fornicationem propriâ auctoritate dimittit uxorem, & aliam ducit ante ſententiam, quæ in rem judicatam tranſierit, nullam faciat injuriam ? Ut quid ergo tunc fit compenſatio delictorum, etiam ſecundùm Sanchium ? Et verò ubi dictum cap. requirit ſententiam, ut ſit minor injuria ?

276. *Quare ſit minor, ex Gloſſ.* Gloſſa ibi verb. *Minor*, dat rationem minoritatis (ut ſic loquar) *Quia facto divortio, non tenetur ei ad mutuam ſervitutem ; & ideò non videtur venire contra fidem conjugalem, & ideò non facit alteri injuriam. Si enim poſt adulterium ſtatim reſtituta eſſet prior ſervitus ; ergò tantùm deliquit, ut priùs.* Non dicit, facto divortio per ſententiam, quæ tranſivit in rem judicatam ; ſed ſimpliciter : *Facto divortio.*

Quare minùs peccet, qui poſt divortium adulteratur. Nec valet hæc Conſequentia : *Si enim poſt adulterium* &c. quia, ut ſup. dictum eſt, majus adulterium minori compenſatur. Minùs autem peccat, qui poſt divortium adulteratur : quia per divortium perdidit altera pars jus ad copulam ſibi dandam ; licèt retinuerit jus, ne alteri detur. Enimverò jura illa ſeparabilia ſunt, ut patet, quando quis ex pacto vel vòto obligat ſe ad non petendum debitum.

277. *Docet Sanchez, nequidem inconſcientia eſſe obligationem.* Atque ut in foro externo non daretur actio mulieri, virum ſuum adulterum repetenti ; cenſen' quia ex eo benè inferatur : ergò neque in foro conſcientiæ poteſt eum repetere, neque ipſe tenetur eam admittere ? Planè cenſeo, dicet aliquis, cum Sanchio ſup. n. 32. Quia (inquit hic) ex officio cogi, eſt in pœnam fornicationis, & ob periculum fragilitatis : eò quòd conjux abuſus fuerit libertatis privilegio. Ad pœnam autem nemo tenetur ante Judicis ſententiam. *Prima probatio.*

Deindè : quia ad id non tenetur ex juſtitia, cùm per ſententiam à conjugali conſortio abſolutus ſit, nec delicta compenſentur in hoc eventu. Nec etiam ex charitatis lege : quia hæc non obligat cum detrimento notabili proprio, nec extra gravem neceſſitatem, cui aliter ſubveniri poteſt. Quæ omnia hìc deſiderantur. Nam grave conjugis detrimentum eſt admittere ; cùm ſe Matrimonij ſervituti, à qua liber erat, ſubmittat ; nec poſſit ſemel admittendo, ad alium ſtatum perfectiorem migrare : & ſi vir ſit, qui admittit uxorem, fit bigamus, & magnam honoris jacturam faciet. Nec reputatur gravis neceſſitas. Poteſt enim alijs modis fragilitati conjugum conſuli. Sic ille. Conſequenter ad ſuam ſententiam, quæ jam ſatis reprobata eſt. *Secunda.*

278. *Auctor oppoſitum tenet.* Ego itaque cum Alijs, quos ibi citat Sanchez, dico : in foro conſcientiæ fore obligationem juſtitiæ admittendi aduiteram, quando ipſa conſcia

alterius

alterius delicti, petit & instat pro ea compensatione seu Matrimonij restauratione. Ita nobiscum docet Aversa sup. & addit: Nec etiam videtur, posse justè resistere prætextu Religionis aut Ordinis; quia jam tenetur conjugi vi compensationis.

Aversa.

An possit justè resistere prætextu Religionis aut Ordinis. Aliqui affirmant.

Dices: sicut ante Matrimonij consummationem potest conjux Religionem ingredi, quod jus minimè perditur fornicando; sed tenetur reddere, nisi eligat Religionis statum: ita uxore fornicante post consummatum Matrimonium, potest innocens ad Religionem vel Ordines transire: & si vir sit adulter, potest uxor ad Religionem migrare. Ius autem hoc efficiendi non amittitur, eò quòd conjux ille innocens labatur posteà in adulterium: quoniam per alterius fornicationem acquisierat jus non reddendi, & jus vovendi: ubi autem ipse posteà fornicatur, amittit jus non reddendi, sed non jus vovendi. Quare tenetur reddere, vel statum mutando vovere. Sic Aliqui argumentantur apud Sanchez sup. n. 26.

279. *Negat Sanchez.*

Sed omninò dicendum (inquit ipse) non licere conjugi innocenti, qui ante divortij sententiam (secundùm nostram opinionem, etiam pòst) in adulterium labitur, ad alium statum transire: quòd si transeat, posse revocari ad usum Matrimonij ab altero conjuge, in cujus præjudicium ille nequiit profiteri, Ordinemve assumere. Nam eo ipso, quod ante divortij sententiam adulterium admisit, compensantur delicta, & redit Matrimonium ad pristinum statum, in quo neutri conjugi divertere, gratiâ transeundi ad alium statum, permittitur. Hæc ille.

280. *Respondetur ad arg. affirmantium.*

At non respondet ad argumentum Adversariorum. Dico ego: non est ratio sufficiens, quare innocens fornicando ante vel post sententiam, minùs amittat jus vovendi, quàm jus non reddendi. Siquidem jus vovendi consequitur jus non reddendi; nisi enim per fornicationem alterius accepisset jus non reddendi, numquam habuisset jus vovendi; ita ut jus vovendi sit quasi accessorium juris non reddendi: *Accessorium* autem *naturam sequi congruit principalis*, Reg. 42. de Reg. juris in 6. Amisso itaque jure non reddendi, consequenter amittitur jus vovendi.

Reg. 42. in 6.

Sed numquid per fornicationem ante Matrimonij consummationem amittitur quidpiam, cui annectitur jus ingrediendi Religionem? Patet quòd non; quia jus illud per se competit ex jure Divino, & non amittitur, nisi per consummationem Matrimonij; porrò fornicatio illa non est consummatio Matrimonij.

281. *Factus professus, vel ordinatus, tenetur redire, ex Aversa.*

Igitur rectè docet Aversa sup. quòd si interim statum mutaverat, factus professus, vel ordinatus in Sacris, debebit à Judice alteri conjugi eum repetenti restitui, & ipse in conscientia debet redire; nisi de consensu & licentia illius id factum fuerit: quia tunc ex alio capite debet in hoc novo statu persistere, nec potest revocari. Si autem post mutationem statûs deliquerit: tunc quidem (inquit ille) non datur ampliùs compensatio, nec is debet aut potest conjugi restitui: quia aliud præstantius jus legitimè acquisitum est novo statui Regulari vel Clericali, quod jus non infringitur per subsequens illius delictum. Et ita plerique DD. notant, cum Glossa cap. *Veniens*, de Conversi. conjug. verb. *Sponte*, ubi in fine hanc dat rationem: *Quia jus, quod Monasterium habet in ipso, propter suum delictum perdere non potest.*

Imò (prosequitur Aversa) Sanchez n. 34. id intelligit, non solùm, quando ille conjux, obtentâ divortii sententiâ judiciali, statum mutavit; sed etiam si absque sententia ob delictum alterius notorium propriâ auctoritate statum mutavit. Sed hoc non videtur admittendum; quia non fuit legitima statûs mutatio, & divortij executio absque Judicis sententia. Sic ille. Consequenter ad ea, quæ dixerat Sect. 2.

Non potest redire, si peccavit post mutationem statûs etiam factam ante sententiam, juxta Sanchez.

Ego autem, secundùm ea, quæ dixi cum Sanchio Conclus. 3. admitto etiam hanc doctrinam Sanchij; quia fuit legitima statûs mutatio, & divortij executio. Imò tametsi adulterium non fuisset notorium, & executio divortij, propter scandalum, aut aliam causam, per accidens illicita; atque adeò illicita mutatio statûs; equidem fuit valida. Et ideò, quàmvis restitueretur; non tamen ob fornicationem sequentem (quæ cum priori mininè compensatur, ob mutationem statûs factam, quæ absque uxoris præjudicio fieri potuit in foro conscientiæ, si vir erat certus de adulterio, ab uxore commisso) sed propter spolium injustè factum quoad forum externum, donec viâ ordinariâ probetur adulterium. Quo probato, nullatenùs admittetur uxoris exceptio de simili adulterio viri, commisso post illum statum assumptum.

282. *Eum sequitur Auctor.*

Probatur: quia (inquit Sanchez) per illud minimè potuit illi statui præjudicare, qui legitimè in foro conscientiæ assumptus est, si solùm præjudicium uxoris attendamus: quàmvis ob scandalum, vel alias circumstantias peccare potuerit. Et talis Religiosus vel in Sacris constitutus, sic uxori restitutus, nec petere, nec reddere debitum uxori poterit. Quia cùm certus sit de adulterio uxoris; certus est, suum votum fuisse undequaque validum. Sic ille.

283. *Probatur sententia Sanchez.*

Sed quid, si solùm erat Novitius, aut in solis minoribus Ordinibus constitutus, vel solo simplici castitatis voto ligatus? Credo (inquit Sanchez sup.) eum teneri redire ad uxorem. Cùm enim status hic non sit invariabilis, nec omninò perfectus; non potuit uxori præjudicare, quæ jus habet, ut delicta compensentur; quoties ante (secundùm nos, etiam pòst) divortij sententiam contigerit, virum in simile adulterium labi. Ita Sanchez, & Aversa sup.

Quid si solùm erat Novitius &c. Tenetur redire. Sanchez. Aversa.

Cæterùm hactenùs dicta de restitutione quoad torum & habitationem, pari ratione intelliges de restitutione dotis, quæ per adulterium erat amissa, juxtà cap. *Plerumque*, 4. de Donat. inter virum & mul. *Si mulier ob causam fornicationis judicio Ecclesiæ, aut propriâ voluntate a viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, dotem vel dotalitium repetere non valebit.* Et idem est de alijs pœnis civilibus, sive uxori, sive viro adultero constitutis, de quibus latè tractat Sanchez sup. disp.

284. *An etiam dos, prius amissa, sit restituenda.* cap. 4. de Donat. &c.

disp. 8. sed eas prætereo ; quia magis spectant ad Iuristas, quàm Theologos.

285. *Etiam in pœnis fit compensatio delictorum, per l. 40. ff. Solut. Matr.*

Tantùm dico : etiam in his fieri compensationem delictorum, veluti in pœna seu quasi pœna separationis tori & habitationis ; ut colligitur ex l. *Viro atque uxore*, ff. Soluto Matr. ibi: *Viro atque uxore mores invicem accusantibus, causam repudij dedisse utrumque pronuntiatum est : id ita accipi debet, ut eâ lege, quam ambo contempserint, neuter vindicetur : paria enim delicta mutuâ compensatione dissolvuntur.* Ubi Gloss. verb. *Accusantibus*, explicat, dicens : *Objicientibus in civili causa, ut in donatione propter nuptias, & dote repetitis, si uterque se tueatur ob delictum alterius.*

Excipitur pœna mortis. l. 1. Cod. Ad leg. &c.

Secùs sentiendum de pœna criminali mortis adulteræ constituta, de qua loquitur l. 1. Cod. Ad leg. Iul. de Adult. dicens : *Publico judicio non habere mulieres adulterij accusationem, quamvis de Matrimonio suo violato queri velint, lex Iulia declarat : quæ cum masculis jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem fœminis privilegium detulit.*

286. *Ratio ex Aversa.*

Ratio ergò est : Quia (utor verbis Aversæ sup. §. *Octavò*) cùm leges statuant quidem mutuam incursionem pœnarum civilium, tam ex parte mariti adulteri, quàm uxoris adulteræ, consequenter fit, ut dum ambo criminis rei sunt, compensentur hæ pœnæ inter se, & hâc compensatione deleantur. Sed cùm pœnam criminalem statuant specialiter contrà uxorem adulteram, & non pariter contrà virum adulterum ; poterit adhuc vir, quàmvis adulter, exigere pœnam illam contrà uxorem adulteram, nec mutuâ compensatione impedietur. Itaque licitè poterit in conscientia uxorem accusare, & ad pœnam legis poscere. Nec poterit uxor exceptione similis adulterij, à marito commissi, se tueri; eâque non obstante, debebit à Judice condemnari ; quia quoad hoc delicta non compensantur. Sic ille.

Si autem à me quæritur : nunquid innocens tenetur pertinacem in adulterio dimittere, aut resipiscentem ad suam pristinam amicitiam revocare ? Responsio erit

CONCLUSIO VIII.

Innocens non tenetur, per se loquendo, pertinacem in adulterio dimittere; neque resipiscentem ad suam pristinam amicitiam revocare.

287. *Ultima parti Conclus. non officit c. 3. de Adult. Quomodo intelligendum.*

Ultima pars hujus Conclusionis est certa, non obstante cap. 3. de Adult. ibi : *Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non sæpè, recipere pœnitentem.* Ita Concil. Arelatense, aliàs Aurelianense. Nam intelligi debet, cum Gloss. ibi verb. *Debet*, ab Omnibus recepta, de *debito honestatis, & non necessitatis; quia etiam post pœnitentiam posset eam accusare de adulterio*, 33. q. 2. *Admonere*, ibi : *Nam si verum (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos, pœnitentiâ peractâ, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses.* Ita Stephanus Papa V. Hastulpho, qui uxorem suam interfecerat, & post mortem ejus de adulterio eam accusabat.

Post pœnitentiam potest quis accusari de adulterio,

Ubi Gloss. verb. *Pœnitentia*, inquit : *Arg. quòd post peractam pœnitentiam, & crimen purgatum, potest quis accusari de crimine illo ..... Nam per pœnitentiam non desinit quis esse nocens, ff. de Ædil. edict.* Quis sit fugitivus : *Imò etiam post Baptisma potest de hoc accusari, ut extrà de Divort.* Gaudemus, *in fine.* Ratio autem est : quia per pœnitentiam non tollitur injuria facta homini, ut patet in alijs criminibus, quæ publicè puniuntur, quàmvis delinquens coram Deo pœniteat, & ab hominibus veniam petat. *Ratio.*

288. *Qualiter possit objici fornicatio, commissa ante Baptismum.*

Quod probè sciens Gloss. d. cap. *Gaudemus*, verb. *Poterit objicere*, sic ait : *Sed illud quæritur ; qualiter posset ei objicere fornicationem ante Baptismum commissam, cùm omne peccatum, & sequela peccati in Baptismo deleatur ? Dicas ; quod omne crimen tollitur in Baptismo quoad Deum, & quodcumq;, & qualitercumq; contraxit ante, vel adulterando seu fornicando : sed quatenùs illa fornicatio respiciebat virum, non tollitur in Baptismo ; quia illud crimen non tam virum, quàm uxorem commaculat. Et sic jus, quod competebat viro ex sola fornicatione, remanet ei salvum, & sic potest excipere contra eam.*

Sic etiam per pœnitentiam tollitur crimen, quod mulier contraxit fornicando, quoad Deum; & tamen post quamcumq; pœnitentiam potest maritus illam accusare, 33. q. 2. Admonere. *Nec eam etiam recipere compelliur post pœnitentiam, sup. de Convers. conjug.* Gaudemus. *Iniquum enim esset, quod Baptismus tolleret beneficium alicui competens. Sicut in libertate : delictum enim, quod commisit quis in se, per libertatem tollitur : sed delictum, quod commisit in alium, non tollitur, ff. de His qui not. infam. l. pen. & l.* Athletas, §. Pomponius.

289. *Quomodo intelligendum cap. 7. 32. q. 1.*

Ex his patet, quomodo intelligendus D. Aug. de Adult. conjug. lib. 2. cap. 6. (& refertur cap. *Quod autem*, 32. q. 1.) quando ait : *Nunc autem postquam Christus dit adultera* : Nec ego te comdemnabo : vade, deinceps noli peccare, *quis non intelligat, debere maritum ignoscere, quod videt ignovisse Dominum amborum ? Nec jam se debere adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen divinâ credit miseratione deletum ?*

Planè deletum est ; sed coram Deo ; & ideò coram Deo non debet dici adultera ; & honestum est atque decens, per se loquendo, ut maritus ei ignoscat ; sed & charitas obligat, ut odium animi deponat, & communia signa benevolentiæ ostendat; secùs ut remittat pœnas, alioqui debitas in foro externo, & in foro conscientiæ.

290. *Non officit huic doctrinæ cap. 5. de Divort.*

Nec obstat cap. *Ex literis*, de Divort. ubi compellitur vir ad uxorem adulteram resipiscentem admittendam ; quia loquitur de viro, qui & ipse lapsus fuerat in adulterium, de quo egimus præcedenti Conclusione : hic autem agimus de viro innocente, tali permanente.

De quo utique scriptum est apud D. Tho. 4. S. Thodist. 35. q. un. a. 6. ad 2. *Quod pœnitentia uxoris mas-*

debet inducere virum, ut uxorem fornicantem non accuset, aut dimittat: sed tamen non potest ad hoc cogi, nec potest per pœnitentiam uxor eum ab accusatione repellere; quia cessante culpa, & quantùm ad actum, & quantùm ad maculam, adhuc manet aliquid de reatu: & cessante etiam reatu quoad Deum, adhuc manet reatus quoad pœnam, humano judicio inferendam; quia homo non videt cor, sicut Deus.

291. *Quid si vir juraverit uxori, se eam non accusaturam.* Cap. 25. de Iurejur.

Quid ergò, inquis, si vir juraverit uxori, se eam minimè accusaturam de adulterio futuro? Respondeat Innoc. III. cap. *Quemadmodum*, de Iurejur. in fine: *Illud autem juramentum est proculdubio temerarium, si vir juret uxori, quòd eam super nullo crimine accusabit: quia si mulier fieret infidelis, & nollet cohabitare viro absque contumelia Creatoris, vel ut illum pertraheret ad infidelitatis errorem: tunc incunctanter deberet illam impetere apud Iudicem suum, ut eam, nisi penitùs resipisceret, omninò dimitteret, secundùm Canonicas sanctiones. Quòd si expressè juravisset, quòd eam super adulterio non impeteret, essetne servandum hujusmodi juramentum? Cùm Scriptura testetur, quòd patronus est turpitudinis, qui celat crimen uxoris: & secundùm regulam Evangelij, si primò & secundò correpta resipiscere nollet, dicendum esset Ecclesiæ, ut tamquam ethnica & publicana deinde vitaretur: ne per hoc libera præberetur ei peccandi facultas, propter impunitatem peccati.*

Non possit accusare; secùs denuntiare.

Sed nunquid vir non potest dimittere uxori peccanti non solùm septies; sed etiam usque septuagesies septies, secundùm Evangelicam veritatem? Tutiùs ergò in hoc casu videtur, ut propter jusjurandi religionem, vir accusare desistat uxorem ad divortium celebrandum, quamquam denuntiare eam possit ad pœnitentiam peragendam.

292. *Qua ratio disparitatis.*

At quæ ratio disparitatis? Consule Glossam ibi verb. *Desistat*, & dicet tibi: *Et ita pactum & juramentum valet, quatenùs tangit rem familiarem, non in eo, quod publicam.* Ergò non valet illud juramentum, quoad accusationem criminalem; interest enim Reipublicæ, delicta puniri; adeoque agitur hìc de juris publici renuntiatione, quæ non competit homini privato; secùs quoad civilem ad divortium, & dotem petenda; in quo casu solùm agitur de renuntiatione juris privati, ac injuria & lucro ipsius viri. Constat autem, quòd unusquisque possit injuriam sibi factam condonare, secluso scandalo, & alijs inconvenientijs.

293. *Vir potest uxorem pœnitentem sibi reconciliare, etiam sæpiùs.*

Hinc nemo dubitare debet, virum uxorem pœnitentem & resipiscentem posse sibi reconciliare, ad torum & cohabitationem eam admittendo; non solùm semel, sed etiam sæpè; quidquid dicere videatur c. 3. de Adul. in princip. Concluf. citatum, ibi: *Sed non sæpè recipere pœnitentem.* Audi Gloss. verb. *Sæpe*: *Imò*, inquit, *videtur, quod non solùm semel, sed septuagesies septies, de Pœnit. dist. 3.* Adhuc instant, *sup. de Iurejur.* Quemadmodum, *ad finem. Quare ergo dicit:* Sed non sæpè? *Dico, quod si mulier delinquat sæpiùs, maritus semper potest ei parcere, si vult, & eam post pœnitentiam recipere, secundùm Evangelicam doctrinam; sed Ecclesia non interciedet pro ea, ex quo aliquoties ei pepercit: & dicit hic*: Non sæpe, *ne Ecclesia videatur ei dare licentiam peccandi: & ad terrorem dicitur etiam hoc.*

Explicatur c. 3. de Adul.

Aliter explicat id Sotus 4. dist. 36. qu. un. a. 2. concluf. 1. dicens: Si adultera, ad cor rediens, pœnitentiâ ducta emendetur, potest illam vir retinere; imò sæpè id consilium est. Enimverò cùm pœna illa divortij ob culpam fornicationis sit posita, postquam culpa per emendationem fuerit deleta, potest vir juri suo renuntiare, & uxori pœnam illam condonare. Quocircà Aug. ad Pollentium lib. 2. c. 6. *Quod autem tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur conjugi conjux, si fides adsit, non erit durum.* Et cap. 9. *Non erit turpis, neque difficilis, etiam post perpetrata, atque purgata adulteria, reconciliatio conjugum.* 294. *Alia expositio ex Soto.*

Sæpè est consilium, mulierem pœnitentem reconciliare.

Quòd autem hoc sæpè sit consilium, inde patet; quòd mulier emendata, cùm se mariti præsidio viderit destitutam, periculum subibit, ne per inopiam oppressa, turpem procuret quæstum. Verum est tamen, Greg. in lib. qui Pastor inscribitur, rem fuisse moderatum: debet enim, inquit, maritus recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, sed non sæpè: nam sæpè relapsa spem emendationis adimit. Ita Sotus.

Eam sæpiùs relapsam ejicere, non repugnat consilio Evangelico. Sanchez.

Nec id adversatur (inquit Sanchez sup. disp. 13. n. 3.) consilio Evangelico, quod non intelligitur de pœna externa delicto debita, qualis est divortium, quando spes veniæ ansam præbet in delicto persistendi, & correctionis spes cessat. Sic ille. De quo ergò? De odio interno animi deponendo, ut sup. adhuc insinuavimus. Et proculdubiò hoc odium debet deponere, tametsi adultera perseveret in suo peccato; & idem est de adultero. 295.

An teneatur eam dimittere, quæ perseverat in peccato? Pars affirmans probatur ex jure.

Sed nunquid vir innocens tenetur talem adulteram dimittere, aut mulier innocens talem adulterum? Hæc est præcipua difficultas hujus Conclusionis. Atque in primis, quod attinet ad virum innocentem, scriptum est cap. 3. de Adult. *Si vir sciens uxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & ejus peccati particeps.* Et Auctor Oper. imperf. Homil. 32. sup. Matth. c. 19. ait (refertur 32. q. 1 c. 1.) *Sicut crudelis est & iniquus, qui castam dimittit: sic fatuus est & injustus, qui retinet meretricem. Nam patronus turpitudinis eius est, qui crimen celat uxoris.*

296. *SS. Patribus & Script. Proverb. 18.*

Similiter loquuntur alij Sancti Patres, juxtà illud Proverb. 18. n. 22. *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram, stultus est & impius.*

Porrò Gloss. d. cap. *Sicut crudelis*, verb. *Patronus*, inquit: *Hoc intelligo, cùm ipsa non vult agere pœnitentiam, ut extra de Adul.* Si vir. *Item hoc intellige, cùm notorium est uxoris adulterium: nec jam ignorantiam suam obumbrare potest maritus, Cod. de Adul.* Sine metu .... *Tunc enim leno præsumitur, & de lenocinio accusatur .... Non tamen tenetur hoc casu dimittere eam, sed denuntiare debet ejus crimen ad pœnitentiam; sive occultum sit, sive notorium ejus crimen, dum tamen probare possit. Et nota, quòd in omnibus istis cap. non dicitur, quod eam debeat expellere, vel debitum denegare: sed, sicut dixi, denuntiabit Ecclesia crimen ejus, & aget ad*

ad hoc, ut illa pœniteat: vel agat, si vult, ad separationem tori.

297. *Non convincitur absoluta obligatio, per se loquendo.*

Si vult, inquam: ergò, secundùm hanc Gloss. ex illis textibus non convincitur absoluta obligatio expellendi, per se loquendo, ut habet nostra Conclusio, quam docet Sanchez sup. n. 6. dicens: Si solam adulterij rationem attendamus, nullum extat præceptum divertendi ab uxore adultera pertinaci, & quantumcumque publica. Constat, inquit, quia Matth. 5. & 19. ubi Christus Servator noster explicuit, divortium esse licitum ratione adulterij, non id præcepit; sed tamquam licitum permisit, ut constat ex contextu, & docet D. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte, c. 27. & seq. & refertur 28. q. 1. c. 5. *Idololatria, quam sequuntur infideles, & qualibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causâ fornicationis uxorem dimitti. Sed quia permisit, non jussit.*

Probat Sanchez ex Matth. 5. & 19.

S. Aug.

Ratio.

Et ratio est: quoniam divortium est pœna adulterij; ac proinde vir innocens eam pœnam subire minimè tenebitur. Adde: divortium esse inductum in favorem innocentis, & supplicium adulterij, ob injuriam innocenti illatam; atque adeò jus proprium viri est, posse divertere. Potest ergò jure suo cedens condonare injuriam. Sic ille.

298. *Probatur ex jure. Reg. 61. in 6. l. 6. Cod. de LL.*

Sed & Reg. 61. de Reg. juris in 6. dicit: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Eademque sententia est l. 6. Cod. de LL. *Quòd favore quorumdam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri.* Jam autem sæpiùs fieri potest; imò per se natum est fieri, ut ex divortio vir non modicum patiatur dispendium, & haud parvam incurrat læsionem, ut patebit ex dicendis. Ergò non est verisimile, vel Deum, vel Ecclesiam voluisse obligare innocentem virum, per se loquendo, ad celebrandum divertium, quàmvis id ei permiserit; quia fieri potest, ut malit quælibet incommoda sustinere, quàm adulteræ, maximè pertinaci, cohabitare.

299. *Aliquando est obligatio juris naturalis, ex D. Thoma.*

Interim aliquando esse obligationem, si non juris positivi, saltem juris naturalis, videtur satis probari ex juribus sup. allegatis. Eamque tradit Doct. Angel. 4. dist. 35. a. 2. corp. *Dicendum, quòd dimissio uxoris fornicantis introducta est ad corrigendum uxoris crimen per talem pœnam: pœna autem corrigens non requiritur, ubi emendatio jam præcessit: & ideò si mulier de peccato pœniteat, vir non tenetur eam dimittere: si autem non pœniteat, tenetur, ne peccato ejus consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit.*

300. *Et D. Bonav.*

Consonat Doct. Seraph. eâd. dist. a. 1. q. 2. corp. *Dicendum, quòd fornicans conjux, aut fornicatur in occulto, aut in manifesto. Si in occulto, sic non potest dimittere eam; quia non potest probare, & non est nostrum de occultis judicare. Si in manifesto, aut perseverat in malitia, aut convertitur ad pœnitentiam. Si perseveret in malitia, sic quia scandalizat, & quia vir tenetur uxorem corrigere, juxtà mandatum Evangelicum, tenetur eam dimittere. Si autem pœnitet, & se corrigit, non tenetur; & in 1. casu loquuntur auctoritates Sanctorum & Canonum. Unde Hier.* Si vir scit uxorem deliquisse, & mulier permanserit in fornicatione, & vivit cum ea, vir particeps est peccati ejus.

Tenetur ergò vir uxorem corrigere; ideò & fornicantem dimittere, & ratione hujus ad tempus continere; nec amittit jus in uxorem, ut patebit. Et quàmvis debeat dimittere injuriam, debet tamen corrigere culpam. Et sic concedendæ sunt rationes. Quia non tenetur simpliciter dimittere, sed in casu: nec tunc ad omne tempus, sed ad aliquod, pro eo, quòd non tenetur perpetualiter continere: sed quemadmodum uxore infirmante corporaliter, tenetur continere ad tempus; ita uxore infirmante spiritualiter, ad ejus correptionem tenetur ad tempus eam repellere; quoniam quamvis possit culpam indulgere, debet tamen corrigere. Hæc enim simul à Domino præcepta sunt cuilibet; scilicet, ut proximo suo unusquisque parcat. Iterùm, quòd parcendo corripiat. Et hæc duo simul tanguntur Matt. 18.

301. *Ambo tribuunt obligationem præcepto correctionis fraternæ, & scandali vitandi. Sanchez negat præceptum correctionis. Probat 1.*

Itaque D. Tho. & D. Bonaventura, Alijque plures apud Sanchez sup. n. 9. hanc obligationem tribuunt præcepto correctionis fraternæ, & scandali vitandi. Verùm ipsis non consentit Sanchez, negans n. 8. præceptum correctionis fraternæ. Ducitur: quoniam hùic præcepto satisfacit, uxorem admonens, & pœnis inferni illi propositis, eam deterrens, parcèque puniens modo sibi permisso.

Quòd si hæc (inquit) non sufficiant, nulla superest, moraliter loquendo, spes emendæ: imò creditur fore, ut dimissa à viro liberiùs vacet libidini, deteriorque efficiatur. Si autem in aliquo raro eventu spes aliqua emendæ, uxore expulsâ, superfit, præcepta charitatis (quale est correctionis fraternæ) non adeò metaphysicâ & exactâ scrutatione, & tam scrupulosè accipienda sunt; sed satis est, ut id præceptum minimè obligare sentiamus, si moraliter desit spes emendationis. Nec cogendus est vir, casus metaphysicos indagare.

302. *Secundò.*

Prætereà: quia non cum tanto detrimento præcepta charitatis obligant, quale vir pateretur, si uxorem adulteram domo expelleret, eive debitum negaret. Quia, moraliter loquendo, stimulis carnis agitabitur, quibus resistere difficillimum sibi erit: mulierque efferabitur, ac volenti viro, eam ad se revocare renitetur; ac destituetur obsequijs uxoris, quæ maximo sibi emolumento sunt, ut custodiæ domûs, educationi filiorum, ac ministerijs domesticis attendat.

Tertia probatio.

Prætereà, si uxor Judicem adeat restitutionem petens, eam obtinebit. Quod si vir adulterium velit probare, quò divortium celebretur, magnis sumptibus indigebit, longâque temporis morâ, ad tres sententias conformes expectandas, quæ in causis Ecclesiasticis desiderantur. Nec modicâ infamiæ notâ, adulterio uxoris in judicium deducto, maritus ipse inuretur.

303. *Probatur 4.*

Deinde: quia ubi uxor viro sciente, ita fronte perfricatâ in adulterio pervicax est, ut dictis medijs adhibitis retrahi nequeat; virum despicit, ardentiùsque amasium deamat; ac proinde, tantùm abest, ut expulsione à viri consortio tristitiâ affecta in se redeat: quin potiùs triumphabit,

phabit, liberioremque vitam, ut veneri vacet, libentissimè amplectetur; & si moraliter, prout res evenire solent, loquamur, expulsio hæc fine per correctionem intento, qui est correctio vitæ, & resipiscentia à vitijs, frustrabitur. Quòd si in casu rarissimo contrarium speretur, res morales, ac de moribus instituendis præcepta tradita non casus metaphysicos, & præter communem spem, sed in plurimùm contingentes, respiciunt; l. *Nam ad ea*, ff. de Leg.

Vltima probatio. Tandem; quia negari non potest, acerbissimum esse medium, expellere uxorem: atque ita nequaquam credendum est, præceptum correctionis fraternæ, quod suave est, nec adeò exactè obligat, in hoc eventu constringere. Hucusque Sanchez.

304. *Quid sentiat Auctor.* Numquid audiendus? Dico ego: aliquando pergratum medium esse viro, expellere uxorem adulteram; quando videlicet ad nihil utilis est, nisi ad peccandum, ad dissipandum bona viri sui, & prolem pessimè educandam; ita ut vir mallet quæcumque mala pati, quàm cum ea habitare. Atque adeò omninò credendum est, præceptum correctionis fraternæ, quantumvis suave, in hoc eventu constringere; eo semper salvo, ut sit spes aliqua emendationis, sine qua non obligat dictum præceptum, & quam DD. sup. allegati supponunt.

Si est spes emendationis, etsi in casu rarissimo, obligat d. præceptum. An autem tam rara sit illa spes, & quasi metaphysica, alijs relinquo judicandum. Hoc ego sustineo: sive rara sit, sive rarissima, si reverà adsit, dictum præceptum obligare, ut benè notat Dicast. disp. 10. n. 56. ubi hæc scribit: Ideò autem diximus: *Nisi fortè in rarissimo casu*; fieri enim potest aliquando, quòd dimissio sit apta ad emendationem, absque ullo alio periculo; vel etiam sit apta, ad vitandam prædictam suspicionem conniventiæ & tolerantiæ; neque marito sit valde incommoda uxoris dimissio, nec aliud medium facilè inveniatur, aut tentata alia non profuerint; in quo casu non negaverim, neque negant Auctores nostræ sententiæ, illam posse dimitti, imò debere. Sic ille. Dicast.

305. *Oppositum caret solido fundamento* Sed revetà Sanchez, qui est unus ex illis Auctoribus, videtur id negare, ut patet ex ejus verbis sup. relatis: verùm absque solido fundamento; neque enim lex illa, quam adducit, loquitur de legibus naturalibus aut divinis, sed positivis humanis tantùm, ut constat ex l. 1. d. tit. ubi definitur lex: *Commune præceptum, virorum prudentium consultum: delictorum, quæ sponte vel ignorantiâ contrahuntur, coërcitio: communis Reip. sponsio.* Idemque patet ex toto illo titulo.

306. *Rejicitur probatio, desumpta ex l. 5. ff. de LL.* Igitur ex d. l. *Nam ad ea*, haud benè probatur, præceptum divinum correptionis fraternæ non obligare in rarissimo casu. Et ratio disparitatis posset esse: quòd Legislator humanus nequeat omnes casus in particulari, maximè qui rarissimè accidunt, intellectu conspicere; adeoque nec voluntate præcipere aut prohibere censeatur. At verò Legislator Divinus infallibili perspicacitate ab æterno intuetur omnia futura, sive ea, quæ frequenter & facilè accidunt, seu ea, quæ perrarò eveniunt; intuetur, inquam, secundùm proprias & formales ac singulares cujusque rationes. Quidni ergo censeatur præcipere & prohibere etiam ea, quæ perrarò eveniunt?

Deus obligat in casu rarissimo. Igitur qui mandavit unicuique de proximo suo, id est, voluit unumquemque obligare ad correctionem proximi, quando est spes emendationis; obligat etiam in rarissimo casu, quem ab æterno eventurum cognovit. Nulla quippe apparet ratio, quare in tali casu noluisset obligare; cùm in eo possit homo præceptum correctionis liberè observare. Sic ego sentio, salvo meliori. Et ideò dico cum D. Tho. & D. Bonav. peccare contrà præceptum fraternæ correctionis, qui retinet mulierem adulteram, quam posset commodè ejicere, cum spe emendationis. Quando autem hoc sit, ipse viderit, qui habet mulierem adulteram.

307. *Sanchez admittit præceptum vitandi scandali.* Atque seriò attendat, num retinendo alios scandalizet, qui censent ipsum connivere & patrocinari uxoris adulterio. Et quidem Sanchez sup. n. 10. ait: Obligatio hæc dimittendæ uxoris, persistentis in adulterio, nascitur ex præcepto vitandi scandali, ne vir censeatur connivens, & patrocinans uxoris adulterio. Quod fatentur ferè omnes Doctores.

Rarissimè obligat, secundum ipsum. Interim notat hic Auctor, & Alij ante, & post ipsum, rarò hoc præceptum obligare, imò rarissimè. Tum (inquit Sanchez sup. n. 25.) quia tot causæ excusant, ut vix contingere possit, aliquam ex ijs non subesse: tum etiam; quia rarissimè non satis scandalo cavendo consuletur alijs medijs adhibitis. Sic ille.

308. *Explicatur ex Aversa.* Explico verbis Aversæ sup. q. 23. sect. 5. §. *Rarò*. Scandalum orietur, quando alij putabunt, maritum ipsum in uxoris adulteria consentire: & sic ex retentione uxoris adulteræ aliorum peccatorum occasio in populo præbetur. Sed hoc rarò continget. Tum, quia si delicta sint occulta, non aderit tale scandalum, sed potiùs ex dimissione evulgarentur in publicum; ex quo regulariter majus timeri posset scandalum. Tum, quia si delicta sint publica, si inde non inducatur pravum exemplum in alijs conjugatis; sed solùm sinistra existimatio de conniventia viri, hic non obligabitur de rigore amovere à se hanc infamiam, nisi alia damna immineant. Tum etiam; quia facilè posset quis aliâ viâ amovere scandalum, & hanc sinistram de se existimationem, manifestando se quidem vehementer execrari uxoris flagitia, sed alijs rationabilibus ex causis non eam expellere.

309. *Non tenetur quis cum notabili damno impedire scandalum.* Tum demum; etiamsi reverà secuturum sit scandalum, & pravum exemplum, potest vir excusari ab obligatione dimittendi uxorem, ob alia damna vel detrimenta, quæ ex hac dimissione orirentur: non enim tenetur cum notabili damno vel incommodo aliorum scandalum impedire; sicut nec correctionem proximi procurare. Utpote si ipse absque uxore incontinentiæ periculis exponatur; si domesticis ministerijs cum incommodo suo aut familiæ destituatur: si majorem licentiam & perdi-

perditionem ipſius uxoris, ac minorem ſpem ejus emendationis ex dimiſſione prævideat : ſi majorem infamiam & ignominiam ſibi & uxori & familiæ inde incurrat: ſi tandem velit propriâ auctoritate dimittere, juxtà ſententiam id admittentem, & inde inimicitias, lites, & contentiones paſſurus ſit : aut ſi velit in judicio divortij ſententiam obtinere, & ideò laborem & expenſas ſuſtinere debeat, ſeque fortaſsè apud ſeculum contemptibiliorem reddat, & ſimilia. His omnibus ergò penſatis, rarò occurret talis ſcandali caſus, in quo vir ſub obligatione teneatur divortium facere. Hactenùs Averſa.

310. *Caſus, in quo vir tenetur.*

Addendum videtur (proſequitur idem Auctor) obligari poſſe interdum virum ad hoc, nè uxor ipſa credat, eum in ſua flagitia conſentire, vel moleſtè non ferre ; & ideò liberiùs in ijs flagitijs perſeveret. Quod quidem redit in præceptum correctionis fraternæ, & ad vitandum ſcandalum ac ruinam ejuſdem uxoris. Et ad hoc præcipuè ſacri Canones reſpexiſſe videntur. Satis autem erit, ſi vir identidem comminetur uxori, eam expellere, niſi reſipiſcat, aliſque modis declaret ſuam averſionem & moleſtiam, quam patitur de ejus pravitate, & ob ſpem emendationis differre divortium ; & ita his æquivalentibus, aut fortè plus juvantibus remedijs, ejus correctionem procurare. Sic ille.

Quando excuſatur ab expulſione, tenetur alijs medijs vitare ſcandalum.

Et Sanchez ſup. n. 24. Id (inquit) monuerim, teneri virum in his eventibus, in quibus ab expulſione uxoris pertinacis in adulterio excuſatur, cavere ſcandalum alijs medijs. Addit: quòd ſi ea non ſufficiant ad id ſedandum, non erit ſcandalum activum, ſed paſſivum : ac proinde non tribuetur culpæ viro, non expellenti. Sic ille.

Sanchez.

Poſt Alphonſum à Caſtro de Leg. pœn. lib. 2. c. 4. §. *Vt igitur*, & Alios, quos citat.

311. *Quid de hac re ſentiat Caſtro.*

Hæc ſunt verba Alphonſi : Nec ſolùm poteſt, ſed etiam repellere tenetur, ſaltem à toro, niſi fortè ſaluti animæ ſuæ, aut uxoris ſuæ proſpicere intendat, aut uxorem ſuam correctam videns, miſericorditer cum illa agere, & illi parcere velit. Nam ſi uxorem retinendo, ſperat illam utcumque emendandam, juſtè propter illius correctionem poterit illam apud ſe retinere ; dummodò illos, qui uxoris adulterium noverant, admoneat, ſe uxorem ſuam apud ſe retinere, non ut illius crimen foveat ; ſed potiùs, ut illam corrigat, & à crimine avocet, quod Deo adjutore ſe facturum ſperat. Quâ admonitione factâ, ſi illi nihilominùs ſcandalizantur, non tenetur ad illorum ſcandalum evitandum eam dimittere. Quia tale non eſt ſcandalum parvulorum ex ignorantia aut infirmitate proveniens ; ſed eſt ſcandalum Phariſæorum, procedens ex pura malitia, quod Salvator noſter eſſe contemnendum docuit, dicens : *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*, Matth. 15. v. 14. Sic ille.

312. *Si diffidat, ſe poſſe caſtè vivere, poteſt eam retinere.*

Et paucis interpoſitis : Si (inquit) uxorem adulteram à ſe repellens, diffidit ſe poſſe caſtè vivere, poteſt eam juſtè apud ſe retinere ad evitandum peccatum, quod illâ repulsâ metuit ſe commiſſurum. Et hoc verum eſt, etiamſi illam retinens ſperet per hoc illam minùs fore emendandam, quàm ſi illam à ſe repuliſſet. Quia magis tenetur ſaluti animæ ſuæ proſpicere, quàm alienæ ; & nemo cum periculo animæ ſuæ, tenetur ſalutem animæ alterius perquirere.

Probatur.

Et probatur hoc apertiùs per hoc, quòd vir non magis obligatur ad corrigendam uxorem ſuam, quam Dominus ſervum ; Dominus autem non tenetur à ſe repellere ſervum excommunicatum ; ſed poteſt ab eo, quàmvis excommunicato, debitum ſervitium exigere : ergò eodem modo vir poterit, quum ſibi opus fuerit, ab uxore debitum petere, quàmvis illa in crimine adulterij perſiſtat ; præſertim cùm magis teneatur uxor ad reddendum debitum viro, quàm ſervus ad reddendum ſervitium domino. Si verò maritus confidat in Domino, uxore repulsâ, ſe poſſe continere, & non ſperat, uxore retentâ, illam fore emendandam, tenebitur eam à ſe expellere, ne peccatum illius fovere videatur, illam retinendo. Hucuſque Caſtro.

313. *In quo caſu intelligendi ſint SS. Patres.*

Et in hoc ſolo caſu putat intelligendum D. Hier. quando dicit in Comment. ſuper Matth. c. 19. *Sola fornicatio eſt, quæ uxoris vincat affectum. Imò cùm illa unam carnem in aliam diviſerit, & ſe fornicatione ſeparaverit à marito, non debet retineri, ne virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scripturâ : Qui adulteram tenet, ſtultus & impius eſt.*

Conſimiliter porrò intelligè alios Sanctos Patres, conſimiliter loquentes : innituntur enim vel præcepto correctionis, quod conſtat non in omni caſu obligare ; aut certè, præcepto vitandi ſcandali, ac ſuſpicionis conſensûs viri in adulterium uxoris.

314. *Arguitur Sanchez, inconſequentiæ.*

Miror verò ſummoperè, cur Sanchez ſup. n. 8. neget hìc (ut antea audivimus) præceptum correctionis fraternæ, eò quòd in caſu rariſſimo poſſit ſperari emendatio ; & tamen n. 10. admittat præceptum vitandi ſcandali, eſtò, ut fatetur n. 25. in rariſſimo caſu expulſio uxoris ſit neceſſaria ad vitandum ſcandalum. Expectabo reſponſionem ab Alijs. Ego non video cur minùs in rariſſimo caſu obliget præceptum correctionis, quàm præceptum vitandi ſcandali. Enimverò lex : *Nam ad ea*, ff. de I. I. quam ſup. adducit Sanchez, ſi probet unum præceptum non obligare, quidni idem probet de altero ?

Illa præcepta rarius obligant fœminam.

Hoc certum eſt, tam unum, quàm alterum præceptum, rariùs obligare fœminam, ad ejiciendum virum adulterum, quàm obliget virum, ad ejiciendam uxorem adulteram. Imò Sanchez ſup. n. 29. exiſtimat, numquam uxorem aſtringi præcepto dimittendi viri adulteri pertinacis, aut abſtinendi ab actu conjugali. Ducitur : quia obligatio ſcandali ceſſat prorsùs in uxore, cùm omnibus manifeſtum ſit, uxores egerrimè ferre, ut viri alijs commiſceantur ; & Zelotypiâ exuri ; nec poteſtatem habent cohibendi viros, cùm ſubditæ ſint. Sanchez.

315. *Probatur de præcepto correctionis.*

Sed neque præceptum correctionis aſtringit eam : eò quod (licèt corrigere verbo, ubi eſt ſpes emendæ, omnibus incumbat) re facto ipſo pœnam inferendo, ſolius Superioris eſt. At

negare debitum, & recedere à consortio conjugali, est facto ipso corripere, & pœnâ adulterij punire virum. Et præterea ; non est moraliter spes emendæ, & majora inconvenientia redundant in uxorem ex ea dimissione, quàm in virum.

Sancti PP. de solo viro loquuntur.

Adde : quòd sancti Patres de solo viro loquantur. Et incertitudo prolis in familia non oritur ex adulterio viri, sicut ex adulterio uxoris ; ad quam incertitudinem evitandam, putant Aliqui, virum debere ejicere uxorem adulteram. Ergò ex nullo capite uxor obligatur ejicere virum adulterum. Ita arguit præfatus Auctor pro sua & Aliorum, quos citat, sententia.

316. *Plures agnoscunt similem obligationem in fœminas ex cap. 4. 32. q. 1.*

Sed tamen (inquit Aversa sup. §. *Cæterùm*) similem obligationem spectare quoque ad uxorem respectu mariti, perseverantis in adulterio, affirmat Supplementum Gabrielis in 4. dist. 35. q. 1. a. 2. concluſ. 4. Palatius, Petr. Soto, Ledesma, Bonacina, Navar. Alijque plures, fundantes se in cap. *Si quis uxorem*, 32. qu. 1 ubi id apertè videtur decidi sub hac forma verborum: *Similiter si virum suum uxor invenerit adulterum, non ad imparia judicatur.* Ita Chrysost.

S. Chrys.

Ubi Gloss. verb. *Ad imparia*, explicat : *Hoc quoad debitum non exigendum, donec alter pœniteat. Similiter non ad imparia judicantur quoad debitum reddendum, quoad divortium, quoad accusationem* (intellige, civilem) *inf. eâd. q. 5.* Præcepit, ibi: *Quidquid viris jubetur, hoc consequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, & vir mœchus retinendus.* Ita Hier.

S. Hier.

317. *Item ex cap. fin. eâd.*

Et Innoc. cap. fin. eâd. ait : *Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat.* Ergò etiam pari ratione accusat, & pari ratione obligat innocentem.

Quid hic sentiat Aversa.

Et sanè (inquit Aversa) quantùm est de jure & ratione, agnosci quoque debet hæc obligatio ex parte uxoris respectu viri, si concurrant similes circumstantiæ, id est, moralis spes emendationis delinquentis, & commoditas vitandi scandali. Difficiliùs tamen & rariùs possunt occurrere hæ circumstantiæ ex parte uxoris : quia mulier non est tantæ auctoritatis ad corripiendum virum, & magis erit incommodum mulieri à viro recedere. De reliquo autem eadem decisio juris, quæ obligationem imponebat viro respectu uxoris, intelligi debet de uxore respectu viri ; quia res est communis, & in alijs hujusmodi decisionibus idem constat. Et præterea expressè habetur eo cap. *Si quis uxorem.*

318. *Rejicitur responsio Sanchez ad d. cap. 4.*

Licèt enim Sanchez respondeat, intelligi solùm de pari facultate ad faciendum divortium ; non verò de pari obligatione ; & non esse textum juris, sed dictum quoddam Chrysostomi : clarè tamen textus loquitur de obligatione : & alij quoque textus imponentes (aut certè significantes) obligationem ex parte viri, sunt dicta quædam Patrum, aut Provincialium Conciliorum.

Quantùm ad correptionem etiam uxor superior est.

Item : quantùm ad hoc genus facti & pœnæ in ordine ad correptionem, æquè superior est uxor respectu viri, sive potiùs pares sunt, & non ad imparia judicantur, ut in eo cap. dicitur : quia pariter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Quantùm ad periculum scandali, poterit interdum etiam timeri, ne appareat uxorem consentire in adulteria mariti : siquidem magìs notum erat, maritos potiùs non solere uxoris adulteria tolerare, sed acriter vindicare : & ex alia parte minùs damnum, & magìs facilè esse potest, si uxor deserat virum, quàm si vir dimittat uxorem. 319. *Subinde etiam posset timeri scandalum.*

Quantùm denique ad incertitudinem prolis, hæc quidem erat ratio specialis contra uxorem adulterantem. Sed ex alia parte potest addi alia ratio specialis ad corrigendum maritum adulterantem : quia ejus magìs interest gignere legitimam prolem ex propria uxore : & ideò poterit faciliùs uxor eum coërcere, negando illi debitum, ac se subtrahendo, nisi ab adulterijs abstineat, ut sic fortè legitimæ prolis desiderio, alienas mulieres derelinquat. Hactenùs Aversa. *Specialis ratio ex parte mulieris ad corrigendum virum.*

Qui præterea (cum Pet. Ledesma de Matr. q. 62. a. 2.) docet, posse obligari virum deserere, vel saltem conjugali debito privare uxorem adulteram, ob incertitudinem prolis, & periculum supponendi falsos hæredes : quod negat Sanchez sup. n. 12. negat, inquam ; quoniam ad vitandum hoc periculum, non tenetur vir adeò acerbo medio uti : eò vel maximè, quod nulla est spes emendæ, eâ repulsâ ; & ita aut ratione hujus periculi vitandi, debet vir semper ab ejus consortio separatus manere, aut quando eam ad se revocârit, idem erit periculum. 320. *An obincertitudinem prolis vir debeat deserere mulierem adulteram ? Negat Sanchez.*

Deindè : quia viro culpæ tribui non debet ea incertitudo prolis ; cum ipso renitente, & media suavia, ad quæ tenetur, corrigendi gratiâ adhibente, eveniat. Nec obscurum indicium est, ut hanc obligationem ex hoc capite non consurgere credi possit, quòd tot Doctores antiqui, de hac re differentes, illius non meminerint ; sed scandali & correctionis. Ita Sanchez.

Non videtur tamen (inquit Aversa sup. §. *Addit*) negandum ; accidere posse, ut ex una parte non sit adeò acerbum, ab adultera uxore recedere ; & ex alia parte nimis grave damnum legitimis successoribus obveniat, si magnam hæreditatem adulterina proles arripiat : & ideò ex hoc capite aliqua obligatio consurgat, licèt etiam rarissimè hæ omnes conditiones conjungi possint. Sic ille. 321. *Aversa putat, posse aliquando esse obligationem.*

Tu adverte ; antiquos Doctores non omnium eorum meminisse, quæ procedente tempore alijs revelata fuerunt. Et insuper cogita ; obligationem dimittendi adulteram pertinacem, non consurgere ex aliqua constitutione Ecclesiastica. Quoniam cap. *Si vir*, & alij textus sup. relati, innituntur præsumptione consensus viri in adulterium uxoris ; ac proindè, ad vitandam eam suspicionem, dicunt, eam dimissionem esse faciendam ; non novum præceptum imponendo, sed declarando naturale, de vitando scandalo, quod ex ea suspicione oritur, ut sup. dictum fuit.

Hinc Sanchez sup. n. 16. putat, nihil referre ad hanc obligationem, an vir sit innocens, nec ne. Quippè quæ non oritur ex ratione adulterij, sed vel ex præcepto correctionis fraternæ, vel ex 322. *Nihil hìc refert, quòd vir sit no-*

præ-

cens, ſecundùm Sanchez.

præcepto ſcandali vitandi : à quo præcepto vir ipſe ſimilis adulterij reus minimè eximitur : cùm non deſinat eſſe caput, nec ſcandalum ceſſet.

Nec obſtat compenſatio mutui adulterij. Quia (inquit Sanchez) ea confert, ne liceat viro perpetuum divortium intentare; non autem, ut non teneatur aut ratione correctionis uxoris, aut ratione ſcandali vitandi, ſuſpicionis conſensûs, ac patrocinij præſtiti adulterio ipſius, ad tempus divertere, quò ipſa deterrita, impoſterùm ab adulterio retrahatur: vel ſaltem vicini intelligant, id adulterium invito marito perpetrari.

323. *Objectio.*

Si objicias illud Apoſt. ad Rom. 2. v. 1. *In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas : eadem enim agis quæ judicas.* Et v. 22. *Qui dicis non mœchandum, mœcharis.* Reſpondet Sanchez: delicta eſſe valdè imparia. In hominum enim æſtimatione adulterium viri leve crimen reputatur, nec in dedecus ac infamiam uxoris cedit : ac proinde lege ſæculari minimè plectitur pœnâ criminali, nec datur jus uxori accuſandi criminaliter. At uxoris adulterium exiſtimatur nefandiſſimum ſcelus, ac pœnâ capitis dignum. Proindeque vir adulter, utpote multò leviori crimine infectus, capax eſt uxoris adulteræ corrigendæ. Sic ille. An meritò, alij judicent.

Solvitur ex Sanchez.

Ego tranſeo ad aliam difficultatem ; utputa, ad tacitam condonationem adulterij, pro cujus explicatione ponitur

CONCLUSIO IX.

Innocens tacitè condonat injuriam adulterij, quando ſcienter & ſponte in copulam conjugalem conſentit, vel alia ſigna conjugalis familiaritatis oſtendit. Licèt hæc omnia ſine condonatione fieri poſſent. Factâ reconciliatione, ſi iterùm peccet, poteſt dimitti : & poteſt ipſe dimittere compartem, ſi adulteretur.

324. *Condonatio alia eſt merè interna, alia externa, expreſſa vel tacita.*

HActenùs diſputavimus, quando liceat, aut ſit præceptum, ratione adulterij divertere : quid autem, facto divortio, uterque conjux poſſit circa ſtatûs ſui mutationem, infrà patebit. Impræſentiarùm diſſerendum eſt de condonatione adulterij. Porrò hæc intelligi poteſt fieri vel actu merè interno & mentali, vel actu externo & apparenti : & rursùs actu externo vel conſiſtente in locutione & verbis, & dicitur condonatio expreſſa, vel in operatione aliqua & factis, appellaturque condonatio tacita.

l. 15. ff. Ad leg. Jul. de Adult. l. 40. ff. eod.

De illa ſcriptum eſt l. *Si maritus*, ff. Ad leg. Jul. de Adult. §. 5. *Fortiùs dicitur, eum, qui ſe negaverit acturum, poſtea non audiendum.* De hac verò intellige l. *Quæſitum*, ff. eod. ibi : *Paulus reſpondit: eum qui poſt crimen adulterij intentatum, eamdem uxorem reduxit, deſtitiſſe videri, & ideò ex eadem lege poſteà accuſandi ei jus non ſupereſſe.* Et l. *Crimen*, Cod. eod. dicitur : *Crimen adulterij maritum, retentâ in Matrimonio uxore, inferre non poſſe, nemini dubium eſt.* l. 11. Cod. eod.

325. *Poſt expreſſam nequit celebrari divortium.*

Equidem quòd poſt condonationem expreſſam, ex animo factam, & ab adultero acceptatam, nequeat innocens celebrare divortium, ab Omnibus admittitur, & res per ſe clara eſt. Cur enim minùs hoc debitum poſſit condonari, quàm alia quæcumque, v. g. ex contractu, ex damno injuſtè illato &c.? Sicuti ergò, ſi quis ex animo condonaverit damnum injuſtè illatum in bonis fortunæ, non poteſt reparationem exigere, ſuppoſitâ acceptatione debitoris ; ſic indidem in noſtro caſu, qui ex animo remiſit quaſi pœnam divortij, ſeu jus quod habebat, ad eam pœnam exigendam, altero acceptante remiſſionem, non poteſt ampliùs divortium exigere.

An valeat condonatio ficta.

Hoc certum eſt. Dubitatur autem Primò : an valeat ficta condonatio. Secundò : an ante acceptationem poſſit revocari : v. g. innocens voce vel ſcripto dicit nocenti, ſe condonare, aut remittere, aut ignoſcere, ſe reconciliari, ſe velle ducere vitam conjugalem cum ipſo, ſe velle eum habere & tractare ut conjugem; nihilò tamen minùs interiùs cogitat : acceptat nocens, putans hæc ex vero animo dici; numquid innocens adhuc poteſt celebrare divortium ?

326. *Negat Averſa, in foro conſcientiæ.*

In foro quidem conſcientiæ (inquit Averſa ſup. ſect. 7. §. *Secundò*) dici debet adhuc manere liber, ita ut remiſſio ficta non valeat, non eum liget : quia cùm hæc juris ceſſio ex ejus libera voluntate dependeat, ſine ejus intentione non valet. Nec is tali fictione tantam injuriam infert parti, ut propterea à ſuo jure cadat : ſiquidem nullum novum detrimentum parti infert, ſed relinquit in eodem priori ſtatu, quàmvis ſe remittere fingat. In foro tamen externo, ſi de tali remiſſione conſtabit, cogetur illam ſervare, & à divortij prætenſione deſiſtere : quia, judicium fertur vigore actuum externorum. Sic ille.

Similiter Sanchez.

Et ante ipſum Sanchez lib. 10. diſp. 14. n. 3. dicens : Quòd ſi innocens remittat adultero delictum oretenùs, cùm tamen contrarium animum habeat, nullius momenti erit remiſſio in foro conſcientiæ : ac proinde adhuc divertere, & accuſare poterit : & rogatus à Judice, inſtante uxore, poterit condonationem illam negare (ut in ſimili dixi lib. 1. diſp. 10. n. 27.) Quia illa renuntiatio juris eſt merè liberalis, nilque innocens ab adultero recipit, ut teneatur ſictam promiſſionem ſeu renunciationem veram effitere, quò contractui ſtet, & æqualitas inter dantem & recipientem ſervetur. Ita Sanchez. Et meritò, ut ampliùs patebit ex dicendis de remiſſione tacita.

227. *An requiratur acceptatio ? Negat Sanchez.*

Quantùm ad ſecundum dubium, diſſonant hi Auctores. Sanchez ſup. n. 2. exiſtimat, nullam acceptationem deſiderari ; ac proinde ſufficere, ſi ſolâ mente fiat condonatio illa adulterij ; & non exigi, adulterum noſſe, ſuum delictum cognitum eſſe innocenti. Loquitur autem tam

de

de expressa, quàm tacita condonatione.

Probatio. Probat: quoniam ubi nullo pacto inito, sed solâ cessione, quâ proprio juri quisquam renunciat, intervenienti, aliquid acquiritur cuidam tertio, nullâ opus est illius tertij acceptatione; sed sola cessio juri proprio renunciantis satis est: ut in hæreditatis repudiatione contingit. Qualitercumque enim occultè hæreditas repudietur, l. 4. Cod. de Repud. hæred. obvenit substituto; arg. l. 4. Cod. de Repud. hæred. *Sicut major 25. annis, antequam adeat, delatam repudians successionem, post quærere non potest.* Quasi repudiatio illa solo repudiantis actu ad suam firmitatem contenta sit.

Cùm ergò post adulterium, sive ante celebratum divortium, sive post, ut adulter recuperet jus pristinum exigendi debiti, satis sit tolli impedimentum voluntatis innocentis, utentis jure suo (eo enim ipso, quòd ille renunciat juri divortij, acquiritur nocenti) sufficiet ea renunciatio, quantumvis occulta, & solâ mente effecta, nullâ adulteri acceptatione expectatâ.

328. *Confirmatur à simili.* Et confirmatur, ducta similitudine ex potentijs naturalibus; dum enim potentia visiva illæsa permanet, impediturque quominùs videat, aliquo obstaculo interposito: ut visionem eliceat, nullo alio opus est, quàm obstaculi illius remotione, qualitercumque contingat, etiam renitente ipsâ potentiâ. Quod pariter in potestatibus moralibus reperimus. Judicis enim potestas per excommunicationem impedita, statim ac excommunicatio cessat absolutionis beneficio, sibi etiam renitenti impenso, reviviscit, nullo actu ipsius requisito. Cujus ratio est: quia potestas jurisdictionis non omninò extincta erat (manet enim Judicis officium) sed tantùm suspensa ac impedita ratione excommunicationis.

329. *Applicatur simile.* Sic igitur contingit in præsenti. Nam cùm post adulterium, etiam celebrato divortio, maneat vinculum Matrimonij, quod radix est mutuæ obligationis reddendi debitum; solùmque jus hoc, ut sibi reddatur, sit in adulterio impeditum, dum innocens jure divortij uti voluerit: nullo alio opus est, ut adulter pristinum jus recuperet, quam cessatione illius voluntatis innocentis, jure sibi acquisito per adulterium cedentis: & statim ac illo cedit, comparat adulter jus exigendi, nullâ ipsius acceptatione desideratâ. Sic ille.

Sed enim, dicet aliquis: hoc est quod quæritur, an non desideretur aliqua ejus acceptatio; & id probatum oportuit, non suppositum.

330. *Probatur secundo.* Probatur ergò ex eodem Auctore: Quia licèt usus pristini juris impeditus acquiratur adultero per eam cessionem; ac proindè acceptatio ipsius adulteri necessaria videatur: at cùm non acquiratur per aliquam concessionem innocentis, quam instar donationis acceptari oporteat; sed per meram juris divortij renuntiationem, quæ obstaculum illius usûs aufert, quâ facta, statim eo ipso ex necessitate consequitur, ut recuperet adulter illum usum, nulla acceptatio desideratur: tantùm enim attenditur, quod principaliter agitur, & non quod ex necessitate quadam, velit nolit agens, inde subsequitur; arg. l. 2. §. penult. ff. de Aqua pluvia arcenda, ubi permittitur alicui torrentem avertere, ne aqua ad suum fundum perveniat: licèt indè effectum sit, ut vicino noceatur: quia tantùm inspicitur, quod principaliter agitur, nimirum proprium cavere damnum.

Renuntiatio juris hìc solâ mente facta valet, juxtà Sanchez. Ex quibus omnibus colligo; satis esse solam renunciationem juris proprij ab innocente quomodocumque, etiam solâ mente factam, quàmvis jam divortium celebratum esset, ut jam amplius resilire nequeat in foro conscientiæ: quod idem servaretur in foro externo, si per propriam confessionem innocentis, aut per alium modum constaret. Imò quàmvis adulter nolit acceptare, jus divortij & accusationis omninò per illam renunciationem, independenter ab aliqua acceptatione, jam extinctum minimè reviviscit. Hactenùs Sanchez.

331. *Oppositum docet Aversa.* Oppositum docet Aversa sup. sect. 7. §. *Absolutè tamen*, ubi requirit, ut condonatio hæc fiat per aliquem actum externum. Et ita (inquit) Doctores communiter supponunt: ideòque diligenter inquirunt, quinam actus externi sine verbis facto ipso sufficiant, in hoc supponentes, requiri aliquem actum externum. Idque etiam Sanchez ipse eâ disp. inquirit. Et antea disp. 5. n. 19. dixerat, non satis esse remissionem mente retentam, nullo signo externo conjugi nocenti expressam: quia propositum, mente retentum, in his contractibus inter homines initis nullius efficaciæ est, l. *Cum in plures*, ff. Locati: & quia, cùm hæc remissio sit quædam donatio juris, quod innocens adversus nocentem habebat, debet, ut firma sit, parti intimari. Hæc Sanchez.

Pro quo etiam Sanchez.

332. *Probatur ratione & exemplis.* Hinc ergò ratione & exemplis suadetur: quia hujusmodi obligationes, aut debiti relaxationes inter homines, non nisi actibus externis, qui inter eos noti esse possint, perficiuntur. Sic donationes, promissiones, aut quorumvis debitorum remissiones. Et alioqui, quantumcumque quis in mente sua deliberasset ac proposuisset, potest in conscientia voluntatem mutare, nec adhuc intelligitur tribuisse alteri ullum jus, aut deposuisse ullum suum jus, quod adversus alterum habebat. Ita Aversa. Quem sequitur Mart. Perez de Matr. disp. 56. sect. 3. n. 9.

Resp. ad fundamentum Sanchij. Quid ergo ad fundamentum Sanchij sup. lib. 10. disp. 14. n. 2.? Hinc etiam (prosequitur Aversa) patet ad oppositum fundamentum. Vel enim conjux nocens dicetur etiam acquirere jus, ut alter eum ampliùs molestare non possit. Vel licèt dicatur indigere solùm remotione impedimenti; hoc impedimentum non consistit solùm in voluntate innocentis, sed in injuria ei illata, donec ab eo condonetur; quæ condonatio fieri debeat actu aliquo humano apparente, & in commercium cadente, quales actus alias humanas dispositiones inter homines perficiunt. Sic ille.

333. *Villalobos tenet sententiam Aversæ, quamvis ad actum externum.* Ejusdem opinionis est Villalobos Sum. tract. 15. diffic. 1. n. 13. Hæc sunt ipsius verba: El sexto es, quando despues del adulterio, el mando se reconcilio con ella: porque entonces ya le perdona la injuria, y assi cessa la razon del divortio.

vorcio. Y no basta para esto acto interior, que los contratos, que se hazen entre los hombres, es necessario, que se hagan con actos exteriores, como consta de una ley: *Cum in plures*, ff. Locati, §. 6. *Locator horrei proposítum habuit, se aurum, argentum, margaritam non recipere suo periculo. Deinde, cùm sciret has res inferri, passus est. Proinde eum futurum tibi obligatum dixi; ac, si propositium fuit, remissum videtur.*

L. 60. ff. Locati.

Non meminit acceptationis.

Nota autem hunc Auctorem, quàmvis postulet actum exteriorem, nullam tamen facere mentionem acceptationis adulteri. Imò Castro Palao, quàmvis neget, acceptationem hanc necessariam esse, tamen requirit signum externum voluntatis internæ, de Sponsal. disp. 3. punct. 6. §. 2. n. 4. ibi: Neque ad hanc condonationem requiritur adulteri acceptatio; quia ea condonatio est quædam juris cessio & remissio, quâ signis exterioribus manifestatâ, tollitur ab adultero impedimentum exigendi debitum, quod ex adulterio illo contraxerat. Hæc ille.

Palao negat eam esse necessariam.

334. *Ad quid ergo requiritur actus externus.*

Sed dicet aliquis: ad quid actus externus, si non est necessaria acceptatio? Respondetur: quia hæc cessio fit inter homines, sive est commercium humanum; homines autem non communicant inter se, nisi actibus exterioribus, cùm actus internos minimè intueri possint. Putas, quia repudians successionem actu merè interno, nequeat posteà, animo mutato, eam quærere? Et excommunicatio Judicis numquid auferri potest sola mente absque exteriori actu? Minimè; & tamen non requiritur acceptatio Judicis.

Sic ergò in præsenti fieri potest, ut requiratur actus exterior, ut cessio juris sit firma & irrevocabilis à cedente, estò non requiratur acceptatio adulteri; sed posito signo externo, reviviscat prius jus petendi debitum etiam contrà suam voluntatem; quia sufficit, quòd manserit vinculum matrimoniale ex priori contractu Matrimonij, ex quo vinculo, secluso impedimento, naturaliter quasi sequitur dictum jus.

335. *Aversa requirit acceptationem.*

Interim Aversa sup. §. *Videtur*, requirit acceptationem: quia (inquit) sic in alijs humanis contractibus, donationibus ac cessionibus requiritur. Ita ut, si innocens expressis etiam verbis dicat adultero: *Condono tibi injuriam*, & adulter replicet: *Recuso, non accepto hanc condonationem*, videatur innocens in sua libertate, quam acquisierat, remanere, repellendi & accusandi talem adulterum: quia illa sui juris cessio non adhuc habuit effectum. Sicut & posset facere quicumque læsus in alijs injuriarum actionibus.

Tenetur adulter conjugi volenti reconciliari acquiescere.

Tenetur quidem ipse adulter conjugi volenti reconciliari acquiescere, & condonationem acceptare, ad eumque redire, & petenti debitum reddere; quia ipse non habet ex parte sua jus & libertatem recedendi aut recusandi; adeoque innocenti instanti non potest justè resistere: at eo recusante, & non acceptante, videtur ipse innocens retinere suum jus, ac libertatem, ut possit justè suam voluntatem retractare, & non permanere in ea cessione, sed divortium ac separationem repetere, nec possit denuò ab altero ad reconciliationem cogi. Benè autem sufficiet quæcumque tacita acceptatio; putà, non solùm verbis, sed etiam alijs reconciliationis actibus. Sic ille. Tu cogita, & festina mecum ad alios reconciliationis actus.

336. *Copula scienter & sponte habita est tacita reconciliatio.*

Inter quos utique primus est, copula, tamquam primarius actus amicitiæ, scienter & sponte habita, sive præcedat sive sequatur sententiam & executionem divortij. Scienter, inquam, id est, quando innocens conscius est delicti alterius, & sui juris. Quia nulla est remissio, ubi est ignorantia injuriæ, jurisque competentis; arg. l. *Manifestissimi*. 22. Cod. de Furtis, §. *Sin autem*. Et actus agentium non operantur ultrà eorum intentionem, l. *Non omnis*, ff. Si certum petatur. At intentio remittendi nequit haberi, ubi adest d. ignorantia.

Doct. Seraph.

Et ideò Doct. Seraph. 4. dist. 35. a.un. q. 1. corp. n. 7. inter casus, in quibus non licet divortium, postremo loco ponit: *Cùm cognoscit eam voluntariè, postquam scit conjugem fornicari.*

Sanchez.

Alios Auctores vide apud Sanchez sup. n. 9. Atque idem dicendum est (inquit ille) si tempore copulæ conjux innocens fuit prorsùs immemor adulterij. Quoniam perinde est, ac si ignoraret. Nec censetur quisquam jus remittere, cujus omninò est oblitus.

337. *Satis est, quòd cognoscat unum adulterium, etsi plura commissa sint. Probatur ex Sanchez.*

Porrò satis est, quòd cognoscat unum adulterium, etsi plura commissa fuerint: similiter, si norit conjugis sodomiam, supposito, quod hæc sit causa sufficiens divortij, ignoret tamen adulterium; & vice versâ, si norit adulterium, & ignoret sodomiam. Eò quòd (inquit Sanchez sup. n. 11.) in his omnibus eadem ratio divortij inveniatur. Secùs foret, si conjux adulter simul foret hæreticus; & innocens solum adulterium, aut solam hæresim novisset. Quia in his criminibus est longè diversa ratio divortij, ut infrà videbimus.

Simile.

Sicut impetrans dispensationem, ad petendum debitum ab uxore, ratione affinitatis cum ipsa contractæ per copulam cum ejus consanguinea, non tenetur omnes copulas explicare; quia eadem est ratio affinitatis, atque quasi una censetur affinitas multiplicata; secùs si esset multiplex affinitas, diversis modis contracta. Sicut etiam non est opus, in voti dispensationis impetratione referre vices, quibus idem votum iteratum fuit: secùs si essent diversa vincula, ut voti & juramenti.

338. *An requiratur scientia omninò certa.*

Sanchez.

Sed nunquid requiritur scientia omninò certa? Putat Sanchez sup. n. 10. sufficere violentam præsumptionem, quæ faciat moralem certitudinem: cùm enim hæc sufficiat in utroque foro ad divortium, ut sup. vidimus, innocens tali casu non solùm liberè petit, sed etiam reddit; secùs quando præsumptio non est probabilis, seu non est violenta; tunc enim tenetur reddere: nec æquum est, ut abstineat à jure suo debiti petendi in eo dubio. Non enim censetur quis remittere, quod dubitat ad se pertinere.

Debet copula esse spontanea.

Neque etiam, quod scit ad se pertinere, nisi per copulam spontaneam, id est, quæ procedit ex liberali voluntate; qualem non habet conjux, quoties copulatur, quò præceptum impleat,

L.18.ff.de Adimend lega.

arg. l. *Rem legatam*, ff. de Adimend. legat. in fine : *Cùm nemo in necessitatibus liberalis existat.*

339. *Non est talis si sit à Iudice præcepta*

Itaque, si Judicis præcepto compulsus, ut interdum contingere potest, eò quòd nondum sit probatum consortis adulterium ; si, inquam, tametsi in conscientia obedire non teneatur ; attamen ad evadendam interim contentionem & vexationem, consentiat reddere, non censebitur sufficiens reconciliationis signum. Imò etiamsi ex sua simplicitate, vel ex errore deceptus ab aliquo, putet se teneri, & ideò consentiat.

Item, si procedat ex metu.

Item; si metu adactus consentiat, non solùm sibi ab eodem consorte incusso, sed etiam aliunde, aut etiam à seipso rationabiliter concepto; & non solum de gravi damno, ex quo dicitur metus cadens in constantem virum ; sed etiam de quocumque damno alicujus momenti, talis copula non censebitur sufficiens reconciliationis signum. Ita Aversa sup. §. *Item.*

Aversa.

Sotus.

Sanchez.

Unde rectè dixit Sotus 4. dist. 36. q.un. a.4. ad finem corp. vers. *Ex quo fit*, uxorem sæpè reddentem adultero, pugnis & vi coactam, non censeri remittere. Et existimo (inquit Sanchez sup.n.15.) satis esse, ut non censeatur condonatio, quamvis adulter tunc metum non inferat; at uxor meritò timet debitum illi negare, quòd eum esse terribilem norit, atque ita gravi metu deterrita reddit. Quia cessat liberalitas. Deinde : quia quò metus sit justus, non desideratur vera mali illatio ; sed sufficit probabilis timor proximæ illationis.

340. *Sufficit, si metus non sit vanus, juxtà Sanchez.*

Insuper non exigitur, ut metus ille sit cadens in constantem fœminam ; sed satis est, sit metus non vanus, sed alicujus momenti. Nam levis metus, nimirum, qui non cadit in virum constantem, sufficit in foro conscientiæ, ut auferat liberalitatem ad donationem requisitam, obligetque donatarium ad restituendum, ut probavi lib.4. disp.9.n.4. Et idem ibi dixi de contractibus onerosis. Sic ille. An verè dixerit, nos alibi discussimus.

Utut sit de hoc, in præsenti solùm quærimus; an copula ex tali metu sit signum tacitum cessionis sui juris, seu liberalis condonationis injuriæ illatæ per adulterium. Et videtur quòd non ; quandoquidem per novam injuriam dicta copula extorqueatur, & innocens nullatenùs vellet copulari, si metus abesset. Quomodo ergò est signum amicitiæ ?

Qualiscumque compulsio impedit reconciliationem.

Quinimò, secundùm Sanchium sup. & Alios, quos citat, qualiscumque compulsio, etiam necessitatis debitæ honestatis servandæ, efficit, ut actus, ex quibus tacita condonatio consurgit, minimè signa condonationis censeantur. Ut si ambo conjuges ab aliquo invitati, eidem mensæ accubuêre: vel in Ecclesia osculum pacis sibi ipsis mutuò porrexerunt. Quippe in utroque eventu necessitate honestatis compulsi id egêre, nec salvâ honestate id declinare potuerunt. Ita Sanchez.

Sanchez.

341. *Retentio adulteri non semper est signum sufficiens.*

Atque ex eodem fundamento deducitur, retentionem adulteri, etiam manifesti, non semper esse signum sufficiens reconciliationis. Oportet ergò, ut commodè possit eum ejicere ; alioqui non erit retentio spontanea.

Præterea ; debet esse retentio in consortio conjugali. Undè si essent in eadem domo non se alloquentes, divisique à mensa & lecto, quasi duo vicini extranei, non censeretur condonatum adulterium. Quia retentio illa non est signum amicitiæ conjugalis, quin potiùs capitalis inimicitiæ. Quòd si retineatur adulter in consortio conjugali, quàmvis occultus sit, & brevi tempore, reputabitur condonatum adulterium.

Quando sit tale signum, ex Sanchez.

Intelligo (inquit Sanchez sup. n. 17.) in consortio conjugali, quando innocens familiaritatis conjugalis signa adultero ostenderet, v.g. ludendo, ridendo, comedendo, osculando, amplexando &c. nullâ necessitate, etiam honestatis, compulsus. Quoniam licèt non posset illum innocens propria auctoritate expellere, dum occultus est : at non tenetur signa benevolentiæ conjugalis exhibere. Atque adeò ea exhibita, sunt manifesta condonationis signa. Secùs si necessitas compelleret, ut vitandi scandali ; vel si præcederent copulam, ad quam innocens cogitur; quia censentur quid unum cum ipsa copula, quæ tali casu non sufficit, ut dictum est.

342. *Probatur, hæc signa posse exhiberi scienter & sponte sine condonatione.*

Si autem à me quæritur : an hæc signa exhiberi possint scienter & sponte sine condonatione. Responsio affirmativa est sequens pars Conclusionis, quæ probatur : quia ea condonatio innititur præsumptioni, ut patet ex ly *Videri*, quo utitur l. *Quæsitum*, superiùs adducta, ibi : *Destitisse videri*, quod præsumptionem denotat; neque ullum est jus, id absolutè decidens, id est, absolutè statuens, per ea signa adulterium condonari. Ergò nec nos statuamus. Atque adeò, si sit animus non condonandi adulterium per copulam, aut reliquos condonationis actus, reverà non erit in foro conscientiæ condonatio, quàmvis in foro externo, quod contrarius gestis animus latitat, judicabitur vera condonatio.

Simile.

Sicut ante Trid. copulâ habitâ post sponsalia efficiebat Matrimonium, cap. *Is qui fidem*, de Sponsal. sed præsumptum tantùm ; & ideò, si reverà copulam habens esset contrario animo, nimirum non ineundi Matrimonium, sed fornicandi; in conscientia non foret Matrimonium.

Aliud.

Sic etiam Professio tacita, quæ fit per gestationem habitûs professorum innititur præsumptione; & ideò in conscientia non valeret, si gestans haberet animum non profitendi. Ergò similiter dicendum est in hac tacita adulterij condonatione. Enimverò actus non operantur ultrà intentionem agentium, in his, quæ ab eorum intentione dependent, sicut est hæc condonatio.

343. *Objectio.*

Sed enim, dicet aliquis : hoc est quod quæritur, & videtur, quòd non dependeat, sed jure ipso naturali ita dictante, condonatio hæc consequitur ipsum actum copulæ : sicut irregularitas consequitur occisionem voluntariam : ac proinde, sicut volens occidere efficitur necessariò irregularis; ita eo ipso quòd conjux innocens, conscius adulterij, accedit ad adulterum, velit, nolit, condonat, teste Doct. Seraphico 4.dist.32.q.2. S. Bonav. corp. *Si petat debitum, privat se libertate, & ex hoc obligat se ad reddendum ; quia dum vult debitum sibi reddi à fornicante, & ipse se eidem obligat*

Respon-

344. *Solutio Sanchez.* Reſpondet Sanchez ſup. n. 21. (ubi tenet noſtram Concluſionem) quoties aliquid ſequitur factum ipſum, ſufficit ut incurratur, actum illum eſſe voluntarium, quàmvis neceſſitas ad illum exercendum compellat. Ut Iudex, neceſſitate officij compellente, ſuſpendens latronem, irregularis efficitur; & ſimiliter, ſi metu mortis compellatur ab Actore ad ſuſpendium illud. At conjux neceſſitate compulſus ad copulam, nec condonat adulterium, nec jure divortij, & accuſandi deſtituitur. Ergò condonatio non conſequitur ipſum factum copulæ.

Condonatio non ſequitur ipſum actum.

Probatio. Et confirmatur: quia nulla alia ratio conveniens aſſignari poteſt, cur, dum neceſſitas cogit, copula illa minimè ſit condonatio, niſi quia remiſſionis præſumptionem vincit alia fortior, quòd nemo in neceſſitatibus præſumatur liberalis; l. *Rem legatam*, ff. de Adim. legat. Ergò copulam eſſe condonationem, non eſt ita ex natura rei, ut neceſſariò conſequatur, non obſtante contrario animo; ſed intantùm eſt condonatio, inquantùm præſumitur animus conſonus facto ipſi, quod veniæ conceſſionem indicat. Ex his ergò omnibus concludo, non eſſe veram condonationem adulterij per copulam, aut alia benevolentiæ conjugalis indicia, exhibita animo non condonandi. Hucuſque præfatus Auctor.

345. *Objectio.* Si inferas: ergò ſi quis ignoret, per copulam, ac alios actus amicitiæ, jus divortij extingui, quàmvis ſponte petat copulam, aut reddat, non erit vera condonatio. Sicuti, ut ſit vera Profeſſio, conſurgens ex delatione habitûs, & exercitio actuum profeſſorum, & verum Matrimonium, quod naſcitur ex copula habita poſt ſponſalia, exigitur ſcire, non tantùm illos eſſe actus profeſſorum, & conjugum; ſed indè etiam conſurgere Profeſſionem & Matrimonium.

Reſponſio Sanchez. Reſpondet Sanchez ſup. n. 22. negando paritatem. Quia hæc condonatio non eſt res tam gravis, & impoſitio novæ obligationis, qualis eſt Profeſſio, & Matrimonium, quæ ſunt obligationes maximi momenti. Et majorem connexionem habent hi actus cum injuriæ condonatione. Quare exiſtimo, ſemper, cùm adeſt adulterij ſcientia, & copula, aut alij actus condonationis ſponte habentur, conſurgere veram remiſſionem injuriæ, & abolere jus divortij & accuſationis in utroque foro, niſi contrarius animus adſit. Quia licet expreſsè & diſtinctè non cognoſcat conjux remittens, ijs actibus geſtis amitti jus divortij, nec quid ſit divortium, & qualiter poſſit ratione adulterij celebrari: at nullum quantumvis ruſticum latet, eos eſſe actus amicitiæ & pacis, per eoſque rediri in priſtinam amicitiam & amorem. Quare quicumque videns affectum injuriâ colloqui, aut ſimul veſci cum afficiente, ſtatim quaſi naturæ inſtinctu doctus, judicat eos ad amicitiam reſtitutos eſſe, ac injuriæ quaſi immemores, nil prorſus de illa laborare. Quæ ſcientia ad veram condonationem ſatis eſt. Sic ille.

346. *Diſplicet Averſæ.* Verùm diſplicet Averſæ ſup. §. *Sextò præterea*, ubi habet ſequentia: Si innocens tales actus exercens tunc nec habeat animum condonandi, nec animum contrarium; ſed indifferenter & negativè quoad hoc ſe habeat, aut ſi ignoret, tales actus eſſe condonationis ſigna, apta extinguere jus divortij: Sanchez n. 21. & 22. admittit, tunc ſufficere & valere ad perficiendam reconciliationem, ita ut in conſcientia non liceat innocenti poſt eos divortium intentare.

Requirit hic Auctor poſitivum animum condonandi. Sed magis conſequenter videtur dicendum, non ſufficere; quia hæc ſigna non valent, niſi proficiſcantur ex vero animo condonandi, & abſque hoc animo non videtur perfici reconciliatio. Unde ſicut non valent verba aut facta, dum innocens ignorat conſortis delictum, aut dum ignorabat ſuam libertatem inde acquiſitam, ut jam dictum eſt; ita etiam dum non intendit, aut dum ignorat talia ſigna habere vim reconciliationis, & extinguere jus divortij.

347. *Probat & ſimili.* Sicut etiam, qui non intendit, aut non ſcit, quædam ſigna inducere Profeſſionem tacitam in Religione, aut copulam poſt ſponſalia inducere verum Matrimonium, ubi valet Matrimonium clandeſtinum, reverà non ligatur Profeſſione, non ligatur Matrimonio, loquendo in conſcientia, licèt in foro externo aliter judicabitur. Talis enim, & tam expreſſa voluntas requiri etiam videtur ad perficiendam hanc reconciliationem, & obligationem perſiſtendi in uſu conjugij.

Eſt enim hæc etiam res ſatis gravis, & nova impoſitio obligationis conjugalis, quæ alioqui per divortium extinguitur. Ad ſummum poteſt admitti hoc diſcrimen, quòd faciliùs & frequentiùs ſub ijs actibus amicitiæ conjugalis adſit verus animus condonandi injuriam, & permanendi in conſortio conjugali. Hactenùs Averſa.

348. *Auctor approbat doctrinam Averſæ.* Et, meo judicio, magis conſequenter, quàm Sanchez; nam hic n. 9. poſtulat ſcientiam adulterij, & probat: quia nulla eſt remiſſio, ubi eſt ignorantia injuriæ, juriſque competentis: at verò n. 22. ut ſtatim audivimus, ait: ſufficere cognitionem injuriæ ſeu adulterij, tametſi expreſsè neſciat jus divortij, nec quid ſit divortium, & qualiter poſſit ratione adulterij celebrari. Sanè oppidò veriſimile eſt, quàm plurimos hæc neſcire, quæ ſi ſcirent, vellent uti jure ſuo; quamvis nunc, quia jus ſuum ignorant, dictos actus amicitiæ exerceant. Dicam autem, quòd illi per eos actus jus divortij amiſerint? Nulla eſt remiſſio, ubi eſt ignorantia juris.

An reconciliatio ſit res gravis. Sanchez. Prætereà: Sanchez n. 22. ait: hanc rem, puta reconciliationem, non eſſe tam gravem, neque impoſitionem novæ obligationis, qualis eſt Profeſſio, & Matrimonium; at verò n. 23. inquit: Damnum remittentis (jus divortij) eſt maximum: cedit enim jure divortij & accuſationis; dotem aut donationem propter nuptias acquiſitam ob adulterium, aut acquirenda, amittit; demum perdit libertatem tranſeundi ad Ordines vel Religionem, & iterùm ſe ſervituti ſubjicit. Numquid hæc eſt parva res, & non ſatis magna, ut poſtulet expreſſam & diſtinctam notitiam, ſive ut innocens expreſsè & deſtinctè ſciat, ijs actibus geſtis amitti jus divortij, ut ſciat, quid ſit divortium, & qualiter poſſit ratione adulterij celebrari?

349. *Qui petijt copulam cum animo non condonandi, potest adhuc divertere.*

Secundùm Sanchium ibi ; satis magna res est, ut qui petijt copulam ab adultero cum animo non condonandi, possit adhuc in foro conscientiæ divortium celebrare, & accusare adulterum. Ratio (inquit ille) est : quia hic non tenetur abstinere à divortio, & ab accusatione, ratione condonationis adulterij : quia ea non est, ratione animi habiti non condonandi. Nec ratione contractûs tacitè inclusi, dum adulter reddit debitum innocenti petenti : cùm enim non teneatur reddere illi, nisi velit ad pristinam Matrimonij obligationem redire, condonato jure divertendi per adulterium acquisito, ne claudicet Matrimonium : eo ipso quòd adulter reddit innocenti petenti, est tacitus contractus, *Facio ut facias*, id est, reddo tibi debitum, ut condonatâ injuriâ, reddas mihi imposterum.

Probatur, non obligari ratione taciti contractûs

Sed ratione hujus contractûs minimè teneri, inde probatur : quoniam si innocens reddat petenti adultero, nullus est tacitus contractus ; adulter enim nihil præstat innocenti, quin potiùs magno afficitur beneficio ab innocente, reddente indebitum. Si autem econtrà adulter reddat innocenti petenti, in quo casu est tacitus contractus modo exposito ; adhuc non tenetur ratione contractûs & promissionis, virtute inclusæ in ea debiti exactione ; quia promissio & contractus ficta fuêre. Quare solùm debet obligari ratione injustitiæ admissæ contrahendo fictè, cùm teneretur verè contrahere.

350. *Sed neque ratione injustitiæ.*

At nec hâc ratione obligari, inde mihi suadeo. Quippe justitia non obligat ad restituendum ultra damni æstimationem : damnum autem copulæ, extortæ per innocentem ab adultero, simulato illo contractu, est adeò exigui momenti, ut pro nihilo prorsùs reputetur. Econtrà verò damnum remittentis est maximum &c. ut sup.

Non ergo lex justitiæ postulat, damnum exiguum adulteri decepti tanto innocentis detrimento compensari. Quâ ratione lib. 1. disp. 10. n. 21. decipientem fictâ Matrimonij promissione virginem, longè inferioris conditionis, quæ jure optimo veram existimavit esse promissionem, non teneri eam ducere, sed alio modo æquale restituere, probavi, ibique satisfeci objectioni, quæ opponi posset. Hæc ille.

351. *Sic fictè petens debitum, solùm peccat venialiter.*

Ex quibus infert Primò ; sic fictè petentem debitum, solius venialis culpæ reum esse. Quia nullius momenti est nocumentum, illâ fictione illatum. Adulter enim eamdem libertatem non reddendi imposterum retinet, nisi innocens adulterium condonet. Sic ille. Quod ego intelligo, nisi ex illa copula sic extorta aliud grave extrinsecum damnum ei obveniret, v. g. quia ex tali copula secuta est generatio prolis, propter quam nequeat liberè intrare Religionem, innocente intrante ; quod alioqui haud difficulter potuisset facere, & fecisset. Et alia similia damna possent inde provenire.

Rogatus à Iudice potest negare copulam.

Infert 2. hunc innocentem, rogatum à Judice de copula illa, ut cogatur non divertere ratione prioris adulterij, quasi illud jam condonatum sit, posse jurejurando negare copulam. Quia verè respondet juxtà mentem debitam Judicis. Non enim habuit copulam, quæ sit condonatio, jureque divortij privet.

Quid ergò ad Doct. Seraphicum sup. ex adverso adductum ? Respondetur : innititur præsumptione animi condonandi, quem solet habere innocens, dum petit debitum ab adultero. Si tamen reverà eum non habeat, quàmvis in eo peccet, saltem venialiter ; equidem, secundùm Sanchez, non erit vera condonatio adulterij ; atque adeò non tenebitur deinceps reddere, saltem si habuerit animum non condonandi. 352. *Resp. ad Doct. Seraph.*

Factâ reconciliatione, si innocens adulteretur, potest dimittere.

Cæterùm, an factâ reconciliatione expressâ vel tacitâ, si rursum adulter peccaret, posset dimitti ; & an ipsa innocentem, postea adulterantem, posset dimittere, hæc, inquam, modicam habent difficultatem, & responsio affirmativa ad utramque quæstionem nobis placet. Responsionem ad secundam quæstionem, cum sua probatione habes sup. Concluſ. 6. Adjungo hìc solutionem ibi objectorum ; scilicet : Quædam possumus consequi excipiendo, quæ non possumus agendo ; & quia accusans de crimine, debet esse ejus immunis. *Objectio.*

Dico ergò : talem adulterum esse immunem à crimine, de quo accusat ; & nego, posse deduci adulterium remissum in judicium ad effectum excipiendi ; cùm nullo jure hoc inveniatur concessum ; sicut fortè in alio aliquo casu invenitur constitutum, ut quod non possit agendo, possit quis excipendo acquirere ; maximè cùm hìc causa excipiendi non subsit ; nam ea est, adulterium non remissum, secùs remissum, quod perinde est, ac si nunquam fuisset, ut loco sup. citato dixi. 353. *Solvuntur.*

Adulterium post reconciliationem commissum, sufficit ad divortium.

Porrò quòd adulterium, post reconciliationem ab eodem adultero perpetratum, sit causa sufficiens divertendi, per se manifestum est. Quippe per illam priorem reconciliationem solùm remittitur injuria tunc commissa, non autem committenda ; & Matrimonium restituitur in pristino suo statu. Sicut ergò, si non præcessisset adulterium, & condonatio ejus, adulterium jam commissum esset sufficiens causa divortij ; sic etiam in præsenti, quàmvis aliud præcesserit, & condonatum fuerit.

354. *Præcedens venia non trahitur ad futura delicta, per l. 24. ff. de Iudic. & l. 8. ff. de Rer. divis.*

Enimverò præcedens venia non trahitur ad futura delicta, sed sola præterita respicit ; arg. l. *Non aliàs*, §. 1. ff. de Iudicijs : *Legati ex delictis, in legatione commissis, coguntur judicium Romæ subire : sive ipsi admiserint, sive servi eorum.* Et tamen jus gentium securitatem eis concessit, l. *Sanctum*, ff. de Rerum divis. §. 1. *Sanctum autem dictum est à sagminibus : sunt autem sagmina quædam herbæ, quas Legati populi Romani ferre solent, ne quis eos violaret.* Igitur æquum non est, ut ea reconciliatio criminis futuri impunitatè præstet.

Subsequens adulterium hic nocere docet Gloss. cap. 4. de Donat. &c.

Atque ita expressè sentit Gloss. in cap. *Plerumque*, de Donat. inter virum & uxor. verb. *Nec reconciliata*, ubi sic ait : *Ad quod compelli non potest* (innocens) *etiam post pœnitentiam* (adulteræ) *sed si reconciliata fuerit, postea illam fornicationem objicere non poterit, quia ei remisit hoc* (putà divortium) *quod ei licet, secundùm Evangelicam veritatem ; & quia mores illius jam comprobavit..... nisi postea fornicetur.*

Hinc

355. *Idem docet Richardus.* Hinc Richardus 4. diſt. 35. a. 1. q. 1. inquit: Sextus (caſus, in quo non licet viro dimittere uxorem propter adulterium) ſi maritus poſt adulterium cognovit eam, & toleravit. Cujus ratio eſt; quia crimen per reconciliationem dimiſſum ampliùs objici non debet, niſi recidivum ſequatur. Alios Auctores tam Juriſperitos, quàm Theologos, vide apud Sanchez ſup. diſp. 5. n. 20. quos ipſe ibi ſequitur, contra Nonnullos, qui (teſte eodem Auctore) innituntur textui cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. ibi: *Nullum ei dumtaxat ſimile comittenti periculum allaturus.*

Reſpondetur ad cap. 5. 32. q. 1. Covar. Reſpondet Covar. de Matr. part. 2. c. 7. §. 6. n. 7. aliàs 11. Is textus Judici Eccleſiaſtico conſulit, ut à viro, qui adulteram uxorem denuò recepit, cautionem exigat, ne eam occidat (propriâ ſcilicet auctoritate) ſi forſan in adulterium relabatur. Undè non negat viro jus accuſandi crimen, poſt prioris adulterij remiſſionem commiſſum. Cui interpretationi mirè ſuffragatur Triburienſe Concilium c. 46. cujus verba ſunt: *Si cujus uxor conſtruprata fuerit, & propterea maritus capitali ſententiâ delere illam machinaverit* &c. Ita Covar. Quem ſequitur Sanchez. Sanchez ſup.

356. *Oppugnatur reſponſio ab Averſa.* Sed non ſatisfacit (inquit Averſa ſup. ſect. 6. §. *Addit ſecundò*) quia certè adhuc uxori primò labenti non potuerat vir propriâ auctoritate nocere. Sic ille. Tu nota mecum, apud Gratianum in ſuo Decreto, quo ego utor, paulò aliter exprimi prædicta verba cap. *De Benedicto*, videlicet: *Nullum ei, nihil dumtaxat de cætero ſimile committenti, periculum illaturus.* Ergò ſi de cætero aliquid ſimile comittat, id eſt, rursùm adulteretur, aliquod ei periculum inferri poterit.

Defenditur per Gloſſam Undè Gloſſa in expoſit. casûs: *Si maritus* (inquit) *eam recipere voluerit, ſub cautela eam recipiat; ſcilicet, præſtitâ cautione, quod eam non lædat, etiam crimen ſimile non committentem.* Quid ergò, ſi crimen ſimile comittat? De hoc caſu Pontifex Pelagius nihil ibi expreſsè diſponit. Manet ergò in terminis juris communis, ut propter ſimile crimen poſſit puniri, ac ſi nullum aliud præceſſiſſet.

357. *An tali caſu vir poſſit agere etiam propter adulterium condonatum Ioan. Lupus.* Immò Ioan. Lupus in cap. *Per veſtras*, de Donat. inter virum & uxor. §. 9. n. 22. ait: poſſe forſitan tunc virum agere, etiam propter aliud adulterium, antea condonatum. Sed hoc non eſt admittendum, ex cap. 29. 23. q. 4. *Si illic, ubi hæc acta ſunt, præſentibus utriſque conſtiterit, & ſatisfeciſſe Stephanum, & ſupplicatione ſuſceptâ, eum, qui malè tractatus eſt, ignoviſſe; ſemel in ablatione remiſſa punitio, recidivo* (aliàs, *redivivo*) *dolore non debet iterari.*

Probatur ſententia negans. Ubi Gloſſ. verb. *Recidivo*, inquit: *Arg. quòd ex quo quis eſt abſolutus, vel poſt quam pœnituit, quod ampliùs de illo crimine accuſari non poteſt, ut ext. de Accuſ. c. 6.* ſequentis tenoris: *De his criminibus, de quibus abſolutus eſt accuſatus, non poteſt accuſatio replicari.* Quia actio ſemel extincta, ſive tranſactione, ſive indulgentiâ accuſatoris, non reviviſcit per novum delictum. Solùm ergò poteſt agere ad novum adulterium, non obſtante condonatione antecedentium delictorum: atque adeò propter novum adulterium poteſt divertere, ac ſi nullum aliud præceſſiſſet.

cap. 6. de Accuſ.

Pone autem, quòd celebraverit divortium, idque per ſententiam Judicis, nunquid dimiſſus tenetur redire ad imperium innocentis, & reddere ei debitum? Reſpondeo:

CONCLUSIO X.

Adulter dimiſſus, etiam per ſententiam, tenetur redire ad imperium innocentis.

CErtum eſt (inquit Averſa ſup. §. *Tertiò*) poſſe conjuges communi conſenſu, etiam poſt latam, & adimpletam ſententiam judicialem divortij, inter ſe propriâ auctoritate, abſque alio Judicis miniſterio, reconciliari, & priſtinam vitam conjugalem repetere. Quia nempè ſententia divortij non prohibuit, nec illicitum fecit uſum conjugij; ſed tantùm conceſſit, & liberam fecit ſeparationem conjugum, dum innocens voluit & inſtitit ſeparari: quare dum is ſuâ ſponte voluerit iterùm conjungi, non facit contra ſententiam & decretum Judicis. Quinimò nec potuiſſet Judex ex hac parte prohibere & impedire, quominùs, quandocumque velit, reconcilietur. 358. *Poſt ſententiam divortij, & executionem, poſſunt conjuges mutuo conſenſu reconciliari. Averſa.*

Effectus ergò ſententiæ antè reconciliationem eſt, ut innocens non teneatur manere in conſortio conjugali; non autem eſt, ut non poſſit manere: quare tunc ſententia non caret ſuo effectu. Benè tamen poſt reconciliationem nullus manet ſententiæ effectus: quia conjux reconciliatus non poteſt denuò virtute prioris delicti & ſententiæ recedere, ſed tenetur in conjugali conſortio permanere; niſi ex novo alterius delicto, & Judicis ſententia, novam habeat cauſam & libertatem recedendi. Hæc ille. Neque invenio contradictorem. 359. *Quis ſit effectus ſententiæ ante reconciliationem.*

Tantùm nota ex Herinx Sum. Theol. part. 4. tr. 5. diſp. 7. n. 50. ſententiam divortij ferri ſolitam ſub hac limitatione: *Donec Spiritus ſancti gratia diſſidentes reconciliet.* *Notabile ex Herinx.*

Majus dubium eſt: num poſt ſententiam poſſit conjux innocens ſuâ ſolâ auctoritate alterum, etiam renitentem, ad concordiam & conjugalem vitam revocare, ita ut hic in conſcientia teneatur conſentire, nec poſſit juſtè & licitè recuſare. Navar. lib. 4. Conſil. in 2. edit. tit. de Divort. conſil. 4. n. 1. ait: Uxor (adultera) ſeparata à viro per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, non tenetur redire ad maritum; nec è contrario maritus ad uxorem, juxtà Gloſſ. memorabilem, cap. *Agathoſa*, 27. q. 2. 360. *An adulter poſt divortium teneatur redire, ſi innocens velit? Negat Navar.*

Hæc ſunt verba Gloſſæ, verb. *Converſionis*: *Ante judicium Eccleſiæ neuter poteſt intrare Monaſterium, altero invito, niſi cùm publicè fornicata eſt: tunc vir, eâ invitâ, poteſt intrare Monaſterium, ſed non illa: ſed factâ ſeparatione judicio Eccleſiæ, ſecundùm Hug. neuter tenetur alteri, & uterque ceſſit juri ſuo; arg. 7. q. 1.* Quam periculoſum. *Et ideò tunc dicit Hug. quod uterque intrare poteſt, reliquo invito.* Ita Gloſſ.

361. *Oppositasententia placet Auctori. & probatur per Gloss. c. 5. de Divort.*

Sed hoc ego non credo. Probandum est, non supponendum, quòd uterque cesserit juri suo. Probationem nec apud Navar. nec apud Alios, qui pro ista sententia citantur, invenio. Undè magis placet nobis sententia Laurent. apud Gloss. cap *Ex literis*, de Divortijs, verb. *Redire compellas*, quæ interrogat : *Nunquid poterat vir eam sibi reconciliare invitam ?* Respondet autem. *Videtur quòd sic ; arg. Cod. de LL.* Quod favore : *Innocens enim non privatur servitute, quam habet in eo, qui peccavit, Cod. de Adult. Auth.* Sed hodie. *Undè vir potest etiam illam adulteram sibi reconciliare si vult, sup. de Converf. conjug.* Gaudemus, *& arg. ff. de Except. rei judic.* Evidenter. *Pœna enim non præstat immunitatem, ff. de Interd. & releg. l.* Relegatorum, *§. ult.*

Præterea : vir solummodò fuit absolutus à servitute, quam ipsa priùs habebat in ipsum, & non è converso : undè adhuc mansit salva viro servitus, quam habuit in muliere, cùm tantùm ipsa fuerit condemnata ; arg. sup. de Converf. conjug. Quidam intravit, & 27. q. 2. Qui dormierit. *Item si hoc verum esset, quòd non posset, sic daretur mulieribus occasio delinquendi, ut à viris separarentur : sic sup. de Consuet.* Ex parte. *Undè reprobata fuit illa consuetudo inf. eod.* Quanto, *in fine, & ff. de Reg. juris*, Non fraudatur, ibi : *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.* Quod tamen contingeret in sententia Hug.

362. *Arguitur pro Navar.*

Pro qua equidem arguit ibi ead. Glossa, dicens : *Arg. contrà, quòd non posit : quia sententia statim est pro muliere ; arg. 6. q. 4.* Quod benè semel. *Sæpè enim condemnatus ex sententia commodum sentit, ut in duobus reis debendi condemnatis. ff. de Re judic. Paulus.* His tamen non obstantibus, *Dicas* (inquit Gloss.) *quòd vir benè potest sibi illam reconciliare, etiam invitam, ut Laur. dixit.*

Sanchez sequitur d. Gloss. estque sententia D. Tho.

Quem sequitur Sanchez sup. disp. 10. n. 3. cum Alijs multis tum Jurisperitis, tum Theologis. D. Tho. 4. dist. 35. q. un. a. 6. ad 3. sic ait : *Illud quod inducitur in favorem alicujus, non facit ei præjudicium. Undè cùm divortium sit inductum in favorem viri, non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem. Undè uxor tenetur* ei reddere, & ad eum redire, si fuerit revocata, nisi de licentia ejus votum continentiæ emiserit.

363. *Vis & D. Bonav.*

Consonat Doct. Seraph. eâd. a. un. q. 5. n. 26. ibi : *Aut innocens* (petit) *nocentem, ut vir castus uxorem adulteram, & sic ipsa invita debet reconciliari per judicium Ecclesiæ ; quia sicut dicunt jura : quod in meum favorem introductum est, in meum damnum non debet retorqueri.*

An requiratur judicium Ecclesiæ, ex Sanchez.

Imò non requiri judicium Ecclesiæ ad illam reconciliationem, docet Sanchez sup. n. 4. dicens, id sibi esse certissimum. Quia, inquit, cùm sententia absolverit innocentem in ipsius favorem à debito conjugali solvendo : satis est, ut possit licitè ad usum Matrimonij redire, cum nolle eo favore uti. Nec ob id caret sententia suo effectu, qui erat, innocentem liberum esse à conjugis adulteri servitute, dum eum sibi reconciliare renuit. Sic ille.

364. *Probatio*

Quæ ergò ratio nostræ Conclusionis ? Sententia divortij (inquit Aversa sup. §. *Asserendum*, ubi eam docet) lata est ad instantiam in favorem ipsius innocentis, & in odium ac supplicium adulteri ; ergò non debet redundare in gravamen ejusdem innocentis, & commodum alterius delinquentis : at gravaretur innocens, si non posset repetere & cogere alterum, & sublevaretur delinquens, si non posset & repeti & cogi. *Conclus. ex Aversa.*

Quid dicendum ad rationes oppositas.

Itaque ad rationes oppositas : standum quidem est sententiæ latæ à Judice : sed hæc sententia non definivit, ne innocens possit cogere delinquentem ; sed ne posset ab illo cogi. Neque innocens renuntiavit juri, quod habebat in alterum ; sed voluit liberari & eximi è jure, quod habebat alter in ipsum. Neque Judex parem libertatem utrique conjugi concessit, sed soli innocenti. Ita Aversa.

365. *Sententia Judicis non est injusta.*

Sed nunquid ideò sententia Judicis injusta ? Minimè. Nam reddit unicuique quod suum est. Neque enim ex adulterio quidquam favoris adultero debetur, sed soli innocenti. Undè omnis sententia id habet, ut faveat innocenti contra reum.

Objectio.

Contrà, dicet aliquis : sententia aliquando prodest condemnatis, ut constat ex l. 43. ff. de Re judic. sequentis tenoris : *Paulus respondit, eos, qui unâ sententiâ in unam quantitatem condemnati sunt, proportione virili ex causa judicata conveniri : & si ex sententia, adversus tres dicta, Titiùs portionem sibi competentem exsolvit, ex persona cæterorum ex eadem sententia conveniri eum non posse.* l. 43. ff. de Re jud.

366. *Solutio Sanchij, Bartolus.*

Respondet Sanchez sup. n. 5. cum Bart. d. l. statim in principio : sententiam illam minimè prodesse condemnato. Quoniam licèt virtute sententiæ illius nullus in solidum conveniri possit, eò quòd sententia id minimè expresserit : at priori actione potest agi contra quemlibet debitorem in solidum. Sic ergò innocens non reconciliat adulterum virtute sententiæ divortij : illa enim nec concedit, nec aufert jus reconciliandi ; sed innocentem à debito coujugij absolvit : at reconciliat invitum, ratione vinculi matrimonialis, quod obligat adulterum ad debitum reddendum : adversùs quam obligationem nullâ exceptione juvari potest : cùm sententia divortij ipsum non absolverit, nec ipsi suffragetur, sed soli innocenti. Hæc ille.

367. *Non potest adulter negare reditum prætextu Religionis ingrediendæ, Aversa.*

Et hoc totum (prosequitur Aversa sup.) ita intelligitur, ut nec etiam prætextu transeundi ad Religionem possit delinquens, revocatus à conjuge, recusare ; quando, inquam, non adhuc statum mutavit, vel non legitimè cum debita licentia mutavit : quia adhuc per talem mutationem non potest juri alterius innocentis præjudicare. Si autem legitimè statum mutavit, profitendo in Religione, vel assumendo sacrum Ordinem ; tunc quidem ratione hujus statûs non potest ampliùs revocari. Sic ille. Quando autem, & cum quibus conditionibus, possint legitimè conjuges mutare statum, jam incipio edocere ; eritque

CON-

CONCLUSIO XI.

Innocens sine licentia adulteri potest Religionem profiteri, & suscipere Ordines Sacros. Quo facto, idem potest adulter, non ante.

368. *Probatur 1. pars Conclus. ex c. 15. de Conv. conjug.* Licere conjugi innocenti, post obtentam legitimam divortij sententiam, ad Religionem transire, in eaque profiteri, etiam invito & repugnante altero conjuge, adulterij reo, nemo ambigit. Estque apertè decisum in jure, cap. 15. de Convers. conjug. quod est Innoc. III. & sic sonat: *Constitutus in præsentia nostra H. suâ nobis confessione monstravit, quod in Acolythatûs Ordine constitutus, quamdam puellam R. nomine, in facie Ecclesiæ duxit uxorem, quam cùm carnaliter cognovisset, ortâ discordiâ inter eum, & amicos puellæ, ipsa fuit cuidam alij V. nomine copulata: & tu memoratum H. usque ad gradum Sacerdotij ordinasti. Cùm autem eum sua conscientia remorderet, habitum Ordinis Cistercienfis assumpsit.* Et infrà: *Ideòq; mandamus, quatenùs si res ita se habet, prædictam mulierem, ut à dicto V. recedat, cui per adulterium est conjuncta, nec prædictum Monachum impetat, quominus regulare votum valeat adimplere, per censuram Ecclesiasticam cogere non omittas.*

Ubi Gloss. in expos. casûs: *Nota*, inquit, *quod si uxor alicujus publicè adulteratur, vir licitè potest postmodum promoveri ad Ordines, & intrare Religionem.*

369. *Idem decernitur cap. 16. eod.* Idem decernitur quoad Professionem cap. *Veniens*, eod. ibi: *Illa vero, in sæculo remanens, inhonestos amatores admisit. Quocirca mandamus, quatenùs si est ita, prædictum L. in Monasterio, quod intravit, perseverare liberè permittatis: licèt enim in hoc videatur non modicum deliquisse &c. ex quo tamen eadem caput viri altari sponte suppossuit, & postmodum non continuit, super revocatione ipsius non est aliquatenùs audienda: cùm ipsius intentio exceptione possit commissæ fornicationis elidi.*

Et cap. 21. 27. q. 2. Accedat cap. 21. 27. q. 2. *Agathosa latrix præsentium* &c. *Si verò nihil horum est, nec quondam fornicationis crimen (propter quod viro licet dimittere uxorem) prædictam mulierem commisisse cognoveris; ne illius conversio uxori, relictæ in sæculo, fieri possit perditionis occasio, volumus, ut maritum suum illi, etiamsi jam tonsuratus est, reddere debeas ei, excusatione cessante.*

Ubi Gloss. sic exponit casum: *Maritus Agathosæ Monasterium intraverat, uxor ejus eum repetebat, sed ei non reddebatur; quare conquesta est Gregorio. Scribit ergo Greg. Hadriano Notario, ut cognoscat de hac causa: & si invenerit, quòd voluntate illius intraverit Monasterium, vel quod ipsa Monasterium ingredi promiserit, vel quod ipsa fornicata fuerit, permittat illum in Monasterio remanere, & à petitione uxoris absolvat.*

370. *Probatur ex ratione. Aversa.* Sed quæ hujus rei ratio? In promptu est: Quia (inquit Aversa sup. sect. 8. §. 1.) conjux innocens per divortium solvitur penitùs ab omni obligatione, & eximitur ab omni jure alterius adulteri, nec potest ab eo cogi ad consortium conjugale: igitur potest liberè de seipso disponere, & Religioni se tradere. Potest, inquam, innocens Religionem ingredi, absque eo, quòd alter debeat similiter ad Religionem transire, aut in sæculo votum castitatis emittere. Hoc enim ex dispositione juris requiritur, quando unus conjux de licentia alterius ingreditur: non verò quando virtute divortij ex justa adulterij causa, quo casu nequaquam præscripta est talis conditio. Sic ille. Et ante ipsum Sanchez lib. 10. disp. 11. n. 2. Sanchez.

371. *Eadem est ratio simplicis voti castitatis.* Quæ autem Professionis, eadem est ratio simplicis voti castitatis. Quia adulter amittit jus exigendi debitum, quod solùm obstaculo erat. Loquor de voto absoluto obligante ad non petendum nec reddendum. Alioqui voto limitato solùm ad non petendum, potest quicumque conjux absque injuria Matrimonij liberè se obligare: quia petere est in ejus arbitrio, sed reddere est sub debito, & jus alterius conjugis solam redditionem exigit.

An etiam susceptionis Ordinis sacri. Sanchez. Nunquid & eadem ratio susceptionis Ordinis sacri? Affirmant DD. communiter: Quia (inquit Sanchez sup. n. 16.) jus conjugale æquè obstat ingressui Religionis, ac susceptioni Ordinum. Cùm ergò adultera omni jure conjugali destituatur, æque licebit viro, ipsâ invitâ, transire ad Ordines, ac ad Religionem. Undè Gloss. d. cap. *Constitutus*, verb. *Ad gradum Sacerdotij*, ait: *Quod benè fieri potuit, cùm illa uxor sua publicè fuit adulterata; undè amisit jus, quod habebat in eum*, inf. *de Divort. Significasti.* Quare etiam Episcopus, qui innocentem ordinaverat, ibi non reprehenditur à Pontifice.

372. *Objectio.* Contrà, inquis; ipsum virum, qui ordinatus fuerat, sua conscientia remordebat; & ideò susceperat habitum monachalem, ut patet ex textu sup. relato.

Diluitur. Aversa. Respondet Aversa de Ord. q. 4. sect. 10. §. *Itaque*: Non ex recta scientia, sed ex simplicitate ille vir, post uxoris adulterium ordinatus, de hoc scrupulos admittebat; nisi fortè, aut ipse etiam deliquerat, aut, non servato juris tenore, ab uxore secesserat. Quinimò etiam de Professione posteà facta videtur non exuisse scrupulos; & ideò Sedem Apostolicam consuluisse.

373. *Gutierrez putat, non licere susceptionem Ordinis.* Cæterùm hæc sententia mihi (inquit Gutierrez Can. qq. lib. 1. c. 25. n. 15.) numquam placuit, neque placere potuit. Itaque hujusmodi uxorato, adulterium passo, numquam sacrum Ordinem conferrem, nec conferenci licentiam aut facultatem concederem, si mei muneris id esset; nec etiam jam ab alio ordinato beneficium Ecclesiasticum conferrem, aut eidem providerem, alijs benè meritis stantibus, sequentibus fundamentis.

Primum fundamentum. Primò; propter scandalum, aut saltem malum exemplum vitandum in nostra Ecclesia Latina; in qua uxorati, viventibus uxoribus, minimè sine licentia earum possunt Ordine sacro Clericali insigniri.

374. *Secundum.* Secundò; quoniam facillimè contingere po-

terit,

terit, imò frequenter contingit, ut eidem adulteræ uxori maritus pepercerit; injuriamque condonaverit tacitè vel expressè, hoc ignorante Episcopo.

Tertium. Tertiò; quoniam etsi maritus, cùm ordinatur, uxori adulteræ non pepercerit; poterit tamen posteà, stimulo carnis faciliter inductus, eidem conjugi carnaliter commisceri.

Quartum. Quartò & ultimò; quia nullo speciali jure cavetur, ut maritus propter adulterium uxoris ordinari possit; quàmvis Religionem intrare, ac profiteri valeat: quò fit, ut minimè hoc casu hic ad sacros Ordines promoveri licitè possit, remanendo in sæculo; cùm hoc non sit jure cautum, & solùm id liceat in casibus à jure expressis; ut expressè probatur ex Extravag. *Antiquæ*, de Voto, ibi: *Auctoritate Apostolicâ districtiùs inhibentes, ne quisquam durante Matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire.* Sed jure Canonico uxoratus non potest promoveri ad sacros Ordines, nisi absolutus ab uxore, continentiam profitente, ut in cap. *Vxoratus*, de Conversi. conjug.

Extrav. *Antiquæ*, de Voto.

375. *Non est jure cautum licere Ordines suscipere.* Et licèt ob adulterium uxoris liceat marito Religionem ingredi, ac ibidem profiteri, ut est prædictum; non tamen eo casu expressum est à jure, ut ad sacros Ordines promoveri possit invitâ uxore: esset namque maximum inconveniens, ipsos ambos in sæculo remanere, marito sacris insignito contra voluntatem uxoris, ipsâque continentiam minimè profitente; quod sic non contingit, ipso Religionem ingresso, vel uxore continentiam profitente. Ita præfatus Auctor.

Resp. Sanchez ad 4 fundamentum. Sed propter hæc fundamenta non arbitror recedendum à communi sententia. Ad ultimum respondet Sanchez sup. n. 17. Quàmvis non sit textus, id disponens circa sacros Ordines; satis esse, id dispositum extare circa transitum ad Religionem: utrumque enim æqualiter impeditur propter jus conjugale: & ubi transitus ad Religionem permittitur, censetur concessus transitus ad Ordines. Sic ille.

376. *Oppugnatur* Verùm, reponit quispiam; hoc est, quod quæritur; & nemo negare potest, convenientiùs esse, ut ingrediatur Religionem, quàm ut remaneat in sæculo, sacris Ordinibus insignitus. Et fortè propterea jus ita dispositum in uno casu, & non in alio. Atque ipse Sanchez in solutione ad tertium fatetur, periculum, quod in eo allegatur, subesse: sed, inquit, cùm possit Dei gratiâ tentationibus resisti, licitus est transitus ad Ordines. Et quàmvis etiam in Religioso possit esse periculum; non tamen adeò frequens ac obvium. Ergò potuit Ecclesia unum velle concedere, & non aliud.

Sanchez.

Defenditur. Potuit omninò. Sed hæc differentia tam parva est, ut non debeat credi fecisse, quod potuit facere. Expressit ergò transitum ad Religionem; quia hic casus ei propositus fuit, relinquens judicium Doctoribus de transitu ad sacros Ordines, in quo ferè æqualis erat ratio; imò, ut sic dicam, æqualis, scilicet libertas à jugo conjugali, quæ sicut postulat libertatem, invitâ conjuge, transeundi ad Religionem, quidni similiter suscipiendi Ordines sacros?

Sanè non est major ratio, quare homines scandalizarentur in susceptione Ordinis sacri, quàm in Professione. Siquidem in Ecclesia Latina, Matrimonio illæso, nequit transitus uxoris aut viri ad Religionem sine licentia compartis, æquè ac transitus ad sacros Ordines. Cur ergò læso Matrimonio potiùs scandalizarentur in uno quàm in alio. Neque pejoris exempli est, transire ad sacros Ordines, quàm ad Religionem. 377. *Resp. ad 1. fundamentum.*

Et sicut Episcopus non potest ordinare eum, qui injuriam condonavit; sic neque Superior Religionis eum admittere ad Professionem: atque adeò sicut Ordinarius (ut vult Gutierrez sup.) debet in dubio, securiorem partem eligendo, eum non ordinare; præcipuè cùm sint alij non uxorati, qui possint & velint ordinari, ut divinis vacent & operam dent: sic itidem Prælatus Religionis deberet in dubio, securiorem partem eligendo, eum non recipere ad Professionem, præcipuè cùm sint alij non uxorati, qui possint & velint profiteri. Et sic patet responsio ad tria priora fundamenta Gutierrez. *Item ad 2. & 3.*

Quæ utique tantùm videntur probare, Episcopum debere esse difficilem in hujusmodi conjugato ordinando, propter inconvenientia, quæ hic & nunc ex tali Ordinatione possent provenire. Et idem ego dico de Prælato Religionis; videlicet non debere esse facilem in receptione hujusmodi conjugati ad Professionem, invitâ conjuge: sed oppidò rem ipsam examinare, ne posteà Religio patiatur inde gravamen, & alia incommoda oriantur. 378. *Episcopus debet esse difficilis in tali Ordinatione.*

Si ulteriùs objicias: uxor cujuslibet viri, in Sacris constituti, tenetur post viri mortem ab alijs nuptijs abstinere; quod ligamen non debet subire mulier absque proprio consensu. *Objectio.*

Respondet Sanchez sup. cum Abbate d. cap. *Constitutus*, n. 5. tunc uxorem teneri ab alijs nuptijs abstinere post viri ad sacros Ordines promoti obitum, quando ejus obtentâ licentiâ initiatus est. Tunc enim censetur ipsa voto castitatis se adstringere: secùs quando ipsâ adulterante. Et sic intelligitur cap. *Conjugatus*, de Conversi. conjug. *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.* De quo infrà latiùs. *Solutio Sanchij. Abbas.* Cap. 5. de Conv. conjug.

Impræsentiarùm restat difficultas: an quæ jam dicta sunt de transitu ad Religionem, & sacros Ordines post legitimam divortij sententiam, ante eam quoque veritatem obtineant. Hic est diversitas sententiarum, orta ex varietate opinionum circa quæstionem superiùs disputatam; nempè, quando integrum sit conjugi innocenti propriâ auctoritate divortium celebrare quoad habitationem, ita ut nec in foro externo sit restituendus. Nam uniformiter loquuntur DD. in utraque quæstione. 379. *An jam dicta liceant ante sententiam divortij.*

Et ideò dicendum est (inquit Sanchez sup. n. 10.) cum Sylvestro verb. *Divortium*, q. 13. dicto 2. n. 16. tunc licere innocenti ad Religionem transire, adultero invito, ita ut non possit repeti 380. *Tunc licet, quando ante sententiam propriâ au-*

Auctoritate licet diverti Sanchez. Sylvester.

repeti ab adultero, nec ei sit restituendus; quando vel præcessit sententia divortij, vel eâ non expectatâ, adulterium ita notorium est, ut possit innocens propriâ auctoritate deserere consortium & habitationem adulteri, absque metu restitutionis. Quando autem hoc contingat, latè disputavimus Concluſ. 3.

In foro conscientiæ satis est occultum adulterium. Sanchez.

Quàmvis autem (inquit Sanchez sup. n. 11.) ut impediatur restitutio in foro externo conjugis innocentis professi, aût ad Ordines sacros promoti, desideretur vel sententia divortij, vel adulterium conjugis manentis in sæculo ita notorium esse, ut possit propriâ auctoritate dimitti: at ut in foro conscientiæ is transitus liceat ad Professionem, Ordinesve, aut ad votum simplex omnimodæ castitatis; & valida omninò sint Professio, & votum; satis est occultum conjugis derelicti adulterium. Quia id satis est, ut in foro conscientiæ, secluso scandalo, liceat propriâ auctoritate divortium celebrare. Atque ita cessat jus conjugale, & subinde injuria conjugis derelicti, quæ obstant mutationi statûs conjugum. Sic docet Navar. lib. 3. Consil. tit. de Convers. conjug. in 1. edit. consil. 5. fin. in 2. consil. 14. fine.

Navar.

381. *Ita professus aut initia tus, si restituatur, nec petere nec reddere potest debitum.*

Undè fit, ut si conjux innocens jam professus, aut sacro Ordine initiatus, aut simplici castitatis voto astrictus, Judice cogente, restituatur conjugi derelicto; eò quòd adulterium sit occultum, aut illud probare nequeat; non possit petere, nec reddere debitum. Quia sententia illa innititur falsæ præsumptioni: & in foro conscientiæ Professio & votum fuêre omninò valida: cùm sit certus de adulterio conjugis alterius; ac subinde amissionis totius juris conjugalis. At si solùm esset votum simplex castitatis, & semel reconciliaret sibi conjugem derelictum; peccaret contrà illud votum reconciliando, eò quòd obliget se ad reddendum: at deinceps teneretur reddere, non tamen posset petere. Hucusque Sanchez. Optimè secundùm sua principia. Quæ quia & nostra sunt, ut patet ex Concluſ. 3. ideò & huic doctrinæ lubenter subscribimus.

382. *Non licent hæc, si est periculum restitutionis.* Sanchez.

Eo semper salvo, ut non sit periculum restitutionis in foro externo, quæ nequit fieri sine detrimento Religionis, vel Ordinis sacri. Undè (inquit Sanchez sup. n. 12.) hâc ratione esset prorsus illicitum, moraliter loquendo, nisi divortij sententia præcederet. Quoniam cùm dubium valde sit, num sufficiat adulterium esse notorium, quò impediatur hæc restitutio, gravis esset injuria Ordinis sacri, & Religionis, lite vexari; eò vel maximè, quòd dubius valde sit sententiæ eventus, & an conjux restituetur: quod non in minimam Religionis & Ordinis jacturam cederet.

383. *Interrogatus tenetur fateri veritatem.*

Quare existimo; hunc conjugem, qui divortij sententiam non obtinuit, rogatum à Monachis, num sit conjugatus, vel ab Episcopo promoturo ad Ordines, aut literas dimissorias ad id concessuro; teneri fateri veritatem, nec posse negare, se esse conjugatum. Nam justam causam habet interrogandi, & non admittendi ad Religionem vel Ordinem talem conjugatum ante divortij sententiam. Dixi autem: esse prorsùs illicitum, moraliter loquendo: quia si casu contingeret in partibus remotissimis, ubi id periculum non esset, credo esse licitum, nec illum teneri fateri, se esse conjugatum. Ita Sanchez.

Proponitur casus ex Navarro.

Iuvabit hic audire Navar. sup. consil. 6. aliàs 11. Franciscus, inquit, duxit in uxorem quamdam concubinam alterius publicam, quæ biduo post consummatum Matrimonium, redijt ad suum concubinarium, & ipse tanto dedecore commotus abijt in longinquam regionem, & ibi tacito Matrimonio, intravit & professus fuit Ordinem Franciscanum, & ad titulum Religionis initiatus fuit omnibus Ordinibus, etiam sacris &c.

384. *Resolutio ipsius.*

Quæritur 1. an Professio ejus valuerit? Respondetur; quòd decisio ejus pendet ex facto animorum recipientium: nam si eâ mente fuerunt, quòd recepissent eum, si confessus fuisset, se conjugatum cum ea, quam justè dimiserat, & quâ volente, nolente, poterat fieri Religiosus, valuit Professio: si autem erant contrariâ mente, non valuisset: in dubio autem præsumi posset, eos fuisse priori mente, nisi particulari aliquo statuto contrarium haberent: quia quoad intrandam Religionem paria sunt jure communi, quem non esse conjugatum, vel talem conjugatum, qui perinde potest intrare illam, ac si non esset conjugatus, & de æquipollentibus idem est judicandum: l. fin. ff. Mandati, & cap. *Licet ex quadam*, de Testibus. Ita Navarrus.

Non placet Sanchio.

Sed displicet omninò hæc distinctio (inquit Sanchez sup. n. 14.) & ideò censeo, Professionem in eo eventu esse validam, nisi esset aliquod statutum in ea Religione, non solùm prohibens; sed irritans Professionem: quàmvis eâ mente affectus esset admittens ad Professionem, ut veritate cognitâ, non esset admissurus: nisi in ipsa admissione actum hunc voluntatis eliceret: Nolo admittere hunc, si est conjugatus. Quod moraliter numquam accidit. Et hoc intelligo, quàmvis ille innocens diverterit ob adulterium occultum alterius conjugis.

385. *Probat opinionem Sanchez.*

Probat Sanchez hanc doctrinam: Quia vel Professionem hanc irritat jus conjugis adulteri dimissi: vel statutum Religionis, quando solùm prohibet admissionem, non irritans Professionem: vel voluntas illa habitualis non admittendi, si conjugium sciretur. Non jus conjugis dimissi: quoniam eo ipso, quod in adulterium labitur, omni jure conjugali destituitur in foro conscientiæ, & liber est innocens ad mutandum statum. Nec statutum Religionis: quia illud suppono non irritare: & multa fieri prohibentur, quæ tamen contrà facta tenent: ut manifestè constat in voto simplici castitatis, quod Matrimonium interdicit, non tamen irritat; c. un. de Voto in 6. Nec tandem irritat illa voluntas habitualis seu mens; si scirem esse conjugatum, non admitterem. Quoniã ea mens arguit fore, ut nollem, si scirẽ; non tamen arguit, actu me noluisse:

& ideò nec votum simplex irritat, nedum solemne Professionis.

386. *Confirmatur.* Et confirmatur : quia Matrimonium non irritat ea voluntas habitualis, nisi sit error circà personam, aut conditionem,& substantialia contractûs. Ut si quis ducat Mariam, credens eam ditissimam, aliàs minimè ducturus, Matrimonium valet. Et tamen paria sunt Matrimonium, & Professio quoad hoc, ut solùm irritentur, quando est error circà substantialia.

Alia confirmatio. Insuper apertè confirmatur. Nullus enim diceret, Professionem esse invalidam, si Profitens se ditissimum aut virtutis studiosissimum fingeret ; cùm pauperrimus, & vitijs deditissimus esset ; quâ veritate cognitâ, nullatenùs admitteretur ad Professionem.

387. *Interrogatus de Matr. si nullum est periculum damni, potest negare ; nisi esset statutum contrarium in illa Religione.* Hinc infero; hunc conjugatum, si sententiam divortij obtinuit, vel in casu rarissimo, quando moraliter in partibus remotissimis nullus esset timor damni Religionis, si nullum sit statutum contrarium in illa Religione, posse rogatum negare se conjugatum. Quia respondet ad mentem irrerogantium ; quia reverà non est talis conjugatus , qualis non possit admitti ; sed quoad hoc perinde est, ac si conjugatus minimè esset.

Et quàmvis Monachi non admitterent, si scirent eum conjugatum, id præsumendum est evenire, quando non est statutum in illa Religione, eam admissionem prohibens, ut consulatur damno, quòd probabiliter potest timeri fore, ut Religioni contingat : quod supponimus in hoc casu cessare. Quòd si aliud intenderent, non esset rationi consona ea voluntas ; ac proinde satis est, respondere ad mentem debitam, & rationi conformem. Sicut transeuntes per locum peste infectum, possunt jurare, se minimè transisse, quando ita transierunt, ut infici peste non potuerint : respondent enim ad debitam interrogantium mentem.

388. *Simister posset respondere Episcopo.* Atque similiter posset is respondere Episcopo, ad Ordines promoturo, vel literas dimissorias concessuro, se non esse conjugatum in casu dicto, quàmvis sciret fore, ut Episcopus Ordines aut literas dimissorias minimè concederet. Hucusque Sanchez.

Sanchium sequitur Aversa, quod attinet ad valorem. Peccaret tamen graviter, juxtà ipsum. Quem sequitur Aversa hìc q. 23. sect. 8. §. *Sed certe valeret*, quod attinet ad valorem. Attamen, inquit, graviter peccare videntur illi, qui interrogati talem circumstantiam conjugij occultarent, tam in assumendo Ordine, quàm religioso statu : quia est res valde notabilis ; & Prælatus atque Episcopus habet jus interrogandi & sciendi veritatem : & ingressus Religionis, aut susceptioOrdinis,non erat ita ulli necessaria, ut excusari quisquam debeat à veritate manifestanda : ac , moraliter loquendo, facile erit posteà rem detegi, quod non sine gravi Religionis, aut Cleri perturbatione, & ipsius deceptoris pœna continget. Sic ille.

389. *Quid in Ordine F. F. Min. circa* Ego non dubito, quin Prælatus & Episcopus habeant jus interrogandi, saltem in ordine ad evitandum damnum, quod posset evenire, & si reverà periculum damni foret, interrogatus deberet dicere veritatem. Porrò quia sæpè tale periculum subest, ideò benè statuitur in nostro Ordine, ut admittendus ad Religionem specialiter interrogetur inter cætera ; an sit liber à Matrimonio consummato, cum protestatione, si id celaverit, tamquam invalidè professum ejiciendum esse. An autem hoc intelligatur de Matrimonio, etiam læso per adulterium, post legitimam divortij sententiam ; an verò tantùm de Matrimonio illæso, relinquo alijs disputandum. Superiores poterunt desuper suam mentem declarare. *hoc statuatur*

390. *Sententia Auctoris.* Hoc tantùm dico : quòd, secluso omni statuto & lege tam prohibente, quàm irritante, omnique periculo damni ; quòd, inquam, non sit obligatio, saltem gravis, illud Matrimonium explicandi; nequidem ad interrogationem Prælati aut Episcopi. Profectò fieri potest, ut alicui ita necessarius sit ingressus Religionis, aut susceptio Ordinis sacri, ut excusari omninò debeat à veritate manifestanda : v. g. si aliàs nequeat vel corporaliter vel spiritualiter vivere ; res autem omninò occulta est,neque ullum periculum detectionis, & ipse summè utilis est Religioni, & Ordini Clericali.

Fateor hæc omnia non ita facilè aut frequenter simul occurrere : si tamen vel in rarissimo casu occurrerent, non video satis obligationem Matrimonium illud manifestandi. Nec videtur esse mens interrogantis, saltem rationabilis, ut manifestetur ; & ideò cum debitâ restrictione posset negari, ut sup. dicebat Sanchez. Atque hæc de prima parte Conclusionis.

Progredior ad secundam, videlicet : *Quo facto idem potest adulter.* Id est, potest sine licentia innocentis ; imò ipso invito & reluctante, Religionem profiteri, aut suscipere Ordines sacros. Quidni posset, cùm innocens per Professionem, vel Ordinem sacrum renuntiaverit & abdicaverit à se omne jus matrimoniale, quod solum erat obstaculum ? Nec tantùm temporaliter abdicavit;sed pro perpetuo, per se loquendo,ita ut non possit ab eo statu resilire; atque adeò non possit, manente eo statu, adulterum sibi reconciliare. Tunc ergò nihil est,quod possit eum impedire à simili Professione,vel susceptione Ordinis sacri. 391. *Probatur 2. pars Conclus.*

Innocente professo, etiam adulter potest, sed non tenetur. Imò potiùs videretur ad eadem obligari, aut saltem ad votum perpetuæ continentiæ ; sicut quando, Matrimonio illæso, una pars de licentia alterius transit adReligionem,aut suscipit sacrum Ordinem. Hanc tamen obligationem nolumus ei imponere; quia jura de tali casu non agunt,& ex natura rei non est necessarium, ut constat.

392. *Quia si & ipse professus sit, & dispensetur in Professione innocentis.* Quid ergò, inquis, si postquam mutaverit statum adulter, cum innocente dispensetur in sacro Ordine vel Professione ? Nunquid hic poterit illum repetere, & ille tenebitur redire ? Minimè gentium. Nam susceptio cujuscumque Ordinis sacri, & Professio censentur per se status immutabiles, licèt hìc & nunc per accidens possint mutari ; atque adeò qui profitetur, aut suscipit Ordinem sacrum, censetur pro tunc habere voluntatem , in perpetuum tradendi se Religioni per Professionem, aut

Ecclesiæ

Eccleſiæ per Ordinem ad ſacra miniſteria; quod ſufficit, ut adulter poſſit idem velle. Quo facto, jam Religio vel Eccleſia in eum plenum & abſolutum jus acquiſivit, quo non poteſt privari per hoc, quòd cum innocente diſpenſetur, niſi etiam ſimul diſpenſaretur cum adultero. Quod tunc fieret, quando cauſa diſpenſandi foret copula inter eos, ſeu neceſſitas copulæ pro bono communi. Sicuti ſi mutuo conſenſu intraſſent Religionem, non præcisè ex eo, quòd cum uno diſpenſetur, & hæc Religio amittat jus in eum acquiſitum, eadem Religio vel altera amitteret jus in alium, niſi in caſu jam explicato.

393. *Quid ſi innocens votum ſimplex caſtitatis emiſerit. Palatius.* Idem dicit Palatius in 4. diſt. 35. diſp. 1. dub. 2. ſi innocens votum ſimplex caſtitatis emiſerit; ſcilicet, poſſe adulterum eo ipſo religioſum ſtatum, vel ſacrum Ordinem ſuſcipere; quia ſupponit hunc non teneri ampliùs reddere debitum alteri, contrà votum petenti.

Sanchez credit, adulterum non poſſe mutare ſtatum. At contrarium credo (inquit Sanchez ſup. diſp. 10. n. 6.) votum enim ſimplex non privat conjugem voventem jure juſtitiæ, quod habet in corpus conjugis. Quâ ratione diximus lib. præced. diſp. 6. n. 7. teneri conjugem reddere debitum alteri, ſacrilegè petenti contrà votum caſtitatis. Sic ille.

Nunquid audiendus? Averſa ſup. §. *Septimò*: Quantùm (inquit) attinet ad redditionem debiti, jam anteà q. 10. ſect. 4. putavimus, conjugem rogatum ab altero, habente votum ſimplex caſtitatis, non teneri, nec poſſe licitè reddere, per ſe loquendo, & dum negare poteſt abſque gravi incommodo. Sed tamen non per hoc dici debet tranſire poſſe ad Religionem, vel Ordinem. Tum, quia poteſt adhuc & tenetur cohabitare, ac domeſticis obſequijs alterum juvare; ac proinde non poteſt in totum deſerere. Tum etiam: quia ille, qui ſe voto ſimplici alligavit, facilè poterit diſpenſationem petere & obtinere; ac deinceps licitè prorsùs debitum petere ab altero, qui proinde tenebitur omninò reddere: quare interim non poteſt hic abſque illius conſenſu aſſumere ſtatum per ſe irrevocabilem: ac tandem, ſi aſſumeret, revocari poſſet. Ita prædictus Auctor.

Conſentit Averſa.

394. *Impugnatur* Sed contrà: etiam adultera poteſt cohabitare ei, qui ſuſcepit Ordinem ſacrum, ac domeſticis obſequijs alterum juvare: ergò in totum non poteſt eum deſerere. Deinde: Subdiaconus non adeò difficulter poterit diſpenſationem petere, & fortè obtinere; ac deinceps licitè prorsùs debitum petere ab altera, quæ proinde tenebitur omninò reddere.

Vxor ordinati non eſt domo expellenda. l. 19. Cod. de Epiſc. Sanè uxores, ante Ordines Matrimonio junctas, non eſſe domo expellendas, manifeſtè conſtat ex l. 19. Cod. de Epiſc. & Cler. ibi: *Illas etiam non relinqui caſtitatis hortatur affectio, quæ ante Sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium.* Vide Diſp. 10. hujus Operis Sect. 5. Concluſ. 3. n. 58.

395. *Objectio ex c. 4. de Cohabit. &c.* Nec valet dicere: de adultera poteſt eſſe ſuſpicio; atque adeò non poteſt eam retinere, juxtà cap. 4. de Cohabit. Cleric. & mulie. *Inhibendum eſt, ut nullus Sacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, retineat.*

Solvitur. Reſpondetur enim; adulteram jam poſſe eſſe verè pœnitentem; imò in caſu ſupponitur hoc, cùm velit profiteri Religionem. Et prætereà: minor ſuſpicio poteſt eſſe de ea, quam jam Sacerdos exoſam habet propter adulterium, quàm de ea, quam ante Matrimonium vehementer amabat, & adhuc amat. Et tamen hæc poteſt cohabitare. Cur non etiam illa? Et ſi poſſit, quare non tenetur eo volente? Non enim tenetur divertere quoad habitationem, cùm hæc non repugnet Ordini ſacro; ſed tantùm quoad torum. Hæc diſpiciantur, & expectabo reſponſionem.

396. *Diſparitas aliqua inter ordinatum, & eum, qui habet votum ſimplex.* Interim diſparitas adhuc eſt: quòd ille, qui tantummodo habet votum ſimplex caſtitatis, poteſt validè, ſecundùm Sanchez, reconciliare ſibi adulteram, & reſtituere ei jus petendi debitum, quo facto, teneretur ei reddere: ſicut non obſtante voto, teneretur reddere innocenti. At verò Sacris initiatus nequit reſtituere jus petendi, quo ſe privavit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, obligans ſe non ſolùm Deo, ſed etiam Eccleſiæ, ad in poſterùm vitam caſtè ducendam, quantùm eſt ex ſe.

Undè Eccleſia habet jus, ut caſtè vivat; ſicut & Religio, ut Religioſus ſervet caſtitatem, neque reddendo, neque petendo; cui juri non poteſt particularis quiſpiam derogare. Jam autem certum eſt, habentem votum ſimplex caſtitatis poſſe ei derogare, quantùm ad redditionem, per ſuperveniens Matrimonium; cur ergo non etiam per reconciliationem? Secùs, qui ſuſcepit Ordines ſacros, aut profeſſus eſt ſolemniter Religionem; ſive hoc proveniat ex natura rei, ſive ex præcepto Eccleſiæ.

397. *Adulter ante ſententiam non poteſt mutare ſtatum, priuſquam innocens id fecerit. Sanchez.* Sed pergamus ad alia; utique ad ultimam partem Concluſionis, quæ negat adultero poteſtatem profitendi, aut ſuſcipiendi Ordines ſacros, antequam id ipſum fecerit innocens, hoc non conſulto, & licentiam concedente. Et intelligitur, ſive ante omnem ſententiam, ſive poſt ſententiam divortij. Et in primo caſu (inquit Sanchez ſup. n. 7.) quando nulla præceſſit ſententia, concordes reperio omnes Doctores, aſſerentes, non poſſe conjugem adulterum ſtatum mutare, aut voto caſtitatis in præjudicium innocentis ſe aſtringere: quod ſi id efficiat, poſſe ab innocente revocari, ut ad uſum conjugij redeat. Quia cùm res judicata minimè ſit, nil eſt, quod ſuffragari adultero poſſit, quo integrum ei ſit mutare ſtatum, aliquidvè, quo innocentem lædat, efficere.

Delictum non præſtat immunitatem, l. 12. ff. de Furtis. Delictum enim ipſius immunitatem præſtare minimè debet, ne ex delicto commodum aſſequatur; l. *Itaque*, ff. de Furtis, ibi: *Sed furti actio malæ fidei poſſeſſori non datur, quamvis intereſt ejus rem non ſubripi; quippe cum res periculo ejus ſit. Sed nemo de improbitate ſua conſequitur actionem, & ideò ſoli bonæ fidei poſſeſſori, non etiam malæ fidei, furti actio datur.* Et putas, quia dabitur actio adultero ante omnem ſententiam, ut poſſit invito innocente mutare ſtatum? Noli putare, ſi non vis errare.

398. *Quid si lata fuerit sententia.* Sed quid, si lata fuerit sententia divortij? Existimant Aliqui, posse adulterum mutare statum, etiam invito & contradicente innocenti. Quia (inquiunt) sententia illa non solùm innocentem; sed etiam adulterum ipsum à conjugalis servitutis obligatione eximit, quæ sola impedimento est, ne conjuges statum mutare possint.

Nec tunc potest, nisi de tacito consensu innocentis. Ast hoc fundamentum, & alia eversa sunt Concluſ. præced. ubi ostendimus, etiam post divortij sententiam, adulterum ad imperium innocentis debere redire. Ergò ipse, saltem quando innocens vult reconciliationem, nequit mutare statum. Cùm autem possit velle reconciliationem, sequitur, ipso inconsulto, nihil fieri posse, ne juri sibi acquisito præjudicetur. Requiritur ergò ejus consensus saltem tacitus.

S. Bonav. Hinc Doct. Seraph. 4. dist. 35. a. un. q. 5. n. 28. clarè & præclarè dixit: *Ad illud, quod objicitur, quòd uterque potest vovere continentiam; dicendum, quòd falsum est; quia fornicans non potest, nisi alter consentiat. Et nisi post velit eam recipere, Episcopus potest eam licentiare, ut intret Religionem.* Loquitur de tempore post divortium.

399. *Objectio.* Nec dixeris: innocens persistens usque ad divortij sententiam, illique connivens, videtur adultero facultatem profitendi concedere, & quoad hoc jure suo cedere, atque adeò tacitè consentit.

Solutio. Respondetur quippe; id falsum esse: neque enim divortij sententia alium finem habet, quàm ut innocens possit divertere, & mutare statum suum, si velit. Vide dictâ Conclusione præcèd. Qui ergò petit divortium, nullatenùs consentit in mutationem adulteri, nequidem tacitè.

400. *Quid requiratur ad tacitum consensum.* Rogas: quid amplius requiritur ad tacitum consensum? Respondeo: ut sciat innocens, adulterum velle mutare, & non contradicat; dum tamen commodè posset contradicere, juxtà Reg. juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur.*

Quando sciens & tacens censeatur consentire. Scio in multis casibus accidere, ut sciens & tacens non censeatur consentire; sed nego, hunc casum ex illis esse. Etsi namque in dubio nemo præsumatur taciturnitate suâ se obligare velle, vel aliter sibi obesse; id tamen fallit, quando in tacente aliqua conjectura concurrit, quæ consensum suadeat. Talis autem conjectura hìc est; quòd aliàs mutatio foret invalida, non sine magnis inconvenientijs. Rationabiliter verò præsumitur, innocentem noluisse ea ex sua taciturnitate provenire, cùm facilè posset impedire contradicendo.

401. *Tacitè consentit, qui sæpe monitus renuit adulterum emendatum sibi reconciliare, per cap. 19. de Convers. conjug. juxtà expositionem Hostiensis.* Videtur etiam tacitè consentire, si sæpè monitus nolit adulterum, jam emendatum, sibi reconciliare. Pro quo Aliqui adducunt cap. *Gaudemus*, de Convers. conjug. ibi: *Mulieres verò, quæ relicto maritali toro, lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum, à te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in clausiris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.*

Quem utique textum intelligit Hostiensis ibi n. 3. ut hìc statuatur nova pœna ultrà dispositionem juris civilis. Nam, secundùm jus civile, mulier non potest profiteri infrà biennium; sed secundùm istum textum, si maritus monitus non vult mulierem recipere, potest in continenti collocari in Monasterio, & profiteri poterit, nec licebit marito illam de Monasterio educere. Ita refert Panor. ibi n. 7.

402. *Sed non placet Abbati.* Et illicò subjungit: Iste intellectus mihi non placet: tum, quia est præjudicialis maritis: tum, quia quodammodo corrigeret dispositionem juris civilis. Undè puto, quòd iste textus non provideat in casu illius Auth. *Sed hodie*; nam ibi imponitur pœna detrusionis, institutâ accusatione criminali contrà mulierem; hìc autem non apparet de accusatione criminali. Item, hìc fit collocatio ad pœnitentiam peragendam, & non principaliter ad pœnam.

Hujus expositio. Quare dico; quòd, qualitercumque fuerit actum contrà mulierem adulteram, ex quo est mulier relicta à marito propter adulterium, procedit dispositio hujus textûs, ut Judex Ecclesiasticus, ne ista incontinenter vivat in sæculo, & sic, ut præcidatur materia delinquendi, debeat eam collocare in aliquo Monasterio, non tantùm propter pœnitentiam, sed ut honestè vivat. Pro hoc adduco textum notabilem, qui hoc probat in cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. in fine: *Si verò omninò eam recipere noluerit, in alium quemdam locum, in quo ei non liceat malè vivere, providâ eam dispensatione constitue.*

403. *Secundùm quam hic textus non probat intentum. Alia probatio ex Sanchez.* Juxtà hanc explicationem Panormitani, hic textus minimè probat intentum; quia in eo non agitur de Professione, de qua in præsenti quæritur, an liceat & valeat. Quæ ergò ratio hujus doctrinæ? Existimo (inquit Sanchez sup. n. 16.) quoniam innocens, reconciliationi non connivens, videtur concedere licentiam adultero, ut ad Religionem transeat: & quàmvis reconciliationem denegans refragetur ingressui Religionis, est irrationabilis voluntas. Nam innocens, latâ divortij sententiâ, non habet jus omninò in adulterum, ut ipsum quasi ligatum habeat, ne possit sibi consulere, statum eligendo, si ad reconciliationem minimè admittatur. Solùm enim habet jus reconciliandi, & revocandi ad pristinum Matrimonij usum. Quare hâc reconciliatione denegatâ, liberum erit adultero ad Religionem tranire. Ita Sanchez. Et Alij, quos citat.

404. *Quare sæpè debeat admoneri.* Intellige tamen (inquit ille) quando conjux adulter esset emendatus. Non enim potest tribui innocentis culpæ aut moræ, si adulterum conjugem, in delicto persistentem, minimè admittat. Item, non semel tantùm debet conjux innocens admoneri, sed sæpè. Et ratio est: quia tunc verè poterit dici, esse innocentem in mora, & contrà rationis limites denegare reconciliationem, & ingressum in Religionem: vel si hunc non expressè neget, concedere tacitè licentiam, ac jure suo cedere. Quod ex semel negatâ reconciliatione dici nequit. Quoniam rationi consonum est, ne statim innocens acquiescat, ne adulter parvipendat suum delictum, ac iterum in illud labendi ansam sumat. Ita Sanchez.

An id benè probetur ex d. cap. 19. Et adducit d. textum in cap. *Gaudemus*, ibi: *Eas conversas*, & ibi, *A te diligenter commoniti.* Quod miror, dicet aliquis, quandoquidem circa princi-

principium dicti n. 16. aſſerat, eum minimè probare ſuam Concluſionem; ſcilicet adulterum poſſe mutare ſtatum, ſi innocens monitus, nolit eum ſibi reconciliare. Si hoc non probat; quomodo rectè ex eo probantur hæ limitationes? Reverà non probantur, juxtà intellectum Panormitani (quem ſequitur Sanchez) niſi fortè à ſimili, aut fortiori. Benè tamen juxtà explicationem Hoſtienſis.

405. *An admonitio debeat fieri ab Epiſcopo.* Hoſt.

Atque ex eodem textu Hoſtienſis cum Alijs, hanc monitionem docent faciendam eſſe ab Epiſcopo, ibi: *A te.* Sed quòd ly *Te*, Epiſcopum ibi deſignet, undè conſtat? Quis enim ille fuit? Nullus ibi exprimitur, ſed tantùm dicitur: *Gregorius nonus*: cùm tamen, quando Decretalis dirigitur ad Epiſcopum, ſoleat nomen diœceſis apponi, ut per ſe notum eſt. Nec prædicti DD. (inquit Sanchez) eam tamquam neceſſariò ab Epiſcopo faciendam ponunt; ſed dicunt, Epiſcopum debere monere virum, ut uxorem recipiat. Sic ille.

Melius eſt ut ſic fiat, ſed non neceſſarium. Averſa. Sanchez.

Et hoc quidem (inquit Averſa ſup. §. *Benè anteà*) melius eſt, & in foro externo ita expedit. Sed in rigore ſufficeret etiam privata monitio; etiam, inquam, in foro externo, quando per idoneos teſtes de illa conſtaret. Et Sanchez ait: In foro conſcientiæ non video, cur neceſſarium ſit hanc monitionem ab Epiſcopo fieri.

406. *Quoties debeat moneri.*

Quòd ſi (inquit hic Auctor) numerum monitionum roges: arbitrio prudentis remittendum cenſeo; ut juxtà delicti qualitatem, & conditionem perſonarum arbitretur, quando innocens commonitus dicatur eſſe in mora, nec ſit rationi conſonum, ut ampliùs reconciliationem differat, aut licentiam concedere adultero tranſeundi ad alium ſtatum.

Averſa.

Addit Averſa: Poteſt ad hoc deſervire regula in alijs rebus conſueta, de trina monitione: & ita etiam ſufficere una pro trina, præfixo congruenti intervallo temporis cum ſuis terminis. Et hæc quidem poſt ſententiam Eccleſiaſticam de divortio.

407. *Vxorem adulteram per Iudicem ſæcularem intruſam in Monaſterium, poteſt innocens intra biennium recipere.*

Sed quid, ſi præceſſerit ſolius Judicis ſæcularis ſententia, damnantis adulteram uxorem intruſionis in Monaſterium? Reſpondeat Auth. *Sed hodie*, Cod. Ad leg. Juliam de Adult. *Sed hodie adultera verberata in Monaſterium mittatur, quam intra biennium viro recipere licet. Biennio tranſacto, vel viro, priuſquam reduceret eam, mortuo: adultera tonſa monaſtico habitu ſuſcepto, ibi dum vivit permaneat: duabus partibus propriæ ſubſtantiæ liberis, ſi habet, applicandis, tertiâ Monaſterio.*

408. *Ante id tempus non poteſt adultera profiteri.* Sanchez.

Ex quo textu (inquit Sanchez ſup. n. 8.) conſtat, viro innocenti integrum eſſe, intra biennium à prædicta recluſione uxorem ſibi conciliare; nec eam poſſe, ante id tempus tranſactum, in viri præjudicium Profeſſionem emittere: quòd ſi emittat, poſſe à viro revocari.

Abbas.

Porrò, ut benè notavit Abbas loco ſup. citato, hic imponitur pœna detruſionis, inſtitutâ accuſatione criminali contra mulierem. Nec tantùm pœna detruſionis, ſed etiam verberationis. Detrudi autem & verberari eo modo nequit uxor, niſi Judicis miniſterio; vel proferentis ſententiam, ſervato integro ordine judiciario; vel eo omiſſo, quia uxor publicè in adulterio deprehenſa eſt, ita ut nullâ tergiverſatione celari poſſit. Ita communiter Doctores.

409. *Tranſacto biennio poteſt profiteri.* Sanchez.

Ex quibus etiam conſtat, tranſacto eo biennio, quo noluit vir eam reconciliare, poſſe uxorem profiteri: ac Profeſſione factâ, non poſſe revocari à viro; ſed ſibi imputare debet ſeram reconciliationem. Debet autem hoc intelligi (inquit Sanchez ſup.) ſi eo tempore biennij ſit jam uxor emendata. Non enim debet viro imputari, ſi eo ſpatio renuat fieri reconciliationem, nec in mora eſſe dicetur, ſi uxor in adulterijs perſiſtat; cùm indignum ſit, eam tunc admittere. Sic ille.

Sed quomodo, inquis, perſiſteret in adulterijs (niſi fortè affectu interno) quæ jam eſt detruſa in Monaſterium? An fortè & in ipſo Monaſterio adulterabitur? Reſpondeo: perſiſtit in adulterijs, quæ non oſtendit ſigna doloris aut pœnitentiæ ſuper adulterijs ante commiſſis, nec aliquod propoſitum emendationis demonſtrat; ſed potiùs propoſitum rurſùs adulterandi, ſi occaſio foret.

410. *An deſideretur prævia monitio.* Sanchez.

Rogas: an etiam deſideretur prævia monitio? Negat Sanchez ſup. quoniam nec d. Authent. nec alij Doctores (præter Richardum & Nicol. de Orbellis) eam petunt, quaſi ſentiant, biennium, præſcriptum d. Authent. *Sed hodie*, eſſe loco monitionis.

Sed numquid d. Authent corrigitur per d. cap. *Gaudemus*, in quo nullum tempus reconciliationi faciendæ eſt præſcriptum? Nequaquam: quia Authentica loquitur poſt ſententiam criminalem, jus autem Canonicum poſt ſententiam divortij.

Si uxor nondum profeſſa ſit, poſt quodcumque tempus poteſt reconciliari.

Cæterùm, ſi uxor nondum profeſſa ſit, tranſacto quocumque temporis ſpatio, poteſt à viro reconciliari. Quoniam id biennium eſt ſolùm præſcriptum, ut poſteà liceat uxori profiteri, nec à viro, jam profeſſa, repeti poſſit. Quare dum profeſſa non eſt, ſed res eſt integra; jus reconciliandi non denegatur viro, non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed etiam in foro externo.

411. *Licentia data mutandi ſtatum re integrâ, poteſt revocari, ſecùs mutatione factâ.*

Et idem dico, quando innocens expreſsè conſenſit in mutationem ſtatûs: quouſque enim mutatio ſubſecuta fuerit per votum caſtitatis ſolemne, aut ſuſceptionem Ordinis ſacri, liberum manet innocenti, licentiam datam revocare, & cogere ad reconciliationem. Idem eſt de voto caſtitatis ſimplici nec petendi nec reddendi debitum: quia per iſtud jam præjudicatum eſt Matrimonio. Secùs ſi ſolùm ſuſcepiſſet minores Ordines, aut habitum probationis, nondum emiſsâ Profeſſione.

412. *Non ſufficit mutatio inchoata.* Averſa.

Ita notat Averſa ſup. §. *Octavò*, dicens: Si mutatio ſtatûs non ſit perfecta & irrevocabilis, ſed ſolùm inchoata; utpote per ingreſſum ſolum in Religionem, durante anno probationis, nondum emiſsâ Profeſſione, vel per ſuſceptionem ſolùm clericalis Tonſuræ & minorum Ordinum, nondum ſuſcepto Ordine ſacro: tunc planè poteſt conjugium inſtaurari, & conjugalis vita repeti.

Et siquidem innocens sic statum mutavit, potest ad libitum redire in pristinum, & alterum conjugem repetere & cogere, & hic tenetur consentire. Imò, si interim ipse etiam labatur in adulterium, poterit virtute compensationis ab altero repeti & cogi. Si autem adulter altero consentiente, aut reconciliari nolente, sic statum mutavit; potest adhuc, dum non sit professus, vel in Sacris ordinatus, ab illo repeti, & ad reconciliationem cogi, sicut antea, & hic redire tenebitur. Hæc ille.

413. *Qui dedit licentiam vovendi castitatem, ante votum emissum potest eam revocare.* Sanchez.

Et Sanchez sup. n. 14. de voto castitatis sic ait: Si innocens, datâ licentiâ adultero, vovendi castitatem aut Religionem, re integrâ, id est, ante votum emissum ab adultero, revocasset licentiam, credo, teneri adulterum reconciliari. Quoniam Matrimonium ex parte innocentis adhuc integrum & illæsum videtur, dum adulter eâ licentiâ minimè usus est.

Igitur quæ dicta sunt de mutatione statûs per ingressum Religionis, aut susceptionem Ordinis sacri, pariter intelligenda sunt de emissione simplicis voti castitatis. Quando enim conjuges possunt illis modis mutare statum, pariter validè juxta ac licitè possunt vovere simpliciter castitatem. Quando autem non possunt illis modis mutare statum, nec etiam possunt simpliciter vovere castitatem: eadem enim est ratio & doctrina de hoc voto, ac de mutatione dicta. Nisi quod hoc votum simplex posset etiam propriâ auctoritate emitti, non expectatâ Judicis sententiâ; sicut poterat absolutè debitum negari, absque totali separatione & divortio, tametsi dicta mutatio non liceret.

414. *An dum adulter legitimè profitetur, etiam innocens obligetur. Negat Sanchez.*

Restat quæstio: an dum adulter de licentia innocentis profitetur, vel ad sacros Ordines transit, aut emittit votum castitatis simplex, necessarium sit, ut innocens etiam ad Religionem transeat, aut votum castitatis emittat. Responsio negativa est Sanchij sup. n. 15. & Aliorum. Quia textus, prohibentes mutationem statûs alterius conjugis, altero in sæculo manente, saltem absque voto castitatis, loquuntur, ut suo loco videbimus, ubi Matrimonium integrum, & illæsum perseverat; secùs ubi est divortium.

Quid si innocens profiteatur? Ad nihil obligatur adulter. Dicast.

Undè (inquit Dicastillo disp. 10. n. 89.) hoc ipsum etiam locum habet in adultero: nam quando innocens ingreditur Religionem, vel sacros Ordines suscipit, non tenetur adulter, manens in sæculo, votum castitatis emittere, aut ingredi Religionem; quia non comprehenditur, propter rationem dictam, in casu prædictorum textuum: imò, nisi fallor, secundum unam considerationem major ratio tunc est ex parte sontis, quam insontis; nam insons, dando sponte facultatem, aut certè non coactè, ut sons Religionem ingrediatur, vel Ordines suscipiat, censetur sibi eligere sponte cælebem vitam; atque adeò non mirum esset, quòd ad eam sic servandam, ut debet, simul ex statuto Ecclesiæ cogeretur addere votum: at verò sons in tali casu non sponte, sed necessitate compulsus, in pœnam sui delicti, privatur consortio alterius: undè non mirum, quòd non cogatur per Canones votum emittere, aut statum suscipere, quem non eligeret, si alioqui posset in matrimoniali vita perseverare.

415. *Quare insons non obligetur, profitente adultero.*

Fateor tamen, ex parte insontis aliam quoque rationem reperiri, quominùs ipse non cogatur cælibem vitam agere. Nam eò devenerunt res, ut ipso invito cogatur, vel infidum conjugem admittere, non sine magno suo incommodo, vel cælibem vitam traducere, saltem interim, dum adulter vivit; non est autem, cur eligens illum non admittere, atque adeò, saltem tacitè, concedens, ut ad Religionem transeat, vel Ordines suscipiat, cogatur eam facultatem concedendo se incapacem reddere per votum castitatis, aut Religionis professionem, quominùs possit aut validè, aut etiam licitè iterum Matrimonium inire, si præmoriatur adulter. Undè satis esset ad summum, votum emittere castitatis pro tempore vitæ adulteri conjugis, qui ad sacros Ordines, vel Religionem transivit; quàmvis neque hoc teneatur facere; quia nullo jure probatur. Hucusque Dicastillo.

Et hactenùs de adulterio, satis utique, nisi aliquis me interrogasset: Censen', quod adulter occultus licitè exigat debitum? Quid sentiam, explico sequenti Conclusione, in ordine

CONCLUSIO XII.

Adulter occultus licitè petit debitum: fortè etiam licitè exigit.

416. *Quid distet inter petere debitum & exigere.* Sanchez.

SUpponendum est (inquit Sanchez lib. 1. disp. 68. n. 2.) hoc distare inter exigere & petere, quod illud importat coactionem, & est petere ut debitum: hoc autem minimè; petimus enim etiam gratis concedenda. Convenit ergo inter Omnes, adulterum tam publicum, quàm occultum, posse petere: non enim absolutè Matrimonij usu privatus est, sicut si incestum committeret, vel castitatem voveret. Tota porrò difficultas est; an per adulterium, latitans alterum conjugem, sit eo ipso privatus jure exigendi debitum; ita ut, si alter neget, licet peccet lethaliter negando, ob erroneam conscientiam, cùm eum lateat adulterium, quod jus negandi concedit, non possit ipsum compellere, ut reddat debitum.

Probatio 1. pars. Conclus.

Adulterum occultum posse exigere debitum, probatur 1. ex Sanchio.

Sententia probabilior (inquit idem Auctor n. 4.) tenet, conjugem adulterum, dum alterum adulterium latet, non perdere jus exigendi debitum; sed posse ab eo exigere. An sit probabilior, poterit quisque judicare ex dicendis: probabilem esse non dubito. Probatur autem Primò: adulterum non posse exigere, est in pœnam sui delicti: dignus est enim, cùm fidem Matrimonij fregerit, ut ei fides minime servetur: sed reus non tenetur prodere suum delictum, ut à Judice, vel ab uxore privetur in illius pœnam jure exigendi: ergo quamdiu delictum non constat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non privatur jure exigendi debitum, nec ipse adulter tenetur suæ pœnæ esse executor.

Respon-

417. *Probatio elidituꝛ.* Reſpondetur in primis : legem divortij non eſſe verè pœnalem, ut ipſe Sanchez fatetur lib. 10. diſp. 4. n. 3. Prætereà : adulter nullo caſu tenetur ſe prodere; quia numquam tenetur exigere debitum, & facilè poteſt prætexere alias rationes, quare jam non exigat, ſicut ſolebat. Ut omittam; quòd poſſit petere ſine exactione, quod ſufficit, ut non detegatur ejus crimen; neque enim ſolent conjuges ſe mutuò cogere ad reddendum debitum.

Secunda probatio. Secunda probatio Sanchij eſt : quia hæc eſt veluti pœna conventionalis, jure divino & naturali inducta, ut frangenti fidem fides non ſervetur : ſed pœna conventionalis non debetur ante ſententiam judicis ; vel ſaltem antequam pars ipſa petat : ergò &c.

418. *Non eſt efficax. Sanchez.* Reſpondetur ex ipſo Sanchio lib. 10. diſp. 12. n. 5. jure naturæ in ipſo contractu Matrimonij ea conditio imbibita eſt, ut ſervanti fidem fides ſervetur ; ſecùs eam violanti : nec id ex conventione partium, inſtar meræ pœnæ conventionalis, conſurgit; ſed eſt quaſi conditio in contractu ipſo incluſa. Itaque quàmvis aliqualem pœnæ rationem ſubeat reſpectu adulteri, qui quaſi in pœnam fidei fractæ jure exigendi privatur ; at potiùs eſt conditio, quàm pœna. Sic ille.

Igitur, etiam ſecundùm Sanchez, non eſt pœna conventionalis propriè dicta, quaſi impoſita à Judice, vel ex mutuo conſenſu, non adimplenti contractum ; ſed ipſa natura ipſo facto ſolvit alterum à debito fidei, quando ipſi fides frangitur. Adde: quòd non ſit improbabile, etiam propriè dictam pœnam conventionalem ipſo facto deberi ante requiſitionem partis. Breviter : dici poteſt, non valere argumentum à pœna conventional: mera, ad quaſi pœnam ſeu conditionem, in natura contractûs incluſam.

419. *Probatur 3.* Tertiò probatur ſententia Sanchez : quia Matrimonium eſt quædam ſocietas, & contractus, & fœdus ; in alijs autem contractibus & fœderibus reus non eſt privatus, ſed privandus : ut filius, qui occultum crimen in patrem admiſit exhæredatione dignum, & ſocius in ſocium.

Sed minùs ſolidè. Reſpondetur : ex juribus conſtat, exhæredationem non eſſe pœnam latæ ſententiæ, ſed ferendæ ; in præſenti autem caſu, excepto eo, quòd non ſit propriè pœna, ſolùm dicitur : frangenti fidem fides frangatur eidem, quæ verba potiùs ſonant latam ſententiam, quàm ferendam.

420. *Vltima probatio.* Ultima probatio Sanchij : quia cùm conjux ipſo jure privatur debiti petitione, videmus non eſſe in alterius poteſtate, hanc pœnam ei remittere; ut ſi inceſtum cum ſorore conjugis admittat, vel communem filium è ſacro fonte levet : ergò cum conjux innocens poſſit inferre, vel remittere adultero pœnam, non exigendi debitum ; ſignum eſt, non ipſo jure illum ſubire hanc pœnam ; ſed cùm ei à conjuge innocente infertur.

Non convinſit intentum Reſpondetur : hæc diſparitas non oritur præciſè ex eo, quod una ſit pœna latæ ſententiæ, & altera tantùm ferendæ ; ſed, ut alibi dictum eſt, ex hoc, quod una ſit purè pœna, à lege Eccleſiæ inflicta, altera verò quaſi pœna tantùm, in favorem innocentis jure naturali & divino conſtituta: quod autem in favorem alicujus conſtitutum eſt, non debet retorqueri in ejus præjudicium : & unuſquiſque poteſt favori ſuo renuntiare ; quando hæc renuntiatio non cedit in præjudicium tertij, prout hìc non cedit.

421. *Primum fundamentum oppoſitæ ſententiæ.* Quæ cùm ita ſint, liquidò conſtat, has rationes Sanchij rem non convincere, quàmvis probabilem eam reddant : an probabiliorem, ex fundamentis oppoſitæ & eorum ſolutionibus collige. Primum eſt : Statim ac conjux adulterium admittit, innocens reverà & coram Deo eſt abſolutus à debito reddendo; ergò adulter non poteſt petere tamquam debitum, cùm reverà debitum non ſit. Probatur Antecedens: quia ſi noſſet alterius adulterium, maneret abſolutus, ſecundùm Omnes; notitia autem facti non abſolvit re ipsâ, ſed factum ipſum ; ergò ante notitiam erat re ipsâ abſolutus, & ſolùm tenebatur ex conſcientia erronea.

Deſtruitur à Sanchio. Reſpondet Sanchez ſup. n. 6. non eo ipſo innocentem eſſe abſolutum ab obligatione reddendi; ſed tantùm habere jus, quo ſeipſum poſſit abſolvere in foro conſcientiæ, ſi ſibi factum conſtaret : & quàmvis notitia facti non abſolvat, ſed factum ipſum ; eſt tamen conditio ſine qua non, ut juſtè poſſit ſe abſolvere.

422. *Secunda probatio.* Prætereà fundatur hæc ſententia : quòd reddere ex obligatione, & exigere ſint correlativa; ſed uxor talis adulteri non tenetur reverà reddere, ſed tantùm ex conſcientia erronea ; ergò vir adulter non poteſt exigere.

Rejicitur ex eod. Reſpondet Sanchez, negando Minorem; imò ſecundùm rem tenetur reddere, donec innocens, adulterij conſcius, ſe abſolvat : nam ante talem abſolutionem non eſt alter ſuâ poſſeſſione ſpoliandus.

423. *Tertium argumentum.* Tertiò arguitur: creditore ratione ignorantiæ non petenti debitum, minimè eximitur debitor ab obligatione ſolvendi : ſed eo ipſo quòd conjux adulteratur, eſt debitor alteri immunitatis & exemptionis ab obligatione reddendi : ergò licèt innocens ex ignorantia minimè petat hoc libertatis debitum, non manet adulter liber, nec poteſt ei libertati contravenire, exigendo. Et confirmatur : quia in caſibus, in quibus lege cautùm eſt, ſervos libertate donari, licèt hi ex ignorantia non petant libertatem, nequit dominus ijs ac ſervis uti, cùm verè liberi ſint : jure autem divino per adulterium unius, innocens liber efficitur à reddendi obligatione : ergò &c. *Confirmatur.*

Reſp. Sanchez. Reſpondet Sanchez, diſtinguendo Minorem; eſt debitor, ita ut teneatur ſe prodere & ſpoliare, nego : ſed eſt debitor ad hunc ſenſum, ut conjux innocens, delicti conſcius, poſſit ſe abſolvere : ut qui fregit contractûs fidem, eſt debitor pœnæ conventionalis, non ita ut teneatur eam offerre ; ſed ad hunc ſenſum, ut alter habeat jus ab illo exigendi. Ad confirmationem dicit: leges ipſo jure donare ſervo libertatem, quod hìc non contingit.

424. *Vltima probatio.* Tandem argumentantur Auctores ſecundæ ſententiæ : conjux occultè adulter non poteſt petere

petere divortium, nec debitum negare ob adulterium alterius conjugis sibi notum ; licèt alter suum ignoret,& ita non possit mutuam delictorum compensationem allegare : ergò similiter, quando ipse solus est adulter,non potest alterum cogere ad reddendum ; licèt alter ob ignorantiam non opponat adulterium.

Non convincit.

Respondet Sanchez, negando Consequentiam ; quia adultero non negatur divortium, ob simile alterius adulterium,in sui delicti pœnam; sed quia lex concedit soli innocenti divortium, & ipse non est innocens : at adulter privatur jure exigendi debitum in sui delicti pœnam. Ita Sanchez.

425. *Hanc sententiam amplectitur Navar. Covar. & Alij.*

Igitur neque fundamenta secundæ sententiæ convincunt ; sed relinquunt rem in terminis probabilitatis.Eam amplectitur Navar. Sum.Latinâ c. 22. n. 23. Covar. 4. decret. 2. part. c. 7. §. 2. n. 4. & Alij complures apud Sanchez sup. n. 3. Tantùm subscribam ea, quæ invenio apud Castro lib. 2. de Leg. pœnali cap. 4. §. *Vt igitur.*

Quid sentiat Alph. à Castro.

Quidam (inquit) vir doctissimus Theologus, cum quo rem hanc amicè conferebam, qui constanter tueri nitebatur, nullam legem pœnalem obligare ad pœnam in foro conscientiæ sustinendam, vehementer admirabatur,quum ego illi hanc legem Evangelicam, contra adulteros datam, objeci ; & rimulam aliquam, quâ elabi posset, quærens, respondit mihi, negando adulterum esse obligatum ad pœnam ante sententiam. Quia (ut ille dicebat) quando innocens adulterum repellit à toro, propter adulterium commissum ; tunc illum condemnat, & fert contra illum sententiam, & post illam sententiam, contra illum datam,adulter est privatus jure petendi debitum, & non ante.

Proponit arg. pro 1. opinione.

426. *Conatur illud solvere.*

Hanc autem responsionem falsam esse, facillimè convincam : & ut apertiùs id fiat, oportet annotare, quòd non simul,& in eodem tempore contingunt hæc duo ; videlicet, petitio adulteri, quâ debitum ab innocente petit, & negatio innocentis,quâ renuit debitum conjugale reddere. Nam (ut apertissimè constat) ipsa petitio præcedit tempore negationem. Quæro igitur, in illo priori tempore, quando aduiter petit, antequam sit illi, quod petit, denegatum,an tunc habeat jus ad petendum, an non. Si tunc habet jus ad petendum; ergò alius posteà injustè ei negat.

Consequentia vel ex eo est apertissima, quod jus ad petendum, & obligatio ad reddendum, sunt correlativa, quæ mutuò se consequuntur. Sicut enim præcipere & obedire se mutuò consequuntur, ita exigere & reddere..... Constat autem, quod innocens non tenetur reddere, imò sæpè tenetur non reddere : ergò adulter, antequam ab innocente repellatur, quàmvis possit humiliter debitum conjugale ab eo petere, non tamen exigere, hoc est, jure & justè tamquam sibi debitum petere.....

Asserit, innocentem non teneri reddere.

Et hinc ulteriùs infero : quòd si uxore ignorante mariti sui adulterium, propter aliquam aliam levem causam, negaret marito adultero debitum conjugale, & ille invitam illam coge-

ret ad reddendum , uterque illorum peccaret mortaliter. Illa, quia agit contra conscientiam, dum negat debitum illi, quem credidit esse innocentem : ille verò ; quia petit & per vim capit, quod jure capere non potest. Usque adhuc Castro.

Sed undè constat tibi Alphonse, quod innocens non teneatur reddere ? Nam oppositum asserunt Adversarij tui : & Coninck inter Alios id probat à simili, dicens : Aliud esse, me ab aliqua obligatione esse liberum : aliud verò, me habere jus contra eam excipiendi, atque ita eam elidendi, v. c. Petrus excommunicatus toleratus agat contra me in judicio, & curet me legitimè citari, nullam mihi facit injuriam ; & quàmvis habeam jus excipiendi contra eum, tamquam excommunicatum, atque ita elidendi omnem ipsius actionem : tamen quamdiu hoc non facio, quia vel illius excommunicationem,vel jus meum ignoro, teneor comparere ; nec ille ullam mihi facit injuriam, me ad hoc cogendo. Sic ille disp. 23. n. 87.

427. *Oppositum probat Regins à simili*

Et n. 89. (ubi sequitur sententiam Sanchez) inquit:Sicut lex positiva, statuens alicui crimini aliquam pœnam, non statim privat reum dominio ac possessione rei, in pœnam debitæ ; sed solùm dat Judici jus, ut, causâ cognitâ, eum possit privare ; ita lex matrimonialis non statim privat adulterum jure petendi debitum ; sed solùm dat conjugi jus, eum post criminis cognitionem privandi.Quamdiu autem hoc legitimè non facit,non est libera ab obligatione reddendi debitum ; sed solùm habet jus, saltem remotum, postquam crimen cognoverit, eam obligationem elidendi, & verè peccat contra justitiam negando debitum, ut in simili ostendi n. 87. Ita Ægidius.

428. *Aliud simile.*

Ast responderi posset : disparitatem esse,quòd per excommunicationem non sit nullum jus excommunicati, quod antea habeat in rem suam, injustè v. g. ablatam ; sed solùm impeditur excommunicatus, ne possit eam in judicio repetere, eò quòd ipsi interdicta sit communicatio humana : undè communicando non peccat contra justitiam, sed contra legem Ecclesiæ ; & ideò citando reum, & cogendo ipsum in judicio ad restitutionem rei injustè ablatæ, liquet profectò, quod nullam ei faciat injuriam. At verò in nostro casu, licèt semper maneat vinculum matrimoniale, atque adeò jus remotum ad copulam ; equidem jus proximum nullum est,defectu conditionis imbibitæ in ipso contractuMatrimonij; scilicet, observantiæ fidei matrimonialis.

429. *Datur disparitas.*

His ita ventilatis, nemo non videt, utramque sententiam esse verè probabilem, & ideò jure meritissimo me in Concluf. addidisse ly *Fortè.* Quæ autem ex illis probabilior sit,judicet unusquisque , expensis hactenùs dictis.

430. *Vtraque opinio est probabilis.*

Dicastillo sup. n. 81. judicat probabiliorem primam sententiam; quam tamen limitat n.82. dicens : Satis videtur probabile, tunc non posse adulterum petere debitum, exigendo illud ex rigore justitiæ ; sed tantùm amicè & benevolè, quando conjux innocens seriò illi intimaverit volun-

Dicast. putat 1. esse probabiliorem, quam tamen limitat.

voluntatem suam, dicens: *Ego suspicor, quòd mihi intuleris injuriam adulterando, quamvis id non planè & plenè possim probare, quòd si feceris, omninò volo te privatum jure exigendi debitum*; tunc enim conjux innocens utitur quantùm potest jure suo, & posità conditione adulterij, privat adulterum jure illo proximo petendi; ut jam deinceps non ex rigore justitiæ, sed benevolè & amicè possit exigere; quod facere potest absque eo, quòd certò revelet delictum suum.

Non est autem eadem ratio de cohabitatione; quàmvis enim conjux innocens similia verba dicat in ordine ad cohabitationem, non tenetur adulter se privare quoad cohabitationem; id enim esset delictum suum prodere. Ita Dicast.

431. *Limitatio non placet Sanchio.* At verò Sanchez sup. n. 5. idem quod priùs dixerat, credit, licèt conjux innocens suspicaretur, alterum adulteratum esse; levibus tamen indicijs, quæ non sunt sufficientia, ad ipsum in foro conscientiæ excusandum: quia alter non tenetur tunc fateri crimen suum, nec innocens jus habet spoliandi reum jure petendi & exigendi, donec ejus delictum sufficienter nôrit: quare illa exceptio adulterij, quam opponit, non est legitima, etiam in foro conscientiæ. Sic ille.

Author subscribit Sanchio. Enimverò in dubio melior est conditio possidentis: ergò innocens non potest privare adulterum suâ possessione seu jure exigendi debitum, etiam in foro conscientiæ, nisi in eo foro moraliter certus sit de adulterio, ut patet ex dictis Conclus. 3. Putasne, quòd Judex in foro externo propter dubium delictum posset infligere certam pœnam, eamdem utique, quam infligeret, si moraliter constaret de delicto?

432. *Occurrit objectioni.* Nec refert: quòd alter significet, se velle uti jure suo, & infligere pœnam, supposito delicto; illa siquidem est voluntas inefficax, cùm cognitio delicti sit conditio, sine qua non potest infligi pœna. Undè nullus in foro externo diceretur pœnæ reus, si Judex diceret: *Si commisisti tale crimen, infligo tibi talem pœnam.* Aliàs enim frustrà requirerentur probationes delicti. Hæc cogita. Et mecum progredere ad alias causas, propter quas licet celebrare divortium, si non perpetuum, saltem temporale. Sunt autem, sævitia, hæresis & pertractio in peccatum. Pro sævitia instituitur

CONCLUSIO XIII.

Sævitia est justa causa divortij.

433. *Licet divortium ob alias causas, quàm adulterium.* Trident. LIcitum esse divortium ob alias causas, quàm fornicationem carnalem, docet veritas Catholica, definita in Concil. Trident. sess. 24. de Matr. can. 8. hisce verbis: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

Non id repugnat verbis Christi Matth. 5. Neque obstat huic veritati, quod Christus dixit Matth. 5. v. 32. *Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Non obstat, inquam; quia Christus ibi locutus fuit de dimissione perpetua, & quæ fiat auctoritate propriâ dimittentis, etiam contrà voluntatem dimissæ.

Constat ex textu. Nam illo cap. 5. præmiserat usum repudij illis verbis v. 31. *Dictum est autem: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudij.* Quam dimissionem abrogare volens Christus, subdit: *Ego autem dico vobis* &c. Porrò libellus repudij erat dimissio perpetua propriâ auctoritate, etiam contrà voluntatem dimissæ. Et ideò vir dicebatur uxorem dimittere: quod non dicitur propriè, quando conjuges à Superiore separantur. 434. *Intelliguntur de divorito perpetuo propriâ auctoritate.*

Fatemur ergò, non posse conjugem propriâ auctoritate dimittere conjugem in perpetuum, nisi ex causa fornicationis: nam ex quacumque alia causa dimittat, sive ob hæresim, sive ob lævitiam conjugis; sive ob aliam causam, non potest in perpetuum dimittere; sed ad tempus, quamdiu causa durat, qua cessante, debet ad conjugem redire. *Hoc non licet, nisi propter adulterium.*

Quàmvis autem (inquit Card. Lugo de Fide disp. 22. sect. 3. n. 44.) interveniente Ecclesiæ judicio & sententia, possit à conjuge hæretico, divortio legitimo in perpetuum divertere, ut videbimus; tunc tamen non dimittit ipse auctoritate propriâ; sed Ecclesia inter alias pœnas privat hæreticum jure, quod habebat ad cohabitationem & torum cum conjuge, & consequenter absolvit conjugem ab obligatione & debito. Sicut etiam punit conjugem ob copulam cum consanguineis conjugis, & privat eum jure ad petendum debitum conjugale, absolvitque alterum conjugem ab obligatione reddendi, prout posset bonis alijs, & vitâ ipsâ in pœnam privare. In quo casu non dicitur conjux ipse dimittere conjugem hæreticum, nec fit contrà verba Christi: non enim aufert seipsum à potestate conjugis, sed aufertur ab Ecclesia. 435. *Occurritur objectioni.*

Sicut licèt sit verum, in universum loquendo, quòd subditus tenetur obedire Superiori; verùm tamen est, quòd excusatur, quando Superior ob delictum privatur à Judice jure præcipiendi. Servus etiam non potest dimittere dominum; & tamen, si dominus per sententiam privetur potestate in servos, poterit servus eum dimittere, & sic in alijs. Nam per has propositiones universales solùm significatur, quòd ipsi propriâ auctoritate non possint repudiare aut dimittere, cum quo stat, quòd per potestatem superiorem possint consequenter liberari: nemo enim negabit, quòd saltem Deus possit liberare conjugem ab ea obligatione cohabitandi, quo casu jam poterit conjugem relinquere sine causa fornicationis, non tamen propriâ auctoritate, sed superiori; quâ non tam dimittit, quam educitur Superioris auctoritate, in cujus voluntate continetur voluntas subditi; atque ideò jam non operatur invito conjuge, sed consentiente voluntate suâ, contentâ in voluntate Superioris. Ita Eminent. 436. *Subditus aliquando excusatur ab obedientia.*

Vide etiam Sanchez lib. 10. disp. 15. n. 2. ubi varias affert responsiones ad d. verba 437. *Alia exposi-*

tio verborum Christi Matth. 5. ex Sanchez.

Christi Matth. 5. Et ultima est : bifariàm posse intelligi, ut conjux à conjuge dimitti possit. Priori modo, quatenùs conjux est, id est, ita, ut causa dimissionis sit petita ex ipsamet conjugij natura, sitque propria & peculiaris ratio solius Matrimonij. Et hoc modo sola fornicatio carnalis est causa divortij, & sic locutus est Christus de causa divortij. Sola enim fornicatio carnalis fidei conjugali, & substantiæ ipsius Matrimonij opponitur.

Posteriori modo, ut persona quædam est, cujus consortium contingit alteri esse perniciosum. Sicut etiam posset accidere inter alias personas simul habitantes. Et hoc modo multæ aliæ causæ possent accidere, ob quas jus divinum naturale, causâ incolumitatis corporis, vel animæ, à conjuge discedere concedit. Quæ rationes communes sunt Matrimonio, & alijs confœderationibus. Quippe ob hæresim, aut aliùd periculum, etiam inter parentes & filios, fratres, & quâcumque familiaritate conjunctos, recessus licet.

438. *Cur ob solum adulterium concedatur divortium perpetuum.*

Atque hinc infertur ratio ; cur ob fornicationem concedatur divortium perpetuum ; ob alias tamen causas solùm ad tempus, quo durant. Quoniam causa in fornicatione est ex ipsa conjugij natura, eò quòd fides promissa est violata ; cùm hæc sit perpetua, ita & dimissio. Cæteræ autem causæ, cùm non sint ex natura ipsius conjugij, non sunt perpetuæ ; ac proinde tantùm, dum ipsæ permanent, permittitur divortium. Hactenùs præfatus Auctor.

439. *Conclusio probatur ex c. 13. de Rest. spol.*

Hoc supposito ; una ex his causis est sævitia, ex qua imminet periculum corporis ; putà, vitæ aut alterius mali æquivalentis, ita ut vir constans meritò timeat conjugi cohabitare. Ita expressè decisum est cap. *Literas*, de Restit. spol. in fine ibi : *Si verò tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet illi restitui ; sed ab eo potiùs amoveri. Alioquin sufficienti (si fieri potest) securitate provisâ, profectò videtur conjux ante causæ cognitionem restituenda marito.*

Ubi Glossa verb. *Sufficiens*, inquit : *Ex quo enim propter sævitiam unus reliquum dimittere potest, secundum l. in Authent. de Nuptijs, §.* Si igitur mulier tale aliquid, *coll. 4. Ergò multo minùs est restitutio facienda : quia turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*

Item ex Authent. de Nupt.

Porrò in d. Authent. pro finali causa repudij hæc ponitur : *Si insidias se passum à viro probet circa ipsam salutem, aut veneris, aut gladio, aut per aliquem alium talem modum (multæ namque hominibus ad malitiam viæ sunt) aut etiam, si flagellis super ea utatur. Si igitur mulier tale aliquid ostendere potuerit, licentiam ei dat lex, repudio uti, & nuptijs abstinere* &c.

440. *Præterea ex cap. 8. de Rest. spol.*

Præterea scriptum est cap. *Ex transmissa*, de Restit. spoli. *Mandamus, quatenùs si vobis constiterit, quòd præfata mulier prædicto militi legitimè desponsata fuisset, & ab eo cognita, ipsam ei restitui faciatis, recepta tamen sufficienti cautione, quod illi non debeat aliquod malum inferre. Si autem capitali odio ita mulierem vir prosequitur, quòd meritò de ipso diffidat, alicui probæ & honestæ mulieri usque ad causæ decisionem custodienda studiosiùs committatur in loco, ubi vir, vel parentes ejus, mulieri nullam possunt violentiam inferre.* Ita Alex. III.

Et cap. 1. Vt lite non contest.

Et cap. 1. Ut lite non contest. sic lego : *Verùm, quia dicebat mulier, se virum habere suspectum* &c. Ubi Gloss. verb. *Suspectum*, ait : *Hic est unus casus, ubi spoliato viro uxor non restituitur ; scilicet, cùm timetur de sævitia viri.* Ergò & à principio separari poterit. Et ratio est : quia aliàs sequi posset uxori damnum irreparabile : quod ipsum jus naturale dictat evitandum.

441. *Licet separatio propter sævitiam propriâ auctoritate, ex Gutierrez.*

Neque id solùm fieri poterit per Judicem ; sed etiam propriâ auctoritate, ut docet Gutierrez qq. Can. lib. 1. c. 24. n. 8. ibi : Si est magnum odium inter conjuges, & timetur mors ; & præsertim, si tentavit aliquid alter contrà alterum in necem ipsius, & timetur, quòd faceret, Judex poterit separare conjuges ab invicem, imò propria auctoritate potest conjux læsus lædentem, uxoris amplexu, & mutuo servitio, ac simultanea cohabitatione privare, & uxorem maritus à se abjicere, & sibi petenti obstabit sævitiæ exceptio. Sic ille, cum Alijs, quos citat.

Limitatio Sanchy.

Quod intelligerem (inquit Sanchez sup. disp. 18. n. 3.) dum esset periculum in mora, vel non esset facilis aditus ad Judicem. Inde enim scandala orirentur. At si alter cautionem securitatis sufficientem præstare velit, quâ tutus reddatur conjux, non posset propriâ auctoritate divertere, quantumcumque notoria esset sævitia. Quippe cautione illâ satis consulitur periculo. Ita Sanchez.

Ovandus.

Quid ergò, inquis, si per solam separationem habitationis satis consulitur periculo, nunquid manebit obligatio reddendi debiti conjugi sævienti ? Respondet Ovandus 4. dist. 35. disp. un. propos. 5. affirmativè. Quia tantùm ratione periculi suspenditur hæc obligatio. Sicuti quando ex cohabitatione cum conjuge leproso est periculum infectionis, licita quidem est separatio cohabitationis ; secùs autem separatio tori, ubi ex redditione debiti nulla infectio timetur.

442. *Sævitia, quæ excusat à cohabitatione, etiam excusat à redditione debiti. Sanchez.*

Verùm (inquit Sanchez sup. n. 4.) contrarium mihi suadeo. Quia ubi conjux ob culpam propriæ sævitiæ privatur consortio maritali, donec resipiscat, sufficientemque incolumitatis cautionem præstet, omnimodum jus ejus suspenditur, ut vel sic diligenter incumbat remedio adhibendo. Quare petenti debitum potest alter respondere : Da cautionem necessariam (prout teneris) ut tutò tecum cohabitem, quod jus tuâ culpa impedis : aliàs nolo tibi reddere : cùm tuâ malitiâ prives me jure cohabitandi absque meo periculo. Fidem enim non servanti fides servanda non est, cap. *Pervenit*, 2. de Jurejur. At conjux sæviens minimè servat fidem, præstitam in Matrimonio cohabitandi. Unde ut conjux teneatur reddere, non satis est in redditione deesse periculum ; sed id etiam abesse debet à cohabitatione, quando ex mariti voluntate id periculum provenit. Ita Sanchez cum Alijs, quos citat.

Et

443. *Reſp. ad exemplum leproſi.*

Et jura, jam allegata, indiſcriminatim loquuntur. Patetque reſponſio ad exemplum leproſi, qui nullatenùs fidem matrimonialem frangit; cum periculum infectionis, quod reperitur in cohabitatione, non proveniat ex malitia ipſius. Atque ideò ceſſante illo periculo, tenetur ſanus debitum reddere, ut patet ex alibi dictis.

Quid ſi alter conjux dederit cauſam ſævitiæ? Nil referre, probatur ex c. 5. 32. q. 1.

Nec refert quidquam (ut notat ibi Sanchez n. 5.) cauſam hujus ſævitiæ præſtitiſſe alterum conjugem: ut, ſi uxor adulterium, aliudve facinus admiſerit: quapropter vir infenſus illi eſt, atque illa non audet ad illum, ſibi conciliari volentem, redire. Siquidem de hoc caſu expreſsè loquitur Pelagius Papa, cap. *De Benedicto*, 32. q. 1. & tamen ait: *Illam* (adulteram) *ſiquidem maritus ſuus ſine dolo aliquo forte accipere voluerit, tuâ ordinatione ſub cautela recipiat, nullum ei, nihil dumtaxat de cætero ſimile committenti, periculum illaturus. Si verò omninò eam recipere noluerit, in alium quemdam locum, in quo ei non liceat malè vivere, provida eam diſpenſatione conſtitue.*

444. *Secunda probatio.*

Præterea: quia in multis caſibus, etſi culpa præceſſerit, tamen non imputantur, quæ ex ea procedunt: ut notat Gloſſ. cap. *Quia diverſitatem*, 5. de Conceſſ. præb. verb. *Suſpenſus*, dicens: *Sic patet, quod licèt culpâ ſuâ inciderit in excommunicationem, vel ſuſpenſionem, non imputatur ei, quod ex illa culpa proceſſerit*, 15. q. 1. Concupiſcentia, & cap. Inebriaverunt; *& eſt ſimile ubi culpa præcedit, & tamen non imputantur ea, quæ ex culpa ſua proceſſerunt, inf. de Sponſal.* Veniens ad nos.

Probatur 3. ex l. 7 ff. Quod metûs cauſ.

Facit etiam ad hoc l. 7. ff. Quod metûs cauſâ, §. 1. *Proinde ſi quis in furto, vel adulterio deprehenſus, vel dedit aliquid, vel ſe obligavit: Pomponius lib. 28. rectè ſcribit, poſſe eum ad hoc edictum pertinere; timuit enim vel mortem, vel vincula.* Igitur ut metus gravis ſit, nil refert, ex culpa metum paſſi eum oriri.

445. *Objicitur l. 21. eod.*

Nec obſtat l. 21. eod. *Si mulier contrà patronum ſuum ingrata facta, ſciens ſe ingratam, cùm de ſuo ſtatu periclitabatur, aliquid patrono dederit vel promiſerit, ne in ſervitutem redigatur, ceſſat edictum; quia hunc ſibi metum ipſa infert.* Ergò nequit quis allegare metum, quem culpâ ſuâ patitur.

Solvitur.

Reſpondetur: nequit allegare metum juſtum de quo loquitur d. textus, ut patet; ſecùs injuſtum, de quo hìc tractamus; nec enim cuilibet privato vindicta eſt permiſſa. Hinc quàmvis in caſu adultera poſſit puniri; non tamen à viro ſuo, ſæviente ultrà modum.

Ex quo habes, perperam hìc allegari cap. fin. de Immun. Eccleſ. ibi: *Et fruſtrà legis auxilium invocet, qui committit in legem.* Hæc enim adultera, quæ in legem Matrimonij commiſit, non juvatur eâ lege, ut non puniatur; ſed ſolùm beneficio illius legis juvatur, ne offendatur à privato, cui vindicta non eſt permiſſa. Auctores pro hac ſententia vide apud Sanchium ſup. eoſque Recentiores communiter ſequuntur.

446. *Quæ ſit ſævitia ſuffi-*

Si autem à me quæritur; qualis ſævitia præbeat juſtam ſeparationis cauſam? Illam dico ſævitiam ſufficientem (inquit Pontius lib. 9. c. 23. n. 5.) quâ incutitur juſtus metus cadens in virum conſtantem, qui conſtare debet ex ſævis factis conjugis. Veluti ſi vir gladium appoſuerit ad collum & gulam uxoris; animo tamen occidendi vel feriendi. Si enim aliquâ arte fiat ad eruendum ſecretum & arcanum aliquod, non eſt ſufficiens ſævitiæ ſignum, ut habet deciſio Rotæ apud Farinacium to. 2. Deciſ. 371. n. 10. *cius, ex Pontio. Primum ſignum.* Farinacius

Similiter, ſi inſidias vitæ paraverit alter alteri per venenum, vel maleficia, vel alio modo. Similiter minæ de occidendo; ſi tamen præterribili ingenio ſoleret exequi. Maximè, ſi his minis accedant injuriæ & aliæ malæ tractationes, quæ excedant terminos levis correctionis, marito in uxorem permiſſæ. *Secundum, & tertium.*

Similiter etiam, percuſſiones graves & atroces; ut ſi ex illis ſecutus eſſet fœminæ abortus. Satiſque puto eſſe, ſemel abortum ſecutum eſſe. Aut ſi illæ percuſſiones eſſent ſanguinolentæ, vel in facie, capite, aut oculo illatæ fuerunt, vel cum haſta, ſeu baculo tracto in percuſſione, vel in pectore, undè per aliquot dies ſanguinem expueret: vel in manibus, ita ut per aliquod tempus illis uti non poſſet; vel quæ facerent, ut illa in lecto aliquot diebus jaceret. 447. *Quarium.*

Adde etiam verbera, ſi illa ſint immoderata, & quæ excedant levem correctionem, viro permiſſam. Nam viro licere leviter uxorem verberare, correctionis gratiâ, ſuppono.

Verùm negari non debet, judicium de ſævitiæ qualitate eſſe arbitrarium, & multùm in hoc poſſe Judicis arbitrium, qui immoderatam ſævitiam & moleſtam tractationem judicabit, attentâ qualitate perſonarum, & fœminæ, quæ vexatur. Si enim illa nobilis, pudica, honeſta & morigerata fuerit, minores moleſtiæ cenſeri debent ſævitiæ nomine. Adde his etiam, quando ex ſignis, factis, diſcordijs aſſiduis, colligitur odium capitale. Hactenus Baſilius. 448. *Judicium de qualitate ſævitiæ eſt arbitrarium*

Diffuſiùs de his ſcribit Sanchez ſup. à n. 10. Hæc nobis breviter dicta ſufficient. Et videri poſſunt, quæ ſcripſimus Diſp. præced. Sect. 7. Concluſ. 5. ubi longè & late diſcuſſimus requiſita ad metum gravem.

Benè dicit Averſa ſup. ſect. 10. §. *Sextò*: Non ſufficit quæcumque mala tractatio de præterito, quando non timetur aliud damnum in futuro. Solùm enim ad evitandam injuriam imminentem, non ad ulciſcendam illatam, permittitur conjugi hæc ſeparatio. Quinimò etiam poſt ſeparationem, quando ſatis providetur impoſterùm, redire tenetur conjux, qui receſſerat. Sæpè tamen injuria jam illata juſtam timoris cauſam præbet in futurum; & ideò ad ſeparationem valet. Ex alia parte ſufficit mala tractatio, quæ rationabiliter timetur in futurum, quàmvis adhuc non eruperit: ſiquidem ratio & motivum hujus ſeparationis eſt damnum imminens præcavere. Sic ille. 449. *Non ſufficit quæcumque mala tractatio de præterito, Averſa.*

Et §. *Rurſus*, ait: Sufficit non ſolùm malum, quod timetur perſonæ propriæ; ſed etiam perſonis cohabitatione conjunctis. Sic notari ſolet, licere viro recedere, & filios ſubtrahere ab uxore, filiorum interfectrice: & ſimiliter licere *Sufficit malum, quod timetur perſonis cohabitantibus.*

uxori recedere à viro, qui prolem in ejus utero enecavit, & idem facturus timetur imposterùm. Ob factum autem aliquod præteritum, adhibitâ sufficiente cautione in futurum, non debent conjuges separari; ut cap. 2. de Iis qui filios occiderunt: *Intelleximus, quòd M. mulier filiam parvam, furore accensa diabolico, jugulavit: propter quod dominus terræ maritum ejus ipsam compulit abjurare.*

Ubi Gloss. verb. *Abjurare*, inquit: *Et malè: quia quos Deus conjunxit, homo non separet. Et ob hanc causam eam maritus dimittere non posset.* Hinc sequitur in d. cap. *Quia verò illam alios habere filios intimasti: mandamus, quatenùs .... non obstante juramento, quod à viro dictus dominus proponitur extorsisse, eam (sicut expedire videris) eidem viro restituas; ità quòd filios suos liberè possit & pacifice gubernare.* Ita Lucius III. Parisiensi Episcopo.

450. *Item, quod timetur ab alijs conjugi conjunctis.* Similiter sufficit (prosequitur idem Auctor) si malum timeatur ab alijs conjugi conjunctis: utpote, si uxor manens in domo mariti, justè sibi timeat à mariti parentibus, vel alijs in eadem domo commorantibus aut frequentantibus: sive maritus manens in domo uxoris sibi timeat ab uxoris parentibus, vel alijs ibi conversantibus.

Praterea si timeatur malum ex furore alterius. Demùm sufficit, si malum timeatur non ex malitia, sed ex furore & amentia alterius: quàmvis enim sic malum accideret absque culpa inferentis; tamen justum est, illud evitare & præcavere. Secluso verò tali periculo, seu adhibitâ debitâ cautelâ, non debet conjux sanus ab amenti & furioso recedere; sed tenetur adhuc cum illo manere, juxtà illud D. Aug. de Ser. Domini in monte lib. 1. c. 32. & refertur 32. q. 5. c. 18. *Si uxorem quis habeat sterilem vel deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis & doloribus languoribusq; confectam, & quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat.*

D. Aug.

451. *Non licet divertere ob furorem, ex quo non timetur malum, per l. 22. ff. Solut Matr.* Enimverò nihil tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse. *l. Si cùm dotem, 22. ff.* Soluto Matr. §. 7. sequentis tenoris: *Si maritus vel uxor, constante Matrimonio furere cœperint, quid faciendum sit tractamus. Et illud quidem dubio procul observatur, eam personam, quæ furore detenta est, quia sensum non habet, nuntium mittere non posse. An autem illa repudianda est, considerandum est. Et siquidem intervallum furor habeat: vel perpetuus quidem morbus est, tamen ferendus his, qui circa eam sunt: tunc nullo modo oportet dirimi Matrimonium, sciente eâ personâ, quæ cùm compos mentis esset, & ita furenti, quemadmodum diximus, nuntium miserit, culpâ suâ nuptias esse diremptas. Quid enim tam humanum est, quàm ut fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse.*

Secus si timeatur, ex aud. lege. Alioqui prævalet jus propriæ vitæ tuendæ, vel etiam evitandi aliud grave incommodum. Unde subdit d. lex: *Si autem tantus furor est, ita ferox, ita pernicios us, ut sanitatis nulla spes superst, circà ministros terribilis, & forsitan altera persona, vel propter sævitiam furoris (Subaudi,* inquit Glossa, *vult dirimere) vel quia liberos non habet, procreandæ sobolis cupidine tenta est, licentia erit compoti mentis, personæ furenti nuntium mittere, ut nullius culpâ videatur esse Matrimonium dissolutum, neque in damnum alterutra pars incidat.*

Nec credo esse necessarium (inquit Sanchez sup. n. 18.) periculum vitæ, sed satìs est aliud gravissimum arbitrio prudentis. Non tamen satis erit molesta cohabitatio & rixæ: quoniam hæc absque culpa conjugis amentis accidunt. Sic ille. 452. *Non est necessarium periculum vitæ. Sanchez.*

Sed nunquid etiam periculum vitæ absque culpa amentis accidit? Planè; & tamen hoc satis est. Igitur & molesta cohabitatio & rixæ, tametsi sine culpa amentis accidant, possent esse satis, si forent malum proportionatum rei gravissimæ, qualis est, divertere à conjuge.

Similiter (inquit Sanchez sup.) erit justa divertendi causa, si vir sæpè inebrietur cum periculo vitæ uxoris. Item cum alio gravi periculo: & tunc præstanda erit sufficiens cautio in posterùm abstinendi ab ebrietate. Idemque censendum est, si è contrà uxor sic ebria fiat, nec compesci possit à viro. Quoties autem id periculum abesset, non liceret hâc ratione divortium: sicut nec ob alia crimina, quæ in alterius conjugis perniciem minimè vergunt. Sic ille. *Quid si vir sæpè inebrietur cum periculo vitæ uxoris?*

Et nota, quòd dicat; idem censendum esse, si uxor sic ebria fiat; contrà illos utique, qui tenent; hìc non ad paria judicari virum & uxorem; eò quòd textus sup. allegati, qui divortij ratione sævitiæ meminerunt, loquantur expressè de uxore virum timente. 453. *Quid si uxor sic ebria fiat?*

Et quàmvis maritus & uxor sint correlativa; ac proinde videatur dispositum in uxore, censeri quoque dispositum in marito l. un. Cod. de Indict. vidùit. At hoc locum non habet, quando utriusque correlativi non est eadem ratio. Esse autem diversam in hoc casu, manifestè constat. Quia uxor nequit coërcere virum, ipsumque punire, ac potest vir ipsam uxorem. *Probatur hoc ultimum non sufficere.*

Deinde: idem probatur ex cap. *Quidquid*, 32. q. 5. quod est Nicol. Papæ ad Consult. Bulgar. c. 96. & sic sonat: *Quidquid mulier tua contrà te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, exceptâ causâ fornicationis, rejicienda, vel odio prorsus habenda, quæ est, Apostolo præcipiente, sicut Ecclesia a Deo, diligenda.* 454. *Confirmatur ex c. 22. 32. q. 5.*

Atque ita videtur sensisse Glossa in cap. 2. de Divort. verb. *Vel alio crimine*, dicens: *Pro nullo crimine potest vir dimittere uxorem, vel uxor virum .... Et hoc etiam, si viro suo mortem machinetur, sup. cap. prox.* Et cap. *Quemadmodum*, de Jurejur. in fine citat Tancredum, ibi: *Tancred. dicit, quòd non debet eam deserere, licet se non corrigat, etiamsi vitæ ejus insidiaretur, 32. q. 5.* Quidquid mulier. *Sed debeat eam tenere in vinculis, & castigare, cùm hoc ei permissum sit.* *Ita videtur sensisse Glossa in c. 2. de Divort.*

Planè debet, si incommodè possit. Sin autem, jus naturale unicuique concedit facultatem vitandi mortis periculum; nec contractus Matrimonij obligat ad cohabitationem cum tanto *Oppositum defenditur.*

tanto vitæ diſcrimine ; eò vel maximè, quòd id diſcrimen ex culpa uxoris proficiſcatur. Ideò autem dicti textus loquuntur de uxore, eò quòd frequentior ſit viri in uxorem ſævitia, & rarò accidat talis ſævitia uxoris in virum. Verba autem poſita in lege, gratiâ frequentioris uſûs, non limitant legem.

455. *Bſp. San. q. 4 ad d. ſup. 22.*

Ad cap. *Quidquid*, reſpondet Sanchez ſup. n. 8. Non venit intelligendum, quando ſævitia uxoris tanta eſt, ut abſque periculo vitæ non poſſit vir cum illa habitare. Dicendumque eſt, exceptionem illam fornicationis non excludere caſus alios jure exceptos. Sic ille. Porrò ſævitia jure excipitur.

Et præterea ; alia expoſitio teſtimonij Chriſti Matth. 5. ſup. adducta hìc poteſt applicari. Nam propriâ auctoritate non licet viro in perpetuum divertere propter ſævitiam uxoris, ſicut propter fornicationem. Quippè fornicatio ſemper permanet, id eſt, ſemper verum eſt dicere, talem conjugem fregiſſe fidem datam in Matrimonio ; neque per hoc, quòd jam abſtinet, reparatur ſufficienter injuria anteà illata, quæ eſt cauſa ſeparationis. In præſenti autem, cauſa ſeparationis eſt periculum, quod poteſt ceſſare, & ſæpiùs ceſſat.

Aliqui putant, ſodomiam, & ſimilia, non ſuffitere ad perpetuum divortium.

Et verò, Quidam putant ; etiam ſodomiam, beſtialitatem & ſimilia, ſolùs divortij temporalis eſſe cauſas, eſtò fornicatio ſit cauſa perpetui divortij. Quia (inquiunt) fornicator frangit fidem in puncto, quod conſequentiam habere poteſt perpetuam, ſcilicet prolis adulterinæ educationem. Sed reſponderet aliquis ; tametſi poſſit habere conſequentiam perpetuam, non tamen ſemper habere ; quod tamen foret neceſſarium, ut ratio eſſet adæquata.

456. *Quid ſi maritus timeat, quòd uxorem occidet ? Sanchez.*

Rogas : an excuſetur maritus à cohabitatione, quòd de ſe timeat fore, quòd uxorem enecet, eò quòd corruptam invenerit, quam putabat virginem, vel ob aliam cauſam per ſe non ſufficientem ad divortium. Reſpondeo cum Sanchez ſup. n. 9. negativè. Quippè in ſua poteſtate ſitum eſt, divinâ ope imploratâ, ejuſmodi tentationi reſiſtere, ad idque tenetur. Poterit tamen ad aliquantulum temporis divertere, donec iracundiæ impetus fervens remittat.

Nec juvabit virum, ſi uxor eam cohabitationem non exigat. Quia præſumitur non ſponte, ſed metu adductam, ab exactione abſtinere ſe. Debitor autem non excuſatur in foro conſcientiæ à mora ſolvendi, quando probabiliter creditur, præ pudore, aut metu, debitum non poſtulari à creditore.

457. *Non ſufficit, quòd vir gravia dedecoris vitandi velit alò migrare Sanchez.*

Minùs etiam eximet à culpa virum, ſic divertentem, quòd velit aliò mutare domicilium, gratia dedecoris vitandi ex convictu uxoris ſic corruptæ, & uxor teneatur eum ſequi. Quoniam ſi uxor veriſimiliter timeat ſibi periculum, aliò migrans cum viro, non tenetur ipſum comitari : quin potiùs vir ipſe tenetur in loco, uxori tuto, cum ipſa convivere.

Nec cauſatio illa dedecoris, ex prædicto conjictu conſurgentis, aliquid confert. Quippè coram Deo id non dedecori, ſed decori tribuitur. Sicut dedecus duellum ſibi oblatum recuſantis, non liberat à culpa illud acceptantem. Ita Sanchez ex Navar. lib. 4. Conſil. tit. de Divort. conſ. 2. n. 2. 3. & 4.

458. *Probatur à ſimili ex Navar.*

Ubi n. 4. præter ſimile duelli, aliud adducit dicens : Nec excuſatur à fornicatione, qui rogatus à pulchra puella in opportuno ad hoc loco, conſentit ei, eò quòd Holofernes & ejuſdem farinæ homines, contrarium reputant probroſum, ſed diſſentire tenetur, ſicut Ioſephus diſſenſit : nam *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Et : *Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilij.* Ita Navarrus.

Oſtenditur diſſimilitudo,

Ego autem adverto ; hoc ſimile non modicum claudicare. Siquidem, fornicatio ita mala eſt, ut ſine diſpenſatione Dei nullo caſu liceat : at verò divortium quoad habitationem multis caſibus licet. Quæritur ergò, quare non liceat ad evitandum dedecus, quod ſequitur ex cohabitatione cum muliere corrupta, quam putabam virginem.

459. *Objectio.*

Nec obſtat : quòd inter opera charitatis computetur, ducere meretricem etiam publicam (ut vult Navar. ſup.) ad hoc, ut à via erroris in viam rectam reducatur. Non obſtat, inquam ; quia eram opus charitatis eſt, ſuſtinere dura verbera, ad hoc, ut maritus, patientiâ ſuæ uxoris permotus, à via erroris in viam rectam reducatur ; num ideò uxor debet illa verbera ſuſtinere, & non poteſt ad ea evitanda divertere ? Cur ergò ſimiliter non poterit divertere ad evitandum iſtud dedecus apud malos Chriſtianos, quàmvis bonum opus foret, illud patienter ſuſtinere ? Reſpondetur : quia non eſt verum dedecus. Cui hæc reſponſio diſplicet, quærat meliorem.

460. *Poteſt præſumi futura ſævitia, ſi vir concubinam teneat, ex Sanchez.*

Interim dicat cum Sanchio ſup. n. 20. poſſe præſumi cauſam futuræ ſævitiæ, ſi vir concubinam teneat ; ac proindè hâc ratione integrum eſſe uxori divertere. Quippè non benè conveniunt uxor & concubina, ſoletque hæc vitæ illius inſidiari. Quod & verum eſt, tametſi extrà domum propriam eam teneat. Quia eſt hujuſmodi retentio cauſa moleſtæ cohabitationis & perpetuæ diſcordiæ inter conjuges. Quare uxor redire non tenetur, donec ſibi ſufficienter caveatur de expellenda concubina, & impoſterùm ea non admittenda.

Et hæc doctrina apertè procedit ratione ſævitiæ, ſeclusâ ratione adulterij. Aliàs falſum eſſet, teneri uxorem, præſtitâ cautione, redire. Quare licèt uxor eſſet adultera ; ac proindè compenſatione delictorum factâ, non liceret ſibi ratione adulterij fugere : id utique ſibi eſſet integrum ratione ſævitiæ futuræ, probabiliter præſumptæ ex retentione concubinæ.

461. *Quid ſi vir latro ſit, ac incorrigibilis ? Sanchez.*

Imò quàmvis non ex viri ſævitia immineat damnum notabile corporis ; ſed ex alijs viri ſceleribus, poteſt uxor fugere : v. g. ſi vir latrocinijs deditus ſit, ac incorrigibilis, quamobrem periclitatur uxor ; ut ſi timeat, ne tamquam conſentiens furtis viri, & receptatrix furtorum puniatur. Quia cum tanto corporis detrimento

non tenetur cum illo habitare. Ita Sanchez cum Alijs, quos citat.

Quid si uxor sit venefica.

Et n. 22. notat; integrum esse viro recedere ab uxore venefica, liberorum interfectrice, aut viri facultates deprædante. Quod quidem (inquit ille) de uxore, liberorum interfectrice, manifestum est: quia cedit in grave Matrimonij detrimentum. Item: quia præ nimio liberorum affectu, magis terrentur in illis parentes, quàm in seipsis: atque ideò talis metus in virum constantem cadit.

Quando autem uxor est venefica, licèt crimen illud veneficij non sit ex se justa causa divortij; at meritò timere potest vir sibi, ne veneficio aliquo lædatur. Sunt enim hujusmodi fœminæ pessimæ, & facilè alieno amore captæ, aut ira percitæ, solent maritos veneficijs inficere.

462. *Quid si substantiam viri deprædetur.*

Demum; quando uxor substantiam viri deprædatur, non est semper causa sufficiens divortij, donec cautio præstetur; sed quando furtum est notabile, vel præsumitur fore tale, ita ut is timor facultates amittendi cadat in virum constantem, nec aliter compesci valet. Sed nec in hoc est verum, nisi quando vir notabile damnum in sua persona timet. Ita Sanchez.

Exponitur c. 2. de His qui fil. occid. Sanchez.

Nec obstat cap. 2. de His qui fil. occid. sup. allegatum, ubi negatur divortium, quòd mater filium occiderit. Quia (inquit Sanchez) intelligitur de divortio perpetuo. Quod tunc solùm celebrandum est, quando non potest sufficienter provideri, ne rationabiliter grave malum timeatur: alioquin solùm ad tempus, donec provideatur, & adhibito tali remedio, debet conjux ad alterum redire.

463. *Quæ cautio hic adhibenda sit, ex Aversa.*

Remedium autem debet esse, per cautionem ejus conjugis, à quo malum inferendum timetur, de non offendendo altero, qui timebat. Quæ cautio (inquit Aversa sup. §. *Septimò*) pro circumstantijs rerum & personarum, vel poterit sufficere juratoria, per juramentum illius, de non offendendo: vel ut plurimùm requiretur pignoratitia, aut fidejussoria, quo ille deponat pignora, vel exhibeat fidejussores, qui pro eo certam summam solvendam promittant, si alterum offendat. Et in hoc rursùs potest minor, aut major summa exigi.

Quandonam verò possit, vel non possit, per hoc cautionis remedium provideri, & quando sufficiat cautio juratoria, & quando adhibenda sit pignoratitia vel fidejussoria, arbitrio prudentis Judicis definiendum est. In quo non debebit Judex stare soli assertioni partis, allegantis timorem, nec etiam cum ejus juramento; sed debet probationes excipere, & causas timoris expendere, quatenùs sibi verisimiles & rationabiles videantur. Hæc ille breviter & summatim, quæ latiùs deducit Sanchez sup. à n. 24. usque ad 47. Equidem ea magis ad Jurisperitos spectant, quàm ad Theologos: & ideò summula Aversæ nobis sufficere debet.

464. *Factâ separatione ad tempus causâ sævitiæ, non licet transitus ad Religionem. Secus facto divortio perpetuo.* Navar. Henriquez.

Tantùm addo ex eodem Auctore §. *Octavò*. Factâ separatione solùm ad tempus ex dicta causa sævitiæ, utique fas non est ulli parti, ad Religionem, Ordinesve transire, ut per se patet. Facto autem ex Decreto Judicis divortio perpetuo; in casu scilicet, quo moraliter non aderat spes remedij, nec poterat sufficiens præstari securitas; tunc utrique parti liberum ac licitum esse transire, judicant Navar. lib. 4. Consil. tit. de Divort. cons. 5. & Henriquez lib. 12. c. 5. n. 10. Soli innocenti, in cujus favorem lata fuit sententia divortij, per se licere; sævienti verò, nonnisi cum ijs conditionibus, quibus dixerant de adultero, licere transitum, censent Sanchez lib. 10. disp. 18. n. 49. & Pontius lib. 9. c. 23. n. 9. Et hoc est magis consequens ad ea, quæ dicta sunt in causa adulterij. Sanchez. Pontius.

Non oportet ut etiam altera pars transeat.

Nec oportet, ut altera pars pariter ad Religionem transeat, vel votum continentiæ emittat in sæculo. Et facto legitimè transitu, assumptoque irrevocabili Professionis vel Ordinis statu, non poterit ampliùs, qui remansit in sæculo, repetere illum, qui professius, vel ordinatus est; siquidem status Matrimonij in statum Religionis vel Ordinis est irrevocabiliter permutatus. Sic Aversa.

465. *Quid si factum sit divortium perpetuum ob furorem.*

Sin autem quis professus est, vel ordinatus, facto divortio perpetuo ob furorem, quem Medici judicabant perpetuum; si posteà, præter omnem spem, conjux is furiosus ad mentem redeat, restituendus erit; quia Ecclesia decepta fuit in divortij sententia ferenda; cùm ex falsa furoris perpetui existimatione sententia prolata sit. Secùs, quando Ecclesia, propter sævitiam, in pœnam delicti, privat hominem sævum perpetuò jure matrimoniali. Similiter, si propter hæresim, de qua sequitur tractandum, eritque

CONCLUSIO XIV.

Hæresis est justa causa divortij. Quod si factum fuerit judicio Ecclesiæ, non tenetur fidelis conversum recipere; sed licitè vivit in sæculo in perpetuo cælibatu.

466. *Hæresis vocatur adulterium spirituale, & quare.* Oseæ 2.

HÆresis à DD. communiter appellatur adulterium spirituale, eò quòd Catholicus desponsatur ipsi Deo & Christo per fidem, ut dictum est Oseæ 2. vers. 20. *Et sponsabo te mihi in fide*; & Ecclesia per fidem dicitur sponsa Christi: undè declinans in hæresim, dicitur fornicari & adulterari ad injuriam Dei; ut habetur eodem cap. Oseæ & alibi in sacris Literis de illis, qui à verò Dei cultu, ad idola colenda transibant.

Qualibet noxia superstitio fornicatio est. ex D. Aug.

Et ita cap. 5. 28. q. 1. ex D. Aug. de Serm. Dom. in monte lib. 1. c. 27. scriptum est: *Idololatria, quam sequuntur infideles, & qualibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti. Sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortassis possit fidelis fieri.*

Item cap. 28. *Si infidelitas fornicatio est, & idolo-* 467.

Item qualibet illicita concupiſcentia, ex eod.

idololatria infidelitas, & avaritia idololatria, non eſt dubitandum, & avaritiam fornicationem eſſe. Quis ergò jam quamlibet illicitam concupiſcentiam poteſt rectè à fornicationis genere ſeparare, ſi avaritia fornicatio eſt? Ex quo intelligitur; quòd propter illicitas concupiſcentias, non tantùm quæ in ſtupris cum alienis viris, aut fœminis committuntur; ſed omninò quaſlibet, quæ animam, corpore malè utentem, à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè turpiterq; corrumpunt, poſſit ſine crimine & vir uxorem dimittere, & uxor virum: quia exceptam facit Dominus cauſam fornicationis: quam fornicationem (ſicut ſupra commemoratum eſt) generalem & univerſalem intelligere cogimur.

Cùm autem ait (Exceptâ cauſâ fornicationis) *non dixit, cujus ipſorum, viri an fœminæ. Non enim tantùm fornicantem uxorem dimittere conceditur; ſed quiſquis eam quoque uxorem dimittit, à qua ipſe cogitur fornicari, cauſâ utique fornicationis dimittit: velut, ſi aliquem cogat uxor ſacrificare idolis, qui talem dimittit, cauſâ fornicationis dimittit, non tantùm illius, ſed & ſuæ, ne fornicetur.* Hucuſque D. Aug. Quomodo intelligendus, patebit ex dicendis.

468. *Diſtinctio hic inter fornicationem carnalem & ſpiritualem.*

Gloſſ. verb. *Sacrificare*, ſic ait: *Idem eſt, ſi cogat ad quodcumq; peccatum mortale, ut innuitur ex litera ſuperiore. Et nota; quòd propter fornicationem corporalem, ſemel commiſſam, poteſt eam dimittere, 32. q. 1.* Dixit. *Sed propter ſpiritualem, non niſi perſeveret, inf. cap. prox.* Non ſolùm

An Chriſtus per fornicationem intellexerit ſpiritualem.

Rectè igitur hæreſis, & magis totalis apoſtaſia à fide, fornicatio ſpiritualis dicitur, quâ violatur fides divini cultûs. An autem eam Chriſtus intellexerit nomine fornicationis Matth. 5. & 19. quàmvis videatur id Aug. jam citatus aſſerere; equidem à pleriſque negatur; & ex ipſo contextu videtur Chriſtus ibi ſpecialiter locutus de fornicatione carnali. Ex quo tamen non ſequitur, ut patet ex dictis Concluſ. præced. hanc ſolam fornicationem eſſe cauſam ſufficientem divortij.

469. *Hæc poteſt ſufficere ad dimiſſionem.*

Porrò ſufficere fornicationem ſpiritualem ſeu hæreſim & apoſtaſiam à fide, quando uxor ad eam cogit virum, ut ſup. loquitur Aug. vel vir uxorem; imò quodcumque aliud peccatum mortale, dummodò in eis perſeverent, nemo dubitat; quia lumen naturale omnibus dictat, nulli præceptum eſſe, aut cohabitare, aut debitum reddere cum periculo animæ ſuæ, quale eſt, quando cogitur ad quodcumque peccatum mortale, & qui cogit, in eo perſeverat.

Probatur ex D. Aug.

Hinc D. Aug. lib. 2. de Adult. conjug. & refertur 28. q. 1. c. 6. *Non ſolùm mœchatio eſt illius, quæ carnem ſuam coinquinat, ſed etiam, qui ſimulacrum facit, mœchatur. Quod ſi in his factis perſeverat, & pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli vivere cum illa. Sin autem, & tu particeps peccati illius eris.*

Ubi Gloſſ. verb. *Recede*, inquit: *Hoc caput intelligit Hug. de duobus fidelibus, quorum alter labitur in hæreſim.* Porrò hunc lapſum, ſi in eo hæreticus perſeveret, & nolit reſipiſcere, eſſe ſufficientem cauſam divortij temporalis, ſcilicet uſque ad emendationem, eſt concors omnium Doctorum ſententia, quos refert Sanchez lib. 10. diſp. 15. per totam. Et intellige, Catholicum poſſe divertere propriâ auctoritate, idque non ſolùm à cohabitatione; ſed etiam à toro. Nec concedetur reſtitutio hæretico, ſpolium allegan-ti, objectâ ſibi hæreſis exceptione. Ita docet Sanchez ſup. n. 6.

Eſt communis ſententia, intellecta de divortio ad tempus.

Probationes hujus doctrinæ in promptu ſunt; 470. tum ex Scriptura ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt.* Tum ex jure Canonico cap. 2. de Divort. ſequentis tenoris: *Quæſiviſti à nobis*: Et infrà: *Nos itaque taliter reſpondemus; quod mulier pro furto vel alio crimine viri ſui (niſi fidei ſuæ religionem corrumpere velit) ab eo ſeparari non debet. Verùm ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit ſeparari, ita quod ei nubere alij non licebit: quia licet ſeparentur, ſemper tamen conjuges erunt. In viris quoque præſentis ſententiæ forma ſervetur.* Ita Alex. III.

Probatur ex Script. ad Titum 3. Item ex jure Canonico, c. 2. de Divort.

Et Urbanus III. cap. 6. eod. ſic ait: *De illa, quæ viro ſuo labente in hæreſim, ipſius conſortium, ſine judicio Eccleſiæ declinavit, videtur nobis, quod mulier (maximè ſi eâ intentione diſceſſit, ut lapſus in hæreſim, tædio pariter & confuſione affectus, ſe ab errore ſuo converteret) ei cùm reverſus fuerit, eſt reddenda: quæ etiam, ſi reverti noluerit, compellatur. Si vero judicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eum nullatenùs dicimus compellendum.* Igitur abſque judicio Eccleſiæ licitè declinatur conſortium hæretici, uſque ad ejus converſionem.

Et cap. 6. eod.

Ratio patet ex d. cap. 2. ſcilicet, periculum 471. perverſionis. Quod ſemper cenſetur ſubeſſe ex mutua cohabitatione, & tanta familiaritate, quæ intercedit inter virum & uxorem. Hinc non debet Catholicus expectare, donec hæreticus incipiat ei perſuadere hæreſim, & conetur eum inficere; ſed ſtatim poteſt divertere, quàmvis etiam vellet ſine contumelia Creatoris, & pertractione ad peccatum cohabitare; quia videlicet ex ipſa cohabitatione imminet periculum. Nam adeò ex nimia familiaritate eorum, quibuſcum frequentes ſumus, peſſimi mores trahuntur, ut meritò talis quiſque præſumatur, quales ſunt ij, quorum amicitiâ gaudent.

Probatio ex ratione.

Undè (inquit Lugo de Fide diſp. 22. n. 45.) *Contractus & cohabitatio cum hæretico parium præſumptionem hæreſis.* Lugo. Farinacius.

Conjux ſcienter contrahens Matrimonium cum hæretico, vel cohabitans, habet contra ſe jam aliquam hæreſis præſumptionem, ut docet Farinacius de Hæreſi q. 190. n. 50. Et uxor recepta virum hæreticum, ut præſumptionem evadat, & ne tamquam fautrix hæreticorum puniatur, probare debet, ſe non cauſâ hæreſis, ſed affectu maritali eum recepiſſe, ut docet idem Farinacius ibi q. 182. n. 150. & ſeq. Ita Eminent.

Imò volunt Aliqui, non ſolùm poſſe; ſed debere conjugem divertere à conjuge hæretico, 472. quos refert & ſequitur Sanchez ſup. n. 5. dicens: Ius naturæ obligat, cavere proprium animæ periculum; in hoc autem eventu graviſſimum imminet.

An illa dimiſſio ſit præcepta. Sanchez.

Hoc

Negat Lugo si universaliter intelligatur.

Hoc tamen (inquit Card. sup.) si universaliter intelligatur, nimis durum est ; quia sæpè tot damna ex separatione sequi possunt, ut teneatur conjux Catholicus non discedere ; sed ad ea damna vitanda subire periculum aliquod proprium ex convictu cum hæretico, quod cum Divina gratia superare potest ; v. g. si filij parvuli relinquendi sint sub cura & educatione parentis hæretici, quorum spirituali saluti parens Catholicus consulere debet, ut notavit Hurtado in præsenti disp. 76. n. 225.

473. *Quando aliquis excusetur à separatione.*

Aliquando etiam, licèt non teneatur manere; potest tamen ex separatione pati tale damnum, ut excusetur à separatione. Quod commune est in alijs materijs, in quibus agitur de vitando periculo, etiam proximo, alicujus peccati : potest enim contingere, & sæpè contingit, ut propter grave damnum possit aliquis manere in periculo & occasione peccandi, licèt aliquando melius & laudabiliter faceret, eam deserendo. Quod ergò in alijs materijs contingit, potest facilè in hac etiam contingere. Nam potest conjux Catholicus pendere ab hæretico quoad necessaria ad sustentationem, juxtà sui statûs conditionem : potest etiam graviter ferre, quòd cogendus sit castè vivere, & ab omni conjugij copula abstinere, & alia ejusmodi; quæ quidem licèt posset laudabiliter contemnere & tolerare, ut tutiùs degeret, & longiùs ab omni hæresis periculo ; non videtur tamen semper ad hoc sub peccato gravi cogendus, ut significat idem Hurtado ubi sup. §. 224. Hucusque Lugo.

Hurtado.

474. *Attento periculo, est obligatio, nisi justa causa excuset.*

Puto ego, Sanchium nihil aliud intendere, quàm attento periculo, esse obligationem divertendi, nisi justâ causâ excuset. Et quia istud periculum invenitur, non tantùm in cohabitatione ; sed etiam in redditione debiti, quæ est actus maximæ familiaritatis ; ideò licet, & obligat divortium in hoc casu, non solùm quoad habitationem, sed etiam quoad torum.

Sanchez.

Enimverò (ut notat Sanchez sup. n. 4.) frustrà tolleretur cohabitatio, non sublato jure petendi debitum : cogetur enim indirectè Catholicus ad quamdam cohabitationem, si alteri, quandocumque petenti, cogatur reddere. Deindè : quia cap. 2. de Divort. generaliter & indistinctè asseritur, licere Catholico separari. Et subditur, non dissolvi Matrimonij vinculum. Quòd si textus intelligeret de sola separatione quoad habitationem, manente obligatione reddendi debitum, superfluè adderet, non dirimi vinculum. Id enim in dubium minimè vocari posset, cùm illa debiti redditio sit actus Matrimonij. Ita Sanchez.

475. *An semper adsit periculum. Negat Aversa.*

Igitur jure naturæ licet Catholico divortium facere ab hæretico, dum adest subversionis periculum. Sed nunquid semper adest ? Attende quid dicat Aversa q. 23. sect. 9. §. *Secundò*: Reverà posset esse, ut non semper occurreret hoc periculum, & ex alia parte potest adesse spes, ut operâ conjugis Catholici hæreticus convertatur. Undè & datur casus, in quo conjux ex infidelitate conversus, permaneat cum altero, consentiente habitare absque contumelia Creatoris : & datur casus, quo Pontifex licitè & piè dispensat, ut Catholici cum hæreticis contrahant. Hæc ille.

Quare generaliter liceat hoc divortium, ex eod.

Et statim subdit : Sufficiens ergò & vera ratio (quare generaliter liceat hoc divortium) est quia absolutè per Ecclesiam concessa hæc separatio est, & in pœnam hæretici legitimè ac justè concedi potuit. Et ita quidem concessa est in alijs juribus allegatis, licèt eo cap. (2. de Divort.) specialiter Pontifex locutus sit de eo casu, quo adest illud scandalum vel periculum. Verè tamen, quando ab initio contractum esset Matrimonium cum hæretico, ex dispensatione Pontificis, tunc non poterit Catholicus ab eo recedere, nisi ob novum conatum illius, & periculum suum labendi in hæresim. Sic Aversa.

476. *An sit lex aliqua generalis concedens divortium temporale.*

Sed in quo jure per Ecclesiam concessa sit potestas ad tempus tantùm divertendi, ego non non invenio. Quidem cap. *De illa*, de Divort. supponit, mulierem licitè recessisse, ut patet ex verbis sup. allegatis, neque meminit expressè periculi ; attamen responderi posset, ibi nullum jus novum statui; sed Pontificem supponere, ex verò periculo mulierem recessisse, aut certè ex præcepto fraternæ correctionis, ibi : *Maximè si eâ intentione discesserit, ut lapsus in hæresim tœdio pariter & confusione affectus, se ab errore suo converteret.* Et ideò mandat, conversò mulierem restitui : quia & periculum cessat, & fraterna correptio suum finem obtinuit.

Ecclesia potuisset talem legem statuere.

Non nego, quin Ecclesia potuisset suâ lege, propter generale periculum perversionis, talem licentiam concedere; ubi tamen id fecerit, quod potuisset facere, ingenuè fateor, me non satis perspicere. Et ex altera parte, illud generale periculum sufficiens videtur, ut, attento etiam solo jure naturæ, liceat divertere : quàmvis hic & nunc, propter aliàs causas occurrentes, posset Catholicus cum hæretico permanere, aut etiam primò contrahere, ut patet ex alibi dictis.

477. *Putant Aliqui, Christum nomine fornicationis etiam spiritualem intellexisse.*

Cæterùm putant Aliqui, dum Christus Matth. 5. & 19. concessit divortium ob fornicationem, nomine fornicationis, carnalem & spiritualem intellexisse. Quia (inquiunt) Christus generaliter de fornicatione locutus est : at generaliter dictum, est generaliter intelligendum. Et cùm Christus neutram fornicationem excepit, utraque est comprehendenda. Deindè : quia aliàs non posset Ecclesia, utpotè infrà jus divinum, divortium perpetuum concedere ob hæresim. Sic enim non potest Ecclesia restringere conjugibus facultatem divortij, ob adulterium celebrandi ; sed solùm declarare casus, jure ipso naturali & Divino exceptos. Et ideò hujus sententiæ videtur esse D. Aug. in princip. Concluf. adductus, & Alij plures, quos citat Sanchez sup. n. 8.

Sanchez oppositum tenet, & probat duplici arg.

Ipse autem n. 9. id non credit. Quia (inquit) una & eadem res diverso jure censeri non debet ; cap. *Quia circa*, 22. de Privil. ibi : *Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse : ac in benefic. plenissima sit interpretatio adhibenda : nec debeat una eademq; substantia diverso jure censeri.* At latissimè dissidet divortium ob hæresim, à

divortio

divortio ob fornicationem carnalem. Ergò sub una causa divortij non debuit carnalis & spiritualis comprehendi. Secundò: quia Christus de divortio perpetuo sermonem fecit, & de unico adulterio, tamquam ejus sufficienti causâ, quæ in hæresi minimè verificantur. Sic ille.

478. *Iudicium Auctoris, & resp. ad 1. arg. prioris sententiæ.*

Ego dico: cùm verba propriè intelligi debeant, nisi aliquid obstet; fornicatio autem spiritualis non sit propriè, sed per metaphoram tantùm fornicatio, sub hoc nomine generaliter dicto non comprehenditur. Et sic patet responsio ad primum argumentum oppositæ sententiæ.

Solvitur 2. arg.

Ad secundum dico: nusquam jus Divinum prohibuisse divortium perpetuum ob aliam causam, quàm fornicationem carnalem; & ideò Ecclesia in pœnam hæresis concedens perpetuum divortium, non opponitur juri Divino; sicut opponeretur, se restringeret conjugibus facultatem divortij, ob adulterium à Christo concessam.

479. *Solum divortium, quod hic fit judicio Ecclesiæ, est perpetuum.*

Constat porrò ex juribus sup. allegatis, non omne divortium propter hæresim fore perpetuum; sed hoc tantùm, quod factum fuerit judicio Ecclesiæ. Cujus differentiæ ratio alia non videtur esse, quàm quòd causa divortij in hæresi, nondum sententiâ Judicis declaratâ, est temporalis, cessatque hæretico resipiscente; quia tunc non adest periculum perversionis. At verò causa divortij in hæresi, sententia Judicis declaratâ, semper manet. Causa quippe est lex Ecclesiæ, concedens, in pœnam hæresis, jus conjugi Catholico in perpetuum divertendi ab hæretico, etiam resipiscenti.

Hoc divortium est pœna, ex Castro.

Et ita, hoc divortium esse pœnam, ait Castro lib. 2. de Justâ hæret. punitione c. 7. Nam eo ipso, quòd aliquis hæresis damnatur, est privatus omni jure, quod in aliquem habebat; atque absolvuntur subditi ab omni debito fidelitatis; ut constat ex cap. fin. de Hæreticis: *Absolutos se noverint a debito fidelitatis hominy* (aliàs, *dominij*) *& totius obsequij, quicumque lapsis manifeste in haresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur astricti.* Propter quam absolutionem à debito fidelitatis (inquit prædictus Auctor) non tenetur fidelis hæretico debitum reddere.

Probatur per cap. fin. de Hæret.

480. *Item ex cap. fin. de Conversi.*

Vel si hunc textum non probare hanc pœnam contendas: ea probatur per d. cap. *De illa*, de Divort. & cap. fin. de Conversi. conjug. sequentis tenoris: *Mulier, quæ in fide remansit, potest nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiæ separata, ad Religionem libere convolare.*

Ubi Glossa verb. *Remansit*, inquit: *Viro transeunte ad infideles, puta Saracenos, vel Iudæos, vel etiam Hæreticos.* Et verb. *Iudicio Ecclesiæ*, infert: *Ergò a contrario sensu videtur; quòd si non fuit judicio Ecclesiæ separata, quod eo invito Religionem intrare non potuit; ex ita aliud est, quando judicio Ecclesiæ fuit separata ab illo, & aliud quando non fuit separata, sed ab illo propriâ auctoritate recessit. Sim. inf. de Divort.* De illa.

Bosco de Matrim. Pars II.

Sed si nollet intrare Religionem, compelli debet ad ipsum redire utroque casu, sive fuerit judicio Ecclesiæ absoluta, sive non, inf. de Divort. Quanto, *in fine, non obstante illâ spirituali fornicatione, cùm jam sit emendatus, & incipiat esse, quod non fuit, 50. dist.* Ferrum. *Secùs in carnali fornicatione, sive judicio Ecclesiæ sit separata, sive publicè sit fornicata; quia non tenetur illam recipere, nisi velit, quamvis emendatam, sup. eod.* Gaudemus. *Et hæc separatio sit tantum quoad mutuam servitutem: quia vinculum Matrimony non dissolvitur in hoc casu, cùm alter fidelium transit ad infidelitatem, ut in cap. prædicto,* Quanto.

481. *Quid si facto divortio Catholicus nollet intrare Religionem? secundùm Gloss. d. c. fin. debet compelli ad ipsum redire.*

Prima ratio.

Sed quæ est ratio: quare in fornicatione carnali non compellitur maritus recipere uxorem, etiam emendatam; sed in spirituali compellitur? Hæc potest esse ratio: si maritus cognosceret uxorem, post carnalem fornicationem, postea promoveri non potest, ea mortua, propter defectum sacramenti, & sic præjudicium ei fieret, 34. dist. Si laici. *Sed hoc non contingit in fornicatione spirituali, quia per pœnitentiam purgata est.*

Secunda.

Item alia est ratio: in fornicatione carnali anima & corpus polluitur; sed in spirituali tantùm anima, & in carnali fornicatione non tantùm fit in anima, quod displiceat marito, sed etiam in corpore, quod non fit in spirituali: & vir magis scandalizatur ex eo, quod fit in corpore, & magis offenditur; quam ex eo, quod fit in anima: & ita causâ majoris scandali, illati viro, fit, ut post carnalem fornicationem non compellatur, sed post spiritualem fornicationem compellitur, nisi ad Religionem transire voluerit.

Et hactenùs Glossa, satìs utique notabilis; & ideò totam voluì exscribere; præsertim cùm videatur contradicere alteri parti nostræ Conclusionis, quæ docet, fidelem, post spiritualem fornicationem judicio Ecclesiæ separatum, non esse compellendum, tametsi ad Religionem transire nòluerit. Estque sententia Sanchij sup. n. 19 Pontij lib. 9. c. 32. n. 3. Lug. sup. n. 49. & Aliorum. Habetur autem d. cap. *De illa*, ubi nulla fit mentio Religionis; sed generaliter statuitur, ut, quæ judicio Ecclesiæ recessit ab hæretico, nullatenùs compellatur ad eum recipiendum, etiam post emendationem.

482. *Nostra Conclus. tenet oppositum, cum Sanchio, Pontio, Lugone & Alijs.*

Probatur ex cap. 6. de Divort.

Nec corrigitur per cap. *Quanto*, de Divort. quod (inquit Sanchez sup.) in diverso casu loquitur; nempè, quando mulier proprio judicio separata est à viro hæretico; & ideò cogitur ad eum pœnitentem redire. Quàmvis hoc non satìs clarè ibidem exprimatur; sed per conjecturas elici debeat. Sic ille.

Non corrigitur hoc cap. per c. 7. eod.

Subdo verba d. cap. quæ possent Adversarijs favere: *Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quæstio, qua quæritur: utrum ad eum, qui ab hæresi vel infidelitate convertitur, is, qui permansit in fide, redire cogatur.*

483. *Verba cap.*

Ubi Glossa verb. *Redire cogatur*, inquit: *Et revera cogi debet, nisi velit Religionem intrare, cùm judicio Ecclesiæ separati fuerint, sup. de Conversi. conjug. cap. ultimo. Laur. dixit, eam non cogendam redire ad eum, cum distinctione*

illius Decret. sup. eod. De illa. *Sed verius est; quòd indistinctè debet compelli, nisi cùm vult intrare Religionem, secundùm illam Decret. sup. de Convers. conjug. cap. ult.*

484. *Sanchez per idem cap. probat suam sententiam.* Respondet Sanchez sup. hoc capite apertissimè esse decisam suam sententiam. Ibi enim (inquit) in pœnam hæretici jam damnati conceditur Catholico liber transitus ad Religionem: ac proinde ad eum cogendus non est: sed dabitur optio, num velit transire; an potiùs in sæculo vitam, à conjuge hæretico reconciliato separatam, traducere malit.

Quare Pontifex det licentiam intrandi Religionem. Undè non expressit Pontifex, licere transitum liberum ad Religionem, quasi ad eum solum eventum coarctans divertendi facultatem: sed explicans casum difficiliorem, supponit minùs difficilem. Si enim solùm diceret, eximi Catholicum à debito reddendo; non inde sequeretur licentia transeundi ad Religionem. Quippe ratione affinitatis, aut cognationis spiritualis, amittit illa contrahens jus exigendi, ita ut alter non teneatur illi reddere; cùm tamen non sit integrum huic, sic libero ab ea obligatione, migrare ad Religionem. At verò dicens, posse Catholicum se liberè Religioni dedicare, supponit necessariò, eum omninò exemptum esse ab omni obligatione conjugali, sive reddendi debitum, sive cohabitandi. Hæc enim obligatio obstat ingressui Religionis, utpote qui impediret executionem hujus obligationis, jure debitæ. Ita Sanchez. Quocircà dictum cap. *De illa*, neque corrigitur per d. cap. fin. neque per d. cap. *Quanto*.

485. *Probatur ex Lug. posteriores Pontifices non voluisse revocare hanc licentiam.* Quod posteriores Pontifices (inquit Card. sup. n. 50.) non intenderint moderari, aut ex parte revocare facultatem, ab Urb. III. commemoratam & assertam divortij perpetui, probari potest: quia si hoc intendisset Innoc. III. in d. cap. *Quanto*, sicuti ibi meminit Decretalis Cælestini antiquæ, cujus sententiæ dicit se dissentire quoad dissolutionem vinculi; sic etiam meminisset Decret. Urb. III. declarantis facultatem generalem ad divortium perpetuum, quam facultatem majori ex parte revocare valebat. Quod tamen Innocentius non fecit, nec verbum de illa doctrina apposuit; sed verbis generalibus dixit, ex principijs positis colligi posse, quid dicendum de recipiendo hæretico converso à conjuge fideli; quæ verba non sufficerent ad revocanda decreta Prædecessorum expressa; ut constat ex praxi, quâ hujusmodi decreta, non per consequentias, sed formaliter & expresè revocari solent. Sic ille.

Explicatur mens Innoc. d. cap. 7. de Divort. Et n. 53. magis explicat mentem Innocentij, dicens: Præmiserat contrà Cælestini opinionem, per hæresim non dissolvi quoad vinculum Matrimonium, inter baptizatos celebratum, nec eos posse posteà alia Matrimonia inire: ex qua responsione dicit colligi, quid dicendum sit in ea quæstione; an conjugi converso reddenda sit uxor Catholica, quod verissimum est. Nam ex illo principio, quòd scilicet Matrimonium indissolubile sit quoad vinculum, pendet magnâ ex parte decisio hujus alterius quæstionis. Consequenter enim dicendum est, conjugem Catholicum non potuisse aliud Matrimonium celebrare; sed vel rediturum ad priorem conjugem, vel cæbilem mansurum.

486. *Quare conjux Catholicus non possit propriâ auctoritate in perpetuum discedere.* Rursus ex eodem principio sequitur; quòd conjux Catholicus non potuit propriâ auctoritate in perpetuum discedere; cùm enim maneat vinculum conjugij, tenetur, cessante causâ hæresis, ob quam potuit justè discedere, redire ad conjugem conversum. Cum hoc tamen stat; quòd si non propriâ auctoritate, sed judicio Ecclesiæ discessit, possit non redire; quia Ecclesia in pœnam potuit justè privare hæreticum jure repetendi & cogendi conjugem; sicut potest eum alijs gravioribus pœnis punire; & sicut ob copulam cum consanguineis conjugis habitam privat perpetuò eum, stante etiam vinculo Matrimonij, jure petendi debitum conjugale. Hucusque Card. Lugo.

Secùs judicio Ecclesiæ. Indeque n. 54. infert rationem discriminis, cur discedens auctoritate propriâ teneatur posteà redire ad conjugem conversum; non verò qui judicio Ecclesiæ discessit. Quia nimirum, discedens propriâ auctoritate, usus est jure naturæ ad vitandum periculum imminens ex consortio hæretici; quo periculo cessante, cessat jus ad separationem. Quando verò intercedit judicium Ecclesiæ, separatio est pœna, imposita ab Ecclesia, quæ privat hæreticum jure repetendi conjugem: pœna autem non cessat, etiam cessante peccato; sed adhuc post conversionem punitur justè peccator ob hæresim prætéritam. Sic ille.

487. *Differentia hic inter adulterum & hæreticum.* Et n. 55. infert differentiam inter adulterum & hæreticum. Nam (inquit) conjux innocens discedens etiam propriâ auctoritate ab adultero, non cogitur ad eum, etiam emendatum, redire: Catholicus verò propiâ auctoritate discedens ab hæretico, tenetur redire ad ipsum conversum & emendatum. Ratio autem differentiæ, omissis alijs, hæc est; quòd hæresis solùm dat jus separationis ratione periculi; quare cessante periculo, cessat jus: adulterium verò non dat jus ratione periculi; sed quia frangenti fidem fides servari non debet; cùm autem fieri non possit, quòd adulter fidem conjugi non violaverit, necesse est, quod maneat innocenti jus perpetuum ad non servandam fidem in cohabitatione & toro promissis. Sic Eminent.

Iura superiùs allata optimè inter se conveniunt. Patet ergò ex dictis, jura superiùs allegata optimè inter se convenire, ut nulla hic admittenda sit correctio, quæ tamquam odiosa est vitanda; tametsi verba ad improprium sensum forent trahenda. Nedum ubi servatâ verborum proprietate caveri potest, & ubi correctio, quam Adversarij intendunt, non esset satis rationi consona. Nam, ut sup. diximus ex Sanchio, relicta esset conjugi Catholico facultas ad id, quod plus & difficilius esset; scilicet, ad ingressum Religionis; & ablata esset ad id, quod minus & facilius erat; scilicet, ad vivendum

dum ſeorſim à conjuge in domo ſeparata.

488. *In caſu noſtro plus præjudicat hæretico tranſitus ad Religionem, quàm ſeparata habitatio.* Lugo.

Certè (inquit Lugo ſup. n. 51.) in caſu noſtro multò plus præjudicat conjugi hæretico converſo, quòd eo invito poſſit conjux Catholicus Religionem profiteri, quàm quòd poſſit quoad torum & habitationem ſeparari. Nam Profeſſione religiosâ ſemel emiſsâ, præciſa eſt omnis ſpes alteri conjugi, qui debet manere incapax alterius Matrimonij, dum conjux religioſus vivit, & ſine ſpe reconciliationis. Quando verò ſinguli in ſæculo ſeorſim manent, ſemper poteſt eſſe ſpes reconciliationis ; ad quam promerendam, & obtinendam, poteſt conjux converſus continuò aſpirare. Faciliùs ergò poſſet relinqui conjugi Catholico facultas ad manendum ſeorſim in ſæculo, quàm ad præcidendam radicitùs ſpem totam ſuo conjugi per Profeſſionem religioſam.

489. *Objectio.*

Si objicias : conjux poteſt poſt Matrimonium ratum, & non conſummatum fieri Religioſus ; & tamen non poteſt manens in ſæculo ſeparari à ſuo conjuge ; non ergo mirum, quòd hoc ipſum concederetur conjugi Catholico poſt judicium Eccleſiæ.

Solvitur. Lugo.

Reſpondet Lugo ſup. n. 52. eſſe magnum diſcrimen; nam in primo caſu per Profeſſionem religioſam diſſolvitur Matrimonium quoad vinculum ; quare facultas illa multò minùs gravis eſt alteri conjugi, cùm maneat liber ad contrahendum aliud Matrimonium, quàm ſi, manente vinculo, poſſet fieri ſeparatio quoad torum eo invito : non ergo datur facultas ad aliquid plus, & ad difficilius ; ſed ad aliquid minus, & quod minùs præjudicat alteri conjugi : at in caſu noſtro vinculum remanet integrum, & ablata eſſet omnis ſpes conjugi converſo obtinendæ reconciliationis quoad torum ; quod quidem multò magis durum eſſet ipſi, quàm ſi conjux Catholicus remaneret in ſæculo ſeparatus.

490. *Arg. Lugonis pro ſua ſententia.*

Cùm ergo tota hæc facultas conjugis Catholici ſit in pœnam hæretici, non eſſet rationi conſonum ; quòd mitigaretur hæc pœna, quoad id, quod minùs torquet; & relinqueretur quoad id, quod magis torquet : imò non ſolùm relinqueretur, ſed etiam augeretur pœna : ſi enim conjux Catholicus non poſſet ſeparari ſine Profeſſione religioſa, eligeret ſæpiùs hanc Profeſſionem, ne ad conjugem cogeretur redire; quam tamen Profeſſionem non eligeret, ſi poſſet liberè in ſæculo ſeparatus manere : quod totum redundaret in graviorem converſi conjugis pœnam, cui meliùs eſſet, quod Catholicus poſſet manere in ſæculo ſeparatus, quàm quod non poſſet ; cùm ex illa neceſſitate ad Profeſſionem religioſam, privaretur ſæpiùs conjux converſus ſpe reconciliationis ad torum ; quâ ſpe, & quidem ſatis probabili, poſſet interim ſuam ſolitudinem faciliùs tolerare. Hactenùs Eminent.

Expenditur.

Sed enim, reponet quiſpiam, redundet hoc totum in graviorem converſi conjugis pœnam, quid tum ? Quis Pontifici manus ligavit, ne poſſit graviorem pœnam imponere ? Certè ſic rariùs conjuges à fide deficient, ſi non amore virtutis, ſaltem timore pœnæ. Quid &, ſi dixero, id non redundare in graviorem pœnam ? Nam indè fiet, quod Catholicus faciliùs hæreticum converſum admittet, utpotè qui abhorreat Profeſſionem religioſam, tamquam ſibi nimis arduam & moleſtam ; & ideò mavult cohabitare conjugi converſo, quod aliàs nollet facere, ſi poſſet in ſæculo permanere ſeparatus.

491. *Argumentum Sanchez.*

Utut ſit de hoc argumento Lugonis, dicet aliquis ; ſaltem negari nequit (inquit Sanchez ſup.) verba textuum eſſe dubia, quo in eventu, in odioſis, quale eſt juris correctio, verba in benigniorem partem intelligenda ſunt ; Reg. 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.*

Non convincit.

Plane. Aſt, amabo, quæ benignior interpretatio ? Nam, ut jam oſtenſum eſt, fortè meliùs eſt hæretico, ut Catholicus non poſſit manere in ſæculo ſeparatus ; ſed debeat vel eligere Religionem, vel emendatum recipere.

492. *Quando fiat ſeparatio judicio Eccleſiæ.*

Itaque, ut verum fatear, Concluſio noſtra non excedit terminos probabilitatis ; neque pro alia, quàm verè probabili, eam defendimus. Et pro illius meliori intelligentia, quæro: quando dicatur Catholicus ſeparatus ab hæretico auctoritate ac judicio Eccleſiæ, ita ut illum, etiamſi pœnitentiâ ductus ad Eccleſiæ gremium redeat, minimè teneatur admittere ? Nunquid requiritur expreſſa ſententia divortij ; an verò ſufficit ſententia declarans, conjugem eſſe, vel fuiſſe hæreticum ?

Non requiritur ſpecialis divortij ſententia, juxtà Sanchez.

Reſpondet Sanchez ſup. n. 20. minimè deſiderari ſpecialem divortij ſententiam ; ſed judicium illud Eccleſiæ requiſitum nil aliud eſſe, quàm ſententiam Judicis Eccleſiaſtici, quâ declaratur, illum eſſe hæreticum : quâ ſententiâ datâ, ſine ulteriori ſeparationis ſententia, integrum eſt Catholico omninò divertere. Sic ille, cum Alijs, quos citat, & ſequitur Pontius ſup. c. 22. n. 3. Averſa ſup. §. *Poteſtq.*, & plures Recentiores idem docent.

Pontius. Averſa.

493. *Probatur ex ratione.*

Ratio eſt manifeſta (inquit Sanchez) quia cùm divortium hoc ſit quædam pœna hæreſim conſequens, eo ipſo quod conjux ſententiâ Judicis declaratur hæreticus, damnatur hâc pœnâ ; ſicut & amiſſione bonorum, & cæteris hæreticorum. Idque verum putat, tametſi in occulto conjux hæreticus reconcilietur per Inquiſitores; vel quia hæreſis eſt occulta per accidens ; quia nimirum fuit externa, at probari nequit ; vel ob aliam juſtam cauſam. Quippè verificatur, præcedere Eccleſiæ judicium & ſententiam, declarantem hæreſim, quam declarationem ſtatim eo ipſo neceſſariâ quâdam ſequelâ ſequuntur pœnæ, hæreticis jure ſtatutæ : inter quas divortium hoc perpetuum numeratur. Ita Sanchez.

494. *Sanchium ſequitur Averſa.*

Quem ſequitur Averſa ſup. dicens : Poteſt conjux Catholicus hanc perpetuam ſeparationem, & ſtatûs mutationem facere ob ſolam ſententiam, quâ alter conjux de hæreſi damnatus ſit ; etiamſi in ea nulla divortij mentio facta ſit, nec ad inſtantiam conjugis Catholici ſit ſententia lata. Item, etiamſi ſententia lata ſit in occulto : etiamſi poſteà reus ſit ab Eccleſiaſticis cenſuris abſolutus : etiamſi quando is fuit judica-

judicatus & accusatus, erat per se correctus, & ad rectam fidem reversus : adhuc, inquam, per Ecclesiæ sententiam est tali pœnæ obnoxius, ut conjux Catholicus ab eo in perpetuum divertere possit, & statum incompossibilem irrevocabiliter assumere. Sic ille.

495. *Dissentit Lugo, quantum ad 1. part.* Sed hæc sententia minùs placet Lugoni sup. n. 65. quantùm ad priorem sui partem : nam ait : Licet opinio sup. adducta, quòd sufficiat sententia lata super crimine, probabilis sit ; mihi tamen magis placet, quòd requiratur sententia prolata super ipso divortio. *Ratio.* Ratio autem est : quia quàmvis pœnæ aliquæ sint, quæ ut incurrantur, & executioni mandentur, non sit necesse, quòd Judex eas pœnas imponat ; quia impositæ sunt à lege, ita ut non sit in potestate Judicis, eas impedire ; sed eo ipso, quòd Judex condemnat reum talis criminis, pœnæ censentur impositæ à lege jure ipso, sine altera sententia : aliæ tamen sunt pœnæ, designatæ quidem à lege ; sed ita, ut requiratur sententia Judicis, eas pœnas imponentis. Breviter dicere potuisset Eminent. alia est pœna latæ sententiæ, alia ferendæ.

496. *Magis explicatur.* Quo supposito, verius videtur (inquit ille) pœnam divortij perpetui non esse prioris generis, sed posterioris ; & requiri Judicis sententiam de ipso divortio, ut possit contrà hæreticum executioni mandari. Nam decreta, ex quibus hæc pœna colligitur, sunt d. cap. *De illa*, & d. cap. *Mulier*, in quibus si eorum verba considerentur, videtur exigi non solùm judicium Ecclesiæ circà hæresim ; sed etiam circa separationem seu divortium. Nam in d. cap. *De illa*, Urb. III. dixit, reddendam esse viro conversò uxorem, quæ sine judicio Ecclesiæ ab eo recessit : & statim addit : *Si verò judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum* &c. Quæ verba intelligenda videntur in sensu formali, de judicio Ecclesiæ, judicantis posse recedere à viro : nam facere aliquid ex consilio vel judicio Petri, est Petrum consuluisse vel judicasse, ut fieret : recedere ergò judicio Ecclesiæ, est quòd Ecclesia judicaverit posse recedere. Quem sensum magis explicuit Gregor. IX. in d. cap. *Mulier* : ubi exigitur, quòd Ecclesia ipsa separationem fecerit ; quod propriè non fit, quando sola hæresis declaratur ; nec sine violentia & improprietate possunt ea verba alium sensum admittere. Ita Lugo. Nec adeò malè.

Quid sit recedere judicio Ecclesiæ, juxtà Lug.

497. *Confirmatur opinio Lug.* Et verò posset hìc applicari, quod sup. diximus ex Sanchez : Saltem negari nequit, verba textuum esse dubia, quo in eventu in odiosis, quale est divortium perpetuum, verba in benigniorem partem intelligenda sunt. Benignior autem pars est, quæ requirit sententiam condemnatoriam ad pœnam.

Explicatur Reg. 49. in 6. ex Canisio. Ubi obscurum est (inquit Canisius in d. Reg. *In pœnis*) quâ pœnâ reus affici debeat, in mitiorem pœnam inclinamus : cùm *Interpretatione legum pœnæ mollienda sint potiùs, quàm exasperanda*, l. 43. ff. de Pœnis : & *Rapienda sit occasio, quæ præbet benignius responsum*, l. 168. ff. de Reg. juris. Undè si in ipsis verbis legis ambiguitas insit, quæ & in leviorem, & in saeveriorem sensum rapi possit, leviorem magis interpretationem sequemur, cùm hoc humanius sit. Ita hic Auctor. Iam autem constat, pœnam ferendæ tantùm sententiæ esse leviorem.

Interim, quia divortium perpetuum non tantùm est pœna, sed etiam favor conjugis Catholici, ut ex dicendis adhuc patebit ; ideò dici potest, in dubio verba textuum sic explicanda esse, ut latam potiùs sententiam exprimant, quàm ferendam ; quò magis gratificetur conjugi Catholico, & deterreatur hæreticus. Sic enim consulitur Fidei, quæ alijs rebus externis præstat, & cujus bonum in his pœnis attenditur. 498. *Defenditur sententia Sanchez.*

Herculè, qui recedit post sententiam declaratoriam criminis, non recedit sine judicio Ecclesiæ ; quod tamen (scilicet, ut sine eo recedat) videtur Urb. III. requirere d. cap. *De illa*, ut mulier reddenda sit. Patet ex verbis sup. recitatis, ibi : *Ipsius consortium sine judicio Ecclesiæ declinavit.* Atque hæc de priore parte sententiæ Sanchij, & Aversæ.

Quantùm ad alteram partem ; scilicet, dum sententia lata fuit in occulto, & hæreticus jam absolutus (supposito, quòd possit intentari hoc divortium, etiam post reconciliationem, & ob hæresim præteritam) putat Card. sup. n. 67. posse alterum conjugem divortium petere, nec id posse à Judice Ecclesiastico negari ; excepto semper Summo Pontifice, qui pœnam remittere potest. Nam decreta Pontificum, ut vidimus, eam pœnam statuunt, & quidem in favorem conjugis Catholici, qui eo ipso habet jus petendi, ut judicio Ecclesiæ declaretur id, quod ei de jure competit ; nec potest Judex inferior pœnam, lege statutam in favorem tertij, ei non applicare, requisitus ab eo, cujus interest. Cùm ergò jam constet de crimine per sententiam, non potest Judex negare id, quod conjux jure suo petit, juxtà facultatem & jus, lege sibi concessum. 499. *Quid sentiat Lugo de 2. part. sententiæ Sanchij.*

Nec obstat : eo pacto posse divulgari sententiam, in occulto prolatam : quia in primis id per accidens erit ; & quàmvis Judices voluerint benignè, quantùm erat ex parte sua, consulere famæ delinquentis ; non tamen se obligarunt, ad id non detegendum, quando jure cogerentur. Pone enim, quod ageretur posteà de illo eligendo ad Episcopatum, vel aliquid aliud, ad quod hæresis præterita esset impedimentum legitimum ; & propter suspicionem de sententia, & reconciliatione illâ, cogeretur dicere, an haberet tale impedimentum. 500. *Occurritur objectioni.*

Adde : quoties sententia juridicè pronuntiatur, non manere unquam rem ita occultam, ut non generetur infamia aliqua in reo damnato, ratione cujus durum sit conjugi, si cogatur ad illum recipiendum : quare potuisset ex lege jus habere, ut ab hac obligatione liberetur. Ita Card.

Cui si objicias : quod pœna confiscationis non semper in eo casu mandetur executioni. Respondet n. 68. præterquam, quod in Hispania nullt 501. *Alia objectio Solutio Lug.*

nulli hæretico remittitur confiscationis pœna, nisi sponte comparenti ; advertendum est, pœnam illam non ita absolutè latam esse lege Ecclesiasticâ ; sed cum facultate, ut Judices fidei possint eam in aliquibus casibus remittere, ut colligitur ex cap. *Vergentis*, 10. de Hæreticis, ubi de hæreticis dicitur : *Neque ad eos bona ulteriùs revertantur, nisi eis ad cor revertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium, misereri aliquis voluerit.* Ubi Glos. verb. *Misereri*, inquit : *De sola ergo misericordia restituuntur bona, ut hic dicitur.* Quæ tamen facultas non invenitur concessa illis Judicibus quoad remissionem divortij. Ita Lugo.

502. *Quid si hæreticus reconciliatus sit absque sententia ? Probatur, non posse Catholicum divertere. Primò.* Sed quid, si conjux hæreticus sponte comparuit, & reconciliatus est absque sententia, atque ad pœnitentiam admissus ? Censen' quia Catholicus ob hæresim præteritam possit petere judicium Ecclesiæ circa divortium ? Non censeo, inquis ; nam decreta omnia sup. adducta, ex quibus jus ad hoc divortium, & ejus perpetuitatem habemus, loquuntur planè de uxore, quæ à viro judicio Ecclesiæ recessit ob hæresim, in qua adhuc maritus permanebat. Nec habemus textum, in quo separatio concedenda dicatur ob hæresim præteritam ; quare non video, quo fundamento hanc pœnam astruere possimus, quam nullo jure videmus induci, nisi durante adhuc conjugis infidelitate.

Secundo. Aliunde etiam concedenda viderentur absurda aliqua, & contra totius Ecclesiæ praxim : si enim in Germania nunc duo conjuges hæretici Ecclesiæ reconcilientur, quis credat, si vir triduo ante uxorem reconciliatus fuit, posse, postquam uxor etiam reconciliata est, petere divortium ab ea, eò quòd in hæresi permanserit triduo post viri conversionem ? Hoc certè inauditum est, & meritò petitio illa irridebitur. Non ergò sufficit hæresis præterita, ad hoc divortium intentandum ; nec id uspiam in jure invenitur concessum. Undè meritò hanc sententiam expresè tradiderunt Ioan. And. Anchar. Ioan. And. in d. cap. fin. de Convers. conjug. n. 2. & Anchar. ibidem n. 4. Sic Eminent. suprà n. 64.

503. *Oppositum docet Sanchez.* At verò Sanchez sup. n. 23. ait : Nec audiendi sunt Ioan. Andr. cap. fin. n. 2. & Anchar. n. 4. de Convers. conjug. limitantes hanc facultatem, concessam Catholico divertendi post sententiam, damnantem hæreticum : nisi correctio hæretici præcedat sententiam. Quare hoc discrimen constituunt inter fornicationem carnalem, & spiritualem : quòd ob illam, etiam præcedente emendâ adulteri, potest ferri sententia divortij : ob hanc verò minimè. Probant per cap. *Non solum*, 28. q. 1. & dicunt colligi ex eo cap. fin.

Probatur 1. Sed hæc limitatio, tamquam fundamento destituta, non est admittenda. Quia id cap. finale absolutam & liberam concedit facultatem Catholico, separato judicio Ecclesiæ ; & similiter cap. *De illa*, de Divort. Deindè : quia hoc divortium est pœna hæresis : at nullam aliam pœnam evitat hæreticus ante sententiam emendatus : cur ergò hanc evitabit ?

Secundò.

Nec cap. *Non solùm*, quod pro se allegat, probat aliquid : solùm enim docet D. Aug. Auctor illius, recedendum esse à conjuge in hæresi persistente. Quòd si indè à contrario sensu ducatur argumentum, ut redeundum sit ad hæreticum jam emendatum ; ut vim habeat id argumentum, & ne contraveniatur decisioni d. cap. fin. & d. cap. *De illa*, intelligendum est, donec sententia Ecclesiæ accedat, quâ existente, licitum erit Catholico divortium ; quàmvis emendatio hæretici sententiam præcesserit. Hucusque Sanchez. 504. *Resp. ad jus contrarium.*

Imò licitum erit divortium, tametsi à Pontifice, aut Inquisitoribus in foro conscientiæ fuisset absolutus. Quòd Lugo suprà, suppositâ veritate sententiæ Sanchez admittit ; si conjux Catholicus probare possit in judicio hæresim sui conjugis. *Licet divortium propter hæresim à Pontifice in foro conscientia absolutam.*

Ratio (inquit ille) est : quia separatio est quasi pœna hæresis, ob quam Catholico datur jus ad divortium, auctoritate Ecclesiæ faciendum : non est tamen merè pœna ; sed favor etiam mixtus, qui conceditur conjugi Catholico. Sicut etiam dotis amissio est pœna uxoris adulteræ ; sed simul est favor viri innocentis, ut dotem lucrari possit, & petere à Judice, ut eam sibi applicet ; quare licet uxor sponte comparens apud Judices, adulterium proprium confessa, impunitatem impetrasset ; non tamen censeretur derogatum juri mariti, ad lucrandam sibi dotem, & eam coram Judice petendam, si adulterium uxoris probare possit : nam impunitas concessa uxori non debet esse in præjudicium viri innocentis, cui ex lege jus datum est, ad dotem lucrandam. 505. *Probatur ex Lugone.*

Idem ergò dicendum videtur de hoc jure ad divortium, quod ita est pœna hæretici, ut sit favor lege concessus conjugi Catholico, cui in odium hæresis conceditur lege favor ille, ut possit Ecclesiæ judicio in perpetuum separari. Non est ergò hæc pœna, sicut confiscatio bonorum, quæ est in merum odium hæretici ; per accidens autem & consequenter provenit lucrum fisco, cui bona hæretico ablata applicantur. In nostro autem casu immediatè attenditur favor conjugis Catholici fugientis hæretici consortium, & in ejus favorem imponitur etiam hæc pœna conjugi hæretico, arbitrio tamen conjugis Catholici exequenda, si ad judicium Ecclesiæ recurrat : sicut amissio dotis uxoris adulteræ respicit immediatè favorem viri innocentis, & qui graviter ab uxore læsus fuit ; & ideò adulteræ imponitur etiam hæc pœna, si maritus eam à Judice petere voluerit. Sic ille. Et meritò. *Divortium ita est pœna, ut etiam sit favor.*

Si autem à me quæritur : an ipse reus, qui à conjuge deseritur post sententiam, possit ad Religionem, Ordinesve transire ? Respondeo : non potest ex se antecedenter talem mutationem facere : & si feciset, posset à conjuge revocari, & deberet cogi ad redeundum, teneretur que etiam reddere debitum quoad copulam conjugalem, non obstante Professione, aut sacro Ordine. Benè tamen post mutationem fa- 506. *An reus, qui post sententiam deseritur, possit transire ad Religionem.*

ctam ab altero conjuge; scilicet, Professionem emissam, vel Ordinem susceptum, posset quoque ipse reus (sed non tenetur) similiter statum mutare. Item posset de illius licentia, vel illo diligenter monito,& reconciliari recusante, absque eo quod propterea ipse innocens teneatur quoque mutare statum. In hoc enim eadem est ratio ac regula, sicut in mutatione ex causa adulterij. Nunquid etiam in condonatione ?

CONCLUSIO XV.

Divortium ex causa hæresis condonatur, non compensatur.

507. *Conjux Catholicus potest reconciliari hæretico.*

OMnes fatentur, posse conjugem Catholicum renuntiare suo juri, & reconciliari suo conjugi. Ratio est ; quia hæc pœna est mixta ex favore Catholici : quare sicut eo non petente divortium,non incurritur ipso facto; sic etiam eo remittente, omninò tollitur.

Primus modus, quo id fit. Lugo.

Potest verò Catholicus (inquit Lugo sup. n. 85.) multipliciter huic juri cedere : nam in primis, ante sententiam Ecclesiæ habet jus divertendi, donec hæreticus resipiscat ; & licèt aliquando habeat etiam obligationem discedendi, & tunc non possit renuntiare huic juri ; quia non potest obligare se ad non faciendum id, quod sub peccato facere tenetur : quia tamen aliquando potest quidem, sed non tenetur discedere, in ijs casibus potest renuntiare huic facultati, & obligare se ad non discedendum, saltem ante sententiam divortij. Potest item renuntiare juri, quod habet ad implorandum judicium Ecclesiæ circa divortium.

Secundus.

508. *Tertius.*

Potest denique post ipsam divortij sententiam prolatam renuntiare huic juri, & obligare se ad recipiendum conjugem, non obstante hæresi præteritâ, & sententia divortij prolatâ. Imò ante ipsam sententiam potest antecedenter renuntiare juri, quod per divortij sententiam acquiret, si fortè ipso non petente, vel etiam petente, proferetur : hæc enim omnia pacta non repugnant, cùm totum hoc jus sit concessum in favorem Catholici, & ejus voluntati subdatur. Ita Card.

An copula sponte habita sit condonatio. Arguitur pro parte negante.

Sed nunquid copula, sponte habita post nòtitiam hæresis, est condonatio, ita ut amplius non liceat divertere ? Videtur vera pars negans (inquit Sanchez sup. n. 26.) quia divortium hoc est pœna hæresis ; atque ita videtur, non posse expresse etiam remitti à Catholico, nedum tacitè per copulam. Sicut si conjux affinitatem contrahat cum altero conjuge,conjux innocens, petens ab eo debitum, non censetur remittere pœnam, quâ alter à debiti petitione ratione affinitatis arcetur; eò quòd nec expresse possit illam remittere.

509. *Distinctio Sanchez. Prima pars.*

Cæterùm sic distinguendum existimo. Si copula habita est ante sententiam, quâ hæreticus condemnatur,nullo modo est condonatio, nisi expressus animus condonandi adesset : condonandi, inquam, jus divertendi, quod post secutam sententiam competet. Quippè nondum jus divortij acquisitum est Catholico; ac proindè nil est,quod remittat : nisi expressus animus ferretur in jus futurum. Remissio enim ex natura sua ad præsens vel futurum debitum fertur. Ius verò recedendi ad tempus, quo pertinacia in hæresi durat, remittere nequit Catholicus, cum ratione periculi teneatur recedere.

Secunda pars.

Si autem is animus expressus adesset, valeret condonatio ; etiamsi solâ mente fieret ; nec expectaretur hæretici acceptatio, ut in fornicatione carnali. Nullam enim rationem discriminis quoad hoc invenio inter utramque fornicationem : cùm in utraque sit favor innocentis libertas divertendi, manente ligato hæretico : ac proindè, ut id Matrimonium restauretur, sufficiat Catholicum cedere jure suo.

510. *Resp. ad arg. pro parte negante.*

Nec obstat argumentum, ductum ex affinitate contracta : quia ea pœna ita est pœna, ut nullo modo sit in favorem alterius conjugis ; quare ipso invito potest, Episcopo dispensante, id impedimentum auferri. At in fornicatione carnali & spirituali, ita est pœna adulteri, ut sit etiam favor innocentis. Quod in adulterio carnali constat, & de spirituali probatur : indulgetur enim id divortium Catholico, ad cavendam infamiam facti, quam contraheret, habitando cum hæretico ; ut benè ait Sotus 4. dist 39. q. un. a. 4. ad 3. vers. *Si verò talis.* Undè ipso invito, nequit id impedimentum tolli.

Sotus.

511. *Tertia pars distinctionis.*

Quando autem copula adest post sententiam, si esset animus non condonandi, non esset condonatio, nec teneretur Catholicus revocare ad pristinam amicitiam illum hæreticum : nec fictio illa culpam venialem excederet, ut de fornicatione carnali.Si tamen esset animus condonandi, manifestum est ex proximè dictis,esse condonationem. Nec tunc requiritur distincta cognitio juris competentis ad divertendum; sed satis est, velle Catholicum revocare ad consortium conjugale illum hæreticum , oblivioni mandantem injuriam illam,&,quasi eâ postpositâ, velle amicitiam conjugalem:quia id est virtute omne jus, sibi competens ratione illius injuriæ, velle remittere. Et hoc,nisi errore ductus reconciliationem faceret, existimans se ad eam teneri : quia non esset spontanea. Ita Sanchez. Conformiter ad ea, quæ priùs docuerat de condonatione adulterij carnalis.

Quam differentiam hic agnoscat Sanchez inter fornicationem carnalem, & spiritualem.

Unam tantùm agnoscit differentiam inter utramque fornicationem ; utputa, si neuter animus adesset, nimirum nec condonandi, nec non condonandi ; tunc (inquit) quàmvis in adulterio carnali existimarem esse condonationem : at contrarium existimo in fornicatione spirituali : nisi ille nosset jus divortij, sibi competens, & per copulam condonari : tunc enim esset virtute condonare.

512. *Ratio hujus differentiæ.*

Sed quæ ratio, hujus differentiæ ? Ducor (inquit ille) quoniam in adulterio carnali ratio divortij est mera injuria illata innocenti, & carnis divisio ; ac proindè copulam & actus amicitiæ conjugalis, per quæ caro quasi divisa iterùm unitur, sequitur ex quadam necessitate naturali

naturali condonatio prioris injuriæ, ubi contraria intentio non reperitur. Et ideò non tam exacta notitia juris divertendi, & condonationis, sequentis prædictos actus, ac tam expressa condonandi voluntas desiderantur.

At in adulterio spirituali, non est ratio divortij injuria, alteri conjugi illata. Nam omnes subditi absolvuntur à debito fidelitatis servandæ hæreticis, cap. fin. de Hæret. in 6. cùm tamen illis nulla irrogetur injuria. Sed potissima ratio est; quòd in pœnam fidelitatis Deo debitæ, violatæ per hæreticum, absolvuntur subditi à fidelitate, ipsi hæretico debitâ, ut, in quo deliquit, puniatur; ac proindè actus copulæ & amicitiæ conjugalis non eam habent connexionem cum hujus juris condonatione, sicut in adulterio carnali: propterea quæ exigitur major notitia & expressior voluntas, ut condonationes sint. Sic ille.

713. *Pontius dicit, se discedere à Sanchio.* A quo profitetur se discedere Pontius lib. 9. c. 22. n. 5. dicens: Si copula habeatur post sententiam, jam censetur condonatio, & in foro externo ita præsumetur. Cùm enim ea separatio non tantùm inducta sit in pœnam hæresis, sed etiam in favorem Catholici; & ideò sit voluntaria Catholico, si ille velit divertere; si reverà jam copulatus est uxori post sententiam, cessisse videbitur juri suo, & ita judicandum est; quàmvis ipse Catholicus oppositum affirmet, juxtà ea quæ dicta sunt sunt sup. de innocenti, quando post adulterium copulatur adultero. Nam inter has duas species, nullum quoad hoc potest assignari discrimen; quàmvis assignare conetur Tho. Sanchez disp. citatâ in fine. Ita Basilius.

Sed reverà non discedit, juxtà Lug. Sed reverà (inquit Lugo sup. n. 89.) in hoc non discessit à Doctrina Sanchij, qui, ut ejus verba legenti constabit, nihil ibi dixit de præsumptione, & judicio faciendo in foro externo, sed solùm dixit, in foro interno esse differentiam, non tamen negavit in foro externo præsumi condonationem, & non credi conjugi affirmanti, se non habuisse animum condonandi.

514. *Lugo negat dictam differentiam Sanchez.* Interim ipse Card. n. 90. loquendo (inquit) de reipsa, verius mihi videtur, non esse quoad hoc differentiam in foro interno inter utrumque casum: quia etiam requiritur in conjuge innocente animus aliquis positivus condonandi adultero, sicut requiritur in Catholico ad condonandum hæretico: omnis enim condonatio debet constitui per voluntatem aliquam, cedentem juri præsenti vel futuro: in praxi tamen in utroque casu adest ille animus, dum non adest animus non condonandi; quia sicut verba habent ex se significare condonationem; atque adeò, qui dicit conjugi: *Condono tibi*, eo ipso habet voluntatem implicitam condonandi, si non habeat voluntatem contrariam: ita copula significat conjunctionem & amorem; quare sive fiat cum adultero, sive cum hæretico, significat reconciliationem & amorem, & ponit condonationem, nisi impediatur per voluntatem contrariam. Ita Eminent.

515. *Discrimen* Sed quis non videt discrimen inter copulam, & ly *Condono tibi*? Quippe loquens probè scit, per ea verba significari condonationem; & per consequens exactè novit jus divortij sibi competens. At verò habens copulam, potest ignorare per eam condonari hæresim. Præterea: copula illa haberi potest ob alium finem, quàm condonationis, scilicet generationem prolis; dicta autem verba non proferuntur, nisi ad condonationem, quæ expressè eis significatur. Hæc cogita. *inter copulam, & ly Condono tibi.*

Et attende ad id quòd dicit Sotus 4. dist. 39. q. un. a. 3. in solut. ad 2. ibi: Arguitur autem, quòd, saltem postquam ille, qui conversus est, infidelem conjugem cognoverit, non possit eam relinquere; ut patet ex similitudine à fornicatione carnali ductâ: si enim maritus uxorem, cujus adulterij conscius est, agoverit, non potest eam dimittere. Respondetur autem: exemplum non omninò convenire; quoniam culpa fornicationis carnalis per carnalem copulam conjugis censetur condonata; fornicatio verò spiritualis minimè. Sic ille. *Sotus asserit per copulam non condonari hæresim.*

Ubi expressè differentiam in hac condonatione agnoscit: imò videtur simpliciter negare condonationem fornicationis spiritualis per carnalem copulam, quam tamen Doctores communiter admittunt, licèt cum aliquibus differentijs.

In primis, ut valeat post sententiam; secùs ante, juxtà jam dicta: quàmvis Aversa neque hanc differentiam admittat, dicens sup. §. *Sed absolutè*: Et hæc reconciliatio non solùm verbis, sed etiam factis, præsertim per copulam ipsam perficietur, sive antè, sive post sententiam. Quia licèt ante sententiam non adhuc habeat jus divertendi; tamen potest ex tunc remittere jus, quod scit se posse per sententiam acquirere. Et sicut verbis remitteret, ita etiam copulâ: dummodò tamen adsit animus vel expressus vel virtualis condonandi; & dummodò non solùm aliquo externo signo promatur talis condonatio ex parte remittentis; sed etiam acceptetur ex parte delinquentis: & sic in omnibus, sicut diximus de crimine adulterij. Sic ille. 516. *Aversa decet oppositum, tam antè, quàm post sententiam.*

Sed quæro ego: quis est iste virtualis animus condonandi, qui sufficit cum copula ante sententiam? Siquidem fieri potest, ut Catholicus cum Sanchio existimet, per copulam ante sententiam non remitti jus, post sententiam obventurum, nisi adsit expressus animus. Censen' eo casu per copulam, sine expresso animo, fieri reconciliationem? 517. *Expenditur hæc sententia.*

Ergò quàmvis copula sit virtualis animus condonandi, quando habetur post sententiam cum cognitione tum juris divertendi, tum condonationis per copulam; haud equidem ante sententiam, nisi similiter nosset quis jus suum divertendi post sententiam, & existimaret, per talem copulam illud jus remitti. Iam autem in fornicatione carnali, cùm jus divortij perpetui competat innocenti ante sententiam, censetur per copulam ante sententiam juri suo cedere, suppositâ notitiâ tum hujus juris, tum condonationis per copulam, saltem aliquali, licèt non tam expressâ (ut placet Sanchio) quàm in fornicatione spirituali; quæ est secunda differentia,

etsi

etsi non ab Omnibus admissa, ut patet ex dictis.

518. *Hurtadus docet per copulam cum hæretico non condonari in futurum.*

Tertiam differentiam ex Hurtado refert Lugo sup. n. 91. quòd innocens, conscius adulterij carnalis sui conjugis, si copulam cùm eo habeat, eo ipso condonat in totum, nec potest posteà ei sui copiam negare : fidelis autem post sententiam divortij potest copulari conjugi, ob hæresim separato, quin condonet in futurum ; sed retento adhuc sibi jure ad divortium, quod cùm sit pœna ab Ecclesia inflicta, habet plures partes & tractum successivum : quare potest fidelis conjux condonare quoad unam partem, nempè quoad hanc copulam, retento sibi jure ad negandas alias. Sic ille.

Impugnatur.

Ast interrogo ego unum verbum : quid est condonare quoad hanc copulam ? Num aliud, quàm habere hanc copulam ? Et nonne conscius adulterij carnalis potest habere hanc copulam, retento sibi jure ad negandas alias ? Planè : quia, ut dictum est, potest habere animum non condonandi ; habere, inquam, si non licitè, saltem validè. Putas, quia divortium propter adulterium non sit pœna ? Cur ergò & ipsum non habeat plures partes, & tractum successivum, sicut divortium propter hæresim ? Expectabo responsionem.

519. *Catholicus scienter contrahens cum hæretico, non potest ob hæresim celebrare divortium, ex Lug.*

Interim subscribo, quod lego apud Lugonem sup. n. 95. Si conjux Catholicus scienter contrahat Matrimonium cum hæretico, sive obtentâ dispensatione Pontificis, sive etiam non obtentâ in ijs locis, in quibus ex consuetudine non est necessaria dispensatio. Quo casu, non occurrente novâ causâ, non credo, posse Catholicum petere in judicio divortium, ob solam conjugis hæresim : tunc enim locum videtur habere tacita saltem renuntiatio illius juris. Quia Catholicus, sciens conjugem esse hæreticum, & tamen volens eum in conjugem accipere, eo ipso significat, se velle cum eo cohabitare, etiamsi hæreticus sit ; alioqui frustrà cum eo contraheret, quem scit esse hæreticum, & nolle ad fidem converti : quare numquam ij divortium petunt, nec credo in judicio audiendos, si peteretur.

Nisi nova causa occurrat, & quæ ista.

Dixi tamen : *Non occurrente novâ causâ* ; si enim hæc occurreret, posset divortium intentare ; v. g. si Matrimonium contractum esset, præcedente ex parte hæretici promissione amplectendæ fidei Catholicæ, quam posteà explere nollet ; frangenti enim fidem in re tanti momenti, non esset obligatio servandi fidem : idemque esset, si alia promisisset in favorem fidei, nempe permittere usum liberum religionis Catholicæ suis subditis, vel suæ aut conjugis familiæ ; permittere, quòd filij baptizarentur à ministris Catholicis, & educarentur in religione Catholica, quæ posteà non observaret.

520. *Alia justa causa.*

Similiter esset justa causa, si conjugem Catholicum sollicitaret ad fidem deserendam, vel non sineret liberè & pacificè ritu Catholico vivere. Imò quoties conjux Catholicus non solùm posset, sed deberet ab hæretico discedere, propter periculum proximum perversionis ; promissio etiam explicita præcedens non divertendi nullo modo obligaret ad cohabitandum : promissio enim de re alioqui illicita nullius est valoris, ut constat ; cùm nemo possit validè se ad illicita obligare : quare etiamsi scienter cum hæretico contrahat Matrimonium, semper intelligitur excluſus casus ille, in quo, seclusâ promissione, non possit licitè apud conjugem hæreticum manere. Hucusque Eminent. Per omnia benè.

521. *Quid si hæreticus contraxerit cum hæretico ? Non renuntiavit juri suo, juxtà Lug.*

Sed quid, si hæreticus contraxerit cum hæretico scienter & omninò voluntariè, nunquid conversus potest divortium petere, si alter nolit converti ? Affirmat. Card. sup. n. 93. Et si objicias ei juris sui renuntiationem per ipsum contractum. Respondet n. 94. in eo Matrimonij contractu non intelligi explicitam vel implicitam renunciationem separationis. Nam in primis non adest renuntiatio explicita ; cùm tunc temporis conjux nullum habeat tale jus, quod renuntiet, nec habiturus sit, donec ad fidem convertatur.

Probatur à simili, non renuntiasse implicitè.

Nec etiam est implicita renuntiatio : imò videtur esse retentio implicita talis juris futuri, si quando erit ; sicut enim contrahens sponsalia de futuro, & promittens Matrimonium, semper intelligitur reservare sibi facultatem ingrediendi Religionem, atque adeò promittere solùm sub conditione, nisi Religionem ingrediar : sic conjux hæreticus, contrahens Matrimonium cum hæretico, videtur à fortiori reservare sibi facultatem divertendi, si ad religionem Catholicam ipse solus transierit, atque adeò obligare se ad cohabitationem & torum sub conditione implicita, nisi ad religionem Catholicam transiero, & divortium in judicio obtinuero adversus conjugem, in hæresi persistentem : magis enim necessarius est ipsi transitus ad religionem Catholicam, quàm sponso transitus ad vitam religiosam ; quare minùs videtur comprehendi casus ille, quàm iste in illa obligatione generali. Ita Lugo.

522. *Oppugnatur simile.*

Sed contrà : sponsalia nullo casu sunt tacita renuntiatio privilegij ingrediendi Religionem ; cùm Ecclesia expresse concedat ipsum sponsis. At verò contractus Matrimonij potest esse tacita renuntiatio juris divertendi ; ut patet, dum Catholicus contrahit cum hæretico, ut statim dictum est ex ipso Lugone. Ergò simile, desumptum ex sponsalibus, nimiùm claudicat.

An hæreticus judicio Ecclesiæ possit divertere ab hæretico.

Et siquidem hæreticus, contrahens cum hæretico, habeat actuale jus divertendi ; patet, quòd hæc doctrina Card. non subsistat. Scio hoc ab ipso negari ; sed Alij affirmant. Id ergò manet probandum. Probandum, inquam, est, hæreticum judicio Ecclesiæ non posse divertere ab hæretico ; sed id tantùm concessum esse Catholico.

523. *Pars negans probatur 1.*

Probat autem ipse n. 75. Primò, ex juribus sup. citatis, quæ loquuntur de discessu conjugis Catholici ab hæretico, ut inspicienti textus, & expendenti verba, clariùs apparebit.

Secundò.

Probat secundò, ex ratione : quia inutilis esset lex, concedens hæretico talem facultatem ; quia ipse judicium Ecclesiæ numquam requiret

Ecclesiam, cùm sit excommunicatus, non audiretur tamquam actor ; sed repelleretur ab agendo.

524. *Tertia probatio.* Denique probatur : quia hoc divortium non tantùm est pœna, sed etiam favor ; non est autem fundamentum, ut dicamus, Ecclesiam hunc etiam favorem conjugi hæretico concessisse adversus conjugem hæreticum.

Porrò hâc doctrinâ concessâ, sequitur : si uterque conjux in hæresi permanet, sive uterque, sive alter solus damnatus sit de hæresi, neutrum posse petere divortium ab altero ob hæresim ; quia scilicet hoc jus petendi divortium ab hæretico solùm invenitur concessum conjugi Catholico : quare eo casu (inquit Lugo sup. n. 98.) datur compensatio, in hoc sensu, quòd neutri, permanenti in hæresi, conceditur jus petendi divortium. *Lugo.*

525. *Partem affirmantem docet Sanchez.* Oppositum docet Sanchez sup. disp. 16. n. 4. Existimo (inquit ille) compensationem minimè dari, si uterque conjux in hæresim lapsus sit : atque ita, qui hæresis non est damnatus, poterit omninò divertere à damnato, & reconciliato : hic autem minimè ab illo, nisi ad tempus, dum non resipiscit, donec condemnetur. Quia in condemnato invenitur sufficiens causa divortij perpetui ; in non condemnato autem solùm ad tempus. Si autem uterque hæresis damnatus sit, integrum erit utrique, altero invito, divertere, donec mutuo consensu ambo ad pristinum Matrimonij statum & amicitiam redeant. Sic ille.

526. *Probatio.* Et probat : quia non sicut inter duo adulteria utriusque conjugis datur compensatio, ita inter hæc delicta hæresis. Nam divortium ratione adulterij est prorsus in favorem conjugis innocentis, ita ut ipse solus hanc pœnam adultero infligere possit. Quare ubi alter non est innocens, eo privilegio minimè gaudet. At in hæresi non datur divortium principaliter & directè in favorem alterius conjugis ; sed in pœnam delicti, eò quòd debitam fidem hæreticus non servaverit Deo, punitur in eo, in quo reus fuit ; & ita absolvitur alter à fide conjugali, ipsi debitâ ; quàmvis indirectè & consecutivè ea pœna cedat in alterius favorem. At eò quòd alter conjux eamdem pœnam incurrerit, non eximitur prior à pœna, in quam semel incidit. Nullibi enim cautum invenitur, ut jus, per pœnam amissum, recuperetur, altero obnoxio ejusdem pœnæ ; sed uterque pœnâ illâ punietur.

Confirmatur. Nec illa pœna imponitur ab altero conjuge, ut contingit in adulterio carnali, in quo pœna divortij, & privationis juris debitum exigendi, imponenda est ab innocente : sed imponitur ab ipsa Ecclesia, independenter à voluntate alterius conjugis. Quàmvis possit alter eam remittere, reconciliando sibi conjugem damnatum. Ita Sanchez, & Alij.

527. *Quid dicendum ad arg. contraria.* Quid ergò ad argumenta Lugonis ? Iura loquuntur in casu particulari, Pontifici proposito. Interim, eadem est ratio separationis hæretici ab hæretico ; scilicet, jam assignata ; quòd debitam fidem non servaverit Deo, quæ ratio non cessat ex hoc, quòd ambo conjuges sint hæretici.

Neque oportet, ut quisquam eorum adeat Ecclesiam ; sed ipsa per se potest damnare & hunc & istum, id est, declarare utrumque esse hæreticum, habitâ sufficienti hæresis probatione. Quo facto, jam uterque, secundùm Sanchez & Alios, habet jus divertendi ; quia uterque in pœnam suæ infidelitatis est privatus jure cohabitationis. Et quàmvis hæc privatio sit indirectè aliquis favor ; attamen principaliter est pœna. Non est ergò fundamentum, ut dicamus, Ecclesiam voluisse infligere hanc pœnam conjugi hæretico, estò inde redundet aliquis favor in conjugem hæreticum ; quia hic favor non est principale intentum Ecclesiæ.

528. *Solutio objectionis.* Hinc si dixeris : jam delicta esse paria ; ac proindè mutuâ compensatione aboleri. Respondet Sanchez sup. n. 5. tunc paria delicta mutuâ compensatione aboleri, quando pœna delicto correspondens est directè & principaliter inflicta in favorem alterius. Sic ille.

Pontius putat, hic non esse locum compensationi. Et Pontius sup. c. 22. n. 6. putat : si uterque lapsus fuerit in hæresim, non esse compensationi locum. Quia (inquit) jura tantùm concedunt conjugi Catholico, ut possit alium emendatum repetere ; non autem concedunt conjugi nocenti. Cùm ergò uterque nocens fuerit, neuter habet jus repetendi alterum ; sicut habet, quando uterque commisit adulterium. Cujus diversitas nascitur ex eo, quod dicebamus ; quia injuria in adulterio fit directè Matrimonio : at crimen hæresis non infert injuriam conjugio ; & ita non sequitur, ex crimine utriusque nasci jus in alterum, aut compensatam injuriam, ad repetendum alium ad usum Matrimonij. Sic ille.

529. *Neque dari compensationem adulterij carnalis cum spirituali.* Qui ibidem cum Sanchio & Alijs asserit, non dari compensationem adulterij carnalis cum spirituali. Et in primis (inquit) si unus ex eis commiserit adulterium ; alius verò lapsus fuerit in hæresim ; adulter ante sententiam non potest ab hæretico divertere ; cùm ante sententiam nullum sit jus divertendi, quod compensari possit. At hæreticus potest divertere ab adultero ; cùm ex ejus peccato quæsitum sit jus innocenti in eo crimine, saltem quando notorium est adulterium. Si verò loquamur, postquam jam hæreticus condemnatus est, existimo, neque adulterum teneri recipere hæreticum reconciliatum, neque hunc teneri admittere adulterum ; cùm sint hæc crimina diversæ rationis. Et quàmvis crimen hæresis longè sit adulterio gravius : attamen in ordine ad Matrimonium, magis pugnat conjugium cum adulterio, quàm hæresis, majorque injuria Matrimonij est. Ita Basilius

530. *Idem docet Sanchez, &* Post Sanchium sup. n. 3. ubi probat hæc crimina esse diversæ rationis. Quia in carnali fornicatione est ratio, fides violata, &

probat hæc crimina esse diversæ rationis.

caro in aliam divisa: in spirituali autem, quòd in pœnam hæresis damnatæ absolvatur Catholicus à debito fidelitatis. Si ergò Catholicus adulter petat divortium ratione hæresis damnatæ, non poterit hæreticus, quasi compensatione utens, objicere illi fidem violatam conjugij per adulterium. Non enim adulter tuetur se, quò divortium velit, violatione fidei conjugalis alterius, ut vel sic possit alter allegare eamdem fidei violationem adulteri petentis divortium. Sed intendit divortium, eò quòd hæreticus justâ sententiâ illo damnatus sit, in pœnam sui delicti. Adulterium verò alterius non tollit pœnam hæretici.

531. *Simile.*

Sicut, si dominus hæresis damnatus peteret debitum fidelitatis à vasallo; & hic responderet, se ab eo absolutum esse propter hæresim; nil conferret objectio domini contrà hanc exceptionem vasalli, quod ipse vasallus à fide contractûs defecisset. Quia absolutio illa à debito fidelitatis non consurgit ex fide aliquâ homini præstitâ, violatâque; sed in pœnam hæresis. Atque ideò Catholico adultero, rejectâ exceptione adulterij, allegatâ per hæreticum, erit licitum divortium.

Applicatur propositio.

Similiter, si hæreticus damnatus, & jam Ecclesiæ gremio restitutus, petat divortium propter adulterium Catholici, nil ad rem facere videtur, si Catholicus illi opponat exceptionem pœnæ divortij, quam propter hæresim incurrit. Pœna enim conjugis hæretici non eximit Catholicum à pœnâ adulterio debitâ. Deinde: quia cùm divortium hoc comitetur injuriam, tamquam pœna ex illa consurgens: sicut injuria, irrogata per hæresim, non compensatur injuriâ adulterij; illa enim Deo infertur, cui debita fides non servatur; hæc autem homini, nimirum alteri conjugi, violando fidem conjugij; ita nec compensantur divortia inde consurgentia. Hucusque Sanchez.

532. *Quomodo hanc rem explicet Card.*

Sed his omissis Card. sup. n. 101. sic explicat hanc rem. Compensatio, inquit, ex natura sua tendit, ut is, qui compensatione utitur, habeat id, quod suum est, vel quod sibi debetur. Hâc enim ratione licita est compensatio occulta, cum certis conditionibus; quia hoc pacto creditor obtinet, saltem in æquivalenti, id, quod sibi debetur; & ideò disp. 15. de Just. sect. 3. n. 44. dixi, non esse locum compensationi in detractatione famæ; ita ut possis non restituere famam, Petro injustè ablatam, quamdiu ipse non restituit famam tibi, quam injustè abstulit. Quia nimirum retentio famæ alienæ non facit ullo modo, quòd recuperes tuam, saltem in æquivalenti; quare non potest illa esse propriè compensatio.

533. *Non apparet, quomodo hic possit esse propria compensatio.*

Similiter in casu nostro non apparet, quomodo possit esse propria compensatio: nam vir uxoris adulteræ v. g. ex adulterio uxoris acquisivit quidem jus ad divortium, seu ad negandum ei debitum conjugale: postea uxor, ex hæresi mariti, acquirit etiam jus ad petendum divortium, post cujus sententiam non teneatur reddere marito petenti debitum conjugale. Uterque autem conjux habet suum jus ad divortium; & neuter alterum impedit, quòd illud habeat.

Pro quo ergò debito volunt sibi compensare? Uxor enim habet suum jus ad petendum divortium, & negandam copulam post sententiam; quod jus maritus illi nec aufert, nec negat; si ergò uterque habet, quod suum est, quorsum est compensatio? Appellari potiùs deberet quædam quasi permutatio, quâ singuli cederent jure suo. Permutatio autem non fit, invitis permutantibus; nec lex ipsa, sine eorum consensu, permutationes facit; sed sinit singulos jura sua possidere. Hactenùs Emin.

534. *Non est eadem ratio compensationis inter adulteria.* Lugo.

Verùm enimverò eadem ratio videtur procedere in compensatione, quæ fit inter adulteria utriusque conjugis. Respondet Lugo sup. n. 103. differentiam magnam esse. Jus enim (inquit) quod conjux habet ad divortium, ob adulterium sui conjugis, fundatur in ipso contractu Matrimonij, & in obligatione mutua utriusque conjugis in ordine ad individuationem corporum, ut sint duo in carne una. Cui obligationi deficit adulter, atque adeò indignus redditur, cui fides servari debeat; frangenti enim fidem in contractu fides non debet servari.

Hinc innocens acquirit jus, ad non servandam fidem adultero; manente tamen vinculo Matrimonij, & obligatione radicali, quæ dissolvi non potest; & ideò potest ab adultero divertere; quia non debet ei servare fidem cohabitationis & tori promissi. Quando verò idem innocens adulteratur, non potest ampliùs uti jure ad divortium; quia jam usurpavit sibi, & quidem modo illicito id totum, ad quod acquisierat jus: habebat quippe jus ad frangendam seu non servandam fidem quoad corporis individuationem: id autem totum per proprium adulterium jam sibi usurpavit: quare si ulteriùs pergeret, non tradendo corpus conjugi petenti, vellet jam ultrà id, ad quod habebat jus.

535. *In quo sensu dicantur compensari.*

In hoc ergò sensu dicuntur adulteria mutua compensari in ordine ad divortium; quia extinguunt vel impediunt jus ad divortium: nam primus adulter nullum acquirit jus ad divortium ex adulterio secundi adulteri; quia cùm ipse non servaverit fidem, non est facta ei injuria talis à secundo, ut dederit jus ad divortium. Secundus etiam non retinet ampliùs jus, quod acquisierat ex adulterio conjugis ad divortium; quia jam fregit ipse etiam fidem, & usus est jure, quod habebat ad non servandam fidem, licèt modo illicito: quare cùm vinculum Matrimonij manserit insolutum, obligat utrumque quoad torum & cohabitationem, cessante impedimento, quod hanc obligationem anteà impediebat. Ita Eminent.

Objectio.

Sed fallitur, reponit quispiam; si putet, nullam fieri injuriam primo adultero per adulterium innocentis; quamvis enim hic utatur jure suo, negando debitum adultero; secùs adulterando sive tradendo corpus suum alteri; ad quod nullum omninò acquisivit

jus

jus per primum adulterium ; unde adulterando non utitur jure suo ; sed reverà facit contra jus adulteri, qui licèt per suum adulterium amiserit jus ad copulam ; nullatenùs tamen jus, quod anteà habebat, ne conjux alteri copularetur. Cur ergò uterque adulter non posset habere jus negandi copulam ; sicut dum unus est adulter, & alter hæreticus ?

536. *Solvitur.* Quia, inquis, hæreticus ex adulterio conjugis Catholici acquisivit jus quasi ex contractu, ad non servandam fidem, & debitum conjugale negandum, propter fidem sibi non servatam, quod jus retinet integrum, licèt labatur in hæresim ; quia per hæresim adhuc non negavit aliquid conjugi promissum, ad quod negandum acquisierat jus ex conjugis adulterio ; ergò potest adhuc petere divortium ab adultero.

Rursùs : adulter ex hæresi sui conjugis acquisivit jus ad petendum divortium, non ob violatam fidem sibi datam ; sed in pœnam hæresis, cui talis pœna ab Ecclesia constituta est. Nec potest ei opponi, quòd ipse etiam sit adulter : fatebitur enim se eâ de causâ dedisse jus conjugi, ut ab eo diverteret, nec posse eum ad cohabitandum cogere ; posse tamen se petere, ut patiatur etiam ipse pœnam lege statutam, ne scilicet possit eum cogere ad habitandum cum ipso.

537. *Declaratur res exemplo.* Exemplum poterit esse ad hoc declarandum : si Titius conduxit famulum ad obsequium annuum, & famulus fidem contractûs violet, poterit Dominus fidem pretij promissi non servare, vel poterit etiam famulum cogere, ut stet promissis, & serviat. Rursùs : si Dominus postea in hæresim incidat : tunc famulus poterit petere, ut declaretur absolutus ab obligatione serviendi Domino hæretico : non tamen poterit cogere Dominum hæreticum, ut solvat pretium promissum.

Ecce uterque retinet suum jus, Dominus ad non solvendum pretium, ob fidem contractûs non servatam : famulus ad non serviendum ; quia habet jus, ut declaretur solutus ab obligatione famulatûs, propter hæresim Domini : nec dabitur compensatio ; sed uterque jus suum retinet, Dominus ex fide contractûs violata, famulus ex pœna à lege statuta, quæ duo jura habent diversum objectum : nam jus Domini habet pro objecto retentionem pretij promissi ; & jus famuli habet pro objecto negationem promissi famulatûs ; & ideò non sese mutuò extinguunt ; quia potest utrumque jus simul manere ad objecta omninò diversa.

538. *Applicatur propositio casus.* Sic in casu nostro, conjux hæreticus habet jus, ob fidem sibi ab adultero non servatam ; adulter etiam habet jus, ob pœnam hæresi constitutam : quæ duo jura possunt simul remanere, nec sese extinguunt ; quia habent objecta diversa : nam hæreticus habet jus, ad negandum suum corpus conjugi adultero, propter fidem contractûs non servatam : adulter verò habet jus, ut declaretur absolutus à debito reddendi suum corpus hæretico : illa autem duo corpora sunt objecta diversa : quare singuli possunt retinere jus ad negandum suum corpus conjugi, sine eo quòd illa duo jura sese invicem extinguant. Usque adhuc Card. Satis diffusè, si satis efficaciter. Tu cogita.

Compensatio inter duo adulteria videtur esse juris positivi. Sanè, dicet aliquis ; tametsi videam, non esse necessariam compensationem inter adulterium & hæresim ; haud equidem clarè intueor necessitatem compensationis inter duo adulteria, secluso jure positivo, quo hæc compensatio statuta est. Et ideò ad hoc jus recurrit Aversa sup. §. *Potius*, dicens : Potiùs tamen ex capite hæresis neganda est omnis compensatio, ut defendunt Sanchez lib. 10. disp. 16. & Pontius lib. 9. c. 22. n. 6. Etenim in jure statuta non est talis compensatio inter ambos conjuges hæreticos ; vel unum adulterum, & alterum hæreticum ; sicut inter ambos adulteros. Et ratio etiam diversa est : quia divortium, ex causa adulterij, conceditur simpliciter in favorem conjugis innocentis ; quo favore gaudere non debet conjux, pariter adulterij reus. Sed divortium ex causa hæresis, propter infectionis periculum, statutum est in pœnam & supplicium delinquentis ; à qua proindè pœna non eximitur ipse delinquens ex delicto alterius, sive delicto hæresis, sive adulterij. Sic ille. *Aversa. Sanchez. Pontius.*

539. *Judicium Auctoris.* Ego dico (salvo meliori) si Ecclesia nihil statuisset circa ambos adulteros, fortè uterque habuisset jus ab altero divertendi ; quippè hoc divortium non ita est favor, quin etiam sit aliqualiter pœna. Et quàmvis adulter non debeat gaudere illo favore, quin possit eo privari, sicuti & ab Ecclesia meritò privatus est : equidem undè constat, quod non posset eo gaudere, & quod non gauderet, seclusâ lege Ecclesiæ ? Reverà ambo fregerunt fidem Matrimonialem ; atque adeò uterque dignus est privari debito conjugali in pœnam sui delicti ; imò ipso facto videtur privatus ; quia hæc privatio, sive sit favor, sive pœna, per se sequitur adulterium, seu peccatum adulterij. Et uterque est verus adulter.

540. *Probatur dari compensatio inter adulterium & hæresim.* Ex altera etiam parte videtur dari compensatio inter adulterium & hæresim ; quia duo debita ejusdem rationis compensantur, quàmvis injuriæ, ex quibus promanant, non compensentur, sintque diversissimæ. Ut, si debeam Petro mille, ratione furti à me perpetrati ; & ille totidem mihi in satisfactionem injuriæ corporalis, quam mihi intulit, aut eò quòd patrem meum interfecerit.

Resp. Card. Respondet Card. sup. n. 102. debita quidem, undecumque proveniant, posse compensari ; quia retinens centum, quæ debes Petro ex contractu, recuperas centum, quæ ipse debet tibi ex delicto : at in casu nostro neuter conjux debet ; sed potiùs per jus ad divortium desinit esse debitor reddendi copulam : ad quid ergò indiget compensatione ? Rursùs : si quid viro v. g. debetur, ob adulterium uxoris, est quòd uxor non possit eum cogere ad cohabitationem & torum : hoc autem non acquirit, sed perdit ; si compenset posteà adulterium cum sua hæresi : ergò non est locus compensationi,

per quam neuter acquirit ; imò perdit id, quod sibi debebatur. Sic Eminent.

541. *Eadem est responsio Sanchij.* Et ante ipsum Sanchez sup. ubi sic ait : In debitis est aliquid necessariò tradendum creditori ; & cum idem creditor mihi tantundem tradere teneatur, datur inter hujusmodi debita compensatio. Frustrà enim petitur, & esset circulus inutilis, quando aliquid statim restituendum est ; l. *Dolo*, ff. de Doli mali except. *Dolo facit, qui petit, quod redditurus est.* Et Reg. 59. de Reg. juris in 6. *Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem.* At in divortio nil tradendum est alteri ; sed solùm reus amittit jus petendi debitum, & habitationem mutuam, manente illæso jure innocentis, potentis reum invitum sibi reconciliare. Quare ubi injuriæ, ex quibus divortia manant, sunt diversæ rationis, diversisque illatæ ; sicut inter illas non datur compensatio, ita nec inter divortia. Ita Sanchez.

l. 8. ff. de Doli mali except. Reg. 59. in 6.

542. *Probatur exemplo sponsalium.* Probat exemplo sponsalium : Si uterque (inquit) conjux habeat justam causam dissolvendi sponsalia ; at causæ sint diversæ rationis, non dabitur compensatio ; sed utrique integrum erit altero invito resilire. Ut, si sponsa fornicata sit ; sponsus autem leprâ laboret. Sponsæ enim, fidem petenti, obstabit propria fornicatio : sponso autem, lepra, ob quæ neuter fide sponsalium stare tenetur, cùm ob diversas rationes uterque jus cogendi alterum amiserit. Sic ergò contingit in præsenti, cùm uterque conjux jus cogendi alterum, ob diversæ naturæ rationes perdiderit, liberum erit utrique divertere ; nec dabitur hinc inde compensatio. Ita Sanchez.

Quid ergò, si uterque conjux fieret pauper, qui anteà erat dives ? Quid si uterque fornicaretur ? Censen', quia uterque maneret obligatus ad contrahendum Matrimonium ? Vide quid respondeas. Et transi mecum ad aliam causam divortij ; scilicet, scandalum, seu pertractionem ad peccatum, de qua instituitur

CONCLUSIO XVI.

Scandalum est justa causa divortij temporalis.

543. *Tripliciter dicitur fornicatio. ex D. Bonav.* EXordiar hanc Conclusionem cum verbis Doct. Seraphici 4. dist. 39. in Expos. lit. n. 4. *Dicendum, quòd non est concessum propter fornicationem fieri Matrimonij divisionem, nisi eatenùs, quatenùs per illam fornicationem alter laditur vel offenditur, qui est matrimonio copulatus. Secundùm hoc nota ; quòd fornicatio tripliciter dicitur, propriè, communiter, communissimè. Propriè dicitur fornicatio esse peccatum circa actum carnis ; utpote, quia coït cum non sua, vel non suo. Communiter dicitur fornicatio in Scriptura idololatria, per quem modum Prophetæ ipsos idololatras meretricibus fornicarijs frequenter comparant, sicut patet 1. Paralip. 5. &c. Communissimè dicitur fornicatio, omnis concupiscentia inordinata, quatenùs offenditur Deus, & relinquitur.*

544. *Quando propter eam possit fieri divortium, ex eod.* *Prima fornicatio non potest fieri ab uxore scienter, quin fiat injuria viro, & ideò per illam potest fieri divortium, etiam pro unico solo actu, si possit probari, etiam quantumvis fornicans pœniteat. Secunda verò tunc est in injuriam conjugis, quando conjux in illa perseverat ; quia tunc est via ducendi ad corruptionem ; & ideò per illam potest fieri separatio, si conjux nolit pœnitere. Si autem vult pœnitere, & redire, non potest repudiare eam. Fornicatio tunc est in damnum conjugis, quando dat ei occasionem scandali ; ut quando non vult cum eo quietè vivere, nisi consentiat malè facere, & tunc potest eam dimittere, vel quantùm ad torum, vel quantùm ad cohabitationem, non simpliciter, si ambo sint fideles.*

Et per istum modum sunt intelligendæ auctoritates ad hoc inductæ. Nam propter alia genera peccatorum non potest dimittere, nec quantùm ad torum, nec quantùm ad cohabitationem, nisi præsent magnam occasionem ruinæ, & vehementer timeatur de lapsu, tunc enim licet dimittere ; sic dicitur hic, & dicitur 25. q. 1. & Matth. 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. *Glossa :* In manu & in oculo dextro possunt accipi frater, uxor, & propinquus, *qui alias non debent dimitti, sed debent corrigi ; ut ext. de Divort.* Quæsivit, & *infrà : Mulier pro furto vel alio crimine viri sui, nisi religionem suæ fidei corrumpere velit, ab eo separari non debet.* Hucusque D. Bonaventura.

545. *Probatur Conclusio.* Ubi in terminis docet nostram Conclusionem. Cujus ratio in promptu est : quia unusquisque plus debet consulere propriæ saluti spirituali, quàm quibuscumque alijs rebus, vel humanis commodis & obligationibus. Quando ergò unus conjux scandalum ab altero patitur, conante eum inducere in aliquod mortale peccatum, justè & piè poterit ac debebit ab illa recedere, ut suæ saluti consulat. Et sanè, si licitum est à conjugis consortio recedere ; quando periculum infectionis corporalis imminet ; quantò magis, dum imminet infectio spiritualis ? Nonne anima præstat corpori ?

Quare potiùs licet divertere ob hæresim quàm alia crimina. ex Sanchez. Quare (inquit Sanchez lib. 10. disp. 16. n. 5.) cùm, conjuge hæresim aut aliam sectam amplectenti, id infectionis periculum regulariter immineat : quale rarò contingit, conjuge alijs criminibus infecto. Naturâ enim inditum est, ut quisque ad suam sectam alios pertrahere tentet, cùm existimet id ad animæ salutem necessarium esse, nedum conjugem, cui tantâ familiaritate & amore conjunctus est. At à cæteris sceleribus, quibus conjux inquinatus est, conjugem cæterosque domesticos potiùs avertere contingit. Id enim ad regimen domesticum & propriam incolumitatem valdè conducere non immeritò putat. Indè est, ut cap. 2. de Divort. concedat divertere ob hæresim, non tamen ob alia crimina. Verba textûs vide sup. apud D. Bonav. in fine.

Quamobrem (prosequitur Sanchez) si periculum 546.

Differentiam colligit hic Auctor ex c. 2. de Divort.

riculum infectionis ex alijs conjugis ſceleribus emergeret, eadem divertendi facultas concedenda eſt. Quare eam differentiam colligo ex hoc textu inter hæreſim, & alia crimina, ut in illa non expectandum ſit, ut hæreticus conjux Catholicum pervertere nitatur; ſed eo exiſtenti in ſua pertinacia, licet Catholico recedere: quia id periculum in promptu eſt. At in his expectandum ſit, ut conjux vitijs deditus, ad ea inducere moliatur; id enim periculum rarò evenit. Sic ille.

An rectè.

Aſt ego eam differentiam ex d. cap. nequeo colligere: imò potiùs oppoſitum primæ partis colligo. Nam poſt verba ſuperiùs citata, ſequitur immediatè: *Verum ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit ſeparari.* Ubi Pontifex ad ſeparationem videtur requirere, ut ſaltem attentaverit conjugem ſuam ad infidelitatem trahere, ſive ſecutus fuerit effectus, ſive non.

547. *Abulenſis putat propter ſollicitationem ad alia crimina non poſſe fieri divortium.*

Rogas: quæ ergò differentia inter infidelitatem & alia crimina? Abul. cap. 19. Matth. q. 70. putat, propter ſollicitationem ad alia crimina, non poſſe fieri divortium: nam in reſponſione ad 3. habet ſequentia verba: Dicendum, quòd iſta habent auctoritatem à jure, quia ſunt poſitiva; ideò non poſſumus aliud aſſerere, ubi ſcriptum non invenimus, maximè in pœnalibus: & ideò licèt ſit aliqua ſimilitudo vel identitas rationis, non audemus idem aſſerere; potiſſimùm, cùm jus hoc videatur exprimere ext. de Divort. cap. *Quæſivit.* Et ita ſi in hoc crimine (infidelitatem intellige) vir ſollicitet uxorem, conceditur divortium; ſi in alijs autem ſollicitat, non conceditur. Ratio videtur; quia iſtud crimen eſt periculoſius; cùm errare in fide, ſit errare in toto; quia fides eſt fundamentum. De cæteris ergò vitijs, licèt vir ſollicitet mulierem ad illa, non conceditur divortium, ne detur occaſio faciliter diſſolvendi omnia Matrimonia. Sic ille.

Ratio ejus.

548. *Docet præterea, neceſſariam eſſe ſollicitationem ad hæreſim.*

Qui in eadem quæſtione docet, neceſſariam eſſe ſollicitationem ad hæreſim; atque adeò divortium non eſſe licitum, quando hæreticus ſine contumelia Creatoris vult cohabitare. Exemplo infidelis, à quo fidelis non debet diſcedere, quando ipſe ſine contumelia Creatoris vult cohabitare.

Equidem, ut jamjam dixi, ſollicitatio videtur colligi ex ipſis verbis textûs. An autem loquatur Pontifex de ſeparatione juris Divini ac naturalis; an verò de ſeparatione ſolius juris poſitivi pœnalis, idque perpetuâ, non ſatis conſtat: Abulenſis, ut audivimus, intelligit de ſeparatione poſitiva & pœnali; ac ideò negat extendendam ad alia crimina. Concluſio noſtra loquitur de divortio temporali ex lege naturali & Divina, quæ præcipit primùm quærere regnum Dei; atque adeò ea vitare, quæ nata ſunt à regno Dei excludere.

549. *Caſuiſti rationi Abulenſis.*

Et quamquam infidelitas ſeu hæreſis crimen periculoſius ſit, & propterea ſufficiens judicatum à Pontifice, ut conjux ad illud ſollicitans, etiam ſecluſo periculo proximo perverſionis, pœnâ divortij plecteretur; haud ideò negari debet periculum proximum aliorum criminum eſſe cauſa ſufficiens divortij temporalis; ſcilicet pro illo tempore, quo hujuſmodi periculum durat, non ex jure aliquo poſitivo humano, ſed Divino & naturali.

Catholicus poteſt divertere, etſi hæreticus eum non ſollicitet, ex Averſa.

Ideò Pontifex (inquit Averſa ſup. ſect. 10. §. *Secundò*) ibi ſpecialiter dixit: quando alter fidem corrumpere tentat: quia regulariter hæreticus contendit inficere alios; ſed non ſic ſolent alij criminoſi. Sed etiamſi hæreticus non conetur pervertere conſortem, hic poteſt ab illo recedere, ut alijs juribus expreſſum eſt. Sic ille. Jura iſta ſunt cap. *De illa*, eod. & cap. fin. de Converſ. conjug. in quibus nulla fit mentio ſollicitationis, ut patet ex verbis alibi relatis.

550. *Similiter poteſt divertere, qui ſollicitatur ad alia crimina.*

Concludendum ergò abſolutè eſt (proſequitur idem Auctor) conjugem ſollicitatum ab altero ad peccatum, ideoque in peccandi periculo conſtitutum, non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri ab illo recedere, ne in tali periculo maneat. Quod ſi moraliter ſe ſatis ſecurum exiſtimet, firmus ad non conſentiendum; ſic dari poteſt caſus, ut in rigore quidem non obligetur; tamen adhuc juſtè & licitè recedere poſſit: quia nimis durum & odibile eſt, tolerare tales ſollicitationes ad peccatum, & quia aliquale ſaltem periculum adeſt. Neque in hoc habebit locum compenſatio, nec reconciliatio aut condonatio; quia ſemper prævalet propriæ ſalutis debitum. Quare etiam poſt conſenſum in copulam, ac etiam poſt expreſſam reconciliationem & condonationem, poterit conjux denuò ſollicitatus à ſollicitante divertere. Ita Averſa.

An pro ſemper? Negat Sanchez.

Nunquid pro ſemper? Negat Sanchez ſup. n. 14. quia ex jure Eccleſiaſtico non conſtat, ubi hoc divortium perpetuum concedatur. Id enim eſt ſpeciale in hæreſi poſt ſententiam latam in pœnam illius criminis. Et jure Divino non conceditur divortium perpetuum, niſi ob fornicationem carnalem; utpote quæ ſola directè adverſatur fidei conjugali, ut patet è ſup. dictis, & ideò in Concluſ. addidi ly *Temporalis.*

551. *Conſentit Averſa.*

Hinc Averſa ſup. Verè, inquit, hoc divortium licebit ſolùm ad tempus, donec alter reſipiſcat; ita ut, quando ille qui receſſit, ſufficienter cautus erit, ſe non ultrà ſollicitandum, redire teneatur. Et pariter, ſi ante receſſum alter à ſollicitando deſiſtat, non poteſt jam ille recedere, ſed permanere tenetur. Et hoc totum intelligitur, tam propriâ conjugum auctoritate, quàm Judicis ſententiâ. Poteſt enim conjux ſollicitatus ſuâ ſponte recedere, & ad conjugem emendatum debet ſuâ ſponte redire. Poterat à Judice ſententiam & licentiam recedendi obtinere, poterit & debebit ad conjugem emendatum redire compelli. Ac durante receſſu non poterat ſtatum mutare per ingreſſum Religionis, aut ſuſceptionem

Ordinis: siquidem divortium non erat perpetuum & absolutum. Ideoque si mutasset, deberet adhuc ad conjugem emendatum redire compelli, & requisitus per se in conscientia teneretur. Hactenùs Aversa.

552. *Sufficit, ut conjux roget, juxtà Sanchez. Perinde est, sive vir, sive mulier.*

Notat autem Sanchez sup. n. 5. idem dicendum esse, quàmvis conjux non trahat, quasi vim inferens; sed roget, & attentâ propriâ fragilitate, timeat alter sibi lapsum. Eadem enim ratio cavendi proprij damni spiritualis militat. Et procedit hoc (inquit) sive vir inducat uxorem ad peccandum, sive econtrà uxor virum. Integrum enim erit viro, lapsûs periculum inde timenti, discedere. Quippe eadem ratio locum habet. Unde cap. 2. de Divort. licitam esse hanc fugam decidit, etiam quando uxor virum allicit ad propriam hæresim. Sic ille.

Sed videtur d. textum non inspexisse, qui manifestè loquitur de viro alliciente uxorem, ibi: *Verùm si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit.* Et Gloss. in Expositi. casûs sic ait: *Sed si vir uxorem suam ad infidelitatem traxerit, à viro poterit separari.* Igitur perperàm adducit Sanchez hunc textum.

553. *De muliere probatur ex c. 5. 28. q. 1.*

Rectè autem addit cap. *Idololatria*, 28. q. 1. ubi Aug. loquitur de uxore, quæ inducit virum ad idololatriam, ibi: *Non enim tantùm fornicantem uxorem dimittere conceditur; sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, à qua ipse cogitur fornicari, causâ utique fornicationis dimittit; velut, si aliquem cogat uxor sacrificare idolis.*

Item ex c. 4. eâd.

Potuisset etiam ad hoc inducere cap. 4. eâd. ex lib. de Fide & oper. c. 16. sequentis tenoris: *Vxor legitimâ societate conjuncta, sine ulla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Non attenditur* (id est, secundùm Gloss. eo verbo: *Nonne attenditur?*) *eo modo illam rectissimè dimitti, si viro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas, aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata, vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam ornatior incedebat. Tunc enim ille, cui uxor hæc dicit, si veraciter egit pœnitentiam ab operibus mortuis, quando ad Baptismum accessit, habetq; in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, proculdubiò plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis luxuriæ; & membrum, quod eum scandalizat, fortiter amputabit.*

554. *Est sententia Gloss. d. c. 4*

Ubi Glossa verb. *Vxor*, inquit: *De pari conjugio Hug. non intellexit* (hoc cap.) *quia si uterque conjugum est fidelis: fidelis fidelem nunquam potest dimittere, secundùm Hug. nisi ob fornicationem carnalem, vel spiritualem, scilicet idololatriam tantùm, alias non. Vnde si uxor Christiana pertrahat virum ad mortale peccatum, verberet eam, & castiget si potest, & non consentiat ei. Sed Alij intelligunt hoc de pari conjugio; quia fidelis fidelem benè potest dimittere, si compellitur ab eo ad mortale peccatum, nec fortè resistere potest, sed expressè contradicit.*

Consonat Doct. Angel.

Appositè Doct. Angel. 4. dist. 39. q. un. a. 6. ad 3. *Dicendum, quod hoc intelligendum est, quando mulier præstat magnam occasionem ruinæ viro suo, ut vir probabiliter sibi de periculo timeat; tunc enim vir potest se subtrahere ab ejus conversatione.*

Neque necessarium est ad hoc divortium (ut notat Aversa sup. §. *Tertiò*) ut unus conjux conetur alium pertrahere in idem suum crimen: sed sufficit, si quocumque modo inducere tentet ad aliquod mortale peccatum: quia planè eadem est ratio. Utpote si persuadeat alteri, ut furetur, aliudve crimen committat; quàmvis non ipse simul concurrat. Et ita ad hoc spectat, si vir sollicitet uxorem ad adulterium cum alijs. Aut si uxorem in alienam domum adducat, ibique solam relinquat, ubi sollicitetur ad lapsum: aut domi suæ introducat extraneos, eosque cum uxore sola relinquat, qui eam verbis aut signis sollicitent, nec admonitus eos excludat. Aut alio quovis modo in periculosa occasione peccandi constituat. Ita Aversa.

555. *Non est necesse, ut eos netur pertrahere in idem suum crimen, ex Aversa.*

Et ante ipsum Navarrus Sum. lat. c. 22. n. 22. ubi probat hanc doctrinam; tum, quia ejusmodi maritus, saltem indirectè, inducit eam ad peccandum. Tum, quia non tenetur ei convivere cum periculo mortis corporalis, volenti eam occidere, vel venenare seu intoxicare: à fortiori non tenetur convivere illi sub tanto periculo mortis spiritualis, quæ tantò gravior est corporali, quantò anima præstat corpori. Tum, quia non obstat, neminem posse cogi ad peccandum; quia non potest etiam cogi ad apostatandum, potest tamen discedere à consorte in apostasiam inducente.

Probatur ex Navar.

Hinc D. Tho. sup. ad 5. ait, virum posse discedere, *Quando uxor non vult cohabitare, nisi sub conditione peccandi, ut cùm dicit*: Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congreges. *Tunc enim potiùs debet eam dimittere, quàm latrocinia exercere.*

556. *Quid si vir uxorem alat ex rebus injustè acquisitis? Negat Sanchez, eum posse dimitti.*

Sed quid, si vir uxorem alat ex rebus injustè acquisitis? Affirmat quidam apud Sanchez sup. n. 9. eam posse divertere. Quia sui sceleris participem ipsam efficit.

Sed immeritò (inquit Sanchez) id dicit, nec audiendus est. Quia quando uxor aliunde alimenta non habet, quàmvis maritus efficiatur impotens ad restituenda injustè parta, excusatur, parcè, juxtà decentiam sui statûs, illis bonis utens. Adde: excusari etiam, quando habet animum restituendi, cùm sui juris effecta fuerit. Immò Navarrus Sum. c. 17. n. 268. excusat omninò uxorem, modò non sumptuosiùs vivat, quàm ejus statum decet. Quia quasi necessitate coacta iis bonis utitur, & potior obligatio est mariti ad eam alendam, quàm ad restituendum. Ita Sanchez.

Navar.

557. *An uxor debeat monere virum, ut restituat.*

Neque ad hoc (inquit Navar. sup.) necessarium est, quàmvis sanctum, eam maritum tempore oportuno ad eas (intelligit usuras) restituendum inducere, & Deum, ut eum convertat, precari; neque amplius, quàm alia uxor, tenetur in prædictorum bonorum custodiam, conservationem, & amplificationem incumbere; neque ut usurarius res incertas, restitutione

tioni obnoxias, retineat, & Epiſcopus cum ea, ut de illis, tamquam pauper vivere poſſit, diſpenſet ; neque ut ſit in extrema neceſſitate, quidquid Sylveſter, verb. *Vſura*, 8. qu. 2. & Alij dicant ; quia nullo jure, neque ullâ ratione, ea eſſe de neceſſitate juſtitiæ, probari poteſt. Hæc ille.

Averſa putat debere eam vivere ex ſuis bonis, ſi ea habeat.

At verò Averſa ſup. Aut, inquit, habet uxor alia, unde vivat, aut non habet : ſi habet, tenebitur non uti de bonis furtivis, aut tantumdem reſtituere, abſque eo quòd à viro recedat : aut non habet, & tunc licitè alimentis, undecumque ſibi ſubminiſtratis, utitur juxtà indigentiam & neceſſitatem ſuam. Ex alio tamen capite poterit uxor recedere à viro, latrocinijs vacante, ſi timeat, ne ſimul cum illo tamquam criminis particeps involvatur. Ita hic Auctor.

558. *Sed hoc generaliter non admittit Navar.*

Sed quòd debeat vivere ex ſuis, quandò ea habet, generaliter non admittit Navarrus ſup. Sic enim ait : Centeſimò decimò nonò peccat uxor uſurarij, quæ ſciens maritum non habere ampliùs, quàm ad reſtituendas uſuras extortas, vivit ex ejus bonis ; cùm ex ſuis, aut conſanguineorum bonis, aut ex ſuo labore honeſtè vivere poſſit. Quod noſtro judicio reſtringendum eſt ad eam, quæ vivit de eiſdem bonis, uſurâ acquiſitis, quorum dominium in uſurarium non tranſijt ; qualia ſunt pignora frugifera ; & ad eam, quæ ſumptuoſiùs, quàm ejus ſtatum deceat, vivit : non tamen ad eam, quæ ſolùm impendit ea, quæ in eam, eò quòd uxor ejus eſt, & ob dotem allatam, impendere tenetur maritus : quia tantò & plùs obligatur maritus ad eam ſuſtentandam, quam ad uſuras reſtituendum. Sic ille.

Auctor conſentit Navar.

Et ſanè non video, quare uxor debeat ſeipſam alere ex proprijs bonis, quæ alioqui aliter poſſet expendere ; cùm habeat jus juſtitiæ, ut ex bonis viri alatur. Putas, quia uxor, deficiente viro, debeat reſtituere uſuras ex proprijs ſuis bonis ? Cur ergò ſeipſam ex eis debeat alere ? Vide Lector, quid reſpondeas. Ego pergo ad aliam quæſtionem.

559. *An copula ſodomitica tentata cum propria uxore ſit cauſa perpetui divortij.*

Quid ſi ipſe maritus cum eadem ſuâ uxore illicitam & ſodomiticam copulam habere tentet ? Aliqui (inquit Averſa ſup. §. *Item ſpectat*) hanc aſſignare videntur tamquam abſolutam cauſam perpetui divortij, ſicut adulterium viri cum alia perſona. Et indicavit Ambroſ. in 1. ad Corinth. 7. dicens : *Si vir uſum quærat uxoris invertere, nec alij poteſt nubere, nec reverti ad illum.* Rectè tamen Alij communiter id explicant & intelligunt, quamdiu vir non emendatur, ſive quamdiu durat tale periculum.

Averſa. Ambroſ.

Idemque eſt, ſi vir per vim talem copulam cum uxore renitente habere conetur, aut quocumque modo illicito extrà naturale vas malitiosè polluere ſoleat. Pariter enim ratione ſcandali & periculi hæc eſt cauſa temporanea divortij, donec vir corrigatur ; non autem ſimpliciter in perpetuum, ut cum Alijs advertit Sanchez lib. 10. diſp. 4. n. 6. & duobus ſequentibus.

Sanchez.

560. In foro autem externo, mulieri volenti & petenti ex hac cauſa à viro recedere, iudicant Aliqui, eſſe à Judice præſtandam fidem, & concedendam ſeparationem, adhibito ſaltem ejus juramento : quia res hæc aliter probari non poteſt. Sed rectè Pontius lib. 9. cap. 16. n. 5. cenſet, & de communi teſtatur, non ſufficere ſolam mulieris aſſertionem ; quia nemo eſt ſolo ſuo dicto idoneus teſtis in facto proprio : ſed requiri aliquod aliud indicium, quod quidem ad prudens Judicis arbitrium remittendum erit. Hactenùs Averſa.

Quid faciendum Iudici in foro externo.

Non ſufficit ſola aſſertio mulieris, juxtà Pontium.

Rogas : quo fundamento id cenſet Pontius ? Iam eſt aſſignatum, ex l. 10. ff. de Teſtibus : *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur.* Et l. 10. Cod. eod. *Omnibus in re propria dicendi teſtimonij facultatem jura ſubmoverunt.* Sed dicerent Adverſarij : hæc jura intelligi poſſe, quando aliter tes poteſt probari. Vide alibi dicta.

Fundamentum eſt l. 10. ff. de Teſt. & l. 10. Cod. eod.

Quod autem addit Pontius : Favet communi ſententiæ Hieron. in cap. *Omnes accuſationes*, aliàs, *cauſationes* ; id, inquam, non debet referri ad hanc ſententiam ; ſed ad eam, quæ dicit, ſodomiam ſive viri ſive uxoris cum alia fœmina, conſummatam tamen, eſſe juſtam cauſam perpetui divortij.

561. *An faveat cap. 7. 32. q. 7.*

Patet ex verbis textûs, in quibus nulla fit mentio probationis, aut teſtimonij : *Omnes cauſationes Apoſtolus amputans, apertiſſimè definivit, vivente viro, eſſe adulteram mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam &c. Quamdiu vivit vir, licèt adulter ſit, licèt ſodomita, licèt flagitijs omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus ejus reputatur, cui alterum virum accipere non licet.*

Ex quo capite arguunt Aliqui, ob alia flagitia, quàm adulterium, aut ſodomiam, poſſe conjugem dimitti. Nec obſtat, inquiunt, ſolutio Gloſſæ, verb. *Propter*, dicentis : *Ad hoc quod dixit*, Adulter aut ſodomita, *retulit ſe : non enim propter aliam cauſam poteſt dimitti. Vel derelictus de facto.* Quippè clauſula, in fine poſita, refertur ad omnia præcedentia. Et cùm ob adulterium, & ſodomiam, intelligatur verbum illud : *Derelictus*, de jure ; neceſſariò debet eodem modo de alijs flagitijs intelligi ; ut ſcilicet propter ea liceat perpetuum divortium.

562. *Ex hoc cap. Aliqui arguunt, ob alia crimina poſſe dimitti conjugem.*

Et ad idem propoſitum inducunt cap. *Idololatria*, 28. q. 1. (quod eſt D. Auguſt.) ſup. Concluſ. 14. in principio relatum. Vide ibi verba textûs.

Item ex c. 5. 28. q. 1.

Sed ad Auguſt. reſpondet Sanchez ſup. n. 15. eum intelligi, quando conjux illis criminibus implicitus, nititur alterum ad ea peccata pertrahere, juxtà jam dicta ; ſecùs ceſſante eâ pertractione. Atque ita (inquit hic Auctor) ipſemet D. Auguſt. lib. 1. Retract. c. 19. non vult nos eam ſententiam, relatam d. c. *Idololatria*, abſolutè ſequi.

Quid ad hoc reſpondeat Sanchez.

Hæc ſunt verba D. Auguſt. *Item de præcepto, quo prohibetur uxor non dimitti, niſi propter fornicationem : hîc quidem ſcrupuloſiſſimè diſputavi. Sed quam velit Dominus intelligi fornicationem, propter quam liceat dimittere uxorem, utrum eam, quæ damnatur in ſtupris, an illam, de qua dicitur :* Perdidiſti

563. *Quæ ſuerit mens D. Aug.*

didisti omnem, qui fornicatur abs te, *in qua utique & ista est ; neque enim non fornicatur à Domino, qui* tollens membra Christi, facit ea membra meretricis, *etiam atque etiam cogitandum est, atque requirendum.*

Nec volo in re tanta, tamq; ad dignoscendum difficili, putare Lectorem, istam sibi nostram disputationem debere sufficere ; sed legat & alia, sive nostra, quæ posteà scripta sunt, sive aliorum meliùs considerata atque tractata : vel ipse, si potest, ea quæ hìc meritò movere possunt, vigilantiore atque intelligentiore mente discutiat. Non quia omne peccatum fornicatio est ; neque enim omnem peccantem Deus perdit, qui quotidie sanctos suos exaudit, dicentes : Dimitte nobis debita nostra, *cùm perdat omnem, qui fornicatur ab eo. Sed quatenùs intelligenda atque eliminanda sit hæc fornicatio ; & utrùm etiam propter hanc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quæstio est. Licere tamen propter istam, quæ in stupris committitur, nulla quæstio est.*

564. *Illatio.* Ergò salvâ auctoritate D. Aug. dicere possumus, propter alia delicta non licere dimittere uxorem, nisi pro tempore, quo durat periculum peccati.

Quid respondeat Sanchez ad d. c. 7. Quid igitur ad D. Hieronymum ? Respondet Sanchez sup. mentem ipsius in eo loco non fuisse, explicare ob quæ crimina jure permittatur divortium : sed solùm, facto divortio ob quàmvis causam, neutri conjugi integrum esse, ad alias nuptias transire. Quare inde non potest argumentum desumi, ad probandum, ob alia crimina licere divortium perpetuum. Vel secundò dic ; ob sodomiam & adulterium concedi propriè divortium, quod recessum perpetuum importat : ob alia verò ad tempus, quod impropriè appellatur divortium.

565. *Idem verbum potest quædam propriè, alia impropriè determinare, Clausula in fine posita ad quæ referatur?* Nec est inconveniens ; ut unum & idem verbum, ad diversa relatum, determinet ea juxtà eorum qualitatem, quædam propriè, quædam verò impropriè ; ut constat ex cap. *Olim ex literis*, & cap. *Ab excommunicato*, de Rescript.

Nec etiam obstat : clausulam, in fine posi- tam, referri ad omnia præcedentia. Id enim intelligitur, quando est eadem in illis ratio, & salvâ rectâ ratione ad omnia illa referri potest. Aliàs refertur ad hoc, quod potest de jure determinari. Ita Sanchez. Et placet. Nec displicere potest Conclusio, quæ sequitur, & sic sonat :

CONCLUSIO XVII.

Possunt, per se loquendo, conjuges ex mutuo consensu separari. Nequit tamen unus Religionem profiteri, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat ; & sit talis ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere.

566. *Quomodo* Loquor hìc de Matrimonio illæso per adulterium, & intelligo separationem tam quoad torum, quàm cohabitationem, sive ad tempus, sive in perpetuum. Patet manifestè ex juribus, quibus conceditur conjugatis transitus ad statum Religionis, jam adducendis. Nam per hunc statum proculdubiò dissolvitur torus & cohabitatio conjugum. *Conclus. intelligenda.*

Et ratio pervia est : quia quisque potest cedere jure suo, quod habet ex contractu Matrimonij ad torum & cohabitationem, sicut à principio contractûs, ita multò magìs post contractum initum ; salvo semper jure radicali, de quo alibi egimus. Vide Disp. præced. Sect. 3. Conclus. 9. ubi ex D. August. diffusè ostendimus, conjuges pari consensu posse continentiam observare. Et exempla Sanctorum in promptu sunt, qui id præstiterunt. *Probatur 1. pars ex ratione.*

567. *Conjuges possunt vovere continentiam, ex D. Aug.* Nec solùm observare, sed etiam vovere posse continentiam, patet ex D. August. Epist. 199. ad Ecditiam, ibi : *Quod enim Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis.* Hoc tamen non est facilè practicandum, nisi velint saltem toro separari ; immò & cohabitatione.

Per accidens potest esse illicitum ; ut & sepa- ratio ; Cur ita ? Quia aliàs periculum incontinentiæ facilè incurrerent, ut adhuc alibi memini me dixisse, quod tamen pro viribus semper evitandum est : ita, ut etiam sit illicita separatio, sive quoad torum, seu quoad habitationem, quando alioqui prudenter timetur fore, ut succumbatur tentationi : quod (inquit Dicastillo disp. 10. n. 92.) aliquando potest contingere in uno conjuge respectu alterius, de cujus imbecillitate potest timeri ; tunc enim, quàmvis non peccet contra justitiam eo ipso, quod alter consentiat in separationem ; peccabit saltem peccato gravis scandali, aut contra misericordiam, aut charitatem proximi, iuxtà varias sententias, si quantùm est ex se, non petat & accedat ad conjugem, existentem in tali periculo. Sic ille.

568. *Dum ex ea imminet periculum incontinentiæ.* Et ideò dixi in Conclus. *Per se loquendo* : id est, nisi fortè ex separatione immineat periculum incontinentiæ, cui non aliter putetur posse succurri, aut alia inconvenientia meritò timeantur, quæ ratio naturalis dictat omninò esse præcavenda.

Sed nunquid conjuges, sic legitimè separati, quæunt profiteri Religionem ? Respondet Conclusio : *Nequit unus profiteri, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat* &c.

569. *Probatur 2. pars Conclus. ex c. 4. de Conv. conjug.* Ecce Decretalis Alex. III. quæ est cap. 4. de Conversi. conjug. *Cùm sis præditus scientiâ literarum, ignorare non debes, Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxore suâ, aut uxor viro ejus non assumente Religionis habitum, debeat ad Religionem transire.* Et infrà : *Inde est, quòd auctoritate Apostolicâ prohibemus, ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verùm si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut eâ in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejusdem.*

Item ex cap. 8. eod. Idem statuitur in alio rescripto ejusdem Pontificis cap. 8. eod. sequentis tenoris : *Vxoratus sine*

sine licentia uxoris inter vos nullatenùs recipiatur: quæ integra opinionis ita existat, quòd nulla marito suspicio habeatur, eam ad secunda vota velle migrare, vel quòd minùs continenter debeat vivere: quæ si talis extiterit, marito ejus in consortio vestro recepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professa, in domo propria cum filijs suis & familia poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat, voto continentiæ celebrato, a sæcularium hominum se conversatione removeat, & in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur.

570. *Quod hæc rescripta debeant intelligi de perpetua continentia, probatur ex c. 13. eod.*

Ut autem sciatis, hæc rescripta intelligi debere de perpetua continentia, addam Decret. Innoc. III. quæ incipit *Ad Apostolicam*, eod. tit. *Cùm autem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti: nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in sæculo remanere: profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat: sed & vitam debet mutare, nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere.*

Item ex c. 1. eod.

Non igitur sufficit votum temporale continentiæ; prout etiam ipse Alex. III. satis manifestè declarat cap. 1. eod. tit. ibi: *Præterea, utrùm laicus uxoratus, qui præsentibus Sacerdotibus & Monachis, ignorante Episcopo, de licentia & permissione uxoris, Monasterium ingressus, Professionem fecit, uxore in sæculari habitu remanente, nec transeunte ad Religionem, aut perpetuam continentiam vovente, ab Episcopo suo possit ad torum revocari uxoris; an illa compellenda sit continentiam observare. Dicimus, quòd nisi uxor ad Religionem transierit, aut perpetuò castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari.*

571. *An votum illud continentiæ fiat solemne.*

Itaque de perpetuitate continentiæ non est dubitandum. Controvertitur autem, an id votum castitatis conjugis, manentis in sæculo, efficiatur solemne eo ipso quòd alter profitetur; ac proinde irritum reddat Matrimonium, contractum cum hoc voto à manente in sæculo; contractum, inquam, post obitum ejus qui professus fuit.

Aliqui affirmant.

Affirmant Aliqui apud Sanchez lib. 7. disp. 32. n. 5. tum, quòd vir & mulier sibi invicem actiones communicent, cap. *Martinus*, de Cognat. spirit. & alibi: tum, quia Ecclesia id decrevit, quando vir de licentia conjugis voventis in sæculo, ad Ordines transijt.

572. *Inter alios citat Sanchez D. Bonav. cum aliqua tamen limitatione.*

Atque hujus sententiæ fuisse Doct. Seraphicum, videtur Sanchio; cum hac tamen limitatione, quòd id votum in sæculo emissum est in manu Episcopi, vel de ejus licentia. Subscribo verba D. Bonavent. ex 4. dist. 37. in Exposit. literæ: *Si uxor taceat, viro suscipiente Ordinem, & locum & tempus habet reclamandi, præsumitur consensisse, & amplius reclamare non potest, & ex tali consensu suo continentia sibi indicitur, nec potest requirere virum. Vtrùm autem possit contrahere: dicendum, quod sicut dicitur 32. dist. can.* Seriatim *&c. non potest etiam post mortem viri; imò tenetur ad continentiam perpetuam.*

Variæ referuntur opiniones.

Sed qualiter hoc sit intelligendum, inter jurisperitos est controversia. Aliqui enim dicunt, quòd mulier, consentiens viro, vovere intelligitur; sed votum istud, quod non est solemnizatum, impedit Matrimonium contrahendum; sed non dirimit jam contractum. Alij dicunt; quòd solemnizatur in voto viri. Tertij dicunt; quòd secùs est in uxore ingressi Religionem, & Clerici; quia uxor Clerici tenetur; sed non uxor ingressi: quia dignior est Clericatus, quam Religio; cùm bigamus possit esse Religiosus, non autem Clericus. Alij dicunt; & hoc videtur probabilius, quòd uxor aut ignorat jus illud; quia nec scit, nec sibi dicitur, aut novit. Primo modo non obligatur. Secundo modo si novit, quia sibi dicitur, & consentit, obligatur.

573. *Quæ sit tenenda.*

Sed quid in tanta diversitate tenendum est? Sanè dici potest; quòd si uxor consentiat viro, quòd Ordinem sanctum suscipiat, vel quòd Religionem ingrediatur in conspectu personæ, per quam secundùm formam Ecclesiæ possit fieri divortium, quòd ipsa obligatur ad continentiam perpetuam cum viro, qui est eadem caro cum ipsa: nec excusatur per juris ignorantiam: nec est diversimodè judicandum in Clericis, & Religiosis quantùm ad hoc, cùm utrobique corpus viri perpetuò Domino dedicetur. Et hoc expressè dicitur dist. 32. Seriatim. *Neque permittitur uxor jungi eidem marito suo carnaliter, nec unquam nubere in ejus vita, aut alium ducere post mortem: & ideò satis probabiliter dictum est, quòd viro vovente, & solemnizante, ipsa vovisse intelligitur: & hoc totum probatur per multa jura, quæ dicuntur lib. 3. de Convers. conjug.* Hucusque Doct. Seraph.

D. Bonav. commodè potest intelligi de voto simplici.

Subsumo ego: atqui nullus est textus in toto hoc tit. decernens, viro de licentia uxoris professæ, reddi solemne votum simplex uxoris, in sæculo factum, quoad Matrimonij subsequentis dissolutionem. Ergò perperàm hæc sententia adscribitur D. Bonavent. qui commodè potest intelligi de voto simplici, ex quo Matrimonium post mortem professi redditur illicitum.

574. *An negativa sententia bene probetur ex cap. un. de Voto in 6.*

Et verò, dicet aliquis: cap. un. de Voto in 6. Bonifac. VIII. ait: *Illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Quis autem dixerit, mulierem, cujus vir profitetur in Ordine FF. Minorum, & ipsam quoque facere Professionem huic Ordini?

Nemo, reponit quispiam: sed quid tum? Nihilominus verum est, quòd in illa sententia per istam Professionem votum uxoris solemnizetur, quod aliàs esset simplex. Et nota, quòd non dicat Pontifex: *In Professione*; sed: *Per Professionem &c.*

575. *Hanc sententiam tenet Gloss. in cap. 14. dist. 32.*

Utut sit de hoc jure; adhuc rectè existimat Sanchez sup. n. 8. nulla ratione id votum effici solemne, juxtà Gloss. d. cap. *Seriatim*, verb. *Post mortem*, ubi sic ait: *De ista uxore promoti dic, quòd eo ipso quòd dat licentiam, intelligitur vovere; similiter etiam ea, cujus maritus suscepit habitum Religionis: unde neutra debet contrahere. Si tamen contraxerit, tenet secundùm Quosdam: nam votum non fuit solemnizatum. Distingue tamen, utrùm hujus uxor sciat jus, vel dicatur sibi:*

sibi : quia tunc vovere intelligitur, non tamen solemnizatur votum. Si verò ignorat, nec ei dicitur, non intelligitur vovere. In uxore tamen promoti secùs posset dici, non propter votum ; sed propter constitutionem Ecclesiæ : scilicet, ut non sit Matrimonium, si contrahat, & videtur expressum sup. 28. dist. Quia sunt.

576. *Quia sentiant Hug. & Ioan. faber.* *Hug. dicit ; quòd in utraque uxore promoti, & ingressi, votum de præsenti dirimit ; licet non solemnizet actum. Ioan. Faber dicit ; aliud esse in uxore ingressi, aliud in uxore promoti : quia illa post mortem contrahit, sed uxor promoti non ; quia est ratio diversitatis : quia dignior est Clericatus, quàm Monachatus ; nam etiam bigamus potest esse Monachus, 16. q. 1. Legi. Sed mirum est, quod tantus vir hoc dixerit, cùm manifestè obtinet 27. q. 2. Agathosa, & cap.* Si quis conjugatus, *& 33. q. 5.* Qui uxorem. *Posset autem dici ; quòd votum uxoris solemnizatur ex voto viri promoti : & ita vir uxori communicat votum, ut 28. dist.* Quia sunt.

Itaque sine fundamento dicitur, votum simplex uxoris solemnizari per Professionem viri, quod sufficit ad hoc propositum ; quidquid sit de solemnizatione per susceptionem Ordinis sacri, de qua infrà latiùs.

577. *Non obstat sententiæ Gloss. cap. 4. de Cogn. spirit.* Nec obstat d. cap. *Martinus*, de Cognat. spirit. quia loquitur in casu particulari ; putà de compaternitate, quam jus voluit inter conjuges communicari, ob carnis unitatem ; utpote ad quam non tam requiritur interventus animi, sicut in nostro casu, quàm corporis actus. Cumque hæc res sit valde odiosa, & in præjudicium Matrimonij ; non venit extendenda, sed potiùs restringenda. Expectabimus ergò jus expressum, quod irritet Matrimonium, post mortem professi initum ab ejus uxore non professa.

Quid hìc intelligatur per transitum uxoris ad Religionem. Debet porrò profiteri, ut vir licitè profiteatur ; nisi sit talis ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. Patet ex juribus sup. allegatis, quæ requirunt transitum ad Religionem, per quem intelligitur, non inclusio in Monasterio, per modum carceris, ut sic meliùs evitetur periculum incontinentiæ ; sed emissio votorum solemnium, seu ingressus vel inclusio ad eum finem.

578. *Probatur ex c. 4. de Convers. conjug. quòd Profssio.* Patet : quia cap. 4. de Convers. conjug. eodem modo loquitur de transitu utriusque, ibi : *Nisi uterque ad Religionem migraverit.* Sed per transitum seu migrationem viri, ab Omnibus intelligitur solemnis Professio ; ergò similiter hæc Professio intelligi debet per transitum uxoris. Et ideò d. cap. *Vxoratus*, de ea dicitur : *Et in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur.* Equidem si ingrediatur solùm, ut arceatur à vagationibus, Monasterium esset sibi carcer ; non autem intraret, ut Deo serviat.

Item ex cap. 21. 27. q. 2. Prætereà : cap. Agathosa, 27. q. 2. in fine legitur : *Nam, exceptâ fornicationis causâ, vir uxorem dimittere nullâ ratione conceditur : quia postquam copulatione conjugij, viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti,* *Et cap. 13. de Convers. conjug.* *& ex parte in sæculo remanere.* Idemque habetur d. cap. *Ad Apostolicam.* Ubi per conversionem unius partis, sive ex parte, Omnes intelligunt Professionem ; ergò remanere in sæculo, quod opponitur ibi conversioni, idem est, quod non profiteri. Ita sentit Abbas d. cap. *Vxoratus*, dicens : Satis remanet in sæculo, si non profitetur. Abbas.

579. *Non obstat cap. 17. eod.* Neque obstat cap. *Accedens*, 17. eod. tit. ubi *Mulier in domo Monialium, nullo ibi habitu Religionis assumpto, vel voto conversionis emisso, permansit.* Nam benè respondet Abbas d. cap. hìc narratur factum, & non ponitur jus.

An sufficiat assumere habitum Equitum D. Ioan. Negat Sanchez. Nec sat est (inquit Sanchez sup. n. 4.) si profiteatur vir, assumpto habitu Equitum D. Joannis. Quia etsi ea sit Professio solemnis : at ij manent in sæculo, cum periculo incontinentiæ, cujus contrarium petitur d. cap. *Vxoratus.* Sic ille.

Affirmat Pontius. Sed contradicit Pontius lib. 9. c. 12. n. 3. qui sic incipit : Cùm ergò uno conjuge ingrediente Religionem, alter, si juvenis est, ingredi etiam Religionem compellitur ; non quidem ingreditur, ut ibi tantùm degat, tamquam in aliquo honesto loco reclusus, & servet continentiam ; sed ut verè profiteatur. Id enim planè docent jura citata, cùm eodem modo de utriusque conversione loquantur. Sufficiet autem ingredi Religionem S. Joannis, quod immeritò negat Tho. Sanchez, constatque ex praxi, & ego vidi sic servari.

580. *Fœminis etiam licet ingredi Monast. S. Iacobi.* Fœminis etiam licebit Monasterium S. Iacobi ingredi, & in eo Ordine profiteri, & satisfacient suæ obligationi. Quidquid enim de eo sit, an ea fœminarum vota sint simplicia, vel solemnia ; illa verè Religio est, & per quam votum Religionis impletur, & dum alter conjux superstes est, inhabilis est ad contrahendum Matrimonium ; cùm per nullius Religionis ingressum vinculum dirimatur. Ita Basilius.

Auctor fatetur Pontio. Equidem consuetudo est optima legum interpres. Si fueris in loco, ubi viget praxis, de qua hìc testatur Pontius, benè feceris eam observando. Et nota ; quòd jura non requirunt, nisi ingressum Religionis, seu mutationem vitæ. Fateor, in istis Equitibus potest esse periculum incontinentiæ ; sed & id alijs Religiosis aliquando id contingit : & tamen sat est, si vir profiteatur, eorum assumpto habitu. Non etiam abnuo, Equites illos inter homines conversari plus, quàm alij Religiosi ; interim à voto suo castitatis, idque solemni, retrahuntur, aut certè retrahi debent ab incontinentia, & fugere pericula incontinentiæ plus, quàm alij, qui non habent tale votum.

581. *Quid requiratur ad licitam viri Professionem.* Igitur ut vir licitè profiteatur, non sufficit licentia uxoris ; sed & ipsa debet profiteri, aut saltem promittere perpetuam continentiam ; si nimirum ita senex est & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo. Sed quid si vir ita senex sit ? Nullibi habetur (inquit Dicast. sup. n. 95.) posse uxorem ingredi, non ingrediente marito.

An idem Basilius sufficiat ad Quapropter absque fundamento contendit Basilius cit. cap. 23. (debet esse cap. 12. n. 1.)

posse

Professionem uxoris. Negat Dicast. contrà Pontium.

posse uxorem ingredi Religionem in tali casu; nec enim est eadem ratio de viro sene, atque de fœmina; faciliùs enim timeri potest, quòd vir, v. g. sexagenarius, adhuc appetat libidini indulgere, quàm quòd sexagenaria mulier: undè tutiùs est aut minùs periculosum, vetulam conjugatam in sæculo manere, marito ingrediente Religionem, quàm èconversò. Ita Dicastillo.

582. *Auctor defendit Pontium.*

Procul dubio tutius est; sed jura non semper attendunt, quod tutius est; sufficit, ut quod statuunt, tutum sit; tutum autem est, ut si ita vir senex sit, quòd sine suspicione queat esse in sæculo, ut, inquam, possit uxor ejus ad Religionem transire, eo in sæculo remanente, & perpetuam continentiam promittente. Quòd si postmodum incontinenter vivat, per accidens est; neque ad hoc leges debuerunt attendere. Sic quippe etiam fieri potest, ut mulier, quæ præsumebatur continens propter ætatem, posteà reperiatur incontinens. Porrò jura loquuntur in casu sibi proposito, qui erat de viro ingrediente.

583. *An conjux senex suspectus, & juvenis non suspectus possint manere in sæculo. Negat Sanchez.*

Sed quæ ætas carens hâc suspicione? Nunquid eadem respectu viri & mulieris? Nota pro resolutione; jura prædicta non tantùm ponderare ætatem senilem; sed etiam carentiam hujus suspicionis. Unde putat Sanchez sup. n. 9. quantumcumque conjux sit senex, dummodò suspectus de incontinentia, non sufficere ejus votum in sæculo. Et n. 10. non sufficere votum juvenis, quàmvis ita honestæ vitæ sit, ut nullus incontinentiæ timor subsit. Et ratio est aperta (inquit ille) quoniam juventus varijs semper incontinentiæ casibus valde subjecta est, atque ab inceptis facilè desistit, cùm varijs ac urgentissimis carnis illecebris passim agitetur. Sic Sanchez.

At, meo judicio, hæc ratio probat; quòd dum conjux est juvenis, semper aliquis incontinentiæ timor subsit; cum tamen casus supponat, quòd nullus incontinentiæ timor subsit.

584. *Contra primum arguitur.*

Et contrà primam doctrinam videtur facere; quòd aliàs jura perperàm ponderarent ætatem; siquidem potiùs, imò solùm periculum incontinentiæ attendendum esset. Præterea; quia cùm leges respiciant, quæ communiter accidunt, *l. Nam ad ea*, ff. de LL. nil ad legem immutandam conferre videtur, si unus aut alter conjux in ætate senili suspectus sit de incontinentia; sed in eo servandum erit jus, decidens sufficere votum senis, in sæculo manentis: cùm in ea ætate cesset communiter ea suspicio.

Satisfit argumento.

Respondetur: planè servandum erit id jus, nisi expressè constet de periculo incontinentiæ. Non perperàm igitur jura ponderant ætatem; quippe in senibus non præsumitur id incontinentiæ periculum, sicut in juvenibus; & ideò, nisi oppositum probetur, & certò constet, Ecclesia admittet votum senis; secùs juvenis. Atque adeò verum est, quòd hæc lex respiciat ea, quæ communiter accidunt; id est, prohibet juvenem manere in sæculo; quia communiter est periculum incontinentiæ; concedit autem seni permanere; quia ordinariè non est tale periculum.

585. *Approbatur opinio Sanchez.*

Interim cùm intentio legis sit, consulere bono privato conjugis relicti in sæculo, ut ejus incontinentia caveatur; si reverà subsit in sene periculum incontinentiæ, de quo certò constet, id satis est, ut cesset lex: ut contingit in lege correctionis fraternæ, quæ ad fratris emendam tendit; & ita hâc cessante in casu particulari, & ipsa cessat in eodem casu. Ergò consimiliter impræsentiarùm.

Objectio solvitur.

Nec dixeris: cessante fine legis in casu particulari, non cessat ipsa lex; hoc enim intelligendum est, quando finis inadæquatè & solùm negativè cessat: hìc autem adæquatè cessat & contrariè; nam, ut supponitur, hìc est periculum incontinentiæ, quod tamen jus voluit unicè evitari, & quod ipsa ratio naturalis dictat, fore evitandum. Unde peccaret talis senex, concedens licentiam conjugi intrandi Religionem, ipse permanens cum tali periculo in sæculo.

586. *Quæ ætas careat suspicione incontinentiæ.*

His prænotatis, accedo ad quæstionem propositam de ætate, quæ præsumitur carere periculo incontinentiæ. De ea consule Sotum 4. dist. 27. q. 1. a. 4. §. *Præterea contrà eamdem primam conclusionem*, in fine, ubi loquens de uxore, cujus licentia requiritur, ut vir suscipiat Ordines sacros, sic ait: Imò verò non sufficit simplex consensus uxoris, ut habetur cap. *Ex parte* 1. de Convers. conjug. sed requiritur, ut continentiam ipsa etiam voveat: quinimò, si non sit ætate provectâ, nempè sexagenaria, requiritur, ut Religionem profiteatur: scilicet, ut Matrimonium dirimatur. Si verò fuerit sexagenaria, satis est, ut simplex votum continentiæ faciat, per quod juri suo petendi debitum abrenuntiet.

Sotus existimat sexagenariam.

Et ibidem §. *Potest & unus*, ubi expressè tractat præsentem casum, subsequentia habet verba: Sed tunc consideratior habenda est cautela, secundùm jura, & de illo, qui in sæculo remanet, distinguendum. Nam si est mulier ætate provectâ, nempè sexagenaria (& idem est de viro) quæ in periculo castitatis jam non versatur, satis est, si in sæculo continentiam voveat. Sic ille. Ergò, secundùm hunc Auctorem, ætas sive in viro, sive in muliere, quæ præsumitur carere periculo incontinentiæ, est annus sexagesimus. Sotum Alij sequuntur apud Sanchez sup. n. 15.

587. *Probatio.*

Sed nullus ex ipsis (ut ait Sanchez) quæstionem hanc discutit, nec rationem, aut textum, quibus innitatur, affert. Sed potest probari: quia communiter DD. existimant sexagenarios senes esse, ut ratione ætatis possint à jejunio excusari; & Pius V. ac Pontifices successores, negantes in diplomate Cruciatæ facultatem lacticinia edendi Clericis & Religiosis in Quadragesima, exceperunt sexagenarios, quasi hos senes reputantes. Sic ille.

Rejicitur à Sanchie. Primò.

Sed verè (prosequitur n. 16.) hæc non probant hanc partem. Quia Pontifices in eo casu speciali ætatem præscripserunt, & varijs in casibus diversimodè est jure præscripta, ut potest videri in Menochio lib. 2. de Arbitrarijs, centuria 1. toto casu 59. ubi n. 3. multis allegatis, concludit, in casibus, in quibus nulla extat clara

Menochius.

juris constitutio, relinqui Judicis arbitrio, quâ ætate senex quis censeatur. Cùm ergò in hoc ita eveniat, non videtur ea ætas sexagenaria præscribenda; sed id prudentis arbitrio committendum.

588. *Secundò.* Prætereà: quia non videtur rationi consonare, eamdem ætatem ad senectutem præscribi in fœminis, & in viris, ubi jus non ita clarè disposuit; quòd fœminæ ocyùs, quàm mas, & accrescant, & ætate floreant, ac senectute macerentur. Quia vita in calore fita est: nam anima tamdiu corpus informat, quamdiu in eo vitæ munia obire potest: præcipuus verò vitalium functionum administer est calor: at fœminæ frigidiores viris sunt. Si ergò fœminæ brevioris vitæ sunt, & citiùs senescunt, non eadem senectutis ætas ascribenda est illis; sed minor, quàm viris.

589. *Tertiò.* Prætereà: quia textus, dum senectutem petunt, subjungunt, ita ut sine incontinentiæ suspicione possit in sæculo remaneri. Unde senectutis mensura sumenda est ex ætate, in qua communiter incontinentiæ periculum non versatur. At hoc non æquè reperitur in fœminis, ac in viris: calor enim, qui libidinem fovet, ejusque est causa, minor est in fœminis, & senectute ocyùs appropinquante, citiùs tepescit ac remittitur. Cùm igitur breviori ætate & senectus adveniat, & periculum incontinentiæ cesset in fœminis, quàm in viris: immeritò prudens dijudicabit, eamdem ætatem utrique sexui assignandam ad senectutem.

Quartò. Tandem: quia textus cap. *Cum sis*, de Conversi. conjug. clariùs explicuit, qualis senectus desideretur, ibi: *Verum si ita uxor senex est, & sterilis, quòd sine suspicione posit esse in sæculo.* Ubi Gloss. verb. *Sterilis*, inquit: *Ratione ætatis, non naturæ: quoniam multæ sunt steriles, & juvenes, quæ continere non possunt, nec volunt.* Quare textus nos docet, ad dijudicandam senectutem, attendendam esse ætatem, quâ conjux sterilis efficitur; tunc enim libidinis ardor mitescit, & minùs periculi incontinentiæ subest. At minori ætate fœmina redditur sterilis, quàm vir: illa anno quinquagesimo, hic anno sexagesimo.

590. *Secundùm Sanchiam vir sexagenarius est hic senex. Fœmina verò quinquagenaria.* Ex his ergò existimo; virum sexagenarium esse dijudicandum ad hunc effectum senem. Quod vel eâ ætate, vel paulò post, accidat hodie communiter sterilitas, & sit jam proximus interitus, ac calor juvenilis ferè extinctus: & communis animi conceptio habeat, sexagenarios senes dici. At fœminas quinquagenarias credo esse senes ad eumdem effectum. Quia attento breviori vitæ cursu ipsarum, ac celeriori senectutis adventu, tam senex est mulier quinquagenaria, quàm vir sexagenarius. Quod communis existimatio testatur: & libidinis ardor ita tepescit in illa, ac in hoc: & jam in ea ætate est sterilis, & communiter verè senex tunc appellatur, & suspicione incontinentiæ libera creditur. Hucusque Sanchez, aliquibus omissis brevitatis gratiâ.

591. *Quid si se-* Ego existimo, aliquando contingere, ut viri & mulieres sint incontinentes post eam ætatem. Quid ergò, si senex relictus in sæculo cum solo voto continentiæ id non servet? Respondet Sanchez sup. n. 12. cogetur ingredi Monasterium, ut colligitur à contrario sensu ex cap. *Significavit*, de Conversi. conjug. in fine: *Quocirca mandamus, quatenus si est ita, & est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit; ipsam, votum continentiæ observantem, intrare Monasterium compelli non permittatis invitam.* Ergò si conjux est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit, ipsum, votum continentiæ non observantem, cogere poteris intrare Monasterium. Sic Abbas cap. *Ad Apostolicam*, de Conversi. conjug. fine, cum Alijs, quos ibi citat Sanchez.

nex non servet votum continentiæ? *Cogetur ingredi Monast. ex cap. 18. de Conversi. conjug.* Sanchez. Abbas.

Nunquid etiam profiteri? Hoc durum videtur Sanchio. Quòd (inquit) non videam textum, expresse id decidentem. Prætereà; quia conjux hic non vovit Religionem: & durum est ipsum obligare ad rem tam arduam, ut meliùs servet castitatem, & ab incontinentia arceatur.

Nunquid etiam profiteri?

592. *Videtur quòd non ex Sanchez.* Deinde: quia magna est dissensio; an uxor juvenis, ac proinde ratione ætatis suspecta, vovens in sæculo continentiam, sit cogenda profiteri; an tantùm in Monasterium detrudenda, ut periculum cesset. Et quàmvis in eo casu verior sententia distinguat, an mulier sit juris conscia, nec ne: at in hoc eventu non potest habere locum ea distinctio. Nam jura jubent, cap. *Cùm sis*, cap. *Ad Apostolicam*, de Conversi. conjug. ut uxor juvenis tranleat ad Religionem, quò vir legitimè profiteatur; ac proinde uxor talis juris conscia, & dans licentiam viro profitendi, voto castitatis à se emisso, censetur ad Religionem se astringere. At quando uxor est senex, & non suspecta, contentum est jus solo voto continentiæ in sæculo. Quare ipsa voto suo ad id nec expresè, nec tacitè se obligavit. Non ergò cogenda est profiteri; sed arcenda in Monasterio ab incontinentia. Ita Sanchez.

593. *Quid si alijs tantùm vitijs vacet? Resolutio Abbatis.* Ast quid, si non incontinenter vivat; sed alijs vitijs vacet? Loquatur Abbas d. cap. *Ad Apostolicam*. Sed quæro (inquit ille) hìc solùm consideratur respectu remanentis suspicio incontinentiæ; quid si uxor remanens est antiqua, & sit sine suspicione incontinentiæ; est tamen suspecta de alijs moribus, si non erit sub cura mariti; putà, quòd fiet incantatrix, malefica, usuraria, vel quid simile: nunquid hoc casu maritus posset ingredi Religionem, uxore vovente continentiam? Ioan. Andreas tenet, quòd non: quia eadem ratio videtur in alijs malis moribus, sicut in suspicione incontinentiæ; ex quo enim non expedit alterius saluti, ut alter ingrediatur Religionem, non est hoc permittendum; fatetur tamen, quòd si contrà fiat, tenet ingressus; quia principaliter hic consideratur fides Matrimonij, quæ est unum de tribus bonis Matrimonij. Et hæc opinio satis mihi placet.

Ioan. And.

Sed dubium est: nunquid, si turpiter vivat post ingressum alterius, debeat compelli intrare Monasterium, sicut compellitur incontinenter vivens,

An debeat compelli intrare Monast.

vivens, de quo satis dubitò. Nam videtur, quòd debeat compelli ad benè vivendum ; non autem ut intret Monasterium, ex quo principaliter non peccat contrà Matrimonium. Ità Panormitanus.

Sanchez. Et hoc mihi placet, inquit Sanchez sup.

594. *Quid si voto unius amisso, Professio alterius non subsequatur ?*

Igitur, ut unus conjugum licitè profiteatur, non sufficit licentia alterius ; sed & alter debet ingredi Religionem, si est juvenis ; aut si est senex, saltem vovere perpetuam continentiam ante factam Professionem : quod tamen votum non obligat, si Professio non subsequatur, nisi aliud constet de mente voventis ; quia, per se loquendo, censetur factum sub tacita conditione: *Si alter profiteatur* : nam in ordine ad Professionem factum est.

Quid si Professionem factam absque licentia alter velit ratificare ?

Sed quid si alter conjux absque alterius licentia Professionem faciat, ac manens in sæculo, ratificare velit ? Non indiget Religionis ingressu, quàmvis juvenis sit ; sed satis est, si in sæculo castitatem voveat, inquit Sanchez sup. n. 14. cum Alijs, quos citat.

Sanchez.

595. *Sufficit ut castè vivat, secundùm Abbatem.*

Imò Abbas cap. *Placet*, de Convers. conjug. videtur dicere, quòd sufficiat, ut castè vivat, ibi: Sed quæro, quid si maritus reversus non repetijsset uxorem (sine ejus licentia professam, de hoc enim casu loquitur d. jus) dicit Hostiensis: compellendus est, aut uxorem repetere, aut Monasterium intrare, & hoc si erat juvenis ; si autem senex, debuisset emittere votum continentiæ. Vel potest dici, secundùm eum, quòd satis est ratificare post factum ingressum conjugis & castè vivere ; sed ante factum procedunt jura superiùs allegata. Et hoc mihi placet quoad utrumque casum, sive sit juvenis, sive sit senex, & nota hanc limitationem ad jura prædicta. Ita Panor.

Hostien.

Et sanè nescio ego, ubi jus requirat illud votum, & non Professionem ; si verum est, quòd jura superiùs allegata procedant tantùm ante factum. Unde, salvo meliori judicio, vel non tenetur ad votum, vel tenetur etiam ad ingressum, si juvenis est ; nam jura illa, quæ requirunt votum, etiam postulant ingressum.

596. *An ibi necessaria licentia Episcopi. Negat Sanchez, & resp. ad c. 23. 27. q. 1.*

Si autem à me quæritur : an præter jam dicta, necessaria sit licentia Episcopi ? Respondeo : Sanchez sup. n. 3. ait, eam non esse præceptam ; sed de honestate requiri. Nec obstat cap. 23. 27. q. 1. *Si vir & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenùs fine Episcopi conscientia fiat.* Tum (inquit hic Auctor) quia non est certum, id cap. loqui in nostro casu. Et ita Gloss. ibi verb. *Conscientia*, ait, posse intelligi, quando conjugati volunt Monasterium construere, ad quod transeant. Id enim sine Episcopi facultate ædificari nequit, cap. *Nemo*, de Consecr. dist. 1. Tum etiam ; quia consuetudine receptum est, ut ea licentia non petatur, ut testantur Ioan. Andr. & Card. Ita Sanchez.

Hæc sunt verba Glossæ : *Hoc generaliter obtinet, ut semper auctoritate Ecclesiæ fiat separatio, ut* 35. q. 6. Multorum, *sup.* 19. *q.* 2. Duæ. *Si tamen sine auctoritate Episcopi istud fiat, tenet ; ut generaliter interpretatur consuetudo : vel in eo casu exaudi, cùm volunt construere Monasterium, in quo se convertant sine licentia Episcopi ; arg. de Consecr. dist.* 1. Nemo.

Objicitur etiam cap. 1. de Convers. conjug. in quo ponderatur ignorantia Episcopi, ut patet ex casu, qui hisce verbis exponitur à Glossa : *Quidam laicus, præsentibus Sacerdotibus & Monachis, ignorante Episcopo, de licentia & permissione uxoris Monasterium intravit, & Professionem fecit, uxore in sæculo remanente, nec transeunte ad Religionem, aut continentiam vovente : quæritur, utrùm laicus ille posit ab Episcopo suo ad torum uxoris de Monasterio revocari ; an illa debeat compelli ad continentiam observandam ? Respondet ; quòd vir potest & debet de Monasterio revocari, nisi uxor ad Religionem transierit, aut castitatem perpetuo servare promiserit.*

597. *Objicitur c. 1. de Convers. conjug.*

Ergò illa licentia fuit necessaria, ut supponit Glossa ibi verb. *Revocari*, dicens : *Si vero senex est, sufficit sola licentia, interveniente auctoritate Episcopi.*

Gloss. ibi supponit necessitatem d. licentiæ.

Atque hujus sententiæ videtur fuisse Panormitanus in d. cap. Notab. 2. Arg. inquit, quod conjux non debet intrare Religionem ignorante Episcopo. Ratio ; quia cùm ex hoc contingat Matrimonij quoad torum separatio, non debet hoc fieri, cùm sit Sacramentum, in Ecclesia Dei, sine licentia Episcopi, qui in hoc est Vicarius Christi, 33. q. 5. cap. *Mulier*. Si tamen hoc fiat licentia Episcopi, qui in hoc est Vicarius Dei, tenet ingressus. Sic ille.

598. *Eamque videtur docere Panor. Probat.*

Sed inde sequeretur ; conjuges non posse toro separari, etiam secluso omni scandalo, & incontinentiæ periculo, utroque, ex mutuo consensu, in sæculo permanente : quod an Abbas concederet, nescio.

Expenditur probatio.

Existimat Sanchez sup. nil ad rem facere defectum licentiæ Episcopi, aut eam interveniſſe, quoad revocationem. Et ita (inquit) si conjux est professus ex licentia alterius, non intrantis Religionem, nec voventis continentiam, poterit revocari ; quàmvis ex licentia Episcopi id effectum sit : si verò alterum fecit, non poterit revocari, quàmvis Episcopi licentia defuerit :

Sanchez.

599. *Scientia vel ignorantia Episcopi nil confert ad revocationem.*

Quod clarè sentit Hostiensis c. 1. de Convers. conjug. statim in principio super verb. *Ignorante*, ubi eum textum ponderantem, ingressum factum fuisse Episcopo ignorante, explicat, id est, maximè ignorante Episcopo ; quasi dicat, idem esse, si sciente : atque ita scientiam ejus, vel ignorantiam, nil conferre. Et meliùs Anton. ibi n. 5. ubi ait : si nondum facta esset Professio, posse Episcopum revocare, donec cognoscat, an legitimus fuerit ingressus. Sentit ergò, factâ Professione, non esse revocationi locum : quod Episcopi auctoritas in ingressu desiderata sit. Hæc Sanchez probabiliter.

Hostiens. Anton.

Et de hac revocatione professi, eò quòd manens in sæculo non fecerit votum, instituitur

CONCLUSIO XVIII.

Matrimonio illæso, invalida est Professio unius, sine licentia alterius; cum ea valet: nisi tamen uxor ad Religionem transierit, aut perpetuam castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari, reversurus post mortem ejus.

600. *Prima pars est concors sententia DD.*

Quare dicam: *Matrimonio illæso*, patet ex supradictis de Matrimonio læso per adulterium; nam tunc valida est Professio innocentis sine licentia adulteri. Porrò illæso Matrimonio, esse invalidam, est concors Doctorum sententia, saltem in ratione Professionis, seu voti solemnis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis.

Habetur c. 3. de Conversi. conjug.

Et expressum habetur cap. 3. de Conversi. conjug. ubi Alex. III. in hanc formam rescribit Pisano Archiepisc. *Quidam intravit Monasterium invitâ uxore: quâ ipsum repetente, coactus est ad eam redire: eâ mortuâ, quaris; an ipse cogatur reverti ad Monasterium; an aliam possit ducere in uxorem. Consultationi tuæ taliter respondemus: quòd votum non tenuit, undè ratione voti ad Monasterium non tenetur redire: ulteriùs verò non poterit uxorem accipere: promisit enim se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat: & ideò quoad hoc votum tenuit: non reddere autem non erat in ejus, sed mulieris potestate: undè Apostolus: Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.*

601. *Præterea cap. 12. eod.*

Similibus verbis rescripsit Cælestinus III: & habetur cap. *Placet*, eod. *Solicitudo tua consuluit, utrùm mulier, quæ credens mortuum maritum, habitum Religionis assumpsit, & eo reverso, de Monasterio educta fuit, post obitum viri sit ad regularem observantiam compellenda. Super quo respondemus, quòd licet votum ejus usquequaq; non tenuerit, eatenùs tamen fuit obligatorium, quatenùs se poterat obligare: promisit enim intrando Monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius; redire verò ad saculum, in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti: & ideò quantùm ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desijt: cùm ad eum casum, a quo poterat efficax habere principium, pervenisse noscatur. Consultiùs itaque dicimus, & ei congruentiùs ad salutem, ut ad Monasterium redeat, ubi, bonâ ducta intentione, Professionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si verò ad hoc induci non poterit, ipsam invitam credimus non cogendam.*

602. *Talis Professio non habet vim voti solemnis. Sanchez.*

Quâ in re (inquit Sanchez lib. 7. disp. 34. n. 1.) id absque controversia est, Professionem illam minimè habere vim voti solemnis Professionis. Id enim uterque textus ferè expressè ait, dum eum conjugem non teneri ratione voti in Monasterio permanere, nec altero defuncto ad illud redire, decidit. Et ratio est; quod conjux dominium corporis sui minimè habeat, quòd illud in Religionis dominium transferre valeat. Sic ille.

An autem illa Professio habeat rationem voti simplicis; & utrùm obliget ad non petendum debitum, postquam professus revocatus fuit & redditus alteri conjugi, alibi discussimus, & ideò hìc pertranseo. Hoc tantùm dico; si nulla obligatio orta fuerit, etiam in ratione voti simplicis, constat profectò, post mortem alterius conjugis non teneri redire ad Monasterium: imò tametsi aliqua obligatio orta fuisset; non enim fuit obligatio intrandi Monasterium; sed non petendi seu exigendi debitum, ut dicta jura supponunt. Quæ licèt satìs clara videantur; equidem occasionem dederunt pluribus difficultatibus & diversis opinionibus Doctorum.

603. *An conjux revocatus possit petere debitum?*

In primis, quia utuntur illo verbo: *Exigere*, putant Aliqui, conjugem revocatum posse humiliter petere debitum; sicut conjux adulter licitè petit debitum ab innocente; estò non possit istud exigere, seu ad illud cogere.

Negat Sanchez.

Sed sententia hæc (inquit Sanchez sup. n. 4.) displicet: quòd valde dispar ratio sit: adulter enim privatur jure exigendi, in favorem innocentis, quo potest innocens cedere reddendo: ac proinde integrum est adultero supplicare, ut cedat, petendo humiliter corpus, non tamquam debitum; secùs cogendo per exactionem. At conjux hic professus privatur facultate exigendi, non in favorem relicti in sæculo, cui hic renuntiare possit; sed propter votum castitatis, quod obligavit inquantùm potuit, ut uterque textus ponderat. At ligato castitatis voto non tantùm exigere, sed petere debitum interdicitur. Quia petens immiscet se voluntariè actui carnis, nec astrictus lege Matrimonij, quæ solam redditionem jubet. Ac proinde absque dubio nec textus, nec Doctores, negantes huic facultatem exigendi, vim faciunt in coacta petitione; cùm voto castitatis valido innitantur. Et Aliqui utuntur verbo, *Petitionis*, dicentes, non licere huic petere. Ita Sanchez. Et placet.

Probatio

604. *An contradicat Navar.*

Nec videtur contradicere Navar. Sum. cap. 12. n. 60. ubi cum S. Thoma docet, votum conjugis de non petendo esse illicitum. Nam postquam explicavit dicta jura de non exigendo, hoc est, cogendo, actutùm subjungit: At verò votum non habendi copulam, nisi quando mos gerendus sit alteri conjugum, licitum est, vimque habet obligandi; quoniam qui tale vovet, sibi soli, & non alteri præjudicium facit; & quia, qui profitetur Religionem, vovet non habere copulam carnalem, alter conjugum, qui sine alterius consensu profitetur, non solùm vovet non exigere debitum; sed etiam neque petere, neque solvere; ideò ejus votum, quàmvis nihil valeat quoad non solvendum, & non petendum debitum conjugale, quatenùs alteri conjugi præjudicat, valet tamen quoad non exigendum, & non petendum, quatenùs sibi tantùm præjudicat. Quo fit, ut altero mortuo, hujusmodi conjux ad castitatem servandam teneatur; quamvis si posteà uxorem duxerit, Matrimonium

monium ſit validum. Hæc ille.

Probatur, quòd non.

Qui, ſicut dixi, non videtur contradicere doctrinæ Sanchij; quia tantùm vult, eum, qui ſic vovit invalidè Religionem, cum intentione ſe obligandi voto ſimplici caſtitatis, in caſu quo Profeſſio ſolemnis non valeret; eum, inquam, debere copulam conjugi, quando mos gerendus eſt ipſi, id eſt, quando explicitè vel tacitè copulam petit; quod Sanchez non negat, neque nos negamus, ut patet ex alibi dictis. Et hoc ſufficit, ut dicamus, iſtud votum ei non præjudicare. Neque enim habet jus, ut alter petat; ſed tantùm ut reddat, quando expreſsè vel tacitè ipſe petit debitum. Sic ego intelligo Navarrum.

605. *Gloſſ. c. 3. de Converſ. conjug. putat tale votum eſſe ſolemne.*

Qui ſatis clarè ibi dicit: Matrimonium, poſt mortem conjugis contractum, eſſe validum. Et meritò; quippè illud votum nullatenùs eſt ſolemne: quidquid dicat Gloſſa d. cap. *Quidam*, verb. *Non exigere*, ubi interrogat: *Sed pone, quòd contrahat, quid erit?* Reſpondet: *Tancredus dixit, quòd tenet Matrimonium; quia votum non fuit ſolemne; arg. inf. Qui clerici vel voventes*, Rursùs. *Alij dicunt, quòd non tenet Matrimonium, & debent ſeparari, inf. eod.* Ex parte, *& cap.* Conſuluit, *& hoc verius videtur; quia quantùm ad continentiam ſervandam, ſatis ſolemnizavit ipſum votum per ſuam Profeßionem.* Ita Gloſſa.

Sed ſine ſolido fundamento.

Sed ſine ſolido fundamento. Siquidem ex actione nullâ, ut nulla eſt, ſivè jure naturæ, ſeu jure poſitivo, nullus poteſt ſequi effectus; nam eſſe nullum, eſt deſtitutum fore virtute ad cauſandum effectum. Jam autem in caſu noſtro, ſolemnis Profeſſio nulla fuit; ergò non poteſt ſolemnizare votum ſimplex caſtitatis.

606. *Perperàm adducit c. 9. eod.*

Et idcircò perperàm adducitur d. cap. *Ex parte*, quod loquitur de Profeſſione valida, ſcilicet emiſſa de licentia alterius conjugis, ut patet ex illis verbis: *Quòd cum D. in infirmitate poſitus, conſentiente uxore, votum vovens caſtitatis monachalem habitum ſuſcepiſſet.*

Ubi Gloſſ. verb. *Conſentiente uxore*, inquit: *Sed dicatur, quòd in Decret. illa:* Quidam intravit, *tenet* (Matrimonium) *& ille non compellitur intrare Monaſterium: quia votum non fuit ſolemne, quia invitâ uxore hoc fecit; nec fecit ibi Profeßionem; hic verò conſentiente uxore Profeßionem fecit, inf. cap. prox.* (putà, *Conſuluit*) *& ſic omni modo quo potuit votum ſolemnizavit: unde quàmvis non debuerit vir tranſire, uxore in ſæculo remanente; tamen tenuit votum, & Monachus fuit: quia multa fieri non debent, facta tamen remanent, ſup. tit. prox.* Ad Apoſtolicam. *Vndè compellitur redire ad Monaſterium, uxore mortuâ.*

Sed contradicere videtur ſup. cap. 1. ubi mulier dedit licentiam viro, & tamen de Monaſterio revocatur, & reſtituitur uxori, niſi uxor caſtitatem promiſerit, aut ad Religionem tranſierit. Sed non dicitur, quod monachatus non tenuerit: unde mortuâ uxore, compelli debuit ad Monaſterium redire, & ita concordat cum iſta. Hactenùs Gloſſa.

607. *Probatur 2. pars Concluſ. ex d. cap. 9.*

Igitur d. cap. *Ex parte* ſup. à Gloſſ. ex adverſo adductum, tantùm probat ſequentem partem noſtræ Concluſionis; ſcilicet, *Cum ea valet.* Quod ut manifeſtius fiat, ſubſcribo totum textum.

Sic ergò ait Urb. III. cap. 9. de Converſ. conjug. *Ex parte Abbatis S. Petri ad audientiam noſtram pervenit, quòd cum D. in infirmitate poſitus, conſentiente uxore, votum vovens caſtitatis, monachalem habitum ſuſcepiſſet, poſtmodum liberatus uxorem retinuit, & aliam, eâ defunctâ, ſibi temerè copulavit. Quia verò, licèt prædictus D. uxore ſuâ remanente in ſæculo, de jure ad Religionem nequiverit proficiſci; eâ tamen ſublatâ de medio, votum ſine ſalutis ſuæ periculo non potuit violare. Mandamus, quatenus ſi verum eſt, quod aſſeritur, prædictum D. per excommunicationem compellas, ut muliere dimiſsâ, ad ſuum Monaſterium revertatur, ſub regulari habitu de cætero Domino ſerviturus.*

Et de eodem caſu intelligitur ab Aliquibus cap. 10. eod. *Conſuluit nos G. Sacerdos, utrùm vir ad Religionem tranſiens, & in ea per annum & amplius moram faciens, uxore ſuâ, poſtquam ad domum tranſierat regularem, de præſenti vita ſublatâ, ſæcularem habitum reſumere valeat, & aliam ducere in uxorem, vel ſi ductam ei liceat retinere. Conſultationi hujuſmodi taliter reſpondemus, quòd prædictus vir, nec habitum poteſt abjicere, quem aſſumſit, nec aliquam ſibi Matrimonio copulare. Quòd ſi contraxerit Matrimonium, ipſum decernimus dirimendum.* 608. *Itemque ex cap. 10. eod.*

Ubi Gloſſa verb. *Dirimendum*, infert: *Ergo votum ejus fuit ſolemne, ex quo ſeparat Matrimonium, inf. Qui Cler. vel voven.* Rursùs. *Quod verum puto: quia de licentia uxoris intravit, & ita tenuit ingreſſus.* *Explicatio Gloſſæ.*

Sed dicet aliquis: in textu nulla fit mentio licentiæ uxoris: ergò gratis ea aſſeritur. Unde & hæc ipſa Gloſſa aliam addidit explicationem verb. *Tranſiens*, dicens: *De conſenſu uxoris, quæ ſenex erat, vel promiſit vitam mutare, 27. q. 2.* Agathoſa. *Vel ipſe poſt mortem uxoris ratum habuit, quod priùs fecit.* 609. *Rejicitur. Alia expoſitio.*

Verùm & hanc explicationem rejicit Abbas ibi n. 1. Ex iſta Gloſſa, inquit, colliguntur duo intellectus ad textum, ambo divinantes. Primus, quòd uxor dedit huic licentiam, & ſi erat juvenis, promiſit intrare Religionem. Sed certè hoc non colligitur ex litera; & hoc præſuppoſito, quod dicit Gloſſa, vana fuiſſet conſultatio. Secundus intellectus; quod ex prima promiſſione maritus non fuit obligatus Religioni, ex quo non habuit uxoris conſenſum; ſed obligatur ex ratificatione, quam fecit poſt mortem uxoris; & iſte intellectus eſt indubius, & nullo modo colligitur ex textu. Ita Abbas. *Diſplicet Abbati.*

Et paucis interjectis, ait: Sed Petrus poſuit hic alium intellectum; quòd textus ille loquitur, quando uxore ſciente, & diſſimulante, maritus intravit Monaſterium: ſi enim non revocavit in vita, non poteſt maritus poſt mortem exire Monaſterium; & iſte eſt verus intellectus cap. quem videntur ſequi Ioan. And. & Cald. Sic ile. 610. *Tertia explicatio, quàm approbat Abbas.*

Multoſque alios pro illo intellectu citat Sanchez ſup. diſp. 35. n. 15. & rationem dat: quòd per illam diſſimulationem & ſilentium uſque ad mortem videatur conſenſiſſe. Ipſe autem exiſtimat, Profeſſionem ratam non effici ſolâ morte *Sanchez.*

con-

conjugis, nisi nova ratificatio cum cæteris requisitis accedat, contra dictos Auctores, docentes, talem ratificationem non esse necessariam.

611. *Putat hic, per solam mortem uxoris validari Professionem. Probatio.*

Potest dici (inquit Abbas sup.) quòd sive uxor dissimulaverit, sive ignoraverit, sive contradixerit, ex quo de facto non fuit revocatus in vita uxoris, non potest post mortem ejus exire Monasterium; sed incontinenti post mortem uxoris fuit validata prima Professio.

Ratio: quia intrans Religionem semper videtur intrasse causâ serviendi Deo, & mutandi vitam: undè incontinenti, quando fuit sublatum obstaculum per mortem uxoris, remanet Professio sua valida, quæ quoad ipsum semper tenuit: secùs in Matrimonio carnali; quia contrahens cum secunda habet semper animum depravatum, & non intendit matrimonialiter consentire; sed potiùs secundam uxorem decipere: undè iste consensus est illegitimus, nec propriè dicitur consensus, sed dissensus: aliud est in ingrediente Religionem, quia, ut sup. dixi, semper habet animum mutandi vitam: & per hoc habes intellectum ad istum textum, ad cap. *Quidam*, sup. eod. & ad cap. *Placet*, inf. eod. Hucusque Panormit.

612. *Non convincit.*

Nunquid audiendus? Non puto. Nam in primis, fieri potest, ut ingrediens Religionem non habeat animum mutandi vitam; sed decipiendi Religionem, aut evitandi molestias Matrimonij, seu alterius conjugis; probè sciens, Professionem suam, sine licentia ejus, esse invalidam, nullatenùs intendens se obligare vel ad castitatem, vel ad ingressum Religionis.

Atque ut bonâ fide procederet, & haberet animum mutandi vitam; fieri etiam potest, ut contrahens cum secunda uxore, vivente primâ, bonâ fide id faciat, existimans priorem mortuam. Censen' tali casu per solam mortem prioris, secundùm Matrimonium fieri validum, sine novo consensu expresso vel tacito? Scio, quòd non censeas.

Infertur op positum.

Ergò consimiliter in hoc casu, licèt talis conjux bonâ fide professus fuerit, existimans Professionem suam validam, cum sincero animo mutandi vitam; equidem si reverà Professio facta irrita fuit, defectu licentiæ alterius conjugis, quantumvis hæc moriatur, Professio priùs facta non fiet rata & firma, nisi accesserit novus consensus, expressus vel tacitus, post notitiam mortis, & invaliditatis prioris Professionis.

613. *Probatur à simili.*

Et pro confirmatione quæro; an qui bonâ fide professus fuisset in Religione quacumque, ante decimum sextum ætatis annum expletum, animo mutandi vitam suam, post expletum annum istum, sine novo consensu obligetur ad

Trident. observantiam illius Religionis? Responsio negativa exprimitur in Trid. Sess. 25. de Regular. c. 15. *In quacumq; Religione tam virorum quàm mulierum, Professio non fiat ante 16. annum expletum..... Professio autem antea facta sit nulla, nullamq; inducat obligationem, ad alicujus Regulæ vel Religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscumq; effectus.*

Cur ergo Professio irrita defectu licentiæ conjugis inducet obligationem ad observantiam Religionis invalidè professæ? An fortè, quia jus in hoc casu contrarium statuit? Sed ubi? In cap. *Quidam*, & cap. *Placet*, ut vidimus, expressè dicitur, hujusmodi professum ratione voti nullatenùs teneri ad Monasterium redire, aut invitum ad reditum esse compellendum.

Confirmatur.

Sanè si Pontifices existimassent, talem Professionem, irritam in ratione voti solemnis, obligare ad reditum per modum voti simplicis, post mortem alterius conjugis, cur id non expressissent; sicut expresserunt, votum castitatis obligare ad non petendum debitum?

614. *Objectio.*

Dices: expressit id Clem. III. d. cap. *Consuluit*, illo casu, quo is qui professus fuerat, non erat ante mortem conjugis ab ea revocatus.

Solvitur.

Respondeo: vel non revocatio seu dissimulatio, quando alter conjux posset facilè revocare seu contradicere, sufficit, ut Professio, dum primò emittitur, valeat, vel non. Si ita, res clara est, Matrimonium, post mortem cum altera initum, non valere; sed dirimendum esse, ut habetur d. cap. *Consuluit*. Sin autem non valeat; dico iterùm, neque per expressum consensum conjugis viventis, nedùm per dissimulationem seu non revocationem usque ad mortem, Professionem illam fieri validam; cùm nec ipse Pontifex possit supplere defectum consensûs, in Professione requisiti, magis quàm in Matrimonio. Nisi ergo ipse invalidè professus novum eliceat consensum, sive expressè sive tacitè, non obligatur ad observationem Religionis. Ita nobiscum sentit Sanchez sup. disp. 35. n. 15.

615. *An per revocationem irritetur votum simplex Religionis in casu proposito.*

Vellem utique scire, quid operetur illa revocatio, aut non revocatio conjugis, ut Professio invalida obliget, vel non obliget per modum simplicis voti Religionis. Si dixeris: per revocationem irritatur istud votum. Interrogo, cur magis, quàm votum castitatis?

Sanchez. Sanchez sup. disp. 34. n. 10. ait: Non est, cur dicatur, votum Religionis omninò irritatum; non autem votum castitatis: præcipuè, quia votum Religionis, quoad obligationem illud implendi post mariti revocantis obitum, non videtur in mariti præjudicium: at votum castitatis, manens quoad obligationem non petendi debitum, cedit in viri detrimentum. Quippè cogetur semper petere debitum, & sollicitus esse de tacita uxoris voluntate conjectanda ac exploranda, ut ipsi, vitans ejus incontinentiæ periculum, reddat. Et ipsa stimulis conscientiæ urgebitur, dubitans, an tacitè petat, nec ne; ac proindè votum violet. Si ergo votum illud castitatis nullo modo irritatum est, cur id de voto Religionis asserendum erit? Ita interrogat Sanchez.

616. *Quare votum castitatis in d. casu partim obliget, & non votum Religionis ex Sanchez.*

A quo si petas rationem discriminis inter votum castitatis & Religionis, in ea Professione factâ, ob quam illud partim obliget, ut Multi volunt, hoc autem sit prorsùs obligandi vi destitutum. Respondet ocyùs: votum castitatis non emittitur per modum unius, & cujusdam rei individuæ; sed continet obligationem dividuam, id est, quæ commodam divisionem patitur:

cùm

cùm suâpte naturâ obliget ad abstinendum illicito concubitu, & conjugali, & Matrimonio incundo, qui actus commodè secerni possunt. Undè jure optimo interpretatur Ecclesia dividendam esse hanc obligationem, ut tempore, quo tota hæc obligatio non potuit consurgere ex voto, ob Matrimonij impedimentum, ea saltem oriatur, cui lex Matrimonij priùs initi non adversatur.

617. *Obligatio voti castitatis non dividitur quoad tempus.*

Nec est verum, hanc obligationem dividi quoad tempus: sed statim obligat ad omnes actus, quos vinculum fortius conjungi patitur. Sicut si quis, emisso castitatis voto, uxorem ducat; quàmvis stante Matrimonio teneatur reddere, non est dicendum, obligationem divisam esse quoad tempus; sed semper astrinxit ad omnes actus: impeditur autem ad tempus ratione vinculi fortioris. At verò obligatio permanendi perpetuò in Religione sub obedientiæ jugo, in qua consistit votum Religionis, in Professione factum, dicit obligationem quamdam individuam ad unicum actum permanendi ex tunc in perpetuum in Religione: atque adeò, si tunc temporis obligatio induci non potuit, est omninò irrita. Neque quoad tempora dividenda est. Quia obligare se Religioni de præsenti, non claudit temporum distinctionem; sed ex tunc est perpetua obligatio per modum unius.

Neque obligatio voti Religionis.

618. *Probatio à simili.*

Velut qui cùm sit conjugatus, init aliud Matrimonium, obligat se de præsenti, & per modum unius ad vitam perpetuam conjugalem; & quia pro tunc est inhabilis, nullam vim habet contractus ille, nec Matrimonij, nec sponsalium; quòd ad utrumque sit inhabilis. Secùs quando impuberes contrahunt Matrimonium; cùm enim sint sponsalium capaces, valet ut sponsalia. Sic igitur, cùm conjugatus sit pro tunc inhabilis ad tradendum se Religioni sive voto simplici sive solemni; utrumque enim obligat ipsum ad separationem perpetuam à conjuge, inde est Professionem illam non valere, ut votum solemne, nec ut simplex. Hucusque Sanchez.

Expenditur ab Auctore.

Sed mihi non est evidens, quin conjugatus posset se obligare validè ad contrahendum Matrimonium post mortem præsentis uxoris. An autem hoc faciat implicitè, dum actu init aliud Matrimonium, non ausim affirmare. Et similiter non est manifesta ratio, ob quam conjugatus, sine licentia uxoris, nequeat validè promittere Deo & Prælato Religionis ingressum post mortem uxoris. Quod autem eum promittat per hanc invalidam Professionem, mihi non constat.

619. *Gloss. c. 21. 27. q. 2. docet, non obligare d. votum Religionis post mortem conjugis.*

Glossa cap. *Agathosa*, 27. q. 2. verb. *Debeas*, interrogat: *Sed nunquid eâ mortuâ, poterit Abbas istum repetere: vel iste poterit aliam ducere? Dicendum, quod Abbas istum repetere non poterit: quia votum nullum fuit, & non fuit Monachus: non tamen aliam ducere poterit: quia quantùm in se fuit, se voto obligavit; si tamen duxerit de facto, tenet, & erit Matrimonium inter eos.*

Refertur verbo ad cap.

Porrò d. cap. sic sonat: *Agathosa latrix pra-*

sentium questa est, maritum suum, contrà voluntatem suam, in Monasterio Vrbici Abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem Abbatis culpam & invidiam non est dubium pertinere; experientia tua præcipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne fortè cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, & illum in Monasterio remanere provideat, & hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quondam fornicationis crimen (propter quod viro licet dimittere uxorem) prædictam mulierem commisisse cognoveris: ne illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio; volumus, ut maritum suum illi, etiamsi jam tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante. Ita Hadrianus Panormitano notario.

620. *Consonat Doct. Seraph.*

Consonat Doct. Seraph. 4. dist. 27. in Exposit. lit. n. 4. *Dicendum, quod talis, qui intravit Religionem, aut intravit uxore nolente, & non consentiente; tamen in sæculo existente, & contradicente, & talis non tenetur ad Religionem; quia non potuit votum emittere; imo si repetat, ei reddendus est: tenetur tamen, quantùm in se est, continentiam servare: undè cum alia non potest contrahere; quia continentiam, quantùm in se est, potuit servare, sed non Religionem intrare; quia potuit non exigere, sed tenebatur reddere. Aut intrat Religionem uxore volente; sed tamen in sæculo remanente: & talis solvitur à viro non simpliciter, sed ad tempus; nec omninò, sed solùm inquantum votum erat in præjudicium mulieris. Et hoc habetur in quadam Decret. de Convers. conjug. Ex parte.* Ita D. Bonav. Ubi, ut vides, docet, votum, de quo hìc tractamus, non obligare ad Religionem.

621. *Rejicitur quædam Gloss. contraria.*

Undè nullatenùs audienda Glossa d. cap. *Quidam*, verb. *Non tenetur*, ubi id explicat, dicens: *Id est, non debet ab Ecclesia, compelli, ipse tamen peccat, si non perficit, quod vovit, ex quo impedimentum cessavit; arg. 17. q. 2. Nos novimus.*

Sed hoc argumentum frivolum est: nam d. cap. non agitur de eo, qui invalidè fuerat professus; sed qui emiserat votum simplex Religionis, & posteà contraxerat Matrimonium: sic namque incipit: *Nos novimus, nos testes sumus, quòd omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & in otium sanctum te conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei Monachi vivunt. Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti, uxoremq; duxisti.* Cap. 2. 17. q. 2.

622. *Ostenditur jus, quod citat, non facere ad propositum.*

Attende nunc, quid dicat Glossa, exponens casum: *Bonifacius Comes promisit se Monachum fieri, postea duxit uxorem; undè quæsivit ab Aug. utrum ratione prioris voti, uxore non obstante posset continere. Et respondet Aug. quod non: quia uxor innocua, quæ sine fraude nupsit, est impedimento.*

Sed quid hoc ad propositum nostrum? Ut supponitur, ante Matrimonium validè promiserat intrare Religionem: quid ni ergò, cessante illo impedimento, debeat votum suum

adimplere ? In nostro autem casu Professio fuit invalida. Et ideò cessante Matrimonio non solùm non debet compelli ; sed absolutè non tenetur intrare Religionem.

623. *Occurritur objectioni.* Scitè novi, quod ponitur in fine d. cap. *Placet : Si verò ad hoc induci non poterit, ipsam invitam credimus non cogendam.* Sed quid inde ? Si reverà teneretur ingredi, quare non foret compellenda seu cogenda ? Quomodo rectè diceret Pontifex ibi, consultius esse & ei congruentius ad salutem, ut ad Monasterium redeat ? Quid absurdius dici posset (inquit Sanchez sup. n. 12.) quàm congruentius esse ad salutem non fornicari, votum observare, ac reliqua præcepta ? Debuisset ergò Pontifex dicere, id esse necessarium. Quod cùm non fecerit, nullam agnovit strictam obligationem ad Monasterium redeundi : ergò nec nos agnoscamus. Sanchez.

Ita invalidè professus potest exire invitâ uxore. Et consequenter asseramus, ita professum invalidè posse de Monasterio exire, non tantùm revocatum ab uxore ; sed & invitâ uxore ; idque propriâ auctoritate in foro conscientiæ, secluso semper scandalo, etiam post mortem uxoris ; nisi ratificasset per novum consensum explicitum vel tacitum priorem Professionem, cæteris accedentibus, quæ requiruntur ad validam Professionem. Si tamen malâ fide professus fuisset, Religio in pœnam delicti posset eum cogere ad manendum, vel aliâ viâ satisfaciendum injuriæ sibi illatæ.

624. *Objicitur cap. 12. de Convers. conjug.* Obstare videtur, quod legitur d. cap. *Placet : Redire verò ad sæculum, in ejus potestate non erat ; sed in potestate mariti.* Ubi Gloss. verb. *In ejus potestate non erat*, inquit : *Et sic auctoritate propriâ exire non poterat. Quid si exivisset de facto, nunquid esset compellenda redire ? Videtur quod non, per id, quod dicit in fine.*

Solutio Sanchez. Respondet Sanchez sup. n. 15. ubi tenet nostram sententiam : manifesta mens illius textûs est, non esse in potestate uxoris in Religione manere : atque ita, redire ad sæculum non esse in ejus potestate, accipiendum est, id est, deserto marito profiteri, nec redire ad pristinam conjugalem vitam. Quid ex ratione textûs colligitur ; intendit enim probare, votum Religionis non tenuisse ; at castitatis partim tenuisse ; quòd in ejus potestate sit, abstinere à debiti exactione, quod ad votum castitatis pertinere constat. At manere in Religione, quod attinet ad Religionis votum, non suberat ejus potestati, sed mariti ; aliàs ratio illa frivola esset. Sic ille.

Breviter : illud est in potestate alicujus, quod potest facere, & non facere ; jam autem redire ad sæculum, non est in potestate uxoris ; quia licèt propriâ auctoritate possit redire ; non tamen propriâ auctoritate permanere in Religione, sive non redire.

625. *Probatur, quòd possit redire propriâ auctoritate, ex c. 17. eod.* Porrò quòd possit redire propriâ auctoritate, videtur colligi ex cap. 17. de Convers. conjug. sequentis tenoris : *Accedens ad præsentiam nostram, I. mulier proposuit, quòd cùm V. vir ejus, eam sibi Matrimonio copulasset, volens tandem idem vir habitum assumere monachalem, postulabat humiliter ab eadem, ut tam pio proposito faveret ipsius ; quæ propter multa verbera, & alia gravamina, quæ dictus vir inferebat eidem, se ipsam asserens dimissurum, annuit votis ejus. Cumq; idem vir in domo de Vader. Cistercien. Ordinis, Religionis habitum assumpsisset : mulier in domo Monialium, nullo ibi habitu Religionis assumpto, vel voto conversionis emisso, permansit : processu verò temporis, cùm idem vir ad sæculum rediens, Religionis habitum reliquisset, eadem mulier se instanter ab ipso petijt reassumi.* Et infrà : *Quocirca discretioni vestræ mandamus, quatenùs si res ita se habet, dictum virum, ut eam recipiat, eiq; affectum exhibeat conjugalem, appellatione remotâ, cogatis.* Ita Innoc. III.

626. *Est sententia Abbatis & Innoc. contra Ioan. Andr.* Ubi Abbas n. 3. quærit : Nunquid maritus iste potuit licitè relinquere habitum, & propriâ auctoritate exire Monasterium ? Joan. Andr. dicit, quòd non ; sed quòd peccavit secundùm eum ; quia quoad se, & sui præjudicium potuit Monasterium intrare ; uxor tamen potuit eum invitum de Monasterio abducere. Et hoc ultimum tenet hìc Innoc. Sed primum dictum Ioan. Andr. non videtur usquequaque verum, & contrarium apertè sentit Innoc. in cap. *Quidam*, sup. eod.

Probatur ratione. Probatur ratione : non enim potest maritus uxore invitâ emittere votum continentiæ, ut in cap. *Vna sola*, 33. q. 5. Item, maritus iste multùm peccavit, uxorem deserendo, aut dando sibi causam adulterandi, ut in cap. *Si tu abstines*, 27. q. 2. Ergò ut non perseveraret in peccato, & ut mulier non incideret in adulterium, licitè potuisset propriâ auctoritate exire. Undè hìc in nullo notatur maritus iste, quòd habitum reliquit. Ita Panormit.

627. *Ea utitur etiam Sanchez.* Atque hâc ratione utitur etiam Sanchez sup. dicens : Conjux absque alterius licentia post consummatum Matrimonium profitens, est reus injustitiæ lethalis, instar rei alienæ raptoris : quòd si bonâ fide professus sit, existimans alterum obijsse, aut absque ejus consensu id sibi licere, excusatur à culpa per ignorantiam : at veritatis certior factus, habebit se in posterum instar rei alienæ bonâ fide possessoris, jam rem alienam esse cognoscentis. At uterque tenetur statim restituere ; nec opus est, ut verus dominus repetat, nisi liquidò constet, retentionem esse ex illius consensu. Ergò ut injuriam illatam resarciat conjugi spoliato, poterit hic propriâ auctoritate exire ; imò & tenebitur, si commodè possit. Sic ille.

Ad idem inducit c. 2. 33. q. 5. Qui ad idem propositum inducit cap. 2. 33. q. 5. in fine : *Non enim violentiâ ; sed ex pari voluntate & consensu (sicut sancti Patres dicunt) hoc fieri debet : neque vir Monasterium eligere, aut professâ continentiâ habitum cum festinatione debet mutare.* Ubi Gloss. verb. *Cum festinatione*, in fine : *Vtrùm*, inquit, *vir, qui sine licentia uxoris intravit Monasterium, auctoritate suâ exire possit, dubitari posset, & videtur ex hoc cap. quòd possit, inf. eâd. Vna sola.*

628. *Favet etiam cap. 6. eâd.* In quo utique textu Augustt. ita loquitur : *Nam & vovenda talia* (intelligit vota continentiæ)

nentiæ) *non sunt à conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi : & si præproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potiùs usurpare vitat alienum.* Ubi Gloss. verb. *Corrigenda*, inquit : *Et est hic arg. quòd si alter sine licentiâ alterius intret Religionem, quod suâ auctoritate potest exire.*

Hæc sententia videtur Pontio difficilis. Requirit judicium Ecclesiæ.

Sed id difficilè videtur Pontio lib. 9. cap. 11. n. 8. Existimo (inquit ille) debere rem hanc examinari in judicio. Non dico, uxorem debere repetere ; sed sive repetente uxore, sive eo petente, qui nulliter professus est, debere in judicio causam agi. Cùm enim constet, illum publicè professum esse, constet etiam necesse est de nullitate Professionis.

629. *Probat ex Trident.*

Ad id me movet ; quod in Trident. habetur sess. 25. de Regular. cap. 19. ut ex quacumque causa velit habitum dimittere, qui professus est, res examinetur coram Prælato & Ordinario, aliàs tamquam apostata puniatur. Non ergò iste potest habitum sponte dimittere ; illud enim, *Sponte*, ibi idem est, ac propriâ auctoritate. Sic ille.

Omitto Declarationem Card. apud Farinacium, in qua (ut ait idem Auctor) satis apertè insinuari videtur, rem hanc propriâ auctoritate fieri non licere. Omitto, inquam, illam ; quia facilè responderi posset, de ea non constare authenticè post Urb. VIII. nisi in authentica forma, solito sigillo & subscriptione Eminent. Card. Præfecti, ac Secretarij ejusdem Congregat. pro tempore existentium, munita fuerit. An autem hanc munitionem habeat, mihi non constat. Vide Farinacium, & ilicò cognosces.

630. *Resp. Pontij ad rationem Sanchez.*

Porrò ad rationem Sanchez respondet Pontius n. 9. Non negamus teneri ; sed præceptum implet, & obligationi satisfacit, si servatis his, quæ jure servari debent, restitutionem faciat. Quare dum de restituendo se uxori agit per media juris, immunis est à peccato ; sicut & qui agit de restituendo per media, quibus uti datur. Ita Basilius.

Non satisfacit.

Prorsùs immunis est à peccato ; sed in foro, in quo media juris applicanda sunt, scilicet in foro externo. Alioqui in foro conscientiæ, in quo Sanchez docet, egressum propriâ auctoritate licitum esse, dum sine scandalo fieri potest, & sine alijs maximis incommodis, quomodo erit immunis, si illo medio non utatur, quo commodè uti potest ? Tu cogita. Et ita Trid. Sanchio non repugnat ; quia Concilium loquitur de foro externo, in quo res coram Prælato & Ordinario deduci debet ; & non est reclamans audiendus, nisi intrà quinquennium tantùm à die Professionis, ut ibidem præscribitur.

Trid. non repugnat Sanchio.

631. *Quid Pontius respondeat ad jura sup. adducta. Ad 1.*

Sed videamus, quid Basilius respondeat ad jura sup. adducta. Hæc (inquit ille n. 10.) non obstant : nam in cap. *Accedens*, narratur tantùm, virum illum ad sæculum redijsse : at non constat ex eo capite, quomodo redierit, an ipse habitum sponte dimiserit, an ejectus fuerit à Prælato, cognitâ causâ, aut ob culpas & defectus aliquos, & ita ex eo cap. firmum argumentum sumi non potest.

Neque obstat etiam textus in d. cap. 2. 33. q. 5. Et quidem ex ultimis verbis posset aliquis colligere, potiùs ibi reprehendi eam habitûs dimissionem cum festinatione ; dicitur enim : *Neque vir Monasterium eligere* &c. Sed ista mendosa esse, advertunt Decreti Gregoriani Censores : sic enim apud Ivonem, & in Panorm. legitur : *Neque vir in Monasterium recipiendus est, nisi uxor illius fœmineum Monasterium elegerit, aut professa continentiam, habitum cum festinatione mutaverit.*

632. *Ad secundum.*

Dico ergò ; illum non egressum propriâ auctoritate, sed reclamante & repetente uxore, & causâ cognitâ. Idque colligitur ex textu, cùm inquit : *Tua uxoris reclamationibus, ejulationibus, & planctibus, tuæ familiæ dispersionibus devictus, utpotè pœnitens domum remeasse.* Quæ sanè indicant, mulierem repetivisse, reclamasse, & ita tandem egressum. Ita Pontius.

633. *Expenditur resp. ad 2.*

Ast numquid hæc indicant, mulierem repetivisse & reclamasse coram Prælato & Ordinario ? Sanè in textu dicitur, virum *Monasticam vestem sine Abbate sumpsisse, & Monasterium petijsse.* Ergò, dicet aliquis, verisimile est, mulierem apud solum virum ejulationibus & planctibus suis eum revocasse, & ad pœnitentiam induxisse.

Contrà resp. ad 1.

Quantùm ad d. cap. *Accedens* ; Sanchez nuspiam dicit, ex eo sumi firmum argumentum, sed ait : Hoc videtur colligi ex cap. *Accedens*, ubi Pontifex narrat, virum de licentia uxoris metu extorta professum exijsse, nec illi ascribit exitum culpæ. Et melius ex cap. 2. 33. q. 5.

634. *Resp. Pontij ad d. cap. Una sola.*

Rogas ; quid respondeat Basilius ad d. cap. *Una sola* ? Augustin. (inquit) in d. cap. solùm affirmat, ea vota de communi consensu faciendâ, quod verissimum est ; & secùs facta corrigenda & non implenda. Sed non exprimit, quomodo sit corrigenda temeritas ; neque est ullum verbum, unde colligatur, Aug. agere de corrigenda temeritate post transitum ad Religionem : & quando ageret, intelligeret corrigendam cum causæ cognitione, & servatis his, quæ de jure servari debent. Adde : etiam his nihil probari contrà formam, noviter inductam per Tridentinum in habitûs dimissione quacumque ex causa. Sic ille.

Examinatur.

Qui benè advertit, nullum esse verbum apud S. Augustin. undè colligatur transitus ad Religionem. Imò contrarium potiùs colligitur ex prioribus verbis d. cap. *Una sola causa esse posset, quâ te id, quod vovisti, non solùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere ; si fortè tua conjux, hoc tecum suscipere, animi seu carnis infirmitate, recusaret.* Ergò nondum transierat ad Religionem ; sed solùm voverat transire.

635. *Tr. id. sup. loquitur de foro externo*

Interim Gloss. ut sup. vidimus, ex d. cap. sumit arg. *Quòd si alter sine licentia alterius intret Religionem, quòd suâ auctoritate potest exire.* Quod non est contrà Tridentinum ; id namque loquitur de foro externo. Quamquam & in foro conscientiæ servandum, quando aliter sine scandalo fieri non potest. Et hoc plerumque verum est. Quippè cùm constet de Professione,

judicatur valida, quousque manifestè probetur irrita; cùm Religio sit in possessione.

Cæterùm, si reverà Professio fuerit invalida, non ratificabitur, sicut anteà adhuc dixi, per hoc præcisè, quòd alter conjux in vita sua non reclamet. Quòd si jam conscius mortis & nullitatis suæ Professionis, in Religione perseveret, exercendo actus professorum, concurrentibus etiam alijs, si quæ necessaria sint, fit tacitè professus, & ad sæculum redire non potest.

636. *In quo casu Pontius intelligat cap. 10 de Conv. conjug.* Atque in hoc casu intelligo (inquit Pontius sup. n. 12.) textum aliàs difficilem in cap. *Consuluit*, 10. de Convers. conjug. cui Tho. Sanchez, secutus Glossam, non affert idoneam interpretationem. Mihi germana videtur; quòd ille conscius mortis uxoris, perseveravit in Monasterio per annum & amplius. Ex ipso enim textu videtur colligi, ante id tempus jam defunctam uxorem; & ideò Pontifex judicat illum tacitè professum, & non licere ad sæculum redire, neque contrahere, & si contraxerit, dirimendum Matrimonium. Ita Basilius.

Intellectus impugnatur Ego ex illo textu nullatenùs possum colligere, ipsum conscium mortis uxoris perseverasse in Monasterio per annum & amplius: nam solùm quærebatur ibi; utrùm vir ad Religionem transiens, & in ea per annum & amplius moram faciens, posset, uxore defuncta, sæcularem habitum resumere. Videantur verba juris, uperiùs recitata, & dispiciantur; puto, quòd ex nullo diligens perscrutator colligere poterit, illam moram fuisse post mortem uxoris.

Sed esto: quare Pontifex ex illa mora judicat eum professum potiùs tacitè; quàm de novo expressè? Cur non judicat, illum suam Professionem ratificasse, quæ est una ex interpretationibus Glossæ, ut sup. vidimus, quam sequitur Sanchez? Quare hæc interpretatio minùs idonea, & minùs germana est, quàm Pontij? Expectabo responsionem.

637. *Quia post Professionem, sine licentia factam, conjux consentit?* Interea quæro: quid si conjux, sine cujus licentia Professio facta est, præstet huic consensum suum? Adhuc manet Professio irrita, & professus potest resilire. Quidquid dicat Gloss. cap. 3. 33. q. 5. verb. *Conjugium*, ubi interrogat: *Sed pone, quod mulier sine licentia viri intret Religionem, immò viro contradicente; post vir consentit, sed ipsa contradicit, nunquid potest ipsa exire? Videtur quod non: quia ultimus consensus confirmat præcedentes .... Quidam dicunt, quod exire potest; sed contra eos est ext. De Eo qui duxit in Matr. c. 1. per quod dico, quod exire non potest.*

Sanchez ait adhuc posse exire, & probat. Sed probabilius est (inquit Sanchez sup. disp. 34 n. 16.) eum posse in foro conscientiæ exire, non obstante consensu manentis in sæculo, & posse hunc ab illo repeti. Ducor; quòd ea Professio semel irrita tractu temporis convalescere absque nova ratificatione; nec obligavit ut simplex Religionis votum.

638. *Ratio præcluditur.* Nec potest dici; eam Professionem non fuisse omninò cassam, sed ex futuro eventu pendentem. Quia Professio non potest esse in pendenti; nec Ecclesia potest supplere consensum, ut valida efficiatur Professio: nec potest emitti sub conditione de futuro: in quo distant Matrimonium carnale & spirituale. Quare vel tunc debet Professio habere suum omnimodum valorem & efficaciam, aut valore carere, quando fuit emissa. Cùm igitur tunc nullam obligandi vim sortita sit, non potest convalescere, accedente novo conjugis relicti in sæculo consensu, nisi professus ipse denuò ratificet. Sic ille. Tu cogita. Ego non satis capio illam distantiam inter Matrimonium carnale & spirituale. Undè desidero majorem ejus dilucidationem, antequam credam.

639. *Loquitur Sanchez. in foro conscientiæ.* Sed progrediamur in Sanchio. Dixi (prosequitur) *In foro conscientiæ non teneri*: quia si ille decepisset Religionem, tacens conjugium, & accedente consensu alterius conjugis nollet ratificare priorem Professionem, posset Religio eum cogere in foro externo. Et hoc probat cap. 1. de Eo qui duxit in Matr. quod Glossa pro contraria opinione retulit. At in foro conscientiæ, sicut Religio, cognitâ veritate, non tenetur eum retinere, utpotè qui verè professus non est; ita potest ipse, cessante scandalo, exire, ut contractus utrasque ex parte æqualis sit. Hactenùs Sanchez. Quem sequitur Pontius sup. n. 11.

Conjux in sæculo relictus non potest eo invito Religionem ingredi. Sanchez. Et quoniam verè professus non est, conjux in sæculo relictus nequit eo invito Religionem ingredi. Quippè per illam Professionem invalidam non amisit jus, quod ante habebat, ne alius diverteret eo invito; quia, ut notat Sanchez sup. n. 23. ubi tenet hanc sententiam, delictum non præstat jus alteri divertendi, quando non est ex ijs, ob quæ licitum est divortium.

640. *Opposita in aliquo casu docet Gloss. c. 3. de Conv. conjug.* Nihilominùs oppositum aliquando verum esse, docet Glossa d. cap. *Quidam*, verb. *Non exigere*, ibi: *Item quæritur; utrùm mulier possit intrare Monasterium in casu isto, invito viro. Hic potest distingui, an sit reconciliatus ei, & eductus de Monasterio, & tunc non potest eo invito intrare, arg. 35. q. 5.* Quod Deo pari. *Si verò non est reconciliatus ei, potest transire ad Religionem eo invito, 27. q. 2.* Agathosa, *& 33. q. 5.* Qui uxorem.

Sed videtur, quòd non obstante eo, quòd est reconciliatus, quòd ipsa possit intrare Religionem eo invito: quia ipse jam non potest ab ea exigere debitum: & sicut ille ea invitâ renuntiavit exactioni debiti conjugalis; ita & ipsa eo invito potest renuntiare servituti, quam habet in ipsum.

Hoc verum est, quantùm ad hujusmodi servitutem, quia & ipse debet ad Monasterium redire, ubi fecit Professionem, inf. eod. Placet. *Quoad alia tamen, quæ vir debet uxori, & è converso, non videtur, quod vito invito possit transire, postquam illa eduxit eum de Monasterio, & ei est reconciliatus: quia non solùm tenentur conjugati ad debitum carnale reddendum, sed ad mutuum auxilium & obsequium; quia in quibusdam Matrimonium est legis obsequium.* Ita Glossa.

641. *Rejicitur hæc doctrina.* Sed nihil ex omni parte beatum. Nam cap. *Agathosa*, constat ex textu sup. relato nihil facere ad rem: siquidem solùm ibi decernitur, virum sine uxoris licentia professum, esse illi restituendum. Porrò d. cap. *Qui uxorem*, nullius

lius pili eſt ; ſic quippè ſonat : *Qui uxorem ſuam velare permiſerit, aliam non accipiat : ſed ſimiliter convertatur.* Quid hoc ad noſtrum propoſitum. Et dato, quòd non poſſit exigere debitum, nil refert. Nam & ille, qui cum voto ſimplici contraxit Matrimonium, nequit exigere debitum : num inde rectè infertur : ergò altera pars ipſo invito poteſt intrare Religionem ? Tu ergò tene ſententiam Sanchez.

642. *Quid ſi uterque Religionem ingrediatur*

Quòd ſi uterque Religionem ingrediatur, quando uterque fuit conſcius, valet utriuſque Profeſſio. Quia facto ipſo ſibi mutuò licentiam concedunt ; ſecùs quando fuit ignarus : tunc enim poterit utervis exire, & alterum repetere, & neutrius Profeſſio valida erit. Quia neuter licentiam alterius habuit & Profeſſio prioris profeſſi valere non potuit ; quia conſenſus alterius defecit ; nec potuit rata fieri abſque nova ratificatione. Nec etiam poſterior Profeſſio valida eſſe potuit. Cùm enim prioris Profeſſio non valuerit, nequit poſterior abſque ejus conſenſu profiteri.

Nec obſtat : quemlibet conjugem ſeipſum ſpoliaſſe, quò minùs reſtitutionem petere poſſit : quia conjux ſe ſpolians poteſt eam petere, ſi rediens non admittatur. Ex tunc enim cenſetur ſpoliatus. Ita Sanchez ſup. n. 24. Quem ſequitur Pontius ſup. n. 13.

Sanchez. Pontius.

643. *Quid ſi manens in ſæculo, adulterium commiſerit poſt Profeſſionem ?*

Et n. 14. cum Sanchio diſp. 36. n. 3. docet, conjugem invalidè profeſſum poſſe reſilire à Religione, quàmvis conjux, ſine cujus licentia profeſſus eſt, adulterium commiſerit poſt ipſius Profeſſionem. Quod addo : quia ſi ante Profeſſionem, jam ea valuit, & ideò profeſſus non poteſt exire. Suppoſitâ autem invaliditate, res non habet difficultatem. Quia licet poſſit, commiſſo adulterio, intrare Religionem ipsâ invitâ, tamen ad hoc non tenetur ; ſolùm adultera perdidit jus ipſum repetendi.

Probat Sanchez, profeſſum adhuc poſſe exire per c. 16. de Conv. conjug.

Expendit ad hoc Sanchez textum in cap. 16. de Converſ. conjug. qui talis eſt : *Veniens ad præſentiam noſtram L. nobis intimavit, quod cùm olim intrandi Monaſterium propoſitum concepiſſet, pluribus Sacerdotibus præſentibus, apud uxorem ſuam inſtitit, ut ſuper hoc ſuum impertiretur aſſenſum.* Et infrà : *Ipſa demùm tam ipſius, quàm multorum aſtántium precibus fletibusq; devicta, caput ejus altari ſuppoſuit manu ſuâ : qui eâ præſente tonſuram ratus, ibidem Monaſterium adiit, & finito probationis tempore, Profeſſionem fecit ſolemniter monachalem : illa verò in ſæculo remanens, inhoneſtos amatores admiſit.* Et infrà : *Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, prædictum L. in Monaſterio, quod intravit, perſeverare liberè permittatis : licèt enim in hoc videatur non modicum deliquiſſe, quòd captiosè aſſeruit : quia niſi ſibi eadem mulier conſentiret, tam ſibi, quàm toti mundo ſe inutilem redderet, & cùm Presbyteros exoravit, ne prædictæ mulieri exponerent, quod eamdem relinquere ſæculum oporteret, ſi forte licentiam daret viro ; ex quo tamen eadem caput viri altari ſponte ſuppoſuit, & poſtmodum non continuit, ſuper revocatione ipſius non eſt aliquatenùs audienda ; cùm ipſius intentio exceptione poſſit commiſſæ fornicationis elidi : maximè cùm antequam fuerit fornicata, ipſum non duxerit repetendum.* Ita Innoc. III. Pictav. Epiſ.

Ubi Sanchez ſup. ponderat dici : *Permittatis*, &, *Liberè*. Non ergo (inquit) cogendus eſt permanere : & paulò inferiùs, habito ſermone de conjuge manenti in ſæculo fornicante, ſolùm denegatur ipſi actio, ad repetendum alterum, propter fornicationem, ab ipſa admiſſam. Sic ille. Et Pontius ait : Non cogitur, ut perſeveret ; ſed permittitur ejus libertati perſeverantia. Quare nullum Monaſterio jus quæſitum eſt, quo retinere poſſit illum invalidè profeſſum, etiam jam adulterante uxore. Ita Baſilius.

644.

Pontius ſequitur Sanchium.

Quid vetat, ne & Gloſſam audiamus verb. *Sponte ſuppoſuit ? Pone* (inquit) *quòd vir nolit excipere, quia nemo cogitur excipere, ſicut nec compellitur agere ; Cod. Ut nemo invitùs agere vel accuſ. cogatur*, l. 1. *Et quilibet juri ſuo poteſt renuntiare, ſup. de Regular.* Ad Apoſtolicam, *& cap.* Statuimus, *quid erit ? Dicas ; quòd Monaſterium eo invito poteſt excipere, & cum defendere, ne permittat eum in pejorem ſtatum detrahi, ff. de Liberali cauſ. l. 1. & 2. Licèt enim primò non tenuerit votum ; tamen quantùm ad ipſum voventem tenuit, ſup. eod.* Quidam intravit, *& cap.* Placet : *& quam citò ipſa fuit fornicata, ſtatim perdidit jus exigendi : ergò cùm ſit liberatus à ſervitute mulieris, ſtatim Monaſterium habet plenum jus in eum : & ſic exceptio, quæ competit viro, acquiſita eſt Monaſterio ; cùm res ad eum ſtatum pervenit, a quo potuit habere principium, ſup. eod.* Placet. Hæc Gloſſ. Ubi videtur oppoſitum noſtræ doctrinæ aſſerere : ſed falſo fundamento ; ſcilicet, quod per fornicationem relictæ in ſæculo Profeſſio ratificetur, etiam profeſſo invito.

645. *Gloſſ. ubi videtur oppoſitum docere.*

Fundamentum ejus non ſubſiſtit.

Interim ſtatim poſt videtur canere palinodiam. Interrogat ſiquidem : *Sed quid ſi exiret, & nollet excipere ; quia poteſt ei remittere, ſup. de Iurejurando*, Quemadmodum, *in fine ? Credo, quòd bene poteſt illam recipere, non obſtante contradictione Monaſterij : quia votum ex toto non tenuit ; cùm decepta fuerit, nec ipſa etiam voverit ; arg. opt. ſup. eod. cap. prox. niſi vir Profeſionem feciſſet, poſt quam illa fuit fornicata : quia tunc non poſſet Epiſcopus eum de Monaſterio educere, nec eum compellere, ut eam reciperet, propter fornicationem.*

646. *Gloſſ. hàc videtur ſibi ipſi contradicere.*

Si *ſtatim* poſt fornicationem *Monaſterium habet plenum jus in eum*, ut ſup. dicitur, quomodo *bene poteſt illam recipere, non obſtante contradictione Monaſterij ?* Reſpondent Aliqui : ſi velit exire ante Profeſſionem. Sed certè (inquit Abbas hic n. 6.) tunc quæſtio Gloſſæ eſſet inutilis ; nec oporteret ponderare, quod mulier fuit decepta ; quia ante Profeſſionem non obligatur Monaſterio, ut in cap. *Super eo*, ſup. de Regular. Sed pergamus ad alia.

Aliqui conantur eam reconciliare. Abbas.

Ex hoc jure colligitur à Nonnullis ; perinde eſſe profiteri ſine licentia, atque cum licentia dolo extorta (de qua ibi agitur, ut patet ex verbis relatis) eò quòd non ſit ſpontanea ; ac proinde concedens non ceſſerit jure ſuo ; nil enim magis contrarium conſenſui, *quàm, error* ; l. *Si per errorem*, ff. de Juriſdict.

647. *An licentia dolo extorta ſit nulla.*

Quare (inquit Sanchez sup. disp. 35. n. 9.) non sunt audiendi Glossa eo cap. *Veniens*, verb. *Captiosè*, & ibi Hostiensis n. 5. Anton. n.6.ubi dicunt, ideò mulierem in casu ejus textûs audiendam fore,nisi adulterium admisisset,quòd non emiserit votum continentiæ,nec promiserit Religionem ingredi. Quos benè reprobat Abbas eo cap. n. 4. dicens, ideò audientiam non fore ipsi denegandam, si continuisset : quòd sponte non consenserit, sed dolo. Ita Sanchez.

648. *Negat Glossa cap. 16 de Conv. conjug.*

Hæc sunt verba Glossæ : *Hic est arg. quod licèt dolus interveniat in spiritualibus, tenet contractus, inf. eod.* Dudum, *& sup. de His quæ vi metûsq; causâ fiunt*, Cùm dilectus, *ubi de hoc. Aliud, si minis inducta fuisset, ut daret viro licentiam : talis licentia nulla est*, 33. q. 5. Notificasti. *Et ideò præjudicatum est huic mulieri ; quia non continuit, sed inhonestos amatores admisit, ut expresse dicitur in fine : alias si continuisset, non præjudicasset sibi per hoc quod fecit ; quòd non promiserit transire ad Religionem, nec etiam continentiam promiserit,cùm esset juvenis, ut sup. eod.* Ad Apostolicam.

649. *Reprobatur.* Abbas.

Sed adverte (inquit Abbas) quòd argumentum potiùs in contrarium colligitur ex illo textu : nam hic Papa expresse dicit, maritum non modicum deliquisse in eo, quòd captiosè & dolosè induxit istam mulierem ad consentiendum; & in fine textûs innuit, quòd si mulier ista continuisset, potuisset maritum repetere, non obstante consensu suo ; quia ille consensus non erat validus, ex quo dolosè fuit extortus : non enim est verum, quod subjicitur in Glossa,quòd si ista continuisset, fuisset audita, ex quo non emiserat votum continentiæ, nec promiserat intrare Religionem, cùm esset juvenis. Nam totum contrarium Glossa sensit in cap. *Vxoratus*, sup. eod. ubi concludit, quòd ex sola licentia mulieris sibi præjudicat, licèt ex officio Episcopi possit ingressus revocari. Dic ergò ; quod ex alio capite ista mulier fuisset audita, si continuisset ; scilicet, quia sponte non consensit, sed dolo fuit inducta. Ita Panormit.

650. *Sanchez affirmat, talem licentiam esse nullam.*

Rectène ? Sanchez sup. n. 10.sic ait : Glossa cap. *Veniens*, verb. *Captiosè*, de Convers. conjug. & ibi Abbas n.1. notab.2. sustinent licentiam fuisse validam. Quòd dolus in spiritualibus non noceat. Sed illis fidem non habeo ; atque ita existimo, Professionem illam fuisse irritam. Nunquid oppositum docet Abbas ? Secundò,inquit, nota, quòd consensus mulieris, per dolum extortus, non validat Professionem mariti, ut hic satis colligitur à contrario literæ. Quomodo clariùs poterat docere talem Professionem fuisse irritam ? Et tamen pro opposito citari videtur à Sanchio. Tu vide quid respondeas.

Ego interrogo adhuc unum verbum : Pontifex dicit : *Ex quo tamen eadem caput viri altari sponte suppositi* : Abbas autem : quia sponte non consensit, sed dolo fuit inducta. Nunquid Abbas contrarius Pontifici ? Si sponte suppositi, quomodo sponte non consensit ? Edissere nobis.

651. *Objectio solvitur.*

Si objicias Sanchio : dolum, qui non contingit circa Professionis substantiam, minimè ipsam vitiare. Respondet sup.id esse verum,quando dolus est respectu professi. Is enim non tollit voluntarium, sicut nec in Matrimonio carnali : at secùs est de licentia concessa dolo per alterum conjugem. Cùm enim talis debeat esse, per quam ille cedat jure suo, idque condonet : & dolus voluntarium auferat circa donationem, quæ à spontanea & libera voluntate oriri debet, inde est, ut nulla sit. Sic ille. Qui volet, credat. Credit autem Pontius sup. n. 15. Pontius.

652. *Licentia gravi metu extorta est nulla, ex cap. 2. 33. q. 5.*

Utì etiam licentia nulla est, secundùm hos Auctores, & Alios, quæ gravi metu extorta fuit ; arg. cap. 2. 33. q. 5. quod est Alex. II. & sic incipit : *Notificasti, te morte tenus infirmatum, & peccatorum tuorum recordatione & terrore valde pavefactum, anxiè quæsisse Monachum fieri, & a tua uxore minis & terroribus eam occidendi, ad hoc licentiam extorsisse, & sic te monasticam vestem sine Abbate sumpsisse &c.*

Porrò quòd hæc licentia fuerit nulla, ibidem docet Pontifex hisce verbis : *Si ita deniq; est, ut tuus nuntius narrat,non videtur nobis rationabiliter, neque sanâ mente id factum : quoniam cùm omni homini ad monasticam tendenti vitam, legaliter, sanctè & justè sit peragendum, tu contra leges minaciter & violenter a tua uxore partim terrore mortis, partim tua infirmitatis doloribus exinanitus, devia secutus, nulla, ut dicitur, licentiâ acceptatâ receesisti, & Monasterium petijsti.* Quid dici poterat illustriùs ?

653. *Placet hæc sententia Auctori.*

Undè tametsi licentia dolosa foret valida; equidem gravi metu extorta, omninò nulla est. Et ideò Professio desuper emissa, tamquàm invalida, nullum post se relinquit effectum, etiam in ratione voti simplicis ; nisi alius fuerit animus voventis, ut alibi explicatum fuit. Atque adeò semper potest exire, quando commodè potest,quocumque tempore elapso,etiam non revocatus ab uxore.

Sed quid, si habuerit licentiam spontaneam, nec dolo, nec metu extortam, sed prorsùs liberam ? Sicut antè dictum fuit, & probatum ex jure, valet Professio. *Nisi tamen* (ut habet ultima pars Concluf.) *ad Religionem transierit, aut perpetuam castitatem servare promiserit, vir potest & debet de Monasterio revocari,reversurus post mortem ejus.*

654. *Vltima pars Concluf. probatur ex c. 1. de Conv. con. jug.*

Habetur expressum, exceptâ ultimâ particulâ, *Reversurus* &c. in cap. 1. de Convers. conjug. ubi agitur de viro, qui professus fuerat de uxoris licentia omninò libera. Sic ego intelligo (quidquid Aliqui dicant apudGlossam ibi verb. *Revocari*) cùm nulla mentio fiat extorsionis, quæ proinde gratis fingitur. Et tamen in fine dicitur : *Nisi uxor ad Religionem transierit* &c.

Quod autem debeat post mortem ejus reverti ad Monasterium, patet ; quia Professio fuit valida, quàmvis illicita, ut constat ex juribus antè citatis, putà, d. cap. *Ex parte*, 1. ibi : *Prædictum virum per excommunicationem compellas, ut,muliere dimissa,ad suum Monasterium revertatur &c.* Ergò valuit Professio ; aliàs valeret secundum Matrimonium. *t cap. 9. eod.*

Et d. cap. *Agathosa*, ibi : *Experientiæ tua præcipimus* *Item ex d.*

cap. Agathosa. *cipimus &c.* Ubi pondero (inquit Sanchez sup. disp. 33. n. 4.) Pontificem locutum fuisse disjunctivè; nimirum, si uxor consensum præstitit, aut pariter conversa est. In quocumque igitur illorum eventuum valida est Professio. Sic ille.

655. *Non obstat cap. 8. de Conversi. conjug.* Nec obstat cap. 8. de Conversi. conjug. quod sic incipit: *Vxoratus sine licentia uxoris inter vos nullatenùs recipiatur: quæ integræ opinionis ita existat* &c. Non obstat, inquam, etiam gratis admisso, quòd dictio: *Nullatenùs*, induceret actum ipso jure nullum. Quia, ut patet ex verbis mox relatis, loquitur de uxorato, qui sine licentia uxoris recipitur; jam autem anteà diximus, hujusmodi receptionem seu Professionem esse invalidam.

Dictio: Nullatenùs, non semper reddit actum nullum. Dico: Gratis admisso; quia secundùm Sanchez sup. n. 7, dictio: *Nullatenùs*, non semper reddit actum nullum. Idque maximè verum est, ubi induceretur juris alterius correctio, declarantis, actum illum esse validum, ut contingit hìc, ut probant textus adducti. Ita hic Auctor.

656. *Nostram Conclus. docet Glossa c. 8. de Conv. conjug.* Et ideò Conclusionem nostram docet Glossa d. cap. *Vxoratus*, verb. *Nullatenùs recipiatur*, ubi sic ait: *Sed pone, quod de licentia uxoris recipiatur, & Professionem faciat solemniter, & habitum recipiat, sed uxor non promittit continentiam, nec promisit transire ad Religionem, sive sit senex, sive juvenis; nunquid tenet Monachatus, cùm non sit servata forma hujus cap. sup. eod.* Cum sis, *& inf. eod.* Ad Apostolicam? *Ego credo, quòd Monachus sit; & votum solemnizavit omninò quoad se, ita quòd non possit exire Monasterium, nec uxor potest eum repetere jure servitutis: quia renuntiavit illi servituti, dando ei licentiam: Episcopus tamen per officium suum potest virum de Monasterio revocare, & reddere uxori, ne illa incidat in fornicationem, cùm hoc ad ipsum pertineat, si suspecta est*, 93. *dist.* Diaconi.

Et ita intelliguntur jura, de hac materia loquentia; sed ea mortuâ compellitur redire ad Monasterium. Et sic intelligitur sup. eod. cap. 1. *& inf. eod.* Ex parte.... *Et licèt dicatur hìc, & sup. eod.* Cum sis, *quòd alter conjugum non recipiatur, nisi alter transeat ad Religionem, vel promittat continentiam; verum est hoc, quòd non debet recipi, nec ille etiam debet transire: tamen si recipiatur prædicto modo, tenet Monachatus, ut dictum est; quia multa fieri non debent, facta tamen manent.* Hactènùs Glossa.

657. *Conjux redditus tenetur debitum reddere. Sanchez.* Quæro ego: conjux revocatus & redditus, nunquid tenetur alteri debitum reddere? Patet quòd sic: quia aliàs frustrà revocaretur, nec consuleretur incontinentiæ manentis in sæculo; immò graviori periculo exponeretur. Et ratio est (inquit Sanchez sup. n. 6.) quoniam etsi conjux, licentiam profitendi concedens, videatur jure suo renuntiare; ac proinde alterum non teneri reddere censendum sit: at quia renuntiatio non fuit sufficiens & perfecta, defectu modi ab Ecclesia præscripti, suspenditur voti executio ad hunc effectum, ut reddere teneatur. Ita docent Scotus 4. dist. 32. q. un. & Alij, quos ibi citat Sanchez.

Est sententia Scoti. Do verba Doctoris Subtilis ex n. 3. *Sed esto, post ingressum Religionis mulier, remanens in sæculo, non continet, vel timetur, ne continere velit; nunquid vir professus extrahendus est de Religione, & sibi reddendus?* 33. q. 5. *habetur expresè, quòd,* Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat; sed similiter convertatur. *Sed contrarium videtur expresè haberi ext. de Conversi. conjug. cap.* 1. Laicus uxoratus &c.

658. *Evasio præcluditur.* *Si autem dicatur; quòd debet intelligi, quando mulier non renuntiat juri suo; sed tantùm ad tempus, ut vir vacet orationi; hoc est contra planum sensum literæ: quia habetur ibi, quòd si de licentia & permissione uxoris Monasterium ingressus, Professionem fecerit, quid destricto rigore esset faciendum; an illa compellenda esset ad continentiam, an iste extrahendus in casu isto; quia scilicet ignorante Episcopo factum est, sed præsentibus Presbyteris & Monachis, dubium est: quia ista videtur renuntiasse juri suo perpetuo, quantùm ad debitum petendum, licentians eum publicè ad profitendum in Religione: non enim talis renuntiatio requiritur necessariò, quòd sit de scitu Episcopi. Si ergò renuntiavit sufficienter, nihil juris habet ea ad repetendum eum. Similiter coactio ejus ad continentiam est aliquid licitum; & licèt pœnale, tamen debitum ex ista licentia data viro. Coactio autem viri ad standum cum uxore videtur ad illicitum inducere; quia ad peccatum mortale, cùm ille voverit castitatem, & potuit vovere, quia licentiatus.*

659. *Quid de hac re cautum sit in Regula FF. Minorum.* *Saltem de hoc cautum est in Regula FF. Minorum, ubi,* De his, qui volunt vitam istam accipere, *dicitur*: Si uxores non habent, vel si habent, & jam Monasterium intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ jam emisso, & illius ætatis sint uxores, quòd non possit de eis oriri suspicio, dicant eis verbum Evangelij &c. *Vnde prætermissis istis conditionibus, scilicet voto continentiæ emisso, vel saltem licentiâ datâ auctoritate Diœcesani Episcopi, videtur, quòd hodie fieret secundùm illud cap. scilicet, quòd vir extraheretur, & redderetur uxori.*

Scotus videtur requirere licentiam Episcopi. *Et tunc quando dicitur, quòd ipsa dicitur renuntiare juri. Respondeo, non sufficienter & perfectè, quantùm ad forum Ecclesiæ, quæ determinavit modum debitum istius renuntiationis, per votum continentiæ emissum, & licentiam datam auctoritate Diœcesani Episcopi.*

Et quod tangitur de peccato mortali ipsius revocati; posset dici, quòd tenetur non petere; quia renuntiavit juri suo, quantùm in se fuit: sed potest reddere; quia non potuit renuntiare jure alieno. Et quia putavit se absolutum à jure illius, ideò pro tunc non peccavit: tamen quando constat sibi per Ecclesiam, quòd non fuit absolutus à jure uxoris, tenetur sibi reddere illud, cui non potuit renuntiare. Hucusque Scotus. Ubi videtur requirere licentiam Episcopi (quod probabile est) quam Sanchez, ut suprà vidimus, negat esse de præcepto.

660. *Quid si mulier sit juvenis nec suspecta? Non est locus revocationi.* Quid ergò, rogat aliquis, si mulier emiserit votum, & sit juvenis, vel suspecta de incontinentia; censen' quia professus poterit revocari? Verior sententia habet (inquit Sanchez sup. n. 9.) non esse locum prædictæ revocationi. Quòd conjux manens in sæculo cesserit jure suo, licentiam

tioni, juxtà Sanchez, si votum emiserit.

centiam spontaneam alteri profitendi concedens, voto castitatis à se emisso. Quòd licèt jura non approbent, ut licitus sit ingressus, quando manens in sæculo est juvenis, imò fieri interdicant, cap. *Cum sis*, cap. *Vxoratus*, cap. *Cùm ad Apostolicam*, de Conversi. conjug. at approbat cap. 1. eod. ad hunc effectum, ne concedatur revocatio professi. Siquidem disjunctivè petit, ut alter simul profiteretur, aut votum castitatis emitteret. Sic ille.

Igitur si votum emiserit, non debet, nec potest vir revocari. Quàmvis enim non sit licitus ingressus, si sit juvenis, vel suspecta de incontinentia; tamen verè votum ejus valuit, & similiter Professio viri. Justè ergò Ecclesia potest utrumque cogere ad servandum, quod promisit. Neque curandum, an juris conscia, an potiùs ignara sit, inquit Sanchez sup. cum Abbate & Alijs, quos citat. Cùm non cogatur ad aliud, quàm ad proprij voti observantiam, & ne revocetur professus, cui consensum præstitit.

Sanchez. Abbas.

661. *Quid si nullum votum emiserit? Idem dicendum juxtà Sanchez, si fuit juris conscia.*

Sed quid, si nullum votum emiserit? Respondet idem Auctor sup. n. 14. cum hac distinctione. Si uxor manens in sæculo erat conscia juris, disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa, licentiam concedens, voveat castitatem, si senex sit, & si juvenis, ingrediatur Religionem: non potest vir professus revocari; secùs si ipsa hujus juris inscia erat. Quare cap. 1. de Convers. conjug. disponens, posse revocari professum, quando manens in sæculo non emisit votum, quando ea juris ignorantia accidit, venit intelligendum.

Probatio.

Ratio hujus sententiæ est; quia manens in sæculo, ejus juris conscius, & sponte concedens licentiam profitendi suo conjugi, videtur tacitè vovere, & ad id se astringere, quod ad illius ingressûs valorem irrevocabilem desiderari norat. Volens enim aliquid, videtur velle omne id, per quod pervenitur ad illud. Præterea: quia non videtur velle actum frustraneum efficere.

662. *Favet c. 10. 33. q. 5.*

Denique: quia cap. *Qui uxorem*, 33. q. 5. quod est Concil. Rhemensis, satis favet huic sententiæ, ibi: *Qui uxorem suam velare permiserit* &c. Vide sup. Ubi non dicitur maritum voviſſe, sed consensum uxoris Professioni præstitisse: & tamen, quia vir præsumitur conscius juris, cogitur similiter profiteri. Et ideò hanc sententiam tenent Aliqui apud Glossam ibi, verb. *Convertatur*, Alijs contradicentibus.

Accipe verba Glossæ: *Intrando Monasterium, si juvenis est; vel si senex est, contineat in saculo, ext. de Convers. conjug.* Cùm sis. *Et hic dicit Hug. quod eo ipso quòd dat uxori licentiam, intelligitur vovere, & si non exprimat, compellendus est ire ad Religionem, ut not. sup. 27. q. 2.* Agathosa. *Et sufficit tacita licentia, scilicet permittere, ut hic, & arg. ext. de Convers. conjug.* Consuluit, *Alij dicunt; quod qui dat licentiam, nisi expressè voveat, continere non tenetur, nec Monasterium ingredi; imò eam revocare potest de Monasterio, ext. de Convers. conjug. cap. 1. & quod dicit hìc*: Similiter convertatur, *dicunt, nisi malit eam revocare. Sicut enim secundùm istos expressus consensus exigitur in contrahendo, ita in separando Matrimonio; arg. ext. de Regul. juris*, Omnis res. *Alij distinguunt, quod si mulier scivit jus, quæ dedit viro licentiam, tunc etiam intelligitur vovere; secus si ignoravit.*

Aliqui oppositum asserunt.

663. *Quibus adhæret Pontius.*

His, qui distinguunt, adhæret Sanchius, ut patet ex dictis. Illis verò Pontius sup. cap. 12. n. 5. dicens: Si votum non fecit, sed consensum præbuit, & est incontinentiæ periculum, mihi probabiliùs videtur, esse revocationi locum, sive sit juris conscius, sive non. Conscio quidem subvenitur Judicis officio, cujus est infirmitati subditorum consulere, & fragilitati ac periculo prospicere. At ignarus jus habebit, ut ipse revocationem petat, adjutus ignorantiâ probabili. Et si ea ignorantia, quæ juris est, quæ rarò probabilis esse præsumitur, in foro externo denegat actionem, subveniri illi Judicis officio æquum est. atque hic mihi videtur esse planus & apertus sensus Alex. III. in cap. 1. de Convers. conjug. ibi: *Dicimus, quòd nisi uxor* &c. Vide sup.

664. *Probatur ex generalibus verbis. c. 1. de Conv. conjug.*

Quæ verba generalia sunt, neque restringenda; non ad uxorem senem: si enim senex esset, non exigeretur ab illa sub disjunctione, ut aut habitum Religionis assumeret, aut votum servaret; sed tantùm, ut votum faciens in sæculo remaneret. Si incontinens, aut de incontinentia suspecta, non exigeretur, ut votum tantùm faceret; sed ut ad Religionem transiret.

Neque etiam est restringenda ea decisio Pontificis ad ignarum juris, vel conscium: ipse enim textus satis indicat, eam fœminam, admonitam suæ obligationis, nihil eorum facere voluisse. Quare sive conscius, sive ignarus sit, qui in sæculo remanet, si ad Religionem transire non vult, neque continentiam vovere, revocari officio Episcopi conjux professus debet. Hactenùs Basilius.

Respondetur.

Sed facilè responderi posset: eam fœminam admonitam fuisse suæ obligationis post Professionem jam emissam; neque enim ullum est verbum, quod significat præcedentem notitiam. Interim neque ex aliquo etiam verbo colligitur, fuisse tantùm subsequentem.

665. *Quæ dicta possit ad 1. arg. Sanchez.*

Et ad primum argumentum Sanchij dici posset: conscium juris tacitè consentire in id solùm, quod necessarium est ad valorem Professionis; non autem in illam non revocationem: quippè potest sequi aliam sententiam; scilicet, illam revocationem semper esse licitam & debitam, nisi accesserit votum. Et nihilominùs ipsius licentia habebit effectum validæ Professionis; atque adeò efficiet, ut professus non possit exire, nisi revocatus, & ut post mortem uxoris debeat redire ad Monasterium. Ex quo patet responsio ad secundum.

Resp. ad ultimum.

Ad ultimum dic: in jure non omnia debere explicari, quæ facta fuerunt. Supponit ergo d. cap. *Qui uxorem*, virum saltem votum continentiæ emisisse. Vel, ut sup. ex Glossa audivimus; debet converti, nisi malit eam revocare. Denique responderi posset; Concilium ibi voluisse solùm prohibere, ne accipiat aliam uxorem: monet autem ad id, quod meliùs est; scilicet, ut convertatur; quoniam hæc conversio sit optimum

timum medium ad evitandum periculum incontinentiæ. Maneat ergò utrique sententiæ sua probabilitas.

666. *Nequit taliter professus propriâ auctoritate exire.* Cæterùm nequit taliter professus propriâ auctoritate exire, ut statim dixi: quàmvis enim in principio peccaverit ingrediens Religionem, non servatis servandis: at persistens in Religione non peccat; quia jam non est sui juris. Et quàmvis posset revocari, id non est jure actionis competentis conjugi; sed ex mero Judicis officio (ut docet Sanchez sup. n. 18. tamquam verius) cujus utique est, consulere periculo incontinentiæ conjugis in sæculo relicti, dum id imminere viderit, revocando professum, & eum illi restituendo.

Atque ut conjux suo jure id posset facere, ut Aliqui docent apud Sanchez sup. n. 17. quia videlicet non legitimè renuntiavit juri suo: non tamen propterea professus habet jus egrediendi; quia Professio fuit valida.

667. *Si res est integra, potest licentia revocari.* Id etiam certum est (ut ait Sanchez sup. n. 19.) si res est integra; quia conjux cui data est licentia, nondum est professus; potest licentia à conjuge concedente revocari, nec factum tenebit gestum ab altero post eam revocationem: quòd legitimâ licentiâ caruerit.

Limitatio ex Sanchez. Hoc autem intelligit Sanchez, nisi licentia legitima fuerit; ut quia manens in sæculo erat senex, neque suspectus de incontinentia, & emiserit votum perpetuæ castitatis. Jam enim perfectè cessit jure suo, nec res est integra; cùm ipse voto astrictus sit, pacto mutuo inito: quippe alter consensit emissioni voti, ut sibi integrum esset profiteri. Si verò non fuit legitima, quia erat juvenis; peccabit quidem contrà votum revocando: at factum tenebit, revocatioque valida erit. Quia non erat perfecta renuntiatio proprij juris.

668. *Quid faciendum, quoties non datur revocatio.* Illud pro coronide ad calcem hujus Conclusionis addiderim: Quoties non datur revocatio, si conjux est senex, nec suspectus de incontinentia, sufficit ut voveat perpetuam continentiam; cùm ex jure ad nihil aliud obligetur. Sin autem juvenis, aut suspectus de incontinentia, potest cogi ad Professionem, si fuerit juris conscius; quia ad hanc censetur se implicitè obligasse. Secùs si fuerit juris ignarus; quia profiteri est res nimis ardua, ut ad eam cogatur, qui neque tacitè, neque expressè in eam consensit.

669. *An debeat manere in Monasterio.* Compellitur tamen manere in Monasterio; quia hoc censetur necessarium ad castitatem servandam; sive (ut loquitur Sanchez sup. n. 27.) quia id venit accessoriè ad observantiam castitatis, quam promisit: nec compellitur ingredi, ut stet ibi quasi in carcere; sed ut honestam vitam ducat non professus inter professos, quòd nullatenùs est absurdum. Atque hæc satis de transitu conjugatorum ad Religionem.

Restat, ut paucis differamus de transitu eorum ad Ordinem sacrum, pro quo instituitu.

CONCLUSIO XIX.

Vir in Episcopum ordinari non potest, nisi uxor Religionem profiteatur. Ut ordinetur Sacerdos, jus commune exigit solam professionem continentiæ.

PRima pars exprimitur cap. 6. de Convers. conjug. sequentis tenoris: *Sane si conjugati consenserint ordinari, uxoris voluntas priùs requirenda est.* Et infrà: *Fraternitati vestræ auctoritate Apostolicâ prohibemus, ne uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor, priùs professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.* 670. *Prima pars Conclus. probatur ex c. 6. de Convers. conjug.*

Ubi Gloss. in exposit. casûs: *Nota* (inquit) *quòd uxoratus non debet promoveri sine licentia uxoris. Item nota speciale in uxore Episcopi, quòd debet continentiam profiteri & intrare Religionem, antequam vir ejus promoveatur in Episcopum.* Et verb. *Sacrum velamen*, interrogat: *Sed quid, si esset vetula, numquid sufficit, si continentiam profiteatur, inf. eod.* Uxoratus, & *inf. eod.* Ad Apostolicam? Respondet: *Non sufficit, nisi convertatur, & est speciale in uxore Episcopi.*

671. *Probatio ex ratione Sanchez.* Et ratio est (inquit Sanchez lib. 7. disp. 41. n. 2.) propter Ordinis Episcopalis excellentiam, & ut auferatur occasio, ut Episcopus visitetur à fœminis. Sic ille. Estque sententia magis communis.

Oppositum docet Sotus. Sotus tamen 4. dist. 27. q. 1. circa finem sic ait: Quod hîc de separatione tori post consummatam copulam per ingressum Religionis de consensu alterius dictum est, id per susceptionem Ordinum aut Episcopatûs intelligendum etiam venit. Uxore enim castitatem vovente, si est sexagenaria, vel Religionem ingressa, si est junior, potest vir citrà Religionem sacros Ordines suscipere, & Episcopus fieri. Id quod de D. Hilario Pictavienſi Episcopo legitur, qui cùm Episcopus esset, uxorem habebat & filiam. Definitio est cap. *Sane*, de Convers. conjug. Ita Sotus. *Probat exemplo D. Hilarij, & ex d. cap. 6.*

672. *Favet Gloss. ibi.* Cui favet, quod in fine d. Glossæ additur: *Quidam dicunt, quòd non sufficit, & est speciale in Episcopo. Credo, quòd sufficeret: & hoc intelligitur de juvene; arg. ex fine hujus capituli.* Atque illud probabile vocat Sanchez sup. n. 1.

Reijcitur. Sed ego ex fine hujus capituli vix ullam probabilitatem video, cùm verba sint generalia, absque aliqua distinctione inter senem & juvenem. Ergò nec nos distinguamus, ubi non est ratio evidens distinguendi, vel assignetur illa. Sanè à paritate rationis non valet hic argumentum; cùm sit res positiva, dependens voluntate Legislatoris, quæ in hoc casu rationabilis est; estò in ordine ad Professionem Religionis poluerit distinctionem. Rationabilis, inquam, est propter excellentiam, sicut dictum est, dignitatis Episcopalis, quæ non reperitur in Professione Religionis. *Non valet hic arg. à paritate rationis.*

673. *An sit eadem ratio Cardinalatûs.*

Et quoniam Cardinales in suis Titulis habent benedictionem quasi Episcopalem, ut notatur cap. *His, quæ*, de Majorit. & obed. hinc Aliqui asserunt, honestum saltem fore, ut maritus promoveretur ad Cardinalis dignitatem, uxorem, qualiscumque sit, ingredi Religionem. Majolus. Imò Majolus apud Sanchez sup. n. 4. putat, id esse necessarium. Sed existimo (inquit Sanchez) non ampliùs desiderari, quàm ad Ordines à viro assumendos: quòd non inveniam textum, aliquid speciale in hoc casu decidentem: nec rationem, quæ ad aliud sentiendum cogat. Sic ille.

Negat Sanchez.

Tu nota, benedictionem seu consecrationem Episcopalem præstare benedictioni quasi Episcopali; atque adeò dispositum in Episcopis non esse extendendum ad Cardinales: dispositum, inquam, propter Ordinis Episcopalis excellentiam; qualis Ordo non est Cardinalatus.

674. *Probatur 2 pars Conclus. exc. 5 de Conv. conjug.*

Si autem à me quæritur: ecquid desideratur ad Ordinem Sacerdotij à viro assumendum? Respondet secunda pars Conclusionis: *Ius commune exigit solam professionem continentiæ*; cap. *Conjugatus*, 5. de Convers. conjug. ibi: *Nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore, continentiam profitente, fuerit absolutus.*

Ubi Gloss. verb. *Ab uxore*, interrogat: *Sed numquid sufficit hoc?* Respondet: *Videtur quòd sic*, 32. *dist.* Seriatim, & 77. *dist.* Episcopus benedictionem, *quæ potius contradicit. Sed ibi exponitur*, Religionem, *id est, castitatem: sic sup. de Clericis conjug.* Sane. *Quod concedebat Ala. si vir remaneat in sæculo. Alij dicunt, quòd ordinari non debet, nisi ad Religionem convertatur uterque. Quod dicitur hic, intellige in eo casu, in quo esset senex & sterilis, ita quòd nulla sit suspicio de uxoris incontinentia. Et sic intelligitur illa Decret.* Sane, *de Cler. conjug. Nam qui promovetur ad sacros Ordines, eo ipso intelligitur continentiam profiteri. Et si juvenis esset uxor, præsumptio esset contra utrumque, arg. sup. cap. prox. in fine: undè non debet promoveri talis, nisi ambo transierint ad Religionem; secùs si sit senex, & sine suspicione.*

675. *Eam amat Alanus.*

Vel dicas, ut dixit Alan. quòd aliud est in eo, qui promovetur ad sacros Ordines remanendo in sæculo: quia ibi sufficit, quòd communi consensu continentiam promittant, ut dicunt jura, primo inducta: quia etiam communi consensu sine susceptione Ordinum possunt continentiam profiteri remanendo in sæculo, 33. q. 5. Quod Deo. *Et aliud est in his, qui convertuntur; quia locum ibi habet, quod dicitur sup. cap. prox. & inf. cap. Ad Apostolicam.* Hactenùs Gloss. Quæ, cùm primo & ultimo loco ponat sententiam Alani, videtur eam alteri præferre, eique adhærere.

676. *Vir etiam Pontius.*

Atque hæc etiam nobis magis placet, & alijs multis apud Sanchez sup. disp. 39. n. 2. Quibus adde Pontium lib. 7. c. 25. n. 7. ubi sic scribit: Denique dixerim, neque antiquo jure, neque noviori requisitum fuisse, ut uxores eorum, qui ad alios sacros Ordines, præter Episcopatum, promovebantur, Religionem profiterentur; sed tantùm, ut continentiam in sæculo voverent, sive in senili, sive in juvenili ætate essent constitutæ. Nam textus in d. cap. *Sane*, de Convers. conjug. solùm agit de his, qui Episcopi ordinabantur; textus etiam Alex. III. in d. cap. *Conjugatus*, eod. in quo de alijs ordinatis agitur, solùm exigit, ut continentiam profiteantur, ibi: *Nisi ab uxore continentiam profitente* &c. quo verbo Gloss ibi intelligit simplex castitatis votum.

Undè in eo discriminantur uxores eorum, qui ad Religionem transeunt, quòd istæ profiteri Religionem compelluntur, nisi senes sint, cap. *Cum sis*, eod. At eorum, qui ad Ordines assumuntur, minimè. Discriminantur etiam uxores eorum, qui ad Episcopatum evehuntur, & quî ad alios Ordines ascendunt; quòd illæ profiteri Religionem, istæ continentiam tantùm vovere coguntur; idque fortè sic constitutum est ob majorem reverentiam, statui Episcopali debitam. Nunc autem ex consuetudine tantùm recepta, non admittitur vir ad sacros Ordines, nisi uxor, quæ juvenis est, Religionem ingrediatur, & profiteatur, & quæ senex est, voveat continentiam. Hucusque Pontius. *Hic testatur de consuetudine contraria.*

Quæ utique consuetudo observanda erit, ubi & quando legitimè fuerit præscripta. Et ideò in Conclusione dixi: *Ius commune.*

677. *Quæ ratio discriminis inter unam & alteram uxorem. Prima.*

Sed quæ ratio discriminis inter uxores eorum, qui ad Religionem transeunt, & eorum, qui ad Ordines assumuntur? Quia (inquit aliquis) dum in sæculo vir ad Ordines promovetur, tenetur necessaria alimenta uxori subministrare, cap. *Omnino*, dist. 31. Quare aufertur uxori occasio vagandi, & incontinentiæ ob alimentorum penuriam. Insuper potest uxorem incontinentem corrigere ac punire. Quæ omnia cessant, viro professente; cùm bonorum, & liberi arbitrij proprietate careat.

Secunda.

Secundò; quia conjugati (ut sup. dicebat Gloss.) possunt in sæculo manere, communi voto continentiæ ab ipsis emisso, in quo eventu carent facultate petendi & reddendi. Cur ergò non poterunt in sæculo vitam traducere, uxore ligatâ voto castitatis; viro autem ad Ordines sacros promoto, atque ijs communi placito effectis? Et hæc sententia (inquit Sanchez sup.) est valde probabilis.

678. *Quid Sanchez hic sentiat.*

Ipse autem n. 6. probabiliorem existimat, quæ sic distinguit. Si uxor est senex, non suspecta de incontinentia, sufficit votum continentiæ ipsius in sæculo; secus si juvenis: tunc enim desideratur ingressus ipsius in Religionem. Probat ex cap. *Episcopus*, 6. dist. 77. quod est desumptum ex Concilij Agathensis cap. 16. & 17. ibi: *Sanè si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissâ, postea quam pariter conversi fuerint, ordinentur.* *Si est juvenis tenetur profiteri, ex c. 6. dist. 77.*

Nec valet expositio Glossæ ibi verb. *Religione*, & Turrecr. ibi n. unico, qui exponunt nomine *Religionis promissæ*, intelligi castitatem. Quia videtur ea expositio ad libitum. Sic ille. *Reficit expositionem Gloss.*

679. *Defenditur Primò.*

Sed unum videtur solvitur per aliud. Igitur ea expositio aliquibus videtur bene fundata. Nam in primis colligitur ex eo verbo *Conversi*: *fuerint*,

fuerint, quo significatur conversio utriusque; & tamen qui ordinatur, non profitetur Religionem, sed solùm emittit votum castitatis. Ergò, ne in tam paucis verbis sit æquivocatio, per conversionem mulieris commodè intelligitur solum votum, seu professio continentiæ, juxtà illud d. cap. *Conjugatus*: *Ab uxore continentiam profitente*. Ita Alex. III. cui potiùs credendum est, quàm Concilio Agathensi, quod dumtaxat fuit Provinciale; adeoque minoris auctoritatis, quàm Decretalis summi Pontificis.

Secundò. Prætereà: ea expositio deducitur ex eo verbo: *Sequestrato mansionis cubiculo*. Quippe si uxor profiteri deberet, jam totâ habitatione sequestraretur. Igitur hæc expositio non videtur esse ad libitum.

680. *Aliud arg. Sanchij.* Deinde argumentatur Sanchez: quia si uxor juvenis professi compellitur ingredi Religionem, à fortiori uxor promovendi ad Ordines. Quippe faciliùs potest Clericus sæcularis uxorem invisere, &, conservato pristino amore, eâ familiariter utetur: undè patentissimo periculo incontinentiæ exponentur: & tantum oberit, ut, moraliter loquendo, ipse vir Clericus factus, uxorem invisens, ejus incontinentiam corrigat, ut potior occasio incontinentiæ sit ipsemet ejus curam gerens.

Confirmatur. Prætereà: quia uxor juvenis, quantùmvis casta, est incontinentiæ periculo exposita manens in sæculo: eò quòd mulieres inconstantes, & facilè volubiles sint; cap. *Forus*, ad finem de Verb. signif. ibi: *Nam varium & mutabile testimonium semper fœmina producit*. Ubi verb. *Varium*, in additione hos lego versus:

Quid levius fumo? Flamen: Quid flamine? Ventus.
Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Non ergò credendum est (infert Sanchez) jus Canonicum voluisse, ut, eâ manente in sæculo, vir ad Ordines promoveretur.

681. *Non convincit.* Respondetur: Jus Canonicum voluisse, quod verbis expressit: expressit autem professionem continentiæ: ergò hæc sufficit. Neque in positivis à pari, aut fortiori valet argumentum, per se loquendo. Quòd si ex ratione agitur, neque in uno, neque in alio casu requiritur Professio Religionis. Potuit autem jus canonicum in uno casu postulare eam, & non in alio, propter rationes superiùs allegatas. Et quàmvis ex una parte possit esse major occasio peccati, ab alia tamen parte, ut ostendimus, est minor.

682. *Resp. Sanchez ad 2. rationem discriminis.* Cæterùm, ad secundum argumentum, de voto simplici utriusque conjugis in sæculo permanentis; Respondet Sanchez sup. n. 9. longè diversam esse rationem. Quia (inquit) ubi uterque, voto simplici castitatis communi consensu emisso, periclitaretur de incontinentia, esset facilè dispensationis remedium, & ideò id permittitur: at ubi jam vir in Sacris esset constitutus, nullo pacto expediret dispensare, ut ad uxorem rediret. Et si argumentum vim aliquam haberet, probaret pariter, integrum esse viro ad Religionem transire, de licentia uxoris juvenis, promittentis in sæculo continentiam. Sic ille.

Prorsùs hoc probaret; nisi obstaret jus commune, quod in terminis requirit Professionem Religionis. Deinde: disparitas est, quòd ordinatus subsit Ecclesiæ, à qua potest cogi ad servandam castitatem promissam, etiam extraordinarijs medijs; secùs qui solùm habet votum simplex castitatis. Scitè ergò dixit Sanchez, ut sup. audivimus, priorem sententiam esse valdè probabilem. An autem sua sit probabilior, ut putat, relinquo alijs ex hactenùs dictis judicandum. *Rejicitur.*

Hoc certum est apud Omnes; non posse quempiam conjugatum, etiam ante Matrimonij consummationem, ordinari seu initiari majoribus Ordinibus sine licentia uxoris. Ita novissimè statuit Ioan. XXII. Extravag. *Antiquæ*, de Voto, ibi: *Auctoritate Apostolicâ districtiùs inhibentes, ne quispiam, durante Matrimonio, nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumat suscipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire.* 683. *Conjugatus non potest initiari sacris sine licentia uxoris, per Extrav. Antiquæ de Voto.*

Ubi Gloss. verb. *Noverit*, inquit: *Putà de licentia conjugis Religionem ingredientis, vel etiam in sæculo remanentis, potissimè absque suspicione incontinentiæ, & votum castitatis emittentis, 32. dist.* Seriatim, 77. *dist.* Episcopus benedictionem, *extrà de Convers. conjug.* Conjugatus: *Vbi conjux remanens in sæculo esset suspecta de incontinentia, vir non posset Religionem ingredi, nisi & ipsa similiter converteretur, ut ibi not.*

Ratio diversitatis reddi consuevit: quia ubi vir in sæculo remanet, ad sacros Ordines promotus de licentia uxoris, votum continentiæ emittentis, eidem in necessarijs tenetur providere, dist. 31. Omninò; *& sic ibi materia incontinentiæ* (prætextu defectûs necessariorum incurrendæ) *aufertur; arg. ad hoc ff. de Ritu nupt. l.* Palam, §. Non est hoc ignoscendum. *Et eam, in se peccantem, in vinculis detinere, & ad jejunia, non tamen mortifera, cogere*; 33. q. 1. Placuit. *Et q. 5. cap.* Hæc imago. *Et not. extrà de Iurejur. in cap.* Quemadmodum, *in Gloss. ult. quæ omnia cessant facienda per virum, ingressum Religionem, carentem proprio & libero arbitrio.*

Porrò ex dictis verbis Pontificis, & subsequentibus, colligunt Aliqui, peccare, etiam mortaliter, qui sine dicta licentia susciperet Ordinem sacrum animo intrandi Religionem. Quippe jura & Canones non sunt contenti isto animo; sed requirunt licentiam & continentiam uxoris, ut jam audivimus ex Glossa. Estque hæc res magni momenti, ut patet ex pœna adjuncta, ibi: *Quòd si secùs à quoquam forsitan attentatum fuerit, ordinamus, quòd nec Matrimonio soluto, in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod beneficium vel Officium Ecclesiasticum valeat promoveri.* 684. *Peccat mortaliter, qui aliter initiatur, est sine animo intrandi Religionem.*

Adde (inquit Sanchez sup. disp. 38. n. 3.) facillimo negotio mutari animum, ac consummari Matrimonium, & tunc nullum superesse remedium, cederetque in gravem Ordinis sacri injuriam. Sanchez.

An autem ordinatus sine licentia uxoris debeat intrare Religionem, quando non expressè eam 685. *An autem*

Initiatus debeat intrare Religionem. Pars negans probatur per d. Extrav.

eam promisit, alibi examinavimus : & pars negativa videtur manifestè probari per d. Extravag. ibi : *Ad ingressum hujusmodi* (putà Religionis approbatæ) *sic ordinatum, si Matrimonium consummatum non fuerit, per Diœcesanum instanter moneri præcipimus, & induci : quòd si forsan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum Matrimonium consummare.* Sentit ergò

Sanchez. textus (inquit Sanchez sup. n. 18.) id non esse præceptum, sed consilium.

Hinc Glossa ibi verb. *Præcipimus*, infert : *Necessitatis est ergò talis monitio per Episcopum facienda ; alias prætermissa in eo peccatum induceret.* Et verb. *Renuerit adimplere*, inquit : *Supponit expresè, quòd possit renuere, ut in servo dicitur, qui, licet jussus per dominum, potest nolle hæreditatem adire ; Cod. de Hæred. instit. l.* Cùm proponas. *Quia voluntarium servitorem quærit sibi Deus, non coactum, 15. q. 1. cap.* Non est. *Et per hoc dicitur reprobata opinio Hostiensis, dicentis, talem fore cogendum ad ingressum Religionis ; cùm ad hoc cogatur quandoque propter delictum.*

686. *Absque petitione uxoris non est restituendus.*

Nota autem hæc verba Pontificis : *Si sponsa ejus institerit.* Igitur absque petitione seu instantia uxoris, non est restituendus, neque ipse potest Matrimonium consummare. Et ratio disparitatis inter Ordinem sacrum, & Professionem religiosam, manifesta est ; quòd hæc fuerit irrita, Ordo autem validus ; & Ecclesia Ordini castitatem annexuit, inquantùm potuit : ac proinde censetur, omnem facultatem redeundi suâ sponte admisse mitiato ; salvo tamen jure uxoris ad revocandum. Et ita solùm tenebitur dolum, & vim illatam amovere, significando uxori animi sui promptitudinem ad conjugale consortium, ipsâ volente. Quod si ipsa repetere nolit, non erit ei integrum ad ipsam redire. Ita Sanchez sup. n. 16.

Sanchez.

Ad instantiam ejus restitutus nequit petere debitum.

Et hinc, ad instantiam ejus restitutus nequit petere debitum : ut notat Glossa ibi verb. *Consummare*, ubi sic interrogat : *Sed licèt ille cogatur, muliere instante, Matrimonium consummare : numquid ipse poterit ab ea debitum exigere ?* Respondet : *Dicas, quòd non ; cùm adhuc, quoad se, voto continentiæ sit ligatus.* Et quoad petitionem non præjudicatur Matrimonio, sed solùm quoad redditionem. Quòd autem possit reddere, manifestè colligitur ex verbis textûs : *Per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus.* Quippe non potest compelli per censuram ad peccatum, & aliàs frustrà restitueretur.

687. *Tenetur reddere.*

Restitutus ergò ad instantiam uxoris, aut etiam officio Judicis ; sive Matrimonium anteà consummatum fuerit, sive non, tenetur reddere debitum ; sed nequit exigere ; quia suscipiendo validè Ordinem sacrum juri exigendi plenariè cessit. Et ideò petenti non tenetur uxor reddere ; ut docet D. Tho. 4. dist. 37. q. 1. a. 2. ad primum : *Dicendum, quòd vinculum Ordinis solvit vinculum Matrimonij ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad Matrimonium ex parte ejus, qui Ordinem suscipit ; quia non potest petere debitum, nec uxor tenetur ei reddere : sed tamen non solvit ex parte alterius ; quia ipse uxori tenetur debitum reddere, si non possit eam inducere ad continentiam.*

Vxor petenti non tenetur reddere, ex D. Tho.

Ratio plana est : quia susceptio Ordinis sacri 688. sine licentia uxoris, in nullo præjudicat ejus juri ; tametsi etiam vir ad summum Pontificatum eveheretur ; ut docet Sanchez sup. n. 12. Cùm enim hoc sit jus justitiæ priùs, non potest lædi per Pontificatum, quantumvis bonâ fide assumptum, eò quòd uxor mortua crederetur.

Ratio, quare ipse teneatur reddere. Sanchez.

Unde revocatus teneretur redire, & reddere debitum ; ut docet Gloss. cap. *Si quis pecunia,* 9. dist. 79. verb. *Non Apostolicus*, ibi : *Sed quid, si dum uxor tua creditur mortua, eligeris in Papam ; & consecraris, & uxor tua te repetit, an ei reddendus es ? Vel si tu neges, eam tuam uxorem esse, apud quem cognoscetur, cùm Papa judicari non possit, nisi de hæresi? Respond. si revocetur indubium, non est cogendus stare judicio alicujus ; imò excipere potest : Dominus est, qui me judicat, 9. q. 3.* Aliorum. *Si autem certum est, tenetur ei reddere debitum, nisi mulier induci possit ad continentiam observandam, vel abrenuntiabit Papatui, & satisfaciet uxori.*

Esto foret jam electus Pontifex.

Intellige, post Matrimonium consummatum. Nam ante consummationem, posset, secundùm probabilem sententiam, secum dispensare, & dissolvere vinculum Matrimoniale.

Intellige post Matr. consummatum.

Hinc etiam fieri posset, ut de licentia Pontificis, conjugatus, ante consummationem, licitè susciperet Ordines sacros sine licentia conjugis ; tum, quia ipse potest dispensare in illo Matrimonio rato : tum, quia sola continentia, Ordini sacro annexa, obstaculo est promotioni conjugati ad Ordines. At cùm illa solo jure Ecclesiastico annexa sit Ordini, ut suo loco diximus, posset Pontifex in ea dispensare. Quare (inquit Sanchez sup. n. 4.) posset conjugatus, ex Pontificia dispensatione, etiam post Matrimonium consummatum, ad sacros Ordines promoveri absque uxoris consensu. Sola enim constitutio Ecclesiastica id vetat. 689.

Potest conjugatus ex dispensatione Papa initiari sine licentia uxoris. Sanchez.

De cætero, qualis licentia requiratur, & qualiter uxor possit revocare virum, sine licentia, vel alijs requisitis ordinatum, colligi potest & debet ex dictis sup. de professo sine licentia, aut alijs requisitis : pari enim passu incedunt ; eo semper salvo, ut Ordinatio sine licentia sit valida ; Professio autem irrita ; ex quo oritur in quibusdam casibus aliqua disparitas, quæ patet ex dictis. Requiritur igitur licentia spontanea.

Interrogat aliquis ; an sufficiat tacita? Negat 690. Sanchez sup. n. 15. ita ut ex dissimulatione, dum nimirum uxor, conscia promotionis viri ac potens commodè reclamare nec consensum, nec dissensum præstat, sed dissimulando tacet ; ut, inquam, ex ea dissimulatione nullum ei præjudicium fiat ; sed jus suum viri repetendi illæsum maneat.

An sufficiat hic tacita licentia.

Ratio ipsius est : quia ad rem tam arduam (ubi uxor spoliatur suo jure conjugali, & remanet etiam ipsa obligata ad continentiam) jura non contenta sunt uxoris dissimulatione, quæ varias interpretationes patitur, nec signum

Ratio partis negantis, ex Sanchez.

apertum

apertum licentiæ eſt ; ut expreſsè definitum eſt cap. *Conſuluit*, de Converſ. conjug. quando vir profitetur uxore diſſimulante. Sic ille. Quem ſequitur Averſa tract. de Sacram. Ordinis, q. 4. ſect. 10. §. *Debet tamen*, in fine.

691. *Partem affirmantem tenet Gloſſ. c. 10. diſt. 28.*

At verò Gloſſ. cap. *Quia ſunt*, diſt. 28. verb. *Fuiſſe*, ſic ait : *Supple, & eum ordinatum, ipsâ ſciente : nam ſi eâ invitâ ordinaretur, vel ignorante, non fieret ei præjudicium : ſed ſi ſcivit & tacuit, ſit ei præjudicium, ut poſt mortem illius non poſſit nubere ; ut 32. diſt.* Seriatim. *Vnde non requiritur, ut mulier voveat ; ſed ſufficit, ſi ſcit, virum ſuum ordinari.*

Et alij plures eam ſequuntur.

Conſonant Archidiaconus, Dominicus, Turrecremata, Hoſtienſis, & Alij apud Sanchez ſup. n. 14. Temperant Henricus, Monaldus & D. Antoninus, quando uxor fuit conſcia juris ſtatuentis, quid ipſa efficere debeat, viro promoto ad Ordines cum ejus conſenſu. Tunc enim tacens, cùm commodè reclamando eſſet, videtur conſenſum præſtare, & ad ea efficienda ſe aſtringere, quæ jus facienda præcipit. Et hæc ſententia eſt probabilis, inquit Sanchez.

692. *Quid ſi uxor expreſsè conſentiat, non tamen vovet continentiam.* Averſa.

Sed pone, quempiam ad Ordines promoveri, uxore quidem expreſsè conſentiente, non tamen Religionem ingrediente, aut continentiam vovente. Tunc (inquit Averſa ſup. §. *Sextò alterius*) videtur habere locum regula, quæ præſcripta eſt c. 1. de Converſ. conjug. quando vir ſic erat in Religione profeſſus : nempe debere illi virum reſtitui, ſaltem ex officio Iudicis, ſi non ex mulieris inſtantia, & maximè ſi de continentia periclitetur. Sanchez autem lib. 7. de Matrimonio diſp. 39. hoc limitat, quando mulier erat ignara juris obligantis eam ad profitendam continentiam ; quia ſi erat conſcia, videtur tacitè vovisse.

Opinio Sanchez.

Non placet Suario.

Sed hanc limitationem reprobat Suarez to. 3. de Relig. lib. 9. cap. 19. n. 17. in fine : quia textus non loquitur limitatè in caſu ignorantiæ, ſed amplè & abſolutè : & quia ſi mulier ſit conſcia hujus juris, ſciet hoc ipſum, quòd niſi expreſsè voverit continentiam, non tenebitur ; ſed poterit revocare virum ſuum ; quare non cenſebitur tacitè aut ullo modo vovisse, nec poterit tunc aſtringi ad vovendum. Hactenùs Averſa.

693. *Putat hic, votum iſtud non eſſe præceptum.*

Et notat Suarez ſup. in medio d. n. 17. hoc votum non eſſe opus neceſſitatis, ſed conſilij & admonitionis. Nam in ipſo Concil. Lateranenſi ſub Alex. III. p. 5. c. 4. (ex quo deſumptum eſt cap. 1. de Converſ. conjug.) additur : *Verumtamen uxor commonenda eſt, & propenſiùs exhortanda, ut ad Religionem tranſeat, & caſtitatem ſervare promittat.* Et ſi dixeris : d. cap. loquitur de Profeſſione : Reſpondet ; jam ſæpè dictum eſt, hæc duo æquiparari in jure, quantùm ad præſens attinet.

Probatio.

Ratio verò reddi poteſt (proſequitur præfatus Auctor) quia eo ipſo quòd converſio vel Ordinatio viri facta eſt ſine voto uxoris, non eſt facta ſecundùm formam & modum ſacris Canonibus præſcriptum ; & ideò & illicitè facta eſt, & non obligat uxorem ad perpetuam caſtitatem ; quia Eccleſia non vult illam obligare, niſi per voluntariam promiſſionem ejus. Sic ille.

694. *Suarez putat, diſſimulationem non ſufficere, & probat.*

Qui ibidem n. 15. cum Sanchio docet, diſſimulationem uxoris non ſufficere. Ratio verò reddi poteſt (inquit n. 16.) quia licèt uxor taceat, non propterea conſentire videtur : quia nec eſt res ſibi favorabilis, neque aliquo ſpeciali jure contradicere tenetur ; cùm autem Reg. juris 43. in 6. dicit : *Qui tacet conſentire videtur*, oportet, ut alterutra ex dictis conditionibus intercedat ; quia cùm illa voluntas tantùm ſit præſumpta & interpretativa, fundari debet (inquit ille) vel in eo quòd res eſt favorabilis ; quia unuſquiſque præſumitur velle commodum ſuum vel in obligatione contradicendi, ſi non conſentit ; quia tunc, vel qui non reſiſtit, cùm teneatur, & poſſit, indirectè cenſetur velle & conſentire ; vel ſi conſentiendo evitat culpam, eò ipſo præſumitur non malè agere, ſed conſentire. At in præſenti nullus eſt favor, ut per ſe conſtat ; neque etiam oſtendi poteſt lex Canonica, quæ obliget uxorem ad contradicendum expreſsè in eo caſu : ergò non eſt cur cenſeatur conſentire, ex eo ſolùm, quòd non contradicit ; ſed ſolùm non ſe defendere, licèt patiatur injuriam. Sicut etiam in Reg. juris 44. in 6. dicitur : *Qui tacet non fatetur, ſed nec utique negare videtur.* Hæc Suarius. Quæ merentur conſiderationem.

695. *An ſuppoſito conſenſu & voto, mulier poſt mortem ordinati valeat aliud Matr. inire. Negat Sanchez. ex c. 10. diſt. 28.*

Quæro, ego : an ſuppoſito expreſſo conſenſu in Ordinationem viri, & expreſſo voto ſimplici continentiæ, mulier poſſit validè inire aliud Matrimonium viro jam defuncto ? Placet Sanchez ſup. diſp. 40. n. 2. id Matrimonium fore irritum. Id enim (inquit) probat textus, c. *Quia ſunt*, diſt. 28. quod eſt D. Greg. Pontif. lib. 2. Epiſt. 59. ubi eſt caſus, uxor conſcia promotionis viri ad Ordines, mortuo viro, jam facto Diacono, ad alias nuptias tranſijt, & ait D. Gregor. *Si in conjugio Diaconi mulierem, de qua agitur, fuiſſe conſtiterit ..... ij, qui male ſociati ſunt, diſjungantur.*

Et cap. 11. eod.

Et cap. *Si ſe*, eod. diſt. ex Concilio Aurel. 1. cap. 15. dicitur : *Si ſe cuiquam duplici conjugio Presbyteri vel Diaconi relicta conjunxerit, aut ſeparentur : aut certe, ſi in criminis intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur. Similiter loquuntur alia jura.*

Sed quæ ratio ? An fortè quòd votum uxoris fiat ſolemne per votum ſolemne viri ? Hoc ſup. improbavimus ; quia nullo nititur fundamento ; imò contrarium Aliqui probant ex jure : & ad cap. *Martinus*, de Cognat. ſpir. ubi actiones viri, propter unitatem carnis, dicuntur eſſe actiones uxoris, reſpondent : id non de omnibus actionibus fore intelligendum (ſic enim etiam Sacerdote celebrante, uxor quoque diceretur celebrare) ſed de actionibus tantùm corporalibus, quæ ad ſui eſſentiam non requirunt certam aliquam intentionem animi, niſi aliter jure expreſſo fuerit conſtitutum, ſicut de compaternitate d. cap. *Martinus*, conſtituitur.

696. *Quæ injuſta eſt legitima ratio, ex Sanchez.*

Et ideò legitima ratio (inquit Sanchez ſup. n. 3.) cur hoc Matrimonium irritum ſit, non eſt, votum ſimplex uxoris effici ſolemne per actionum communicationem : ſed quia Eccleſiaſtica conſtitutio, ob reverentiam Ordinis aſ-

sumpti à viro ex licentia uxoris, voventis castitatem, reddidit eam ad subsequens Matrimonium inhabilem.

Sic posse dici, ait Gloss. d. cap. *Seriatim*, verb. *Post mortem*; Vide eam sup. Conclus. 17. Et tenet Gloss. d. cap. *Si se*, in fine, ibi: *Sed videtur, quòd sola constitutio Ecclesiæ hoc Matrimonium dirimat, non scientia vel votum: quod ex eo patet, quòd Græcus non promittit continentiam, dum recipit sacros Ordines, ut* 31. *dist.* Quoniam: *tamen si contraxerit post sacros Ordines, non tenet Matrimonium. Hòc ergò non facit votum; sed sola constitutio Ecclesiæ.*

697. *Pontius oppositam docet sententiam, ex Concil. Tolet. 1. can. 16.*

Verùm enimverò de hac constitutione Ecclesiæ non videtur satis constare. Et ideò dicit Pontius lib. 7. cap. 25. n. 9. & 10. fuisse quidem illa conjugia semper prohibita; attamen valuisse. Nam (inquit) in Concil. Tolet. 1. can. 16. (aliàs 18.) relictæ Episcopi, si nupserit, negatur Eucharistiæ communio, nisi in fine vitæ; neque alia imponitur pœna.

Hæc sunt verba Concilij: *Si qua vidua Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi maritum acceperit, nullus Clericus, nulla Religiosa cum ea convivium sumat, numquam communicet; morienti tamen ei Sacramentum subveniat.*

698. *Item ex cap. 12. dist. 28.*

Eadem verba citat Grat. dist. 28. c. 12. ex Concil. Mart. Papæ, nisi quòd ad ly *Religiosa*, addat, *Persona*, & loco ly *Sacramentum*, ponat, *Sacramenta*. Ubi Gloss. verb. *Aut Diaconi*, inquit: *Ideò non facit mentionem de Subdiaconis: quia tempore Gregorij promovebatur quis in Subdiaconatum, non promissâ continentiâ: nec fiebat uxoribus aliquod præjudicium; ut* 27. *q.* 2. *Multorum.* Interim ex verbis juris patet, aliam pœnam imponi, præter negationem Eucharistiæ.

Et cap. 16. Concil. Matisc.

Adducit etiam Pontius ad idem propositum c. 16. Concilij Matisconensis, sequentis tenoris: *Illud quoque rectum nobis visum est disponere, ut quæ uxor Subdiaconi, vel Exorcistæ, vel Acolythi fuerat, mortuo illo, secundo se non audeat sociare Matrimonio. Quod si fecerit, separetur, & in cœnobys puellarum Dei tradatur, & ibidem usque ad exitum vitæ permaneat.*

699.

At credi non potest (inquit ille) viduam Acolythi inhabilem ad Matrimonium reddi; cùm his, qui in minoribus Ordinibus ministrabant, non esset prohibitum cum uxoribus suis dormire, neque tenerentur Professione castitatis. Imò Presbyteri, reperti cum sua Presbytera dormire, inter Lectores ministrare permittebantur in Concil. Tur. 2. can. 20.

Explicat contrarios can. de separatione quoad torum.

Quare si prædpiunt Canones aliquando, ut hujusmodi viduæ, iterùm nubentes, separentur, intelligendi sunt de separatione tantùm tori ad tempus, in pœnam violati præcepti. Quod olim frequens in Ecclesia, ob alia commissa crimina, latè diximus in superioribus cap. 20. & 21. Nunc autem, si jam uxor professa est, non valet Matrimonium; si verò mansit in sæculo cum voto continentiæ, Matrimonium valet, quia tantùm est simplex votum. Hactenùs Basilius.

700. *Vasquez ex*

Vasquez autem in 3. part. D. Tho. to. 3. disp. 247. n. 142. putat, ex pœna separationis colligi, Matrimonium fuisse invalidum, quæ aliàs injusta esset. Nam, inquit, Matrimonium, contractum post votum simplex alterius conjugis, dissolvi non potest, etiam quod attinet ad torum; sed sic contrahentes puniri debent alio modo: violaretur enim jus Matrimonij, & mariti, quod per Matrimonium habet ad petendum debitum. Sic ille.

pœna separationis colligit invaliditatem Matr.

Et paucis interjectis, ait: Cæterùm, cùm hoc tempore nullus post Matrimonium contractum ordinetur in Ecclesiâ Latinâ, nisi uxor ipsius in Religione profiteatur; vel si senex & sterilis sit, in sæculo simplex votum continentiæ emittat: pro ea, quæ in Religione professa fuerit, satis manifestum est, Matrimonium, quod posteà contraxerit, irritum esse; sicut aliarum etiam Religiosarum mulierum. Pro ea tamen, quæ in sæculo manens, simplex tantùm votum emiserit (quod quidem raro contingit) nescio, utrùm maneat jus antiquum irritans Matrimonium, quod tunc forsan necessarium fuit, cùm frequens esset in Ecclesiâ Latinâ, viros Matrimonio conjunctos ad Ordines sacros assumi, uxoribus dumtaxat continentiam voventibus, & in sæculo, imò intrà eamdem domum remanentibus. Ita Vasquez.

Dubitat, an de facto Matr. in casu proposito sit invalidum.

701. *Aversa ait, prorsùs nullum esse, ex dispositione juris.*

Nunquid audiendus? Aversa sup. §. *Rursùs*, de tali Matrimonio pronuntiat: dici debet, fore prorsùs nullum & irritum.....Nec oportet aliam rationem quærere præter dispositionem ipsam juris sic statuentis; quàmvis votum mulieris per se fuerit simplex. Nec Vasquez dubitare debebat de permanentia talis juris. Idque totum Gloss. in cap. *Quoniam*, dist. 28. extendit etiam ad Ecclesiam Græcam: quia licèt de præsenti vir conjugatus, & ordinatus, cum sua conjuge non profiteantur continentiam; tamen profitentur in posterum, ut nec vir possit aliam ducere; & similiter, ut nec mulier possit alium; & alioqui secundum Matrimonium sit irritum. Sic ille

Sed ego quæsitum d. cap. *Quoniam*, dist. 28 non potui reperire; nec mirum, quia ibi non erat. Juveni autem dist. 31. in qua cap. 13. incipit: *Quoniam*, &c. Suspicor, Aversam proprijs oculis non legisse d. cap. sed ex Sanchio sup. exscripsisse. Nam & ipse citat Glossam cap. *Quoniam*, dist. 28. verb. *Continentes*, pro eadem doctrina.

702. *An ea dispositio concernat etiam orientalem Ecclesiam.*

Et ecce verba Glossæ: *Sed nunquid in Orientali Ecclesia vir potest promoveri sine licentia uxoris? Dicit H. quòd sic: quia nec sit ei præjudicium aliquod. Sed certè præjudicium sit ei; quia post mortem viri non potest contrahere. Item & in alio sit ei præjudicium; quia tempore vicis suæ non debet ei commisceri, cùm etiam ad tempus vir, invitâ uxore, non possit orare.*

Et, amabo, quis asserit post mortem viri posse contrahere? Num ideò, si contrahat, Matrimonium erit irritum? Hoc Glossa ista non dicit. Omittamus itaque eam; quia parum aut certè nihil facit pro invaliditate Matrimonij.

703. *An hæc doctrina debeat*

Quam utique (ut ibidem Aversa §. *Sed &*) Aliqui extendunt, quòd etiam si, muliere invitâ, aut insciâ, vir ordinatus esset, non possit posteà alteri

ut extendi ad mulierem, quæ non vovit, licèt conſenſerit. Affirmat Sanchez, etſi fuiſſet ignara juris.

alteri nubere. Vel ſaltem quando mulier ſcivit, nec tamen reſtitit, nec etiam expreſsè conſenſit. Vel ſaltem, quando conſenſit quidem, non tamen voto ſolemni vel ſimplici continentiam promiſit. Et hoc admittit Sanchez ſup. n. 6. & 7. etiamſi mulier fuiſſet ignara juris, reddentis eam inhabilem ad ſecundas nuptias poſt mortem viri ordinati. Ita Averſa.

Probat autem Sanchez ſuam doctrinam. Quia (inquit) textus indiſtinctè loquuntur. Præterea: quia non video rationem, cur ad hoc impedimentum dirimens deſideretur ſcientia juris; cùm id non proveniat ex voluntate uxoris, ejuſque voto, ſed ex jure Eccleſiaſtico. Et in cæteris impedimentis dirimentibus ea ſcientia non deſideratur. Sic ille. Citatque pro ſe D. Bonavent. 4. diſt. 37. in expoſit. lit. cujus verba videre poteris Concluſ. 17. quæ, ſicut ibi notavi, commodè intelligi poſſunt de Matrimonio tantùm illicito, non autem irrito.

704. *Negat Averſa.* Rogas: an hæc doctrina Sanchij placeat Averſæ? Minimè: nam ſubjungit: Sed certè cohærenter ad ea, quæ dicta ſunt, & ad regulas juſtitiæ, nullum impedimentum ſubiret mulier, quâ invitâ, vel inſciâ, vir ſumpſiſſet Ordinem. Nec etiam, quæ ſciens non reſtitit, nec conſenſit. Siquidem poteſt repetere, & ad uſum conjugij compellere eumdem virum ordinatum, ut dicebamus: quantò magis ergò poterit poſt mortem illius alium virum ſumere? Sic ille. Quòd & ipſe Sanchez docet ſup. n. 4. & 5.

Si autem (proſequitur Averſa) conſenſit promotioni viri; non tamen ſe ad continentiam obligavit; ſed non erat conſcia talis juris, non videtur hoc impedimentum incurrere: ſicut nempè nec manſit ſimpliciter obligata ad continentiam cum primo viro, quàmvis ordinato: quinimò poterat, & in caſu periculi debebat, ſaltem ex Judicis officio, vir ejus illi reſtitui, ut expleret debitum conjugale.

705. *Diſcrimen inter hoc & alia impedimenta.* Et hoc eſt manifeſtum diſcrimen hujus impedimenti ab alijs impedimentis: quia Eccleſia ſic inſpoſuit, ut alia incurrantur ex ipſo ſtatu rei; ſed hoc non niſi ex conſenſu proprio, qui ſine ſcientia eſſe non poteſt: ita enim in hoc ſe habet impedimentum Matrimonij, ſicut obligatio continentiæ. Et meritò Eccleſia ſic ſtatuit: quia hoc impedimentum non ligat determinatè, ne contrahatur Matrimonium cum una aut altera perſona; ſed ne ſimpliciter cum quacumque perſona, & ad hoc debebat exigi proprius conſenſus.

Imò etiamſi erat conſcia juris, dum reverà non emiſit votum, nec etiam videtur hoc impedimentum incurrere: quia hoc non incurritur, niſi mediante voto; & niſi conjunctim cum obligatione continentiæ reſpectu primi viri: non enim ſeparantur hæc duo, obligatio continentiæ cum primo viro ordinato vel profeſſo, & inhabilitas cum ſecundo viro poſt mortem illius primi. Sed benè quidem, ſi mulier vovit continentiam, quàmvis neſciret inde ſequi inhabilitatem ad aliud Matrimonium, verè illam adhuc incurreret; quia ſat eſt voviſſe. Hucuſque Averſa.

Sed videri alicui poſſet; quòd non ſatis cohærenter ad ea, quæ priùs dixerat. Nam, ut vidimus, extendit ibi hoc impedimentum ad Eccleſiam Græcam; in qua tamen, ipſo teſte, ordinatus cum ſua conjuge non profitebatur continentiam de præſenti, ſive durante eo Matrimonio: hìc autem reſtringit hoc impedimentum ad eas, quæ in præſenti habent votum continentiæ, ſive obligationem continentiæ cum primo viro. 706. *Impugnatur doctrina Averſa. Primò.*

Ex hoc etiam conſectaneum eſt, uxorem Exorciſtæ, aut Acolythi, non habuiſſe hoc impedimentum; cùm in præſenti non haberent votum continentiæ, ſive obligationem continentiæ cum primo viro; ſed licitè poſſet ei copulari, ut ſup. dicebat Pontius. Et tamen debebat ſeparari à ſecundo viro, etiam uſque ad exitum vitæ, ex Concil. Matiſcon. ut ſuperiùs audivimus. Ergò ex ea ſeparatione non probatur efficaciter invaliditas Matrimonij. 707. *Secundò.*

Porrò neque Sanchez, neque Averſa aliunde probant invaliditatem ſecundi Matrimonij relictæ Presbyteri vel Diaconi, niſi ex illis juribus, quæ præcipiunt ſeparationem. Verùm & hæc ipſa jura non meminerunt voti continentiæ; ſed indiſtinctè loquuntur, ut ſup. dicebat Sanchez. Et ideò hic Auctor ſolùm conſenſum uxoris & non votum requirit, ut ſecundùm Matrimonium ſit invalidum, & magis conſequenter.

Cardo itaque cauſæ hujus litis in eo vertitur: 708. *An Eccleſia poſſit aliquos legitimè conjugatos pro perpetuo ſeparare.* num Eccleſia poſſit rationabiliter aliquos legitimè conjugatos ſeparare, non ſolùm pro tempore; ſed etiam uſque ad exitum vitæ, vel in pœnam delicti, vel ob aliam cauſam. Et quòd poſſit, patet ex divortio perpetuo ob hæreſim alterius conjugis. Cur ergò ſimiliter in caſu præſenti non poſſet illicitè conjugatos ſeparare, ſaltem ad tempus, imò & pro perpetuo, eſtò Matrimonium foret validum?

Dices: ergò ſi bonâ fide contraxiſſent, non deberent ſeparari. Tranſeat totum. Sanè jura, quæ Sanchez adducit, ſupponunt crimen; d. cap. *Quia ſunt*, ibi: *Ad vindictam modis omnibus tradatur, & cum competenti emendatione, ij, qui malè ſociati ſunt, diſjungantur.* Et d. cap. *Si ſe*, ibi: *Aut certè ſi in criminis intentione perſtiterint* &c. Vel dic: Eccleſiam, etiam ſecluſo formali peccato, habuiſſe aliam ſufficientem cauſam eos ſeparandi, utputà reverentiam ſtatûs Clericalis. *Objectio ſolvitur.*

Fateor equidem, quòd hæc ſeparatio perpetua valde gravis pœna ſit pro tali delicto: & reverentia ſtatûs Clericalis in multis caſibus permittit uſum conjugij. Interim, quia impedimenta dirimentia Matrimonium non facilè inducenda ſunt, maximè cum quacumque perſona, utpote odioſa, tamquàm reſtrictiva juris naturalis, quod quilibet habet contrahendi Matrimonium, tum ad conſervationem ſpeciei, tum ad evitandam incontinentiam, magis inclinor in ſententiam Pontij, donec aliud jus inducatur, quod evidentiùs probet invaliditatem hujuſmodi Matrimonij, quàm ea, quæ hactenùs inducta fuerunt. Poſito autem, quòd invalidum ſit, non puto requiri ſcientiam ejus impedimenti magis, 709. *Auctor inclinat in ſententiam Pontij.*

quàm

quàm requiritur scientia impedimenti Ordinis sacri: nam & hoc impedimentum non ligat determinatè, ne contrahatur Matrimonium cum una aut altera persona, sed ne simpliciter cum quacumque persona.

710. *Minores Ordines possunt recipi sine licentia coniugis, probatur ex c. 2. de Cler. conjug.* Cæterùm si à me quæritur: an quæ Ordinis sacri, eadem sit ratio minorum Ordinum, ut nec sic possint recipi à conjugato sine licentia prævia uxoris? Pro parte negativa facit cap. 2. de Cler. conjug. ubi solùm interdicitur, ne conjugatus ad sacros Ordines promoveatur. *Sanè*: Et infrà: *Provideas attentiùs, ne deinceps Clericus conjugatus ad Ecclesiastica beneficia, vel sacros Ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittatur: nisi fortè castitatem voveret perpetuam: & qui unicam, & virginem habuisset uxorem.*

Item ex c. 5. de Conv. conjug. Consimiliter d. cap. *Conjugatus*, de Convers. conjug. & Extravag. Ioan. XXII. *Antiquæ*, de Voto, ubi prohibetur promotio viri conjugati ad Ordines, sermo est de Ordinibus sacris. Nullatenùs ergò interdicitur ipsi promotio ad Ordines minores: *Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur*, cap. *Qualis*, dist. 25.

Probatio ex ratione. Adde: minoribus Ordinibus non esse annexam continentiam, quæ sola promotioni viri ad Ordines sacros obstat. Et ita posse hunc ad Ordines minores promoveri ex justa causa, docent Sanchez. Aliqui apud Sanchez sup. disp. 38. n. 5. posse, inquam, promoveri sine licentia uxoris, aliâve conditione ad sacros Ordines requisitâ. Et hoc est probabile.

711. *Opposita sententia probatur ex c. fin. de Temp. Ord in 6.* Sed tenendum est (inquit ille) tamquam multò probabiliùs, nec ad primam Tonsuram promoveri posse absque uxoris licentia, servatis alijs, quæ jura postulant in uxore ad promotionem viri ad Ordines. Probatur ex cap. fin. de Temp. Ordinat. in 6. sequentis tenoris: *Nullus Episcopus, vel quivis alius infunti (nisi fortè Religionem intraret) seu illiterato; sed neque, absque sui Superioris licentia, homini diœcesis alienæ clericalem præsumat conferre tonsuram: nec etiam conjugato, nisi volenti Religionem intrare, aut ad sacros Ordines promoveri, prout est sacris Canonibus definitum.*

Ubi Gloss. verb. *Definitum*, inquit: *Quod dic, ut notatur sup. de Convers. conjug. Conjugatus.* Ubi petitur licentia uxoris, cum voto castitatis ipsius manentis in sæculo.

712. *Evasio præeluditur. Abbas.* Planè, inquis: sed d. cap. loquitur de Ordinibus sacris. Respondet Abbas ibi: quòd capiuntur hìc sacri Ordines largo modo: nam quilibet Ordo dicitur sacer, cùm sit sacrum signaculum, & character imprimatur.

Verùm hæc solutio non quadrat in primam Tonsuram, quæ non imprimit characterem. Sanchez. Hinc Sanchez sup. ad hunc & alios similes textus respondet, eos solam promotionem ad sacros Ordines interdixisse: at d. cap. fin. de Temp. Ordin. in 6. prohibuisse quoque promotionem ad Ordines minores, & primam Tonsuram. *Arg. à contrario hic non valet.* Nec argumentum à contrario sensu ex alijs textibus deductum est alicujus momenti: cùm id argumentum nil probet, quando inde alterius juris correctio resultat. Sic ille.

Quem sequitur Aversa sup. sect. 9. §. *Sed alij Doctores*, ibi: Itaque ex tunc, quo vult quis conjugatus primam Tonsuram assumere, debent servari illæ conditiones, quas sacri Canones requirunt ad Ordines sacros. Et ita quidem in praxi servatur. Imò & solent Episcopi ex tunc exigere votum continentiæ, aut votum vel juramentum assumendi absque mora Ordinem sacrum. Nec Ecclesia permittit quemquam post conjugium fieri Clericum, ut permaneat solùm in Tonsura, & Minoribus Ordinibus, & utatur conjugio: sicut alioqui concedit, ut Clericus post minores Ordines possit inire conjugium. 713. *Hanc sententiam docet Aversa. Ad Testatur praxi.*

Et quàmvis textus nominet solùm Tonsuram; tamen sine dubio idem intelligit de quocumque minori Ordine, si quis fortè anteà initiatus Tonsurâ, & aliquo ex minoribus Ordinibus, & posteà conjngatus, velit alios quoque ex minoribus Ordinibus suscipere. Et quàmvis etiam aliqui Auctores priores sententiæ textum exponant, nisi adsit justa causa, & Episcopus dispenset: tamen verba textûs sunt ita absoluta, ut non relinquant talem dispositionem & dispensationem sub arbitrio Episcopi. 714. *Episcopus non potest dispensare.*

Atque hinc satis patet ad omnia motiva contraria, quæ pro ea sententia indicabantur. In re enim, quæ dependet ex dispositione juris, illi omninò standum est. Et in hac parte voluit potiùs Ecclesia concedere, ut ordinatus in Minoribus possit conjugari, quàm ut conjugatus possit ordinari, nisi cum certis conditionibus. Et quàmvis id non fuerit in priori jure dispositum: tamen ex quo in alio posteriori dispositum est, ita servari debet. Hactenùs Aversa. Meritò planè, si reverà ita in praxi servetur, quæ est optima legum interpres.

Et nota: quòd dicat: Solent Episcopi ex tunc exigere votum continentiæ, aut votum assumendi absque mora Ordinem sacrum: cùm tamen Sanchez sup. n. 8. requirat determinatè votum continentiæ. Quàmvis enim (inquit) à non conjugato, promoto ad Minores, id votum non petatur; secùs est de conjugato. Quod ille possit à Clericatu resilire, ac uxorem ducere; & ideò non debet beneficio juris privari, petito ab eo continentiæ voto: hic autem non potest ad primam tonsuram promoveri, nisi velit quoque ad sacros Ordines ascendere, & ideò, ne contingat, eum ante sacrorum Ordinum susceptionem redire ad uxorem, alligandus est continentiæ voto. Sic Gloss. cap. *Episcopus*, verb. *Sequestrato*, dist. 77. 715. *Non exigit hic Auctor determinatè votum continentiæ: secùs Sanchez.*

Interrogat ibi Glossa: *Quid si uxoratum promovet Episcopus ad minores Ordines? Debetne ab eo exigere continentiam: cùm sine titulo eum non debeat promovere, & beneficium simul cum uxore habere non possit, ext. de Cler. conjug. c. 1. & cap. Diversis?* Respondet autem: *Sic; si tamen promovetur, nec exegerit, habebit beneficium; arg. 32. dist.* Si qui. *Ab eo autem, qui uxorem non habet, non est exigenda continentia, 15. q. 3. §.* Cùm autem *Ioan.* *Pro hoc facit Gloss. c. 6. dist. 77.*

Sed quæro ego: ubi in jure dicitur, quod sine titulo beneficij conjugatus non debeat promoveri 716. *Impugnatur Glossa.*

moveri ad minores Ordines ? Ad majores requiritur quidem titulus sustentationis: sed quòd ille titulus debeat esse beneficium, & non sufficiat patrimonium, nusquam in jure reperitur. Ergò ex hoc, quòd conjugatus non possit habere beneficium simul cum uxore, non bene infertur, quòd debeat vovere continentiam, ut promoveatur ad minores Ordines; imò etiam ad Majores; quia posset habere sufficiens patrimonium ad honestam sustentationem.

Auctor ab ea recedit.

Ex quo ergò probatur ? dicto cap. fin. non requiritur nisi voluntas intrandi Religionem, aut suscipiendi Ordines sacros. Censen' autem, cum hac voluntate non posse stare licitum usum conjugalem ? Clarum est, quòd cum voto intrandi Religionem, aut suscipiendi Ordines sacros, conjugatus licitè possit redire ad uxorem suam, quousque Professionem emiserit, aut sacros Ordines susceperit. Pontifex tantùm requirit voluntatem intrandi Religionem, aut suscipiendi Ordines sacros; quâ ergò potestate Glossator sup. requirit votum continentiæ ? Ipsius non est condere novos Canones, sed jam conditos explicare. Gratis autem dicit, seu explicat, Pontificem hic per voluntatem intelligere votum continentiæ ante Professionem, aut susceptionem Ordinis sacri.

717. *Occurrit objectioni.*

Scio Canonibus definitum esse, ut uxor illius, qui intrat Religionem, aut suscipit Ordinem sacrum, voveat saltem continentiam; sed quòd ipse, qui intrat Religionem, aut Sacris initiatur, antecedenter debeat vovere continentiam, ubi scriptum reperitur ? Paginâ fractâ, folio nullo. Cur ergò obligabimus conjugatum ad votum continentiæ ante Professionem, aut susceptionem Ordinis sacri ? Non video fundamentum, seclusâ consuetudine.

Certum est, quòd ex natura rei non repugnet, conjugatum, etiam sine ulla voluntate aut voto continentiæ, suscipere minores Ordines. Nec apparet aliqua naturalis inconvenientia, quòd conjugatus, postquam recepit minores Ordines, antequam ascendat ad majores, ad uxorem suam redeat, eique copuletur.

Atque hic fuisset finis præsentis Sectionis & totius Operis, nisi aliquis me interrogasset: numquid factâ legitimâ separatione conjugum, vir adhuc tenetur præstare alimenta uxori? Respondeo:

CONCLUSIO XX.

Vir promotus ad Ordines sacros, remanens in sæculo, tenetur alere uxorem: secùs vir innocens adulteram.

718. *Vir tenetur alere uxorem. Aversa.*

TEnetur, per se loquendo, vir (utor verbis Aversæ de Matr. q. 22. sect. 4. in princip.) ad alendam uxorem: sub alimentis comprehendendo victum, vestitum, habitaculum, famulatum, & quæcumque ad humanam vitam necessaria sunt. Estque res clara ex omni humano jure & usu. Et ex natura ipsa Matrimonij apud omnes Gentes & Nationes: cùm vir sit caput uxoris & familiæ, eique incumbat familiam totam regere ac sustentare, & uxorem tamquam sociam & consortem habere, atque adeò in omnibus providere.

Ideò tradi-tur ei dos.

Imò etiam ex parte mulieris viro traditur dos, ad alendam scilicet ipsam uxorem, & onera communia Matrimonij sustinenda. Ita tamen, quòd etiamsi vir uxorem indotatam ducat, adhuc tenebitur illam alere: quia dum consensit illam absque dote ducere, ad hoc ipsum se obligavit: & cùm uxor alenda sit, ab ipso utique viro ali debebit. Et similiter, si modicâ dote contentus fuit, debebit quoque ex integro, & in totum alimenta præstare, teneturque in omnibus providere, juxtà qualitatem ac decentiam personæ & familiæ, & consuetudinem patriæ, quantùm ipse poterit. Et hæc tota obligatio est de justitia, ut patet. Hactenùs Aversa.

719. *Si mulier temerariè recedat, cessat hæc obligatio. Sanchez.*

Sed quoniam quæ per se vera sunt, per accidens aliquando falsunt; hinc restat videndum, quo casu per accidens cesset hæc obligatio alimentorum. Atque in primis (ut notat Sanchez lib. 9. disp. 4. n. 20.) quando uxor absque viri culpa, propriâ temeritate ab ejus consortio recedit, alenda minimè est à viro.

Probatio.

Quia (inquit ille) uxor debet esse in viri obsequio, cap. *Hæc imago*, 33. q. 5. ubi ex Aug. probatur, quòd mulier debeat esse viro subjecta. Porrò subjecta non est, quæ suâ temeritate recedit; ac proinde receptura non est alimenta, alioqui sibi debita. Qui enim non facit, quod debet, non recipit quod oportet; arg. l. *Si eâ conditione*, 3. Cod. de Condict. insert. in fine: *Cùm suâ sponte scripturæ testamenti non obtemperaverit, ad petitionem non admittitur.*

720. *Secùs si ex culpa viri.*

Si autem viri culpâ, ut ob ejus sævitiam, recedat uxor, alenda est. Nam (inquit idem Auctor) cùm ipsi non imputetur in viri obsequio non esse, sed culpæ viri id tribuendum sit; perinde censendum est, ac si in viri obsequio esset; arg. l. 24. ff. de Condit. & demonst. *Iure civili receptum est, quotiens per eum, cujus interest conditionem impleri, fit, quominùs impleatur, ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset.* Cùm ergò viri interfit, ut mulier ei præstet obsequia, & per eum fiat, quominùs præstentur, perinde haberi debet, ac si præstita fuissent.

Hæc autem adeò vera sunt (auctore Sanchio sup. n. 21.) ut quando suâ culpâ uxor recedit, vir, quàmvis dotem habeat, minimè obligetur ad ipsam alendam. Quia uxor tenetur viro dotem tradere, & in ipsius obsequio esse; quare si in alterutro deficiat, cessat ipsam alendi obligatio. Et econtrà, si vir in culpa sit, tenetur uxorem absque dote ductam alere. Quia si secum habitaret, ad id teneretur, & cùm viri culpâ minimè habitet, gaudebit habitantis privilegio.

721. *Mulier, recedens ob*

Hinc infert idem Auctor n. 22. uxorem à viro recedentem, ob nimiam castigationem, a-

nimiam castigationem, alenda est.

lendam esse à viro; secùs si moderata sit. Quia in priori casu culpa viri est; in posteriori autem uxoris. Permissum est enim viro uxorem corrigere, moderatèque punire; arg. l. 15. ff. Soluto Matr. At caute & comiter oportet eam tractare. Talis namque est inter illos societas, qualis inter patrem & filium; non cujusmodi inter mancipium & dominum.

Non sufficit quilibet excessus, juxtà Sanchium.

Sed nunquid sufficit quilibet excessus in puniendo? Existimo (inquit Sanchez) exigi nimium castigationis excessum, quò fuga hæc uxoris culpâ vacet; ac proinde extrà viri domum, eâ non obstante, ipsi debeantur alimenta. Quàmvis enim vir aliquantulum rationis limites in corrigenda uxore excedat, non continuò licet uxori ab ejus consortio confugere. Sic ille.

Et Aversam.

Quem sequitur Aversa sup. §. *Quintò*, ibi: Censetur mulier suâ culpâ recedere, etiamsi ob aliquem correctionis, sibi à viro illatæ, excessum recedat: culpâ autem viri, si ob nimium excessum.

722. *Quid si mulier sit parata redire, & vir nolit eam recipere?*

Sed si mulier (prosequitur) quæ injustè recesserat, parata sit posteà redire, & vir nolit eam recipere: ex tunc dicetur culpâ viri abesse; qui proinde tenebitur eam alere. Et similiter, si vir, qui injustè uxorem vexaverat, aut expulerat, eam revocet, & sufficientem securitatem offerat pro cautela uxoris, & hæc nolit adhuc redire, jam suâ culpâ aberit; atque adeò donec sic manserit, immunis erit vir ab onere eam alenda. Ita Aversa

Attendendum hic est ad ultimam culpam. Sanchez.

Post Sanchium sup. n. 24. ubi notat, ad decidendum, cujus culpâ separatio habitationis contingat, attendendum semper esse ad ultimam culpam, juxtà regulam, l. *Illud*, 17. ff. de Periculo & commodo rei venditæ, ibi: *Æquum est, posteriorem moram nocere.*

723. *Quid si mulier ob hæresim in carcerem perpetuum includatur? Debet ali, nisi celebretur divortium. Probat Sanchez 1.*

Sed quid, si uxor ob propriam culpam, v. g. hæresim, in carcerem perpetuum includatur? Nisi vir celebret divortium, existimat Sanchez sup. n. 23. eum minimè excusari ab alimentis præstandis, præcisè ex hoc capite, sive propter eam absentiam. Quia (inquit) culpa illa uxoris non tendit directè ad separationem habitationis, sicuti contingit, quando propriâ temeritate aufugit: undè in separatione illa nulla uxoris culpa versatur; sed tantùm in causa. Quis enim diceret, uxorem, quæ culpâ suâ infecta est leprâ, licèt in causa sit prævisa, ob quam justè vir ab ejus consortio recedit, alendam ab eo minimè esse, quasi culpâ suâ seorsim habitantem?

Secunda probatio ex l. 73. ff. de Iure dot.

Accedit: uxorem teneri alimenta mittere viro pauperi suâ culpâ bannito & exulanti; arg. l. 73. ff. de Iure dotium, ibi: *Manente Matrimonio, non perditura uxori ob has causas dos reddi potest, ut sese suosque alat, ut fundum idoneum emat, ut in exilium, ut in insulam relegato parenti præstet alimoniam, aut ut egentem virum, fratrem, sororemq; sustineat.* Idemque videtur dicendum, ubi vir culpâ suâ in triremibus esset.

Probatur 3.

Tandem: quia conjux suâ culpâ recedens jus alimentorum recuperat, ut statim diximus, si pœnitentiâ ductus velit cohabitare: at, uxor, in carcerem perpetuò inclusa, sui delicti pœnitentiam agit, parataque est viro cohabitare, ubi sibi permissum fuerit: non ergò ex cohabitationis defectu privanda est alimentis. Ita Sanchez. Et meritò, quidquid Aliqui contradicant sine solido fundamento.

724. *Quæ ob justam causam seorsim habitat, est alenda.*

Ex quo à fortiori patet; mulierem esse alendam, quando ob viri furorem, vel morbum contagiosum, aut aliam justam causam seorsim habitat; Cùm enim culpâ vacet, par non est, ut damnum privationis alimentorum subeat. Atque hæc satis de prima causa, excusante virum ab alimentatione uxoris.

Maritus inops non tenetur uxorem alere.

Sequitur secunda, quæ est inopia viri, de qua Sanchez sup. n. 27. Maritus (inquit) inops non tenetur uxorem alere: sicut nec tenetur filios. Et ratio est: quia non tenetur uxori ultrà quàm facere possit; arg. l. 12. ff. Soluto Matr. *Maritum in id, quod facere potest, condemnari expediat eum est.* Et l. 18. eod. ibi: *Licet in dotalibus rebus non solùm dolum, sed & culpam maritus præstet: cùm tamen quæritur in judicio de dote, an facere possit, dolus duntaxat comprehenditur.*

L. 12. & 18. ff. Sol. Matr.

725. *Ipsa dives tenetur maritum alere. L. 22. eod.*

Quinimò, si uxor dives sit, tenetur viro inopi alimenta præstare, ut probat l. *Si cum dotem*, 22. aliàs 23. eod. §. *Si maritus*, ibi: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse?* Adeò ut si bona dotalia non sufficiant, teneatur ex bonis paraphernalibus eum alere; ut patet ex vi mutuæ communicationis & subventionis, quæ debet esse inter conjuges: ut notat Aversa sup. §. *Sextò.*

Aversa.

An ipsa teneatur solvere debita viri inopis.

Aft nunquid etiam, soluto Matrimonio, quando nulla viri bona supersunt, ipsa tenetur ex bonis suis solvere debita, à viro contracta, ad ipsam & familiam alendam, ut ad solvendam famulorum mercedem, domûs locationem, vestes & cibaria familiæ? Et idem quæri potest de filijs: eadem enim est utriusque quæstionis decisio & ratio.

726. *Pars affirmans probatur 1.*

Multi Doctores (inquit Sanchez sup. n. 28.) & satis probabiliter opinantur, uxorem teneri, & filios ad dictum æs alienum solvendum. Ducuntur Primò: quia ubi res aliena in utilitatem alicujus conversa est, quàmvis eam minimè acceperit, tenetur saltem in subsidium accipientis, qui non est solvendo. Sed in casu nostro pecuniæ mutuò acceptæ à marito, aut patre inope, cessêre in utilitatem uxoris & filiorum, habentque eas ex causa lucrativa, non autem onerosa: ergò &c.

Minor, in quo tota difficultas est, probatur: quia maritus vel pater inops minimè tenetur uxorem aut filios alere; ac proinde alimenta, ab ipso præstita, non habebunt ex causa onerosa, scilicet tamquam ipsis debita; sed ex causa lucrativa, & ex viri liberalitate: undè & pecunia, in alimentis expensa, dicetur conversa in uxoris & filiorum utilitatem: atque adeò occasione mutui, accepti à viro paupere, effecti ditiores: sc enim aut proprijs bonis, aut mutuo

accepto

accepto alerent, niſi maritus aut pater accepiſſet. Quid ni ergò teneantur ſolvere, marito aut patre non exiſtente ſolvendo ?

727. *Reſp. Sanch. qui oppoſitum docet.* Reſpondet Sanchez ſup. n. 29. (ubi tenet oppoſitam ſententiam) uxorem & filios illa alimenta habere ex cauſa oneroſa, & illud mutuum non verè dici converſum in eorum utilitatem. Ad quod probandum (non enim ſufficit dicere) præmittit ; in viro paupere non eſſe omninò extinctam obligationem alendi uxorem & filios ; ſed tantùm ſuſpenſam pro inopiæ, illum excuſantis, tempore : ſicut quicumque debitor ratione inopiæ non deobligatur prorsùs ab ære alieno ſolvendo ; ſed tantùm ſuſpenditur illa obligatio, excuſaturque à ſolutione, dum impotentia ratione inopiæ durat.

Inopia non extinguit obligationem ſed ſuſpendit. Quod inde apertè conſtat : nemo enim dubitabit, uxorem & filios minimè teneri ad ea debita, à viro inope contracta pro eorum alimentis, ſi facultates viri ſucceſſu temporis ita augeantur, ut ſit illa ſolvendo : at ſi ratione paupertatis obligatio illa prorsùs extincta eſſet, facultatibus auctis minimè reviviſceret. Obligatio enim ſemel extincta non reviviſcit, l. 1. 9. Cod. de Remiſſ. pig. *Cùm ex cauſa*, 9. Cod. de Remiſſ. pign. ibi : *Nam ſi recepta à creditore mancipia, quæ pignori fuerant data, hâc mente ſocero tuo tradidiſti, ut pignoris vinculum tuum diſſolvatur, obligatio ſemel extincta inſtaurari non poteſt.* Hoc præmiſſo, ſic probat ſuam ſententiam Sanchez.

728. *Probatur ſententia Sanchez.* Si Petrus, quò ſuis ſatisfaciat creditoribus, magnum æs alienum conflet, exiſtimans fore, ut ſit poſteà illud ſolvendo ; quàmvis contrarium eveniat, nullus dicet, creditores, quibus eo mutuo ſatisfactum eſt, & in quorum utilitatem ceſſit, teneri poſterioribus creditoribus, qui mutuò illas pecunias dederunt Petro. Quia hi poſteriores creditores nullum cum prioribus contractum iniêre, & verè per mutuum tranſtulêre dominium in Petrum, & Petrus, tamquam verus Dominus, potuit ſuis debitis ex eo mutuo ſatisfacere, quàmvis ab illorum ſolutione ratione inopiæ excuſaretur.

Similiter ergò ; quàmvis maritus inops ratione impotentiæ eximatur, ſeu potiùs excuſetur pro tunc ab onere alendi uxorem & filios, nec teneatur ſe ære alieno gravare, quo huic obligationi reſpondeat : at ſi verè ſe gravavit, & ſic aluit, veram obligationem, ratione impotentiæ ſuſpenſam, adimplevit ; nec dicetur pecunia illa converſa in utilitatem uxoris & filiorum, ad quam pater verè non tenebatur : nec uxor & filij verè dicentur effecti locupletiores, & ex cauſa lucrativa recipientes ; ſed potiùs ex cauſa oneroſa, cùm verè ipſis debitum receperint ; ac proinde illud mutuum minimè aſtringentur ſolvere.

729. *Confirmatur.* Et confirmatur : quia licet uxor eſſet dives tempore mutui, accepti à viro paupere, non tenebatur directè ad alimenta viri & filiorum ; ſed in ſubſidium ; ſcilicet, viro non quærenti aliunde pecunias, quibus neceſſaria ſuppeditaret : & cùm jam quæſierit mutuò accipiens, uxor ab eo onere relevata eſt ; nec ipſi pecunia eſt mutuò data, nec ſuo nomine recepta : non ergò illam ſolvere tenebitur. Ita Sanchez.

Atque hanc ſententiam ſuam credit eſſe veram, licèt res emptæ pecuniâ illâ mutuò acceptâ extent ; adhuc enim uxor & filij non tenentur, quàmvis maritus aut pater ſolvendo non ſit. Quia nulla eſt actio creditoribus adverſus res mutuò emptas, nec illæ ſubjectæ ſunt hypothecæ pro mutuo ; ſed ſola eſt actio perſonalis adverſus mutuatarium ; arg. l. 13. Cod. de Oblig. & act. *Eum, cui mutuam dediſti pecuniam, ad ſolutionem urgere competenti debes actione : nam adverſus negotiatores, quos ex mercibus pecunias abſtuliſſe tuo debitori proponis, nullam habes actionem.* l. 13. Cod. de Oblig.

730. *Quid ſi mulier pecuniam accepiam à viro ut tradendam creditoribus, expendat in familiæ ſuſtentationem Sanchez.* Quid ergò, ſi in hoc eventu uxor juſſa à viro tradere viri creditoribus centùm, quæ ipſi ad hoc dedit, uxor expenderet in familiæ ſuſtentationem, & vir non eſſet poſteà ſolvendo ? Tenetur de ſuo ſolvere ; quia cauſam dedit, ne creditores debitum recuperarent. Excipe dum familia graviter indiget.

Quippe (ut ait Sanchez ſup. n. 30.) vir non minus debebat uxori & familiæ graviter indigenti, quàm creditoribus : ſi ergò adhuc exiſtente marito Domino illorum nummorum (non enim tranſit dominium in creditores, ante ſolutionem illis factam) alijs creditoribus poſtpoſitis, uxor eos expendat in familiæ & ſua ſuſtentatione, cum graviter paterentur, nec vir ſubveniebat, debitum ſibi recuperavit ; ac proinde non tenebitur de ſuo ſolvere, deficientibus viri facultatibus. Sic ille.

731. *Doctrina quædam Navar. ad hoc propoſitum.* Motus utique doctrinâ Navarri Sum. cap. 17. n. 268. utputa, uxorem non plus inſumentem de bonis, per uſuram à viro acquiſitis, in ejuſque dominium tranſlatis, quàm ſit ſibi debitum ad congruam ſuſtentationem juxtà perſonæ qualitatem, ad nullam teneri reſtitutionem. Quia vir non minùs debitor illi exiſtit hujus congruæ ſuſtentationis, quàm cæteris creditoribus. Vide quæ de hac re alibi diximus.

Non ſolutio dotis excuſat ab alimentatione. Probatur ex Sanchez. Impræſentiarùm ſequitur tertia cauſa, per quam excuſatur vir ab alimentatione ſuæ uxoris. Eſt autem, non ſolutio dotis promiſſæ. Et ratio eſt (inquit Sanchez ſup. diſp. 5. n. 2.) quoniam dos quaſi in pretium datur, ut ex ejus fructibus maritus onera Matrimonij ſuſtineat, uxoremque alat ; l. 20. Cod. de Jure dotium, *Pro oneribus Matrimonij, mariti lucro fructus totius dotis eſſe, quos ipſe cepit ; vel ſi uxori capere donationis cauſa permiſit, eum, in quantum locupletior facta eſt, poſſe agere, manifeſtiſſimi juris eſt.* Et l. 7. ff. eod. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas ſuggerit : cùm enim ipſe onera Matrimonij ſubeat, æquum eſt, eum etiam fructus percipere.* l. 20. Cod. de Jure dot. l. 7. ff. eod.

Quare dote minimè ſolutâ, non tenetur maritus ſtare contractui, eaque onera ſuſtinere. Quia (inquit Averſa ſup. §. *Primo*) obligatio fuit reciproca ; ex parte quidem viri ad alendam uxorem,

732. *Confirmatur ex Averſa.*

uxorem, & ex parte uxoris ad solvendam viro dotem :& intantùm vir se obligavit ad alendam uxorem, inquantùm ei constituta & promissa fuit dos, nisi fortè aliud expresserit : quare dum non adimpletur solutio dotis ex parte uxoris,neque tenetur vir adimplere suam obligationem de alenda uxore.

Si pars dotis solvatur,tenetur pro rata alere. l. 76. ff de Rei vind.

Et similiter, si dos ei solvatur in partem , & non in totum, non tenebitur ex integro alere ; sed benè tenebitur pro rata & proportione partis acceptæ ; arg. l. 76. ff. de Rei vindic. *Quæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem & de parte intelligenda sunt, officioq; Iudicis continetur, pro modo partis ea quoque restitui jubere, quæ simul cum ipsa parte restitui debent.* Ergò similiter officio viri continetur pro modo partis dotis solutæ, jubere ea alimenta præberi, quæ simul cum ipsâ parte præberi debent.

733. *limitationes hujus sententiæ ex Sanchez.*

Intelligo autem (inquit Sanchez sup.)quando solvens est in mora ; si enim tempus,concessum à viro ad dotem solvendam, nondum accesserit, non potest ob solutionis defectum negare alimenta. Quia alter non est in mora,sibique imputare debet vir, qui eâ dilatione concessâ, se ad Matrimonij onera subeunda astrinxit. Idemque dicendum, si solutionem remiserit. Vel si, non soluta sibi dote, continuet in alenda uxore, nihil instans vel protestans, minimè poterit postea petere pretium alimentorum ab ipsâ uxore, vel à dotis promissore ; videtur enim affectu conjugali facta donatio seu remissio.

Dico : *Ab ipsa uxore, vel à dotis promissore* : quia subinde non ipsa uxor ; sed pater ejus, vel etiam aliquis extraneus, id est,qui habet mulierem in sua potestate, promittit dotem ; & eadem in ipsis militat ratio, ut non solutâ, vel solutâ dote, vir debeat, vel non debeat alimenta præstare.

734. *Objectio.*

Sed enim dicet aliquis : tametsi dos non solvatur, equidem uxor manet in obsequio viri : ergò tenetur eam alere, sicuti famulum quemcumque, sibi ministrantem.

Solutio.

Respondeo neg. Consequentiam : quia uxor (ut notat Sanchez sup. n. 6.) tenetur & dotem, & obsequia præstare ; quare alterum tantùm præstando, non liberatur, ut sic necessariò alenda sit, saltem in toto. Jam autem famulus nullam obligationem habet ministrandi ; & ideò meritò pro servitio suo exigit alimenta.

735. *Opinio Aversæ, virum teneri pro parte, propter alia obsequia mulieris.*

Dixi : *Saltem in toto* : quia Aversa sup. §. *Primò*,inquit : dici posset teneri saltem in parte. Et eò magis, si uxor abundet in obsequijs & ministerijs domesticis.Aut si dos ipsa non erat per se sufficiens ad alimentorum expensas, justum non erit,ut ob ejus defectum tota alimonia denegetur;sed debebit saltem in parte præstari. Sic ille.

Tenetur, Fateor, uxor obsequia præstare ex vi contractûs matrimonialis ; sed quid tum ? An ideò vir ad nihil obligabitur pro obsequijs prętitis,ex quibus alioqui,alteri impensis,posset uxor seipsam, saltem ex parte, alere ? Ipse ex naturâ contractûs,ut in principio dixi, est caput uxoris,& familiæ,eique incumbit familiam totam regere & sustentare. Dos autem promittitur, ut hoc suum munus tantò faciliùs & commodiùs possit explere. Ergò dote non solutâ, equidem videtur obligari pro alijs obsequijs, saltem ex aliqua parte, uxorem alere.

736. *Imo aliquando ex toto, propter impotentiam solvendi, Sanchez.*

Imò etiam aliquando ex toto ; si v. g. post promissam bonâ fide dotem ab ipsa uxore, aut ejus patre, accidat jactura bonorum & impotentia solvendi. Ratio est (inquit Sanchez sup.n. 5.) quia uxor, ejusque pater gaudent beneficio, ut conveniri nequeant pro dote solvenda , ultrà quam facere possint; nisi dolosè promiserint dotem, scientes se eam solvendo minimè esse. Et ideò dixi : *Bonâ fide*, id est, scientes se eam solvendo esse. Nominavi autem uxorem, ejusque patrem : quia putat Sanchez, si extraneus promiserit,& nondum solverit,indistinctè maritum non teneri alere uxorem. Ita Sanchez.

quicumque sit qui promiserit, juxtà Aversam

Sed potiùs (inquit Aversa) absolutè videtur, quicumque sit, qui promiserat, dum postea solvere non potest,teneri semper virum ad alendam uxorem:quia non debet uxor alimentis privari, dum non ex culpa, sed ex impotentia dos non solvitur.Sic ille.Et ego,Estò siquidem sola uxor, ejusque pater gauderent eo beneficio, jure positivo sic disponente ; hinc tamen non sequitur, uxorem jure naturali alimentorum privari debere sine sua culpa.

737. *Quid si mulier privata foret dote ob suam culpam, Vir tenetur alere, si parentes sint pauperes ; secus si divites, juxtà Sanchez.*

Quinimò tametsi ob suam culpam, v. g. hæresim, privata foret dote promissâ & solutâ, adhuc quidam existimant, alendam esse à viro : quoniam in defectum dotis & patrimonij vir tenetur ex debito conjugali uxorem alere. At verò Sanchez sup. n. 10. sic distinguit : Si parentes (inquit) in facultatibus sint, ut ipsam alere valeant, tenentur quidem ; virque ab eo onere eximetur : si autem pauperes sint parentes, tenebitur vir.

Probatur : quia vir ratione dotis solutæ tenetur uxorem alere, & dum non solvitur, liber est ab ea obligatione:at quando culpâ uxoris publicatur, perinde est, ac si soluta non esset ; siquidem uxoris culpâ pretium sustentationis auferetur. Nec est simile, ubi vir indotatam uxorem duxit ; sua enim sponte, nullo recepto pretio, se ad alimenta astrinxit.

Probatio ex ratione.

Quod autem tunc pater dives teneatur,probo: quia quàmvis culpâ mulieris deperdita sit dos, tenetur adhuc pater illam alere. Et ubi parentes sunt pauperes, teneri virum, ducor ; quia in ejus obsequio & consortio cùm sit, nec parentes ei subvenire possint, amor conjugalis & nexus tam arctus petit, ut à viro alatur, ne fame pereat.

738. *Probatur item ex l. 28. ff. de Relig.*

Insuper utramque partem comprobo ex l.28. ff. de Relig. & sumpt. funer. *Quod si nulla dos esset : tunc omnem impensam* (funeris) *patrem præstare debere, Atilicinus ait : aut hæredes ejus mulieris, putà emancipatæ. Quòd si neque hæredes habeant, neque pater solvendo sit : maritum, inquantùm facere potest, pro hoc conveniri, ne injuria ejus videretur , quondam uxorem ejus insepultam relinqui.*

Tandem :

Tandem : quia quando uxor patre caret, qui ei conſulere poſſit, procedit ratio prioris ſententiæ, ut in defectum dotis, & patrimonij, teneatur vir ex conjugalis vinculi & amoris debito ipſi alimenta præſtare. Hucuſque Sanchez.

Averſa docet abſolutè teneri maritum. Probat Simancas. Surdus.

Sed potiùs (inquit Averſa ſup. §. *Quartò*) videtur, abſolutè teneri maritum, ut ſentiunt Simancas de Cathol. inſtit. tit. 16. n. 19. Surdus de Aliment. tit. 7. q. 21. n. 6. Quia certè poſtquam uxor dotata eſt, & à patre accepit dotem ſibi debitam, ita tranſfertur in poteſtatem mariti, ut ejus onus & ſuſtentatio pertineat deinceps ad maritum, non ad patrem. Et ſicut ipſa mulier eximitur à ſubjectione patris, & deducitur in ſubjectionem mariti, debetque ſua obſequia præſtare marito : in ipſam enim prorsùs converti debet : *Relinquet patrem & matrem, & adhærebit marito ſuo* : ita è converſo onus illam alendi in quacumque jactura per ſe ſpectabit ad maritum, potiùs quàm ad patrem ; etiamſi culpa & delicto ſuo in talem jacturam inciderit.

739. *Reſpondet ad oppoſita fundamenta.*

Quare ad fundamenta oppoſita dicendum eſt ; non eſſe parem rationem hujus casûs cum illo, quando dos promiſſa non ſolvitur : quia tunc poteſt cogi debitor ad ſolvendum. Sed potiùs parem rationem eſſe cum alio caſu, quo mulier indotata ducitur : quia in hoc pariter caſu mulier remanet tamquam indotata. Vel cum alio caſu, quo dos promiſſa non poteſt ſolvi : quia pariter non debet iterùm ſolvi, ſeu in alimentis iterùm præſtari, poſtquam ſemel ſoluta fuit.

In lege autem allegata ſermo non eſt de caſu, quo mulier ob ſuum delictum dote & bonis ſpoliata fuiſſet ; ſed abſolutè, quo non habet dotem ; in quo Sanchez ipſe fatebatur, debere ali à marito : & ſic etiam in morte ſepeliri debebit. Senſus tamen eſſe videtur, vel quando pater non dederat promiſſam dotem : vel de muliere, quæ juſto divortio à marito dimiſſa fuiſſet, & ſic nec in vita ali, nec in morte expenſis ejus debeat ſepeliri, niſi in defectu patris. Hactenùs præfatus Auctor. Cujus ſententia mihi magis placet ; niſi quòd de divortio nulla fiat mentio in d. lege, & ideò gratis ſic explicetur.

740. *Quid ſi vir duxerit uxorem divitem indotatam? Opinio Sanchez.*

Cæterùm ſi à me quæritur : quid juris, quando vir duxit ſponte ſuâ uxorem indotatam ; ipſa tamen de ſuis proprijs bonis dives ſit, vel ejus pater dives ſit, poſſintque commodè dotem conſtituere. Exiſtimat Sanchez ſup. n. 9. non teneri virum ad alimenta, dum uxor illa dives dotem conſtituere renuit. Ducor (inquit) quia dum mulier dives abſque dotis promiſſione ducitur, videtur tacitè actum de dote conſtituenda. Quare dum dos tacitè promiſſa non ſolvitur, juſtam cauſam vir habet denegandi alimenta. Quando autem non ipſa mulier, ſed ejus pater dives eſſet, dotemque conſtituere nollet, teneretur maritus, qui nil de dote pactus eſt, ipſam alere, liberumque illi eſſet, à patre dotem petere. Sic ille.

Quid ſentiat Averſa.

At verò Averſa ſup. §. *Tertiò* : ſimiliter (inquit) videtur, quòd ſi ipſa uxor dives ſit, teneatur quidem vir ipſam ſemper alere, poſſit tamen inſtare pro dote ſibi conſtituenda, juxta ſententiam dicentem, debere uxorem divitem, quàmvis ſine dotis promiſſione ductam, conſtituere adhuc poſteà dotem. Ita hic Auctor.

741. *Iudicium Auctoris.*

Sed pone, quòd renuat conſtituere : ſi reverà promiſſa non eſt, vir ſibi imputet, quòd debeat eam alere ; quia potuit & debuit id prævidere. Sin autem tacitè promiſſa, quod Sanchio incumbit probare, teneo ejus ſententiam. Dicit quidem Sanchez, ſe id probaſſe lib. 1. diſp. 59. n. 4. & diſp. 60. n. 2. verùm ego nullam ibi aliam invenio probationem, quàm auctoritatem aliquorum Doctorum, qui ita ſentiunt. Et oppoſitum docent Alij, quod etiam Sanchez probabile exiſtimat. Cùm ergò uxor ſit in poſſeſſione ſuorum bonorum, non videtur his privanda, juxtà. Reg. 65. in 6. *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis.* Reg. 65. in 6.

Probatur 1. *pars Concluſ.*

His ita conſtitutis de obligatione viri, alendi uxorem, facilè erit oſtendere veritatem noſtræ Concluſionis. Quantùm ad primam partem ; ſcilicet : *Vir promotus ad Ordines ſacros, remanens in ſæculo, tenetur alere uxorem*, ita ut præcisè per illam promotionem non eximatur ab eo onere, non eſt relictus dubitandi locus : cùm enim retineat dotem, & fructus ejus ipſi cedant, ut ſuppono ; quidni permaneat idem onus, quod priùs ratione dotis perſolutæ habebat ?

742. *Occurritur objectioni.*

Enimverò quòd uxor ampliùs non præſtet ipſi obſequia, quæ ſolebat præſtare, id vir ſibi ipſi imputare debet, qui voluntariè talem Ordinem ſuſcepit, quo tenetur ex ordinatione Eccleſiæ, habitaculo, aut ſaltem cubiculo ab ea ſeparari, juxtà illud d. cap. *Epiſcopus benedictionem*, 77. diſt. *Sanè ſi conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo* &c. Cap. 6. diſt. 77.

Ubi Gloſſ. verb. *Sequeſtrato*, inquit : *Inf.* 81. *diſt.* Volumus, *contrà. Sed dic de ſuſpectis. Vel dic ; quod thalamus tantùm debet ſequeſtrari, non autem manſio ; & hoc obtinet in uxore promovendi.* Atque adeò, ſecundùm hanc Gloſſam, etiam reliqua obſequia, præter copulam, poterit ei præſtare.

743. *Orationis non poteſt à cura ſua abjicere uxorem, per c.* 11. *diſt.* 32.

Appoſitè Leo Papa IX. (aliàs Humbertus ejus Legatus) contra Epiſt. Nicetæ Abbatis (& refertur diſt. 32. cap. 11.) *Omnino* (inquit) *confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Subdiacono propriam uxorem causâ religionis abjicere à cura ſua ; ſcilicet, ut ei victum & veſtitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat.*

Dum autem ordinatus intrat Religionem, ſimiliter manifeſtè conſtat, eum non ampliùs teneri uxorem alere ; cùm nihil proprij habeat, ex quo poſſet eam alere. Nec uxor conqueri poteſt, utpote de cujus licentia intravit.

744. *Probatur* 2. *pars Concluſ.*

Sed nunquid adultera conqueri poteſt, ſi innocens renuat in poſterum eam alere ? Certè non magis, quàm ſi domo expellatur, & per ſententiam divortij perpetuo toro & habitatione ſeparetur. Liquet profectò ex jure tam Canonico, quàm civili, adulteram à viro ſeparatam amittere dotem vel dotalitium : quid ergò mirum, ſi etiam amittat jus alimentorum, quod

propter dotem ei competebat ?

Sanchez eam intelligit in foro conscientiæ, si est adultera occultè.

Loquatur Sanchius lib. 10. disp. 8. n. 25. Quàmvis in foro externo, sicut vir non potest negare convictum uxori adulteræ occultæ, ita nec alimenta ; sed cogetur ad utrumque, donec divortij sententia feratur: at in foro conscientiæ, sicut vir conscius adulterij potest negare convictum uxori, ita & alimenta. Quia omni jure maritali potest tutâ conscientiâ illam privare.

Abbas indistinctè loquitur.

Imò Abbas cap. fin. de Adult. n. 3. indistinctè ait: Non tenetur maritus eam alimentare, & lucratur dotem, ut in cap. *Plerumq;* de Donat. inter virum & uxorem. Quod intelligerem (inquit Sanchez) si ipsam expellat ob adulterium illud occultum ; vel si non expellat, eò quòd commodè non potest, & caret probatione, quâ contra ipsam litigantem se tueatur ; at non habet eam ut uxorem, sed retinet, donec divertere possit. Sic ille.

745. Meminit autem adulterij occulti : quia Aliqui, quàmvis admittant, virum posse negare alimenta uxori notoriè adulteræ ; secùs tamen ob adulterium non notorium. Quidam etiam asserunt, ut refert Sanchez suprà n. 23. virum teneri præstare alimenta uxori adulteræ, etiam factâ tori separatione. Quia (inquiunt) non desinit esse uxor. Sed si hoc fundamentum valeret, sequeretur, etiam ob dotem promissam non solutam illicitè negari alimenta ; quia per hoc non desinit esse uxor.

Quidam oppositum tenent.

Iudicium Auctoris.

Dico ergo ; tunc uxorem adulteram non esse alendam à viro, quando potest privari dote. De qua utique privatione seu amissione dotis tractat Sanchez sup. n. 2. & seqq. Si ego singula vellem persequi, & rigidè examinare, quæ ipse & Alij latè disputant de adulterio, & pœnis ejus, quis esset finis Operis mei? Qui tamen aliquando imponendus est, & hìc eum impono ad majorem gloriam Dei, qui est α & ω, principium & finis, qui creavit hominem masculum & fœminam ad imaginem suam, benedixitque eis dicens : *Crescite & multiplicamini & replete terram.*

INDEX



INDEX RERUM
PRÆCIPUARUM
QUÆ IN HAC SEXTA PARTE CONTINENTUR.

A

ACCEPTATIO.

Acceptatio contractûs sponsalitij est virtualis repromissio. Pag. 299. n. 126. & 127

ACCESSORIUM.

An Qui potest statuere super principali, possit super accessorio, ex Felino. Pag. 19. n. 113 & seqq.

ADOPTIO. ADOPTARE.

Quid sit adoptio. pag. 219. n. 375
Est instituta jure Civili. ibid.
Dividitur in duas species. ibid. n. 376
Generalis adoptio duobus modis fit. ibid. n. 377
Quid utrique adoptioni sit commune, quid proprium. ibid.
Qui possint adoptare. p. 220. n. 380
Qui possint adoptari. ibid.
Differentia inter filium adoptatum, & arrogatum. ibid.
Conditiones requisitæ in adoptante, ex Sanchez. ibid. n. 381. & 382.
Quilibet potest adoptari, dummodò sit præsens. ibid. n. 383.
Distinctio inter adoptionem perfectam, & imperfectam, ex D. Thoma, pag. 224. n. 405. & 406
Adoptio imperfecta non est dispositio ad perfectam. ibid. n. 409.
Est absolutè adoptio. ibid. n. 410
Vide. *Impedimentum cognationis legalis.*

ÆVA.

Æva non fuit consanguinea Adami. p. 163. n. 15

AFFINIS. AFFINITAS.

Qui sint affines, & unde dicti. Nomina eorum, ex l. 4. ff. de Gradibus. p. 229. n. 2.
Quid sit affinitas. Explicatio Definitionis: Etymologia Nominis. ibid. n. 3. & seqq.
An requiritur copula conjugalis? Negativa sententia est communis. p. 230. n. 6. & seqq.
Probatur etiam intellecta de affinitate naturali. ibid n. 8. & seqq.
Nomina, quibus affines solent nominari, sunt jure humano inventa. p. 232. n. 18.
An ex Copula illicita oritur affinitas positiva? ibidem n. 18. & 19.
Ad affinitatem propriè dictam requiritur carnalis conjunctio apta ad generationem. ibidem n. 20.
Sententia Pontij de hoc puncto. ibidem n. 21.
Copula Eunuchorum non valet. ibid. n. 22.
Debet fieri intrà naturale vas. ibidem
Sanchez putat, sufficere receptionem seminis in utero fœminæ quâcumque viâ ibid. n. 23. & 24
Eum sequitur Auctor & Aversa. ibid. n. 25. & seqq.
Ex Copula cum invita, ignorante, dormiente, ebria, insana oritur affinitas. Pag. 233. n. 31.
Non sufficit copula sodomitica, aut cum muliere mortua. ibid. n. 32
An ex Matrimonio rato oriatur affinitas, an verò publica honestas? p. 234. n. 33. & seqq.
Non est solùm quæstio de nomine. Pag. 235. n. 39 & seqq.
Vir & uxor non sunt inter se affines. Pag. 236. n. 46
Affinitas est vinculum perpetuum, ex D. Bonav. ibid. n. 46.
Quæ ratio hujus perpetuitatis, ex D. Thoma, itemque ex D. Bonaventura. ibid. n. 47. & 48.
Affinitas habet lineam rectam & lineam transversalem, ac gradus utriusque. ibid. n. 50

IMPEDIMENTUM AFFINITATIS.

An sit mens Scoti, affinitatem non dirimere Matrimonium jure naturæ in primo gradu lineæ rectæ? p. 236. n. 50. & seqq.
Sanchez putat certum, affinitatem ex fornicatione in nullo gradu jure naturæ dirimere. p. 237. n. 53
Non placet Auctori. ibidem n. 54
An affinitas dirimat in aliquo gradu jure naturæ? ibid. n. 55.
Sententia negans probatur 1.° exemplo Gentilium, & Adoniæ. ibid. n. 55. & 56
Non tamen videntur sufficere. ibid. n. 57
Probatur ulteriùs sententia negativa, & probationes expenduntur. Pag. 238. n. 58 & seqq.
Pontifices aliquando dispensarunt in 1. gradu ex fornicatione, ex Dicast. p. 239. n. 64
Ex natura rei non est illicitum tale matrimonium, juxtà eumdem. p. 239. n. 65
Est tamen in eo aliqua indecentia, propter quam prohibitum fuit & annullatum jure positivo. ibid. n. 66
Opinio Caramuelis hâc de re. ibid. n. 67
Exemplum dispensationis in 1. gradu transversali. ibid. n. 68.
Matrimonia in illo gradu ex Scriptura probantur fuisse licita, ex Levit. 18. Imò aliquando præcepta, ex Deuter. 25. ibid. n. 68. & seqq.
Argumenta solvuntur, quibus probant Adversarii, Matrimonium cum Noverca jure naturæ non valere. p. 240 n. 71. & seqq.
Probatio nostræ Conclusionis ex Concil. Aurelianensi III. expenditur. ibid. n. 78. & seqq.
Hodie solùm unum genus affinitatis dirimit p. 241. n. 83
Proponitur triplex genus affinitatis, ex Glossa. ibid. n. 84. & seqq.
Hodie affinitas non transit in alterum, ex D. Bonav. pag. 242. n. 87.
Nulla est affinitas inter consanguineos mariti & uxoris. ibid. n. 87. & 88.
Alij casus, in quibus hodie affinitas non dirimit. ibid. n. 89.
Hodie restricta est affinitas ad 4. gradum. ibid. n. 90
Rationes hujus Impedimenti. ibid. n. 91
Affinitas ex copula illicita extenditur ad 4. gradum ex jure antiquo. ibid.
Per Trid. restricta est ad 2. gradum. p. 243. n. 92
In ulterioribus gradibus etiam licitum est contrahere, ex Bulla Pij V. ibid. n. 96
Affinitas ex copula matrimoniali non est restricta per Trid. ibid. n. 97
Quid hîc intelligatur per copulam illicitam, seu fornicationem. ibid. n. 98. & seqq.
An etiam affinitas reperiatur inter infideles. p. 246. n. 111. & seqq.
An copula conjugalis sit naturale principium affinitatis. ibid. n. 214.
Distincta est affinitas, & impedimentum affinitatis. ibid. n. 115.
Infideles affines post Baptismum nequeunt contrahere tam cum sorore uxoris, quàm concubinæ. p. 247. n. 116. & seqq.
Ostenditur modus, quo affinitas possit oriri tempore infidelitatis. p. 248. n. 127 & 128
Ostenditur quoque modus, quo id fieri nequeat. ibid. n. 128. & seqq.
Quid si una pars tantùm fuerit infidelis? Sanchez existimat, fidelem contrahere affinitatem, secus infidelem. Pag. 249. n. 124. & 125
Corollarium ex Sanchez expenditur. ibid. n. 126. & seqq.
Vide *Fornicatio. Incestus.*

ANGELUS

Inter Angelos non est consanguinitas, sed neque inter bruta animantia. pag. 163. n. 16

ARIO-

INDEX RERUM.

ARROGATIO. IMPEDIMENTUM EX ARROGATIONE.

Cognatio proveniens ex arrogatione dirimit Matr. p. 221. n. 387.
Triplex ejus ſpecies, ex iure. Ibidem n. 388. & ſeqq.
Prima ſpecies dirimit; de ſecunda & tertia aliqui dubitant. Rationes dubitandi de ſecunda. p. 222. n. 391 & ſeqq
Secunda ſpecies approbatur cap. unic. de Cognat. legali. ibid. n. 397.
Ubi approbetur prima & tertia ſpecies. Ibid. n. 397. & 398.
Quæ ſit ratio huius Impedimenti, ex Sanchez, D. Thoma, & Doct. Seraphico. p. 223. n. 399. & 400
An hoc impedimentum etiam oriatur ex adoptione imperfecta. ibid. n. 401. & ſeqq.
Vide, *Impedimentum cognationis legalis.*

AQUA.

Aqua hoc ipſo, quod exiſtit, eſt aut eſſe debet Materia Baptiſmi. pag. 6. n. 32
Differentia inter illam aquam & contractum Matrimonii. pag. 12. n. 68.

B

BENEDICTIO NUPTIALIS.

QUando Epiſcopi poſſint diſpenſare in prohibitione benedictionis nuptialis. Pag. 66. n. 168. & ſeqq.
Parochi nihil hîc poſſunt. Pag. 67. n. 70.
Quid ſentiat de hâc controverſia Herinx, & Zypæus. Ibid. n. 172. & 173
Quid Synodus Mechlinienſis. Ibid.
Ad Ordinarium ſpectat in hâc Provinciâ diſpenſare jure conſuetudinario. Ibid. n. 174.
Ubi jus prohibeat nocte celebrare benedictiones nuptiales? p. 71. n. 196. & ſeqq.
Vide *Tempus Feriatum*

C

CALIX.

CAlix conſecratus eſt vendibilis, ſeclusâ lege Eccleſiæ. p. 10. n. 54.

CANONES TRULLANI.

An Canones Trullani ſint recepti ab Eccleſia. p. 438. n. 75. & ſeqq.

CAPITULUM.

Poteſtas Capituli, ſede vacante, in ordine ad diſpenſandum in Impedimentis Matr. p. 506. n. 190.

CATECHISMUS.

Quid ſit Catechiſmus hîc, ex Sanchez. p. 74. n. 220.
Forma catechizandi, ex Rit. Rom. Ibid. n. 221.
Patrinus hîc appellatur, qui pro parvulo reſpondet. Ibid. n. 222.
Ordinariè eſt idem Patrinus in Catechiſmo, & in Baptiſmo. p. 76 n. 232.

IMPEDIMENTUM CATECHISMI.

Reſponſio Patrini pro parvulo ſtatuitur impedimentum Matrimonium: Cap. 2. de Cognat. ſpirit. in 6. pag. 75. n. 223.
Catechiſmus impedit Matrimonium contrahendum, non dirimit contractum. p. 75. n. 224. & ſeqq.
Quæ ſit ratio hujus impedimenti, ex D. Thoma. ibid. n. 228.
Requiritur, ut quis in toto Catechiſmo teneat, ex Sanchez. ibid. n. 229.
Sententia cujuſdam Gloſſæ, quod Catechiſmus impediat & dirimat Matri, rejicitur. pag. 75. n. 229. & ſeqq.
Quando diverſi ſunt Patrini, uterque ſuam cognationem contrahit. p. 76. n. 233
Non oritur ex exorciſmo. ibid. n. 234. & ſeqq.
Perinde eſt, præcedat Catechiſmus Baptiſma, vel ſubſequatur. p. 77. n. 237 & 238.
Quid ſi, adhibito Catechiſmo, non ſequatur Baptiſmus? contrahitur cognatio, ex Sanchez. ibid. n. 239.
Pro oppoſita ſententia Averſa citat Palatium. Ibid. n. 240. & ſeqq.
An per Trid. hoc Impedimentum ſit penitùs ſublatum? Affirmat Sanchez. Ibid. n. 243.
Confirmatur hæc Doctrina ex motu proprio Pij V. p. 78 n. 244
Aliud argumentum Sanchij pro ſua ſententia. ibidem.
Reſponſio ad hoc argumentum. ibid. n. 245
An propter hanc reſponſionem recedamus à præciſis verbis Tridentini? ibid. n. 246
Quis recedat, oſtenditur ex Bulla Pij V. ibid. n. 247. & 248
Probatur, per Trid. Catechiſmum non eſſe ſublatum. ibid. n. 249 & ſeqq.
Pontius probat ſententiam Sanchez ex Declarationibus Cardinalium. pag. 79. n. 254. & 255
Auctor non credit, eas Declarationes planè monſtrare intentum. ibid. n. 256. & 257.
Conſuetudo videtur ſuſtuliſſe hoc impedimentum. ibid n. 257
An abrogatio hujus impedimenti bene probetur ex Rituali Rom. p. 80. n. 258 & ſeqq.
Vide. *Patrinus. Compaternitas. Cognatio ſpiritualis. Parochus. Catechumenus.*

CATECHUMENUS.

Catechumenus per Catechiſmum contrahit cognationem, ex cap. 2. de Cognat. ſpirit. p. 209. n. 308
Cur magis per Catechiſmum, quàm per Baptiſmum? ibid. n. 309.

CLERICORUM EXEMPTIO.

Clerici exempti ſunt à judiciis ſæcularibus ſolo jure Eccleſiaſtico, p. 12. n. 70

COGNATIO.

Quid cognatio & cognati. p. 161. n. 1. & 2.
Triplex eſt cognatio; naturalis, ſpiritualis & legalis. ibidem.

COGNATIO LEGALIS.

Sententia Scoti de cognatione Legali videtur tenere, ex imperfecta adoptione oriri cognationem, ex Hiquæo. pag. 219. n. 373. & 374.
Vide *Adoptio. Arrgaotio.*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS LEGALIS,

Doctrina D. Bonaventuræ de hoc impedimento. p. 219. n. 378. & 379
An quælibet cognatio legalis ſit impedimentum? Pag. 221 n. 387.
An cohabitatio ſit cauſa hujus Impedimenti? p. 224. n. 407.
Periculum fornicationis ad ſummum fuit motivum ſecundarium. ibid. n. 408
Juxtà Scotum, oritur ex adoptione imperfectâ impedimentum dirimens. p. 225. n. 411
Quidam exiſtimant, oriri impedimentum, ſed tantùm prohibens. ibid. n. 411 & 412
Adoptio imperfecta ſuperveniens non impedit petitionem debiti. ibid. n. 412 & 413
Infideles non contrahunt hoc impedimentum. ibid. n. 413 & 414.
Cognatio legalis in prima & tertia ſpecie in perpetuum dirimit: in ſecunda verò ſolùm ad tempus. ibid. n. 415
Quæ hîc ratio diverſæ conſtitutionis Juris. p. 226. n. 416 & ſeqq.
Potuit Eccleſia rationabiliter unum velle, & non aliud. ibid. n. 420
In quos filios tranſeat hoc impedimentum. ibid. n. 421 & ſeqq.
Non eſt omnimoda paritas inter vinculum conſanguinitatis, & cognationis legalis. Pag. 227. n. 424
Hoc non eſt reſtrictum ad quartum gradum, ſicut illud, ex Sanchez. ibid. n. 425

Negat

Negat Sanchez restrictionem ad secundum gradum contra Henriquez. *ibid. n. 426*
Non valet semper argumentum à consanguinitate ad cognationem legalem. *ibid. n 427*
Filius illegitimus adoptantis potest contrahere cum filiis adoptivis. *ibid. n. 427 & seqq.*
An filii adoptivi possint contrahere inter se. *p. 228. n. 430 & seqq.*
Cognatio legalis non transit in parentes adoptati. *ibid. n. 434 & 435*
Vide *Adoptio, Arrogatio.*

COGNATIO NATURALIS. Vide *Consanguinitas. Consanguineus.*

COGNATIO SPIRITUALIS.

Datur cognatio spiritualis; & quæ sit illa, declaratur ex Doct. Seraph. & Doct. Angelico. *pag. 199. n. 238 & 239.*
Quid sit Cognatio spiritualis, ex Scoto. *ibid. n. 240*
Hanc cognationem dirimere Matrimonium, probatur ex Cap. 1. de cognat. spirit. in 6. *ibidem.*
Eo tempore erat triplex species cognationis spiritualis. *ibid. n. 241.*
Paternitas & compaternitas transfundebatur à viro in uxorem *ibid. n. 242.*
Inter quos tunc fierit fraternitas. *ibidem.*
Quid circa hanc cognationem disposuerit Tridentinum. *ibid. n. 243.*
Fraternitas est omninò sublata: restricta autem Paternitas. *pag. 200. n. 244*
De hac restrictione aliquando dubitatum fuit, ex Bulla Pij V. *ibidem.*
Declaratio dubij. *ibidem. n. 245*
Compaternitas non contrahitur inter Baptizantem & Patrinos, neque inter Patrinos inter se. *ibid. n. 246 & 247.*
Vir & uxor simul levantes non privantur jure Copulæ. *ibidem.*
An Tridentinum intelligatur etiam de cognatione anteà contracta? patet quod sic, ex Bulla Pij. V. *ibid. n. 248 & 249*
Non est distinguendum inter parentes legitimos, & illegitimos, ex Sanchez. *ibid. n. 250*
Parentes legales non contrahunt cognationē. *ibid. n. 251*

IMPEDIMENTUM COGNATIONIS SPIRITUALIS

Cognatio spiritualis dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico: *p. 201. n. 251 & 252*
Probatur non dirimere jure naturali aut divino. *ibid. n. 253*
Est sententia D. Thomæ. *ibid n. 254 & seqq.*
Sententia Doctoris Seraph. de hoc impedimento. *ibid. n. 257 & 258*
Item Scoti. *p. 202. n. 259*
Munus susceptoris nullatenus est à Christo. *ibidem.*
A quo tempore fuerit institutum hoc impedimentum, ex Pontio. *ibid. n. 260. & 261*
Quare ex solo Baptismo & confirmatione oriatur impedimentum, ex D. Thoma. *ibid. n. 262*
Quare non contrahatur per Sacramentum Pœnitentiæ? ex eodem. *p. 203. n. 263*
Quare non per Eucharistiam? *ibidem.*
Ex statuto Ecclesiæ dirimit cognatio ex baptismo dum taxat & confirmatione. *ibid. n. 265*
Probatur statutum istud fuisse rationabile. *ibid. n. 265 & seqq.*
An cognatio spiritualis dirimat pro perpetuo? *p. 204 n. 270*
Cognatio hæc non dissolvit Matrimonium antea contractum. *ibid. n. 271 & seqq.*
Iudicium Auctoris. *p. 205. n. 278*
Cognatio hæc superveniens dissolvit sponsal. *ibid. n. 279*
In Baptismo non solemniter ministrato baptizans contrahit impedimentum cognationis spiritualis. *ibid. n. 280 & seqq.*
Tenens in privato Baptismo non contrahit cognationē, etsi velit obire munus Patrini. *p 206. n. 284 & seqq.*
Ex sacramento invalido non oritur cognatio. *ibid. n. 288 & seqq.*
Quid si Baptismus iteretur sub conditione? ex Sanchez. *p 207. n. 294.*
Ecclesia præsumet cognationem, quamdiu non certò constat de valore primi Baptismi. *ibid. n. 295*
Quid si probabiliter valuerit prior Baptismus? *ibid. n. 296*
An hoc impedimentum oriatur inter personas non baptizatas? negat Sanchez. *pag. 208. n. 297 & seqq.*
Docent aliqui, Infidelem baptizantem filium fidelis contrahere cognationem, secùs susicipientem. *ibid. n. 303 & seqq.*
Lex Ecclesiæ irritans supponit consanguinitatē, non facit: facit cognationē spiritualē *p. 210. n. 314. & 215*
Ejus non est capax infidelis sivè activè, sivè passivè, ex Dicast. *ibidem.*
Expenditur hæc Doctrina ab Auctore. *ibidem n. 316*
Probatur, non esse idem, cognationem & impedimentum, ex Dicast. *ibid. n 317 & seqq.*
Renascentia est totalis ratio hujus impedimenti. *p. 211. n. 320*
Cognatio spiritualis non convalescit post Baptismum infidelis, juxta Sanchez & Dicast. *ibidem n. 321*
Oppositum docet Coninck. *ibid. n. 322 & seqq.*
Quid si sola mater sit Infidelis, Pater autem baptizatus? *pag. 212. n. 326*
Alia difficultas, ex Dicastillo, ejusque responsio. *ibid. n. 329 & seqq*
Approbatur ab Auctore. *ibid. n. 329*
An non baptizatus validè suscipiat in baptismo? *p. 213 n. 332 & 333*
An infidelis suscipiendo incurrat impedimentum, secus baptizando? *ibid. n. 334. & 335*
Valet Hæreticorum susceptio. *ibid. n. 336. & 337*
In Rit. Rom. Infideles conjunguntur hæreticis. *ibid. n. 337*
Probatur infideles contrahere cognationem. *p. 214. n. 338 & seqq.*
Pauciores negant contrahi cognationem. An inter illos D. Thomas? affirmat Pontius. *ibidem n. 341 & seqq.*
Quare Catechumenus potius contrahat cognationem ex Catechismo, quàm ex Baptismo? *ibid. n. 344*
Quare potiùs possit obligari hoc impedimento, quàm alijs? *p. 215. n. 345*
Incertum est, an personæ non baptizatæ contrahant hoc impedimentum. *ibid. n. 346*
Contrahit impedimentum Cognationis spiritualis non confirmatus, qui susicipit puerum in confirmatione. *ibidem n. 347 & 348.*
Oppositum docet Sanchez probans, Episcopum non confirmatum haud validè posse susicipere in confirmatione. *ibid. n. 348 & 349*
Ejus fundamenta evertuntur. *ibid. n. 350 & seqq.*
Plures sunt personæ, quæ illicitè, validè tamen suscipiunt. *p. 217. n. 561*
An error Personæ invalidet susceptionem? *ibid. n. 362 & seqq.*
Conjuges susicipientes proprias proles olim debebant separari. *p. 218. n. 368*
Hoc jus hodie correctū est, quantùm ad separationem: manet tamen cognat. spiritualis *ibid. n. 369 & 370*
Quid Pontius sentiat de hac controversia? *ibid. n. 371*
Ignorantia excusat à partiali cognatione *p. 219. n. 372*

COMMISSARIUS CRUCIATÆ

Quid requiratur, ut Commissarius Cruciatæ possit dispensare? *p. 505. n 179 & 180*
Facultas Commissarij quoad aliquid est amplior potestate Episcoporum, & quoad aliquid strictior. *ibid. n. 180 & 181*

COMPATERNITAS.

Effectus Baptismi est compaternitas perfecta, Catechismi verò imperfecta. *p. 76. n. 233*
Vide. *Cognatio spiritualis.*

CONDITIO

In materia Iustitiæ in pari causa melior est conditio possidentis. *p. 641. n. 295*
An etiam in alijs materijs? *p. 642. n. 296 & seqq.*

CONDITIO SERVILIS. Vide *Servus. Servitus. Error.*

CONFESSARIUS. CONFESSIO.

Quid facere debeat confessarius, cui committitur dispensatio? *p. 510. n. 212*
An sit necessarium, ut præmittatur confessio? *ibidem.*
Distinctio inter forum conscientiæ & Pœnit. *ibid. n. 213*
Quomodo forum Pœnitentiæ distinguatur à foro externo. *ibidem*
Hîc per forum Pœnitentiæ non necessariò intelligitur

judicium Sacramentale. *ibid. n.* 214.
Quid si dicatur, *ut auditis eorum confessionibus* &c? *ibid. n.* 215. *& seqq.*
Modus quo Pœnitentiaria concedit facultatem dispensandi, ex Sanchez. *p.* 511. *n.* 218.
An hîc exigatur confessio? Negat Sanchez, & probat. *ibid. n.* 219.
Quare requiratur, ut dispensaturus sit confessarius approbatus, ex Sanchez. *p.* 512. *n.* 220. *&* 221.
Quid importent hæc verba: *Dispensa pro foro conscientiæ? ibid.* Vide *Dispensatio.*

CONSANGUINITAS. CONSANGUINEUS.

Definitio quorumdam nominum, consanguinitas, stipes, linea, gradus, ex Scoto enucleantur. *p.* 161. *n.* 3 *& seqq.*
Distinctio consanguinitatis in physicam & moralem, ex Caramuele. *p.* 162. *n.* 7. *& seqq.*
Consanguinitas physica est inter omnes posteros Adæ. Consanguinitas moralis in linea transversa habet determinatum terminum. *ibid. n.* 11. *&* 12.
Quare consanguinitas dicatur vinculum. *p.* 163 *n.* 14
Consanguinitas est effectivè vinculum, non formaliter. *ibid. n.* 15.
Persona à qua plures descendunt, stipes vocatur. *ibid. n.* 17
An consanguinitatis ratio possit deficere? *ibid. n.* 17 *& seqq.*
Quid sit linea consanguinitatis. *ibid. n.* 20
Quid sit gradus. A quo gradus dicti? *pag.* 164. *n.* 21
Linea consanguinitatis est triplex, ascendentium, descendentium, & linea transversa. *ibid. n.* 22
Hæc est duplex, æqualis, & inæqualis. *ibid n.* 23
Alia divisio in lineam paternam, & maternam. *ibid. n.* 23
Prima Regula consanguinitatis, ex Scoto. *ibid n.* 25
Est communiter recepta, & magis explicatur, ex Sanchez. *ibid. n.* 25
Ratio Regulæ. *ibid. n.* 26
Explicatur D. Isidorus, qui posset videri contrarius huic Regulæ. *ibid. n.* 27
Secunda Regula, ex Scoto. Ejus ratio. *ibid. n.* 28
Personæ, quæ æqualiter descendunt, sunt in æquali gradu. *p.* 165. *n.* 29 *&* 30
Qui distant inæqualiter à communi stipite, eo gradu distant inter se, quo remotior. *ibid. n.* 31
Tertia Regula consanguinitatis, ex Sanchez. *ibid. n.* 32. *&* 33
Aliter jus civile computat gradus in linea transversa, aliter jus Canonicum. *ibid. n.* 34 *& seqq.*
Leges civiles attendunt hæreditates, Canones nuptias. *p.* 166. *n.* 37. *&* 38
Computatio juris Canonici servanda est in Matrimonio, idque in utroque foro. *ibid. n.* 39
Quis sit gradus efficacior, in recta, an in transversa linea? ex Scoto. *ibid. n.* 40
Consanguinitas in omnibus gradibus est quid naturale: invenitur inter infideles. *p.* 246. *n.* 110

IMPEDIMENTUM CONSANGUINITATIS IN LINEA RECTA.

An primus gradus lineæ rectæ dirimat Matr. Jure naturæ? *p.* 167. *n.* 41. *& seqq.*
Jus naturæ dirimit Matr. in quocumque gradu lineæ rectæ. *p.* 168. *n.* 47 *& seqq.*
An in aliquo casu usus talis Matrimonij possit esse honestus? *ibid. n.* 50 *& seqq.*
Deus potest dispensare in prædicto Matrimonio. *p.* 169. *n.* 53. *&* 54
An liceat tale Matrimonium, si soli Pater & filia superessent? *ibid. n.* 55
Affirmat Sanchez; Consonat pontius. *ibid. n.* 55. *&* 56
Arridet ei, hoc Matrimonium potiùs lege divinâ, quàm naturali prohibitum esse. *ibidem. n.* 57
Coninck requirit expressam dispensationem, putatque, eam in tali casu non esse præsumendam. *pag.* 170. *n.* 58 *& seqq.*
Dicastillo approbat primam sententiam. *ibid. n.* 61
Hiquæus amplectitur secundam. *ibid. n.* 62
Respondet ad rationes in contrarium. *ibid. n.* 63. *&* 64
Sed videtur petere principium. *ibidem.*
Deus potuit ab initio excepisse illum casum, & videtur sic fecisse. *p.* 171. *n.* 65
Refertur ab Hiquæo, aliquando Papam dispensasse in tali Matrim. *ibid. n.* 66
Sed judicio Auctoris minùs rectè. *ibid. n.* 67. *& seqq*
Probatur, Matrimonium in primo gradu esse invalidum, ex Sanchez. *ibid. n.* 69 *& seqq.*
Aliæ probationes desumptæ ex D. Thoma. *p.* 172. *n.* 72
Consonat Doctor Seraphicus. *ibid. n.* 73
Ejusdem doctrinæ est D. Ambrosius. *ibid n.* 74
An omnes Gentiles tale Matr. abhorruerint. *p.* 173. *n.* 75
Quòd non, conatur ostendere Caramuel. *ibid. n.* 76
Ad hoc adducit historiam cujusdam Regis Hiberniæ, ex Surio. *ibid. n.* 77
Ait, inter Hibernos tale Matr. fuisse licitum. *ibid. n.* 78
An ex hac historia rectè inferatur? ergo tale Matr: est irritum jure naturæ? ostenditur, quòd non. *ibid. n.* 79. *&* 80
Parum curandum de judicio istorum Hibernorum. *ibid. n.* 81
Quid sentiat Caramuel de invaliditate talis Matr. *ibid.*
Dicit, se nescire, an sit invalidum jure naturæ. *p.* 174. *n.* 82
Ostenditur, Historiam in aliquo perperàm fuisse relatam. *ibid. n* 83
Caramuel conatur satisfacere argumentis Sanchij. *ibid. n.* 84 *& seqq.*
Matrimonium est invalidum jure naturæ in quocumque gradu lineæ rectæ, juxtà Scotum, & alios plures. *p.* 175. *n.* 91 *& seqq.*
Quilibet ascendens est principium naturale, & per se respectu descendentis. *pag.* 176. *n.* 96
Quomodo intelligendum, quòd virtus generativa debilitetur in tertio? *ibid. n.* 102
Quid sufficiat, ad salvandam seriem originis. *p.* 177. *n.* 103
Virtus principalis perseverat in omnibus descendentibus, saltem secundùm similitudinem specificam, ex Sanchez. *ibid. n.* 105
An requiratur similitudo individua? *ibid. n.* 106
In ea fundatur reverentia debita parentibus. *ibid. n.* 107
Jus civile docet nostram Conclusionem. *ibid. n* 107. *&* 108
Jura, quæ restringunt consanguinitatem, loquuntur de linea transversali. *ibid. n.* 109 *& seqq.*
Quare Ecclesia non irritaverit Matr. in linea recta ultra septimum gradum. *p.* 178. *n.* 112
Solum jus Canonicum de novo impedimenta instituit: etiam tamen juri civili competit declarare impedimenta juris naturæ. *ibid. n.* 113. *&* 114
Computatio facta per jus Civile recipitur per Canones. *ibid. n.* 115 *& seqq.*
An Doct. Angelicus aliam agnoscat irreverentiam in primo gradu lineæ rectæ, quàm in alijs? *p.* 179. *n.* 121. *&* 222
Diversitas sententiarum circa irritationem Matr. in linea recta. *p.* 180. *n.* 123
Judicium Auctoris. *ibid. n.* 124

IMPEDIMENTUM CONSANGUINITATIS IN LINEA TRANSVERSA.

Gradus prohibiti olim à Deo, Levit. 18. an hodie adhuc omnes obligent? *p.* 180. *n.* 125. *&* 126
Sententia Scoti de hac re. *ibidem.*
In statu Innocentiæ, secundùm ipsum, fortè fuissent prohibita Matrimonia inter fratres & sorores. *ibid. n.* 127
Quare dicat Scotus, *fortè? ibidem.*
Quid Scotus doceat de statu veteris & novæ legis? *ibid. n.* 128
Unde fiat, quòd propinquitas aliqua dirimat Matr., ex eodem. *p.* 181. *n.* 129
In linea transversa provenit ex jure Ecclesiastico. *ibid. n.* 130
Sanchez putat, in primo gradu esse irritum jure naturæ: Probatque ex cap. 8. de Divortijs. *ibid. n.* 130
Verba d. cap. expenduntur. *ibid. n.* 131. *&* 132
Argumentum desumptum ex d. cap. 8. non est efficax. *ibid. n.* 134
Alia probatio Sanchez ex Aristotele & D. Augustino non videtur Pontio efficax. *p.* 282. *n.* 135 *& seqq.*
Sanchez admittit, copulam inter fratrem & sororem cõtinere quamdam indecentiam naturalem. *ibid. n.* 138
De hac intelligit SS. Patres. *ibidem*
Probat, Matrimonium inter eos solum esse veniale, seclusâ lege positivâ. *ibid. n.* 140
An possit dici, nullum esse peccatum? Affirmat Dicastillo. *p.* 183. *n.* 145 Ap-

Approbatur ejus doctrina : & solvitur objectio ex Arriaga. *ibid. n. 143. & seqq.*
Matrimonium potest esse illicitum jure positivo, tamen non invalidum. *p. 184. n. 150*
Matrimonium potest esse illicitum jure naturali, estò usus licitus, & vice versâ. *ibid. n. 151*
Exemplum Religiosi Societatis Jesu malè applicatur Matr. inter fratrem & sororem. *ibid. n. 152. & seqq.*
Dictum Matrim. vel est irritum jure naturæ, vel non est illicitum, saltem quoad usum. *pag. 185. n. 157*
Nostræ Conclusioni videtur favere D. Hieronymus; nec repugnat Augustinus, ex Pontio. *ibid. n. 158 & seqq.*
Probatur non fuisse prohibitum à Deo in ipsa institutione Matr. *ibid. n. 160 & seqq.*
An in veteri lege fuerit Matr. inter fratrem & sororem irritum, ex Hiquæo. *p. 187. n. 166 & seqq.*
Pontius putat, valde probabiliter, licuisse & valuisse, ex exemplo Abrahæ & Thamar. *ibid. n. 170*
Iudicium Auctoris. *ibidem*
Probatur sententia Pontij ex varijs Canonibus, qui expenduntur. *ibid. n. 172 & seqq.*
Alia argumenta Pontij expenduntur. *p. 189. n. 180 & seqq.*
Resolutio finalis. *ibidem n. 185*
Matrimonium in linea transversali jure Ecclesiastico est illicitum, juxtà ac invalidum usque ad quartum gradum inclusivè, & non ultrà. *p. 190. n. 186*
Ad quem gradum se olim extenderit consanguinitas. *ibid. n. 186 & seqq.*
Aliqui putant, omnes gradus Levit. 18. obligare in lege nova. *p. 191. n. 192*
Oppositum docet Bellarminus, ostendens aliqua præcepta de gradibus in Levitico esse judicialia. *ibid. n. 193 & seqq.*
In Levitico quædam conjugia prohibentur in eodem gradu, & quædam non. *ibidem n. 196*
Cap. 2. de Divort. permittit Paganos in secundo gradu permanere post Baptismum. *p. 192. n. 200 & seqq.*
Illatio Auctoris. *p. 193. n. 295 & 296*
Conciliatio diversarum sententiarum in hac materia, ex Hiquæo. *ibid. n. 207 & seqq.*
Iudicium Auctoris. *pag. 195. n. 212. & 213*
Ecclesia potest constituere, & constituit, plures gradus impedire & dirimere. Quare Ecclesia id fecerit. *ibid n. 213 & 214.*
Quare Christus per se non determinaverit gradus. *ibid. n. 215*
Ostenditur congruitas determinationis Ecclesiæ usque ad quartum gradum. *ibidem n. 215. & 216*
Declaratur utilitas determinationis quatuor graduum, ex D. Bonav. *ibid. n. 217*
Ostenditur aliqualis necessitas. *ibid. n. 218 & 219*
Non sunt hîc audiendi hæretici. *p. 196. n. 219 & seqq*
Quare vinculum consanguinitatis impediat Matr. ex D. Bonav. *ibid. n. 223 & seqq.*
Duplex ratio hujus statuti tradita fuit à S. Augustino. *p. 197. n. 225. & 226*
Aliæ duæ rationes ex Sanchez, desumptæ ex D. Thoma. *ibid. n. 227*
Prohibitio consanguinitatis non est nova, ac olim incognita. *ibidem*
An duo consanguinei, quorum unus distat in primo gradu, & alter in quinto, possint contrahere ? *ibid. n. 228 & seqq.*
Vide *Pontifex. Dispensatio.*

CONSUETUDO

Consuetudo non præscribit contra jus naturale, aut divinum. *p. 25. n. 155 & seqq.*
Consuetudo ut abroget vel inducat legem, debet esse rationabilis & præscripta. *ibid. n. 157*
Probatur, consuetudinem posse legem inducere. *p. 26. n. 158*
An requiratur approbatio Pontificis, ut impediat, vel dirimat Matr. *ibid. n. 159*
An inhabiles possit reddere habiles, & contrà. *ibid. n. 160*
An debeat concurrere cum antiquo jure, ut impedimentum inducat. *ibidem*
An debeat esse mixta Laicorum, & Clericorum, ex Sanchez. *ibid. n. 161 & 162*
Quæ sit consuetudo rationabilis. *ibid. n. 163*
Non omnis consuetudo mala est irrationabilis. *ibidem*
Quæ sit consuetudo præscripta. *ibid. n. 164 & seqq.*
Ius civile nihil aliud requirit, quàm quod consuetudo sit diuturna & longa. *p. 28. n. 176*
Quis numerus annorum sit necessarius. *ibid. n. 177*
Optimè statuitur decennium. *pag. 29. n. 178*
Consuetudo rationabilis & legitimè præscripta abrogat & instituit impedimentum. *pag. 30. n. 187*
Contra rationabilitatem objicitur cap. 5. de Consang. item cap. 3. de Cognat spirit. *ibid. n. 188. & 189*
Probatur ex Sanchio, consuetudinem posse derogare impedimento, & esse rationabilem. *p. 31. n. 190 191. & 192.*
Trid. restrinxit gradus olim prohibitos; idem posset facere consuetudo. *ibid. n. 193 & seqq*
Ad quid serviat prohibitio vel reprobatio consuetudinis. *p. 32. n. 197 & 198*
Subditi magis debent abstinere à tali consuetudine. *ibid. n. 199*
Prohibitio consuetudinis non tollit consensum legalem. *ibid. n. 201*
Consuetudo reprobata aliquando potest abrogare legem. *ibid. n. 201 & seqq.*
Consuetudo potest aliquando inducere impedimentum dirimens. *p. 33. n. 204 & seqq.*
Quid hîc impediat, aut dirimat Matrimonium ? *pag. 34. n. 214*
Causa magis principalis est voluntas Legislatoris. *ibid. n. 215*
Non requiritur cum consuetudine adminiculum alterius juris. *p. 35. n. 215 & 216*
An debeat esse consuetudo mixta Clericorum, & Laicorum ? Affirmat Sanchez cum alijs. Negat Aversa. *ibid. n. 217. & seqq.*
Quæ hîc sit consuetudo mixta Clericorum & Laicorum ? *ibid. n. 223*
Consuetudo Hæreticorum contrahendi cum Monialibus &c est irrationabilis. *p. 463. n. 228.*
Quare non censeatur approbata à Pontificibus ? *ibid. n. 229. & seqq.*
Quædam circa hoc responsio Facultatis Theologicæ Viennensis. *p. 464. n. 233*

Vide *Præscriptio.*

CONTEMPTUS.

Per contemptum non intelligitur semper in jure contemptus formalis, sed aliquando quæcumque voluntaria transgressio legis. *pag. 64. n. 145. & seqq.*

CONTRACTUS. CONTRACTUS MATRIMONIJ.

Quid sit contractus. *pag. 6. n. 33*
Obligatio ejus dependet etiam à voluntate superioris. *pag. 7. n. 34.*
Contractus Matr. institutus est in officium & beneficium Communitatis. *p. 9. n. 39*
Quàm utile sit contractum Matr. ad Ecclesiasticos pertinere. *p. 14. n. 81*
Ratio contractûs non debet sequi forum sacramenti. *p. 56. n. 101*
Potiùs Sacramentum debet hîc sequi forum contractûs. *ibid. n. 102.*

CONTRACTUS CUM MONIALI.

Contractus cum Moniali olim impediebat Matrimonium contrahendum. *p. 89. n. 326*
Quæ ratio hujus impedimenti ? *ibid. n. 327*
Idem est de contractu cum Religioso, juxtà Aversam. *ibidem.*
Contrà arguit Auctor. *ibidem n. 328. & 329*

COPULA CONJUGALIS.

Prohibitio Copulæ conjugalis non excedit hodie quartum gradum, *p. 21. n. 128*

Vide *Affinitas. Debitum Conjugale. Usus Matrimonij.*

COPULA ILLICITA,

Quando copula fornicaria ex impedimento contrahat specialem malitiam, ex Sanchez. *p. 39. n. 244. & seqq*

Concubitus fidelis cum infideli habet specialem malitiam specie distinctam. *pag.* 40. *n.* 252 & 253
Ad quam speciem peccati hic accessus pertineat. *ibid. n.* 254.
An sit eadem ratio copulæ fidelis cum hæretica? Affirmat Sanchez. *ibidem.*
Dic ad illo eum oppugnat, sed non expugnat. *ibid. n.* 255
Coitus cum impedimento impotentiæ habet specialem malitiam. Similiter cum impedimentis ligaminis, voti solemnis, & sacri Ordinis. *ibid. n.* 256
An tunc sit duplex malitia? Negat Sanchez. *ibid. n.* 257
Cum dispensatione in voto & sacro Ordine potest stare fornicatio sacrilega. *pag.* 41. *n.* 258
Dispensatus in consanguinitate peccat simplici fornicatione. *ibidem*
Quando copula illicita non contrahat specialem malitiam ex impedimento. *ibidem n.* 259
Tale impedimentum est raptus, ex Sanchez. *ibid. n.* 260
Impedimentum criminis non superaddit novam malitiam. *ibid. n.* 261. & 262
Consanguinitas facit, ut non sit copula soluti cum soluta. *ibid. n.* 263
Quare id ipsum non efficiat raptus? *ibidem*
An sit simplex fornicatio tantùm, si quis copuletur affini extrà gradus prohibitos? *pag.* 244. *n.* 101. & *seqq.*
Auctor manet dubius. *pag.* 245. *n.* 107
Ecclesiæ videtur favere affirmativæ sententiæ. *ibidem*
Ex copula fornicaria oritur vinculũ naturale. *ibid. n.* 110
Vide *Imp. Affinitatis. Incestus.*

IMPEDIMENTUM CRIMINIS.

Doctrina Scoti de hoc impedimento explicatur. *pag.* 278. *n.* 1. & 2
Impedimentum criminis dirimit inter solos criminosos. *pag.* 279. *n.* 4. & 5
Adulterium solum nunquam dirimit. *ibid. n.* 5. & *seqq.*
Dirimit semper, quando conjungitur ei machinatio in mortem conjugis legitimi, vel promissio aut contractus matrimonij cum adultera, vivente conjuge. *p.* 280. *n.* 13. & 14
Hoc Impedimentum est inventum Ecclesiæ, idque ex justissima causa. *ibid. n.* 15. & *seqq.*
Requiritur adulterium perfectum, & quid illud sit. *p.* 281. *n.* 19 & *seqq.*
Requiritur insuper adulterium in utroque formale. *pag.* 282. *n.* 23
Non sufficit affectus adulterij. *ibidem*
Non sufficit matrimonium metu invalidè contractum. *ibid. n.* 24
Non est necessarium, ut prius matrimonium sit consummatum. *ibidem*
Non obstat, quòd sit dissolutum per divortium. *ibid. n.* 25
Probatur, requiri formale adulterium in utroque. *ibid. n.* 26
An sufficiat formale adulterium contrà proprium conjugium; an verò requiratur adulterium utrique notum? *ibid. n.* 27. & *seqq.*
An sufficiat fidei datio cum adulterio? *p.* 285. *n.* 40. & 41
Si mulier, quæ inscia contraxit, nolit de novo consentire, sunt separandi. *ibid. n.* 42
Quid si consummaverit Matrimonium post habitam scientiam? *ibidem*
Æquiparantur hîc matrimonium & fides præstita. *ibid. n.* 43
Ab hoc impedimento excusat ignorantia probabilis prioris conjugij. *ibid. n.* 45
An etiam excuset hic ignorantia crassa. *ibid. n.* 45. & *seqq.*
Aversa putat, ignorantiam vincibilem excusare. *pag.* 286. *n.* 49
An lex hic requirat scientiam? *ibid. n.* 50 & 51
An hîc requiratur scientia impedimenti? *ibid. n.* 52. & *seqq.*
Irritatio actûs hic videtur simul esse pœnalis & moralis. *p.* 287. *n.* 57. & 58
Disparitas inter hoc impedimentum, & excommunicationem. *p.* 288. *n.* 59
Quando ignorantia non excusat à peccato, neque excusat hîc ab irritatione, ex Perez. *ibid. n.* 59. & 60
An qui cum ignorantia hujus impedimenti contraxissent, relinqui deberent in bonâ fide? *ibid. n.* 61. & *seqq.*
Præter adulterium requiritur contractus, aut promissio Matrimonij, vel machinatio. *p.* 289. *n.* 68
Sola promissio non dirimit, quamvis promittens graviter peccet. *ibid. n.* 69
An ea promissio sit irrita? *p.* 290. *n.* 70 & *seqq.*
Probatur, non sufficere promissionem merè internam ad hoc impedimentum. *ibid. n.* 74
An sufficiat promissio ficta? *ibidem n.* 75 & *seqq.*
Quando promissio perfectè repugnet prohibitioni Ecclesiæ. *p.* 292. *n.* 82 & 83
An ad hoc impedimentum requiratur promissio absoluta, an verò sufficiat conditionata; & quæ? *ibid. n.* 84 & *seqq.*
Casus aliquis particularis, in quo dubitatur de hoc impedimento. *p.* 295. *n.* 100 & *seqq.*
Expenduntur aliquæ conditiones. *p.* 296. *n.* 102 & *seqq.*
Promissio habet in se conventionem. *p.* 297. *n.* 113
Acceptatio hîc est necessaria. *ibidem*
An acceptatio sufficiat absque repromissione. *ibid. n.* 114. & *seqq.*
Quid si promittens Matrimonium intendat contractum onerosum? tunc requiritur repromissio. *pag.* 298. *n.* 123 & *seqq.*
Acceptatio contractûs sponsalitij est virtualis repromissio. *p.* 299. *n.* 126 & 127
An taciturnitas hîc sit acceptatio. *ibid. n.* 128 & *seqq.*
An sufficiat hîc simplex promissio: an verò requiratur jurata? *p.* 300. *n.* 135. & *seqq.*
An ad promissionem hîc requirantur verba propriè dicta? *p.* 304. *n.* 158.
An possit fieri per alium? *ibidem*
An sufficiat promissio invalida? *ibidem*
An sufficiat Matrimonium clandestinum? *ibid. n.* 159. & *seqq.*
Machinatio utriusque in mortem conjugis, ex intentione posteà sic contrahendi, effectu secuto, dirimit Matrimonium. *p.* 305. *n.* 162
An sufficiat sola machinatio? *ibid. n.* 163
Perinde est, sive vir, sive mulier occidatur. *ibid. n.* 164
Perinde est, sive occidens sit fidelis, vel infidelis. *ibid. n.* 166
Quomodo Ecclesia potuerit hoc impedimentum indicere Infidelibus. *ibid. n.* 167
Quid si uterque sit infidelis tempore machinationis, an possint contrahere post Baptismum? *p.* 306. *n.* 168 & *seqq.*
Machinatio debet intelligi cum effectu. *pag.* 307. *n.* 176 & *seqq.*
Probatur, quòd requiratur intentio contrahendi. *ibid. n.* 179
An Scotus doceat hanc sententiam? *ibid. n.* 180. & 181
Ubi jus requirat intentionem. *pag.* 308. *n.* 182 & 183
Hæc est sententia D. Thomæ & D. Bonav. *ibid. n.* 183 & 184.
Homicidium fortuitum non sufficit, ex Hostiensi. *p.* 309. *n.* 186.
Corollaria ex dictis. *ibid. n.* 187. & 188
Quid si occidens habuerit animum ducendi fœminam incertam? *ibid. n.* 189 & *seqq.*
Utrùm sufficiat intentio interna? *p.* 310. *n.* 193. & *seqq.*
Sola machinatio ex parte unius non dirimit, secùs conjuncta adulterio. *pag.* 313. *n.* 213. & *seqq.*
Probatio nostræ conclusionis. *pag.* 314. *n.* 221. & 222
Sufficit adulterium subsequens machinationem, aut fidei datione m. *ibidem n.* 223 & *seqq.*
An sit necessarium, ut fides data & adulterium intercedant, durante eodem matrimonio? *p.* 315. *n.* 227 & *seqq.*
An requiratur, adulterium perfectum esse, & formaliter tale ex parte utriusque? item an sufficiat ratihabitio machinationis? *p.* 316. *n.* 231 & *seqq.*
Quid si vir occidat uxorem deprehensam in adulterio? *p.* 318. *n.* 245 & *seqq.*

D

IMPEDIMENTUM DISPARITATIS CULTUS

POteſt eſſe Matrimonium inter fidelem & infidelem. *Pag.* 430. *n.* 22.

An poſſit etiam contrahi ? Affirmat Scotus, quantùm eſt ex jure divino, ſecùs de jure Eccleſiæ. *ibid.n.*23

Expenduntur jura Eccleſiæ. *ibid. n.* 24 *& ſeqq*

Pontius putat veriùs, à multis ſæculis irrita fuiſſe dicta Matrimonia, lege Eccleſiæ rectè intellectâ. *p.* 432. *n.* 35

Quæ ſit ratio conſtitutionis Eccleſiaſticæ, ex Scoto, & D. Bonav. *ibid.n.* 37. *&* 38

In veteri lege, ſecundùm D. Bonaventuram, diſtinguebatur inter mulieres infideles; & quæ ratio hujus diſtinctionis. *ibid. n.* 39 *&* 40

Cultûs diſparitas non dirimit jure naturæ, ſed neque jure divino poſitivo. *ibidem n.* 41. *&* 42

In veteri lege Deus prohibuit Matrimonium cum quibuſdam Gentilibus. *p.* 433. *n.* 42

Contra eam prohibitionem peccavit Salomon. *ibid n.* 43

Oſtenditur prohibitio Matrimonij fidelis cum infideli, ex Apoſt. 2. Cor. 6. *ibid n* 44. *&* 45

Contrahere cum infideli non eſt probabilis occaſio converſionis ejus, ex D. Hieronymo. *ibid. n.* 46

An fidelis teneatur reddere debitum infideli ? *ibid. n.* 47 *&* 48

Aliqua Matrimonia in lege veteri cum infidelibus fuerunt licita. *p.* 434. *n.* 49. *&* 50

Probat Vaſquez, hodie Matrimonium fidelis cum infideli eſſe irritum jure divino. *ibid. n* 51 *&* 52

Quare potiùs valeat Matrimonium utriuſque infidelis. *ibid. n.* 53

Hoc impedimentum habemus per Traditionem Apoſtolicam. *p.* 435. *n.* 54

Probatur ex Sanchez, non eſſe juris divini. *ibid. n.* 55 *& ſeqq*

Auctor in hoc conſentit Sanchio. *ibid. n.* 58

Conjux fidelis tenetur per ſe cohabitare infideli. *ibid. n.* 60 *&* 61

Fidelis aliquo caſu etiam licitè poſſet contrahere cum infideli. *p.* 436. *n.* 62

Quid ſi nulla ſit ſpes converſionis conjugis infidelis? *ibid. n.* 62 *& ſeqq.*

An talis contractus ſit peccatum mortale? *ibid. n.* 64 *&* 65

Apud Indos non eſt per ſe illicitum Matrimonium fidelis cum infideli. *ibidem.*

An illi obligentur lege Eccleſiæ irritante ? *ibid. n.* 66. *& ſeqq.*

An lex non ceſſet, etſi fidelis non ſit pervertendus. *p.* 437. *n.* 69. *&* 70

Per Infidelem hîc intelligitur etiam Catechumenus. *ibid. n.* 71

Itemque fictè Baptizatus. *ibid.*

An ex Canone 72 in Trullo probetur, Matrimonium fidelis cum hæretica non valere ? *p.* 458. *n.* 74 *& ſeqq.*

Probatur ex D. Thoma, Matrimonium Perſonæ fidelis cum hæretica valere. *ibid. n.* 88

Eſtque uſitatiſſimum in praxi *ibid. n.* 89

Diſparitas inter Matrimonia infidelium, & hæreticorum. *pag.* 440. *n.* 90. *&* 91

An ex eo, quod Matrimonium Catholici cum hæretica fiat lege prohibente, dici debeat eſſe irritum ? *ibid. n.* 92 *& ſeqq*

Quid requiratur ad valorem Matr. hæretici cum Catholica? *Pag.* 442. *n.* 106. *& ſeqq.*

Matrimonium hæretici cum Catholica jure naturæ eſt illicitum. *pag.* 443. *n.* 111

Item jure Eccleſiæ. *ibid. n.* 111 *& ſeqq.*

An hoc jus in aliquibus locis ſit conſuetudine abrogatum. *p.* 444. *n.* 114. *& ſeqq.*

Circumſtantiæ, in quibus poſſet eſſe licitum contrahere Catholico cum hæretica. *p.* 445. *n.* 121. *& ſeqq.*

Probatio ab exemplis, & SS. PP. teſtimonijs expenditur. *ibid. n.* 124 *& ſeqq*

Quando ſatis proviſum ſit incommodis, & periculis, quæ ſolent ex tali Matrimonio provenire. *p.* 446. *n.* 128

An S. Auguſtinus docuerit, certò licuiſſe talia Matrimonia ? *ibid. n.* 129. *&* 130

Item, an Patres Africani ? *ibid. n.* 131 *& ſeqq.*

In aliquo caſu licet tale Matrimonium, etiam jure Eccleſiæ, dum ſcilicet hæreticus promittit converſionem. *p.* 447. *n.* 134 *& ſeqq.*

An ſufficiat ſola ſpes converſionis. *ibid. n.* 136 *& ſeqq.*

An in aliquo caſu Matrimonium Catholici cum hæretica ſit licitum, etiam abſque ſpe converſionis. *p.* 448 *n.* 139

An poſſit evaneſcere omne periculum perverſionis? *ibid. n.* 140 *& ſeqq*

Talia Matrimonia plerumque ſunt illicita, vel contra fidem, vel contra charitatem. *pag.* 449. *n.* 149

Videtur etiam pericilitari bonum fidei, item bonum prolis. *p.* 450. *n.* 150

Ea Matrimonia ſolent habere infelices exitus. *ibid. n.* 151

Infelix exitus non eſt ſignum infallibile peccati. *ibid. n.* 151. *&* 152

Concluditur, quandonam liceat Matrimonium Catholici cum hæretica. *ibid. n.* 153 *& ſeqq.*

Sufficit pactum, prolem debito tempore catholicè educandi. Quod illud tempus? *ibid. n.* 155

An requiratur ſemper tale pactum. *ibid. n.* 156

Hæc parentum obligatio eſt juris naturalis. *ibid. n.* 157

Quid ſi prævideant prolem, ipſis invitis, malè educandam, non tenentur abſtinere à Matrimonio. *p.* 451 *n.* 158

Sufficit, quòd habeant animum procurandi bonam educationem. *ibid. n.* 159

Quanta hîc ſecuritas requiratur implendæ promiſſionis. *ibid. n.* 160

An ſit idoneum medium, quòd differatur conſummatio Matrimonij. *ibid. n.* 160 *& ſeqq.*

Quæ ſit juſta cauſa exponendi ſe periculo perverſionis. *p.* 454. *n.* 178

An Judith rectè adierit caſtitatis periculum ? *ibid. n.* 178 *& ſeqq.*

Expenditur Matrimonium Eſther. *p.* 455. *n.* 180 *&* 181

Poteſt ſubinde quis licitè ſe exponere peccati periculo. *ibid. n.* 182 *& ſeqq.*

Requiritur gravior cauſa exponendi ſe periculo perverſionis, quàm alterius peccati. *p.* 456. *n.* 185

An major cauſa requiratur, ut Catholica nubat hæretico, quàm vice verſâ ? *ibidem n.* 186 *& ſeqq.*

Opinio Marchant, Matrimonia hæreticorum eſſe validæ in ratione contractûs, ſecùs Sacramenti. *p.* 459. *n.* 207

Non placet Auctori. *ibid. n.* 208

Reprobatur ex Concilio Tridentino. *p.* 460. *n.* 208. *&* 209

Eccleſia poteſt irritare Matrimonia hæreticorum, etiam in ratione contractûs. *ibidem*

An Matrimonia clandeſtina hæreticorum ſint Sacramenta. *ibid. n.* 211

Probatur ex Marchant, Matrimonia hæreticorum non eſſe Sacramenta. *ibid. n.* 212

Binæ hinc deductæ illationes examinantur. *ibid. n.* 213 *& ſeqq.*

Illatio Auctoris contraria primæ illationi Marchantij. *p.* 461. *n.* 218

Inter hæreticos vinculum Matrimonij ſemper perdurat. *p.* 462. *n.* 219

Matrimonia Hæreticorum prohibita jure divino, & irritata lege Eccleſiæ, ſunt invalida, ex Gobatio. *p.* 463. *n.* 226.

Ratio expenditur, quare conſuetudo non poſſit hîc prævalere. *ibid. n.* 227. *& ſeqq.*

DISPENSATIO. DISPENSARE.

Lex poteſt dupliciter mutari, aliquando univerſaliter, aliquando particulariter. *p.* 476. *n.* 2

Quid ſit diſpenſatio. *ibidem n.* 3

Latiùs ſumpta comprehendit interpretationem legis. *ibid.*

Propriè ſumpta diſtinguitur ab ea, & in quo. *ibid. n.* 4

Quomodo differat Epykeia à diſpenſatione ? *ibid. n.* 5

Diſcrimen inter Epykeiam & interpretationem. *ibid. n.* 6

DISPENSATIO IN IMPED. MATRIM.

Ecclesia nō dispēsat in impedimētis juris divini. p. 476. n. 7
Probatur, Ecclesiam non posse dispensare in impedimentis dirimentibus jure divino naturali. p. 480. n. 29 & seqq.
Non expediebat, relinqui in Ecclesia talem potestatem. p. 481. n. 32.
Declaratur circa errorem Personæ, impotentiam, & ligamen: item circa primum consanguinitatis gradum. ibid. n. 33 & seqq.
Probatur, in omnibus impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus posse dispensare summum Pontificem. ibid. n. 36. & 37.

DISPENSATIO IN RADICE MATRIM.

Dubitatur, an possit Pontifex dispensare in radice Matrimonij irritè contracti cum impedimento juris Ecclesiastici. p. 482. n. 38
Affirmat Sanchez, & probat. ibid. n. 39. & seqq.
Oppositа sententia quoad temporalia magis placet Dicastilloni. p. 483. n. 44.
Omnes admittunt, Papam id posse quoad spiritualia. ibid. n. 44 & 45
Limitatio quædam sententiæ Dicastill. ex Covarruvia. ibid. n. 45 & seqq.
Molina non dubitat, sententiam Sanchez esse falsam, & probat. ibid. n. 49 & seqq.
Sed petit principium. p. 484. n. 53
Argumenta pro sententia Dicastill. examinantur. ibid. n. 54 & seqq.
Proponitur rursùs ultima probatio Sanchij, & ventilatur. Pag. 486. n. 63 seqq.
Sententia Sanchez in praxi tuta est, juxtà Dicastill. ibid. n. 66
Graviter peccat Papa, absque justa causa dispensando in radice Matr., ex Sanchez post Navarrum. ibid. n. 67
Quæ ratio tam gravis peccati? ibid. n. 68
Quid si parentes obierant ante dispensationem? ibid. n. 69
Adhuc Papam posse dispensare, probatur. ibid. n. 70
Hæc doctrina videtur probabilis Dicastill. p. 487. n. 71
Qui ex ea arguit contra Sanchium à simili. ibid. n. 72
Nec adeò malè, si hæreditas non devolvatur absolutè. ibid. n. 73
Dubium est, an sic fiat. ibid. n. 74
Ubi nulla fuit radix Matrimonij, non potest Pontifex dispensare. ibidem.
Impedimentum dirimens superveniens fornicationi non facit prolem spuriam. ibid. n. 75
Quid si Papa in illo impedimento dispenset? ibidem
An Papa possit de spurio facere naturalem? Pag. 488. n. 76
Princeps sæcularis non legitimat ad effectus Ecclesiasticos. ibid. n. 77
Posset, nisi Ecclesia illi interdixisset ponere impedimenta. ibid. n. 78
An in dubio de impedimento naturali posset Pontifex legitimare? Affirmat Sanchez. ibid. n. 79. & 80
An conjuges in tali dubio sint separandi? videtur Dicast. quòd sic. ibid. n. 81
Contra arguitur. ibid. n. 82
Quando Papa censeatur dispensare in radice Matrimonij, ex Sanchez. Pag. 489. n. 83
An sufficiat hæc clausula, *ut non obstante* &c? Negat Sanchez, si nullum matrimonium præcesserit. ibid n. 84
Imò tametsi initum fuisset. ibid. n. 85
Quæ sit hic diversitas inter prolem susceptam, & suscipiendam. ibid. n. 86.
Quid importet in dicta clausula ly *Decernendo*. n. 87
Quid si dispensans omiserit decernere prolem legitimam? poterit posteà id facere, ex Sanchez. ibid. n. 88.
Quid sentiat Dicastillo de hac concessione. p. 490. n. 89
Auctor subscribit Sanchio, recedens à Dicastill. ibid. n. 90.
Quid si Papa det licentiam in illo Matrimonio perseverandi? probatur non sufficere, ex Sanchez. ibid. n. 91 & seqq.
Quando cesset legitimatio prolis, non secuto Matrimonio. pag. 491. n. 95
An sufficiat ad dispensationem in radice, quòd Papa legitimet Matrimonium & prolem? ibid. n. 95 & seqq.

DISPENSATIO IN AFFINITATE.

Pontifices aliquando dispensarunt in primo gradu ex fornicatione, ex Dicast. p. 239. n. 64.
Exemplum dispensationis in primo gradu transversali. ibid. n. 68

DISPENSATIO IN CONSANGUINITATE.

Pontifex potest dispensare in secundo gradu laterali. p. 190 n. 189
In quibus Pontifex non possit dispensare, ex Glossa. ibid. n. 190
Non est idem quoad hoc dicendum de omnibus gradibus Levit. 18. p. 191. n. 191
Sedes Apostolica non solet in aliquibus gradibus dispensare, quàmvis possit. p. 192 n. 200
An Pontifex possit dispensare in Matr. inter fratrem & sororem? p. 185. n. 155
Definit Trid. Ecclesiam dispensare in aliquibus gradibus. p. 192. n. 197

DISPENSATIO IN IMPEDIMENT. DISPARIS CULTUS.

Quænam sit justa causa ad dispensandum in Matr. Catholici cum hæretico. p. 452. n. 162 & seqq.
Sufficit ea causa, quæ seclusâ lege Ecclesiæ redderet Matrimonium licitum. p. 453. n. 169 & 170
Negativa cessatio finis est causa sufficiens dispensandi. ibid n. 171. & 172
Quid si urgeat necessitas, & non sit recursus ad Pontificem? ibid. n. 173
Negante Pontifice dispensationem, pro ea præsumendum est: uti etiam, eo concedente, pro justitia dispensationis. ibid. n. 174
Aliquando non sufficit utilitas privata ad dispensandum. p. 454. n. 176 & 177
Faciliùs, secundùm Lugonem, potest dispensari, ut Catholicus accipiat hæreticam, quàm è converso. ibidem n. 191

DISPENSATIO IN JURE NATURÆ.

Ecclesia non habet potestatem dispensandi in jure naturali. p. 377. n. 9. & seqq.
Evasio Sanchez, quædam præcepta naturalia esse indispensabilia, quædam non. p. 478. n. 15
Negatur, Papam posse dispensare in consecratione utriusque speciei. ibid.
Omnia, quæ sunt contrà jus naturale, habent perfectam indecentiam. ibid. n. 16.
An oppositum Conclusionis probetur ex dispensatione in voto, & residentia Episcoporum: Item innatrimonio rato, Decimis, & exemptione Clericorum? ibid. n. 17 & seqq.
Iudicium Auctoris. p. 479. n. 21.
Quid dicendum de Residentia Episcoporum. ibid. n. 22. & seqq.

DISPENSATIO IN VOTO.

Dispensare in voto non est propriè relaxare jus divinum naturale. p. 476. n. 7

DISPENSATIO INFERIORIS in LEGE SUPERIOR.

Inferior non potest impedire voluntatem Superioris, ipso non consentiente. p. 64. n. 151 & seqq.
Ubi prohibeatur Inferiori dispensare in lege Superioris, ex Suario. p. 65. n. 159.
Quare Prælati Inferiores possint dispensare in voto? p. 66. n. 164
Inferior per se non dispensat in lege Superioris. p. 491. n. 99 & seqq.
Hinc approbatur doctrina Suarij, asserentis, Episcopos ex vi solius ordinariæ potestatis non posse dispensare in impedimentis dirimentibus. p. 492. n. 104
Legatus Papæ non habet hìc majorem potestatem, quàm Episcopus. ibidem

Vide *Episcopus. Mendicantes.*

IUSTA DISPENSANDI CAUSA

Fragilitas hominum sæpè est causa dispensandi in legibus humanis. *p. 497. n. 133*
Probatur, Papam invalidè dispensare in proprijs legibus sine justa causa. *p. 513. n. 230. & 231*
Probatur, talem dispensationem saltem esse illicitam. *p. 514. n. 232. & 233*
An sit peccatum mortale? Affirmat Suarez, quia est contra triplicem justitiam. *ibid. n. 234*
An ex illius fundamentis sequatur, dispensationem talem non esse invalidam. *ibid. n. 236 & seqq*
An dispensare sit effectus merè privativus. *p. 515. n. 238 & 239*
Disparitas hîc inter abrogationem & dispensationem legis. *ibidem.*
Hic non valet distinctio Suarez inter potestatem facti & juris. *ibid. n. 241*
Uti etiam in remissione pœnæ, ubi non est opus sententiâ, ex Vasquez. *ibidem*
Lex irritans actum non in pœnam, comprehendit dispensatum sine causa, ex eodem. *ibid. n. 242 & seqq*
Possunt dari aliqui actus validi, licet injusti: quare non similiter lex? *p. 16. n. 247. & 248*
An omnis injustitia sufficiat ad destruendum valorem legis? *ibid. n. 249*
Resolutio finalis. *ibid. n. 250*
Eadem hîc est ratio Papæ & Episcopi. *p. 517. n. 253*
Aliqui putant, Episcopum non posse validè dispensare sine causa in propria lege, estò Papa posset. *ibidem.*
Oppositum docet Sanchez cum limitatione. *ibid. n. 254*
Quod potest Papa in lege propria, etiam in lege prædecessoris & inferioris, ex Sanchez. *ibid. n. 255*
Binæ circa hoc Suarij distinctiones. *ibid. n. 256*
Aliquæ causæ reddunt dispensationem tantùm licitam, aliæ etiam debitam, ex Aversa. *p. 518. n. 257*
Aliquæ sufficiunt pro uno impedimento, & non pro alio. *ibid. n. 258*
Prima causa dispensandi, bonum pacis. *ibid. n. 259*
Secunda causa, angustia loci. *ibid. n. 260*
Tertia causa, inopia Personæ. *ibid. n. 261*
Quarta causa, conservatio successionis. *ibid. n. 262*
Quinta causa, recognitio &c. *ibidem.*
Sexta, Instauratio Matrimonij. *ibid. n. 263*
Septima reparatio honoris. *ibidem.*
Octava, impositio alicujus Summæ pecuniæ. *ibid. n. 264*
Explicatur prima causa. *p. 519. n. 265. & 266*
Expenditur secunda causa. *ibid. n. 267*
Quid hîc intelligatur per oppidum. *ibid. n. 268*
An hîc sit eadem ratio viri & fœminæ? *ibid. n. 269*
Judicium Auctoris. *ibid. n. 270. & 271*
Facilius hîc potest dispensari cum muliere, quàm cum viro. *p. 520. n. 272*
An debeat admitti limitatio ad personas nobiles? *ibidem*
Ex quibus dijudicandum sit Matrimonium æquale? ex Sanchez. *ibid. n. 273*
Expenditur tertia causa. Quæ sit hîc competens dos? *ibidem.*
An valeat dispensatio, si mulier sit absolutè dives, non solùm in spe, sed etiam in re? *ibid. n. 274*
Quid si renuntiaverit bonis suis in fraudem, aut alium finem? *ibid. n. 274 & seqq*
Quid si fœmina instituatur hæres post impetratam dispensationem? potest, secundùm Sanchez, renuntiare ei. *pag. 521. n. 278 & seqq.*
Quid si nolit renuntiare, nec acceptare? *ibid. n. 282*
Quid si institutionem suam ignoraverit? si Matrimonium inijt, valet; si nondum foret contractum, non valet, ex Sanchez. *ibid. n. 282. & 283*
Ejus probationes expenduntur. *ibid. n. 284*
Quando cesset privilegium, cessante causâ. *ibid. n. 285 & seqq.*
Argumenta Sanchez non convincunt. *p. 522. n. 289*
Principalis ratio oppositæ sententiæ confirmatur & declaratur exemplis. *ibid. n. 289 & seqq.*
Exempla illa discutiuntur. *pag. 523. n. 293 & seqq*
An desinat consanguinitas per dispensationem? *ibid. n. 298*
Quare non desinat dispensatio, manente aliquâ causâ? ex Sanchez. *ibid. n. 299 & seqq*
Aliquando causa, quæ non sufficeret ad primò dispensandum, satis est, ut dispensatio permaneat. *p. 524. n. 301*
Applicatur ad nostrum casum. *ibid. n. 302 & seqq*
Quæ hîc causa permaneat ad æquitatem dispensationis. *ibid. n. 305 & seqq.*
Utraque sententia est probabilis. *p. 526. n. 312*
Expenditur ultimum argumentum Sanchez. *ibid. n. 313 & seqq.*
Dos non dicitur sufficiens absolutè, sed respectivè, ex Sanchez. *ibid. n. 316*
Expenditur Decretum Trid. Sess. 24. c. 5. *Pag. 527. n. 317*
Qui in eo intelligantur per magnos Principes? *ibidem.*
Quid intelligat per ly *Publicam causam*? *ibid. n. 318*
Quæ sint causæ privatæ sufficientes ad dispensandum? ex Sanchez. *ibid. n. 319*

DISPENSATIONIS DEFECTUS

Taciturnitas qualitatis, quàm jura volunt exprimi, reddit dispensationem irritam. *p. 527. n. 321. & 322*
Perinde est, sive fiat ex malitia, sive simplicitate. *ibid. n. 323. & 324*
Taciturnitas causæ finalis, secùs impulsivæ, vitiat dispensationem. *p. 528. n. 325 & seqq.*
Eadem hîc est ratio de rescriptis justitiæ & gratiæ. *ibid. n. 329*
Duplicis generis sunt qualitates, extrinsecæ & intrinsecæ, ex Sanchez. *Pag. 529. n. 330*
Extrinsecæ tacitæ non vitiant, nec communis doctrina de illis intelligitur. *ibid. n. 330 & 331*
Qualitates intrinsecæ sunt necessariò exprimendæ. *ibid. n. 332. & 333*
Stylus Curiæ inducit necessitatem exprimendi aliquam qualitatem, ex Sanchez. *p. 530. n. 334*
Stylus Curiæ obligat in utroque foro, sicut jus scriptum & consuetudo, ex Sanchez. *ibid. n. 335*
Unde dignosci possit, quòd aliqua qualitas sit causa finalis. *ibidem*
Consuetudo rationabilis hîc attendenda est, secùs irrationabilis. *ibid. n. 336*
Quomodo intelligenda sint hæc verba, *si preces veritate nitantur*. *ibid. n. 337*
Quid si res non sit ita, sicut narratur? non valet dispensatio, juxtà Sanchez. *ibid. n. 338*
An valeat dispensatio ex causa insufficienti, putatâ sufficienti? *ibid. n. 339 & seqq.*
Quando valeat dispensatio concessa bonâ fide sine justa causa, & quando non. *p. 532. n. 347 & seqq.*
An, quando erratur in Diœcesi dispensandi, possit Officialis propriæ Diœcesis eam exequi. *pag. 533. n. 356 & seqq.*
In dubio præsumitur valor actûs; & ideò in dubio præsumitur causa impulsiva. *pag. 534. n. 361*
Error in specie impedimenti vitiat dispensationem, estò narretur majus pro minori. *ibid. n. 462 & 363*
Limitatio. *ibidem*
In dispensationibus attenditur gravitas impedimenti, & multitudo. *p. 535. n. 364*
Plurima impedimenta diversæ speciei debent omnia exprimi. *ibidem*
Exceptio. *ibidem n. 365*
An sufficiat, quod explicetur affinitas in genere? *ibid. n. 366. & seqq*
In affinitate primi & secundi gradus debet exprimi copula conjugalis. *p. 536. n. 370*
In affinitate tertij vel quarti gradus non debet explicari copula. *ibid. n. 371*
Impedimenta, quæ habent diversos gradus. *ibid. n. 372*
Exprimi debet, quoto gradu sint conjuncti contrahere volentes. *ibidem.*
Non valet dispensatio, si explicetur tertius gradus, cum sit secundus. *ibid. n. 373*
Nec prodest, processisse ex communi errore. *ibid. n. 373. & 374*
An valeat dispensatio, si pro tertio gradu expressus fuit secundus? *p. 537. n. 375 & seqq.*
Quid si exponatur superior gradus in diverso ordine? *p. 538. n. 381*

Non extenditur potestas dispensandi in consanguinitate ad affinitatem, ex Sanchez. *ibid. n.* 382
Potestas dispensandi in affinitate extenditur ad publicam honestatem. *ibid. n.* 383. & 384
Utrùm exprimendum sit, quod distantia graduum sit in linea recta, vel transversa? *ibidem n.* 385. & 386
An debeat exprimi, ex qua copulâ sit affinitas: item cujusmodi sit publica honestas? *ibid. n.* 387
An idem dicendum de cognatione spirituali? *ibid. n.* 388 & 389
Quando contracturi inæqualiter distant à stipite, sufficit exponere gradum remotiorem, nisi unus sit primus, juxtà Constitutionem Pij V. *Pag.* 539. *n.* 390 & 391
Olim quoque solebat fieri mentio gradûs remotioris, ex d. Constit: alijsque juribus. *ibid n.* 392
Requiruntur tamen litteræ declaratoriæ super gradu propinquiore. *p.* 540. *n.* 395
Tenor earum, ex Sanchez. *ibid. n.* 396
Ad quid deserviant hæ litteræ? *ibid. n.* 397. & 398
Valet dispensatio sine ijs concessa. *ibid. n.* 399 & *seqq.*
Est tamen verum præceptum afferendi dictas litteras. *p.* 541. *n.* 401 & *seqq.*
Dispensatio non valet, si non exprimatur primus gradus consanguinitatis, aut affinitatis; secùs publicæ honestatis. *ibid. n.* 405. & 406
Quid dicendum de gradibus affinitatis ex fornicatione? *p.* 542. *n.* 407
Quid si unus distet in primo gradu, alter in quinto? non est necessaria dispensatio. *ibid. n.* 408
An perinde sit, sive fœmina sit propinquior, sive vir? *ibid. n.* 410. & 411
Quid de hac re sentiat Molina? *ibidem n.* 412 & 413
Iudicium Auctoris. *Pag.* 543. *n.* 414
Qualiter facienda sit mentio de copula carnali habita cum consanguinea: *ibidem.*
Copula potest triplici tempore intervenire, & tripliciter haberi. *ibid. n.* 415
Quæ copula hîc intelligatur? *ibid. n.* 416
Dispensatio non distrahitur per supervenientem copulam. *ibid. n.* 417
Et ideò licet Matrimonium subsequens, sine recursu ad Episcopum *ibidem*
An illa copula sit incestuosa? *ibid. n.* 418
Quid si dispensatio sit concessa sub conditione non copulandi, ex Sanchez. *ibid. n.* 419
Dispensatio non valet, secundùm Sanchez, tacitâ copulâ præcedente. *p.* 544. *n.* 420. & 421
Quid si contingat post dispensationem, antè executionem? adhuc vitiat. *ibid. n.* 422
Pontius existimat, taciturnitatem copulæ præcedentis non vitiare. *ibid. n.* 423. & 424
An doctrina Pontij sit vera, quando copula intervenit animo extorquendi dispensationem? *ibid. n.* 425 & 426
Quid si dicatur in Rescripto: *si copula non fuerit?* *Pag.* 545 *n.* 427 & *seqq*
Hæc copula habita ex fragilitate non reddit dispensationem difficiliorem. *ibid. n.* 429
An consuetudo exprimendi copulam sit obligans. *ibid. n.* 430 & *seqq.*
Obstat copula, secundùm Aversam, si addatur hæc conditio, *si copula non intervenerit*, etiam in foro externo, si ibi sit probata, secùs si sit occulta. *ibid. n.* 432. & 433
An hæc clausula, *si copula* &c, sit vera conditio? *p.* 546. *n.* 434 & *seqq.*
Quid Navarrus sentiat de hac expressione copulæ? *ibid n.* 437 & *seqq.*
Dispensatio est subreptitia, quando tacetur Matrimonium scienter contractum. *p.* 547. *n.* 442
Quid si ignoranter fecerint? aliquando valet, aliquando non, ex Trid. Sess. 24. c. 5. *ibid.*
Quid operetur id Decretum Trid.? *ibid. n.* 443 & *seqq.*
Si post Matrimonium scienter contractum intra gradus prohibitos impetretur, aut expediatur dispensatio, non factâ mentione de Matrimonio, dispensatio non valet? *pag.* 548. *n.* 447
Quid si dolosè contraxerint? *ibid. n.* 448. & 449
An sufficiat fraus ex parte unius? *ibid. n.* 450 & *seqq*
An exponi debeat bona fides utriusque. *p.* 549. *n.* 453
Quid si in Matrimonio bonâ fide contracto malâ fide perseverent, an fiant indigni dispensatione? *ibid. n.* 453 & *seqq.*
Quid si aliqui contrahant cum vincibili ignorantia impedimenti? non acquirunt faciliorem dispensationem. *pag.* 550. *n.* 464
Quid si Matrimonium fuerit clandestinum defectu Parochi, an sit locus huic pœnæ? *pag* 551. *n.* 465 & *seqq.*
An etiam, si contraxerint solùm sponsalia? *pag.* 552. *n.* 475 & *seqq.*
Spes facilioris dispensationis tempore Pij V. erat explicanda. *pag.* 554 *n.* 483
An etiam hodie? *ibid. n.* 483 & *seqq*
Aliquando dictus animus explicandus est. Quando, & quando non. *p.* 555. *n.* 493
An merè internus numquam debeat exprimi. *ibid. n.* 494 & *seqq.*
Auctor ostendit, Ecclesiam posse punire Matrimonium cum spe merè interna facilioris dispensationis. *pag.* 556. *n.* 498
An sit facienda distinctio in spe illa reperta in copula incestuosa publica, & occulta? *ibid. n.* 499
Proponitur casus aliquis ex Navarro. *ibid. n.* 500. & 501
Ad quod tempus referatur hæc clausula, *si preces veritate nitantur.* *p.* 557. *n.* 502
Non refertur ad tempus, quo impetrans misit Romam. *ibid. n.* 502. & 503
Veritas causæ debet esse tempore concessionis, ex Sanchez. *ibid. n.* 503 & *seqq.*
Proponitur casus ex Cap. 6. de Consang: cum intellectu Auctoris. *p.* 558. *n.* 509 & *seqq.*
An sufficiat, quod preces tempore subsequenti dispensationem veræ sint. *ibid. n.* 512 & *seqq.*
Tenor commissionis dispensationis. *p.* 559 *n.* 515
An foret injusta, si pro tunc preces veritate non nitantur? *ibid. n.* 520 & *seqq*
Potest sufficere, quòd causæ sint veræ tempore effectûs dispensationis. *pag.* 560. *n.* 523
Pontifex non solet sic dispensare. *ibid. n.* 524
Aliqua dispensatio requirit veritatem narratorum tempore expeditionis Romæ, ex Garcia. *ibid. n.* 525
Cautela magna adhibenda est in examine veritatis precum, ex Sanchez. *ibidem.*
In dispensationibus Matrimonij oportet sequi partem tutiorem. *ibid. n.* 526
Omnia impedimenta diversæ speciei non connexa sunt necessariò explicanda. *ibid. n.* 527
An omnia impedimenta sint explicanda in eadem dispensatione. *p.* 561. *n.* 528 & *seqq*
An hæc dicta sint vera de quolibet impedimento occulto. *p* 563. *n.* 544 & *seqq.*
Differentia inter eum, qui priùs petit dispensationem voti, & qui priùs petit dispensationem consanguinitatis. *p.* 564. *n.* 549
Quid si, sublato uno impedimento, aliud superveniret. *ibid. n.* 550
Casus expenditur, in quo non debeant plura impedimenta simul exprimi, & in quo debeant, juxtà Dicast. *ibid. n.* 551 & *seqq*
Quid si post dispensationem consanguinitatis superveniat affinitas; an deberet prioris meminisse in posteriori dispensatione. *p.* 565. *n.* 555 & *seqq*
Valet dispensatio contrahendi cum secundo consanguineo, tacitâ priori dispensatione, ex Sanchez. *p* 566 *n.* 560
Quid si fœmina nolit uti secundâ dispensatione, nonne licet uti priori? *ibid. n.* 561 & *seqq.*
Iudicium Auctoris. *p.* 567. *n.* 564. & 565
Auctor consentit, ut in eadem dispensatione singula impedimenta distinctæ speciei explicentur. *ibid. n.* 566
Idem consulit, dum sunt plura Impedimenta non connexa ejusdem speciei. *ibid. n.* 567
Aliqui censent, multiplicitatem hanc non esse exprimendam. An rectè? *ibid. n.* 567 & *seqq.*
Stylus Curiæ numquam explicat diversas fornicationes cum eadem. *p.* 568. *n.* 574

An taciturnitas qualitatis, quæ solet exprimi secundùm stylum Curiæ, reddat dispensationem vitiosam? *ibid. n. 575*
Dispensatio conformis stylo Curiæ non est subreptitia. *ibid. n. 576*
Quid si accidat copula cum eadem consanguinea post dispensationem? Arguitur pro valore dispensationis. *ibid. n. 576. & 577*
An duplex adulterium debeat explicari? *pag. 569. n. 578. & 579*

DIVORTIUM QUOAD HABITATIONEM ET TORUM.

Quid sit divortium, & quotuplex. *p. 700. n. 1*
Conjuges jure naturali ac divino tenentur ad communem torum & cohabitationem. *p. 701. n. 2. & 3*
Gentiles servant officium cohabitationis. *ibid. n. 4*
Conjuges possunt compelli ad cohabitationem. *ibid.*
Honestum est, viros petere suas uxores. *ibid. n. 5*
An etiam possint eas vendicare? Affirmat Sanchez. *ibid. n. 5. & 6*
Maritus similiter vendicari potest ab uxore. *ibid. n. 6*
Graviter peccat, qui absque justa causa diutiùs se absentat. *ibid. n. 7*
Quæ sit diuturna absentia? *ibid. n. 7. & 8*
Ex causa potest vir diutiùs abesse. *p. 702. n. 8*
Potest vovere peregrinationem terræ sanctæ, causâ subsidij; secus solius devotionis. *ibidem n. 10*
An etiam mulier possit facere tale votum? *ibid. n. 11 & seqq.*
An uxor teneatur sequi virum peregrinantem? Negat Aversa, si peregrinatio sit longa. *p. 703. n. 14*
Quid si vir velit mutare domicilium? tenetur sequi, nisi id fiat ob turpem causam. *ibid. n. 15*
An uxor debeat sequi virum vagantem? *ibid. n. 16 & 17*
Debet sequi virum missum in exilium. *ibid. n. 17*
Tenetur cohabitare viro excommunicato. *ibid. n. 18*
Tenetur cohabitare viro captivo *ibid. n. 18. & 19*
Non tenetur sequi virum vagabundum, nisi in contractu id sciverit. *ibid. n. 20*
Quid si facilè posset sequi? Sanchez putat esse obligationem. *p. 704. n. 21*
Vir tenetur sequi uxorem vagantem, si vagetur ex causa necessaria. *ibid. n. 22*
An vir teneatur secum ducere uxorem? Affirmat Aversa, quando commodè potest. *ibid. n. 23*
Quid si pactum fuerit, ut vir maneat in certo loco? tenetur manere, nisi nova causa recedendi superveniat. *ibid. n. 24*
Tunc enim potest aliò migrare, etsi pactum foret juratum. *ibid. n. 24. & 25*
Probatur, tale pactum per se esse licitum, & obligatorium. *ibid. n. 25 & seqq.*
Uxor post prædictum pactum non tenetur sequi virum, ex Calderino. *p. 705. n. 32*
Et vir sine causa mutans locum adstringitur pœnâ adjectâ. *ibid. n. 33*
Divortium ob multas causas fieri potest, ex Tridentino. *p. 706. n. 34*

DIVORTIUM OB ADULTERIUM CARNALE.

Principalis causa est adulterium carnale. *p. 706. n. 34 & seqq.*
An liceat hoc divortium jure naturali? *ibid. n. 38 & seqq.*
An sodomia & bestialitas sint causæ perpetui divortij. *pag. 708. n. 47 & seqq.*
Non sufficit voluntas fornicandi. *ibid. n. 50. & 51*
Neque soli tactus sine effusione seminis sufficiunt. *ibid. n. 51*
Quid dicendũ de pollutione voluntaria in seipso? *ibid. n. 52*
Quid de pollutione cum tertia persona? *ibidem*
An sufficiat copula sodomitica cum tertia persona? *p. 709. n. 53*
Quid dicendũ de sodomia cum propria uxore? *ibid. n. 54*
Dicastillo distinguit inter tactus viri & mulieris *ibid. n. 55 & seqq*
Aliqui putant, sufficere in muliere amplexus & oscula libidinosa. *ibid. n. 58*
Oppositum docet Sanchez. *ibid. n. 59 & seqq.*
An hìc valeat argumentum à pollutione ad tactus: item à fornicatione ad pollutionem *p. 710. n. 62 & 63*
An valeat argumentum à fornicatione ad sodomiam? Affirmat Sanchez & probat. *ibid. n. 63 & seqq.*
An D. Thomas & D. Bonaventura consentiant Sanchio? *ibid. n. 65 & seqq.*
Sodomia minùs lædit Matrimonium, quàm fornicatio. *p. 711. n. 69*
Castro extendit legem divortij ad peccatum contra naturam. *p. 712. n. 73*
An hoc peccatum comprehendat hìc pollutionem extraordinariam? *ibid. n. 74 & seqq.*
Resolutio finalis. *ibid. n. 77*
Fornicatio strictè significat solam copulam naturalem. *ibid. n. 77 & seqq.*
Fornicatio non comprehendit negationem debiti. *p. 713 n. 81*
Vir & mulier sunt pares in celebrando divortio. *ibid. n. 82. & 83*
Quare nec Christus, nec jus Canonicum id expresserit de fœminis? *ibid. n. 84*
Quare mulieres rariùs accusent suos maritos de adulterio? *p. 714. n. 84*
Probatur, mulierem posse dimittere virum. *ibid. n. 85 & seqq.*
Vir & mulier non sunt pares quoad accusationem criminalem. *ibid. n. 88. & 89*
An mulier debeat priùs virum admonere, ut abstineat? *p. 715. n. 90. & 91*
Jus divortij non præscribitur. *ibid. n. 91 & 92*
An præjudicet sibi maritus, tacendo per septennium? *ibid. n. 93*
An possit accusare in infinitum? *ibid. n. 94*
Adulterium, ob quod licitum est divortium, debet esse moraliter certum. *ibid. n. 95*
Quando habeatur moralis certitudo? *p. 716. n. 96*
Sufficit violenta præsumptio, secùs probabilis vel temeraria. *ibid. n. 97 & 98*
An sit violenta, quando solus cum sola invenitur in loco abdito? *ibid. n. 99 & seqq.*
Non sufficiunt xenia missa ab adultero; neque si quis glorietur de adulterio. *p. 717. n. 106*
An sufficiant litteræ amatoriæ? *ibid. n. 107*
Quid si quis confiteatur adulterium suum in judicio? sufficit, nisi confessio cedat in præjudicium tertij. *ibid. n. 108 & seqq.*
Quibus testibus probari debeat præsumptio violenta? *p. 718. n. 113*
Innocens divertere potest propriâ auctoritate, quantùm ad redditionem debiti. *ibid. n. 114 & seqq.*
Quid si Ecclesia cogat innocentem reddere? sententia D. Bonaventuræ, & Doct. Angel. *pag. 719. n. 117*
An reddendo efficiatur irregularis? Affirmat D. Thomas. *ibid. n. 118*
Plures docent, dictum præceptum non obligare in conscientia, secluso scandalo; quos sequitur Sanchez. *ibid. n. 119 & seqq.*
An innocens propriâ auctoritate possit divertere quoad habitationem. *p. 720. n. 122 & seqq.*
Probatur pars affirmans. *ibid. n. 125 & seqq.*
Aversa tenet oppositũ Conclusionis. *p. 721. n. 130 & seqq*
Oppugnatur doctrina Aversæ. *p. 722. n. 137*
Sententiam Aversæ videtur docuisse D. Bonaventura. *p. 723. n. 138*
Perperam pro ea citatur Nicolaus Papa. *ibid. n. 139*
An nostra sententia probetur ex Scriptura Matth. 1. *Ioseph &c.*? *ibid. n 140 & seqq.*
Leges, quas allegat Pontius pro sententia Aversæ, possunt intelligi de foro externo. *ibid. n. 142*
In eo foro restituitur adulter dimissus, donec adulterium fuerit probatum. *ibid. n. 143*
Intellige, nisi adulterium foret notorium. *p. 724. n. 144 & 145*
Quod sit hìc adulterium notorium. *p. 724 n. 145 & seqq.*
Quæ ex his sententijs sit probabilior? judicium Herinx. *p. 725. n. 151 & seqq.*
Licet viro suspicanti adulterium observare uxorem, ex Sanchez. *ibid. n. 154. & 155*

An liceat dare occasionem uxori adulterandi? *ibid. n. 156 & seqq.*
Ex sola fornicatione culpabili fit divortium. *p. 726. n. 162*
Debet esse graviter culpabilis. *ibid. n. 163*
Prima causa excusàs à peccato est violètia. *p. 728. n. 164*
Quid si uxor oppressa complacentiam habuerit. *ibid. n. 165*
Quid si dederit culpabilem causam oppressioni? Probatur non sufficere. *ibid. n. 165 & seqq.*
Secunda causa excusans est ignorantia, quæ duplex est. *p. 728. n. 168 & seq.*
Secundum conjugium initum ex præsumptione mortis conjugis, non sufficit ad divortium. *ibid. n. 172*
Quid si tali casu fornicetur? non sufficit, secundum Sanchez. *ibid. n. 173 & seqq.*
Dicastillo putat non improbabile, aliquando licere divortium propter talem fornicationen mulieris. *p. 729. n. 177 & 178*
Non est eadem ratio de fornicatione mariti. *ibid n. 179*
Iudicium Auctoris. *ibidem*
Quare in conclusione addatur, *respectu conjugij &c.*? *ibid. n. 180*
An gravis metus excuset adulterium à divortio? *ibid. n. 181 & seqq.*
An excuset à divortio, quòd altera pars indirectè dederit causam, v. g. injustè subtrahendo alimenta, vel dimittendo? *pag. 731. n. 191 & seqq.*
Vir prostituens uxorem non potest divertere. *p. 732. n. 196 & seqq.*
Si conjux non possit impedire adulterium, scientia non obstet ei. *p. 733. n. 199*
Leno non potest dimittere uxorem suam. *ibid. n 200*
Quis hìc vocetur Leno? *ibid. n. 201*
Etiam fœmina debet impedire adulterium viri, ex Aversa *ibid. n. 202*
An dissimulans, ut possit adulterium convincere, consentiat? *ibidem*
Quid si mulier volens prostituatur? an possit dimitti? *ibid. n. 203 & seqq.*
Infidelis conversus, indebitè respuens cohabitationem infidelis, non potest ei objcere fornicationem. *p. 734. n. 207*
Idem dicendum est de marito coram judice negante Matrimonium. *ibid. n. 208*
Dare occasionem remotam, non est tacitè consentire. *ibid. n. 209 & 210*
Resolutio Auctoris. *ibidem n. 211*
Hìc fit criminum compensatio. *p. 735. n. 212 & seqq.*
An plura adulteria unico compensentur. *ibid. n. 215. & 216*
Qui commisit sodomiam, potest excipere contra adulterium naturale. *ibid. n. 217*
Adulterium publicum compensatur occulto. *p. 736. n. 219*
Adulter occultus non potest in conscientia divertere à publico. *ibid. n. 220*
Qualiter dimittendo peccet, mortaliter, an tantùm venialiter? *ibid. n. 221 & seqq.*
Casus, in quo vir adulter licitè dimittit adulteram, ex Sanchio. *p. 737. n. 225 & 226*
Perinde est, quis priùs peccaverit, vel posteriùs, etiam in foro externo. *ibid. n. 226 & 227*
Quid si prius adulterium fuerit condonatum, an detur compensatio? *ibid. n. 227 & 228*
Quid si adultera solùm pœnituerit, & emendata sit? *p. 738. n. 229 & seqq.*
An sententia divortij transeat in rem judicatam. *p. 738 n. 236 & seqq.*
Ex hoc, quòd sententiâ divortij transeat in rem judicatam, non fovetur peccatum. *ibid. n. 241*
Putat Sanchez, sententiam divortij partim transire in rem judicatam, partim non. *pag. 740. n. 242.*
Probatur, non transire in favorem rei. *ibidem n. 243 & seqq.*
Per falsam sententiam non aufertur hìc obligatio in conscientia. *ibid. n. 247 & 248*
Si uterque mutaverit statum, an possit Matrimonium restaurari. *p. 741. n. 249 & seqq.*
An detur compensatio, quando innocens post sententiam labitur. *p. 742. n. 257*
An fornicatio tam sit injuriosa conjugi post sententiam, quàm antè? *p. 743. n. 264 & seqq.*
Casus, in quo obligatio Matrimonij extincta nunquam reviviscit. *p. 744. n. 271*
An sententia divortij feratur sub conditione, *si innocens continuerit* &c. *ibid. n. 272 & seqq.*
An sit obligatio in conscientia, quod adultera virum suum adulterum repetat, & ille eamdem recipiat? *p. 745. n. 277 & 278*
An conjux possit justè resistere, prætextu Religionis, aut Ordinis. *p. 746. n. 278 & seqq.*
Factus professus vel ordinatus tenetur redire, ex Aversa. *ibid. n. 281*
Non tenetur redire, si peccavit post mutationem statûs, etiam factam antè sententiam, ex Sanchez, quem sequitur Auctor. *ibid. n. 281 & seqq.*
Quid si solùm erat Novitius &c? Tenebitur redire. *ibid. n. 283*
An etiam dos priùs amissa sit restituenda? *ibid. n. 284*
Post pœnitentiam potest quis accusari de adulterio. *p. 747. n. 287 & seqq.*
Quid si vir juraſſet uxori, se eam nō accusaturum? Non posset accusare, secùs denuntiare. *p. 748. n. 291 & 292*
Vir potest uxorem pœnitentem sibi reconciliare, etiam sæpiùs. *ibid. n. 293 & 294*
Sæpè est consilium, mulierem pœnitentem reconciliare. *ibid. n. 294*
Eam sæpiùs relapsam reijcere, non repugnat consilio evangelico. *ibid. n. 295*
An teneatur eam dimittere, quæ perseverat in peccato? *ibid. n. 295 & 296*
Non convincitur absoluta obligatio, per se loquendo. *pag. 749. n. 297 & 298*
Aliquando est obligatio juris naturalis, ex D. Thoma, & D. Bonav. *ibid. n. 299 & 300*
Eis repugnat Sanchez. *ibid. n. 301 & seqq.*
Quid sentiat Auctor? *p. 750. n. 304 & seqq*
Non tenetur quis cum notabili damno divortium facere, ut scandalum impediatur. *ibid. n. 309*
Casus, in quo vir tenetur. *p. 751. n. 310*
Quando excusatur ab expulsione, tenetur alijs mediis vitare scandalum. *ibid.*
Quid de hâc re sentiat Castro. *ibid. n. 311*
Si diffidat, se posse castè vivere, potest eam retinere. *ibid. n. 312*
Et in eo casu intelligendi sunt sancti Patres. *ibid. n. 313*
An præcepta correctionis fraternæ, & vitandi scandali, æquè obligent fœminas ac viros? *ibid. n. 314 & seqq.*
Specialis ratio ex parte mulieris ad corrigendum virum. *p. 752. n. 319*
An ob incertitudinem prolis vir debeat deserere mulierem? *ibid. n. 320. & 321*
Nihil hìc refert, quòd vir sit nocens, secundùm Sanchez. *ibid. n. 322 & 323*
Post condonationem expressam injuriæ adulterij nequit celebrari divortium. *pag. 753. n 325*
An valeat ficta condonatio? Negat Aversa, & Sanchez, in foro conscientiæ. *ibid. n. 326*
An requiratur acceptatio? *ibid. n. 327*
An renuntiatio juris hìc solâ mente facta valeat? *pag. 754. n. 330 & seqq.*
Tenetur adulter conjugi volenti reconciliari acquiescere. *p. 755. n. 335*
Copula scienter & sponte habita est tacita reconciliatio. *ibid. n. 336*
Satis est, quòd cognoscat unum adulterium, etsi plura commissa sint. *ibid. n. 337*
An requiratur scientia omninò certa? *ibid. n. 338*
Debet copula esse spontanea. *ibidem.*
Non est talis, si sit à judice præcepta. *pag. 756. n. 339*
Item, si procedat ex metu. *ibidem.*
Sufficit, quòd metus non sit vanus, juxta Sanchez. *ibid. n. 340*

Quæſcumque compulſio impedit reconciliationem. *ibidem*
Retentio adulteri non ſemper eſt ſignum ſufficiens. *ibid. n. 341*
Quando ſit tale ſignum, ex Sanchez. *ibidem*
Probatur, hæc ſigna poſſe adhiberi ſcienter, & ſponte ſine condonatione. *ibidem n. 342 & ſeqq.*
Requirit Averſa poſitivum animum condonandi. *pag. 757 n. 346 & 347*
Auctor approbat doctrinam Averſæ. *ibid. n. 348*
Qui petijt copulam animo condonandi, poteſt adhuc divertere. *p. 758. n. 349 & 350*
Sic fictè petens debitum ſolùm peccat venialiter. *ibid. n. 351*
Rogatus à judice poteſt negare debitum. *ibid. n. 351. & 352*
Factâ reconciliatione, ſi innocens adulteretur, poteſt dimitti. *ibid. n. 352 & ſeqq.*
An tali caſu poſſit vir agere etiam propter adulterium condonatum. *p. 759. n. 357*
Poſt ſententiam divortij & executionem poſſunt conjuges mutuo conſenſu reconciliari. *ibid. n. 358. & 359*
An adulter poſt divortium teneatur redire, ſi innocens velit? *ibid. n. 360 & ſeqq.*
Non poteſt adulter negare reditum prætextu Religionis ingrediendæ. *p. 760. n. 367*
Innocens ſine licentia adulteri poteſt Religionem profiteri. *p. 761. n. 368 & ſeqq.*
Non eſt jure cautum, licere Ordines ſuſcipere. *pag. 762 n. 375 & ſeqq.*
Epiſcopus debet eſſe difficilis in tali ordinatione. *ibid. n. 378*
An jam dicta liceant antè ſententiam divortij? *ibid. n. 379. & 380*
Ita profeſſus, aut initiatus, ſi reſtituatur, nec petere, nec reddere poteſt debitum. *p. 763. n. 381*
Non licent hæc, ſi eſt periculum incontinentiæ. *ibid. n. 382*
Interrogatus à Monachis, aut Epiſcopo, num ſit conjugatus, tenetur fateri veritatem. *ibid. n. 383*
Proponitur caſus ex Navarro, ejuſque reſolutio ventilatur. *ibid. n. 383 & ſeqq.*
Interrogatus de Matrimonio, ſi nullum eſt periculum damni, poteſt negare, niſi eſſet ſtatutum contrarium in illa Religione. *p. 764. n. 387*
Similiter poſſet reſpondere Epiſcopo. *ibid. n. 388*
Peccaret tamen graviter, juxta Averſam. *ibidem*
Quid in Ordine FF. Minorum circa hoc ſtatuatur? *ibid. n. 389*
Sententia Auctoris. *ibid. n. 390*
Innocente profeſſo, idipſum poteſt adulter, ſed non tenetur. *ibid. n. 391*
Quid ſi & ipſe profeſſus ſit, & diſpenſetur in profeſſione innocentis? *ibid. n. 392*
Si innocens votum caſtitatis emiſerit, an adulter poſſit mutare ſtatum. *p. 765. n. 393. & 394*
Uxor ordinati non eſt domo expellenda. *ibidem*
Diſparitas aliqua inter ordinatum, & eum, qui habet votum ſimplex. *ibid. n. 396*
Adulter antè ſententiam non poteſt mutare ſtatum, priuſquam innocens id fecerit. *ibid. n. 397*
Quid ſi lata fuerit ſententia? nec tunc poteſt, niſi de tacito conſenſu innocentis. *p. 766. n. 398. & 399*
Quid requiratur ad tacitum conſenſum? *ibid. n. 400*
Quando ſciens & tacens cenſeatur conſentire? *ibidem*
Tacitè conſentit, qui ſæpè monitus renuit adulterum emendatum ſibi reconciliare. *ibid. n. 401 & ſeqq.*
Quare ſæpè debeat admoneri? *ibid. n. 404*
An admonitio debeat fieri ab Epiſcopo? *p. 767. n. 405*
Quoties debeat admoneri? *ibid. n. 406*
Uxorem adulteram per judicem ſæcularem intruſam in Monaſterium poteſt innocens intra biennium recipere. *ibid. n. 407*
Ante id tempus non poteſt adultera profiteri. *ibid. n. 408*
Tranſacto biennio, poteſt profiteri. *ibid. n. 409*
An deſideretur prævia monitio? *ibid. n. 410*
Si uxor nondum profeſſa ſit, poſt quodcumque tempus poteſt reconciliari. *ibid.*
Licentia data mutandi ſtatum, re integrâ, poteſt revocari, ſecùs mutatione factâ. *ibid. n. 411*
Non ſufficit mutatio inchoata. *ibid. n. 412*
Qui dedit licentiam vovendi caſtitatem, antè votum emiſſum poteſt eam revocare *pag. 768. n. 413*
An, dum adulter legitimè profitetur, etiam innocens obligetur. *ibid. n. 414*
Quid ſi innocens profiteatur? ad nihil obligabitur adulter. *ibidem.*
Quare innocens non obligetur, profitente adultero? *ibid. n. 415*
Quid diſtet inter petere debitum & exigere? *ibid. n. 416*
Adulter occultus licitè petit debitum. *ibidem*
An etiam licitè exigat? *ibid. n. 416 & ſeqq.*
Licitum eſt divortium ob alias cauſas, quàm adulterium. *p. 771. n. 433*
Non id repugnat verbis Chriſti Matth. 5., quæ intelliguntur de divortio perpetuo propriâ auctoritate, quod non licet, niſi propter adulterium. *ibid. n. 433 & ſeqq.*

DIVORTIUM OB SÆVITIAM, FUROREM &c.

Sævitia eſt juſta cauſa divortij. *p. 772. n. 439 & 440*
An & quomodo liceat ſeparatio propter ſævitiam propriâ auctoritate? *ibid. n. 441*
Sævitia, quæ excuſat à cohabitatione, etiam excuſat à redditione debiti. *ibid. n. 442*
Quid ſi alter conjux dederit cauſam ſævitiæ? nil referre probatur. *p. 773. n. 443 & ſeqq.*
Quæ ſit ſævitia ſufficiens? *ibid. n. 446 & ſeqq.*
Non ſufficit quæcumque mala tractatio de præterito. *ibid. n. 449*
Sufficit malum notabile, quod timetur perſonis cohabitantibus. *ibidem*
Item, quod timetur ab alijs conjugi conjunctis. *p. 774 n. 450*
Præterea ſi timeatur malum ex furore alterius. *ibidem*
Non licet divertere ob furorem, ex quo non timetur malum: ſecùs ſi timeatur. *ibid. n. 451*
Non eſt neceſſarium periculum vitæ. *ibid. n. 452*
Quid ſi vir ſæpius inebrietur cum periculo vitæ uxoris? *ibidem.*
Quid ſi uxor ſic ebria fiat? *ibid. n. 453 & ſeqq.*
An maritus excuſetur à cohabitatione, ſi timeat, quod uxorem occidet? *p. 775. n. 456*
Non ſufficit, quod vir gratiâ dedecoris vitandi velit aliò migrare. *ibid. n. 457 & ſeqq.*
Poteſt præſumi futura ſævitia, ſi vir concubinam teneat, ex Sanchez. *ibid. n. 460*
Quid ſi latro ſit, ac incorrigibilis? *ibid. n. 461*
Quid ſi uxor ſit venefica? *pag. 776 n. 461*
Quid ſi ſubſtantiam viri deprædetur? *ibid. n. 462 & 463*
Factâ ſeparatione ad tempus, causâ ſævitiæ, non licet tranſitus ad Religionem, ſecùs facto divortio perpetuo. *ibid. n. 464*
Non oportet, ut etiam altera pars tranſeat. *ibidem*
Quid ſi factum ſit divortium perpetuum ob furorem? *ibid. n. 465*

DIVORTIUM OB HÆRESIM.

Hæreſis, quæ eſt cauſa divortij, vocatur adulterium ſpirituale, & quare. *ibid. n. 466 & ſeqq.*
Hæc poteſt ſufficere ad dimiſſionem. *p. 777. n. 469*
Eſt communis ſententia intellecta de divortio ad tempus. *ibid. n. 469 & ſeqq.*
An & quando illa dimiſſio ſit præcepta. *ibid. n. 472. & ſeqq.*
An ſit lex aliqua generalis concedens divortium temporale? *ibid. n. 476*
An Chriſtus nomine fornicationis etiam ſpiritualem intellexerit. *ibid. n. 477 & 478*
Solum divortium, quod hîc ſit judicio Eccleſiæ, eſt perpetuum. *p. 779. n. 479*
Hoc divortium eſt pœna. *ibidem n. 479 & 480*
Quid ſi Catholicus, facto divortio, nollet intrare Religionem, an debeat compelli ad conjugem emendatum redire? *ibid. n. 481 & ſeqq.*
Quare conjux Catholicus non poſſit propriâ auctori-

tate in perpetuum discedere, secùs judicio Ecclesiæ? p. 780 n. 486 & seqq.
Quando hæc separatio judicio Ecclesiæ? p. 781. n. 492 & seqq.
Si Hæreticus reconciliatus sit absque sententia, an possit Catholicus divertere? pag. 783, n 502 & seqq.
Licet divortium propter hæresim ab Episcopo in foro conscientiæ absolutam. ibid. n. 504. & 505
An Reus, qui post sententiam deseritur, possit tranire ad Religionem? ibid. n. 506
Conjux Catholicus potest reconciliari Hæretico tribus modis. p. 784 n. 507. & 508
An copula sponte habita sit hîc condonatio? ibid. n. 508 & seqq.
Catholicus scienter contrahens cum Hæretico non potest celebrare divortium, nisi nova causa supervenial? & quæ ista? p. 786. n. 519. & 520
An Hæreticus renuntiaverit juri suo, si contraxerit cum Hæretico. ibid. n. 521. & 522
An Hæreticus judicio Ecclesiæ possit divertere ab Hæretico? ibid. n. 522 & seqq.
An hîc sit locus compensationi? p. 787 n. 528 & seqq.

DIVORTIUM OB SCANDALUM ET ALIA CRIMINA

Scandalum est justa causa divortij temporalis. pag 790 n. 543 & seqq.
An hîc sit differentia facienda inter inductionem in hæresim, & alia crimina? ibid n 545 & seqq.
Potest divertere, qui sollicitatur ad alia crimina. p. 791 n. 550
An pro semper? negat Sanchez, & Aversa. ibid. n. 550 & 551
Perinde est, sive vir sollicitet, sive mulier. p 792. n. 552 & seqq.
Non est necesse, ut conetur pertrahere ad idem suum crimen ibid n 555
Quid si vir uxorem alat ex rebus injustè acquisitis? Negat Sanchez, eum posse dimitti. ibid. n. 556
An uxor debeat monere virum, ut restituat? ibid. n. 557
An debeat vivere ex suis bonis, si ea habeat? p. 793. n. 557 & 558
An copula sodomitica, tentata cum propriâ uxore, sit causa perpetui divortij? ibidem n. 559
Quid hîc faciendum Judici in foro externo? ibid n. 560
An sufficiat sola assertio mulieris? ibid. n 560 & seqq.
An ex jure Canonico recte arguatur, ob alia crimina, quàm adulterium aut sodomiam, posse dimitti conjugem; ibid. n. 562 & seqq.

DIVORTIUM EX MUTUO CONSENSU.

Possunt per se loquendo, conjuges ex mutuo consensu separari, imò vovere continentiam. pag. 794. n. 566. & 567
Per accidens potest esse illicitum utrumque. ibid. n. 567 & 568
Nequit tamen unus Religionem profiteri, nisi reliquus perpetuam continentiam promittat, & sit talis ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. ibid n. 569. & 570
An votum illud continentiæ, conjugis manentis in sæculo, fiat solemne, eò ipsò quòd alter profitetur; ac proinde irritum reddat Matrimonium cùm hoc voto contractum post obitum ejus, qui professus fuit? pag. 795. n. 571 & seqq.
Quid hîc intelligatur per transitum uxoris ad Religionem? p. 796. n. 577 & seqq
An sufficiat assumere habitum Equitum D. Ioannis? ibid. n. 579
An fœminis etiam liceat ingredi monasterium S. Jacobi; ibid n. 580
Quid requiratur ad licitam viri Professionem; ibid. n. 581
An idem sufficiat ad Professionem uxoris; ibid. n. 581 & 582
An conjux senex suspectus, & juvenis non suspectus possint manere in sæculo. pag. 797. n. 582 & seqq
Quæ ætas careat suspicione incontinentiæ. ibid. n. 586 & seqq.
Quid si senex non servet votum continentiæ? cogetur ingredi Monasterium: Nunquid etiam profiteri? p. 798. n. 591 & 592
Quid si alius vitiis vacet? Resolutio Abbatis. ibid. n. 593
An debeat compelli intrare Monasterium? ibidem.
Quid si voto unius emisso, Professio alterius non subsequatur? p. 799. n. 594
Quid si Professionem factam absque licentia alter velit ratificare? sufficit, ut castè vivat in sæculo, juxtà Abbatem ibid. n. 594. & 595
An sit necessaria licentia Episcopi; ibid. n. 596 & seqq
Matrimonio illæso, invalida est Professio unius sine licentia alterius. p. 800. n. 600 & seqq
An conjux revocatus possit petere debitum? ibid. n. 603
Cum licentia alterius valet Professio. p 801. n. 607 & seqq
An rectè putet Abbas, per solam mortem uxoris validari Professionem? p. 802. n. 611 & seqq.
An per revocationem irritetur votum simplex Religionis in casu proposito. ibid n 615
Quare votum castitatis in dicto casu partim obliget, & nō votum Religionis? ex Sanchez. ibid n 616 & seqq
Glossa docet, non obligare dictum votum Religionis post mortem conjugis. p. 803. n. 619
Consonat Doctor Seraphicus. ibid. n. 620 & seqq.
Ita invalidè professus potest exire, invitâ uxore. p. 804 n 623 & seqq.
Hæc sententia videtur Pontio difficilis. Et requirit judicium Ecclesiæ. p 805. n. 628 & seqq
Quid si post Professionem, sine licentia factam, coniux consentiat? Sanchez ait, adhuc posse exire, & probat. p. 806. n. 638
Loquitur Sanchez in foro conscientiæ. ibid n. 639
An conjux in sæculo relictus possit, eo invito, Religionem ingredi. ibid. n. 639 & seqq.
Quid si uterque Religionem ingrediatur? p 807. n. 642
Quid si manens in sæculo adulterium commiserit post Professionem? Probat Sanchez, Professum adhuc posse exire. ibid. n. 643 & 644
An Glossa doceat oppositum? ibid. n 645 & 646
An licentia profitendi dolo extorta sit nulla? ibid. n. 647 & seqq.
Licentia gravi metu extorta est nulla. pag. 808. n. 652 & 653
Vir de licentia uxoris in sæculo remanentis validè professus, & revocatus, tenetur post mortem eius ad ad monasterium reverti. ibid. n. 654 & seqq.
Quid de hac re cautum sit in Regula FF. Minorum? p. 809. n. 659
Scotus videtur requirere licentiam Episcopi. ibid.
Quid si mulier sit Juvenis, aut suspecta? non est locus revocationi, juxtà Sanchez, si votum emiserit. ibid n. 660
Quid si nullum votum emiserit? Idem dicendum, juxtà Sanchez, si fuit juris conscia. p. 810 n. 661
Aliqui oppositum asserunt, quibus adhæret Pontius. ibid. n. 662 & seqq.
Nequit tali casu professus propriâ auctoritate exire. p. 811. n. 666
Si res est integra; potest licentia revocari. ibid. n. 667
Limitatio ex Sanchez. ibidem
Quid faciendum, quoties non datur revocatio? ibid. n. 668
An debeat manere in monasterio? ibid. n. 669
Vir in Episcopum ordinari non potest, nisi Religionem profiteatur. ibid. n. 670 & seqq.
An sit eadem ratio Cardinalatûs? pag 812 n. 673
Ut ordinetur sacerdos, jus commune exigit solam professionem continentiæ. ibid n. 674. & seqq.
Conjugatus non potest initiari sacris sinè licentia uxoris. p. 813. n. 683
Peccat mortaliter, qui aliter initiatur, estò animo intrandi Religionem. ibid n. 684
An aliter initiatus debeat intrare Religionem? ibid. n. 685
Absque petitione uxoris non est restituendus. p. 814. n 685
Ad instantiam ejus restitutus nequit petere debitum, tenetur tamen reddere, estò foret electus Pontifex; intellige post Matrimonium consummatum. ibid. n. 687 & 688

Potest conjugatus ex dispensatione Papæ initiari sine licentia uxoris. *ibid. n. 289*
An sufficiat hîc tacita licentia. *ibid. n. 690 & 691*
Quid si uxor expressè consentiat, non tamen voveat continentiam? *p. 815. n. 692 & seqq.*
An supposito consensu & voto, mulier post votum ordinati valeat aliud Matrimonium inire? *ibid. n. 695 & seqq.*
Iudicium Auctoris. *pag. 817. n. 709*
An Minores Ordines possint recipi sine licentia conjugis? *p. 818. n. 710 & seqq.*
Vir promotus ad Ordines sacros, remanens in sæculo, tenetur alere uxorem. *p. 819. n. 718*
Ideòque traditur ei dos. *ibid.*
Si mulier temerariè recedat, cessat hæc obligatio, secùs, si ex culpa viri. *ibid. n. 719 & 720*
Mulier recedens ob nimiam castigationem, alenda est. *ibid. n. 721*
Non sufficit quilibet excessus, juxta Sanchez. *pag. 820. n. 721*
Quid si mulier sit parata redire, & vir nolit eam recipere. *ibid. n. 722*
Quid si mulier ob hæresim in carcerem perpetuum includatur? debet ali, nisi celebretur divortium. *ibidem n. 723*
Quæ ob justam causam seorsim habitat, est alenda. *ibid. n. 724*
Maritus inops non tenetur uxorem alere. Ipsa dives tenetur maritum alere. *ibid. n. 724. & 725*
An ipsa teneatur solvere debita viri inopis? *ibid. n 725 & 726*
Inopia non extinguit obligationem alendi uxorem, sed suspendit. *p. 821. n. 727 & seqq.*
Quid si mulier pecuniam acceptam à viro, tradendam creditoribus, expendat in familiæ sustentationem? *ibid. n. 730*
Doctrina quædam Navarri ad hoc propositum. *ibid. n. 731*
Non solutio dotis excusat ab alimentatione. *ibidem n. 731 & 732*
Si pars dotis solvatur, tenetur pro rata alere. *p. 822. n 732*
Limitationes hujus sententiæ, ex Sanchez. *ibid. n. 733 & 734*
Opinio Aversæ, virum teneri pro parte, propter alia obsequia mulieris. *ibid. n. 735*
Imò aliquando ex toto, propter impotentiam solvendi, quicumque sit, qui promiserit, juxta Aversam. *ibid. n 736*
Quid si mulier privata fuit dote ob suam culpam? Vir tenetur alere, si parentes sint pauperes; secùs si divites, juxta Sanchez. *ibid. n 737. & 738*
Aversa docet absolute teneri maritum *pag. 823. n 738 & 739.*
Quid si vir duxerit uxorem divitem indotatam? *ibid. n. 740*
Iudicium Auctoris. *ibid. n. 741*
Vir promotus ad Ordines sacros, remanens in sæculo, tenetur alere uxorem. *ibid n. 741 & seqq.*
Vir innocens non tenetur alere uxorem adulteram. *ibid. n. 744*
Sanchez id intelligit in foro conscientiæ, si est adultera occulta. *pag. 824. n. 744*
Abbas indistinctè loquitur. *ibidem.*
Quidam oppositum tenent. *ibid. n. 745*
Iudicium Auctoris. *ibidem.*

E

ECCLESIA.

Ecclesia potest ponere Impedimenta. *p. 5. n. 24. & 25*
Probatur, rationem sacramenti non subijci auctoritati Ecclesiæ. *ibid. n. 27. & 28*
Ecclesia disposuit, panem in Eucharistia debere esse azymum. *p. 6. n. 32*
Quare matrimonium hodie subjectum sit legibus Ecclesiæ. *ibid. n. 34 & seqq.*
Potestas Ecclesiæ non extendit se ad Infideles. *p. 7. n. 37*
Communis sensus Doctorum, & consuetudo reservat Impedimenta Matrimonij Ecclesiæ. *p. 15. n. 86.*
Ecclesia potest indirectè impedire potestatem Ordinis. *ibid. n. 87*
Ecclesia discernit de dispensatione Sacramentorum. *ibid. n. 89*
Leges Matrimoniales Ecclesiæ pleræque sunt personales. *p. 16. n. 95*
Universus orbis est territorium Ecclesiæ in spiritualibus. *ibid. n. 96*

ELECTIO.

Electionem facere invalidam est grave peccatum. *pag. 36. n. 228*

EPISCOPUS.

Episcopi non possunt obligare universam Ecclesiam *p. 17. n. 103*
Nequit Episcopus nova impedimenta dirimentia instituere. *p. 18. n. 105 & seqq.*
Potestas indirecta circa res temporales non est concessa Episcopis. *ibid. n 108*
Negatur, Episcopis non competere potestatem indirectam circa Matrimonium. *ibid. n. 110*
Oportet ostendere, ubi Papa negaverit potestatem impedimentorum Episcopis. *p. 19 n. 111*
Ostenditur ex Consuetudine. *ibid n. 112*
Quando Episcopus possit dispensare in lege Pontificia. *p. 64. n. 150*
Expenditur istud axioma: *Episcopus potest in suo Episcopatu, quidquid Papa in Ecclesia, nisi prohibeatur.* *pag. 65. n. 160. & 161*
Iudicium Auctoris. *pag. 66. n. 162 & 163*
In quibus legibus Pontificiis dispensent Episcopi. *ibid. n. 165*
Quare Episcopi dispensent in Festis, Ieiuniis, & similibus. *ibid n. 166*
Item: quando res est parvi Momenti. *ibidem*
Alii duo casus, in quibus possunt dispensare. *ibid. n. 167*
Probatur, Episcopum posse dispensare in ætate. *pag. 493. n. 105. & seqq.*
Quid Episcopus possit in dubio? *p. 494. n. 112 & seqq.*
Quare minus possit Episcopus dispensare in impedimento dubio, quam absolvere à peccato dubio reservato? *pag. 495. n. 117*
Quando Episcopus possit dispensare ex tacitâ concessione Papæ? *ibid. n. 118*
Utique in casu necessitatis: estque communis opinio. *ibid. n. 119*
Cordubensi videtur opposita sententia probabilior, cujus ratio ventilatur. *ibid. n. 120 & 121*
Communis opinio sæpiùs hodie practicatur. *p. 496. n. 122. & 123*
Utrùm hæc potestas concedatur Episcopis per Tridentinum? *ibid. n. 124*
Videtur quod nulla extet expressa concessio, sed hæc non est necessaria exemplo aliorum præceptorum. *ibid. n. 124. & 125*
Datur aliquando perplexitas in lege Dei & Ecclesiæ. *ibid. n. 126*
Declaratur in præsenti casu. *ibid. n. 127*
Corduba admittit, quod in casu præsenti Ecclesia posset non obligare cum periculo vitæ *p. 497. n 129*
Quid doceat communis sententia? *ibid. n. 130 & seqq.*
An hîc valeat argumentum ab absolutione in extremis? *ibid n 134 & seqq.*
Finalis resolutio. *pag. 498. n. 137*
Quandonam impedimentum hîc sit occultum. *ibid. n. 137. & 138*
Quare non procedat hæc sententia, quando Impedimentum est publicum? *ibid n. 139*
Quando est occultum Matrimonium, non est gravis necessitas. *ibid n 140*
Requiritur, ut Papa faciliè adiri non possit. *p. 499. n. 141*
An Episcopus suis sumptibus debeat Româ procurare dispensationem? *ibid. n. 141 & seqq.*
Causa alia recurrendi ad Episcopum. *ibid. n. 144*
Quid hîc oporteat Episcopum expendere? *ibid n. 145*
Perinde est, sive unum, sive plura impedimenta occurrant, ex Sanchez *ibid. n. 146*
Quid sentiat de hâc re Aversa? *pag. 500 n. 147*
Quid si Matrimonium contractum fuerit in gradibus prohibitis malâ fide? Quidam negant, Episcopum posse dispensare, per Trident.

Trid. sess. 24. de Matr. c. 5. *ibidem n.* 148
Idem dicendum, si solemnitates fuerint neglectæ. *ibid. n.* 149
An sufficiat mala fides unius. *ibid. n.* 149 *& seqq.*
Aliqui putant, neutrius parentis bonam fidem esse necessariam. *p.* 501. *n.* 153 *& seqq.*
Iudicium Auctoris. *ibid. n.* 156
Responsio Dicast.: ad Trid. ipsum loqui pro foro externo, & in casu, quo ex mera benignitate Ecclesiæ dispensatur. *ibid. n.* 157 *& seqq.*
An hic sufficiat necessitas privata. *p.* 502 *n.* 159 *& seqq.*
Episcopus potest dispensare in eo casu, in quo posset Papa, non obstante eo Decreto. *ibid. n.* 163
Quæ hic sit mala fides? ex Sanchio. *ibid. n.* 164
Exemplum ex eodem, in quo potest Episcopus dispensare in Impedimento Matrimonij dirimenti, antequam Matrimonium contrahatur. *ibid. n.* 165. & 166
Aliud exemplum, ex Pontio, ventilatur. *p.* 503 *n.* 166 *& seqq.*
Probatur hæc sententia. *ibid. n.* 169 *& seqq.*
Optima probatio conclusionis tacita voluntas Papæ. *p.* 504. *n.* 175
Nequit dispensare Episcopus, quando adest, qui expressam habet licentiam. *ibid. n.* 176 *& seqq.*
Qui hîc habeant expressam concessionem Papæ. *p.* 505 *n.* 179
Episcopus non potest dispensare in omnibus impedimentis tantùm prohibentibus. *p.* 512. *n* 222
An excipienda sint sponsalia? *ibid. n.* 222 *& seqq*
Iudicium Auctoris *p.* 513. *n.* 227
Vide *Dispensatio. Imped. Matr.*

IMPEDIMENTUM ERRORIS ET CONDITIONIS SERVILIS.

Quis error irritet Matrimonium. *pag.* 90 *n.* 4
Error servitutis est impedimentum dirimens *ibidem.*
Mancipia possunt valide contrahere de consensu Dominorum. *p* 91. *n.* 6
An etiam sinè consensu? *ibid. n.* 7. & 8
Probatur, servos sine consensu Dominorum posse contrahere, ex Cap. 1. de Conjug serv. *ibidem n.* 9
Probatur, Dominum non posse prohibere servo Matrimonium. *p.* 92. *n.* 15 *& seqq.*
Cur Dominus magis possit prohibere Ordinem aut Religionem, quàm Matrimonium? *ibid. n.* 17. & 18
Duæ rationes pro veritate conclusionis, ex Scoto. *ibid. n.* 19
Qui existimat, eas non esse efficaces. *pag.* 93. *n.* 20. & 21
Conatur Sanchez satisfacere Scoto. *ibid. n.* 22
Iudicium Auctoris. *ibid. n.* 23
Ex voluntate Ecclesiæ oritur hîc disparitas inter Ord. Professionem, & Matrimonium, ex Pontio. *ibid. n.* 24
Dominus concedens servo Matrimonium, quomodo sibi præjudicet, ex Scoto. *ibid. n.* 25
Quomodo servus possit contrahere, Domino invito, ex Scoto. *p.* 94. *n.* 26 & 27
Matrimonium non repugnat omninò operibus servilibus. *ibid. n.* 28
Graviter peccat Dominus, qui directè impedit servum à Matrimonio. *ibid. n.* 29
Potest subtrahere beneficia gratuita. *ibidem*
An Dominus debeat consentire Matrimonio servi. *ibid. n.* 30
An possit aliò mittere, ut impediat? ex Sanchez. *ibidem*
Potest, si sponsalia nondum inita sint. *ibid. n.* 31 *& seqq*
Etiam obsequia servi non consueta debentur Domino. *pag* 95. *n.* 33
Non potest Dominus quælibet obsequia servi postulare. *ibid. n.* 34
Servus potiùs copulam debet uxori, quàm Domino inconsueta obsequia; secùs obsequia consueta. *ibid. n.* 35
An Dominus licitè mittat servum aliò, estò uxor non possit eum sequi? *ibid. n.* 36
Scotus putat, id non esse injustum. *ibid. n.* 36 *& seqq.*
Scotum sequitur Dicastillo. *pag.* 96. *n.* 41
Ius uxoris præcedens non impedit servitia Domino præstanda. *ibid. n.* 41 *& seqq.*
Jus uxoris non obstat servituti, nisi Dominus positivè consenserit. *ibid. n* 45
Quid si merè negativè consentiat? Probatur, id non sufficere. *ibid. n.* 46
Sententia D. Thomæ de hac controversia, Dominum non posse vendere servum cum damno uxoris. *pag.* 97. *n* 47
Probatur ex Sanchez per diversa jura. *ibid. n.* 48 *& seqq*
Idem videtur sentire D. Bonaventura. *ibid. n.* 51
Quando uxor præferenda, & quando Dominus? Dominus, si non consensit, aliàs uxor. *ibid. n* 52. & 53
Aliqui putant, communiter morem esse gerendum conjugi petenti. *p.* 98 *n.* 54
Fundamentum sententiæ, quæ asserit, servum posse mitti ad extraneas partes. *ibidem n* 55
Sanchez ait; valde dubium esse. *ibid. n* 56 *& seqq.*
Potest Matrimonium servi esse liberum, estò non foret liber usus. *p.* 99 *n.* 60 *& seqq.*
Servus non est omninò sui juris ad Matrimonii contractum, ex Sanchez. *ibid. n.* 63
Non minùs est homini naturalis libertas, quàm potestas contrahendi Matrimonium. *ibid n* 64
Potest ius naturale Matrimonium impedire. *p.* 100. *n.* 65. & 66
Lex iustitiæ dictat, potiùs Domino, qui non consensit, obediendum esse, quàm uxori. Secùs aliquando lex charitatis. *ibid. n.* 66. & 67
Conciliantur doctrinæ, quæ videntur esse contrariæ. *ibid. n.* 68
Auctor admittit obligationem charitatis, Sanchez etiam iustitiæ. *ibid. n.* 69. & 70
Vir potest se venundare in servum, renitente uxore, ex Sanchez. *ibid n.* 71
Estque sententia D. Thomæ, & D. Bonaventuræ. *ibid. n.* 72. & 73
Oppositam sententiam sustinet Hiquæus. *pag.* 101. *n.* 74. & 75
An qui se vendidit, possit repeti ab uxore, ac si venditio fuisset invalida? *ibid. n.* 76
Affirmat Greg. Lopez, etsi non impediat usum Matrimonii, juxtà legem particularem Regni Hispaniæ *ibid. n.* 77
Quid sit de iure communi? *ibidem*
An venditio sine causa sit contra iustitiam? Negat Sanchez. *ibid. n.* 78
Contra arguitur ex Hiquæo, & probatur iniustitia. *ibid. n.* 79 *& seqq.*
Existimat hîc Auctor, talem servum non posse venundari in partes remotas. *pag.* 102. *n.* 83
Ratio Sanchii in oppositum expenditur. *ibid. n.* 84
Iure naturæ est irrita venditio coniugis in servum, renuente alterâ parte, iuxtà Pontium, & alios. *ibid. n.* 85 *& seqq.*
Potest Dominus talem servum aliò vendendum mittere, quando uxor potest commodè sequi. *pag.* 103 *n.* 89 *& seqq.*
Sub qua consideratione dicta sit mortalis iniustitia? *ibid. n.* 92.
An illa venditio sit causa sufficiens negandi debitum, & cohabitationem, ex Hiquæo. *ibid. n.* 93. & 94
Ex quibus causis venditio sui possit esse iniusta? *p.* 104. *n.* 95
Venditio uxoris sine consensu viri est iniusta. *ibid n.* 96 & 97
An servi teneantur petere consensum Domini? non videtur esse stricta necessitas. *ibid. n.* 97 *& seqq.*
Servitus non repugnat substantiæ Matrimonii. *Pag.* 105 *n.* 100
D. Thomas comparat servitutem naturali impotentiæ. *ibid n.* 101
An servitus scita dirimat Matrimonium? *ibid. n.* 102 *& seqq.*
Valeret Matrimonium, etsi Dominus pro semper posset impedire eius usum. *pag.* 106. *n.* 107. & 108
An servitus scita sit impedimentum prohibens? *ibid. n.* 109
Matrimonium liberi aut liberæ ignoranter contractum cum Mancipio non valet *ibid. n.* 113 *& seqq*

Quare

Quare magis servitus ignorata, quàm scita, dirimat? ex D. Bonav. p. 107. n. 117
Ubi Ecclesia statuerit hoc impedimentum? ibid. n. 119
An usus Ecclesiæ satis probat hoc statutum? ibid. n. 120
Probatur, servitutem solo iure Ecclesiastico irritare. ibid. n. 121 & 122
Hæc sententia videtur esse D. Thomæ. pag. 108. n. 123 & seqq.
Quid de hac controversia sentiat Scotus? videtur servitutem ponere impedimentum naturale. ibid. n. 126 & seqq.
Hæc sententia Scoti est valdè probabilis, & videtur etiam esse D. Thomæ. p. 109. n. 131 & seqq.
Certum est, errorem servitutis dirimere, incertum, quo jure. p. 110. n. 144
Fortè Scotus non discordat à D. Thoma & D. Bonaventura. ibid. n. 145
An hîc sit eadem ratio Matrimonij fidelium & infidelium; p. 111 n. 146
An crassissima ignorantia servitutis irritet? Pars affirmans probatur à Sanchio. ibid. n. 147 & seqq.
Quæ sit hîc ignorantia affectata? p. 112. n. 151
Hanc etiam irritare, probant etiam rationes Sanchij. ibid. n. 152
Opinio Aversæ de hac re expenditur. ibid. n. 153 & 154
Probatur, ignorantiam affectatam non irritare. ibid. n. 154 & seqq.
Quando sic contrahens non peccet, & Matrimonium valeat? quando non valeat? pag. 113. n. 156 & seqq.
An sufficiat solus animus contrahendi, etsi foret serva? ibid. n. 161
An reportet commodum ex sua malitia, qui affectatè ignorans contrahit cum mancipio? p. 114. n. 162 & seqq.
Ponitur Casus Quæstionis. ibid. n. 166
Iura non requirunt formalem injuriam. ibidem.
An hîc sit dolus materialis? ibid. n. 67
Quid si solus contrahens ignorabat servitutem? ibid. n. 168
An alleganti ignorantiam hîc incumbat probatio? p. 115. n. 169 & 170
Quæ fœmina appelletur liberta? ibid. n. 171
Valet Matrimonium cum liberta. ibid. n. 171 & 172
Quid si libertas foret tantum temporalis. ibid. n. 173 & seqq
Valet Matrimonium cum eo, cui in ipso contractu, vel per ipsum contractum decreta est libertas. pag. 116. n. 175
Quando ancilla per Matrimonium acquirat libertatem ibid. n. 176
An requiratur sententia judicis? ibid n. 177 & seqq
Quare Dominus, qui tacet, privetur Dominio servi? p. 117. n. 181
Non sufficit quæcumque taciturnitas. ibid. n. 182
Requiritur insuper dolus. ibid. n. 183
Ignorantia crassa excusat, ex Sanchez. ibidem.
An desideretur sententia Judicis? ibid. n. 184 & seqq.
An jam dicta locum habeant etiam in servo adscriptitio? p. 118. n. 189 & seqq.
Per Matrimonium, quod aliàs valet, mancipium non accipit libertatem. pag. 119. n. 196 & 197
Quid si Dominus constituat servo dotem, vel donationem propter nuptias? ibid. n. 198
Ancilla fit libera per constitutionem dotis, estò liber foret conscius servitutis, secundùm Sanchez. ibid. n. 199 & seqq.
An sicut Ancilla, ita & servus fiat liber? ibid. n. 202. & 203
Sententia Auctoris. ibidem.
Quid si ipse Dominus ducat suam ancillam? Sanchez putat, non consequi libertatem, attento jure communi. p. 120. n. 204. & 205
Idem docet Covarruvias. ibid. n. 206
Iure Regni Hispaniæ contrarium disponitur. ibidem n. 207
Explicatur illud jus. ibid. n. 208
Pontius putat, libertatem competere ancillæ jure communi. ibid. n. 208 & seqq.
Status servitutis non repugnat statui Matrimonij. pag. 121. n. 212
Matrimonium ex se extinguit servitutem, quoties ingenuus nubit servo, juxtà Pontium. ibid n. 213
Quare servitus cognita non dirimat, ex eodem. ibid. n. 214
Quomodo Matrimonium rapiat ancillam ad ingenuitatem? ibid. n. 215 & 216
Matrimonium cum propria ancilla per se valet. pag. 122. n. 216
An valeat Matrimonium contractum cum servo ab ignorante, dum ipse consequitur libertatem? ibid. n. 217 & seqq.
An valeat Matrimonium cum ancilla statulibera? ibid. n. 220
Quis sit statuliber? ibid. n. 221
Non valet, ignoratâ servitute, nisi modicum tempus deficiat, secundùm Sanchez. ibid. n. 222 & seqq.
Existimat ipse, talem personam pro modico illo tempore non esse servam. p. 123. n. 225 & seqq.
An talis ancilla possit vendi medio tempore? p. 124. n. 229 & seqq.
Quid hîc sit modicum tempus? ibid. n. 232 & seqq.
An valeat Matrimonium inter liberum & liberam, quæ post modicum tempus futura est ancilla? p. 125. n. 237
Error melioris conditionis, vel æqualis, non dirimit Matrimonium, ex Scoto. ibid. n. 238 & seqq.
An copula sufficiat ad ratificandum Matrimonium post cognitam servitutem? p 127. n. 251
Qualis cognitio requiratur? ibidem
An, lite pendente, debeat Ecclesia libero præcipere copulam? ibid. n. 252
An liber teneatur ad mandatum Ecclesiæ? ibidem.
Satis videtur, quòd possit reddere. ibid. n. 253
Matrimonium invalidum ex errore conditionis potest revalidari verbo, vel facto. ibid. n. 254
Tale factum est copula habita affectu maritali. ibidem.
Ecclesia præsumit talem affectum. ibid. n. 255
An serva ad petitionem liberi teneatur Matrimonium revalidare? ibidem.
Si fecerit dolum, potest cogi per judicem. ibid. n 256
Ad quid teneatur antè sententiam? p. 128. n. 257
Sæpè unus sponsorum resilire potest, & non alius. ibidem.
Qualiter deceptor hîc non possit resilire. ibid. n. 259
Deceptus potest resilire aliquâdo propriâ auctoritate, aliquando non: tametsi foret notoria ignorantia servitutis. ibid. n. 260. & 261

ESPARSA.

Esparsa putat, per Institutionem Sacramenti evanuisse Materiam potestatis naturalis: ac proinde jure divino deesse Principibus potestatem. p. 11. n. 59. & 60
Idem Auctor negat, rationem contractûs posse separari à ratione Sacramenti. ibidem n. 61

EXCOMMUNICATIO. EXCOMMUNICATUS.

Quædam Impedimenta inducunt Excommunicationem ipso facto. pag. 41. n. 264
Excommunicatio nõ excusat à redditione debiti conjugalis. pag. 32. n. 233
An excommunicatus nequeat petere debitum? ibid. n. 234 & seqq.
An sit illicitum contrahere cum Hæreticis propter excommunicationem, vel statum peccati mortalis? p. 457. n. 192
Excommunicatio non obstat firmitati Matrimonij. ibid. n. 193. & 194
Quid si foret Hæreticus notorius. ibid n. 195
An lex charitatis obliget ad non contrahendum cum excommunicato? ibid. n. 195 & seqq
Vide *Usus Matrimonij*

F. FIDELIS

F

FIDELIS.

Dubitatur, an, quando fidelis est reus, causa Matrimonij pertineat ad Iudicem Ecclesiasticum. *pag. 9. n. 48*

FIDES PACTIONIS

Quid sit fides pactionis? *pag. 42. n. 5.*

FRATRES MINORES.

Si Dies Omnium Sanctorum occurrat feriâ sextâ, tenentur Fratres Minores jejunare. *pag. 71. n. 201*

FURIA. FURIOSUS

Qualiter Furia impediat Matrimonium. *pag. 109. n. 129*

H

HÆRETICUS.

Quid intelligatur per Hæreticos. *p. 458. n. 202*
Sententia Marchant, Hæreticos exemptos esse à legibus Ecclesiæ. *p. 459. n. 203*
Reprobatur à Lugone. *ibid. n. 204 & 205*
Impedimentum Raptûs obligat Hæreticos. *ibid. n. 207*
Privilegia dispensandi cum Hæreticis conversis in Impedimentis Matrimonij, ex Bonagratia. *p. 459 n. 206*
Hæretici possunt suscipere & ministrare verum Sacramentum. *p. 460. n. 211. & 212*
Hæretici non sunt liberi à Lege Ecclesiastica. *p. 462. n. 220*
Non observatio legis ex contemptu non abrogat legem. *ibidem.*
Talis communiter est non observatio apud hæreticos, & ideò non abrogat leges Ecclesiæ. *ibid. n. 221 & seqq.*
Vide *Impedimentum Disparis Cultûs. Cognatio spiritualis, Excommunicatio &c.*

HERMAPHRODITUS

Quis dicatur Hermaphroditus? *pag. 422. n. 529*
Cujus sit judicare, uter sexus prævaleat. *ibid. n. 530*
Si prævaleat sexus fœminæ, comparabitur fœminæ. *ibid. n. 531*
Vide *Impedimentum Impotentia. Ordinare.*

PUPLICA HONESTAS. IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

Quid sit publica honestas, ex D. Thoma. *p. 250. n. 1*
Est potiùs descriptio, quàm quidditativa ratio, ex Perez. *ibidem*
Ratio ejus quidditativa, quam adducit Perez, non videtur esse magis adæquata, quam prior. *ibid. n. 2. & seqq.*
Duplex est hîc honestas. *ibidem n. 4*
Impedimentum, quod oritur ex Matrimonio, est honestas. *p. 251. n. 5*
An ex Matrimonio rato tantùm oriatur naturale vinculum amicitiæ, ex Sanchez. *ibid. n. 6*
Honestas illa durat post Baptismum, dummodò Matrimonium infidelium fuerit validum. *ibid. n. 6 & 7*
An idem dicendum de honestate, quæ oritur ex sponsalibus? Negat Sanchez. *ibid. n. 8*
Coninck putat probabiliùs, neque ex Matrimonio inter infideles oriri vinculum. *ibidem n. 9*
Ejus probationes expenduntur. *ibid. n. 9. & 10*
Fortius est vinculum, quod oritur ex Matrimonio rato, quàm quod ex sponsalibus. *pag. 252. n. 11*
Dirimit solo jure Ecclesiastico. *ibid. n. 12*
Sanchez putat vix reperiri jus scriptum. *ibidem.*
Pontius adducit varia jura, quæ expenduntur. *ibid. n. 13 & seqq.*
Consentit Martinus Perez. *p. 253. n. 17*
Parùm refert ad praxim, quæ sententia vera sit, Pontij, an Sanchij. *p. 254. n. 26*
An restricta sit honestas per Tridentinum ad Matrimonium validum? Patet quòd non ex Bulla Pij V. *ibid. n. 27*
Hoc Impedimentum in nullo gradu dirimit jure naturæ. *ibid. n. 28*
Dirimit jure Ecclesiæ usque ad quartum gradum. *p. 254. n. 29 & seqq.*
Ex Matrimonio irrito quâcumque ex causâ, modò non sit ex defectu consensûs, oritur hoc Impedimentum. *ibid. n. 33 & seqq.*
Quando Matrimonium sit irritum præcisè defectu consensûs. *pag. 256. n. 38*
Non est sic irritum, quando obstat Religio &c, dummodò consentiat quantùm est in se. *ibid. n. 39*
An talis consensûs requirat ignorantiam impedimenti *ibid. n. 40. & 41*
An cum notitia impedimenti adsit fortior consensus, an cum ignorantia? *pag. 257. n. 42*
Ut ex Matrimonio invalido oriatur honestas, non requiritur scientia invaliditatis. *ibid. n. 43*
Non requiritur scientia impedimenti, ex Sanchez. *ibid n. 44*
Resolutio finalis. *ibidem n. 45*
Sanchez excusat D. Thomam, dum dixit, ex sponsalibus irritis non oriri impedimentum. *ibidem.*
An sponsalia à Monacho inita dirimant? *ibid. n. 46 & 47*
Quod Matrimonium sit irritum præcisè ex defectu consensûs? *p. 258 n. 48*
Tale est Matrimonium furiosi, item infantium. *ibid. n. 48 & seqq*
Infantium sponsalia & Matrimonia irrita sunt ex defectu consensûs. *ibid. n. 52. & 53*
Tale Matrimonium non inducit publicam honestatem. *p. 259. n. 54*
Probatur, Matrimonium coactum esse irritum defectu consensûs. *ibid. n. 55*
Item, Matrimonium ex errore Personæ. *ibid. n. 56*
Quid si Matrimonium sit invalidum præcisè ex defectu consensûs interni? Si defectus sit merè internus, putat Sanchez, oriri impedimentum. *ibid. n. 57. & 58*
Coninck docet, hanc sententiam repugnare verbis juris. *ibid. n. 59*
Corollaria, quæ sequuntur ex doctrina Sanchij. *p. 260 n. 60. & 61*
Quid sentiat Auctor de hac controversia. *ibid. n. 63 & seqq.*
Quę ratio, quare ex sponsalibus invalidis defectu consensûs non oriatur impedimentum? *p. 261. n. 66 & seqq*
Ex sponsalibus quâcumque ratione invalidis hodie non oritur impedimentum, ex Tridentino. *ibid. n. 70*
Sententia Præpositi, ex Matrimonio sic invalido non oriri impedimentum, reprobatur. *ibid n. 71*
Ex Matrimonio clandestino invalido oritur hoc impedimentum. *ibid n. 72 & seqq*
Probatur, in Matrimonio clandestino non deficere consensum. *p. 263. n. 80*
An ex sponsalibus, aut Matrimonio inito per parentes oriatur impedimentum? *ibid. n. 81*
Ex sponsalibus de futuro oritur impedimentum honestatis. *ibid. n. 82*
A quo tempore inceperit? *ibid. n. 82 & 83*
Debent esse sponsalia pura & certa. Quæ sint talia? *ibidem n. 83 & seqq.*
Quod de sponsalibus, idem dic de Matrimonio. *p. 264 n. 86*
Perinde est, sive impletâ conditione requiratur novus consensus, sive non. *ibid.*
Quid dicendum post eventum conditionis. *ibid. n. 87*
An sponsalia sub conditione cum Maria dissolvantur per posteriora absoluta cum ejus sorore. *ibid. n. 88. & 89*
Iure novo Tridentini restringitur honestas ex sponsalibus ad primum gradum *ibid. n. 89*
An sponsalia causent impedimentum, si desit consensus merè internus? *ibid. n. 90 & seqq.*

Alius

Alius casus, in quo sponsalia producunt hoc Impedimentum, ex Sanchez. p. 265. n. 95
Publica honestas superveniens non dirimit sponsalia præcedentia: dirimit respectu aliorum consanguineorum jure antiquo; aliquando etiam jure novo. ibid. n. 96 & 97
Publica honestas manet post mortem unius sponsi. p. 276. n. 98
An etiam post dissolutionem sponsalium mutuo consensu? multi negant propter Declarationem Cardinalium. ibid. n. 99
Declaratio Cardinalium pro affirmativa sententia, quam putat Gobat esse verè authenticam: priorem verò non esse authenticam, certum existimat. ibid. n. 100. & 101
An possit moveri scrupulus de Matrimonio secundùm eam contracto? Negat Gobat. p. 277. n. 102
Hodie hujusmodi Matrimonium dirimeretur. ibid. n. 104 & seqq.
Judicium Auctoris, & Resolutio finalis. p. 278. n. 108 & 109

I

IGNORANTIA.

Ignorantia invincibilis excusat à peccato, & tamen non efficit actum validum. pag. 38. n. 243
Ignorantia non excusat ab irritatione, quæ non est pœnalis. p. 241. n. 82
Quæ sit ignorantia affectata, crassa, & probabilis. p. 669. n. 463
Quando ignorantia sit causa actûs, & quando non. ibidem
Exemplum ignorantiæ crassæ. ibid. n. 464
Ignorantia circa legem humanam vel divinam communiter non est justa, secus quoad pœnam humanam. ibidem

IMPEDIMENTA MATRIMONIJ.

Quid sint Impedimenta Matrimonij? Alia sunt merè prohibentia, alia dirimentia. pag. 1. n. 1 & seqq.
Impedimenta quædam sunt juris naturæ, alia juris divini positivi, tertia juris humani. p. 2. n. 4. & 5

IMPEDIMENTA VETERIS LEGIS.

Non omnia Impedimenta veteris Legis erant juris naturæ. p. 2. n. 5. & 6
Quid S. Gregorius intellexerit per Legem sacram? ibid. n. 7
Quomodo explicandus Zacharias Papa? ibid. n. 8
Objicitur auctoritas Innocentij III. p. 3. n. 9
Quæ personæ olim divinâ lege fuerint prohibitæ? ibid. n. 11
An Iudæi adhuc obligentur? Probatur quòd non, ex Aversa. ibid. n. 12
Notabile aliquod ex Soto oppugnatur. ibid. n. 12 & seqq
Iudicium Auctoris. p. 4. n. 15

IMPEDIMENTA JURIS HUMANI.

Hæretici aliqui negant, jure humano posse constitui Impedimenta Matrimonij. p. 4. n. 16
Oppositum est de fide ex Tridentino. ibid. n 17
Suadetur etiam ratione. ibid. n. 17 & seqq.
Quare sacramentum Matrimonij potiùs recipiat Impedimenta, quam alia sacramenta? p. 5. n. 20 & seqq.
Ecclesia potest ponere impedimenta. ibid. n. 24. & 25
Non licet sine justa causa constituere Impedimenta. p. 20. n. 119
Major causa requiritur ad irritandum, quàm ad simpliciter prohibendum, ex Tappero. ibidem n. 120
Probatur, Impedimentum sine causa positum valere. ibid. n. 121
Auctores pro hac Doctrina. ibidem
Opposita sententia omninò tenenda est, ex Sanchez. ibid. n. 122 & seqq.
Non convenit unicuique judicare de justitia causæ, ex Aversa. p. 21. n. 126
Nullum Impedimentum unquam fuit in Ecclesiâ sine justa causa, ex eodem. ibid. n. 127
Olim erat justa causa interdicendi Matrimonium usque ad septimum gradum, hodie non, ex Sanchez. ibid. n. 127. & 128

IMPEDIMENTA MERE PROHIBENTIA.

Dantur aliqua Impedimenta merè prohibentia. pag. 42. n. 1
Impedimenta prohibentia, quæ oriuntur ex crimine, consuetudine abolita sunt, ex Sanchez. p. 80. n. 262
Non solet peti dispensatio super his Impedimentis, ex Aversa. ibid. n. 264
Quando olim accepta fuerint. ibid. n. 265
Hodie non obligare, docent Coninck, Pontius, Diana, Dicastillo, Herinx. ibidem

IMPEDIMENTA DIRIMENTIA.

Impedimenta dirimentia Matrimonium simul prohibent. p. 37. n. 232
Enumerantur impedimenta dirimentia, ex Scoto. pag. 90. n. 1
Aliqua dirimunt jure naturæ, alia jure ecclesiastico. ibid. n. 2
Matrimonij Impedimenta viginti tria, quibus adde duo ex Tridentino, ibid. n. 3
Brevis collectio Impedimentorum dirimentium, ex Scoto. pag. 473. n. 62 & seqq.

IMPOTENTIA. POTENTIA. IMPEDIMENTUM IMPOTENTIÆ.

Quid sit hîc Impotentia. pag. 342. n. 2
Qui nequeant seminare intra vas? ibid. n. 3
An habilitas consummandi Matrimonium sit hîc potentia? ibidem
Non sufficit, quod semen transferri possit per dæmonem. ibid. n. 4
An sufficiat, quòd per attractionem matricis, aut aliquam artem recipiatur. ibid. n. 4 & seqq.
Sufficit, quod vir fundat partem seminis intra vas. pag. 343. n. 10
An Eunuchi sint hîc Impotentes. ibid. n. 11 & seqq.
Sterilitas non obstat valori Matrimonij. pag. 344 n. 14 & seqq.
An hîc intelligatur Eunuchus orbatus duobus testiculis, qui posset generare? p. 345. n. 20 & seqq.
Quid sit hîc potentia? p. 346. n. 27
An mulier hic sit potens, quæ non potest parere, nisi cum propriâ morte? ibid. n. 27 & seqq.
Quid si mulier non possit seminare? ibid. n. 31
Quid sit Impotentia perpetua? p. 347. n. 32
Quod maleficium sit perpetuum? ibid. n. 33. & 34
Quid hîc intelligatur per grave periculum? ibid. n. 35 & seqq.
Probatur, impotentiam perpetuam dirimere. p. 348
Probatur hoc impedimentum esse juris naturalis. p. 349. n. 45 & seqq.
Duplex est Impotentia, ex Scoto. pag. 350. n. 54
Quare Deus permittat Dæmoni impedire actum conjugalem. ibidem
Quomodo Dæmon id soleat facere? ibid. n. 55
Qualiter cognoscatur differentia naturalis impotentiæ, & casualis, ex Scoto. ibidem
Utraque est impedimentum dirimens, si fuerit perpetua, ex eodem. ibid. n. 56 & seqq.
Frigiditas est impedimentum naturale. p. 351. n. 62
Quid faciendum maleficiatis? ibidem
Datur maleficium in mundo, idque perpetuum, ex D. Bonaventura, ibid. n. 64
Non semper est perpetuum. pag. 352. n. 64
Quando præsumatur temporale? ibidem
Quando sit perpetuum. ibid. n. 66
Quod sit remedium contra maleficium, ex Scoto. ibid. n 67
Licet tollere maleficium, ex eodem. ibid. n. 67 & seqq.
Oppositum docet Ioannes Hesselius. p. 353 n. 72 & seqq
Hîc nihil expectatur à Diabolo. ibid. n. 76
Argumentum Hesselij non subsistit. ibidem
Quid doceat S. Thomas? ibid. n. 77. & 78
Non intervenit hîc aliqua invocatio dæmonis, ex Sanchez. pag. 354. n. 79
An Albertus Magnus, & D. Augustinus faveant Hesselio?

Hesselio? *ibid. n. 79 & seqq.*
An ratio faveat Hesselio? *pag. 356. n. 92 & seqq.*
An S. Cyprianus Hesselio faveat? *pag. 357. n 96 & seqq.*
An Scriptura Levit. 20, aut Historia ex vita S. Hilarionis Hesselio faveat? *ibid. n. 99 & seqq.*
Duplex modus tollendi maleficium, ex Scoto. *ibid. n. 102*
Si neutro modo possit tolli, Impotentia erit perpetua. *ibidem.*
An maleficium sit perpetuum, quod à solo suo auctore auferri potest modo licito? *pag. 358. n. 105 & seqq.*
An convalescat Matrimonium, si ipse Magus distruat signum? *ibid. n. 108. & 109*
Sufficit ad impotentiam temporalem, quod possit auferri. *p. 359. n. 110 & seqq.*
Impotentia potest esse respectiva, ex Scoto. *ibid. n. 115*
Omnes admittunt impotentiam respectivam ex maleficio. *pag. 360 n. 117*
Probatur, eam dirimere Matrimonium. *ibid. n. 117 & 118*
An etiam dirimat impotentia respectiva naturalis? *ibid. n. 118 & seqq.*
Matrimonium impotentium in ordine ad copulam est jure naturæ irritum. *p. 362. n. 129. & 130*
An matrimonium impotentium celebratum ad castè vivendum, & cohabitandum ut frater & soror, sit validum? *ibid. n. 131*
Fundamenta Pontij pro sententia affirmativa. *ibid. n. 131 & seqq.*
Pro negativa sententia stat Scotus, D. Bonaventura, & Auctor. *p. 364. n. 142 & seqq.*
Item S. Scriptura, & ratio. *ibid. n. 145 & seqq.*
An Matrimonium absque jure radicali ad copulam sit possibile inter potentes? *pag. 365. n. 154 & seqq.*
Solvuntur argumenta Pontij. *ibid. n. 159 & seqq.*
Cur potiùs dissolvat Matrimonium mutatio sexûs, quàm impotentia superveniens? *pag. 367 n. 165 & seqq.*
Manet vinculum conjugale, superveniente impotentiâ, quoad alia: nonverò quando mutatur sexus. *pag. 368. n. 172 & seqq.*
An Ecclesia approbet matrimonium contractum ab impotente Cap. 4. *de Frigidis? pag. 369. n. 175 & seqq.*
Fundamentum nostræ Conclusionis. *pag. 372. n. 194*
Quid de hâc re sentiat Dicastillo? *ibid. n. 195 & seqq.*
Impotentia superveniens non dirimit Matrimonium consummatum. *p. 773. n. 200 & seqq.*
Cur matrimonium non dissolvatur per mortem potentiæ generativæ? *p. 774. n. 202 & seqq.*
An Impotentia superveniens dissolvat Matrimonium ratum tantùm? *ibid. n. 205 & seqq.*
Sententia negativa præfertur. *ibid. n. 208*
Solvuntur fundamenta sententiæ affirmativæ. *pag. 375 n. 209 & seqq.*
An Impotentia concomitans contractum censeri debeat antecedens? Affirmat Auctor & probat. *ibid. n. 213 & seqq.*
Utrùm in dubio, an Impotentia præcesserit Matrimonium, præsumatur præcessisse. *p. 376. n. 218 & seqq.*
In dubio Impotentiæ naturalis præsumitur præcessisse. *p. 377. n. 223 & 224*
An idem dicendum de Impotentia accidentali? Auctor sequitur sententiam Sanchez negativam. *ibid. n. 226 & seqq.*
In dubio, an Impotentia sit naturalis, an accidentalis, censenda est accidentalis. *ibid. n. 233*
In dubio de vera Impotentia, & de consummatione Matrimonij, præsumitur valor. *p. 378 n. 234 & seqq*
Non est standum confessioni Conjugum contra Matrimonium. *p. 379. n. 237*
Dubius de sua Impotentia non potest transire ad Matrimonium. *ibid. n. 238*
Contracto matrimonio potest uti, etiam petendo. *ibid. n. 238 & seqq.*
Casus particularis circa hanc Materiam. *ibid. n. 241 & seqq.*
In dubio, an sit Impotentia perpetua, permittitur experientia per triennium continuum à tempore celebrati conjugij. *pag. 380. n. 247 & seqq*
Requiritur cohabitatio cum conatu Copulæ. *pag. 381 n. 250*
A qua die currat triennium. *ibid. n. 250 & seqq.*
Modus, quo debent simul commorari. *pag. 382 n. 254 & seqq.*
Quid si impotentia perpetua evidenter constet? nullum tempus indulgendum est. *ibid. n. 259*
An aliquando ultra triennium Iudex debeat aliud tempus assignare? *p. 383. n. 260*
Casus, in quo evidenter constat Impotentia perpetua, ex Sanchez. *ibid. n. 261*
An tunc sit necessarium aliquod juramentum? *ibid. n. 262*
Solùm requiruntur juramenta, ubi postulatur triennium. *ibid. n. 263*
Quare requirantur juramenta conjugum. *ibid. n. 264*
Etiamsi omitteretur, equidem sententia valeret. *ibid. n. 265.*
An requiratur juramentum conjugum. *ibid. n. 266*
Quid si signa Impotentiæ non sint certa, sed tantùm verisimilia, an requiratur juramentum? *pag. 384 n. 267 & seqq.*
An quando uterque conjux fatetur Impotentiam, sit opus triennio? *ibid. n. 270 & seqq*
An etiam quando signa Impotentiæ sunt evidentia? *pag. 386. n. 280 & seqq.*
Quid sentiat de hac re Doctor Seraphicus? *ibid. n. 285*
In foro conscientiæ requiritur moralis certitudo: quæ illa? *p. 387. n. 286*
Impotentia ante perfectam pubertatem non est censenda perpetua. *ibidem*
An ab ea pubertate incipiat triennium? *ibid. n. 287 & 288*
An requiratur in foro externo triennium, quoties probabilis est non perpetuitas. *ibid. n. 289.*
Triennium istud debet esse continuum; & quâ continuitate? *ibidem n. 290. & 291*
Non requiritur Physica, ex Sanchez. *p. 388 n. 292 & seqq*
Requiritur integritas triennij. *ibid. n. 297 & 298*
Diversitas inter hoc triennium & annum Novitiatûs. *p. 389. n. 298*
Res hîc remittitur ad judicis arbitrium. *ibid. n. 301*
Factâ separatione Conjugum judicio Ecclesiæ, an & quando restituendi sint, deprehenso post modum errore. *ibid. n. 302*
Separatus ob impotentiam naturalem, errore detecto, restituendus est. *ibid. n. 303*
Item separatus ob frigiditatem. *pag. 390. n. 304 & seqq.*
Quid si conjuges finxerint se Impotentes? *ibid. n. 308*
Quid si bonâ fide processerint? *ibidem*
Quid si maleficium fuerit perpetuum? *ibid. n. 309*
An separatus ob maleficium respectivum restitui debeat, si postmodum inveniatur potens? *pag. 391 n. 310 & seqq.*
Separati ob maleficium invicem restituendi sunt. *pag. 392. n. 323. & 324*
Quid si separati fuerint ratione Impotentiæ, non allegatâ ejus causâ? *p. 393. n. 325*
Secundum Matrimonium, quod inijt judicatus frigidus, est dissolvendum. *ibid. n. 326*
An mulier à frigido separata, & alteri nupta, possit petere debitum? *ibid. n. 327. & 328*
Ut nequeat petere, requiritur plena probatio secundi Matrimonij. *ibid. n. 329*
Quæ illa probatio? *ibidem*
An mulier possit nubere, non expectatâ tali probatione? *p. 394. n. 331*
Quid si mulier restituta nequeat adhuc cognosci? *ibid. n. 332*
Quid si vir aliam cognoscat? *ibid. n. 333*
An in eo casu mulier semel tantùm sit restituenda viro? *ibid. n. 334 & seqq.*
An instauratio sit differenda post pœnitentiam conjugum? *ibid. n. 337*
Sufficit, pœnitentiam fuisse impositam. *pag. 395. n. 338*

An

An dicta restitutio facienda sit post alterius solemnem professionem? *ibid. n.* 339
Negat Conclusio, nisi anteà fuisset Matrimonium consummatum, estò fieret potens post professionem. *ibid. n.* 340. & 341
Quid si semen fuerit receptum, & nihilominùs perseveret Impotentia penetrandi. *ibid. n.* 341 & *seqq.*
Iudicatus impotens post susceptionem Ordinis sacri, detecto errore, restituendus est. *pag.* 396. *n.* 344
Restitutus tenetur reddere debitum; an etiam, si mulier fuerit fornicata? *ibid. n.* 345 & *seqq.*
An vir frigidus possit repelli propter copulam cum posteriori conjuge? *ibid. n.* 350 & *seqq.*
An conjux potens separatus ab impotente, si alteri copuletur, possit posteà repelli *p.* 397. *n.* 355. & 356
Quid si mulier fraudulenter fassa sit frigiditatem viri; an possit eam repellere ob copulam cum aliâ subsecutam? *ibid. n.* 357. & 358
An sacris initiatus restitutus uxori possit petere debitum? *p.* 398. *n.* 359
Negat D. Bonaventura. *ibid. n.* 360
Hæc sententia confulenda est. *ibid. n.* 361
Ex ratione tamen Dicastilloni videtur difficilis, ob varia, quæ indè sequi videntur. *ibid. n.* 361 & *seqq.*
Resolutio Auctoris. *pag.* 400 *n.* 374
Aliqui censent, conjugatum in casu proposito esse liberum ab obligatione castitatis *ibid. n.* 374 & *seqq.*
Iudicium Auctoris. *pag.* 401. *n.* 377 & *seqq.*
Quæ sit Impotentia temporalis? *ibid. n.* 380
Hæc jure naturæ non dirimit Matrimonium. *ibid. n* 381 & *seqq.*
Etiam ignorata non dirimit jure naturæ. *p.* 404. *n.* 403. & 404
Non valet hîc argumentum à servitute ad impotentiam. *ibid. n.* 405 & *seqq.*
An peccet, qui contrahit cum impotentia temporali? *p.* 405. *n.* 409 & 410
Potest esse culpa ratione deceptionis. *ibid. n.* 411 & 412
Quare gravi morbo laborans licitè contrahat, non autem frigidus? *p.* 406. *n.* 412. & 413
An Matrimonium valeat, si temporalis impotentia post contractum fiat perpetua? *ibid. n.* 414 & *seqq.*
Impotentia temporalis in pubere dirimit Matrimonium jure Ecclesiastico. *p.* 407. *n.* 418 & *seqq.*
An Matrimonium Impuberum sit irritum, etiam jure naturæ? *p.* 407. *n.* 424 & *seqq.*
An sedes Apostolica aliquando dispensaverit in hoc impedimento? *p.* 408. *n.* 429 & *seqq.*
An & quando Pontifex possit dispensare in Matrimonio impuberum. *p.* 409. *n.* 438
An etiam Episcopus? judicium Auctoris. *p.* 410. *n.* 439 & *seqq.*
Ad valorem Matrimonij requiritur ætas completa. *ibid. n.* 442 & *seqq.*
An sufficiat ultimum diem esse inceptum? *ibid. n.* 444 & *seqq.*
An sufficiat morale complementum? *p.* 411. *n.* 450 & *seqq.*
An idem dicendum sit, quantùm ad ætatem sponsalitiam, sicut ad Matrimonialem? *pag.* 412. *n.* 455 & *seqq.*
Auctor tenet cum Dicastill: eamdem esse rationem utriusque ætatis. *ibid. n.* 460
Malitiam hîc supplere ætatem, probatur. *pag.* 413. *n.* 461
Quid hîc significetur per malitiam? *ibid. n.* 462. & 463
Ante completam ætatem potest esse discretio & potentia generandi. *ibid. n.* 463
Non sufficit sola potentia. *ibid. n.* 464
An sufficiat sola discretio, etiam post nubiles annos? *ibid. n.* 464 & *seqq.*
Frequenter potentia coëundi evenit, etiam antè ætatem pubertati proximam? *pag.* 415. *n.* 475
Signum potentiæ coëundi est ipsa causa. An etiam nisus ad eam? *ibid. n.* 476 & *seqq.*
Solus nisus non declarat potentiam. *ibid. n.* 481
Difficile est judicare de potentia, seclusâ copulâ. *pag.* 416. *n.* 482
An sufficiat copula cum alia; item conatus ad copulam? *ibid. n.* 483
An sufficiat juramentum impuberis de copula? *ibid. n.* 484
Quid si vir juret, se habuisse copulam cum impubere? *ibid. n.* 485
Quid si adsit malitia antè septennium? *p.* 417. *n.* 491 & *seqq.*
An, quando mulier nupsit conscia suæ arctitudinis, teneatur se reddere aptam per artem humanam, seclusò periculo mortis? *ibid. n.* 494 & *seqq.*
An omnem violentiam debeat hîc mulier pati, ex qua non timetur mortis periculum? *pag.* 418. *n.* 497 & *seqq.*
Si defectus oriatur ex parte viri, an mulier debeat pati incisionem claustri? Negat Pontius. *ibid. n.* 500 & *seqq.*
Opposita sententia est D. Thomæ, quæ probatur. *pag.* 419. *n.* 508 & *seqq.*
An virgo tali casu posset sine peccato permittere talem incisionem? *pag.* 420. *n.* 513 & 514
Responsiones ad argumenta Pontij. *ibid. n.* 515 & *seqq.*
Resolutio Auctoris. *pag* 422. *n.* 526
An vir in tali casu posset propriâ auctoritate claustrum reserare? *ibid. n.* 526 & *seqq.*
Hermaphroditus contrahit licitè in sexu prævalenti. *p* 423. *n.* 532
Si sit æqualitas, potest eligere, sed debet in electo permanere. *ibid. n.* 533
An debeat jurare? *ibid. n.* 533 & *seqq.*
Si mortuo conjuge contrahat in alio sexu, valet Matrimonium. *ibid. n.* 536
An etiam liceat? *pag.* 424. *n.* 537. & 538
Seclusò juramento, & præcepto positivo, ad summum videtur levis aliqua inconstantia. *ibid. n.* 538
An duo Hermaphroditi possint validè contrahere ad usum utriusque sexûs? *ibid. n.* 539 & *seqq.*
Ecclesia tale matrimonium non admitteret. *ibid. n.* 543
An valeat Matrimonium in sexu minùs valente? *p.* 425 *n.* 544 & *seqq.*
Quomodo intelligenda sit hæc prævalentia, & æqualitas sexûs? *pag.* 426 *n.* 552

INCESTUS. IMPEDIMENTUM INCESTUS.

Copula inter Consanguineos in secundo & ulterioribus gradibus est incestus propter Impedimentum. *pag.* 39. *n.* 246 & *seqq.*
Circumstantia incestûs est diversa specie à simplici fornicatione. *ibid. n.* 249
Ad incestum reducitur copula inter cognatos spirituales. *ibid. n.* 250
Similiter inter cognatos legales: item accessus ad consanguineam in quarto gradu sponsæ propriæ de futuro. *pag.* 40. *n.* 251.
An jus statuat incestum Impedimentum? *pag.* 81. *n.* 267 & *seqq.*
Perindè est, sive vir cognoscat consanguineam uxoris, sive uxor consanguineum viri. Item: sive uxor tempore incestûs viveret; sive non. *ibidem n.* 269
Extenditur ad incestum cum consanguinea ejus, quam quis fornicariè cognovit. *ibid. n.* 270 & *seqq.*
Aversa extendit hoc impedimentum ad copulam cum consanguinea uxoris antè Matrimonij consummationem. *pag.* 82. *n.* 272 & *seqq.*
Ratio hujus impedimenti, ex Sanchez. *ibidem n.* 274
Quid dicendum de copula cum consanguineis sponsi aut sponsæ de futuro? ex eodem. *ibid. n.* 275
Dubium est, an impediat. *ibid. n.* 276
Pontius negat impedire. *ibidem*
Affirmat impedire copulam cum propriis consanguineis, contra Sanchez. *ibid. n.* 277 & *seqq.*
Utrùm incestus occultus fuerit olim impedimentum? Affirmat Sanchez. *p.* 83. *n.* 285
Negat Pontius. *ibid. n.* 286 & *seqq.*
Requiritur incestus scienter & voluntariè commissus, idque in primo gradu, vel secundo, juxtà Pontium. *pag.* 84. *n.* 289 & *seqq.*
Redarguitur Sanchez oppositum asserens. *ibid. n.* 292

Pontium sequitur Aversa, qui etiam docet, aliquo casu fuisse necessarium primum gradum. *ibid. n. 293*
Argumentum contrà. *ibidem*
An sit incestus, si affines post obtentam dispensationem ad Matrimonium fornicentur? *pag. 245. n. 108*
An immunditiæ inter personas affines impuberes sint incestus? *ibid. n. 109*

INFIDELIS.

An sit sententia Richardi infideles non posse contrahere Matrimonium? *p. 426. n. 1 & seqq.*
Probatur, infideles posse contrahere, & habere verum conjugium. *p. 427. n. 4*
Rationes in oppositum dissolvuntur. *ibid. n. 4 & seqq.*
Infideles contrahendo Matrimonium olim non peccabant, ex Hiquæo. *p. 428 n. 11*
Estò peccassent, tamen validè contraxissent, ex Scoto, cujus mens explicatur. *ibid. n. 12*
Quomodo licitè contraxerint? *ibid. n. 13. & 14*
Inter Gentiles plurima Matrimonia sunt irrita, ex Hiquæo. *p. 429. n. 15*
An suppositâ omni ignorantiâ legis divinæ, contractus Matrimonij infidelium esset solubilis? *ibidem n. 17. & 18*
Iudicium Auctoris. *ibid. n. 19*
Qualiter matrimonia infidelium sunt rata, ex Scoto. *ibid. n. 20*
Vide *Impedimentum disparis Cultûs.*

INHABILITATIO. INHABILITARE.

Existente causâ, personæ particulares redduntur inhabiles. *p. 22. n. 130 & seqq.*
Navarrus negat convenientem usum hujus potestatis in summo Pontifice, maximè propter non usum suo tempore. *ibid. n. 136*
Nostro tempore Papa usus fuit illâ potestate. *ibid. n. 137*
Quæ sint justæ causæ, relinquitur arbitrio prudentis, ex Dicast: *p. 23. n. 138*
Eâ potestate utitur Papa tam pro uno, quàm pro Communitate. *p. 23. n. 139*
An Papa possit personam aliquam perpetuò reddere inhabilem? *p. 23. n. 140 & seqq.*

INTERDICTUM.

Duplex est interdictum, generale, & speciale. Quid generale? *pag. 52. n. 72*
Sponsalia & denuntiationes licitè fiunt tempore interdicti, ex Pontio. *ibid. n. 73*
Idem docet Sanchez de denuntiationibus. *ibidem*
Matrimonium initum tempore interdicti, & in loco interdicto, est validum. *ibid. n. 74 & 75*
Licet Matrimonium inire tempore interdicti, ex Cap. 4. *de Feriis*, in quo textu Sanchez fundat dictam doctrinam. *pag. 53. n. 76 & seqq.*
Oppositam tenet Pontius propter alia jura. *ibid. n. 78*
Rejicitur. *ibidem n. 79 & seqq.*
Nihil officit, quod ipsi contrahentes sint specialiter interdicti, ex Sanchez. *pag. 54. n. 85*
Oppositum docet Suarez, & probat. *ibid. n. 86. & 87*
Idem docet Suarez de interdicto generali personali. *ibid. n. 88*
Uti etiam de interdicto locali, seclusâ tamen contrariâ consuetudine. *ibid. n. 89. & 90*
Responsio Suarez ad Cap. *Capellanus* non approbatur. *p. 55. n. 91*
Argumenta contra ex alijs Capitulis juris Canonici. *ibid. n. 92 & seqq.*
Quid Ecclesia per interdictum subtrahat fidelibus, ex Coninck. *ibid. n. 95*
Interdictum directè respicit eos, qui nomine Ecclesiæ conficiunt vel administrant sacramenta, Excommunicatio ipsos excommunicatos. *p. 56. n. 96*
Major Excommunicatio prohibet communionem fidelium, secùs interdictum. *ibid. n. 97*
Quare Excommunicatio minor potiùs quàm interdictum prohibeat Matrimonium. *ibidem n. 98*
Interdictum non prohibere, docet Coninck & alij. *ibid. n. 99 & seqq.*
In Ecclesia specialiter interdicta potest ministrari Matrimonium, ex Sanchez. *pag. 57. n. 103*
An liceant solemnes nuptiæ? *ibid. n. 104 & seqq.*
Conjuges possunt benedici extra locum interdictum. *ibid. n. 109*
Limitatio hujus Doctrinæ. *ibidem*
Quid si solus vir sit specialiter interdictus? *pag. 58. n. 110*
Fœmina sortitur forum viri, & ideò cum viro non interdicto potest benedici. *ibid.*
Quid si solus vir sit specialiter interdictus? *ibid. n. 111*
Pontifex potest prohibere Matrimonium particularibus personis. Idipsum possunt Episcopi. *ibid. n. 112. & 113.*
Iustæ causæ prohibendi. *ibid.*
An etiam Parochi id possint? *ibid. n. 114*
Interdictum non dirimit Matrimonium. *pag. 60. n. 123 & seqq.*
Vide *Parochus.*

IRREGULARITAS. IRREGULARIS.

Est irregularis, qui contrahit cum ancilla, estò etiam foret virgo. *p. 106. n. 110*
Quid si duceret propriam ancillam? non est irregularis, juxta Sanchez & alios. *ibid. n. 111*
Similiter si putaverit esse liberam, & quoties matrimonium est nullum. *ibid. n. 112*
Non requiritur consummatio Matrimonij. *ibidem*
Propter dubium homicidium incurritur irregularitas ex speciali jure. *pag. 646. n. 322*

IUDÆUS.

Iudæus tenetur servare impedimenta Regis infidelis. *pag. 17. n. 99.*

IUDEX.

An judex ut Persona publica Reipublicæ habeat dispositionem vitæ innocentis? *pag. 636. n. 259. & seqq.*

IUDEX ECCLESIASTICUS.

Quæstiones juris, & circa substantialia Matrimonij privativè spectant ad judicem ecclesiasticum. *pag. 13. n. 76 & seqq.*

IUS

Ius ex ratione æstimandum est. *pag. 20. n. 123*

IUS CIVILE.

Quid sit jus Civile. *pag. 20. n. 123*

IUS HUMANUM

Ius humanum est determinatio juris naturalis. *pag. 20. n. 124*

L

LEGITIMATIO. LEGITIMUS.

An legitimatio prolis ante Matrimonium natæ excludat substitutum? *p. 402. n. 387 & seqq.*
An sufficiat Matrimonium fraudulentum? *ibid. n. 391 & seqq.*
An tunc teneatur antè sententiam ad restitutionem. *pag. 404. n. 399 & seqq.*

LEX.

Qualis debeat esse Lex, ex Isidoro. *pag. 21. n. 124*
Lex injusta non est Lex, ex D. Augustino. *ibid. n. 125*
Lex aliud est, quàm ratio Legis. *pag. 711. n. 72*

LEX CIVILIS.

Leges Civiles disponentes circà causam matrimonialem non semper annullantur, ex Dicast: *pag. 14. n. 83*
Lex Civilis in Matrimonio sacros Canones imitatur, & per eos abrogatur. *pag. 15. n. 90*
Leges Civiles non abrogant Leges Ecclesiasticas. *pag. 16. n. 90*
Leges Civiles contra secundò nubentes sunt omninò sublatæ. *p. 20. n. 117*

LEX HUMANA

Lex humana potest graviter præcipere, quod natura non ità præcipit. pag. 193. n. 206

LEX IRRITANS.

Datur lex purè irritans. pag. 36. n. 226
Quomodo discernenda Lex purè irritans à lege simul prohibente? p. 37. n. 231
Quid requiratur, ut Lex prohibens etiam irritet? pag 432 n. 36

LEX NATURÆ

Quæ dicantur præcepta naturalia, ex Sanchez. pag. 167. n. 42
Aliquid est de jure naturæ dupliciter, ex Scoto. ibid. n. 43 & seqq.
In aliquibus cadit dispensatio, in aliquibus non, ex eodem. ibid. n. 46
Quid Lex naturalis dictet? pag. 168. n. 49
Vide *Impedimentum Cognationis*

LEX POENALIS.

Lex pœnalis non est extendenda propter paritatem rationis. p. 711. n. 70 & seqq

LIGAMEN. IMPEDIMENTUM LIGAMINIS.

Quid hîc sit ligamen pag. 464. n. 1
Polygamia jure divino est invalida. ibid. n. 2 & seqq
Jure Canonico nemo licitè contrahit cum secunda, nisi constet, seu certum nuntium acceperit de morte prioris conjugis, ex cap. 19. de sponsal. p. 465. n. 5 & seqq
Idem probatur ex Cap. 2 de secundis Nuptijs. ibid. n. 10
An dictum caput 19. de sponsal. sit extendum ad non captivos? ibid. n. 10 & 11
Quare non sufficiat absentia quinquennij. pag. 466. n. 12 & 13
Quæ sit vera ratio, ex Sanchez. ibid. n. 14
Resolutio Gobat, putantis sufficere verisimilem præsumptionem, expenditur. ibid. n. 15 & seqq
Omnia jura ab ipso adducta intelligenda sunt de certitudine morali. p. 467 n. 22
Sententia Abbatis de hac quæstione expenditur. p. 468 n. 24 & seqq
Sententia Abbatis non est omninò certa; magis tamen placet Auctori. ibid. n. 27
Ut quis persveret in Matrimonio secundo, bonâ fide jam contracto sufficit minor certitudo. ibid. n. 28 & 29
Quid si de morte prioris viri sit dubium planè negativum. p. 469. n. 30
Quid si ita dubius contraheret? valeret Matrimonium, si reverà conjux vivere desijt, ex Barbosa, & Gobatio. ibid. n. 31 & 32
Oppositum docet Pontius. ibid. n. 33
Aversa utrùmque conatur concordare. ibid. n. 34
An negligentia expectandi certum nuntium sit impedimentum dirimens? Negat Herinx. ibid. n. 35
Idem Auctor meritò reprobat doctrinam quamdam Marchantij. ibid. n. 36
An requiratur licentia Ordinarij, dum constat de morte prioris viri? p. 470. n. 37
Nihil in hoc casu innovatum est per Tridentinum. ibid. n. 38 & 39
Factâ licentiâ ab Ordinario, ipso errante, mulier immunis erit à culpa. ibid. n. 40
Secùs, si contraxerit non satis informata de morte viri. ibid. n. 41
Consuliter petitio licentiæ. ibidem
Quæ mulieris, eadem est ratio Parochi. ibid. n. 42
Duo testes de visu faciunt hîc certitudinem moralem, estò forent consanguinei. pag. 471. n. 43
An conjux admitteretur? ibid. n. 44
Quis hîc testis de visu? ibidem.
An sufficiat unus testis - ibid. n. 45 & seqq
An sufficiat unus testis cum alijs adminiculis. p. 472. n. 50
Hæc res permittitur judicio Judicis. ibid. n. 51
Sola fama non sufficit, nisi alijs adminiculis adjuvetur ibid. n. 52 & 53
Quæ sint alia adminicula, ex Sanchez. ibid. n. 54 & seqq
In foro conscientiæ sufficit testimonium unius fide digni. pag. 473. n. 59
In foro externo posset sufficere unus testis juratus, ex Herinx. ibid. n. 60
An satis probet liber Rectoris Parochiæ. ibid. n. 60 & 61
An planè probet productio testamenti de mandato Judicis? ibid. n. 61

M

MANCIPIUM. Vide *Servus. Impedimentum erroris.*

MATRIMONIUM. MATRIMONIJ IRRITATIO.

In Matrimonio inveniuntur duæ formalitates. pag. 5 n. 26
Per elevationem Matrimonij ad dignitatem Sacramenti non evanuit Materia potestatis sæcularis. p. 12. n. 65
Matrimonium sic elevatum non existit supernaturaliter. ibid. n. 66
Habet effectum supernaturalem. ibidem
De eo non potest disponere Princeps. ibid. n. 67 & seqq
An plus requiratur, ut Matrimonium sit irritum, quàm alij contractus? ex Sanchez. p. 24. n. 147
An sufficiat Decretum generale irritans? ibidem.
An causa irritationis debeat esse perpetua? ibid. n. 148
Quid si fuerit contractum in præjudicium tertij? ex Coninck. ibid. n. 149
Sententia Aversæ de hâc controversia. ibid. n. 150
Probat, clausulam irritantem in universum annullare Matrimonium. ibid. n. 151
Quam vocet clausulam irritantem? p. 25. n. 151 & 152
Non oportet distinguere, si causa sit perpetua, aut temporalis. ibid. n. 152
Neque si clausula sit specialis, aut generalis. ibid. n. 153
Hæc videntur Auctori magis probabilia. ibid. n. 154
Potest valere Matrimonium in ratione contractûs, & non in ratione Sacramenti. pag. 435. n. 59 & seqq
Secundùm Vasquez, possunt duo fideles contractum separare à Sacramento. pag. 436. n. 60
An hodie resultet Matrimonium ex sponsalibus, secutâ copulâ? p. 553. n. 479. & seqq.

MATRIMONIUM CLANDESTINUM

Etsi Tridentinum tantùm irritasset Matrimonium clandestinum, adhuc foret mortale illud contrahere pag. 36. n. 227
Quare in Gallia Matrimonium Clandestinum adhuc sit validum? p. 6. n. 28

MATRIMONIJ CONSUMMATIO.

Qui consummat Matrimonium, reddit se inhabilem ad Religionem, & Ordinem Sacrum. p. 43. n. 8
Votum prohibet consummationem Matrimonij. ibid. n. 10
Vide *Usus Matrimonij, Votum.*

ORDINES MENDICANTES

An mendicantes habeant Privilegium dispensandi in impedimentis? pag. 506. n. 191
Privilegium quoddam Leonis X. pro Augustinianis examinatur. p. 507. n. 191 & 192
Refertur duplex Oraculum Gregorij XIII. pro Societate Iesu ibid. n. 192
Aliud ejusdem Pontificis. ibid. n. 194
Quartum, & ultimum ibidem
Examinatur ulteriùs Privilegium Leonis X. ibid. n. 195 & seqq
Iudicium Auctoris. pag. 508. n. 198

Proponitur aliud Privilegium Societatis Iesu, ex Sanchez. *pag. 509. n. 208*
An alij Ordines Mendicantes participent Privilegia concessa Missionarijs Capucinis in Helvetia? *p. 510. n. 209. & 210*
Adhuc unum Privilegium ex Augustino à Virgine Maria. *ibid. n. 211*
Ad usum horum Privilegiorum non requiritur urgens necessitas, ex Aversa. *ibid. n. 211*

METUS

Metus non excusat à fornicatione consummationem Matrimonij initi ex metu cum alio impedimento, ex Sanchez. *pag. 38. n. 241. & 242*
Metus non facit licitam consummationem Matrimonij inter consanguineos. *ibid. n. 242 & 243*
Involuntarium ex metu non est contra naturam Matrimonij. *p. 109. n. 129*
An metus excuset à Censuris? *p. 731. n. 190*

MORS PRESBYTERALIS

Mors Presbyteralis est crimen prohibens Matrimonium, ex Cap. 2. de Pœnit. & Remiss. *p. 87. n. 318*
Quæ ratio hujus impedimenti. *ibidem*
Requiritur convictio criminis in foro externo, ex Sanchez. *pag. 88. n. 318*

N

NUNTIUS APOSTOLICUS.

Potestas, quam habet Nuntius Apostolicus in Ordine ad dispensandum in impedimentis Matr. *p. 505. n. 182*
Alia specialis facultas. *ibid. n. 183*

O

OCCISIO VXORIS

Olim occisio uxoris erat impedimentum. *pag. 86 n. 305*
Auctoritate Iudicis occidens eximitur ab hac pœna. *ibid. n. 306*
Tripliciter potest quis occidere uxorem, ex Doct. Seraphico. *ibid. n. 307*
An quilibet modus causet impedimentum? *ibid. n. 308*
Quæ ratio hujus impedimenti? *ibidem*
Quare non impediatur, qui occidit uxorem alienam? *ibidem*
An mulier occidens proprium virum impediatur? *ibid. n. 311 & seqq*

VIVÆ VOCIS ORACULUM.

Hodie multa oracula vivæ vocis non evanuerunt. *p. 508. n. 198 & seqq.*
An Urbanus VIII. non intenderit, ut sua revocatio afficeret Capucinos, cæterosque Mendicantes? *pag. 509. n. 204 & seqq*

ORDINARE

Hermaphroditus, in qua prævalet sexus masculinus, potest validè ordinari, sed non licitè. *pag. 426 n. 553*
Etiam invalidè ordinatur, qui in utroque sexu est æqualis. *ibid. n. 554. & 555*

IMPEDIMENTUM ORDINIS SACRI

Ecclesia posset facere, ut Ordo Sacer non ampliùs dirimeret Matrimonium. *pag. 137. n. 60. & 61*
An Ordo sacer sit impedimentum dirimens. *pag. 146. n. 117*
Esse tale impedimentum, definivit Concilium Tridentinum. Idem Declaravit Bonifacius VIII, & Joannes XXII. *ibid. n. 118*
Quo jure dirimat. *ibid. n. 119. & seqq.*
An ratio hujus impedimenti sit votum? Arguitur ex Scoto, quòd non, sive sit votum propriè dictum sive tantùm obligatio castitatis ex præcepto Ecclesiæ. *ibid. n. 122 & seqq*
Adducuntur ad hoc propositum diversa Concilia *p. 147. n. 125 & seqq.*
Tempore horum Conciliorum Ordo non fuit impedimentum dirimens *ibid. n. 127*
Ex quo hodie habeatur, quòd sit tale impedimentum, ex Scoto. *ibid. n. 128*
Solo jure Ecclesiastico dirimit. Quod sit illud? *ibid. n. 129*
Ab hac sententia non est alienus D. Bonaventura. *ibid. n. 130 & seqq.*
Oppugnatur hæc sententia, sed perperàm. *p. 148. n. 132 & seqq.*
In quo æquiparetur votum Ordinis voto Professionis? in quo differat? *p. 149. n. 138 & seqq*
Disparitas inter votum simplex Societatis, & votum solemne Ordinis. *ibid. n. 142*
Explicantur verba Doct. Angelici. *ibid. n. 143*
In quo conveniant D. Thomas, & D. Bonaventura, & Scotus, & in quo discrepent *pag. 150. n. 144*
Pontius citat D. Thomam & Scotum pro diversis sententijs. *ibid. n. 144*
Fundamenta Scoti. *ibid. n. 145*
Pontius ait, veriorem esse sententiam D. Thomæ. *ibid.*
Fundamentum D. Thomæ incertum est. *ibid. n. 146*
Responsiones Pontij ad argumenta Scoti expenduntur ab Auctore. *ibid. n. 147 & seqq*
Qui sine animo se obligandi ad continentiam suscepit Ordinem Sacrum, equidem obligatur. *pag. 151 n. 153*
A quo tempore Ordo fuerit impedimentum dirimens. *ibid. n. 154*
Aliquando Matrimonium fuit validum & licitum post Ordinationem, ex diversis Canonibus. *ibid. n. 155 & seqq*
Varia Corollaria deducta à Marchino ex his Canonibus. *p. 152. n. 159 & seqq*
Sententia Sanchez, numquam ordinatis licuisse inire Matrimonium, ex diversis juribus. *ibid. n. 161 & 162*
An apud Græcos Matrimonium post Ordines sit validum? Affirmat Arcudius, teste Aversa. *ibid. n. 163 & 164*
Idem videtur sensisse Erasmus. *ibid. n. 164*
Imò licitum esse, colligunt aliqui ex diversis juribus, quæ expenduntur. *p. 153. n. 165 & seqq*
Affirmat Pontius, etiam Sacerdotibus Græcis fuisse licitum contrahere Matrimonium, secùs Episcopis. *ibid. n. 171 & seqq*
Expenditur doctrina Pontij. *pag. 154. n. 176 & 177*
Ius non est satis clarum. *ibid. n 178 & 179*
Incertum est, quo tempore Ordo cœperit esse impedimentum dirimens. *ibid. n. 180*
Pontius existimat, à tempore Innocentij. II. etsi priùs prohibuerit. *pag. 155. n. 181*
Contra Pontium adducitur statutum Calixti II. *ibid. n. 182 & 183*
Post Innocentium II. hanc veritatem declaravit Alexander III. *ibid. n. 184*
Facilibus ex causis fuit permissum Matrimonium Subdiaconis, ex Pontio. *ibidem*
Licentia ab Alexandro III. concessa nubendi cuidam Subdiacono. *ibid. n. 186 & seqq*
Constat Papam etiam hodie dispensare. *pag. 156. n. 189*
An ex dictis benè inferatur, Ordinem non dirimere jure divino? quòd non, probatur *ibid. n. 190 & seqq*
Ecclesia potuit meritò Ordinem instituere impedimentum dirimens. *ibid. n. 194*
Hæc potestas declaratur ex Divo Bonaventura. *ibidem*
Ostenditur tale impedimentum fuisse decens, & expediens, ex eodem
Quare potiùs hodie sit indicta continentia Clericis, quàm in primitiva Ecclesia? ex D. Bonaventura *ibid. n. 199 & seqq*
Clericus in sacris contrahens Matrimonium incurrit privationem Officiorum & beneficiorum, ex Decreto Innocentij II. *pag. 158. n. 204*

Judicium Auctoris. *pag.* 159 *n.* 209
Sub beneficio hic comprehenditur pensio, quæ datur pro ministerio spirituali. *ibid.n.*210
Secùs pro ministerio merè temporali, ex Sanchez. *ibid. n.* 211
Quæ pensiones hîc vacent? *ibid.n.* 212
Incurritur etiam per tale Matrimonium irregularitas, ex cap. 4. & cap. fin. *De Bigamis.* *ibid.n.*213
Neutrum tamen jus est universale, & utrumque requirit copulam. *pag.* 260.*n.*214
Communis sententia affirmat, copulam esse necessariam. *ibid.n.* 215
Quid si ordinatus ineat unicum Matrimonium cum Virgine? probatur, esse irregularem, ex diversis Canonibus. *ibid.n.*216 *& seqq*
Contrahitur dicta irregularitas ob delictum, à qua proinde excusatur, qui bonâ fide contraxit. *ibid. n.* 219
Inquisitiones contra hujusmodi delinquentes procedunt tamquam contra suspectos de Hæresi. *ibid. n.* 220

P

PACTUM.

Pactum de educanda parte liberorum hæreticè est impium. *p.*443. *n.* 119
Non est illicitum excipere partem filiorum ab educatione hæretica. *p.*445.*n.*220

PAPA. PONTIFEX.

Pontifices sunt infallibilis veritatis in suis definitionibus. *p.*6.*n.*30
Pontifex potuit auferre Principibus potestatem circa Matrimonium. *p.*12.*n.*64.
Potuit Pontifex sibi reservare Impedimenta Matrimonij, & de facto reservavit. *ibid. n.* 71. *& seqq*
Pontifex nequit validè dispensare sine causa in lege naturali. *pag.*21.*n.*130
An Papa sibi reservaverit Impedimenta privativè ad Episcopos. *p.*17.*n.*103
Papa interdicens Matrimonium non eo ipso irritat. *pag.* 23.*n.*145 *& seqq*
Quid requiratur, ut Lex Pontificis irritet? *pag.* 24.*n.* 146
Pontifex potest prohibere Matrimonium particularibus personis. *pag.* 58.*n.*112
Differentia aliqua inter rescripta Pontificum, & alia Decreta Generalia. *p.*181 *n.*133
Pontifex dispensans in Decreto Trid. Sess.24.de Matr. c. 5. sine justissima causa, peccat lethaliter. *p.* 493. *n.* 110
Quæ sit mens dicti Decreti? *pag.*494.*n.* 111
Tridentinum non opponitur nostræ Conclusioni. *ibid. n.* 112
Pontifex potest delegare alteri potestatem dispensandi. *p.*495.*n.*118

PAROCHUS.

Parochi in casu particulari possunt suis Parochianis prohibere Matrimonium ad aliquod tempus. *pag.* 18. *n.* 104
Parochus non potest judicialiter de Impedimento cognoscere; potest tamen interea Matrimonium interdicere; intellige extrajudicialiter. *pag.*59. *n.* 115
Peccant, qui contra hujusmodi interdictum contrahunt. *pag.*59.*n.* 116 *&* 117
Expedit, ut Parochus scribat, an aliqui sint Patrini in solo Catechismo, ex Sanchez. *pag.* 80. *n.* 260
An sit obligatio. *ibid.n.*261
Vide *Interdictum.*

PATRINUS. Vide *Cognatio spiritualis.*

PECCARE. PECCATUM MORTALE.

Peccat mortaliter, qui contrahit Matrimonium cum Impedimento dirimente. *pag.* 36.*n.* 225 *& seqq*
An contrahens cum Impedimento dirimente committat duplex peccatum? Negat Sanchez. *pag.* 37.*n.*233
Petrus Ledesma docet, negativam opinionem non esse improbabilem. *ibid.n.*234
Probabilius est, etiam malitiam sacrilegij posse reperiri, ex Coninck. *ibidem.*
Dum privatim contrahitur, sæpiùs abest. *ibidem n.* 235
Potest etiam adesse malitia luxuriæ. *ibidem*
Ipsi contrahentes faciunt Sacramentum irritum hic & nunc. *ibid.n.*236
Necessitas excusat ab irreverentia. *ibid. n.* 237. *&* 238
Simulatio Sacramenti extra necessitatem est sacrilegium. *ibid. n.*239
Metus excusat. *pag.* 38.*n.*239 *& seqq*
Quale sit peccatum, contra Prohibitionem Episcopi vel Parochi contrahere Matrimonium? Pontius putat frequentiùs esse mortale. *pag.*59.*n.*118
An benè probetur ex gravitate pœnæ. *ibid. n.*119 *& seqq.*
Quid senserit Emanuel Sa? *pag.* 60.*n.*121
Item, quid Navarrus? *ibid.n.*122 *&* 123

POENA.

Etiam in pœnis fit compensatio delictorum. *p.*745 *n.* 285
Excipitur pœna mortis. *ibidem.*

POMPÆ SÆCULARES.

An sæculares pompæ tempore clauso sint graviter prohibitæ. *p.* 67. *n.* 175 *& seqq.*
Judicium Auctoris. *p.* 69.*n.*182
Vide *Tempus Feriatum.*

POENITENTIA SOLEMNIS.

Solemnis pœnitentia impedit, sed non dirimit Matrimonium. *pag.* 88.*n.*319 *& seqq.*
Disputatur hîc de Matrimonio contrahendo, pœnitentiâ peractâ. *ibid.n.*322
Solemnis pœnitentia non est ampliùs in usu. *pag.* 89.*n.* 325

POSSESSIO. POSSIDENS.

Cui conceditur possessio, etiam conceditur usus, & alienatio. *p* 642.*n.* 298. *&* 299
Qualiter possidens bonâ fide possit rem alienare. *ibid. n.* 300
An debeat restituere pretium, Domino comparente? *ibid.n.* 300 *& seqq*
Per quid possessio Matrimonij acquiratur, secundùm Schilders. *p.* 643.*n.* 303 *& seqq*
Possessio est titulus universalis. *ibid.n.*305

POTESTAS ECCLESIASTICA.

Potestas Ecclesiastica potest condere Leges civiles. *p.* 11.*n.*64

POTESTAS SÆCULARIS.

Per elevationem Matrimonij ad dignitatem Sacramenti non evanuit Materia potestatis sæcularis. *pag.*12. *n.* 65

PRINCEPS INFIDELIS.

Princeps Infidelis adhuc statuit Impedimenta respectu fidelium sibi temporaliter subjectorum, secundùm Sanchez. *pag.* 16. *n.* 92
Fundamentum oppositæ sententiæ, quam veriorem existimat Tannerus. *pag.* 16. *n.* 93 *& seqq*
Auctori placet sententia, affirmans Infideles de facto esse exemptos. *pag.*17.*n.* 101

PRINCEPS SÆCULARIS.

Princeps sæcularis per se potest ponere Impedimenta, etiam pro fidelibus. *pag.*9.*n.*49 *& seqq*
Circa accidentalia, quæ non pertinent ad Matrimonij substantiam, neque impediunt principale, disponunt Principes sæculares, ex Pontio. *pag.*9 *n.* 115

PRÆ-

PRÆSCRIPTIO.

Iure non determinatur aliquod tempus in Præscriptione Legum. p. 27. n. 164
Dispar est ratio præscriptionis, rerum, & Legum. ibid. n. 165
Quare non valeat præscriptio rerum cum malâ fide? ibid. n. 165
Secùs Præscriptio Legis. ibid. n 166
Vasquez requirit ad præscriptionem Legis notitiam Principis. ibid. n. 167 & 168
Idem sentit Pontius, requirens specialem consensum Principis. ibid. n. 169. & 170
Reprobatur ejus fundamentum. ibidem
Duplex est consensus Principis, unus personalis, alius legalis. ibid. n 171
Posterior sufficit, secundùm Suarez. pag. 28. n. 172
Non requiritur specialis scientia, ex eodem. ibid. n. 172 & seqq
In præscriptione rerum aliquando requiritur longiùs tempus, quam decennium. pag. 29. n. 179
Præscriptio legalis solùm considerat necessitatem boni communis. ibid. n. 180
Legislator non est involuntarius, sicut Dominus rerum. ibid. n. 181
Tempus longævum est tempus 10 Annorum. ibidem.
Quare in præscriptione Legum non fiat distinctio inter absentes & præsentes. p. 29. n. 182
Suarez existimat, in lege Ecclesiastica requiri 40 Annos. ibid. n. 183 & seqq.
Ad propriè præscribendum contra Ecclesiam Romanam requiruntur 100 Anni. p. 30. n. 185
Quare majus tempus requiratur ad præscriptionem rerum, quàm legis. ibid. n. 186
Præscriptio legis nullo jure aliquem privat. ibidem
Vide *Consuetudo*

PROFESSIO. PROFESSUS.

Professio invalida nullum habet effectum. pag. 150. n. 149
Ecclesia potest fictè professum cogere ad observantiam. ibid. n. 150
Quid operetur mala fides, seu dolus, ex Suarez. p. 151 n. 151
An fictè professus obligetur verè profiteri? ibidem
Communis sententia negat obligationem per se. Per accidens potest obligari ibid. n. 152
Professio Solemnis extinguit quæcumque vota simplicia, ex jure Canonico. p. 673. n. 482.
Ratio de alijs votis præter strictioris Religionis. ibidem
An hoc extinguatur per Professionem jure naturali? ibid. n. 483
Ecclesia dispensat in eo, ipso jure. ibidem.
Quam id fuerit rationabile. ibid. n. 484

PUBER. PUBERTAS.

Quis dicatur Puber? p. 407. n. 418 & seqq.
Legitima ætas pro Matrimonio est annus 12 in fœmina, 14 in viro. ibid. n. 422
Quæ ætas censeatur proxima pubertati, variæ opiniones. p. 414. n. 470 & seqq.
Sufficit Annus 11 in puella, & 13 in puero. ibid. n. 473
Aliud est judicare puerum pubertati proximum, aliud aptum Matrimonio. ibid. n 474
Quid requiratur, ut judex hîc rectè fungatur suo munere? p. 415. n. 474. & seqq
Vide *Impedimentum Impotentiæ.*

R

IMPEDIMENTUM RAPTUS SPONSATÆ, PROHIBENS MATR:

Quid sit raptus sponsatæ? pag. 84. n. 294
Quæ sit hîc sponsata? Aliqui de præsenti tantùm, alij etiam de futuro intelligunt. ibid. n. 295
Probatio prioris sententiæ, ex Sanchez. p. 85. n. 296
Auctor approbat hanc sententiam. ibid. n. 297
Perinde est, sive sponsa sit virgo, sive corrupta. ibid. n. 298
An requiratur subsecuta copula? affirmat Sanchez, & probat. ibid. n. 299
Oppositum docet Aversa. ibid. n. 299 & 300
An sufficiat resistentia solius sponsæ? ibid. n. 301. & 302
Quid si uterque sponsus consentiat? ibid. n. 303
Quid si fœmina rapiat alienum sponsum? pag. 86. n. 304

IMPEDIMENTUM RAPTUS DIRIMENS MATRIMONIUM.

Decretum Trid. de Raptoribus. p. 319. n. 1
Ad raptum requiritur violentia. ibid n. 2
Constitutio civilis de Raptoribus. ibid. n. 3.
Eâ statuitur pœna mortis, si fœminæ fuerint honestæ, secùs si meretrices. ibid. n 4
Quæ dicatur hîc meretrix? ibid. n. 5
Quid si rapta fuerit ancilla? p. 320. n. 6
Secunda pœna, amissio bonorum, si fuerit ingenua. ibidem
Tertia pœna prohibitio Matrimonij inter raptam & raptorem. ibid. n. 7
Eadem pœna statuitur jure Canonico. ibid. n. 8
Qualiter raptus olim fuerit Impedimentum, ex Pontio ibid. n. 9
Dictum jus civile tempore Iunocentij III. olim fuit correctum quoad prohibitionem Matrimonij cum raptore. ibid. n. 10
An etiam quoad raptum propriæ sponsæ? ibid. n. 11
Quid requiratur, ut locus sit pœnis raptûs. p. 321. n. 12 & seqq
Non est raptus, ubi puella volens abducitur. ibid. n. 16 & seqq
Quid si parentes consentiant, ipsa autem dissentiat? non est raptus. p. 322 n. 18 & seqq
An lex requirat copulam? ibid. n. 22
An sit distinguendum inter Monialem, & alias fœminas? ibid. n. 23 & seqq
An sufficiant importunæ preces ad violentam abductionem? p. 323. n. 26 & seqq
An saltem sufficiant ad pœnas Tridentini incurrendas? ibid. n. 29 & seqq
An aliquis dolus æquiparetur violentiæ? p. 324. n. 33 & 34
Quid censeatur traductio de uno loco ad alium. ibid. n. 34 & seqq
An requiratur animus explendi libidinem? pag. 325 n. 38
An pœna Raptoribus imposita sit latæ sententiæ? ibid. n. 39 & seqq
Raptus viri per mulierem habet malitiam specie distinctam ab illicito coitu. ibid. n. 42
An subjaceat ijdem pœnis? ibid. n. 43 & seqq
Raptus jure novo Tridentini est impedimentum dirimens. pag. 328 n. 60
Eodem jure statuitur Excommunicatio latæ sententiæ. ibid. n. 61
An sit reservata? pag. 329. n. 62
Præterea statuitur perpetua infamia, aliæque pœnæ. ibidem
An sint latæ sententiæ? ibid. n. 63 & seqq
Raptor non debet dotare raptam ante sententiam ex vi Tridentini. p. 330. n. 68
An dum raptor ducit raptam, cesset infamia, & incapacitas? ibid. n 69 & seqq.
An raptor sit irregularis? pag. 331. n. 75
An Parochus assistens Matrimonio invalido raptoris incurrat pœnas Concilij. ibid. n. 75 & 76
An violenta retentio puniatur? ibidem
Raptus solo jure Tridentini dirimit. ibid. n 77
Iure antiquo, cessante violentiâ, potest rapta nubere raptori. ibid. n. 78 & seqq
An rapta manens in potestate raptoris possit liberè consentire? p. 332. n. 80
An sit validum Matrimonium inter rapticem & raptum? ibid. n 81 & seqq
An requiratur intentio Matrimonij. pag. 333. n. 86 & seqq

An rarò ex raptu causâ libidinis sequatur Matrimonium. p. 335. n. 98
Resolutio Auctoris. ibid. n. 99 & seqq.
Raptus propriæ sponsæ punitur à Tridentino. ibid. n. 102. & 103
Decretum Tridentini comprehendit raptum cujuscumque mulieris, etiam conjugatæ. pag. 336. n. 104 & seqq.
Abducens propriam sponsam consentientem, invitis parentibus, non est raptor, secundùm jus Canonicum. ibid. n. 109
An sit eadem ratio aliarum mulierum? ibid. n. 109. & 110
Quare hic sit potiùs raptus, secundùm jus civile, quàm Canonicum? ibid. n. 111
Non excusat à pœnis Tridentini, quòd parentes consentiant. p. 337. n. 112
Excusatur, qui dolo aut precibus abducit, nisi æquivaleant violentiæ. ibid.
Quæ preces æquivaleant. ibid.
Non sufficiunt hîc blanditiæ, aut munera data, vel promissa. ibid. n. 114
Quid sit manere in potestate Raptoris. ibid. n. 116 & 117
Sufficit Raptus per alium. pag. 338. n. 118
Quid si quis rapiat, ut rapta Matrimonium ineat cum tertio? ibidem
Quid si id fiat ad instantiam illius tertij? ibid. n. 119
Quid si tantùm sciat id fieri, & delectetur? ibidem
Quid si ratum haberet? ibid. n. 120
Non est necesse, ut quis proprijs manibus rapiat. ibid.
Non requiritur copula. ibidem n. 121
Quid si dimittatur rapta, antequam sit perducta ad locum destinatum? ibid. n. 122
Quid si non intendat contrahere, durante raptu? ibidem
An sufficiat intentio merè interna? pag. 339. n. 123
An raptus dirimat sponsalia? ibid. n. 124 & seqq.
Non est hîc eadem omninò ratio in Matrimonio, & sponsalibus. p. 340. n. 130 & seqq.
Disparitas hîc inter Impedimentum criminis, & raptûs. pag. 341. n. 134
An sit irrationabile, irritare Matrimonium in hoc casu, & non sponsalia? ibid. n. 135 & seqq.

RELIGIOSUS. SANCTIMONIALIS.

Religiosi, & Sanctimoniales contrahentes Matrimonia ipso facto excommunicantur, ex Clem. unic. de Consang. pag. 142. n. 88
Quid si sponsalia contrahant? ibid. n. 89
An sufficiat Matrim. non consummatum? ibid. n. 90
Quid si fœmina contrahat cum Religioso, vel Clerico? ibidem
An saltem indirectè incurrat excommunicationem? Negat Suarez, estò etiam tali Matrimonio utatur. ibid. n. 91. & 92
Ad summum incurret excommunicationem minorem. ibid.
Hæc Constitutio quoad primam partem non ligat ignorantes. ibid. n. 93
De qua ignorantia hoc intelligatur, juxta Glossam. idid. n. 94.
Etiam ignorantia juris hîc excusat, ex Suarez, dummodo non sit affectata. p. 143. n. 95
Simpliciter ignorat, qui affectatè ignorat. ibidem
Quid importet ly *Scienter* in lege pœnali? ibid. n. 96
Ignorantia culpabilis non affectata excludit dolum. ibidem
Quid si alter solus scienter contraxit? Hic solus excommunicatur in duobus casibus, ex Suarez. ib. n. 97
Quid dicendum de tertio casu, puta de Moniali contrahente? ex eodem. ibid. n. 98
An ignorantia vincibilis eam excuset? ibid. n. 99
Videtur, quòd sic. ibid. n. 100
Ly *Scienter* ponitur in secunda parte textûs æquivalenter. ibidem
Dicta Constitutio non punit cohabitationem, vel incestum; sed solum contractum. ibid. n. 101
Quid si falsò credatur consanguinea, vel Monialis, cum qua contrahitur? ibid. n. 102
Non incurritur Censura secundum Glossam, quam amplectitur Suarez. pag. 144. n. 103
Idem est, si exteriùs contrahat sine intentione, ex eodem. ibid. n. 104. & 105
Contraria sententia est probabilis. ibid. n. 106
Sanchez tenet sententiam Suarij, & probat. ibid. n. 107
Coactio excusare videtur ab hac Censura, ex Glossa, & Imola, alijsque, quos sequitur Sanchez. ibid. n. 108
Non tamen defectus consensûs interni. ibid. n. 109
Sanchez putat, sufficere defectum consensûs in una parte. ibid. n. 110 & seqq.
Hæc pœna non habet locum, nisi in sex casibus, ex Glossa. pag. 145. n. 113
Qui censeantur hîc Religiosi? ibid. n. 114
An etiam Clerici Societatis Iesu post vota simplicia? ex Sanchez. ibid. n. 115
An etiam professi antè expletum annum probationis? ibid. n. 115

REVALIDATIO MATRIMONIJ.

Revalidatio Matrimonij invalidè contracti sæpè difficilis est. p. 569. n. 1. & 2
Quando uterque ficté contraxit, debet uterque de novo exteriùs & interiùs consentire. ibid. n. 3 & seqq.
An in casu, in quo altera pars coactè consensit, satis sit, si ipse internè consentiat? p. 570. n. 7 & seqq.
Quid si unus verè consenserit? ibid. n. 10
Comitolus requirit novum utriusque consensum externum. ibid. n. 11
Qui de hac re scripsit litteras ad Rectorem Pœnitentiariæ. p. 571. n. 12
Responsum Clementis VIII. de hac re quantum robur obtineat. ibid. n. 13. & 14
Ventilatur latiùs hæc controversia. ibid. n. 15 & seqq.
Ratio nostræ Conclusionis. p. 572. n. 21
Potest Matrimonium contrahi, estò uterque consensus physicè non existat ibid.
An qui absolutè contrahit, censeatur suum consensum limitare ad tempus? ibid. n. 22
Pro quo tempore duret consensus? ibid. n. 23 & seqq.
Aliquod temporis spatium potest intercedere inter unum & alterum consensum; & quantum? pag. 574. n. 34 & seqq
Nostra sententia practicari potest, quando nequit facilè obtineri novus consensûs. pag. 575. n. 41
An nostra sententia sit opinio D. Thomæ, & Doctoris Seraphici? ibid. n. 42 & seqq.
Consensus est moralis tantùm causa obligationis. p. 576. n. 46
An sufficiat ad Matrimonium habitualis perseverantia consensûs, an verò requiratur virtualis? ibid. n. 47. & 48
Matrimonium irritum ob consanguinitatem, vel aliud simile impedimentum, obtentâ dispensatione, novum utriusque consensum requirit; cognitâ priori invaliditate. ibid.
Est Doctrina D. Thomæ & Scoti. ibid. n. 49
Solvuntur fundamenta oppositæ sententiæ. p. 577. n. 50 & seqq.
An requiratur cognitio nullitatis prioris Matrimonij. p. 578. n. 57 & seqq.
Magis est conforme rationi, quòd requiratur notitia invaliditatis. p. 579. n. 64
An sufficiat suspicio invaliditatis? ibid. n. 64 & seqq
Judicium Auctoris. p. 580. n. 67 & 68
Ratio Doctrinæ Auctoris. ibid. n. 69
Hæc Doctrina reprobatur à Pontio: an benè? ibid. n. 70 & seqq.
An sufficiat copula maritalis ad revalidationem? p. 581 n. 74 & seqq.
Non sufficere copulam cum antiquo consensu, docet Scotus. p. 582. n. 80 & 81
Consentit Sanchez, quando novus consensus est moraliter possibilis. ibid.
Optima cautela aperiendi alteri nullitatem Matrimonij, ex eodem. ibid. n. 82
Expenditur à Dicast. ibid. n. 83. & 84

In casu necessitatis posset omninò tegi nullitas Matrimonij, ex Sanchez. pag. 583. n. 85 & seqq.
An oppositum probetur ex eo, quòd in sacramentis sit obligatio sequendi sententiam magis tutam? ibid. n. 89 & seqq.
Quid sit hîc speciale in casu necessitatis. pag. 584. n. 94
Auctor ostendit hîc obligare legem charitatis. ibid. n. 95. & 96
Ostenditur aliqualis probabilitas dictæ sententiæ. ibid. n. 97
An sufficiat, quòd expressio consensûs fiat per copulam? pag. 585. n. 99
An hîc tantùm sit error circa qualitatem? ibid. n. 100 & 101
Iudicium Aversæ de hâc re. ibid. n. 101 & seqq.
An sufficiat simplex voluntas confirmandi matrimonium? p. 586. n. 104 & seqq.
Resolutio finalis. ibid. n. 106
Explicatur quædam clausula solita apponi in dispensationibus. ibid. n. 107
An dicta Clausula inducat conditionem necessariam ad valorem? ibid. n. 108 & seqq.
Ad revalidationem Matrimonij esse necessariam novam præsentiam Parochi & testium, non convincitur ex Trid. sess. 24. de Matr. c. 1. ibid. n. 111 & seqq.
Quis fuerit finis Tridentini? pag. 588. n. 115
Ostenditur, quòd in sententia nostra obtineatur. ibid.
Item, quòd observetur forma Concilij. ibid. n. 116. & seqq.
Quæ fuerit mens Clementis VIII.? pag. 589. n. 122. & 123.
Dicastillo concedit, Clementem dispensasse, sine tamen necessitate. ibid. n. 124
Navarrus refert, Pium V. declarasse nostram sententiam. ibid. n. 125
Respondet Pontius, Pium V. dispensasse. ibid. n. 126
Ludovicus de Schildere dicit, statuisse, ut semper dispensaretur. p. 590. n. 126. & 127
Examinantur quædam Cardinalium Decisiones ibid. n. 128 & seqq.
Quando Impedimentum potest plenè probari, requiritur præsentia Parochi, ex Sanchez. ibid. n. 131
Quando censeatur Impedimentum plenè probabile? ex eodem. ibid. n. 132 & seqq.
Sanchez intelligit hanc sententiam, quando Parochus & testes, vel unus eorum, nossent impedimentum. pag. 591. n. 135
Quid si priùs sciunt, jam contracto Matrimonio? ibid. n. 136
Quid si Parochus noverat intrà solam Confessionem? ibidem
Dicastillo consentit Sanchio in primo puncto, secundum oppugnat. ibid. n. 137
Iudicium Auctoris. ibid. n. 138 & seqq.

REX

Vitæ & gesta Regum & Pontificum non sunt semper imitanda. pag. 6. n. 29

S

SACRAMENTUM MATRIMONIJ.

Quare sacramentum Matrimonij plus recipiat Impedimenta, quàm alia sacramenta? pag. 5. n. 20
Probatur, rationem Sacramenti Matrimonij non subijci auctoritati Ecclesiæ. p. 5. n. 27. & 28
Ex natura rei non sit irreverentia Sacramento Matrimonij, si contractus subijciatur principi. pag. 10 n. 55 & seqq.
Matrimonium Sacramentum, & non Sacramentum sunt ejusdem naturæ secundum se. pag. 11. n. 63

SERVUS. SERVITUS

Servi sunt in triplici differentia. p. 90. n. 5
Servi originarij sunt verè liberi. ibidem
An servitus sit justa? ex Scoto. pag. 91. ni 10 & seqq.
Quomodo servitus sit contra legem naturæ. pag. 92 n. 14
Quid sit libertas & servitus? ibidem
Servitus est juris gentium. ibid. n. 15
Quare servitus semel amissa non renascatur? p. 744. n. 269
Vide *Imped. Erroris & conditionis servilis.*

SPADO.

Quid importet ly *Spado* in rigore grammaticali? p. 220 n. 384
Quid importet in jure. ibid. n. 384. & 385
In quo differat à castrato? juxtà Hostiensem. ibid. n. 386

SPONSALIA.

Sponsalia obligant, nõ transire ad aliud Matrimonium. pag. 42. n. 2
Sponsalia impediunt Matrimonium jure naturæ; non dirimunt. ibid. n. 3 & seqq.

SPONSALIORUM DISSOLUTIO.

An Iudex sæcularis possit aliquo casu dissolvere sponsalia? videtur, quòd sic. pag. 513. n. 228
Pontifex non potest sine causa validè dissolvere sponsalia. ibid. n. 229
An valeat dispensatio sine causa in sponsalibus? pag. 516. n. 251. & 252.
Vide *Dispensatio Impedim: Matr.*

SUSCEPTUS PROPRIÆ SOBOLIS.

Susceptus propriæ sobolis, crimen impediens olim Matrimonium, extenditur ad suscipientem in Confirmatione, ex Aversa & Sanchez. pag. 87. n. 316. & 317
Vide *Impedim. Cognationis Spiritualis.*

T

TEMPUS FERIATUM.

Quid sit tempus feriatum? pag. 61. n. 132
Diversa tempora, quibus olim prohibitum erat contrahere Matrimonium. ibid. n. 133
Tempora, quæ hodie prohibentur, ex Tridentino. pag. 62. n. 134
Per celebrationem nuptiarum hîc intelligitur solemnis. ibid. n. 135
Hæc prohibitio est justa, ex Tridentino. ibid. n. 136
Ratio ejus, ex D. Thoma. ibid.
Alia ratio, ex Bellarmino. ibid. n. 137
Argumento Hæreticorum satisfit, ex Bellarmino. ibid. n. 138
Rationes prohibitionis, ex D. Bonaventura, una moralis, alia figuralis. ibid. n. 139
Quare Tridentinum coarctaverit tempora hujus prohibitionis, ex Aversa. p. 63. n. 140
An hæc prohibitio graviter obliget? Affirmat Aversa. ibid. n 141
An pœna inflicta à jure sit observanda? ex eodem. ibidem
Hanc gravitatem obligationis docet etiam Sanchez. ibid. n. 142
Reijcitur Ledesma, qui oppositum docet, cessante scandalo & contemptu. ibid.
Similiter docet Sanchez, pœnam esse infligendam tùm Parochis, tum contrahentibus. ibid. n. 143
Quanto tempore debeant sponsi separari? ibid. n. 144
An debeant separari, etiam consummato Matrimonio? ibid.
In casu proposito non requiritur formalis contemptus. pag. 64. n. 148
Quis possit dispensare in hoc præcepto? Papa potest. ibid. n. 149
Parochus ordinariâ potestate non dispensat. ibid.
An Episcopus possit? ibid. n. 150 & seqq.
Non solemnis traductio licet tempore feriato. pag. 69 n. 183

Pontius putat, eam jure antiquo esse illicitam, & probat ex diversis juribus. *ibid. n.* 184 *& seqq.*
Responsio ad illa Concilia. *ibid. n.* 186 *&* 187
Hodie sola solemnitas nuptiarum est prohibita. *ibid. n.* 188
In consummatione Matrimonij, ante tempus feriatum contracti, tempore feriato nullum est peccatum, ex Pontio. *p.* 70. *n.* 189
Imò tametsi fuisset contractum ipso tempore feriato. *ibid. n.* 189 *& seqq.*
An ipsa dies Epiphaniæ comprehendatur in ea prohibitione? Pars affirmans probatur ex Tridentino, & alijs juribus. *ibid. n.* 194 *& seqq.*
Ubi jus prohibeat nocte celebrare benedictiones nuptiales. *p.* 71. *n.* 196 *& seqq.*
An dies immediatè præcedens tempus feriatum sit prohibitus? *ibid. n.* 202
Secundùm Sanchez, prohibitio incipit à primis vesperis. Oppositum docet Pontius. *pag.* 72. *n.* 303
Oppugnatur ab Auctore. *ibid. n.* 204. *&* 205
Sententiam Sanchez sequitur Aversa &c. *ibidem n.* 206
Quare prohibitio non extendat se ad diem præcedentem feriam quartam Cinerum? *ibid. n.* 207
An sit distinctio hic inter nomen *Adventus*, & ly *Dominica* 1. *Adventûs*? videtur quòd non. *pag.* 72. *n.* 208 *&* 209
An jam dicta etiam de secundis nuptijs sint intelligenda? Affirmat Pontius. *ibid. n.* 210 *& seqq.*
Opposita sententia probatur ex Rituali Rom. Et respondetur ad argumenta Pontij. *pag.* 73. *n.* 213 *& seqq.*
Casus quidam, ex Pontio. *pag.* 74. *n.* 218
An consuetudine contrarium præscriptum sit? *ibid. n.* 219
Vide *Benedictio Nuptialis.*

TESTAMENTUM.

Iure naturæ non est illicitum facere testamentum irritum. *p.* 36. *n.* 226

V

VERITAS.

Per se non debet Doctor cessare à veritate fatenda. *pag.* 49. *n.* 51
Triplex veritas, vitæ, doctrinæ, & justitiæ. *ibid. n.* 52

VIRGINITAS.

Virginitas differt ab arctitudine. *pag.* 417. *n.* 494
Vide *Impedimentum Impotentiæ.*

IMPEDIMENTUM VOTI IRRITANS MATRIM.

Divisio voti continentiæ, ex Scoto. *pag.* 129. *n.* 1
Quod votum debeat dici solemne ad dirimendum Matrimonium? *ibid. n.* 2
Professionem solemnem dirimere Matrimonium, est definitum in Trid. *ibidem n.* 3 *&* 4
Quæ sit professio tacita? *ibid.*
Quid sit votum solemne, & quotuplex, dirimens Matrimonium, ex Glossa. *ibid. n.* 5. *&* 6
Scotus tantum duos modos solemnitatis ponit. *ibid.*
Quare aliquod votum dicatur solemne. *ibid. n.* 7
Tres modi, qui ponuntur in Glossa, coincidunt cum duobus modis Scoti. *pag* 130. *n.* 8
An Scotus benè distinguat votum solemne à simplici? *ibid. n.* 9
Vota Societatis Iesu simplicia, post biennium emissa, erant ignota Scoto. *ibid. n.* 10
An antè Concilium Romanum professio habuerit vim dirimendi Matrimonium? *ibid. n.* 11
Negat Pontius. *ibidem*
Aliquot testimonia D. Augustini pro Pontio. *ibid. n.* 12 *& seqq.*
Bellarminus putat, dici posse, D. Augustinum fuisse in illa sententia. *p.* 131. *n.* 19
An etiam Bernardus? *ibid. n.* 20 *&* 21
Quid dicendum ad D. Augustinum? *pag.* 132. *n.* 22
Non satis clarè mentem suam explicavit. *ibidem*
Testimonium D. Basilij contra Pontium. *ibid. n.* 23
Responsiones Pontij. *ibid. n.* 24
Quare Patres & Concilia jusserint taliter conjugatos separari? *ibid. n.* 25
An pœna illa fuerit justa? *ibid. n.* 25 *& seqq.*
Suarez putat, intelligendam separationem quoad vinculum in Decreto Calisti II, & Concilij Turonensis II. *ibid. n.* 27 *& seqq.*
His decretis opponit Pontius alia, in quibus validè conjugati jubentur separari. *pag.* 133. *n.* 30. *&* 31
Conclusio Pontij. *ibid. n.* 32
Qualiter D. Basilius Matrimonium Canonicorum appellaverit fornicationem & adulterium, ex Pontio. *pag.* 134. *n.* 34
Hodie non separantur, qui cum voto simplici contrahunt. *ibid. n.* 36
Nullum votum simplex jure communi est impedimentum dirimens, licet non minùs obliget coram Deo, quàm solemne. *ibid. n.* 37. *&* 38
Quid sit solemnitas voti, & quotuplex? ex Pontio. *ibid. n.* 39 *& seqq.*
Per vota simplicia in Societate Iesu constituitur quis verus Religiosus, ex Bulla Gregorij XIII. *p.* 135 *n.* 42. *&* 43
In ea præterea declarantur tales Religiosi inhabiles ad Matrimonium; cùm antè eam forent capaces. *ibid. n.* 44. *&* 45
Iure communi vota simplicia Societatis non dirimunt Matrimonium. *ibid. n.* 46
Habent solemnitatem, quam Pontius vocat essentialem intrinsecam. *p.* 136. *n.* 47
Hanc solemnitatem putat hic auctor esse juris divini. *ibid. n.* 48
Quo jure solemnis professio dirimat Matrimonium? *ibid. n.* 49
Scotus docet, jure Ecclesiastico id facere? *ibid. n.* 49 *& seqq.*
Doctor Angelicus asserit jus naturale. *ibid. n.* 53
Utì etiam Doctor Seraphicus. *pag.* 137. *n.* 54 *& seqq.*
Ratio ex Scoto pro sua sententia. *ibid. n.* 58
Ultima ratio, quare unum votum dirimat, & non aliud, est, secundum Scotum, Constitutio Ecclesiæ. *ibid. n.* 59
An Ecclesia possit tollere illam constitutionem? *ibid. n.* 60 *& seqq.*
Solemnitas voti non consistit in traditione. *pag.* 138. *n.* 62. *&* 63
A quo oriatur perpetuitas Religionis? *ibid. n.* 64
Cur potiùs unum votum sit perpetuum ex parte acceptationis, quàm aliud? *ibid. n.* 65
Legitima solemnitas votorum consistit in quibusdam inhabilitatibus. *ibid. n.* 66 *& seqq.*
Pontius & Sanchez docent sententiam Scoti. *pag.* 139. *n* 68 *& seqq.*
Argumenta Adversariorum solvuntur. *ibidem. n.* 73 *& seqq.*
Vota simplicia Societatis dirimunt Matrimonium. *pag.* 141. *n.* 87

IMPEDIMENTUM VOTI MERE PROHIBENS MATRIM.

Votum jure naturæ impedit, non dirimit Matrimonium. Quid per illud intelligatur? *pag.* 42. *n.* 6
Probatur, votum abstinendi à Conjugio impedire. *ibid.*
Idem probatur de alijs votis *p.* 43. *n.* 7
Votum prohibet consummationem Matrimonij, idque jure divino, & naturali. *pag.* 43. *n.* 8. *&* 9
Non prohibet Matrimonium sine animo consummandi. Et aliquando licitè sic contrahitur. *ibid. n.* 10
Vinculum Matrimonij non est formaliter contrarium Castitati, utì nec Religioni, aut Ordini sacro. *ibid. n.* 11
Aliquando licet contrahere cum animo consummandi, non obstante voto Castitatis &c. *ibid. n.* 12. *&* 13
Duplex consideratio ejus, qui vovit. *p.* 44. *n.* 14
Quid requiratur, ut obligatio voti cesset. *ibid.*
Frequens lapsus in peccatum non tollit per se obligationem voti. *pag.* 44. *n.* 15 *& seqq.*
Error Hæreticorum, votum Castitatis esse impossibile, refutatur, ex Coninck. *ibid. n.* 19 *& seqq.*

Quæ voti, eadem est ratio juramenti: & quæ voti absoluti, etiam conditionati. *pag. 46. n. 28*
An peccet, qui scienter contrahit cum eo, qui habet votum? affirmat Sanchez. *ibid. n. 29*
Quare non peccet, qui contrahit cum Excommunicato, sicut qui contrahit cum habente votum? *ibid. n. 31*
Videtur, quòd hic non semper peccet, estò induceret ad Matrimonium. *ibid. n. 32. & 33*
Aliter arguitur contra Sanchez. *ibid. n. 34*
Aliud fundamentum ejus Doctrinæ, ex Coninck. *pag. 47. n. 34*
Quamvis in casu proposito obligatio Matrimonij non sit licita, secùs tamen acceptatio. *ibid. n. 35. & 36*
Certum est, quod acceptatio valeat. *ibid. n. 37. & 38*
Excipitur votum simplex Castitatis in Societate. *ibid. n. 39. & 40*
Quid si uterque conjux foret ligatus voto? adhuc valet Matrimonium, estò neuter posset reddere debitum. *ibid. n. 41 & seqq.*
Quantùm ad Deum, simplex votum non minùs obligat, quam solemne, ex Hostiensi. *pag. 48. n. 43*
Quid respondendum ei, qui me consulit, utrùm cum voto possit contrahere Matrimonium? Hostiensis putat tacendum. *ibid. n. 44. & 45*
Sanchez existimat, Hostiensem nimis scrupulosè locutum, dicens primò, interrogantem fore eludendum. *ibid. n. 46*
Secundò, respondere veritatem nullam esse culpam. *ibid. n. 47*
Tertiò, posse adesse peccatum incautæ responsionis. *ibid. n. 48*
An sit peccatum mortale? Ordinariè non est; & quare. *ibid. n. 49*
Bonus modus respondendi. *pag. 49. n. 50*
An quotidie peccanti contra votum liceat consulere Matrimonium? *ibid. n 53*
Licet consulere minùs malum comparativè. *ibid. n. 54*
An liceat absolutè suadere? *ibid. n. 55. & 56*
Quare consulere malum non semper sit malum? *pag. 50. n. 56*
Videtur sufficere, quòd consilium sit virtualiter comparativum. *ibid. n 57*
An in casu proposito sit meliùs inire Matrimonium? Negat Coninck. Oppositum docet Pontius, si aliâ via citò succurri non possit. *ibid. n. 58. & 59*
Res est dubia. *ibid. n. 59*
Qui contraxit cum voto, non tenetur intrare Religionem. *ibid. n. 60 & seqq.*
Non potest reddere debitum ante bimestre. *pag. 51. n. 63*
Quid si petens debitum anteà promiserat, se non petiturum. *ibid. n. 65. & 66*
Quid si aliquis prævideat suam fornicationem, nisi ingrediatur Religionem. *ibid. n. 67*
Quid si post contractum Matrimonium emisit votum? fortè non tenetur ad ingressum in Religionem. *ibid. n. 68*
Neque id contrariatur Scoto. *ibid. n. 69 & 70*
Qui vovit Religionem ingredi, peccat primâ vice consummando. *pag. 52. n. 71*
Qui vovit Ordinem sacrum, peccat contrahendo, sed licitè consummat. *ibidem*

USUS MATRIMONIJ, COPULA CONJUGALIS, DEBITUM CONJUGALE.

Conjugium per se ordinatur ad copulam. *p. 593. n. 1*
Actus conjugalis ex se licitus est, imò præceptus primis parentibus. *ibid. n. 2*
Est quoque bonus & meritorius. *ibid. n. 3*
Quomodo coitus excusetur à culpa, ex D. Bonav. *ibid. n. 4*
An possit excusari ab omni veniali? *ibid. n. 5 & seqq.*
In omni actu conjugali est quædam immoderatio &c. *p. 594. n. 12*
Matr. excusat copulam à peccato; uti etiam motus antecedentes. *ibid. n. 13*
Ratione motuum actus conjugalis vocatur immunditia. *p. 595. n. 14*
Quomodo intelligendus Siricius Papa? *ibid. n. 14 & seqq*
Reddere debitum est dupliciter laudabile, ex Scoto. *ibid. n. 18 & seqq.*
Actus conjugalis aliquando est debitus ex justitia, ex Apost. 1. Cor. 7. *p. 596. n. 21*
An meritorius ex opere operato? *ibid. n. 22*
An Copula possit aliquando esse causativa gratiæ ex opere operato? *ibid. n. 23 & seqq.*
Resolutio Auctoris. *p. 597. n. 30*
Quando copula sit obligatoria? *ibid. n. 31*
Tenetur quis reddere debitum tacitè petenti. *ibid. n. 32*
Aliquando tenetur alter alteri se offerre ad copulam. *p. 598. n. 33*
An hæc obligatio sit justitiæ, an pietatis? *ibid. n. 34 & seqq.*
Sententia Dicast: de hac obligatione. *ibid. n. 37*
Judicium Auctoris. *ibid. n. 38*
Ex Matr. non sequitur obligatio cogendi alterum, ut utatur re suâ, ex Coninck. *ibid. n. 39. & seqq.*
Probatur obligatio strictæ justitiæ, sed inefficaciter. *p. 599. n. 43. & 44*
Conjuges per se loquendo non tenentur debitum petere. *ibid. n. 45 & 46*
Debitum ex genere suo obligat sub mortali. *p. 600. n. 47*
Quando per accidens sit veniale. *ibid. n. 48*
An sit peccatum mortale, semel aut iterum negare debitum? *ibid n. 49. & 50*
An periculum incontinentiæ possit dare majus jus? *ibid. n. 51*
Quoties conjux debeat negare debitum, ut peccet mortaliter? *ibid. n. 52*
An plures negationes per intervalla constituant unam gravem? *pag. 601. n. 53. & 54*
Aliqui tenent, unam solam negationem debiti esse peccatum mortale. *ibid. n. 55*
Conjuges, qui reddunt se absolutè impotentes ad moderatam copulam, peccant mortaliter. *pag. 602. n. 58*
Hæc circumstantia foret explicanda in confessione. *ibid. n. 59*
An peccent, qui reddunt se minùs potentes? *ibid. n. 60*
An conjux peccet, qui moderatè jejunat, aut studet? *ibidem*
Ex quo moderatio colligenda sit. *ibid. n. 61*
An Excusetur à jejunio, qui aliter non potest reddere? *ibid. n. 62. & 63*
Non tenetur conjux se reddere potentiorem. *ibidem.*
Si vir præcipiat uxori solvere jejunium, an ea possit obedire? *ibid. n. 64. & 65*
Vir, qui sine causa cogit comedere, peccat. *p 603. n. 66*
Quid si vir præcipiat in contemptum Ecclesiæ? *ibidem*
An conjuges sine mutuo consensu possint vovere jejunia? *ibid. n. 67 & seqq.*
Quod dicendum de votis Religiosorum, idem resolvendum est in nostro casu. *pag. 604. n. 72 & seqq.*
Duplici modo excusatur quis à reddendo debito, ex Scoto. *ibid. n. 75. & 76*
Non tenetur reddere cum periculo propriæ vitæ neque ex justitia, neque ex charitate, ex Hiquæo. *p. 605. n. 77*
An tali casu foret licita copula, vel illicita? *ibid. n. 78*
Quid si sit periculum incontinentiæ? An tali casu foret licita copula, aut obligatoria? *ibid. n. 79 & seqq*
An unus conjux magis debeat præcavere incontinentiam alterius, quam hominis extranei? *pag. 606. n. 84*
Quid sit hîc notabile detrimentum excusans, ex Sanchez. *ibid. n. 85*
An immoderata petitio? *ibid. n 86*
An immoderatus usus sit peccatum lethale? *ibid.*
Quale sit peccatum copula cum gravida, ex Hiquæo. *ibid. n. 87. & 88*
Nullum est peccatum, interveniente justâ causâ. *p 607 n. 88*
An periculum incontinentiæ sit talis causa, dum mors fœtûs est moraliter certa? *ibid. n. 89*
In nullo casu obligat debitum cum præsentaneo mortis periculo. *ibid. n. 90*
Quid si salus Reipub. penderet ab ea copula? ex Hiquæo. *ibid n. 91*
Lepra superveniens non dissolvit Matr. *pag. 608. n. 92*
An liberet à reddendo debito? probatur quod non ex

juro

jure Canonico. *ibid. n. 92 & seqq.*
Periculum infectionis excusat à cohabitatione, juxtà D. Bonav. & D. Thomam. *ibid. n. 95 & 96*
Periculum infectionis prolis non excusat à debito, ex Scoto. *ibid. n. 97*
Periculum propriæ infectionis excusat à diuturna cohabitatione, ex eodem. *p. 609. n. 98*
Intellige, nisi sciens contraxerit. *ibid. n. 99*
Duplex casus, in quo non excusat, ex Hiquæo. *ibid. n. 100*
Potest quis licitè contrahere cum leprosa cognita. *ibid. n. 101*
Teneturque reddere debitum cum periculo infectionis *ibid. n. 102*
Etiam ubi non tenetur, potest reddere. *ibid. n. 103*
Quid si lepra non fuerit prævisa, neque deducta in pactum? probatur obligatio reddendi. *ibid. n. 104 & seqq*
Idemque dicendum foret de cohabitatione, ex Hiquæo *p. 610. n. 107*
Iudicium Auctoris. *ibid. n. 108 & seqq.*
Major est obligatio reddendi debitum leproso, quam cohabitandi? ex Sanchez. *p. 611. n. 110*
Solus horror absque periculo excusat aliquando, ex eodem. *ibid. n. 111*
Quantus debeat esse iste horror? ex eodem. *ibid.*
Faciliùs excusatur vir sanus à reddendo debito leprosæ, quam mulier sana à reddendo viro leproso, ex eodem. *ibid. n. 112*
An sit eadem ratio infectionis propriæ, & prolis. *ibid. n. 113*
An menstrua reddant copulam semper illicitam? ex Scoto, & D. Thoma. *ibid. n. 114. & seqq.*
An menstruata, à qua petitur debitum, debeat reddere? Quid de hac re sentiat D. Angelicus, & Doct. Seraphicus? *p. 612. n. 117 & seqq.*
Quod copula sit licita, probatur ex Castro *p. 613. n. 126 & seqq.*
Judicium Auctoris. *ibid. n. 132 & seqq*
Copula cum Menstruata ut plurimùm est venialis, ex Sanchez. *p. 615. n. 135*
Ratio est turpitudo. *ibid.*
In quo consistat hæc turpitudo? ex eodem. *ibid. n. 136*
An proles posset conqueri de injuria? *ibid. n. 136 & seqq.*
Aversa putat, talem copulam ex justa causa nullum esse peccatum. *p. 616. n. 139. & 140*
An Lex Levit 20. repugnet alteri Legi Levit. 15. *ibid. n. 141 & seqq.*
Judicant hodierni Medici, ex copula cum Menstruata nullum damnum imminere proli. *p. 617. n. 146 & seqq*
Resolutio finalis. *ibid. n. 150. & 151*
Quando tempus prægnationis reddat copulam graviter illicitam? *p. 618 n. 151 & seqq.*
An, seclusa damno prolis, hæc copula sit illicita, ex D. Aug. Ambros. & Hieronimo? *ibid. n. 154 & seqq.*
Probatur, copulam tempore lactationis non semper esse illicitam. *p. 619. n. 159*
Quomodo intelligendus D. Greg. in oppositum adductus, c. fin. dist. 5.? *ibid. n. 160*
Quid dicendum de tempore purgationis? *ibid. n. 161 & seqq*
Quâ ratione peccent nutrices alienorum, quæ viris suis miscentur. *p. 620. n. 164*
Quando lactans excusetur à reddêdo debito? *ibid. n. 165*
Præceptum positivum in hac materia si quod fuit, ablatum est. *ibid n. 166*
Ob nimietatem prolis possunt conjuges communi consensu abstinere à copula. *p. 621. n. 167*
An hæc nimietas aliquando excuset à redditione debiti? *ibid. n. 168 & seqq*
An & quando amentia excuset? *ibid. n. 171 & seqq.*
Quid si solus vir amens sit? Licet petere; an teneatur etiam reddere? *p. 622. n. 174 & seqq.*
Si uterque conjux sit perfectè & totaliter amens, separandi sunt, ex Sanchez. *ibid. n. 178*
An incitare eos ad copulam sit peccatum mortale? *ibid. n. 179 & seqq*
An incitans amentem, qui habet votum castitatis, ad ad fornicationem, sit reus sacrilegij? *p. 623. n. 182*
An peccet malitiâ fornicationis intra genus intemperantiæ? *ibid. n. 183. & 184*
An sit eadem ratio incestûs, & voti? *ibid. n. 184. & 185*
Qui incitat amentes de adulterium, peccat contra justitiam. *p. 624. n. 186. & 187*
Ebrietas excusat à redditione debiti. *ibid. n. 188*
Excusat subinde à redditione debiti magnum detrimentum in bonis fortunæ aut famæ: item magna utilitas in ijsdem. *ibid. n. 189 & 190*
An dies sacer excuset à debito conjugali? *p. 625. n. 191 & 192*
Quid sentiat de hac re D. Bonav.? *ibid. n. 193 & 194*
Petere non videtur per se esse peccatum mortale. *ibid. n. 195*
Explicantur variæ SS. Patrum Auctoritates. *pag. 626. n. 196 & seqq.*
An dd. Testimonia SS. Patrum habeant vim Canonis? *ibid. n 200. & seqq.*
An post copulam conjugalem liceat eo die communicare? *p. 627 n. 204 & seqq.*
Probatur, esse licitum, ex Sanchez, etiam dum copula habita fuit ad evitandam incontinentiam. *ibid. n. 207. & 208*
Quid si habita fuerit causâ explendę libidinis? Potest fieri, ut nulla sit culpa. *ibid. n. 208 & 209*
Sufficiens excusatio erit redditio debiti. *pag. 628. n 210*
Quanta mora temporis inter copulam & Eucharistiam sit necessaria, ex Sanchez. *ibid. n. 211*
Nulla est culpa post communionem petere ac reddere debitum, ex eodem. *ibid. n. 212*
Per accidens potest esse mortale, diebus sacris petere aut reddere. *ibid n. 212*
An copula conjugalis in loco sacro sit sacrilega? *ibid. n. 214*
Sententia Scoti. *p. 629 n. 214*
An Ecclesia polluatur tali copulâ? *ibid. n. 215 & seqq.*
Quid si copula maritalis haberetur publicè? *p. 630 n. 222*
Probatur ex Sanchez, non polluere actum maritalem in necessitate, quamvis foret publicus. *ibid. n. 224 & 225*
An eadem sit ratio petitionis & redditionis debiti. *ibid. n. 225. & 226*
Quod tempus dicatur hîc longum, & quod breve? *pag. 631. n. 227*
An copula talis solùm liceat ad vitandam incontinentiam? *ibid. n. 227 & seqq.*
Ostenditur veritas conclusionis. *ibid. n. 230*
Copulam conjugalem in loco sacro non esse illicitam, etiam extra necessitatem, est probabile. *ibid. n. 231. & 232*
Excommunicatio non excusat à redditione debiti. *pag. 632. n. 233*
An excommunicatus nequeat petere debitum? *ibid. n. 234 & seqq.*
An excommunicatus possit petere mulierem in judicio? *ibid. n. 238 & seqq.*
An vir possit communicare cum muliere excommunicata? Rationes dubitandi. *pag. 633 n. 241 & 242*
An possit ultra debitum conjugale? *ibid. n 243 & seqq.*
Quando in casu posito conjuges debeant abstinere à copula. *pag. 634. n. 248*
An illicitè utatur Matrimonio, cui certò constat invaliditas, si per Ecclesiam sub excommunicatione compellatur. *ibid. n. 249 & seqq.*
Quid si sit impedimentum tantùm Ecclesiasticum? non est aliquod signum voluntatis dispensandi, imò oppositum. *p. 635. n. 252 & seqq.*
Nec est credibile, Deum dispensare. *ibid. n. 254*
Objectiones solvuntur. *ibid n. 255 & seqq*
Ecclesia compellens ad copulam non censetur dispensare. *p. 637. n. 267*
An fœmina nullitatis Matr. conscia possit non resistere copulæ? *ibid.*
An possit in tali casu cohabitare cum periculo copulæ? *ibid. n. 268*
Quid si non possit commodè cohabitationem deserere? *ibid. n. 268 & seqq*
An debeat suis propriis membris resistere. *pag. 638. n. 271. & 272*

Dubius de valore Matr. bonâ fide contracti, potest post adhibitam sufficientem diligentiam petere debitum. *ibid. n.* 274
Quis hîc censeatur dubius? *ibid. n.* 275
Scrupulosus tenetur, deposito scrupulo, reddere, & potest petere. *ibid.*
Quæ hîc conscientia levis? *ibid. n.* 276
Quæ sit hîc conscientia probabilis? *ibid. n.* 277
Quid juris sit, talem habenti conscientiam? *ibid. n.* 277 *& seqq.*
In utroque foro reddi debet ei, qui bonâ fide contraxit. *p.* 639. *n.* 281 *& seqq*
Dubium, quod hîc intervenit, est merè speculativum. *p.* 640. *n.* 285 *& seqq.*
An in casu posito petitio debiti sit licita? *ibid. n.* 288 *& seqq.*
Quid faciendum, quando alter conjux dicit, se non consensisse? *p.* 641. *n.* 291. *&* 292
Petitio debiti est licita in casu dubio post sufficientem diligentiam. *ibid. n.* 293 *& seqq*
Possessio hîc est causa excusans à formali peccato. *p.* 643. *n.* 307 *& seqq.*
Quid si aliquis probabiliter opinetur Matr. esse validum, an possit reddere debitum? *p.* 644. *n.* 314. *& seqq.*
Quid dicendum de petitione? *p.* 645. *n.* 319 *& seqq.*
Præceptum non petendi in casu nostro fuisset durissimum, ex Sanchez. *p.* 646. *n.* 323
Priori bimestro dubius non potest reddere ante examen. *ibid.*
Quid si litigetur super Matr. dubio? an perdatur jus petendi? *ibid. n.* 324 *& seqq.*
Quid si dubitetur de alterius servitute? an teneatur reddere? *p.* 647. *n.* 330 *& seqq.*
Conjux qui malâ fide dubius de Impedimento dirimente contraxit, nullo pacto petere potest debitum, tenetur tamen reddere alteri bonâ fide possidenti. *p.* 649. *n.* 340 *& seqq*
Obligatio ejus, qui malâ fide contraxit. *p.* 650. *n.* 344
Conjux dubitans non tenetur reddere, quando aliunde excusatur. *ibid n.* 345
Additio, ex Aversa. *ibid. n.* 345. *&* 346
Quid si uterque malâ fide contraxit? *ibid. n.* 347
Moralis certitudo nullitatis Matr. excusat à reddendo *ibid n* 347 *& seqq.*
Quid si probabilis sit mors, & probabilis vita conjugis? Licitum est petere & reddere, juxtâ Perez, si bonâ fide contraxerint. *pag.* 651. *n.* 350 *&* 351
An tales possint contrahere bonâ fide? *ibidem*
Quid si consanguinei probabiliter opinentur, Papam dispensasse? videtur Impedimentum esse in possessione. *ibid n.* 352. *&* 353
Quid si de ipso Impedimento dubitetur? *ibid.*
Asserenti se fictè consensisse, non est adhibenda fides. *ibid. n.* 354
Quid si vir juret? non sufficit, nisi cum alijs circumstantijs, ex Sanchez. *ibid. n.* 355
Quæ sint illæ circumstantiæ, ex eodem. *ibid. n.* 356 *& seqq.*
An sufficiat, quod puella verisimiliter probet metum? ex Sanchez. *p.* 652. *n.* 360
Quid si ambo conjuges jurent, se fictè consensisse? *ibid. n.* 360 *&* 361
Iudicium Auctoris. *ibid.*
Quid si aliquis ante Matr. protestetur, se nolle consentire? *pag.* 653. *n.* 363
Qualis consensus requiratur in d. protestationem? *ibid. n.* 364 *& seqq.*
An requiratur expressus consensus alterius partis? *ibid. n.* 367
Quid si ante copulam protestetur, se nolle consentire? *ibid. n.* 368
In quo foro procedat hæc doctrina? *ibid. n.* 369
In foro interno adhibetur fides viro respectu sui-ipsius. *p.* 654. *n.* 370
An etiam respectu mulieris? *ibid. n.* 371
An mulier teneatur ei reddere debitum? *ibidem.*
Quid si vir dictum suum retractet? *ibid. n.* 372
Quid si probabiliter dubitetur de valore Matr? *ibid. n.* 373

An ob testimonium unius teneatur abstinere à Matr.? *ibid. n.* 373. *&* 374
Qualis probatio testimonij requiratur, ut Matrimonium dissolvatur, ex Sanchez. *ibid. n.* 375. *&* 376
An admittatur confessio utriusque conjugis? *p.* 655, *n.* 377 *& seqq.*
An sufficiat confessio alterius tantùm? *ibid. n.* 379 *&* 380
Affinitas in primo vel secundo gradu, superveniens Matr. privat incestuosum jure petendi debitum. *ibid. n.* 381. *&* 382
An incestuosus possit reddere debitum, secluso periculo lapsûs? *p.* 656. *n.* 382 *& seqq.*
An qui consentit incestui, hîc sit incestuosus? *ibid. n.* 384 *& seqq*
An hîc sit distinguendum inter incestum publicum & occultum? *p.* 657. *n.* 389 *&* 390
An sufficiat incestus cum proprijs consanguineis aut affinibus alterius conjugis? *ibid. n.* 391 *& seqq.*
Iure antiquo extenditur hæc pœna usque ad 4 gradum *pag.* 658. *n.* 395. *&* 396
An jus antiquum hodie maneat illæsum? *ibid. n.* 396 *& seqq.*
Exactio debiti in casu proposito est mortalis. *p.* 659 *n.* 405
Privilegium dispensandi. *ibid. n* 405
An sit securum uti hoc Privilegio? *p.* 660. *n.* 406
Aliqui putant, exactionem non esse mortalem, secluso contemptu. *ibid. n.* 407
An consuetudine sit abolitum hoc præceptum? *ibid. n.* 408. *&* 409
Non habet hîc locum compensatio delictorum, *ibid. n.* 409. *&* 410
Quid si uterque peccaverit ex Malitia? petenti tenetur reddere, ex Sanchez. *ibid. n.* 411
Cognatio spiritualis, Matrimonio superveniens, non privat jure petendi debitum. *p.* 661. *n.* 412 *& seqq.*
Oppositum Conclusionis fuit olim institutum. *ibid. n.* 417
Posteà aliter fuit statutum. *p.* 662. *n.* 417. *&* 418
Baptizans in necessitate, non privatur jure petendi debitum. *ibid. n.* 419
An sit necessitas, quando adest alius Laicus, qui potest, & vult baptizare? *ibid. n.* 419 *& seqq.*
An quod de Baptizante, idem dicendum sit de suscipiente? *ibid. n.* 422 *& seqq.*
Probatur etiam conclusio, extra necessitatem. *p.* 663. *n.* 427 *& seqq*
Expenditur oppositum Conclusionis, ex Sanchez. *ibid. n.* 429 *& seqq.*
Nostra Conclusio stabilitur. *pag.* 664. *n.* 434 *& seqq.*
An Affinitas violenter, vel ignoranter superveniens inter conjuges, impediat petitionem debiti? *p.* 665. *n.* 441
Quæ sit hîc scientia juris, facti, & pœnæ: & an hæc triplex scientia requiratur. *p.* 667 *n.* 448. *&* 449
Excusat hîc scientia juris & facti. *ibid. n.* 450. *&* 451
An excuset ignorantia vincibilis? *ibid. n.* 451 *& seqq.*
An excuset ignorantia crassa? *pag.* 668. *n.* 454 *& seqq*
Quid si non penitus ignoretur factum, sed quatenus ex eo oritur hæc pœna? non incurritur hæc pœna, secundùm Sanchez. *ibid. n.* 458
Idem Auctor docet, excusare ignorantiam solùm præcepti Ecclesiastici. *ibid. n.* 459. *&* 460
Hæc sententia placet Auctori. *pag.* 669. *n.* 461
An excuset ignorantia solius pœnæ? *ibid. n.* 462
Est sententia Navarri, ignorantiam solius pœnæ universaliter excusare, quando est probabilis. *ibid. n.* 463
Probatur hæc doctrina Navarri. *pag.* 670. *n.* 465 *& seqq.*
An Pœna, de qua hîc tractatur, obliget ante sententiam? *ibid. n.* 468 *& seqq*
Judicium Auctoris. *p.* 671. *n.* 474
Astrictus voto castitatis, Matrimonio consummato, tenetur reddere. *p.* 672. *n.* 475
An non teneatur ingredi religionem? *ibid. n.* 476. *&*

An

An petitio in tali casu debiti sit licita? *ibid.n* 477. & 478
Triplex effectus, qui manet ex dicto voto. *ib.n.*479 & *seqq*
Privilegium dispensandi cum conjugatis in voto castitatis. *pag.* 673. *n.* 484
Ecclesia generali lege non dispensavit in eo. *pag.* 674. *n.* 485 & *seqq.*
Votum Religionis post consummationem Matr. non prohibet petere. *ibid.n.* 489
Soluto tamen Matr., redit obligatio. *ibid. n.*490 & 491
Graviter peccat, qui cum voto Religionis Matrimonium consummat. *p.* 675. *n.*492
Disparitas quoad hoc inter votum Religionis, & castitatis aut Ordinis sacri. *ibid.n.*493
Duo postrema vota non obligant ad ingressum Religionis. *ibid.n.*493 & *seqq*
An quis absque peccato possit inire Matrimonium post votum castitatis? *p.* 676. *n.* 497 & *seqq*
Iudicium Auctoris. *ibid.n.*499
An Religio sit medium per se ordinatum ad castitatem. *ibid. n.* 677 & *seqq.*
Votum non nubendi solum contractum reddit illicitum. *p.* 677. *n.* 503 & *seqq.*
An tale votum prohibeat fornicationem? *p.*678. *n.*505
Episcopi possunt dispensare in voto continentiæ non perpetuo: an etiam in voto de non nubendo? *ibid.n.* 506 & *seqq.*
In casu proposito ex natura voti non impeditur consummatio. *ibid. n.* 509
Quid dicendum de voto virginitatis? *ibid.n.*510. & 511
Qualiter obliget votum absolutum castitatis, emissum sine licentia conjugis. *pag.* 679. *n.* 512
An rectè probetur ex Sanchez, esse prorsùs irritum quoad redditionem debiti. *ibid.n.* 512 & *seqq.*
An tali evẽtu obliget votũ castitatis? *p.*680. *n.*517 & *seqq*
Non obligaret tale votum, ubi per accidens foret obligatio petendi. *pag.*681. *n.*525
Sanchez docet, voto adstrictum aliquando posse petere debitum. An benè? *ibid.n.*525 & *seqq.*
An solùm onus petendi sufficiat? *ibid. n.* 527 & *seqq.*
Quoties liceat in tali casu petere. *p.* 682 *n.* 530
Auctor existimat, non posse petere, nisi dum non petendo peccaret. *ibid. n.* 531
An sufficiat periculum incontinentiæ? *ibid.n* 532 & *seqq*
Sanchez existimat sufficere, quando solum est votum de non petendo. *ibid. n.* 535
Similiter, si est votum absolutum castitatis, emissum non communi consensu. *p.* 683 *n.* 536
An tali casu sit obligatio ad copulam? *ibid. n.* 537
Qui vovit castitatem, non potest contrahere Matr. ad impediendam incontinentiam. *ibid. n.* 538
Obligatus voto non potest alterum deterrere à petendo. *ibid. n.* 539
An possit ipsum incitare ad petitionem? *ibid.*
An debeat alteri indicare votum suum? *ibid. n.* 540
Modi naturalis inversio non reddit congressum conjugale a vitiosum mortaliter. *ibid.n.* 541. & 542
Mutatio modi naturalis in concubitu est venialis. *p.* 684. *n.* 543
An numquam impediat generationem? *ibid.n* 544 & *seqq*
Modus, qui impediret generationem, foret mortalis. *p.*685 *n.* 547. & *seqq*
An sufficiat quælibet effusio seminis extra vas ad peccatum mortale. *p.* 685. *n.* 550 & *seqq.*
Auctor affirmat, si ex ipso modo concumbendi proveniat *ibid. n.* 552
An confitens extraordinarium situm debeat interrogari de effusione? *ibid. n.* 553
An sit mortale variare situm, ne ita certa sit proles? *ibid. n.* 554
An exigenti debitum modo indebito debeat reddi? *ibid. n.* 555 & *seqq.*
Variatio situs aliquando est culpa mortalis, juxtà D. Thomam, & Abulensem. *p.* 686. *n.* 558. & 559
An modus, quo fœmina incubat, semper sit mortalis? *ibid.n.*560. & 561
Procurare seminationem extra vas naturale est peccatum mortale. *ibid. n.* 562. & 563
Imò videtur pollutio extraordinaria magis prohibita conjugatis, quàm solutis. *p.* 687. *n.* 564. & 565
Neque excusat consensus utriusque conjugis. *ibid.*
An talis seminis effusio sit adulterium? *ibid. n.*566 & *seqq*
An copula inchoata in vase non naturali sit mortalis? *pag.* 688. *n.* 570. & *seqq*
Est mortale proponere sibi in actu conjugali aliam personam carnaliter dilectam. *ibid. n.* 573
Procurare seminationem solius viri est mortale, juxtà unam sententiam, secùs secundùm aliam. *ibid.n.*574
Seminatio solius mulieris est mortalis in omni sententia. *ibid.n.*575
Vir potest continuare copulam post seminationem, & mulier post copulam seipsam ad seminationem excitare. *p.*689. *n.*576 & 577
Fœmina non potest se retrahere, si sola seminaverit. *ibid. n.* 578
An possint conjuges se retrahere ante seminationem? *ibid.n.* 579
Sanchez affirmat, etsi fieret ad impediendam generationem. *ibid. n.* 580
An etiam liceat cum periculo effusionis seminis extra vas? *ibid.n.*580. & 581
An fornicans debeat se retrahere ante seminationem. *p.* 690. *n.* 582 & *seqq.*
Peccat fœmina, quæ post susceptum semen quidpiam efficit ad impediendum generationem. *ibid.n.*586
Non tamen tenetur anxiè, diúque manens in lecto semen conservare. *ibid. n.* 587
An liceat morosè delectari conjugibus de copula habita vel habenda? *ibid. n.*588. & 589
An liceat viduo vel viduæ delectari de copula præterita. *p.*691. *n.* 590
An tactibus provocare libidinem sit mortale in conjugatis? *p.* 692. *n.*597 & *seqq.*
An magis excusandi tactus conjugum inter se, quàm in absentia cum seipsis? *p.*693. *n.* 606
Auctor nullum invenit testimonium Scripturæ &c. quo datur jus conjugibus se mutuò inhonestè attingẽdi sine ordine ad copulam. *p.*694. *n.*608
Hinc putant aliqui, omnes illos tactus esse mortales. *ibid.n.*609
An petitio conjugis sit justa causa admittendi tactus cum periculo pollutionis. *ibid. n.* 610 & *seqq.*
An tales sint amplexus & oscula, ad indicandum & fovendum mutuum amorem? *ibid. n.* 612
Tactus proprij corporis in absentia conjugis est mortalis, si fiat cum periculo pollutionis. *ibid.n.* 613
An etiam, si tantum sequatur commotio membri. *pag.* 695. *n.*613
An liceat hæc commotio, quãdo copula ab extrinseco est prohibita. *ibid. n.*614. & 615
An liceant isti tactus, si valor Matr. sit dubius? *ibid.n.* 615. & 616
An liceant, si sit impedimentum voti? *ibid. n.* 616
Nulla est obligatio reddẽdi debitũ cũ peccato. *ib.n.*618
Licitè redditur debitum petenti ex malo fine. *ibid. n.* 619. & 620
Limitatur. *pag.* 696. *n.*620 & 621
Petenti cum voto castitatis, an teneatur conjux reddere? *ibid.n.* 622
Si ipsum opus externum nequeat fieri sine peccato, illicitè redditur debitum, ex Pontio. *ibid.n.*623 & *seqq*
Varia exempla adducta à Pontio ad hoc propositum expenduntur. *p.*697. *n.*626 & *seqq*
Votum indirectè afficit personam reddentem. *ibid. n.* 628 & *seqq.*
Solvuntur argumenta contra Conclus. adducta à Sanchez *ibid. n.* 630 & *seqq*
Dicastillo vocat sententiam Pontij probabilissimam, eamque sequitur. *p.*698. *n.*636. & 637
Quid senserit de hac controversia Aversa? *p.* 699. *n.* 638 & *seqq.*
Resolutio finalis, petitionem in casu proposito esse licitam, secùs redditionem. *p.* 700. *n.* 644
An innocens petendo debitum ab incestuoso, perdat jus suum? *ibid. n.* 644 & *seqq.*

UXOR.

Uxores gaudent honore virorum, ex Authent. de Consul. Et Cod. de Dignitat. *p.* 121. *n.*209
Hanc esse naturam Matrimonij, probatur ex Leone Papa *ibid. n.* 210
Impugnatur hæc sententia. *ibid. n.* 212

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ERRATA SIC CORRIGE.

Folium. Numerus. Linea.

Fol. 18. num. 107. lin. 19. lege *poteſtatem* pro *poſtatem.*
Fol. 19. ..... lin. 2. lege *Epiſcopus* pro *Epiſcopi.*
Fol. 28. num. 173. lin. 14. lege *præſcriptas* pro *præſcriptæ.*
Fol. 30 num. 186. lin. 16. lege *præſcriptio* pro *præſcriptionem.*
Fol. 32. num. 197. lin. 11. lege *nova* pro *nota.*
Fol. 35. num. 217. lin. 13. lege *ſpectat ad* pro *ſpectat de.*
Fol. 36. num. 225. lin. 2. lege *explicandas* pro *explicandæ.*
Fol. 42. num. 6. lin. 6. lege *ſuſcipiendi* pro *ſuſpiciendi.*
Fol. 55. num. 89. lin. 3. lege *deinde* pro *deinque.*
Fol. 55. num. 90. lin. 3. lege *contrariam* pro *contrarium.*
Fol. 81. num. 269. lin. 6. lege *contractam* pro *contractum.*
Fol. 85. num. 300. lin. 2. lege *rapuerit* pro *raperit.*
Fol. 95. .... lin. 9. lege *ſententiam* pro *ſentiam.*
Fol. 126. num. 247. lin. 8. lege *ſervum* pro *ſervus.*
Fol. 133. num. 32. lin. 9. lege *conſtiterit* pro *conſiſterit.*
Fol. 140. num. 78. lin. 13. lege *quæ in* pro *quæ.*
Fol. 141. .... lin. 12. lege *ea* pro *&.*
Fol. 153. num. 170. lin. 8. lege *aliter* Romyn, pro *aliter* Corſyf.
Fol. 157. num. 198. lin. 13. lege *ſancta* pro *facta.*
Fol. 192. num. 202. lin. 15. lege *obÿſſet* pro *obſſet.*
Fol. 200. num. 246. lin. 13. lege *protendere,* pro *prætendere.*
Fol. 205. num. 278. lin. 19. lege *lavacro* pro *lavacaro.*
Fol. 215. num. 347. lin. 10. lege *communißimam* pro *commißivam.*
Fol. 225. ..... lin. 9. lege *propria* pro *ropia.*
Fol. 225. num. 413. lin. 12. lege *cognatione* pro *cognatio.*
Fol. 240. num. 37. lin. 9. lege *filius* pro *fluis.*
Fol. 248. num. 128. lin. 3. lege *erunt* pro *eruat.*
Fol. 257. num. 43. lin. 18. lege *ab irritatione* pro *ob irritatione.*
Nota, poſt Folium 264. immediatè ſequitur Folium 275. & tamen nihil deeſt.
Fol. 263. num. 80. lin. 10. lege *matrimonio* pro *matrimonium.*
Fol. 277. num. 103. lin. 29. lege *promulgatam* pro *promulctatam.*
Fol. 292. num. 86. lin. 17. lege *vivente* pro *vovente.*
Fol. 304. num. 157. lin. 3. lege *nuda* pro *unda.*
Fol. 305. num. 164. lin. 11. lege *occaſionem* pro *occiſionem.*
Fol. 309. num. 189. lin. 18. lege *quamcumque* pro *quacumque.*
Fol. 312. num. 204. lin. 18. lege *permitterentur* pro *promitterentur.*
Fol. 312. num. 209. lin. 14. lege *in quoſcumque* pro *id quoſcumque.*
Fol. 328. num. 61. lin. 9. lege *ſtatim obligare* pro *ſtatimoigare.*
Fol. 328. num. 61. lin. 10. lege *timore* pro *timlre.*
Fol. 333. num. 87. lin. 6. lege *acerbas* pro *arcebas.*
Fol. 346. num. 29. lin. 17. lege *Matrimonium* pro *Matrimonem.*
Fol. 368. num. 169. lin 16. lege *evadendi modus* pro *evadendi.*
Fol. 391. num. 316. lin. 6. lege *adhibita* pro *adhita.*
Fol. 457. num. 192. lin. 25. lege *parva* pro *prava.*
Fol. 472. num. 51. lin. 13. lege *fama* pro *forma.*
Fol. 472. num. 52. lin. 1. lege *fama* pro *forma.*
Fol. 491. num. 98. lin. 4. lege *tunc* pro *nunc.*
Fol. 500. num. 148. lin. 18. lege *innititur* pro *innitur.*
Fol. 509 num. 207. lin. 3. lege *revocationum ... confirmationum* pro *revocationem ... confirmationem.*
Fol. 527. num. 322. lin. 12. lege *fore* pro *foro.*
Fol. 536. num. 369. lin. 11. lege *ad* pro *at,*
Fol. 547. num. 443. lin. 10. lege *conſummatio* pro *conſummationis.*
Fol. 548. num 448. lin. 17. lege *dirimente* pro *detrimente.*
Fol. 550. num. 462. lin. 2. lege *incidiſſe* pro *indiciſſe.*
Fol. 554. num. 486. lin. 4. lege *habita* pro *habito.*
Fol. 561. num. 529. lin. 4. lege *nullam* pro *nullum.*
Fol. 564. num. 550. lin. 15. lege *impedimenti* pro *impedimente.*
Fol. 574. num. 31. lin. 14. lege *prolationem* pro *probationem.*
Fol. 578. num. 59. lin. 3. lege *ipſe* pro *ipſa.*
Fol. 581. num. 76. lin. 5. lege *reſtricta* pro *reſtricto.*
Fol. 583. num. 86. lin. 17. lege *ſuſtinentur* pro *ſubſtinentur.*
Fol. 587. num. 113. lin. 1. lege *hoc* pro *hos.*
Fol. 589. num. 124. lin. 8. lege *diſpenſationes* pro *diſpenſationem.*
Fol. 590. num. 126. lin. 9. lege *aliter* pro *alter.*
Fol. 592 num. 143. lin. 3. lege *quem* pro *quam.*
Fol. 608. num. 92. lin. 13. lege *ægrotantes* pro *ægorantes.*
Fol. 608. num. 92. lin. 16. lege *uxores* pro *uxoris.*
Fol. 612. num. 120. lin. 3. lege *occurrere* pro *occurre.*
Fol. 612. num. 120. lin. 5. lege *ſanandum* pro *ſonandum.*
Fol. 614. num. 128. lin. 15. lege *monſtruoſam* pro *menſtruoſam.*
Fol. 615. num. 134. lin. 5. lege *menſtrui* pro *menſtruæ.*
Fol. 618. num 151. lin. 8. lege *non in* pro *in non.*
Fol. 621. num. 172. lin. 8. lege *gaudente* pro *gaudens.*

Fol.

Fol.625. num.195. lin.12. lege *auctoritas* pro *auctoritates.*

Fol. 638. num. 272. lin. 8. lege *participat* pro *participiat.*

Fol.644. num. 312. lin. 17. lege *ſpoliari* pro *ſpoliare.*

Fol.649. num.341. lin. 10. lege *poſſeſſor* pro *poſſeſſoris.*

Fol.651. num.351 lin.7. lege *hac* pro *hoc.*

Fol.652. num. 358. lin. 12. lege *quia non eſt* pro *quia eſt.*

Fol. 654. num. 371. lin. 4. lege *credere* pro *recedere.*

Fol.656. num.383. lin.17. lege *ei* pro *ea.*

Fol. 660. num.409. lin. 1. lege *at verò*, pro *à verò*

Fol.664. num.434 lin.13. lege *eas* pro *eam.*

Fol. 675. num. 495. lin.15. lege *difficiles* pro *difficilis.*

Fol. 680. num. 517. lin. 17. lege *aliam* pro *alium.*

Fol.683. num.536. lin.11. lege *ſententiam* pro *ſentiam.*

Fol.687. num.564. lin.21. lege *prolabitur* pro *probabitur.*

Fol. 688. num. 569. lin. 5. lege *propria* pro *proprio.*

Fol.698. num.636. lin.22. lege *à quo* pro *cui.*

Fol.713. num.80. lin. 26. lege *admittunt* pro *amittunt.*

Fol.714. num.88. lin.15. dele *haud.*

Fol.732. num.194. lin.14. lege *quæ* pro *quâ.*

Fol.733. num.202. lin.3. lege *à viro ob ejus* pro *à viro ejus.*

Fol. 762. num. 377. lin. 4. lege *nequit fieri tranſitus* pro *nequit tranſitus.*

Fol.774. num.454 lin.18. lege *commodè* pro *incommodè.*

Fol.787. .... lin. 1. incipe, *utpote ab ea ſeparatus; & quamvis adiret.*

Fol.796 num. 580. lin. 17. lege *in* pro *id.*

Fol. 803. num. 617. lin. 3. lege *conjungi* pro *conjugi.*

Fol. 808. num. 649. lin. 9. lege *doloſè* pro *doloſa.*

Fol.811 num.672. lin. 12. lege *à voluntate* pro *voluntate.*

Fol. 811. num. 672. lin. 14. lege *poſuerit* pro *potuerit.*

Fol.819. n.719. lin.2. lege *fallunt* pro *falſunt.*

Fol. 820. num. 722. lin. 10. lege *alendi* pro *alenda.*

Reliqua ex ſenſu colliget prudens Lector.



BOSCO
de Sacram
Pars. 6.

Th
446a